
37
17 F
10

R. P. NATALIS
ALEXANDRI
ORDINIS FF. PRÆDICATORUM,
IN SACRA FACULTATE PARISIENSI DOCTORIS
ET EMERITI PROFESSORIS
HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS
NOVIQUE TESTAMENTI
Ab orbe condito ad Annum post Christum natum millesimum sexcentesimum:
Et in loca ejusdem insignia Dissertationes Historicæ, Chronologicæ, Criticæ, Dogmaticæ.
IN OCTO DIVISA TOMOS.
Ante quidem per partes, nunc autem conjunctim & accuratiùs edita:
Rerum novarum accessione, Scholiis, & Indicibus locupletissimis aucta, illustrata, ornata.
TOMUS SEPTIMUS.
Sæculum Decimum-tertium & Decimum-quartum continens.



PARISIIS,
Sumptibus ANTONII DEZALLIER, in Vico San-Jacobæo, sub signo Coronæ Aureæ.
M. DC. XCIX.
Cum Privilegio Regis Christianissimi.

INDEX

CAPITUM, DISSERTATIONUM, QUÆSTIONUM, Articulorum, Voluminis hujus Historiam Ecclesiasticam XIII. & XIV. Seculi continentis.

FINIS.



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SÆCULI XIII. ET XIV. SYNOPSIS.

CAPUT PRIMUM.

De Pontificibus qui Romanam & Universalem Ecclesiam rexêre Sæculo XIII.

ARTICULUS I.

DE INNOCENTIO III.

Innocentii III. Creatio.

I. *OTHARIUS* ex illustrissima Comitum Signiæ Domo, præclaris animi dotibus generis ornavit claritatem. Liberalibus sacrisque studiis Romæ, Parisiis, ac Bononiæ insigniter excultus, Theologus ac Jurisconsultus doctissimus evasit, ut ejus Opera ac Responsa testantur. Annum duntaxat vigesimum-nonum ætatis attigerat, cùm in numerum Cardinalium à *Clemente III.* Titulo SS. *Sergii & Bacchi* adlectus est, ex clarissimo Canonicorum S. *Petri* Collegio. Annum agens ætatis trigesimum-septimum, defuncto *Celestino III.* summâ omnium Ordinum lætitiâ, flens ipse, ejulans, & repugnans, electus est Pontifex, nomenque sibi sumpsit, *Innocentius III.* Idibus Januarii anno MCXCVIII. Cùm verò Diaconus tantùm esset, ejus Ordinatio in Presbyterum, ad proximum usque Quatuor Temporum Sabbathum dilata est, quo fuit Sacerdos inauguratus nono Kalendas Martii, & sequenti Dominica, concurrente Festivitate Cathedræ *S. Petri* celebri, Episcopus consecratus, ac Ritu solemni coronatus est. De electione sua encyclicas statim ad Fideles omnes Literas dedit[a] in primis ad *Philippum*
[a] Epist. 1. *Augustum* Francorum Regem, in quibus hæc observanda sententia, Regno Regibúsque Christianissimis perhonorifica: [b] *Considerantes quantùm Reg-*
[b] Epist. 2. *num Franciæ in Ecclesia semper permanserit unitate, Tibi tanquam speciali Romanæ Ecclesiæ Filio, Literarum nostrarum primitias duximus destinandas.* Scripsit etiam Abbatibus, cæterisque Ecclesiæ Gallicanæ Religiosis Viris, eorum se orationibus commen-

A dans. [c] Hanc in Pontificiis Literis observari velim [c] Epist. 3.
sententiam: *Nos enim vos tanquam speciales Ecclesiæ filios, per quos nomen Domini dignius & excellentius prædicatur, tantò amplius intendimus in vestris necessitatibus adjuvare, quantò in majorem Ecclesiæ redundaret injuriam, si jura vestra quorumlibet temeritate pateremur occupari.*

II. Temporalem Romanæ Ecclesiæ dignitatem *Innocentii cura felicesque labores pro R. E. ditione recuperanda & pacanda.*
à Germanis Imperatoribus, Italiæ Principibus, populóque priscæ libertatis amante labefactatam ac pene prostratam *Innocentius III.* erexit. *Petrum* Urbis Præfectum in verba sua adegit, necnon *Ilde-*
B *brandinum* Comitem. *Petrus* Investituram Præfecturæ ab ejus Sanctitate suscepit. Juramentum Fidelitatis ab ipsis præstitum legere est lib. 1. Epistolarum *Innocentii III.* Epistola DLXXVII. & DLXXVIII. Mox decretis Legationibus, Marchiam universam, Asculo exceptâ, Ducatum Spoleti, Comitatum Assisii, Montem-bellum, aliásque civitates & arces ad Patrimonium *S. Petri* pertinentes recuperavit, de quibus coævus Gestorum ejus Author ab Illustrissimo *Bosqueto* Montispessulani Episcopo, & novissimè à Clarissimo *Baluzio* editus. Tusciæ
C civitates sanctè fœderatas, & juramento obstrictas ad jurium Ecclesiæ Romanæ defensionem, & ad nullum Regem vel Imperatorem admittendum, *nisi quem Romanus Pontifex approbaret*, in clientelam suscepit. Qua de re legenda Epistola quadringentesima prima libri primi, in qua de Pontificia & Regia Potestate hæc notatu digna sententia est: *Pontificia & Regia Potestas.*
Sicut universitatis Conditor Deus duo magna luminaria in firmamento cæli constituit, luminare majus, ut præesset diei, luminare minus ut nocti præesset: sic ad firmamentum universalis Ecclesiæ, quæ cæli nomine nuncupatur, duas magnas instituit dignitates: majorem, quæ quasi diebus, animabus præesset, & minorem, quæ quasi noctibus, præesset corporibus. Quæ sunt Pontificalis Au-

Clericas & Regalis Poteſtas. Haud ſemper habuit pacatam Urbem *Innocentius.* Plures namque ſeditiones excitatæ, *Petro Leonis Ranerii*, & *Joanne Capocio* incentoribus: Quas magnanimus Pontifex compeſcuit. Poſtulantibus Optimatibus, Senatores creavit quinquaginta-ſex, quos deinde Rempublicam malè gerentes, rogante plebe, exauctoravit, unumque conſtituit Senatorem, qui pacem ac juſtitiam in Urbem reduxit, omnibus Pontificiam Majeſtatem verentibus. Ita refert Geſtorum ipſius Author, Cap. CXLI. Id anno MCCVIII. contigit, Sedente in *S. Petri* Cathedra *Innocentio* III. Richardus de Aquila Fundano ſuo Comitatu Pontificiam ditionem auxit, Romanam Eccleſiam ex aſſe hæredem inſtituens. Publicas ea de re confectas tabulas refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCXS. Res terrenas ægrè curabat Pontifex optimus, illud identidem uſurpans: *Qui tangit picem, inquinabitur ad ea.*

Pro tuenda Sicilia.

III. Siciliam, fiduciarium Romanæ Eccleſiæ Regnum ſummâ diligentiâ tuitus eſt *Innocentius* III. Ipſo *Conſtantiam* Imperatricem, & *Fridericum* ejus filium inveſtivit, cùm fidelitatem ſibi ſuiſque Succeſſoribus juraſſet, atque ligium hominium ſe, datâ opportunitate, præſtiturum. Cenſus annuus mille ſquifatorum à Pontifice pro Regno impoſitus. Miſſus in Siciliam Legatus, *Octavianus* Epiſcopus Oſtienſis, qui populos in officio contineret. Vix ille appulerat, cùm Imperatrix *Conſtantia* diem ſuum obiit, *Innocentium* Papam Regni Balium ſive Moderatorem, ac *Friderici* Regis adhuc pueri tutorem deſignans. Regni, Regiſque pupilli curam ac defenſionem ſuſcepit magnus Pontifex; miſſis Legatis, Siculos in verba ſua adegit: *Marcualdum* Tyrannum, Regno inhiantem, anathemate contrivit, conſcriptóque exercitu, cui Ducem præfecit *Jacobum* Mareſcallum, conſobrinum ſuum, armis etiam fregit, fugavítque. Qua de re legendæ Epiſtolæ *Innocentii* III. CCXXI & CCLXXX. libri II. & Epiſtola *Anſelmi* Neapolitani Archipræſulis ad *Innocentium*, in Geſtis ejuſdem Pontificis Cap. XXVI. deſcripta. *Gualterii* quoque Trojani Epiſcopi & Siciliæ Cancellarii, qui pacem cum *Marcualdo* publico hoſte inierat, contra Pontificis prohibitionem, & Regis Domanium diſtrahebat, omnia in ſuas, ſuorúmque utilitates derivans, ſuperbiam domuit. *Diepuldum* tyrannidis participem, operâ *Gualteri* Brenenſis Comitis, & *Jacobi*, Statûs Eccleſiaſtici Mareſcalli, profligavit. Demum Regnum integrum pacatúmque *Friderico* tradidit, cùm majorem ætatem attigiſſet. Qui poſtea Imperator electus, Regnum ad *Henricum* filium tranſmiſit, ne Sicilia Imperio conjuncta videretur, ac ſupremo in illam Eccleſiæ dominio detraheretur, ad quam *ſolummodo ipſius Regni dominium pertinere*, & à ſe vel filio ſuo, fiduciario tantùm jure teneri, ſcripto Diplomate profeſſus eſt.

Innocentii III Geſta in cauſa Imperii.

IV. In cauſa Imperii diviſis Principibus, aliiſque à *Philippo Suevo* ſtantibus, aliis ab *Ottone*, ipſe *Ottoni* conſtanter ſavit, nec *Philippi Auguſti* Regis Chriſtianiſſimi precibus potuit ab ipſius partibus divelli. Immo verò ejus Majeſtatem ad favendum *Ottoni* inclinare conatus eſt, cui, libratis contendentium rationibus ac meritis, jus ad Imperium confirmaverat. Legenda Epiſtola XXIX. Regeſti Innocentii *De Negotio Imperii*, quæ inſcribitur: *Deliberatio Domini Papæ Innocentii ſuper facto Imperii de tribus Electis.* Legendæ & aliæ Epiſtolæ eamdem cauſam ſpectantes, ad Germaniæ Principes, ad *Philippum Auguſtum* Regem Francorum, & *Joannem* Anglorum, ad Præneſtinum & Oſtienſem Epiſcopos, Sedis Apoſtolicæ hac in cauſa Legatos, quas idem Regeſtum exhibet à Clariſſimo *Baluzio* editum. Nihil omiſit *Innocentius* ut Regi Chriſtianiſſimo gratam faceret *Ottonis* confirmationem; oſtendit hanc ejus rationibus maximè opportunam eſſe, præſertim cùm *Blanca Aldephonſi* Regis Caſtellæ filia, quam *Ludovicus Philippi Auguſti* filius duxerat, *Ottonis* Imperatoris electi conſanguinea eſſet, ſicque ipſi affines eſſent *Ottonis*; & jam pax inter Angliæ Regem, ipſius patruum, & *Philippum* ſancita eſſet. Cæterùm ſe noluiſſe alterutrius Electi promotionem præter ipſius Chriſtianiſſimi Regis conſcientiam conſummare conteſtatur, ne Regnum Franciæ cum Apoſtolica Sede non ſentiret, cui ſemper in arduis negotiis adhæſit. Epiſtolæ verba adſcribo, ut quàm magnificè de Regibus Chriſtianiſſimis ſenſerit *Innocentius* III. & quantâ benevolentiâ *Philippum Auguſtum* ſit proſecutus, omnibus innoteſcat. *Cùm te*, inquit, *tamquam Chriſtianiſſimum Principem, Regem Catholicum, & ſpecialem filium, noverimus nobis & Eccleſiæ Romanæ devotum, utpote qui in devotionis affectus exhibendus Apoſtolicæ Sedi jure ſibi hereditario vendicavit, à Progenitoribus tuis inclitæ recordationis Francorum Regibus, & ſi ſucceſſivè per ſingulos, in te tamen totus & integer derivatus, qui hujus puritatis ſuccum contrahis à radice, vellemus ut & tibi plenè mentis noſtræ pateret arcanum; ut cùm intelligeretur quòd filialem reverentiam exhibes non ingratis, nobis fieres de devoto devotior, & piæ intentionis propoſitum de die in diem in corde tuo radicaretur amplius, & in germen uberius proſiliret. Pro certo igitur noveris, & habeas pro conſtanti, quòd inter cæteros Reges & Principes Chriſtianos te ſpecialis amoris prærogativa, de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta diligimus, & ad honorem, profectum, & exaltationem tuam ardentius aſpiramus. Unde ne vel levem etiam maculam in gloria tua poneres, ſi ſuper ordinatione Imperii Romani, quod ad nos principaliter & finaliter noſcitur pertinere, ne dixerimus noſtræ diſpoſitioni reſiſteres, ſed noſtræ non ſequereris beneplacitum voluntatis, & ſic cum Apoſtolica Sede Regnum Franciæ non ſentiret, cui ſuper arduis negotiis ſemper adhæſit, licèt multa & magna nobis & noſtris fuerint utrimque promiſſa, nec ad munera tamen flecti potuimus, nec ad preces induci, ut alterutram partem præter conſcientiam tuam vellemus aſſumere, cùm velimus tecum favere alteri, & cum eodem tecum pariter prævalere.* Miſit autem *Octavianum* Oſtienſem Epiſcopum Sedis Apoſtolicæ Legatum ad Chriſtianiſſimum Regem, qui rationes ipſi explicaret, ob quas nec Romanæ Eccleſiæ, nec ejus Majeſtati & Regno Francorum expediret, quòd *Philippus* obtineret Imperium. Laudata Epiſtola eſt XLVII. in Regeſto *De Negotio Imperii.*

Innocentii III ſtudium in Regem & Regnum Francorum.

Cùm verò *Philippus Auguſtus* iterum graviter conqueſtus eſſet ſcriptis ad *Innocentium* Literis, quòd ſuum, Regníque ſui inimicum ad Imperium promovere ſtudiis omnibus niteretur, ejus Majeſtati Pontifex per Literas fecit ſatis, ſéque majori propenſione voluntatis ſtudere incremento & utilitatibus Regni Francorum, quàm ipſius Imperii ſignificavit. Rationéſque expoſuit quæ *Ottonis* confirmationem non ſolùm Eccleſiæ, ſed Galliæ rebus magis opportunam eſſe ſuaderent. *Unde*, inquit, *inter cæteros Reges Catholicos & Principes Chriſtianos Serenitatem tuam prærogativâ dilectionis amplectimur, & ad ea quæ honorem tuum, & incrementum Regni Francorum reſpiciunt, propenſius aſpiramus; utpote in cujus exaltatione exaltari credimus Apoſtolicam Sedem; & in cujus depreſſione, quod abſit, ipſam deprimi crederemus.* Et infrà: *In approbatione verò, imò ante approbationem Regis ipſius, tam Regiæ Serenitatis quam Regni Francorum memores nos noveris extitiſſe, cùm ab eo tam per ſcripturam ſuam, quam per proprium juramentum ſufficientem receperimus cautionem; ut ſuper facto tuo conſiliis noſtris & monitis acquieſcat. Præterea, cùm cariſſi-*

mo

mo in Christo filio nostro Ludovico primogenito tuo, qui in Regnum tibi, Domino faciente, succedet, proximæ affinitatis vinculo sit adstrictus, & multis Principibus tam consanguineis quàm affinibus tuis tum consanguinitate, tum affinitate conjunctus existat, promotionem ejus Regno Francorum credimus expedire..... Verum præter alias cautiones, quas ab illo poteris recipere, Ecclesia Romana tam te quàm Regnum tuum semper faciet ab ipso securum, & ei, si, quod non credimus, malignari fortè præsumpserit, juxta officii nostri debitum se opponet. Usque adeo enim Regni Francorum diligimus libertatem, ut non solummodo contra eum, sed contra omnem hominem qui illud molestare præsumeret, pro ejus immunitate staremus, & ejus defenderemus pro viribus dignitatem. His demum verbis Epistolam concludit: *Sicut damnosum reputares & grave, si Romanus Pontifex contra Regnum Francorum cuiquam, & maximè Imperatori faveret; ita grave nobis existeret & molestum, si Rex Francorum cuiquam contra Romanam Ecclesiam, præsertim super Imperio Romano faveret. ABSIT IGITUR UT VEL REX FRANCORUM DESERAT UMQUAM ROMANAM ECCLESIAM, VEL ECCLESIA ROMANA DESIT UMQUAM REGNO FRANCORUM.*

Alia occasione ad Regem Christianissimum scripsit in hæc verba: *Quàm sincerum dilectionis affectum erga te ac filium tuum, & Regnum Franciæ habeamus, novit ille qui testis est in cœlo fidelis, cujus super hoc testimonium securè possumus invocare. Adeo quippe Regni tui exaltationem diligimus, privilegiata semper opera commendantes quæ processerunt de ipso, quòd* ÆQUANIMIUS ECCLESIÆ ROMANÆ, QUÀM IPSI REGNO SUSTINEREMUS MAGNUM ALIQUID ADVERSITATIS ACCIDERE; *cùm faciliùs hæc quàm illud posset ab imminenti periculo liberari.*

Ottonem IV. Imperatorem coronavit *Innocentius III.* anno MCCIX cùm Sacramentum præstitisset de obedientia & reverentia Romanæ Ecclesiæ & Summo Pontifici, ejúsque Successoribus exhibenda, de servanda canonicarum electionum libertate, de Hæreticis delendis, de omnium possessionum Ecclesiæ restitutione facienda, vel procuranda, de Regno Siciliæ in ejus fide continendo, de pace cum *Philippo* Rege Francorum facienda. *Juramentum istud Ottonis* extat in Regesto *de Negotio Imperii*, Epistola LXXVII.

Innocentii III. Gesta contra Ottonem Imp.

V. Recens Sacramentum insigni perfidia violavit *Otto*, castra plurima Ecclesiasticæ ditionis, urbesque Apuliæ invadens, ut *Rigordus* in Vita *Philippi Augusti*, & Chronicon *Fossæ Novæ*, Urspergensis Abbas, & *Richardus de Sancto Germano* testantur. Quamobrem *Matthæus Parisius* mendacii convincitur & calumniæ, qui dissidium inter *Innocentium III.* & *Ottonem IV.* inde ortum scripsit, quòd Papa plurima oppida ad Imperium spectantia occupasset. Frustra monitum *Ottonem* anathemate confixit Pontifex, illiusque in dies crescente contumacia, subditos ejus fidei Sacramento solvit, ut constat ex *Rigordo*, & ex variis *Innocentii III.* Epistolis, scilicet CXCIII. libri XIII. Potestati, Consiliariis, & universo populo, Pisanis inscripta; Epistola CCX. inscripta Archiepiscopo Ravennatensi & Suffraganeis ejus; Epistola LXXVIII. libri XIV. inscripta Albanensi Electo, Sedis Apostolicæ Legato; Epistola CI. inscripta Judici Turritano; Epistola XX. libri XV. inscripta Moguntinensi & Magdeburgensi Archiepiscopis, Sedis Apostolicæ Legatis; Epistola XXXI. inscripta Episcopo Taurinensi, & Præposito Sancti Gaudentii Novariensis; Epistola LXXXIV. inscripta Episcopo Ariminensi; Epistola CXXXVIII. inscripta populo Alexandrino; &c. *Ottonis* abdicationem, & *Friderici* electionem à Germaniæ Principibus factam, ab Oecumenica Synodo Lateranensi IV. cui præerat *Innocentius*, confirmatam esse, testis est *Richardus a Sancto Germano* in Chronico.

Gesta pro Regno Ungariæ.

VI. Ungariæ Regno prosperis, eoque civili bello flagrante, concessit *Henrico* Regi ut Strigoniensis Archiepiscopus cruce signatus Hierosolymitanam profectionem differret, quoadusque pacatum Regnum esset, quia Regi necessarius erat (*Epistola V.*) Indulsit etiam ut *Mozonem* Comitem, & alios viginti primariæ nobilitatis viros eodem voto obstrictos, quorum consilio & operâ ad pacem stabiliendam egebat, retineret. (*Epistola* CCLXX.) Pacem *Andreæ* Duci cum eodem Rege imperavit, sub pœna Anathematis. (*Epistola* CCLXXI.) Cùm defuncto *Henrico*, *Ladislaus* ejus filius adhuc puer in Regnum successisset, sub *Andreæ* patrui tutela, in ejus tuitionem & commoda ferventissimis studiis idem Pontifex incubuit, ut constat ex Epistola XXXVI. & sequentibus libri VIII usque ad XLIII ab *Odorico Raynaldo* ad annum MCCV. Num. LIV. & LV. laudatis. Idem Rex Hierosolymitanam expeditionem, cui se devoverat, adornans, *Innocentium* rogavit ut filium Regem inaugurari Apostolico Diplomate juberet, publicæ pacis hostes anathemate configeret, Jura Strigoniensis Archipræsulis, quoad Regum præsertim coronationem, confirmaret. Has Literas ex libro Privilegiorum Ecclesiæ Romanæ descriptas exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCXIV. Num. VIII & IX. Idem Pontifex causam matrimonii Regis Bohemiæ, qui legitima repudiata uxore, aliam superduxerat, Salisburgensi Archiepiscopo cognoscendam atque judicandam commisit, Epistola LXII. libri IX. quam apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum MCCVI. Num XXIV. legere est.

Lib. II

Gesta pro Regnis Hispaniæ.

VII. *Alfonso* Castellæ Regi, & *Ferdinando* ejus filio, bellum adversùs Saracenos, qui in eorum ditiones irruperant, gerentibus, animos addidit, Hispaniæque jussit Præsulibus, ut Censuras Ecclesiasticas in eos Reges distringerent, quicum ipsis pactas inducias, initamve pacem violarent, quamdiu bello Saracenico essent occupati. (Epistolis III. IV. & V. libri XIV.) Publicas supplicationes pro fœlici ejusdem belli exitu Pontifex indixit, quarum ordinem post Epistolam CLXXXI. libri XV. legere est. Eidem Regi admirabilem de Saracenis victoriam gratulatus est (Epistola CLXXXIII. ejusdem libri) Regis Legionensis incestas cum nepte, Regis Castellæ filia nuptias diremit, ac *Rainerio* Sedis Apostolicæ Legato dedit in mandatis, ut nisi contractum nefarium quantocyus dirimerent, sententiam excommunicationis in eorum personas, & Interdicti in eorum ditiones promulgaret, ad condignam usque satisfactionem; sive latam à *Guillelmo* Cardinali, Sedis ejusdem Legato, confirmaret. Jussit etiam, iisdem censuris percelleret Navarræ Regem, qui pactas cum Rege Castellæ inducias fregerat, & Castella fidelitatis per vim occupaverat. (Epistolis XCII. & XCIII. libri I.) *Rainerius* Regi Legionensi in copula incesta pertinaci, Regnóque sacris interdixit. Compostellano Archiepiscopo, cunctísque Regni illius Præsulibus mandavit, ad incestas nuptias dissolvendas curam omnem adhiberent. Dispensationem rogantibus Regibus negavit. Archiepiscopo Toletano, & Episcopis Palentino & Zamorensi postulantibus ut ob triplex Regno imminens periculum, ab Hæreticis, à Saracenis, & à Christianis Interdictum solveret; gratiam aliquam faciendam duxit, quia *Ubi multitudo est in causa, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat.* Interdictum itaque ex parte relaxavit, & ad tempus, Divinorum Officiorum indulta celebratione,

Ecclesiasticâ prohibuâ sepulturâ. Regis Legionensis, ejúsque neptis, quam pro uxore habebat, excommunicationem aggravavit, vetans ne illis præsentibus, quocumque divertissent, Divina celebrarentur Officia; prolem, si quam suscipèrent, spuriam & illegitimam declaravit. (Ex Gestis *Innocentii*, cap. LVIII. & Epistola LXXV. libri II. Compostellano Archiepiscopo, & universis Episcopis in Regno Legionensi constitutis inscripta.) Necessaria fuit ac utilis hac in causa *Innocentii III.* severitas, Rex enim, ejúsque neptis, incestas nuptias dissolventes, absolutionis beneficium promeriti sunt, ut constat ex Epistolis LXVII. XCIII. & XCVI. libri VII. à *Raynaldo* laudatis ad annum MCCIV. Num. LXX.

Eodem anno Romam profectus Rex *Petrus Aragonum*, à Portuensi Episcopo, jubente Pontifice, unctione sacra delibutus est, & Pontificis manibus coronatus Tum fidelitatem & obedientiam *Innocentio*, ejus Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, Fidei Catholicæ defensionem, libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ custodiam juravit super sancta Evangelia, Regnúmque suum Romanæ Ecclesiæ fiduciarium & vectigale constituit, ut constat ex Gestis *Innocentii III.* Cap. CXXI. & ex Epistola CCXXIX. libri VII. descripta ab *Oderico Rainaldo* ad hunc annum, Num. LXXI. Eidem Regi concessit *Innocentius*, ut ejus Successores Reges, ac Reginæ à Tarraconensi Archiepiscopo Cæsaraugustæ inaugurarentur. Pontificium ea de re Diploma in Gestis *Innocentii* Cap. CXXII. descriptum est. Eidem Principi expeditionem adversùs Saracenos adornanti permisit ut donationes ante legitimæ tempus ætatis factas rescinderet, modò Ecclesiis aliísque piis locis factæ, absque Ecclesiastici Judicis sententia non revocarentur (Epistola XXVIII libri XIV.) *Sancium* Lusitaniæ Regem Regnúmque ipsius, Sedis Apostolicæ stipendiarium, in *Beati Petri* suámque clientelam accepit. (Epistola CCCCXLI. libri I.) Eumdem ussit ut debitum Ecclesiæ Romanæ censum solveret (Epistolis CCCCXLVIII. & CCCCXLIX.) Eumdem Ecclesiæ libertates & jurisdictionem tyrannorum more violantem severè coarguit Epistola VIII. libri XIV. in qua verba illa observatione digna sunt: *Obsecramus te Fili carissime, per misericordiam Jesu Christi, quatenus illa mensura contentus, quam Deus tibi donavit, ad Ecclesiastica Jura non extendas aliquatenus manus suas, sicut nec nos ad Regalia Jura manus nostras extendimus; relinquens nobis Judicium Clericorum, sicut & nos Laicorum Judicium tibi relinquimus: quia, secundùm Apostolum, Servus Domino suo stat aut cadit; ne si alienum tibi Officium usurpaveris, exemplo Oziæ Regis divinam sentias ultionem.* Lethali morbo Rex percussus, ad saniorem mentem rediit, cui pœnitentiam *Innocentius* gratulatus est, & Testamentum rogatus confirmavit, exceptis quæ de Monasteriis quibusdam disposuerat, nisi forsan de Jure Patronatûs intellexisset: *Cùm juxta canonicas sanctiones nulla sit Laicis de rebus Ecclesiasticis disponendi attributa facultas.* Absolutionem verò ab Ecclesiasticis Censuris, quas propter violentam Clericorum & Religiosorum virorum captionem incurrerat, à Bracarensi Archiepiscopo electo ipsi impensam confirmavit (Epistolis LVIII. LIX. & LX. libri XIV.)

Ecclesiastica & Regiæ potestatis fines.

IX. Norvegiam adversùs *Suerronem* Tyrannum, qui Ecclesiam Populúmque opprimebat, tuitus est; Nidrosiensi Archiepiscopo, aliísque Præsulibus jussit, ut fautores ipsius anathemate percellerent, & Bergensem Episcopum ejus partibus studentem sacra dejicerent Dignitate. (Epistolis CCCLXXXII. & CCCLXXXIV. libri I.) Contra eundem Tyrannum finitimos Dacorum Suecorúmque Reges excitavit (Epistola CCCLXXXIII.) Pravas consuetudines in

Gesta pro Regnis Septentrionalibus.

A Urlandia insolitas correxit, (Epistola CCCCXX.) Donationes Ecclesiis, Monasteriis, & piis quibuslibet locis in Dania per *Scotationem* factas, firmas & irrevocabiles esse jussit (Epistola CCCCXXVIII.) Erat autem hæc donandi forma: Modicum terræ seu bene valentes, seu ægritudine supremâ decumbentes accipere consueverant, aut in extremitate pallii, quod manu Episcopi, vel alterius Prælati Ecclesiastici sustinebatur, aut super Altare aliquo involutum panniculo ponendum coram testibus. Hujusmodi porro signum, non tam factæ donationis, quàm traditæ possessionis argumentum esse judicans *In*-B *nocentius III.* eos, qui donationes & testamenta sic facta cavillarentur, Censuris Ecclesiasticis coercendos edixit.

X. *Philippum Augustum* Francorum Regem, monitis, obsecrationibus, increpationibus, censuris, ad *Insburgim* repudiatam uxorem recipiendam, & *Mariam*, Ducis Moraviæ filiam, superductam, dimittendam compulit. Parisiensi primùm Episcopo dedit in mandatis, ut Regem ea de re suo nomine conveniret. Deinde plures ad ejus Majestatem Literas dedit, ut eum ad officium revocaret, scilicet Epistolas CLXXI. & CCCXLVIII. libri I. *Petrum Sancta* C *Maria* in Via Lata Cardinalem in Gallias Legatum misit, cùm ut Regem Censuris Ecclesiasticis urgeret ad Reginam uxorem recipiendam, tum ut pacem, vel inducias ipsum inter & Regem Anglorum *Joannem* conciliaret. (Epistolis CCCXLV. CCCXLVI. CCCXLVII. & CCCLV.) Regnum Franciæ subjacere decrevit Interdicto, nisi Rex pacem, vel inducias ad quinquennium saltem concederet, quoniam amborum Regum dissidium bellúmque pertinax, in detrimentum Christianæ rei, tam in ipsorum Regnis, quàm in Hierosolymitano, vergebat. Atque judicium de querela Regis Anglorum D ad Sedem Apostolicam pertinere respondit, *non ratione feudi, sed ratione peccati.* (Epistola CLXVI. libri VI. ad Abbatem *Casemarii*, Legatum Apostolicum data.) Induciæ secundùm *Innocentii* vota initæ sunt, ut constat ex Epistolis XXIV. & XXV. libri II. At in Regem insanis irretitum amoribus Ecclesiastica severitate fuit opus. Quamobrem Legatus Apostolicus Divione primùm, deinde Viennæ Allobrogum celebrato Concilio, sacris toti Regno Francorum interdixit, ut *Innocentii* Gesta, & *Rigordus* testantur. *Philippus* Rex, missis Romam Oratoribus, & juratoria cautione oblata, quòd Judicio E Legatorum acquiesceret, Pontificem rogavit, Interdictum tolleret. *Octavianum* Ostiensem Episcopum à Latere Legatum in Gallias misit *Innocentius* hujus causæ cognitorem. Sedis Apostolicæ mandatis paruit *Philippus*, *Isemburgim* recepit, *Mariam* remisit superductam: at Reginam maritali non tractavit affectu. Hinc ipsius ad Pontificem querelæ, quæ lachrymas excutiant. (Epistola LXXXV. libri VI. quam *Raynaldus* refert ad annum MCCIII. Num. LIX.) Studium omne ac diligentiam adhibuit Pontifex ut infœlicem Reginam viro conciliaret ab ipsa alieno. Dissolutionem matrimonii Apostolica F auctoritate fieri postulavit *Augustus*, causatus consummatum non fuisse. Contrarium juraverat Regina, in eàque confessione constans erat. Quare omnem dirimendi conjugii spem ademit Pontifex, ita inter alia rescribens: *Non auderemus super hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid diffinire, propter illam sententiam Evangelicam, quam ipse Christus expressit:* Quod Deus conjunxit, homo non separet: *Cùm absque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum Decreta, intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verùm si super hoc* [a] *absque Generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan* [b] *Ordinis & Officii nobis*

Gesta in causa Philippi Augusti, qui Insburgim repudiaverat, & Mariam superduxerat.

[a] Absque Generalis deliberatione Concilii se non posse aliquid in hac causa determinare profitetur Pontifex.

[b] Ordinis & Officii periculum sibi um

bis periculum immineret; cum contra præmissam Veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare (Epistola cvi. libri xv. data anno MCCXII.) Legatur & sequens ad Fratrem *Guarinum*.

[Margin note: …Christi sententiam dispensat.]

XI. * *Philippi* Regis liberos ex superducta susceptos idem Pontifex natalibus restituerat, post matris ipsorum obitum, anno quarto Pontificatûs. Literas Pontificias de legitimatione prolis Regiæ edidit *Baluzius* ad calcem libri V. Epistolarum *Innocentii*, pag. 684. Cùm verò eamdem gratiam *Vuillelmus* Comes Montispessulani pro filiis ex superducta pariter susceptis postulasset, illam negavit Pontifex, disparem esse causam ostendens. Quia Rex Legati Apostolici sententiâ fuerat ab uxore separatus, & aliam superduxerat, ex qua geminam susceperat prolem, antequam Apostolica de non contrahendo cum altera prohibitio ad ipsum perveniret. Comes verò proprio judicio uxorem temerè dimiserat. Rex affinitatem matrimonium dirimentem *Isemburgi* Reginæ objecerat, ad eámque probandam testes induxerat coram Legato, cujus sententia missa fuerat in irritum solummodo propter judiciarium ordinem non servatum. Pendente autem quæstione affinitatis, de filiis ex superducta susceptis dubitari poterat an legitimi essent, vel illegitimi. At Comes nihil objecerat uxori, quod divortium induceret. Tandem Rex se Judicio Sedis Apostolicæ subjecerat in eo, quod propria auctoritate facere potuisset. *Insuper* (inquit Pontifex) *CUM REX IPSE SUPERIOREM IN TEMPORALIBUS MINIME RECOGNOSCAT, sine juris alterius læsione in eo se Jurisdictioni nostræ subjicere potuit & subjecit, in quo forsitan videretur aliquibus quòd per se ipsum, non tanquam pater cum filiis, sed tanquam Princeps cum subditis, potuerit dispensare.* Comes autem aliis suberat, quorum assensus erat necessarius ut ejus liberi legitimationis honore donarentur. *Tu autem*, inquit, *aliis nosceris subjacere. Unde sine ipsorum forsan injuria, nisi præstarent assensum, nobis in hoc subdere te non posses; nec ejus auctoritatis existis, ut dispensandi super his habeas potestatem. Rationibus igitur his inducti, Regi gratiam fecimus requisiti, causam tam ex Veteri, quam ex Novo Testamento tenentes, quod non solum in Ecclesiæ Patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verumetiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem casualiter exercemus; non quòd alieno juri præjudicare velimus, vel potestatem nobis indebitam usurpare, cùm non ignoremus Christum in Evangelio respondisse: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei, Deo.*

[Margin note: * Philippi Regis liberos natalibus restituit. Eamdem gratiam negat Montispessulano Comiti.]

[Margin note: Rex Francorum superiorem in temporalibus non recognoscit.]

XII. Antiquam litem inter Ecclesiam Turonensem & Dolensem finivit, posterioremque, ut Suffraganeam, priori ceu Metropoli in perpetuum subjacere decrevit. (Epistola LXXXII. ad *Bartholomeum* Turonensem Archiepiscopum scripta, & sequentibus) Ecclesiæ libertatem ab Autisiodorensi Comite violatam tuitus est, & Episcopum ab injuria vindicavit. (Epistola CXLIX. libri VI.) *Philippo Augusto* Regi, qui bona ejusdem Episcopi fisco addixerat, commendavit ut eum pristinæ gratiæ bonisque restitueret, atque à Comitis tyrannide liberaret; atque ita Decessorum suorum pietatem æmularetur, qui, ob exceptos defensósque Pontifices & Episcopos, laudem consecuti sunt immortalem. *Meruerat* (inquit) *perpetuæ laudis titulos Regnum ipsum, ex eo quòd Ecclesias & Viros Ecclesiasticos in suis Immunitatibus conservabat, defendebat Ecclesiasticam libertatem, & non solum non sæviebat in suos; sed alienos etiam undique concurrentes, qui propter justitiam sustinebant exilium, recipiebat hilariter, & honorifice pertractabat, suis copiis eorum inopiam sublevando. Hoc autem Apostolica Sedes non solum*

[Margin note: Apud Odoricum Raynaldum, ad annum MCCIII.]

[Margin note: Autisiodorensis Episcopi causam suscipit Innocentius.]

A *in membris suis: sed in seipsa etiam est experta, cum in suæ necessitatis articulo refugium ad Regnum Francorum habuit, ibique devote suscepta, & honorificè pertractata, non parum à suis angustiis respiraris, immo etiam vires resumpseris, per quas, faciente tamen Domino, & justitiam in judicium convertente, in statum felicitatis antiquæ, qua cecidisse visa fueras, fortior resurrexit.* Senonensi Archiepiscopo, qui Suffraganei sui injurias ignavè dissimulabat, jussit ut Censuris Ecclesiasticis ipsius oppressores coërceret. (Epistola CLI.) Oppressum verò Episcopum hortatus est, staret, sicut steterat hactenus pro Eccle-
B siæ libertate, nec cederet ascendentibus ex adverso, sed viriliter procederet in eos, animam suam, si necesse esset, pro ovibus positurus. (Epistola CLII.)

Philippum Augustum, qui *Regalia* Autisiodorensis & Aurelianensis Episcoporum, id est, bona quæ ab ejus Majestate fiduciario jure tenebant, ceperat, ob causas quasdam, quas ipse justas arbitrabatur, hortatus est ut Ecclesiasticæ libertatis, quam in Regno suo custodire solebat illæsam, adeo ut cæteris Principibus proponeretur in exemplum, rationem haberet. Suggesserant quidam Pontifici, Regem non solùm *Regalia*, sed etiam decimas & alia
C spiritualia cepisse: at non ita se rem habuisse, *Rigordus* testis veracissimus testatur. Qua de re legenda est Epistola CXC. libri XIII. & Epistola LII. libri XIV. ad Senonensem Archiepiscopum, & ejus Suffraganeos scripta, qua ipsis jubet ut pro Coepiscopis suis apud Regem sequestres sint, illúmque rogent Majestatem, ut in gratiam Sedis Apostolicæ pacem illis concedat, salvo suo, illorúmque jure. *Excellentiam Regiam rogantes attentiùs & monentes, hoc à sua magnificentia petentes in donum, ut pro reverentia nostra Judicio supersedeat, salvo jure tam illorum, quàm suo, illosque restituat, donata nobis*
D *emenda, sicut per literas suas promisit, si quam sibi exhibere tenentur; ut ex quo intendit facere nobis gratiam, faciat eam plenam, prout eum facere ac nos recipere decet; ita quod propter hoc Magnificentiæ suæ grata teneamur vicissitudine respondere.* Quia de jure temporali agebatur, de copiis scilicet opportuno tempore non subministratis, & de mulcta propterea imposita, captione & detentione Regalium, seu feudorum; solas admonitiones summa urbanitate conditas, precesque, non mandata adhibuit *Innocentius III.* De eodem negotio scripsit rursus ad Senonensem Archipræsulem Epistolam XXXIX. libri XV. & ad Regem Christianissimum Episto-
E lam XL. Episcopi, quorum Regalia Rex ceperat, Sententiam interdicti in Diœceses suas tulerant: Rex eam solvi à Pontifice rogabat, Judicium in Curia sua ipsis offerens. Æquum esse contendebat *Innocentius*, ut antè restituerentur ipsis capta bona, quàm Judicium experirentur: id cùm jure communi, tum Regni consuetudine sancitum esse. Factum suum excusabat *Philippus Augustus*, quòd in Regalia duntaxat manum injecisset. Nullam esse hujusmodi excusationem ait Pontifex: siquidem Rex domos, suppellectilem, cæteráque bona deti-
F nebat, quæ Regalium nomine non censebantur, Sede etiam vacante. *Super eo autem*, inquit, *quòd te nisus es excusare, quòd aliud non saisieris quàm Regalia, quòd quam citò Regalia ad manus tuas deveniunt, domos & omnia facis saisiri; illud fortè, cùm Sedem Episcopalem vacare contingit, fieri tantummodo consuevit, & tunc non solummodo domos, verumetiam decimas & oblationes, necnon & quæque alia quæ invenis, facis omnino saisiri, & in quibusdam Ecclesiis confers Præbendas vacantes. Quæ quidem constat non debere Regalium nomine nuncupari; ad quæ, etiamsi constaret Episcopos deliquisse, Sede nequaquam vacante, manus non debueras extendisse.* Preces denique minis admixtas adhibet Pontifex,

[Margin note: Preces apud Regem adhibet, non mandata, quia de re temporali agebatur.]

[Margin note: Regalia usus.]

ut Regem ad pacem Episcopis concedendam indu-cat. *Nos ergo*, inquit, *Serenitatem tuam rogandam duximus & monendam, pro magno dono petentes, quatenus pacem Ecclesiæ in tuo Regno conserves, hoc maximè tempore, quo ipsa in multis aliis Regnis nimium perturbatur, ita quod dictis Episcopis restitutis, & Interdicti sententia relaxatâ, nisi hoc nobis velis ex toto donare in Curia tua de ipso negotio, secundùm approbatam consuetudinem cognoscatur; cumque aliis oporteat te intendere, quæ ad honorem & commodum tuum magis respiciunt, expedias te ab istis quæ tibi modicum afferunt utilitatis & laudis, ne propter tantam patientiæ nostræ moram, ex qua propter favorem tuum dictorum Episcoporum gravamen non solùm dissimulasse, verumetiam neglexisse videmur, Apostolicæ auctoritatis cogamur adhibere censuram.* Tandem missis in irritum, quæ Senonensis Archipræsul, Commissarius Apostolicus, hac in causa, contra Juris ordinem gesserat, Autisiodorensi & Aurelianensi Episcopis author fuit, ut amica cum Rege Christianissimo compositione litem finirent. Intellexit enim prudentissimus Pontifex, se in causa merè temporali alias quàm Mediatoris partes agere non debere. (Epistola CIX. libri XV.) *Fraternitati vestræ* (inquit) *consulimus bona fide, quatenus cum carissimo in Christo filio nostro Philippo Rege Francorum Illustri, quanto melius poteritis, componere studeatis; quoniam arcus qui semper est tensus, vires amittit, nisi aliquoties extendatur, & nonnunquam Reges & Principes melius vincuntur mansuetudine, quàm rigore. Nos enim Mediatoris fungentes officio, sicut illum, sic & vos, monitis & exhortationibus ad amicabilem debemus concordiam invitare.*

De Regaliæ causa, in Curia Regis Christianissimi, secundum approbatam consuetudinem judicari agnoscit Innocentius III.

Author est Episcopis, ut amica cum Rege compositione litem finiant.

Reges melius vinci mansuetudine, quàm rigore, docet Innocentius.

XIII. Cùm *Joannes* Angliæ Rex Stephanum S. Chrysogoni Presbyterum Cardinalem, Cantuariensem Archiepiscopum canonicè electum recipere contumaciter recusaret, ac Monachos Cantuarienses electionis authores ex Anglia ejecisset; petulantes insuper & atroces literas scripsisset ad *Innocentium III.* Pontifex Regno universo Sacris interdixit, ut *Matthæus Parisius* ad annum MCCVIII. testatur. Qua de re legenda Epistola *Innocentii* CXIII. libri X. Gesta *Innocentii III.* cap CXXXI. Epistola CCXIX. libri X. Flecti visus est Pontificis constantiâ Regis animus, ad recipiendum Archiepiscopum, Monachos exules revocandos. Regalia per Abbatem Belliloci Summo Pontifici tradidit conferenda. Pontifex Londoniensi, Eliensi, & Vvigorniensi Episcopis in mandatis dedit, ut ea Cantuariensi Archipræsuli conferrent vice sua, nisi Rex ipsa conferre dignaretur. Quod vehementer optare se significavit. *Serenitatem Regiam* (inquit) *rogamus attentiùs & propensiùs exhortamur, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus hoc nobis liberaliter concedas in donum, ut per te ipsum memorato Archiepiscopo præfata Regalia largiendo, debitam ab eo fidelitatem recipias, nostris in hoc potissimum consiliis acquiescens, Magnificentiæ tuæ absque dubio profuturis.* His tantùm conditionibus Interdictum solvi jussit Pontifex. Id constat ex Epistolis LXXX. XC. XCI. CXLI. CCXI. & CCXXI. libri XI. At cùm Rex tyrannidem in Ecclesiam & Clericos exerceret graviorem, Pontifex illum anathemate percussit, ipsiúsque subditos à sacramento fidelitatis, cujus religione ipsi erant adstricti, absolvit, anno MCCXI. ut refert *Matthæus Parisius*. Sententiam ab *Innocentio* in *Joannem* Regem latam Anglicani Episcopi exules in Galliis promulgarunt, & *Philippum Augustum* Regem Christianissimum ad Regnum ejus occupandum Pontificio nomine incitarunt. Missus erat cum illis ab Innocentio III. *Pandulphus* Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, cui secreta mandata dederat, ut Angliæ Regem de gratia Sedis Apostolicæ, de restitutione Communionis securum faceret, si Formulæ Pacis sibi præscriptæ subscribere vellet. De sententia *Innocentii* in *Joannem* ita scribit *Matthæus Parisius* ad annum MCCXII. *Papa gravi mærore propter desolationem Regni Angliæ confectus, de consilio Cardinalium, Episcoporum, & aliorum virorum prudentium, sententialiter definivit, ut Rex Anglorum Joannes à Solio Regni deponeretur: & alius, Papa procurante, succederet, qui dignior haberetur. Ad hujus quoque sententiæ executionem, scripsit Dominus Papa potentissimo Regi Francorum Philippo; quatenus in remissionem omnium suorum peccaminum hunc laborem assumeret: & Rege Anglorum à Solio Regni expulso, ipse & Successores sui, Regnum Angliæ jure perpetuo possiderent. Scripsit insuper omnibus Magnatibus, Militibus, aliisque bellatoribus per diversas nationes constitutis, ut ad Regis Anglorum dejectionem sese cruce signarent; Regemque Francorum in hac expeditione ducem sequentes, vindicare injuriam universalis Ecclesiæ laborarent. Statuit præterea, ut quicumque ad expugnandum Regem illum contumacem opes impenderent vel auxilium: sicut illi qui sepulchrum Domini visitant, tam in rebus, quàm in personis, & animarum suffragiis, in pace Ecclesiæ securi permanerent.*

Gesta Innocentii cum Joanne Anglorum Rege.

Ipsum excommunicavit.

Non exauctoravit.

Cardinalis Perronius refellitur.

Innocentius III. qui tam religiosè contestatus est nolle se *alieno juri præjudicare*, vel *potestatem sibi indebitam usurpare*, cùm non ignoraret Christum in Evangelio respondisse: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo:* Potestatem sibi non tribuit exauctorandi Regem Angliæ, quamvis Regnum esset Ecclesiæ Romanæ vectigale, priscorum pietate & beneficentia Regum: sed solùm declarandi quam pœnam ille mereretur ob libertatis Ecclesiasticæ oppressionem, tyrannidem in Clericos & Viros Religiosos, Sedis Apostolicæ & latarum ab ea censurarum contumacem contemptum. Declaravit autem ipsum Regni abdicationem mereri: quam pœnam ipse non inflixit Pontifex, sed Regem Christianissimum, cujus Rex Angliæ feudatarius erat, impulit ut ipsi irrogaret. Atque ne sacramenti Religione Angli ad ipsius Majestatem contra Ecclesiam tuendam adstrictos se putarent, ipsos fidelitatis sacramento absolvit. Cujus absolutionis vis ea fuit duntaxat, ut Regis excommunicati communionem vitare, nec ipsum consiliis & operâ juvare tenerentur adversùs Ecclesiam; non ut ipsius subditi esse desinerent, eique in aliis rebus parere non deberent. Id significari duntaxat puto his *Parisii* verbis: *Innocentius Papa, cùm Rex Anglorum Joannes, Nuntiis ejus sibi monita prædicantibus salubria, acquiescere contempsisset, Reges, & alios omnes tam pauperes quàm potentes, ad Coronam Angliæ spectantes, à Regis fidelitate & subjectione absolvit: districtè & sub pœna excommunicationis prohibens universis & singulis, quatenus ipsum in mensa, consilio, & colloquio arctiùs evitarent.* Et certè *Judicium de feudo* ad se non pertinere, sed *peccati* duntaxat *censuram*, professus est Innocentius III. Epistola CLXVI. libri VI. Judicium tamen de rebus temporalibus, *ratione peccati*, ad Sedem Apostolicam pertinere ostendens: quoad reprehensionem scilicet ac censuram, necnon spiritualium irrogationem pœnarum. Eam porro fuisse, quam diximus, *Innocentii III.* mentem ex eo constat, quòd post Sententiam in *Joannem* Angliæ Regem prolatam, & missum in Gallias & in Angliam *Pandulphum* cum P. *Durando*, adhuc ipsum Regis nomine honestaverit Pontifex, Epistolámque ad illum dirigendam ita inscripserit: *Joanni Illustri Regi Angliæ spiritum consilii sanioris.* (CCXXIV. libri XV.) Et in Mandatis *Pandulpho* & *Durando* datis: *Regis præsentiam adeatis, monentes & exhortantes,* &c. *Sed si Rex noluerit,* &c. *Quibus idem Rex omnem rancorem & indignationem remittat,* &c. *Injungendo*

In Epist. ad Comitem Montispessulani.

super

super hoc ipsi Regi, &c. *Quod si fortè præfatus Rex*, &c.

Quantum porro sit in argumento isto ponderis, nemo non sentiet, qui noverit *Innocentium III. Ludovici* Principis, filii *Philippi Augusti* Oratoribus, jus ipsius ad Regnum Angliæ contra *Joannem* Regem defendentibus, objecisse, eum Regio Jure privatum non fuisse latâ in ipsum à Baronibus Franciæ propter *Arturi* cædem sententiâ: quia *Rex Francorum & Ludovicus filius ejus, post sententiam à Baronibus Franciæ in Regem Angliæ latam, ipsum Regem appellaverunt, & pro Rege habuerunt, & cum eo tanquam cum Rege Angliæ treugas statuerunt.* Ad quæ responderunt *Ludovici* Nuntii, *Quòd post sententiam à Baronibus in Regem, nunquam illum pro Rege habuerunt, sed ipsum Regem depositum appellaverunt.* Ita refert *Matthæus Parisius* ad annum 1216. in Historia Anglicana pag. 193. Qui verò id objeciebat *Innocentius*, putas *Joannem* Regem appellasset latâ in ipsum exauctorationis sententia? Tandem nondum à censuris absolutus Joannes, *contulit in perpetuum jure dominii Romanæ Ecclesiæ Regna sua, per ipsam & ab ipsa tenenda sub annuo censu septingentarum marcarum de Anglia, & de Hibernia trecentarum*: & ea de re Litteras dedit sic inscriptas: *Joannes Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, Comes Andegaviæ, omnibus Christi Fidelibus præsentem Chartam inspecturis, salutem.* Et infrà: *Non vi inducti, nec timore coacti, sed nostra bona spontaneâque voluntate, ac communi consilio Baronum nostrorum, offerimus & liberè concedimus Deo, & SS. Apostolis ejus Petro & Paulo, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Matri nostræ, ac Domino nostro Papæ Innocentio, ejúsque Catholicis Successoribus, totum Regnum Angliæ, & totum Regnum Hiberniæ cum omni jure & pertinentiis suis, pro remissione peccatorum nostrorum, & totius generis nostri, tam pro vivis quàm defunctis. Et amodo illa à Deo & Ecclesia Romana tanquam feudatarius recipientes & tenentes, in præsentia prudentis viri Pandulphi, Domini Papæ Subdiaconi & familiaris, fidelitatem exinde prædicto Domino nostro Papæ Innocentio ejúsque Catholicis Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, secundùm subscriptam formam facimus & juramus; & homagium ligium in præsentia Domini Papæ, si coram eo esse poterimus, eidem faciemus; Successores & heredes nostros de uxore nostra in perpetuum obligantes, ut simili modo Summo Pontifici qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ Romanæ, sine contradictione debeant fidelitatem præstare, & homagium recognoscere*, &c. Lege Epistolas *Innocentii* LXXVII. LXXVIII. LXXIX. LXXX. LXXXI. & LXXXII. libri XVI. Cùm autem id præstitit *Joannes* Angliæ Rex, nondum pax inter ipsum & *Innocentium* III. facta erat, nondum erat Ecclesiæ reconciliatus & communioni restitutus. Siquidem absolutus postea fuit ab Archiepiscopo Cantuariensi, & aliis Episcopis ab exilio revocatis, ut *Matthæus Parisius* refert: interimque de his quæ cum Pandulpho Rex egerat, certior factus Pontifex, Tusculanum Episcopum Sedis Apostolicæ Legatum in Angliam destinavit *pro reconciliatione Regis ac Regni*, ut ipse scribit Epistola LXXXIII. ad Regem Francorum. Itaque verò exauctoratus non fuerat ab *Innocentio* III. Joannes Angliæ Rex: nec ipsum ut Regno dejectum Pontifex Maximus spectabat: alioqui ab ipso non accepisset oblationem Regnorum Angliæ & Hiberniæ, & fidelitatem pro hujusmodi Regnis, quorum, in ea hypothesi, non fuisset ampliùs dominus, & quorum jure ipsum per sententiam suam excidisse existimasset. Denique, ante illam *Joannis* Regis oblationem, Regnum Angliæ temporaliter subjectum non fuisse Ecclesiæ Romanæ, profitetur *Innocentius* III. Epistola CXXX. libri XVI. qua illam admittit & ratam habet: *Te ipsum*, inquit, *& Regna tua etiam temporaliter ei subjicere decrevisti, cui noveras spiritualiter esse subjecta, ut in unam Vicarii Christi personam, quasi corpus & anima, Regnum & Sacerdotium uniantur, ad magnum utriusque commodum & augmentum.* Qua igitur ratione potestatem exauctorandi Regem sibi *Innocentius* tribuisset? Ista satis attenta consideratione non expenderant doctissimi Cardinales *Bellarminus* & *Perronius*, qui hac historia sunt abusi ad probandum indirectæ potestatis Romani Pontificis in Regum temporalia perniciosum non minùs Ecclesiæ, quàm Regnorum paci figmentum. Quod erroris monstrum si propugnasset *Innocentius* III. sibi ipsi palam ac apertè contradixisset: contra Scripturam Sacram & Traditionem sensisset: quamvis argui non posset hæreseos, in quæstione quæ fidei summam non spectat, nec Ecclesiæ judicio omnino eliquata & finita est.

Epist. 75. lib. 16.

XIV. Albigensium damnavit Hæresim *Innocentius* III. ad eamque exscindendam Legationis Apostolicæ munus imposuit Religiosissimis viris *Rodulpho* & *Petro de Castro Novo* Abbatiæ Fontis Frigidi Monachis, jussitque unâ cum Abbate Cisterciensi in Archiepiscopum Narbonensem inquirerent, eumque sacra exuerent dignitate, quòd in causa fidei ignavè se gessisset. Sacram etiam expeditionem ad eamdem hæresim exstirpandam indixit, ad idque Christianissimi Regis pietate tam dignum opus *Philippum Augustum* excitavit. *Raymundum* Tolosanum Comitem Hæreticorum fautorem anathemate confixit. Synodum Oecumenicam Lateranensem Quartam anno MCCXV celebravit, in qua Albigensium Hæresis, *Joachimi* Abbatis Libellus, & *Almaricus* damnati, de subsidio Terræ Sanctæ actum est, Ecclesiastica Disciplina sancita. Qua de Synodo singularem Dissertationem dabimus. *Simoni Montisfortis* Comiti, Ditiones *Raymundi* Tolosani Comitis, cum omnibus redditibus commisit, adusque Concilium Generale, cujus Decreto causa *Raymundi* finienda erat. *Innocentii III.* Literæ ad *Simonem* Comitem ea de re datæ extant post Concilium Monspeliense Tom. XI. Conciliorum parte I. Labbeanæ Editionis, pag. 106.

Gesta in Albigenses Hæreticos.

XV. De Ecclesiæ Græcæ cum Romana conjunctione solicitus, Legatos ad *Alexium Angelum* Orientis Imperatorem misit Constantinopolim *Innocentius III.* anno Pontificatûs altero, cùm priùs ad ipsum Imperatorem honorificam Legationem misisset. Ad illum & ad Patriarcham Regiæ Urbis Literas dedit, quibus Græcos à Romana Ecclesia omnium Fidelium Matre & Magistra nullo jure discedere potuisse ostendit, utque ipsos ad unitatem revocent, hortatur. (Epistolis CCCLIII. & CCCLIV. libri I.) Ecclesiam Constantinopolitanam regebat *Camaterus* Patriarcha Schismaticus. Is ad *Innocentium* rescribens, ipsius de utriusque Ecclesiæ conjunctione piam solicitudinem laudavit: Tum ipsi dubium proposuit, Quomodo Romana Ecclesia universalis appellari posset: cur item Mater omnium Ecclesiarum vocaretur, cùm titulus iste Hierosolymitanæ potiùs convenire videatur, quæ tempore & dignitate secundùm fidem prior est. Ipsi respondit Pontifex doctissimus, & Romanæ Ecclesiæ Primatum luculentè probavit Epistola CCIX. libri II. quæ in ejus etiam Gestis, & ab *Antonio Augustino*, ad calcem III. Compilationis Decretalium edita est. Ad primam verò quæstionem respondit, Ecclesiam duabus de causis universalem vocari. *Intelligentia namque dictorum ex causis est assumenda dicendi; cùm non res sermoni, sed rei sermo sit subjectus. Dicitur enim universalis Ecclesia, quæ de universis constat Ecclesiis, quæ Græco vocabulo Catholica nominatur. Et secundùm hanc acceptionem vocabuli*

Innocentii III. pro Ecclesiæ Græcæ cum Latina conjunctione solicitudo.

Quo sensu Ecclesia Romana Universalis appellatur?

buli

cabuli, Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia, sed pars universalis Ecclesiæ, prima videlicet & præcipua, veluti caput in corpore; quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad cæteros autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur universalis Ecclesia illa una, quæ sub se continet Ecclesias universas. Et secundum hanc nominis rationem Romana tantum Ecclesia universalis nuncupatur; quoniam ipsa sola singularis privilegio dignitatis cæteris est prælata; sicut & Deus universalis Dominus appellatur, non quasi jam divisus in species specialissimas, aut etiam subalternas, sed quoniam universa sub ejus dominio continentur. Ad alteram quæstionem respondet, Romanam Ecclesiam matrem dici, *non ratione temporis*, sed *ratione potiùs dignitatis*. Sicut licèt *Andreas* priùs venerit ad fidem quàm *Petrus*, prælatus est tamen Petrus Andreæ, & in Apostolorum Catalogo semper primus, quasi præcipuus præmittitur; non quòd *Petrus* sit prior tempore, sed potior dignitate. Præterea istud discriminis inter Romanam & Hierosolymitanam Ecclesias intercedit, quòd illa dicenda sit *Mater fidei, quoniam ab ea Sacramenta fidei processerunt: ista vero dicenda sit Mater Fidelium, quoniam privilegio dignitatis universis Fidelibus est prælata. Sicut Synagoga dicitur mater Ecclesiæ, quoniam & ipsa præcessit Ecclesiam, & Ecclesia processit ab ipsa: nihilominus tamen Ecclesia mater est generalis, quæ novo semper fœtu fœcunda concipit, parit, & nutrit, concipit catechizando quos instruit; parit baptizando quos abluit; nutrit communicando quos reficit.* Jussit demum Patriarchæ, ut per se, vel si justis impedimentis detentus esset, per Procuratores idoneos, & aliquos de majoribus Ecclesiarum Prælatis, statuto tempore ad Concilium vocatus accederet, *Apostolicæ Sedi reverentiam & obedientiam, secundùm statuta Canonum præstiturus.*

Ecclesia Hierosolymitana mater fidei: Romana, mater Fidelium omnium.

Scripsit de eodem sacræ unionis negotio ad Imperatorem *Alexium* Epistolam cciii. quæ in ejus etiam Gestis edita est. Constantinopoli à Latinis expugnata, *Balduino* Flandriæ Comiti Constantinopolitanum Imperium gratulatus est. (Epistola clii. libri vii.) Pactiones inter Venetos & Francos Cruce-signatos de ereptis Græcorum Imperio ditionibus dividundis factas confirmare noluit rogatus à *Balduino* Imperatore, & *Dandulo* Venetorum Duce *Innocentius*, quòd Ecclesiæ libertati & æquitati adversarentur. Duas verò præ cæteris irritas esse jussit, alteram qua statutum, ut Ecclesiarum possessiones, reservatâ Clericis portione, qua honorificè vitam sustentarent, Francos inter Venetósque dividerentur; alteram qua decretum ut ad eam partem è quâ delectus non foret Imperator, electio Patriarchæ spectaret. (Epistola ccviii. libri vii.) Idem constat ex Gestis *Innocentii* cap. xcvi. & xcvii. *Thomam* Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum, patriâ Venetum, à Latinis Constantinopolitanum Patriarcham electum Romæ consecravit, Palliòque & magnis Privilegiis ornavit. Inter Francorum Clericos & Venetos orta dissensio, illis promotionem Patriarchæ per obreptionem factam objicientibus, illísque negantibus obedientiam, & ad Sedem Apostolicam appellantibus. Contentionem istam sedavit composuitque *Benedictus*, Tituli *Sanctæ Susannæ* Presbyter Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus. Compositionem Pontifex confirmavit. Diploma confirmationis legere est in Gestis *Innocentii III.* cap. ci. *Pelagium* Albanensem Episcopum Cardinalem in Orientem Legatum misit, ut Græcos ad Ecclesiæ unitatem revocare satageret. (Epistolis civ. cv. & cvi. libri xvi.)

Gesta pro Armeniæ Ecclesia.

XVI. Armenorum Catholicus, & *Leo* minoris Armeniæ Rex devotionem suam ac obedientiam ergà Romanam Ecclesiam *Matrem omnium Ecclesiarum & fundamentum Legis totius Christianitatis*, ad *Innocentium III*, missis Oratoribus, scriptísque literis professi sunt. Regi coronam, ac vexillum S. *Petri* misit Pontifex. Rex de injuriis super successione Antiochenı Principatûs à Comite Tripolitano & Hospitalariis irrogatis Pontificem appellavit. Legantur Epistolæ ccxix. & ccxx. ccli. cclii. cclv. libri ii. & Gesta *Innocentii III.* cap. cix. & sequentibus. Eidem Regi concessit ut præter Romanum Pontificem nullus Latinus in ipsius Majestatem vel Regnum, vel homines Regni, sive Latinos, sive alios cujuscumque conditionis, excommunicationis aut interdicti posset sententiam promulgare. (Epist. xliii. libri v.) Summam Armeniæ Ecclesiæ cum Romana his temporibus conjunctionem testatur Epistola Catholici Armenorum ad *Innocentium III.* ejusdémque Responsum Pontificis. Vel sola Epistolæ Catholici Armenorum inscriptio ostendit quàm magnificè de Romani Pontificis Primatu sentirent. *Post Deum, qui est caput omnium bonorum, Apostolicam Sedem tenenti, & Summo Capiti totius terrenæ Sedis magno Christi Confessori, primæ domui hospitalitatis totius populi & religionis, & Successori Beati Petri majoris nati post Christi Principis & Patris totius mundi, sedenti secus Deum, & portanti Christum in corpore suo, Innocentio Dei gratia Summo Pontifici & Universali Papæ Summæ Sedis Romanæ Urbis, quæ Imperiali triumpho universum mundum suo subjugavit dominio, & nostro in Christo Patri spirituali, tanta civitatis gloria sublimato, Gregorius minimus Episcopus Catholicus omnium Armeniorum, peccator, & servus Fidelium Christi, omnésque Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Sacerdotes & Clerici sub nostro regimine viventes, orationes in Domino assiduas.*

Gesta pro Ecclesia Bulgarorum.

XVII. Bulgaros ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam revocavit, missâ ad *Joannitium* seu *Calojohannem* Bulgarorum Regem Legatione, cujus munus imposuit *Dominico* Archipresbitero Brundusino, scriptísque amantissimis Literis. Legationem ac Literas Pontificias maxima cum reverentia suscepit *Calojohannes*; humilémque obedientiam Sedi Apostolicæ professus, se ac Regnum suum illius sacro Principatui subjecit. Secundùm hæc, *Leonem* Tituli *S. Crucis* Presbyterum Cardinalem Legatum Apostolicum in Bulgariam misit *Innocentius*, qui coronam, sceptrum, atque vexillum *S. Petri*, Regi suo nomine offerret, cùmque auctoritate Apostolica inungeret, ac coronaret. Trinovitanum etiam Archiepiscopum totius Bulgariæ & Blaciæ Primatem constituit, magnísque adauxit Privilegiis. Episcopos & Presbyteros Bulgarorum & Blacorum, qui in Ordinatione & Consecratione sua sacram non receperant unctionem, hoc perfici jussit sacri ritûs supplemento: ac deinceps manus eorum qui ordinarentur Presbyteri, manus & caput eorum qui consecrarentur Episcopi, Romano more inungi, qui ex Apostolorum exemplo, & ex divino præcepto de Sacerdotibus veteris Testamenti inungendis derivatus est. Trinovitanus Archiepiscopus, alíique duo Archiepiscopi recèns creati, Pallio donati sunt, cùm fidelitatis & obedientiæ sacramentum B. Petro, Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedi, *Innocentio* Papæ, & ejus Catholicis Successoribus jurassent. Lege Epist. cclxvi. libri ii. Epistolas cxv. cxvi. cxvii. cxix. libri v. & *Gesta Innocentii III.* à capite lxv. ad lxxviii.

Sacri Regiminis [illegible] quas [illegible] Innocentius III.

XVIII. Quæ pro Disciplina Ecclesiastica instauranda & conservanda decreverit *Innocentius III.* exponemus ex parte, cùm de Politia Ecclesiastica sermo erit. Dispensationum concedendarum duas passim regulas statuit in suis Epistolis & Decretis, *urgentem necessitatem, aut evidentem utilitatem*; ac Romanum Pontificem *Moderatorem Canonum*

atque

atque *dispensatorem*, non *dominatorem* agnoscit, lib. 16. Regesti Epistola cxiv. Observantiam regularem in Religiosis Congregationibus & Monasteriis restituit, firmavitque; ac omnium Ordinum Cœnobia variis donavit Privilegiis, quæ in ejus Regesto passim leguntur. *S. Dominicum*, qui cum Tolosano Episcopo *Fulcone* ad Concilium Lateranense venerat, benignè suscepit, ab eoque conditum FF. Prædicatorum Ordinem approbavit, *Theodorico* teste in Vita *S. Dominici*. Sanctum etiam *Franciscum* non minori benignitate complexus est, ejusque Regulam ac Ordinem admisit, ut refert *Vvadingus* in Annalibus Minorum. Ordinem etiam *S. Trinitatis de Redemptione Captivorum* confirmavit. *S. Homobonum* Cremonensem, Sanctam *Cunegundem* Imperatricem, *S. Vulstanum* Vvigomiensem Episcopum in album Sanctorum retulit. Xenodochium Sancti Spiritus in Saxia, Ordinémque instituit.

Innocentii III. eruditio & Opera.

XIX. *Innocentii III.* eximiam eruditionem ejus Opera testantur, Epistolæ per annos singulos in Regesto digestæ, cujus libri III. IV. pars quinti, VI. VII. VIII. & IX. nondum editi sunt: cæteros Editio doctissimi *Baluzii* omnium accuratissima & locupletissima publici juris fecit: *Commentarius in septem Psalmos Pœnitentiales*: libri tres *De contemptu mundi*: liber unus *De Eruditione Principum* in Bibliotheca Cœnobii Patavini *S. Justinæ*, O. B. MS. libri sex *De Officio Missæ*, unus *De Sacramento Baptismi*, tres *De Veneratione Sanctorum*, Homiliæ quatuor *De Consecratione Pontificis*, &c. Hymnorum *Stabat Mater dolorosa*, & *Ave Mundi spes Maria*, author creditur.

Innocentius III. calumnia à vindicatus.

XX. *Magna probitatis & sapientiæ* Pontificem, *cui nullus secundus tempore suo*, meritò prædicat *Rigordus* coævus Author. Avaritiæ labem ipsi iniquè aspergit *Matthæus Parisius* maledicus Author. Quem calumniæ convincit Scriptor coævus Gestorum ipsius Innocentii cap. CXLIII. *Dominus Innocentius suum jactans in Domino cogitatum, operibus pietatis plenius insistebat: Nam valida cùm famis invaluisset inedia, & tunc ipse moraretur Anagniæ, protinus remeavit ad Urbem, & cœpit necessarias eleemosynas indigenti populo liberaliter erogare. Sic autem fecit illas distribui, ut qui verecundabantur publicè mendicare, pecuniam occultè reciperent, de qua sustentarentur per singulas septimanas; illi verò qui publicè mendicabant, singulis diebus panem acciperent ad sufficientiam universi (quorum tanta erat multitudo, ut excederet numerum octo millium personarum) alii autem in eleemosynaria domo reciperent alimenta. Quantam verò pecuniam in hoc opus expenderit, novit ille qui nihil ignorat. Ab initio quippe promotionis suæ ad eleemosynas deputavit universos proventus ad se pertinentes de oblationibus Basilicæ S. Petri. Præterea de cunctis proventibus suis faciebat integram decimam in opus eleemosynæ separari, & de residuo, licèt occultas; sæpissimè tamen largas eleemosynas impendebat. Universales oblationes provenientes ad pedes ipsius, secundùm antiquam consuetudinem accipiebat Eleemosynarius erogandas. Faciebat ergo famelicos refici, nudas vestiri, virgines pauperculas maritari, parvulos expositos nutriri. Subveniebat frequenter Monachis & Monialibus indigentibus, & Reclusis & Eremitis, Domos etiam Religiosas visitabat multoties & à debitis liberabat. Circuibat & investigabat diligenter Eleemosynarius ejus pauperes ac debiles, maximè Nobiles; dabatque illis sigilla, ut per eos qui ipsa referrent, singulis hebdomadibus pecuniam acciperent ad victum; & sæpissimè talibus quindecim libras per hebdomadam impendebat; exceptis illis qui quotidie recipiebant aut cibos, aut nummos, aut vestes. Permittebat etiam idem benignissimus Pontifex pauperculos parvos ante mensam suam post finem refectionis venire, ipsisque de bis, quæ coram eo remanserant victualia, exhiberi. Sabbatis quoque faciebat Mandatum, levans ac tergens & osculans pedes duodecim pauperum & singulis duodecim nummos impendens, faciens refectionem omnibus ministrari.* Ejus deinde munificentiam in fundatione & dotatione Hospitalis Spiritus Sancti, & in Ecclesiis ornandis commemorat. Quamobrem avaritiæ absque insigni calumnia notari non potest. A luxu adeo abhorruit, ut ligneis, & vitreis vasis uteretur, tribus dumtaxat ferculis mensam suam instructam vellet, domesticis ministeriis Viros Religiosos adhiberet.

Innocentii III. obitus.

Cardinales ab ipso creati.

XXI. Obiit *Innocentius III.* Perusii XVI. vel XVII. Kalendas Augusti, anno MCCXVI. cùm annos duodeviginti, menses sex, & dies novem Ecclesiam rexisset. Inter Cardinales ab *Innocentio III.* creatos celebres inprimis fuere, *Hugolinus*, ad Titulum primò *S. Eustachii*, deinde ad Ostiensem & Veliternum Episcopatum assumptus, *Innocentii* III. & *Honorii III.* Legationibus in Tuscia & Gallia functus, SS. *Francisco* & *Dominico* amicissimus, demum Summus Pontifex Gregorius IX. *Gerardus*, ex Monacho Cisterciensi, & Abbate Pontiniacensi *S. Nicolai in Carcere Tulliano* Diaconus Cardinalis. *Benedictus*, ex Titulo *S. Susannæ* ad Portuensem Episcopatum translatus, Legatione Constantinopolitana ornatus. *Leo Brancaleo* ex Congregatione Canonicorum Regularium *S. Frigdiani Lucensis*, Diaconus Cardinalis *S. Luciæ in Septisolio*, deinde Presbyter *S. Crucis in Jerusalem*, atque in Germaniam & Saxoniam pro negotiis Imperii, postea in Bulgariam Legatus. *Joannes*, Comes Anagninus, *Innocentii* III. affinis, *S. Mariæ in Cosmedin* Cardinalis Diaconus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarius. *Nicolaus de Romanis*, Episcopus Tusculanus, in Angliam, ad componendam pacem Regnum inter & Sacerdotium Legatus, *S. Dominico* summa familiaritate conjunctus. *Rogerius*, Tituli *S. Anastasiæ* Presbyter Cardinalis, vir doctissimus. *Guilo*, Romanus, è Perleonea familia, *S. Nicolai in Carcere Tulliano* Diaconus Cardinalis ab *Innocentio* III. Prænestinus Episcopus ab *Honorio* III. creatus. *Joannes* ex Subdiacono & Notario Sedis Apostolicæ Diaconus Cardinalis *S. Mariæ in Via Lata*, Legationibus in Angliam & Galliam insignis. *Jacobus Gualla de Bicheriis*, ex Canonico Regulari Vercellensis Episcopus, Juris utriusque Laureâ insignis, *S. Mariæ in Porticu* Diaconus Cardinalis, postea *SS. Silvestri & Martini* Titulo *Equitii* Presbyter, contra Albigenses in Gallias, in Angliam, & ad *Fredericum* II. Legatus. *Octavianus*, ex Comitibus Signiæ, *Innocentii* III. consobrinus. *Gregorius de Crescentio*, Titulo *S. Theodori* Diaconus Cardinalis, in Daniam, Sueciam, Poloniam, ac Bohemiam missus ab *Honorio* III. Legatus. *Pelagius Calvani*, Hispanus, professione Monachus, *S. Luciæ* primùm, deinde *S. Cæciliæ* Titulo Cardinalis, Episcopus tandem Albanensis, in sacra Expeditione quâ Damiata expugnata est, Legatus. *Petrus Saxo*, Anagninus, *S. Pudentianæ* Titulo *Pastoris* Cardinalis, Germanica Legatione ornatus. *Stephanus de Ceccano*, ex Abbate de Fossa-nova O. C. Titulo *S. Angeli* Diaconus Cardinalis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarius, deinde Titulo *SS. duodecim Apostolorum* Presbyter, *S. Dominico* amicissimus, qui ejus nepotem *Neapoleonem* à mortuis excitavit. *Stephanus Langtonus*, in Sacra Facultate Theologica Parisiensi Doctor & Professor, ex Canonico & Cancellario ejusdem insignis Ecclesiæ & Universitatis, Titulo *S. Chrysogoni* Cardinalis, & Cantuariensis Archiepiscopus, Commentariorum in universam Scripturam Sacram, Distinctionis Bibliorum in Capita, Quæstionum Theologicarum, Sermonum, & Vitæ *S. Thomæ Cantuariensis* Au-

thor. *Petrus Duacensis*, *S. Mariæ in Aquiro* Diaconus Cardinalis, *Innocentii* III. Legatione in Galliis functus, in causa divortii *Philippi Augusti* Regis, & contra Albigenses; ab *Honorio* III. Sabinensis Episcopus renunciatus. *Raynerius Capoccius*, Deiparæ Virginis pius cultor, S. *Dominico* familiaris, Titulo *S. Mariæ in Cosmedin* Diaconus Cardinalis, Viterbiensis Episcopus, maximis *Honorii III.* & *Gregorii IX.* Legationibus functus. *Romanus Bonaventura* Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, Legatione in Galliis functus contra Albigenses ex mandatis *Honorii III.* à *Gregorio IX.* Portuensis Episcopus renuntiatus. *Bertrandus* seu *Bertramus*, *S. Georgii in Velabro* Cardinalis, eadem Legatione ornatus. *Stephanus*, Titulo *S. Hadriani* Diaconus Cardinalis. *Robertus de Corceon*, Anglus, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus; Summæ Theologicæ author, *S. Stephani in Cœlio Monte* Cardinalis, in Gallias ad Albigensium hæresim exscindendam, & sacræ expeditionis maturandum negotium, missus ab *Innocentio* III. Legatus. *Rodulphus*, Gallus, ex Archidiacono Attrebatensi in Sacrum Collegium cooptatus, deinde Attrebatensis Episcopus. *Alebrandinus Cajetanus*, S. Eustachii, deinde S. Susannæ Titulo Cardinalis, tandem Sabinensis Episcopus, &c.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 16 Edit. primæ, hanc velut meam propositionem notant Religiosi Censores: *Absque deliberatione generalis Concilii se non posse in causa matrimonii dispensare, profitetur Pontifex.*

R. De dispensatione in causa Matrimonii eo loci non loquor, sed de Matrimonii legitimi dissolutione. Nec quæro quid possit vel non possit Pontifex; quem certè Matrimonium legitimum dissolvere non posse, sive absque Concilio, sive cum Concilio, certum est, maximè si sit consummatum, sicut suum cum Philippo Augusto consummatum fuisse Ilemburgis Regina juraverat. Sed refero duntaxat quid responderit Innocentius III. à Rege rogatus ut Matrimonium Apostolica Auctoritate dirimeret. *Absque generalis deliberatione Concilii se non posse aliquid in hac causa determinare, profitetur Pontifex.* Hæc Observatio mea quàm bene conveniat cum Innocentii III. Responso, patebit ex ejus collatione cum ipsius Pontificis verbis ibidem à me descriptis.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 17 Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Rex Francorum superiorem in temporalibus non agnoscit.*

R. Verba sunt Innocentii III. à me relata: Cum REX IPSE, inquit, SUPERIOREM IN TEMPORALIBUS MINIME RECOGNOSCAT. Hancne Propositionem ex Decretalibus etiam expungi vellent Religiosi Censores?

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 19. Religiosi Censores hanc Propositionem reprehendunt: *Dum agitur de temporalibus, Papa non præcipit, sed rogat Regem.*

R. Mera facti quæstio.

SCHOLION IV.

Ad pag. 20 ejusdem Articuli, Religiosi Censores hanc notam appinxerunt: *id quod se extendat Regalis usus.*

R. Religiosorum Censorum terriculamentum est Regaliæ nomen, ubicumque occurrit. De Jure Regaliæ aut ejus extensione hîc non ago. Historica tantum facta refero. *Factum suum* (inquam) *excusabat Philippus Augustus, quòd in Regalia duntaxat manum injecisset. Nullam esse hujusmodi excusationem ait Pontifex, si quidem Rex damnos, suppellectilem, cæteráque bona detinebat, quæ Regalium nomine non censebantur, Sede etiam vacante. Tum Innocentii verba exhibeo id probantia.*

SCHOLION V.

Pag. 21. ejusdem Articuli hanc Propositionem Religiosi Censores notant: *De Regaliis judicandum secundum consuetudines Regni.*

R. Hæc Propositio quæ jus spectat, non est mea, sed hæc quæ merum factum narrat & exponit: *De Regaliæ causis in Curia Regis Christianissimi, secundùm approbatam consuetudinem judicari agnoscit Innocentius III.* Id probat Innocentii III. testimonium ibi descriptum, quod observatione hac marginali notatur.

SCHOLION VI.

Ibidem hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Papa agnoscit quòd in temporalibus solum exercere potest munus Mediatoris.*

R. Facti res est. De *Innocentio III* scripsi: *Intellexit prudentissimus Pontifex, se in causa merè temporali alias quam Mediatoris partes agere non posse.* Cum Innocentii III. verbis hæc optimè conveniunt, in ea, de qua agebatur, causa scribentis: *NOS ENIM MEDIATORIS FUNGENTES OFFICIO, &c.*

SCHOLION VII.

Pag. 24. ejusdem Articuli, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Papa Regem Angliæ non excauctoravit.*

R. De Gestis *Innocentii III.* cum *Joanne* Angliæ Rege agitur. Historiæ res est, & mera facti quæstio.

SCHOLION VIII.

In eodem Articulo, pag. 28. Religiosi Censores hæc obelo notant: *Bellarminus & Baronius hâc historiâ abusi ad probandum indirectâ potestatis Romani Pontificis in Regum temporalia perniciosum non minùs Ecclesiæ quàm Regnorum paci figmentum. Nec id propugnasset Innocentius contra Scripturam & Traditionem: quamvis argui non posset hæreseos in quæstione quæ fidei summam non spectat, nec Ecclesiæ judicio omnino eliquata & finita est.*

R. Ex Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ sententia loquitur Doctor Gallus ejusdem Theologicæ Facultatis, quæ doctrinam illam *Tamquam novam, falsam, erroneam, verbo Dei contrariam, Pontificiæ Dignitatis odium conciliantem, Schismati occasionem præbentem, supremæ Regum auctoritati à Deo solo dependenti derogantem, Principum Infidelium & Hæreticorum conversionem impedientem, pacis publicæ perturbatricem, Regnorum, Statuum, Rerúmque publicarum eversivam, subditos ab obedientia & subjectione avocantem, & ad facti ones, rebelliones, seditiones, & Principum parricidia excitantem*, improbavit & confixit Censuris in Librum *Antonii Sanctarelli* & Theses *Francisci Malagola* latis. Opinionem de qua primaria Christiani orbis Academia, & amplissima, antiquissima, Romanæ Ecclesiæ conjunctissima semper Ecclesia Gallicana ita censent, figmentum non minùs Ecclesiæ quàm Regnorum paci perniciosum appellare licuit. Doctissimos Cardinales *Bellarminum* & *Baronium* fefellere fas fuit, salvâ quæ tantis nominibus debetur veneratione. Cæterùm quæstionem illam de indirecta Romani Pontificis potestate in temporalia Regum, summam Religionis & Fidei non spectare edico, iterùmque dico. Ne igitur ut violatæ Religionis reos Catholicos Doctores lacessant Theologi, qui *Bellarmini* opinionem hac in quæstione sequuntur se tuentur. *Non sit nobis Religio in phantasmatis nostris. Melius est enim qualecumque verum, quàm omne quicquid pro arbitrio fingi potest*: (inquit S. Augustinus, lib. *De vera Religione*, cap. 40) in Hæreticos arma convertamus, in eorumque conversionem communibus studiis ac laboribus incumbamus, nos mutuò ut fratres diligamus & complectamur, in ipso opinionum, quas Ecclesia Theologorum disputationi permittit, conflictu: & in hoc genere quæstionum alter dicat alteri: *Si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit. Verumtamen ad quod pervenimus ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus Regula*, fraternæ scilicet caritatis. Philipp 3. 15.

SCHOLION IX.

In eodem Articulo, pag 34. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa duas causas dispensandi agnoscit, evidentem utilitatem, & urgentem necessitatem. Est enim Papa moderator Canonum, non Dominator.*

R. Id agnoscit *Innocentius III.* lib. XVI. Regesti Epistola

la CLIV. Hancne Epistolam ex *Innocentii* Regesto expungi vellent Religiosi Censores?

ARTICULUS II.

De HONORIO III.

Dis ab *Innocentii III* obitu altera, *Cencius* Sacri Collegii Camerarius, Titulo *Sanctæ Luciæ in Silice* Diaconus primùm Cardinalis, tum verò *SS. Joannis & Pauli* Presbyter, electus est Pontifex, nomenque sibi sumpsit, *Honorius III.* Nihil magis ipsi cordi fuit, quàm sacræ contra Saracenos Expeditionis promotio, missis in Galliam Germaniámque Legatis, datis ad Principes Crucesignatos Literis, decretâ vigesima in sacrum subsidium conferenda. (Epistolis VIII. LII. LIII. LXXXI. & CIV. libri I.) Cusentino Archipræsuli Sedis Apostolicæ Legationem imposuit, ut Crucesignatis Messanam confluentibus faustè precaretur Apostolico nomine, eosque ad rem prudenter ac strenuè gerendam sanctissimis præceptis informaret. (Epistola II.) Albanensi Episcopo Legationis in Christiano Exercitu provinciam imposuit, solemnes pro religioso agmine Supplicationes toto orbe indixit, celebravitque Romæ, in quibus Principum Apostolorum capita nudis pedibus gestavit, (ut constat ex Epistola DCCXXXIX. libri II.) Germanicæ Crucesignatorum copiæ in Lusitania substitere, ubi *Alcazar* castro Saracenorum munitissimo expugnato, cæsisque duobus Regibus, & infinita multitudine, admirabilem de barbaris victoriam reportarunt. (Epistolis DCCCXVII. & DCCCXVIII. libri II.) Inde in Syriam profecti, *Pelusium* obsedere. Quibus & literis, & stipendiis magna cura transmissis animos addidit magnanimus Pontifex. Interim *Theodorum Angelum Comnenum* Epiri Dynastam ad unitatem & obedientiam Ecclesiæ redeuntem, postquam *Joannem Columnam* S. R. E. Cardinalem, quem detinebat, aliósque captivos dimisisset, absolvi jussit, ac in clientelam Apostolicam recepit, & Crucesignatos à bello ipsi inferendo, minis etiam anathematis intentatis, deterruit. (Epistolis DCCCLXXXI. & DCCCLXXXII. libri III.) Pelusium sive Damiata à Christiano Exercitu expugnata est anno MCCXIX. teste *Godefrido* in Annalibus. Sed, dum in Italia Crucesignatorum copiæ curis *Ugolini* Ostiensis Episcopi, Sedis Apostolicæ Legati contraherentur, & Marchio Montisferrati profectionem adornaret, Christiana Classis à Saracenis combusta, Damiata ad deditionem compulsa est, ut *Godefridus & Richardus à Sancto Germano* testantur. Hujus cladis causa *Friderici* Imperatoris moræ, qui cruce ad pompam magis quàm ad pietatem insignitus, urgente licet precibus minísque *Honorio*, profectionem in dies differebat. Qua de re lugubres Pontificis querelas legere est Epistola LXI. libri VI. Is verò celeberrimum Principum colloquium Veronæ indixit, ad quod *Fridericum* ipsum, Regem Hierosolymorum, & *Pelagium* Albanensem Episcopum, Sedis Apostolicæ in Syria Legatum evocavit, ut de bello sacro redintegrando communibus consiliis ageretur. Quo tempore cùm intestinis seditionibus Orientale Imperium laboraret, in factiosos anathema vibravit Pontifex, *Theodorum Comnenum*, qui *Robertum* Constantinopoleos Imperatorem bello lacessebat, ad pacem est hortatus; *Roberto*, datis ad ipsum literis animos addidit. Pontificias his de rebus literas describit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCXXII. à Num. XIV. ad XXII. Non solùm moras nectebat *Fridericus* Imperator, & Pontificem inanibus promissis deludebat, sed suis commodis unicè studens, ea agebat quæ Christianæ rei dispendium non leve inferebant. *Joannem* Hierosolymorum Regem, socerum suum, Regno exuit, frustra rogante *Honorio* ut cum ipso pacem & amicitiam coleret. Quamobrem Pontifex optimi Principis, qui totum penè Occidentem peragrarat ut sacram expeditionem promoveret, calamitati compassus, Ditionis Ecclesiasticæ partem ipsi commisit administrandam. Id constat ex Epistolis CCCCXCVI. & CCCCXCVII. libri XI.

II. *Petrum* Autissiodorensem Comitem, Constantinopolitanum Imperatorem electum, Romæ coronavit, Patriarchæ Constantinopolitani servatis juribus, ut professus est data ad ipsum Epistola DXXV. libri I. Componendis Italiæ motibus initio Pontificatûs adjecit animum: Pisanos Sardiniam Romanæ Ecclesiæ vectigalem Insulam infestantes, ejúsque dominationem affectantes, *Ugolini* Sedis Apostolicæ Legati operâ ad officium reduxit. Massæ Marchisium Regno Sardiniæ investivit. (Epistola CCCCLXXIX. libri I. & DCCLI. libri II.) *Fridericum* Imperatorem coronavit anno MCCXX. ab eóque ditionis *Mathildis* Comitissæ restitutionem impetravit. Leges etiam confirmavit, se authore ab ipso latas, cùm inauguratus est. Tuendæ adversùs Mauros Hispaniæ curas adhibuit, *Roderico* Toletano Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ Legato permittens tum ut partem pecuniæ in Hierosolymitanum subsidium imperatæ in Maurici belli sumptus averteret, tum etiam ut eos qui se transmarinæ expeditioni devoverant, voto commutato, adversùs Mauros concitaret. Crucesignatis Indulgentias concessit. *Sanctii* Navarræ Regis, qui sacræ militiæ nomen dederat, suscepit patrocinium. Miramomelinum humanissimis literis delinire conatus est, ut Christianos in ditionibus suis degentes honestè tractaret, atque ex Legis Evangelicæ præscripto vitam instituere permitteret. (Epistolis CCLXIV. CCCXXXIV. CCCXXXVIII. CCCLXIX. CCCCLIV. & DLIX. libri III.) *Ferrandum*, non obstante natalium vitio (ex incestis nempe, ideóque ab Ecclesia dissolutis nuptiis procreatus erat) Regni Castellæ legitimum heredem declaravit, eúmque ac regnum in clientelam Sedis Apostolicæ suscepit, ut pacatis Hispaniis, motus omnes in Saracenos verterentur. Lusitaniæ Regem, qui Ecclesiam in servitutem redigebat, Monasteria ipsa & Xenodochia premebat vectigalibus, in Bracarensis Archiepiscopi, Censuris Ecclesiasticis ipsum emendare satagentis, bona grassabatur, acerrimè increpuit Epistolis CCXCVI. libri V. & CCCXIII. libri VI. *Henricum III.* Angliæ Regem, post *Joannis* Patris obitum, in tutelam Sedis Apostolicæ suscepit, Legatúmque Apostolicum misit in Angliam, qui jura ipsius ac partes tueretur. (Epistola XXXII. libri I.) Cisterciensi & Claravallensi Abbatibus, qui gratiâ apud *Philippum Augustum* Regem Christianissimum, & *Ludovicum* ejus filium, plurimùm poterant, jussit ut Pontificio nomine utrumque adirent, & per sacra quæque obtestarentur, ut ab invadendis pupilli Regis, & Sedis Apostolicæ fiduciarii, ditionibus temperarent, illíque restituerent ablata *Ludovicus* Princeps, & se à Sede Apostolica vinci pateretur, quod nequaquam indecorum est (Epistola LXXXI. libri I.) Tuitionem tamen parium *Henrici* non eo se animo suscepisse contestatus est, ut Regis, Regníque Francorum potentiam minueret, cùm Reges, Principes, & Regnum Francorum, ob immortalia erga Sedem Apostolicam beneficia sincerè diligeret, sed uno studio æquitatis. (Epistola XXI. libri I.) *Quantùm*, inquit, *Romana Ecclesia Regni Francorum turbationem desideret evitare: immò quantum ejus tranquillitatem affectet, facile poterit intelligere, quisquis devotionem ipsius Regni ad illam,* Regum Christianissimorum & Ecclesiæ Gallicanæ in Sedem Apostolicam merita.

& grata subsidia, quæ in illo invenit tempore opportuno, intenta mente voluerit cogitare. Quis enim nesciat, quòd Reges & Regnum Francorum semper in Apostolicæ Sedis devotione firmiter persliterunt: quòd semper in difficilibus arduisque negotiis astiterunt ei studio indefesso: & nunc contra hæreticam pravitatem, nunc contra Paganorum barbariem eidem devotè & humiliter obsequendo, illam utrisque formidabilem reddiderunt? Hæc quidem obsequia, & alia quæ recenseri sub Epistolari brevitate non possent, & merita nihilominus Ecclesiæ Gallicanæ, cujus fides ac devotio nullo unquam tempore defecerunt, pro nobis sufficienter (ut credimus) fidejubent, quòd inter cætera Regna mundi illud quadam prærogativa diligimus caritatis, ejúsque statum semper tranquillum esse cupimus & felicem. Absit enim ad Apostolica Sede, & à Nobis, qui ei disponente Domino, præsidemus, ut nobis tantorum veniat oblivio meritorum, & ut tanta ingratitudinis vitio laboremus; quòd iis non studeamus obsequiis, sinceris affectibus respondere. Lege & Epistolam CCCCIV. libri II apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum MCCXVII. Num. LXX. quâ *Philippum Augustum* ursit ut filium ex Anglia revocaret. Rex, Princépsque, Sedis Apostolicæ reverentiâ in medio victoriarum cursu se continuere, & Romani Pontificis gratiam vel ipso Angliæ Regno duxere potiorem, ut colligitur ex *Honorii* Epistola OCCCIX. libri II. ad *Ludovicum* Principem data, cujus fragmentum describit *Odoricus Raynaldus* Num. LXXIX. Pacem inter Ludovicum Serenissimum Christianissimi Regis filium & Henricum Angliæ Regem confirmavit (Epistola M. XCVI. libri II.)

Philippus Augustus, ejusque filius Ludovicus, Summi Pontificis reverentiâ Anglicum bellum intermittunt.

III. Exscindendæ Albigensium hæresi, traducendísque ad fidem Catholicam Hæreticis curam adhibuit omnem. Parisiensem Academiam, quam viris doctissimis ac religiosissimis ornatam noverat, per literas adhortatus est, ut selectos è gremio suo Doctores Theologos Tolosanam in Provinciam dirigeret, *qui causam Dei agentes, ex animo lectioni, prædicationi & exhortationi vigilanter insisterent.* S. Dominico, & Fratribus Prædicatoribus, Tolosæ ad S. *Romani* degentibus gloriosos labores in hæreseos extirpatione gratulatus est, & ad perseverantiam est hortatus. *Gratiarum*, inquit, *omnium Largitori gratiarum dignas referimus actiones in gratia Dei quæ data est vobis, in qua & statis, & stabitis finaliter, ut speramus, quia interiùs charitatis flammâ flagrantes, exteriùs famæ fragratis odore, qui & sanas delectas, & reficit mentes infirmas: quibus etiam, ne remaneant steriles, spirituales mandragoras, tanquam studiosi Medici exhibentes, eas semine verbi divini vestrâ salutari facundiâ fœcundatis, sic velut servi fideles talenta vobis credita erogantes, ut eadem reportetis Domino geminata: sic sicut invicti Christi athletæ, scuto fidei & galea salutis armati, non timentes eos qui corpus possunt occidere, verbum Dei, quod est penetrabilius omni gladio ancipiti, magnanimiter contra Fidei exeritis inimicos, sic in hoc mundo vestras animas odientes, ut in vitam æternam custodiatis easdem, &c.* Integram Epistolam describit *Odoricus Raynaldus* ad annum M. CC. XVII. Num. L. & LI. *Bertrandum* Tit. SS. *Joannis & Pauli* Presbyterum Cardinalem, Legatum Apostolicum in Gallias contra Albigenses misit Honorius III. jussitque ut *Jacobum* Aragonum Regem Monfortio Comiti bellum inferre vetaret, Anathemate in ipsum, Interdictóque sacro in ejus terras vibrato, nisi mandatis Apostolicis pareret. (Epistolis CCXLI. OCXCII. DCCCXXVIII. lib. I.) *Philippo Augusto* gratias egit, quòd *Divino Spiritu incitatus* bellum Tolosanis Hæreticis intulisset. (Epistolis XLIX. & L. libri III.) Legatum alterum, *Conradum* scilicet Cardinalem Episcopum Portuensem, in Tolosanam Provinciam misit, qui in extirpationem Hæreseos incumberet, anno M. CCXXI. Fuxensem* & Convenarum* Comites, & *Raymundum Juniorem*, Raymundi Tolosani olim Comitis filium, ab Hæreticorum patrocinio avocare conatus est; húncque ob contumaciam exuit Principatu, quo Ecclesiæ & Regis Christianissimi benignitate fuerat donatus, cùm ejus parens Tolosano Comitatu privatus est. (Epistolis DCLXXXII. DCLXXXVIII. lib. V. & XLIII. lib. VI.) Christianissimo Regi omnium redituum Ecclesiasticorum vigesimam in Regno suo, in sumptus belli adversùs Albigenses, & Indulgentias omnibus qui sacro bello nomen darent, concessit (Epistola CCCCLXXXVI. lib. VII.) Tertium in Gallias Legatum misit anno MCCXXV. *Romanum* S. Angeli Diaconum Cardinalem, ad sacram expeditionem contra Hæreticos promovendam (Epistola CLXXV. & sequentibus libri IX.) Scripsit etiam ad *Ludovicum VIII.* Philippi Augusti filium & successorem, ut in Hæreticorum exterminium incumberet. Ejus Epistolam apud *Duchesnium*, Tom. V. pag. 857. legere est.

Honorius. III. Sacram Facultatem Parisiensem hortatur, ut selectos è gremio suo Theologos ad Albigensium conversionem dirigat.

FF. prædicatoribus gloriosos labores pro Hæreticorum conversione gratulatur,

* *De Foix.*
* *De Comminges.*

IV. De proferendis Ecclesiæ finibus solicitus *Honorius*, Encyclicas ad præcipuos Latini orbis Archiepiscopos, & Cluniacensis, Cisterciensis, Clarævallensis Cœnobiorum Abbates, Epistolas dedit, quibus jussit ut Sacerdotes pietate & doctrina insignes, ad quævis subeunda pericula, & mortem ipsam pro Christi fide perferendam paratissimos, ad se mitterent, quibus Evangelii Infidelibus prædicandi munus imponeret. *Guillelmum* Episcopum Mutinensem, eximiæ pietatis virum, in Septentrionales regiones Legatum misit, ut Livoniæ, Prussiæque populos Evangelicâ doctrinâ informaret. Pragensis Episcopi dubiis respondens, carnium esum sexta feria, in quam Natale Domini incidit, licitum declaravit iis, *qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti.* (Epistolâ XLIV. lib. I.) Episcopo Florentino vetuit, ne quem in Clerum cooptaret, donec Florentini Legem iniquam rescidissent, qua Clericos à paterna adeunda hereditate prohibuerant. (Epistola XL. lib. III.) *Guillelmum* Archiepiscopum Bituricensem, *Hugonem* Lincolniensem Episcopum, *Guillelmum* Roschildensem Abbatem, *Laurentium* Dublinensem Archiepiscopum, *Guillelmum* Archiepiscopum Eboracensem, in Sanctorum numerum retulit. Ordines Religiosos FF. Prædicatorum, FF. Minorum, & FF. Eremitarum B. Mariæ de Monte Carmelo confirmavit Apostolicis Diplomatibus, quæ Bullarii Romani Tom. I. leguntur *S. Dominico* & Sociis Ecclesiam *S. Xisti* Romæ contulit, novúmque Ordinem magnificis ornavit præconiis, ejus Professores vocans *Ligna pomifera in Ecclesiæ Paradiso plantata:* De quibus sperabat in Domino, *Quòd poma nova & vetera, quæ Sponsus legitur Sponsæ servasse, ministraturi essent esurientibus animabus.* (Epistola OCLIV. libri IV.) Officium Magistri Sacri Palatii instituit, authore *S. Dominico*, cui illud gerendum commisit: atque in posterum fere à solis ex Ordine FF. Prædicatorum Doctoribus gestum est.

V. Obiit optimus Pontifex XV. Calendas Aprilis anno MCCXXVII. cùm annos decem & menses octo Ecclesiam rexisset. Eruditum Pontificem Sermones aliquot *S. Dominico*, alios Abbati Cisterciensi dicatos scripsisse, Vitam *Celestini III.* Pontificis Maximi, librum Censuum Romanæ Ecclesiæ, &c. observat *Augustinus Oldoinus* S. I. in Additionibus ad *Ciaconium*. Inter Cardinales ab ipso creatos, celebres fuere, *Joannes Columna*, Tit. *S. Praxedis* Presbyter, Apostolicus in Oriente Legatus, qui columnam, Christi Domini pœnis & sanguine consecratam, Hierosolymis Romam asportavit. *Ægidius Hispanus*, Tit. *Sanctorum Cosmæ & Damiani* Cardinalis, deinde Toletanus Archiepiscopus. *Bertrandus*

trandus Sabellus, Honorii nepos, SS. *Joannis & Pauli*, Tit. *Pammachii* Cardinalis, Gallicana Legatione contra Albigenses perfunctus. *Conradus*, ex Abbate Cisterciensi Cardinalis Episcopus Portuensis, qui Legationem in Galliis contra Albigenses obiit, in Hispania & Germania pro Terræ-Sanctæ subsidio, in Palæstina cum Crucesignatis, vir eximiæ sanctitatis & doctrinæ, Summo Pontificatu eò magis dignus, quò ipsum recusavit. Ordini FF. Prædicatorum addictissimus, cùm in Ecclesia Parisiensi ejusdem Ordinis ferventiùs oraret, spiritu raptus, librum vidit, in quo hæc verba legebantur, *Laudare, Benedicere & Prædicare*: Quæ Dominicani Ordinis officia in Ecclesia designant, ut observat *Petrus Frizon* è sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, in *Gallia Purpurata*. Ex eodem Ordine Cisterciensi ad Cardinalitias, Tusculani Episcopatus Infulas ab *Honorio III.* assumptus est, F. *Nicolaus de Claromonte*, Nobilis Siculus. His adde *Petrum de Capua*, Campanum, in Academia Parisiensi factæ olim Theologiæ Professorem, Patriarcham Antiochenum, & Cardinalem Tit. S. Crucis in Jerusalem. *Bartholomæum*, Gallum, S. Pudentianæ Tit. Pastoris Cardinalem Presbyterum, &c.

ARTICULUS III.

De GREGORIO IX.

Et CELESTINO IV.

I. HOnorio III. in Pontificatum successit *Ugo* seu *Ugolinus*, Anagnia nobili Campaniæ urbe, ex illustrissima Comitum Signiæ domo oriundus, Ostiensis Episcopus, virtutibus & doctrina D summæ non impar dignitati, quam S. *Franciscus* ipsi à Deo auguratus fuerat. Ut primùm coronatus est, bellica undique contrahere curavit auxilia in Palæstinam contra Saracenos submittenda. *Fridericum* Imperatorem hortatus est ut promissam jam olim profectionem maturaret. Precibus ac monitis non cedenti minas incussit. (Lib. 1. Epistola 11.) Ipsum in sinu voluptatis stertentem, geminatis literis, & F. *Gualonis* Dominicani facundiâ, quem ad ejus misit Majestatem, ut ipsi consilia Pontificia exponeret, excitare conatus est. *Fridericus* Christianum Exercitum ad transfretandum paratum Brundusii ferventissima æstate subsistere coëgit, E ubi *Lantgravius Thuringiæ*, & Crucesignatorum pars maxima pestifera lue sublati sunt. Tanti mali authorem *Fridericum*, sæpius iterati reum perjurii, anathemate solemni ritu confixit Pontifex (Epistola CLXXVII. libri I. quam apud *Raynaldum* legere est ad annum MCCXXVII. Num. XXX.) Urspergensis Abbas, *Henricus Stero*, & alii Scriptores consentiunt. Obelo configenda sunt hæc Abbatis Urspergensis verba ad annum MCCXXVI. *Gregorius IX. tanquam superbus, primo Pontificatus sui anno cœpit excommunicare Fridericum Imperatorem pro causis frivolis & falsis, & postposito omni ordine judiciario,* F *sicut idem Imperator in Epistolis suis rescripsit Principibus Alemanniæ*, &c. Partium studio horrendum in modum abreptum esse oportuit hunc Authorem, qui Sanctissimo Pontifici tam insolenter insultat, nec aliunde probat *Friderici* innocentiam, quàm ex ipsiusmet literis. At non solùm Author Vitæ *Gregorii IX.* in Codice Vaticano MS. & ab *Odorico Raynaldo* passim laudatæ, sed & *Matthæus Parisius*, quamvis Romanis Pontificibus minùs æquus, *Fridericum* perjurii & profligatæ Christianæ rei apertè damnant. *Quod factum Imperatoris* (inquit Parisius)

Gregorius IX. à calumnia vindicatus.

A *damnosè nimis redundavit in dedecus & in præjudicium totius negotii Crucifixi. Ob hanc ergo causam, juxta multorum opinionem, ostendit se, ut prædictum est, Mundi Salvator in Cruce clavis confixum, & cruore conspersum populo Christiano; quasi singulis & universis super injuria sibi ab Imperatore illata quereretur.* Omnem interim operam diligentiamque adhibuit *Gregorius*, ut *Fridericum* ad officium revocaret, sed inanes conatus suos animadvertens, celebrata Romæ Synodo ipsius excommunicationem in Cœna Domini promulgavit, anno MCCXXVIII. Primò ob violatum Sacramentum transfretandi, certúmque numerum militum, & pecuniam transmittendi B in subsidium Terræ-Sanctæ. 2. Ob Tarentinum Archiepiscopum Sede sua dejectum 3. Ob spoliatos bonis Templarios. 4. Ob infractas concordiæ leges cum Celanensi Comite, & *Raynaldo de Aversa* initas. 5. Ob *Rogerium* Comitem Cruce-signatum, sub Apostolicæ Sedis protectione receptum, Comitatu aliisque terris injustè spoliatum, & filium ejus in captivitate detentum, spretis Apostolicis de illius dimissione Mandatis. Locis etiam omnibus, in quibus versaretur contumax Imperator, sacris interdictum erit: at pœnæ Hæreticorum ipsi inten- C tatæ, si Interdictum violaret. Id constat ex Epistola *Gregorii* ad Episcopos Apuliæ, CLXXX. libri I. *Fridericus* Romanos in Pontificem concitavit, qui seditione facta ipsum ex Urbe ejecere. Qui Perusium se recipiens, cives immani discordia divisos conciliavit, ut ejus Acta testantur. Nec verò spiritualibus tantùm armis, sed etiam temporalibus, *Gregorio IX.* adversùs Ecclesiæ hostes certandum fuit, ut Siciliam à *Raynaldi*, quem *Fridericus* in Orientem transfretans Siciliæ Proregem reliquerat; & Marcham Anconitanam à *Bertoldi* ejus fratris grassatione ac tyrannide tueretur. Qua in calamitate, Gallicanæ Ecclesiæ Præsules duo, Bellovacensis & Claromontanus, cum exercitu Alpes superarunt, ut Romanæ Ecclesiæ adversùs Tyrannos opem ferrent. (Ex Actis *Gregorii IX.* & Chronico *Richardi à S. Germano*) Legenda etiam Epistola ejusdem Pontificis ad Januenses, LXVI. lib II. apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum MCCXXVIII. Num. XVI.

Fredericus II. excommunicat Gregorius Nonus.

Porro cùm *Fridericus* turpe & exitiosum Christianæ rei fœdus cum Sultano Babyloniæ iniisset, cujus Capita in Epistola *Geroldi* Patriarchæ Hierosolymitani, quæ est XXXIV. Regesti Gregoriani lib. III. & post easdem Patriarchæ Literas legere est, apud *Odoricum* autem *Raynaldum*, ad annum MCCXXIX. Num. XV. & in Epistola ipsius *Gregorii* ad Austriæ Ducem XXXVIII. lib. III. Cùm, inquam, gladium ex altari *B. Petri* sumptum Sultano *Mahometi* cultori tradidisset, cùm Templum Domini Saracenica superstitione permisisset inquinari; cùm Orientalium Christianorum terras Paganorum furori ac tyrannidi exposuisset, nullum se ipsis subsidium allaturum pollicitus; cùm Hierosolyma nullis propugnaculis munivisset, Sanctámque Civitatem Sultani Damasceni, cum quo nullas pepigerat inducias, expositam incursionibus & vastitati reliquisset, *Gregorius* magnanimus Pontifex omnes ipsius subditos Sacramenti, quo ipsi obstricti erant, religione absolvit. Quod factum indirectæ potestatis Ecclesiæ in temporalia Principum eidem Jure feudi minimè subditorum assertoribus, nullatenus favet, cùm *Fridericus II.* ob Siciliæ Regnum Romanæ Ecclesiæ beneficiarius esset. Quo I Pontifex in sententia adversùs ipsum lata expressit. *Item excommunicamus eum & anathematizamus, pro eo quod ab oppressione pupillorum, orphanorum, & viduarum, seu Nobilium, & aliorum hominum Regni, vel destructione ejusdem, quod ad Romanam Ecclesiam speciᵗter noscitur pertinere; pro quo Ecclesia Romana juramen-*

Gregorius IX. Fridericus II. Subditos à Juramento fidelitatis absol. in Quod factum non favet assertoribus in directæ potestatis Romanorum Pontificum in temporalia Regum.

 tum

rum fidelitatis exhibuit, & Homagium præstitit, monitus non cessavit. Item, quia contempta excommunicatione, ad Mandatum Apostolicum non rediit: omnes qui sunt ei Juramento fidelitatis astricti, & specialiter homines Regni, à Juramento, quo sibi tenentur, denuntiavimus & denuntiamus absolutos: quia Deo & Sanctis ejus adversanti, atque ejus præcepta calcanti, nulli fidelitatem servare tenentur. (Epistola XLVI, libri III. apud *Raynaldum*, ad annum MCCXXIX. Num. XXXVII. & XXXVIII.) His fulminibus territus *Fridericus*, Oratores ad *Gregorium* misit, pacem rogavit in qua concedenda haud difficilem se præbuit mansuetissimus Pontifex. Cùm enim pariturum se Mandatis Apostolicis, sacras electiones permissurum, Ecclesiasticam restituturum libertatem, damna Ecclesiæ illata resarciturum, & belli sumptus refusurum, promissaque, datis obsidibus, firmaturum, coram *Joanne* Sabinensi Episcopo, & *Thoma Sanctæ Sabinæ* Presbytero Cardinali, Sedis Apostolicæ Legatis jurasset, ab iisdem Communioni & gratiæ Ecclesiæ restitutus est. Instrumentum ex de re ab Arelatensi Archiepiscopo & Vintoniensi ac Bellovacensi Episcopis, rogantibus Legatis confectum, ex libro III. Gregoriani Regesti descripsit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCXXX. Quo anno Pontifex regressus in Urbem est. Unde ad reformandam Siculam Ecclesiam animum convertens, illius Regni Præsules hortatus est ut Clericorum incontinentiam frænarent (Epistola LXV. libri IV.) De Persarum in Syriam irruptione certior factus *Gregorius*, Encyclicis Literis Fideles universos ad arma in ipsos capessenda excitavit. (Epistola CXXIX. libri IV.) Sultanum Damascenum, Caliphium Baldacensem, ac Miramamolinum Africæ, literis ad Christi cultum traducere cùm frustra tentasset, missis etiam è sacro FF. Minorum Ordine Viris Religiosis, qui Christianæ Fidei dogmata ipsis exponerent, Christianos Principes, atque imprimis *S. Ludovicum*, ad expeditionem contra illos provocavit. (Epistola CCCIV. libri VIII.) *Alatinum* Sultanum Iconii, qui honestissimam ad suam Sanctitatem Legationem miserat, ad Christianæ Religionis professionem adhortatus, atque Legatos Apostolicos ad eum se missurum pollicitus est. (Epistola CCCCLXXVIII. libri VIII.) *Friderici* Imperatoris petulantes Literas ad se datas anno MCCXXXVI. Apologeticis retudit, quibus inter alia ipsi meritò exprobravit, quòd Regis Tuneti nepotem, qui ad Sedem Apostolicam, ut Christiana Sacra amplecteretur, iter arripuerat, in custodia detineret, ut Saraceno Principi gratificaretur: & quòd crucem prædicari, sive sacram expeditionem ab Evangelicis Præconibus denuntiari, ad eámque Fideles excitari non pateretur. (Epistola CCLIII. libri X.) Anno MCCXXXIX. *Fridericum* monitis, precibus non acquiescentem, immo vetera novis cumulantem criminibus, anathemate ritu solemni confixit, ejúsque subditos à Juramento fidelitatis absolvit. Sententiam *Gregorii* Albertus Stadensis, & *Matthæus Parisius* referunt. Anno MCCXL. Synodum Oecumenicam Romæ celebrandam indixit, ad quam ut Præsules ex omnibus Regnis atque Provinciis accedere faciliùs possent, *Fridericum* Pontificiæ ditionis terras armis infestantem de induciis interpellavit, qui iis assentiri recusavit, nisi cogendæ Synodi propositum abjiceret, atque ab iisdem Insubres excluderentur, ut ipse significavit datis ad *Henricum* Anglorum Regem Literis. Encyclicas *Gregorii* pro Synodi convocatione Literas, ex ejus Regesto descripsit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCXL. Num. LIII. Concilii, cujus sententia se exutum iri Imperio prævidebat, *Fridericus*, celebrationem prohibere studuit, minis deterrens Episcopos à Romano itinere. Per *Gregorium* non stetit quin Sacerdotium inter & Imperium pax iniretur, si *Fridericus* arma feritatémque deponere, & Ecclesiæ satisfacere voluisset. Tartarorum enim in Ungariam irruptio, illatáque *Belæ* Ungariæ, & *Colomano* Ruthenorum regibus clades, Pontificium pectus urgebat ad pacem optandam, offerendámque perduelli adversùs Apostolicam Sedem Imperatori, ut deinde ad propulsandos Tartaros omnium arma verterentur. Id constat ex Epistolis *Gregorii IX.* ad Carinthiæ Ducem, & ad *Belam* Regem Ungariæ, XCI. & CVIII. libri XV. At pacem *Fridericus* recusavit, rebus secundis insolens, & Romæ totiúsque Italiæ dominationi inhians.

Gregorii IX. Studia pro pace Christianorum Principum & populorum.

II. Nihil antiquius *Gregorio IX.* fuit Christianorum Principum ac populorum pace. Ideo inter Florentinos & Senenses, inter Romanos varias in factiones divisos, inter Longobardos & *Fridericum*, inter Angliæ & Scotiæ Reges, inter Regem Daniæ & Crucigeros conciliavit. Ad conciliandos cum Florentinis Senenses Legatum misit *Joannem Vicentinum* ex Ordine FF. Prædicatorum Virum Sanctissimum, & miraculorum gloria celebrem, quem quanti faceret, hæc ipsius verba demonstrant Epistola XXIX. libri VII. *Placeret nobis, si Dominus tibi inspiraret, ut assumpta Legatione pro Christo, non tantum salutem corporum, sed in utraque civitate lucrum quæreres animarum. Præcipere tibi nolumus, qui Spiritu Dei duceris, cui nos obedire tenemur, sed oramus, ut tibi ab illo in quo per ministerium tuum languentium multitudo respirat, potius inspiretur, hanc utriusque civitatis universitati, quæ jam periisse videntur, facere gratiam, ne irreparabilem nobiscum pariter compellaris flere jacturam.* Ottonem Cardinalem summa Legati Apostolici auctoritate instructum misit in Angliam & Scotiam, cùm ut pacem inter Reges faceret, tum ut collapsam disciplinam instauraret. Quod præstitit celebrata Londini Synodo, anno MCCXXXVII.

Cura Gregorii IX. pro Regno Francorum.

III. *S. Ludovicum* Regem Francorum, justum bellum *Henrico* Anglorum Regi inferre parantem, quòd Gallorum Procerum perduellium factionem fovisset, ab eo consilio abducere suis literis conatus est. Suum erga Regem Francorum studium his literis significat. *Pro prærogativa*, inquit, *devotionis & fidei inclytæ recordationis Regum, & Regni Francorum ad Reges ipsos, & Regnum, semper exuberavit Apostolicæ Sedis affectus, & nos qui eidem Sedi licet immeriti præsidemus, firmiter proponimus in hujusmodi dilectione imitari Prædecessores nostros Romanos Pontifices, quantum cum nostra possumus honestate, de conscientia bona, & corde sincero, ad incrementum tuum, & Regni ejusdem, efficaciter aspirantes.* Decimas Albigensis belli causâ *Ludovico VIII.* à Legato Sedis Apostolicæ, & Synodo Bituricensi decretas *Sancto Ludovico* ejus filio solvi jussit, & intempestivas Cleri Gallicani contra tam justam exactionem querelas compescuit Epistola CLIV. libri I. Gallorum Procerum motus in *Sanctum Ludovicum*, & *Blancam* Reginam Matrem, Apostolica auctoritate Carnotensi Episcopo commissa, ut discordiæ incentores Anathemate configeret, reprimere studuit, Epistola IV. anno MCCXXX. data.

Ortâ inter eumdem Regem & Rothomagensem Archiepiscopum controversiâ, quòd Archipræsul ab ejus Majestate ob latam in quosdam excommunicationis Sententiam in jus vocatus, coram ipsius tribunali respondere recusasset, se Romano tantùm Pontifici obnoxium contendens; ideóque ejus bona fisco fuissent addicta; *Gregorius IX.* causam ad se evocavit, Regem rogavit Archipræsuli bona restitueret; Parisiensi & Sylvanectensi Episcopis dedit in mandatis ut Regios Administros ad ea restituenda, quæ detinebant, censuris cogerent, Provinciam Interdicto, si opus esset, subjicerent. In literis

Regnum Francorum benedictum, semper in Apostolicæ Sedis devotione permansit.

terit ad Regem hæc observatione digna: *In quo tantò tibi, tanquam filio Ecclesiæ speciali, dolemus & timemus amplius, quantò Personam tuam inter cæteros Principes Christianos sinceritatis brachiis specialius amplexamur, cùm Regnum Francorum benedictum adeo semper in Apostolicæ Sedis devotione permanserit, ut ab ea nullo unquam, sicut credimus, sit tempore discessurum. Monemus itaque Celsitudinem Regiam, rogamus, & obsecramus*, &c. (libri VI. Epistola CLXXV.) Leges quæ Jurisdictionem Ecclesiasticam imminuere videbantur, ab eodem Rege Procerum consilio latas, quibus sancitum erat, ut ejus subditi, ad Forum Ecclesiasticum vocati sistere se ac respondere non tenerentur, quin immò si Judex Ecclesiasticus in eos excommunicationis sententiam ob contumaciam tulisset, ejus bona occuparentur, rogavit Regem ut revocaret, atque Christianorum Imperatorum exemplo, Theodosii, Valentiniani, Caroli Magni, ipsiúsque Successorum, ac Progenitorum suorum, Ecclesiæ libertatem, Jurisdictionem, Immunitatem, sartam tectam tueretur. *Hinc est*, inquit, *quòd Excellentiam Regiam rogandam duximus & monendam, quatenus ob Divinæ Majestatis reverentiam & Apostolicæ Sedis honorem, statutum prædictum, & alia Ecclesiasticæ contraria libertati in irritum revocans, & à dictis Baronibus faciens revocari, ac Ecclesiam Gallicanam in pristino statu & honore conservans, eam non molestes, nec patiaris ab aliis molestari: Quinimmo Viros Ecclesiasticos indita tibi cœlitus potestate protegens & defendens, rebelles Ecclesiæ ad ipsius mandatum & unitatem redire compellas.* Ejus denique Majestati significat, se in solemni Imperatoris *Friderici* inauguratione excommunicationem in eos omnes promulgasse, qui in posterum servari mandarent & curarent *Statuta edita, & consuetudines vel potius abusiones introductas contra Ecclesiasticam libertatem, nisi ea de Capitularibus suis, infra duos menses post hujusmodi publicationem Sententiæ, facerent amoveri.* Dedit ejusdem argumenti literas Pontifex ad Navarræ Regem, ad Comitem Campaniæ, ad Proceres Regni, utque Leges illas pro viribus abolere studerent, impetravit. Senonensi etiam & Turonensi Archiepiscopis jussit, ut Regem ac Proceres ad eas antiquandas urgerent. (Epistolis CCCLXXXIV. CCCLXXXV. & CCCLXXXVI libri IX.) Excitata Bellovaci seditione, Rex idem Sanctus ad eam compescendam, authoresque & conscios plectendos eò se contulit. Questus est Episcopus Jurisdictionem infringi suam, (Utriúsque enim Fori potestatem habebat) Nihilominus Rex Sanctùs Justitiæ zelo incensus, & publicæ tranquillitatis rationem habens, reos partim capite damnavit, partim pecuniis mulctavit, partim exilio; Episcopum ipsum, ob libras octingentas stipendiorum nomine non solutas, civitate ejecit, Ecclesiæ reditibus in Fiscum redactis. Remensis Archiepiscopus, aliique Provinciæ Præsules, Regem monuere, rogavere, ut pristinam Ecclesiæ Bellovacensi dignitatem ac Jurisdictionem restitueret. Repulsam passi, Provinciam Interdicto supposuere. Hac de causa celebrata Concilia apud S. Quintinum, Noviomi, & Lauduni, annis 1232. & 1233. *Gregorius* ea de re certior factus, Sententiam confirmavit: Regem semel iterúmque monuit, obsecravit, ut violata Bellovacensis Ecclesiæ Jura damnáque illata resarciret: cúmque ejus Majestatem ad controversiam illam componendam propensam intelligeret, Episcopis Sylvanectensi & Meldensi dedit in mandatis, ut Sacrorum usum auctoritate Apostolica restituerent. Episcopo & Capitulo Bellovacensi, Remensi Archiepiscopo, aliisque ejusdem Provinciæ Præsulibus præcepit, ut salva Ecclesiæ dignitate, faciles se ad pacem cum Rege Christianissimo ineundam præberent. Id constat

Gregorius IX. Ecclesiasticâ libertatem in Ecclesia Gallicana tuetur.

Gregorius IX. P. Principem, Philippi Augusti Regis filium nothum, dispensatione negat ut ad Episcopatum, non obstante natalium vitio, promoveri possit.

A ex Epistolis IV. V. CCXX. & CCXXI. libri X. Regesti *Gregorii IX.* Ecclesiasticæ Disciplinæ adeo severus custos fuit, ut P. Principem, *Philippi Augusti* Regis filium nothum, Noviomensem Episcopum electum, consecrari vetuerit: quia etsi cum ipso dispensasset ut ad honores & dignitates posset assumi, non tamen ad Episcopatum (Epistola CXV. libri XIV.) *Dispensationes enim* (inquit) *& indulgentiæ, quæ defectum natalium patientibus super dignitatibus & honoribus generaliter conceduntur, non extenduntur ad Episcopatus, nisi de ipsis specialiter exprimatur in eis; nec sub dignitatum & honorum Ecclesiasticorum nomine, cùm de illis in genere loquitur Lateranense Concilium, fœlicis memoriæ Innocentius Papa Prædecessor noster voluit Episcopalem Dignitatem includi.*

Ludovicum IX. Regem Christianissimum, ad bellum contra Hæreticos Albigenses conficiendum hortatur.

IV. Albigensium hæresi profligandæ incubuit, & *Sanctum Ludovicum* Regem ad Sacrum illud negotium, ab Avo & Parente fœliciter cœptum, perficiendum hortatus est: ob idque *Romanum* Cardinalem in Gallias Legatum misit. Gregorii verba ad Sanctum Regem ea de re scribentis Epistola XLV. libri II. observatione digna sunt. *Negotium*, inquit, *quod agitur adversùs Albigenses Hæreticos, negotium est pacis & fidei orthodoxæ, pro qua semper stetit Regnum Francorum, tanquam in ipsius soliditate fundatum, & Progenitores tui personas posuerunt & bona, causam ad honorem Dei, ac Regni prædicti gloriam prosequentes, ita quòd ejus devotio universo mundo specialiter existere nuntiatur. Hujusmodi autem devotionis fervore succensus recordationis inclyta Pater tuus, tanquam verus Israëlita, prosecutus est negotium memoratum, & illud fœliciter prosequendo, de terrenis ad superna migravit.* &c. Legati industriâ, & *Sancti Ludovici* Regis auctoritate deleta hæresis est. *Raimundo* Comiti & Tolosanis pax oblata, & Conventu Meldis indicto, per ipsorum Oratores, cum Legato & Episcopis concepta, confectáque, à Sanctissimo Rege confirmata est. *Raymundus Junior*, Comes, Ecclesiæ Communioni restitutus, Tolosani reconciliati, Tolosæ Synodus celebrata, in qua pacis Leges à *Raymundo* Comite, & Tolosæ Optimatibus atque Consulibus, solemni sacramento confirmatæ sunt, in suspectos de hæresi habita quæstio, celebrata Arausicæ à Legato Apostolico Synodus altera, in qua de pœnitentiis ipsis infligendis actum est, literæque ea de re ad Episcopum Tolosanum datæ anno MCCXXVIII. Id constat ex *Bernardo* in Chronico Romanorum Pontificum. *Stephanum* Cluniacensium Priorem, & *Robertum* Ordinis FF. Prædicatorum Professorem, Inquisitores contra Hæreticorum reliquias instituit idem Pontifex, Epistolis CCCIX. & CCCXL. libri VI. Rogavit etiam *S. Ludovicum*, ut Tolosanum Comitem adigeret ad Hæreticos ab Aula sua submovendos, Legibúsque coërcendos. Paruit Comes, & severas Leges contra ipsos edidit anno MCCXXXIII. quas apud *Papyrium Massonum* libri III. Annalium legere est. At postea seditione adversùs Fidei Inquisitores Tolosæ agitata, cujus authores non coërcuit, in suspicionem venit apud *Gregorium IX.* qui ipsi acerrimis literis jussit ut emendaret, secundùm Legati Apostolici mandata, quæ violenter gesta erant, Censurarum Ecclesiasticarum minis ipsi intentatis. (Epistola LVIII. libri X.)

Gregorius IX. De fide propaganda cura.

V. Proferendis Ecclesiæ finibus studuit *Gregorius IX.* Dominicanos ad lucem Evangelii Prutenis inserendam, hortatus est, Epistola LXII. libri XV. Pomeranos ac Pozolucenses FF. etiam Prædicatorum operâ ad Christi fidem traductos, ad perseverantiam hortatus est, utque ipsorum monitis semper obtemperarent. *Dictos quoque Fratres*, inquit, *inconfusibiles Domini operarios, & cooperatores vestræ salutis, pio amore venerabiliter amplectentes, non deficiatis*

Fidei propagatio per FF. Prædicatores.

ficiaris ipsorum doctrinam desiderabiliter amplexari, eorum monitis efficaciter obsequendo. Recens denique conversam gentem in Sedis Apostolicæ clientelam suscepit. (Epistola xcvii. libri v.) Curoniis, Christiana Sacra complexis, Leges Privilegiáque dedit anno MCCXXXII. Græcæ, Latinæque Ecclesiæ conjunctionem meditatus est. Qua de re scripsit ad Græcorum Patriarcham Epistolam LVI. libri VI. & Epistolam cxi. libri vii. duósque ex Ordine *Sancti Dominici*, & totidem ex Ordine FF. Minorum Religiosos Viros Constantinopolim Nuntios misit, de tanto acturos negotio. Collationis ab ipsis Nicææ cum Græcis habitæ, de causis Schismatis, Acta, quæ ipsimet ad *Gregorium* scripsere, legere est apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCXXXIII. Num. v. & sequentibus. Hanc irritam collationem fecit Græcorum pertinacia. *Nymphææ* in Bithynia Synodus à Græcis habita anno 1233. quæ post multam disceptationem, Professionem Fidei, seu potius erroris, de Processione Spiritus Sancti à solo Patre, ad Gregorium misit. *Bela* Ungarorum Regi author fuit, ut Græcis ac Bulgaris, qui Romanæ Ecclesiæ Jurisdictionem excusserant, & ad Græcos defecerant, bellum inferret, & sacra expeditione per FF. Prædicatores & Minores promulgata, Principes Christianos ad succurendum Imperio Constantinopolitano Latinorum, adversùs *Joannem Ducam Vatacium* Græcorum Imperatorem, ipsorum hostem infensissimum hortatus est. Ad Saracenos, qui Nuceriæ in Apulia agebant, ad fidem Christi invitandos, *Fratres Ordinis Prædicatorum pacis Angelos destinavit*. (Epistola cccx. libri vii.)

a Huic xx. Provinciæ parebant. Chaldæi, Medi, Persæ, Armenii.

b Hic majoris Indiæ, Regni Sacerdotis Joannis, atque Orientis vicinorum aliorum, sacris præerat.

c Huic subdita erat minor India, Æthiopia, & Libya, cum Ægypto.

Ad Jacobitarum Orientalium Patriarcham [a] ad fidem & obedientiam Romanæ Ecclesiæ conversum, gratulatorias literas dedit (Epistola CLXXII. libri xi.) præcipuam eo in negotio navavit operam *Philippus* Dominicanorum in Terra Sancta Prior, qui relationem ad *Gregorium IX.* ea de re misit, eumdemque Patriarcham Ordinis nostri habitum suscepisse commemorat. Missos etiam ejusdem Ordinis viros ad Jacobitarum Ægyptiorum Patriarcham, ejusque & ipsi subditarum Gentium conversionis spem affulgere maximam significat. Idem promisisse Nestorianorum [b] Patriarcham. Idem Patriarcham Jacobitarum Ægyptiorum [c] pollicitum fuisse, jámque prohibuisse ne subditi sui circumciderentur. Maronitas Libani jam ad Ecclesiæ unitatem rediisse, in eaque perseverare. Dominicanos etiam in Armeniam missos, Rege, Baronibúsque rogantibus, ad linguam ediscendam. Sacri illius Instituti Professores Prædicationibus suisac Doctrina infinitam propemodum animarum multitudinem illis in regionibus Christo lucrari: solos Græcos in suo schismate manere pertinaces. Hanc Relationem apud *Matthæum Parisium* in Historia Anglorum ad annum MCCXXXVII. legere est. Ad *Rusudem* Georgianorum Reginam, quæ ejus Sanctitatem honorificis Literis convenerat, auxilia contra Tartaros poposcerat, Georgianorum Ecclesiam Romanæ conjungere se velle significarat, scripsit *Gregorius IX.* misitque ex Ordine FF. Prædicatorum octo pietate ac doctrina præstantes viros, qui sanctæ unionis opus consummarent. *Ad hoc*, inquit, *dilectos filios Fratres Hugnicionem, Jacobum, Benevenutum, Rubinum, Petrum, Bernardum, Lambertum, & Guizardum, Ordinis FF. Prædicatorum, potentes in opere ac sermone, in quibus vivificat vita doctrinam, & doctrina vitam informat, dum hoc in eorum moribus legitur, quod sermonibus explicatur, ad vestram præsentiam venientes: immo Christum in ipsis benignè recipere, & eorum salubria monita exaudire curetis.* (Epistôla CXCVIII. libri XIII.)

VI. Toletanæ Ecclesiæ Privilegia confirmavit *Gregorius Nonus*. (Epistola CCI. libri XIII.) *Franciscum* Ordinis FF. Minorum conditorem, *Antonium* Olyssiponensem, ejusdem Ordinis, *Virgilium* Salisburgensem Archiepiscopum, *Dominicum* Ordinis FF. Prædicatorum Parentem, *Elizabetham* Andreæ Regis Ungarorum filiam, in Sanctorum album retulit. Romanorum Pontificum Decretales à S. *Raymundo de Pennaforti* Ordinis FF. Prædicatorum, Capellano suo ac Pœnitentiario collectas & in ordinem redactas, promulgavit, & in Judiciis servari, atque in Gymnasiis publicè doceri jussit anno MCCXXXIV. Pariensis Academiæ Doctores, qui Theologiam & Scripturam Sacram, adhibitis Philosophorum sententiis & inanibus ratiociniis, potius quàm SS. Patrum testimoniis, exponebant, acriter corripuit, jussitque perversam docendi Methodum emendarent (Epistola xx. libri II.) Ex ejus Literis aliqua describere operæ pretium est, quò intelligant omnes quomodo Theologia docenda sit. *Quidam apud vos*, inquit, *spiritu vanitatis, ut uter, distenti, positos à Patribus terminos profana transferre satagunt novitate, Cælestis Paginæ intellectum, SS. Patrum studiis certis expositionum terminis limitatum, quos transgredi non solum est temerarium, sed profanum, ad doctrinam Philosophicam naturalium inclinando, ad ostentationem scientiæ, non profectum aliquem auditorum, ut sic videantur non Theodocti, seu Theologi, sed potius Theophanti. Cùm enim Theologiam, secundum approbatas Traditiones Sanctorum, exponere debeant, & non carnalibus armis, sed Deo potentibus destruere omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, & captivum in obsequium Christi omnem reducere intellectum: ipsi doctrinis variis & peregrinis abducti, redigunt caput in caudam, & ancillæ cogunt famulari Reginam, videlicet documentis terrenis cæleste, quod est gratiæ, tribuendo naturæ. Profectò scientiæ naturalium plus debito insistentes, ad infirma & egena elementa mundi, quibus, dum essent parvuli, servierunt, reversi & eis denuo servientes, tamquam imbeciles in Christo, lacte, non solido cibo vescuntur, & videntur cor nequaquam gratia stabilisse; propter quod spoliati gratuitis, & in suis naturalibus vulnerati, ad memoriam non reducunt illud Apostoli, quod ipsos legisse credimus tam frequenter:* Profanas vocum novitates, & falsi nominis scientiæ oppositiones devita, quam quidam appetentes, exciderunt à fide. *O improvidi & tardi corde in omnibus, quæ divina gratiæ assertores, Prophetæ videlicet, Evangelistæ, ac Apostoli sunt locuti! Cùm natura per se quicquam ad salutem non possit, nisi gratia sit adjuta. Dicant Præsumptores hujusmodi, qui doctrinam naturalem amplexantes, verborum folia & non fructus auditoribus suis apponunt, quorum mentes quasi siliquis pastæ, vacuæ remanent & inanes... Nonne dum ad sensum doctrinæ Philosophorum ignorantium Deum sacra Eloquia divinitus inspirata extortis expositionibus, immo distortis inflectunt, juxta Dagon Arcam fœderis collocant, & adorandam in templo Domini statuunt imaginem Antiochi? Et dum fidem conantur plus debito, ratione astruere naturali, nonne illam reddunt quodammodo inutilem & inanem?.... Absit de cætero quòd pulcherrima mulierum, à Præsumptoribus stibio peruncta oculos, coloribus adulterinis fucetur, & quæ à suo Sponso circumamicta varietatibus, & ornata monilibus, splendida procedit ut Regina, consutis Philosophorum semicinctiis, veste sordida induatur. Absit ut boves fœdæ ac confectæ macie, quæ nullum dant saturitatis vestigium, speciosas devorent, crassásque consumant. Ne igitur hujusmodi dogma temerarium & perversum ut cancer serpat, & inficiat plurimos, oporteátque filios perditos plorare Rachelem, præsentium vobis auctoritate mandamus & districtè præcipimus, quatenus prædictâ vesania penitus abdicatâ, sine fermento mundanæ scientiæ doceatis Theologicam puritatem, non adulterantes verbum Dei Philosophorum*

Gregorius IX. Sacræ Facultatis Parisiensis Doctoribus Theologiæ rectè docendæ modum tradit.

Apud Odoricum Raynaldum ad annum 1228. Num. 29.

Theologicum ſtudium tendere debet principaliter ad fidem adſtruendam & mores informandos.

rum figmentis, ne circa altare Dei videamini lucum velle contra præceptum divinum plantare, & mellis commixtione ſacrificium fermentare doctrinæ, in ſinceritatis & veritati: azymis exhibendum: ſed contenti terminis a Patribus inſtitutis, mentes auditorum veſtrorum fructu cœleſtis eloquii ſaginetis, ut foliis verborum ſemotis, limpidas aquas & puras, tendentes ad hoc principaliter, ut vel fidem aſtruant, vel mores informent, hauriant de fontibus Salvatoris, quibus refecti, interna craſſitudine delectentur. Et in altero Diplomate: *Magiſtri verò & Scholares Theologiæ, in Facultate quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere, nec Philoſophos ſe oſtendant, ſed ſatagant fieri Theodocti, nec loquantur in lingua populi & populi, linguam Hebræam cum Azotica confundentes, ſed de illis tantùm in Scholis quæſtionibus diſputent, quæ per libros Theologicos & Sanctorum Patrum Tractatus valeant terminari.*

Gregorius IX. in Pariſienſem Academiam beneficia.

Ortam inter eamdem Academiam & Regem Chriſtianiſſimum *Ludovicum IX.* diſcordiam ſedare conatus eſt idem Pontifex, Regem ac Reginam Matrem per literas hortatus, ut diſſipatam ac translatatu à Magiſtris & Scholaſticis Studiorum Univerſitatem Pariſios revocaret, ſolitam libertatem, Juráque & Privilegia à *Philippo Auguſto* Rege ipſis conceſſa reſtitueret, illiſque de damnis illatis & irrogatis injuriis fieri ſatis juberet. Epiſcopis Cenomanenſi & Silvanectenſi, & Archidiacono Catalaunenſi, dedit in mandatis, ut apud Regem pro Academia ſequeſtres eſſent: Pariſienſem, incentorem diſcordiæ ſeveriùs increpuit (Epiſtolis LXXXVIII. LXXXIX. & XCV. libri III.) Poſterior illa ad *S. Ludovicum* Regem, & *Blancam* Reginam Matrem data, eximiis laudibus Regnum Francorum & Pariſienſem Academiam effert. *In tribus*, inquit, *quæ appropriatione nominis tribus in Sancta Trinitate perſonis attributa noſcuntur, potentia, ſapientia & benignitate videlicet, Regnum Francorum, ejuſdem S. Trinitatis imitando veſtigium, patet præ Regnis aliis à longè retro temporibus floruiſſe; in ſtrenuitate Militum potens, in Clero literarum ſcientia prædito ſapiens, & in clementi Principum bonitate benignum, &c. Sapientia verè nutritur ſtudio literarum, quo quaſi fluvio de loco deliciarum egreſſo, non ſolum Regnum prædictum irrigatur & fœcundatur poſt Spiritus Sancti gratiam, veriùmetiam Paradiſus Eccleſiæ generalis, cujus alveus Pariſienſis civitas, ex eo quod idem Studium Pariſius viguit, hactenus noſcitur extitiſſe. Unde veſtrâ credimus intereſſe, ſollicitâ diligentiâ, & ſolicitudine ſatagere diligenti, ut Studium diebus veſtris tranſlatum alibi à Pariſius, illuc quaſi flumen ad alveum revocetur, ne forſan ex tranſlatione hujuſmodi ad nihilum redigatur, per plura loca diviſum, velut fluvius diſtortus ab alveo, & in rivos diviſus areſcit; & per hoc cœlum claudi Scriptura, ac imbrem ſuum nubes continere contingat, & incompluram terram univerſalis Eccleſia remanere, necnon in tenebras Solem & Lunam converti, ſtellas involvi caligine hujuſmodi tenebrarum, ac ſic de prædicto Regno deleri Trinitatis veſtigium prælibatum. Quoniam in veſtram ignominiam redundaret, ſi diebus veſtris idem Regnum hujuſmodi privatum gloriâ redderetur; nec expediret quòd in ipſo Regnantibus tanti honoris adſcriberetur amiſſio, quam ſuis ſervare temporibus Reges incliti ex innata ſibi clementia propenſius ſtuduerunt, ex diverſis mundi nationibus in ſupradicta civitate collectam multitudinem, ad aquas ſapientiæ hauriendas, benigniùs confoventes, ac providè ſupportantes, ſi quando excedebat.* Ejuſdem Academiæ Leges ac Privilegia renovavit, Epiſtola XXIII. libri V. qua ipſam *Sapientiæ officinam*, Lutetiámque *Scientiarum parentem* prædicat. Toloſanam confirmavit Academiam, à Raymundo juniore Comite Toloſano inſtitutam. Ordinem B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum approbavit.

Regni Francorum, & Academiæ Pariſienſis elogia.

Regnum Francorum potentiâ, ſapientiâ & benignitate Principum inſigne.

Pariſienſis Academia fluvius ſapientiæ, Paradiſum Eccleſiæ generalis irrigans & fœcundans.

Lutetia Scientiarum parens.

VII. Obiit ſenio curiſque confectus *Gregorius* IX. anno Chriſti MCCXLI. ætatis propè centeſimo, cùm annis quatuordecim & menſibus quinque Eccleſiam rexiſſet. Inter Cardinales ab ipſo creatos celebres fuere, *Joannes Halgrinus*, Gallus, ex Abbatiſvilla oriundus, in Academia Pariſienſi Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor, & Concionator egregius, *S. Petri* Abbavillæi, Congregationis Cluniacenſis Prior, ex Decano inſignis Eccleſiæ Ambianenſis Biſuntinus Archiepiſcopus, ad Cardinalitias Sabinenſis Epiſcopatus Infulas à *Gregorio IX.* promotus, ejúſque Legationibus ad *Jacobum* Regem Aragonum, & ad *Fridericum II.* Imperatorem perfunctus, Author Eccleſiaſticus Commentarii in *Cantica Canticorum*, Sermonúmque plurimorum. *Gaufridus Caſtilioneus*, Mediolanenſis, *Urbani III.* nepos, ex *Altacumba* Ciſtercienſis Ordinis Cœnobio, Titulo *S. Marci* Cardinalis Presbyter, deinde Sabinenſis Epiſcopus renunciatus, variiſque *Gregorii* IX. Legationibus functus, ac demum ejus ſucceſſor. *Raynaldus* ex Comitibus Signiæ, *Gregorii* IX. nepos, *S. Euſtachii* Diaconus Cardinalis, deinde Oſtienſis Epiſcopus, Ordinis FF. Minorum Protector, tandem Summus Pontifex *Alexander IV. Sinibaldus de Fiſco*, ob eximiam Juris peritiam *Luminare Mundi* nuncupatus, ex Albingavenſi Epiſcopo & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellario, Cardinalis Tit. *S. Laurentii in Lucina*, & poſtea Summus Pontifex *Innocentius IV*, *Otho Candidus*, Guillelmi Marchionis Montisferrati filius, *S. Nicolai in Carcere Tulliano* Cardinalis, deinde Portuenſis Epiſcopus, Sedis Apoſtolicæ Legatione in Anglia maxima cum laude functus, Mathematicus inſignis, Lugduni quò *Innocentium IV.* ſecutus fuerat, mortuus, & in Æde FF. Prædicatorum ſepultus. *Jacobus de Vitriaco*, Gallus, Argentolii ad Sequanam in Diœceſi Pariſienſi natus, Canonicus Regularis, inſigni vir pietate & eruditione, beatæ *Mariæ Oigniacenſi* ſacra familiaritate conjunctiſſimus, ab eáque inſtitutus hæres, Crucis contra Saracenos fervidus Prædicator, Epiſcopus Acconitanus in Palæſtina, deinde Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, Author Eccleſiaſticus. *Nicolaus Anagninus*, Tit. *S. Marcelli* Cardinalis, Sedis Apoſtolicæ in Armeniam Legatus. *Jacobus de Pecoraria*, Placentinus, ex Monacho Ciſtercienſi & Abbate Cœnobii SS. *Vincentii & Anaſtaſii* ad Aquas-Salvias, & *Honorii III.* Pœnitentiario, Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus à *Gregorio* IX. creatus, & ad *Fridericum II.* Legatus, aliiſque Legationibus glorioſè perfunctus. *Robertus Ummarcote*, ſeu de *Somercote*, Anglus, Tit. *S. Hadriani* Diaconus Cardinalis. *Raymundus de Pons*, Gallus, Petragoricenſis Epiſcopus. *Simon de Soliaco*, Gallus, Bituricenſis Archiepiſcopus, Tit. *S. Cæciliæ* Presbyter Cardinalis, & Sedis Apoſtolicæ in Galliis Legatus. *S. Raymundus Nonnatus*, Ordinis *B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum* Profeſſor, *S. Petri Nolaſci* diſcipulus, duriſſimam pro redimendis captivis in Africa, quò tertiò navigarat, ſponte paſſus, captivitatem, Tit. *S. Euſtachii* Cardinalis. *Franciſcus Caſſardi*, Delphinas, è *Fayeto*, in Diœceſi Gratianopolitanâ oriundus, Juris utriuſque peritiſſimus, Archiepiſcopus Turonenſis, Tit. *S. Martini* Presbyter Cardinalis, Lugduni in Æde FF. Prædicatorum ſepultus.

Cœleſtinus Quartus.

VIII. Trigeſimo à *Gregorii* IX. obitu die, Pontifex electus eſt *Gaufridus Caſtilioneus*, morum integritate, doctrina, experientia, par ſummæ dignitati, qui ſibi nomen ſumpſit *Cœleſtinus IV*. Ex Ordine Ciſtercienſi ad Cardinalitias Infulas à *Gregorio IX.* aſſumptum ſuperiùs diximus. Dies dumtaxat

taxat septemdecim Pontifex vixit, ut *Bernardus Guidonis* in Chronico Romanorum Pontificum testatur.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 52. Edit primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Factum Gregorii Noni absolventis subditos Frederici II. à Juramento fidelitatis, non favet assertoribus indirectæ potestatis Romanorum Pontificum in temporalia Regum, quia Imperator erat Beneficiarius Ecclesiæ ratione Regni Siciliæ.*

R. De singularis cujusdam Argumenti pondere quæstio est. Summus Pontifex in sententia adversus *Fredericum II.* lata hoc expressit, quòd ab oppressione pupillorum, orphanorum, & viduarum, seu nobilium & aliorum hominum Regni Siciliæ, vel destructione ejusdem, *Quod ad Romanam Ecclesiam specialiter noscitur pertinere; pro quo Ecclesiæ Romanæ Juramentum fidelitatis exhibuit, & homagium præstitit, monitus non cessavit.* Verba ipsa Pontificiæ sententiæ sunt.

ARTICULUS IV.

De INNOCENTIO IV.

CUM à *Celestini IV.* obitu Sedes Apostolica annum unum, menses octo, & dies quindecim vacasset, quòd è re Ecclesiæ videretur ad electionem Pontificis non procedere, donec Cardinales Amalphitanu carcere à *Frederico* detenti, restituta libertate ad eam convenire possent, tandem communibus suffragiis Pontifex renuntiatus est *Sinibaldus* Tit. S. *Laurentii in Lucina* Cardinalis, qui sibi nomen sumpsit *Innocentius IV.* Electo *Fredericus* gratulatus est Imperator, missisque Oratoribus, devotionem ac reverentiam erga Sanctam Sedem professus est. Nihil magis in votis habuit Pontifex optimus, quàm concordiam Sacerdotii & Imperii. Quamobrem Legatos misit ad *Fredericum*, P. Archiepiscopum Rothomagensem, *Vvillelmum* Episcopum Mutinensem, & *Guillelmum* Abbatem S. *Facundi* in Hispania; ipsisque Commonitorium dedit, secundùm quod rem cum Imperatore gererent. *Fredericus* plura querelarum Capita contra Pontificem objecit, quibus ille abundè fecit satis Epistola LXXXIX. libri I. ad Legatos data. Imperator novos Oratores misit ad *Innocentium*, qui de pace tractarent, *Balduino* Imperatore Constantinopolitano, & *Raymundo* Tolosano Comite sequestribus. Hanc Procurationem Magistris *Petro de Vinea*, & *Thadæo de Suessa*, Curiæ suæ Judicibus commisit. Hi in frequentissimo Conventu Cardinalium, Prælatorum, Senatus, Populique Romani, Imperatoris nomine jurarunt ipsum Mandatis Summi Pontificis & Ecclesiæ pariturum circa singula capita, propter quæ fuerat à *Gregorio* IX. excommunicatus, ac pro damnis, quæ ante, vel post excommunicationem, Ecclesiis & personis Ecclesiasticis intulerat, satisfacturum. Id constat ex Diplomate *Frederici*, quod legere est apud *Matthæum Parisium* ad annum MCCXLIV. & ex Epistola *Innocentii* IV. ad *Langravium Thuringiæ* OCXLV. libri I. Propositas ineundæ concordiæ Leges, *Parisius* ad eumdem annum recenset. *Fridericum* superbi levisque animi Principem citò pœnituit, quod se ad parendum Pontificis Mandatis, præstito per Oratores suos Sacramento, obstrinxisset. Conditiones pacis nullas admissurum se contestatus est, nisi anathemate solveretur. Pontifici struxit insidias, quas evasit ille, Januam fugiens, indéque in Gallias se recipiens, *Ludovico* Rege sanctissimo permittente, ejúsque Sanctitati auxilium omne, quod ejus Decessores Reges afflictis Pontificibus impenderant, promittente. *Lugduni* cum Cardinalibus

Innocentii IV. Gesta in causa Frederici II. Imperatoris.

Innocentius Quartus in Gallias se recipit.

A ac Prælatis domesticis, omnique Comitatu receptus, Oecumenicam Synodum indixit, celebravit, anno MCCXLV. in qua in *Fredericum* Imperatorem excommunicationis & exauctorationis fulmina emisit. De qua Synodo, & *Friderici* causa, in Dissertationibus agemus. Post Synodum, Principes Electores ad *Lantgravium* Thuringiæ, Imperatorem salutandum adhortatus est, quod secundùm ipsius vota cessit. Interim *Fredericus* ad abstergendam, quæ ipsi inusta fuerat, hæreseos labem, Archiepiscopum Panormitanum, & Episcopum Papiensem, cum quibusdam Abbatibus, & Viris Religiosis,

B in fidem suam inquirere jussit, misítque ad *Innocentium* IV. Oratores, confectum ea de re Instrumentum ejus Sanctitati oblaturos, & juramento, fidei ipsius integritatem asserturos. Inquisitionis istius nullam rationem habuit Summus Pontifex, quòd absque auctoritate facta esset; quòd Inquisitores & Procuratores isti *Friderico* addicti essent, & eorum consanguinei in ejus Aula mererentur; quòd tandem ipsum, licet exauctoratum, Imperatorem & Regem appellassent. Id testantur *Innocentii* IV. Literæ ad universos Christi Fideles scriptæ, quas apud *Odericum Raynaldum* legere est ad annum MCCXLVI. Num. XVIII. *Petrum Capotium*, Car-

C dinalem, in Germaniam Legatum misit, qui Fridericianos Censuris Ecclesiasticis coërceret. *Henrico Lantgravio* defuncto, *Vvillelmum* Hollandiæ Comitem, in Conventu Principum, Regem Romanorum eligi curavit Apostolicus Legatus. Misit etiam Legatos *Innocentius* in Germaniam, Italiam, Hispaniam, Norvvegiam, ut Christianos Principes ad arma contra *Fridericum* Ecclesiæ Persecutorem capessenda concitaret. Cùm idem Princeps Clericos, Pontificis obedientes Mandatis, bonis omnibus exui, & in exilium amandari edixisset, Censuras in ipsum latas aggravavit *Innocentius* Epistola

D XLIV. lib. V. ad omnes Germaniæ Prælatos data; & sacram in ipsum, ejúsque filium *Conradum*, Expeditionem promulgari jussit, amplissimis Indulgentiis propositis. (Epistola OCCCXII. lib. V.) Mortuo *Frederico*, Lugduno discessit Pontifex, in Italiam reversurus, anno MCCLI. Discedentem devotissima Legatione convenit *Blanca*, Regina Mater *S. Ludovici*, tum in Syria agentis, Regni eo absente, Moderatrix, ejus Sanctitati Regni vires obtulit, illámque adeundi significavit desiderium, si per valetudinem licuisset, ut constat ex Epistola *Innocentii* ad ejus Majestatem data, LX. libri VIII. Cives etiam Lugdunenses in clientelam

E Sedis Apostolicæ suscepit, ob ipsorum in suam Sanctitatem, totámque Curiam officia, quæ verbis magnificis commendat Epistola CCCXVI. & CCCXVII. libri VIII. Sabaudiæ Comitem, multosque Italiæ populos, qui *Frederici* partibus adhæserant, ad officium revocavit. *Ezelino* Fridericianæ persecutionis in Marchia Tarvisina incentori & administro, de hæresi graviter suspecto, diem dixit: Tarvisino Episcopo & Priori Mantuanæ FF. Predicatorum familiæ dedit in Mandatis, ut eum ceu Hæreticum vitandum, Fideliúmque armis petendum palam denuntiarent. (Epistola LXXV. li-

F bri VIII.) *Conradum* Frederici filium, heredem paternæ tyrannidis, in Sicilia infestum habuit. Quem ut frangeret, misso in Gallias Apostolico Legato, Regnum *Carolo* Andegaviæ & Provinciæ Comiti *S. Ludovici* fratri, certis conditionibus in Diplomate expressis, in feudum possidendum obtulit. Conditiones erant ut Comes fidem Summo Pontifici obstringeret: Ut, si Regnum fortè ad fœminam devolveretur, illa Ecclesiæ hosti non nuberet, nec Romana Ecclesia & Pontifice inconsultis: Ut Sicilia cum Imperio deinceps ab eadem persona non teneretur. Ut Leges omnes à *Frederico*

Concilium Oecumenicum Lugduni celebrat.

Siciliæ Regnum Carolo S. Ludovici fratri certis conditionibus ab Innocentio Quarto oblatum.

»rico & *Conrado* latæ abrogarentur : Ut electiones »faciæ liberè fierent, secundùm Canones : Regi »mors Prælati nenuntiaretur, si ita haberet con»suetudo, sed ejus consilium vel consensus ante »vel post electionem non exigeretur : Ut Heredes »Regni in minori ætate custodiæ Sedis Apostoli»cæ committerentur : Ut nullus Clericus vel per»sona Ecclesiastica ejusdem Regni in civili vel cri»minali causa conveniretur coram seculari Judice, »nisi ratione feudorum : Ut nulla vectigalia Clero »imponerentur : Ut in Ecclesiis vacantibus Rex seu »Princeps nulla haberet Regalia, &c. (Epistolis »XL. & LIII. libri X. apud *Odericum Raynaldum* »ad annum MCCLIII. Num. II. III. & sequent.) Ob S. *Ludovici* absentiam perfici tunc res ista non potuit. Unde aliud postea consilium iniit *Innocentius*; & Siciliæ ac Apuliæ Regnum *Henrico Angliæ* Regi in feudum obtulit pro *Eadmundo* minore ipsius filio, ut *Matthæus Parisius* ad annum MCCLIV. testatur.

Innocentius IV. curæ de fide propaganda

FF. Prædicatores ad Saracenos & Tartaros missi; necnon ad Turcarum Sultanum.

II. Fidei apud gentes barbaras propagandæ studuit *Innocentius* IV. in Prussiam, Norvvegiam; Græciam, Bulgariam, Æthiopiam, Indiam, ad Jacobitas, Nestorianos, Tartaros, Saracenos, missis ex Ordine præsertim FF. Prædicatorum Viris Religiosis, qui Fidei Catholicæ veritatem ipsis exponerent. Jacobitarum & Nestorianorum Primates, Romanam Ecclesiam, & Summum Pontificem reveriti, Fidei suæ Confessiones ad ipsum misere, quas ex ipsius Regesto exhibet *Odericus Raynaldus* ad annum MCCXLVII. Literas à Sultanis Saracenorum ad eumdem Pontificem datas idem Author describit, quæ quidem urbanissimæ sunt, & magnificis illum titulis exornant. *Sanctum, Illustrem, Purum, excellentem; temporalium contemptorem, Dei cultorem, Venerabilem, Scientem, Magnum, Caput Sectæ Christianæ, & Ducem filiorum baptismatis, sedentem super Sedem Simonis, ornatum habentem intellectum Sanctis Theologicis, Papam Romæ* prædicat Babyloniæ Soldanus, Fratres Prædicatores ad se missos commendat, sed secutum illis non fuisse scribit coram Sapientibus Saracenis de Religione disserere, ob linguæ Arabicæ minùs expeditum usum, & propter *incessum per viam humilitatis Monachatûs*. Cæterùm, *signa virtutis* in eis emicuisse, & *Insignia scientiæ* ex eorum vultibus irradiasse; & *vestigia contemptûs mundi & Religionis in eis esse manifesta, & mores eorum laudabiles & decoros*. Minùs honestè à Tartaris susceptus est *Ascelinus* cum Sociis Prædicatoribus, qui nequidem in conspectum Magni Cham sunt admissi, quòd trinam genuflexionem in signum subjectionis Papæ & Romanæ Ecclesiæ suo Imperio exigeret. Post multas ærumnas dimissi Legati, superbas à *Bajotnoyo* Literas ad Summum Pontificem retulere. Semen nihilominus Evangelii sparserunt, fructum suo tempore daturum. Legationis istius Relationem scriptam à *Simone*, Ascelini in ea obeunda Socio, legere est apud *Vincentium Bellovacensem*, Speculi Historialis libro XXXI. cap. XLVI. Anno M. CCLIII. à S. *Ludovico* Rege Francorum commonitus, Pontifex ut Religiosos Viros in illas regiones mitteret, quoniam nonnulli ex Tartaris Baptismo fuerant initiati, conversionisque spes affulgebat plurimorum; Episcopo Tusculano Sedis Apostolicæ Legato dedit in mandatis, ut ex FF. Prædicatorum & Minorum Ordine Viros Apostolicos, ad fundandas, propagandas, & regendas in illis partibus Ecclesias, Episcopos consecraret. Quibus etiam dispensandi circa impedimenta matrimonii, ex gradibus consanguinitatis, vel aliunde orta, & uno Jure Canonico instituta, concessit potestatem. (Epistola LVIII. lib. X.)

Ad Turcarum etiam Sultanum scripsit, & Fratres Prædicatores misit, qui verba salutis annuntiarent. *Dilectos filios*, inquit, *Fratres Ordinis Prædicatorum, viros in Dei Lege peritos, latores præsentium, ad tuam Nobilitatem destinamus, in quibus Divinus Spiritus pias aures omnium docebit de Deo, ejusque Justitia & futuro seculo veritatem*, &c. (Epistola XXVIII. libri X.) Misso ad Græcorum Imperatorem *Joanne Parmensi*, Ordinis FF. Minorum Generali Ministro, illius Ecclesiæ cum Romana conjunctionem procurare conatus est. Cypri Insula, Albania, aliæque Provinciæ Græcorum Schismate infectæ, ad sanctam Unionem, & *Innocentii* obsequium traductæ sunt anno MCCL. ut constat ex ipsius Epistolis LX. LXI. & LXII. libri VIII. Legere juvabit & illam, quam ad *Ottonem* Tusculanum Episcopum Cardinalem dedit, de controversia inter Archiepiscopum Nicosiensem Latinum, & Episcopos Græcos Regni Cypri orta, de quibusdam articulis. Est inter Epistolas *Innocentii IV*. Tom. XI. Conciliorum Labbeanæ Editionis P. I. Epistula X. Ad hæreson extirpationem sanctissimas Leges promulgavit, illásque confirmavit, quas *Fridericus* olim Imperator condiderat. Extant in eadem Conciliorum Collectione, & Tom. I. Bullarii Romani. In Lombardia, Romandiola, Marchia Anconitana, & Tarvisina tunc Hæretici grassabantur, contra quos Fratribus Prædicatoribus sacræ Inquisitionis munus demandavit, jussitque ut Potestates, Rectores, Consilia; & Communitates civitatum, per Excommunicationem in personas, & Interdictum in terram latum, ad istarum Legum executionem auctoritate Apostolica compellerent. Scripsit præterea ad *S. Raymundum de Pennaforti*, Ordinis Prædicatorum Generalem Magistrum, & ad Provincialem Hispaniæ, ut Fratres ejusdem Ordinis, ex Regno Aragoniæ selectos, Inquisitores in ea Provinciæ Narbonensis parte, quæ Aragonum Regi parebat, auctoritate Apostolica instituerent. Est Epistola VII. *Innocentii* IV. in Labbeana Conciliorum collectione. Ubi suum de Fidei & divini cultus propagatione desiderium significavit, de Fratribus Prædicatoribus hæc habet : *In his autem Nobis Fratres vestri Ordinis Dominus specialiter voluit esse Adjutores : qui spretis mundi dissoluti blanditiis, sub Religionis arcto vigore in voluntate Christo ad placitum famulantes, de Fidelium campo extirpare noxia, & in eo plantare salubria, necnon muniti spirituali pro defensione Fidei armatura, errorum laqueis irretitos eripere, ac in regione dissimilitudinis conversantes ad unitatem Matris Ecclesiæ revocare diligentiâ indefessâ procurant, proficientes sibi per vitæ meritum, & aliis verbo pariter & exemplo*, &c.

Sacræ Inquisitionis Munus FF. Prædicatoribus demandat Innocentius Quartus.

III. Libros *Talmudis*, eorúmque Glossas, similésque libros erroribus scatentes & blasphemiis, in toto Franciæ Regno, ut igne damnaret, *S. Ludovicum* idem Pontifex rogavit, prohibuitque ne Christianas filiis suis nutrices conducere Judæi sinerentur: Parisiensium Theologorum studium pro fidei integritate à Judaïco fermento servanda sub *Gregorii* IX. Pontificatu emicuerat : siquidem Talmudicos libros damnaverant, & publicè combusserant, Rege Sancto favente; ut constat ex *Innocentii* IV. Litteris ad ejus Majestatem datis. Harum verba reticere mihi religio esset, quæ & Doctorum Parisiensium laudem continent, & sacræ Facultati *Doctrinalis Judicii* auctoritatem confirmant. *Et licet*, inquit, *dilectus filius Cancellarius Parisiensis, & Doctores Regentes Parisiis in Sacra Pagina, de mandato felicis recordationis Gregorii Papæ Prædecessoris nostri, tam prædictum abusionis librum, quàm alios quosdam cum omnibus Glossis suis perlectos in potestate, ac examinatos, ad confusionem perfidiæ Judæorum, publicè coram Clero & populo incendio concremarint ... Quibus Tu tanquam Catholicus Rex & Princeps Christianissimus*

Libros Talmudis, aliósque à Sacra Facultate Parisiensi examinatos & reprobatos, ut S. Ludovicus igne cremari jubeat per totum Regnum, hortatur.

mus, impendisti super hoc auxilium & favorem, pro quo A *Regalem Excellentiam dignis in Domino laudibus commendamus... Celsitudinem Regiam rogamus & obsecramus in Domino nostro Jesu-Christo, ut qui excessus hujusmodi detestabiles & enormes, commissos in contumeliam Creatoris, & injuriam nominis Christiani, prout pie incepisti, laudabiliter prosequendo, faciens debita severitate percelli, tam prædictos abusionum libros, reprobatos per Doctores eosdem, quam generaliter omnes, cum Glossis suis, qui per ipsos examinati & reprobati fuerint, mandes per totum Regnum tuum, ubicumque reperiri poterunt, igne cremari.* Vetuit idem Pontifex, ne Parisiensis Universitatis alumni, extra Lutetiam, B per Literas Apostolicas, super litibus inter eos exortis, traherentur, atque à vectigalibus immunes esse jussit.

Ecclesiæ Gallicanæ Libertates *Innocentius IV* contra Proceres tuetur.

IV. Gallicanæ Ecclesiæ Libertates adversùs Proceres quosdam contrà Clerum conjuratos tuitus est *Innocentius* IV. Inito scilicet fœdere ut Episcoporum Jurisdictionem everterent, & Cleri Privilegia, quemquam ad Tribunal Ecclesiasticum trahi, quasi lege latâ, prohibuerant, nisi super hæresi, matrimonio, vel usuris: bonorum proscriptionem, & membrorum mutilationem actoribus comminati. Atque illius factionis Protectores elegere Burgundiæ Britanniæque Duces & Comites Engolis- C mensem & S. Pauli, qui omnes & singulos tuerentur, quibus adversùs Episcopos & Clericos res esset, insuperhabitis Excommunicationis sententiis. Cujus quidem fœderis quicunque participes esse vellent, redditUum suorum centesimam ad communis defensionis opus conferre tenerentur. Duas Conjuratorum Chartas hujus rei testes, unam Gallico, alteram Latino scriptam idiomate, apud *Matthæum Parisium*, ad annum MCCXLVII. legere est. Is *Fridericum* Imperatorem exauctoratum horum motuum existimatum auctorem fuisse scribit, propter hæc verba quibus Edictum suum concludunt Proceres conjurati: *Ut reducantur ad statum Eccle-* D *siæ primitivæ, & in contemplatione viventes, nobis activam vitam ducentibus, ostendant miracula, quæ dudum a sæculo recesserunt.* Quæ gemina sunt verbis extremis Fridericianæ Epistolæ ad Principes datæ. *Semper*, inquit, *fuit nostræ voluntatis, Clericos, cujuscumque Ordinis, ad hoc inducere, & maximè maximos, ut tales perseverarent in fine, quales fuerunt in Ecclesia primitiva, Apostolicam vitam ducentes, humilitatem Dominicam imitantes. Tales namque Clerici solebant Angelos tueri, miraculis coruscare.* De his certior factus *Innocentius*, ad Cœtum Ecclesiæ Gallicanæ Literas dedit, & Archiepiscopos, Episcopos, E Abbates, Priores, cæteròsque Ecclesiasticos Viros, constanti animo stare jussit pro defensione Ecclesiasticæ Libertatis, opem Sedis Apostolicæ ipsis pollicitus. *Sperantes*, inquit, *in illo, qui colligationes impietatis, & fasciculos deprimentes sua virtute dissolvit, ac considerantes quod Ecclesia, contra quam etiam portæ inferi non prævalebunt, consuevit in tribulatione, juxta verbum Propheticum, dilatari, statuatis vosmetipsos in defensione Ecclesiasticæ Libertatis, exemplo Prophetæ, civitatem munitam, & columnam ferream, nihil penitus metuentes, sed cordis armati constantiâ, quam nulla possit persecutionis penetrare sagitta, mu-* F *rum pro domo Domini vos viriliter opponentes; eâ Libertate in cujus possessione adhuc existitis, & qua hactenus usi estis, confidenter utamini: & contra rebelles procedentes, prout convenit, Statuta contra Libertatem Ecclesiasticam attentata irrita nunciando, vos, aut subditos vestros ipsius non permittatis commodo spoliari; pro firmo scientes, quod cùm Ecclesiam Gallicanam speciali affectione inter cæteras orbis Ecclesias diligamus, vobis omnimodum in conservatione Jurium & Libertatum vestrarum, dante Domino, consilium & auxilium impendemus. Cæterùm cùm olim felicis recordationis Ho-* A *norius Papa Prædecessor noster, in omnes aliqua statuta contra Ecclesiasticam Libertatem edentes, Excommunicationis sententiam tulerit, nos ipsius tenorem, ut eam solemniter publicari & servari in vestris Diœcesibus, non obstantibus Indulgentiis vel Privilegiis quibuscùmque ab Apostolica Sede concessis, appellatione postpositâ, faciatis, vobis duximus transmittendum.* (Epistola XXXV. lib. IV.) Tusculano etiam Episcopo, Sedis Apostolicæ Legato, dedit in mandatis, ut Statuta illa contra Ecclesiasticam Libertatem condita nullius esse momenti ac roboris denuntiaret, illorúmque Auctores, Scriptores, Pa- B tronos, & omnes nefariæ in Clerum conjurationis participes, anathemate percelleret: Pertinaces verò Privilegiis omnibus ab Apostolica Sede impetratis, & feudis, si quę ab Ecclesiis tenerent, privandos, eorumque filios à Clero, & omni Ecclesiastico Beneficio excludendos significaret. (Epistola XXXVI. libri IV.) Addit *Parisius*, Pontificem hanc factionem discussisse, collatis in Conjuratorum consanguineos optimis Beneficiis, plurimque obtinendorum spe injecta, necnon Indulgentiis & muneribus erogatis.

Innocentii IV. in Regnum Francorum beneficia.

V. De *Sancti Ludovici* in Ægypto captivitate, & clade Christiano Exercitui à Saracenis illata, dolorem concepit maximum, invictúmque in adver- C sis Principem amantissimis Literis consolatus est. Datis etiam ad Gallicanos Præsules, ipsis jussit ut preces publicas pro Rege, & pro Terræ Sanctæ negotio indicerent, & qualibet hebdomada Sermonem adhortationis ad populum in suarum Diœcesion Ecclesiis curarent haberi, ut ad Regis subsidium excitaretur. Priori FF. Prædicatorum Parisiensium promulgandi è suggestu sacram Expeditionem in Francorum Navarræque Regnis, Provincia, Britannia minori, Burgundia, &c. demandavit provinciam, & summa ad reos quorumvis criminum absolvendos auctoritate instruxit anno MCCLIII. (Epistola DCXII. libri X.) Sanctam Ca- D pellam, rogante, qui eam fundaverat, Sancto Rege, immunitatis privilegio donavit anno MCCXLIV. Istud etiam eidem Regi Privilegium contulit, ut nullus, absque singulari Sedis Apostolicæ Mandato in Regnum Francorum Excommunicationis vel Interdicti sententiam ferre posset. Omnibus & singulis pro Rege Francorum orantibus decem dierum Indulgentiam ab *Innocentio IV.* fuisse concessam observat *S. Thomas* in IV. Sententiarum, Distinct. XX. Quæst. I. Artic. IV. Quæstiuncula III. Centum dierum postea concessit Clemens VII. novius anni Leo X. ut *Durantus* libri II. *De Riti-* E *bus Ecclesiæ*, cap XXXIII. commemorat.

Privilegium insigne Regi Francorum concessum.

Indulgentia concessa pro Rege Christianissimo orantibus.

Canonizationes Sanctorum, & Approbationes Religiosorum Ordinum.

VI. *Edmundum* Cantuariensem Archiepiscopum in Sanctorum album solemni ritu retulit anno MCCXLVI *S. Guillelmum* Briocensem Episcopum in minori Britannia, anno MCCXLVII. *S. Petrum* Martyrem, Ordinis FF. Prædicatorum, anno MCCLIII. *S. Stanislaum* Cracoviensem Æpiscopum ac Martyrem anno MCCLIII. (Vitam *S. Petri* Martyris à *Thoma Lentino* ejusdem Ordinis coævo Scriptore editam, Patres *Henschenius* & *Papebrochius* in- F ter Acta Sanctorum mensis Aprilis, Tom. III. ad diem XXIX. retulere. De eodem legendum *Senoniense Chronicon* libri IV. cap. XXXV.) Placentiæ Academiam erexit. Fratribus Eremitis in Tuscia dispersis Regulam *S. Augustini* & singularem habitum dedit. Carmelitarum Regulam ab *Hugone a S. Caro*, Cardinali ex Ordine FF. Prædicatorum assumto, recognosci jussit ac temperari, eámque declarationem & mitigationem confirmavit anno MCCXLVII. Diplomate quod incipit, *Quæ honorem*. Ordinem *Servorum B. Mariæ* approbavit. Congregationem Monachorum Sylvestrinorum in Eremo *S Benedicti de Monte Fano*, sub Regula ejus-

dem

dem Sancti Patriarchæ recèns institutam, sub protectione Sedis Apostolicæ suscepit, multísque Privilegiis donavit, anno MCCXLVII. Diplomate quod incipit: *Religiosam vitam eligentibus*. Sanctam *Claram* Virginem supremo morbo decumbentem invisit, ejúsque exequias honestavit.

Innocentius Quartus à calumnia vindicatur.

VII. Obiit optimus Pontifex anno MCCLIV. VII. Idus Decembris, Neapoli, cùm annos undecim, menses quinque & dies quatuordecim sedisset. Quæ de ejus obitu referuntur à *Thoma Contipratensi* somnia, meritò ab accuratis Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus exploduntur. Ob rescissa scilicet FF. Prædicatorum & Minorum Privilegia divinitus percussum paralysi, vocis officium ad mortem usque amisisse fabulatur. At suas habuit rescindendorum hujusmodi Privilegiorum rationes prudentissimus Pontifex, cujus memoria Sacris FF. Prædicatorum & Minorum Ordinibus venerabilis & chara esse debet, ob immortalia quæ eis contulit beneficia. Putidius mendacium est quod de revelatione facta cuidam Cardinali de *Innocentii IV.* accusatione ad divinum tribunal, ejusdémque Judicio, nullius hac in parte vir judicii, sed insignis calumniator *Parisius* effutiit. Glossas in Jus Canonicum, aliáque Opera edidit eruditissimus Pontifex, doctrinâ suâ promeritus, ut *Pater Juris*, & *Pater veritatis* passim appellaretur. Viros pietate & doctrina insignes in Collegium Cardinalium adscripsit, quibus Pileum Purpureum contulit, ut novum splendorem Ordini Eminentissimo conciliaret. Inter ipsos celebres fuere, *Petrus de Collemedio*, Italus, Archiepiscopus Rothomagensis; Episcopus Cardinalis Albanensis in Concilio Lugdunensi renuntiatus; *Guillelmus* ab *Honorio III.* in Livoniam & Prussiam ad Christi Evangelium prædicandum, Ecclesiásque fundandas, cum auctoritate Legationis Apostolicæ missus, dignitate Vicecancellarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Mutinensi Episcopatu postmodum ornatus, variis sub *Gregorio IX.* Legationibus pro Ecclesiæ utilitate præclarè functus, demum Cardinaliciis Infulis & Episcopatu Sabinensi adauctus. *Zelantissimus Prædicator & Laudator Nominis Jesu, assertor Fidei & totius veritatis, vir permagna sanctitatis*, prædicatur in Epitaphio quod ipsi positum est Lugduni, ubi diem obiit, apud FF. Prædicatores. *Oto* sive *Odo de Castro Rodulphi*, Gallus, ex Parisiensis Ecclesiæ Cancellario, Cisterciensis Ordinis Monachus, & Grandis-Sylvæ Abbas, demum Episcopus Cardinalis Tusculanus, Sedis Apostolicæ in Galliis pro sacra Expeditione procuranda Legatus, cum *S. Ludovico* in Syriam profectus. *Petrus de Barro*, ex Igniacensi Abbate Ordinis Cisterciensis, primùm Titulo *Sancti Marcelli* Presbyter Cardinalis, deinde Sabinensis Episcopus, Apostolica Legatione in Hispania functus. *Guillelmus de Talleante*, Gallus, O. B. Monachus, Abbas *S. Facundi* Legionensis Diœcesis, in Hispania, SS. duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis, missus ad *Fridericum* Imperatorem pro pace impetranda Legatus. *Joannes de Toleto*, Anglus, O. C. Monachus, *S. Laurentii in Lucina* Presbyter Cardinalis, postmodum ab *Urbano IV.* Portuensis Episcopus creatus. *Hugo à S. Caro*, Ordinis FF. Prædicatorum, in Facultate Parisiensi Sacræ Theologiæ Doctor & Professor, in Orientem pro unione Ecclesiæ Græcæ procuranda, cum F. *Petro* ejusdem Ordinis viro religiosissimo & doctissimo, & duobus Ordinis FF. Minorum Professoribus, à *Gregorio IX.* missus, Cardinalis Tituli S. *Sabinæ*, primus ex suo Ordine ad Eminentissimam Dignitatem assumptus, primùm in Urbe veteri, ubi è vivis excessit, sepultus, deinde in Ecclesiam FF. Prædicatorum Lugdunensium translatus. *Goffridus Castilioneus*, Celestini III. consangui-

Thomas Cantiprat. lib. 2. cap. 10. refellitur.

Innocentii IV. eruditio.

Cardinales ab ipso creati

A neus, Titulo *S. Hadriani* Diaconus Cardinalis. *Octavianus Ubaldinus*, Florentinus, ex Episcopo Bononiensi, *S. Mariæ in Via Lata* Diaconus Cardinalis. *Petrus Capoccius*, Romanus, *S. Gregorii in Velabro* Diaconus Cardinalis, Majestatis Pontificiæ contra Fridericum II. & Gibellinos intrepidus Defensor. *Joannes Cajetanus Ursinus*, Romanus, *S. Nicolai in Carcere Tulliano* Diaconus Cardinalis. *Guillelmus* & *Othobonus* Flisei, ex Lavaniæ Comitibus, Genuenses, ipsius *Innocentii IV.* Nepotes, pietate & meritis conspicui, quorum prior Titulo *S. Eustachii*, alter Titulo *S. Hadriani*, Cardinalis Diaconus, difficillimis Legationibus cum laude

B functi. *Jacobus Herebertus*, Gallus, O. C. Monachus, Cardinalis Episcopus Portuensis. *Stephanus*, Hungarus, ex Archiepiscopo Strigoniensi Cardinalis Episcopus Prænestinus. *Richardus*, Casinensis Abbas. *Odo Rigault*, Gallus, ex Ordine FF. Minorum ad Archiepiscopatum Rothomagensem, deinde ad Cardinalitias Infulas ab *Innocentio IV.* assumptus, ob eximias virtutes, *Regula vivendi ac Præsulum forma nuncupatus*, &c.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag 85. Edit. primæ, Religiosi Cen-

C sores hanc propositionem notant: *Quæ de Innocentii Quarti obitu referuntur à Thoma Cantipratensi somnia, meritò ab accuratis Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus exploduntur; scilicet ob rescissa FF. Prædicatorum & Minorum Privilegia divinitus paralysi percussum &c.*

R. Narrationem istam somnium & fabulam meritò appellavi, optimi Pontificis memoriam vindicans. Id verum esse volunt Religiosi Censores, Pontificem rescindendo privilegia quædam exorbitantia Fratrum, commisisse crimen ultione divina dignum, & plaga insanabili à Deo propterea percussum? Hæc figmenta antè me explosit *Odoricus Raynaldus* in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1254. Num. 70. & 71. Satis esse debuit Religiosis Censoribus quòd observaverim Innocentium Quartum singulari benevolentiâ Ordines FF. Prædicatorum ac Minorum complexum, pluribus cumulasse beneficiis, eorumque operâ

D in propaganda fide, & in magnis aliis Ecclesiæ negotiis usum fuisse.

ARTICULUS V.

De ALEXANDRO IV.

RAynaldus, sive *Reginaldus*, è stirpe Comitum Signiæ, Cardinalis Episcopus Ostiensis, paucis post obitum *Innocentii IV.* diebus, Pontifex

E electus est, vir orandi studio, abstinentiæ laude, mansuetudine singulari spectatissimus, ut *Matthæus Parisius* testatur. *Ezelinum* Tyrannum, Ecclesiæ ditionibus infestum, Anathemate contrivit, armísque Fidelium repressit. *Philippo* Ravennati Episcopo contra ipsum commissa Legatio. *Alphonso* Castellæ Rege sacram expeditionem in Mauros adornante, *Alexander IV.* Lupo Marrochitano Episcopo dedit in mandatis, ut in Hispania & Vuasconia per se ac idoneos Concionatores Crucem prædicaret, ac Fideles ad sanctam Militiam profitendam excitaret. (Epistola 397. libri 1.) Munus ei-

F dem injunxit circumscribendi fines Carthaginensis, Silvensis, & Pacensis Diœceseon, Saracenorum tyrannidi nuper ereptarum; & novos Episcopatus erigendi in urbibus quæ in posterum subigerentur. (Epistola 703.) Lituanis aliísque Paganis in Poloniam irrumpentibus, Crucis vexillum explicari, & sacræ militiæ classicum personare jussit. Munus istud *Bartholomæo de Bohemia*, Ordinis FF. Minorum ferventissimo Concionatori demandavit, Epistola 564. libri 1. Nec irrita fuit ejus prædicatio. Nam *Othocarus* Bohemiæ Rex, cruce insignitus, plures Provincias subegit, & ad Christiana sacra

 traduxit

traduxit. Ecclesiæ Rigensi Metropolitincam Livoniæ, Estoniæ, & Prussiæ confirmavit Dignitatem, cùm antea Metropolitanus certam sedem non haberet. (Epistola 342.) *Jacobo* è Trecis, ex Archidiacono Leodiensi Patriarchæ Hierosolymitano, Legationem Apostolicam in Syria, & in Christiano contra Saracenos Exercitu commisit. (Epistola 767. libri I.) Constantinopolitano Latinorum Imperio à Græcis concusso, & Achaia ac Peloponeso in summo discrimine constitutis, Literas ad Argolicensem Episcopum, aliósque Præsules dedit, ut ad istarum conservationem Provinciarum congrua subsidia conferrent. (Epistola XXIX. libri I.) Interdictum in ditiones *Boleslai* Silesiæ Ducis latum confirmavit, graviores pœnas intentans, nisi Uratislaviensem Episcopum, quem vinculis tradiderat, libertate donaret (Epistola 477. libri II.) In contumacem Pontifex Sacram Expeditionem indixit. Qua de re legendi Rerum Polonicarum Scriptores, præsertim *Longinus* libro VII. De Græcæ Ecclesiæ conjunctione cum Romana solicitus, Urbevetano Episcopo Legationem Apostolicam ad *Theodorum Lascarim juniorem* Græcorum Imperatorem commisit. Oblatas *Innocentio IV.* à Græcis Unionis conditiones ab eodem fuisse approbatas, *Alexander* testatur. Solam additionem ad Symbolum moram aliquam injecisse, quòd istius Controversiæ Romanum Pontificem Judicem agnoscere detrectarent. Difficultatem tamen ab *Innocentio* discussam fuisse, consentiendo ut Symbolum absque additione vocis, *Filióque*, servarent Græci, modò in ipso Fidei dogmate cum Romana convenirent Ecclesia. De Romani Pontificis auctoritate, illiúsque usu has Græci Propositiones obtulerant. *Romanæ Sedi, ejúsque Summo Pontifici, præ cæteris Patriarchalibus Sedibus, summum recognitionem ac professionem in Ecclesia Catholica Principatus. II. Canonicam obedientiam Innocentio ejúsque Successoribus canonicè intrantibus exhibendam. III. Prærogativam appellandi Romanam Ecclesiam, cùm sacra persona Ecclesiastica Græcorum à Superioribus suis crediderim se gravari. IV. Liberum recursum ad Sedem Romanam in Quæstionibus, quas inter Prælatos, & alias personas Ecclesiasticas Græcas contigerit suboriri. V. OBEDIENTIAM IN SENTENTIIS, QUAS PONTIFEX ROMANUS SACRIS NON ADVERSAS CANONIBUS PROMULGABIT. VI. In Conciliis eidem Pontifici primam Sedem, & primam subscribendi vicem, cùm subscriptiones fuerint faciendæ. VII. In QUÆSTIONIBUS FIDEI, si quæ ibidem fortassis emerserint PRÆ ALIIS DARE SENTENTIAM, quam:, DUMMODO EVANGELICIS ET CANONICIS NON OBVIET INSTITUTIS; obedienter cæteri suscipient & sequentur. VIII. In aliis verò Ecclesiasticarum Personarum causis & negotiis, quæ in Conciliis tractabuntur Sententiis, quas Romani Pontificis dictabit auctoritas, DUMMODO SACRORUM NON ADVERSENTUR CONCILIORUM DECRETIS, cæteri acquiescent.* Ita refert *Alexander* IV. Epistola 325. libri II. Quas Propositiones subjicere operæpretium fuit, ut meminerint Viri Theologi nullum esse facessendum negotium his qui ipsas vel æquivalentes propugnaverint, nec malè ipsos de Sede Apostolica mereri, qui doctrinam ab *Innocentio* IV. Pontifice doctissimo, & *Alexandro* IV. ejus Successore Sanctissimo approbatam tuentur: noverintque sic explicatum Romanæ Sedis Primatum, & Pontificæ Potestatis usum, ad revocandos in Ecclesiam Hæreticos & Schismaticos plurimùm conducere. Cum his porro consentiunt Sacræ Facultatis Parisiensis, & Gallicanæ Ecclesiæ hoc de argumento pronuntiata, quamquam aliis expressa verbis.

Propositiones à Græcis oblatæ Innocentio IV. & Alexandro IV. & ab iisdem Pontificibus approbatæ.

Explicatio Primatûs Romani Pontificis;

Theobaldo Campaniæ Comiti & Navarræ Regi concessit *Alexander* IV. ut ab Episcopo Pampilonensi ritu solemni inauguraretur. (Epistola 688. libri III.) Controversiam Græcos inter & Latinos Episcopos in Cypro ortam composuit, Epistola 521. libri VI. Vacante Occidentis Imperio, *Conradinum* Friderici II. nepotem eligi prohibuit, sub pœna Excommunicationis Electoribus infligenda. Diploma ea de re datum ad Moguntinum Archipræsulem, Tom. I. Romani Bullarii editum est. Infestos semper Gibellinos habuit, quorum factione seditio in Urbe facta: Pontifex & Cardinales fugere compulsi, ac Viterbium, indéque Anagniam secedere. Inquisitorum Hæreticæ Pravitatis (quod munus FF. Prædicatoribus & Minoribus demandatum erat) auctoritatem multis Diplomatibus confirmavit, amplificavit, explicuit, in Romano Bullario editis. B. *Claram* Virginem, primam *Sancti Francisci* Filiam spiritualem, secundíque Ordinis Matrem, in Sanctorum album retulit, Diplomate quod incipit, *Clara claris præclara meritis.* Veritatem Stigmatum *Sancti Francisci* comprobavit anno MCCLV. & in *Sacrilegos triumphalium* illorum *Stigmatum* Impugnatores & obtrectatores, judicialis severitate disciplinæ animadverti jussit, Diplomate quod incipit: *Benigna operatio*, Tom. I. Bullarii Romani. Varias Eremitarum Congregationes, quarum aliæ sub nomine *Sancti Guillelmi*, aliæ *Joannis Boni*, aliæ sub aliis nominibus erectæ erant, sub eodem habitu ac Regula *Sancti Augustini*, ejusdémque Prioris Generalis regimine adunavit, anno MCCLVI. Diplomate quod incipit: *Licet Ecclesia Catholica.*

Stigmata S. Francisci.

II. Exscindendis Albigensium Hæreticorum reliquiis Apostolicam sollicitudinem adhibuit *Alexander* IV. Sacro Inquisitionis in universo Regno munere Priori Provinciali FF. Prædicatorum Franciæ, & Guardiano FF. Minorum Parisiensium demandato, rogante *Sancto Ludovico* Rege. Ad damnationem porro Hæreticorum, vel perpetuam incarcerationem, ipsos procedere jussit de consilio Episcoporum Diœcesanorum vel eorum Vicariorum, *Ut in tanta animadversionis Judicio*, inquit, *non postponenda Pontificum auctoritas intercedat.* (Epistola 752. libri I.) Priori FF. Prædicatorum Parisiensium jam antè commiserat auctoritatem exequendi Leges in Hæreticos latas, tam in Consiliis Legatorum Sedis Apostolicæ, quàm in Pactis olim conventis inter Ecclesiam Romanam & Regem Christianissimum ex una parte, & *Raymundum* quondam Comitem Tolosanum ex altera. (Epistola 245. libri I.) Ortas contra FF. Prædicatores & Minores in Academia Parisiensi turbas compescuit, ipsósque Magistrorum Collegio, è quo exacti fuerant, restituit, rescissis durioribus eorumdem Magistrorum secularium contra ipsos Statutis. Magnificis porro præconiis eamdem Academiam toto jam orbe Christiano celeberrimam exornat. *Quasi lignum vitæ*, inquit, *in Paradiso Dei, & quasi lucerna fulgoris in domo Domini est in Sancta Ecclesia Parisiensis Studii disciplina. Hæc quippe velut fœcunda eruditionis Parens, ad irrigandam sterilem orbis faciem fluvios de fontibus sapientiæ salutaris cum impetu foras mittens, ubique terrarum Dei lætificat civitatem, & in refrigerium animarum flagrantium siti justitiæ, aquas justitiæ dividit publicè in plateis. Ibi nimirum ordinatus est per providentiam Conditoris ad opus, ad custodiam, Doctorum Ordo præcipuus, ut ad vitæ fructum rationabilis creatura deducat affectum, ne in gustum mortis vetitâ veteris prævaricationis illecebrâ seducatur: Ibi humanum genus originalis ignorantiæ cæcitate deforme per cognitionem veri luminis, quæ scientia pieta-*tis

Sacræ Inquisitionis Officium contra Albigensium Reliquias FF. Prædicatoribus & Minoribus demandatum.

Academia Parisiensis Elogium.

tis sequitur, reddita visionis specie reformatur. Ibi præcipue dat Dominus Sponsæ suæ os, & sapientiam ac linguam mysticis eloquiis eruditam, cui resistere nequit omnis adversitas reproborum. (Epistola 277. libri I.) Accademiæ discordiam fovit, incenditque magis *Vuillelmus de Sancto Amore* libro adversùs Religiosos Mendicantes edito, quem *De Periculis Novissimorum Temporum* inscripsit. Libri examen selectis Cardinalibus, aliisque viris eruditis commisit Summus Pontifex. *Humbertum* Ordinis Prædicatorum Generalem Magistrum, & *Albertum Magnum* ejusdem Ordinis Doctorem Sanctissimum, necnon *S. Bonaventuram* Ministrum Generalem Ordinis FF. Minorum contra adversarios fortiter disputantes, invictisque argumentis errorum Capita confutantes audivit, ac demum Librum *Perniciosum & detestabilem, libellum non veritatis, sed mendacii, non eruditionis, sed derogationis; non monentem, sed mordentem; non instruentem veraciter, sed fallentem*, damnavit: utpotè perversa dogmata continentem *contra potestatem & auctoritatem Romani Pontificis, & Episcoporum: contra illos qui propter Deum sub arctissima paupertate mendicant, mundum cum suis opibus voluntariâ inopiâ superantes: contra eos qui salutem animarum zelantes ardenter, & Sacris Studiis procurantes, multos in Ecclesia Dei operantur spirituales fructus, contra Mendicantium Religiosorum statum*, &c. Hunc, inquam, Tractatum tanquam *iniquum, scelestum, & execrabilem*, & documenta in eo tradita *ut prava, falsa, & nefaria*, damnavit *Alexander* IV. jussitque, ut qui Libellum istum penes se haberent, illum infra octo dies comburerent, sub pœna Excommunicationis. *Alexandri* Diploma quod incipit, *Romanus Pontifex*, datum Anagniæ III. Nonas Octobris anno MCCLVI. Tom. I. Romani Bullarii editum est.

Guillelmi de Sancto Amore liber damnatus.

Cùm verò Accademiæ partem maximam in partes traxisset *M. Guillelmus*, Apostolica licèt auctoritate ex albo Doctorum expunctus, ac de ipsius restitutione tractatus haberent in singulis Comitiis, ut ab iis Viros excluderent Religiosos, ipsis Ecclesiasticas Censuras Summus Pontifex minatus est, nisi *Guillelmi* patrocinium desererent, pacémque cum FF. Prædicatoribus & Minoribus servarent; *Quorum*, inquit, *Sacra Plantatio sanctam fœcundat & venustat Ecclesiam. Et qui sicut merito religionis & vitæ decora membra universalis Ecclesiæ sunt censendi, sic eodem merito, & participatione doctrinæ, Universitatis vestræ debent pars non incongrua, nec indigna videri.* (Epistolis 162. & 197. libri v.) Posterior illa Parisiensem Academiam his verbis commendat: *Ex alto fuisse conspicimus Civitati Parisiensi provisum, quòd honorificata decore Studii Generalis, & tantorum Universitate Scholarium illustrata, præluceat orbis civitatibus, orbemque lucidum reddiderit sui luminis claritate. Ipsa quidem Universitas fons irriguus consuevit esse virtutum, universale speculum, Mater studere volentium, & Magistra scientiarum, ad singulos dona derivans, cunctósque illustribus radiis doctrinarum clarificans.*

FF. Prædicatorum & Minorum commendatio.

Parisiensis Academiæ commendatio.

III. Apostolicam beneficentiam in *Ludovicum* Regem Sanctissimum, totúmque Galliarum Regnum *Alexander* IV. explicuit, statuens ne Sedis Apostolicæ Legati, vel alii Præsules, ipsius Majestatem, Reginam, eorúmque Successores, Excommunicationis vel Interdicti Sententia configere possent. Regnum Franciæ his præconiis exornavit: *Sublime Regnum Franciæ, Solium præeminentiæ coruscans titulis, generositate, magnanimitate, ac strenuitate clarius cæteris & excelsius innotescit: sed dum Fidei suæ solem, devotionis ignem, & speculum operum, quibus præfulget, attendimus, aspicimus ipsum his tribus luminaribus copiosiùs radiare, & exempli fulgorem ad alios effundere potiorem.. Ex hoc generè susceptit Mater Ecclesia, & suscipit filios benedictionis & gaudii, filios factis & fama pollentes, filios opportuni auxilii & favoris.* Decem insuper dierum Indulgentiam contulit iis omnibus qui pro Rege preces funderent. (Epistola 349. Libri v.) Eumdem Regem præclaris laudibus ornavit Epistola 153. lib. III. qua ejus scrupulos circa aliquorum restitutionem bonorum, quæ an justè ad se pervenissent dubitabat, discussit, ejúsque eleemosynas restitutionis vicem subire declaravit, nisi certæ personæ occurrerent, quibus damna sua à Ministris aut copiis fortè illata restituerentur. *Honorii III. & Innocentii III.* Decreta contra Libertatem Ecclesiasticam opprimentes confirmavit *Alexander* IV. datis ad Archiepiscopos & Episcopos Gallicanos literis, quibus ipsos ad ejus defensionem hortatus est; *Ut Ecclesia Dei adversùs exteriores insultus muros fortitudinis habere probaretur, non parietes inclinatos.* (Epistola 496. libri v.) Presbyteros concubinarios Decretis coërcuit, prohibens ne quis ipsorum Sacris interesset. Designatorum Præsulum inaugurationem ultra semestre spatium differri vetuit. Ordinem Militarem *Sancti Lazari* Hierosolymitani, sub *S. Augustini* Regula confirmavit. Concilium Viterbii celebrandum indixit anno Pontificatûs septimo, pro Sacra Expeditione adversùs Tartaros in Ungariam & Poloniam irrumpentes decernenda, sed morte interceptus est, VIII. Kalendas Junii, cùm annos sex, menses quinque, & dies totidem Ecclesiam rexisset. Unicum creavit Cardinalem *Thesaurum Beccarium*, virum sanctum, Congregationis Vallis Umbrosæ Abbatem Generalem.

Alexandri IV. in Regem Francorum beneficia.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 87. & 88. Edit. primæ Religiosi Censores hæc reprehendunt: *Propositiones quibus explicatur Papæ Primatus, a Pontificibus approbata, quas aliis terminis defendit Clerus Gallicanus.... Qui eas propugnant, non censendi malè mereri de Sede Apostolica.*

R. Propositiones quasdam de Romani Pontificis Auctoritate, aliisque usu, Sedi Apostolicæ à Græcis oblatas, *Innocentius Quartus*, & *Alexander Quartus*, approbarunt, Facti res est, id Alexander Quartus testatur. An cum hic conveniat *Sacra Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ doctrina*, collatio illarum ostendit. Si re vera consentiant (ut ego quidem existimo) de Sede Apostolica non malè mereri certum est sacram Facultatem Parisiensem, & Ecclesiam Gallicanam, quæ doctrinam ab Innocentio Quarto Pontifice doctissimo, & Alexandro Quarto successore illius sanctissimo approbatam tuentur. Ut ut est, Gallicana Ecclesia in Fidei Dogmate cum Romana omnino consentit & concordat, scilicet in asserendo propugnandóque Romani Pontificis Primatu non solùm honoris, sed jurisdictionis, divino jure, in tota quà latè patet Ecclesia, instituto. Si quod in modo explicandi Pontificiæ Potestatis usum discrimen est, id ad humanas opiniones pertinet.

ARTICULUS VI.

De URBANO IV.

Post *Alexandri* IV. obitum, cùm Sedes Apostolica duobus mensis & duabus hebdomadibus vacasset, ob Cardinalium, qui octo duntaxat supererant, discordiam, extra Sacrum Collegium Pontificem eligere coacti, consentientibus suffragiis *Jacobum Trecensem*, ab Urbe Galliæ non ignobili nuncupatum, infimo genere ortum, patre scilicet *Pantaleone*, sutore veteramentario, sed virtutibus ac doctrina, per inferiores Dignitatum gradus, ex Trecensi nimirum Canonico, Archidiacono Laudunensi, & Leodiensi, ad Episcopatum Virdunensem, indéque ad Patriarchales Hierosolymitanæ

tanæ Ecclesiæ provectum Infulas, & Apostolica Legatione in Oriente, ac in Regionibus Septentrionalibus præclarè functum, in Sedem Apostolicam extulerunt, IV. Kalendas Septembris anno MCCLXI. qui pridie Nonas coronatus, nomen sibi sumpsit *Urbanus* IV. Graves ipsi curas peperere Terræ-Sanctæ a Saracenis illata clades; Constantinopolitani Latinorum Imperii à Græcis eversio; contendentium de Imperio Principum dissensio; & Siciliæ, aliarumque Provinciarum à *Manfredo* Tyranno infestatio. De Terræ-Sanctæ calamitate lugubres ad *Ludovicum* Galliarum Regem Sanctissimum literas dedit, ejusque imploravit auxilium. (Epistola 206. lib. II.) Centesimam quinquennalem, quam in Galliis, Rege Sancto consentiente, pro Christianorum Syrorum subsidio colligi jusserat, Tyrio Archiepiscopo, eam ob rem in Gallias misso, pendi mandavit. In solvendo ære subsidiario, cùm pro isto, tum pro Imperii Constantinopolitani negotio, difficiles admodum se præbuere Gallicani Præsules, quos Pontifex graviter increpuit. Ejus Epistolas apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum MCCLXIII. Num. XII. & XX. legere est.

Sacra expeditionis indictio.

Pro Constantinopoli è Græcorum manibus eripienda Sacram expeditionem indixit; cujus promulgandæ munus Ministro Provinciali FF. Minorum in Francia demandavit. (Lib. I. Epist. 129.) *Michael Palæologus* Græcorum Imperator, sive gratiæ radiis illustratus, sive ut Crucesignatorum imminentem sibi exercitum averteret, Ecclesiæ Græcæ cum Latina conjunctionem se vehementer optare, & pro viribus procurare velle significavit. Ejus Literas ac Oratores summa lætitia & humanitate excepit *Urbanus*, & ad ejus Majestatem quatuor ex Ordine FF. Minorum selectos misit Religiosos Viros, qui de sacræ unionis negotio cum ipso, Græcisque Præsulibus tractarent. (Epistola 158. lib. II. quam refert *Raynaldus* ad annum 1263. Num. 18) Anno sequenti, cùm ab eodem Imperatore Literas reverentiæ erga Sedem Apostolicam testes per Crotoniensem Episcopum accepisset, ipsi abolendi consilium Schismatis gratulatus est, misitque cum eodem Præsule duos Apocrisiarios, qui negotium promoverent. (Epistola 154. lib. III.) *Alfonso* Castellæ & Legionis Rege, & *Richardo* Angliæ Regis Fratre de Imperio contendentibus, neutri favere voluit, sed electionis utriusque merita discutere; utrumque interim Regis Romanorum Electi nomine decernens honestandum. (Epistolis 220. & 221. libri II.) Cùm verò in concilianda inter utrumque Principem concordia frustra laborasset, ac se Romanæ Ecclesiæ Judicio subjecissent, diem ipsis ad causam dirimendam constituit. Adfuere *Alfonsi* Regis Oratores, *Richardus* Princeps Procuratores nullos misit, sed moram excusavit, Anglicani Regni turbas causatus. Ampliationem Pontifex concessit. (Epistola 305. lib. III.) Et quia in illa dissensione quidam Germaniæ Principes *Conradinum* Friderici quondam Imperatoris nepotem, Cæsarem creare moliebantur, id intentato Anathemate prohibuit. (Epistola CII. lib. I. ad Regem Bohemiæ datâ.) Quod Res Siculas spectat, *Manfredum* in Campaniam cum Saracenorum auxiliaribus copiis irrumpentem, contracto Crucesignatorum Exercitu fugavit *Urbanus IV*. Jacobum Aragonum Regem ab ineunda cum ipso affinitate deterrere conatus est (Epist. 95. lib. I.) Qui cùm propriis rationibus Ecclesiæ bonum postposuisset, *Ludovicus* Rex Sanctissimus, cujus primogenito *Philippo Isabella* Aragonii filia desponsa erat, ea de re certior factus, hanc affinitatem Ecclesiæ studio respuit. Quamobrem ipsi gratulatus est *Urbanus IV*. Cujus Literas *Odoricus* ad annum MCCLXII. Num. XVII. refert. In iis hæc ad S. Regis commendatio-

Gratulatur Urbanus IV. Sancto Regi Ludovico IX. quòd Aragonii Regis affinitatem Ecclesiæ studio respuisset.

nem leguntur: *Dignè Petri Successor & Vicarius Jesu Christi, teste veritate fatetur, Te singulare suæ fortitudinis brachium: meritò te prædicat incommutabilem ac præcipuum Ecclesiæ Defensorem. Sicut enim Petrus, Jacobus, & Joannes à Domino in Montem Excelsum assumpti, & post Transfigurationem ipsius, apparentibus illis Moyse & Elia, tandem voce Patris auditâ timentes, in faciem ceciderunt, sed tacti & auditis per ipsum confortationis eloquiis, neminem nisi solum Jesum vidisse leguntur: Sic Nos & Fratres, ingruentibus diversarum procellarum fluctibus, & multiplicibus turbinibus tempestatum, quæ in hujus mundi pelago multoties concutiunt Petri navem, in altitudine cogitationis erecti, levamus in circuitu nostræ considerationis aciem: sed in urgentium necessitatum articulis, efficaciter Ecclesiæ assistentem Te solum singulariter intuemur.* Cùm Siciliæ Regnum Anglus à *Manfredi* Tyrannide eripere neglexisset, sed nec tunc valeret ob civile bellum quo flagrabat Anglia, illud in *Carolum* Andegavorum Comitem *S. Ludovici* Fratrem, de Cardinalium consilio transtulit anno MCCLXIII. de Angliæ Rebus interim plurimùm sollicitus, omnémque *Henrico* Regi ad eas componendas spondens opem: quam ob rem, & Legatum misit in Angliam, *Guidonem* Sabinensem Episcopum, & ad *Richardum* Regis Fratrem Literas scripsit, ut eum in officio fraterni amoris & obsequii contineret. (Epistolis X. & CLXXXIV. libri III.) *Carolum* Andegavorum Comitem, dum inter ipsum & Sedis Apostolicæ Legatum de conditionibus Regni Siculi suscipiendi ageretur, Romani Urbis Senatorem crearunt: quam electionem Pontifex confirmavit, certis conditionibus de consilio Cardinalium præscriptis, quarum præcipua hæc erat, Ne ad vitam summum Urbis Magistratum susciperet, sed quousque dumtaxat Siciliæ Regnum sibi subjecisset; ne Pontificis temporalis Romæ Principatus obscuraretur, ejusque imminueretur auctoritas. (Epistola 84. lib. III.) Ad debellandum *Manfredum* valido exercitu, ad exercitum conscribendum pecuniis erat opus; ideo decimam Ecclesiasticorum in Gallia redditûum Carolo assignavit Pontifex, *modò sine gravi scandalo Ecclesiæ Gallicanæ* id fieri posset. Ad reprimendos interea *Manfredi* conatus, dum spes erat advolaturum brevî *Carolum* cum Exercitu, subsidiariis *S. Ludovici*, & *Alfonsi* Pictaviæ Comitis fratrum suorum copiis adaucto, Legatos creavit, qui tuendis Ecclesiæ ditionibus invigilarent, & Cruce-signatorum copias contraherent, ad Saracenos, quos impius *Manfredus* immiserat, profligandos. Parta non absque miraculo victoria, *Urbanum*, & pios omnes recreavit, *Percivallo* Infidelium duce, alterius instar *Pharaonis*, Negræ fluminis aquis absorpto, cæsisque Germanorum Gibellinorum copiis. *Belam* Ungarorum Regem ab affinitate cum Tartaris contrahenda deterruit, intentato Anathemate. (Epistola CXI. lib. III.) S. *Richardum* Episcopum Cicestrensem in Anglia, in album Sanctorum retulit anno 1260. Diplomate quod incipit: *Exultet Angelica turba cælorum*. S. Richardi Vitam duplicem edidere PP. *Henschenius* & *Papebrochius* inter Acta Sanctorum mensis Aprilis; unam ex *Joanne Capgravio* acceptam, cujus Auctor Anonymus, alteram à F. *Radulpho*, Ordinis Prædicatorum scriptam. Inquisitorum hæreticæ pravitatis auctoritatem explicuit, confirmavit, Diplomatibus in Romano Bullario editis. Secundam Regulam sacris Virginibus Ordinis *S. Claræ*, priori quam S. *Franciscus* tradiderat mitiorem, & seneri sexûs infirmitati paulò magis accommodatam, tradidit, quam quæ profitentur Sanctimoniales, *Urbanistæ* propterea nuncupantur. Extat in Bullario Romano. Congregationem Montis Virginis, O. B. Privilegiis ornavit. Solemnitatem Sanctissimi

Carolo Andegavensi Comiti Siciliæ Regnum offert.

Ecclesiæ Gallicanæ scandalum cavere veretur. Urbanus IV. Tom. I.

Tom. 2.

Institutio Solemnitatis Sanctissimi Corporis Christi.

Sanctissimi *Corporis Christi*, Feria v. post Octavam Pentecostes, quotannis in Ecclesia universa ritu solemni celebrandam instituit, Diplomate quod incipit, *Transiturus de hoc mundo ad Patrem*, dato in Urbe veteri anno MCCLXII. Huic occasionem dedit cùm Miraculum quo sacramentales species in sanguinem versæ corporale sub Hostiæ forma intinxere, cùm in illud gutta vini consecrati, negligentiâ Sacerdotis, esset effusa: tum Revelatio olim facta Sanctæ *Julianæ* Leodiensi Virgini, secundùm quam, prævio gravissimorum Theologorum examine, & approbatione, scilicet Jacobi Archidiaconi Leodiensis, postea Summi Pontificis ipsius Urbani IV. *Guidonis* Cameracensis Episcopi, & *Hugonis à Sancto Caro* Provincialis Ordinis FF. Prædicatorum Franciæ, deinde S. R. E. Cardinalis; Leodiensis Ecclesia Sacram illam Festivitatem celebrandam susceperat. [illegible] de re legenda *S. Julianæ* Vita inter Acta Sanctorum mensis Aprilis a PP. *Henschenio & Papebrochio* edita, *Joãnis Diestemii* Prioris *S. Jacobi* Leodiensis Tractatus, apud *Bzovium*, ad annum MCCXXX. & *Joannes Chapeavillaus* Canonicus Leodiẽsis, in Tractatu *De origine Festi Corporis Christi*.

Cardinales ab Urbano IV. creati.

Summam in optimis ac eruditis Cardinalibus creandis adhibuit diligentiam *Urbanus IV*. In Sacrum Collegium cooptavit *Guidonem Grossum* Gallum, *Lumen Juris à Durando Speculatore* appellatum, ob singularia merita, primùm à *S. Ludovico* inter Comites Consistorianos conscriptum, deinde mortua uxore ad Archidiaconatum, postea ad Episcopatum Aniciensem, mox ad Archiepiscopatum Narbonensem promotum, ex quo ad Sabinenses Cardinalitias Infulas assumptus est, & postea Summus Pontifex fuit Clemens IV. *Henricum de Bartholomais*, aliàs *De Segusio* ab urbe natali appellatum, virum Juris utriusque peritissimum, *Guillelmi Durandi* Mimatensis Episcopi Magistrum, Sistaricensem Episcopum, deinde Archiepiscopum Ebredunensem, ex quo ad Ostienses Infulas assumptus est, eámque Summam Juris in Eminentissima Dignitate constitutus absolvit, quæ *Ostiensis* vulgò appellatur. Lugduni apud FF. Prædicatores sepultus est. *Rodulphum de Chevrieres*, Gallum, *S. Ludovici* Galliarum Regis Cancellarium, mox Episcopum Ebroicensem, deinde Cardinalem Episcopum Albanensem. *Simeonem Paltinerium*, Canonicum Paduanum, de quo cùm calumniæ quædam ad Sedem Apostolicam delatæ essent, vetuit ne Insignia sumeret, donec essent discussæ. *Ancherum*, Gallum, Trecensem, Archidiaconum Laudunensem, Nepotem suum. *Ubertum*, Astensis Ecclesiæ Archidiaconum, *Jacobum Sabellum* Nobilem Romanum. *Godfredum de Alatro*, Hernicum. *Guillelmum de Graio*, Gallum, Theologum Parisiensem, Archidiaconum Remensem, postea Lugdunensem Decanum. *Simonem Mompitium*, ex Bria oppido in Gallia natum; ex Thesaurario Turonensis Ecclesiæ, Pontificii Sacelli Sacerdotem, deinde Aniciensem Episcopum electum, quam ille Dignitatem recusavit. Huic suorum Privilegiorum confirmationem, cùm Legationem Apostolicam in Gallus obiret, debet Academia Parisiensis. *Guidonem*, Gallum, Cisterciensem Abbatem, quem *Virum Angelicum, virtutum & scientiæ splendoribus illustratum*, ipse Pontifex *Urbanus* IV. prædicavit, in Epistola ad Cistercienses. *Jordanum Pirontum de Comitibus*, Terracinensem. *Hannibaldum Hannibaldensem de Molaria*, in Sacra Facultate Pariensi Doctorem Theologum, Sacri Palatii Magistrum, Ordinis FF. Prædicatorum, Commentariorum in IV. Sententiarum libros Auctorem, *S. Thomæ Aquinati* familiarem. *Matthæum Rubeum Ursinum*, Nobilem Romanum. Beneficentiæ suæ ac pietatis unicum in patrio solo, urbe nimirum Trecensi reliquit Monumentum *Urbanus* IV. Ecclesiam sub invocatione S. *Urbani* Pontificis & Martyris Deo sacram, in qua duodecim Canonicos instituit, cum Decano, Thesaurario, & Cantore, ac Sedi Apostolicæ absque medio subjecit. Christianæ mansuetudinis egregium exemplum dedit *Urbanus* IV. iis à quibus captus & spoliatus olim fuerat, cùm Nuntii Apostolici munus in Germania obiret, injuriam remittens, & restitutionem condonans, ut constat ex ipsius Epistola ad Priorem Confluentini Conventus Ordinis FF. Prædicatorum, cui munus concedendæ ipsis Absolutionis demandavit. Incipit his verbis: *Gemma nulla splendidior in Summi Pontificis ornatu geritur, quam sit humilitas Regina virtutum.* Est 738. lib. III. eámque refert *Raynaldus* ad annum MCCLXIV. Num. XXX. Probos & doctos Præsules Ecclesiis præfici jussit, illiteratos qui ad Sacras Dignitates adrepserant, exauctorari. Cùm Ebredunensem & Narbonensem Archiepiscopos ad Cardinalitias Infulas promovendos Romam evocasset, rogarétque *S. Ludovicus* Rex Francorum, ut aliquandiu in Galliis morari ipsos permitteret, ut exortam inter *Margaretam* Reginam, & *Carolum* Andegaviæ Comitem Fratrem suum de Provinciæ Comitatu controversiam componerent, renuit Pontifex, respondens non deesse Regi alios insignes prudentia in politicis negotiis viros; istos verò Ecclesiæ Romanæ necessarios esse, cujus commoda propriis rationibus ejus Majestatem anteponere, compertum habebat. Cæterùm in Epistola ad Sanctum Regem data, quæ est 135. lib. I. Regnum Francorum hoc ornat præconio: *Hoc est Regnum, in cujus integritatis odore, prædicta Ecclesia in cæterorum ferè Regnorum, & Provinciarum orbis terræ scissuris afflicta, & animo fatigata respirat. Hoc est Regnum, cujus potentia eidem Ecclesiæ contra ejus persecutores in cunctis ipsius tribulationibus constantiâ semper adfuit inconcussâ. De hoc etiam Regno semper Reges prodiere Catholici, qui claris fidei & devotionis titulis præsigniti, Deo se gratos per sanctæ conversationis merita, & Ecclesiæ prædictæ acceptos pro obedientiæ promptitudinem exhibere multipliciter curaverunt.* Obiit *Urbanus IV*. Perusii sexto Nonas Octobris anno MCCLXIV. cùm annos tres, mensem unum, & dies quatuor Ecclesiam rexisset. Quæ de illo diximus, *Gregorii* Decani Bajocensis, & *Theoderici Vallicoloris*, Poëtæ coævi, qui ejus Vitam, ille soluta oratione, iste carmine, scripserunt, testimonio nituntur. Quæ Monumenta publici juris fecit *Papirius Massonus* in Vitis Romanorum Pontificum.

Regni Francorum Elogium.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag 97. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa timet scandalizare Clerum Gallicanum.*

R. *Urbanus Quartus* Carolo Andegavorum Comiti, S. Ludovici Fratri, Siciliæ Regi creato, ad debellandum Manfredum Siciliæ tyrannum, Decimam Ecclesiasticorum in Gallia redditRuum assignavit, modo *SINE GRAVI SCANDALO ECCLESIÆ GALLICANÆ* id fieri posset. Historiæ res est, ipsis Urbani Quarti verbis à me probata. Meritò timuit optimus Pontifex ne amplissimam & florentissimam Ecclesiam offenderet, qui sibi, ut Christianis reliquis metuendum esse intellexit, ne vel unum de pusillis qui in Christum credunt scandalizaret.

ARTICULUS VII.

De CLEMENTE IV.

CUm post *Urbani IV*. obitum Romana Sedes mensibus quinque vacasset, Pontifex electus est *Guido* Sabinensis Episcopus, qui sibi nomen

Carolus Andegaviæ Comes Rex Siciliæ inauguratur.

sumpsit, *Clemens IV.* Ipsum curæ multiplices ac gravissimæ exercuere. *Manfredi* tyrannidem, inprimis edomare aggressus, suscepta de transfundendo in *Carolum* Andegaviæ Comitem Siciliæ Regno à Prædecessore suo consilia urgere cœpit, & Simoni Cardinali Sedis Apostolicæ Legato injunctum ab *Urbano IV.* munus confirmavit Sacræ Expeditionis in Siciliam promovendæ, atque maturandæ. (Epistola 1. lib. 1.) Romam adiit, perruptis omnibus obicibus *Carolus*, moxque à Cardinalibus, quibus id munus Pontifex demandaverat, Regni Siculi investituram per vexillum accepit, initis solemnibus pactionibus, quas ex libro Privilegiorum Ecclesiæ Romanæ *Raynaldus* exscripsit ad annum 1265. Num. 14. & seq. A quinque deinde Cardinalibus cum *Beatrice* conjuge inauguratus est die sacra Epiphaniæ anno 1266. Publicum Instrumentum ea de re confectum ex MS. Codice Vaticano apud *Odoricum Raynaldum* legere est. Reportatam à *Carolo* novo Rege in Sicilia victoriam, deletos Gibellinos, *Manfredum* cæsum, ejus uxorem, filiósque ac præcipuos Duces captos, cùm accepisset Pontifex, Victori gratulatus est, Epistola 121. lib. 11. *Conradino* Regnum Siciliæ affectanti diem dixit, & contumacem Anathemate confixit. (Epistolis 17. & 403. lib. 111.) Cùmque res novas in Italia moliri pergeret, ac suis cum Gibellinis circumquaque grassaretur, cum omni Jure in Regnum Hierosolymitanum exuit, ejus fœderatos pariter anathemate perculit, ac in locis ipsi faventibus Sacrorum Justitium indixit. (Epistola 1. lib. 1v.) Interea *Carolum* Siciliæ Regem novis honorum titulis ornaverat, pacísque publicæ in Etruria Servatorem creaverat, quamdiu vacaret Imperium, ut Gibellinos edomaret; ut constat ex Epistola 18. lib. 111. & *Guillelmo de Thuringo* Ordinis FF. Prædicatorum Professori dederat in Mandatis, ut parere ipsius Majestati detrectantes censuris percelleret. Literas ea de re datas laudat *Odoricus Raynaldus* ex MS. Vallicellanæ Bibliothecæ. Siciliæ civitates plures ac oppida ad *Conradinum* defecere, *Friderico* Castellæ Regis fratre, *Ludovico* Bavariæ Duce, aliísque conjurationis facem prætendentibus, & cum Nuceriæ Saracenis irrumpentibus. Sed & *Henricus* Senator similis seditionis incentor in Urbe fuit. Quam ob rem à Pontifice excommunicatus & in ordinem redactus est: Senatoris munus ad *Carolum* translatum Siciliæ Regem, Romani in ejus verba jurare jussi. (Epistola 15. lib. 1v.) Non multò post Gibellinorum copiæ à *Carolo* in Sicilia fusæ, commisso prælio in Palentina planitie, quod acre diuturnúmque fuit. *Conradinus* & præcipui Duces in fuga intercepti, in vincula conjecti, capitísque sententia damnati sunt. Hunc finem habuit *Friderici* quondam Imperatoris stirps maledicta. *Henricus* Exsenator perpetuo carceri traditus est. Senatoris ornatus dignitate *Carolus*, Romam triumphali pompa se contulit, Senatoriæ possessionem iniens Dignitatis; moxque profligatis Ducum suorum operâ Gibellinorum in Sicilia superstitum reliquiis, Siculos in deditionem accepit. Incredibilem tam faustus nuntius *Clementi IV.* voluptatem attulit, dolore tamen mixtam, quòd cruenta nimiùm fuisset victoria.

Aliis etiam Regnis providit Optimus Pontifex. *Jacobi* Aragonum Regis, & *Alfonsi* Castellæ sacram in Saracenos Africanos Expeditionem, promovit, attributâ ipsis omnium redituum Ecclesiasticorum in suis Regnis centesima. *Bela* Ungariæ Rege auxilium contra Tartarorum incursus rogante, Sacram Militiam in Ungaria, Regnísque finitimis indixit, & Strigoniensi atque Colocensi Archiepiscopis dedit in mandatis, ut verbum Crucis cùm per se, tum per alios prædicarent. (Epistola 152. lib. 1.) Daniam intestino bello flagrantem, misso illuc Legato *Guidone* Titulo *Sancti Laurentii in Lucina* Presbytero Cardinali, pacare studuit. (Epistola 89. libri 1.) Ut civiles Angliæ motus sedaret, & ad colendum Regis imperium revocaret perduelles, *Ottobonum*, *Sancti Adriani* Diaconum Cardinalem, in Angliam, Vvalliam, Scotiam, & Hiberniam Legatum destinavit. (Epistola 38. libri 1.) Qui rebelles devinxit Anathemate. Regem etiam Christianissimum hortatus est, ut ad eam conjurationem frangendam Anglo auxiliares copias submitteret. Epistolam refert *Odoricus Raynaldus* ad annum 1265. Num 66. Accepto de calamitoso Syriæ statu, & Soldani Babylonii progressibus Nuncio, cùm cæteros Principes Christianos, tum maximè *Sanctum Ludovicum* ad succurrendum hortatus est. Sacræ Militiæ prædicandæ munus Priori Provinciali FF. Prædicatorum Franciæ, & [illegible] Minorum Ministris commisit. Literas *Raynaldus* refert ad annum 1265. Num. 43. S. Regi *Ludovico* gratulatus est, quòd ad rem Christianam instaurandam unâ cum tribus filiis expeditionem in Syriam vovisset: ipsique triennalem, ad alendum Militem, decimam attribuit. *Simoni* Titulo *S. Cæciliæ* Cardinali Apostolicam in Galliis commissu Legationem, ut pia Regis consilia promoveret. (Epistola 32. lib. 111.) Gallicanus Clerus æquissimam exactionem ægrè tulit: Oratores misit ad Sedem Apostolicam ut onus excuteret. Hi prætextas rei Christianæ clades in decimarum exactionem invidiosè derivarunt: minati sunt rebellionem, censuris etiam fulminantibus. At eorum minas gravioribus Pontifex retudit. *Procuratores vestri*, inquit, *de vestro speciali, ut dixerunt, mandato, ad quod implendum se suis juramentis obligaverant, coram nobis & nostris Fratribus imprudenter effundere, immo potius impudenter evomere præsumpserunt. Primo quidem quòd vobis elegeratis potiùs excommunicationum sustinere sententias, quàm nostris circa hujusmodi obedire mandatis; adjicientes secundo ad prædicti confirmationem erroris, jam apud vos infixam & immobilem transisse sententiam, quod non cessaret exactio tributorum donec cessaret devotio subditorum. O miserabilis, nedum mirabilis in personis tam gravibus temeraria præsumptionis audacia, quæ salutis prope prodiga, & in ejus detrimentum armata, obedientiæ, quæ cunctis victimis est præstantior, Anathemata præponit; & abbreviatam adeo manum judicat generalis Vicarii Jesu-Christi, ut non post contemtas suas sententias habeat ultra quid faciat: Qui tamen & contemtores hujusmodi privare potest habitis beneficiis, & inhabiles reddere ad habenda; deponere, degradare, & exequi quod statuit, invocato brachio seculari, ut si cessat subditorum devotio, non dormitet coercitio contemtorum. Quanquam illa terrere plus debeat executio contumaces, quam in cœlis Ille prosequitur, qui ligatum apud se reputat, quod à suo Vicario, exigente justitia, ligatur in terris.* Denique ipsis meritò exprobrat, quòd in Sancto Rege juvando Laïcis inferiores essent, qui non modò pecuniam, sed sanguinem ipsum profundebant. Epistolam *Clementis* refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCLXVII. Num. LV. Etsi verò in Sanctum Regem propensissimus esset, quòd natione Gallus, & ab ejus Majestate inter Sacri Consistorii Comites olim adlectus, & ob egregia tanti Principis in Ecclesiam merita, sic tamen erat affectus, ut ejus non annueret postulatis, nisi æquitate niterentur. Unde ad ipsum scripserat statim post electionem suam: *Probrosum Tibi non reputes nostra ac tuæ honestatis intuitu, pati in aliquibus Te repulsam, qui legisse Te recolis & audisse, Vas electionis præclarum, Apostolorum Principis Coapostolum, non auditum petitione tertiò repetitâ.* (Epistola 12. libri I.)

Clemens IV. Principes Christianos ad bellum sacrum hortatur; maximè S. Ludovicum Francorum Regem.

Cùm Narbonensis Archiepiscopus hæreseos famâ aspersus fuisset, delatúsque quasi in Curia Romana

mana degens dixisset, Corpus Christi in Eucharistia *essentialiter* non esse, sed tantùm sicut *signatum sub signo*; & hanc celebrem esse Parisiis opinionem adjecisset, ipsum arguit, dicta revocare, & recta sapere jussit *Clemens IV*: Ille Apologeticum Libellum ad Pontificem dedit, & calumniam Fidei suæ expositione diluit. Pontificis & Archipræsulis Literas refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCLXVII. Num. XXXV. & XXXVI. Eadem tempestate *Thidericus Bavarus*, Hamaburgensis Canonicus, publicè docere ausus fuerat, I. *Quòd corpus Christi non sit in Sacramento Altaris, vere & propriè, sed significativè.* II. *Quòd non sumitur corporaliter, sed spiritualiter.* III. *Quòd aperitur cœlum, & descendunt Angeli, & species rapiuntur in cœlum, & ibi fit Transsubstantiatio.* Qua de re certior factus Pontifex, Archiepiscopo Bremensi jussit, ipsum ad ejurandos publicè errores adigeret, contrariúmque fidei dogma prædicandum. Si verò redire contingeret ad ingenium, vinctum Romàm mitteret. Epistolam *Clementis IV.* refert *Raynaldus* ad eumdem annum Num. XV.

Puritati fidei conservandæ invigilat Clemens IV.

Controversiam de Imperio, quæ ad Apostolicam Sedem sub *Urbani IV.* Pontificatu delata fuerat, *Clemens IV.* dirimendam suscepit. *Richardus* Henricum filium majorem-natu Instrumentis omnibus ad probandam causæ suæ æquitatem munitum miserat. *Alfonsus* Rodolphum instituerat Procuratorem, sed is nudis verbis electionis ipsius merita tuebatur. Quam ob rem jussit Pontifex ut stata die argumenta suæ causæ authenticis Instrumentis firmata depromeret. Ad audiendos verò testes, Francofurtum in Germania, in Galliis Parisios, in Italia Bononiam, in Hispania Burgos designavit. (Lib. III. Epistolis 4. 13. 14. & 15.) Peremtorium subinde terminum, *Alfonso* Castellæ Rege rogante, produxit, quòd Silvensis Episcopus, ejus Orator, cui Instrumenta ad causam fulciendam tradiderat, à prædonibus occisus esset; Oratorum alter morbo afflictus, & in oppido, cui *Podio Bonisii* nomen, longa obsidione conclusus fuisset. (Lib. IV. Epistola XVI.) Comperendinationem ægrè tulere Principes Electores, de novo Rege Romanorum eligendo iniere consilium, *Othocarum* Bohemiæ Regem de celebrandis Comitiis interpellantes. Pontificem consuluit *Othocarus* Romanæ Ecclesiæ devotissimus Princeps. Vetuit ille novam electionem celebrari. Si fieret, irritam dixit. *Clementis IV.* ad Bohemiæ Regem Literas ex Vallicellano Codice *Raynaldus* refert ad annum MCCLXVIII. Num. XLIII.

Tractat de Ecclesiæ Græcæ cum Latina conjunctione.

Auditis *Michaelis Palæologi* Græcorum Imperatoris Oratoribus, idem Pontifex habitum sub *Urbano IV.* de Unione utriúsque Ecclesiæ tractatum instauravit, missa ad ipsum Fidei expositione, quam, utpote *Doctrinæ Evangelicæ consonam, a SS. Patribus traditam, & Romanorum Pontificum in suis Synodis definitione firmatam*, retractari vetuit, etiam in Synodo Orientis. *Clementis* Literas ad Imperatorem & Patriarcham Græcorum refert *Odoricus Raynaldus*, ad annum MCCLXVII. Num. LXXII. & LXXX. Ad negotium autem promovendum, Viros Religiosos ex Prædicatorum Ordine Apocrisiarios misit Constantinopolim, quos à Magistro Generali ejusdem Ordinis designari voluit. Epistola 333. Tom. II. cujus fragmentum exhibet *Raynaldus* ad eumdem annum, Num. LXXXI.

Aragonum Regi dissuadet ob conjugis lepram matrimonii potestatem negat.

Regi etiam Aragonum *Jacobo* victoriam de Saracenis Granatensibus reportatam gratulatus est, ejúsque Majestatem est hortatus, ne tantorum victor hostium à libidine vinceretur, suámque gloriam adulterii labe contaminaret, (Epistola 215. lib. II.) Cúmque *Therasiam* conjugem lepra infectam esse exposuisset, ac propterea contractum dissolvi rogasset Matrimonium, iniqua postulata constantissimè repulit integerrimus Pontifex. *Sustine*, inquit, *manum Domini: quam fortuitus casus induxit, culpæ non imputes patientis. An credis, si omnes Reginæ per mundi climata constitutæ, leprosæ fierent, daremus Regibus ob hanc causam licentiam cum aliis mulieribus contrahendi? Scias pro certo, quòd omnes & singuli pateremur repulsam, etsi Domus Regia, nulla prole superstite, in radice propriis aresceret, & in ramis. Ea propter (Fili carissime) Deum habens præ oculis, illum benignissimum Regem Franciæ, cum quo tibi amicitiam copulasti, tibi statuens in exemplum, vide quantum in diebus ejus processeris.* (Epistola 146. lib. II.)

Ad continentiam proposito S. Ludovici Regis Francorum exemplo hortatur.

Hedwigem Poloniæ Ducissam in Sanctorum album retulit, anno 1267. Diplomate quod incipit, *Exultat.* Ordines Religiosos multis gratiis ornavit, de quibus legenda Bullaria. Admirabilis fuit *Clementis IV.* modestia, qui cùm in summis temporum difficultatibus Ecclesiasticas opes pro Ecclesiæ utilitate profunderet, in suos tantùm propinquos beneficia temperabat. Nepotem pristina fortuna contentum esse jussit; Neptem mediocris conditionis viro collocari; quemquam suorum ad se accedere, & preces illas commendatitias sibi porrigere vetuit. Epistolam tanti Pontificis pietate gloriosáque humilitate dignam, quam ad *Petrum Grossum de Sancto Ægidio* nepotem suum dedit, etsi in Ecclesiasticis *Odorici Raynaldi* Annalibus edita sit, prætermittere non possum, quin huic Operi velut monile pretiosum inseram: *Multis*, inquit, *de nostra promotione gaudentibus, nos soli sumus, qui certius immensitatem oneris experimur; Et ideo quod aliis gaudium, nobis met tum subministrat & fletum. Sanè ut scias qualiter his auditis debeas te habere, scire te volumus, quòd humilior debes esse: Neque enim quod nos vehementer humiliat, nostros debet extollere, maximè cum honor seculi momentaneus sicut ros transeat matutinus. Nec ad nos te, vel fratrem tuum, vel de nostris aliquem venire volumus sine speciali mandato, quia spe sua frustratos, si secus præsumerent, oporteret redire confusos. Sed nec in tuæ sororis nuptiis gradum quæras propter nos altiorem: quia nec nos haberes propitios; nec in aliquo adjutores. Si tamen eam cum filio simplicis Militis desponsaveris, in trecentis Turonensibus argenti tibi proponimus subvenire: & si altiorem quæras, nec à nobis denarium speres unum: & hoc ipsum secretissimum esse volumus, & tibi & matri solummodo esse notum. Illud etiam scias quòd nullum, nullamque de sanguine nostro, sub nostræ sublimitatis obtentu inflari volumus: sed tam Mabiliam, quàm Cæciliam illos viros habere volumus, quos haberent si essemus in simplici Clericatu. Giliam visita, & dic ei quod locum non mutet, sed remaneat apud Susam, & omnem maturitatem & habitus honestatem observet, & preces pro aliquo non præsumat assumere: nam ei pro quo fierent, essent inutiles, & ipsis qui rogaverint, damnosa: & si per aliquos ex hac causa munera offerantur, ea respuat; si vult nostram gratiam obtinere.* Duas ejus filias innuptas mansisse ob tenuitatem dotis, quòd eas ex patrimonio Crucifixi dotare nollet, S. *Antoninus* tradit III. Parte Chronici Tit. XX. Cap. I. §. XI. *Platina* verò, unam nupsisse marito suæ conditionis, cui trecentas libras Turonenses dotis nomine numerari jussit, ea conditione ne quid umquam ampliùs peteret; alteram Sanctimonialem fuisse. Ejus animi magnitudinem præclaræ hæ ostendunt sententiæ. *Ab omni extorsionis & quæstûs specie abstinemus: Nec divitiæ nos sibi subjiciunt, quas nunquam nobis permisimus dominari: immò quod latè referimus, quem servum habere nequeunt, & comitem dedignantur.* (Tom. 2. Epistolis 12. & 65.) Ipsum Juris peritissimum fuisse, Concionatorem facundissimum, Cantorem egregium, summæ virum abstinentiæ,

Clementis IV. moderatio, in suos tantum propinquos beneficia temperantis.

qui à carnium esu temperaret, asperrimo cubaret lecto, lineis ad carnem non uteretur, summam in cæteros benignitatem exerceret, omnes denique Sanctissimi Pontificis expleret numeros, *Jordanus* & *Ptolomeus Lucensis* testantur. Obiit Viterbii in Vigilia *S. Andreæ* anno MCCLXVIII. & in ea urbe apud FF. Prædicatores sepultus est. Annis tribus, mensibus novem, diebus viginti-quinque Ecclesiam rexit. Non omittendum quod *Platina* de ipso commemorat, ejus Nepotem Clericum fuisse, quem » ubi comperit tres Præbendas habere, optionem » facere compulit, ut quam vellet ex his retineret, » duas relinqueret. Verùm instantibus amicis, non » solùm quæ habebat, nepoti dimitteret, sed ma- » jora & plura tribueret, respondit vir sanctissimus, » se Deo, non autem carni & sanguini acquietu- » rum. Deum ita velle, ut sua in pias causas ero- » garentur, nec esse dignum Petri Successorem, » qui plus cognationi, quàm pietati & Christo » tribueret. *S. Thomæ* Aquinati Neapolitanum Archiepiscopatum obtulit; quem eximia humilitate recusavit Doctor Sanctissimus. Cardinalem renunciasse legitur unicum, *Bernardum Aiglerium*, natione Gallum, Saviniacensem primùm, deinde Lirinensem, ac demum Casinensem Abbatem.

ARTICULUS VIII.

De GREGORIO X.

Gregorius X. per compromissum Electus.

CUM ob Cardinalium varia contrariáque studia Sedes Apostolica, post *Clementis IV.* mortem, annos duos, menses novem, & dies duos vacasset, Cardinales omnem suam novi eligendi Pontificis auctoritatem in sex è Collegio, edito Compromisso refuderunt. Qui *Thealdum*, Placentinum, Archidiaconum Leodiensem, tunc agentem in Syria cum Christiano Exercitu, elegere; levis quidem literaturæ, sed singularis prudentiæ, ac eximiæ probitatis virum: quamvis Cardinalis non esset, immò nec Episcopus. Peracta est electio Kalendis Septembris, anni MCCLXXI. & summo cæterorum Cardinalium consensu approbata. Accepto electionis Decreto, & urgentibus Cardinalium Literis, in Occidentem navigavit, in Italiam appulit, Romæ anno MCCLXXII. VI. Kalendas Aprilis inauguratus est. Synodum Oecumenicam indixit anno Pontificatus primo, datísque ad *Michaelem Palæologum* Græcorum Imperatorem literis, pium illius studium pro unionis negotio commendavit. (Epistola 37. libri 1.) Indictam Synodum celebravit Lugduni anno 1274. Nonis Maii: in qua Græci Spiritus Sancti à Patre Filióque Processionem festis vocibus agnovere; Christianis contra Saracenos se conjunxere Tartari: Terræ Sanctæ Decreta sunt auxilia: saluberrimis Decretis sancita disciplina est. Miserat paulò antè *Alphonsus* Hispaniæ Rex Oratores ad *Gregorium*, Aldemarum Ordinis Prædicatorum Professorem, & *Fernandum* Canonicum Zamorensem, qui Imperii Insignia ejus conferri Majestati postularent. Responderat Pontifex, controversiam dirimi non posse, nisi *Richardi* Electoribus vocatis & auditis. (Epistola 35. libri 1.) At Lugdunensis tempore Concilii, è re Ecclesiæ esse judicavit, *Rodulphi* Romanorum Regis electi Oratores ad Sacramenta ejus nomine nuncupanda, ac Privilegia Romanæ Ecclesiæ à veteribus concessa Imperatoribus confirmanda admittere. Declarationem ab iisdem exegit electi Regis nomine, Siciliam Imperio non esse obnoxiam, quæ à Præsulibus Germaniæ confirmata est. Eadem promissa Lausanæ coram Pontifice confirmavit *Rodulphus* anno 1275. Eundem Principem paulò post Romanorum Regem confirmavit, ipsique insignia Imperii pollicitus est, & cæteros Principes ipsi conciliare studuit. *Alphonso* imprimis Castellæ Regi suasit, ut Imperii juribus cederet, cùm *Rodulphus* ab omnibus Electoribus, uno excepto, creatus esset, ac Aquisgrani coronatus, summáque pace regnaret in Germania, quæ non erat in grave Christianæ rei dispendium perturbanda. Si cederet, omnium Ecclesiasticorum in suis ditionibus redituum decimam ipsi ad sexennium attributum iri, ad bellum contra Saracenos Africæ conficiendum. Qui cùm Imperii nihilominus retineret Insignia, Pontifex Hispalensi Archiepiscopo dedit in Mandatis, ut incusso Censurarum terrore ipsum à cœptis abduceret. Cessit tandem Anathematis metu Rex Catholicus. Italiæ Provinciis ac civitatibus pacandis, & Gibellinorum Guelforúmque factionibus extinguendis, totis viribus studuit prudentissimus Pontifex, ut omnium arma in hostes fidei stringerentur. Concordiam inivit Florentiæ, antequam in Gallias ad celebrandam Synodum se conferret: sed Præfecti, quem *Carolus* Siciliæ Rex in Etruria constituerat, imprudentiâ, & nimis quas Gibellinis intentavit, statim abrupta est. Parinum contumacia *Gregorium X.* impulit Florentiam ut subjiceret Interdicto. Rex Cypri *Hugo e Lusiniano* & *Maria* Boëmundi Principis Antiocheni filia de Regno Hierosolymitano contendebant. Illa gravissimè conquesta est hunc titulum à *Gregorio* fuisse Æmulo suo collatum. Rescripsit Pontifex, non fuisse sui consilii, ea appellatione Cypri Regi attributa, ipsius jura infringere ac labefactare. (Epistola 3. libri 1.) Nazareno Archiepiscopo, & Panneadensi ac Bethleemitano Episcopis jussit ut in utriúsque jura inquirerent, instructámque litem ad Sedem Apostolicam transmitterent. (Epistola 10. libri 1.) Transfudit postea *Maria* sua in Regnum Hierosolymitanum jura in *Carolum* Siciliæ Regem. Unde id nomen Siculis Regibus adjunctum est: inane quidem, cùm nec ipse Regnum illud vindicare potuerit bellis difficillimis implicitus, nec alii post ipsum hosti eripere ausi fuerint, umbrâ solâ contenti. *Gaufrido de Bello Loco* Ordinis FF. Prædicatorum Professori, qui *Sancto Ludovico* Francorum Regi annis viginti à Confessionibus fuerat, jussit ejus Vitam conscriberet (Epistola 8. libri 1.) *Philippum III.* Regem Christianissimum ad subsidiarias copias in Syriam submittendas adhortatus est, Epistola 33. libri II. Gratias ejus Majestati maximas habuit, quòd Venusinum Comitatum, ad se à patruo *Alphonso*, qui *Raimundi* Tolosani Comitis filiam duxerat, cum ditione reliqua devolutum, quem Romana Ecclesia sibi jure debitum contendebat, rogante Legato Pontificio, eidem Ecclesiæ tradidisset. (Epistola x. libri II.) Eidem Regi gratulatus est, quòd sumtis Crucis Insignibus, sacram Expeditionem in Syriam adornaret: illique Gallicani Cleri decimas attribuit, & *Simonem* Titulo *Sanctæ Cæciliæ* Presbyterum Cardinalem in Galliis Legatum creavit, ut Fideles Cruce insigniret. (Epistolis 17. & 19. libri III.) Pisanos ob secutas olim *Conradini* partes Anathemate confixos, & Sacris prohibitam civitatem, Ecclesiæ reconciliavit, misso eam ob rem *Joanne Viterbiensi*, Ordinis FF. Prædicatorum Professore, Apostolica auctoritate instructo. Pactionem inter Norvegiæ Regem & Nidrosiensem Archiepiscopum confirmavit idem Pontifex. *Alphonsum* Lusitaniæ Regem ob violatam Ecclesiæ libertatem, severè corripuit, & hanc basim esse docuit Regnorum. *PRÆ COETERIS REBUS*, inquit, *QUIBUS CHRISTIANA REGNA FUNDANTUR, SOLIDIUS EST TUTELA ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS*

Synodum Generalem Lugduni celebrat.

Rodulfi Imperatoris electionem confirmavit.

Ecclesiasticæ Libertatis tutelam, Regnorum basim esse docet Gregorius X.

LIBERTATIS. Cùm enim eadem Libertas sit Fidei munimentum, & Fidei religio societatis humanæ sit vinculum, quo populorum multitudines sub Principibus continentur, Libertatis ipsius, quod absit, Privilegio violato, perfidiæ patebit insultibus immunitum fidei fundamentum. Ideòque hostis humani generis dolosa malignitas superiorum invida Potestatum, dum ad præcipitanda principalia Culmina studio iniquæ intentionis aspirat, sciens se in obruendo civilis regiminis Principatu prævalere non posse, quamdiu Legibus reverentiam libera Divini & Ecclesiastici cultûs Religio subministrat, primùm Principum oculos vesani consilii præcantatione perstringit, quo eis bonum videtur & male, tamquam oppositam votis suis Ecclesiasticam subvertere Libertatem. Primus Romanorum Pontificum in Palatio Apostolico piarum largitionum Præsidem constituit *Gregorius X.* & huic muneri Fratrem Laïcum ex Ordine Dominicano præfecit, quem è partibus transmarinis secum duxerat. Ita refert *Ptolomæus Lucensis*. Inter Cardinales ab ipso creatos celeberrimi fuere *Vicedominus de Vicedominis*, ejus nepos, ex Ordine FF. Minorum ad Aquensem Archiepiscopatum assumptus, inde verò ad Prænestinum Episcopatum translatus: *S. Bonaventura* ejusdem Ordinis, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus ac Professor, & totius Ordinis Seraphici Generalis Minister, Eboracensis olim Archipræsul designatus, Cardinalis Episcopus Albanensis; *Petrus de Tarentasia*, Ordinis Prædicatorum, in Academia Parisiensi Sacræ Theologiæ Doctor & Professor, ex Lugdunensi Archiepiscopatu ad Ostiensem translatus: *Bertrandus a Sancto Martino*, Gallus, ex Arelatensi Archiepiscopo, Cardinalis Episcopus Sabinensis: *Theobaldus de Ceccano*, Italus, Abbas Fossæ Novæ, Ordinis Cisterciensis, &c. Obiit Sanctus Pontifex die decima Januarii anno MCCLXXVI. Aretii, cùm sedisset annos ab electione quatuor, menses quatuor, & dies decem; à consecratione tres annos, novem menses, quindecim dies. Miraculis post mortem claruisse, *Ptolomæus Lucensis*, *S. Antoninus*, & Aretinæ Ecclesiæ Monumenta testantur, necnon Vaticanus Codex à *Bzovio* laudatus. Sacris honoribus dignus judicatus est à Congregatione Rituum.

Cardinales ab ipso creati

ARTICULUS IX.

De INNOCENTIO V.

HADRIANO V.

Et JOANNE XXI.

Innocentius V.

I. JUSTIS *Gregorio X.* persolutis à Cardinalibus in Conclavi inclusis, secundùm legem ab ipso in Synodo Lugdunensi latam, electus est Summus Pontifex *Petrus de Tarentasia*, Episcopus Ostiensis, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus, vitæ integritate, & eruditione præcellenti, quam ejus Opera testantur, celeberrimus, qui sibi nomen sumsit, *Innocentius V.* Dissidentes Genuenses ad mutuam concordiam revocare conatus est. Lucanos inter & Pisanos pacem conciliavit. Hispalensi Archiepiscopo dedit in mandatis ut sacram Militiam contra Saracenos Africæ, in Aragoniæ Regno promulgaret. Ovetensi Episcopo urgendi solutionem decimarum *Alfonso* Castellæ Regi in subsidium belli sacri, munus imposuit. Majora pro rei Christianæ amplificatione, defensione, ac ornatu meditabatur Optimus Pontifex, cùm spes ingentes ab Ecclesia de illius regimine conceptas, mors acerba præcidit anno ipso MCCLXXVI. die XXII. Junii, sexto mense Pontificatûs per unum alterùmve diem inchoato. In Lateranensi Basilica sepultus est, *Carolo* Siciliæ Rege ipsius exequias honestante.

Adrianus V.

II. *Innocentio V.* substitutus est *Ottobonus*, patria Genuensis, Titulo *Sancti Adriani* Diaconus Cardinalis, qui propterea sibi nomen sumsit *Adrianus V.* Obiit Viterbii, altero ab electione sua nedum expleto mense, cùm nondum Sacerdos consecratus esset, die XVIII. Augusti, in eadem urbe apud FF. Minores sepultus. Constitutionem *Gregorii* de Conclavi Cardinalium ipsum suspendisse testatur ejus Successor *Joannes XXI.*

Joannes XXI.

III. *Adriano V.* successit *Petrus Juliani*, patria Lusitanus, Cardinalis Episcopus Tusculanus, qui sibi nomen elegit, *Joannes XXI.* Eximiæ vir doctrinæ fuit, præsertim in Physicis & re Medica, prudentiæ gravitatisque minoris quàm in tanta Dignitate par esset. Suspensionem Gregorianæ Constitutionis de Cardinalium Conclavi à Decessore suo decretam confirmavit. Paucis post Inaugurationem diebus, *Carolus* Siciliæ Rex Clientelaris Principis officia ipsi detulit. Editas ea de re Tabulas exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCLXXVI. Num. XXXVIII. *Philippo* Galliarum, & *Alphonso* Castellæ & Legionis, Regibus, mutuo bello Syriacam expeditionem, quam *Philippus* moverat, retardantibus, inducias imperavit *Joannes*, Concilii Oecumenici Lugdunensis Decretum exsecutus. Misit Religiosos viros *Hieronymum* Ordinis FF. Minorum Generalem Ministrum, & *Joannem de Vercellis* Ordinis Prædicatorum Magistrum Generalem, qui Reges ad pacem hortarentur. Quin etiam *Simoni* Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato, in mandatis dedit, ut Censurarum terrore ipsis arma extorqueret. *Petro* Aragonum Regi decimas ad propulsandos Mauros in Regnum suum irruentes attribuit, Epistolis 143. & 144. libri I. *Guidoni* Flandriæ Comiti, & Marchioni Namurcensi, qui Syriæ defensioni arma consecrarat, decimas Belgicas pariter concessit (Epistola 102. libri I.) Datis ad *Stephanum* Parisiensem Episcopum Literis, jussit in auctores errorum inquireret, quos nonnulli Scholastici in Parisiensi Academia diffundebant: ac se dolere vehementer significavit, quòd novi errores Parisiis pullulassent, *Ubi fons vivus sapientiæ salutaris abundanter hucusque scaturierat, suos rivos limpidissimos, fidem patefacientes Catholicam usque ad terminos orbis terræ diffundens.* Lusitaniæ Regem, ne Libertatem Ecclesiasticam læderet, amantissimis literis hortatus est. Ad *Michaelem Palæologum* Græcorum Imperatorem Legatos Apostolicos misit, *Jacobum* ac *Salvium* Ordinis FF. Prædicatorum Professores, qui ipsum ad Sanctæ Unionis opus consummandum & corroborandum Pontificio nomine hortarentur. Paruit Imperator, juratam suis ab Oratoribus in Synodo Lugdunensi Unionem, sacramento coram Legatis confirmavit, ut constat ex ipsius Literis ab *Odorico Raynaldo* relatis ad annum 1277. Num. XXI. Vacantem Sedem invenere Legati reduces. Obierat enim tam infœlici quàm inopinata morte *Joannes XXI.* solutâ cameræ suæ contignatione inter ligna & lapides collisus, & sex duntaxat dies post casum vixerat. Ipsum hoc genere mortis expiasse nimium sui amorem ac incredibilem in se ipso ac sua dignitate complacentiam, quippe qui cameram illam intrans sese in speculo toties quoties intuebatur, & indigna levitate solvebatur in risum, tradit *Ptolomæus Lucensis*, cui *Jordanus*, *Martinus Polonus*, & *Bernardus Guido* consentiunt. Obiit Viterbii, hebdomade Pentecostes, quæ anno MCCLXXVII. mense Maio celebrabatur, & in Ecclesia *Sancti Laurentii* sepultus est. Unicam pene in ipso virtutem commendat

Parisiensis Academia fons vivus sapientiæ salutaris.

Ptolomæus Lucensis, quòd Pontificiæ Dignitatis fastigium lubens demitteret ad colloquendum cum viris quibusque literatis, etsi pauperes & ignobiles essent, illos complecteretur, foveret, beneficiis cumularet. Cardinalem creavit unicum, *Erardum de Lesigniis*, seu *Lisingiis*, natione Gallum, Diœcesis Lingonensis, Episcopum Autisiodorensem, cùm fui è Romam ad tuenda contra Comitem Ecclesiæ suæ jura profectus esset.

ARTICULUS X.

De NICOLAO III.

PROTRACTA post *Joannis XXI.* obitum ad sex menses Pontificis electione, ob studia partium, quæ Cardinalium libertate fovebantur, abrogatâ nimirum Gregorii X. Constitutione de Conclavi, tandem electus est *Joannes Cajetanus*, Romanus, ex Ursina domo, cui adhuc infantulo *S. Franciscus* supremam à Deo auguratus fuerat dignitatem. Diaconus erat Cardinalis *S. Nicolai in Carcere Tulliano*, à quo nomen sibi sumpsit, *Nicolaus III.* Ingenuus animi, & singularis in rebus gerendis prudentiæ vir fuit, eâque morum gravitate præditus, ut vulgò *Compositus* diceretur. Electus est die *S. Catharinæ* Martyri sacra, die verò *S. Stephani* Protomartyris inauguratus, anno MCCLXXVII. *Rodulpho* Regi Romanorum, & *Carolo* Siciliæ, bellum meditantibus pacem impetravit. Cessit Etruria *Carolus*, quam ut publicæ pacis Servator, Imperio vacante, moderabatur. Urbis etiam Imperio, quod Senatorio nomine à *Clemente IV.* acceperat,

Caroli Siciliæ Regis elogium.

discessit jubente Pontifice, qui singularem ipsius modestiam cum tanta potentia conjunctam suspexit, commendavit: *Felicitatem*, inquit, *Carolus habet à Domo Franciæ, ingenii perspicacitatem à Regno Hispaniæ, discretionem verborum à frequentatione Romanæ Curiæ. Alios possemus superare, istum autem non poterimus.* Urbis administrationem ad Romanos Pontifices revocavit, prohibuitque solemni Constitutione, Senatoriam Dignitatem Regibus aut Principibus exteris deferri, & annuum fore deinceps edixit Magistratum. (Epistola 76. lib. I. VI. Decretal. inserta, Tit. *De Electione & Electi potestate* cap. *Fundamenta*.) *Rodulfus* Cæsar universa Romanæ Ecclesiæ Privilegia & Donationes à priscis Imperatoribus factas Diplomate confirmavit, misitque Oratorem ad *Nicolaum III.* F. Conradum Ministrum Provincialem FF. Minorum superioris Germaniæ, qui eas nomine suo ratas haberet, assentiretúrque ut Pontifex omnem illam ditionem Sedi Apostolicæ vindicaret, quæ Imperialibus Diplomatibus tum confirmatis exprimebatur. Publicas ea de re Tabulas ex Vaticana & Vallicellana Bibliotheca descriptas apud *Odoricum Raynaldum* legere est ad annum MCCLXXVIII. Num. XLVII. seq. Cúmque paulò post *Rodulfus* Imperialis Scrinii Præfectus, in Italiam cum potestate missus, Ecclesiasticæ ditionis populos in verba Imperatoris Sacramento adegisset, Augustus novo Diplomate Romanæ Ecclesiæ jura confirmavit, novúmque misit Oratorem *Gotifredum*, qui gesta ab Imperialis Scrinii Præfecto rescinderet. Romandiolam, Exarchatum Ravennatem, & Bononiam recepit *Nicolaus III.* operam in reducendis ad Romanæ Ecclesiæ temporalem Principatum populis navante *Joanne Viterbiensi*, Ordinis FF. Prædicatorum Professore. Pacem inter *Alphonsum* Hispaniæ, & *Philippum* Francorum, Reges, conciliare conatus est, jussitque Hispano, Oratores Tolosam mitteret, ubi Sedis Apostolicæ Legati, auditis etiam *Philippi* Chri-

A stianissimi Regis Oratoribus, controversiam, quæ belli fomes erat, æquitate componerent. Post importunam Hispani comperendinationem, Legati Pontificii, Regúmque Oratores Burdigalam convenere; de pace vel induciis multa præclarè dicta, confectum nihil. Ex quo gravissimum dolorem hausit Pontifex, qui Legatos Romam revocare coactus est. Misit nihilominus Legatum alterum in Hispaniam, Reatinum Episcopum, qui *Alfonsum* Regem à violandis Ecclesiæ Juribus, & Ecclesiastica libertate opprimenda absterreret. Septem Ecclesiæ libertati ab *Alfonso* illata vulnera ex Regesto

Vulnera Ecclesiæ libertati ab Alfonso Hispaniæ Rege inflicta.

Legatum in Hispaniam ob eam causam mittit Nicolaus III.

B *Nicolai III.* descripsit *Raynaldus* ad annum MCCLXXIX. Num. XXIV. I. Quòd tertias decimarum usurparet, olim quidem patri suo ac sibi à Sede Apostolica concessas, sed ad certum tempus, quod finitum jam olim erat. II. Quòd *Custodiam Ecclesiarum Cathedralium vacantium, & Monasteriorum* sibi arrogans, vacationis tempore fructus occuparet. III. Quòd Ecclesiis Compostellanæ & Legionensi gravamina inferret insolita. IV. Quòd sacras Præsulum electiones liberè peragi non permitteret. V. Quòd indebita subsidia Viris Ecclesiasticis imperaret. VI. Quòd Clerici ad secularia tribunalia traherentur, &c. Fœdus *Rodulfum Augustum*

C inter & *Carolum* Siciliæ Regem *Nicolaus III.* jungere conatus est, illúdque affinitate confirmare. (Epistola 32. lib. II.) Contracta inter ipsos affinitas est secundùm Pontificis votum, & filia Rodulfi *Clementia* Regis Siciliæ ex filio nepoti *Carolo Martello* collocata est. *Rodulfus* urgente Pontifice, Comitatum Provinciæ, Imperii fiduciarium, *Carolo* attribuit, salvis *Margaritæ* Francorum Reginæ Juribus, quibus detrahere non intendebat. Quæ si in Aula Imperiali Judicio experiri vellet, secundùm leges controversia dirimeretur. Id anno M. CCLXXIX. factum, quo item anno *Caroli* Sa-

D lernitani Principis Regis Siciliæ filii piâ diligentiâ sacrum *B. Magdalenæ* corpus in *S. Maximini* villa inventum, *Bernardus Guido, Jordanus*, & *Ptolomæus Lucensis* testantur.

Florentinorum dissensiones sedavit *Nicolaus III.* Gibellinorum & Guelforum factionibus extinctis. *Ladislaum* Ungariæ Regem, Cumanis Paganis faventem, ad officium revocare studuit, injectis Censurarum minis, jussitque ut *Firmano* Episcopo, Sedis Apostolicæ Legato, morem gereret. (Epistola 7. lib. II.) *Petri* Bajocensis Episcopi contra Regem & Principes Francorum patrocinium suscepit. Variis criminibus accusabatur, nullius convincebatur.

E Quamobrem negavit Pontifex ipsum damnari posse, licet id optarent Principes, cùm etiam secularis vox illa sit Principis: *In alterius injuriam beneficia concedere, nequaquam nostri moris existit.* Ecclesiæ Græcæ cum Romana cōjunctionem in Concilio Lugdunensi factam firmari curavit, datis pluribus ad *Michaelem Palæologum* Imperatorem, ad *Andronicum* ejus filium, ad Patriarcham, cæterósque Præsules Græcos literis. Prædicationem Verbi Dei pro Judæorum conversione Fratribus Prædicatoribus demandavit, Diplomate quod incipit, *Vineam Soreth*, Tom. I. Bullarii Romani edim. Varia pœ-

F narum genera in Catharos aliósque Hæreticos promulgavit, Diplomate quod incipit: *Noverit universitas vestra.* (Ibidem.) FF. *Minorum* Regulam explicuit celebri illa Constitutione, *Exiit qui seminat*, qua rerum omnium, quæ religiosæ familiæ concederentur, usu Fratribus permisso, dominium Sedi Apostolicæ reservavit. Quod dominium *Joannes XXII.* Extravag. *Ad conditorem*, ut fictitium & nullius utilitatis abdicavit. *Gregorii IX.* Literas de Stigmatibus *S. Francisci* confirmavit (Epistola 355. libri II.) Quinque ex Ordine Minorum Viros Religiosos ad *Joannem* Abagham Orienta-

Regulam FF. Minorum explicat Nicolaus III.

lium

lium Tartarorum Regem, & ad Magnum omnium A Tartarorum Chaam seu Imperatorem misit, qui Christianam Fidem illis in regionibus sererent & excolerent.

A calumnia vindicatus.

Nicolaum III. conjurationis adversùs *Carolum* Siciliæ Regem à *Prochita* initæ cum *Petro* Rege Aragonum, & *Palæologo* Imperatore, de invadenda Sicilia, quod postea cæsis tota Insula Francis executi sunt, conscium fuisse, Ricordanus, Villanus, S. Antoninus, Blondus, Fazellus, Summontius Itali Scriptores asserunt. Atque infensum *Carolo* fuisse *Nicolaum*, ob repulsam quam passus erat, cum quibusdam verborum aculeis, cùm ab ipso postulasset, B ut neptem suam *Ursino* nepoti uxorem traderet. Vitio etiam vertitur eidem Pontifici nimium in nepotum suorum commoda Studium; & quòd alterum Insubriæ, alterum Etruriæ Regem creare meditaretur. At quod primum caput spectat, nefarium de Gallorum cæde consilium cum *Nicolao III.* fuisse communicatum, falsum est, ut colligitur ex Ægidii Cardinalis Viterbiensis testimonio. *Cædes Gallorum*, inquit, *in Sicilia facta* (*Vesperas Siculas dicunt*) *Turbari in Italia omnia, Nicolao extincto custode pacis.*

Cardinales à Nicolao III. creati.

Vacantibus Ecclesiis nullus Pontifex celeriùs ac C maturiùs consuluit, quas statim optimo cuique committebat, in mora periculum esse ratus. Cardinales creavit pietate, doctrina, rerum gerendarum peritia præstantissimos, F. *Latinum Frangipanis*, ea sorore nepotem, Ordinis FF. Prædicatorum Professorem, quem ad Ostiensem Episcopatum assumpsit, F. *Robertum Kilwarbium*, natione Anglum, in Academia Parisiensi Sacræ Theologiæ Doctorem ac Professorem, Cantuariensem Archiepiscopum à *Gregorio X.* creatum, quem ad Portuensem Episcopatum transtulit, multis in Philosophiam, ac Theologiam editis Commentariis celebrem. F. *Bentivengam* Italum, Tudertinum Epis- D copum, ex Ordine FF. Minorum assumptum, quem Cardinalem Episcopum Albanensem renunciavit. *Jordanum Ursinum*, germanum suum, quem *Magna excellentia & innocentia virum* prædicat Ptolomæus Lucensis. *Ordonium*, Lusitanum, Archiepiscopum Bracarensem, quem Cardinalem Episcopum Tusculanum creavit. *Gerardum Blancum*, ex agro Parmensi, paupere familia natum, Jureconsultum ac Patronum celeberrimum, Protonotarium Apostolicum, quem Cardinalem Tit. XII. Apostolorum, & *Martinus IV.* Episcopum Sabinensem creavit. F. *Hyeronimum Asculanum*, Ordinis Minorum Generalem Ministrum. *Jacobum Columnam*, Nobilem Romanum, *S. Mariæ Majoris* Ar- E chipresbyterum, quem *Magnæ maturitatis & innocentiæ* virum *Ptolomæus Lucensis* appellat. *Joannem Vercellensem*, Ordinis FF. Prædicatorum Generalem Magistrum, Patriarcham Hierosolymitanum designavit, quam Dignitatem invictà respuit constantia vir pijssimus. *Joannem de Aurelianis* Parisiensis Ecclesiæ Cancellarium, ad ejusdem Regiæ Urbis Episcopatum promovit: sed vir pientissimus & ab omni ambitione alienus, Prædicatorum Ordinem profiteri maluit, quàm Episcopales Infulas suscipere, opibúsque ac beneficiis dimissis, in majori F nostro Conventu Parisiensi sacrum habitum suscepit, teste *Guillelmo Nangio*, in Gestis *Philippi III.* Regis. Obiit *Nicolaus III.* in Castro Suriano ex apoplexia, in Octava Assumptionis Deiparæ Virginis, anno Christi MCCLXXX. cùm annis duobus & mensibus novem, minùs duobus diebus, Ecclesiæ præfuisset. Ejus corpus Romam de[latum], in Basilica *S. Petri*, in Sacello, quod in *S. Nicolai* memoriam erexerat, conditum est.

ARTICULUS XI.

De MARTINO IV.

Et HONORIO IV.

I. POST *Nicolai III.* obitum, orti ex Hannibaldensium & Ursinorum æmulatione tumultus vacationem Sedis ad sex menses protra- B xere. Electus tandem est communibus suffragiis, VIII. Kalendas Martii, die Cathedræ *S. Petri* sacra, anno MCCLXXXI. *Simon de Bria*, natione Gallus, Tit. S. *Cæciliæ* Presbyter Cardinalis, qui cùm olim in Ecclesia *S. Martini* Turonensis Canonicus & sacri ærarii Præfectus fuisset, *Martinus* appellari voluit. *Martinus II.* dici deberet, prout eum vocat *Stero* in Annalibus, sed usus obtinuit ut *Martinus IV.* dicatur. *Moribus generosus & magnanimus, & à cupiditate pro se vel suis alienus, Ecclesiasticique Juris zelator*, à S. *Antonino* prædicatur, qui & de ipso refert rem quæ Pontificibus C ac Præsulibus omnibus debeat esse documento. Scilicet cùm ejus frater, audito creationis ipsius nuncio, confestim ex Gallia ad eum gratulabundus accurrisset, protinus eum remisisse modicis cum muneribus, & expensis tantùm itineris, *Bona esse Ecclesiæ, non sua*, dicens, quæ in consanguineos profundere non liceret. Ante *Martinum IV.* electum fuisse *Joannem Vercellensem* Ordinis Prædicatorum Generalem Magistrum, ut quidam ejusdem Ordinis Authores dicere, fabula est, Ptolomæi Lucensis, & S. Antonini, silentio, aliorúmque gravissimorum Auctorum qui de Romanis Pontificibus scripsere, aut Ecclesiasticam Historiam D edidere, auctoritate convicta. Modestè admodum de se sensit *Martinus IV.* variisque excusationibus summam declinare Dignitatem conatus est. Obluctanti Cardinalitia vestis ab Electoribus discerpta, ut ipse narrat in Literis Encyclicis post electionem suam scriptis. *Carolo* Siciliæ Regi Senatoriam Dignitatem à *Nicolao III.* ereptam restituit, rescissa ejusdem Pontificis Constitutione. Flaminiam, sive Romandiolam ab invasione *Guidonis* Comitis Montisfeltri, Gibellinorum Ducis, vindicatam Ecclesiæ asseruit, reique gerendæ præfecit *Joannem de Epa* Nobilem Gallum. *Michaelem Palæologum* Græcorum Imperatorem devinxit anathemate, quòd E ab Unione in Concilio Lugdunensi per Oratores suos jurata, & proprio deinde Sacramento coram Legatis Apostolicis confirmata, defecisse videretur: Vetuitque Principibus omnibus Christianis, ne cum illo fœdus inirent, jámque initum divellerent, imperavit. Diploma ea de re datum legere est Bullarii Romani Tom. I. Siculorum proditionem ac immanitatem, qua solemnibus Paschatis diebus, totâ Insulâ, uno eodémque tempore, dum campanæ ad Vespertinum Officium pulsarentur (unde *Siculorum Vesperarum* nomen) omnes ad unum Gallos, cujuslibet sexus, ætatis, con- F ditionis, ordinis, confoderunt, exécratus est *Martinus* Pontifex. Anathematis sententiam in Panormitanos, & eos omnes tulit, qui Regnum Ecclesiæ Romanæ stipendiarium, & *Carolo* fiduciario jure traditum invaderent, vel conjuratis opem ferrent. *Gerardum* Sabinensem Episcopum in Siciliam Legatum misit, ut populos ad officium revocaret. *Petrum* Aragoniæ Regem nefariæ conjurationis participem, frustra monitum ut à Regno Siculo sibi temperaret, nec armis *Carolum* Regem infestaret, ac perduelles Ecclesiæ, & ejus Majestati tueretur, diris devovit. Pugnaturis pro *Carolo*,

Martini Quartielectio.

Vox Pontifice digna.

Modestia.

Siculorum proditionem ac immanitatem in Gallos execratur, & Caroli Regis causam tuetur.

(A) si in prælio caderent, eamdem concessit Indulgentiam, quam Crucesignatis pro Terræ Sanctæ defensione sui Decessores concesserant. Pactum Reges inter singulare certamen, Burdegalæ committendum, centum Equitibus utrinque concurrentibus, intentato anathemate prohibuit. Magno rerum suarum damno Pontificia Mandata neglexit *Carolus*, & Burdegalam se contulit, ubi se delusum tandem agnovit, non comparente Aragonio.

Petrum Aragoniæ Regem Regno ac ditionibus privatum dicit lata sententia.

Tandem *Petrum* Ecclesiasticas Censuras contemnentem Pontifex Aragoniæ Regno, & Cataloniæ, ac Valentiæ Principatibus privatum dixit; (B) ejus subditos à Juramento fidelitatis absolvit; ipsúmque & Siculos, cæterósque Mandatorum & Censurarum Apostolicarum contemptores, anathemate confixit; Universitates, Civitates, & Castra, Interdicto supposuit, lata Sententia apud Urbem veterem, XII. Kalendas Aprilis anno MCCLXXXIII. Quam apud *Odericum Raynaldum*, Num. XV. legere est. Aragoniæ verò Regnum, cæterásque *Petri* ditiones, *Philippo* Regi Christianissimo attribuit, *Carolo Valesio* filio suo minori, ex ipsius *Petri* sorore suscepto, armis vindicandas, ac sub clientela Sedis Apostolicæ, certis conditionibus possidendas. (C) Missus in Gallias qui tantæ molis negotium exequeretur, *Joannes Choletus*, Tit. S. Cæciliæ Cardinalis. Cujus facultates, & conditiones novo Regi præscribendas *Martinus* explicat Epistola 7. lib. III. quam *Odericus Raynaldus* exhibet Num. XXV. Quin etiam triennales Decimas *Philippo* Regi concessit ad belli sumptus tolerandos.

‡ Illa etiam est Tom. XI. p. 1. Concil. Collect. Labbeanæ.

Doctissimi Cardinales Bellarminus & Perronius refelluntur.

Ex *Martini IV.* facto doctissimi Cardinales *Bellarminus* & *Perronius* haud rectè colligunt Ecclesiæ potestatem indirectam in Regum omnium temporalia. Quamvis enim justa visa fuerit *Martini* Sententia: (D) Regibus cæteris ac supremis Principibus qui Regna sua, & ditiones fiduciario jure ab Ecclesia non tenent, nullatenus præjudicat. Regnum enim Aragoniæ Sedi Apostolicæ obnoxium, sive feudatarium censebat Martinus IV. ex quo *Petrus II.* Rex Aragonum Romæ ab *Innocentio III.* coronatus anno MCCIV. sceptrum & diadema super altare *S. Petri* deposuit, & de manu ejusdem Pontificis militarem ensem accepit, *Regnúmque suum B. Petro Apostolorum Principi obtulit, illúdque sibi constituit censuale per Privilegii paginam, quam eidem tradidit*, cujus tenor est talis: *Cùm corde credam, & ore confitear, quòd Romanus Pontifex, qui est B. Petri Successor, Vicarius sit illius per quem Reges regnant.....* (E) *Ego Petrus Dei gratia Rex Aragonum, Comes Barcinonia, & Dominus Montispessulani cupiens principali post Deum, B. Petri, & Apostolica Sedis protectione muniri, Tibi Reverendissime Pater & Domine, Summe Pontifex Innocenti! & per te sacrosancta Romana Apostolica Sedi offero Regnum meum: illúdque Tibi & Successoribus tuis in perpetuum, divini amoris intuitu, & pro remedio anima mea, & progenitorum meorum constituo censuale, ut annuatim de Camera Regis ducenta quinquaginta massamutina Apostolica Sedi reddantur, ac Successores mei specialiter ei fideles & obnoxii teneantur. Hoc autem lege perpetua servandum fore decerno, quia spero firmiter & confido, quod Tu & Successores tui, Me & Successores meos, & Regnum* (F) *Prædictum auctoritate Apostolica defendetis... Ut autem hac Regalis Concessio inviolabilem obtineat firmitatem, de consilio Procerum Curiæ meæ, &c sigilli mei feci munimine roborari.* Extat lib. VII. Epistolarum Innocentii III. Epistola CXXXX. & in Gestis ejusdem Pontificis ab Illustrissimo Præsule *Bosqueto*, & Clarissimo *Baluzio* editis, Cap. CXXI. In Concilio Lugdunensi I. jussu *Innocentii IV.* lectum est, approbantibus Patribus: Descripsit *Odericus Raynaldus* ad annum MCCIV. Num. LXXIII. Istud verò *Martinus IV.* in Sententia sua profert, ut Reges Aragonum *Sedi Apostolica specialiter fideles & obnoxios teneri* probet. Quamvis honorario duntaxat stipendio Rex *Petrus* Regnum suum erga Sedem Apostolicam obstrinxisset. Sed aliud existimavere Pontifices. Cæterùm potestatem in eorum temporalia, qui Ecclesiæ feudatarii non essent, sibi arrogasse non videtur *Martinus IV.* Siquidem suæ contemptores Sententiæ privaturum se comminatur *terris, feudis, & juribus, qua a Romana, vel aliis quibuscumque tenent Ecclesiis, seu Personis Ecclesiasticis.* Præterea, eo nomine exauctoratum à *Martino IV.* Petrum, quòd Regnum Aragoniæ Romanæ Ecclesiæ feudum ac beneficium censeret, confirmat *Zurita* in Indicibus Rerum ab Aragoniæ Regibus Gestarum. XI. *Kalendas Aprilis Martinus P. M. Urbe veteri, de Collegii sententia, Petrum Aragonum uti Ecclesia subditum, & perduellionis convictum, Regno ac ditionibus omnibus mulctat, & Catholicis Principibus occupandas exponit.* Et infrà ad annum MCCLXXXIV. *Nonis Maii Indictione XII. apud Urbem veterem Martinus P. M. Carolo Philippi Regis Francorum filio Aragonii Valentinique populi Regna, & Principatum Cataloniæ attribuit: non secius ac si sub Ecclesia Imperium ditionémque recidissent. In ejus veluti sacra expeditionis subsidium, omnium Ecclesiasticorum redituum, proventuum, & obventionum Regni Gallia decimam Regi Francorum in quadriennium largitur.*

Ex facto *Martini IV.* perperàm colligitur in Ecclesiæ Romani Pontificis potestas in temporalia Regum.

Refert etiam Zurita in Indicibus Rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum.

Verùm quid juniorem exterúmque Authorem laudare opus est, cùm id testetur domesticus & coævus Author *Guillelmus Nangius* in Chronico, ad annum MCCLXXXII. ‡ *Petrum*, inquit, *Aragonia Regem, qui contra Ecclesia Romana inhibitionem fecerat se in Regem Sicilia coronari, & fuerat propter hoc excommunicationis vinculo innodatus, Martinus Papa per Sententiam privavit à Regno Aragonia, & ab his omnibus qua ab illo de Romana Ecclesia in feudum tenebantur, ejúsque vassallos ab ipsius fidelitate absolvens, Regnum Aragonia cum suis pertinentiis Carolo Regis Francia Philippi filio, nepoti scilicet dicti Petri, contulit & concessit.*

Ut in *Petrum* Ecclesiæ perduellem pœnas decrevit, ita in *Alfonsum* Castellæ ac Legionis Regem Pontificiam caritatem explicuit *Martinus* IV. illi enim adversùs *Sanctium* filium, qui eum Regno depulerat, auxiliatricem dexteram porrexit, Præsulésque Hispanos, nec non Religiosorum Equitum Magistros, ipsi opem ferre jussit. (Epistolis 31. 33. & 35. lib. I.) *Eduardum* Angliæ Regem, qui Syriacæ expeditionis consilia abjecerat, ac Decimas *Eadmundo* fratri attribui postulabat, hortatus est ut votum exsolveret: cùmque in Decimas tota Anglia collectas manus injecisset, acerrimis ipsum perstrinxit Literis, ac restitutionem imperavit. (Lib. II. Epistolis 21. & 58.) Concordiæ Leges Clerum inter & Regem Lusitaniæ *Dionysium* constituit, anno MCCLXXXIV. Mortuo *Carolo* Siciliæ Rege, & filio ipsius Salernitano Principe in Catalonia captivo, *Martinus* Pontifex Regni gubernacula *Roberto* Comiti Attrebatensi confirmavit, cui *Carolus* ipsa moriens commendaverat; ei-que in Administratione adjunxit *Gerardum* Sabinensem Episcopum, Sedis Apostolicæ Legatum. (Epistolis 13. & 14. lib. IV.) Obiit Sanctissimus Pontifex, miraculis post obitum clarus, ut Auctor Vitæ MS. Martini Poloni Continuator, & *Guillelmus Nangius* testantur, Perusii, IV. Kalendas Aprilis anno MCCLXXXV. Cardinales creavit meritis insignes viros, *Bernardum de Languissello*, natione Gallum, Archiepiscopum Arelatensem, quem ad Portuensem Episcopatum transtulit. *Hugonem Atratum*, Anglum, in Mathematicis & Medicina doctissimum. *Joannem Choletum*, Gallum, rebus maximis gerendis prudentiâ, industriâ, animique magnitudine

Cardinales Martini Quarti.

magnitudine parem. *Gervasium de Chlincam*, Cænomanensem, Ecclesiæ Parisiensis Archidiaconum. *Comitem Glusianum de Casate*, civem & Achidiaconum Mediolanensem. *Gaufridum de Barbo*, Gallum, Parisiensis Ecclesiæ Decanum. *Benedictum Cajetanum*, *Anagninum*, qui postea fuit Summus Pontifex *Bonifacius* VIII.

Honorii Quarti obitus, & res gestæ.

II. *Martino* IV. consentientibus suffragiis substitutus est *Jacobus Sabellus*, Nobilis Romanus, *Sanctæ Mariæ in Cosmedin* Diaconus Cardinalis, IV. Nonas Aprilis eodem anno MCCLXXXV. qui sibi nomen sumsit, *Honorius* IV. In Parisiensi Academia se literis operam dedisse, & Catalaunensis Ecclesiæ fuisse Canonicum, testatur Epistolis 263. & 431. libri I. Siculorum libertati consuluit, eósque durioribus levavit oneribus, edita Constitutione, quam apud *Odoricum Raynaldum* legere est ad annum MCCLXXXV. Num. XXIX. *Philippum III.* Regem Christianissimum in Aragonia Expeditione defunctum, Fidelium omnium precibus commendavit, iis qui pro ipso Dominicam Orationem recitarent, concessis decem dierum Indulgentiis (Epistola XCIV. libri II.) Venetos Sacris restituit, quibus, ob favorem *Petro Aragonio* præstitum, ipsis interdictum fuerat à *Bernardo* Portuensi Episcopo *Martini* IV. Legato (Epistola XII. libri I.) Florentino Magistratui, ob Leges contra libertatem Ecclesiasticam latas, diem dixit. (Epistola 163.) *Guillelmo* Montis-ferrati Marchioni, cujus spectante familiâ Terdonensis Episcopus ex insidiis cæsus fuerat, jussit Sedi Apostolicæ se sisteret, ipsius Judicium subiturus. Qui cùm impossibilitatem, aut certè summam difficultatem exposuisset, Consanensi Episcopo & Priori Provinciali FF. Prædicatorum in Lombardia dedit in mandatis, ipsum absolverent, pœnis impositis quas præscribit Epistola 224. libri I. *Jacobum Petri* Aragonii filium, paternæ tyrannidis heredem, qui Siciliæ sceptra corripuerat, ejúsque matrem *Constantiam*, Manfredi Tyranni filiam, anathemate confixit. Archiepiscopo Lugdunensi, & Episcopis Eduensi & Vapicensi provinciam commisit inquirendi contra *Ludovicum* Sabaudum, qui Viennensem Archiepiscopum captivum abduxerat, & iniquum ab eo Sacramentum extorserat, utque juramenti religione Archipræsulem solverent; Principem, aliósque injuriæ auctores anathemate plecterent. (Epistola 37. libri I.) *Henricum* Vratislaviensem & Silesiæ Ducem, Ecclesiasticis Juribus & libertati infestum, solemni ritu à Firmano Episcopo Anathemate devinctum denuntiari, & Sacrorum Justitium in ejus ditionibus indici mandavit. (Epistola 428. libri I.) *Ladislaum* Ungariæ Regem, qui repudiata uxore cum pellicibus polluebatur, & Cumanos, Tartaros, Neugerios, Saracenos, in familiaritatem admittebat, acerrimè corripuit, Reginam recipere, & maritali affectu complecti, Infideles à suo consortio ablegare jussit, anathemate, & Sacri Belli contra ipsum & Infideles indictione, intentatis (Epistola 264. libri II.) Pactiones ab *Eduardo* Anglorum Rege inter *Carolum II.* Siciliæ Regem, & *Alfonsum*, Petri olim Aragoniæ Regis filium constitutas, rescidit Epistola 47. libri II. Novam Mendicantium sectam, sub nomine Ordinis Apostolorum à nescio quibus institutam, damnavit Diplomate quod incipit: *Olim felicis*, anno MCCLXXXVI. Extat in Bullario Romano. Obiit Romæ die Cœnæ Domini III. Aprilis, anno MCCLXXXVII. cùm annis duobus & uno die sedisset. Cardinalem creavit unicum *Joannem Buccamatium*, Montis-Regalis in Sicilia Archiepiscopum: *Viros dicens & eosdem bonos ac doctos, non etiam rudes & rerum humanarum ignaros, in tantum Collegium cooptandos esse*. ut refert *Platina* in ejus Vita.

SCHOLION.

a In hoc Articulo, pag. 130. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Ex facto Martini Quarti exauctorantis Regem Aragonia, non probatur Reges non fiduciarios exauctorari posse à Romano Pontifice.*

R. Ex facto & sententia *Martini Quarti* Pontificis Maximi in *Petrum* Aragonum Regem, perperam colligi indirectam Romani Pontificis potestatem in temporalia Regum, qui Regna Ditionésque suas fiduciario jure ab Ecclesia non tenent, ex ipsa *Martini Quarti* Sententia, aliísque Historiæ Monumentis probavi. Sed nullum ex iis argumentis concuti volunt Religiosi Censores, quibus usus est Cardinalis *Bellarminus* ad opinionem suam quoquo modo fulciendam.

ARTICULUS XII.

De NICOLAO IV.

MENSE post obitum *Honorii IV.* decimo; die Cathedræ *Sancti Petri* solemni, anno MCCLXXXVIII. Pontifex electus est *Hieronymus Asculanus*, Tit. *S. Pudentianæ* Cardinalis, ex Ordine FF. Minorum assumtus, qui sibi nomen sumsit, *Nicolaus IV.* Suscepta Ecclesiæ administratione, statim ad componendas res Siculas animum applicuit. Siculis jussit ad Ecclesiæ obsequium redirent; *Jacobo* Regni invasori ut ab eo discederet, objecto graviorum terrore pœnarum. (Epistolis 1 & 30. libri I.) *Bonifacio* Ravennati, & *Petro* Montis-Regalis, Archiepiscopis, Sedis Apostolicæ Legatis pro urgenda *Caroli* Salernitani Principis & Siciliæ Regis liberatione, *Raynerium* Ordinis FF. Prædicatorũ Professorem, socium adjunxit, jussitque ut *Alfonso Aragonio* Judicium apud Sedem Apostolicam intentarent, nisi *Carolum* in libertatem assereret; eundémque *Alfonsum* gravissimis literis ad æquitatem flectere conatus est (Epistola 6. libri I.) *Philippo IV.* Galliarum Regi Decimas Ecclesiasticas ad triennium attribuit, ad Aragoniam expugnandam. Dimissus est è carcere *Carolus* Salernitanus Princeps filiis duobus obsidibus datis, secundùm pacta Olerone conventa, asperrimísque conditionibus impositis: quas nisi impleret, ad Catalanam custodiam reverti teneretur. Eas verò Pontifex rescidit, Anathematis sententiam tulit in Aragonium, Regem Christianissimum ad arma in illum convertenda excitavit, ut ad æquiores concordiæ leges descenderet. *Carolum* beneficiarii Principis officio functum, Siciliæ Regem coronavit. Clientelaris Sacramenti formulam ex *Nicolai* Regesto descripsit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCLXXXIX. Num. II. Venetos, qui terras Aquileiensis Patriarchæ invaserant, ad restitutioñe compulit, intentato Anathemate (Epistola 122. libri I.) Leges à *Friderico II.* quondam Imperatore in Hæreticos latas confirmavit, ac executioni mandari jussit datis ad Magistratus Arelatensis, Aquensis, & Ebredunensis Provinciarum Literis (Epistola 260. libri I.) Præclaro quo flagrabat Fidei propagandæ studio, Concionatores Religiosos ex FF. Minorum Ordine ad Sclavos misit; Dominicanis in Saracenorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Uvalachorum, Colchorum, Syrorum, Iberorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum &c. terris, propagandi verbi divini Provinciam demandavit. (Epistolâ 44. libri I.) Adeo effloruit apud Tartaros Christiana Religio, ut *Argon* Rex, *Elegages* & *Tuctanes* Reginæ, Christo nomen dederint, ad quas extat Epistola *Nicolai IV.* decima sexta libri I & XII. ad *Argonem*. Auditis Lusitani

Missiones ad fidem propagandam.

E Regis

Ecclesiæ libertas in Lusitania vindicata à Nicolao Quarto.

Regis Oratoribus, ipsum cum Episcopis conciliavit. Ejus nomine polliciti sunt Oratores, ipsius Majestatem ab injuriis erga Ecclesias temperaturam. Confectæ coram selectis Cardinalibus publicæ Tabulæ, quibus controversa capita quadraginta continentur, quibus læsum jus Ecclesiasticum Lusitani Præsules querebantur. Has apud *Odoricum Raynaldum* legere est ad annum MCCLXXXIX Num. XVII. His constitutis, Sacrorum usum Lusitaniæ restituit, & omnibus, qui anathemate constricti erant, ob violatam Ecclesiæ Libertatem, impetrandæ à Sacerdotibus absolutionis potestatem contulit. (Epistola CII. libri II.) FF. Prædicatorum Olisiponensium Priori, & FF. Minorum Guardiano, munus imposuit absolvendi Regem à Censuris, ea lege ut in solemnibus Regni Comitiis rata haberet, quæ ab Oratoribus suis in Romana Curia gesta erant. (Epistola C. libri II.) *Philippum IV.* Regem Christianissimum rogavit, Legem rescinderet Ecclesiæ incommodam, qua cautum erat, ne Episcopi Procuratorum operâ, sed præsentes in Regia, Judicio disceptarent. (Epistola 127. libri II.) *Siffridum* Archiepiscopum Coloniensem, acie victum, & à conjuratis Principibus in vincula conjectum, libertati reddi jussit, intentato Anathemate, cujus distringendi Provinciam Archiepiscopo Trevirensi commisit. (Epistola 371. libri II.) Constitutionem de Cardinalibus in Conclavi recludendis, à *Gregorio X.* in Concilio Lugdunensi latam, abrogavit. (Epistola 5. libri II.) Universos Romanæ Ecclesiæ redditus duas in partes distribui sanxit, quarum altera Pontificio ærario, Cardinalibus altera cederet, inter eos æquo jure dividenda. (Epistola 47. libri II.) Quam Constitutionem obsolevisse, Annalium Ecclesiasticorum Scriptores observant, aliâque ratione Pontifices Cardinalibus pauperibus providere. Inclinatis Syriæ rebus, captâque à Soldano Tripoli, & excisa Ptolemaïdo, sacram Expeditionem indixit. *Eduardum* Regem voto pridem obstrictum, ad maturandam profectionem hortatus est; Regem Christianissimum, aliósque Principes, ad auxiliares copias submittendas excitavit. Diploma ad Fideles universos ea de re datum, quod incipit his verbis, *Illuminet super vos Dominus vultum suum*, editum est Tom. I. Bullarii Romani. *Gerardum* Sabinensem Episcopum, & *Benedictum* S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, in Galliam Legatos misit, qui controversiam inter *Alfonsum* & *Carolum Valesium*, de Aragoniæ & Valentiæ Regnis agitatam finirent, duriorâque Pacta, pro libertate *Caroli* Siciliæ Regis vi extorta, temperarent. (Epistolis 2. & 3. libri III.) Cùm in Anglia Jurisdictionis Ecclesiasticæ libertatem Regii Magistratus labefactarent, nec Literas Apostolicas de negotiis ad forum Ecclesiasticum spectantibus tradere Judicibus impunè liceret, sed illarum executio Regiâ Jussione prohiberetur; Ad hæc, Ecclesiastici Viri extra Regnum auctoritate Apostolica non sinerentur evocari: Regii demum Judices causas Ecclesiastici fori ad tribunalia sua traherent, spretis Canonibus; *Eduardum* Regem primò per *Guillelmum de Hendon*, Ordinis FF. Prædicatorum Professorem, Apostolico nomine commonitum, rogavit, immò ipsi jussit ut pravas consuetudines Edicto generali emendaret; misitque Grossetanum Episcopum, qui rem urgeret. (Epistolis 45. & 46. libri III.) Studia litterarum promovit, excitatâ apud Montempestulanum Academiâ. Ulissiponensem à *Dionysio* Lusitaniæ Rege erectam confirmavit, Privilegiis ornavit. Gratiaci alteram instituí permisit à Bisuntino Archiepiscopo. Regulam Tertii Ordinis *S. Francisci* approbavit, Diplomate quod incipit, *Supra montem*. Probos & eruditos in cognatorum loco tantùm habuit, (inquit *Ægidius* Cardinalis

Nicolaus IV. sacram expeditionem in Syriam indicit.

Ecclesiæ libertatem in Anglia tuetur.

Nicolai Quarti Cardinales.

Viterbiensis.) Cardinales creavit ob eximias virtutes & eruditionem Eminentissimis Infulis dignissimos; *Matthæum de Aquasparta*, Ordinis FF. Minorum Generalem Ministrum: *Hugonem de Billomo*, Gallum, Ordinis FF. Prædicatorum Professorem, in Academia Parisiensi Doctorem Theologum: *Petrum Peregrossum*, Mediolanensem, Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium: *Neapoleonem Ursinum*, Nobilem Romanum, Parisiensis Ecclesiæ Canonicum; *Petrum Columnam*, Nobilem Romanum: *Theobaldum Stampensem*, Anglum, &c. Obiit optimus Pontifex die sacra Parasceves, IV. Aprilis, anno MCCXCII. annum agens Pontificatus V. In ipsum iniquior est *Vualsinghamus* in Historia Anglorum ad annum 1287. ubi de Minorum Ordine, ex quo fuerat assumptus, ait: *Hic Idolum (ut dicitur) Fratrum ejusdem Ordinis, multa privatim statuit, quæ faciunt non solum superbire Minores, sed etiam insanire.*

ARTICULUS XIII.

De S. CELESTINO V.

I. ANNIS duobus, mensibus tribus & uno die à *Nicolai IV.* obitu Sedes Pontificia vacaverat, ob Cardinalium obstinatam dissensionem, cùm divinitus afflati, agente etiam *Latino* Episcopo Ostiensi, *Petrum de Murrone* Sanctissimum Eremitam, novæ Congregationis Religiosæ, quæ Celestinorum postea dicta est, Auctorem, in remota Apuliæ solitudine rerum divinarum contemplationi & corpori macerando intentum, summo consensu elegere, die 5. Julii, anno MCCXCIV. Fugam meditatus, solo Numinis metu ad Summam Dignitatem suscipiendam adduci potuit. Aquilæ inauguratus, *Gregorii X.* Decretum de Cardinalibus vacante Sede in Conclavi continendis renovavit. Neapoli quàm Romæ sedere maluit, quòd multorum adversùs ipsum concitavit offensionem. Quantùm enituit ejus sanctimonia, etiam in supremæ fastigio Dignitatis, miraculis comprobata, tantùm ejus ad res gerendas imperitia se prodidit. Ejus simplicitate Curiæ Ministri abutebantur, quorum fraudibus, sæpe tribus aut quatuor personis idem Beneficium tribuebatur, quandoque membrana pura, sed bullata (inquit *Ptolomæus* Lucensis in Historia Ecclesiastica) Cardinalibus quibusdam, præsertim *Benedicto Cajetano*, ipsum diviini judicii metu urgentibus ut se Pontificatu abdicaret, ne Dei Ecclesia ejus imperitiâ periclitaretur, facilè assensum præbuit; & quia dubium erat an Pontifex Dignitate cedere posset, Constitutionem edidit, quâ cessionem hujusmodi jure fieri posse pronuntiavit. Secundùm hanc, die *Sanctæ Luciæ* sacra, in Consistorio Pontificatu se exuit, lecta cessionis Formula his concepta verbis: *Ego Celestinus Papa V. motus ex legitimis causis, id est, causa humilitatis & melioris vitæ, & conscientiæ illæsæ, debilitate corporis, defectu scientiæ, & malignitate plebis, & infirmitate personæ, & ut præteritæ consolationis vitæ possim reparare quietem, sponte ac liberè cedo Papatui, & expressè renuncio loco & dignitati, oneri & honori, dans plenam & liberam facultatem ex nunc Sacro Cœtui Cardinalium eligendi & providendi dumtaxat canonicè universali Ecclesiæ de Pastore.* Hujus auctor Formulæ fuit *Benedictus Cajetanus* Cardinalis. De Cessione *Celestini* varia fuere hominum judicia. Deo placuisse facinus istud, & *Humilitatis exemplū stupendum cunctis, imitabile paucis*, ut loquitur *Jordanus*, miracula post abdicationem ab ipso patrata fidem fecere. Ipsius factum verbis exquisitis commendat

S. Celestinus oneri Pontificatus impar.

Pontificatu cedit.

Petrarcha

Petrarcha, libri II. *De Vita Solitaria*, cap. XVIII. Ejus Vitam metro scripsit *Jacobus Cajetanus de Stephanescis*, Cardinalis à Bonifacio VIII. creatus. Eamdem solutâ ediderunt oratione Cardinalis *Petrus de Alliaco*, illique suppar *Mafæus Vegius*. Vitæ suæ eremiticæ initia Sanctus ipse simplici stylo descripsit. Hæc omnia Monumenta, præter Mafæi Vegii Lucubrationem, *Bollandi* continuatores ediderunt inter Acta Sanctorum mensis Maii, Tomo IV. ad diem XIX. Electionis ejus & abdicationis historiam scriptis commendarunt *Ptolomæus Lucensis* in Annalibus & in Historia Ecclesiastica MS. libr. XXII. & *Guillelmus Nangius*. Præter laudatas *Celestini V.* Constitutiones, extat altera qua Congregationem à se institutam multis Privilegiis adauxit, Tom. I. Bullarii Romani. Incipit his verbis, *Etsi cunctos Ordines*. Mensibus quinque, diebus novem Pontificatum tenuit. Tredecim Cardinales creavit, *Simonem de Bello-Loco*, Gallum, Bituricensem Archiepiscopum ex Ordine Cisterciensi assumptum, *Berardum Gothum*, Gallum, Burdigalensem, *Thomam de Ocra*, Italum Congregationis Celestinorum alumnum, *S. Joannis in Plano* Abbatem; *Joannem Monachum*, Gallum, Parisiensis Ecclesiæ Canonicum, Juris utriusque peritissimum, *Petrum Aquilanum*, Archiepiscopum Beneventanum, ex Ordine *S. Benedicti*, & Congregatione Casinensi assumptum, *Guillelmum Ferrerium*, Gallum, Massiliensis Ecclesiæ Præpositum; *Nicolaum de Nonancuria*, Gallum; *Robertum*, in Sacra Facultate Parisiensi Doctorem Theologum, Cisterciensem Abbatem; *Simonem*, Gallum Ordinis Cluniacensis Professorem, Cœnobii Charitatis ad Ligerim Priorem; *Landulphum Brancacium*, Nobilem Neopolitanum; *Benedictum Cajetanum*, Anagninum; *Joannem de Castrocali*, ex Casinensi Monacho Beneventanum Archiepiscopum; *Guillelmum de Longis*, Bergomensem. Obiit Celestinus V. in Arce Fumonis, ubi ipsum *Bonifacius VIII.* recluserat, metuens ne ipsius simplicitate aliqui ad schisma faciendum abuterentur; anno Christi MCCXCVI. ætatis LXXXVI. IV. Kalendis Junii. A *Clemente V.* in album Sanctorum solemni Ritu relatus est.

Celestini V. Cardinales.

ARTICULUS XIV.

De BONIFACIO VIII.

VACANTE Sede per *Celestini V.* abdicationem, Cardinales in Conclavi inclusi ex *Gregorii X.* Constitutione, ab eodem sancto viro renovata, *Benedictum Cajetanum*, Anagninum, Tit. SS. Silvestri & Martini Presbyterum Cardinalem, consentientibus suffragiis Pontificem elegere, ipso Natalis Domini pervigilio, anno MCCXCIV. Quamvis à *Carolo* Neapolitano Rege urgeretur ut Neapoli subsisteret, Romam statim se contulit, ibique in Basilica *Sancti Petri*, summo omnium Ordinum applausu, inauguratus est. In sua Consecratione Fidei Professionem præstitit, secundùm priscum morem & Formulam in Diurno Romanorum Pontificum præscriptam. Hanc ex MS. Vaticano refert Bzovius. *Octo Universalia Concilia ad unum apicem immutilata servare: Decreta Canonica Prædecessorum Pontificum: quacumque Synodaliter statuerunt, & probata sunt, confirmare, & indiminuta servare. Si qua emerserint contra Canonicam Disciplinam, Cardinalium consensu, directione, consilio, emendare; Sacros Canones, & Canonica Instituta Pontificum, ut divina & cœlestia Mandata custodire; Ecclesiam, quam regendam suscipiebat, non deserere, non abdicare, nec ex quacumque causa, cujuscúmque metus vel periculi occasione dimittere, nec se ab ipsa segregare*, Pontifex electus Deo & Ecclesiæ ritu solemni promisit. Nomen sibi sumsit *Bonifacius VIII.* Celestinum Decessorem suum perquiri jussit, & comprehensum in arce Fumonis in Ernicis, custodiæ mandavit, Schismatis metu; cùm non deessent qui ejus abdicationem vitiosam esse ac illegitimam, ac proinde nullam, quæ consecuta fuerat, *Bonifacii* ipsius electionem propugnarent, ac sancto viro suaderent ut Pontificatus insignia resumeret, ut *Ptolomæus Lucensis*, in Historia Ecclesiastica & *Petrus de Alliaco* Cardinalis, in ejus Vita, commemorant. Atque ut electionem suam tueretur, *Celestini* Constitutionem de licita Pontificatus abdicatione confirmavit, aliâ à se editâ, quam retulit in Sextum Decretalium, Cap. *Quoniam*, Tit. *De Renunciatione*. Librum de eodem argumento scripsit *Ægidius Columna*, Ordinis Eremitarum *Sancti Augustini* Professor doctissimus, & *Bonifacii* electionem Actáque in *Celestinum* tuitus est. Ut primùm inauguratus est Pontifex, pacis inter Christianos Principes stabiliendæ curam suscepit, missis ad Reges Galliæ & Angliæ, necnon ad *Adolfum* Regem Romanorum Legatis, quos re infecta in Urbem redisse doluit. Feliciorem habuit exitum tractatus pacis inter Francos & Aragonios instauratus. Fœderis leges fuere, ut *Jacobus* Aragonius omni jure in Siciliam cederet, *Carolus Valesius* jura in Aragoniam, Valentiam, & Comitatum Barcinonis à Sede Apostolica concessa, Summo Pontifici remitteret, Aragonius libertate donaret obsides Regis Siculi filios: Regnorum suorum investituram à Legato Pontificio acciperet, eáque ut Beneficium Sedis Apostolicæ recipere se profiteretur. *Blancam*, Caroli Regis filiam, uxorem duceret; istius filius *Jacobi* sororem, ut affinitate duplici firmata pax, nullis machinis concuteretur: Latæ in Aragonium & ejus ditiones Censuræ solverentur; centum millia marcarum argenti, Aragonio, ad compensandam Siciliæ jacturam, & viginti quinque millia pro dote *Blancæ*, numerarentur. Navatam in pace conficienda operam *Philippo* Regi Christianissimo gratulatus est his verbis: *Lætamur in te, fili benedictionis & gratiæ, quòd de manuum tuarum operibus fructus pacis colligimus, & placida caritatis dulcedinem probatis affectibus degustamus. Hos quidem fructus talis arbor debet naturâ producere, quâ genus tuum fide præclarum, sinceritate prælucens, devotos ad Christum & Sanctam Ecclesiam Sponsam suam fundatores in orbem quietis amœnæ produxit, & zelatores fervidos status prosperi totius Fidei Christianæ lactavit.* Quanquam verò dira omnia imprecatus sit Pontifex iis qui fœdus tam faustis ominibus initum dissolverent, pacémque turbarent; quamvis *Fridericum* Regis Aragonii Fratrem ad illud confirmandum promissis magnificis allicere sit conatus, Siculi Gallicæ dominationis odio eumdem *Fridericum* Regem crearunt. Quos nullis beneficiis, nullis minis ad officium revocare Pontifex potuit. *Friderico* jussit, Regio nomine, Insignibus & Siciliæ administratione abstineret, irritam dixit ejus electionem ac inaugurationem; Siculos contumaces Ecclesiasticarum Censurarum fulminibus obruit, Privilegiis à Sede Apostolica indultis privavit, bello tandem frangere aggressus est, *Jacobum* Aragonium Regem, Sardiniæ & Corsicæ fiduciariis Ecclesiæ Romanæ insulis donatum, necnon *Carolum Valesium* Christianissimi Regis Fratrem, & *Robertum* Comitem Atrebatensem, ad bellum contra Siculos conficiendum impulit. Semel iterúmque ancipiti Marte pugnatum est; pacem demum *Carolus Valesius* inter *Fridericum* & *Carolum* Regem his legibus firmavit, ut *Fridericus* Eleonoram *Caroli* Regis filiam uxorem duceret; *Philippus* Princeps Tarentinus ejusdem *Caroli* filius libertate donaretur;

Bonifacius VIII. pacem inter Francos & Aragonios conficit

Siciliam *Fridericus* dotis profectitiæ nomine retineret; post ejus obitum ad *Carolum* & ejus heredes postliminiò rediret, numeratis *Friderici* heredibus centum milibus unciarum auri. Ista constant ex *Friderici* Literis, quas describit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCII. Num 3. *Fridericum* in gratiam recepit Pontifex, solvit Censuras quibus devinctus erat, Panormitanos Ecclesiæ conciliavit, Pacta ad Ecclesiæ Romanæ utilitatem accommodata & temperata confirmavit, anno MCCCIII. Diploma *Bonifacii* ea de re datum, ex lib. IX. ipsius Regesti descripsit *Odoricus Raynaldus* Num. XXIV.

Bonifacii VIII in Columnenses severitas.

II. Gravis Bonifacium inter & Columnenses emersit discordia, quòd Gibellinorum partibus addicti essent, & *Friderico* Siciliæ Tyranno suadente, res novas in Ecclesia Romana molirentur. Jussit Pontifex, publicæ studio securitatis, ut Prænesten & Castra Columnæ & Zagaroli, ad nutum suum custodienda traderent. Perduelles pœnis gravissimis damnare conatus est: *Jacobum* & *Petrum* Cardinales exauctoravit. Eorum nepotes ad quartam usque generationem Beneficiis Ecclesiasticis exclusit, fautores Sacerdotiis privandos statuit, *Jacobo* & *Petro* diem dixit, infra quam nisi ad Apostolicum Tribunal se sisterent, bonis omnibus quæ in ditione Ecclesiastica & Siciliæ Regno possidebant, multarentur. Illi ut nobilitate, opibus, clientelis, amicis erant potentissimi, plurimos in partes traxere, & vulgato in *Bonifacium* famoso libello, ipsum non esse Pontificem, quòd malis artibus electus fuisset, vivente *Celestino*, quem ad illicitam abdicationem impulerat, effutierunt; quos propterea Schismaticorum pœnis damnavit, bonis multavit, ad publica quævis munera, cùm ipsis, tum eorum nepotibus aditum præclusit; Civitates, Castra, & loca in quibus recepti essent, ac publicè morarentur, Interdicto subjecit, priorem sententiam in ipsos latam confirmavit, excommunicatione, mulctatione bonorum, & proscriptione additis. Utramque Sententiam ex MSS. Vaticanis descripsit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCXCVII. Num. XXVII. & XXXV. Edita quoque in illos est à Bonifacio Constitutio, quam libro sexto Decretalium inseruit, Cap. *Ad succidendos*, Ext. *De Schismaticis*. Deinde cùm dignitatem ac bona Schismate nefario, ac fœdere cum Ecclesiæ hostibus tueri pergerent, sacram in ipsos expeditionem indixit. Prænestinam civitatem perduellem, à Columnensibus stantem, excidi jussit, aratro sulcari, sale conspergi: Urbem alteram quæ *Papalis* vocaretur, juxta condidit, in quam Prænestinus Episcopatus transferretur. (Epistolis 57. 58. & 67. libri V.)

Gesta Bonifacii VIII. pro Regnorum Christianorum pace.

III. *Adolfo* Romanorum, *Philippo IV.* Francorum, & *Eduardo* Angliæ Regibus, inducias indixit *Bonifacius VIII.* anno MCCXCVI. Post biennium, pacem inter *Philippum* & *Eduardum* sanxit, cùm Rex uterque in ipsum velut arbitrum compromisisset. Publicas ea de re Tabulas ex *Bonifacii* Regesto exhibet *Odoricus Raynaldus*, ad annum MCCXCVIII. Num. II. In alia etiam Regna providentiam Apostolicam protulit, Germaniam, Hispaniam, Daniam, Ungariam, Scotiam, in quibus & Libertatem Ecclesiasticam, & pacem pro virili asseruit, procuravit. *Sanctii* Castellæ Regis filios ex *Maria*, quam contra Leges Canonicas duxerat, susceptos, natalium dignitate donavit (Epistola 80. lib. VII.) *Alberto* Romanorum Regi diem dixit, ut suspicionem qua laborabat, necis *Adolfo* Regi per insidias illatæ, ad Sedem Apostolicam dilueret. Si parere detrectaret, ab ejus obsequio discederent Germaniæ Principes. Pontificis misericordiam imploravit *Albertus*, ipsiúsque animum ita mitigavit, ut eum Romanorum Regem ritu solemni confirmaret anno MCCCIII. (Epistola 21. lib. IX.) Daniæ Regem Anathemate confixit, quòd Lundensem Archiepiscopum in vincula conjecisset. Bellis civilibus flagrabat Italia, antiquis Gibellinorum & Guelforum, novis Alborum & Nigrorum, Pistorii exortis factionibus, crudeliter scindebatur. Omne studium adhibuit *Bonifacius VIII.* ut eas factiones dissolveret, populos mutuò & cum Ecclesia conciliaret. Missi eum ob finem Legati, *Carolus Valesius* Andium Dux Romam vocatus; quem magnis honoribus exceptum Pontifex Ditionis Ecclesiasticæ Ducem, & Paciarium seu Pacificatorem Etruriæ creavit, Dignitate à *Clemente IV.* jam olim instituta, ut perduelles edomaret (Epist. 69. lib. VII.) Florentiam progressus cum exercitu *Carolus*, magnâ pompâ exceptus est, non tamen absque Gibellinæ & Albæ factionis invidia; cujus Duces ac fautores pleríque omnes exilio damnati, eorúmque disjectæ domus, prædia direpta atque vastata. Involutus ista clade fuit *Dantes Aligerius*, Poëta & Philosophus insignis, unus è præcipuis Urbis Gubernatoribus, quos Priores vocabant, quem propterea mirum non est *Philippo* Francorum Regi, & *Carolo Valesio* adeo fuisse infensum, in suísque Poëmatibus eos pene ad Inferos detrusisse. Occidentis finibus haud circumscripti erant *Bonifacii* ingentis animi, in Syriam usque nobiles curas extendebat, ac Sacram Expeditionem instaurare totis viribus conabatur. Inanes conatus reddidit Principum dissensio, qui privatis bellis impliciti, ad sacrum fœdus adduci non potuere. In Saracenos arma converterant Armeniæ & Georgiæ Reges. *Cassanus* Tartarorum in Perside Rex, misso ad Pontificem Oratore, ut Latini Principes secum vires jungerent, flagitabat, ad Christiani nominis hostem debellandum. Soli Genuenses classem instruxere Crucesignatam, Illustribus Matronis bona sua, mundúmque muliebrem ad id opus & militum stipendia conferentibus: quarum generosam pietatem Pontifex, Epistola 61. lib. VII. commendavit. *Rogerio de Lauria* potentissimo apud Siculos Duci, Gerbam & Cherchinas, objacentes Africæ Insulas, quas Barbaris eripuerat, jure fiduciario Sedis Apostolicæ liberalitate possidendas attribuit. (Epist. 115. lib. I.)

Dissidium Bonifacii VIII. cum Rege Christianissimo.

Grave *Bonifacium VIII.* inter & *Philippum Pulchrum* Regem Christianissimum dissidium exarsit, de quo in Dissertationibus agemus.

Varia Bonifacii gesta.

IV. Apostolorum & Evangelistarum, necnon quatuor Ecclesiæ Doctorum Festa ritu duplici celebrari sanxit *Bonifacius VIII.* Ejus ea de re Decretum extat, Cap. *Gloriosus*, Tit. *De Reliquiis & veneratione Sanctorum*, in Sexto. *Ludovicum* sanctissimum Principem, *Caroli* Siciliæ Regis filium, qui sacro FF. Minorum Ordini nomen dederat, Tolosanum Episcopum creavit. (Epistola 630. lib. II.) Recèns exortam Fraticellorum Sectam damnavit (Epistola 86. lib. II.) *Ludovico IX.* Francorum Regi Sanctorum cultum decrevit anno MCCXCVII. Diplomate quod incipit, *Gloria laus & honor Patri luminum*. Religiosos viros ex Ordine *S. Dominici* in Orientem misit ad Christianam Religionem propagandam (Epistola 2. lib. V.) Jubilæum, anno quolibet centesimo recurrente, SS. Apostolorum Basilicas lustrantibus comparandum promulgavit anno MCCC. quo infinita propè hominum multitudo in Urbem religionis ergo confluxit. Lege, Cap. *Antiquorum*, Ext. *De Pœnitentiis & Remissionibus*, & Tractatum *Jacobi Cajetani*, Diaconi Cardinalis S. Georgii, *De centesimo seu Jubilæo Anno*, ex Codice Vaticano editum in Bibliotheca Patrum. Romæ, Firmi, Avenione, Scholas publicas excitavit. Controversias Regulares inter & secularem Clerum composuit anno MCCCIII.

Statuit

Controversiæ Regulares inter & Seculares Clerum composita.

Statuit scilicet ut Religiosi Viri morientibus Sacramenta Eucharistiæ & Extremæ-Unctionis non administrent : Ut possint in suis Ecclesiis ad sepulturam eos admittere, qui in Communione Christiana defuncti sunt : Non arceantur ab audiendis Confessionibus, sacris concionibus habendis, eleemosynis excipiendis : Licentiam petant audiendi Confessiones à Prælatis : quam si recusent, auctoritate Apostolica id munus obeant : Ne in aliorum Ecclesiis sine facultate Confessiones audiant : Ne Parochi Eucharistiæ & Unctionis-Extremæ Sacramenta illis negent, qui conscientiam apud Religiosum Sacerdotem expiarint. (Decretali *Super Cathedram*, Tit. *De Sepulturis*, quam alii Pontifices revocarunt.)

Sextus Decretalium.

Sextum Decretalium à *Guillelmo* Archiepiscopo Ebredunensi, *Berengario* Biterrensi, & *Richardo* Senensi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, jussu suo compilatum promulgavit anno MCCXCVIII. v. Nonas Martii : Hunc Ecclesia Gallicana, Regnúmque non recipiunt. Pontificatus *Bonifacii VIII.* anno I. Christi MCCXCIV.

Lauretana Virginis Deiparæ Domus.

Sacra Deiparæ Virginis Ædicula, in qua Filium Dei de Spiritu Sancto, Angelo nunciante concepit, è Dalmatia in Picenum miraculo delata, in Recinetensis agri Sylva, piæ Matronæ, cui *Laureta* nomen, propria consedit : Inde Lauretanæ Domus B. Virginis appellatio, quam & in ipso Piceno ter sedem infra annum mutasse reperito miraculo, memoriæ proditum est. Qua de re legendus *Horatius Tursellinus* S. J. Scriptor elegans, in *Historia Lauretana.*

Ordo Canonicorum Regularium S. Antonii.

Prioratum *S. Antonii* Viennensis in Abbatiam erexit, & ejusdem Monasterii Præfectum Abbatem Generalem totius Ordinis Canonicorum S. *Antonii*, sub Regula S. *Augustini*, esse & dici voluit, jussitque ut signum T. secundùm priscum morem in veste præferrent, eósque ab Episcoporum Jurisdictione absolutos, Sedi Apostolicæ nullo medio subjecit, Diplomate quod incipit, *In dispositione*, Tom. I. Bullarii Romani.

Bonifacii VIII. in Gibellinos odium.

Gibellinos adeo execrabatur, ut *Porcheto* Genuensium Archipræsuli, Feria IV. in Capite Jejunii Quadragesimalis, caput sacris Cineribus aspergendum ritu Catholico offerenti, immutatis Ecclesiæ verbis dixerit : *Memento homo quia Gibellinus es, & cum eis ibis in Cinerem.* Ita refert Cardinalis *Ægidius* Viterbiensis in Historia MS. Addit *Platina*, in ejus oculos cineres conjecisse, non in caput, ut mos est. Eumdem ob nomen factionis Archiepiscopatu privavit, licet postea in integrum restituerit; cùm intellexisset Cardinales Columnenses, quemadmodum ipse suspicabatur, Genuam non petiisse.

Albigensis Ecclesiæ Regulares Canonici à Bonifacio VIII. togâ seculari donati.

Ecclesiam Cathedralem *Sanctæ Ceciliæ*, civitatis Albigensis, Canonicis Secularibus, pulsis inde Regularibus commisit, instante *Bernardo Castaneto* Albigensi Episcopo, ut refert *Platina*; sive potius Regulares ipsos seculari toga donavit. Barbarum illum morem, quo defunctorum corpora in longinquas terras transferenda, calce fervente decoqui, concidi vel comburi consueverant, edita Constitutione sustulit.

Bonifacii VIII. Cardinales.

Cardinales creavit meritissimos, *Jacobum Thomasium* ex sorore nepotem, Ordinis FF. Minorum Professorem : *Franciscum* Neapolionis, Ursinum, Nobilem Romanum : *Andream Anagninum*, ex illustri Comitum Signiæ Domo, Ordinis Fratrum Minorum virum sanctum, qui paupertatem & humilitatem religiosam pluris fecit Infulis, quas constantissimè recusavit. *Jacobum Cajetanum de Stephaneschis*, Romanum, virum eruditum, & scriptis clarum. *Franciscum Cajetanum*, ex fratre nepotem, Juris peritissimum. *Petrum de Piperno*, ex Canonico Cameracensi & Archidiacono Brabantino Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium : *Gonsalvum Roderici*, Nobilem Hispanum, Toletanum Archiepiscopum. *Theodericum*

A *Rainerium*, Urbevetanum, Pisanum Archipræsulem. *Gentilem de Montefloris*, Italum, Ordinis FF. Minorum Theologum, Legationibus Sedis Apostolicæ cum laude perfunctum, memoriæ ipsius *Bonifacii* in Concilio Viennensi egregium vindicem. *Nicolaum Bocasinum*, Tarvisinum, Ordinis FF. Prædicatorum Generalem Magistrum; virum eruditum & pium, cui varias Legationes commisit, & quem Successorem habuit. *Lucam de Flisco* ex Comitibus Lavaniæ, *Hadriani V.* Pontificis Maximi nepotem. *Richardum Petronum*, Nobilem Senensem, Juris utriusque Doctorem S. R. E. Vi-
B cecancellarium. *Leonardum Patrassum*, Capuanum Archiepiscopum. *Joannem Minium*, Picenum, Ordinis FF. Minorum Ministrum Generalem. *Petrum Hispanum*, Burgensem Episcopum. *Ægidium Romanum*, Bituricensem Archiepiscopum, ex Ordine FF. Eremitarum *S. Augustini* assumptum inter *Bonifacii* VIII. Cardinales addunt nonnulli; Cardinalem fuisse negant alii : de re dubia nihil pronuntiare malim.

Bonifacii VIII. obitus.

V. Obiit *Bonifacius* VIII. dolore & senio confectus, quinto Idus Octobris quinto & trigesimo die, postquam Anagniæ à *Nogareto* captus fuerat, anno MCCCIII. cùm annos octo, menses novem
C & dies duodeviginti Ecclesiam rexisset. Caput muro concussisse, digitos corrosisse, desperato similem mortuum esse, *Ciaconius*, & *Spondanus* post *Nicolaum Gillium* scripsere.

Bonifacii VIII. magnanimitas.

At S. *Antonini*, *Platinæ*, *Pauli Æmilii*, aliorúmque silentium, & *Bonifacii* celebrata magnanimitas, id de ipso credere vetant. *Magnanimum & imperterritum* S. Antoninus vocat : qui Anagniam urbem, Palatiúmque suum ab hostibus circumseptum videns, seque in eorum potestate proximè futurum, ait : *Ex quo proditorie sicut Jesus-Christus captus sum, & deditus in manibus inimicorum ut occidar, ut Papa mori decerno.*
D Tantorum animorum Pontificem caput muro concussisse, digitos corrosisse, quis sibi persuadeat? Hujus memoriam (inquit *Andreas Victorellus* in Additionibus ad Ciaconium) *Paulo V.* Ecclesiam regente, eruto ejus, ut transferretur, cadavere, « Roma recoluit. Intacta membra, ornatúsque, « sensus venerationis quasi sola imperteritæ virtu- « tis umbra excitarunt. Extremæ digitorum in ipsis « manibus partes tot seculis (Dei nutu) integræ, « prorsus falsum corrosionis commentum refellunt, « arguúntque eorum vel malitiam vel inscitiam, qui « commento indignissimo tanti Pontificis dignitati « morsus incurere sunt visi. Hæc ille.

Integerrima fides.

Integerrimæ
E Fidei Pontificem fuisse, putimque criminum quos illi Columnenses, & *Philippi Pulchri* Francorum Regis Ministri, fervente dissidio affinxere, certum est.

Dissidium cum Rege Christianissimo.

Nævi tamen expers non fuit ejus administratio. Inimicitiæ cum Rege Christianissimo susceptæ, nævus fuere non levis; de quo S. *Antoninus* post *Joannem Villani* ita scribit : *Orta igitur maxima dissensione & inimicitia inter Regem Franciæ & Papam Bonifacium, alter alterum fortiter impugnabat, & dejicere conabatur. Bonifacius utroque gladio utebatur : excommunicationes, & alios Processus terribiles contra Regem fulminans, Albertum confirmatum in Re-*
F *gem Romanorum ad sumendum coronam Imperii sollicitans, ut postea ex illa parte Alemanniæ, quæ Franciam respicit, bellum contra Regem moveret, & Flandrensibus inimicis Regis faveret.*

Chronic. parte III. Tit. XX. Cap. VIII. §. XX. & XXI.

Nimium consanguineorum amorem eidem vitio vertit S. Archipræsul Florentinus. *Consanguineos*, inquit, *nimis dilexit & exaltavit : cùm tamen dicat Psalmista : Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Ipsum ambitionis & avaritiæ *Platina* & alii accusant. Cæterùm virum doctissimum fuisse, magni animi, in amicos liberalem, Jurium Ecclesiæ acerrimum defensorem, S. *Antoninus* mox laudatus observat.

Orbis stuporem vocat *Petrarcha* lib. II. *De otio Religiosorum.* De illo dictum esse à *Celestino* V. ipsius Sanctissimo Decessore, *Intravit ut vulpes, regnabit ut leo, morietur ut canis*, idque eventu comprobatum, Authores nonnulli scripsere. Quod *tamen falso & temerè usurpatum a malevolis, & Principum assentatoribus, plerique existimant, quoniam Platina, valde alioqui pronus ad notandas Pontificum maculas, nihil tale retulit, sed nec alii qui eorum Vitas descripsere.* Verba sunt *Genebrardi*, Theologi Parisiensis, & Aquarum-Sextiarum Episcopi, in Chronico, ad annum MCCCIII.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 142. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa emisit Professionem Fidei secundum formam Diurni Romani.*

R. Hanc Professionem emisisse *Bonifacium VIII.* scripsi. Ex MS Vaticano refert *Bzovius* in Annalibus, & ex Bzovio Augustinus Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium Romæ editis.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 150 Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Ecclesia Gallicana Sextum Decretalium non recepit.*

R. Facti quæstio est. Qui Gallicanam Jurisprudentiam norunt, me hac in re falsi non incusabunt, aut erroris. Id ipsa Sexti Glossa confirmat in Cap. 13. *Generali*, Tit. De Electione, *Constitutiones*, inquit, *istius compilationis non fuerunt receptæ in hoc Regno propter istam Controversiam.*

SCHOLION III.

Pag. 153 ejusdem Articuli Religiosi Censores hanc Propositionem notant. *Navus fuere non levis Bonifacii VIII. ipsius inimicitia cum Rege Galliæ.*

R. Hujus rei post *Joannem Villani* testis est S. *Antoninus*, cujus verba eo loci descripsi.

CAPUT II.

De Pontificibus qui Romanam & Universalem Ecclesiam rexerunt Seculo XIV.

ARTICULUS I.

De BENEDICTO XI.

JUSTIS *Bonifacio* VIII. persolutis, summo Purpuratorum Patrum consensu substitutus est *Nicolaus Bocasinus*, Tarvisinus, Cardinalis Episcopus Ostiensis, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus, vir sanctus & eruditus, qui *Benedictus* appellari voluit, & XI. istius nominis numeratur, quamvis X. dicendus esset. *Fridericum* Regem Trinacriæ, qui Anathematis pœnam incurrerat, Regnúmque Interdicto fecerat obnoxium, ob violatam fidem de censu Romanæ Ecclesiæ pendendo pro fiduciarii Principis officio, communioni restituit, templa aperiri jussit, inducias ad solvendum censum perhumaniter ampliavit. (Epistola XXIV.) Sententiam excommunicationis in eos, qui *Bonifacii* Decessoris sui thesaurum diripuerant, promulgavit, à qua, nisi prævia restitutione, absolvi non possent. *Bernardum Roiardi*, Archidiaconum Xantonensem, Capellanum suum, auctoritate Pontificia instructum in Campaniam misit, ut ad illius recuperationem operam navaret. (Epist. XXI.) Disciplinæ Ecclesiasticæ in Servia & locis finiti-
A mis ob Græcorum schisma collapsæ curam Antibarensi Archiepiscopo commendavit: Serviæ Regem *Orosium* ad ejurandum schisma literis amantissimis hortatus est (Epist. CXXV. & CXLIX.) Pacandis Italiæ Provinciis, quæ Guelforum & Gibellinorum, Alborum & Nigrorum, factionibus miserum in modum erant laceratæ, *Nicolaum* Episcopum Ostiensem, ex Ordine Prædicatorum assumptum, Legatum Apostolicum & Paciarium creavit (Epistola LXIX.) Optimates Florentinos, qui pacis consilia disturbabant, & seditioni in Legatum excitatæ faces injecerant, ad dicendam cau-
B sam Apostolico Tribunali sistere se jussit (Epistola CLXX.) *Albertum* Romanorum Regem gravissimis literis commonuit, ut Arces ac Jura Moguntinæ Ecclesiæ erepta restitueret, & indignis pactionibus ad quas Archiepiscopum adegerat, rescissis, benignè cum eo transigeret. (Epistola 577.) *Jacobi II.* Regis Aragonum Oratores ad Clientelare Sacramentum ejus nomine præstandum, ob Sardiniam & Corsicam Insulas, jure fiduciario à *Bonifacio VIII.* impetratas, recepit; ad easque comparandas, decimas redituum Ecclesiasticorum, in Regnis suis, ad triennium concessit, ut *Zurita* refert. Le-
C gationem & literas ab *Insibraimo* Christianorum Orientalium Patriarcha, Chaldaico idiomate conscriptas suscepit, reverentiæ ipsius erga Romanam Ecclesiam ceu cæterarum Matrem & Magistram, & Summum Pontificem, ut omnium Christianorum Pastorem ac Judicem, testes. Illas ex libro Privilegiorum Ecclesiæ Romanæ, Latinè exhibet *Odoricus Raynaldus*, ad annum MCCCIV. Num. XXIII. *Caroli Valesii*, Comitis Andegavensis, consilia de expeditione in *Andronicum*, Schismaticum Orientis Imperatorem, conficienda; & de dotalibus *Catharinæ* Constantinopolitanæ Imperatricis,
D uxoris ipsius, Juribus vendicandis, laudavit: illique Apostolica præsidia peramanter pollicitus est: & Silvanectensi Episcopo in mandatis dedit, ut legata, cæterásque obventiones Terræ-Sanctæ subsidio destinatas, exceptis decimis, ad hoc bellum conficiendum derivaret: quæ etiam ad hoc opus convertendæ essent, si Crucesignatorum copiæ in Syriam non trajicerent. (Epistolis 802. & 803.) Quid Regi Christianissimo *Philippo Pulchro*, & Regno Francorum præstiterit *Benedictus XI.* dicam in Dissertatione de Dissidio *Bonifacii VIII.* cum eodem Rege. *De Benedicto XI.* legantur S.
E *Antoninus* Chronici p. III. Tit. XX. & *Leander* lib. III. De Viris Illustribus Ordinis Prædicatorũ. Admirandum præbuit in tanto fastigio humilitatis exemplum, cùm Matrem pretiosis ornatam vestibus se non agnoscere simulavit; vilibus indutam, prout solita erat, honorificè suscepit, & maximo cum gaudio amplexatus est. Regularium quieti consuluit, eorúmque Privilegia ampliavit, Diplomate quod incipit, *Inter cunctas solicitudines.* Extat lib. V. Extravag. communium, Tit. *De Privilegiis.* Rescindit Constitutionem *Bonifacii*, quæ incipit, *Super Cathedram.* FF. Prædicatores & Minores si-
F ne Antistitum & Presbyterorum licentia Confessiones audire posse, & Pœnitentes absolvere declarat. Confessos Fratribus ad eadem peccata Proprio Sacerdoti rursus confitendum non teneri: Neque Lateranensis Concilii Canonem id postulare. Demum Regulares eos, qui apud se peccata deponunt, monere debere, & in concionibus adhortari, ut Propriis Sacerdotibus saltem semel confiteantur in anno, *asserendo id ad animarum profectum procul dubio pertinere.* Sed novis emergentibus illius Constitutionis occasione inter Episcopos Parochialésque Presbyteros dissidiis, contra *Benedicti* consilium, qui studio pacis ipsam ediderat, eam prudenter abrogavit *Clemens V.* in Concilio Viennensi, &

Regularium Privilegia ampliavit Benedictus XI.

Bonifacianam

Cardinales à Benedicto XI. creati.

Bonifacianam innovavit, *Sacro instante & approbante Concilio*. Tres dumtaxat Cardinales creavit *Benedictus XI.* omnes ex Ordine FF. Prædicatorum, viros pietate & doctrina eximios, *Nicolaum de Albertis*, Italum, patria Pratensem, Theologum Parisiensem, Spoletanum Episcopum, qui ipsius *Benedicti*, & *Clementis* V. gravissimis Legationibus functus est. *Guillelmum Marlesfeldium* Anglum, Baccalaureum Parisiensem, & Sacræ Theologiæ in Oxoniensi Academia Professorem. *Gualterum Vvinterburnum*, pariter Anglum, *Eduardo* Regi à Confessionibus. *Marlesfeldius* morte præventus Infulas non accepit. Ad vitam immortalem translatus est Sanctissimus Pontifex, miraculis etiam post obitum clarus, die sexta Julii, anno MCCCIV. cùm menses octo, dies XVII. Ecclesiam rexisset. Perusii, qua in urbe obiit, apud FF. Prædicatores sepultus. Veneno à Florentinis propinato extinctum Auctores plerique tradunt. In sacrilegi veneficii suspicionem venit *Bernardus Delitiosi*, Minor Monspeliensis, cum *Arnoldo de Villa-Nova* conjuratus, ut constat ex Diplomate *Joannis XXII.* ad Archiepiscopum Tolosanum, & Appamiensem ac S. Papuli Episcopos, dato Avenione, XVII. Calendas Augusti, Pontificatus anno tertio, quo ipsos hujus causæ Judices constituit, & ex Actis quæstionis in ipsum *Bernardum* ab iisdem Præsulibus habitæ, quæ in Archivis Inquisitionis Carcassonensis asservantur, & quorum Excerpta fidelissima præ manibus habeo, quæ docent, damnatum quidem non fuisse, ni plenè convictum hujus & aliorum scelerum, sed ad perpetuum tamen carcerem damnatum, in vinculis ferreis, pane laboris, & aqua angustiæ sustentandum. Regium verò Cognitorem à minori appellasse ad Pontificem Maximum, ac postulasse, ut dictus *Bernardus* Curiæ seculari capite plectendus traderetur. Quod non obtinuit: sed tantùm ut exueretur habitu Ordinis, nec ab alio quàm ab ipso Pontifice indicta ipsi abstinentia temperaretur. Hæc observasse satis. Laudata Instrumenta, si opus foret, integra proferre, & typis mandare operosum non esset.

Ejus obitus & Sanctitas.

ARTICULUS II.

De CLEMENTE V.

Gesta in electione Clementis V.

CUm Sedes Apostolica mensibus undecim vacasset, Cardinalibus duas in partes divisis, quarum una Italum, & *Bonifacii* VIII. memoriæ, consanguineisque & amicis addictum, Gallum altera, vel Regi Christianissimo amicum, eligere in animo habebat: *Nicolaus Pratensis* Ostiensis Episcopus Cardinalis, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus, concordiæ viam proposuit, ut scilicet una pars tres ex Ultramontanis ad Pontificatum idoneos nominaret, altera unum ex illis eligere infra dies quadraginta teneretur; & hic ab omnibus seu canonicè electus Pontifex haberetur & coleretur. *Francisco Cajetano*, Bonifacii VIII. nepoti, & alterius partis capiti, placuit propositio, ea tamen lege, ut ipse cum suis tres illos nominaret. Pactio partis utriusque subscriptionibus firmata est. Tres Archiepiscopos Gallos, *Philippo* Regi infensos, Cajetana factio proposuit. Horum unus erat *Bertrandus de Agutis*, aliàs *Gothus* seu de *Gotho*, Burdigalensis Archiepiscopus à *Bonifacio* Papa creatus, qui ob injurias à *Carolo Valesio* Regis fratre consanguineis suis illatas, Regi subinfensus erat. Nec alii duo erant in ejus Majestatem propensiores. Cardinalis Pratensis, Regis Christianissimi Gallicique nominis studiosissimus, partium suarum Cardinales ad electionem Burdigalensis Archipræsulis inclinavit, eòque adduxit, ut consilio cum nemine communicato, *Philippum Regem* ea de re certiorem facerent, ut *Bertrandum* sibi devinciret. *Quem cùm nossent avidum honoris & gloriæ, ut Vasconem, & ad omnia inflexibilem, ut illa consequeretur, sperabant facilè inducendum ad omnem partem, & amicitiam contrahendam cum Rege Franciæ, & illum ad optata exauditurum, sicut rei postmodum probavit eventus.* Verba sunt *S. Antonini*. Rex acceptis à Cardinali Pratensi literis, Burdigalensem Archiepiscopum, ad S. Joannis Angeli oppidum in Sanctonibus, ad secretum colloquium vocatum, ita sibi obstrinxit, ut nihil non agere in ejus gratiam sponderet, si ejus opera & favore Summus Pontifex crearetur. Sex ab ipso gratiarum capita postulavit. I. Ut veniam absolutissimam concederet læsæ in *Bonifacio* Pontificiæ Majestatis. II. Ut consciis & fautoribus eamdem gratiam faceret. III. Ut decimas omnium redituum Ecclesiasticorum in Galliis, ad resarciendas Flandrici belli expensas in annos quinque sibi assignaret. IV. Ut *Bonifacii VIII.* Acta rescinderet universa, memoriámque damnaret. V. Columnensibus Infulas restitueret, aliósque nonnullos suæ Majestati amicos ad Eminentissimam promoveret Dignitatem. Sextum suo tempore & loco declarandum reservavit. Templariorum extinctionem fuisse creditum est. Quæ omnia cùm Archipræsul se accuratè impleturum jurejurando promisisset, Rex Nuntium ad Cardinalem Pratensem misit, rogavitque ut negotium electionis ipsius promoveret. Electus est itaque ab una parte *Bertrandus*; altera pars secundùm pacta conventa assensum præbuit, Electionis Decreto quindecim omnino Cardinales subscripsere. Tot enim erant in Conclavi, non viginti-quinque ut malè apud *Odoricum Raynaldum* legitur. Illud ex MS. P. *Sirmondi* edidit P. *Cossartius*, collatum cum apographo authentici Diplomatis, quod servatur in Tabulario *S. Andreæ* Burdigalensis Metropoleos. Ad Electum statim à Sacro Collegio missum est cum Literis, quibus ipsius Sanctitatem etiam atque etiam orabant, ut ad Sedem Romanam accederet. Decretum recepit die XXI. Julii, anni MCCCV. illúdque die sequenti *B. Mariæ Magdalenæ* sacra, in Metropoli sua publicavit, sumpto sibi nomine, *Clemens V.* Inde Lugdunum accedens, in Ecclesia *S. Justi*, solemni ritu coronatus est, die XIV. Novembris. Celebritas infaustis ominibus peracta: Dux enim Britanniæ, *Gallardus de Gotto* frater Pontificis, aliíque Nobiles, cum plebe promiscua, ruinâ cadentis muri, dum solemni pompa per urbem procederet, oppressi, collisi. *Carolus Valesius* graviter vulneratus. Pontifex equo delapsus, excussâ Tiarâ, carbunculum amisit ingentis pretii. His auspiciis Pontificia Sedes in Gallias translata est, cum maximo rei Christianæ & publicæ pacis in Italia detrimento: Ibique ampliùs LXX. annis mansit, quam propterea Captivitatem Babylonicam Itali nuncuparunt. Peractis solemnitis, novus Pontifex ea, quæ Regi ante inaugurationem juraverat, implere cœpit. Columnenses pristinæ restituit dignitati, novem alios Cardinales Gallos, & unum Anglum creavit; decimas in quinquennium Regi attribuit, Decretales duas *Bonifacii*, unam quæ incipit, *Clericis Laicos*, alteram quæ incipit, *Unam Sanctam*, quatenus Regi Christianissimo, Gallicanæ Ecclesiæ, & Regno officiunt, revocavit; omniáque ex eis secuta pro infectis haberi jussit: statuens nihilominus contra quoscunque Laïcos exigentes seu extorquentes ab Ecclesiis Ecclesiasticisque personis tallias seu collectas, aut actiones quascunque, & contra dantes ad id faciendum consilium, auxilium, vel favorem: necnon & circa præstandas

præstandas subventiones Laïcis ab Ecclesiarum Prælatis, ac aliis Viris Ecclesiasticis, inviolabiliter observari, quod super his in Lateranensi, aliisque Generalibus Conciliis fuerat constitutum.

Clementis V. cura de Religione propaganda.

Propagandæ studiosus Fidei, *Joannem de Corvino* Ordinis FF. Minorum Professorem, qui Evangelium ab annis pluribus in Tartarorum Imperio, aliisque regionibus Orientis magno cum fructu prædicabat, Cambaliechensem Archiepiscopum, & totius Legatum Orientis creavit, septémque ex eodem Ordine selectos viros, pietate & eruditione præstantes, Episcopali adauctos Dignitate ad illum misit, qui ipsi in Evangelio, & recentis Ecclesiæ regimine velut Suffraganei collaborarent. *Carolum Valesium* ad Constantinopolitanam Expeditionem conficiendam hortatus est, decimis ad biennium ipsi attributis. *Friderico* etiam Trinacriæ Regi, & *Philippo* Tarentino Principi, utriu'que Siciliæ decimas ad parandas copias auxiliares adscripsit. Venetos, quorum res in Imperio è Græcorum manibus eripiendo agebatur, ad ejusdem belli sacri societatem excitavit. (Epistola ccxx. lib. I.) Armeniæ Cypríque Regibus rogantibus, Christianis in Syria contra Saracenos opem ferre, sacra expeditione indicta decrevit, ut constat ex ipsius Epistolis ab *Odorico Raynaldo* ad annum MCCCVI. descriptis *Andronicum* Græcorum Imperatorem in schismate pertinacem Anathemate perculit (Epistola 254. lib. II.) *Carolo Martello* Ungariæ Regnum adjudicavit, adversus *Ottonem* Bavariæ Ducem ipsius æmulum, editâ Constitutione, quæ in ejus Regesto Epistola est 302. lib. II. & refertur ab *Odorico Raynaldo* ad annum MCCCVII. Num. XV. & sequentibus.

Dulcini Hæresiarchæ damnatio.

Dulcinum impurissimum Hæresiarcham damnavit, ejúsque Sectatores sacra indictâ Militia exterminavit, anno MCCCVIII. ut *Bernardus Guido* in Chronico Romanorum Pontificum, *Joannes Villani* lib. VIII. cap. 84. & S. *Antoninus III.* P. Tit. XXI. cap. I. * I. testantur. *Henrici Lucemburgensis* electionem in Regem Romanorum confirmavit, non absque *Philippi* Francorum Regis, qui Imperium ambibat, invidia, ut *Joannes Villani*, & *S. Antoninus* observant. Ad *Urosium* Rassiæ Regem, qui Græcorum schisma ejurare meditabatur, primúmque consilium significaverat Pontifici missis Oratoribus, Nuntios destinavit, *Ægidium* Gradensem Patriarcham, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptum, cum ejusdem Ordinis & FF. Minorum Procuratoribus Generalibus, quibus Formulam Fidei tradidit, quam profiterentur, & disciplinæ leges quas ipsi ejúsque Regno imponerent. (Epistola XXI. & sequenti lib. III.) Vanos fuisse Legatorum labores, quia politicis rationibus à piis consiliis deterritus est *Urosius*, Bernardus Guido testatur. Francos inter, Belgas, & Anglos fœdus adstrinxit *Clemens V.* ut eorum arma in Saracenos converteret. Urgente Francorum Rege ut *Bonifacii VIII.* memoria damnaretur, ossáque ejus, tanquam Hæretici, exhumata in ignem mitterentur: Ejus postulata prudenter delusit Pontifex prima vice: consilio scilicet *Nicolai* Cardinalis Pratensis, ejus Majestati significavit, *Bonifacium* damnari non posse, quin Cardinales ab eo creati redigerentur in ordinem: eosdem porro esse à quibus ipse Pontifex creatus fuerat: Damnari etiam non posse Romanum Pontificem, nisi in Oecumenica Synodo legitimè convictum. Se verò illam indicturum hac de causa, & aliis gravissimis. Ita referunt *Villani*, lib. VIII. cap. 91. & *S. Antoninus* Tit. 21. cap. I. §. 2. Ad annum MCCCVII. id referunt Annales Ecclesiastici. Rege nihilominus vehementiùs postea urgente, Pontifex denuntiavit omnibus volentibus quicquam in accusationem aut defensionem *Bonifacii* proponere, ut se Avenione ad mediam Quadragesimam sisterent, ultra quod tempus nemini præberetur audientia. *Nogaretus* & *Plessiacus*, magno comitatu ad Aulam Pontificiam accessere, veteres accusationes instauraturi. *Franciscus Cajetanus*, Bonifacii nepos, avunculi Pontificis memoriam adversùs accusantium audaciam fortiter defendit. Acta contra *Bonifacium* & pro ipso prolata, & rationes utrinque allegatas, inter Probationes Historiæ celebris illius Dissidii legi possunt. Pontifex tandem à Rege impetravit, ut totum illud negotium Sedis Apostolicæ judicio permitteret. Quod qua ratione composuerit, in Dissertatione de *Bonifacii VIII.* & *Philippi* Regis Dissidio exponam.

Concilii Viennensis indictio, celebratio, & alia Clementis V. gesta.

Synodum Oecumenicam Viennensem indixit, celebravitque *Clemens Quintus* anno Christi 1311. in qua Templariorum Ordo abrogatus & exstinctus est; vindicata *Bonifacii VIII.* memoria; Begnardi & Beguinæ damnati. Eorum, necnon *Petri-Joannis Olivi* errores reprobati & proscripti; Actum de subsidio Terræ sanctæ: Ecclesiastica Disciplina saluberrimis Decretis sancita est. *Roberti* Siciliæ Regis, Ecclesiæ Romanæ fiduciarii defensionem contra *Henricum* Imperatorem suscepit *Clemens*, latámque in eum, ceu Majestatis reum, & Imperii proditorem, exauctorationis & capitis pœnam abrogavit; tum ex eo quòd a Judice cremato, hostéque infensissimo, quem Rex jure adire ad suam defensionem non poterat, & in loco parum non tuto, ob immane odium quod Pisanis cum Rege erat, in absentem nec legitimè in jus vocatum, lata fuisset; tum præcipuè quòd Siciliæ Rex, ratione personæ vel Regni, Jurisdictioni Imperii subditus non esset. Edita est ista *Clementis V.* Constitutio Cap. *Pastoralis*, Tit. *De Sententia & Re judicata*, inter Clementinas. Idem Pontifex *Celestino V.* sub nomine *Sancti Petri* Confessoris sacros honores decrevit, anno MCCCXIII. Diplomate quod incipit his verbis, *Qui fecit magna*. Constitutiones in Concilio Viennensi editas, quæ ab Authore vulgò *Clementinæ* nuncupantur, in Consistorio promulgavit XII. Kalendas Aprilis, ejusdem anni.

Clementinæ.

Ad obsolescentem sensim Fidelium pietatem excitandam, *Urbani IV.* Diplomata de Solemnitate Corporis Christi celebranda renovavit, Cap. *Si Dominum*, *De Reliquiis & veneratione Sanctorum*. Quin & Religiosam Processionis pompam instituisse, Vaticanæ Bibliothecæ Inscriptio testatur. Academiam Perusii erexit. Hebraicæ, Caldaicæ, Arabicæ & Græcæ Linguarum studium in præcipuis orbis Christiani Academiis, maximè in Parisiensi omnium nobilissima, propagandæ Fidei ergo institui jussit.

Cardinales ipso creati.

Cardinales creavit, *Petrum de Taillefer*, Lemovicensem, Tolosanum Episcopum; *Arnaldum Frangerii*, seu *Frigerii*, Gallum, Burdigalensem Archiepiscopum; *Berengarium Fredole*, patria Nacoonensem, Biterrensem Episcopum; *Thomam Jossium*, Anglum, Ordinis FF. Prædicatorum Professorem, olim *S. Thomæ* sub *Alberto M.* condiscipulum, Theologicis lucubrationibus & Commentariis in Genesim, in Psalterium, in Proverbia, in Cantica, in libros *Sancti Augustini De Civitate Dei*, &c. celebrem, Armacanum Archiepiscopum: *Nicolaum de Freauvilla*, * Nobilem Normannum, Conventus Rothomagensis Ordinis FF. Prædicatorum alumnum, in Sacra Facultate Parisiensi Doctorem Theologum, *Philippo Pulchro* Regi Christianissimo à Consiliis & Confessionibus, quem idem *Clemens* Legatione Apostolica in Gallias ornavit, ad sacrum expeditionem promovendam. *Stephanum de Suisy*, Parisiensem, ex Archidiacono Burgensi Franciæ Cancellarium: *Petrum Arnaldi* Bearnensem, Ordinis Benedictini in Monachum, & *S. Crucis* Burdigalensis Abbatem: *Guillelmum de Forges*, Gallum ex Novempopulania, sibi affinitate conjunctum:

Arnaldum

Arnaldum de Pelagrua, Burdigalensem, quem pro recuperanda Ecclesiasticæ ditioni Ferraria Legatum à Latere in Italiam misit. *Nicolaum Gaibum*, suum ex fratre nepotem: *Arnaldum de Falcuerio*, * Gallum, Arelatensem Archiepiscopum: *Bertrandum de Bordis*, Gallum, Episcopum Albigensem: *Raimundum de Fargis*, Gallum, suum ex sorore nepotem: *Arnaldum Novelli*, Gallum, Ordinis Cisterciensis Monachum, & Montisfrigidi in Diœcesi Narbonensi Abbatem: *Bernardum a Garvo, de S. Liberata*, Diœcesis Burdegalensis, consobrinum suum: *Arnaldum d'Aux*, ex pago de Auxio Diœcesis Condomensis, oriundum, Pictavensem Episcopum: *Jacobum de Ossa*, patria Cadurcensem, filium *Arnaldi* tenuis admodum fortunæ viri, ex Forojuliensi Avenionensem Episcopum. *Guillelmum de Mandagoto*, Gallum, virum Juris utriusque consultissimum, Avenionensem Antistitem: *Guillelmum Godinum*, Bajonensem, Ordinis FF. Prædicatorum Professorem, in Sacra Facultate Parisiensi Doctorem Theologum, Sacri Palatii Magistrum, ab eodem Pontifice in Castellam Legatum à Latere missum, ad Ecclesiæ Regnique negotia componenda: *Vitalem de Furno*, Gallum, patriâ Vasatensem, Ordinis FF. Minorum Theologum insignem: *Michaelem du Bec*, Gallum, Parisiensis Ecclesiæ Canonicum: & *S. Quintini* Decanum. *Guillelmum Testam*, Gallum, patriâ Condomiensem. *Petrum S. Severi de Rostagno*, Ordinis Benedictini, in Diœcesi Tarbiensi Abbatem. Quatuor uno eodémque tempore Cardinales habuit sacer Prædicatorum Ordo, *Nicolaum de Albertis*, *Pratensem*; *Thomam Jorsium*, *Nicolaum de Freauvilla*, & *Guillelmum Godinum*. Obiit *Clemens V.* apud Rupem Mauram supra Rhodanum, XII. Kalendas Maias, anno MCCCXIV. cùm annos octo, mensibus decem, diebus quindecim sedisset. Ejus corpus Uzestæ in Diœcesi Vasatensi conditum est. Confictas in ejus odium calumnias, ob Sedis in Gallias translationem, & Ordinis Templariorum extinctionem, Itali Scriptores vulgarunt, nimiúmque credulus *S. Antoninus* literis mandavit.

* De Flegueriis seu De Falgueriis alii vocant.

Quatuor simul Ordinis Dominicani Cardinales.

ARTICULUS III.

De JOANNE XXII.

I. DISSIDENTIBUS post *Clementis* obitum Cardinalibus, vacavit Apostolica Sedes annos duos, menses tres, dies septemdecim: Demum à *Philippo* Comite Pictavensi, *Ludovici* Regis Christianissimi Fratre, specie negotiorum Regni, aliorúmque privatorum, Lugdunum acciti, in Conclavi apud FF. Prædicatores parato inviti reclusi sunt, in Vigilia SS. Apostolorum *Petri & Pauli*, minis interitis inde non dimissos iri, donec de Pontifice convenissent. Die VII. Augusti ejusdem anni MCCCXVI. Pontificem creatunt *Jacobum de Ossa*, Cadurcensem, patre sutore veteramentario natum, qui ab Archiepiscopo Arelatensi institutus, Forojuliensis Episcopus, *Roberti* Siciliæ Regis Cancellarius, postmodum Episcopus Avenionensis, tandem Cardinalis Episcopus Portuensis creatus. Cardinales compromissum de illo eligendo fecisse, quem ille nominasset, ipsúmque Neapoleone *Ursino* suadente seipsum nominasse, *Joannes Villani* lib. 9. cap. 79. & *S. Antoninus* III. P. Chronici Tit. XXI. cap. III. testantur. Quod aliorum Scriptorum silentium, & maximè *Ludovici Bavari*, aliorúmque istius Pontificis hostium, qui sibi à tam impotentis ambitionis labe ipsi objicienda non temperassent, in acerbissimis adversùs illum invectivis, ut in dubium meritò revocetur efficiunt: præsertim, cùm *Joannes XXII.* (id enim nomen sibi sumpsit) in Encyclicis de electione sua literis, se à Cardinalibus *concorditer*, nemine discrepante, in Summum Pontificem *electum*, *timore ac tremore concussum vehementer hæsitasse*, an tam pavendo oneri imbecilles supponeret humeros, testetur. Quod [...] non scripsisset homo, qui ambitione impotenti seipsum elegisset. Multa graviáque negotia *Joannem XXII.* exercuere. Gravissima omnium fuere, *Ludovici Bavari* Imperatoris Schisma, & factiones in Ordine FF. Minorum exortæ.

Seipsum Pontificem non nominavit Joannes XXII.

II. Vacante post *Henrici Lucemburgensis* obitum Imperio, Comitiis legitimis, pluribusque suffragiis electus fuerat *Ludovicus* Bavariæ Dux: Conventiculo Schismatico, & paucioribus, dubiisque *Fridericus* Austriacus. Scilicet Francofurti electus fuerat *Ludovicus* ab Archiepiscopis Moguntino & Trevirensi, *Joanne* Rege Bohemorum, *Valdemaro* Brandeburgensi Marchione, & *Joanne* Saxonum Duce. *Henricus* Coloniensis Archiepiscopus, & *Rodolphus* Comes Palatinus adesse vocati renuerant, habitóque seorsim cum duobus aliis Principibus, quos tanquam Electores non agnoverant in Literis pro Comitiorum indictione datis, consilio, *Fridericum* elegerant Austriacum. Aquisgrani, secundùm antiquos mores, ab Archipræsule Moguntino *Ludovicus* coronatus fuerat. Missum electionis Decretum ad Summum Pontificem futurum; tunc enim Sedes Apostolica vacabat, cum literis ejus Sanctitatem rogantibus, *Ut ipsum Electum in Regem Romanorum amplectens, munus inunctionis & consecrationis, & sacri Imperii Diadema ipsi dignaretur loco & tempore favorabiliter impertiri.* Datæ sunt x. Kalendas Novembris anno MCCCXIV. Similes ad Pontificem futurum Literas dedit adversa factio, quas ex Cartophylacio Serenissimorum Bavariæ Ducum edidit *Herwartus* Bavariæ Cancellarius, Tom. I. & electionis *Ludovici* jus evidens & inconcussum fuisse, tam luculentis argumentis probavit, iis ut nihil opponi valeat. Idque confirmant Auctores coævi, *Joannes Villani*, lib. 9. cap. 66. *Rebdorfius*, *Albertinus Mussatus*, & Scriptor Anonymus Gestorum *Balduini de Luxemburgo* Trevirensis Archiepiscopi, lib. 3. cap. I. editus à Clarissimo *Balusio* ex veteri MS. Bibliothecæ Colbertinæ, Tom. I. Miscellaneorum. His duobus Principibus de Imperio contendentibus, *Joannes XXII.* causam ad se trahere meditatus est. Clementinas primùm promulgavit, quas inter Cap. *Romani Principes*, Tit. XI. *De jurejurando*, declarat *Approbationem personæ ad Imperialis celsitudinis apicem assumendæ, necnon unctionem, consecrationem, & Imperii coronam*, Romanos Principes à Summo Pontifice accipere, & *Juramentum fidelitatis* eidem Pontifici & Ecclesiæ Romanæ præstare debere. Postmodum edita Constitutione, omnes & singulos Imperii Vicarios sive Præfectos, quos *Henricus VII.* Imperator in Italiæ civitatibus obnoxiis Imperio instituerat, exauctoravit, vacantis Imperii administrationem ad Romanum Pontificem spectare contendens: *Cui in persona B. Petri terreni simul & cœlestis Imperii Jura Deus ipse commisit.* Pœnaque Anathematis intentatâ, cum in dictos Vicarios, tum in eos qui mandatis ipsorum parerent, rescissisque sacramentis ea de causa præstitis, totam Imperii Jurisdictionem, regimen, & dispositionem ad se devolutam edixit Epistola data XI. Kalendas Aprilis anno MCCCXVII. Et est LXXVI. lib. I. Refertúrque inter Extravagantes Communes, Tit. *Ne sede vacante aliquid innovetur*, Cap. *Si fratrum.* Secundùm hæc, *Robertum* Siciliæ Regem Imperii Vicarium in Italia constituit, donec Imperator inaugurarctur. *Ludovico* verò *Bavaro*, &

Dissidium ejus cum Ludovico Bavaro.

Friderico Austriaco, Imperii Competitoribus diem dixit, quà jura sua instrumentis & rationibus ad Sedem Apostolicam vindicarent, ut causâ cognitâ, alterutri adjudicaretur Imperium. (Epistola 237. anni 1.) Armis quàm legibus agere maluit *Bavarus*, imprudenter se facturum arbitratus, si electionem evidenter legitimam arbitrio Pontificis, quem noverat in *Fridericum* æmulum propensiorem, confirmandam vel rescindendam permitteret. Cruento prælio dirempta controversia est. *Fridericus* & *Henricus* ejus frater in *Bavari* victoris potestatem venere, qui *Fridericum* arctissimæ custodiæ tradidit. *Ludovicum* hortatus est Pontifex ad referendas de victoria Deo grates, ad explicandam in victum æmulum clementiam, sequestrem se pacis inter ipsos offerens. (Tom. III. Epistolarum Secretarum pag. 159.) Data est anno Pontific. 7. Christi MCCCXXII. Flagrabat bellis civilibus Italia, Gibellinis & Guelfis in mutuum excidium sævientibus. *Matthæum Vicecomitem*, Gibellinæ factionis ducem potentissimum, ob pertinaciam in retinendo Imperii apud Mediolanenses Vicariatu, & impietatis atque hæreseos labem, qua fœdat, per calumniam forsan, aspersus, anathemate devinxerat *Joannes XXII.* in Guelforum factionem propensior, quòd illa Ecclesiæ jura tueretur, pro antiqua pugnans libertate. Gibellinorum partes promovebat *Ludovicus Bavarus*, quòd res agendo suas, Imperii auctoritatem in Italia augerent, firmarentque. Mediolano, à Ducibus Pontificiis & Guelfis obsessa, rebusque Gibellinorum in summo discrimine constitutis, *Ludovicus Bavarus* obsessis misit suppetias, obsidio soluta, Gibellinorum vires confirmatæ, anno MCCCXXIII. Id indignissimè ferens Pontifex, octavo Idus Octobris Monitorium mittit ad *Ludovicum Bavarum*, quo ipsi improperat quòd Imperii Principibus in diversa studia divisis, duobúsque in discordia electis, ipso nimirum *Ludovico*, & *Friderico Austriaco*, ille Regium nomen, & administrationem Regni & Imperii usurparit, electione sua nondum ab Apostolica Sede, ut juris ac moris est, discussâ & confirmatâ; quòd insuper Vicecomitibus, aliisque Ecclesiæ hostibus, hæreseos etiam damnatis, faverit, eósque contra Ecclesiam juverit, ac etiamnum tueatur. Proinde ipsi jubet sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, ut infra tres menses, ab Imperii administratione, dictorúmque Perduellium defensione sibi temperet. Viris quibuslibet Ecclesiasticis, sub pœna suspensionis ab Officio & Beneficio ipso facto incurrendis; civitatibus, communitatibus, universitatibus, & personis secularibus cujuscunque conditionis, sub pœnis Excommunicationis in eorum personas, & Interdicti in terras, necnon privationis Privilegiorum quorumcunque Apostolicorum & Imperialium, atque etiam feudorum, quæ ab Ecclesia vel Imperio obtinent, prohibet ne ipsi *Ludovico* tanquam Regi seu in Regem Romanorum electo pareant vel faveant, donec ejus electio discussa fuerit, & si jus postulaverit, approbata. Monitorium istud apud *Odericum Raynaldum*, ad annum MCCCXXIII. Num. XXX. & apud *Herwartum*, Tom. I. pag. 194. legere est.

Joannis XXII. Monitorium ad Ludovicum Bavarum missum.

His acceptis, Oratores ad Sedem Apostolicam mittit *Ludovicus*, ut causas Monitorii ac Sententiæ latæ agnoscat, diémque constitutam protrahi obtineat. Bavaricis Oratoribus significat Pontifex, Monitorium Sententiámque suam æquitate niti, se, ni pareat *Ludovicus*, post duos quos adjicit induciarum menses, in ipsum summo jure acturum. Minacibus responsis ad Bavarum perlatis, ille Conventu habito Nurembergi, de consilio Principum, Episcoporum, Doctorúmque plurimorum, solemnem coram Notariis Protestationem edit die 18. Decembris, quâ singulis Monitorii Pontificii capitibus respondet. Ad primum, Romanorum Regem hoc ipso quòd à Principibus Imperii, ad quos spectat, electus est, sive ab omnibus, sive à majori numero, & in solitis locis coronatus, Regio nomine insigniri, Juráque Regia exercere: proinde cùm notum sit à majori numero Electorum se electum fuisse, Jura omnia administrandi Imperii se consecutum: sibi à Pontifice injuriam fieri, maximè cùm annos ferme decem in pacifica Regii nominis juriúmque possessione fuerit, electione sua & persona nequaquam reprobatis. A Summo Pontifice perperam allegari quòd Imperium vacet, ejúsque administratio sit ad Sedem Apostolicam devoluta; cùm ipse Rex sit legitimus, & Regni atque Imperii administrandi potestatem habeat, solæque sibi desint Imperiales Infulæ: se non convenire quòd electionis & personæ electæ examen, approbatio, vel repulsa, simpliciter ad Sedem Apostolicam pertineat: Sed si hanc auctoritatem sibi vendicet Pontifex, tunc demùm ipsi convenire, cùm per querelam, vel per viam supplicationis, vel appellationis, negotium ad ipsum devolutum est, quod in præsenti causa locum non habet. Approbationem electionis suæ à Sede Apostolica, si postulasset, haud novum jus sibi tributuram, sed jus electione jam quæsitum explicaturam atque commendaturam. Hanc veritatem ratione, Canonibus, Legibus, Doctorum utriusque Juris sententiis, usu & consuetudine veteri comprobari. Ad secundum respondet, sibi non innotuisse, quòd Vicecomites, & alii, quos in clientelam suscepit, hæreseos damnati essent; non videre se quomodo sint vel fuerint adversùs Ecclesiam perduelles; sibi compertum esse eo nomine infamari, qui jura Imperii tuentur. *Joannem* ipsum XXII. hæreticæ pravitatis esse fautorem: dissimulasse delatas ad Sedem Apostolicam querimonias de sigillo Confessionis à Ministro Generali, Custodibus & Guardianis FF. Minorum sacrilegè violato. Quamobrem ad Concilium Generale appellat, quod in communem congruúmque locum postulat quantocyus congregari: cui se adfuturum etiam pollicetur. Facta hæc Protestatio anno MCCCXXIII. Indictione VI. quam apud *Herwartum*, Tom. I. pag. 251. legere est.

Ludovicus Bavarus edita protestatione Monitorio Pontificis respondet.

Calumnia in FF. Minores.

Anno MCCCXXIV. de angustioribus temporis metis ad agendam causam sibi à Pontifice constitutis palam conquestus, Formula solemni contestatus est, se Romanam Ecclesiam *Magistram Fidei Catholicæ*, Matrem suam, colere, diligere, fovere; sibi propositum esse, statum ejus, juráque tueri; hostes ejus & rebelles, vel à professione dictæ fidei aberrantes, hostiliter persequi, exterminare. Si contra ipsam excesserit, paratum esse ad ejus correctionem emendari, ejúsque consilio & regimine gubernari; Summo Pontifici *obedientiam, devotionem, & reverentiam* profiteri. Cæterùm se Romani Imperii statum, jura, res, & honores pro officio suo, & præstito sacramento fortiter defensurum. Hanc Protestationem refert *Herwartus*. Fucum pluribus fecit hujusmodi Contestationibus, editísque pro juris sui defensione libellis: *Joanni XXII.* facere non potuit, qui ipsum Sedi Apostolicæ sistere se renuentem, omni jure ex electione quæsito sententiâ latâ privatum denuntiavit, aliis pœnis intentatis, nisi Mandatis Pontificiis pareret. Id actum V. Idus Julii anno MCCCXXIV.

Protestatio altera Ludovici Bavari.

Sententia in Ludovicum Bavarum à Joanne XXII. lata.

Hàc sententiâ perculsus, & anathemate, ob contumaciam, ineunte Octobri confixus *Ludovicus*, virulentam Epistolam seu famosum libellum contra Pontificem vulgat, *Joanne Jandumo* Perusino, *Marsilio de Menandrino* Patavino, & *Ockamo*, venalem calamum commodantibus: quo ipsum multis criminibus accusat, & præcipuè hæreseos con-

Ludovici Bavari in Pontificem calumniæ & Appellatio.

tra paupertatem Christi & Apostolorum, suis Constitutionibus, *Ad Conditorem Canonum*, &, *Cum inter nonnullos*, asseritæ. Tum suo & clientum Imperii nomine, *Ad Concilium Generale* appellat; quod loco sibi suisque tuto congregari petit, *& ad verum & legitimum futurum Summum Pontificem, & ad Sanctam Matrem Ecclesiam & Apostolicam Sedem, & ad alium vel alios, ad quem vel ad quos fuerit appellandum.* Refert Bzovius ex MS. Vaticano. Legatur & Herwartus Tom. I. Eodem anno *Marsilius de Padua*, profligatæ doctrinæ Scriptor, & *Ludovico Bavaro* contra veritatem & Ecclesiam ignavè serviens, librum edidit de Jurisdictione Imperiali & Pontificia, sub titulo *Defensorii pacis.* Cujus ac *Jandini* errores, libro persimili *De Potestate Ecclesiastica* vulgatos, damnavit, Authorésque anathemate confixit *Joannes XXII.*

Venales & Hæretici Scriptores.

Anno MCCCXXVII. *Ludovicus Bavarus* à Gibellinis in Italiam excitus, habito Tridenti Conventu Gibellinorum, necnon Episcoporum, Abbatum, Monachorum, exauctoratorum, perduellium, excommunicatorum, apostatarum, maxima ex parte, *Joannem XXII.* cùm ob alia capita, tum maximè ob editas de paupertate Christi Constitutiones, indignum Pontificatu & Hæreticum denunciare ausus est. Inde Mediolanum progressus, Corona ferrea redimitus est ab Episcopis duobus propter crimina exauctoratis. *Ludovicum* Mediolani existentem Oratores Avenionem ad Pontificem misisse, qui peterent ut Imperatoria Insignia more majorum sibi benignè conferret, unus scripsit *Cuspinianus*, quod parum verisimile videtur; cùm jam aleam jecisset, nec aliud sperare posset quàm ignominiosam repulsam. Interea Romani *Matthæum Ursinum*, Ordinis FF. Prædicatorum Professorem, qui postea Cardinalitiis infulis ornatus fuit, ad *Joannem XXII.* Legatum misere, qui Senatus Populique nomine Sanctitatem ejus rogaret, ut reditum in urbem maturaret; exponerétque, præsentiam ipsius ad propulsandum *Bavarum* esse necessariam, cùm Nobilium, civiúmque cæterorum plurimi in eum propenderent. Blandis ipsos literis demulcere, hortari ne officio deessent, ne Ecclesiæ Hosti faverent, satis habuit *Joannes*, cujus eas literas *Odoricus Raynaldus* ad annum 1327. Num. 8. describit: sed in tanto rerum discrimine aliis remediis opus erat. Jam enim curandæ publicæ salutis specie res in rebellionem eruperat. *Neapoleo Ursinus*, & *Stephanus Columna*, Pontificiorum partium vindices potentissimi, pulsi Roma fuerant: Siciliæ Regi, Senatori, interdictus Urbis aditus; *Sciarra Columna*, Gibellinæ factionis vir, adjunctis quinquaginta duobus viris, ex singulis Regionibus urbanis selectis, publicæ rei administrationi præfectus fuerat. Missi rursus ad Pontificem Oratores, datæque literæ à Romanis, ut ipsum protinus Romam venire monerent, urgerent, ni veniret, *Ludovicum* in Urbem admissum iri minarentur. Tres tantum Oratoribus concessi dies, quibus in Aula Pontificia morarentur. *Joannes* respondit, E vestigio provolare in Urbem se non posse, insidias & pericula terra marique occurrentia iter prohibere, statum Urbis pacatum non esse ac securum; Nobiles ejectos ac arces tradere compulsos; *Roberto* Siciliæ Regi suo in Urbe Vicario, ejúsque fratribus interdictum accessum; *Ludovicum Bavarum*, palam jactare sibi favere Romanos; *Sciarram Columnam* in ejus gratiam urbanam administrationem ac negotia convertisse. Romam se aditurum opportunitate datâ, se Nuncios mittere qui mentem suam ipsis aperiant; ipsos hortari ut in fide Sedis Apostolicæ constanter perseverent. *Joannem* Cardinalem *Ursinum* Sedis Apostolicæ Legatum in Urbem aut viciniora loca proficisci jussit, & ad seditionem sopiendam incumbere; Patritios Pontificis partibus addictos ad rem strenuè gerendam excitavit. Literas *Joannis XXII.* partim describit, partim indicat *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXVII. Num. X. & sequentibus. Eodem anno X. Kalendas Novembris Pontifex hæreseos judicium adversùs *Ludovicum Bavarum* instituit, quòd damnatum errorem negantium Christum & Apostolos Jus in res, quibus uterentur, obtinuisse, libellis sigillo suo munitis asseruisset atque vulgasset; ac *Marsilii de Padua* & *Joannis Janduni* scatentem erroribus & hæresibus librum non modò suscepisset, sed eos errores, spretâ virorum Catholicorum & eruditorum admonitione, in terris ditioni suæ subditis doceri permisisset. Quòd etiam diversis gravatus excommunicationum sententiis, in locis interdictis Divina coram se juberet celebrari; ex quo præsumebatur, immo convincebatur clavium sanctæ Ecclesiæ contemptor, ac labe pravitatis hæreticæ respersus. Quamobrem ipsum III. Nonas Aprilis proximè præteriti citatum, neque comparentem, sed contumacem, velut Hæreticum damnavit, & bonis omnibus mobilibus & immobilibus, juribus, jurisdictionibus, ubicumque essent; & specialiter Comitatu Palatino Rheni, & jure suffragii in electione Regis Romanorum privatum edixit: Vassallosque ipsius, & quascunque personas illi obstrictas à Juramento fidelitatis absolvit; Fidelibus prohibuit universis ne illi parerent, aut cum eo communicarent. Processus demum hucusque contra illum factos, latásque Sententias confirmavit. Hanc Sententiam ex Codice Vaticano descriptam edidit *Odoricus Raynaldus* ad annum M. CCCXXVII. Num. XX. & sequentibus.

Turba Romæ excitæ.

Ursinæ gentis in Pontificem & Rempublicam merita.

Gravior in Ludovicum Bavarum sententia.

Anno MCCCXXVIII. septimo Januarii die, Ludovicus Bavarus cum quatuor millibus Equitum Romam ingressus est, & in Basilica *S. Petri* à *Sciarra Columna*, quatuor Populi Romani Syndicis assistentibus, Imperator coronatus; in cujus rei memoriam ipse, posterique ejus ad antiquum gentis insigne, quod est *columna*, coronam addidere. Ita referunt *Joannes Villani*, lib. X. cap. 56. & *S. Antoninus* III. p. Tit. 21. Cap. 6. §. 6. Inunctus est à *Jacobo Alberto*, Venetiarum Episcopo exauctorato. Imperialibus Infulis ornatus, pias quasdam Leges ad ostentationem tulit, de Fide Catholica incorrupta servanda, de tuenda libertate Ecclesiastica, de viduis & pupillis defendendis. Demum instigante *Marsilio Paduensi*, homine hæretico, quem Vicarium Pontificis ausu sacrilego constituerat, *Joanni XXII.* Pontifici Maximo vicem reddere molitur. Lege lata contra Hæreticos, qui malè de Deo aut Imperiali Majestate sentirent, ut à quolibet Judice, etiam non rogato, nec servatâ in flagranti delicto Judiciorum forma, damnari possent, die XVIII. Aprilis anni MCCCXXVIII. convocata concione, supra gradus Basilicæ *S. Petri*, Imperatorio cultu sedens in Throno Majestatis, jussit primò Fratrem *Nicolaum Fabrianensem*, Ordinis Eremitarum *S. Augustini*, perpetuo carcere à Priore suo Generali damnatum, & profugum, magna voce, quâ plurimum valebat, percontari, num aliquis *Jacobi Caducensis*, Presbyteri, qui se *Joannem XXII.* dicebat, defensionem suscipere vellet. Eadem interrogatione Præconis impudentissimi voce semel iterúmque ingeminatâ, respondente nemine, Fuldensis Abbas, multis in laudem *Ludovici Bavari*, in probrum *Joannis XXII.* pro concione dictis, Sententiam legit; quâ *Bavarus* multis criminibus impactis *Joanni*, scilicet desertionis Ecclesiæ Romanæ, emunctæ & coacervatæ per iniquas decimationes pecuniæ specie belli sacri, reservationis Beneficiorum & collationis eorum

Lud. Bavarus coronatus.

indignis, etiam simoniacè, oppressionis Cardinalium Prælatorumque cæterorum, doctrinæ Christi & Apostolorum de dominio temporali Imperatorum subversæ, hæreseos contra paupertatem Christi & Apostolorum assertæ: Ipsum Pontificatu privatum, omnique Beneficio, & Ecclesiastici Ordinis vel secularis auctoritatis privilegio exutum, à quolibet etiam Laïco Judice puniendum pronunciavit. Sententiam istam refert *Nicolaus* Ordinis Minorum Apostata in MS. Vaticano. Quarto post die, *Jacobus Columna*, ingenii animi adolescens, tacitè Romam ingressus, latam à *Joanne* Pontifice Maximo in Bavarum Sententiam in magna populi frequentia promulgavit, ac foribus Basilicæ *S. Marcelli* affixit, citò se subducens Schismaticis. In cujus egregii facinoris præmium Avenionem à Pontifice vocatus, ac laudibus, quas ejus virtus merebatur, cumulatus, Lomberiensis Episcopus renunciatus est, illustrioribus ornandus infulis, nisi morte immatura præreptus fuisset, de quo *Villanus* lib. IV. cap. LXXI. & *Petrarcha* Epistola VI. Familiari lib. IV. legendi. Die XII. Maii qua gloriosæ Christi in cœlos Ascensionis celebrabatur Solemnitas, *Ludovicus Bavarus*, Schismaticis & Apostatis Minoritis, cum Abbate Fuldensi, *Nicolao Fabrianensi*, aliisque similis farinæ viris, cum promiscua plebe congregatis, *Petrum Raynalducii de Corbaria*, Ordinis FF. Minorum Professorem, qui tunc in Urbe ad S. *Mariæ de Ara cœli* habitabat, & magno religionis nomine audiebat, cæterùm insignem *Hypocritam, decimantem mentam & anetum in quibusdam abstinentiis exterioribus, & in abditis loculos compilantem, & inter mulierculas Romanas continuè residentem, & gloriam aucupantem*, ut testatur qui cum ipso in eodem Conventu vixerat *Alvarus Pelagius* lib. I. *De Planctu Ecclesiæ*, cap. 27. Hunc, inquam, rogato ipsorum assensu, Antipapam creavit Bavarus, & *Nicolaum* appellavit, ab eoque iterum coronatus est, cùm ipsi priùs purpureum pileum imposuisset. *Corbarium*, scenicum Pontificem, Cardinales creantem, verum ac legitimum Christi Vicarium & S. *Petri* Successorem, & Catholicos omnes diris devoventem, Legatos etiam in Orientis partes mittentem, *Joannes XXII.* Anathemate, cum omnibus schismatis ipsius fautoribus, confixit. Dei, preces Ecclesiæ audientis auxilio, & *Roberti* Siciliæ Regis, ac *Joannis Ursini* Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legati virtute, res *Ludovici Bavari* Romæ Italiáque totâ sensim dilapsæ sunt. Romani, cæterique populi, ad Pontificis fidem & obedientiam rediere, Schismaticos execrati. Accidit interim lepidum illud quod *Uvadingus in* Annalibus Minorum, aliique Annalium Scriptores commemorant; ut *Joanna Matthæi*, uxor *Petri de Corbaria*, qua reclamante & invita Minorum Ordinem professus fuerat, sive ab aliis inducta, sive opibus quibus ille splendebat, illecta, repeteret maritum Pseudo-Pontificem, quem tot annis spreverat Monachum Mendicantem. *Joannis* Reatino Episcopo libellum porrexit, qui causa cognita, Sententiam tulit III. Kalendas Decembris anni MCCCXXVIII. nullo justo titulo dissolutum fuisse conjugium, ac proinde *Petrum*, qui mutato nomine se *Nicolaum* dicebat, ad *Joannam* reverti debere. Totius rei Processus & Sententiæ autographum ad *Joannem XXII.* missa sunt, quorum varia exemplaria ad Principes Catholicos transmisit, ut constat ex Regesto Vaticano in lib. Secret. ann. 13. fol. 118. quod indicat *Uvadingus* qui pervolvit, & *Bernardus Guido* visam à se Sententiam testatur. Sic omnibus ludibrio fuit scenicus Pontifex. *Bavaro* in Germaniam reverso, rebúsque ipsius in Italia profligatis, *Corbarius* Comiti *Bonifacio* se credidit, quo sequestre veniam à Summo Pontifice obtinuit, Insignia deposuit, schisma & errores ejuravit, Pisis primùm, postremò Avenione, cùm se laqueo collo injecto ad *Joannis XXII.* pedes abjecisset. Formulam qua schisma & errores *Michaelis de Cesena*, & *Ludovici Bavari*, ejuravit & execratus est, omniáque à se gesta tempore Pseudopontificatus damnavit, ex Archivis Arcis S. Angeli & Vaticanis edidit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXX. Num. XI. & sequentibus. Promissa eliciuerat à Pontifice *Bonifacius* Comes, ut *Petrus de Corbaria* ab Ordinis sui obedientia absolutus, nulli nisi Pontifici subditus esset, & tria aureorum millia illi ad vitam sustentandam ex ærario Pontificio quotannis penderentur. Conditiones implevit Pontifex, sub honesta nihilominus custodia illum in Palatio retinens, ut probaretur an ambularet in tenebris vel in luce, ibique eum tractans ut familiarem, sed custodiens ut hostem (inquit *Bernardus Guido* qui tum vivebat, in Chronico) Vixit autem in illo secessu tribus annis & mense uno, ut testatur *Villanus*. Gravissimum fuisse *Ludovici Bavari* scelus, Pontificem judicare præsumentis & exauctorare tentantis, nemo Catholicorum negaverit, quamvis reus fuisse Pontifex supponeretur: nec purgare hoc facinus potuit *Hervartus*. Hoc de argumento lege *Alvarum Pelagium*, lib. I. *De Planctu Ecclesiæ*, Cap. 68.

Nicolaus Antipapa.

Antipapæ abdicatio, & pœnitentia.

III. Alterum quod *Joannem XXII.* diu multúmque exercuit negotium, factiones fuere in Ordine FF. Minorum excitatæ, & quæ longiùs progressa est de sensu & observantia Regulæ *S. Francisci*, quoad Evangelicam paupertatem, controversia. Jam olim Regulam Seraphici Patriarchæ interpretatus erat *Nicolaus III.* celebri Decretali, quæ incipit his verbis: *Exiit qui seminat*, declaraveratque inter alia: *Abdicationem proprietatis omnium rerum, tam in communi; quam in speciali, propter Deum*, quam FF. Minorum Regula præcipit, *meritoriam esse & sanctam, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit: quamque primi Fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfectè vivere, per doctrina ac vita exempla in eos derivarunt.* Quidam subinde strictioris observantiæ specie secessionem ab Ordine facientes, à *Celestino* V. facultatem obtinuerant erigendæ Congregationis sub nomine Eremitarum *Celestini* Papæ, in qua *S. Francisci* Regulam ad literam observarent. Id ut impetrarunt, in parvam quamdam Græciæ Insulam secesserant ut à vexatione Generalis Ministri, qui schisma funestum Ordini pati nolebat, tuti essent. *Bonifacius VIII.* Congregationem abrogaverat, jusseràtque sub pœnis anathematis, ut ad Generalis obedientiam redirent. Paruerant quidam; alii, mortuo præsertim *Bonifacio*, in Siciliam, Provinciam, Occitaniam fugerant, multisque in partes novæ Reformationis, immo contumaciæ tractis, Congregationem ita propagarant invitis Superioribus Ordinis, & Romana Ecclesia repugnante pullulantem, ut brevi totus Ordo duas in partes scissus fuerit; aliis *Spiritualium*, sive *Fratrum strictioris Observantiæ*, aliis *Conventualium*, seu *Fratrum Communitatis* nomine insigniis. Magna contentione animorum inter ipsos de observantia Regulæ S. *Francisci* disceptabatur, cùm Viennense Concilium à *Clemente V.* celebratum est. Spiritualium dux erat F. *Ubertinus de Casalis*; Conventuales Generali Ministro totius Ordinis parebant. Rem sua Patrúmque providentia dignam censuit Pontifex, Ordinis sanctissimi tranquillitati consulere. Discussâ diu per Cardinales selectos, & diversorum Ordinum Doctores controversiâ, celebrem Constitutionem edidit, quæ incipit his verbis: *Exivi de Paradiso*: qua dubia circa Regulæ observantiam

Schisma & factiones in Ordine FF. Minorum, ob quæstionem de paupertate Evangelica exortæ.

tiam

tiam exorta discussit, nullam bonorum sive mobilium sive immobilium proprietatem aut dominium Fratribus, *tam in speciali quam in communi*, Regulam permittere declarans, sed *tantummodo usum facti simplicis*. Ipsos nihilominus *Professione sua Regula specialiter obligari ad arctos usus seu pauperes, qui in ipsorum Regula continentur; & eo obligationis modo, sub quo continet seu ponit Regula dictos usus. Dicere autem quod hæreticum sit tenere, usum pauperem includi vel non includi sub voto Evangelicæ paupertatis*, *præsumptuosum & temerarium* judicavit. (Lib. v. Clementin. Tit. *De verborum significatione*) Cæterùm Patrum suffragiis in secreto Consistorio decretum esse, modum vivendi Communitatis Ordinis licitum esse, & sufficientem ad veram Regulæ *S. Francisci* observantiam. *Uvadingus* observat. *Clemente* Papa defuncto, Franciscani segreges, novos tumultus, cum in Trinacria, tum in Occitania, Narbonæ præsertim & Biterris, excitarunt, quos *Joannes XXII.* initio Pontificatus comprimere studuit, rogante *Michaele Cesenate*, Generali Ordinis Ministro, jussitque illis qui falso Spiritualium nomine gloriabantur, ut ad gremium & obedientiam Ordinis redirent. Qua de re legi potest *Uvadingus* ad annum Christi MCCCXVII. Præcipua discordiæ ratio, discrimen habitus, & frumenti vinique in granariis & cellariis congregatio. Nam qui *Spiritualium*, & *FF. strictioris Observantiæ* sibi nomen arrogabant, *habitus curtos, strictos, insuetos, squallidos* assumpserant, nec eos jussi à Superioribus deponere volebant, immo Conventualium habitum, *superfluum ac irregularem* esse procaciter contendebant. Illicitum etiam esse frumentum & vinum in granariis & cellariis congregare, quamvis eleemosynis quæsitum. Hanc discordiam ut tolleret *Joannes XXII.* Constitutionem edidit, quæ incipit his verbis: *Quorumdam exigit*, qua Ministrorum, Custodum, Guardianorúmque judicio commisit, determinare, arbitrari atque præcipere *cujus longitudinis & latitudinis, grossitiei & subtilitatis, formæ sive figuræ, atque similium accidentium esse debeant habitus, caputia, & interiores tunicæ* FF. Minorum: & similiter, *ubi & quando & quoties granum, panem, & vinum, pro vita Fratrum necessariis, Fratres ipsi quærere debeant, conservare sive reponere, etiam in granariis & cellariis.* Jussitque omnibus & singulis, ut in his Superiorum arbitrio ac judicio starent ac parerent, sub pœna excommunicationis. *Religio namque perimitur*, inquit, *si à meritoria subditi obedientia subtrahantur. Magna quidem paupertas, sed major integritas, bonorumque obedientia maxima, si custodiatur illæsa. Nam prima rebus, secunda carni, tertia verò menti dominatur & animo.* (Extravag. *Quorumdam*, Tit. XIV. *De verborum significatione.*)

Anno MCCCXVIII. Inquisitorum actionibus fatigati segreges Minoritæ, in Siciliam secessere, ubi quemdam Ordinis refugam & apostatam, *Henricum de Ceva*, sibi Ministrum Generalem præficere, ac Provinciales, Guardianos, cæterósque Ministros instituere ausi sunt, ac eodem authore *Henrico*, è schismate in hæresim, de qua sequenti capite dicemus, præcipitarunt; periculo suo comprobantes, hunc esse spiritualium casuum ordinem, *Ut primò quidem infelix animus per superbiam intumescat: & inde in contentionem, de contentione in schisma, de schismate in hæresim, & de hæresi in blasphemias, infælici gradatione, immo præcipiti ruina descendat*; ut ait *Joannes XXII* in Extravag. *Gloriosam Ecclesiam*, qua ipsorum errores damnavit.

Quæstio de paupertate Christi.

Anno MCCCXXI. quæstio de Christi paupertate inopinato eventu agitari cœpta, maximas in Minorum Ordine & in Ecclesia turbas excitavit. Beguinus quidam sive Bizocbus, Narbonensis Archiepiscopi, & *Joanis Belvæ*, Ordinis FF. Prædicatorum, Inquisitoris, imperio Narbonæ captus, inter alios errores asserebat, *Quòd Christus & Apostoli, viam perfectionis sequentes, nihil habuerunt jure proprietatis & dominii in speciali, nec etiam in communi.* Censuram sententiamque in eum laturus Inquisitor, familiarium Religiosarum Præpositos, aliósque viros doctos ad Consilium vocavit. Ex iis F. *Berengarius Taloni*, Minor Theologus, superiorem articulum de paupertate Christi & Apostolorum, hæreticum non esse contendit, sed orthodoxum, & Decretali *Nicolai* Papæ, *Exiit qui seminat*, definitum. Palinodiam canere jussus, Apostolicam Sedem appellavit. Quem cùm Pontifex in Consistorio pertinaciter propositionem hujusmodi propugnantem audivisset, ipsum in Curia detinuit, interimque viros doctissimos ea de controversia consuluit. *Ubertinus de Casalis*, vir eruditus, qui è Minorum Ordine ad Benedictinum Pontificia dispensatione migraverat, N. Cardinali, rogatus, Judicium Censorium scripto consignavit, quod ad Summum Pontificem transmissum, in solemni Consistorio lectum est, meritóque placuit omnibus. Illud suis Annalibus inseruit *Vuadingus* ad annum MCCCXXI. edidit clarissimus *Baluzius* lib. 1. *Miscellaneorum*, pag. 307. datúmque dicitur in exemplari ab ipso edito, anno MCCCXXX. die 28. mensis Septembris. Sed mendum esse in numero annorum facilè crediderim, cùm ibidem interrogatus dicatur anno MCCCXXII. antequam Summus Pontifex aliquid circa hanc materiam definisset: nec ipsum ad annos octo distulisse responsionem, quæ tum urgebatur, verisimile sit. Quia verò Decretalis, *Exiit*, Nicolai III. omnem Regulæ Minorum interpretationem prohibebat, eam tamdiu suspendit Pontifex, quamdiu nova hæc Controversia Sedis Apostolicæ auctoritate dirempta esset. (Extravag. *Quia nonnumquam*, *De verborum significatione.*)

Ea tempestate FF. Minores Comitia Generalia totius Ordinis Perusii celebrarunt, in quibus Encyclicis Literis declararunt, inhærere se Decreto Ecclesiæ Romanæ per *Nicolaum III.* Cap. *Exiit*, promulgato, in Viennensi Concilio per universalem & Catholicam Ecclesiam approbato, & per ipsum *Joannem XXII.* in Decretali, *Quorumdam exigit*, commendato: & secundùm illud censere, Christum & Apostolos nihil jure proprietatis, dominii, seu juris proprii, in communi habuisse, hancque propositionem non esse hæreticam, sed sanam, & Catholicam, & fidelem. Duplices ea de re Capituli Perusini Literas describit *Vuadingus*: additque, hujus sententiæ nomine Ordinis defendendæ in Curia Pontificia provinciam F. *Bonagratiæ* Bergomati fuisse impositam. Subscripsere petulantibus Literis *Michael Cesenas* Minister Generalis, & Provinciarum Ministri. Damnanda sanè fuit *Michaëlis* & FF. audacia, & punienda præsumptio atque temeritas, controversiam in Sedis Apostolicæ discussione tunc temporis actu pendentem præjudicare ac prædeterminare; gravéque fuit peccatum adversùs *Nicolai* III. Constitutionem, quam se tueri profitebantur. Dixit enim in illa Constitutione sua Nicolaus: *Si quid penes aliquem in his ambiguitatis emerserit, ad culmen prædictæ Sedis Apostolicæ deducatur, ut ex Auctoritate Apostolica sua in hoc manifestetur intentio: cui soli concessum est in his Statuta condere, & edita declarare.* Michaëlis & Sociorum temeritatem pro meritis castigat *Geraldus*, Ordinis FF. Minorum, post illius exauctorationem, Minister Generalis, in Tractatu quem ex MS. Bibliothecæ Vaticanæ laudat, ejusque fragmentum describit *Odericus Raynaldus* ad annum MCCCXXII. Num. LV.

In rebus quæ usu consumuntur dominium ab usu facti separari non posse, declarat Joannes XXII.

Eodem anno, *Joannes XXII.* sexto Idus Decembris, edidit Constitutionem: *Ad conditorem Canonum*: qua declaravit, Decretalem *Exiit*, qua *Nicolaus* III. dominium ac proprietatem rerum tam in communi quàm in speciali FF. Minoribus abrogaverat, simplicem dumtaxat usum facti eis reliquerat, dominio ac proprietate Ecclesiæ Romanæ servatis, non intelligi de rebus quæ usu consumuntur, in quibus dominium ab usu facti separari non posse, rationibus scholasticis probat. Ideòque dominium illud, præter ea quæ ad res sacras spectant, ipsis restituit, ac prohibuit ipsorum Procuratoribus, ne Sedis Apostolicæ nomine cuiquam litem inferrent, rescisso quoad hoc caput *Martini IV.* Privilegio. Rationes quibus ad *Nicolai* Constitutionem bis in articulis revocandam sive explicandam adductus est, hæ fuere: Prima, quòd FF. Minoribus reservatio hujusmodi dominii Sedi Apostolicæ facta nequaquam ad statum perfectionis profuerat, qui potissimùm in caritate consistit, quam rerum temporalium solicitudo minuit. In acquirendis enim & conservandis bonis prædictis non fuerant minùs soliciti, in Judicio & extra, quàm ante laudatam *Nicolai* III. Constitutionem, quàmque sunt Religiosi cœteri Mendicantes, habentes aliqua in communi. Secunda, quòd inane esset dominium hujusmodi Romanæ Ecclesiæ reservatum, ex quo nullum eidem Ecclesiæ temporale commodum hactenus obvenerat, nec spes erat quòd obvenire deberet in posterum: *Cùm nec intentio reservantis, nec Fratrum ipsorum fuisset, quòd ad quemcunque alium quam ad Fratres, dictarum rerum perveniret compendium.* Tertia, quòd *Nicolai* III. intentio fuisse non videretur, Romanæ Ecclesiæ talium bonorum, quæ usu consumuntur, dominium reservare. *Quis enim sanæ mentis credere poterit, quòd intentio fuerit tanti Patris, unius ovi, seu casei, aut frusti panis, & aliorum usu consumtibilium, quæ Fratribus ad consumendum frequentius conferuntur, dominium Romanæ Ecclesiæ, & usum Fratribus retinere?* Quarta, quòd laudata Constitutio occasionem dederit honori Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non leviter detrahendi: Siquidem lites omnes de bonis hujusmodi exortæ, etiam coram pedaneis plerúmque Judicibus, nomine Romanæ Ecclesiæ inferebantur vel defendebantur; & Procuratores causarum hujusmodi Martiniano Privilegio abutebantur, ad injuriam Ecclesiarum Prælatis & Rectoribus interdum inferendam. (*De verborum significatione.*)

Statum rerú dominium ac proprietatem, quam Romanæ Ecclesiæ reservasse Nicolaus III. dicebatur, abdicat.

Damnatio Propositionis Minorum Schismaticorum de paupertate Christi.

Anno MCCCXXIII. quæstione de Christi & Apostolorum Paupertate, multis Cardinalium, Episcoporum, Doctorúmque, Parisiensis imprimis Academiæ, concertationibus, & tractatibus discussa & eliquata, *Joannes* XXII. decretoriam ex Cathedra Sententiam tulit, edita Constitutione: *Cùm inter nonnullos*, secundo Idus Novembris, hanc Propositionem: *Christus & Apostoli in speciali non habuerunt aliqua, nec in communi*, ejúsque assertionem pertinacem, *erroneam ac hæreticam* declaravit. (*De verborum significatione.*)

Michaele Cesenate, *Okamo*, *Bonagratia*, aliísque sacri Minorum Ordinis & Ecclesiæ turbinibus, Decretales Joannis XXII. *Cùm inter nonnullos*, & *Ad Conditorem*, insolenti â pertinaci oppugnantibus, effutientibúsque, illud quod per clavem scientiæ in fide ac moribus semel diffinierunt Romani Pontifices, adeo immutabile esse, ut illud Successori revocare non liceat in dubium, nec contrarium affirmare, quamvis aliter se res habeat de iis quæ per clavem potestatis definierint: Fuisse autem ab Honorio III. Gregorio IX. Innocentio IV. Alexandro IV. Nicolao III. per clavem scientiæ definitum, paupertatem Christi & Apostolorum constitisse perfectè in expropriatione cujuslibet temporalis dominii civilis & mundani, & sustentationem eorum in solo & nudo usu facti: Quamobrem non licuisse *Joanni* XXII. eorum Successori contrarias Constitutiones edere: Hæc, inquam, verbo scriptóque palam docentibus Minoritis Schismaticis, *Joannes* XXII. nova Constitutione, quæ incipit; *Quia quorumdam mentes*; superiores Constitutiones vindicavit, confirmavit. Ab omnibus enim *tanquam Hæreticos* haberi ac evitari jussit, qui verbo vel scripto defendere vel approbare proscriptam illam Propositionem præsumpserint: *Quòd Christus & Apostoli, in iis quæ habuisse leguntur, tantum habuerint, absque jure aliquo, simplicem usum facti. Ex quo (si verum esset) sequeretur usum Christi fuisse non justum, quod blasphemiam continet.* Quod spectat verò Constitutionem, *Ad Conditorem*, inhibuit: *Ne quis contra diffinita, ordinata, seu facta per ipsam, verbo vel scripto scienter approbet aliquid vel defendat. Si quis verò contra præsumpserit, tanquam contumax & rebellis Romanæ Ecclesiæ ab omnibus habeatur.* Edita hæc Constitutio IV. Idus Novembris, anno MCCCXXIV. Extat inter ejus Extravagantes Tit. *De verborum significatione.*

Michaelis Cesenatis contumacia Schismatica.

Post hæc, *Michael Cesenas*, qui contra Pontificias Constitutiones allatrare non cessabat cum *Ochamo* & *Bonagratia*, vocatus Avenionem, ibique sub pœna excommunicationis, & depositionis à Ministerio Generali manere jussus, donec ejus causa discussa fuisset, fugit, & ad *Ludovicum Bavarum*, cum Sociis defecit, ejus Schisma adhærens. Quamobrem à Pontifice exauctoratus, & anathemate confixus, ab ejus Sententia *Ad Ecclesiam Catholicam* provocavit, è suggestu *Joannem XXII.* Hæreticum proclamavit, contra ipsius Constitutiones petulantissimos libellos scripsit. Adversùs quos novam Constitutionem edidit Pontifex, incipientem his verbis: *Quia vir reprobus Michael*; quam Annalibus suis inseruit *Odoricus Raynaldus* ad annum 1329. Num. 22. *Okamus* doctrinâ suâ ad impugnandam Catholicam Veritatem, ad scindendam Ecclesiæ unitatem, ad Pontificiam Auctoritatem, & Pontificis personam lacessendam abusus, Tractatum contra *Joannis XXII.* Constitutionem; *Quia vir reprobus Michael*, tunc temporis edidit, quod inscripsit, *Opus nonaginta dierum*, ipsúmque seu Hæreticum passim insectatus est, centies repetitis his verbis: *Dicit iste Hæreticus*, &c. *Michaelis Cesenatis* & *Okami* Tractatus editi sunt à *Goldasto* Tom. II. *Monarchiæ.* De *Michaële Cesenate* legatur etiam *Eymericus* in Directorio Inquisitorum, P. II. Quæst. IX. & *Pegna* Commentario XXXIV. Antipapæ *Corbarii*, *Michaëlis Cæsenatis*, *Okami* & aliorum Schismaticorum insolentia, sacro FF. Minorum Ordini maximam conflarunt invidiam, adeo ut plures *Joanni XXII.* suggererent, ut quod in Templarios *Clemens V.* nuper decreverat, in Minoritas ipse decerneret, Ordinémque penitus aboleret. Sed *Vitalis de Furno* & *Bertrandus de Turre*, Cardinales ex eodem Ordine assumpti, Regum Franciæ, Castellæ, Aragoniæ, Siciliæ intercessio; *S. Ludovici* Tolosani Episcopi, ejusdem quondam Ordinis Professoris, frequentibus miraculis confirmata sanctitas, insignium Doctorum, qui eamdem Religionem illustrabant, merita & fama, pars Ordinis major & sanior, Ecclesiæ Romanæ & *Joanni XXII.* adversùs Schismaticos adhærens, & ejus Constitutionibus obediens, ejus Sanctitatem ab ejusmodi consiliis abduxere. Legatur *S. Antoninus III* P. Chronici Tit. XXIV. Cap. IX. §. XV. Legatur & Pontificis Epistola ad *Joannam* Francorum Reginam, à *Vuadingo* in Annalibus Minorum, & *Odorico Raynaldo* in Annalibus Ecclesiasticis ad annum MCCCXXIX. Num. LXIX. descripta.

Okami Schismaticus Tractatus.

Sacri FF. Minorum Ordini periculum.

Effrænem

Effrænem *Michaëlis Cesenatis* audaciam & hæreticum ingenium probant, quæ de ipso narrat *Guillelmi Nangii* Continuator ad annum MCCCXXVIII. *Hoc anno*, inquit, *affixa sunt clam & de nocte quadam Litera aperta in valvis B. Mariæ Parisius, & in Ecclesiis Minorum & Prædicatorum, ex parte Bavari & Antipapæ, & etiam Michaëlis nuper Generalis Ordinis FF. Minorum; in quibus continebantur multa nefanda contra Dominum Joannem Papam, asserentes eum hæreticum & ab Ecclesia præcisum, maximè quia paupertatem Evangelicam, quam Christus & Apostoli tenuerant, viventes docuerant, nitebatur destruere, ut dicebant, & ob hoc Concilium Generale per dictum Antipapam & Bavarum in civitate Mediolanensi celebrandum convocabat. Quasdam etiam Literas clausas Episcopo Parisiensi, & Universitati mittebant, & quoniam eis suspectæ erant, habita deliberatione super his, easdem clausas Domino Summo Pontifici remiserunt, expectantes quid super his esset ordinandum.*

Joannis XXII. providentia in Regna omnia Christiana extenditur.

IV. Apostolicas curas in Regna omnia Christiana *Joannes XXII.* extendit. Nuncios Apostolicos misit ad *Robertum* Siciliæ, & *Fridericum* Trinacriæ, Reges conciliandos, *Guillelmum* Trecensem Episcopum, & *Petrum Textoris* Decretorum Doctorem. Ad civilia bella, quibus Insubria flagrabat sedanda, Nuncios misit viros præstantissimos, *Bertrandum de Turre* Ordinis FF. Minorum, & *Bernardum Guidonem* Ordinis FF. Prædicatorum, sanctæ Fidei in Gallia Censorem anno MCCCXVII. *Sancio* Majoricarum Regi, ad propulsandos Saracenorum impetus, decimas attribuit, quarum exigendarum provinciam Elnensi Episcopo commisit. *Alphonsi Cerda* Castellæ Regis impuberis ejecti patrocinium suscepit, & Principatum ab Aragoniæ & Lusitaniæ Regibus arbitris illi adjudicatum restitui jussit, incusso Censurarum terrore *Mariæ* Reginæ & Principibus tutoribus. Urgendi negotii provincia *Berengario* Compostellano Archiepiscopo ex Ordine FF. Prædicatorum assumto imposita, anno 1319. Epistolam Pontificis ad ipsum datam, ex Regesto Vaticano descripsit *Odoricus Rainaldus* ad hunc annum Num. XXIV. Eidem Regi, ad bellum in Saracenos conficiendum, Sacerdotiorum decimas in ejus ditionibus concessit anno MCCCXXIII. Legatos misit in Angliam, *Gancelinum* Tit. *SS. Marcellini & Petri* Presbyterum, & *Lucam de Flisco*, Tit. *S. Mariæ in Via Lata* Diaconum, Cardinales, cùm ad turbas componendas, tum ad exigendum ab *Eduardo Rege* Juramentum Fidelitatis & Hominium pro Regnis Angliæ & Hiberniæ, quæ Sedi Apostolicæ sub *Innocentio III.* obligata contendebat, & Denarium *S. Petri*, anno MCCCXVII. *Philippo* Francorum Rege, & *Roberto* Flandriæ Comite dissidentibus, Nuncios ad sanciendam pacem ad eos misit, *Petrum de Palude* Ordinis FF. Prædicatorum, *Stephanum è Neiraco* & *Guillelmum è Gandavo*, Ordinis FF. Minorum Professores. *Petrus de Palude*, doctrinâ quàm rerum gerendarum industriâ & prudentiâ fœlicior, accusatus est quòd verba nonnulla imprudenter effudisset, ob quæ *Robertus* & Belgæ pacem pertinaciter respuissent: ob idque ipsi Pontifex & *Philippus* Rex succensuere. Acta Inquisitionis adversùs illum à *Joanne XXII.* propterea institutæ, cum ejusdem Responsionibus edidit Clarissimus *Baluzius*, Tom. I. *Miscellaneorum.* Cùm hi Nuncii rem malè gessissent, Pontifex alios rerum gerendarum peritiores misit, *Raynaldum* Archiepiscopum Bituricensem, & *Berengarium è Landora* Ordinis FF. Prædicatorum Generalem Magistrum, qui postea Compostellanum ad Archiepiscopatum assumtus est (Epistolis 79. & 158. ann. 3.) Sacrorum justitium Belgio indictum. Tandem Comitis Attrebatensis fracta pertinacia est. Mis-

Petrus de Palude, doctrinâ quàm rerum gerendarum prudentiâ felicior.

A si ad conficiendam pacem viri prudentissimi *Bernardus Guido* Ordinis FF. Prædicatorum, in Galliis Fidei Censor, & *Bertrandus è Turre* Ordinis FF. Minorum (Epistola 107. ann. 3.) Non est tamen confecta pax nisi anno 1319. *Gancellini* Cardinalis operâ.

Joannis XXII. cura de Fide propaganda.

FF. Prædicatorum opera quàm utilis Ecclesiæ.

V. De proferendis Ecclesiæ finibus solicitus, *Joannes XXII.* Armeniam in Fide Catholica excoluit per FF. Prædicatores, misso illuc cum Archiepiscopali potestate viro sanctitate & doctrina eximio *Bonaventura Parvo*, Bononiensi, qui anno 1318. ad vitam migravit immortalem, miraculis & post obitum illustris, de quo *Leander & Michael Pius* in Viris Illustribus Ordinis Prædicato-
B rum legendi. A quo tempore (inquit Illustrissimus *Spondanus* ad hunc annum) Provincia illa quam „ ipse potissimùm excoluit, ducibus FF. Prædicato- „ ribus in fide ac Religione Catholica hactenus „ perseverans, id etiam ipso præcipiente diligenter „ observavit, ut ipsius Catholicus (sic enim Pri- „ matem vocant) confirmationem electionis suæ à „ Romano Pontifice deposcere solicitus, solitúsque „ fuerit. Ejusdem Pontificis curis, & FF. Prædi- „ catorum operâ Religio Christiana in Perside propagata est. Soltaniensem Ecclesiam in Metropolim erexit, quæ Christianis, Tartarorum Imperatori,
C Persidis Principi, Chaydo & Daba, atque Indiarum & Æthiopiæ Regibus, obnoxiis præesset, illique *Franciscum Perusinum* Ordinis FF. Prædicatorum Professorem præfecit; ac laborum gloriæque socios Suffraganeos sex Episcopos ex eodem Ordine adjunxit, viros *In lege Domini eruditos, vita & religione præclaros, & multarum virtutum titulis commendatos.* (Epistola Curiali 63.) Id factum anno MCCCXVIII. Ex eodem Ordine misit Evangelicos Præcones ad gentes Mahometana superstitione, aut schismatis & hæreseos erroribus imbutas in regionibus Orientalibus & Aquilonaribus, anno
D 1318. Epistolam *Joannis XXII.* ad ipsos datam ex Vaticano Regesto descripsit *Odoricus Raynaldus* Num. VII. Pro conciliandis Ecclesiæ Serviis Schismaticis, Oratores misit ad *Orosium* Serviæ Regem, & ad *Philippum* Tarentinum Principem, cujus ille filiam in matrimonium deposcebat, *Bertrandum* Brundusinum Archiepiscopum, *Bernardum è Parma* Canonicum Aversanum, & *Joannem Dominici*, Ordinis FF. Prædicatorum in Conventu Narbonensi Sacræ Theologiæ Professorem. Testes sunt *Joannis* XXII. literæ ad *Orosium* datæ, quas ex Pontificio Regesto descripsit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXIII. Num. LXVII. FF. Prædicatoribus Or-
E dinis Comitia Tolosæ celebrantibus, jussit ut quinquaginta Fratres ad minus, virtutibus & doctrina conspicuos, Apostolico muneri & laboribus sponte sese devoventes, in Orientem ad Fidem propagandam mitterent (Tom. VI. P. 3. Epistolarum secretarum) Ea in Epistola sacrum Ordinem commendat his verbis: *De Ordine vestro, qui inspirante Deo, velut cœlum micat stellis, sic personarum numero & virtute coruscat*, &c. Id gestum ann. 1327. Vide *Odoricum Raynaldum* Num. LXXXIV.

Zizania ex agro Dominico Joannes XXII. extirpat.

Non minori studio in extirpandis ex agro do-
F minico zizaniis laboravit *Joannes* XXII. Fraticellorum enimvero Sectam damnavit, anno 1317. edita Constitutione; *Sancta Romana Ecclesia*, quæ inter ejus Extravagantes legitur Tit. *De Religiosis Domibus.* Errores *Joannis de Poliaco*, Theologi Parisiensis, qui docuerat & prædicaverat, Romanum Pontificem, immo nec Deum facere posse, quin confessus Viris Religiosis approbatis, eadem peccata proprio Sacerdoti, id est, Curato confiteri teneretur, stante Constitutione: *Omnis utriúsque sexus*, damnavit Extravaganti, *Vas electionis*, ipsúmque palinodiam canere, cum in sacro Consistorio, tum

Parisiis

Parisiis in Scholis & Concionibus, præcepit.

Joannis XXII. Alia quædam insignia.

VI. Alia gessit idem Pontifex memoria digna. *Ludovicum* Tolosanum Episcopum, *Caroli II.* Siciliæ Regis filium, cujus Præceptor fuerat, Ordinis FF. Minorum, & *Thomam Aquinatem* Ordinis FF. Prædicatorum & universalis Ecclesiæ lumen, in Sanctorum album retulit, illum anno 1317. istum anno 1323. necnon Thomam Herfordiensem Episcopum anno 1320. Judicia & tonsoriam artem, die Dominica exerceri prohibuit (Tom. 11. Epist. Secret. XL.) Tolosanam Sedem in Metropolim erexit, & plures alios Episcopatus ex aliarum Diœceseon divisione in Galliis instituit, in Narbonensi Electensem & S. Poorii; in Albigensi Castrensem; in Agennensi Condomiensem; in Lemovicensi Tutelensem; in Petragoricensi Sarlatensem; in Claromontensi Sanflotanum; in Ruthenensi Vabiensem; in Pictavensi Malleacensem & Lucionensem. Cæsaraugustanam quoque Sedem in Aragoniæ Regno Archiepiscopalem fecit. Rem literariam, in Academiis præsertim Parisiensi cæterarum Principe, restituere satregit, data ad Viros Academicos Epistola, quam ex parte refert ex Vaticano Codice *Odericus Raynaldus* ad annum MCCCXVII. qua Theologos perstrinxit, quòd supervacuis subtilitatibus & Philosophicis Quæstionibus Theologiam adulterarent. *Quidam etiam Theologi*, inquit, *postpositis vel neglectis necessariis, utilibus, & ædificativis doctrinis, curiosis, inutilibus, & supervacuis Philosophiæ quæstionibus & subtilitatibus se immiscent: ex quibus ipsius Studii disciplina dissolvitur, luminis ejus splendor offuscatur, Studentium utilitas impeditur.* Cantabrigiensem in Anglia Academiam, *Eduardi* Regis precibus, excitavit, & Privilegiis amplissimis exornavit. (Epist. Comm. 1230. ann. 3.) necnon & Cadurcensem in patria sua. Tribunal XII. Auditorum Rotæ instituisse traditur. Sanctissimæ Trinitatis Festum instituit. Grandimontensium Regulam temperavit. Opinionem erroneam de Beatifica Sanctorum visione post supremum Judicii diem dilata, in quam nimium propendere visus fuerat, ante obitum retractavit, sive potius eam se non asseruisse declaravit: qua de re in Dissertationibus agemus. Obiit nonagenarius, anno Christi MCCCXXXIV. die IV. Decembris anno Pontificatus XIX. & Avenione in Majori Ecclesia sepultus est. Ingentem pecuniæ vim reliquit, quam ex reservationibus fructuum primi anni omnium Ecclesiarum vacantium coacervarat, in opera belli sacri, (ut aiebat) profundendam. Propter Italicum bellum Italorum subiit invidiam, & Petrarchæ mordaci calamo in Epistolis laceratus est. Interrogatus aliquando quid foret à veritate remotius, respondisse fertur, *Vulgi sententiam*, (Ex Nauclero Generatione XLV.) Studium semper coluit, etiam Pontifex, tempusque à negotiis vacuum lectioni impendebat, viros eruditos fovens, & ad Sacras Dignitates promovens. Cardinales creavit *Bernardum de Castaneto*, Gallum, Albigensem olim, deinde Aniciensem Episcopum; *Jacobum Arnaldum de Via, Gaucelinum*, & *Bertrandum de Podiesto*, nepotes: *Petrum de Arreblaio*, Gallum, Archidiaconum Borbonensem in Ecclesia Bituricensi, Regni Franciæ Cancellarium, *Bertrandum de Montefavento*, Gallum; *Galardum de Mota*, Vasconem, *Clementis V.* nepotem. *Joannem Cajetanum Ursinum*, Nobilem Romanum: *Raynaldum de Porta*, Gallum, Bituricensem Archiepiscopum; *Bertrandum de Turre*, Gallum, Salernitanum Archiepiscopum ex Ordine FF. Minorum assumtum; *Petrum de Prato*, Gallum, Archiepiscopum Aquensem, *Simonem de Archiaco*, Gallum, Viennensem Archiepiscopum; *Petrum Textoris*, Gallum, Romanæ Curiæ Vicecancellarium, *Pilumfortem de Rapistagno*, Gallum, Rivensem Episcopum; *Raymundum Ruffi*, Gallum, Cadurcensem, consanguineum suum; *Joannem Raymundi*, Gallum, primum Tolosanum Archiepiscopum; *Annibaldum de Ceccano*, Italum, Archiepiscopum Neapolitanum; *Jacobum Fornerium*, Gallum, Mirapicensem Episcopum, ex Ordine Cisterciensi assumtum, in Sacra Facultate Parisiensi Doctorem Theologum; *Raymundum de Monsfajouls*, S. Pauli Tricastrensis Episcopum; *Petrum de Mortuo Mari*, Autisiodorensem Antistitem; *Petrum de Chappes*, Franciæ Cancellarium, Carnotensem Episcopum; *Matthæum Ursinum*, Nobilem Romanum, Archiepiscopum Sipontinum, ex Ordine FF. Prædicatorum assumtum; *Petrum Gomesii de Barroffo*, Carthaginensem Episcopum; *Joannem de Columna*, Nobilem Romanum; *Ubertum de Puteo*, Monspessulanum, consanguineum suum; *Talairandum* Autisiodorensem Episcopum; *Petrum Bertrandi*, Gallum, Æduensem Episcopum, Jurisdictionis Ecclesiasticæ contra *Petrum de Cugneriis* egregium vindicem. *Raymundum Albertum Gottolanum*, Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Captivorum Generalem, addunt aliqui, quod non adeo certum. *Petrum Aureolum*, Ordinis FF. Minorum Professorem addunt alii, quem tamen *Vvadingus*, in Annalibus Minorum Cardinalitiis infulis nunquam fulsisse ingenuè fatetur.

Curiosas & inutiles quæstiones in Theologia vetat Joannes XXII.

Cantabrigiensem & Cadurcensem Academias erigit.

Tribunal Auditorum Rotæ.

S. Trinitatis Festum institutum.

Cardinales à Joanne XXII. creati.

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, pag. 173 Religiosi Censores hanc notam apposuere: *Videtur Alexander asserere, quod Papa nihil juris temporalis tribuit Imperatori, Coronatione, & ad ipsum non esse devolutum jus gubernandi in temporalibus Imperium.*

R. Quæstionem juris eo loci non attingo, Responsiones solùm refero *Ludovici Bavari* ad Monitorium *Joannis XXII.* Historiæ res est. Verum nihilominus est, Imperatori nihil juris temporalis accedere ex Coronatione à Summo Pontifice, & ad Romanum Pontificem non esse devolutum jus gubernandi in temporalibus Imperium. Nam, ut ait *Gelasius I* in tractatu *De Anathematis vinculo*, quamvis olim Pagani Imperatores iidem & Pontifices Maximi dicerentur; immò & inter veri Dei cultores sub naturæ Lege Melchisedech Rex simul & Sacerdos fuerit, Tamen *Cum ad verum ventum est, ultra sibi nec Imperator Pontificis nomen imposuit, nec Pontifex Regale fastigium vindicavit. Quamvis enim membra ipsius, id est, veri Regis atque Pontificis, secundùm participationem naturæ, magnificè utrumque in sacra generositate sumpsisse dicantur, ut simul Regale genus & Sacerdotale subsistant; attamen Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officia Potestatis utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvari: non humanâ superbia rursus intercipi, ut & Christiani Imperatores pro æterna vitâ Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus uterentur, quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus. Et ideo militans Deo minimè se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus: ut & modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.* Idem verbis nonnihil immutatis repetit & confirmat *Nicolaus I.* in Epistola ad *Michaelem* Græcorum Imperatorem.

ARTICULUS III.

De BENEDICTO XII.

NOVEMDIALIBUS *Joannis XXII.* pro more peractis, Cardinales numero XXIV. in Conventu FF. Prædicatorum inclusi, *Jacobum de Furno*, aliàs etiam cognomento *Novelli*, virum humili loco natum, patre scilicet *Guillelmo* Molitore, in oppido *Savarduni*, ditionis Fuxensis, Ordinis Cisterciensis quondam Professorem, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctorem Theologum, ex Abbate Fontis Frigidi Appamiensem primùm, deinde Mirapicensem Episcopum, tandem à *Joanne* XXII. Cardinalem Tit. *S. Priscæ* creatum, Pontificem elegere.

eligere, XIII. Kalendas Januarii, anni MCCCXXXIV. qui sibi nomen sumpsit *Benedictus XII.* Nihil ipsi fuit antiquius quàm ut pacem inter Christianos Principes sanciret, foveretque, ut communes vires contra Saracenos verterent: Apostolicas curas maximè adhibuit in conciliandis *Philippo Valesio*, Francorum, & *Eduardo Angliæ*, Regibus, plures ad utrumque Literas dedit, Legationes misit, utriusque Oratores audivit, rationes discussit, Anglo suasit ut nomen & insignia Regis Francorum usurpata deponeret, Belgas perduelles ut ad officium redirent hortatus est, ipsisque Sacris interdixit. *Ludovici Bavari* contumaciam Literis ac Nuntiis ad eum missis frangere conatus est; de cujus reconciliatione semel iterúmque actum sub ipsius Pontificatu, confectum nihil. Oratores Magni Tartarorum Imperatoris, Literásque singularis observantiæ in Sedem Apostolicam testes anno 1338. suscepit, quibus Infidelis Princeps, erga Christianos optimè affectus, Papam *Dominum Christianorum* salutabat, ipsius *Benedictionem & sanctas orationes* flagitabat, & Alanos, aliósque Imperii sui Christianos ejus benevolentiæ commendabat. Magno Chamo egregium in Christianos studium gratulatus est Optimus Pontifex, eíque gratias egit, rogans ut ipsis favere pergeret, ac Fidem Christianam liberè prædicari, Ecclesiásque erigi permitteret, utque Christiana Sacra ipse amplecteretur, hortatus est. Tartaricæ etiam Aulæ Christianos, datis ad ipsos Literis, in Fide Christiana confirmavit, ipsísque summam orthodoxorum dogmatum tradidit. Misit etiam Religiosos Viros ex FF. Minorum Ordine, ad Religionem Christianam eo in Imperio propagandam. Literas Magni Chami & *Benedicti XII.* Annalibus Ecclesiasticis inseruit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXXVIII. *Andronicum Juniorem*, Græcorum Imperatorem, ad schisma ejurandum hortatus est, datis ad ipsum literis. Oratores ad Sedem Apostolicam misit *Andronicus* anno 1339. *Barlaamum Abbatem* & *Stephanum Dandalum*; qui *Benedicto XII.* exponerent Græcorum propensionem ad Ecclesiæ Romanæ communionem amplectendam, iis legibus ut in Concilio Oecumenico dogma de Processione Spiritus Sancti concertationibus Theologicis illustraretur ac statueretur: & ante celebrationem Synodi, auxilia Græcis, ad quatuor urbes Principes à Turcis in Asia recuperandas, submitterentur. Respondit Pontifex, Controversiam de Processione Spiritus Sancti à Patre & Filio fuisse in Concilio Lugdunensi finitam, Græcos sub Palæologo Imperatore sacrum illud dogma professos, ad ingenium & schisma tunc ejuratum redisse: Articulum Fidei rursus in disceptationem adduci nefas esse: Nihilominus si Græci habita Ecclesiæ suæ Synodo aliquos è suis misissent, eos à Latinis Theologis ac Præsulibus docendos fore, & omnibus eorum dubiis atque objectionibus factum satis iri. Tunc verò submittenda auxilia, cùm Græci ad Romanæ Ecclesiæ Communionem redissent. Publica documenta de Græcorum Oratorum cum Pontifice tractatu, ex *Benedicti* Regesto Tom. V. Epistola secreta 289. refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXXIX. Num. XX. De quo etiam legendæ Pontificiæ Literæ ad *Philippum* Regem Christianissimum; ibidem Num. XXXII. Anno 1340. sacram expeditionem in Mauros indixit, quam *Alfonsus* Castellæ & Legionis, & *Alfonsus* alter Lusitaniæ, fœderati Reges, fœliciter ac gloriosè confecerunt. Mediolanenses, aliosque Insubres, scilicet Bergomenses, Papienses, Novarienses, Cremonenses, Vercellenses, Comenses, &c. Censuris Ecclesiasticis ob *Ludovici Bavari* & Antipapæ *Corbarii*, ac *Matthæi* & *Galeatii* Vicecomitum

Benedictus XII. pacem inter Christianos Principes conciliare intendit.

Legationem Magni Tartarorum Imperatoris suscipit.

Andronici junioris Græcorum Imperatoris ad Sedem Apostolicam Legatio.

A schismata & factiones, iteratos, in gratiam Ecclesiæ recepit anno MCCCXLI. (Epist. Cur. 34. & 34. anni 7.) Datis ad *Leonem* Armenorum Regem, & ad eorum Catholicum literis, jussit errores in libello, quem ad ipsos misit, descriptos damnarent, anno MCCCXLI. Literas, Libellúmque ex MS. Vaticano ad hunc annum descripsit *Odoricus Raynaldus*. Fraticellis exterminandis Censores Fidei adlaborare jussit, eósque anathemate coercuit. *Eduardum* Angliæ Regem monuit ut Ossyriensi in Hybernia Episcopo in exstirpandis novis Hæreticis opem ferret, quorum nonnulli Christum fuisse hominem B peccatorem, & justè pro suis delictis crucifixum blasphemabant; alii dæmonibus sacrificantes dicebant, Sacramentum Corporis Christi non esse adorandum nec colendum, nec Apostolicis Decretis obediendum. Controversiam de Animarum Sanctarum beatitudine ante Resurrectionem generalem finivit Diplomate quod incipit, *Benedictus Deus*; Quam antea Tractatibus eruditis illustraverat, qui in Bibliotheca Vaticana extant MSS. ex quibus multa in suos Annales derivavit *Raynaldus*, ad annum MCCCXXXVI. Ecclesiasticæ Disciplinæ restituendæ curas Apostolicas adhibuit *Benedictus XII.* pro Benedictini ac Cisterciensis Ordinis, necnon C Regularium Canonicorum Reformatione, saluberrimas Constitutiones edidit, quibus studium simul ac Regularem observantiam in Sacris illis Congregationibus excitavit. Has Tomo I. Romani Bullarii legere est. Aliis etiam Ordinibus, Mendicantium præsertim, sollicitudinem paternam impendit; quos ad Benedictinum & Cisterciensem Ordines migrare vetuit. Dominicanos oppidatim & vicatim mendicando Conciones habere, & Confessiones excipere prohibuit, & ne in posterum plures in singulis cœnobiis ad Professionem Religiosam admitterent, quàm ali possent certis illorum Monasteriorum redditibus. Ita refert *Michael Pius*, lib. D II. *De Viris Illustribus* Ordinis Prædicatorum, quæ à Sapientissimo & optimo Pontifice decreta gravissimis de causis, & Ecclesiæ, ipsiusque Dominicani Instituti bonum spectantibus, nullus dubito; quicquid nostri dixerint. Omnium Beneficiorum Commendas abrogavit: Primus Regestum Supplicationum signatarum induxit ad multas fraudes removendas: utque Beneficia vacantia viris idoneis, & pietate doctrináque conspicuis conferrentur, dispositioni suæ reservavit omnia cujuscumque dignitatis vel nuncupationis, quæ in Curia vel extra Curiam, bidui itinere vacarent (Cap. *Ad regimen*, *De Præbendis & Dignitatibus*, inter Extravagantes E Communes) Beneficia diu vacantia plerumque relinquebat, metuens ne ipsa conferret indignis. Nullum è consanguineis suis ad Ecclesiasticas Dignitates promovit, uno excepto quem Arelatensi præfecit Ecclesiæ, id ejus meritis & Cardinalium precibus tribuens. Cùm aliàs urgerent ut alios nepotes vel agnatos promoveret, Davidicum illud objiciebat: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Id ex Anonymo Vitæ ejus Authore ab Illustrissimo Præsule *Bosqueto* editæ, & ex *Alberto Argentinensi* constat. Sex Cardinales creavit morum F integritate & doctrina eximios *Gocelinum de Bataglis*, Italum, patria Ariminensem, Juris utriusque Professorem, Constantinopolitanum Patriarcham; *Bertrandum de Deucio*, Juris etiam utriusque Doctorem, Gallum, Archiepiscopum Ebredunensem; *Petrum Rogerii*, de *Malmonte*, Lemovicensis Diœceseos, Ordinis Benedictini Professorem, ex Abbate *Casæ-Dei*, & *Fiscani* in Neustria, Senonensem primò, deinde Rothomagensem Archiepiscopum; *Guillelmum Curti*, natione Gallum, patria Tolosanum, Ordinis Cisterciensis Professorem, Doctorem Theologum Parisiensem, Nemausensem pri-

Controversiam de Animarum Sanctarum beatitudine finit Benedictus XII.

Decreta pro bono regimine Religiosorum Ordinum.

Decretum pro bono Dominicani Ordinis.

Consanguineos suos non promovit Benedictus XII.

Cardinales ab eo creati.

mò, deinde Albigensem Episcopum, quem *Ciaconius*, *Ferdinandus Ughellus*, & alii *Benedicti XII.* nepotem falsò dixere, cùm Vitæ *Benedicti* coævus Author unicum nepotem vel agnatum ab ipso creatum Archiepiscopum Arelatensem, non Cardinalem testetur. *Guillelmum de Aura*, Gallum, Monasterii *S. Olivi* Ordinis Benedictini Abbatem; *Bernardum d'Alby*, Gallum, Rutenensem Episcopum. Neptem unicam, à Principibus viris expetitam uxorem, Tolosano Mercatori *Benedictus XII.* collocavit, modica dote constituta. Viris dumtaxat probis amicus fuit. Tantæ constantiæ fuit, ut dimoveri à recto vi, precibus, promissis nunquam potuerit. Decimas ad sacrum bellum conficiendum concessas, in sumptus Anglici belli derivari prohibuit, jámque collectas restitui jussit Ecclesiis. *Philippo* Regi Christianissimo roganti ut eas liceret in Regni defensionem convertere, quod licitum esse Gallicani responderant Antistites, restitit, ac Præsulum consilium improbavit, qui religione juramenti de sacris decimis in alios usus non impendendis à Rege per idoneos Procuratores præstiti, in hac rerum necessitate non adstrictam ejus Majestatem censebant. (*Tom. 6. Epist. secret. 660.*) Regi aliàs urgenti ut id beneficii sibi Regnóque concederet, respondit: Si duas haberet animas, unam se pro ejus Majestate lubentissimè daturum; at cùm unicam haberet, eam se unicè diligere, & pro viribus conservare velle. Proinde sic petitiones suas ejus Majestas temperaret, ut nihil in iis esset ex quo Dei offensa, & animæ discrimen sive damnatio timeretur: alioquin gravatè non ferret si ejus non annueret postulatis. Quod responsum etsi durius primùm existimaverit, postea tamen Sancto Pontifice dignissimum censuit & gratum habuit. Ita refert Vitæ *Benedicti XII.* coævus Author. Ecclesiasticis Juribus ac Libertati in Galliis consultum voluit, missis *Petro* Tit. *S. Praxedis* Presbytero, & *Bertrando S. Mariæ in Aquiro* Diacono, Cardinalibus, Sedis Apostolicæ Legatis anno 1337. ad emendandos præsertim abusus, qui in Beneficiorum collatione irrepserant. (Ano. 3. p. 1. Epistola Curiali xv. quam ad eumdem annum descripsit *Odericus Raynaldus*, Num. XVII.) Oppressam in Ungaria Ecclesiæ libertatem restitui jussit, datis ad *Carolum* Ungariæ Regem Literis, quas apud eumdem Historicum legere est ad annum MCCCXXXVI. Num. XXII. *Philippum* Balearem Principem, novæ FF. Minorum condendæ Congregationis, in qua *S. Francisci* Regula ad literam absque Pontificis Declarationibus servaretur, licentiam enixè postulantem, repulit, ut constat ex ipsius Literis ad *Robertum* Siciliæ Regem anno 1340. datis, quas refert *Odericus Raynaldus* Num. LXIV. Inter Scriptores Ecclesiasticos ob Theologicas Lucubrationes, & Homilias de præcipuis Christi, Deiparæ Virginis, & Sanctorum Festivitatibus, quæ in Vaticana Bibliotheca MSS. servantur, ac inter optimos Pontifices ob integritatem numerandus. Obiit anno Christi MCCCXLII die XXV. Aprilis, cùm annis VII. mensibus IV. & VI. diebus Ecclesiam rexisset. Avenione in Basilica Principe sepultus, miraculis etiam effulsit, ut coævus ipsius Vitæ Anonymus Author testatur. In Martyrologio Gallicano celebratur ut *Sanctæ Memoriæ* Pontifex. Ipsum Conditorem agnoscit ac veneratur Academia Veronensis, benefactorem munificentissimum prædicat Parisiense Cisterciensium Collegium, cujus Ecclesiam à fundamentis erexit.

Benedicti XII. constantia & integritas.

Benedicti XII. eruditio.

Sanctitas.

ARTICULUS IV.

De CLEMENTE VI.

JUstis *Benedicto XII.* persolutis, *Petrus Rogerii*, natione Gallus, Patria Lemovix, Ordinis Benedictini in Cœnobio *Casæ-Dei* quondam Professor, Doctor Theologus Parisiensis, Fiscanensis Abbas, Attrebatensis Episcopus, ac deinde Senonensis, tum Rotomagensis Archipræsul, Regiorum Sigillorum Custos & Galliæ Cancellarius, tandem S. R. E. Cardinalis Tit. *SS. Nerei & Achillei* à *Benedicto XII.* creatus, Pontifex electus est à Cardinalibus undeviginti, in Conclavi apud FF. Prædicatores Avenionenses inclusis, sibique nomen sumpsit, *Clemens VI.* die Maii VII. anno M. CCCXLII. & die sacra Pentecostes, quæ ejusdem mensis XVI. fuit coronatus. Hunc *Literatissimum Pontificem* Petrarcha vocat, admirabilisque memoriæ, ita ut eorum quæ semel legerat, oblivisci nunquam posset; quam dotem ex ictu in capite fortè suscepto ipsi accessisse testatur. *Doctrina, integritatique Benedicti* Decessoris sui *humanitatem, liberalitatem, facundiam*, adjecit, (inquit *Trithemius* in Chronico Hirsaugiensi.) Ipsi missa Legatione Romani supplicarunt, ut in Urbem rediret. Legatorum unus erat *Petrarcha* Poëta Laureatus, qui Carmen elegantissimum ejus obtulit Sanctitati, ad Ecclesiam tot sacris Monumentis insignem repetendam invitans. Moram in Transalpinis regionibus *Clemens* excusavit, ad conciliandos Christianos Principes necessariam. Grave quippe bellum Anglos inter Francósque flagrabat, quod extinguere studuit, datis non semel ad *Philippum Valesium* Regem Christianissimum, & *Eduardum* Angliæ Regem Literis, missisque Legationibus. Ob istud negotium, missi ad Reges Apostolici Legati, *Petrus de Pratis* Prænestinus, & *Annibaldus* Tusculanus, Cardinales Episcopi, anno ipso 1342. Literas de commissa Legatione ad utrumque datas refert *Odericus Raynaldus* ad hunc annum. Latam olim à *Joanne XXII.* in *Ludovicum Bavarum* Sententiam, concordiæ viis Sacerdotium inter & Imperium frustra tentatis, renovavit, omnique Jure ad Imperium, Ducatum, & Palatinatum exuit: Principésque Electores convenire jussit ad justum Romanorum Regem creandum, quem Sedes Apostolica in Imperatorem promoveret. *Clementis VI.* ea de re Decretum, Literásque ad Principes Electores directas, Annalibus inseruit *Odericus Raynaldus* ad annum 1346. Num. III. & IX. *Carolum* Moraviæ Marchionem, *Joannis* Bohemiæ Regis filium, solemnibus promissis ac pactionibus cum Rege Patre Sedi Apostolicæ devinctum, quarum Formulas idem Annalium Ecclesiasticorum Continuator exhibet, eligi curavit, ejusque electionem confirmavit; Diplomate quod apud eumdem Authorem ad annum MCCCXLVI. Num. XXXIV. legere est. Ortam inter Balearem & Aragonium Reges dissensionem, quæ mox in bellum eruperat, sedare studuit, misso *Andrea* Tit. *S. Susannæ* Presbytero Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato, qui inducias ad triennium inter illos constituit. Fortunatarum Insularum Imperium fiduciario Jure, & sub conditione annui census, *Ludovico* Principi *de Hispania* concessit. Pontificium ea de re Diploma & sacramenti à Principe præstiti Formulam, apud *Odericum Raynaldum* legere est ad annum MCCCXLIII. *Joannam* Siciliæ Reginam, ac Provinciæ Comitissam, Regno pulsam ab Ungariæ Rege, pœnas de nece *Andreæ* Regis fratris sui, ejusdémque *Joan-*

Latam à Joanne XXII. in Ludovicum Bavarum sententiam confirmat Clemens Sextus.

Clemens VI. Avenionem Romanæ Ecclesiæ acquirit.

na

na mariti, cujus illa suspicione laborabat, repetente, Avenione honorificè suscepit, eámque ab immani crimine insontem dixit, cùm innocentiam suam in Consistorio probasset. Quin & ejus matrimonium cum *Ludovico* Tarentino Principe confirmavit, indultâ Dispensatione. Ab eadem *Joanna*, pecuniæ ad Regnum, quod Rex Ungarorum reliquerat, cum viro repetendum egente, Avenionem, cum omnibus Juribus, Romanæ Ecclesiæ comparavit, pretio octoginta millium florenorum auri de Florentia. Instrumentum publicum ea de re confectum, seu Contractum venditionis ex Archivis Vaticanis & Molis Hadriani, exhibet *Bzovius* ad annum MCCCXLVIII. Sacram adversùs Turcas expeditionem indixit, Venetis, Genuensibus, Rege Cypri, & Rhodiis Equitibus contra communes hostes fœderatis; & ad belli sumptus Decimarum collectionem in omnibus Regnis Christianis, Gallia, Hispania & Anglia exceptis imperavit. Smyrna à Crucesignatis expugnata anno MCCCXLIV. Alia anno sequenti instructa expeditio est. Classi *Bertrandum Baucium* Cortedonium Principem, terrestri exercitui *Humbertum* Delphinum Viennensem Pontifex præfecit. Parum promota hac expeditione Christiana res: Turcarum quædam tantùm naves incensæ.

Sacram expeditionem contra Turcas indicit,

In extinctionem schismatis Græcorum & Armenorum Clemens sedulus incumbit.

Proferendis Ecclesiæ finibus, & extinguendo schismati animum adjecit *Clemens VI.* Græcis contra Turcas & Tartaros suppetias pollicitus est, si ex animo schisma ejurarent. Datas ea de re ad *Joannem Palæologum*, Imperatorem, ad Patriarcham, Episcopos, & Principes Græcorum, & ad Monachos Montis *Atho* à *Clemente VI.* Literas, vel earum fragmenta exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXLIII. Ad eumdem *Palæologum*, & *Joannem Cantacuzenum* Imperatores varios Nuntios misit de Ecclesiarum unione tractaturos, quos inter *Guillelmum* Ordinis FF. Minorum, & *Hugonem de Spert* Dominicanum, viros pios & eruditos, commendat ipse *Cantacuzenus*, lib. IV. cap. IX. Regem Rasciæ à *Venturino* Bergomate Ordinis Prædicatorum Professore, Viro Apostolico, cui minùs æquus visus fuerat *Benedictus XII.* ad Romanæ Ecclesiæ communionem inclinatum, Literis convenit *Clemens VI.* ursitque ut pium consilium quantocyùs exequeretur.

Nec minùs de Armenorum salute fuit solicitus, ad quos Episcopum Gaietanum, & *Joannem* electum Coronensem, Legatos Apostolicos misit, cùm Armenorum Catholicus, Præsulésque cœteri, veteres errores secundùm Formulam à *Benedicto XII.* præscriptam damnassent, & Romanæ Ecclesiæ Canones recepissent. Epistolam *Clementis VI.* ad *Consolatorem* Armeniæ Catholicon, universúmque Clerum, exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXLVI. Num. LXVIII. Quamvis autem Ecclesiam Romanam solam esse Catholicam, solum Pontificem Romanum habere plenitudinem potestatis, locum tenere *B. Petri*, esse universalem Christi Vicarium, Armenorum Catholicus & Præsules professi essent, ab ipso tamen explicatam magis Pontificii Primatus Professionem exegit, cujus capita in Literis ad eumdem Catholicon anno MCCCL. datis legere est apud *Odoricum Raynaldum*, Num. II. *Super his ergo quærimus*, inquit, *primò, si credidisti, credis, vel credere paratus es cum Ecclesia Armenorum, quæ tibi obedit, quòd beatus Petrus plenissimam potestatem Jurisdictionis acceperit super omnes fideles Christianos à Domino Jesu Christo: & quòd omnis potestas Jurisdictionis, quam in certis terris & Provinciis, & diversis partibus orbis, specialiter & particulariter habuerunt Judas Thadæus & cæteri Apostoli, subjecta fuerit plenissimæ auctoritati & potestati, quam super quoscumque in Christum credentes in omnibus partibus orbis B. Petrus ab ipso Domino Jesu Christo accepit: & quòd nullus Apostolus, vel quicumque alius, super omnes Christianos, nisi solus Petrus, plenissimam potestatem accepit.*

Clemens VI. Romani Pontificis Primatum Armenis explicat, plurimumque certos illum articulorum professionem ab illis exigit.

II. *Si credidisti, tenuisti, vel credere ac tenere paratus es cum Armenis tibi subjectis, quòd omnes Romani Pontifices, qui B. Petro succedentes, canonicè intraverunt, & canonicè intrabunt, ipsi B. Petro Romano Pontifici successerint & succedent in eadem plenitudine potestatis, quam ipse B. Petrus accepit à Domino Jesu Christo super totum & universum corpus Ecclesiæ militantis.*

III. *Si credidistis & creditis, tu & Armeni tibi subjecti, Romanos Pontifices qui fuerunt, & nos qui sumus Pontifex Romanus, ac illos qui in posterum successivè erunt, tanquam legitimos & potestate plenissimos Christi Vicarios, omnem potestativam Jurisdictionem, quam Christus ut caput conforme in humana vita habuit, immediate ab ipso Christo super totum ac universum corpus militantis Ecclesiæ accepisse.*

IV. *Si credidisti & credis, quòd omnes Romani Pontifices qui fuerunt, nos qui sumus, & alii qui erunt in posterum, ex plenitudine potestatis & auctoritatis prædictæ, potuerunt, possumus, & poterunt immediatè per nos & eos de omnibus tanquam de Jurisdictioni nostræ ac eorum subditis judicare, & ad judicandum quoscumque voluerimus Ecclesiasticos Judices constituere & delegare.*

V. *Si credidisti & credis, quòd in tantum fuerit sit & erit, suprema & præeminens auctoritas & juridica potestas Romanorum Pontificum qui fuerunt, nostri qui sumus, & illorum qui in posterum erunt, ut à nemine judicari potuerint, potuerimus, neque in posterum poterunt: Sed soli Deo judicandi servati fuerunt, servemur, & servabuntur: Et quòd à Sententiis & Judiciis nostris non potuerit, neque possit, nec poterit ad aliquem Judicem alium appellari.*

VI. *Si credidisti & adhuc credis, plenitudinem potestatis Romani Pontificis se extendere in tantum, quòd Patriarchas, Catholicon, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & quoscumque Prælatos alios, de Dignitatibus in quibus fuerint constituti, possit ad alias Dignitates majoris vel minoris Jurisdictionis transferre: vel, exigentibus eorum criminibus, ipsos degradare & deponere, excommunicare & Satanæ tradere.*

VII. *Si credidisti, & adhuc credis, Pontificalem Auctoritatem non posse nec debere subjici cuicumque Imperiali & Regali, aut alteri seculari Potestati, quantum ad institutionem judicialem, correctionem, vel destitutionem.*

VIII *Si credidisti & credis Romanum Pontificem solum posse sacros generales Canones condere, plenissimam Indulgentiam dare visitantibus limina Apostolorum Petri & Pauli, vel ad Terram-Sanctam accedentibus, aut quibuscumque Fidelibus verè & plenè pœnitentibus & confessis.*

IX. *Si credidisti & credis, omnes qui se contra fidem Romanæ Ecclesiæ erexerunt, & in finali impœnitentia mortui fuerunt, damnatos fuisse, & ad perpetua infernorum supplicia descendisse.*

X. *Si credidisti & credis, Romanum Pontificem circa administrationem Sacramentorum Ecclesiæ, salvis semper illis quæ sunt de necessitate & integritate Sacramentorum, posse diversos Ritus Ecclesiarum Christi tolerare, & etiam concedere ut serventur.*

XI. *Si credidisti & credis, Armenos, qui Romano Pontifici in diversis partibus orbis obediunt, & formas & Ritus Romanæ Ecclesiæ in administratione Sacramentorum, & in Ecclesiasticis Officiis, jejuniis, & aliis ceremoniis, studiosè & cum devotione observant, benè agere, & illa agendo vitam æternam mereri.*

XII. *Si credidisti & credis, neminem de Dignitate Episcopali ad Archiepiscopalem, Patriarchalem,*

vel Catholicum posse transferri auctoritate propria, nec etiam auctoritate cujuscumque Principis secularis, sive Rex fuerit, sive Imperator, vel quicumque alius, fultus qualicumque potestate & dignitate terrena.

XIII. *Si credidisti & adhuc credis, solum Romanum Pontificem, dubiis emergentibus circa Fidem Catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhærendum, finem imponere: Et esse verum & Catholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum à Christo determinat esse verum: & quod determinat esse falsum & hæreticum, sit censendum.*

XIV. *Si credidisti & credis, Novum & Vetus Testamentum in omnibus libris, quos Romana Ecclesia nobis tradidit auctoritas, veritatem indubiam per omnia continere.* Hæc in illa Epistola *Clemens VI.* Quorum Capitum nonnulla, explicatione indigent, quintum in primis, octavum & decimum-tertium, ut salvis Conciliorum Oecumenicorum Juribus, & suprema à Deòque immediatè acceptâ auctoritate, intelligantur juxta sacri Concilii Constantiensis doctrinam: salvâ etiam Episcoporum à Christo immediatè derivatâ potestate: & ita ut illud verum & Catholicum sit censendum, quod ex Cathedra; id est, accedente Ecclesiæ consensu, Summus Pontifex determinat esse verum.

Pragensem Ecclesiam in Bohemia, Maguntinæ hactenus obnoxiam, in Archiepiscopatum erexit anno 1344. inaugurandique Bohemiæ Regis Archiepiscopis contulit potestatem. *Eduardum* Angliæ Regem, qui Cardinalium aliorúmque Sacerdotum absentium Beneficia occupaverat, eorúmque redditus in usus belli contra Regem Francorum convertebat, intentato anathemate ad saniora consilia revocavit anno MCCCLSI. (Tom. XI. Epistolarum secretarum apud *Odericum Raynaldum*, Num. 17.) *Philippum* Regem Christianissimum increpuit, quòd Ecclesiæ bona, absque licentia Sedis Apostolicæ, in usus belli concederet. *Bona*, inquit, *Ecclesiarum, ad Ministrorum ipsorum, & Christi pauperum sustentationem, ac pios usus alios specialiter deputata noscuntur, nec licet ea in usus converti alios, etiam propter communes, Statutis Conciliorum Generalium prohibentibus, ipsius Romani Pontificis licentiâ non obtentâ.* Eumdem nihilominus Christianissimum Regem sacris donavit Privilegiis, ipsi, Reginæ uxori, Normanniæ Duci eorum Primogenito, & *Bonæ* Ducissæ illius conjugi, sacræ communionis sub utraque specie percipiendæ potestatem indulgens. *Nicolaum Remium*, qui ex plebis fece, ingenii, eloquentiæ, & industriæ dotibus emerserat, & ambitione impotenti elatus ad summa contendebat, Tribunus plebis à Populo Romano vana priscæ libertatis spe deluso creatus, & qui Magistratu ad tyrannidem abutebatur, absonis legibus in Ecclesiæ injuriam promulgatis, ac Italiæ Urbibus tractis in partes, per *Bertrandum* Cardinalem Sedis Apostolicæ Legatum dejecit, fregit, fugavit. Legere juvabit *Clementis* Literas ad *Bertrandum* Legatum, & ad Populum Romanum datas anno 1347. quibus ille Tyrannulus suis coloribus depingitur, apud *Odericum Raynaldum*, Num XVI. & XVII. De eodem nebulone legendi *Joannes Villani* lib. 12. cap. 89. & 104. *Albertus Argentinensis*, in Chronico, *Blondus* Decade X. *Nauclerus* Generatione 45. & Vitæ ipsius Italo idiomate scriptæ coævus Author.

Bona Ecclesiarum in usus belli convertere non licet absque licentia Summi Pontificis.

Flagellantium sectam anno MCCCXLIX. damnavit *Clemens VI.* Diplomate quod exhibet *Odoricus Raynaldus* Num XIX. Jubilæum ad quinquagesimum annum redactum, anno MCCCL. celebrandum indixit, Constitutione, *Unigenitus*, quæ inter Extravagantes Communes Tit. *De Pœnis & Remissionibus* legitur. Contra bonorum Ecclesiasticorum occupatores Constitutionem edidit. Nec non alteram de cibo & potu ac numero servientium, quibus uti possunt S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales existentes in Conclavi pro electione Summi Pontificis. Extant Tom. I. Bullarii Romani. *B. Ivonem*, Diœcesis Trecorensis in Britannia Minori quondam Presbyterum, Pauperum Advocatum, in album Sanctorum retulit XI. Kalendas Julii anni MCCCXLVII. Literæ ad Regem Christianissimum *Philippum Valesium* ea de re datæ extant Tom. I. Romani Bullarii. Qui ritus in Sanctorum Canonizatione his temporibus servatos nosse cupit, legat *Odoricum Raynaldum*, ad eumdem annum, illos ex veteri MS. Vaticano ab Authore coævo qui Rituum Formulis præerat, enarrantem. In iis observandum, Summum Pontificem propriæ fragilitatis conscium, *Populum inducere ad orandum pro eo quòd Deus non permittat eum errare in hoc negotio.* Scholæ Parisiensis Doctores, ne vanis argutiis, & inutilibus quæstionibus tractandis intenderent, sed solidam Catholicam veritatem ex sensu Patrum interpretarentur, admonuit datis Literis XII. Kalendis Junii anno MCCCXLVI.

Jubilæum.

Ritus in Sanctorum Canonizatione observatus.

Gravi morbo in vitæ discrimen adductus, ea in quibus forsan vel ante Pontificatum, vel in ipso Pontificatu, ut homo ignorantiæ tenebris obnoxius, errare potuisset, solemni Diplomate dato VII. Idus Decembris anno MCCCLI. revocavit. *Quamvis*, inquit, *ille pius omnium Conditor & Redemptor in se sperantium informet & dirigat actiones, & mentis nostræ tenebras luce sua veritatis illustrans, eas ab invio præservet erroris; quia tamen quandiu carnis hoc velamine tegimur, antiquus hostis, cum quo nobis assidua pugna est, dolos & artes sic confutare non possumus, quin interdum ex carnis fragilitate peccemus. Nos qui inter peccatores peccator viximus, infirmitatem nostram pœnitentiæ passibus metientes, si qua dudum in Minoribus constituti, & postquam ad fastigium Apostolicæ Dignitatis divina bonitas dignanter potius quam dignè provexit, nos disputando, legendo, prædicando, aut aliàs contra Catholicam Veritatem & Fidem, vel bonos mores, ex lapsu linguæ præcipitanter fortè protulimus, revocamus, & volumus pro revocatis haberi: & ea omnia Sedis Apostolicæ auctoritati submittimus & supponimus corrigenda.* Se nimirum infallibilem non censebat, nisi ex Cathedra, id est, accedente Ecclesiæ consensu, de Fidei Controversiis judicasset. Cœnobium Casæ-Dei, cujus Abbas fuerat, restauravit, auxit, ornavit. Clementiæ ac mansuetudinis laude excelluit, quam in eos ipsos explicuit, à quibus injuria fuerat olim affectus, adeò ut non immerito de ipso scripserit *Petrarcha*:

Clemens VI. Ea revocat in quibus ut homo errare potuit contra Catholicam Fidem, & bonos mores.

> *Nulli major inest clementia, nomen ab ipsis*
> *Dignum rebus habet.*

In Poëmate ad Joannem Cardinalem Columnam.

Familiare ipsi fuisse Cæsarianum illud verbum, *Non decere quempiam de præsentia Principis non contentum abire*: Continuator *Bernardi Guidonis* testatur. Piè obiit VI. die Decembris, anno Domini MCCCLII. Pontificatus XI. Ejus corpus ad Monasterium Casæ-Dei delatum est, ibique in Sacello ab ipso constructo conditum. Ejus beneficiis fruitur adhuc Ecclesia Rothomagensis, cujus olim fuerat Archiepiscopus: In ea nempe Collegium sexdecim Presbyterorum fundavit, multísque dotavit proventibus, qui cum cœteris illius Ecclesiæ Ministris divina Officia celebrarent; quod *Collegium Papæ* seu *Sacerdotum Clementinorum* appellatus. Clementem Sextum quinque rosas, quod gentilitium stemma erat, in sigillo Pontificio retinuisse, quo Bullæ obsignabantur, contra morem Antecessorum suorum, testis est Albertus Argentinensis.

Cardinales variis Promotionibus *Clemens VI.*

creavit;

Cardinales à Clemente VI. creati.

creavit, *Hugonem Rogerii*, fratrem suum, Ordinis Benedictini Monachum; *Aymericum de Castroluci* Carnotensem Episcopum; *Andream Gini*, patria Florentinum, Tornacensem Episcopum, qui Lombardorum Collegium Parisiis erexit; *Guidonem de Bolonia*, Gallum, ex familia Principe, Tornacensis primùm, deinde Cameracensis, tandem Lugdunensis Ecclesiæ Infulis ornatum; *Stephanum Alberti*, Juris Canonici Doctorem, Noviomensem, Cameracensem, Claromontanum tandem Episcopum; *Ademarum Robertum*, Juris utriusque Doctorem, Parisiensem primò, deinde Autisiodorensem Antistitem; *Gerardum à Sancto Donato de Guardia*, suum ex sorore nepotem, Ordinis FF. Prædicatorum Generalem Magistrum; *Bernardum de Turri Arvernia*, Nobilem Gallum, Canonicum Lugdunensem; *Guillelmum Judicis*, Legum Doctorem, alterum ex sorore nepotem; *Eliam de Nabunal*, Gallum, Nicosiensem Archiepiscopum, & Patriarcham Hierosolymitanom, ex Ordine FF. Minorum assumptum; *Petrum Bertrandi de Columbariis*, Gallum, Episcopum Attrebatensem, cognominis Cardinalis adhuc superstitis nepotem. *Nicolaum de Bessia*, nepotem ex sorore alterum, Lemovicensem Episcopum electum; *Petrum Rogerii*, nepotem, octodecim annorum adolescentem, jam virtutibus eximium, studiis deditum, & magnarum rerum gerendarum capacem, ubi præsertim experientia & eruditio accessissent. Quâ in re Patrui, aliorúmque expectationem non fefellit, cùm postea Pontificiæ Dignitati par fuerit judicatus, ad eámque sit evectus post *Urbanum V.* sumpto *Gregorii XI.* nomine: *Ægidium Albornotium*, ex stirpe Regum Legionensium & Aragonensium procreatum, Archiepiscopum Toletanum; *Guillelmum de Agrifolio*, Gallum, consanguineum suum, Monachum Benedictinum, Cæsaraugustanum Episcopum electum; *Raymundum de Canillac*, Gallum, Autisiodorensem, ex Canonico Regulari Ordinis S. Augustini, & Abbate Conchensi, Diœceseos Rothcoensis, Archiepiscopum Tolosanum electum: *Pastorem de Albernaco*, Doctorem Theologum Parisiensem, Archiepiscopum Ebredunensem, ex Ordine FF. Minorum assumptum: *Pictavinum de Montesquivo*, Vasconem, Episcopum Albigensem; *Nicolaum Capoccium*, Nobilem Romanum, Juris peritissimum, *Baldi* & *Bartoli* insignium Jureconsultorum discipulum: *Pontium de Villamuro*, Vasconem, Episcopum Appamiensem: *Joannem Morlandinum*, sive Molendinum, Gallum, Ordinis FF. Prædicatorum Generalem Magistrum: *Raynaldum Ursinum*, Nobilem Romanum: *Joannem de Caramanno*, Joannis XXII. nepotem, Protonotarium Apostolicum: *Petrum de Croson*, Gallum, Episcopum Autisiodorensem: *Ægidium Rigaudum*, Gallum, Monachum Benedictinum, Sandionysianum Abbatem, &c.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 204. Religiosi Censores hæc reprehendunt: *Nonnulli Articuli Clementis Sexti indigent explicatione, id est, intelligendi sunt salva auctoritate Concilii Oecumenici, juxta doctrinam Concilii Constantiensis, salva etiam Episcoporum potestate à Christo immediatè derivata; & ita ut illud verum & Catholicum censendum sit quod EX CATHEDRA, id est, accedente Ecclesiæ consensu, Summus Pontifex pronuntiat esse verum.*

R. Sic explicandos *Clementis Sexti* commemoratos Articulos, mihi probabiliter visum est. Id mihi persuasit illorum collatio cum ipsius Retractatione ante obitum editâ. Hæc explicatio consona est doctrinæ Sacræ Facultatis Parisiensis, & Ecclesiæ Gallicanæ. Decretales aliorum Pontificum quotidie à Canonistis Bononiæ, Romæ, & alibi explicantur juxta receptas opiniones. Quidni liceat Theologis Parisiensibus Articulos Clementis Sexti Theologiam spectantes, secundum sententiam, primariæ totius orbis Christiani Academiæ exponere? Cæterùm hâc interpretatione nostrâ legem aliarum gentium Theologis non ponimus. *Unusquisque in suo sensu abundet.*

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 206. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Summus Pontifex propria fragilitatis conscius in Canonizatione Sanctorum Populum inducit ad orandum, ne Deus permittat eum errare in hoc negotio.*

R. Ita refert *Odoritus Raynaldus* in Annalibus Ecclesiasticis, ad annum 1347. Num. 34. ex veteri MS. Vaticano, ab Autore qui hoc tempore in Aula Pontificia Rituum formulis præerat, composito. Ipsius Manuscripti Vaticani verba usurpavi. Eadem refert Ordo Romanus XIV. à Domno *Joanne Mabillonio* editus, Tom. II. *Musæi Italici*, Cap. cxv. Hujus Ordinis Autor est *Jacobus Gaetanus* Bonifacii VIII. nepos, S. R. E. Cardinalis. *Papa, inquit, ante Altare sedendo facit Sermonem, mitram tenendam capite, ut est moris, Processum recitando & probata, ac inducendo populum ad orandum pro eo quòd Deus non permittat eum errare in hoc negotio. Finito verò Sermone hujusmodi, Dominus Papa prædicat se oraturum, & hortatur alios ut orent, ut supra; scilicet* QUOD DEUS NON PERMITTAT EUM ERRARE IN HOC NEGOTIO.

SCHOLION III.

Ibidem hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Retractavit Clemens Sextus ea in quibus ut homo erravit contra Catholicam Fidem.*

R. non scripsi, *erravit*, sed, *errare potuit .... In quibus forsan errare potuisset.* Cæterùm hæc Historiæ res est, ea ipsius *Clementis Sexti* morti proximi Diplomate probata, cujus verba descripsi. Displicet ne Religiosis Censoribus Clementis Sexti humilitas? Putant ne Summum Pontificem ut hominem ac Doctorem privatum errare non posse? Aliud sensit Clemens Sextus: hominem se agnovit, humani nihil à se alienum putavit.

SCHOLION IV.

Pag. 207. ejusdem Articuli, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Clemens Sextus se infallibilem non censebat, nisi EX CATHEDRA, id est, accedente Ecclesiæ consensu, de Fidei Controversiis judicasset.*

R. Id solemnis Retractationis verba probant. Facti quæstio est. Juris quæstionem non attingo.

ARTICULUS V.

De INNOCENTIO VI.

Clementi VI. in *S. Petri* Cathedra successit legitimis electus suffragiis *Stephanus Alberti*, Gallus, Episcopus Ostiensis, die XVIII. Decembris anni 1352. qui sibi nomen sumpsit, *Innocentius VI.* Ut primum electus est, Ecclesiæ, & Curiæ reformationi curas applicuit. Clemens mitior fortassis quàm par esset, Reservationes & Commendas Beneficiorum plerisque concesserat: has *Innocentius*, qui non hominibus, sed Ecclesiis consultum esse volebat, revocavit: *Oves à Pastore, non à Mercenario custodiri oportere*, dictitans. Ita refert *Ægidius* Cardinalis Viterbiensis. Constituit ut omnes Prælati, alii que Beneficiarii, ad Ecclesias suas sub Anathematis pœna proficiscerentur, in iisque residerent. Ecclesiastica Beneficia, nonnisi probatissimis pietate doctrináque viris contulit, & conferenda censuit; statuens ut non quàm dives, aut quàm nobilis, sed quàm eruditus, quàm studiosus quis esset, ratio haberetur: Homines ad Sacra admittendos, non de sensu vel stemmate, sed de virtute & pietate censeri: Oportere rerum humanarum contemptores recipi, cupidos expelli: Quibus Christi & Apostolorum vita cordi esset,

Innocentius VI. Ecclesiam & Curiam reformat.

» tis Ecclesiarum curam credendam : Contra, quos
» opes luxúsque delectant, hos arcendos esse à Di-
» vinis administrandis. Apostoli Regulam propo-
» suit : *Qui non laborat, non manducet* : Qui non ab-
» stinet a luxu atque illiciis, ne Ecclesiarum census
» accipiat ; neque decere justiorem esse *Sapho* Poë-
» triam Sacerdotibus, quæ *Tryphone* Grammatico
» teste, scripsit versum quo justitiæ formulam mira
festivitate complexa est : *Nec mihi mel, nec apis : Qui apis morsus refugit, mel iis, qui non refugiunt, relinquat.* Ita refert *Ægidius* Cardinalis Viterbiensis.
» Minuit impensam & familiam, (inquit idem
» Cardinalis) in quam nonnisi probatissimum
» asciri posse voluit. Idem Edictum proposuit Se-
» natui & Patribus, uti severitatis, modestiæ, vir-
» tutísque omnis exemplum essent populis, ut di-
» gnitatibus opibúsque non aburi, sed illis mode-
» stissimè fungi, his sanctissimè & in pauperes libe-
» ralissimè uti viderentur. Sacri Palatii Audito-
» ribus præmia constituit, ne muneribus corrumpi
» in decernendis litibus ob inopiam possent. Dice-
» bat enim, Famelicos non facilè etiam ab alieno
» cibo abstinere, si sit oblata quovis modo edendi
facultas. (*Ex Platina.*) *Ægidii* Cardinalis Albornotii, Legati Apostolici, virtute Italiæ Tyrannos coërcuit, depressit, fregit; Romanæ Ecclesiæ ditiones à vi, à servitute vindicavit, Bononiam recepit, *Bernarbone* Vicecomite Mediolanensi ab illius obsidione propulsato. *Francisco Baroncello*, qui ex Scriba Senatus ad Tribunitiam Dignitatem evectus à plebe fuerat, seu potius invaserat, *Nicolai Rentii* exemplo, eumdem *Rentium* Avenionensi carcere solutum, & cum *Albornotio* missum Cardinali, opposuit. Utriúsque haud longa fuit dominatio. *Baroncellum Romani*; hunc potestate ad tyrannidem abusum Conjurati sustulere. Pontificiæ auctoritati leges poni haud passus est. Quam ob rem pactiones à Cardinalibus in Conclavi ante suam electionem juratas rescidit : Quas & ipse, & plerique alii, eâ tantùm conditione se observaturos juraverant, si jure ac æquitate niterentur. Has porro juri & æquitati contrarias pronunciavit. Sacram Expeditionem à *Clemente VI.* indictam ac instructam promovit, ac triennales decimas in id opus in aliquibus Regnis imperavit. Cum *Cantacuzeno* primùm, deinde cum *Joanne Palaologo* Græcorum Imperatoribus, ipsius & Latinorum Principum contra Turcas postulantibus auxilia, de conjunctione Ecclesiæ Græcæ cum Romana per Legatos egit. *Palæologus* Romano Pontifici juravit obedientiam; séque revocandis ad Fidem & Communionem Romanæ Ecclesiæ Græcis operam daturum. Sacramentum ejus excepit *Paulus* Archiepiscopus Smyrnensis, Sedis Apostolicæ Nuntius. Ejus formulam ex MSS. Arcis S. Angeli & Vaticanis edidit *Odoricus Raynaldus* Tom. xvi. Annalium ad annum 1355. Num. xxxiv. Pium consilium Græco Imperatori Pontifex gratulatus est, & ad tantum opus perficiendum adhortatus. Ad urgendum verò Sanctæ Unionis negotium, & Græcos in sinum Ecclesiæ alliciendos, Legationem Apostolicam *B. Petro Thoma* Pactensi, ex Ordine Carmelitarum assumpto, & *Guillelmo* Sisopolitano, Episcopis commisit. *Innocentii VI.* ad *Joannem Palæologum* Literas descripsit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCLVI. Num. XXXIII. ex Tom. IV. Epistolarum Secretarum. Rascios etiam Serviósque ad Schismatis ejurationem hortatus est, datis ad ipsos Literis. Beguardos hæreticos in Germania exterminari jussit, scribens ad Præsules ac Principes, ut *Joanni Schandelant*, Ordinis FF. Prædicatorum in eo Regno Inquisitori Generali opem ferrent. (Anno a. LII. divers. formar. Epistola 167.) Nascentem in Anglia hæresim, quæ originale peccatum, & merita bonorum operum negabat, in ipso ortu extirpari jussit, datis ad Eboracensem Archiepiscopum Literis anno MCCCLV.

Cum Græcorum Imperatoribus de conjunctione Ecclesiæ Græcæ cum Romana Innocentius VI. agit.

Eodem anno inaugurandi & coronandi *Caroli* Imperatoris provinciam *Petro Bertrandi* juniori, Ostiensi Episcopo, & *Ægidio Albornotio*, Cardinalibus demandavit. *Ludovicum* Marchionem Brandeburgensem, *Ludovici Bavari* filium, Censuris Ecclesiasticis ob schisma paternum irretitum, veniam enixè postulantem, in Ecclesiæ communionem recepit. Veniam petiit inprimis, quòd patrem contra Romanæ Ecclesiæ mandata Imperatorem appellasset, ab eóque ceu ab Imperatore feuda recepisset; Civitatem Tridentinam, aliáque Ecclesiæ Jura occupasset, quorum juravit restitutionem, *Margaretam* Carinthiæ Ducissam contra fas duxisset; Romanam Ecclesiam omnium Fidelium Matrem & Magistram offendisset. Se neque credere, nec unquam credidisse professus est, quòd Imperator, etiam ab Ecclesia Romana approbatus, Romanum Pontificem exauctorare possit : omne schisma ejuravit, pœnitentiæ legibus sibi à Christi Vicario imponendis se subjecit. Professionis ejus Formulam ex Tabulariis Arcis Sancti Angeli & Vaticanis exhibet *Odoricus Raynaldus*, ad annum 1359. Num. VII.

Ludovici Bavari filium à Censuris absolvit Innocentius Sextus.

Pacis inter *Eduardum* Anglorum, & *Joannem* Francorum Reges procurandæ studiosissimus fuit *Clemens VI.* Misit ea de re ad utramque Majestatem Legatos Apostolicos, *Talayrandum* Albanensem Episcopum, & *Nicolaum Capocii*, S. R. E. Cardinales : *Carolum* Imperatorem sequestrem ac Mediatorem adhibuit, anno MCCCLVI. in illúdque negotium ferventioribus studiis incubuit, cùm *Joannes* Rex Christianissimus ab *Eduardo* Regis Anglorum primogenito captus esset. Missi ad tractatum pacis promovendum *Androinus* Cluniacensis Abbas, & *Hugo* Gebennensium Principum stirpe satus, Haumnii Dominus, qui rem fœliciter gessere. Confectam pacem utrique Regi gratulatus est *Innocentius*. (Tom. 8. P. s. Epistolarum Secretarum.)

Pacem inter Francorum & Anglorum Reges conciliat.

Decretorum suorum Prædecessorum, in materia præsertim Fidei, severus fuit vindex. Duos FF. Minores, alterum Sacerdotem, Conversum alterum, contra Definitionem *Joannis XXII.* de paupertate Christi & Apostolorum pertinaciter disputantes, ipsúmque, & ejus Successores, etiam *Innocentium VI.* tunc sedentem, qui Christum & Apostolos aliquid in communi possedisse docuerant, vel docebant, fuisse & esse Hæreticos asserentes, Curiæ seculari tradidit; cujus Sententiâ combusti sunt Avenione, anno MCCCLIV. ut *Rebdorfius* in Annalibus, coævus Author Gallus Vitæ *Innocentii VI.* & *Vualsinghamus* in *Eduardo III.* testantur. Post biennium, alterum ejusdem Ordinis Professorem ex Conventu Aurelianensi, Diœcesis *S. Flori*, nomine *Joannem de Rupescissa*, Gallicè, *De Roquetaillade*, qui Prophetam agens multos futuros eventus prædicebat, virum non indoctum, & speciem pietatis habentem, carceri mancipavit, quòd spiritu potiùs Pythonico ariolari, quàm Prophetico vaticinari videretur. Multa namque de duobus Antichristis, de desolatione terrarum, & generali conculcatione Cleri, de venturo Angelo Christi Vicario, qui Clericos omnes ad modum vivendi Christi & Apostolorum revocaret, qui Judæos ac Turcas conversurus, ac orbem totum pacificaturus esset, fere mille annis duraturum, effutiebat. Duos inanium hujusmodi Vaticiniorum & Illusionum libros edidit, unum cui titulus, *Ostensor*, alterum quem inscripsit, *Vade mecum in tribulatione.* Id constat ex Authore Vitæ *Innocentii VI.* & ex Continuatore Chronici *Guillelmi Nangii*, (Tom. XI. *Spicilegii* pag. 822.)

Joannis de Rupescissa, illusiones & falsa vaticinia.

Joannem Regem Christianissimum severis Literis objurgavit *Innocentius VI*. quanquam in ejus Regni-

que

que utilitates propensissimus, quòd Anglico urgente Bello præter alia onera quibus Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ difficillimis illis temporibus premebantur, solutionem decimarum unius anni Clero Gallicano imperasset, *occasione concessionis seu promissionis quam de illa quidam pauci numero Prælati Ecclesiastici dicti Regni, nullum ab aliis mandatum aut consensum habentes*, ejus Majestati, *absque licentia Sedis Apostolicæ, sine qua eis id facere non licebat, improvidè ac in salutis eorum præjudicium* fecisse dicebantur. Quas decimas Regii Ministri severitate tanta exigebant, ut eos qui non essent solvendo satis, aut repugnante conscientia solvere nollent, bonis spoliatos omnibus, & vitæ necessariis destitutos, Ecclesias & Beneficia deserere compellerent. Epistolam *Innocentii* ad *Joannem* Regem ex Tom. XV. Epistolarum Secretarum descripsit *Odoricus Raynaldus*, ad annum MCCCLVI. Num. V.

Richardi Armachani Archiepiscopi cum Ordinibus Religiosis Mendicantium controversia ad Innocentium sextum defertur.

Anno MCCCLVII. Pontificatûs *Innocentii* quinto, *Richardus*, Archiepiscopus Armacanus, in Hibernia, gravissimam cum Viris Religiosis Ordinum Mendicantium controversiam habuit. Cùm enim Londinum ob Ecclesiæ suæ negotia fortè divertisset, & quæstiones de spontanea mendicitate, quam Fratres quatuor Ordinum celeberrimorum profitentur, & de Confessione apud eos facta, inter viros doctos magna contentione vidisset agitari, septem aut octo Conciones habuit ad populum, in quibus novem Propositiones asseruit, quas Viri Religiosi ad Sedis Apostolicæ Tribunal detulere, velut suo statui ac Privilegiis ab Apostolica Sede concessis derogantes. Prima hæc erat: *Dominus Jesus Christus in sua conversatione humana semper pauper erat, non quia propter se paupertatem dilexit aut voluit.* Secunda: *Dominus noster Jesus Christus nunquam spontaneè mendicavit.* Tertia: *Christus nunquam docuit spontaneè mendicare.* Quarta: *Dominus noster Jesus Christus docuit non debere hominem spontaneè mendicare.* Quinta: *Nullus potest prudenter & sanctè spontaneam mendicitatem super se assumere perpetuò observandam.* Sexta: *Non est de Regula FF. Minorum, mendicitatem spontaneam observare.* Septima: *Bulla Domini Alexandri Papæ IV. quâ Magistrorum Libellum condemnat, nullam præmissarum conclusionum impugnat.* Octava: *Pro Confessione Parochianorum alicujus Ecclesiæ facienda, cum exclusione loci alterius eligibilior est Parochialis Ecclesia, quàm Fratrum Oratorium, sive ipsorum Ecclesia.* Nona: *Ad Confessionem Parochianorum cujusvis Ecclesiæ uni personæ singulariter faciendam, eligibilior est Persona Ordinaria, seu Ordinarii, quam Fratrum persona.* Ne verò in damnatos *Joannis de Poliaco* in Extravaganti, *Vas Electionis*, errores, impingere videretur, dicebat Fideles confessos Religiosis Viris teneri nihilominus confiteri proprio Sacerdoti, non propter defectum potestatis ad excipiendas Confessiones & Absolutionem concedendam, qui in illis sit; sed propter Ecclesiæ præceptum Canone, *Omnis utriúsque sexus* expressum: Sicut Ecclesia præcipit ut oblationes Parochus faciant, quamvis licitum sit ac pium & Monasteriis facere: Et ut in Ecclesiis Parochialibus Dominicis diebus Missæ adsint, quamvis possint & in Cœnobiis Sacro interesse. Istud esse spontaneæ pietatis, illud officii. Propter has assertiones, ad Curiam Pontificiam à Fratribus Mendicantibus in Judicium vocatus Armachanus Archipræsul, *Innocentio VI.* & Cardinalibus in Consistorio Libellum obtulit VIII. die Novembris ejusdem anni, qui his verbis incipit: *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate.* Atque in ipso exordio protestatur: *Quòd non intendit aliquid asserere aut temerè affirmare, quod Fidei obviet Christianæ aut Doctrinæ Catholicæ: quòd etiam non est intentionis suæ destructionem seu cassationem Ordinum Mendicantium appro-*

A *batorum ab Ecclesia, aut à Summis Pontificibus confirmatorum expetere, aut etiam suadere: sed potius suasurum ipsos Ordines debere reduci ad puritatem suæ Institutionis primariæ: semper Sanctitatis suæ correctioni obedire paratum.* Nihilominus hoc in Libello multa scribit in Privilegiatos duriora. Præsulis Armachani Tractatum, *Rogerius Chenoe*, Ordinis FF. Minorum Professor, egregiè confutavit. Opus ejus Inscriptum, *Defensio Religionis Mendicantium*: cum *Richardi* Archiepiscopi Tractatu edidit *Goldastus* Tom. II. *Monarchiæ Romani Imperii.* Interim ferB vente contentione, *Innocentius VI.* suspenso litis judicio, interlocutoriam pro Mendicantibus Sententiam tulit, Kalendis Octobris anno MCCCLVIII. prohibens Archiepiscopis & Episcopis Angliæ, ne Fratres in Confessionibus, Prædicationibus, Sepulturis, ac Eleemosynis impedirent, aut per suos subditos impediri permitterent: Statuénsque ne pendente lite quidquam innovaretur. Confirmata FF. Mendicantium Privilegia *Vualsinghamus* testatur. *Adhuc lite pendente*, inquit, *Fratres sua Privilegia sub data nova obtinuerunt.* At id pecuniæ vi ab ipsis impetratum falsò scribit. Neque enim *Innocentii* C integritas, neque FF. ipsorum paupertas id credi sinunt.

Cardinales ab Innocentio VI creati.

Viros plerosque eximios Cardinalitiis Infulis ornavit Innocentius VI. *Andoinum Alberti*, Lemovicensem, nepotem suum ex fratre, Magalonensem Episcopum; *Eliam de S. Heredio*, Lemovicensem, Ucetiensem Episcopum, ex Ordine *S. Benedicti* assumptum; *Franciscum de Attis*, Italum, Tudertinum, Episcopum Florentinum; *Petrum de Selve*, suum ex sorore nepotem, Pompelonensem Episcopum; *Guillelmum Farinerium de Gordonio*, Gallum, Ordinis FF. Minorum Ministrum Generalem; *Ni-*
D *colaum Roselli*, Hispanum, Tarraconensem, Ordinis FF. Prædicatorum Professorem, in Regno Aragoniæ Inquisitorem Generalem; *Petrum de la Forest*, Cœnomanensis Diœceseos, ex Monacho & Abbate *S. Dionysii*, Tornacensem primùm, deinde Parisiensem Episcopum, demum Rothomagensem Archipræsulem, Galliæ Cancellarium: *Fortanerium Vasselli*, Ordinis FF. Minorum Professorem, ac Ministrum Generalem, Doctorem Theologum Parisiensem, Ravennatem deinde Archiepiscopum, ac demum Gradensem Patriarcham, virum doctissimum, & Authorem Ecclesiasticum: E *Ægidium de Montaacuto*, natione Gallum, patria Arvernum, Episcopum Morinensem; *Androinum*, Cluniacensem Abbatem, qui pro conciliandis Francorum Anglorúmque Regibus Legationem Apostolicam obierat: *Petrum Iterii*, Legum Doctorem, Aquensem Episcopum; *Joannem de Blandiaco*, Juris utriúsque Doctorem, Nemausensem Episcopum; *Stephanum Alberti*, nepotem alterum, Carcassonensem Episcopum; *Guillelmum Bragose*, Juris Canonici in Academia Tolosana Doctorem ac Professorem, Vabrensem Episcopum; *Hugonem à S. Mariale*, Gallum, Juris utriúsque Doctorem; *Joannem Lassum*, Hispanum, Ordinis B. Mariæ de Redemptione Captivorum Professorem, & TheoF logum insignem. Obiit *Innocentius VI.* Avenione, die XII. Septembris, anno MCCCLXII. Pontificatus anno X. & in Cartusia Villænovæ sepultus est. Carni & sanguini nimiùm indulsit, plures ex nepotibus & propinquis, quamvis non indignos, promovens, ut Vitæ ipsius Author testatur.

ARTICULUS VI.

De URBANO V.

SActis Novemdialibus post *Innocentii VI.* obitum pro more peractis, Cardinales in Concla-

clavi inclusi, cùm in aliquo è Sacro Collegio eligendo convenire non possent, *Guillelmum Grimoaldum*, natione Gallum, Grisaco in Diœcesi Mimatensi oriundum, Ordinis Benedictini Professorem, S. Victoris Massiliensis Abbatem, virum pietate, doctrina, & rerum agendarum peritiâ eximium, ab *Innocentio VI.* pro Ecclesiæ negotiis in Italiam missum, absentem, præter ipsius & omnium expectationem, Deo inspirante, Pontificem renuntiarunt. Qui cùm Massiliam die xxviii. Octobris ejusdem anni MCCCLXII. appulisset, electionis ipsius promulgatum Decretum est, & Avenione octavo Idus Novembris consecratus & coronatus. Italiæ Tyrannos domuit, fregitque, præsertim *Bernabonem Vicecomitem*, Mediolanensem, quem pœnis hæreticorum damnavit, & Sacram Expeditionem in ipsum indixit. At à *Joanne* Rege Christianissimo, cui affinitate junctus erat, ad officium revocatus, Ecclesiæ reconciliatus est ab *Androino* Cardinali Sedis Apostolicæ Legato, anno MCCCLXIII. Cùm verò post aliquot annos rursus Ecclesiasticæ ditioni infestus esset, illum ad pacem exoptandam, vocato in auxilium *Carolo* Imperatore, *Urbanus* adegit. Insignitum Cruce exercitum contraxit idem Pontifex adversùs Asiaticos Saracenos, *Joanne* Rege Christianissimo, & *Petro* Cyprio ad bellum sacrum fœderans. *Carolum* Imperatorem, cæterósque Principes in tanti societatem operis Literis urgentissimis vocavit. *Joannis* Regis obitu ingentia consilia fracta pene fuere. Ad ea promovenda *Petrum Thomasium*, ex Cretensi Archiepiscopo Constantinopolitanum Patriarcham creatum, Virum sanctissimum, ex Ordine Carmelitarum assumptum, Legatum Apostolicum, in locum *Talayrandi* Cardinalis defuncti, misit, anno MCCCLXIV. Alexandriam Ægypti Regiam Crucesignatus Exercitus expugnavit: sed paulò post ipsam amisit nullo commisso prælio, transalpinis scilicet gentibus, Anglis maximè & Aquitanis, Regem Cypri in medio præclarissimi operis deserentibus. Qua de re legenda est *S. Petri Thomasii*, Legati Apostolici Epistola ad Summum Pontificem, & ad Imperatorem, quam ejus Vitæ Cap. XVII. descripsit *Philippus de Maceriis* Regni Cypri Cancellarius, Regiique & Legati sanctissimi in Sacra illa expeditione Socius (apud *Bollandum*, inter Acta Sanctorum mensis Januarii, Tom. II. ad diem XXIX.)

Sacra expeditio adversus Asiaticos Saracenos ab Urbano V indicta.

De Græcis ad Ecclesiæ gremium traducendis solicitus *Urbanus V.* per Literas & Legatos *Joannem Palæologum* Græcorum Imperatorem convenit, auxilia ex Ungaria & aliis Regnis contra Turcas pollicitus est, si ad Matricem Fidei & unitatis Ecclesiasticæ rediret; Formulas Professionis Fidei & ejurandi schismatis præscripsit, quas exhibet *Odoricus Raynaldus*, ad annum MCCCLXVI. Num. VII. & VIII. Anno MCCCLXIX. Romam accessit Palæologus, (quò *Urbanus V.* ante biennium cum summa totius Italiæ lætitia redierat, Sedem Urbi restituens, in qua fuerat à *S. Petro* collocata.) Secundùm præscriptam à Summo Pontifice Formulam Schisma ejuravit, Ecclesiæ Romanæ Fidem professus est. Extat apud *Odoricum Raynaldum* ad hunc annum, Num. II. Græci Imperatoris exemplum alii plerique Principes sunt secuti; *Clara* Vidua *Alexandri* Vualachiæ Principis, ejúsque filia Imperatrix Bulgariæ, & *Latzko* Moldaviæ Dux. Ad Fidem apud Tartaros excolendam ac propagandam, cum *Gullielmo* Cambaliensi Archiepiscopo Præcones Evangelicos ex Ordine FF. Minorum destinavit, quos Magno Camo commendavit. (Tom. VIII. Epistolarum Secretarum pag. 55.) Barcinonensi & Dertusensi Episcopis jussit, ut in Canariam, aliásque Fortunatas Insulas, viginti ex Religiosis Mendicantium Ordinibus & seculari Clero selectos viros, Fidei Christianæ zelo accensos mitterent, ad conversionem Populorum, qui sidera adorabant.

Joannes Palæologus Græcorum Imperator Schisma coram Urbano V. Romæ ejurat.

Ecclesiasticæ Disciplinæ restaurationi, morúmque reformationi tota auctoritate ac vigilantia incubuit. Spiritualem polygamiam, seu Beneficiorum pluralitatem, in Viris Ecclesiasticis damnavit: Prælatos, aliósque Beneficiarios in Ecclesiis suis ac Beneficiis residere jussit: Luxum vestium resecuit: Cardinalium domos azyla sceleratorum esse prohibuit. Hæc ipsi gratulatur *Petrarcha*, Epistola I. libri VII. Rerum Senilium. *Observator sum*, inquit, *fateor, magnus Illustrium, quorum ex actibus usque exemplis pendere Rempublicam existimo. Te igitur observabam: & qui à minimis tam laudabiliter incepisses, quis esses in maximis expectabam. Audiebam te Prælatos Ecclesiarum, qui Romanam Curiam frequentabant, ad Sedes proprias remisisse: Optimè (inquam) ac magnificè. Quid ineptius enim, quæso, propiúsque naufragio est, quam si nautæ omnes remis atque rudentibus abjectis, relictâ navis prorâ, nudatisque lateribus, gravi fasce puppim premant, clam Rectorem importunè ambiant, suísque muneribus desertis, illius officium interpellent? Audiebam te ambitioni antiquæ quæ priorum licentiâ in immensum crevit, frenum ponere; & ut uno aut paucis, pro dignitate virtutis ac scientiæ, beneficiis contenta esset, edicere: justè (inquam) graviterque. Nam quid turpius quam unum aliquem partâ forsan fœdis artibus copiâ nauseantem cernere, multis hinc inde melioribus penuriâ faméque laborantibus? Audiebam circa habituum honestatem multam te curam multúmque studium impendere: laudabam. Nam quis oculus pati potest hæc ludibria, quæ nostra ætas infœlix sibi finxit, dum formosa vult videri, manibus se deformant suis, ac turpissimè dehonestans? Quæ stomachum monstra hæc conspecta non quatiant, cornuti calcei, pennati vertices, caudata cæsaries & in tricam torta, frontes virorum muliebriter discriminali eburneo sulcatæ, lasciviosa vestis verecundiæ inimica, ventres astricti fidiculis & afflicti, pro vanitate patientibus miseris, quod Beati olim pro veritate passi sunt? .... Quæ cùm ubiquè visu turpia, tum vel maximè te spectante turpissima sunt, honestisque omnibus & bene moratis ingeniis detestanda. Tibi autem, Apostolice morum Censor, Edictis ac Legibus castiganda præcipuè & comprimenda, parte castigata, ut perhibent, & compressa.... Audiebam te licentiam pestilentem salubri falce vigoris æquissimi præcidisse, illam dico quæ scelestos homines, gravissimis facinoribus perpetratis, ad Cardinalium domos fugere solitos, legum nodis ac digno supplicio eximebat. Et hoc ipsum singulari laude dignum, maximéque tuum judicabam, ab illius scilicet Vicario, qui Sol Justitiæ verus est, defensam & in suum Jus repositam Justitiam: pessimámque consuetudinem, quâ nihil est infestius virtuti, tuâ vel abscissam manibus, vel convulsam; nec jam ampliùs, ut solebat, apud exemplares Justitiæ Magistros, injustitiæ refugium, azylúmque nequitiæ reperiri.* Ab ingredientibus Religiosa Sodalitia virorum seu Sacrarum Virginum, *In personarum receptione aut ante vel post illam, quæcumque, pastus, prandia sive cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad Ecclesiasticum seu quemvis pium locum alium deputata seu deputanda*, exigi prohibuit, sub pœnis *excommunicationis* à dantibus & accipientibus, *suspensionis* verò à Capitulis & Convētibus incurrenda; *a quibus præterquam in mortis articulo absolvi nequeant, absque Sedis Apostolicæ licentiâ speciali.* Diploma exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCLXIX. Num XV. Jesuatorum Ordinem à *B. Joanne Columbino* institutum, & Ordinem Salvatoris à *Sancta Brigitta* conditum approbavit. Viennensem in Austria, & Cracoviensem in Polonia, Academias erexit, rogantibus Principibus: Bononiensem multis Privilegiis adauxit. Qua de re ipsi gratulatur

Disciplinam Ecclesiasticâ restaurat Urbanus V.

Pro receptione in Monasteria aliquid exigi ante vel post, Urbanus V. prohibet.

Ordines Religiosos approbat.

Academias erigit, & privilegiis auget.

gratulamr *Petrarcha* loco suprà laudato : *Audiebam præterea singularem illam tuam curam paternámque solicitudinem circa Bononiense Studium, quanta nulli unquam Pontificum fuisse, aut Principum, quibus quantisque Privilegiis, qua magnificentia, qua pietate illud longis ac jugibus bellorum turbinibus quassatum stratúmque erigis, & antiquam illi non modo restituis, sed si qua fors fuerit, amplificas etiam dignitatem. Et hoc quoque te dignum, tibique debitum censebam. Nam quis alius studiorum omnium, sed præsertim Juris matrem ac nutricem urbem adjuvet, ac reformet, quàm is qui utriusque Juris peritissimus, alterius autem & Conditor & Interpres unicus haberetur? Aut quis alius quàm tu huic Literarum ruinæ subjicere oculos aut vellet, aut posset?* Mille Studentium in variis Collegiis Mæcenas fuit munificentissimus *Urbanus V.* Abstinentiam à carnibus in Adventu Domini, & duobus diebus ante Feriam IV. Cinerum ab Ecclesiasticis & Laïcis in Curia sua existentibus religiosè observari statuit. In solos consanguineos fuit beneficiorum temperans. A patre suo sexcentarum librarum redditum annuum, quem Rex Christianissimus in sui gratiam illi dederat, cum gratiarum actione recusari jussit. Nepotem suum, non Principem aut primariæ Nobilitatis fœminam, sed filiam Mercatoris Montispesullani ducere voluit. Fuit ipsi propositum semper facere in omnibus, quæ Deo credebat fore placitura, & contraria vitandi. Habuit in mente constantiam, veritatem in ore, efficaciam in operatione, inquit Vitæ ipsius Author, apud *D. Bosquetum*.

Urbanus V. beneficiorum in solos consanguineos temperans.

Avenionem redit invitis oraculis, & *S. Brigitta* Revelatione insuperhabitâ, quæ ipsum, si in Gallias rediret, confestim moriturum, à Deo edocta, prænuntiaverat. Gravissimas profectionis rationes habuit, ut ipse in Literis ad populum Romanum scripsit. Præcipua causa fuit Regum Franciæ & Angliæ conciliatio. Avenionem pervenit die XXIV. Septembris anni MCCCLXX. Decembri verò mense morbo correptus, Christianis Sacramentis summa pietate susceptis, præsentibus Camerario, Confessario, multisque aliis familiaribus sui, ac insignibus personis, professus est : *Se tenere & credere firmiter, quicquid Sancta Catholica & Apostolica tenet & docet, & prædicat Ecclesia : Et si per prius docendo, legendo, prædicando, aut disputando, vel alias, aliud quovis modo prædicaverat, vel dixerat, totum id revocavit, voluitque haberi pro non dicto; submittens se & dicta sua hujusmodi correctioni & determinationi dictæ Sanctæ Matris Ecclesiæ, à qua asseruit se nunquam deviasse scienter.* Ita refert Vitæ ipsius coævus Author à *D. Bosqueto* editus. Obiit die XIX. Decembris anno MCCCLXX. Pontificatûs IX. Miraculis post obitum claruit, ut idem Author, & *Petrarcha* lib. XIIS. *Rerum Senilium* Epistola XIII. testantur. Ejus corpus Massiliam delatum, & ad *S. Victoris* sepultum est.

Urbanus V. Roma Avenionem redit.

Urbanus V. moriens priora sua omnia dicta sua correctioni Ecclesiæ subjecit.

Ejus sanctitas.

Cardinales creavit, *Anglicum Grimoardi* fratrem suum, ex Canonico Regulari & Priore Dignensi Avenionensem Archiepiscopum, *Guillelmum Sudoris*, sive *Sudre*, Gallum, ex Provinciali Provinciæ Tolosanæ Ordinis FF. Prædicatorum, & Sacri Palatii Magistro, Massiliensem Episcopum. *Marcum de Viterbio*, Italum, Ordinis FF. Minorum Generalem Ministrum; *Guillelmum de Agrifolio Juniorem*, Senioris cognominis nepotem, Gallum, Juris Canonici Doctorem; *Arnaldum Bernardi de Monte-Majori*, Gallum, Patriarcham Alexandrinum; *Philippum de Cabassole*, Gallum, Cabellicensem primùm Episcopum, deinde Hierosolymitanum Patriarcham; *Bernardum de Bosqueto*, Gallum, Cadurcensem, Legum Doctorem, Neapolitanum Archiepiscopum; *Simonem de Langham*, Londinensem primùm Episcopum, ex Uvestmo-

Cardinales ab ipso creati.

A nasteriensi Cœnobio Ordinis Benedictini assumptum, mox Eliensem, & Angliæ Cancellarium, denique Cantuariensem Archiepiscopum; *Joannem de Dormant*, Bellovacensem Episcopum & Comitem, Franciæ Cancellarium; *Stephanum*, Parisiensem Episcopum : *Franciscum de Thebaldeschis*, Romanum, S. Petri ad Vincula Priorem; *Petrum de Banibaro*, sive *de Banbaco*, ex Abbate Montis-majoris, Ordinis Benedictini, Castrensem Episcopum; *Petrum d'Estain*, Sanfloranum primò Episcopum ex Ordine Benedictino assumptum, deinde Bituricensem Archiepiscopum; *Petrum Corsinum*, Nobilem Florentinum, Vulaterranum Episcopum.

B Ingrati animi vitium incurram, si omiserim *Urbanum V.* Ordini FF. Prædicatorum, *S. Thomæ* Aquinatis Corpus, quod in Monasterio Fossæ Novæ Cisterciensis Ordinis conditum fuerat, unà & sacrum Caput concessisse, ac in Tolosanum ejusdem Ordinis Conventum deferri jussisse II. Festo die Corporis Christi elixit, anno MCCCLXVIII. Ad id beneficium impetrandum F. *Elias Raymundi*, Ordinis Generalis Magister, hac inter alias usus ratione est, quòd *S. Thomas* Officium de Corpore Christi, quod tunc canebat, ut ettaminum canit Ecclesia, composuisset. Cui Comes Nolanus & C Domini Cardinales suffragati sunt, & *quasi clamando testimonium dederunt, quòd S. Thomas Festi Corporis Christi Officium veraciter & excellenter, subtiliter & mirabiliter ordinasset.* Ita refert F. *Raymundus Hugonis*, dicti Magistri Generalis Socius, & rerum tunc gestarum testis ocularis, in Historia Translationis edita cum Vita ejusdem Angelici Doctoris à PP. *Henschenio* & *Papebrochio* S. I. inter Acta Sanctorum mensis Martii, ad diem VII. Idem docet alia ejusdem Translationis Historia ex MSS. Vaticano & Mediolanensi ab iisdem Authoribus edita. *Cùm*, inquit, *in Festo Corporis Chri-* D *sti anno Domini* MCCCLXVIII. *sacra solemnia agerentur, coram eodem Urbano, & cunctis R. E. Cardinalibus, illustribusque Comitibus Nolano & Monopolitano, aliisque quampluribus de genere S. Thomæ, necnon multis Principibus, & Baronibus, exortus est sermo, fideli & efficaci sermone comprobatus, quòd Sanctus Doctor totum ejusdem Solemnitatis Officium sub Urbano IV. composuit : quod non tam humano ingenio, quàm divina inspiratione dictavit, &c.* Ut verò brachium dextrum *S. Thomæ* Parisios transmitteretur, in hocce FF. Prædicatorum Conventu & Collegio deponendum & colendum; annuit *Urbanus V.* accedente tamen Capituli Generalis proximè cele- E brandi consensu. Ita habet ejus Diploma datum apud Montem Flasconem X. Kalendas Julii. *Volumus autem, quòd si Magistro ac Capitulo Generali dicti Ordinis proximè celebrando placuerit, ejusdem corporis dextrum Brachium Priori & Fratribus Domûs dicti Ordinis Parisiensis, ad decus & decorem totius Studii Parisiensis, in quo idem Sanctus sua facunda facundia, cœlestis irrigui gratia influente, Scripturarum ænigmata reseravit, solvit nodos, obscura dilucidavit, dubiaque declaravit, ad devotionem Fidelium adaugendam trans-* F *mittatur, & in ipsa Domo honorificè perpetuis temporibus veneretur.* Porrò quàm solemni Ritu Brachium *S. Thomæ* in hocce Conventu nostro depositum fuerit, quo nomine *Urbano V.* Sanctissimo Pontifici, qui nos tanto thesauro ditari voluit, æternùm obstricti erimus, docet Codex MS. *Ambrosii* Taëgii Mediolanensis. *Anno*, inquit, MCCC. LXIX. *die* XIII. *Julii, collocatum fuit Brachium Sancti Doctoris in Conventu Parisiensi Ordinis Prædicatorum hoc modo. Nam congregata universa multitudine Cleri & Populi, unà cum illustri Carolo* * *Francorum Rege, uno Cardinali, & duobus Archiepiscopis, sex Episcopis*

Corpus S. Thomæ Aquinatis Ordini FF. Prædic. concessit.

Brachium ejusdem Sancti Doctoris Conventui FF. Præd. Paris. ab eodem largitum est.

* *Carolo V. cognomento Sapiente.*

Episcopis, tribus Abbatibus, Duce Burgundiæ ipsius Domini Regis Fratre, tribus Comitibus, & tribus Reginis, aliisque Dominabus Regalibus, in Ecclesia S. Genovefæ Magister Ordinis sacris indutus vestibus venit coram Rege cum Brachio, & ait: Serenissime Princeps, Capitulum Generale ob reverentiam Dominationis vestræ mihi Magistro Ordinis FF. Prædicatorum concessit, ut Brachium S. Thomæ Celsitudini vestræ donarem, quod ego in præsentiarum Serenitati vestræ concedo, Juroque ipsum verum Beati Thomæ de Aquino Brachium fore; & in hujus rei testimonium ipsum reverenter adoro. Et tunc genibus flexis Rex valde reverenter illud accepit, & D. Cardinali Belvacensi obtulit deferendum. Sicque comitantibus præfato Rege, Prælatisque ac Principibus, omnibusque populis civitatis, ipso dicto die festinantes ad FF. Prædicatorum Ecclesiam Parisius, omnes nimium exultantes, divinis laudibus, pervenerunt, ibique oblatis auri & argenti muneribus, aliisque diversorum generum Regalibus ornamentis, ipsum pretiosissimum Sancti Doctoris Brachium Rex Inclytus collocavit, voluitque quod Capella S. Thomæ, CAPELLA REGIA appellaretur. Eodem tempore, præfatus D. Cardinalis Missam cantavit, & propter populi multitudinem actualiter tres prædicabant. Nam in Ecclesia coram Rege prædicavit Abbas Fiscanensis; in Claustro Fratrum unus Magister Ordinis Minorum, & in platea Ecclesiæ, Frater unus Ordinis Carmelitarum. Edita est hæc Narratio ex MS. *Ambrosii Taegii*, inter Acta Sanctorum mensis Martii à PP. *Henschenio* & *Papebrochio*, Tom. 1. pag. 740.

SCHOLION I.

RR. Censores in hoc Articulo, pag. 134 hanc Propositionem notant: *Urbanus V. Avenionem rediit invitis Oraculis, & S. Brigittæ Revelatione insuperhabitâ.*

R. Ita se res habuit. De hoc Historiæ capite ita scribit *Odoricus Raynaldus* ad annum 1370. N. 19. *Monitum Urbanum fuisse à Petro Arragonia Regio Principe Minorita, ne Avenionem rediret, ne conflando schismati, quo innumera Christianorum innocentium millia peritura forent, occasionem daret, refert Alfonsus, qui Episcopatus Giennensis abjectis honoribus, eremitica vita, cælestiumque rerum meditationi se totum dediderat: idemque Exomologesibus sacris sanctæ Brigittæ excipiendis adhibitus testatur, illam cælitus ac episse, Urbanum, si rediret Avenionem, illico moriturum; remque Rogerio Bellifortis Cardinali, qui postea Gregorius XI. in Pontificatu appellatus est, patefactam. Sed cùm ille Pontifici id aperire non auderet, demum Urbano apud Montemflasconem ab eadem S. Brigitta detectum; quamvis ipse ejusdem Sanctæ verba veluti nullo fulta argumento, quo cœleste arcanum fuisse confirmaret, rejecerit. Quæ Gobelinus, & ex eo Chronici Belgici Autor repetunt, a. S. Antoninus hisce verbis confirmat:* "*IN Monteflascone Urbano Papæ V. extitisse Revelationem sibi factam à Dei Genitrice, quæ sub mortis comminatione futurique Judicii districtione Pontifici inhibuit, ne de Roma vel Italia recedendo Avenionem peteret personaliter, narravit: Quod tamen Papa non implevit; unde mala innumera secuta sunt*

MS. Arc. Vatic. Tom. 1. De Schism. pag. 22. & lib. 7. Revel. S. Brigit. C. 137.

Gobelin in Cosm. Ætat. 6. c. 71. Chron. Belg. in Urb. V. S. Anton. 3 p. tit. 24. c. 11. §. 6.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 135. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa omnia quæ dixit, correctioni Ecclesiæ subjicit in Articulo mortis.*

R. Re vera *Urbanus V.* mortis proximus *Se & dicta sua correctioni Sanctæ Matris Ecclesiæ subminit, à qua asseruit se numquam deviasse scienter.* Ita refert Vitæ ipsius coævus Author à Dom. *Bosqueto* Mont Pessulensi Episcopo editæ, ex quo & istud Historiæ Caput refert *Odoricus Raynaldus* ad ann. 1370. N. 23.

ARTICULUS VII.

De GREGORIO XI.

URBANO V. consentientibus Cardinalium suffragiis Successor datus est *Petrus Rogerii Monstrius de Malmonte*, Clementis VI. ex fratre *Guillelmo* Comite *Belfortio* nepos, *S. Mariæ Novæ* Diaconus Cardinalis, nondum quadragenarius, III. Kalendas Januarii, anno MCCCLXX. & die V. *Januarii* consecratus atque coronatus. Sumpsit sibi nomen, *Gregorius XI.* De sua electione totius orbis Christiani Præsules ac Principes statim certiores fecit, inprimis *Carolum* V. Regem Christianissimum, quem Progenitorum exemplo ad devotionem erga Sedem Apostolicam excitavit, eique propensissimam in Majestatis ejus incrementa voluntatem explicuit. *Progenitorum tuorum* (inquit) *Christianissimorum Regum Franciæ laudabilia imitando vestigia, Romanam & alias Ecclesias & personas Ecclesiasticas fovere & honorare studeas, & super iis quæ tibi & tuis videris profutura, nos prompta securitate requiras. Nam Regia Serenitati se favorabilem in omnibus exhibebit Apostolici favoris & gratiæ plenitudo: Te siquidem etiam non petente, proponimus (divina favente clementia) tuæ Magnitudinis incrementis felicibus excitare.* Designatos ab *Urbano* Decessore suo Legatos ad Reges Francorum & Anglorum, ad pacem inter eos conciliandam, scilicet *Simonem de Langham*, Anglum, & *Joannem de Dormannis* Gallum, S. R. E. Cardinales, ad utrumque misit cum Literis urgentissimis. Nihil tamen ista promovit Legatio, nimiùm tunc obfirmatis Principum inimicitiis. Pacandis Hispaniis *Guidonem* Cardinalem Legatum Apostolicum misit. Anno ipsius Pontificatus secundo, pax inter *Joannam* Siciliæ Reginam, & *Fridericum* Trinacriæ Regem inita est, Religiosis ex Ordine FF. Minorum Sacerdotibus, qui Regi & Reginæ à Confessionibus erant, interpretibus. Relata res universa ad Pontificem, cujus fiduciaria Regna. Is nonnullas pactionum conditiones rescidit, alias addidit, quasdam temperavit, Pontificio in ea Regna Juri consulens. Formulam pacis, & *Gregorii XI.* ea de re Literas, ex Regesto ipsius, ex Collectione *Platina*, & ex lib. Privilegiorum Ecclesiæ Romanæ descripsit *Odoricus Raynaldus*, ad annum MCCCLXXII. Num. VI. & VII. *Bernabonem Vicecomitem* Ecclesiasticæ ditioni rursus infestum, pactique cum *Urbano V.* fœderis infractorem, Censuris, armisque domuit. Solemnes Conventus Thebis indixit, ut Orientales Occidentalésque arctissimo fœdere ad compescendam Turcarum feritatem devinciret. *Joannem Lascarim* Græcorum Imperatoris *Joannis Palæologi* Oratorem, suppetias adversùs Turcas rogantem, benignissimè excepit, Principibus commendavit, de instruenda classi duodecim triremium, quæ in Hellesponto atque Ægeo Mari Barbaros trajectu ex Europa in Asiam arcerent, consilium iniit, anno MCCCLXXIII. Mox sacram expeditionem Hungaris in Turcas indixit, & *Carolum* Imperatorem ad belli societatem hortatus est. Florentinos cùm Vicecomitibus adversùs Romanam Ecclesiam conjuratos, cùm ditionis Pontificiæ urbes plurimas ad defectionem compulissent, Plebiscita contra Ecclesiæ Jura ac libertatem promulgassent, Viros Ecclesiasticos, ipsósque Sedis Apostolicæ Nuntios crudelissimè vexassent, Apostolicum Legatum bello lacessivissent; gravissimâ Sententiâ perculit, anno MCCLXXVI. III. Idus Februarii; Magistratus & Vexilliferos urbis Anathemate confodit, ipsi Civitati

Gregorii XI. in Regem Christianissimum voluntas.

Gregorii XI. Sententia adversus Florentinos.

vitati Sacris interdixit, civium fortunas diripientibus, personas capientibus exposuit, omni cum illis commercio prohibitis; omnem ad honores, dignitates, & functiones publicas, tam Ecclesiasticas quam civiles aditum ipsis interclusit. Sententiam ex Vaticano Codice *Bzovius* descripsit ad hunc annum, Num. xv. *S. Catharinam Senensem*, Tertii Ordinis *S. Dominici*, de Pœnitentia nuncupati, Sacram Virginem, sanctitatis opinione celeberrimam & cœlestium charismatum donis admirandam, rogarunt, ut pro ipsorum reconciliatione Legationem ad Summum Pontificem obiret. Annuit Virgo Sancta, Avenionem accessit, ad Pontificis pedes effusa, gratiam ac pacem pro Florentinis exoravit. Hanc summâ benevolentiâ excepit *Gregorius XI.* ipsiúsque arbitrio pacem permisit: *Ut omnibus pateat*, inquit, *quia pacem cum eis volo, ecce pacem ipsam pono in manibus tuis, Carissima Filia; tu tantum recommendatum habeas honorem Ecclesiæ Sanctæ.* Virginis consiliis, ac paternæ *Gregorii* pietati obstitit Florentinorum contumacia. Quam ut armis

Gregorius XI. Romam redit.

frangeret, duos in Italiam Cardinales Legatos mittere compulsus est. Summo Pontifici, quem ad Sedem Apostolicam Romæ restituendam pluribus Epistolis adhortata erat, *Votum suum de petenda Urbe in occulto factum, & sibi soli ac Deo notum*, sese divinitus cognovisse monstravit Catharina Senensis. *Fuit enim in ea Spiritus Prophetiæ* (inquit *Pius II.* in Bulla Canonizationis.) Romam redit, eadem præmissâ Virgine *Gregorius*. Ejus Itinerarium à *Petro Aurelio* Alectensi, Episcopo Senogalliæ, ex Augustiniano Ordine assumpto, descriptum, apud *Ciaconium*, *Papirium*, *Massonum*, & *Bzovium* legere est. In Urbem appulit die xxvii. Januarii anno MCCCLXXVII, ingentique pompa susceptus est à Romanis, se suáque ipsi subjicientibus. Mox *Catharinæ Senensi* Virgini, cujus spiritum probaverat, & sanctitatem zelúmque pro Dei gloria, pro Ecclesiæ pace ac utilitate, pro salute populorum noverat, jussit ut Legationem ad Florentinos Sedis Apostolicæ nomine obiret. Paruit Virgo sacra, pacémque persuasit melioribus: Sed tumultu ab inimicis Ecclesiæ concitato, à seditiosis quæsita ad necem est, quam avidè optabat Martyrii candidata. Evasit tamen, confuso & debilitato divinitus percussore; & aliquandiu extra urbem delituit, sedata seditione in eamdem regressa est, nec inde exiit, donec pax Florentinorum cum Apostolica Sede confecta ac promulgata esset, quòd post obitum *Gregorii*, Sedente *Urbano VI.* consummatum est. Horum testes *Raymundus Capuanus* Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, qui *Sanctæ Catharinæ Senensi* à Confessionibus fuit, in ejus Vita * P. iii. Cap. viii. & *S. Antoninus* iii. P. Chronic. Tit xxiii. Cap. xiv.

Sancta Catharina Virgo Senensis, Gregorii XI. oratrix ad Florentinos, & pacis inter ipsos & Sedem Apostolicam sequestra.

* *Inter Acta SS. mensis Aprilis à PP. Henschenio & Papebrochio S. J. editis, Tom. III. ad diem xxx.*

Longè majori ardore, fidei, quàm Ecclesiasticæ ditionis hostes insectatus est *Gregorius XI.* Ad Beguardos & Beguinas, qui Germaniam & finitimas Provincias infestabant, abolendos, Literis Episcopos & Principes excitavit. *Albertum* Halberstatensem Episcopum, qui omnia fato ineluctabili contingere docebat, merita ac demerita tollebat è medio, divini auxilii & Sanctorum invocationem ut inutilem rejiciebat, publicè hæreses revocare ac damnare jussit: Sin minùs intra bimestre ad Sedem Apostolicam se sistere. (Epistola Curiali xi. ann. 2.) *Raymundi Lulli* Opera, multis fœdata erroribus, de quibus cap. sequenti dicemus, damnavit. *Mallesium*, Canonicum Pragensem, qui multos errores vulgaverat, ejúsque Sectatores, pœnis Hæreticorum plecti jussit, datis ad Archiepiscopum Pragensem, ejúsque Suffraganeos literis, necnon ad *Carolum* Imperatorem, quem hortatus est ut Præsulibus & Fidei Censoribus adversùs illos præsto esset. Anglicanos Præsules in *Joannem Vvichef*, damnatas *Marsilii de Padua*, & *Joannis de Janduno*, hæreses excitantem, novásque addentem, animadvertere jussit, eum in custodiam tradere, ejus Confessionem super erroneis hujuscemodi propositionibus excipere, ejúsque dictorum Scriptorúmque Relationem accuratam ad Sedem Apostolicam mittere. Si intercipi, & vinculis mancipari non posset, ipsi ad Tribunal Apostolicum diem dicerent. Ad Regem, Principésque ac Proceres Anglos, necnon ad Oxoniensem Academiam Literas dedit, monens ut fidei puritatem defenderent, nec adversùs eam impium Hæresiarcham impunè grassari permitterent. Has *Gregorii XI.* Literas apud *Uvalsinghamum* in *Eduardo* III. & *Richardo II.* legere est. Propagandæ fidei studio, selectos ex Ordine præsertim FF. Prædicatorum Religiosos Viros, Apostolico zelo incensos, in varias Orientis regiones misit, ad conversionem Infidelium, hac inductus ratione (ut ipse scribit ad F. *Eliam*, Ordinis Generalem Magistrum) quòd ex eo prodiissent viri virtutibus conspicui: *Qui per Dei gratiam assistentem eisdem, in partibus Armeniæ Majoris multitudinem Infidelium converterunt ad fidem, in qua usque ad hæc tempora permanserunt, prout permanent in præsenti: in quibus etiam partibus iidem Fratres plantaverunt Ordinem FF. Unitorum, dicto tuo Ordini subjectorum.* (Anno iv. Pontificatus Epistolarum Curialium pag. 3.)

Gregorius XI. hostes fidei insectatur & damnat.

Fratres Uniti, seu Congregatio Unionis Christianæ, olim à FF. Prædicatoribus in Armenia instituti.

Ex illis Fratribus nonnulli, Constantinopoli cum *Joanne Cantacuzeno* olim Imperatore, Ordinis *S. Basilii* Monacho, congressi, ad Professionem Primatûs Sanctæ Romanæ Ecclesiæ super omnes orbis Ecclesias ipsum adduxere: Quam ipsi per Literas gratulatus est *Gregorius XI.* eúmque adhortatus est, ut quâ pollebat apud Græcos auctoritate, unionem Ecclesiæ promoveret; utque commodiùs ea de re tractaretur, ipsum Romam invitavit. (Tom. V. Epistolarum secretarum pag. 4. apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCCLXXV. Num. 11.)

Ecclesiasticam Disciplinam saluberrimis Decretis restauravit, firmavit. *Carolo* V. Regi Christianissimo author fuit, ut consuetudinem in Galliis inolitam, quâ ultimo supplicio damnatis Pœnitentiæ Sacramentum negabatur, abrogaret, utpote *contra Canonica Statuta* pugnantem. (Tom. V. Epistolarum secretarum pag. 152. apud *Odoricum Raynaldum* ad annum 1375. N. 28.) De Præsulum Residentia Decretum edidit, quod ex ipsius Regesto exhibet idem Annalium Ecclesiasticorum Continuator, ad annum 1375. N. 23. Officium proprium Inventionis & Exaltationis S. Crucis, ac Vigiliam cum Jejunio, & Missa de Vigilia Nativitatis B. Mariæ Virginis instituit, erga Crucem & Matrem Domini devotissimus, ut Vitæ ipsius Author à *Bosqueto* editus testatur. Festum Præsentationis ejusdem Deiparæ, jam olim in Oriente celebre, in Ecclesia Occidentali instituit, urgente *Philippo de Mazeriis* Nobili Picardo, Regni Cypri Cancellario, qui Officium integrum illius Solemnitatis, prout in Oriente ac speciatim in Cypro Insula canebatur, ejus obtulit Sanctitati. Extat in MS. Codice Regalis Abbatiæ *S. Victoris* Parisiensis, cum *Philippi de Mazeriis* Literis ad Christianos Occidentales ea de re datis. Sed & *Carolus V.* Rex Christianissimus eamdem Solemnitatem per universum Regnum celebrari jussit. Ejus Literæ ea de re scriptæ ad Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ *Mariæ* de Meleduno, Senonensis Diœcesis, & ad Magistrum & Scholares Navarrici Collegii, datæ Meleduni die xx. Novembris anni 1374. extant in eodem Codice: aliámque ejusdem argumenti Epistolam ab eodem Christia-

Varia Gregorii XI. Acta.

Gregorii XI. pietas erga Deiparam Virginem.

nissimo Rege ad *Nicolaum* Autissiodorensem Episcopum scriptam laudat *Molanus* in additionibus ad Martyrologium *Usuardi*. Ob suum erga B. *Mariam Magdalenam* singularem devotionis affectum, Sacra, Precésque certis diebus pro se ac patruo *Clemente* VI. in perpetuum tempus à FF. Prædicatoribus Conventus Regii *S. Maximini* celebrari constituit, collato Religiosæ illi familiæ pingui Sacerdotio. In Diplomate ea de re dato IV. Idus Martii, Pontificatus anno sexto, palam fecit quanto apud se in pretio esset Ordo sacer, his verbis: *De Fratrum Ordinis Prædicatorum, qui vita meritis, & dono scientiarum, quasi Sydus prærutilans in militante Ecclesia noscitur coruscare, devotis orationibus specialiter sperantes in Domino: & ob reverentiam B. Mariæ Magdalenæ, ad quam specialem devotionem habemus, & apud quam quidem Ecclesiam domus & Conventus dictorum FF. existit*, &c. Eumdem Ordinem amplissimis ornavit Privilegiis, Diplomate quod incepit, *Virtute conspicuis*, Tom. I. Bullarii Romani. Religiosam Congregationem FF. *S. Ambrosii*, sub S. *Augustini* Regula, in Ecclesia S. *Ambrosii ad Nemus*, Mediolani instituit, Diplomate quod incipit; *Cupientes*. (Ibidem.) Viros Literatos dilexit, fovit, promovit. Cardinalitiis ornavit Infulis *Petrum Gomesii de Barroso*, Hispanum, Archiepiscopum Hispalensem; *Joannem de Crosso, de Callimaforti*, Lemovicensis Diœceseos, ejusdémque urbis Episcopum, consanguineum suum; *Bertrandum Lagerii, de Figiaco*, Glandatensem Episcopum, ex Ordine FF. Minorum assumptum; *Bertrandum de Cosnaco*, ex Canonico Regulari S. Augustini Convenarum Episcopum. *Guillelmum de Chanaco* in Academia Parisiensi Juris Canonici Doctorem & Professorem, Ordinis S. Benedicti, Mimatensem Episcopum; *Robertum Gebennensem*, Cameracensem Episcopum; *Joannem Fabri*, consanguineum suum, Tutellensem Episcopum; *Jacobum Ursinum*, Nobilem Romanum; *Joannem de Turre Arvenia*, Monachum Benedictinum, & Abbatem Floriacensem; *Petrum Flandrium*, Juris Pontificii Doctorem, Decanum Bajocensem, Referendarium Apostolicum; *Guillelmum Novelleti*, seu *Noelletii*, Engolismensem, Legum Doctorem, Carnotensem Archidiaconum; *Petrum de Verubio*, Juris Canonici Doctorem, Archidiaconum Rotomagensem, Sacri Palatii Auditorem; *Petrum Judicis*, seu *de Judicia*, Lemovicensem, consobrinum suum, Archiepiscopum primò Narbonensem, deinde Rotomagensem, ex Ordine S. *Benedicti* assumptum; *Simonem de Brousano*, Italum, Mediolanensem Archiepiscopum; *Hugonem de Montrelaix*, Briocensem Episcopum; *Joannem de Buxeriis*, in Sacra Facultate Parisiensi Doctorem Theologum, Cisterciensem Abbatem; *Guidonem de Malesicco*, suum ex sorore nepotem, Pictaviensem Episcopum; *Joannem de Grangia*, ex Abbate Sandionysiano & Fiscanensi, Ambianensem Episcopum, *Caroli* VI. Præceptorem, Regni sub *Carolo* V. Rege Christianissimo Administrum: *Petrum de Sortenaco* Juris utriusque Doctorem, Vivariensem Episcopum: *Geraldum de Podio*, ex Cluniacensi Monacho, & Majoris Monasterii Abbate, primùm S. Flori, deinde Carcassonensem Episcopum; *Petrum de Luna*, Nobilem Hispanum, Juris Canonici Doctorem & Professorem, Ecclesiæ Valentinæ Præpositum: *Yvonem Begaignon*, Gallum, ex Aremotica, Ordinis FF. Prædicatorum Professorem, in sacra Facultate Parisiensi Doctorem Theologum, Trecorensem Episcopum, addidit *Frizonius*, ex antiqui MS. fide; at tam incerta est Cardinalitia illius dignitas, quàm falsus Trecorensis Episcopatus. Inter Episcopos Trecorenses in Gallia Christiana tum *Claudii Roberti*, tum *Sammarthanorum* non comparet. Inter Cardinales ab Authore Vitæ *Gregorii X I.* non recensetur, qui cæteros nihilominus studiosè numerat ab isto Pontifice creatos.

Gregorii X I. de FF. Prædicatorum Ordine præclara opinio.

Gregorii X I. Cardinales.

Obiit *Gregorius X I.* Ecclesiasticis Sacramentis magna pietate perceptis, die XVII. Martii anni MCCCLXXVIII. anno ætatis circiter LXVII. Testamentum condiderat anno MCCCLXXIV. die XV. Maii, quo suam in Cœnobium *Casæ-Dei*, in Parisiensem Ecclesiam & Capitulum, in Ecclesiam Rotomagensem, in quâ Major Archidiaconus fuerat, & in Carthusienses munificentiam exprompsit. Editum est Tom. VI. *Spicilegii Acheriani* pag. 675. *Solâ Dei Patientiâ Servum Servorum Dei*, in eo se inscribit Religiosissimus Pontifex. Quàm humiliter de se sentiret, ex eo constat, quòd se erroribus, etiam contra fidem, obnoxium esse agnoverit atque professus sit, nec infallibilem se existimarit nullo accedente Ecclesiæ consensu. Verba ejus ex supremæ voluntatis tabulis exhibere operæ pretium est. *Item volumus*, inquit, *dicimus & protestamur ex nostra certa conscientia, quod si in Consistorio, aut in Conciliis, vel Sermonibus, vel Collationibus publicis vel privatis, ex lapsu linguæ, aut aliàs ex aliqua turbatione, vel etiam lætitia inordinata, aut præsentia Magnatum, ad eorum forsitan complacentiam, seu ex aliquali distemperantia, vel inadvertentia, aut superfluitate, aliqua diximus erronea contra Catholicam Fidem, quam coram Deo publicè, ut tenemur, præ cæteris profitemur, colimus, & colere cupimus; seu forsitan adhærendo aliquorum opinionibus contrariis Fidei Catholicæ scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra Catholicam Religionem obloquentibus; illa expressè & specialiter revocamus, detestamur, & habere volumus pro non dictis.*

Gregorii X I. obitus.

Testamentum.

Infallibilem se non esse profitetur, nullo accedente Ecclesiæ consensu.

De eodem Pontifice refert *Joannes Gerson*, lib. *De Examine Doctrinarum*, P. II. Consideratione III. Ipsum in extremis positum, habentem in manibus Sacrum Christi Corpus, protestatum esse coram omnibus, ut caverent ab omnibus sive viris, sive fœminis, sub specie religionis loquentibus visiones capitis sui: quia per tales ipse seductus, dimisso suorum rationabili consilio, se traxerat & Ecclesiam ad discrimen schismatis imminentis. Iis autem verbis suasiones *S. Brigittæ* & *S. Catharinæ Senensis*, de Urbe repetenda ipsum indicasse existimant. Id ex *Gersonio* ab illis Autoribus imprudenter exscriptum est, quod falsum esse probat 1. Autoris coævi, qui *Gregorii* Gesta scripsit, silentium, ejusdémque Pontificis de *Catharina Senensis* sanctitate existimatio, quæ etiamnum Florentiæ, pro componendo Florentinorum dissidio, ejus Legatione fungebatur. 2. Quòd ejus spiritum probasset, eámque Prophetiæ dono à Deo auctam agnovisset, cùm *Illi votum suum de petenda Urbe in occulto factum, & sibi soli ac Deo notum, sese divinitus cognovisse monstravit*: ut *Pius II.* in Bulla Canonizationis ipsius testatur. 3. Quòd nullus tunc schismatis metus subesset, cùm *Gregorius XI.* obiit; nec ex reductione Sedis Pontificiæ Romam, schisma contigerit, sed aliis de causis; & Avenione manente æquè contingere potuisset. 4. Non visionibus dumtaxat credens Sanctarum fœminarum, sed gravissimis rationibus adductus, Romam profectus est prudentissimus Pontifex, ut præsentiâ suâ pacem Italiæ redderet, ac Ecclesiæ Romanæ perduelles Civitates ad obedientiam reduceret. Nec spe sua erat frustratus. Jam siquidem Bononienses ad ejus obsequium redierant, & Florentinos quantocyùs redituros spes erat.

Gregorius XI. & S. Catharina Senensis, à calumnia vindicantur.

SCHOLION.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 148. hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Papa profitetur se non infallibilem nisi accedente Ecclesiæ consensu.*

R. Id professus est *Gregorius XI.* supremæ voluntatis tabulis, revocans expresse & specialiter si quæ dixisset *Erronea contra Catholicam Fidem.* Verba sunt ipsius Testamenti, quod Tomo VI. *Spicilegii Acheriani* editum est, à me integrè ac fideliter descripta. Facti Quæstio est, juris quæstionem non attingo.

ARTICULUS VIII.

De URBANO VI.

GREGORIO XI. defuncto, Romani precibus primùm & suasionibus importunis, deinde clamoribus & minis, Papam natione Romanum, aut certè Italum eligi urgebant, irruptione etiam in Conclave factâ, adeo ut à tumultuante & furente Populo nihil non metuendum esset Cardinalibus, nisi ejus votis morem gererent. Dissidebant aliunde Cardinales Galli, qui tunc in Sacro Collegio C tredecim erant, Lemovicensibus aliquem ex Provincia sua, quæ tres recenti memoria Pontifices, Clementem VI. Innocentium VI. & Gregorium XI. Ecclesiæ dederat, volentibus, cæteris malentibus Italum quàm Lemovicem; tandem in *Bartholomæum Prignanum*, patria Neapolitanum, Barensem Archiepiscopum, sufficiens numerus consensit: haud statim promulgare electionem, operæ pretium visum est. Vocatus interim in palatium ubi Conclave habebatur, cum aliis Prælatis, negotiorum specie, Barensis Archipræsul. Qui cùm advenisset, rursus liberrimis suffragiis, & unanimi consensu ipsum Pontificem designarunt. Cùm verò interim D Populus portam Conclavis apertam vidisset ad exportanda vasa argentea Cardinalium in locum securum, ne diriperentur, in Conclavim irrupit, exploraturus an electio secundùm vota sua facta esset. Tunc Cardinales plebis furorem ac impetum metuentes, electum esse Romanum, prout optaverat, simularunt, Cardinalem scilicet *Sancti Petri.* Quem dum Populus veneraretur, cæteri omnes à Palatio recessere, sex Castro S. Angeli sese includentibus, tribus extra Urbem abeuntibus, quinque in domos proprias sese recipientibus, uno Cardinale *S. Petri* in Palatio remanente. Qui Populo significavit, se Pontificem electum non esse, sed Barensem Archi- E præsulem. Urbis Magistratus gratam electionem habuit. Accessere ad Electum quinque Cardinales, qui suis in ædibus remanserant, electionis Decretum ipsi obtulere. Professus ille est se electioni, nisi fuisset libera & canonica, minimè consensurum. Illi verò, & sex alii qui in Castrum S. Angeli secesserant, cùm deposito metu in Palatium rediissent, ipsum rursus elegerunt, & ut legitimum Pontificem sunt venerati, solitisque ritibus in Sede Apostolica collocaverunt, qui sibi nomen sumpsit, *Urbanus VI.* Reversis Cardinalibus, qui extra Urbem fugerant, omnibus præsentibus, consentienti- F bus, plaudentibus, coronatus est, & Lateranensis Ecclesiæ possessionem iniit. Ita rem gestam exponunt Literæ in favorem causæ *Urbani VI.* ad Parisiensem Universitatem, ad Regem Castellæ, & ad alios, ut credere par est, Christianos Principes, Universitates, Præsules, Fidelésque universos missæ, quæ in MS. Vatic. Tom. I. de Schismate inscribuntur, *Factum missum per Bartholomæum sub Bulla Regi Castellæ.* In Codice verò S. Victoris Parisiensis: *Factum Magistri Jacobi de Sena missum Universitati Parisiensi.* Res aliter exposuere cæteri

A Cardinales, in Literis Encyclicis Anagnia scriptis, post menses ab *Urbani* electione quatuor. Postquam enim Banderesiorum motus, Populi tumultum, irruptionem in Conclave, minas nisi Romanus eligeretur, Cardinalium responsionem, quòd verus Papa non foret, qui inter istiusmodi minas & terrores esset electus, retulere; addunt, cùm periculo mortis compellerentur Italum nominare, contestantibus Ultramontanis id se ad vitandum periculum facturos, quod aliàs facturi non essent, quosdam etiam ex Italis asseruisse, si fortè ipsi eligerentur, haud se admissurus electionem, quæ per notoriam impressionem & mortis intentationem B fieret. Nominato autem ex abrupto *Bartholomæo Barensi*, utpote sibi notissimo, nonnullos ex Cardinalibus dixisse, eligere se ipsum, animo quidem ut esset verus Papa, sed tamen terrore mortis: Romanum unum contestatum, nemini se daturum suffragium, nisi priùs violentia cessaret: Tres Ultramontanos protestatos, nullam fore electionem. Aliquos etiam ea conditione *Bartholomæum* elegisse, ut cùm primùm ad locum tutum accedere possent, eum liberè iterum eligerent. Sedato verò Populi tumultu, cùm ejusdem Archipræsulis electionem C iterarent, re nondum confecta, Populum renovatis majori impetu clamoribus, in Conclave quatuor partibus perfractum, cum armis perrupisse; & Cardinalibus in intimum sacrarium confugientibus, illud etiam securibus confregisse, & Cardinales metu concussos circumdedisse, ac solitis clamoribus contudisse. Tunc ad placandum Populum, simulatam Cardinalis *S. Petri*, qui Romanus erat, electionem. Conveniunt tamen de consensu ejus Coronationi præstito, déque exhibita ipsi obedientia ut vero & legitimo Pontifici, in publicis & privatis actionibus; ea tamen interiùs mente, ut nihil inde novi juris ei acquireretur, quàm quòd esset ipsius D electionis jure quæsitum. Cùm autem non auderent ejus electionem in Urbe impugnare, Cardinales Ultramontanos, quamprimùm potuerunt, variis prætextibus Anagniam se recepisse, ad deliberandum de modo providendi Ecclesiæ Romanæ. Hæc præmisso jurejurando potestati sunt coram *Petro de Croso*, Archiepiscopo Arelatensi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, ac Judice Ordinario, die secunda Augusti, anno MCCCLXXVIII.

Statim ab ipsa coronatione, mores Cardinalium omnium acerrimè redarguit *Urbanus*, pompam, superfluas epulas, domesticorum copiam rescindere jussu, iis qui munera, & pensiones à Principibus E acciperent, pœnas minatus est; rigidus, asper, inexorabilis in eos visus est, in Romanos verò facilis ac benignus. Duris increpationibus eosdem Cardinales in Consistoriis lacessebat quòd clandestina cum Ecclesiæ hostibus consilia agitarent: ob non redditam subitò *S. Angeli* Arcem ab eo cujus fidei tradita fuerat sub *Gregorio XI.* atrociter minabatur; intempestiva & imprudenti severitate, ipsos ad schisma faciendum præcipitare videbatur. Quamobrem conjuratione in eum facta, Anagniam secessere Cardinales XIII. natione Galli, uno dempto *Petro de Luna* Aragonio, ubi Protestatione fa- F cta coram *Petro de Croso* Archiepiscopo Arelatensi, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, ut mox dicebamus, monitóque primùm per Oratores *Urbano*, ut Dignitatem deponeret, quam legitima non esset electione consecutus, ejus Literis, & Legatis, adhortantibus ut ad officium & concordiam redirent, nequaquam emolliti, diem ipsi dixere, ut jus suum tueretur, ac Processus contra ipsum habitos audiret. Hisque Juris formulis præmissis, Sententiam in eum tulere, ac Literas ad Fideles universos scripsere, *Bartholomæum Barensem*, intrusum declarantes, nec Papam & Apostolicum, sed Apo-

Urbani Sexti intempestiva severitas.

Schisma.

 staticum

ſtaticum, & anathematizatum. Promulgatâ Sententiâ, Fundos, Regni Neapolitani Urbem ſe recepere, & tribus Cardinalibus Italis tractis in partes, ſolo Cardinali *S. Petri* cum *Urbano* remanente, *Robertum Gebennenſem*, Tituli Sanctorum duodecim Apoſtolorum Presbyterum Cardinalem, annos dumtaxat XXXVI. natum, Pontificem elegerunt die 21. Septembris, anno MCCCLXXVIII. qui *Clemens VII.* appellatus eſt. Sicque ſchiſma factum eſt, omnium quæ unquam fuerunt teterrimum & diuturniſſimum. *Joanna* Siciliæ Regina, & Otto vir ejus, ab *Urbano*, quem omni obſequiorum genere promereri ſtuduerant, copiis ac pecuniis ad tuendam dignitatem ipſi ſubminiſtratis, inurbanè habiti, & ab ipſo propterea abalienati; *Carolus V.* Rex Chriſtianiſſimus, & *Carolus VI.* ejus filius & ſucceſſor, à Cardinalibus Gallis inducti; *Joannes* Caſtellæ, & *Petrus* Aragoniæ Reges, à *Petro de Luna* Cardinali perſuaſi, *Clementi* adhæſere. *Wenceſlaus* Rex Romanorum, Italia & Germania pene totæ, Anglia, Hungaria, Luſitania, ac cæteræ fere nationes & gentes, in fide & obedientiâ *Urbani* permanſere, nonnullis tamen interdum variantibus, & neutralitatem amplexantibus, donec Generali Concilio Controverſia dirimeretur. De dito illo Schiſmate alia erit uberiùs diſſerendi occaſio. Legantur interim *Theodericus Niemus* in Hiſtoria de illo edita, *Petrus Boninſegnius* Florentinus, coævus Author, lib. IV & *S. Antoninus III.* P. Chronici Tit. XXII. Cap. II. Mutuas diras, execrationes, & Anathematum fulmina ab *Urbano* & *Clemente* vibrata, *Joannam* Siciliæ Reginam ab eo exauctoratam, & transfuſa Regni Jura in *Carolum Dyrrachinum* Gravinæ Comitem; *Ludovici* Andegavorum Comitis ab eadem Regina adoptionem in ſucceſſionem Regni, ut illud adversùs *Urbanum* & *Carolum* Dyrrachinum tueretur. Armatas in mutuum exitium *Urbani* & *Clementis* copias; Clementinatum ſtragem ab *Alberico* Barbiani Comite ad Marinum editam, de qua legendus *Pandulphus Collenutius* Hiſtoriæ Neapolitanæ lib. v. receptam ab *Urbano* S. Angeli Arcem, quam Schiſmatici Præſidiarii tenebant, tam inſignes victorias *S. Catharinæ Senenſis*, quæ cauſam *Urbani* egregiè tuita eſt, partas precibus, Romanorúmque ſeditionem diſſipatam, ut *B. Raymundus Capuanus* in ejus Vita docet; Clementis fugam in Gallias, prolixioribus verbis commemorare nolim, quæ indicaſſe ſatis eſt. *Urbani* Geſta malim exponere reliqua.

Robertus Gebennenſis qui nomen Clementis VII contra Urbanum VI. electus.

Urbani Sexti geſta.

Hic anno I. Pontificatûs, pacem Florentinis dedit Sacrorum uſum ipſis reſtituit, pœnas omnes condonavit, ſequeſtre *Sancta Catharina* Senenſi Virgine, ipſóſque hoc beneficio ſibi penitus devinxit. Anno 1381. Neapolitanum Regnum in *Caroli Dyrrachini* poteſtatem redactum eſt, deditâ *Joanna Regina*, captus *Otto Brunſvicenſis* vir ejus, multùm dignitatis cauſæ *Urbani* addidere, ut Divinum Numen ipſum ſtare ab eo, oppugnare damnaréque conſilia *Clementis* videretur (inquit *Paulus Æmilius*) Anno ſequenti, infœlix Regina *Caroli* juſſu interfecta eſt, ut *Theodoricus Niemus*, *Gobelinus Perſona* & alii Hiſtorici teſtantur. Eodem anno 1382. *Urbanus* Sententiam in *Joannem* Caſtellæ Regem tulit, ceu ſchiſmatis ac læſæ Majeſtatis Pontificiæ reum, ipſum Regnorum jure exauctoravit, infamiæ notâ inuſſit, Fidelium communione omníque commercio privavit, ejus ſubditos à fidelitatis ſacramento abſolvit, Anathemate percuſſit qui ipſi parerent, indictâ in eum ſacrâ militiâ, Sacramentorum uſu & Eccleſiaſticâ ſepulturâ privatum edixit. Cenſuris Eccleſiaſticis Principem Schiſmaticum percellere potuit *Urbanus*, ſiquidem majoris Eccleſiæ partis conſenſu legitimus Pontifex habebatur; ſed ipſum exauctorare non potuit. Unde Sententiam illam Caſtellæ Rex, Præſules, Principes, populique Hiſpaniæ contempſere, hiſque diris in Clementis partibus ſunt magis obſtinati.

Excommunicationis & exauctorationis ſententia in Joannem Caſtellæ Regem.

Urbani Sexti geſta cum Carolo Siciliæ Rege.

Anno 1383 in Regnum Neapolitanum, invito Rege *Carolo*, diſſuadentibus Cardinalibus, profectus *Urbanus*, imprudentiæ pœnas dedit, à Rege ſpecie officii detentus, & ad concedendum ipſi quæ voluit compulſus; ut Author Geſtorum *Clementis* apud *D. Boſquetum* teſtatur: quamquam ex illo itinere maximum emolumentum reportaverit vir carni & ſanguini addictus, ſiquidem Nepotem in poſſeſſionem Capuani Principatus aſſeruit, Neptes viris Principibus in matrimonium collocavit.

Annus MCCCLXXXIV. ferali diſcordia inter *Urbanum VI.* & *Carolum* Siciliæ Regem, Cardinalium quorumdam in Pontificem conjuratione, eorúmque cæde ab eodem imperatâ, funeſtus fuit. Cardinalium odia in ſe concitavit *Urbanus*, quòd Luceriæ degens & cum *Carolo* Siciliæ Rege inimicitias exercens, Curiam variis incommodis & periculis exponeret. Ex nonnullis quæſtionibus ab illis cum *Bartolino de Placentia* audaci Jureconſulto agitatis, de circumſcribendo Pontificiæ auctoritatis uſu, & dando *Urbano* Curatore, cujus ſine conſilio nullum gravioris momenti negotium aggredi vel conficere poſſet, luctuoſa tragœdia ſecuta eſt. Quæſtio præcipua hæc erat: *Si Papa eſſet nimis negligens, aut inutilis ad regendum, ſeu adeo inniteretur ſuo ſenſui, quòd per ejus factum periclitaretur univerſalis Eccleſia, vel eſſet effrænis, ita quòd abſque conſilio Cardinalium pro libito voluntatis omnia agere vellet: numquid liceret idoneum Curatorem, vel aliquos idoneos Curatores per Cardinalium electionem ſubſtituere, cujus ſeu quorum conſilio ſeu rationis dictamine Papa expedire ſingula Eccleſiæ negotia teneretur?* Duodecim hujuſce generis quæſtiones ſeditioſas edidit & in partem affirmantem ediſſeruit, multis argumentis opiniones auctoritati Pontificiæ injurioſas confirmans. *Quas quæſtiones & rationes per nonnullos egregios in utroque Jure Doctores, & per excellentes Magiſtros in Sacra Theologia procuraverat recenſeri.* Has cum pluribus Cardinalibus etiam communicaverat, qui doctrinam privatis ſuis compendiis utilem ſummo plauſu & approbatione exceperant. Ita refert *Theodoricus Niemus*, qui Scriptum iſtud legerat. Id referente Cardinali *De Manupello* cùm reſciviſſet *Urbanus*, iræ impotens, ſex Cardinales cæteris doctrinâ præſtantiores in vincula conjici juſſit, & quæſtionem in eos haberi à Capuano Principe nepote ſuo, qui conjurationis confeſſionem vi tormentorum ab ipſis extorſit. *Gobelinus Perſona*, qui tunc in Curia verſabatur, ait ipſos decreviſſe Pontificem armata manu capere, falſis teſtimoniis opprimere, velut hæreticum damnare, ſententiam igne exequi. At cùm id à quibuſdam tantùm *Officialibus Papæ* ſibi revelatum dicat *Gobelinus*, ſuſpicione falſi non caret: atque veriſimile eſt *Urbani* domeſticos & amicos ad minuendam ferociæ ipſius opinionem, crimen Cardinalium exaggeraſſe. *Theodorico Niemo*, * qui omnibus interfuit, & unus è reorum examinatoribus extitit, majorem quàm *Gobelino* fidem adhibendam cenſeo, quamvis plerumque ſit in Pontifices iniquior. Utut eſt, *Urbanus* ſex illos Cardinales, Regem *Carolum* Siciliæ, ejúſque uxorem *Margaritam* conjurationis conſcios, ipſorúmque complices, conſiliarios, adjutores, auctores, conniventes & communicantes excommunicavit, Regem Reginámque Regno depoſuit, Cardinales exauctoravit, Neapolitanis Sacris omnibus interdixit. *Carolus* Siciliæ Rex collecto exercitu *Urbanum* Luceriæ obſedit, ejus Nepotem intercepit, Urbem occupavit, diripuit, incendit, præter arcem quæ munitionibus firmiſſimis ab hoſtium inſultibus tutior erat. In ea conclutus

Bartolini de Placentia Juriſconſulti ſeditioſæ quæſtiones.

Sex Cardinales conjurationis in Pontificem accuſati.

Urbani Sexti in illos Acta.

In Coſmodromio

Lib. 2. cap. 42. & ſequent.

Acta Urbani in Carolum Regem Siciliæ.

Se armis ulciſcitur Rex Carolus.

clusus, & gravi penuria pressus Pontifex, ter singulis diebus ex fenestra arcis cum tintionabulo & candelis accensis exercitui *Caroli* maledicens, his execrationibus angustias suas solabatur. Tandem ope *Raymundi de Bancio de Ursinis*, & *Thomæ Sanseverinatis* egregiorum Ducum partis Andegavensis, Luceriâ cum suis Cardinalibus tam liberis quam captivis eductus, Genuensium triremibus in eorum urbem cum illis delatus est. Ibi quinque Cardinales conjurationis reos (sexto enim, *Adamo* Anglo pepercerat) vel saccis insutos in mare demersit, vel in carcere strangulatos stabulo equorum repletâ fossâ calce infodit; vel securi mactari jussit: quos tres infœlicis eorum exitus modos *Theodoricus Niemus* tunc à Curia absens ex variâ famâ refert. *Gobelinus* verò se a quodam, qui eorum sepulturæ præsens fuerat, accepisse narrat quòd in carcere jugulati, & in stabulo equorum clam noctu sepulti fuerint. Hi erant *Gentilis de Sangro*, Neapolitanus, *S. Hadriani* Diaconus Cardinalis; *Joannes Corsiensis*, Tituli *S. Sabinæ* Presbyter; *Bartholomæus de Cucurno*, Genuensis, *S. Laurentii in Damaso* Presbyter, ex Ordine FF. Minorum assumptus; *Ludovicus Donatus* Tit. *S. Marci* Presbyter, ex eodem Ordine creatus; & *Marinus de Judice*, Tit. *S. Pudentianæ* Presbyter, Tarentinus ab Archiepiscopatu nuncupatus.

Hos quinque Cardinalibus dirus.

Cardinales ab Urbano sexto creati.

Præter istos Cardinales, plures alios creavit, scilicet *Philippum de Alençonio*, Gallum, Regii Sanguinis Principem, Rotomagensem Archiepiscopum, *Thomam de Frignano* Ordinis FF. Minorum Ministrum Generalem; *Franciscum Moricotti*, nepotem suum ex sorore; *Pileum de Prata*, Ravennatem Archiepiscopum, qui *Urbani VI.* severitate, & Cardinalium exauctoratione ac cæde commotus, Galerum Cardinalitium, quo ab ipso donatus fuerat, Papiæ in foro publico indignabundus concremavit, & ad *Clementem* defecit, à quo novis donatus infulis & Titulo *S. Priscæ*, Legationem ejus in Italia obiit, multásque arces ac urbes *Urbano* abstulit: quo defuncto, à *Bonifacio IX.* in gratiam receptus, Avenionensis Pontificis partes deseruit, ac Romano Cardinalium Collegio restitutus est, & ad Tusculanum Episcopatum promotus: *Andream Martini*, Perusinum Episcopum: *Agapitum Columnam*, Nobilem Romanum, Ulyssiponensem Archiepiscopum: *Nicolaum Caracciolam*, Nobilem Neapolitanum, Messanensem Archiepiscopum, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptum, eximiæ Religionis ac eruditionis virum, quem ad *S. Catharinæ Senensis* Virginis commendationem promovisse *Urbanus VI.* dicitur: *Bartholomæum de Mezanachis*, Bononiensem, ex Rotæ Auditore, Episcopum Reatinum, quem *Urbanus* ob favorem *Carolo* Siciliæ Regi impensum exauctoravit, *Bonifacius IX.* dignitati restituit: *Guilielmum*, Comitis *Altavillæ* filium, Salernitanum Archiepiscopum: *Ludovicum de Capice*, Campanum; *Stephanum Columnam*, Nobilem Romanum; *Philippum Gezza*, Tiburtinum Episcopum, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptum; *Poncellum Ursinum*, Nobilem Romanum, Aversanum Episcopum; *Lucam de Gentilibus*, seu *Rodulphuccium*, Camerinensem, Episcopum Nucerinum; *Raimulphum de Monteruco*, Gallum, ex Provincia Lemovicensi, Sistaricensem Episcopum; *Eleazarum de Sabrano*, Theatinum Episcopum; *Philipum de Carafa*, Neapolitanum, Bononiensem Episcopum; *Adamum de Eston*, Anglum, in Oxoniensi Academia Doctorem Theologum, ex Monacho Benedictino Londinensem Episcopum; *Stephanum Sanseverinum*, Neapolitanum, *Petrum Hispanum*, Palentinum Episcopum, *Galeottum Tarlatum de Petramala*, Aretinum, Protonotarium Apostolicum; *Joannem Oczko*, Boëmum, Pragensem Archiepiscopum; *Demetrium*, Hungarum, Strigoniensem Antistitem; *Valentinum*, Hungarum, Quinqueecclesiensem Præsulem; *Landulphum Maramaurum*, Nobilem Neapolitanum, Archiepiscopum Barensem; *Petrum Tomacellum*, Neapolitanum; *Thomam Ursinum de Manupello*, Nobilem Romanum; *Stephanum Palosium*, Tudertinum Episcopum; *Raymundellum de Bancio de Ursinis*, Nobilem Romanum; *Angelum Acciajolum*, Florentinum Archiepiscopum, *Franciscum Carbonum*, Monopolitanum Episcopum, ex Ordine Cisterciensi assumptum; *Bonaventuram Badoarium de Peraga*, Ordinis Eremitarum *S. Augustini* Priorem Generalem, sanctitate & eruditione insignem, Authorem Ecclesiasticum, & Ecclesiasticæ Martyrem Libertatis; *Ludovicum Fliscum*, Nobilem Genuensem, Vercellensem Episcopum; *Marinum Bulcanum*, Neapolitanum, consanguineum suum; *Reginaldum Brancacium*, Nobilem Neapolitanum; *Angelum de Anna*, Camaldulensis Ordinis Professorem; *Franciscum Castagnolam*, Neapolitanum; *Julium Cossum*, Nobilem Romanum; *Joannem de Pizzolpassis*, Bononiensem; *Thomam Anglum*, * Ordinis FF. Prædicatorum Doctorem Theologum, *Richardo II.* Anglorum Regi à Confessionibus; *Joannem Fliscum*, Vercellensem Episcopum, Patria Genuensem. Plures alios *Ciaconius* noster, & alii qui de Cardinalibus egere, indicant, qui Cardinalitias Infulas ab *Urbano VI.* oblatas recusarunt, sive ob ejus severitatem, sive ob difficultatem temporum, sive ex modestia singulari. Frequentibus etiam Cardinalium creationibus partes suas sustentavit *Clemens VII.* quibus magnum pondus addidit Sanctissimus Adolescens *Petrus de Lucemburgo*, quem Titulo *S. Georgii in Velabro* Cardinalem renunciavit. Obiit ætatis anno XVII. post obitum miraculis clarus. Sacris honoribus colitur Avenione, ex concessione *Clementis VII.* non istius, sed alterius legitimi Pontificis. Bona fide *Clementem VII.* coluit, verum Pontificem esse putans, ut obscura erant jura, & gravibus difficultatibus intricatum negotium. Partes *Clementis* multùm etiam promoverunt *Petrus de Crosso*, Arelatensis Archiepiscopus, ex Ordine Benedictino assumptus, & *Nicolaus de Sancto Saturnino* Claromontanus, Ordinis FF. Prædicatorum Theologus eximius, & sacri Palatii Magister, quos in suorum Cardinalium Collegium cooptavit. Inter paucissima ab *Urbano VI.* rectè gesta numeratur Institutio Festi Visitationis Beatæ *Mariæ* Virginis. Decretum ipsius sub vitæ finem datum *Bonifacius IX.* promulgavit. Annum Jubilæum ad annum XXXIII. redegit. Obiit Idibus Octobris, anno MCCCLXXXIX. anno Pontificatus XII. quem *Turbanum*, loco *Urbani*, si non piè, certè non impropriè ab *Ottone Brunsvicensi* nominatum, cùm ab ejus *imprudentia & feritate* gravissimum Schisma ortum sit, pius & eruditus Author * scripsit. Ego verò ut mitiùs loquar, *Urbanum VI.* omnium consensu Summo Pontificatu dignum dicam, nisi Pontifex fuisset.

** Ex Joanne Pitseo.*

Clemens VII. in sua obedientia, Cardinales.

Festum Visitationis Deiparæ Virginis.

Jubilæum.

** Oldoinus S. J. in Addit. ad Ciaconium.*

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 156. Edit. primæ, hanc Propositionem notant Religiosi Censores *Papa deponere non poterat Regem Castellæ, quamvis Schismaticum.*

R. Censuris Ecclesiasticis Principem Schismaticum percellere potuit *Urbanus Sextus*: ipsum exauctorare non potuit. Ex Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ sententia loquor.

ARTICULUS

ARTICULUS. IX.

De BONIFACIO IX.

JUSTIS *Urbano VI.* persolutis, summo Cardinalium illius obedientiæ consensu, in ejus locum electus est *Petrus Thomacellus* Cardinalis, Neapolitanus, annos natus duntaxat quadraginta quinque, nomenque sibi sumpsit, *Bonifacius IX.* Morum integritate ac gravitate conspicuum *Theodoricus Niemus* prædicat. Primus Pontificatus ejus annus Jubileo sacer fuit, secundùm *Urbani VI.* Constitutionem ab ipso confirmatam. *Ladislao*, *Caroli* Siciliæ Regis filio Regnum confirmavit, ejúsque partes juvit contra *Ludovicum Andegavensem*, quem Anathemate confixit. Anno MCCCXCIV. obiit Avenione *Clemens VII.* alterius Obedientiæ Pontifex, die XVI. Kalendas Octobris, apoplexiâ perculsus. Cui ab ejusdem Obedientiæ Cardinalibus *Petrus de Luna* substitutus est, *Benedictus XIII.* nuncupatus. Pro extinctione Schismatis à Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctoribus multùm C laboratum est: At *Benedictus* propositas unionis vias elusit, rejecit. qua de re aliàs ex instituto disseremus. Omnem conatum & industriam ad revocandos à Schismate Principes, Literis ac Legationibus *Bonifacius* adhibuit. *Franciscum Portarium*, hominem impium & blasphemum, qui Bononiæ è suggestu Ecclesiam Dei leprosam appellaverat, nullos esse legitimè baptizatos, non esse solvendas Clericis decimas, peccare graviter divina audientes Officia prædicaverat, ab Episcopo Bononiensi capi jussit, in carcerem conjici & quæstionem de ipsius hæresibus haberi, (Lib. IV. Epistolarum Curialium D pag. 114.) Anno 1399. Romam à Proceribus populóque revocatus, plenum Urbis dominium sensim adeptus est, creatis suo nutu Magistratibus omnibus; S. Angeli Castro, Capitolio, & Pontibus munitis. Columnenses bello sibi ac ditionibus Ecclesiasticis infestos, & *Petri de Luna* partem Schismaticam promoventes, cui Urbem subjicere conjuratione facta moliebantur, Censuris Ecclesiasticis confixit, & tanquam Hæreticos, & læsæ Majestatis reos puniendos edixit latâ sententiâ; ipsosque & eorum posteros, quibuscumque dignitatibus, honoribus, feudis & bonis, quæ à Romana & qui- E buslibet aliis Ecclesiis, aut Imperio, seu Regibus, Principibus, aut aliis personis secularibus vel Ecclesiasticis obtinebant, privatos. Sententiam ex *Bonifacii* Regesto exhibet *Raynaldus*, ad annum MCCCC. Num. VII. Eosdem paulò pòst veniam postulantes in gratiam recepit, & in integrum restituit. *Uladislao* Poloniæ Regi, opem contra Tartaros poscenti, Sacerdotalium redditúum decimas concessit. Græcis adversùs Turcas decrevit auxilia, indictâ sacrâ Militiâ. *Roberti Bavari*, in locum *Wenceslai* Septemvirûm sententiâ exauctorati, electionem confirmavit. Diploma Confirmationis ex ipsius Regesto descripsit *Odoricus Raynaldus* ad annum F 1403. N. 2. Bononiam, aliásque ditionis Ecclesiasticæ civitates, à Mediolanensibus Tyrannis usurpatas, operâ & industriâ *Baltazaris Cossa* Tit. *S. Eustachii* Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legati, recuperavit. *Angelum* Tit. *S. Laurentii in Damaso* Presbyterum Cardinalem, Sedis Apostolicæ Legatum in Hungaria, Sclavonia, Dalmatia, Croatia, Rascia, Uvalachia, Bulgariáque creavit, ut *Ladislao* Siciliæ Regi ad recuperandum Regnum Hungaricum, cujus Jura, *Mariæ* Reginæ obitu, ad ipsum devoluta erant, præsidio esset, ac Principes & Populos religionis vi ad illius obsequium traduceret.

Clemens VII. obitus.

Petri de Luna in Schismate ductio.

Bonifacii Nonî Acta in Columnenses.

A Leges à *Ricardo* & *Eduardo* Angliæ Regibus latas, quibus conferendorum Beneficiorum jus sibi tribuerant, si fortè de aliquo Archiepiscopatu, Episcopatu, vel alio quocumque Beneficio, reservatio, collatio, vel provisio per Curiam Romanam facta foret in impedimentum electionum, & collationum seu præsentationum ad Patronos pertinentium, contra libertatem Ecclesiasticam conditas *Bonifacius* judicavit, Regémque Aulicorum consiliis deceptum, *in quibus refriguit caritas, intepuit fides, spes labavit, justitia cæteræque virtutes parvum locum, aut nullum habere videntur*, non discussisse quod Ju- B ris sui esset: Vidisset enim meridiana luce clariùs, *Quòd Laicis, quamvis religiosis, disponendi de rebus Ecclesiasticis nulla est attributa potestas, quos manet subsequendi necessitas, non auctoritas imperandi; A quibus etiam si quid statuatur, quod Ecclesiarum respiciat commodum vel favorem, nullius firmitatis existit, & talium & in talibus constitutio, a SS. Patribus destitutio vel destructio, necnon usurpatio Jurisdictionis non sua, veneranda approbatione censetur.* Fatendum tamen est Angliæ Reges tunc egregiè Catholicos, & Romanæ Ecclesiæ addictissimos, Jus commune ac veterem disciplinam adversùs frequentium Re- C servationum & Gratiarum Expectativarum corruptelam, quibus Sacras electiones, & Patronorum Jura sensim pessumdari videbant, optimo consilio munivisse. Licet enim Laïcis potestas disponendi de rebus Ecclesiasticis non sit attributa, id est, Religionis controversias dirimendi, novam disciplinam instituendi, Canonica exercendi Judicia, Sacerdotia contra Canonum dispositionem, & receptas diuturnóque usu præscriptas in Regno suo consuetudines conferendi: Principibus tamen à Deo concessa potestas est, quâ Disciplinam Ecclesiasticam muniant, & Jura Canonica tueantur. Sanxit etiam D *Bonifacius* intentato anathemate, ne Ecclesiarum, Monasteriorum, & Xenodochiorum bona ad prolixius tempus quàm ad triennium locari, vel emphiteusi subjici, nec census nisi annui recipi possent. Diploma legere est apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum MCCCCIII. N. XVI. Sanctæ *Brigitta* Viduæ memoriam solemni Canonizationis ritu consecravit, anno 1391. Constitutiones à *Friderico* & *Carolo IV.* Imperatoribus pro Immunitate, Libertate & Jurisdictione Ecclesiastica editas confirmavit. Academiam Ferrariæ erexit. *Bonifacii* his de rebus Diplomata Tom. I. Bullarii Romani habentur. Annatarum usum Beneficiis Ecclesiasticis E primus imposuit, hac conditione, ut qui Beneficium consequeretur, dimidium annui proventûs Fisco Apostolico persolveret. *Joannes XXII.* Annatarum tributum imposuerat, sed Beneficiis non electivis duntaxat, ad triennium, ut patet ex ejus Constitutione, *Cum nonnulla*. Hanc autem consuetudinem à *Bonifacio IX.* inductam, omnes admisere præter Anglos, qui id de solis Episcopatibus concessere, in cæteris Beneficiis non adeo (inquit *Platina.*) Addit idem Author, quòd *Huic Pontifici ad summam gloriam nihil defuisset, nisi affinium & cognatorum affinitatibus obtemperans, aliquam notam contraxisset. Multa enim crimina per simoniacam* F *pravitatem committebantur, petentibus contra Jus fásque omnia, tum fratribus, tum cognatis, quorum magna multitudo quæstus gratia Romam venerat. Indulgentiæ verò & quidem Plenariæ ita passim vendebantur, ut jam vilesceret Clavium & Literarum Apostolicarum auctoritas. Revocare hæc omnia Bonifacius conatus, cognatorum precibus eò identidem redire cogebatur.* Obiit *Bonifacius IX.* Kalendis Octobris anno Domini MCCCCIV. Pontificatus XV. ex morbo calculi, quem jacturâ castitatis ex pravo Medicorum consilio sanare vel levare noluit, mori potiùs eligens, quàm fœdari, quod à multis vulgatum

Leges à Ricardo & Eduardo Angliæ Regibus latas Bonifacius IX rescindit.

Nulla disponendi de rebus Ecclesiasticis Laico est attributa facultas.

Annatarum usum Bonifacius Nonus instituit.

Bonifacii IX. castitas. Obitus. Cardinales ab ipso creati.

tum *S. Antoninus* refert III. P. Chronici Tit. XXII. cap. III. Cardinalitiis Infulis ornavit *Henricum Minutulum*, Neapolitanum Archiepiscopum; *Bartolomeum de Uliariis*, Florentinum Episcopum, ex Ordine FF. Minorum assumptum; *Cosmatum Melioratum* Aprutinum, Juris utriusque Doctorem, Archiepiscopum Ravennatem; *Christophorum Maronum*, Romanum, Episcopum Iserniensem; *Antonium Caietanum*, Romanum, Patriarcham Aquileiensem; *Baltazarem Cossam*, Neapolitanum, Juris Canonici Doctorem, Archidiaconum Bononiensem, qui postea fuit in sua Obedientia *Joannes XXIII. Leonardum*, & *Angelum Cybo*, Genuenses.

SCHOLION. I.

Ad hunc Articulum, pag. 261 Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apposuerunt: *Quæ potestas Laicis Principibus à Deo concessa sit in quibusdam casibus?*

R. Quid reprehendant eo loci RR. Censores, nescio: Ita scripsi: *Licet Laicis potestas disponendi de Rebus Ecclesiasticis non sit attributa, id est, Religionis controversias dirimendi, novam disciplinam instituendi, canonica exercendi judicia, Sacerdotia contra Canonum dispositionem, & receptæ diuturnoque usu præscriptæ in Regno suo consuetudinis conferendi: Principibus tamen à Deo concessa potestas est, quâ Disciplinam Ecclesiasticam muniant, & jura Canonica tueantur.* Quid hîc non Catholicum? An jus Ecclesiam defendendi, & Disciplinam Ecclesiasticam tuendi, Principibus negant Religiosi Censores? Falsumne censent quod *S. Augustinus* scripsit lib. III. *contra Cresconium*, cap. 51. *In hoc Reges, sicut eis præcipitur, Deo serviunt in quantum Reges sunt, si in Regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam quæ pertinent ad divinam Religionem.* Falsumne censeat quod S. *Isidorus Hispalensis*, & ex eo Concilium Parisiense Sextum ait? *Principes sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adepta culmina tenent, ut per eamdem potestatem Disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterùm intra Ecclesiam Potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, Potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per Regnum terrenum, cæleste Regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque Disciplinam, quam Ecclesiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum Potestas principalis imponat, & ut venerationem mereatur, virtutem Potestas impertiat. Cognoscant Principes sæculi, Deo debere se reddere rationem propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per Fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.* Hæc S. Isidorus, & Concilii Parisiensis Sexti Patres lib. II. cap. II.

SCHOLION. II.

Ad eumdem Articulum pag. 266. Religiosi Censores hanc notam apposuerunt: *Annatarum usum quis introduxerit, & quomodo?*

R. Annatarum usum Beneficiis Ecclesiasticis primus imposuit *Bonifacius Nonus*, hac conditione, ut qui beneficium consequeretur, dimidium annui proventûs Fisco Apostolico persolveret. Hæc tantùm ibi de Annatarum origine scripsi. Facti quæstio est.



CAPUT III.

De Hæresibus, & Erroribus in Ecclesia exortis Seculis XIII. & XIV.

ARTICULUS I.

De ALBIGENSIBUS.

§. I.

De Albigensis Hæreseos Exordiis.

ALBIGENSES Vualdensium esse progeniem, observavi in Synopsi Historiæ Eccle- Hist. Eccl. Sæc. XIII. & XIV. A siasticæ Sæculi XI. XII. Cap. III. ubi de Vualdensium hæresi disserui. Albigenses appellati sunt, quòd Albigensium præsertim, totámque Tolosatum Provinciam suis infecerint erroribus. Unde *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis ad annum MCLXXVI. agens de Concilio adversùs Vualdenses à *Gerardo* Episcopo Albigensi celebrato, ita scribit: *Erant in Provincia Tolosana quidam Hæretici, qui se appellari faciebant bonos homines.... Non recipiebant Legem Moysi, neque Prophetas, neque Psalmos, neque Vetus Testamentum, neque Doctores Novi* B *Testamenti*; &c. Albigenses à Vualdensibus parùm distinctos fuisse, ibidem probavimus, idque omnino docet *Petrus* Monachus Vallium Cernaii, in sua Albigensium Historia, Cap. II. *Erant præterea, inquit, alii Hæretici, qui Vualdenses dicebantur, à quodam Vualdo nomine, Lugdunensi. Hi quidem mali erant, sed comparatione aliorum Hæreticorum longè minus perversi: In multis enim nobiscum conveniebant, in aliquibus dissentiebant. Ut autem plurima de infidelitatibus eorum omittamus, in quatuor præcipuè consistebat error eorum: in portandis scilicet sandaliis more Apostolorum: & in eo quòd dicebant, nullâ ratione* C *jurandum, vel occidendum: In hoc insuper quòd asserebant, quemlibet eorum in necessitate, dummodo haberet sandalia, absque Ordinibus ab Episcopo acceptis posse conficere corpus Christi.*

Insolentiùs grassari cœpit Albigensium hæresis sub *Innocentii III.* Pontificatu, seu potius antea sata suam quamdam habuit maturitatem, ut docet *Cæsarius Heisterbacensis* coævus Author, *Dialogi Miraculorum* Distinct. V. Cap. XXI. *Temporibus*, inquit, *Innocentii Papæ, Prædecessoris hujus, qui nunc Papatum tenet, Honorii, diaboli invidiâ hæreses Albigensium cœperunt pullulare, vel (ut veriùs dicam)* D *maturescere.... Cujus vires erant tam validæ, ut omne triticum fidei gentis illius versum videretur in lolium erroris.* Damnatos in Concilio Albigensi anno MCLXXVI. Albigenses, *Rogerius Hovedenus* Arianos vocat, non quòd hi circa Trinitatis fidem per se ac primariò erraverint, sed quia multarum colluvies sectarum simul in Albigensium velut in sentinam quamdam confluxerit, diversique Hæretici juncto fœdere adversùs Fidei Catholicæ integritatem conspiratint; ut docet *Guillelmus de Podio* Laurentii in Chronicorum suorum Præfatione: *Nemine*, inquit, *opponente se in murum pro fide ascendentibus ex ad-* E *verso, adeo profecerunt in pejus ipsi Hæretici, quòd per villas & oppida habere sibi hospitia, agros & vineas inceperunt, domos latissimas, in quibus hæreses publicè prædicarent, suis credentibus vendicantes. Erántque quidam Ariani, quidam Manichæi, quidam etiam Vualdenses sive Lugdunenses, qui licet inter se dissidentes, omnes tamen in animarum perniciem contra Fidem Catholicam conspirabant. Et illi quidem Vualdenses contra alios acutissimè disputabant. Unde & in eorum odium alii admittebantur a Sacerdotibus Idiotis. Propter quod terra tanquam reproba & maledictioni proxima pauca præter spinas & tribulos germinabat, raptores & ruptarios, fures, homicidas, adulteros, & usurarios manifestos.* Manichæos tamen potiùs fuis-F se Albigenses, quàm Arianos, eorum errores accuratè discutientibus compertum erit.

§. II.

De ALBIGENSIUM Erroribus, Disciplinâ, Moribus.

ERrores Albigensium accuratè recenset *Petrus*, *Vallium Cernaii* Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Parisiensi Monachus, qui cum *Guidone* Abbate ejusdem Cœnobii, avunculo suo, Carcassonensi postea Episcopo, ad prædicandum contra Albi-

genses in partes Tolosanas venit, & bellis Albigensium plerumque interfuit, in suâ, quam *Innocentio III.* Pontifici Maximo nuncupavit, Albigensium Historia, Cap. II. Primum hæreseos caput erat, quòd duos constituebant Creatores: invisibilium scilicet, quem vocabant Benignum Deum, & visibilium, quem Malignum Deum nuncupabant. Novum Testamentum Benigno Deo, Vetus verò Maligno attribuebant, & illud omnino repudiabant, præter quasdam auctoritates, quæ de Veteri testamento, Novo sunt insertæ, quas ob Novi reverentiam Testamenti recipere dignum existimabant. Authorem Veteris Testamenti mendacem asserebant, quia Protoplastis dixit: *Quacumque die comederitis de ligno scientiæ boni & mali, morte moriemini*; Nec (sicut dicebant) post comestionem mortui sunt. Homicidam quoque ipsum nominabant; tum quia Sodomitas & Gomorrhæos incineravit, & aquis diluvii mundum delevit, tùm quia Pharaonem & Ægyptios mari obruit. Deum bonum animas duntaxat, Deum malum omnia curare corpora blasphemabant. Idem referunt *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis ad annum MCLXXVI. & *Cæsarius Heisterbacensis*, Dialogi Miraculorum Dist. V. Cap. XXI. Secundò, omnes Veteris Testamenti Patres, damnatos affirmabant: *Joannem Baptistam* unum esse de majoribus dæmonibus asserebant. III. Quòd Christus ille qui natus est in Bethleem terrestri & visibili, & in Jerusalem crucifixus, malus fuit: & quòd *Maria Magdalena* fuit ejus concubina, & ipsa fuit mulier in adulterio deprehensa, de qua legitur in Evangelio. Bonus enim Christus (inquiebant) nunquam comedit vel bibit, nec veram carnem assumpsit, nec unquam fuit in hoc mundo, nisi spiritualiter in corpore *Pauli*. Dixi, in Bethleem terrestri & visibili, quia terram aliam novam & invisibilem fingebant, in qua, secundùm quosdam, bonus Christus natus fuerat & crucifixus. IV. bonum Deum duas habuisse uxores aiebant, *Collam* & *Collibam*, & ex ipsis filios & filias procreasse. Alii dicebant, unum esse Creatorem, sed habuisse filios, Christum & Diabolum. Alii, omnes Creaturas bonas fuisse, sed per filias hominum omnia fuisse corrupta. V. Romanam Ecclesiam speluncam latronum, & meretricem Apocalypsis appellabant.

Albigensium blasphemiæ in Deum & Christum Jesum Dei Filium.

VI. Sacramenta Ecclesiæ usque adeo annullabant, ut sacri baptismatis undam ab aqua fluviali non distare, Sacrosancti Corporis Christi Hostiam à pane communi non differre, publicè docerent: simplicium auribus hanc instillantes blasphemiam, quòd Christi corpus, etsi magnitudinem Alpium in se contineret, jamdudum consumptum à comedentibus & annihilatum fuisset. His communia erant cum Catharis Germanis dogmata, de quibus *Ekbertus* Abbas *S. Florini* Sermone I. scribit: *Corpus Domini & Sanguinem nullo modo nostrâ consecratione fieri, aut a nobis per communicationem percipi posse credunt. Se autem solos in mensis suis Corpus Domini facere dicunt, sed in verbis illis dolum habent: Non enim verum illud Corpus Christi significant quod de Virgine natum fuisse credimus, sed sui ipsius carnem Corpus Domini vocant: & in eo quòd corpora sua nutriunt, Corpus Domini se facere dicunt.* VII. Confirmationem, Confessionem, Ordinationem Ministrorum in Ecclesia Catholica, Missam, ritus superstitiosos & inanes omnino reputabant. VIII. Matrimonium meretricium esse, nec aliquem in ipso salvari posse prædicabant, filios & filias generando. IX. Resurrectionem carnis negabant: quod etiam testatur *Cæsarius* Monachus. X. Comminiscebantur Animas nostras esse Spiritus illos apostatas, qui superbiâ è Cœlo præcipites cecidere: Unde reliquerunt corpora sua glorificata in aëre; & ipsasmet Animas, postquam finierint successivam septenariam habitationem terrestrium corporum, tanquam absolutâ pœnitentiâ, in priora corpora, quæ reliquerant reverti debere. XI. Quidquid beneficii mortuis à vivis impenditur, irridebant, Purgatorium, & orationes pro defunctis negantes, (Ex *Cæsario Heisterbacensi*) Non modò infantium baptisma rejiciebant, sed nulli baptismum aquæ prodesse sentiebant.

Albigensium errores circa Sacramenta.

Albigensium errores circa animas earumq; statum post mortem.

XII. Duos Albigensium ordines distinguit *Petrus de Valle Cernaii*. Quidam perfecti, sive boni homines dicebantur, alii credentes. Perfecti nigrum habitum præferebant, de castitate gloriabantur; esum carnium, ovorum, casei omnino detestabantur; à mendacio se abhorrere simulabant, cùm ipsi maximè de Deo quasi continuè mentirentur. Juramentum quavis occasione illicitum propugnabant. Credentes dicebantur, qui seculariter viventes, licet ad vitam perfectorum imitandam non pertingerent, in fide tamen illorum se salvari sperabant: divisi siquidem erant in vivendi ratione, sed in infidelitate conveniebant. Credentes, dediti erant usuria, rapinis, homicidiis, carnis illecebris, perjuriis, & perversitatibus universis. Porro securiùs & effrenatiùs peccabant, quia credebant sine restitutione ablatorum, sine Confessione & Pœnitentia se esse salvandos, dummodo in supremo mortis articulo, *Pater noster*, dicere, & manuum impositionem recipere à Magistris suis potuissent. XIII. E numero perfectorum suos quosdam habebant Magistratus, quos Diaconos & Episcopos vocabant, quorum manus impositione nullus inter Credentes moriturus, se salvari posse non credebat, & absque ulla satisfactione vel remedio in cœlum statim evolare. XIV. Quidam effutiebant ab umbilico & inferiùs peccare posse neminem. Nec peccari graviùs dormiendo cum matre vel sorore, quàm cum qualibet aliâ. Quod docebant, opere complebant, in omne vitiorum & libidinum genus effusi, ut tradit etiam *Lucas* Tudensis in Hispania Episcopus lib. III. adversùs Albigenses, Cap. V. *Hæc dicentibus Hæreticis* (inquit) *vani homines tribuunt miserabiliter fidem, & se fraudibus, homicidiis, latrociniis & usuris committunt. Efferuntur effrenes per varia desideria carnis, & nulla est nociva delectatio, quam non pertranseat eorum luxuria. Abutitur filius matre, frater fratre, & pater in filia turpitudinem operatur. Retorquent sui erroris mercedem in semetipsos; quorum sunt blasphemi & sine misericordia senes, ad omne nefas promptissimi juvenes, luxuriosi & protervi adolescentes; impuri pueri sine certo patre; infantes cum lacte matris virus erroris sugentes; mulieres effrontes & sine verecundia, loquacitate garrulâ, ut alios decipiant, per domos discurrentes.* Hæc ab illis se accepisse scribit *Lucas Tudensis*, qui fuerant olim eodem fæcis hæreticæ obvoluti, & per gratiam Dei ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ redierant. Florebat autem hic Author sub *Gregorii IX.* & *Celestini IV.* Pontificatu.

Duo Albigensium ordines.

Albigensium execranda Moralia.

XV. Sacrarum Imaginum usum ac venerationem idololatriam esse asserebant: campanas, tubas dæmonum, teste *Petro de Valle Cernaii*. Deformes pingebant Sanctorum imagines, ut earum intuitu devotio simplicis populi Christiani in tædium verteretur. In derisum etiam & in opprobrium crucis Christi, imaginem Crucifixi, unum pedem super alio unô clavô figentes, aut evacuare, aut in dubium ducere fidem Sanctæ Crucis, & SS. Patrum traditiones, novitate superinductâ contendebant. Sanctissimæ Dei Genitricis imaginem effingebant monoculam ac deformem, & miracula ad illam fieri mentiebantur, qui vera fuisse ipsius Christi miracula negabant. Ita refert *Lucas Tudensis* lib. II. Cap. IX.

XVI.

XVI. Illud inter supremas fatuitates effutiebant, quòd si quis è suorum Perfectorum numero peccaret mortaliter, comedens vel minimum carnis, aut ovi, vel casei; omnes illi quos in articulo mortis consolatus erat amittebant Spiritum, & eos iterum consolari necesse erat: & qui salvati erant, peccante Consolatore de cœlo cadebant, (*Ex Petro de Valle Cernaii.*)

» XVII. Eos qui sectæ nomen dabant, hoc ritu » recipiebant. Cerimoniæ sacrilegæ Præses dicebat; » Amice, si vis esse de nostris, oportet ut renun» cies toti Fidei, quam tenet Romana Ecclesia. » Respondebat, Abrenuntio. Ergo, inquiebat, ac» cipe Spiritum Sanctum à bonis hominibus, & » tunc aspirabat ei septies in ore. Item dicebat illi » Abrenuntias Cruci, quam tibi fecit Sacerdos in » baptismo, in pectore, & in scapulis, & in capi» te de oleo & chrismate? Respondebat, Abre» nuntio. Credis quòd aqua illa operetur tibi salu» tem? Respondebat, Non credo. Abrenuntias ve» lo illi, quod tibi baptizato Sacerdos posuit in » capite? Respondebat, Abrenuntio. Tunc om» nes ipsi manus imponebant, osculabantur eum, » & induebant veste nigra: & ex illa hora unus » ex ipsis censebatur. Ita refert *Petrus de Valle Cernaii.*

Albigensium blasphemia in Deiparam Virginem.

XVIII. Beatam *Mariam* Dei Genitricem, proh nefas, meretricem inclamabant, ut testatur *Guillelmus de Nangis* in Chronico ad annum MCCIX. De his *Lucas Tudensis* lib. III. cap. III. *Regina Cælorum*, inquit, *inviolata Genitricis Dei Mariæ contra morem Hispanicum virginitas à perfidis publicè blasphematur: & friget calor bellicus & Catholicus Hispanorum, qui hostes Catholicæ Fidei velut flamma consueverat devorare.*

Albigensium Moralia.

XIX. Non referre aiebant in lucro pecuniarum, bene an malè partæ essent, quia nec bona acquisitio illarum salvat, nec mala damnat XX. Nec bona opera prodesse, nec obesse mala, quòd par pœna maneret omnes qui extra eorum sectam morerentur. XXI. Varias putidásque fabulas in Catholicæ Ecclesiæ dedecus, & sacrorum Ministrorum opprobrium fingebant XXII. Profanas condebant Scripturas, easdem quibusdam Philosophorum sententiis ornantes, cujus generis erat liber ab ipsis, *Perpendiculum scientiarum*, inscriptus, ut faciliùs hæresim in legentium animos insinuarent. XXIII. Sanctorum Patrum elevabant auctoritatem, & quibusdam titulorum immutationibus eorum libris fidem derogare satagebant: ut dum Sermo editus ab *Augustino* inscribebatur *Ambrosii* nomine, & editus ab *Ambrosio* nullum præferebat *Augustini*, *Hieronymi*, *Gregorii*, vel *Isidori*, &c. Sanctorum Patrum auctoritates incertæ à Fidelibus haberentur. XXIV. Schedulas occultè spargebant, in quibus continebatur quòd à Filio Dei fuissent scriptæ, & per Sanctorum Angelorum manus transmissæ, quod simplicibus testari videbatur suavis odor, quo perfusæ erant. In iis hæretica dogmata propositionibus Catholicis admixta erant, ut per dulcedinem Catholicorum verborum, virus subreperet hæreticæ pravitatis. Hujusmodi chartas accipiebant rudes Presbyteri, avidè legebant, errorémque suis plebibus incauti propinabant. XXV. Falsa fingebant miracula ad tumulum *Arnaldi* hæretici, & alterius hominis facinorosi. Fontem sanguine polluerunt juxta scaturientem, ut aqua in sanguinem versa crederetur. Veniebant homines clam muneribus subornati, alii cæcos, alii claudos, alii energumenos, alii variis morbis vexatos se fingebant, & haustâ fontis illius aquâ, recipere se mentiebantur sanitatem. Has porro præstigias quibusdam detegentes, similibus artibus fieri miracula in Ecclesia coram Sanctorum corporibus affirmabant. Nec defuere qui ipsis crederent, & in hæresim laberentur. Pervenit tandem consilii denudatio ad *Fratres Sanctæ Prædicationis*, qui verbum Dei populis proponentes, ut à facto nefario abstinerent, ac pœnitentiam agerent, hortabantur. XXVI. Prælatis continuò detrahebant, Fratres Prædicatores & Minores recèns exortos: & Clericos universos, qui ipsorum errores & impietatem impugnabant, hæreticos proclamabant; suos esse, ac religionem simulare impudenter mentiebantur, infamiæ notam ipsis inurebant, ipsis Ecclesiæ Pastoribus reddebant suspectos, ut calumniæ infamiæque metu ipsos insectari desinerent.

Scripturæ confictæ. Falsa miracula.

XXVII. Divinis sese intermiscebant Officiis, & inter divinas laudes ridicula quædam depromebant, & Veneris carmina, ut adstantium mentes à divinis revocarent, & Ecclesiæ detrahere possent Sacramentis. Dabant insuper operam ut Catholicis persuasum esset, Hæreticorum neminem in Ecclesia Missæ tempore stare velle; ut pro Catholicis haberentur, dum templa Deo dicata frequentabant, & se in eis orationes fundere simulabant: hæresim ut faciliùs diffundere suam possent; dum ab iis velut ab Hæreticis nemo caveret. XXVIII. Cantilenis, sacrilegisque jocis sacros ritus irridebant, mimos agentes, ut vel sic mentes Fidelium fascinare, & ab Ecclesiasticis Officiis revocare valerent. XXIX. Cùm aliqui Prælatorum pietate ducti, feriam illam in quam Christi Domini Conceptio quovis anno incidisset, singulis ejusdem anni hebdomadibus Jejunio celebrare decrevissent; Albigenses Hæretici prædicarunt Jejunium illud ad omnium expiationem valere peccatorum, nullámque præterea pœnitentiam esse necessariam. Quod avidè excipientes è Laïcis plurimi, in hæresim lapsi sunt. Hæc passim refert *Lucas Tudensis* lib. III. adversùs Albigenses.

Fœdi & sacrilegi Albigensium mores.

Ad fœdos Albigensium mores spectat, quod refert *Cæsarius* Heisterbacensis loco supra laudato; obsessâ nimirum à Catholicis Biterrensi civitate, Hæretici super volumen Sancti Evangelii mingentes, è muro illud in Christianos projecerunt, & sagittis post illud missis conclamarunt: Ecce Lex vestra miseri! Eodem spectat putidum alterius Hæretici facinus, qui in odium Christi & confusionem fidei, Tolosæ juxta altare majoris Ecclesiæ ventrem purgavit, & pallâ altaris immunditias detersit. Item, quòd quidam scorto super altare collocato, Veneri in ipso Sacrificii, loco indulserunt. O flagitia diris omnibus execranda! Item, quòd sacram imaginem inde detractam, præcisis brachiis, & collo fune alligato, intolerandis cum blasphemiis per plateas urbis traxere.

Professio Fidei à Bernardo Primo & sociis ab hæresi conversis edita.

Ex Albigentium secta emersere anno Christi MCCX. *Bernardus Primus*, *Durandus de Osca*, *Willelmus Arnaldi*, aliique ipsis sociati, post Disputationem Appamiis habitam, in qua Magistro *Arnaldo de Camprano*, tunc Clerico seculari, arbitro, convicti sunt, ut Refert *Guillelmus de Podio Laurentii* in Chronico Cap. IX. Professio Fidei à *Bernardo Primo* & sociis edita inserta est Epistolæ XCIV. *Innocentii III.* lib. XIII. Regesti: ex qua facilè conjicimus, quibus in erroribus versarentur. Post unius enim Dei in tribus Personis confessionem, confitentur unum illum Deum *esse creatorem & gubernatorem ac dispositorem omnium rerum visibilium & invisibilium, corporalium & spiritualium. Hunc Legem Moysi dedisse, in Prophetis locutum fuisse, & Joannem Baptistam ab ipso missum esse sanctum & justum. Filium Dei veram carnem assumpsisse. Unam esse Ecclesiam Catholicam & Apostolicam, Sanctam & immaculatam, extra quam nemo salvatur. Sacramenta quæ in ea celebrantur, non esse reprobanda, licèt à peccatore Sacerdote ministrentur.* Approbant *Baptismum*

ptiſmum Infantium; & ſi defuncti fuerint poſt baptiſmum antequam peccata committant, fatentur eos ſalvari. Confirmationem quoque ab Epiſcopo factam, id eſt, Impoſitionem manuum, ſanctam & venerandè accipiendam. In ſacrificio Euchariſtiæ, quæ fuerant panis & vinum ante conſecrationem, poſt conſecrationem eſſe Corpus & Sanguinem Jeſu Chriſti: in quo nihil à bono majus, nec à malo minùs perficitur Sacerdote. Peccatores veraciter Pœnitentes, veniam à Deo conſequi. Unctionem infirmorum cum oleo conſecrato venerantur. *Conjugia carnalia eſſe contrahenda, ſecundùm Apoſtolum Paulum*, non negant: *legitimè contracta disjungere* omnino prohibent. *Ordines Eccleſiaſticos, id eſt, Epiſcopatum & Presbyterum, ac cæteros, & omne quod in Eccleſia ordinabiliter ſancitum legitur aut canitur*, humiliter collaudant, & fideliter venerantur. Confitentur *Reſurrectionem hujus carnis, & non alterius. Eleemoſynas & Sacrificium, cæteráque beneficia, Fidelibus defunctis prodeſſe.... Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti nec eſſe conficiendum, nec poſſe confici niſi à Sacerdote, per impoſitionem manus viſibilis Epiſcopi ſecundùm morem Eccleſiæ viſibiliter ordinato. Poteſtatem ſecularem ſecundùm Leges officium ſuum in malefactores peragentem*, non eſſe damnandam profitentur. *Juramentum ex deliberatione, causâ neceſſitatis, cum veritate, juſtitia, & judicio*, non eſſe culpandum. Præter errores pleroſque iſtis fidei dogmatibus in eorum Profeſſione expreſſis oppoſitos, nonnullos alios ipſis attributos fuiſſe, à quibus ſe purgarunt, ſubdit ibidem Innocentius III. *Licet autem*, inquit, *in ſubſcriptis Articulis, ſicut à quibuſdam accepimus, aſſererentur erraſſe; quod videlicet ſoli Deo eſſe obediendum, & ſi homini, ſoli juſto, qui Deum habet in ſe; ac licere Laico ac litterato ſine licentiâ cujuſlibet hominis prædicare; boniúmque Laicum conficiendi Euchariſtiam poteſtatem habere; malum autem Sacerdotem nequaquam, & ejus orationes aut Miſſas vivis vel mortuis non proficere, ac Romanam Eccleſiam nequaquam Eccleſiam Dei eſſe; necnon etiam juramentum in quolibet articulo ſub Eccleſiæ forma factum peccatum eſſe mortale dogmatizaſſe dicantur; ipſi tamen ex præſcripta Confeſſione, in qua tanguntur Articuli prænotati, ſuper his ſuam innocentiam excuſarunt; illud inficiantes omnino, quod videlicet mulieribus Evangelium in Eccleſia licitum eſſe docere; ac Indulgentias quæ fiunt à Summo Pontifice vel aliis Epiſcopis non proficere; juſtúmque Laicum confitentes ſibi abſolvere poſſe, quidam eos aſſerunt adſtruxiſſe.* Ex quibus compertum eſt, 1. Albigenſium plures Sectas fuiſſe, nec omnibus eoſdem fuiſſe communes errores, moréſque. 2. Nonnullos interdum ipſis attributos errores, quos non profitebantur; atque ex commixtione Sectarum in Albigeſio, Provincia, Catalonia, confuſionem hujuſmodi ortam eſſe. Quam ipſorum varietatem *Innocentius III*, Epiſtola xciv. Libri I. ad Aquenſem Archiepiſcopum & Suffraganeos ejus datâ, ſignificat his verbis: *Miramur plurimum atque dolemus, quòd quidam tunicam inconſutilem ſcindere molientes, diverſas ſibi Eccleſias, immo potius Satanæ Synagogas, confingunt, Doctrinam Evangelicam, Apoſtolicam, & Propheticam depravantes.... Ipſi ut occultius virus ſuæ iniquitatis transfundant in plures, fel draconum in aureo calice Babylonis propinant, juſtitiæ vultum prætendunt, & ſtudentes ſimulatis operibus caritatis, eos ampliùs circumveniunt, quos ad Religionis propoſitum viderint ardentiùs aſpirare; illum ſui erroris imitantes Magiſtrum, qui ſub umbra dormit in ſecreto calami & locis humentibus, qui fluvium abſorbet & non miratur, habet enim fiduciam quod Jordanis influat in os ejus.... Inter quos in Provincia veſtra quoſdam, qui Waldenſes, Catari, & Paterini dicuntur, & alios quoſlibet quibuſcunque nominibus appellatos, in tantum jam accepimus pullulaſſe, ut innumeros populos ſui erroris laqueo irretierint, & fermento corruperint falſitatis. Cum igitur ad capiendas hujuſmodi vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth, ſpecies quidem habentes diverſas, ſed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in id ipſum, ut virga Moyſi maleficorum phantaſmata devoret, dilectum filium Fratrem Rainerum, virum probatæ vitæ & converſationis honeſtæ, potentem divino munere in opere & ſermone, ac cum eo dilectum filium Fratrem Guidonem, virum Deum timentem & ſtudentem operibus caritatis, ad partes ipſas duxerimus deſtinandos; Fraternitati veſtræ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus eos benignè recipientes & tractantes affectu, taliter eis contra Hæreticos aſſiſtatis, ut per ipſos ab errore viæ ſuæ revocentur ad Dominum; & ſi qui fortè converti non poterunt ne pars ſincera trahatur, de veſtris finibus excludantur.* Hæc ſcribebat *Innocentius III.* anno MCXCVIII.

Nonnulli ipſis tributi errores, quos non profitebantur.

In Dalmatiam uſque penetravit Albigenſium hæreſis, ubi Antipapam creare auſi ſunt, cujus Vicarius Carcaſſona oriundus, *Bartholomæus* nomine, ſe *Servum ſervorum Sanctæ Fidei* inſcribebat, teſte *Conrado* Portuenſi Epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ in illis partibus Legato, in Epiſtola ad Rothomagenſem Archiepiſcopum, quam Hiſtoriæ ſuæ inſeruit *Matthæus Pariſius* ad annum MCCXXIII.

§. III.

De ALBIGENSIUM Impugnatoribus.

Spiritualibus ac temporalibus armis adversùs Albigenſes Hæreticos pugnatum eſt. Agmen ſpiritale inſtruxere *Arnaldus* Ciſtercienſis Abbas, *Petrus de Caſtro-Novo*, & *Radulphus*, ejuſdem Ordinis Profeſſores, ab *Innocentio III.* Apoſtolica Legatione ornati. Acceſſit ſanctæ dux prædicationis *Didacus* Oxomenſis in Hiſpania Epiſcopus, qui & ipſis author fuit, ut dimiſſis equis, auro & argento, famulitio ac ſuperfluo comitatu rejectis, Apoſtolicam prædicandi rationem ſequerentur. In Caſtro Carcaſſonenſis Diœceſeos, cui Monti-Regali nomen, inter Hæreticorum Magiſtros, & Fidei Catholicæ Præcones habita ſolemnis diſputatio per xv. dies. Judices electi erant ex ipſis Hæreticorum Credentibus. Redacta in ſcriptum fuere hinc inde propoſita, & tradita Judicibus, ut finitivam ſententiam ferrent. Convicti fuere, & palam ſuperati Hæretici: at ipſis addicti errorúmque Communione fœderati Judices, Sententiam ſuſpenderunt; nec Acta diſputationis Pugilibus Catholicis reddere voluere, ne ad ipſorum dedecus vulgarentur, ſed Hæreticis tradidere.

Didacus Oxomenſis Epiſcopus.

Diſputatio contra Albigenſes ad Montem Regalem.

Hac prima de hæreſi reportatâ victoriâ, ſupra laudatus Abbas Ciſtercienſis *Arnaldus*, cum Abbatibus ejuſdem Sacræ Congregationis duodecim, Religioſis Athletis ſuppetias tulit. *Hi totius viri Religionis, viri perfectæ & ſanctæ ſcientiæ, viri incomparabilis ſanctitatis, parati de ea, quæ in ipſis erat fide & ſpe omni diſputandi reddere rationem. Et hi omnes cum pluribus Monachis, quos ſecum adduxerant, omnem ſectantes humilitatem, juxta exemplar quod eis oſtenſum erat in monte, id eſt, quod audierant de Epiſcopo Oxomenſi, pedites procedebant, ſtatim ab Abbate Ciſtercienſi longè latéque ſinguli diſperſi, & aſſignati ſunt unicuique termini proprii, per quos diſcurrendo, prædicationi inſiſterent, diſputationibus inſudarent.* Ita refert *Petrus de Valle Cernaii* cap. v. Legatur & *Vincentius Bellovacenſis* lib. XXIX. *Speculi Hiſtorialis* cap. XCIII. Cùm in Hiſpanias reditum pararet Oxomenſis Epiſcopus, ipſum ad Appamias convenere *Fulco* Toloſanus, & *Navarrus* Conſoranenſis, Epiſcopi, & plurimi Abbates.

Arnaldi Ciſtercienſis Abbatis & Sociorum contra Albigenſes conflictus.

Altera contra Albigenſes diſputatio Appamiis.

Habita

Habita ibi cum Hæreticis disputatio. Planè convicti sunt Albigenses. Qui disputationis Judex erat constitutus, vir nobilis & potens, hæresim ejuravit, & deinceps Hæreticos pro virili impugnavit.

2. Petri de Castro-Novo Martyrium.

Petrus de Castro-Novo, Fontis-Frigidi Cisterciensis Ordinis Monachus sanctissimus, & Legatus Apostolicus, ab impio *Raymundi* Tolosani Comitis, Hæreticorum Albigensium fautoris, satellite sagittâ confixus, Manyt occubuit. Sancti viri Martyrium celebrat *Innocentius III.* Pontifex Maximus in Epistola ad Nobiles viros Comites, Barones, & universos Milites, per Narbonensem, Arelatensem, Aquensem, & Viennensem Provincias constitutos, quam Historiæ suæ inseruit *Petrus de Valle Cernaii*, cap. VIII. Interfectorem, & omnes qui ipsi ope vel opere, consilio vel favore ad facinus perpetrandum præsto fuissent, Anathemate percussit, atque inter alios præcipuè Tolosanum Comitem *Raymundum*, quia certis indiciis mortis sancti viri præsumebatur esse reus, utpotè qui necem ipsi publicè comminatus esset, struxisset insidias, occisorem in familiaritatem recepisset, magnísque donis munerasset. Subditos etiam, socios, ac fœderatos quoslibet, qui juramento fidelitatis ipsi adstricti tenebantur, ab hoc vinculo absolvit, & cuilibet Catholico viro potestatem fecit, non solùm ipsius personam hostili modo persequendi, verùm & terram ipsius detinendi & occupandi, quam ab hæresi expiari totis viribus procuraret. Salvum tamen voluit *Jus Domini Principalis*. Hæc eadem commemorat *Guillelmus de Nangis* in Chronico, ad annos MCCVII. & MCCVIII.

De *B. Petro à Castro-Novo* lege Commentarium Historicum PP. *Henschenii* & *Papebrochii*, inter Acta SS. mensis Martii, ad diem V.

3. Dominici in Albigensium hæresi extirpanda labores & miracula.

In Albigensis hæreseos impugnatione, & Hæreticorum confutatione, atque conversione, prædicationibus ac disputationibus suis plus omnibus laboravit sanctissimus Ordinis FF. Prædicatorum conditor *Dominicus*, qui miraculo insigni Catholicæ Fidei veritatem confirmavit, Deo eloquia casta per ignem probante. Quòd verbis *Petri de Valle Cernaii* Cisterciensis Ordinis refero. Sic porro habet in sua Albigensium Historia, cap. VII. *Disputaverant quadam die quidam Prædicatores nostri, Viri Religiosi adversùs Hæreticos. Unus autem de nostris, Dominicus nomine, vir totius sanctitatis, qui socius fuerat Episcopi Oxomensis, Auctoritates, quas in medium produxerat, redegit in scriptum, & cuidam Hæretico tradidit schedulam illam, ut supra objectis deliberaret. Nocte igitur illâ erant Hæretici congregati in una domo, sedentes ad ignem. Ille autem cui Vir Dei tradiderat schedulam, produxit eam in medium. Tunc dixerunt socii sui, ut in medium ignem illam projiceret, & si combureretur, vera esset fides, imò perfidia Hæreticorum: si verò incombusta maneret, Fidem quam prædicabant nostri, veram esse faterentur. Quid plura? In hoc consentiunt omnes: schedula in ignem projicitur, sed cùm in medio igne aliquantulum moram fecisset, incombusta penitus ab igne resilivit. Stupentibus qui aderant, unus cæteris durior ait illis: Projiciatur in ignem iterum, ex tunc experiemini pleniùs veritatem: projicitur iterum, iterum resilit incombusta: quod videns ille durus & tardus ad credendum, dixit iterum. Trina vice projiciatur, & tunc sine dubio rei exitum cognoscemus: projicitur tertiò, nec tunc quidem comburitur, sed integra ab igne resilit & illæsa. Hæretici autem visis tot signis, nec tunc ad fidem voluerunt converti, sed in sua manentes malitia, districtissimè sibi invicem inhibuerunt, ne miraculum istud, per narrationem alicujus, ad nostrorum notitiam perveniret: sed Miles quidam, qui erat cum illis, qui aliquantulum consentiebat fidei nostræ, noluit celare quod viderat, sed pluribus enarravit. Factum est autem hoc apud Montem Regalem, sicut ab ore Viri Religiosissimi* audivi, qui schedulam Hæretico tradidit superscriptam.*

* ipsius S. Dominici.

Sancti *Dominici* labores in negotio fidei adversùs Albigenses Hæreticos pariter celebrat Magister *Guillelmus de Podio Laurentii*, qui *Raymundo juniori*, filio *Raymundi* Tolosani Comitis à Sacris fuit, cap. VIII. Chronici *In ipsis quoque diebus*, inquit, *Dominus Deus, ipse qui sagittas electas in providentia sua conservat pharetra, duos de Hispania ad hoc opus produxit electos pugiles, Dominum Dilacum Episcopum Oxomensem, & Religiosum Virum, sanctum postea declaratum, socium ejus Dominicum, Canonicum suæ Ecclesiæ Regularem. Duo ergo isti mittentes manus ad fortia, aggregatis illis Abbatibus Ordinis Cisterciensis, & aliis bonis viris, superstitionem Hæreticorum in altitudine Satanæ gloriantem, cum omni humilitate, abstinentia, patientia, cœperunt aggredi, non pomposa aut equestri multitudine, sed calle pedestrico ad indictas disputationes de castro in castrum nudis plantis & pedibus ambulabant: fuitque una de primis congressionibus apud Viridefolium, &c. Fuit & altera disputatio apud Appamiam, &c.* Et cap. IX. inter plurimas disputationes, quas in diversis locis cum Hæreticis habuerunt, unam fuisse solemniorem apud Montem Regalem tradit, *cui interfuerunt prædicti Pugiles*, cum *Petro de Castro-Novo*, & *Radulpho*, Sedis Apostolicæ Legatis; scriptis disputatum esse coram arbitris à partibus electis, qui Laici erant. Fundamentum disputationis à parte Hæreticorum fuisse, quòd *Arnaldus Ottonis*, è primariis Sectæ, Romanam Ecclesiam non esse sanctam Ecclesiam & sponsam Christi, sed Ecclesiam Diaboli, & doctrinam Dæmoniorum, & Babylonem, cujus in Apocalypsi meminit *Joannes*, matrem fornicationum, & abominationum, ebriámque sanguine Sanctorum & Martyrum; blasphemaverit: Et quòd nunquam Christus neque Apostoli constituerunt aut disposuerunt ordinem Missæ. Infecto negotio, nullâque à Judicibus prolatâ sententiâ discessum: Scripta Catholicorum Pugilum ab Hæreticis suppressa, Hæreticos centum quinquaginta circiter ad fidem conversos; idem Chronographus commemorat.

Ordo FF. Prædicatorum ad expugnandos Hæreticos institutus.

Tunc tempptis FF. Prædicatorum Ordinem ad expugnandns Hæretitos; quâ in expeditione alii Concionatores parum hucusque promoverant, & ad fulementum fidei institutum, idem Author testatur, cap. X. *Continuatò itaque biennio, & ampliùs hoc labore*, (inquit) *cum accensum ignem per hanc viam extinguere non valerent benedicti Dei Pugiles, attendentes quod res ista altiori consilio indigeret, clamare ad Sedem Apostolicam sunt coacti, & ut cœpta prædicatio remaneret, de ordinandis perpetuis Prædicatoribus est provisum, inspirante Domino, & hac de causa sub beato Episcopo Domino Fulcone Ordo Prædicatorum principaliter est exorsus. Quorum vexillifer Beatus Dominicus, prælationem suscepit pariter & laborem: super quo non interest narrationem meam prosequi, cum per Historiam vitæ suæ, & Ordinis ubique dilatati evidentiam, sit jam volentibus atque nolentibus manifestum, veriùsque, secundùm quod dicit Beatus Apostolus, Oportuisse hæreses esse in nostris temporibus sive regionibus, ut Ordo Beatus non tam apud nos, quam apud totum mundum fructuosus & publicus appareret. Periculo igitur terræ apud Sedem Apostolicam, cui tunc præerat Summus Pontifex Dominus Innocentius Papa III. declarato, mittitur Legatus Dominus Arnaldus Amalricus Abbas Cisterciensis, vir quidem magnæ religionis & providentiæ, negotio quod dissimulari non poterat, provisurus.*

Ejusdem Sancti Viri labores contra Albigenses Hæreticos; & Ordinem ea occasione institutum commemorat Author Chronici quod inscribitur, *Præclara Francorum Facinora*, quem nonnulli *Pe-*

trum Lodevensium Episcopum esse dixere, & habetur ad calcem Historiæ Comitum Tolosanorum editæ à Clarissimo Viro *D. Du Catel* Tolosano Senatore. *Anno Domini*, inquit, *millesimo ducentesimo sexto, ab Innocentio Papa, cum Legato, duodecim Abbates Cisterciensis Ordinis in terram Albigensem, & Tolosanam, & Carcassonensem ad prædicandam fidem contra Hæreticos transmittuntur: Quibus de Hispania Didacus Oxomensis Episcopus, rediens tunc de Curia inveniens eos in Montepessulano pariter congregatos, secum habens in comitatu suo Fratrem Dominicum, sanctitatis & itineris sui comitem, pro Hæreticis convertendis adjungitur: Hic est Frater Dominicus qui Ordinem Prædicatorum inchoavit. Tempore siquidem Innocentii Papæ duo solemnes Ordines inceperunt, scilicet Ordo FF. Prædicatorum, & Ordo FF. Minorum. Ordinem siquidem FF. Prædicatorum incepit S. Dominicus in partibus Tolosanis, ubi verbo & exemplo contra Hæreticos exorsus est biennio antea prædicare, sub anno Domini* MCCIV. *& hospitem suum ab hæretica pravitate convertit primâ nocte quâ Tolosæ hospitio sunt recepti.*

De his quoque *Lucas Tudensis* lib. II. adversùs Albigenses cap. XI. *Jam multi*, inquit, *retro ibant, veritati contraria sentientes. Nutabant plures, qui etiam videbantur Doctores, & quasi somniantes convertebantur ad fabulas & superfluas novitates. Suscitavit autem Dominus misericorditer Beatissimos Franciscum, & Dominicum, sanctissimi Ordinis Prædicatorum primum, per quos mundo pro magna parte in errorum & ambiguitatis tenebris constituto lumen veritatis illuxit, de cordibus singulorum scelerum labes detersit clementia Redemptoris, & obstruxit diverticula falsitatis.*

De Sancto *Dominico* idem prædicat *Platina*, lib. De Vitis Pontificum, in Innocentio III. *Oborta tum*, inquit, *apud Tolosam hæresis est quam Innocentio procurante Beatus Dominicus mira celeritate compescuit, adjuvante etiam Simone Monteforti, non enim disceptationibus verborum tantùm, sed etiam armis opus fuit: adeo inoleverat tanta Hæresis.*

Suffragatur *Paulus Æmilius*, lib. VI. De Rebus Gestis Francorum, in Philippo Augusto. *Recepti*, inquit, *Prædicatores Fratres, qui literis se excolerent, concionibus edocerent, jus alienum minimè usurparent. Dominicus auctor extitit, & doctus & sanctus vir, & acerrimus hæresion Insectator.... Dominici in tollenda Albiorum hæresi virtus enituit.* Tunc Autore Sancto *Dominico* Sanctæ Inquisitionis Officium fuisse primùm à Summo Pontifice institutum, ac eidem Beato Viro, & Fratribus Prædicatoribus primùm ac præcipuè demandatum ad hæresim exterminandam, Authores consentiunt.

Sanctæ Inquisitionis Officium institutum.

§. IV.

De Sacra Militia adversùs ALBIGENSES.

ALbigensium Hæresis, *Raymondi* Comitis Tolosani fulta præsidio, non solùm totam regionem infecerat, sed in Ecclesias & Sacros Ministros immaniter grassabatur. Quamobrem *Innocentius III.* Pontifex Maximus sacram adversùs Hæreticos Militiam indixit, ut docet *Guillelmus de Podio Laurentii*, in Chronico, cap. X. *Cum jam*, inquit, *hæresis excrevisset, Magnatibus terræ consentientibus, quod non tam studiosos in se posset accendere, quam armatam manum militia exercere, destinatur in Franciam quæ semper consuevit gerere bella Dominica, ad Regem & Barones, & Plebani viri idonei indulgentiam auctoritate Apostolica prædicare cœperunt contra Hæreticos, quæ concedi transfretantibus in Terra Sancta subsidium consuevit.* Ad promovendum fidei negotium, *Milonem*, virum honestate vitæ, scientia, & facundia eximium, qui nec terreri poterat nec frangi, Legatum Apostolicum in Gallias, præsertim in Provinciam Narbonensem, misit, adjuncto *Theodosio* Canonico Januensi. Collectus Crucesignatorum Exercitus. Quos inter P. Senonensis, R. Rothomagensis, R. Bajocensis, Jordanus Lexoviensis, Reginaldus Carnotensis, aliique innumeri Episcopi, & Ecclesiastici Viri, *Dodo* Burgundiæ Dux, *Herveus* Comes Nivernensis, &c. Sacri Dux Belli electus est *Simon* Comes *Monfortius*. Is Biterras primùm copias duxit, urbem veneno hæreticæ pravitatis prorsus infectam, & civium suorum latrociniis, rapinis, adulteriis, omnique vitiorum colluvie fœtidam: præmisitque in urbem, qui nomina Hæreticorum ederent; ut cæteri vel eos urbe expellerent, vel ipsi exirent. Neutrum præstiterunt. Urbs capta, cædes promiscuè facta, ipso die Sanctæ *Mariæ Magdalenæ* sacra, in quam Albigenses blasphemias evomebant. Expugnata Carcasso præsidium hæreseos alterum, Fanum Jovis, Lomberia, Castra, Cabaretum, Appaniæ, Mirapicum, Albia, partim expugnata, partim dedita. In Castro Minervæ expugnando, anno MCCX. ingens labor insumptus. Centum quadraginta Hæretici & ampliùs, vivi combusti, quàm hæresim ejurare maluere: cæteri Fidem Catholicam professi. Castris ad Minervam positis, quindecim dierum spatio Cruces argenteæ in muris Ecclesiæ Tolosanæ Deiparæ Virgini sacræ visæ sunt. Miraculi testes oculatos, à quibus id accepit, *Petrus de Valle Cernaii* nominat, *Fulconem* Tolosanum, & *Raymundum* Biterrensem, Episcopos, Abbatem Cisterciensem Legatum Apostolicum, & *Theodosium*. Castrum Thermarum difficili obsidione captum est. In ea virtutis specimen suæ dedit *Guillelmus Archidiaconus Parisiensis, qui zelo fidei succensus, totum se pro Christi servitio laboriosis solicitudinibus exponebat; prædicabat quotidie, instituebat collectas in sumptus machinarum, cæteráque hujus necessariæ sedulitatis officia providus exercebat. Cui præ cæteris, imò soli post Deum, adscribenda est pervigil & diligentissima hujus obsidionis cura, victoria captionis.* (inquit *Petrus de Valle Cernaii*, cap. XLI.) Secundùm hæc, Vaurum à Catholico exercitu expugnatum est. Dum acriùs urgebatur obsidio, Episcopi, Abbas Curiæ-Dei Ordinis Cisterciensis, qui Legatorum vices in exercitu agebat, Clerúsque universus, in unum congregati, *Veni Creator Spiritus*, canebant. Quod audientes hostes obstupuere, fractis viribus cessere: *Quia, sicut postea confessi sunt, plus timebant eos cantantes, quàm pugnantes, psallentes quàm insidiantes, orantes quam infestantes.* Ita refert *Petrus de Valle Cernaii*. Præfectus Castri *Aimericus*, patibulo suspensus; octoginta Milites gladio cæsi, *Girarda* Castri domina in patentem puteum conjecta, & saxis obruta, Hæretici in impietate pertinaces ingenti numero combusti. Obsessa Tolosa, Castrum Casser expugnatum. Comitis Fuxensis copiæ, qui *Raymundo* Tolosano Comiti fœderatus erat, ad Castrum Sancti Martini à Crucesignatis numero longè imparibus profligatæ sunt. Exinde Fanum S. Marcelli, *Galliacum*, Alms-Pullus, Penna, Moiasicum, Altaripa, aliáque Castra munitissima: ab Heroë *Monfortio* capta. *Petrus* Rex Aragonum, *Raymundo* Comiti affinis, in ejus auxilium eis Pyrenæum duxit. Jam ad *Murellum* super Garumnam pervenerat: « protinus Fuxensium, Convenarúmque Comites, « cum suorum quisque nobilitate adfuere; quod & « beneficiarii & consanguinei Tolosatis forent: & « Tolosates omnem civitatis pubem sub signis habuere. Circiter centum millia armatorum in acie « adversùs *Simonem*, ne decima quidem parte hosti « parem, conflixisse ferunt. Et Dux, & Milites, « Confessione priùs ac sacra Communione operati, «

Simon Comes Monfortius sacri Dux Belli.

Cruce signatorum exercitus victoria.

Albigenses ad Murellum debellati.

» se cœlesti ope munivere. Pontifices Tolosatium, Agathensium, Lodovensium, Convenarum, quos populares sedibus exegerant, in nostrorum exercitu erant, cum Dominico sancto viro. Hi non arma gerebant, non stringebant enses. Dum committitur, dum trahitur prælium, Deum Optimum Maximum precantur, pro causa sua stet, Ducem se suis militibus præstet, Crucem quam pro militiæ insigni accepissent, invictam velit... Valuerunt lachrymæ, vicit Religio, fusa, fugata multitudo à paucitate, furor à Religione. Comites effugere: Rex Aragonensium cecidit. Tolosates maximè cladem sensere, nullâ prope domo cladis experte. Gladio multi, flumine plures dum omnia minùs quàm hostem timent, dum per medios gurgites evadere conantur, absumpti. Plus viginti millia desiderata, cæteri armis exuti. E Nobilitate nostra unus omnino interiit, cum paucis admodum, atque his neque sanguine neque virtute inclytis. Ita refert *Paulus Æmilius* post *Petrum de Valle Cernaii*, cap. LXXI. & LXXII. Historiæ Albigensium, & *Rigordum* in lib. de Gestis Philippi Augusti ad annum MCCXIII. Legantur & Literæ Prælatorum, qui in exercitu *Simonis* Comitis erant, datæ Murelli, in crastino victoriæ gloriosæ, scilicet sexta Feria infra Octavas Nativitatis *Beatæ Mariæ* anno Domini MCCXIII. Illas exhibet *Petrus de Valle Cernaii* cap. LXXIII. easdémque Historiæ suæ inseruit *Matthæus Paris*, ad hunc annum.

Simonis Monfortii Comitis obitus. Ejusdem elogium.

Multis aliis adversùs Albigenses Hæreticos & eorum fautores præclarè gestis, in secunda Tolosæ obsidione ictu lapidis interfectus est *Simon* Comes *Monfortius*, in Crastino *S. Joannis Baptistæ*, anno MCCXVII. *Fortissimus Miles Domini, imò gloriosissimus Martyr Christi*, (inquit Petrus de Valle Cernaii, cap. LXXXVI.) *Cùm esset in bellis strenuissimus, omni tamen die Missam & Horas Canonicas audiebat semper sub armis, semper in periculo* (inquit Rigordus in Vita Philippi Augusti) Missam audiebat pius æquè ac generosus Comes, cùm ad ipsum nuntius pervenit, hostes munitionibus suis egressos, impetum in Crucesignatum exercitum facere. Cúmque urgeretur ut absque mora succurreret, respondit: *Non exibo, nisi prius videro meum Redemptorem.* Peractâque Consecratione, & Christi Corpore ac Sanguine adoratis, ait: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et addidit: *Eamus, & si oportuerit, moriamur pro illo qui pro nobis dignatus est mori.* Ita refert *Petrus de Valle Cernaii*. Ipsius præclaras corporis animíque dotes describit idem Historicus, cap. XVIII. *Erat*, inquit, *genere præclarus, virtute robustus, in armis plurimùm exercitatus, statura procerus, cæsarie spectabili, facie elegans, aspectu decorus, humeris eminens, brachiis exertus, corpore venustus, membris omnibus agilis & stabilis, acer & alacer, in nulla sui vel modica parte etiam ab hoste vel invido reprobandus. Demum ut ascendamus ad majora, erat facundiâ disertus, affabilitate comis, contubernio amabilis, castitate mundissimus, humilitate præcipuus, sapientiâ præditus, in proposito firmus, in consilio providus, in judicio justus, in militiæ exercitiis sedulus, in suis actibus circumspectus, in incipiendis arduus, in perficiendis non defessus, totus divinis servitiis mancipatus.* Innocentius III. ipsum *Verum & strenuum Militem Christi, & invictum Catholicæ Fidei Propugnatorem* prædicat in Epistola ad illum data.

Amalricus Simonis Monfortii filius, jura sua & fasces belli Ducatum ad Ludovicũ VIII. Regem Christianissimum transfulit.

Tolosæ obsidio Monfortii Comitis morte soluta est. Ipsi *Amalricus* filius in ditiones bellúmque successit, cujus molem viribus imparem suis expertus est. *Raymundus* Comes Tolosanus, subita morte extinctus est anno Christi MCCXXII. Qui, licet signa quædam pœnitentiæ dedisset, quia tamen levia erant & æquivoca, nec ab excommunicatione fuerat absolutus, sacra sepultura privatus est....

Ludovici VIII. præclarè gesta contra Albigenses.

Almaricus Comes, Vasconum inconstantiam videns, & *Raymundi* Junioris Comitis vires sensim augeri, Jura sua in *Ludovicum VIII.* Regem Christianissimum transfudit. Qui numerosum exercitum cruce insignitum duxit in Albigenses, oppida castráque plurima, & Avenionem post trium mensium obsidionem recepit, anno MCCXXVI. ut Gesta ejusdem Regis, & *Guillelmus de Podio Laurentii* testantur. Ad ipsum extant *Honorii III.* Pontificis Maximi Literæ, XIX. Kalendas Januarii, anno VIII. Pontificatus datæ, quibus ipsius Majestatem ad conterendos Hæreticos hortatur. *Cùm*, inquit, *Reges & Principes Christiani propter Ecclesiam matrem suam, ex qua spiritualiter nati sunt, & quam à Christo, ut eam temporibus suis foveant, susceperunt tuendam, Deo teneantur reddere rationem: grave nimis debes gerere ac indignum, quòd intra terminos Regni tui, videlicet in partibus Albigensium, Hæretici manifestè ac intrepide impugnant Ecclesiam, fidem Christianam evacuant, & dilacerant ipsum Christum. Certè Nabuchodonosor Rex decrevit dicens:* Quicunque dixerint blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, & Abdenago, in interitu erunt, & domus eorum in dispersione. *Si ergo taliter fuit Rex alienigena, ne deberet Deus Israel blasphemari, commotus,* TU REGUM CHRISTIANISSIME, *devotissimorum Principum successor & hæres, cum quo devotio Christiana coaluit, evacuari fidem nostram, lacerari Christum & Ecclesiam dissipari à talibus patieris? .... Verendum est plurimùm ne ipsorum veneno* REGNUM TUUM IN FIDE AC DEVOTIONE PRÆ ALIIS RADICATUM, CUI DOMINUS BENEDIXIT, *inficiant, & ex hoc contra totam Ecclesiam tanquam in* PRINCIPALIORI PARTE *concussam nova persecutio excitetur. Multo ergo desiderio expectantes, ut per te Catholicum Principem, & Catholicorum Principum successorem, impiis eorum conatibus celeriter obvietur, ne illud modicum terræ, quod adhuc tenent Catholici, amittatur, & pestis hujusmodi Regnum Franciæ maculet, cui jam apertè suos expandendo laqueos, appropinquat: Celsitudinem Regiam monemus, rogamus, & obsecramus in Domino, quatenus zelo, ut decet, fidei & devotionis accensus, oblatis Deo tuæ coronationis primitiis, causam hujusmodi, quæ Christi est, tibi, per quem post Deum posse fœlicius agi æstimatur, assumas.... Nam potestatem propterea suscepisti, ut per te persecutores Ecclesiæ, temporaliter, quod ipsa non potest facere, conterantur... Cæterùm, cùm, sicut intelleximus, nobilis vir* ALMARICUS *Comes Tolosanus quicquid Juris habet in terra tibi sit offerre paratus in domino tuo, illud accipias à te & hæredibus tuis liberè deinceps & quietè jure perpetuo possidendum.* Extat apud *Duchesnium*, Tom V. Pag. 857.

Regni Francorum elogium.

Gesta S. Ludovici adversùs Albigenses.

Sacrum istud bellum redintegravit *S. Ludovicus Gregorio IX.* Pontifice Maximo adhortante. Gregorii Literas Annalibus Ecclesiasticis inseruit *Odoricus Raynaldus*, ad annum MCCXXVIII. in quibus hæc notanda. *Negotium quod agitur adversus Albigenses Hæreticos, negotium est pacis, & fidei orthodoxæ, pro qua semper stetit Regnum Francorum, tanquam in ipsius soliditate fundatum; & Progenitores tui personas posuerunt, & bona, causam ad honorem Dei, ac Regni prædicti gloriam prosequentes; ita quòd ejus devotio universo mundo specialiter existere nunciatur. Hujusmodi autem devotionis fervore succensus recordationis inclytæ Pater tuus, tanquam verus Israelita prosecutus est negotium memoratum, & illud fœliciter prosequendo, de terrenis ad superna migravit. Tu quoque imitator devotionis ejusdem, primitias tuas eidem negotio dicare cœpisti*, &c. Anno itaque MCCXXVIII. obsessâ ab *Imberto de Bellojoco*, cum Regio & Crucesignatorum

Vera laus Regni Francorum & Christianissimi eorum Regum.

S. Ludovicus adhuc puer de Albigensi hæresi triumphat, & Tolosano Comiti pacis conditiones præscribit.

cesignatorum exercitu, Tolosâ, & sive capta fuerit, sive in deditionem accepta, sive tantummodo agrorum & vinearum vastatione contrita, (Variæ namque sunt Authorum de his narrationes) *Raymundus Junior* Comes Tolosanus in eas pacis conditiones consensit, quas ipsi Rex, & *Romanus* Sedis Apostolicæ Legatus imperarunt. Pacta Meldis conventa, Parisiis confirmata. Quarum summa fuit, ut *Raymundus* Comes Ecclesiæ ac Regi devotus & fidelis esset, terram suam ab Hæreticis Albigensibus purgaret, sósque viis omnibus exterminaret. Damna illata Ecclesiis ac Monasteriis resarciret, earumque jura & libertates defenderet. *Joannam* filiam unicam uni ex Regis fratribus daret uxorem. Quo ex matrimonio si nulli nascerentur liberi, nihilominus Tolosanus Comitatus, post eorum ac *Raymundi* Comitis obitum, ad Regem, ejúsque Successores transiret. Muri ac munitiones Tolosæ, aliarumque triginta urbium, solo tenus diruerentur, fossæ adæquarentur, castra quædam munitiora Regi ad decennium traderentur: Theologis duobus, Jurisconsultis totidem, sex liberalium Artium Professoribus, & Grammaticis duobus Tolosæ docentibus, annuum stipendium numeraret. Abbatiis Cisterciensi, Claræ-vallensi, Grandis-sylvæ, Bellæ-perticæ, & Candeli, certam pecuniæ summam pro damnis illatis, & pro salute animæ suæ solveret. Hunc Tractatum apud *Duchesnium* legere est Tom. V. Historiæ Francorum Scriptorum Pag. 810. & apud *Catellum* Historiæ Comitum Tolosanorum lib. II. His juratis *Raymundus* Comes in die sancto Parasceves, præsente Rege, & innumera Prælatorum, Procerúmque multitudine, à Legato Apostolico introductus in Ecclesiam fuit, caput, pedes, ac totum corpus, præter lineam tunicam & femoralia nudus, & ab excommunicationis sententia absolutus, injunctâ in pœnitentiam Crucis contra Saracenos sumptione, & Militiâ per quinquennium in Palæstina. *Sancti Ludovici* Regis pueritiam, tam gloriosa tamque utili rei Christianæ pace, & Albigensium debellatione Deus honorare voluit, ut quod Crucesignatus exercitus tot annorum spatio conficere non potuerat, ipse minorennis, *Blanca* Matre Regnum procurante perficeret. *Sic Deus ejus pueritiam honoravit* (inquit Guillelmus de Podio Laurentii) *quòd de pluribus conditionibus in prædicta pace contentis & obtentis, unaquæque per se sola sufficeret quasi ad redemptionis pretium, si Rex eundem Comitem invenisset adversum se in campestri prælio, & cepisset.* Tolosates Ecclesiæ reconciliati sunt à *Petro de Collemedio*, Legati Apostolici vices gerente, anno MCCXXIX.

Inquisitorum zelus & justa severitas persecutionem in Episcopum & FF. Prædicatores accendit.

Inquisitio contra Hæreticos magno fervore facta. Variæ Legationes à Sede Apostolica in Provinciam Narbonensem decretæ, ad reliquias Hæreticorum extirpandas. Inquisitorum zelus, & severa in Hæreticos eorúmque fautores Justitia, persecutionem adversùs ipsos, Episcopum Tolosanum, totúmque FF. Prædicatorum Conventum excitavit. Præerat Ecclesiæ Tolosanæ Sacris *Raymundus*, FF. Prædicatorum in Provincia quondam Provincialis, summo Capituli consensu post *Fulconis* obitum ad istius Ecclesiæ regimen electus die 21. Martii anno MCCXXXI. Fidei Censores erant FF. *Petrus Cellani* & *Guillelmus Arnaldi*. Episcopus & Inquisitores, ex urbe secedere compulsi; totus FF. Prædicatorum Conventus ejectus, in odium Inquisitionis & zeli adversùs hæresim & hæreticos intrepidi ac invicti. Qui sacro instructo agmine, bini & bini ex urbe exierunt, animis ad Martyrium comparatis, Symbolum Fidei, & Antiphonam *Salve Regina*, concinentes. Ipsos Apostolica Auctoritate restituit *Joannes* Viennensis Archiepiscopus, Sanctæ Sedis Legatus, & Inquisitionem summâ libertate exercen jussit; Utque Tolosatibus FF. Prædicatorum justa severitate conterritis nonnihil indulgeret, Collegam ex Ordine FF. Minorum in Sanctæ Inquisitionis Officio ipsis adjunxit.

Raymundi junioris Tolosani Comitis Leges.

Raymundus Junior Tolosanus Comes sanctissimis Leges tulit ad exaltationem Fidei Christianæ, ad extirpandam Hæreticam pravitatem, ad conservationem pacis, & ad bonum statum totius terræ conservandum, & in melius reformandum, XIII. Kalendas Martii anno MCCXXXIII. in quibus caput istud contra Hæreticos observatione dignum est: *Statuimus quod omnes hæreditates eorum qui Hæreticos se fecerunt, vel facient in futurum, confiscentur & occupentur: sic quod ad liberos eorum, vel ad alios successores, qui ab intestato eis deberent succedere, si fuissent orthodoxæ fidei, per venditionem, aut donationem, aut alio modo, bona prædicta non valeant pervenire. Et si talibus prædicta bona reddita fuerint, vel ab iisdem aliter detineantur, ab ipsis penitus auferantur.*

§. V.

De Conciliis adversùs Albigenses celebratis.

Concilium Montiliense.

Montilium, vulgò Montelly, in Occitania ad Rhodanum.

I. PRimum in causa Albigensium Concilium, *Montili*, quod Provinciæ Narbonensis castrum est, anno MCCIX. celebratum fuit à *Milone* Sedis Apostolicæ Legato. Huic occasionem dedit *Raymundus* Tolosanus Comes, Albigensium fautor, qui sæpe jam anathemate confixus, cùm & ditionem suam cuivis occupanti à Romano Pontifice expositam cerneret, & sacræ expeditionis adversùs Albigenses indictæ formidaret apparatum, nossétque *Fulconem* Tolosanum, & *Navarrum* Consoranensem, Episcopos, ad *Innocentium III.* Legatos esse, ut ejus opem in fidei negotio implorarent; suos ipse, simulatâ pœnitentiâ, Oratores ad eum misit, rogaturos ut aliquem de Latere suo Legatum mitteret, cui se in omnibus pariturum pollicebatur. Misit *Milonem*, cui *Theodisium* Canonicum Genuensem adjunxit, viros eruditos, integerrimos, intrepidos. *Milo* cum *Arnaldo* Cisterciensi Abbate, Sedis Apostolicæ antehac Legato congressus, & de ejus consilio omnia gerens, Concilium ad *Montilium* Castrum congregavit. Archiepiscopi & Episcopi frequentes convenere: quorum sententiam rogavit de modo procedendi in negotio pacis & fidei, & in causa Tolosani Comitis. Secundùm consilia Patrum, *Raymundo* Comiti apud Valentiam diem dixit. Statâ die comparuit Comes. Ipsi auctoritate Apostolica præcepit Legatus, ut Carpentoratensem Episcopum, quem Sede sua expulerat, restitueret; ipsi & Vasionensi Episcopo & Canonicis illata damna resarciret; Castrum Vasionense ipsi Legato, vel alteri, secundùm ejus mandatum, redderet, Aragonenses, Ruptarios Cotarellos, Basculones, Mainadas, & alios hujusmodi prædones Catholicis infestos, Hæreticis faventes, è ditionibus suis ejiceret: Judæos ab omni administratione publica amoveret: Hæreticos & eorum fautores coerceret: Septem Castra velut fidei suæ & sinceritatis promissorum pignora, Legato traderet: Melgoriensis Comitatus ad Romanam Ecclesiam omnino reverteretur, nisi staret promissis: Castra ipsa Romanæ Ecclesiæ in commissum caderent: Ecclesias non incastellaret: Indebita pedagia non imponeret: Comites & Barones, necnon Consules Aventonenses, Nemausenses, Montispessulani, & Villæ S. Georgii, jurarent, quòd si Comes Tolosanus Legati Apostolici mandata violaret, ipsi hominii & fidelitatis vinculo ampliùs non essent adstricti. Imperatas conditiones adimpleturum se spopondit *Raymundus* Comes: cum Legato ad Villam

S. Ægidii

S. Ægidii descendit; nudus ante fores Ecclesiæ stetit: Archiepiscopis & Episcopis, qui plusquàm viginti convenerant, super Corpus Christi & Sanctorum Reliquias juravit, quòd Mandatis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Legati Apostolici in omnibus pareret. Mox Legatus stolâ in collum ejus injectâ, ipsum verberibus castigatum à censuris absolvit, & in Ecclesiam introduxit. Ista conjiciuntur ex *Petro de Valle Cernaii* Historiæ Albigensis cap. xi. & xi. & ex Instrumentis à Clarissimo *Catello* insertis libri ii. Historiæ Comitum Tolosanorum. Concilium istud ad annum MCCVIII. à *Spondano* & *Raynaldo Baronii* Continuatoribus perperam referri, rectè observat P. *Cossartius* S. I. in Notis. *Raymundum* enim Comitem a *Milone* Legato absolutum esse, cùm Crucesignati proximè venturi essent, testis est *Petrus de Valle Cernaii*. Absolutus est autem XIV. Kalendas Julii, ut probant Instrumenta à *Catello* prolata. Porro sacer exercitus, post octo circiter dies, Lugdunum convenit, scilicet circa Festum *S. Joannis Baptistæ* ipsius anni MCCIX. Et primus eorum labor excidium Biterrense fuit, quod eo anno die *S. Magdalenæ* sacra factum esse constat. Illud quidem anno MCCXVIII. tribuit libri inscriptus, *Præclara Francorum Facinora*, sed aliorum Chronicorum consensu refellitur, & vetere illo Disticho:

Anno milleno ducentenóque noveno,
In Magdalena ruit urbs Biterris amœna.

Concilium Avenionense.

II. Anno MCCX. Concilium Avenione à Magistro *Milone* Sedis Apostolicæ Legato habitum est, in quo comminatoria excommunicatio adversùs Tolosanum Comitem lata est, si abjurata pedagia usurparet. Tolosanis etiam civibus omni Sacrorum usu interdictum, quòd promissa Legatis, & Crucesignatis de Hæreticorum expulsione, adimplere contempsissent. Ita refert *Petrus de Valle Cernaii*, Cap. XXXIII. *Historia Albigensium*.

Concilium in Villa S. Ægidii: vulgo *Saint Gilles*, in Diœcesi Nemausensi.

III. Eodem anno, cùm Summus Pontifex *Innocentius III.* Episcopo Regiensi, & M. *Theodisio* dedisset in mandatis ut Tolosano Comiti, qui Româ recèns redierat, super duobus maximè criminibus Purgationem indicerent, nece nimirum sancti viri *Petri de Castronovo* Sedis Apostolicæ Legati, & crimine hæreseos: Concilium ea de re in Villa *S. Ægidii* celebratum est. Tolosani Comitis Purgationem admittendam non esse Patres decreverunt, quòd præstita ritu solemni de mandatis Sedis Apostolicæ implendis Juramenta violasset. Quamobrem excommunicationis Sententia in ipsum, omnésque illius fautores & adjutores lata & promulgata est. Ita refert *Petrus de Valle Cernaii*, Cap. XXXIX. Hanc excommunicationem confirmavit *Innocentius III.* per Literas anno sequenti ad Arelatensem Episcopum, & ejus Suffraganeos datas, XVII. Kalendas Maii.

Conventus Apamiensis.

Apamiæ, *Pamiers*, Urbs Episcopalis ... metropoli Tolosana.

IV. Anno Christi MCCXII. *Simon* Comes *Monfortius* Episcopos & Nobiles ditionis, quam armis pepererat, convocavit in Castrum Appamiarum, colloquium habituros de tota ditione bonis moribus ac legibus temperanda, exterminatâ Hæresi. Duodecim viri Juramento super Sancta Evangelia adstricti, leges illas condidere, scilicet Tulosanus & Consoranensis Episcopi, Unus Templi, alter S. Joannis Hierosolymitani Eques; quatuor Francigenæ Milites sive Nobiles; & quatuor indigenæ, duo scilicet Milites, & duo Tertii Ordinis viri. Scriptæ sunt Leges sive consuetudines illæ; Comitis, & omnium Episcoporum Sigillo sunt munitæ, earúmque observantiam ipsi & omnes ejus Milites juravere. Ita refert *Petrus de Valle Cernaii*, Cap. LXV. *Historiæ Albigensium*.

Concilium Vaurense.

Vaurum, *Lavaur*, ... Episcopalis ... Tolosana.

V. Anno MCCXIII. Concilium in Castro *Vauri* habitum est ab *Arnaldo* Narbonensi Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ Legato, & plerisque aliis Episcopis, pro negotio Albigensium. *Petrus* Rex Aragonum Patres rogavit, ut *Raymundo* Tolosano Comiti satisfactionem offerenti, & obedientiam Ecclesiæ spondenti, aut saltem ejus filio, Terras à *Monfortio* Comite ereptas restitui imperarent. Item Comitibus Convenarum, & Fuxensi, & Gastoni Bearnensi, quos non esse Hæreticos constaret, sub conditione satisfactionis ad Ecclesiæ arbitrium exhibendæ, sua etiam restitui juberent. Regis preces repulit Synodus. Tolosani causam Comitis cognitioni suæ auctoritate Pontificia subtractam respondit; quoniam Regiensi Episcopo, & Magistro *Theodisio* illam à Summo Pontifice sub certa formâ commiti impetrarat. Fuxensem, & Convenarum Comites, & Gastonem Bearnensem esse Hæreticis confœderatos, ipsorúmque fautores manifestos, ob hoc, aliàque crimina excommunicatos; quamobrem operæ pretium esse ut priùs Ecclesiæ judicio se parituros jurarent, & absolutionem congruâ satisfactione promererentur: & postmodum Ecclesiam eorum querelas examinaturam, ipsisque Jus dicturam. Repulsam passus Aragonum Rex, Patres rogavit, ut saltem inducias *Monfortio* Comiti ad Pentecosten vel Pascha imperarent. Verùm inducias hujusmodi Catholicæ Fidei negotio exitiosas fore persuasi, nullam precum ipsius rationem habuere. Ille indignatus, dictus Comites, & *Gastonem* Bearnensem Tolosanósque cives & Montis-Albani, maximam partem hæreticos vel fautores Hæreticorum, in fidem suam & patrocinium recepit, nequicquam prohibente Narbonensi Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ Legato: utque speciem aliquam religionis facinori suo superinduceret, Sedem Apostolicam appellavit. Rei gestæ seriem *Innocentio III.* per Legatos & Literas significarunt Vaurensis Concilii Patres, denuntiaruntque, quod *Si terra quæ dictis Tyrannis cum tanta justitia, & multa Christianorum effusione sanguinis erat ablata, ipsis aut hæredibus eorum restitueretur, non solùm fieret novissimus error pejor priore, sed exinde excidium Clero & Ecclesiæ inæstimabile immineret.* Interim Aragonum Rex missis Romam Oratoribus, Summi Pontificis animum occupavit, qui *Simoni* Comiti *Monfortio* jussit, ut Comitibus Fuxensi, & Convenarum, & Gastoni Bearnensi, terras illorum redderet. Archiepiscopo vero Narbonensi, Sedis Apostolicæ Legato, Episcopo Regensi, & Magistro *Theodisio* dedit in mandatis, ut in loco securo & apto, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Comitum, Baronum, Consulum & Rectorum, & aliorum virorum prudentum Concilium convocarent, & expositis coram eis Regis Aragonum propositionibus, postulatis, & promissis, quod super his provisum ac deliberatum foret in communi, & in quo convenirent omnes, vel pars consilii sanioris, ad Sedem Apostolicam referrent, quæ subinde statueret, quæ secundùm Deum statuenda videretur. Ista constant ex Epistolis *Innocentii III.* CCX. & CCXI. libri XV. Alias etiam literas dedit ad Narbonensem Archipræsulem, quibus jussit ut cum Aragonum Rege, & Comitibus, de pace vel induciis tractaret, interimque à sacra expeditione adversùs Albigenses urgenda abstineret, suspensis, quas in gratiam Crucesignatorum, Sedes Apostolica profuderat, Indulgentiis. (Epist. CCXIII. lib. XV.) Aliâ usus arte Rex Aragonum, qua Summi Pontificis gratiam captaret. Anno superiore à Comitibus Tolosano, Convenarum, & Fuxensi, & Gastone Bearnensi, syngraphas receperat, quibus se per omnia Sedi Apostolicæ parituros, interpositâ Jurisjurandi religione pollicebantur; & se ditionésque omnes

 suas

suas Regis potestati tradebant securitatis ergo, ut ab eo, si opus esset, cogi ad obedientiam possent. Juramentorum hujusmodi Instrumenta per Tarraconnensem Episcopum ad *Innocentium III.* mitti jussit Rex Aragonius. Quæ apud *Catellum* lib. II. Historiæ Tolosanorum Comitum legere est.

Synodi Vaurensis Oratores præoccupatum ab Aragonio Rege in Comitum gratiam invenere Pontificis animum: sed cùm rerum gestarum veritatem ejus Sanctitati exposuissent, irrita reddidit, quæ Regi per obreptionem concesserat. Id constat ex Literis ad ipsum datis. *Habito*, inquit, *cum Fratribus tractatu ac consilio diligenti, volentes honori tuo quantùm ad famam, saluti quantùm ad animam, indemnitati quantùm ad terram, paterna sollicitudine præcavere: Serenitati tua in virtute Spiritus Sancti, sub obtentu divinæ ac Apostolicæ gratiæ providimus injungendum, ut prænominatos deseras Tolosanos, non obstante promissione vel obligatione quacumque præstita in elusionem Ecclesiasticæ Disciplinæ, ipsis, quandiu tales extiterint, non impensurus consilium, auxilium, vel favorem*, &c. *Miramur insuper & movemur, quòd pro terra Nobilium vestrorum, Comitis Fuxensis, & Convenarum, & Gastonis de Bearno, restituenda sibi, Apostolicum, per Nuntios tuos suppressa veritate mendacium exprimentes, subripi fecisti Mandatum: cùm propter multa & magna eorum flagitia, ob Hæreticorum favorem, quos manifestè defendunt, excommunicationis sint vinculo innodati, istud tanquam subreptum penitus revocamus*, &c. *Illud autem Excellentiam tuam volumus non latere, quòd si Tolosani & Nobiles supra dicti adhuc quoque in errore suo duxerint persistendum, Nos per Indulgentias innovatas, Crucesignatos & Fideles alios excitamus, ut ad extirpandam pestem hanc, divino freti auxilio, insurgentes tam contra ipsos, quàm contra quoslibet alios receptatores & defensores ipsorum, qui plus ipsis Hæreticis sunt nocivi, procedant in nomine Domini Sabbaoth.*

Quia verò hoc ipso anno Episcopo Regiensi ac *Theodisio* Summus Pontifex commiserat ut *Raymundi* Tolosani Comitis Purgationem reciperent, si ritè purgare se posset, illi de re tanti momenti Patres Vauri congregatos consuluerunt. Concilii Sententia fuit, Non esse Comitem ad Purgationem admittendum; quia verisimile non videbatur, quòd in tantis criminibus, videlicet super hæresi & nece Legati bene juraret, qui toties in minoribus caussis & articulis sua fuerat Juramenta transgressus: quòd Hæreticos palam foveret ac pro viribus tueretur: & vetera crimina novis criminibus cumulasset. Ista constant ex Regiensis Episcopi & Theodisii Literis ad *Innocentium III.* quibus Vaurensis consilium Synodi insertum est. Extant in ejus Registro lib. XVI. Epistola XXXIX. Eamdem in sententiam Vaurensis Concilii Patres ad *Innocentium* Literas dederunt. Suas etiam ejusdem argumenti dedere Provinciæ Episcopi: item Episcopi Aquitaniæ tres, Burdegalensis, Vasatensis, Petragoricensis. Suas item singulares, tum Biterrensis Episcopus, tum Aquensis. Quæ sunt Epistolæ XL. XLII. XLIV. & XLV. libri XVI. Acceptâ Vaurensis Concilii sententiâ, Legati ad *Raymundum* Comitem scripsere, indignum ipsum esse absolutionis beneficio, seque gravissimas, ob quas id ipsi negant rationes, Summo Pontifici significaturos protestati sunt. Est inter Epistolas *Innocentii* XLVI. libri XVI. Vaurensis Historiam Concilii ex *Petro de Valle Cernaii* discimus, Historiæ Albigensium cap. LXVI.

Concilium apud Murellum, vulgo *Muret*, ad Garumnam, prope Tolosam.

VI. Anno MCCXIII. Narbonensis Archiepiscopus Sedis Apostolicæ Legatus, Episcopos Tolosanum, Nemausensem, Uticensem, Lodovensem, Biterrensem, Agatensem, & Convenarum, & Abbates de Claraco, Villa magna & S. Tiberii, congregavit, ut *Petrum* Aragonium Regem Murellum obsidentem cum ingenti exercitu, qui *Monfortium* Comitem & Crucesignatos oppressurus videbatur, ad pacem & concordiam flecterent. Quam cùm impetrare non potuissent, imò impetu facto hostes Castrum occupare niterentur, *Monfortius* cum Crucesignatis in ipsos progressus, prælium commisit, insignem, de qua superiùs diximus, victoriam reportavit: cujus faustum nuntium, & rerum gestarum accuratam Relationem iidem Præsules ad *Innocentium III.* Pontificem Maximum scripsere. Legatur *Petrus de Valle Cernaii*, Historiæ Albigensium Cap. LXXI.

VII. Anno Christi MCCXIV. *Petrus Beneventanus*, Sedis Apostolicæ Legatus, mense Decembri Concilium apud Montempessulanum convocavit. Adfuere Archiepiscopi quinque, Episcopi viginti & octo, Abbatum, aliorùmque Virorum Ecclesiasticorum ingens numerus. De eligendo Tolosæ, & omnium terrarum quas Crucesignatorum occupaverat exercitus, Principe deliberatum est, Consentientibus consiliis & suffragiis electus est *Simon* Comes *Monfortius*, Hæreticorum debellator & Fidei Catholicæ invictus propugnator, cujus virtute & armis partæ erant. Missus ad Romanum Pontificem Ebredunensis Archiepiscopus, Concilii nomine supplicaturus, ut illarum ditionum Principatum ac dominium Comiti confirmaret. Synodi postulatis annuit Pontifex, ditionémque illam omnem quæ Tolosano Comiti justo bello erepta fuerat, cum aliis terris à Crucesignatis occupatis, ipsi commisit, & à Legato, qui eas per obsides vel custodes tenebat tradi jussit, ad tempus usque Concilii Generalis proximè celebrandi, in quo de ipsis, Prælatorum omnium consilio pleniùs decerneretur. *Innocentii III.* literas exhibet *Petrus de Valle Cernaii*, cap. LXXX. ubi istius historiam Concilii prolixè & accuratè describit. In eodem Concilio Ecclesiastica Disciplina, præcipuè circa vitam & honestatem Clericorum, Canonicorum Regularium & Monachorum, in vestimentis, tonsura, beneficiorum collatione, religiosa paupertate; circa conservationem pacis, & pœnas ejus infractoribus infligendas; circa novorum Pedagiorum impositionem; circa Hæreticorum denuntiationem, Capitulis XLVI. sancita est. Avenionensis Concilii anno MCCIX. Decretum innovatum est, justùmque sub anathematis interminatione, ut Archiepiscopi & Episcopi in singulis Parochiis suis tam in civitate quàm extra, unum Sacerdotem, & duos vel tres bonæ opinionis Laicos Juramenti religione constringerent, ut si quos reperirent Hæreticos, credentes, fautores, receptores, vel defensores eorum, ipsos Archiepiscopo, vel Episcopo, & Consulibus civitatum, & Dominis locorum, absque mora denuntiarent, secundùm canonicas & legitimas sanctiones puniendos, & bonorum proscriptione nihilominus mulctandos.

Concilium Monspessulani.

VIII. Anno Christi millesimò ducentesimo decimo-quinto, Concilium Oecumenicum Lateranense IV. celebratum est, *Innocentio III.* Præside; in quo Albigensium Hæresis damnata est. Variis enim ipsorum erroribus Caput I. *De Fide Catholica*, oppositum esse constat. *Unum*, inquit, *universorum Principium, Creator omnium invisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium, sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem: Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam. Diabolus enim & Dæmones alii, à Deo quidem naturâ creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali; homo verò diaboli suggestione peccavit. Hæc Sancta Trinitas, secundum communem essentiam individua, & secundum proprietates personales discreta, per Mosen & Sanctos*

Concilium Oecumenicum Lateranense.

Prophetas

Prophetas, aliósque famulos suos, juxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem. Et tandem unigenitus Dei Filius Jesus Christus, à tota Trinitate communiter Incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, &c.... Omnes cum suis propriis corporibus resurgent, quæ nunc gestant, ut recipiant secundum merita sua, sive bona fuerint sive mala, illi cum Diabolo pœnam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam. Una verò est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse Sacerdos & Sacrificium Jesus Christus: cujus Corpus & Sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, Transsubstantiatis, pane in Corpus, & vino in Sanguinem, Potestate Divinâ, ut ad perficiendum Mysterium unitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc utique Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui fuerit rite ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis & eorum Successoribus Jesus Christus. Sacramentum verò Baptismi, quod ad invocationem Individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti consecratur in aqua, tam parvulis, quàm adultis, in forma Ecclesiæ, à quocumque rite collatum, proficit ad salutem. Et si post susceptionem Baptismi, quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram Pœnitentiam semper potest reparari. Non solum autem virgines & continentes, verum etiam conjugati, per fidem rectam & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.

Eadem Synodus cap. III. Hæreticos omnes diris devovit, & damnatos, Secularibus Potestatibus tradi jussit, animadversione debitâ puniendos; Clericis priùs à suis Ordinibus degradatis: eorúmque bona, si Laïci fuerint, confiscari: si Clerici Ecclesiis applicari, à quibus stipendia perceperunt. Qui verò sola suspicione laboraverint, nisi juxta considerationem suspicionis, qualitatémque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione probaverint, illos anathemate feriri, & usque ad satisfactionem condignam ab omnibus vitari statuit: ita quòd si per annum in excommunicatione perstiterint, ex tunc velut Hæretici condemnentur.

In eodem Concilio decretum est, ut ditio Tolosani Comitis, quæ Crucesignatorum armis parta fuerat, & quam *Innocentius III. Simoni* Comiti *Monfortio* custodiendam commendaverat, in plena *Simonis* ejusdem potestate ac possessione in posterum esset. Terras verò, quas *Raymundus* Comes in Provincia habuerat, Summus Pontifex custodiri decrevit, ut de illis provisio fieret in parte vel in toto, filio dicti Comitis Tolosani, *Raymundo Juniori*; si tamen certis fidelitatis & bonæ conversationis indiciis se misericordia dignum ostenderet. Ita referunt *Petrus de Valle Cernaii*, Historiæ Albigensis cap. LXXXIII. & *Guillelmus de Podio Laurentii*, in Chronico cap. XXVI. *Raymundo Seniori* de proventibus terræ pro sustentatione sua quadringentas marcas annuatim percipiendas, quamdiu humiliter Synodi Decretis pareret, Patres assignarunt. Ejus verò uxori, Regiæ Aragoniæ fœminæ Principi, & Catholicæ, terras dotales servavit. Sententiam Synodi his de rebus datam edidit Domnus *Lucas Dacherius*, Tom. VII. *Spicilegii*.

Concilium Parisiense.

IX. Anno MCCXXIII. *Conradus* Sedis Apostolicæ Legatus Senonas Concilium adversùs Albigensium recrudescentem hæresim convocavit, quod Parisios translatum esse, ibique celebratum, *Rigordus*, & *Guillelmus Brito* testantur. Illius celebrationi dedit occasionem facta his ab Hæreticis Antipapæ creatio, in finibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ, juxta Hungariam; qui *Bartholomæo* cuidam Carcassonensi vices suas in Galliis commiserat, ut constat ex Epistola *Conradi* Sedis Apostolicæ Legati ad Episcopos Provinciæ Rothomagensis, quâ illos dictum ad Concilium convocat. Hanc Historiæ suæ inseruit *Matthæus Paris* ad annum MCCXXIII. Ejusdem Concilii meminit Chronicon Turonense, necnon aliorum Parisius in causa *Raymundi* Tolosani Comitis celebratorum, annis MCCXXIV. & MCCXXVI.

Narbonense.

X. Inter Concilia contra Hæreticos Albigenses celebrata, Narbonense anni MCCXXXV. non immeritò numeratur, in quo *Petrus* Narbonensis, *Joannes* Arelatensis, *Raymundus* Aquensis, Archiepiscopi, cæterique Præsules, FF. Prædicatoribus, qui his in Provinciis, & circumjacentibus, Sacræ Inquisitionis Officium Auctoritate Apostolica contra Hæreticos exercebant, consilia dedere Capitulis undetriginta contenta, de muneris istius rectè obeundi ratione, seu quomodo contra Hæreticos agere deberent. Concilium istud legere utile erit Censoribus Fidei in Italia, Hispania, locisque cæteris in quibus viget Inquisitio, & saluberrima Gallicanorum Præsulum consilia sequi; & inter cætera istud Caputis decimi-septimi: *A pecuniariis Pœnitentiis & exactionibus vobis est abstinendum pariter & parcendum, propter vestri Ordinis honestatem.* Consilium Capitulis constans XXXVII. Inquisitoribus pariter dedit Synodus Biterrensis anno MCCXLVI. celebrata.

Consilium Inquisitoribus Fidei à Synodo Narbonensi datum.

Ad extirpendas Albigensis hæreseos reliquias, habitum est Tolosæ Concilium à *Romano* S. Angeli Diacono Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato, anno MCCXXIX. in quo Decreta XLV. edita sunt, cùm *Raymundus* Junior Comes Tolosanus anno præcedente Ecclesiæ reconciliatus fuisset.

SCHOLION.

In hoc Articulo, Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant, pag. 114. Edit. primæ: *Inquisitores Gallicanorum Præsulum consilia sequi debent, ut abstineant à Pœnitentiis pecuniariis.*

R. Narbonense Concilium anno millesimo ducentesimo trigesimo quinto adversùs Albigenses celebratum eo loci commemoro, quod Inquisitoribus Hæreticæ Pravitatis consilia dedit viginti novem Capitulis comprehensa. Utile fore Censoribus Fidei dixi, Synodum istam legere, & saluberrima Gallicanorum Præsulum consilia sequi, & inter cætera istud capitis XVII *A pecuniariis Pœnitentiis & exactionibus vobis est abstinendum pariter & parcendum; propter vestri Ordinis honestatem* Hæc Synodus Narbonensis. Nonne consilium istud honestissimum & piissimum est? Et tamen non dixi Inquisitores illud sequi debere, ut mihi affingit Indiculus Censorius; sed utile ipsis fore illud sequi.

ARTICULUS II.

De ALMARICO, & ejus Hæresi.

ALmaricus ineunte XIII seculo Hæresim promulgavit. E territorio Carnotensi, villa cui *Bena* nomen, oriundus erat, professione Clericus, in Academia Parisiensi studens. *Qui cùm in arte Logica peritus esset, & scholas de arte illa, & de aliis artibus liberalibus diu rexisset, transtulit se ad Sacram Paginam excolendam. Semper tamen suum per se modum docendi & discendi habuit, & opinionem privatam, & judicium quasi sectum, & ab aliis separatum. Unde & in ipsa Theologia ausus est constanter asseverare, quòd quilibet Christianus teneatur credere se esse membrum Christi, nec aliquem posse salvari, qui hoc non crederet; non minus quam si non crederet Christum esse natum & passum, vel alios Fidei articulos.* Sacra Facultate Parisiensi dogma pestiferum impugnante ac damnante, ad Summum Pontificem,

Almaricus ab Innocentio III. damnatus.

Innocentium III. accessit. Qui *auditâ ejus propositione, & Universitatis Scholarium contradictione*, contra ipsum sententiam tulit. Redit Parisios; ad ejurandum errorem à Sacra Facultate compulsus est; ore Palinodiam cecinit, corde retinuit hæresim. Tædio & indignatione paulò post in morbum lapsus, obiit, & juxta Cœnobium *S. Martini de Campis* sepultus est. Sepulta cum ipso non est hæresis.

Almaricianorum errores.

Discipulos reliquit novis erroribus audaciam Magistri ac impietatem superantes. 1. Potestatem Patris durasse effutiebant, quandiu viguit Lex Mosaïca: Legem novam à Christo conditam ad sua usque tempora vim habuisse: ipsam deinceps cum omnibus suis Sacramentis antiquatam, & Regnum Sancti Spiritus incœpisse, quo Baptismus, Confessio, Eucharistia, & alia Sacramenta, & salutis adminicula necessaria jam non essent, sed solâ gratiâ interiori Spiritus Sancti, absque ullis externis operibus unumquemque salvari posse. Caritatis virtutem sic ampliabant, ut flagitia ipsa, stupra & adulteria, caritatis nomine adornarent: Mulierculis quibuscum peccabant, & rudibus quos decipiebant, impunitatem peccati promittentes: Deum tantummodo bonum, & non justum prædicantes. Ita refert *Rigordus*, coævus Author, ad annum MCCIX.

Eorum errores accuratiùs & pleniùs explicat *Cæsarius Heisterbacensis* lib. v. Dialogi cap. XXII. 1. *Dicebant*, inquit, *non aliter esse Corpus Christi in pane Altaris, quàm in alio pane, & in qualibet re.* 2. *Sic Deum locutum fuisse in Ovidio, sicut in Augustino.* 3. *Negabant resurrectionem corporum, dicentes: Nihil esse Paradisum neque Infernum. Sed qui haberet cogitationem Dei in se, quam ipsi habebant, habere in se Paradisum: qui peccatum mortale, habere infernum, sicut dentem putridum in ore.* 4. Altaria in memoriam Sanctorum erigere, & thus coram sacris Imaginibus adolere, idololatriæ vertebant. 5. Eos qui ossa Martyrum deosculabantur, sugillabant. 6. Enim in quo esset Spiritus Sanctus, peccare non posse, nec fornicationem ab ipso perpetratam peccatum esse docebant. Cui errori affinis est Calvini hæresis de inamissibili justitia.

Sectæ præco maximus erat *Willelmus* Aurifaber, qui se missum à Domino jactitabat, & Prophetæ nomen ambiens, quatuor plagas infra quinquennium eventuras mentiebatur, famem super populum, gladium super Principes, terræ hiatum ad cives absorbendos, ignem super Ecclesiæ Prælatos, quos Antichristi membra impudenter appellabat. Romanum Pontificem vocabat Antichristum, & Romam Babylonem; & ipsum sedere dicebat in Monte Oliveti, id est, in pinguedine potestatis. Ut *Philippi Augusti* Regis favorem captaret, addebat, Ipsi & Filio ejus omnia mundi Regna brevi subjicienda, sub Lege Spiritus Sancti, nec ipsum moriturum: & duodecim panes Regi Francorum dandos, id est, scientiam Scripturarum, & potestatem. *Petrus* Parisiensis Episcopus, adjuvante *F. Garino* Regis Consiliario, *Radulpho de Nemurcio*, Clerico, aliisque viris Religiosis, eruditis, & prudentibus, latentes Hæreticos detexit. Sacerdotes plerique, Clerici, Laïci, mulieres, nomen sectæ dederant. Hos *Petrus* Episcopus Concilio Parisiensi anno MCCIX. sisti jussos, convictosque damnavit, Clericos è Sacris Ordinum gradibus dejectos Curiæ Regis tradidit. Christianissimi Principis Edicto igne damnati sunt, quatuor perpetuo carceri addicti; mulieribus concessa venia, *Almarico* Anathema dictum, ejúsque ossa exhumata, & in sterquilinium dispersa. Ista constant ex Rigordo, Cæsario Heisterbacensi, & Roberto Monacho Autisiodorensi, in Chronico; necnon ex Guillelmo de Nangis, ad annum MCCX. Quibus adde Vincentium Bellovacensem, in Speculo Historiali, lib. XXIX. cap. CVII. S. Antoninum p. III. Chronici, Gaguinum lib. 6. Historiæ Francorum, Lutzemburgum, Prateolum, & Eymericum, in Directorio Inquisitorum p. II.

Almarici Hæresis in Concilio Parisiensi damnata anno 1209.

Libri Aristotelis in eadem Synodo damnati.

In eodem Parisiensi Concilio, Libri Aristotelis, quibus *Almaricus* & ejus Sectatores erant abusi, & qui novorum semina errorum continere videbantur, probibiti sunt, & flammis damnari, ut Rigordus testatur, *In diebus illis* (inquit) *legebantur Parisius Libelli quidam, ab Aristotele, ut dicebantur, compositi, qui docebant Metaphysicam, delati de novo à Constantinopoli, & à Græco in Latinum translati. Qui quoniam non solùm prædictæ hæresi sententiis subtilibus occasionem præbebant, immo & aliis nondum inventis præbere poterant: jussi sunt omnes comburi: & sub pœna excommunicationis cautum est, ne quis de cætero eos scribere, legere præsumeret, vel quocumque modo habere.* Robertus Autisiodorensis Monachus, & Cæsarius Heisterbacensis, Libros Naturales, sive Physicam Aristotelis, ex Academia Parisiensi eliminatos, seu potius eorum lectionem ad triennium suspensam referunt. Quod *Gregorius IX.* confirmat in Bulla ad Magistros & Scholares Parisienses data anno Christi MCCXXXIII. quæ extat in Magno Pastorali Ecclesiæ Parisiensis. *Libris illis Naturalibus* (inquit) *qui in Concilio Provinciali ex certa scientia prohibiti fuere Parisius, non utantur, quousque examinati fuerint, & ab omni errorum suspicione purgati.* Ut variant Authores, & alii Metaphysicam, alii Physicam Aristotelis damnatam in Synodo illa Parisiensi fuisse scribunt, verisimillimum est utramque damnatam fuisse. Maximè cum R. Legatus Apostolicus, qui anno MCCXV. id est, annis sex post istam Synodum, Parisiensem Academiam reformavit, Metaphysicæ & Physicæ lectione simul interdixerit. *Non legantur* (inquit) *libri Aristotelis de Metaphysica, & Naturali Philosophia.*

Libri Davidis de Dinando in eadem Synodo damnati & igni traditi.

In eadem Synodo Libri *Davidis de Dinando*, illius qui stultissimè asseruit Deum esse materiam primam (ut ait *S. Thomas*) & *Libri Gallici de Theologia*, in perpetuum prohibiti sunt, damnati, & exusti, teste *Cæsario Heisterbacensi.*

Præter memoratos errores, alia quædam deliria *Almarico*, vel ejus potius discipulis tribuit *Prateolus*, in Elencho Hæresum: scilicet, quòd non solùm cum Armenis Adam & Evam nunquam carnali copula jungendos manente innocentiæ statu assererent; verùm etiam sexuum differentiam nullam fore; sed hominum æquè ac Angelorum multiplicationem uno authore Deo futuram. Deum in se ipso non videri, sed in creaturis, sicut lumen in aëre. Ideas divinas & creare, & creari posse. Mentem contemplativi vel beati perdere suum esse, & in illud esse ideale redire, quod æternum habuit in mente divina. Omnes creaturas tandem in Deum redire, & in ipsum converti, ut sint unum individuum cum ipso. Unde sexum duplicem in Resurrectione fore negabat. Sed unde habuerit *Prateolus* hos errores *Almaricum* vel ejus Sectatores docuisse, nescio, cùm *Rigordus* & *Cæsarius Heisterbacensis* illorum non meminerint. *Franciscus Pegna* Commentario in 1. P. Directorii Inquisitorum, falsò scribit *Almaricum* Lutetiæ combustum fuisse anno 1208. quem ex morbo obiisse, & ad *Sancti Martini de Campis* Ecclesiastico ritu sepultum, constat ex *Rigordo* coævo Authore, nec ossa ejus extumulata & in sterquilinium dispersa, nisi anno MCCIX. ea Synodi Parisiensis Decreto. Damnata demum est *Almarici* Hæresis in Concilio Lateranensi IV. sub. *Innocentio III.* cap. II. His verbis: *Reprobamus etiam & damnamus perversissimum dogma impii Almarici, cujus mentem sic Pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica censenda sit, quàm insana.*

Franciscus Pegna emendatur.

Almarici Hæresis in Concilio Lateranensi Quarto damnata.

ARTICULUS III.

De JOACHIMI ABBATIS Errore.

JOachim, Florensis Monasterii in Calabria, unde oriundus erat, Abbas, Ordinis Cisterciensis, vir pius, & vaticiniis etiam suis Prophetæ famam quodam modo assecutus, Lucii III. Urbani III. Gregorii VIII. Clementis III. & Celestini III. Romanorum Pontificum temporibus floruit, ab anno MCLXXXI. ad annum MCC. quo obiisse traditur. Commentaria in varios Scripturæ Sacræ libros, præsertim in Apocalypsim, jussu Lucii III. & Urbani III. incœpta, Clemente III. adhortante perfecit. *Clementis III.* Epistolam ad ipsum datam legere est initio libri ipsius *De Concordia Veteris & Novi testamenti*, editi Venetiis anno 1519. sed *Petri Lombardi* Parisiensis Episcopi, Sententiarum Magistri doctrinam impugnando, lapsus in errorem est. Scripserat *Petrus* lib. I. Sententiarum Dist. V. *Catholicis Tractatoribus consentientes, dicimus, quòd nec Pater divinam essentiam genuit, nec divina essentia genuit Filium; nec divina essentia genuit essentiam. Hic autem nomine essentiæ intelligimus divinam naturam, quæ communis est tribus personis, & tota in singulis.* Idque luculenter probaverat. Ex quibus propositionibus pravo sensu intellectis, *Joachim* Abbas, ut erat in subtilibus fidei dogmatibus rudis, occasionem arripuit *Petri* doctrinam velut hæreticam impugnandi, imponens ipsi, quòd in divinis quaternitatem induceret, tres Personas, & communem insuper asserens essentiam. Namque sic à Magistro essentiam dici existimabat, quasi aliquid à tribus Personis distinctum, quæ veluti quarta res dici possit. Censebat scilicet, hoc ipso quo dicitur: Essentia Divina nec est generans, nec genita, nec procedens, distingui à Patre generante, à Filio genito, & à Spiritu Sancto procedente. Hic itaque palmaris erat *Joachimi* Abbatis error: In Divinis non est aliqua res una quæ sit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: sive illa res una dicatur substantia, sive essentia, sive natura. (His enim tribus nominibus idem intelligimus.) Verùm ne à fide Nicæni Concilii deviare videretur, concedebat Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unam esse essentiam & naturam, quòd una essentia de tribus personis prædicari possit, cùm dicimus: Tres personæ una sunt essentia: non autem reciprocè, ut dicatur: Una essentia est tres personæ. Sed nec sano sensu propositionem illam exponebat: Tres personæ sunt una essentia. Negabat namque unitatem essentiæ trium personarum esse veram, realem, & simplicem. Similitudinariam duntaxat & collectivam asserebat, quasi ex pluribus congregatam; sicut multi homines unus populus, & multi Fideles una Ecclesia dicuntur, secundùm illud Actorum IV. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Et I. ad Corinthios VI. *Qui plantat, & qui rigat, unum sunt.* Et ad Romanos XII. *Multi unum corpus sumus in Christo.* Et illud Regis Josaphat III. Regum XXII. *Populus meus, & populus tuus, unum sunt.* Quibus contextibus unitas duntaxat collectiva, moralis, affectiva, unitas concordiæ, non simplex, & essentiæ significatur. Quòd verò isto tantùm sensu una trium Personarum Divinarum diceretur essentia, nonnullis Scripturæ Sacræ testimoniis probare nitebatur *Joachimus* Abbas, scilicet ex *S. Joannis* Evangelio cap. XVII. ubi Christus Dominus pro Fidelibus suis Patrem exorans, ait: *Rogo, Pater ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te: ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum.* Ex quo loco ita propemodum colligebat: Fideles Christi non ea ratione sunt unum, ut sint aliqua una res, quæ sit communis omnibus, sed unum sunt collectione, id est, una Ecclesia, propter unitatem Catholicæ Fidei: & tandem erunt in patria Regnum unum, propter unionem perpetuæ & indissolubilis caritatis. Tres itaque Personæ Divinæ non sunt una essentia, quasi sit una res communis omnibus: siquidem Fideles sunt unum, quemadmodum illæ unum sunt. Usurpabat etiam illud Epistolæ I. *Sancti Joannis* cap. ultimo: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Et hi tres unum sunt.* Quo ex loco ita colligebat: Eo modo unum sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, quomodo unum sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis; sed illa unum sunt duntaxat collectione: itaque Personæ Divinæ solam sibi vendicant collectionis unitatem. Hæc porro argumentandi ratio usurpata fuerat ab Arianis; ut constat ex Operibus SS. *Athanasii* & *Hilarii*. Unde palam est *Joachimum* in errorem Arianorum, subtilioris Theologiæ ignorantiâ, quodammodo impegisse. Ita ejus errorem exponit *S. Thoma* Opusculo XXIV. quod Commentarium est in cap. *Firmiter, De summa Trinitate & Fide Catholica.*

Hujus autem erroris initia, progressum, damnationem, ita refert *Matthæus Parisius* ad annum MCLXXIX. *Scripsit etiam ejusdem* (Alexandri III.) *diebus contra eumdem Petrum Lombardum Abbas Joachim Floriacensis Cœnobii, Libellum, vocans eum Hæreticum & insanum, eò quòd in libro Sententiarum, quem composuerat idem Petrus, de unitate sive essentia Trinitatis dixit: Quoniam quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: & illa non est generans, neque genita, neque procedens. Contra hanc assertionem opposuit Abbas præfatus, quòd non tam Trinitatem adstruebat in Deo, quàm quaternitatem, tres videlicet Personas, & illam communem essentiam.... Stetit autem hæc indeterminata altercatio à diebus Alexandri Papæ, usque in tempora Innocentii, per multos annos, sedentibus inter eos in Cathedra Romana Lucio, Gregorio, Clemente, & Celestino. Quibus succedens Innocentius III. anno* MCCXV. *Romæ Generale Concilium celebrans, Libellum Abbatis Joachim, quem contra Petrum, & Articulum ediderat prædictum, his verbis damnavit, &c.*

Alii errores, non tam à *Joachimo* Abbate asserti quàm ex ejus scriptis malè intellectis à fanaticis quibusdam hominibus fabricati, præsertim ab Authore libri qui inscriptus erat: *Evangelium Æternum*, de quo sequenti Articulo dicemus.

Prophetam non fuisse *Joachimum* Abbatem, quamvis nonnulla prædixerit, quæ secundùm ejus vaticinia evenere, docet *S. Thomas* in IV. Sententiarum Dist. XLIII. Q. I. Art. III. Quæstiuncula III. *Abbas Joachim*, inquit, *non Prophetico spiritu, sed conjecturâ mentis humanæ, quæ aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur, de futuris aliqua verè prædixit, & in aliquibus deceptus fuit.* Rogerius de Hoveden in Annalibus Anglicanis ad annum MCXC. quo describit colloquium *Joachimi* Abbatis cum *Richardo* Magnæ Britanniæ Rege in Sicilia habitum, ipsum ut Pseudoprophetam insectatur. At ejus Vaticinia vindicavit *Gregorius de Laude*, aliàs *De Lauro*, Sagittariensis Abbas Ordinis Cisterciensis, Libro cui titulus est: *B. Joannis Joachim Abbatis Apologetica*

Palmaris Joachimi Abbatis error.

Error Joachimi Abbatis in Concilio Lateranensi Quarto damnatus.

Joachimus Abbas Propheta non fuit.

Apologetica, sive Mirabilium veritas defensa, edito Neapoli anno MDLX.

ARTICULUS IV.

De Erroribus Anonymi Authoris qui Librum edidit EVANGELII ÆTERNI.

JOachimo Abbati Anonymum ejus defensorem, novorúmque authorem errorum subjungo, qui anno circiter MCCL. Librum edidit, inscriptum, *Evangelium Æternum*, sequentibus scatentem erroribus. I. Quòd Doctrina *Joachim* Abbatis excellit doctrinæ Christi, & consequenter Veteri Novóque Testamento. II. Quòd Evangelium Christi, non est Evangelium Regni, & ideo non est ædificatorium. III. Quòd Novum Testamentum est evacuandum, sicut Vetus evacuatum est. IV. Quòd Novum Testamentum vim non habebit ultra annum Christi MCCLX. Et qui postea vivent homines, erunt in statu perfectorum. V. Quòd Evangelio Christi Evangelium alterum succedet, nimirum Lex Spiritus. VI. Spiritualem intelligentiam Novi Testamenti non esse commissam Pontifici Romano asserebat, sed tantum literalem. VII. Solos Nudipedes idoneos esse ad reliquos homines edocendos res spirituales & æternas. VIII. Deum Judæos etiam in Judaïsmo pertinaces beneficiis cumulaturum, & ab hostium impugnatione liberaturum. IX. Ecclesiæ Græcæ à Romana secessionem excusabat, laudabat: Græcósque secundùm spiritum magis ambulare asserebat, quàm Latinos. Et quòd sicut Filius operatur salutem Populi Romani, sive Latini, qui Filium repræsentat; sic Pater operatur salutem Populi Græci, qui Spiritum repræsentat. X. Monachos non teneri ad mortis discrimen subeundum, & profundendum sanguinem pro defensione fidei, aut conservatione cultûs Christi. XI. Spiritum Sanctum recipere aliquid ab Ecclesia, sicut Christus in quantum homo accepit à Spiritu Sancto. XII. Christum & Apostolos vitæ contemplativæ perfectionem non fuisse consecutos. XIII. Vitam activam ad tempus usque *Joachim* Abbatis utilem fuisse, sed tunc inutilem evasisse. Vitam verò contemplativam ab ipso *Joachim* fructuosam fuisse, & amodo in perfectis ejus successoribus perfectiùs mansuram, fructúsque laturam uberiores. XIV. Quemdam Monachorum Ordinem futurum, qui dignitate & gloria reliquis antecellet, in quo implebitur Prophetia Psalmistæ dicentis: *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hereditas mea præclara est mihi*. Et qui tunc maximè florebit & convalescet, cùm Clericorum Ordo peribit. XV. Sicut in primo statu mundi commissum fuit à Patre totius Ecclesiæ regimen aliquibus ex ordine conjugatorum, sic in tertio mundi statu committendum à Spiritu Sancto aliquibus ex Ordine Monachorum. XVI. Monachorum Præfectos de recessu à secularibus, & reversione ad antiquum populum Judæorum cogitare debere XVII. Prædicatores ultimi status mundi, majoris dignitatis & auctoritatis futuros, quàm Prædicatores Ecclesiæ primitivæ. XVIII. Prædicatores & Doctores Religiosos, quando infestabuntur à Clericis, ad Infideles transituros; timendùmque ne ad hoc transeant, ut cogant eos in prælium contra Romanam Ecclesiam, juxta doctrinam *Joannis*, Apocalypsis XV. Hos errores *ex Libris Joachim* Abbatis *& verbis ejus traxisse* illorum Authorem, & *multos habuisse sectatores sub specie quadam sanctitatis*, & Librum illum pestiferum, cui titulus erat *Evangelium Æternum*, ab *Alexandro IV*. fuisse damnatum, *Ptolomæus Lucensis* lib. XXII. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XXII. testatur. De his erroribus agit *Eymericus II*. Parte *Directorii Inquisitorum*, Quæst. IX. Librum illum *Evangelii Æterni*, Sacro Prædicatorum Ordini *Matthæus Paris* perperam attribuit. *Quæ calumnia* (inquit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCLVI. N. XX.) *vel ex eo detergitur, quòd nulli certo Authori adscribat, sed tanquam nefandum partum ab omnibus editum infamet. Quid enim magis à verisimilitudine abhorrens, quàm eos Libri hæresi infanda contaminatissimi authores fingere, quos ea manet gloria, excindendis hæresibus, ac tum maximè cùm is Ordo primævo Sanctitatis flore ac splendore emicaret, strenuam operam collocasse?*

Ordo Sacer Prædicatorũ à calumnia vindicatur.

Hujus libri Authorem *Joannem de Parma*, Italum, Ordinis Minorum VII. Generalem Ministrum, *Eymericus* Inquisitor vulgò existimatum ait. Authorem non nominat *Ptolomæus Lucensis*, nec tot & tam crassos illius errores commemorat, sed hunc unum: *Quòd Lex Evangelii neminem ad perfectum ducebat, sed Lex Spiritus: unde sic se habebat Lex Evangelii ad Legem Spiritus, sicut Lex vetus ad Legem gratiæ; & quòd Lex Evangelica Christi in mille ducentis sexaginta annis evacuari debebat, & Lex Spiritus subintrare*. S. Antoninus *Joannem de Parma* in errores impegisse, ex Lectione Librorum Abbatis *Joachim* testatur III. P. Chronicorum Tit. XXIV. cap. VII. Sed palinodiam cantasse coram *S. Bonaventura* ejus in suprema Ordinis Præfectura Successore, & Cardinali Protectore. *Sub eodem Generali*, inquit, *F. Joannes Parmensis Prædecessor suus, per doctrinam Abbatis Joachim in designatione finalium temporum deceptus, coram Domino Caietano Protectore Ordinis, & præfato Generali, quæ adstruxerat, dedixit*. Hunc *Virum scientia & religiositate præclarum, maximum paupertatis & humilitatis amicum*, S. Antoninus prædicat: missúmque ab *Innocentio IV*. ad Imperatorem & Patriarcham Græcos, ob unionem faciendam cum Romana Ecclesia, & defectionem erroris & detestationem; *ubi multùm vitâ & scientiâ tam Imperatorem & suos, quàm Clerum & populum universum ædificavit*. Huncne verò secessionem Græcorum ab Ecclesia Romana excusasse, laudasse, asseruisse Græcos magis secundùm spiritum ambulare quàm Latinos, cum *Eymerico* censebimus? Verius est *Joannem Parmensem*, ob zelum restaurandæ disciplinæ, laxiorem vivendi rationem sectantium odia incurrisse, qui conspiratione facta ipsum multis de rebus accusarunt. Præcipuum accusationis caput fuit, ipsum non rectè sensisse circa Christianam doctrinam, nimiùm tribuentem *Joachimo* Abbati, quem defendebat etiam in iis quæ scripsit contra *Petrum Lombardum*. Confirmabant malum hunc in dogmatibus sensum ex scriptis sociorum ejusdem; quorum primus *Leonardus*, in uno vel altero Sermone à se conscripto, ultra modum & insulsè laudabat & ipsum *Joachimum* & universam ejus doctrinam: secundus verò *Gerardus*, in altero Sermone induxit omnia Joachimi verba quæ ad S. *Francisci*, ejúsve Instituti commendationem facere; universa etiam quæ mutationem, corruptionem, restaurationem ejusdem Sodalitii indicare videbantur, sugillans in multis præcipuos Ordinis Rectores. Quæstio habita coram *S. Bonaventura* Ministro Generali. Ventum est ad accusationum omnium præcipuum caput, & interrogatum quid sentirent de *Joachimo* Abbate ejúsve doctrinâ. Hîc tenaciores perstiterunt, *Joachimum* laudantes, neque quidquam circa unitatem essentiæ aut Trinitatem Personarum, contra SS. Patrum aut Conciliorum Decreta scripsisse; atque idipsum quod Lateranense, anteriora Concilia constituisse, neque novâ indiguisse determinatione defendebant. Propter

Author Evangelii Æterni non est Joannes de Parma, Ordinis FF. Minorum Generalis Minister.

» pter pertinaciam perpetuo carceri sunt addicti. Instituta etiam in *Joannem* quæstio est. Examine facto, non est inventa in eo iniquitas, nisi quod nimiùm propenderit in doctrinam & tutelam *Joachimi*, atque hæc ipsa humiliter coram Cardinale & Patribus retractavit, ut referunt *Bessarus* S. Bonaventuræ Socius, *Jacobus de Tundo*, & jam laudatus *S. Antoninus*. Addit *Hugolinus Picenus* in Floreto, ipsum impactâ ab aliquo Judicum hæreseos notâ, Symbolum Apostolicum altâ voce recitasse. Qui perpetuum tamen carcerem non evasisset, nisi Cardinalis *Ottonis Boni* commendatitiæ, & sinceræ ipsius fidei testes literæ intervenissent. Ut ejus doctrinam Opera, ita sanctitatem miracula testantur, ut Ordinis *Franciscani* Scriptores tradunt, & *Beati* appellatione ornatur, Apostolica Sede non prohibente. Camerini quiescit, ubi diem obiit extremum XIII. Kilendas Aprilis anno Christi MCCLXXXIX. Ejus Vitam ex Annalibus *Lucæ Uvadingi* descriptam ediderunt PP. *Henschenius & Papebrochius*, inter Acta Sanctorum mensis Martii, ad diem XIX. Hæc autem observare necesse fuit, ut ipsi tot & tam absurdos errores contra Fidem Catholicam ab *Eymerico* nostro non satis attenta consideratione afflictos demonstrarem. Idque eò lubentiùs præstiti, quòd *Joannes Parmensis* in Sacra Facultate Parisiensi Doctor fuerit, & Scholis Theologicis in Parisiensi suorum Conventu præesset, cum ad supremam Ordinis Præfecturam assumptus est.

Non prætermittam quòd Magister *Guillelmus de Sancto Amore*, in libro damnato *De Periculis Novissimorum Temporum*, cap. VIII. de *Evangelio Æterno* scripsit: *Illa doctrina*, inquit, *quæ prædicabitur tempore Antichristi, videlicet EVANGELIUM ÆTERNUM, Parisius, ubi viget Sacra Scriptura studium, jam publicè posita fuit ad explicandum anno Domini* MCCLIV. *Unde certum est quòd jam prædicaretur, nisi esset aliud quod eam detineret. Quid autem eam detineat, scitis, nimirum Imperium Petri, & eorum qui tenent Loca Apostolorum, scilicet Episcoporum.* Et infra: *Sicut in Babylone reproba, postquam visa est manus scribens,* MANE, TEKEL, PHARES, *cito secuta est subversio ejus.* (Danielis 5.) *Sic in Babylone dilecta Domini* (Isaïæ 21.) *id est Ecclesia, cum jam visa sit dicta scriptura, constat quòd prope sunt pericula ejus. Sed ista tria verba jam visa sunt scripta in Ecclesia: scripta enim sunt in illo maledicto libro, quem appellant EVANGELIUM ÆTERNUM, quod in Ecclesia jam propalatum est, propter quod timendum est de subversione Ecclesiæ. Primum verbum est,* MANE, *id est,* Numeravit Deus regnum tuum & conclusit, *ut exponitur* Daniel 5. *Ibi enim numeratur Regnum Ecclesiæ, scilicet Evangelium Christi, & concluditur in* MCCLX. *annis ab Incarnatione. Item, ibi invenitur* TEKEL, *quod est,* Appensum est in statera, & inventum est minùs habens, *ut exponitur Daniel. 5. Ibi enim comparatur Evangelium Christi ad Evangelium Æternum & invenitur minùs perfectionis habens & dignitatis; quantò minùs lucet Luna quàm Sol; quantò minùs valet testa quàm nucleus: & multæ tales sunt ibi scriptæ comparationes, quibus probatur minùs valere Evangelium Christi, quàm Evangelium Æternum. Item in illa scriptura, scilicet in Evangelio Æterno, invenitur* PHARES, *quod interpretatur:* Divisum est Regnum à te; *ut exponitur Daniel. 5. Nam ibi invenitur quòd Regnum Ecclesiæ dividetur post prædictum tempus, ab illis qui tenent Evangelium Christi, & dabitur tenentibus Evangelium Æternum.*

Errores libri inscripti, Evangelium Æternum, à Concilio Arelatensi, & à Sede Apostolica damnati.

Nec etiam prætermittendum, phantasticos *Evangelii Æterni*, sub *Joachimi* Abbatis umbrâ Defensores, in Concilio Arelatensi, anno MCCLX fuisse damnatos; prohibitúmque, ne Commentaria super his phantasiis facta, quæ jam plurimi literati in Provincia descripserant, & cum aliis communicantes; paulatim ad externas transfuderant nationes, ab aliquo legerentur, sub anathematis interminatione. Has verò phantasias ita Synodus explicat. Quædam contexunt ternaria, dicentes, tres status vel ordines hominis sibi invicem successione quidam temporum clarificandos. Primus est ordo conjugatorum, qui tempore Patris claruit in Veteri Testamento. Secundus est status Clericorum, qui tempore gratiæ claruit per Filium, in hoc statu mundi medio. Tertius status est Ordo Monachorum, clarificandus tempore majoris gratiæ in Spiritu Sancto. Adduxit etiam illud doctrinæ sacræ ternarium, videlicet Veteris & Novi Testamenti, ac deinceps Evangelii Æterni sive Evangelii Spiritus Sancti, duabus rotis in visione Prophetica tertiam phantasticè subnectentes, & comparatione secutiri, quod spirituale nuntiabamus, Evangelium spirituale Filii, literale ore blasphemo & sacrilego dicere non formidant. Dividunt etiam & distinguunt totum hoc spatium labentis seculi in tria tempora, quorum partem primam Patri attribuunt, scilicet Spiritus & Legis Mosaicæ, secundam attribuunt Filio: quam appellant Spiritus gratiæ; & duravit annis MCCLX. tertiam Spiritui Sancto, quam dicunt tempus amplioris gratiæ, & veritatis revelatæ; ad quod referunt verba Christi: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Adnectunt etiam ad prædicta quoddam vivendi ternarium, trium prædictorum temporum distinctione variatum. Per primum namque tempus posuerunt in quo vivebant homines secundùm carnem: Secundum, inter carnem & spiritum; tertium secundùm Spiritum, ab anno MCCLX. usque ad finem mundi. In postremo statu evacuandas & adjiciendas asserebant omnes figuras & signa, & vividam ac revelatam manere veritatem. Damnatam porro fuisse à Sede Apostolica, se præsente, *venenatam doctrinam, Evangelii Spiritus Sancti pervulgatam nomine*, Florentinus Arelatensis Archiepiscopus, Concilii Præses asserit.

ARTICULUS V.

De STADINGHIS, CIRCUMCELLIONIBUS, & FLAGELLANTIBUS.

Stadinghorum hæresis.

I. ANno circiter MCCXXX. *Stadinghorum* diabolica hæresis in Germania erupit. Dæmone Magistro utebantur, qui sub diversis formis, in secretis eorum scholis conspicuum se præbebat, eósque suo cultui ac servituti adstrictos, ad turpissima & ipso auditu horrendi flagitia informabat. [illegible] morem gerentes, extinctis lucernis, promiscuam libidinem accendebant. Corpus Domini singulis annis in Paschate de manu Sacerdotis recipiebant, illudque in ore servantes, ex cloaca illa animata in latrinam exspuebant. Cœlorum Dominum violenter, injustè, fraudulenter, Luciferum ad Inferos detrusisse blasphemabant. In hunc credebant miseri, ipsúmque cœlestium conditorem, & ad suam gloriam præcipitato Domino rediturum asserebant, nec ante ipsum æternam beatitudinem æternam sperabant habituros. Omnia Deo placita non agenda, immo potius agenda quæ odit, asserebant tartarei homines. In Clericos & Religiosos Viros grassabantur: Qui si fortè in manus eorum inciderent, ipsos omni tormentorum genere cruciabant,

Nuntiôs reverenter miserant, plenariè informatus, cùm esset contra Jura damnabiliter adinventa, eos Flagellatores sub auctoritate prohibuit, & prohiberi fecit ne de cætero tales publicas pœnitentias a se ipsis præsumptuosè assumptas amplius exercerent. Et meritò inhibuit, quia jam inveniebant tales Flagellatores, fulti aliquibus Sacerdotibus fatuis, & Religiosis, sectas erroneas & malas, atque opiniones deceptorias ultra modum. Nam dicebant quòd eorum sanguis sic per flagella tractus & effusus, cum Christi Sanguine miscebatur, &c.

Joannis Gersonii Tractatus contra Sectam Flagellantium.

Contra Sectam Flagellantium scripsit *Joannes Gersonius* brevem Tractatum, Tom. I. Pag. 636. & publicas illas flagellationes multis rationibus impugnavit. 1. Quòd Lex Christi dicitur lex amoris, quam Dominus voluit paucissimis Sacramentis esse contentam: ideòque eos culpavit, qui servilibus eam premunt oneribus. 2. Quòd Lex Christi non minùs debet in cultu suo vitare superstitiones Gentilium & Idololatrarum, præsertim crudeles & horrendas, quàm antiqua Lex, in quâ tamen prohibitio fit per expressum, Deuteronomii 14. *Filii estote Domini Dei vestri, non vos incidetis.* In Hebræo habetur: *Non vos lacerabitis*: Hoc autem faciebant Idololatræ, sicut habetur Regum 18. quòd *Incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Compertum siquidem est & traditum homicidas illos & apostatas Dæmones, esse cupidos effusionis sanguinis, præsertim humani. 3. Lex Christi sortitur maximam virtutem ex misericordia & gratia sua, cujus gratiæ vasa sunt Sacramenta Novæ Legis ex virtute operis operati, & ideo quicquid avertit à Sacramentis suscipiendis, præsertim à Sacramento Confessionis, debet rejici fideliter. Constat autem per experientiam, quòd taliter se flagellantes non curant de Sacramento Confessionis vel Pœnitentiæ Sacramentalis, dicentes, quòd hæc flagellatio potior est ad delendum peccata, quàm quæcumque Confessio: immo eam æquiparant nonnulli vel præponunt Martyrio: Quoniam facimus, inquiunt, ultro fundendo sanguinem proprium, quod ab aliis Martyres pati cogebantur. 4. Lex Christi prohibet sollicitè Pœnitentias publicas dandas esse Clericis, Sacerdotibus, & Prælatis, propter reverentiam Status Clericalis: quantò minùs debent tales personæ suscipere Pœnitentias hujusmodi publicas, sicut sunt (ut fertur) multi de numero Flagellantium. Similiter diceretur de personis insignibus in utroque sexu, de servandâ verecundiâ juvenum ibi se denudantium, & de non infringendâ gravitate virorum, vel auctoritate minuendâ parentum. 5. Lex Christi, si videatur flagella indulgere, juxta illud, *Ecce ego in flagella paratus sum*: Nihilominus circunstantiæ debent apponi, quibus rationabile fiat obsequium nostrum, unà quòd hujusmodi flagellatio fiat judicio Superioris imponentis talem pœnitentiam, & quòd ab altero fiat, & moderatè, & sine scandalo & ostentatione, ac sine sanguine, juxta traditionem *Guillelmi Parisiensis*; quemadmodum fit hujusmodi flagellatio in Religionibus approbatis, & ab aliquibus devotis personis. Sed aliter longè videmus in illis, quæ reprobamus flagellis observari. 6. Lex Christi frequenter prohibuit multas observationes Beghardorum & Beguinarum, quæ in prima sui introductione prætendebant speciem magnæ Religionis ac multi fructus spiritualis in animabus, & exempla salutis atque austeritatis. Prohibuit (inquam) propter sequelas malas & multas, quæ sub hoc prætextu fieri sunt inventæ. Non enim est malum quod subsistere posset, si non aliquam speciem haberet in se boni. Propterea fallit hæc argumentatio: Proveniunt ex hac Secta Flagellatorum multa bona: non igitur tollenda vel reprobanda. 7. Lex Christi nedum ordinat hominem ad Deum, sed etiam ad proximum, & ad Principem seu Prælatum suum. Propterea non debet qualiscumque ritus introduci per populos, qui possit causare seditionem, vel partialitatem, vel superstitionem, sed debent omnia regulatè fieri & ordinatè, de mandato & ordinatione Superioris; ut nullatenus Ordo Hierarchicus confundatur; quod fieret, si quilibet ad arbitrium suum posset instituere vel fovere novum ritum, sine duce, sine lege stabili, sine ordine, ubi sunt Juvenes & virgines, senes cum junioribus, simul in unum dives & pauper, & illorum turba magna, de quibus ait Ecclesiastes: Stultorum infinitus est numerus. 8. Qui publicas hujusmodi flagellationes suscipiunt, divina præcepta liberiùs inde in multis contemnunt. *Est enim contumax humana natura, quæ postquam destituta est ab originalis justitia statu, cupidiùs fertur in illa quæ sunt adinventionis suæ, quam quæ sunt divinæ jussionis. Et hic est unus superbiæ gradus, quem apud Religiosos loquitur Bernardus inveniri, dum plus gaudent in abstinentia vel oratione particulari spontanee sumpta, quam in totâ Regulari Disciplinâ.* 9. Lex Christi sufficienter ab Apostolis & Sacris Doctoribus explicata, non invenitur tales novitates flagellantium se constituisse, prædicando, vel aliter, sed potiùs reprobasse tanquam suspectissimas, & periculosissimas, & quæ vergere possunt in scandalum Christianorum apud Judæos, Saracenos, & Paganos, tanquam Lex Christi sit austera, crudelis, & in sanguinibus, non in miserationibus enutrita. 10. Lex Christi docet ex præmissis & similibus multis, Prælatos Ecclesiæ, Pastores, & Doctores, immo & Principes, quòd Sectam hujusmodi cruentam & sanguinolentam studeant & laborent destruere seu compescere, tam bonis prædicationibus & suasionibus, quàm Censuris, nedum Ecclesiasticis, sed etiam temporalibus, more Prædecessorum: attento quòd sub hoc velamine & prætextu pœnitentiæ fiunt innumera mala, sicut experti testantur. Insurgunt Hæreses, vilipenduntur proprii Sacerdotes, contemnuntur Confessiones & Pœnitentiæ Sacramentales, extorquentur dolosis modis pecuniæ; otia quæ pigros occidunt, nutriuntur. Silemus de furtis, de stupris, & adulteriis, de periculis quæ sunt in falsis fratribus, & fraudulentis sollicitationibus ad omne facinus atque flagitium: Ita ut bonis & malis hinc inde staterâ justâ vel æquâ lance pensatis, mala multò plura quàm bona parturire cognoscatur hæc Secta Flagellantium, pridem & pluries jam damnata. Propterea dum repullulat vel exerescit, toto studio funditus evellenda, proterendáque censetur. Hæc Venerabilis Academiæ Parisiensis Cancellarius & Doctor Christianissimus.

SCHOLION I.

Ad hunc Articulum, pag. 139 Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Notam appinxerunt: *Videtur improbare flagellationem usque ad sanguinem.*

R. Nullum in hac, in præcedente vel subsequente pagina verbum meum est: totæ sunt ex Venerabilis *Gersonii* verbis in Tractatu *Contra Sectam Flagellantium* contextæ. Flagellationem usque ad sanguinem non improbo, uti nec Gersonius improbavit, quatenus fit animo pœnitente, seclusâque ostentatione, sine scandalo, judicio Superioris sive pii ac prudentis conscientiæ Moderatoris, aut afflatu Spiritus Sancti, prout eam Sancti piè in corpus suum sævientes exercuerunt, & inter alios Sanctus Pater Dominicus: sed eam duntaxat improbo, quæ præ-

vis circumstantiis & erroribus commixta & contaminata erat in Secta Flagellantium, quam reprobavit Ecclesia, Clemens Sextus Pontifex Maximus damnavit. De flagellatione seu disciplina (ut loquimur) in cœnobiis, in quibus usus illius intermissus est, instauranda, etsi præceptum Domini non habeo, consilium do cum *B. Petro Damiani* Opusculo XLIII. ad Casinenses Monachos cap. VI. exclamans: *O quam jucundum, ô quam insigne spectaculum! Cum supernus Judex de cœlo prospectat, & homo semetipsum in inferioribus pro suis delictis mactat! Ubi reus ipse in pectoris sui tribunalibus præsidens trifarium tenet officium. in corde se constituit judicem, reum in corpore, manibus se gaudet exhibere tortorem, ac si Deo sanctus pœnitens dicat: Non opus est, Domine, ut officio tuo me punire præcipias: non expedit ut ipse me justo examine ultione percellas; ipse mihi manus injicio, ipse de me vindictam capio, meamque meis peccatis reddo.... Et infra. Hæc est hostia, quæ viva mactatur, ad Deum per Angelos oblata defertur: & sic humani corporis victima illi unico sacrificio quod in ara crucis oblatum est invisibiliter permiscetur: & sic in uno thesauro sacrificium omne reconditur, videlicet & quod unumquodque membrum, & quod Caput omnium obtulit electorum.*

SCHOLION II.

In fine ejusdem Articuli, Religiosi Censores hæc verba carpunt. *Venerabilis Gersonius Academiæ Parisiensis Cancellarius, & Doctor Christianissimus.*

R. Hosne titulos honoris *Gersonio* Censores invident? *Christianissimi Doctoris* nomine non à me primùm insignitus est, sed à multis sæculis ita celebratur. Sic ipsum appellat Nobilissimum Capitulum Primatialis Ecclesiæ Lugdunensis in Epistola ad Basileensem Episcopum anno MDIV. scripta: *Est præsertim (inquit) ejus doctrina sana, clara, salubris & devota, & inter cæteras ad pellendos animi morbos aptissima, usque adeo ut jam Christianissimus Doctor Dominus Gerson passim nominetur.* Si licuit Religiosis Sodalitiis Doctores suos exiis honorum titulis exornare, hunc *Subtilem*, istum *Irrefragabilem*, hunc *Fundatissimum*, istum *Illuminatum*, hunc *Dulcissimum*, istum *Ordinatissimum*, hunc *Facundum*, istum *Profundissimum*, illum *Resolutissimum* Doctorem appellando: Quidni liceat Venerabilem *Gersonium* sanctimoniâ non minùs quàm doctrinâ insignem, qui strenuam Ecclesiæ tempore schismatis navavit operam, quem post obitum Miraculis claruisse citatæ Lugdunensis Ecclesiæ Literæ testantur, ipseque *Odoricus Raynaldus* agnoscit ad annum 1430. Num. 12. *Doctoris Christianissimi* nomine celebrare?

ARTICULUS VI.

De Erroribus à GUILLELMO Episcopo, & Sacra Facultate Theologica Parisiensi, anno MCCXL. *damnatis.*

I. ANno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo nonnulli errores Parisiis in Scriptis Anonymis reperti, ad ejusdem Urbis Episcopum Religiosissimum & Doctissimum *Guillelmum Arvernum III.* delati sunt, & *convocato Concilio omnium Magistrorum tunc Parisiis Regentium*, damnati, lato in docentes vel propugnantes hujusmodi Articulos Anathemate. Erant omnino decem his verbis concepti. I. Divina essentia in se nec ab Angelo, nec ab homine videtur, vel videbitur. II. Licet divina essentia eadem sit, in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, tamen ut hæc est essentia, & in ratione formæ, una est in Patre & Filio, non in Spiritu Sancto. III. Spiritus Sanctus, prout est amor & nexus, non procedit à Filio, sed tantùm à Patre. IV. Multæ veritates fuerunt ab æterno, quæ non sunt ipse Deus. V. Primum nunc, vel principium, & creatio passio, non sunt Creator vel creatura. VI. Angelus malus in primo instanti suæ creationis fuit malus, & nunquam fuit non malus. VII. Nec Animæ glorificatæ, nec corpora gloriosa, vel glorificata, erunt in cœlo empyreo cum Angelis; immò nec Beata Virgo, sed in cœlo aqueo vel crystallino. VIII. Angelus in eodem instanti potest esse in diversis locis, & est ubique si velit. IX. Cujus meliora fuerint naturalia, necessariò major erit gratia & gloria. X. Diabolus nunquam habuit unde posset stare. Nec etiam Adam in statu innocentiæ.

Decem Articuli his erroribus contrarii, ab Episcopo Theologisque Parisiensibus constituti sunt, hoc tenore: Firmiter credendum est, & nullatenus dubitandum, quòd Deus in sua substantia, essentia, vel natura, videbitur ab Angelis sanctis, & animabus glorificatis. II. Una est essentia substantialis vel natura in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Et eadem essentia in ratione formæ in tribus Personis. III. Spiritus Sanctus, prout est nexus & amor, procedit ab utroque, scilicet à Patre & Filio. IV. Una sola veritas fuit ab æterno, quæ est Deus. Et nulla veritas fuit ab æterno, quæ non sit illa veritas. V. Primum nunc, & creatio passio, est creatura. VI. Malus Angelus aliquando fuit bonus, & post peccando est malus. VII. Idem est corporeus locus, scilicet empyreum cœlum, Sanctorum Angelorum, & beatarum Animarum: & idem erit corporum humanorum glorificatorum. Et similiter idem est locus spiritualis Sanctorum Angelorum, & hominum bonorum. VIII. Angelus est in loco per distinctiones: ita quòd si est hîc, non est ibi in eodem instanti. Impossibile est enim eum in eodem instanti esse ubique; cùm hoc sit proprium Dei. IX. Secundùm quòd præordinatum est & prædestinatum à Deo, dabitur gratia & gloria. X. Malus Angelus & Adam habuerunt unde possent stare, etsi non unde possent proficere.

II. Eodem anno, *F. Guillelmus*, Ordinis FF. Minorum Professor, cùm in Sermone de *S. Joanne Baptista*, quem in FF. suorum Ecclesia habuerat ad populum, duas propositiones erroneas asseruisset, de iisdem ab Episcopo Parisiensi, & Sacræ Facultatis Theologicæ Doctoribus publicè reprehensus, eas coram frequentissimo cœtu retractare compulsus est. Prima propositio hæc erat: Liberum arbitrium habet potentiam naturalem ad recipiendam gratiam, non effectivam aliquo modo, id est gratiæ receptioni cooperantem. Secunda: Qui damnatus est, nunquam fuit in gratia, sed semper Ismaël aut Judas fuit, & nunquam Joannes. Sacræ Facultati Parisiensi Jus Doctrinalis Judicii his exemplis asseritur.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 343. & Articulo VIII. pag. 360. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant, *Facultas Parisiensis habet jus Doctrinalis Judicii.*

R. Jus novum Sacræ Facultati Theologicæ Parisiensi non assero, sed quod ipsi Summi Pontifices agnoverunt, quod Venerabilis *Gersonius* Libro *De Doctrinarum Examine*, probavit, quod antiqua & perpetua consuetudine ac possessione firmatum est, ut constat ex variis ejusdem Sacræ Facultatis Censuris. Censeo nihilominus, *Examinatorem Juridicum ac Judicem supremum Doctrinarum, Papam esse in terris.... Quoniam Supremus in omni politia jus habet dubia circa politiam emergentia determinare, vel interpretari, vel declarare, cum appositione pœnarum in rebelles. hoc autem est judicium auctoritativum.... Neque enim potest assiduè Concilium generale haberi præsentialiter pro decisione dubiorum, nec expediret passim ita fieri: Supremus autem in Ecclesia facilè adiitur.* Verba sunt Gersonii in Tractatu citato, Consideratione secunda. Hinc S. *Anselmus* lib. *De Incarnatione Verbi*, cap. 1. sic *Urbanum II.* Pontificem Maximum alloquitur: *Quoniam divina providentia vestram elegit Sanctitatem, cui & vitam & Fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra Catholicam Fidem oritur in Ecclesia, ut ejus Auctoritate corrigatur: nec ulli alii tutiùs, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentiâ examinetur. Quapropter*

ter ficut nulli dignius possum, ita nulli libentius præsentem Epistolam, quàm vestra destinao Sapientia: quatenus si quid in ea corrigendum est, vestrâ censurâ castigetur: & quod regulam veritatis tenet, vestra Auctoritate roboretur. Ita Libros suos contra duas Epistolas Pelagianorum Bonifacio I. Pontifici Maximo tanquam *Præeminenti fastigio speculæ Pastoralis* examinandos & emendandos direxit. Sic *Eulogius* Patriarcha Alexandrinus scripta sua contra Agnoetas examini & judicio *S. Gregorii Magni* subjecit, ut constat ex Epist. xlii. lib. viii. Regesti Gregoriani. Sic *Possessor* Africanus Episcopus *Codicem* suarum Explanationum in S. Pauli Epistolas, ad *Hormisdam* Papam recognoscendum transmisit, ut ejusdem Possessoris Literæ testantur. Censeo tertius, *Examinatorem juridicum & ordinarium doctrinarum* esse Episcopum quemque in suâ Diœcesi, *cui communicat Inquisitor*, in locis in quibus Sanctæ Inquisitionis Officium institutum est. *Nullum tamen Episcopum inferiorum posse condere Articulum Fidei Catholicæ, qui videlicet ad totam Ecclesiam se extendat. Non enim potest in eos obligationem ferre, quos non habet in jurisdictione subjectos. Differt igitur determinatio Papæ, quoniam generalis est, & ad omnes Catholicos se extendit quoad pœnam.* Verba sunt Gersonii, in Tractatu superius laudato, Consideratione XII.

ARTICULUS VII.

De Erroribus GUILLELMI DE SANCTO AMORE, & JOANNIS DE POLIACO.

I. GUILLELMUS *de Sancto Amore*, à natalis soli oppido apud Sequanos nuncupatus, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, contra recentes FF. Prædicatorum & Minorum Ordines turbas gravissimas in Academia Parisiensi excitavit, Magistris *Odone de Duaco, Nicolao Decano de Barro super Albam*, & *Christiano* Canonico Bellovacensi, aliisque tractis in partes, Concionibus scriptísque Viros Religiosos est insectatus, quos etiam ex Academiæ gremio expelli curavit. Totum virus effudit in concione de Publicano & Pharisæo, in libro *De periculis novissimorum temporum*, & in quæstione *De valido Mendicante*, in quibus hæ propositiones errori obnoxiæ visæ sunt, & offensionem creare, ceu Statui Religioso ab Ecclesia approbato detrahentes. 1. Religiosi Mendicantes, etsi à Summo Pontifice & ab Episcopo missi sint, prædicare non possunt, nisi à Plebanis fuerint invitati. 2. Etsi aliis quàm Regularibus Viris possit committi prædicationis officium, videtur tamen quòd salvâ Ecclesiasticâ Hierarchiâ, Regularibus Viris prædicationis officium committi non possit. Igitur si Viri Regulares prædicationi se immisceant, videtur quòd non sint à Deo missi, & ideo Pseudo sint reputandi... Per tales instabunt vel instant pericula novissimorum temporum universæ Ecclesiæ. 3. De Evangelio non possunt vivere. 4. Vivere debent de labore corporis. 5. Periculum est in mendicando; quoniam qui de mendicitate vivere volunt, fiunt adulatores, detractores, mendaces, & fures, & à justitia declinantes. 6. Omnia pro Christo relinquere, & sequi Christum mendicando, non est opus perfectionis. 7. Viro perfecto, postquam reliquerit omnia, vivendum est aut operando corporaliter manibus, aut intrando Monasterium ubi habeat necessaria vitæ. 8. Regularibus, quos Ecclesia mendicare permittit, mendicare non licet, cùm faciant contra Apostolum & alias Scripturas; & diuturnitas temporis non diminuat peccata, sed augeat. Quapropter, si etiam confirmatum esset ab Ecclesia per errorem, nihilominus compertâ veritate revocari deberet. 9. Invenientur seductores isti inter Christianos apparentes pios, studio literarum semper dediti, astutos & sciolos, in consiliis dandis famosos, non tantùm ad præcepta Domini, sed etiam ad consilia obligatos; & tales qui sapientiores & sanctiores in Ecclesia apparebunt, propter quod electa membra Redemptoris esse credentur; & ideo vehementer & subitò nocebunt Ecclesiæ. 10. Illi qui non invitati, procurant prædicare plebibus alienis, quod est officium honoris, præcipuè in Conciliis, & Synodis, & Conventibus magnis, necnon in Curiis Regum, & Prælatorum, non sunt veri Apostoli, sed Pseudo. 11. Prædicatores qui vadunt ad Orthodoxos, qui proprios habent Apostolos, scilicet Episcopos suos & Presbyteros, non vadunt ad suam Legationem, sed tantùm ad alienam. Unde non sunt veri Apostoli, sed Pseudo. Et summè timendum est ne per tales periclitetur Ecclesia, nisi expellantur ab ea. 12. Valido Mendicanti facienda non est eleemosyna. 13. Mendicans validus graviter delinquit. Ergo qui scienter se ponit in tali statu, videtur quòd non sit in statu salvandorum. 14. Si Frater illius qui prædicavit, etiam post prædicationem petit ab illis quibus prædicavit, Simoniam committit: Ergo non est ei dandum. 15. Religiosis non licet procurare ut fiant Magistri, quia Magisterium honor est. 16. Fratres non sunt admittendi in Societatem Scholasticam secularium Magistrorum, nisi de ipsorum voluntate. Nam cùm sint in statu perfectionis, tenentur ad consilia. Consilium autem Domini est Matth. 23. *Nolite vocari Rabbi.* Cùm ergo velint docere solemniter, faciunt ut vocentur Magistri, & sic vivunt contra Domini consilium; & ita publicè peccant, & scandalizant; & sic sunt evitandi. 17. In vilium vestium usum acriùs declamans, Religiosos Viros obliquè perstringere visus est: quamvis quosdam Regulares secundùm Regulam suam vilibus indumentis uti debere fateretur. * 18. Asserebat Summum Pontificem non posse toti Ordini potestatem dare prædicandi, Confessiones audiendi, & absolvendi pœnitentes per totum orbem, & quòd Pontificiis Privilegiis muniti, sacra illa munia obire non possent absque licentia Parochialium Presbyterorum. 19. Fratribus ab Episcopo vel Papa canonicè destinatis confessus, non satisfacit Statuto, *Omnis utriusque sexus.* Nam præceptum est Prælatis curam animarum habentibus, quòd ipsi cognoscant vultus pecorum suorum, id est, conscientias subditorum suorum. Constat autem quòd animos & actus singulorum non potest Prælatus considerare, nec plenè cognoscere, nisi audiendo Confessiones illorum. 20. Romanam Ecclesiam carpebat, quòd tot Mendicantium Religiones diversas, à tempore Concilii Generalis Lateranensis III. inventas æquanimiter toleraret. 21. Religiosos Mendicantes velut Pseudo-Prædicatores, Hypocritas, penetrantes domos, otiosos, curiosos, gyrovagos sugillabat.

Cap. 2. — Cap. 12. — Cap. 15. — Cap. 14. — Lib. De valido Mendicante. — In Respons. ad objecta. — * In Collationibus Scripturæ Sacræ.

Ordinum Mendicantium causam statúmque protexit *Alexander IV.* Pontifex Maximus, Pontificiis Diplomatibus quadraginta in eorum gratiam datis, quæ in Parisiensis Ecclesiæ tabulario asservantur. Libellum *De Periculis novissimorum temporum*, quatuor Cardinalibus doctissimis examinandum commisit, qui ad ejus Sanctitatem retulere: *In ipso quædam perversa & reproba contra potestatem & auctoritatem Romani Pontificis, & Episcoporum contineri: & nonnulla contra illos, qui propter Deum sub arctissima paupertate mendicant, tantumque cum suis operibus voluntaria inopia superantes: alia verò contra eos, qui salutem animarum zelantes ardenter & sacris studiis procurantes, multos in Ecclesia Dei operantur spirituales profectus. Quædam con-*

Guillelmi liber De periculis novissimorum temporum, ab Alexandro Quarto damnatus.

tra salutarem pauperum sui Religiosorum statum, sicut sunt FF. Prædicatores & Minores, qui vigore spiritus seculo cum suis divitiis derelicto, ad solam cœlestem patriam totâ intentione suspirant: necnon & alia plura inconvenientia digna confutatione & confusione perpetuâ manifeste contineri. Eumdem etiam Libellum magni scandali seminarium, & magnæ turbationis materiam existere, & inducere etiam dispendium animarum, cùm retraheret à devotione solitâ, & à consuetâ eleemosynarum largitione, ac à conversione & Religionis ingressu Fideles. Hac audita Relatione, Summus Pontifex III. Nonas Octobris MCCLVI. Libellum *De Periculis novissimorum temporum* damnavit his verbis; *Nos Libellum eumdem, qui sic incipit:* Ecce videntes clamabunt foris, *quique secundùm ipsius titulum* TRACTATUS BREVIS DE PERICULIS NOVISSIMORUM TEMPORUM *nuncupatur, tanquam iniquum, scelestum, & execrabilem, & instructiones ac documenta in eo tradita, utpote prava, falsa, & nefaria, de Fratrum nostrorum consilio, Auctoritate Apostolica reprobamus, & in perpetuum condemnamus: districtè præcipientes, ut quicumque Libellum ipsum habuerit, eum infra octo dies, ex quo hujusmodi nostram reprobationem & condemnationem sciverit, prorsus & in toto, & in qualibet sui parte comburere & abolere procuret. In illos enim qui hujus nostri præcepti fuerint contemptores, excommunicationis sententiam promulgamus, firmiter in virtute obedientiæ prohibendo, ne quisquam prædictum Libellum ore Apostolico jam damnatum approbare vel quomodolibet defensare præsumat. Si quis verò præsumpserit, tanquam contumax, inobediens & rebellis Romanæ Ecclesiæ ab omnibus Fidelibus habeatur: & nos nihilominus contra eum taliter procedemus, quòd pœna condigna temerarium feriet, & alii eâ perterriti à similibus frænabuntur.* De istius libri damnatione Regem Sanctum *Ludovicum* Pontifex certiorem fecit * rogavitque ut Fratres Prædicatores & Minores *consueta benignitate ac gratia prosequeretur, eos, tanquam probatos & acceptos Christi Ministros, haberet attentius commendatos, & ab injuriis & molestiis protegeret.* Archiepiscopis etiam Turonensi & Rothomagensi, necnon Parisiensi Episcopo dedit in mandatis * ut omnes Magistros, & alios, qui sive in Scholis, seu alibi asserere ausi fuerant: *Quòd FF. Prædicatores & Minores in statu & via salvandorum non erant, nec meritoria & salutifera existebat eorum mendicitas & paupertas; cùm deberent, valetudine corporali & aliis justis impedimentis cessantibus, propriis manibus operari, sub spe alieni subsidii non torpendo, nec pro sustentatione vel pro necessariis extranea mendicando suffragia, seu ab aliis vitæ adminicula expectando: Quodque de licentia vel commissione Romani Pontificis seu Diœcesanorum Episcoporum prædicationis exercere officium, & Confessiones audire libere non valebant, tanquam per hoc Sacerdotibus Parochialibus præjudicium inferretur:* admonerent ut infra certam diem errores illos *publicè revocarent, asseverando constanter contrarium, & illud etiam fideliter prædicando. Quod si non facerent, ex tunc contra eos ad suspensionis, excommunicationis & perpetuæ privationis Beneficiorum suorum Ecclesiasticorum Sententias, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, efficaciter procedere non omitterent.* Alia Diplomata silentio prætereo, ne prolixior sim.

* Diplomate quod incipit: *Vos Solis radius:* dato XVI. Kal. Novemb. ejusdem anni.

* Diplomate quod incipit: *Multa cordis amaritudine:* dato III. Kal. Novemb. ejusdem anni.

Magistri *Odo de Duaco* & *Christianus* Bellovacensis Canonicus retractant errores ejurant.

Auctoritas Pontificia, visque veritatis, quam Sanctissimi Doctores THOMAS & BONAVENTURA, suorum Ordinum, Ecclesiæque universæ columina duo invictissimè defenderunt, errorésque Magistri *Guillelmi* præclaris solidisque Scriptis confutarunt, Magistros *Odonem de Duaco*, & *Christianum* Canonicum Bellovacensem, ad Libellum *De Periculis Novissimorum Temporum*, omnésque, quos olim propugnaverant errores contra pauperes Christi, ejurandos compulerunt. *Guillelmo* verò *de Sancto Amore*, in Religiosorum Mendicantium impugnatione pertinacioni, Pontificia, Regiáque Auctoritate, regni Franciæ aditu omnique docendi ac prædicandi facultate interdictum est; ut constat ex *Alexandri IV.* Diplomate, dato Viterbii, V. Idus Augusti anno MCCLVII. quod incipit: *Cum propter multiplices culpas*, & ex Normanniæ Chronico ab *Andrea Duchesnio* edito. Dicti autem Magistri *Odo de Duaco*, & *Christianus* Bellovacensis Canonicus, coram Summo Pontifice jurarunt, quòd quantum in eis esset, reciperent Parisius & obedirent in posterum Constitutioni Pontificiæ, quæ incipit, *Quasi lignum vitæ*, & contradicentibus auxilium non præstarent publicè vel privatim. Secundò, quòd Fratres Prædicatores & Minores Parisius degentes, Magistros & Auditores eorum, & specialiter ac nominatim Fratres THOMAM DE AQUINO de Ordine Prædicatorum, & BONAVENTURAM de Ordine Minorum, quantùm in eis esset, in Societatem Scholasticam & Universitatem Parisiensem reciperent ut Magistros, & à Magistris Parisiis commorantibus procurarent recipi bona fide. Tertiò, quòd juramenta, statuta, vel obligationes non facerent, seu à Religiosis vel aliis exigerent contra Pontificiam illam Constitutionem. Quartò, quòd Parisiense Studium occasione prædicti dissidii dissolvi, aut aliò transferri non permitterent. Quintò, quòd tam in Romana Curia, quàm Parisiis, pluries in diversis locis prædicarent infra scripta:

Quòd reprobarent Libellum per Summum Pontificem condemnatum, & errores in ipso contentos.

Assererent *Quòd Romanus Pontifex possit Prædicatores & Confessores mittere ubique per mundum, juxta sui beneplacitum voluntatis, sine consensu inferiorum Prælatorum quorumcumque, seu Parochialium Sacerdotum.*

Quòd Archiepiscopi & Episcopi in suis Diœcesibus licentiam dare possunt prædicandi & Confessiones audiendi, sine consensu inferiorum Sacerdotum vel Rectorum Ecclesiarum, cùm viderint expedire; quodque Prædicatores & Confessores sic missi possunt liberè prædicare, & licitè Confessiones audire, & absolvere Pœnitentes.

Quòd status mendicitatis propter Christum, est status salutis & perfectionis.

Quòd Religiosi pauperes, qui omnia reliquerunt propter Christum, mendicando possunt acquirere victum suum, sine labore manuum, etiamsi sint validi corpore; maximè qui student verbo Dei, legendo, disputando, prædicando.

Quòd ea quæ continebantur in libro prædicto & in quibusdam Articulis à Magistro Christiano confictis, quæ explicitè vel implicitè videbantur, seu poterant in prædictorum Ordinum infamiam redundare (sicut de Pseudo-Prophetis & Apostolis, de Nuntiis Antichristi, de penetrantibus domos, & periculis novissimorum temporum) non intelligunt nec intellexerunt de Fratribus Ordinum prædictorum, quòd tales ipsi sint, vel fuerint, vel etiam sint futuri; sed fateantur, ipsos Ordines esse bonos & ab Ecclesia approbatos: & inter cætera asserant: Quòd Deus hoc ipsum per manifesta indicia nostris temporibus comprobavit, miracula scilicet quæ per Sanctos utriusque Ordinis, Sanctorum catalogo per Romanam Ecclesiam, canonicè, legitimè, fideliter, ac rite adscriptos, est misericorditer operari dignatus. Ista constant ex Instrumento publico, quod à *Bernardo Delfa* Notario Apostolico hac de re confectum est Anagniæ in Palatio Summi Pontificis, præsentibus *Hugone* Tituli *S. Sabinæ* Presbytero, & *Joanne* Tituli *S. Nicolai in carcere Tulliacensi* Diacono, Cardinalibus, die XXIII. Octobris anno MCCLVI.

Postea cùm Viri Academici nullum non moverent

Alexandri IV Diplomata in gratiam FF. Prædicatorum & Minorum.

vereor lapidem ut *Guillelmum de Sancto Amore* Parisios revocarent, ac repugnantibus Religiosis molestiam crearent; séque ab eorum consortio subtraherent, ipsos Anathematis interminatione fregit *Alexander IV.* Magistrum *Guillelmum hominem pergiosum, & in sua obstinatum procacia* vocans; *qui non pro factis Universitatis, sed pro sua malignitatis offensa, fuerit Sedis Apostolicæ Judicio, justitia exigente punitus.* Id constat ex Diplomate quod incipit, *Indignanter accepimus*, dato Anagniæ Nonis Aprilis MCCLIX. & Episcopo Parisiensi inscripto. Altero Diplomate ad eumdem Antistitem directo XII. Kalendas Julii ejusdem anni, quod incipit *Multorum relatione*, iisdem Academicis omni commercio cum Magistro *Guillelmo* apud Sequanos exule interdixit. Tertio Diplomate dato Anagniæ VI. Kalendas Julii ejusdem anni quod incipit, *Ex alto*, eidem Præsuli dedit in mandatis, ut Rectori, Artistis, ac aliis Magistris & Scholaribus Parisiis commorantibus, Sedis Apostolicæ nomine districtè juberet, ut infra quindecim dies post hujusmodi præceptum, Fratres Prædicatores & Minores in suam societatem admitterent, nec similia deinceps attentarent; alioquin, inquit, *eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, à qua nullatenus absolvi valeant, nisi personaliter ad Sedem Apostolicam accesserint.* Secundò ut Libellum *De Periculis Novissimorum Temporum*, & quosdam alios Libellos famosos, in infamiam & detractionem eorumdem FF. Prædicatorum & Minorum, ab eorum æmulis vulgari sermone, necnon rythmis & cantilenis indecentibus de novo editos, adhibitis Censuris Ecclesiasticis sibi exhiberi juberet, ac Magistris & Scholaribus convocatis, publicè coram omnibus igne cremari. Tertiò ut *Guillotum* Bedellum Scholarium Nationis Picardorum, qui suæ salutis immemor, Dominica in Ramis Palmarum, *Prædicante Fratre Thoma de Aquino Ordinis Prædicatorum*, quemdam Libellum famosum contra eosdem Fratres editum, in conspectu Cleri & populi tunc ibidem existentium, in Parisiensis Episcopi & ipsorum Fratrum injuriam publicaverat, excommunicatum denunciaret, ac *Bedellionatus officio*, in perpetuum privaret.

Libellum De periculis novissimorum temporum aliam in formam redigit, & ad Clementem IV. mittit Magister Guillelmus.

Post *Alexandri IV.* & *Urbani IV.* qui ipsi proximè successit, obitum, pacatis Academiæ temporibus, & Dominicanis in duplicis Cathedræ publicæ, eadem in Academia, possessione confirmatis, Magister *Guillelmus de Sancto Amore* Parisios redit, ibíque doctrinam Libelli *De Periculis Novissimorum Temporum* aliam in formam redegit, simplici (ut aiebat) Scripturarum collatione. Novum ex veteri Opus inscriptum ab ipso est: *Collectiones Catholicæ & Canonicæ Scripturæ, ad instructionem & præparationem simplicium Christi Fidelium contra pericula imminentia Ecclesiæ generali per Hypocritas, Pseudo-Prædicatores, & penetrantes domos, & Otiosos, & Curiosos, & Gyrovagos.* Hanc lucubrationem ad *Clementem IV.* Pontificem Maximum misit, qui ad ipsum rescripsit his verbis. *Dilecto Filio Magistro Guillelmo de Sancto Amore. Si circa veritati laboras indagandam, si cautelas etiam colligis ex Scripturis: dum tamen sobrius inquisitor existas, & acumen evites scandali, non te credimus arguendum. Sed cavendum est tibi ne præteritorum tuo hæreat animo nimis tenax memoria; & ne sub doctrinæ specie detractorum colores infidias, vel illam objurgationem merearis audire, qua Paulum tetigit Festus dicens:* Te multæ literæ faciunt insanire. *Sane Libellum novum evolvere cœpimus quem misisti. qui, licet interdum alias oras circumeat, veterem tamen multùm sapit; & cum excussus & discussus, coloratus in aliquo videatur, totam primò substantiam comprobabitur retinere. Verùm quia totum non legimus, nihil tibi possumus respondere, nisi*

Libellum improbat Clemens IV.

quòd providâ diligentia cor tuum munias, ne sub boni specie te seducat, qui se ut lateat, in Angelum lucis transfigurat. Nos autem, cùm legerimus hoc Opusculum, & aliis Amatoribus veritatis & eamdem intelligentibus communicaverimus, tunc, quod nobis videbitur, tibi dabimus intimare. Data est Epistola Viterbii V. Kalendas Novembris anno MCCLXVI.

Magister Guillelmus de Sancto Amore Hæreticus non fuit.

Magistrum *Guillelmum de Sancto Amore* inter Hæreticos nemo recenseat, cùm nec hæreticas, sed erroneas duntaxat, temerarias, & scandalosas propositiones propugnaverit; nec eò usque progressa sit ejus pertinacia, ut se scriptáque sua Ecclesiæ judicio non subjiceret. Unde *Guillelmus Nangius* in Vita *S. Ludovici*, ubi scripsit Regem Sanctum anno MCCLV. ad Romanam Curiam duos misisse Clericos, ut dissidium quod inter FF. Prædicatores & Religiosos Scholares Parisius studentes, & Magistrum *Guillemum de Sancto Amore* recruduerat, per Dominum Papam debitum finem sortiretur, subdit: *Tandem hinc inde multis propositis damnatus fuit & combustus Liber a Magistro Guillelmo de Sancto Amore prædicto editus, & intitulatus: DE PERICULIS MUNDI, in Ecclesia Cathedrali apud Anagniam, non propter hæresim quam contineret, sed quia contra præfatos Religiosos seditionem & scandalum concitabat.* Eadem habet in Chronico ad annum MCCLVI. verbis adhuc mitioribus: *Damnatus & combustus extitit Liber, Non propter Hæresim (ut dicebant aliqui,) quam contineret, sed quia contra præfatos Religiosos seditionem videbatur & scandalum excitare.*

Apud Duchesn. Tom. V. pag. 361.

Magister verò *Guillelmus de Sancto Amore* de Libro suo ita loquitur in Responsionibus ad Objecta: *De Libello autem qui dicitur reprobatus esse à Domino Papa, & cujus editio mihi imponitur; dico quòd cum Prælati Franciæ solicitati ut caverent Ecclesiæ Gallicanæ sibi commissæ à periculis novissimorum temporum, quæ sunt ventura per Pseudo & penetrantes domos, requisivissent Magistros Parisienses, ut auctoritates Divinæ & canonicæ Scripturæ de hac materia loquentes colligerent, & in scriptis traderent, quia non poterant vacare inspectioni Librorum; Ego unà cum aliis Magistris & Scholaribus Theologiæ, & Magistris Decretorum, collegi auctoritates prædictas per multas collectiones, quas Ego & alii prædicti in unum volumen sub certis Rubricis redegimus, sed volumen mutatum fuit quinquies successivè, magis & magis corrigendo, quædam addendo, quædam subtrahendo, quædam verò determinando, &, secundum quod perpendere potui inspiciendo volumen illud quod Vos mihi, Domini mei Cardinales, respiciendum dedistis, volumen illud, secundum quod possum recolere, fuit tertiæ compilationis, quæ postmodum mutata fuit bis & correcta, addendo, subtrahendo, declarando. Nescio tamen utrùm in ipso volumine, quod mihi inspiciendum dedistis, quidquam additum vel subtractum fuerit per vitium falsitatis. Unde si Dominus Papa modum & formam illius Compilationis reprobavit. (Nam auctoritates divinas ibi contentas, ut ipsemet confitetur, noluit nec intendit.) Sententiæ suæ non resisto, sed obedio, credens firmiter quod si quartam vel quintam compilationem earumdem auctoritatum vidisset (cum in eis nihil contineatur quod offendere debeat animum Christiani) non eas reprobasset, sed potius approbasset. Hoc autem sciatur, quòd in unaquaque Compilationum dictarum, in principio supponitur ipsa Compilatio correctioni Ecclesiæ, id est, Domini Papæ & aliorum Prælatorum, quibus competit auctoritas corrigendi: propter quod Authores earum, cùm nullum errorem scienter imposuerint, & si quid ibi erat quod offendere posset, correxerint, necnon illud quod in illa Compilatione, quam Dominus Papa dicitur reprobasse, ipsi Domino displicuit, defensare non velint; licet tam illa Compilatio reprobata, quàm alia in multorum manus pervenerint.*

in nullo sunt arguendi, cùm dicat Augustinus in libro » *Retractationum, in principio*: Neque quisquam nisi » imprudens, ideo, quia mea errata reprehendo, » me reprehendere audebit; sed si dicit non ea de» buisse à me dici, quæ postea mihi etiam displi» cerent, verum dicit, & mecum facit. *Et infra*: » Sed qui primas non potuit habere sapientiæ, se» cundas habeat partes modestiæ; ut qui non va» luit omnia impœnitenda dicere, saltem pœniteat » quæ cognoverit dicenda non fuisse. *Et infra*: Scri» bere autem ista mihi placuit, ut hæc emittam in » manus hominum, à quibus ea, quæ jam edidi, » revocare emendanda non possum. *Igitur, Patres Sancti, Ego & alii Socii mei, eadem competenter dicere possumus de Compilationibus supradictis, ut qui primas non potuissemus habere partes sapientia, nihil impœnitendum dicendo, saltem secundas haberemus modestiæ, quod displicuerat, corrigendo; & qui priores Compilationes in quibus aliqua displicebant, de manibus hominum revocare nequivimus emendandas, posteriores edidimus ad priores, sicut potuimus.*

Errores Magister Joannis de Polia co.

II. Magister *Joannes de Poliaco*, Doctor Theologus Parisiensis, *Joanne XXII.* in Cathedra *S. Petr.* sedente, *Periculosos errores* de Sacramento Pœnitentiæ in Scholis & Prædicationibus vulgavit. I. *Quòd confessi Fratribus* seu Viris Religiosis, *habentibus licentiam generalem audiendi Confessiones, tenentur eadem peccata quæ confessi fuerant, iterum confiteri Proprio Sacerdoti.* II. *Quod stante, OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, Edicto in Concilio Generali, Romanus Pontifex non potest facere, quòd Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno Proprio Sacerdoti, quem dicebat esse Parochialem Curatum, confiteri: immo nec Deus posset hoc facere:* quia (ut dicebat) *implicat contradictionem.* III. *Quòd Papa non potest dare potestatem generalem audiendi Confessionem, immo nec Deus, quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri Proprio Sacerdoti;* id est Curato. Hos Articulos *Doctrinam non sanam, sed periculosam multùm & veritati contrariam continentes*, Magister ipse *Joannes de Policano* Avenione in Consistorio *revocavit, veris sibi rationibus oppositioni ductum sua habita contrariis demonstratis, asserens se credere eos non veros, & contrarium verum esse, & dicens se nescire rationibus sibi factis in contrarium respondere.* Ipsos verò Summus Pontifex *Joannes XXII.* diligenti discussos examine, & habita solerti cum S. R. E. Cardinalibus collatione, omnes & singulos *Tanquam falsos & erroneos, a doctrina sacra devios*, Auctoritate Apostolica condemnavit & reprobavit, inhibens ne quis ipsos & contenta in eis vel aliquo ipsorum, *utpote a Catholicis mentibus respuenda*, tenere, defendere, vel docere auderet. Jussit etiam Magistro *Joanni* ut Parisiis in Scholis & Sermone, prædictos Articulos & contenta in eis, *tanquam veritati contraria*, propriæ vocis oraculo, assleveratione constanti publicè revocaret Quod se facturum pollicitus est.

Errores M. Joannis de Polia co à Joanne XXII. damnati.

Ista constant ex Extravaganti, *Vas electionis*, edita VIII. Kalendas Augusti, anno MCCCXXI. Quam idem Pontifex ab omnibus Episcopis in civitatibus & Diœcesibus suis, convocato Clero & populo, promulgari jussit. Nemo tamen Magistrum *Joannem de Poliaco* inter Hæreticos jure censeret, cùm ejus Propositiones damnatæ non fuerint ut hæreticæ; & ipse assereret *se paratum credere & tenere in præmissis, & aliis, quæ tenenda & credenda esse Sedes Apostolica definiret*: ac illius Judicio paruerit, ut testatur *Joannes XXII.*

Lib. v. Extravag. Commun. Tit. De Hæreticis.

M. Joannes de Polia co se dat Apostolica judicio paratus.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 334. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Magistrum Guillelmum de Sancto Amore inter hæreticos nemo recensuit, cùm nec hæreticas, sed erroneas dumtaxat, temerarias & scandalosas propositiones propugnaverit. nec eò usque progressa sit ejus pertinacia, ut se scriptáque sua Ecclesiæ judicio non subjecerit.*

R. Propositiones *Guillelmi de Sancto Amore* ut hæreticas non damnavit Apostolica Sedes, ut Pontificia Diplomata, quibus confixus est, testantur. Librum ejus *De periculis novissimorum temporum*, non propter hæresim, sed propter scandala & seditiones, à Summo Pontifice damnatum, *Guillelmus Nangius* in Vita S. Ludovici testatur. Librum emendavit, *Correctioni Ecclesiæ, id est, Domini Papæ, & aliorum Prælatorum* subjecit, ut ex ejus verbis probavi. In Ecclesiæ communione vixit, & mortuus est. Ipsum proinde Hæreticum non dixero; nec Librum ejus Hæresim continere. Ipsum tamen Librum *Iniquum, scelestum, execrabilem, & instructiones ac dogmata in eo tradita prava, falsa, nefaria* dico, & ut talia reprobo, quemadmodum ab Alexandro Quarto Pontifice Maximo reprobata ac damnata sunt. Magistrum *Guillelmum hominem tragiosum & in sua obstinatum peccata* dicam cum eodem Pontifice: sed *Hæreticum* non appellabo, quia Summi Pontifices ipsum ut Hæreticum non damnarunt, immo *Clemens Quartus* ad illum scribens *Dilectum filium* appellavit, quo nomine Hæretici à Summo Pontifice non compellantur.

ARTICULUS VIII.

De Erroribus à STEPHANO Parisiensi Episcopo damnatis annis MCCLXX. *&* MCCLXXVII.

I. ANno Christi MCCLXX. erronei Articuli tredecim à *Stephano Templier* Parisiensi Episcopo damnati sunt, his verbis concepti. I. Intellectus omnium hominum est unus & idem numero. II. Illa propositio est falsa vel impropria, Homo intelligit. III. Voluntas hominis ex necessitate vult, vel eligit. IV. Omnia quæ in inferioribus aguntur subsunt necessitati corporum cœlestium. V. Mundus est æternus. VI. Nunquam fuit primus homo. VII. Anima quæ est forma hominis, secundùm quòd homo, corrumpitur corrupto corpore. VIII. Anima separata non patitur ab igne corporeo. IX. Liberum arbitrium est potentia passiva, non activa: quæ necessariò movetur ab appetibili. X. Deus non cognoscit singularia. XI. Deus non cognoscit aliud à se. XII. Actus humani à divina providentia non reguntur. XIII. Corruptibili rei Deus immortalitatem vel incorruptionem dare non potest. Quas propositiones cum interminatione Anathematis à quibusvis propugnari aut doceri vetuit laudatissimus Episcopus, edita mense Decembri Censura.

II. Alios errores à Philosophia subornatos, de consilio Theologorum Parisiensium damnavit anno MCCLXXVII. Cùm *Joannes XXI.* Pontifex Maximus ejus vigilantiam his verbis excitasset. *Relatio nimis implacida nostrum turbavit auditum, amaricavit & animum, quòd Parisiis, ubi fons vivus sapientiæ salutaris abundanter hucusque scaturiit, suos rivos limpidissimos, Fidem patefacientes Catholicam, usque ad terminos orbis terræ diffundens, quidam errores in præjudicium ejusdem fidei pullulasse noscuntur. Volumus itaque, tibique auctoritate præsentium districtè præcipiendo mandamus; quatenus diligenter facias inspici vel inquiri, a quibus personis, & in quibus locis errores hujusmodi dicti sunt sive scripti: & quæ didiceris sive inveneris conscripta, fideliter nobis per tuum nuntium transmittere quàm citiùs non omittas.* Palma-

ris

»ris error hic erat: Quædam sunt vera secundùm »Philosophiam, sed non secundùm Fidem Ca»tholicam. *Quasi* (inquit *Stephanus* Episcopus) *sint duæ veritates contrariæ & quasi contra veritatem Sacræ Scripturæ sit veritas in dictis Gentilium damnatorum. De quibus scriptum est: Perdam sapientiam Sapientum: Quia vera sapientia perdet falsam sapientiam.* Damnavit etiam idem Præsul Librum quemdam inscriptum *De Amore*, sive *De Deo Amoris*. Item Librum quemdam de Geomantia, item Libros Necromanticos, experimenta Sortilegiorum, invocationes Dæmonum, & conjurationes in periculum animarum continentes. Hi Articuli, & eorum Damnatio referuntur in in Bibliotheca Patrum. Jus Doctrinalis Judicii Sacræ Facultati Parisiensi & hæc Monumenta vindicant.

ARTICULUS, IX.

De Erroribus PETRI JOANNIS OLIVI.

FR. *Petrus Joannis Olivi*, Ordinis FF. Minorum Professor, ex oppido *Sirignano*, Diœcesos Biterrensis oriundus, inter suos primùm eruditionis & regularis observantiæ fama floruit; tum hæreseos laboravit infamiâ, cùmque Fraticelli, Beguardi, & Beguinæ, ut Patriarcham suum venerati sunt. Errores præcipuos effudit in Postilla seu »Commentario super Apocalypsim. I. Sextum, quem »designat, Ecclesiæ statum, incipientem à tempo»re *S. Francisci*, & plenius à tempore condemna»tionis Babylonis meretricis magnæ (quo nomi»ne Romanam Ecclesiam ubique intelligit) & du»rabit usque ad tempus Antichristi, quinque prio»ribus maximè præeminere docet. II. Quòd sicut »in primo Christi adventu nova Ecclesia, rejectâ »Synagogâ veteri formata est: sic initio sexti sta»tûs, vetustas prioris temporis universim repellen»da erat, ut novum seculum seu nova Ecclesia »tunc formari videretur. Et quemadmodum in »sexta ætate, rejecto carnali Judaïsmo & vetusta»te prioris seculi, venit novus homo Christus cum »nova lege, vita, & cruce: sic in sexto statu, re»jectâ carnali Ecclesiâ, Christi lex, & vita, & crux »erant renovandæ. Quamobrem *S. Franciscus* in »ejus exordio sacris stigmatibus consignatus appa»ruit. III. Quòd sicut gloria quæ Synagogæ & »illius Pontificibus parata fuerat, si in Christum »credidissent, translata fuit ad primitivam Eccle»siam, & ad Pastores ejus: sic gloria parata Ec»clesiæ quinti status, propter ejus malitiam ad »electos sexti status transferenda erat. Statum illum »proprium esse Spiritus Sancti, qui in eo se exhi»biturus erat ut flammam & fornacem divini »amoris, & ut cellarium spiritualis ebrietatis, & »ut apothecam divinorum aromatum, & spiritua»lium unctionum: per quam non solùm simplici »intelligentiâ, sed etiam gustativâ & palpativâ ex»perientiâ, videnda erat omnis veritas sapientiæ »Verbi Dei Incarnati, & potentia Dei Patris. IV. »Quòd Regula FF. Minorum à *B. Francisco* con»dita, est verè & propriè illa Evangelica, quam »Christus ipse servavit, & Apostolis imposuit, & »in Evangeliis suis conscribi fecit. V. Quòd Re»gula *S. Francisci* impugnanda est & condemnan»da ab Ecclesia carnalium & superborum, sicut »Christus condemnatus fuit à Synagoga reproba »Judæorum. Et quòd hoc oportet præire tempora»le exterminium Ecclesiæ, sicut Christi condem»natio à Judæis temporale præivit exterminium »Synagogæ. VI. Quòd *S. Franciscus* Angelus ille est, de quo dicitur in Apocalypsi: *Vidi alterum Angelum, habentem signum Dei vivi*: Evan«gelicæ vitæ & regulæ sexto & septimo statu pro«pugnandæ & magnificandæ renovator, & Sum«mus post Christum & ejus Matrem observator. «Et quod post spiritualem Regulæ suæ Crucifixio«nem, ante alios Sanctos resurget. VII. Quòd «ferè omnes Clerici & Regulares possidentes ali«quid in communi, de abrenuntiatione Evangelica «minùs rectè sentiunt. VIII. Quòd sicut Synagoga «propagata est ex duodecim Patriarchis & Eccle«sia Gentium ex duodecim Apostolis: sic finalis «Ecclesia per duodecim Viros Evangelicos propa«ganda est. Quapropter *S. Franciscus* duodecim fi«lios & socios habuit, per quos & in quibus fun«datus & initiatus Ordo Evangelicus est. IX. Quòd «tertia tribulatio transfigit manus per apparentiam «celebris auctoritatis Ecclesiæ, & plebeiæ multi«tudinis sibi subditæ, & per apparentiam contrarii «in spiritualibus viris. X. Quòd Angelus *Fran«ciscus* non ita in Ecclesia carnali Latinorum, si«cut in Græcis, & Saracenis, & Tartaris, & Ju«dæis prosperari se sentiet, spiritalémque fructum «ferre. XI. Per bestiam ascendentem de terra, in«telligit Pseudopapam cum suis Pseudoprophetis. «XII. Omnes Abbates quinti temporis convenisse «in quintum caput bestiæ, qui est Diabolus, aut «Antichristus, aut Congregatio malorum. XIII. «Ecclesiam, quam Catholicam nuncupamus, esse «Ecclesiam carnalem, Babylonem, & meretricem «magnam; in qua nimirum boni sunt sicut pauca «grana auri inter immensos acervos arenæ. Quæ, «publicè à Christo sponso suo adulteratur: & se «omnésque gentes sibi subjectis, fœdis carnalita«tibus, & simoniacis cupiditatibus, terrenâ gloriâ «hujus mundi corrumpit. Quæ etiam nunc exarsit «in iram contra veros spirituales, & contra vires «& influxus Spiritus Sancti: Quæ etiam cecidit «intus spiritualiter, & exteriùs corporaliter; & quæ «per temporale exterminium cecidit in mundo, «deinde ad æternum supplicium cecidit in inferno, «&c. XIV. Evangelicum Ordinem Sanctorum, «Christo & ejus vitæ similium (FF. Minorum «strictioris paupertatis Professorum intelligit) Re«gium & Pontificalem coronam seu auctoritatem «circa finem seculi habiturum, cum potestate & of«ficio colligendi finalem messem electorum. XV. «Quòd sicut post quatuor animalia quatuor primos «status Sanctorum designantia, sublimata est gene«ralis Sedes Romanæ Ecclesiæ, cæteris Patriar«chalibus seu Orientalibus Ecclesiis à Christo & ab «ejus vera fide resectis: sic quinto tempore, post «quatuor bestias à Daniele visas, quatuor primis «Sanctorum Ordinibus contrarias, sublimata est «sedes bestiæ, id est, bestialis catervæ; ita ut nu«mero & potestate prævaleat, & ferè absorbeat Se«dem Christi, cui localiter & nominaliter est com«mixta. Unde & sic appellatur Ecclesia Fidelium, «sicut & illa quæ verè est per gratiam Sedes & «Ecclesia Christi. Super hujusmodi verò malitiam «non cessant zelatores sancti hujus quinti temporis «effundere phialam detestationis, & celebris increpationis: ita quòd regnum ejus, velit nolit, evi«denter apparet omnibus, & etiam ipsi fiunt tene«brosum, & ferè omnium malitiâ dissipatum & «abominandum. Unde & infra vocatur Babylon, «meretrix habens in manu sua poculum aureum «plenum abominatione. Per hanc autem sedem «bestiæ, principaliter designatur carnalis Clerus in «hoc quinto tempore regnans, & toti Ecclesiæ «præsidens. XVI. Quòd tempore Antichristi my«stica, zelus Sanctorum Evangelicorum sic præcu«rret excessivam opulentiam, & fastuosam super«biam, & Babylonicam scientiam, & doctrinam «carnalis

Sexti status ... Spiritus Sancti proprius sit, in... & ... corruptorum ...

» carnalis Ecclesiæ, quòd ex hoc contra Sanctorum doctrinam & vitam & zelum acriùs excandescens, quasi omnino siccabitur à spirituali sapientia, & virtuali gratiâ, & opulentia Christi. Ex qua etiam ulteriùs sequetur desiccatio suæ Babylonicæ scientiæ; juxta quod in Judæis & in Græcis ab Ecclesia Catholica recedentibus non solùm exsiccata est virtus & sapientia Christi, sed etiam alia, ita ut pateant omni errori & subjectioni. Hæc igitur est præparatio ad faciliùs perducendum in carnalem Ecclesiam errores, Antichristi magni, & Orientalium Regum. XVII. Quòd terræ motus magnus, prout dicit præambulum casus Babylonis sexto tempore fiendi, est subversio & commotio sub mystico Antichristo fienda, per quam tota carnalis Ecclesia terribiliter excæcabitur & commovebitur contra Evangelicum Spiritum Christi. . . . Hæc ergo est Ecclesia carnalis, tam Romæ, quàm in toto Regno Romanorum seu Christianorum diffusa. XVIII. Quòd à societate pravorum Fidelium, vel Hæreticorum magis exeundum est, quàm Paganorum, tanquàm faciliùs infectivâ. XIX. Quòd sicut Vasthi Reginâ à Regno & conjugio Regis Assueri abjectâ, electa est Esther ad ejusdem connubium & regnum, fecitque ex hoc Rex magnificum convivium cunctis Principibus & servis suis: sic rejectâ Synagogâ, electa est Ecclesia pulcritudinis gentium: sicque in sexto statu Ecclesiæ, rejectâ Babylone adulterâ, oportet spiritalem Ecclesiam exaltari, & celebre ac spiritale convivium post ejus nuptias celebrari. XX. Carnalem Ecclesiam, vigesimo, quem numerabat, urbis Romæ centenario expiraturam. Tredecim porro centenarios à Christo usque ad Antichristum futuros. Tandem septingentos vel sexcentos annos tribuendos esse septimo statui, quem à morte Antichristi incipere commentus est. XXI. Quòd magis appropriatè competit Doctoribus tertii status generalis, qui est sextus & septimus, esse spirituales portas aperire, & apertores, seu explicatores sapientiæ Christianæ, quàm Apostolis.

Errorum & Librorum Petri Joannis Olivi censura.

Horum errorum librorúmque, in quibus contineri dicebantur, examen *Nicolao* Episcopo Cardinali Ostiensi *Joannes XXII.* commisit. Is Theologos omnium ordinum doctissimos elegit ad eorum censuram, scilicet *Guidonem* Ordinis B. Mariæ de Carmelo Priorem Generalem, *Bertrandum de Turre*, Ministrum Provinciæ Aquitaniæ Ordinis FF. Minorum, *Guillelmum de Landuno*, Ordinis FF. Prædicatorum, Sacri Palatii Magistrum; *Nicolaum de Sancto Justo*, Decanum S. Quirkini, *Laurentium Anglicum*, Ordinis S. Benedicti, *Simonem Anglicum* Carmelitam, *Arnaldum Rojardi*, Ordinis Minorum, *Petrum de Palude* Ordinis Prædicatorum. Hi cum Articulos prædictos, à Cardinali Commissario ex Postilla seu Commentario dicti *Petri Joannis Olivi*, exceptos diligenter cum eodem Opere contulissent, fideliter & accuratè exceptos invenere, & summo consensu Censuram in ipsos tulerunt, maximam partem *Hæreticos & Blasphemos*, plerósque *ridiculis & fatuis divinationibus scatentes & temerarios* pronuntiarunt: sigillísque suis munitam Sententiam ad Summum Pontificem *Joannem XXII.* misere, qui doctrinam Authorémque damnavit, ossáque ejus exhumari jussit atque concremari, ut refert *Franciscus Pegna*, ex tribus probatæ fidei Codicibus MSS. Commentario 21. in II. Partem *Directorii Inquisitorum*. Sententiam sive Censuram à Magistris in Theologia supra laudatis latam, ex qua excerpta sunt, quæ de *Petri Joannis Olivi* erroribus hucusque diximus, ex Archivo Archiepiscopi Narbonensis edidit Vir Clarissimus *Stephanus Baluzius*, Tom. I. *Miscellaneorum*, Pag. 213.

Alios quosdam peculiares errores habuit *Petrus Joannis Olivi*. Asseruit nimirum, Parvulis in Baptismo gratias & virtutes non conferri. Item, Animam rationalem non esse formam corporis. Item, Christi adhuc viventis, non mortui, latus lanceâ confossum apertum fuisse. Quos errores Clemens V. in Concilio Viennensi damnavit, ut habetur in Clementina I. *De Summa Trinitate & Fide Catholica*. De *Petri Joannis* erroribus agit *Eymericus* in *Directorio Inquisitorum*, P. II. Quæst. IX.

Petrum Joannis Olivi ab hæresi purgare frustra nititur Vadingus.

Errorem ipsius de paupertate, quem cum aliis ejusdem Ordinis Professoribus imprudenti observantiæ zelo ad schisma pertinax abreptis, communem habuit, silentio prætereo; quoniam in eo errore pertinax ipse non fuit, & Ordini suo in Comitiis Generalibus Lutetiæ Parisiorum celebratis satisfecit, *S. Antonino* teste III. P. Chronici Tit. XXIV. Cap. IX. *Vvadingus* in Annalibus Minorum ipsum purgare nititur, an fausto vel irrito conatu, judicent alii. *Sixtum IV.* ejus Scripta diligenter examinari jussisse refert, atque declarasse, nihil in eis contineri, quod Fidem Catholicam expressè læderet, ac in bonum sensum trahi non posset. Verùm id *Sixtum IV.* de omnibus *Petri Joannis Olivi* scriptis pronuntiasse, & maximè de Postilla seu Commentario in Apocalypsim, non probant malè feriati hujus Authoris defensores. Quod si admittamus, aut *Sixtum IV.* aut *Joannem XXII.* in suo Judicio errasse, necesse erit. At non errasse *Joannem XXII.* probant Propositiones à Doctoribus Selectis examinatæ, & censorio stigmate inustæ, postquam eas ex dicti *Petri Joannis* libris à Cardinali Ostiensi fideliter excerptas comperissent, & cum antecedentibus & consequentibus contulissent. Quorum Sententia ad hanc usque diem in Archivo Narbonensis Ecclesiæ servata, majoris ponderis est quàm vaga illa nec satis probata de *Sixti IV.* declaratione in gratiam proscripti istius Pseudo-Minoritæ assertio. An verò & ipsum immunem ab erroribus, quorum damnatus est in Concilio Viennensi, dixit *Sixtus IV*? Et quis ipsius Judicium, extra Concilium & non ex Cathedra (ut aiunt) loquentis, Judicio *Clementis V.* in Concilio, dicti *Petri Joannis* errores gravissimos damnantis, anteponeret? Sanè librorum ipsius auctoritate, meretriculas tredecim; cùm quinque Beguinis, Pontificem novum orbi Christiano dare meditatas, ut novam Ecclesiam spiritualem, rejectâ Romanâ, quam designabant carnalis Ecclesiæ nomine, excitarent, tradit *Jordanus* Historicus, ab *Odorico Raynaldo* ex MS. Vatic. laudatus. *Angelum Clarenum*, Petri Joannis Olivi familiarem *Vvadingus* testem appellat, ejúsque auctoritate probat ipsum etiam post mortem fulsisse miraculis. Verum *Clareni* testimonium meritò reprobandum est, cùm Fraticellorum signiferum fuisse constet, qui profugit in Græciam, ut justæ Censorum Fidei severitati se subduceret: ut *Jordanus* Historicus testatur. Tandem *Petrum Joannis* apud Fraticellos multa de divinis visis sibi objectis effutiisse, qui doctrinam ejus à Deo revelatam propterea propugnabant, *Eymericus* in *Directorio Inquisitorum* testis est, vir (inquit Odoricus Raynaldus,) maximæ fidei & auctoritatis, ut qui eo tempore, quo vigebat adhuc Secta Fraticellorum, Pontificum jussu in eos, in ditione Regis Aragonum animadverteret. Ex quibus conjicere est, jactata illa *Petri Joannis* miracula, vel simplicium fuisse ludibria, vel hæreticorum mendacia. Nec enim hominis sancti & miraculis post obitum conspicui ossa exhumari, & publicè cremari *Joannem XXII.* edixisset. Accedit ad confirmandam adversùs *Petrum Joannis Olivi* hæreseos convictionem,

lata

lata in quatuor FF. Minores, qui errores ab ipso in Postilla super Apocalypsim assertos, & à nobis memoratos, pertinaciter propugnabant, Sententia. Hos enim F. *Michael*, ejusdem Ordinis Professor & Hæreticæ pravitatis Inquisitor, Massiliensis Episcopi, & Apostolica auctoritate, hæreticos judicavit, & brachio seculari tradidit. Qui Massiliæ combusti sunt anno MCCCXVIII. quia dictos errores ejurare noluerunt. Alii verò nonnulli ejusdem Ordinis, qui eosdem ejurarunt, pœna carceris damnati fuere. Ex quibus aliqui infra annum, à Religione pariter & à Fide apostatæ facti, ad Gentes Infideles transierunt, relinquentes in Scriptis ea quæ sequuntur: Videlicet quòd ipsi non dimittebant Ordinem, sed parietes; non habitum, sed pannum; non fidem, sed corticem; non Ecclesiam, sed Synagogam cæcam; non Pastorem, sed devoratorem. Item: Sicut post mortem Antichristi persecutoris Fidelium exterminabuntur qui fuerint ex pane ejus, à verè Christi Fidelibus & Ministris: sic (aiebant) mortuo isto Papa, videlicet *Joanne XXII.* nos & socii nostri Fideles Christi, nunc persecutionem ab adversariis Christi sustinentes, apparebimus, & de omnibus adversariis reportabimus victoriam, & ipsis exterminaris per reprobationem & revocationem iniquorum Processuum & Sententiarum factorum & factarum contra nos, immo potiùs contra Christum, & contra vitam & perfectionem, & Evangelium ejusdem Christi sanctum. Authenticum hac de re Instrumentum ex Archivo Narbonensis Ecclesiæ edidit Clarissimus *Baluzius* Tom. I. *Miscellaneorum*, pag. 272. ex quo etiam constat; ob ejusmodi errores, quamplures tam ex Ordine FF. Minorum, quam de Tertio Ordine *S. Francisci*, & unum etiam apostatam ex Ordine Carmelitarum, fuisse sub annis Domini millesimo trecentesimo decimo-octavo & decimo-nono & vigesimo tam Narbonæ, quàm in ejus Provincia tanquam Hæreticos condemnatos & combustos per Sententias Prælatorum & Inquisitorum. Obiit porro *Petrus Joannis Olivi* anno Christi millesimo ducentesimo nonagesimo septimo.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 368. hanc Propositionem velut meam damnant Religiosi Censores: *Papa Extra Concilium loquens, non censetur loqui ex Cathedra.*

R. Hæc Propositio non est mea, mihi perperam affingitur. De *Petri Joannis Olivi* erroribus ago. Ipsum à *Sixto Quarto* purgatum, qui declaraverit nihil in scriptis ejus contineri quod Fidem Catholicam læderet, ac in bonum sensum trahi non posset, scripsit *Vuadingus*. Repono, *Sixtum Quartum* de omnibus *Petri Joannis Olivi* scriptis id non pronuntiasse, nec ab omnibus immunem erroribus declarasse. Et quamvis ita se res haberet, ejus tamen judicium non esse anteponendum judicio *Clementis Quinti*, qui aliquos ejus errores damnavit; siquidem *Sixtus Quartus* nec in Concilio, nec ex Cathedra *Petrum Joannis* immunem ab errore pronunciavit. *Clemens* verò *Quintus* non solùm ex Cathedra (quod quidem extra Concilium fieri posse, & factum sæpissimè agnosco) sed etiam in in Concilio ejus errores damnavit. *An vero (inquam) & ipsum immunem ab erroribus, quorum damnatus est in Concilio Viennensi, dixit Sixtus Quartus? Et quis ipsius Judicium extra Concilium, & non ex Cathedra, ut aiunt, loquentis, judicio Clementis V. in Concilio dicti Petri Joannis errores gravissimos damnantis anteponeret.* ? Sanè Joannem XXII. qui ejusdem Petri Joannis Olivi errores, post diligens & accuratum librorum ejus & errorum ipsorum examen per Cardinalem Episcopum Ostiensem, & Theologos omnium Ordinum doctissimos damnavit cum Authore, ex Cathedra pronuntiasse fateor, quamvis extra Concilium judicaverit. Non solùm priscas hæreses innumeras, sed & recentes, scilicet quinque Propositionum Jansenii ab *Innocentio X.* & *Alexandro VII.* & *Quietistarum* ab *Innocentio Undecimo*, ex Cathedra damnatas fuisse, & pro legitimè damnatis hæresibus habendas, ab omnibus fidelibus, profiteor & propugno, quamvis illas Summi Pontifices extra Concilia damnaverint. Verumtamen *Joannes Bagotius* Societatis Jesu doctissimus Theologus lib. IV *Theologicarum Institutionum*, Disput. 131. Sectione 118. Propositionem asserit ac docet, quam RR. Censores notant, nec tamen P. *Bagotii* Liber Romæ damnatus est. *Ex quibus omnibus concludo*, inquit, *Summum Pontificem, ut definiat aliquid infallibiliter, Concilium aliquod seu Synodum audire oportere. Nec malè dici tunc ex S. Petri Cathedra eum loqui, seu pronuntiare sententiam, cum audito Concilio pronuntiat; Provinciali scilicet, in controversiis facilioribus. Universali verò in gravioribus.* Sed hæc doctrina, ut dixi, non est mea.

ARTICULUS X.

De FRATICELLIS.

Fraticellorum Sectæ initium dedere *Petrus de Macerata*, & *Petrus de Forosempronio*, Ordinis Minorum Apostatæ, qui *Celestini V.* simplicitate abusi, ab ipso impetrarunt, ut Eremitarum cultu vivere, ac *S. Francisci* Regulam ad literam servare possent. Sectam jam invalescentem, erroresque plurimos publicantem damnavit *Bonifacius VIII.* & Inquisitoribus jussit; ut in eos velut contra Hæreticos agerent. Ejus Literas ad *Matthæum de Theate*, Ordinis FF. Minorum, Inquisitorem hæreticæ pravitatis datas exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCXCVII. N. LV. Damnationis Pontificiæ nullâ habitâ ratione, fugerunt in Siciliam, ibique à Fidei Censoribus exagitati, post epulas tubis arundineis ludentes, blasphemam cantiunculam modulati sunt: *Exultet Ecclesia meretrix, exultet.* Et fractis tubis, & uno calice, in contemptum Romanæ Ecclesiæ, in Græciam fugerunt, errorésque suos ibi publicarunt. Tunc temporis Frater *De Bodicis* è Provincia fugit cum libris *Petri Joannis Olivi*, & in Ecclesia *S. Petri* Romæ à quinque Beguinis & tredecim meretriculis in Papam electus est. Ita refert *Jordanus* Historicus, ex MS. Vaticanæ Bibliothecæ ab *Odorico Raynaldo* laudatus. Sectæ vires in Galliis addiderat *Petrus Joannis Olivi*, Biterrensis, de quo superiùs diximus, quamvis deinùm Ordini suo satisfecisset. Religiosis Ordinibus ab Ecclesia approbatis, & præsertim FF. Minorum Conventualium sacræ familiæ detrahentes, novum Ordinem se in Ecclesia profiteri, seu potius *S. Francisci* spiritum ac Regulam se excitasse gloriabantur, cultu sordido incedentes, gyrovagi, hypocritæ, parasiti, in mulierculaurum devotarum familiaritatem se insinuantes, paupertatis Evangelicæ speciem sibi arrogabant, seque orationi & contemplationi addictissimos mentiebantur, ideóque ad laborem non teneri. Unde ad Sectam ignavorum hominum colluvies, porcarii, armentarii, pecorarii, cementarii, carbonarii, fabri, aliique ex infima sellulariorum fæce confluebant, panem ut otiosi comederent, & mendicitate (ut ipsis quidem videbatur (non indecorâ vitam sustentarent. De his agit *Alvarus Pelagius*, Silvensis Episcopus, ex Ordine FF. Minorum assumptus, qui sub *Joanne XXII.* florebat, lib. II. *De Planctu Ecclesiæ*, cap. XI. Sectam malè pullulantem *Clemens V.* abolere conatus fuerat, Apostolica mansuetudine ac Mandatis segreges Minoritas ad Ordinis unitatem, & obedientiam Generali Ministro, Provincialibus, Custodibus, atque Guardianis exhibendam revocare satagens, Declaratione etiam dubiorum quorumdam circa sensum & observantiam Regulæ emergentium editâ, in Clementina, *Exivi de Paradiso*, Tit. *De verborum significatione.* Spretis Pontificiis Mandatis, ac Censuris, ex Provincia Tusciæ, ubi loca quædam Ordinis occupaverant, in Siciliam secesserunt, & *Henricum de Ceva* dicti Ordi-

Sectæ origo.

Progressus.

nis spoliatam, Schismaticæ Congregationi suæ præfecere. Utque tam fœdo capiti membra reliqua responderent, Provinciales, Ministros, Custodes, & Guardianos eligere temeritate simili præsumpserunt, plurimos ad ipsorum Sectam recipere, Prædicatores & Confessarios assumere, eosdemque ad hujusmodi prædicationis & confessionis officium transmittere, loca etiam à locis Fratrum ipsius Ordinis semota ad habitandum de novo construere, seu constructa recipere, contra Romanorum Instituta Pontificum, in animarum suarum periculum, aliorúmque perniciem attentantes. Et ut ipsorum error veritas, & impietas religio putaretur, temeritate propria quosdam habitus cum parvis caputiis curtos, strictos, insuitatos & squalidos, simulationis conscios, irrisionis amicos, ac dissidii non ignaros, discrepantes à communitate Ordinis assumere; & in simplicium cordibus, ut eosdem secum in devium erroris adducerent, seminare dictos habitus fore secundùm Regulam *B. Francisci*, & in ipsis solùm Pseudofratribus Ordinem consistere, famámque aliorum Fratrum præfatæ Communitatis, diversis conviciis lacerare, procaci impudentique versutia præsumpserunt. Verba sunt *Joannis XXII.* in Constitutione adversùs has pestes editâ anno MCCCXVIII.

Fraticellorum errores.

De ipsorum erroribus subdit Pontifex: *Verùm quia sic sunt casus mentis, ut primùm quidem infœlix animus per superbiam intumescat, & inde in contentionem, de contentione in schisma, de schismate in hæresim, de hæresi in blasphemias, infœlici gradatione, immo præcipiti ruina descendat, prædicti temeritatis atque impietatis filii, ut habet fide digna Relatio, ad eam sunt mentis inopiam devoluti, quòd adversùs præclarissimam & saluberrimam Christianæ Fidei veritatem impiè sentiunt, Sacramenta Ecclesiæ veneranda contemnunt, & in religiosum Ecclesiæ Romanæ Primatum, cunctis nationibus percolendum, impetu cæci furoris impingunt.* Mox ex ipsorum erroribus aliquos particulatim recenset. *Primus itaque error qui de illorum officina tenebrosa prorumpit, duas fingit Ecclesias, unam carnalem, divitiis pressam, effluentem deliciis, sceleribus maculatam, cui Romanum Præsulem, aliósque inferiores Prælatos dominari asserunt: aliam spiritualem, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam, in qua ipsi soli, eorúmque complices continentur, cui etiam ipsi spiritualis vitæ merito principantur.*

Secundus error quo prædictorum Insolentium conscientia maculatur, venerabiles Ecclesiæ Sacerdotes, aliósque Ministros, sic Jurisdictionis & Ordinis clamitat auctoritate desertos, ut nec Sententias ferre, nec Sacramenta conficere, nec subjectum populum instruere valeant vel docere: illos fingentes omni Ecclesiastica Potestate privatos, quos à suâ perfidia viderent alienos: quia apud ipsos solos (ut ipsi somniant) sicut spiritualis vitæ sanctitas, sic auctoritas perseverat.

Tertius istorum error in Vvaldensium errore conjurat, quoniam & hi & illi in nullum eventum asserunt fore jurandum, dogmatizantes mortalis criminis contagione pollui, & pœna teneri, quos contigerit Juramenti religione constringi.

Quarta hujusmodi impiorum blasphemia, de prædictorum Vvaldensium venenato fonte prorumpens, Sacerdotes rite etiam & legitimè secundùm formam Ecclesiæ ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos, non posse conficere vel conferre Ecclesiastica Sacramenta confingit.

Quintus error sic istorum hominum mentes obcæcat, ut Evangelium Christi in se solis hoc in tempore asserant esse completum, quod hactenus (ut ipsi somniant) abjectum fuerat, imò prorsus extinctum.

Multa sunt alia, quæ isti præsumptuosi homines contra conjugii venerabile Sacramentum garrire dicuntur. Multa quæ de cursu temporum & fine seculi somniant. Multa quæ de Antichristi adventu, quem jam instare asserunt, flebili vanitate divulgant. Quæ omnia quia partim hæretica, partim insana, partim fabulosa cognoscimus, damnanda potius cum suis Auctoribus, quam stylo prosequenda aut refellenda censemus. Hæc *Joannes XXII.*

Asserebant præterea, Professos Regulam Beati *Francisci* non esse adstrictos ad obediendum Romano Pontifici in suis Declarationibus, seu interpretationibus factis circa ipsam: quoniam (ut aiebant) ipsa Regula Evangelium Christi est, & qui in ejus intellectu seu observatione deficiunt, procul à fide & Christi Evangelio separantur, eamdem Regulam Christi Evangelio in omnibus coæquantes. Negabant insuper Summum Pontificem abrogare posse Ordinem FF. Minorum. Christum & Apostolos nihil habuisse etiam in communi: in eòque positam esse paupertatis Evangelicæ perfectionem, pertinaciter propugnabant. *Joannis XXII.* Constitutiones, *Cum inter nonnullos*, &, *Quia quorumdam mentes*, &, *Ad conditorem Canonum*, impugnabant; ipsúmque non habuisse auctoritatem hujusmodi Constitutiones condendi, nec se ad parendum ipsis teneri, asserebant. Et quòd nullus mortalium cogere ipsos posset ad deponendos habitus strictos, & nimia brevitate difformes ac ridiculos. Et quòd tales habitus strictos deponere, victui necessaria congregare, & in crastinum etiam ad præceptum Romani Pontificis reservare, esset Christi vitam extinguere: & qui eos ad hoc agendum quavis auctoritate cogerent, Christum de Synagoga propellere. Ista constant ex Tractatu *Contra Beguinos & FF. Minores qui dicuntur Spirituales*, edito à Clarissimo *Baluzio* ex Archivo Narbonensis Ecclesiæ, Tom. I. *Miscellaneorum*, pag. 276.

Damnatio.

Postremos istos articulos, & quemlibet eorum, esse Hæreticos, judicarunt tredecim Prælati & Doctores infra scripti: *Vitalis*, Tituli S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis, & Sacræ Theologiæ Doctor; *Berengarius de Landorra*, Compostellanus Archiepiscopus; *Guillelmus de Landuno*, Ordinis FF. Prædicatorum Sacri Palatii Magister; *Deodatus*, Castrensis Episcopus; *Raymundus*, Episcopus S. Flori, Decretorum Doctor; *Guido Terreni*, Ordinis B. Mariæ de Carmelo, Sacræ Theologiæ Doctor; *Henricus*, Lucanus Episcopus; *Michael de Casena* Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Professor; *Arnaldus Royardi*; *Durandus*, Episcopus Aniciensis; *F. Laurentius*, Sacræ Theologiæ Professor; *Jacobus*, Abbas Pontiniaci; *Raymundus* Massiliensis Episcopus. Horum Censuram ac Judicium edidit *Stephanus Baluzius* Tom. 1. *Miscellaneorum*, pag. 269. Propter defensionem istorum errorum pertinacem, FF. *Joannes Barrani*, *Deodatus Michaelis*, *Guillelmus Santonis*, Presbyteri, & *Pontius Rocha*, Diaconus, & alii Ordinis Minorum solo nomine Professores, damnati sunt à *Michaele Monachi*, ejusdem Ordinis, in Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi, & Viennensi Provinciis Inquisitore, ab Episcopo Massiliensi degradati, seculari Magistratui relicti, & combusti Massiliæ, anno MCCCXVIII. Inquisitoris Sententiam Tom. 1. *Miscellaneorum* doctissimi *Baluzii*, pag. 198. legere est.

Propugnabant etiam Fraticelli, doctrinam insanam *Petri Joannis* esse à Spiritu Sancto revelatam, & nullam hæresim vel errorem continere. Damnatos etiam & combustos Massiliæ, vel alibi, propter supra recensitos errores, injustè damnatos esse pro veritate Evangelicæ Regulæ defendenda, effutiebant, & ipsos ut Martyres colebant, prædicabant. Id constat ex Opusculo *Joannis de Belna*

Inquisitoris Carcassonensis, contra eosdem edito, quod legi potest Tom. I. *Miscellaneorum Baluzii*, pag. 585. De eorumdem Hæreticorum erroribus agit *Eymericus* noster, II. P. *Directorii Inquisitorum*, Quæstione XV. Fraticelli, Bizochi, Beguardi, Beguini, Fratres de paupere vita, Fratres Spirituales, interdum nuncupabantur. Plurimi eorum Regulam *S. Francisci* se profiteri, & ad literam observare gloriabantur, se à *Cœlestino Quinto* vitæ hujus Privilegium habuisse prætendentes. Quidam dictum habitum & vivendi ritum à quibusdam Episcopis se recepisse. Nonnulli se Tertii Ordinis S. Francisci Professores dicebant, ut refert *Joannes XXII.* in Extravaganti; *Sancta Romana Ecclesia*, qua Sectam istam damnavit. (Extat inter Extravagantes Tit. *De Religiosis Domibus.* III. Kalendas Januarii anno MCCCXVII. edita, & in Constitutione, *Gloriosam Ecclesiam.*) Qui hanc olim Sectam ejúsque errores damnaverat atque impugnaverat *F. Michaël de Cesena*, in partes *Ludovici Bavari* postmodum abreptus, ejúsque Schismati contra *Joannem XXII.* unà cum *Okamo*, & *Bonagratia*, necnon *Henrico de Thalheim*, sive *Chalhem*, adhærens & ab eodem Pontifice excommunicatus & exauctoratus, eorumdem errorum patrocinium contra Constitutiones ipsius suscepit. In eadem Secta famosus fuit *F. Franciscus è Lutra*, Germanus, qui se Prophetam esse mentitus est, sibique à Christo revelatum, omnes Minoritas, qui Decretis Apostolicis usi, paupertatis Franciscanæ austeritatem mitigarant, lethali peccato devinctos teneri: se verò à Christo constitutum, ut Ordinis Minorum disciplinam pristino splendori restitueret. Sodales hortabatur ut jugum Ordinis & Superiorum excuterent. Dictis suis Pontificem Romanum obtemperare debere, effutiebat vir insanus; idque à Christo imperatum, se namque *Bajulum* esse *Lucis*, à Deo ex utero electum. Denique peccari in stipe FF. Minoribus danda, projectæ audaciæ Fraterculus declamabat. Publica de hujus Impostoris erroribus & insania documenta, missa ad *Joannem XXII.* qui ipsum compressit, exhibet *Odoricus Raynaldus* in Additionibus ad Tom. XV. Annalium Ecclesiasticorum ad annum 1321. Eamdem Sectam in Catalonia propagarunt *Joannis XXII.* & *Benedicti XII.* temporibus, *Petrus Olerii*, *Bonanatus* & *Jacobus Justi.* Duo priores seculari Magistratui tradiri, flammisque damnati: tertius, cùm errores ejurasset, carceri mancipatus est.

Eymericus II. P. Direct. in. Quæst. 11.

ARTICULUS XI.

De HERMANNO; GERALDO SEGARELLI, DULCINO: Et de BEGUARDIS & BEGUINIS.

I. HErmannus Pongilupus, Patria Ferrariensis, multorum accusatus errorum dum viveret, damnatúsque ab Inquisitoribus; nihilominus cùm errores verbis tenus ejurasset, plurimisque sanctæ conversationis specie fucum fecisset, in Ecclesia sepultus fuerat. Errorum ipsius, turpissimæque sectæ ab ipso conditæ famâ ad *Bonifacium VIII.* perlatâ, jussit Pontifex ejus ossa exhumari, flammisque tradi, anno post ejus obitum trigesimo primo, ut testatur *Bernardus Guido* in *Chronico Romanorum Pontificum.* Secta ab ipso informata, veterum Gnosticorum nocturna conventicula, & promiscuam in iis libidinem renovabat. Fœtus furtivis illis coitibus conceptus, tandiu per manus in orbem stantium jactabatur, donec spiritum redderet: & in cujus manibus expirabat, is Pontifex eorum

Hermannus infamis Sectæ novatura Gnosticorum parens.

Maximus creabatur. Cremabant etiam unum ex infantibus ita procreatis; cineribúsque in eadum conjectis, ac vino super infuso, inde Novitii initiabantur. Addebant, Christianorum nemini licere quidquam habere proprium, nec Respublicas administrare, vel Magistratus gerere. Propugnabant demum animas Sanctas non frui Dei visione ante diem Judicii. Hi quoque Fraticelli ab Authoribus Ecclesiasticis vocantur, quamvis longè ab illis diversi sint, qui ex Ordinis Franciscani scissione prodiere, & Fratres Spirituales, seu de paupere vita sunt appellati. De his *Joannes Baptista Pigna*, de Atest. Prin. lib. III. *Prateolus*, & *Bernardus Luxemburgus* in *Catalogo Hæreticorum.*

II. *Gerardus Segarelli*, Parmensis, vir plebeius, illiteratus, & stultus, cùm postulato FF. Minorum habitu repulsam passus esset, novum sibi habitum composuit, alboque pallio involutus, cum soleis in pedibus, secundùm quòd Apostolos depictos viderat, capillitio barbâque; venditâ domunculâ, pretióque non in pauperes, sed in nebulones qui taxillis ludebant, dispers0, Christum & Apostolos imitari se velle professus est. Atque ut Christum æmulari videretur, circumcidi voluit, fasciis etiam involutus in cunabulis jacere, mulierculæ cujusdam ubera sugere. Viles deinde homunciones in societatem traxit, quam noxia libertas, & explendæ libidinis licentia facilè propagarunt. Apostolorum nomen sibi arrogabant, mendicando vagabantur, omnia communia esse debere docebant, etiam uxores. Deum Patrem rexisse mundum in severitate & justitia ab ejus creatione usque ad Incarnationem Filii: tum à Filio gubernari cœpisse in gratia & sapientia; jámque à Spiritu Sancto in amore & caritate regi. Vigente itaque regno caritatis, illicitum esse [illegible] negare quicquid ex caritate postularetur; adeóque promiscuam virorum fœminarúmque commixtionem, cùm ex caritate fieret, peccatum non esse, sed actum caritatis. Fœdum illud dogma plurimis hominum millibus afflavit *Dulcinus*, Novariensis, *Segarelli* discipulus. Addebant, Auctoritatem omnem a Christo traditam Ecclesiæ Romanæ, omnino evacuatam esse, ab eáque excidisse Pontificem, Cardinales, cæterósque Prælatos: & in Sectam suam translatam fuisse, quæ verè spiritualis congregatio à Deo electa, & in novissimis diebus missa esset. Nec Romano Pontifici, nec alicui hominum se subditos esse. Viros absque uxorum, uxores absque maritorum consensu, posse Matrimonii statum deserere, & ad Sectam suam transire. Omnes Romanæ Ecclesiæ Prælatos, tam majores, quàm minores, à tempore *S. Silvestri*, seductores fuisse, excepto *Petro de Murrone*, quòd à modo vivendi priorum Sanctorum declinassent. Ordines omnes Hierarchicos & Religiosos, esse in Fidei Catholicæ detrimentum. Laicos ad solvendas alicui Romanæ Ecclesiæ Sacerdoti decimas non teneri, nisi perfectionem & paupertatem Apostolorum sit assecutus. Perfectius esse vivere sine voto, quàm voti religione obstrictum. Perinde esse in stabulo, ac in Ecclesia Deo consecrata orare. Licitum esse fidem ore negare ad Inquisitorum potestatem evadendam, modò corde teneatur. Ista constant ex *Salimbenè de Adam*, Ordinis Minorum Authore, qui *Segarellum* Sectæ Authorem vidit, in Codice MS. quem ex Bibliotheca Cardinalis *Sabelli* laudat *Franciscus Pegna*, Commentat. XXXVII. in II. *P. Directorii Inquisitorum*, ex *S. Antonino* P. III. Chronici Tit. XXI. cap. I. §. I. ubi de *Dulcinò* agit; &, ex *Eymerico* II. Parte *Directorii*, Quæst. XI. Cùm plurimos corrupisset *Segarellus*, à *Manfredo* Inquisitore Ordinis FF. Prædicatorum, & *Opizone de Sancto Vitali*, Parmensi Episcopo captus, damnatus, & seculari

Gerardus Segarelli Pseudoapostolorum Sectam fœdis dogmatibus & libidinibus infamem condit.

Dulcini Sectæ propagatio.

Sectæ & Authorum damnatio.

traditus

traditus Magistratui, flammis addictus atque consumptus est, die XVIII. Julii anno MCCC. sub Pontificatu *Bonifacii VIII.* Damnata fuerat antea Secta illa Pseudo-Apostolorum ab *Honorio IV.* anno M.CCLXXV. & à *Nicolao IV.* anno MCCXC. *Honorii IV.* Literas, quæ incipiunt, *Olim felicis*, exhibet *Eymericus* in *Directorio Inquisitorum*, pag. 270. In *Dulcinum* verò, ab eòque seducta sex hominum millia, in Alpibus habitantia, *Clemens V.* Inquisitores primùm, deinde Crucesignatos Milites direxit. Captus Hæresiarcha, cum scorto, cui *Margarita* nomen, & plerisque aliis; qui Vercellas ducti, secularis Magistratus sententia flammis addicti sunt, ut *S. Antoninus* loco supra laudato, & *Bernardinus Corius*, in Historia Mediolanensi, P. II. ad annum MCCCVII. testantur.

Beguardorum & Beguinarum errores à Clemente V. & Concilio Viennensi damnati.

III. *Beguardi & Beguinæ* unde appellati, incertum. Commune nomen fuit cum Fraticellis, qui ex scissione Franciscani Ordinis prodiere, tum aliis Hæreticis ex *Segarelli & Dulcini* schola. Quorum errores à *Clemente V.* Pontifice Maximo, & Concilio Viennensi Oecumenico damnati sunt; & recensentur cap. *Ad nostrum. De Hæreticis.* Primus eorum error erat: Quòd homo in vita præsenti tantum & talem perfectionis gradum potest acquirere, quòd reddetur penitus impeccabilis, & ampliùs in gratia proficere non valebit. Nam (ut dicebant) si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri. Secundus; [a] Quòd jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus: quia tunc sensualitas est ita perfectè spiritui & rationi subjecta, quòd homo potest liberè corpori concedere quicquid placet. Tertius; Quòd illi qui sunt in prædicto gradu perfectionis, & spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur: Quia (ut asserebant) *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Quartus: Quòd homo potest ita finalem beatitudinem, secundùm omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata. Quintus: Quòd quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata: quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum. Sextus: [b] Quòd se in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à se virtutes. Septimus: [c] Quòd mulieris osculum (cùm ad hoc natura non inclinet) est mortale peccatum: Actus autem carnalis (cùm ad hoc natura inclinet) peccatum non est; maximè cum tentatur exercens. Octavus: Quòd in elevatione Corporis Jesu Christi non debebant assurgere, nec eidem reverentiam exhibere: [d] asserentes quòd esset imperfectionis eisdem, si à puritate & altitudine suæ contemplationis tantùm descenderent, quòd circa ministerium seu Sacramentum Eucharistiæ, circa Passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent. Addit *Clemens V.* Nonnulla etiam alia sub simulatâ quadam sanctitatis specie ipsos dicere, facere, & committere, quæ oculos Divinæ Majestatis offendunt, & grave in se continent periculum animarum. In Germania præsertim hanc Sectam grassatam fuisse, ex eadem Clementina discimus. De iisdem Hæreticis & eorum erroribus, legendus *Alvarus Pelagius*, Silvensis Episcopus, ex Ordine FF. Minorum assumptus, coævus Author, lib. II. *De Planctu Ecclesiæ*, cap. LII. ubi & eos strictim refellit. Sectæ caput *Dulcinum* fuisse ait, à quo pestiferam illam doctrinam de spiritu libertatis didicerunt, quâ omnis peccati, & præcipuè carnalis conscientiam extinxere: Nihil aliud esse dicentes Infernum, nisi non facere propriam voluntatem; nec aliud esse Paradisum, nisi facere in omnibus propriam voluntatem, & uti in omnibus propria libertate. Multos Ordinis FF. Minorum Apostatas ad hanc Sectam effrænatæ libertatis defecisse, testatur idem Antistes. *Finis*, inquit, *talis spiritus libertatis, caro est, & non spiritus. Tempore meo in Provincia B. Francisci multi seculares & Fratres Minores pro isto carnali spiritu libertatis per Inquisitores hæretica pravitatis incarcerati fuerunt: inter quos fuit quidam Frater noster, qui propter perfectionem quam ostentabat, Apostolus dicebatur, qui ibi caput fuit istius erroris: Qui cum essem Novitius & consulerem eum, credens eum virum perfectum, super quadam mea tribulatione, subridens dixit mihi, Quòd ipse tribulari non poterat. Quod verbum non intelligens, ipsum mirabilem hominem reputavi: sed cum captus esset pro isto spiritu libertatis, intellexi verbum suum occultum, quòd ideo non poterat tribulari, quia faciebat quidquid sibi caro & sensualitas suggerebat, servus carnis, liber à justitia. Iste in carcere Fratrum mortuus fuit Florentiæ, si verè pœnitens nescio.*

a Error à Quietistis renovatus.

Errores circa Beatitudinem & visionem Dei.

b c d Hos etiã errores adoptarunt Quietistæ.

Pestiferam de spiritu libertatis doctrinam hanc Molinos & alii Quietistæ nuper hauserunt.

Hi & alii Hæretici ac Nebulones, quos illis temporibus peperit, vel potius è sinu suo velut putida flegmata ejecit Ordo Sacer *S. Francisci*, nihil ejus sanctitati detraxerunt: sicut non detrahunt Ecclesiæ sanctitati Hæretici & mali quilibet Christiani, qui ex ipsa exeunt, aut in ejus sinu cum bonis sunt commixti. Et de hujusmodi Apostatis Fraticellis, Dulcinistis, Beguardis, aliisque pestibus, dicere jure FF. Minores potuerunt: *Non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Quod & alii Ordines Religiosi eodem jure usurpare potuere, cùm similia quædam monstra pepererunt. De iisdem Hæreticis legi possunt *S. Antoninus* III. P. Chronici Tit. XXI. cap. III. §. II. & Cardinalis *Joannes à Turrecremata* in Summa *De Ecclesia*, P. II. lib. IV. Cap. XXXVI.

ARTICULUS XII.

De ARNALDO DE VILLANOVA, LOLHARDIS, CECCO ASCULANO, & EKARDO.

I. *ARnaldus de Villanova*, Natione Catalanus, Professione Medicus, *Jacobi* Regis Aragoniæ, & *Friderici* Regis Siciliæ ad *Clementem V.* Pontificem Maximum Orator, nobile ingenium ac eruditionem pravis de religione opinionibus & superstitionibus fœdavit. Parisiis cùm errores spargeret à Theologis impugnatus & confutatus, nec in Regno Christianissimo se tutum existimans, nisi desipere cessaret, ac palinodiam caneret, abiit in Siciliam: unde missus à Rege Legatus ad Summum Pontificem, naufragio periit. Ex nefariis ejus Libris excerpti errores à *Joanne Longerio* Ordinis FF. Prædicatorum Inquisitore, & ab Ecclesiæ Tarraconensis Præposito Vicarióque Generali Sede vacante, damnati sunt anno Domini MCCCXVII. adhibito peritissimorum Theologorum consilio. Quindecim errorum ipsius capita recenset *Eymericus* in *Directorio Inquisitorum*, P. II. Quæst. XI. I. Quòd natura humana à Filio Dei assumpta, sit æqualis Deo in omnibus suis; & quòd tam alta sit humanitas in Christo, ac Deitas, & tantùm possit. II. Quòd ut primùm anima Christi conjuncta fuit Divinitati, scivit omnia, quæ scit Deitas: alioquin (inquiebat) una cum ea persona non fuisset: cùm scire sit propria dos personæ, non naturæ. III. Quòd Diabolus populum omnem Christianum à veritate Christianæ Religionis abduxit, cujus species duntaxat ex usu remanet: Omniúmque ac singulorum Christianorum fides

Arnaldi de Villanova errores damnati.

fides Dæmonum fidei similis est : Apostasiam à planta pedis usque ad verticem in toto Christi corpore regnare ; Christianos omnes in infernum detrudi. IV. Monachos omnes adulterare doctrinam Christi, charitate destitutos esse, æternùm damnari. V. Studium Philosophiæ procul à Christianis Scholis eliminandum : Summóque dignos vituperio Theologos, qui ex Philosophiæ Principiis aliqua in Opera sua derivarunt. VI. Revelationem factam *Cyrillo* cunctis Scripturis Sacris pretiosiorem esse. VII. Opera misericordiæ esse Deo gratiora Sacrificio Altaris. VIII. Fundationes Capellarum, aut Præbendarum, seu etiam Missarum pro Defunctis non esse opera caritatis, sed res ad vitam æternam promerendam prorsus inutiles. IX. Eum qui multitudinem inopum novit, & congregat seu retinet superflua ad fundandum Capellanias aut Missas perpetuas, æternam damnationem incurrere. X. Sacerdotem qui Sacrificium Altaris offert, vel eum qui offerri procurat, nihil Deo de suo, nequidem voluntatem offerre. XI. Passionem Christi magis in eleemosynis repræsentari, quàm in Sacrificio Altaris. XII. Non opere, sed ore tenus in Sacrificio Missæ Deum laudari. XIII. In Pontificiis Constitutionibus scientiam duntaxat esse operum humanorum. XIV. Nunquam Deum æternam damnationem comminatum esse peccantibus, sed malum exemplum præbentibus. XV. Mundum anno MCCCXXXV. desiturum. Libros ejusdem *Arnaldi* tot scatentes erroribus iidem Inquisitor & Præpositus damnarunt latâ Sententiâ. Horum Indicem apud *Eymericum* in *Directorio Inquisitorum*, P. II. Quæst. XXVIII. legere est. Videsis *Bernardum Luzemburgum* in Catalogo Hæreticorum, & *Prateolum* lib. I. cap. LXIX.

II. *Lolhardus* quidam *Walterus*, anno circiter MCCCXV. fœdissimis per Germaniam, Austriam, & Boëmiam sparsis erroribus, Sectæ *Lolhardorum* nomen dedit ; quorum errores *Trithemius* in Chronico Hirsaugiensi ad hunc annum recenset, & Inquisitores ex Ordine FF. Prædicatorum in iis exterminandis egregiam operam navasse testatur. Hæc porro hæreseos ipsorum capita *Trithemius* commemorat. I. Missas vanitatem esse dicebant, & nullius vel reverentiæ, vel utilitatis. II. *Luciferum* cum Dæmonibus suis cœlo injuriâ pulsum, tandémque beatitudini cum suis omnibus restituendum : *Michaelem*, & Angelos omnes æternis cruciatibus deputandos ; hominésque ab eorum Secta alienos, similiter esse damnandos. III. B. Virginem *Mariam*, si Virgo permansit post partum, non hominem, sed Angelum peperisse. IV. Se habere XII. Apostolos jactitabant, qui totum singulis annis Imperium perlustrarent : & duos ex eis ordine & professione Seniores, singulis annis Paradisum intrare, ac ligandi solvendique potestatem ab *Helia* & *Henoch* recipere, quam cum aliis ejusdem Sectæ Professoribus communicarent. IV. Sacramentum Baptismi irridebant, dicentes : Si Baptismus est Sacramentum, ergo quodlibet balneum est Sacramentum : & per consequens quilibet balneator esset Deus. V. Sacramentum Pœnitentiæ turpiter vitiabant, non Sacerdotibus, sed Laicis peccata sua confessi, eáque in genere tantùm, non in specie exprimentes : séque hujusmodi Confessione remissionem plenariam tum culparum, cùm pœnarum, accepturos sperabant. VI. Sacramentum Dominici Corporis non credebant, Hostiam consecratam Deum fictitium appellantes. VII. Sacramentum Matrimonii juratum meretricium nuncupabant. VIII. Sacramentum Extremæ-Unctionis irridebant : & interrogati quid de illo sentirent, unanimiter respondebant : Credimus olera quantò fuerint oleo plus condita, tantò esse meliora. Consecrationes & Benedictiones omnes in Ecclesia frequentari solitas, velut inanes ritus sugillabant. IX. Deum nec scire, nec punire mala, quæ sub terra fierent, blasphemabant. Unde in speluncis, & locis subterraneis convenientes, pater cum filia, frater cum sorore promiscuam turpitudinem exercebant. X. Romanam Ecclesiam, non Christi, sed gentium infidelium esse dicebant : omniáque Statuta Ecclesiæ cum Prælatis & Ministris ejus contemnebant. XI. Jejunium irridebant : carnibus omni tempore, etiam sexta feria Parasceves, vescebantur. XII. Dies Festos non servabant, sed ipso die Paschatis laborabant. XIII. Perjurium negabant esse peccatum. XIV. Merita & intercessiones Sanctorum, hominibus apud Deum posse suffragari inficiabantur. Sed & complures alios errores ipsos professos fuisse, quos silentio præterit, ne tædio sit lectoribus, scribit *Trithemius* Abbas. Hanc hæresim adeo fuisse grassatam addit, ut in Austria, Bohemia, finitimisque Provinciis plusquam octoginta millia hominum in eam Sectam jurati & professi numerarentur. *Ex hac face* (inquit) *Boemia tunc infecta, usque in præsentem diem iisdem erroribus & turpitudinibus scatet.* Subdit multos eo tempore in diversis Austriæ locis combustos fuisse, qui omnes in suis erroribus ad mortem usque pertinacissimè & magna cum hilaritate permanserunt. *Walterus* Sectæ princeps Coloniæ exustus est, anno MCCCXXII. ut Trithemius refert in Chronico Hirsaugiensi.

Lolhardorum errores.

Errores circa Sacramenta.

Blasphemiæ.

Abominandæ turpitudines.

Ecclesiæ, & mandatorum ejus contemptus.

Walteri auctoris Sectæ supplicium.

III. *Ceccus Asculanus*, Caroli Ducis Calabriæ Astrologus, Florentiæ ab Inquisitore Fidei de hæresi & pravo Astrologiæ Judiciariæ usu damnatus, igni addictus est, anno MCCCXXVII. Bononiæ Tractatum ediderat in Sphæram, quo inter alias blasphemias docebat, In superioribus orbibus Spiritus malignos generari, qui per incarnationes sub certis constellationibus constringi poterant ad res admirabiles faciendas. Et stellarum influxibus necessitatem absolutam tribuebat ; adeo ut Christum diceret venisse in mundum, voluntate divina se necessitati syderum accommodante, ex quâ pariter & pauper nasci, & desidiosam vitam cum Discipulis suis agere, & turpem mortem obire necesse habuerit. Contra verò Antichristum ex positura syderum in ejus nativitate futura, necessariò divitem ac splendidum fore. Aliáque vana & blasphema addebat. Ita refert *Joannes Villani* lib. X. cap. XLI. & XLII.

Cecci Asculani professio & errores.

IV. *Ekardus*, Teutonicus, Ordinis Prædicatorum Doctor Theologus, ad sobrietatem non sapiens, neque secundùm mensuram fidei, prout in Ordine Sancto institutus erat, perniciosissimos errores suis concionibus scriptisque vulgavit, ut compertum fuit ex quæstione in ipsum habita primùm ab *Henrico* Archipræsule Coloniensi, deinde coram *Joanne XXII.* Pontifice Maximo, in cujus Literis ab *Odorico Raynaldo* ad annum MCCCXXIX. N. 70. descriptis ex Regesto * ejusdem Pontificis, viginti sex errorum *Ekardi* capita recensentur. I. Quòd Deus non potuit primò producere mundum ; quia res non potest agere antequam sit ; unde quàm citò Deus fuit, tam citò mundum creavit. II. Concedi posse quòd mundus ab æterno fuerit. III. Quòd simul & semel quando Deus fuit, quando Filium sibi coæternum per omnia coæqualem Deum genuit, etiam mundum creavit. IV. In omni opere, etiam malo, tam culpæ quàm pœnæ, manifestari & relucere æqualiter gloriam Dei. V. Quòd vituperans quempiam, ipso peccato vituperii laudat Deum, & quò plus vituperat, & graviùs peccat, ampliùs Deum laudat. VI. Deum blasphemiâ laudari. VII. * Eum qui orando singulare aliquid ac determinatum petit, malum petere

* An. 13. Pont. Epist. Cur. 1.

Ekardi errores.

a b c d Errores à Quietistis renovati.

A tere & malè, quia negationem boni & negationem Dei petit, & orat Deum sibi negari. VIII. [b] In illis hominibus honorari Deum, qui non intendunt res, nec honores, nec utilitatem, nec devotionem internam, nec sanctitatem, nec præmium, nec Regnum cœlorum; sed iis omnibus renuntiaverunt. IX. [c] Ego (inquit) nuper cogitavi, utrum ego vellem aliquid recipere à Deo vel desiderare: ego volo de hoc deliberare; quia ubi essem accipiens à Deo, essem sub eo vel infra eum, sicut famulus vel servus, & ipse sicut Dominus in dando: sic verò in æterna vita non erit. X. [d] Nos (inquiebat) transformamur totaliter in Deum & convertimur in eum, sicut B in Sacramento Eucharistiæ panis convertitur in Corpus Christi, sic ego convertor in eum, quòd ipse operatur me suum esse; unum, non simile. XI. Quicquid Deus Pater Filio suo unigenito in natura humana dedit, hoc totum (inquiebat) mihi dedit. Nihil excipio, nec unionem, nec sanctitatem. XII. Quicquid Sacra Scriptura de Christo dicit, id omne de quovis homine sancto verè dici. XIII. Quicquid divinæ naturæ proprium est, id totum hominis justi proprium esse. Quamobrem illum operari quicquid Deus opeC ratur: unà cum ipso cœlum & terram creasse, Verbum æternum generare: denique Deum sine ipso nihil facere posse. XIV. [e] Virum probum sic debere conformare voluntatem suam voluntati divinæ, ut ipse velit quicquid vult Deus; dicátque: Quia Deus vult aliquo modo me peccasse, nollem non commisisse peccata. Hanc veram esse pœnitentiam addebat. XV. [f] Si homo mille peccata mortalia commisisset, si esset rectè dispositus, velle non deberet se ea non commisisse. XVI. Deus non præcepit actum exteriorem. XVII. Actus exterior non est propriè bonus, D nec Deus propriè ipsum operatur. XVIII. Afferamus (aiebat) fructum actuum, non exteriorum, qui nos bonos non faciunt; sed actuum interiorum, quos Pater in nobis manens facit & operatur. XIX. Deus animas amat, non opus externum. XX. Bonus homo est Unigenitus Filius Dei. XXI. *Homo Nobilis* est Unigenitus Filius Dei, quem Pater ab æterno genuit. XXII. Pater (aiebat) generat me suum Filium & eumdem Filium. Quicquid Deus operatur, unum est. Propterea (inquiebat) generat me suum Filium sine omni distinctione. XXIII. Deus unus est omnibus modis, & secundùm omnem rationem; E ita ut in ipso non sit invenire aliquam multitudinem in intellectu, vel extra intellectum. Qui enim duo videt, vel distinctionem videt, Deum non videt. Deus enim unus est extra numerum & supra numerum, nec ponitur unum cum aliquo. Nulla igitur in Deo distinctio esse aut intelligi potest. XXIV. Omnis distinctio est à Deo aliena, neque in natura, neque in personis probatur: quia natura ipsa est una, & hoc unum; & qualibet persona est una, & idipsum unum quod natura. XXV. Dum dicitur: *Simon, di-* F *ligis me plus his?* Sensus est, id est, plus quàm istos: & bene quidem, sed non perfectè: in primo enim & secundo, & plus & minus, & gradus est, & ordo: in uno autem nec gradus est, nec ordo. Qui igitur diligit Deum plus quam proximum, bene quidem, sed nondum perfectè XXVI. Omnes creaturæ sunt purum nihil. XXVII. Aliquid est in anima quod est increatum & increabile: si tota anima esset talis, esset increata & increabilis: Et hoc est intellectus. XXVIII. Deus non est bonus, neque melior, neque optimus. Ita malè dico, cùm voco Deum bonum, ac si album vocarem nigrum.

e f Errores à Quenstis renovati.

A De his articulis *Joannes XXII.* ex Doctorum & Cardinalium sententia pronunciavit, quindecim priores & duos postremos, tam ex verborum sono, quàm ex connexione sententiarum, labem hæreseos continere. Quindecim alios malè sonare, temerarios esse, ac de hæresi suspectos: *Licet cum multis expositionibus ac suppletionibus sensum Catholicum formare valeant, vel habere.* Et libros quoslibet ejusdem *Ekardi* hujusmodi erroribus inquinatos, auctoritate Apostolica damnavit. Declaravit nihilominus Pontifex, *Quod Ekardus in fine vitæ suæ Fidem Catholicam professus, prædictos viginti* B *sex Articulos, quos se prædicasse confessus extitit; nec non quæcumque alia per eum scripta & docta, sive in Scholis, sive in prædicationibus, quæ possent generare in mentibus Fidelium sensum hæreticum vel erroneum, ac veræ fidei inimicum; quantùm ad illum sensum revocavit, ac etiam reprobavit, & haberi voluit pro simpliciter & totaliter revocatis, ac si illos & illa sigillatim & singulariter revocasset: Determinationi* (inquit) *Apostolicæ Sedis & nostræ tam se quàm Scripta sua & dicta omnia submittendo.* Ekardi errores *Joanni Taulero* ignotos fuisse oportet, qui in Opusculo *De Convivio*, ipsum velut insignem C pietate ac doctrina Theologum celebrat. Id verò *Bzovium* in errorem traxit, qui & ipse ad annum MCCCXXXVII. N. XIV. *Ekardum* tanquam insignem Ordinis Prædicatorum Theologum commendat.

Ekardi errores à Joanne XXII. damnati.

Ekardus errores suos revocavit, seque & scripta sua Sedis Apostolicæ judicio subjecit.

ARTICULUS XIII.

De MARSILII PATAVINI, & JANDUNI Hæresibus.

D *Marsilius de Menandrino*, Patavinus, & *Joannes Jandunus*, Perusinus, Aristotelici magis quàm Christiani, Politici magis quàm Catholici, venales calamos *Ludovico Bavaro* Schismatico Imperatori adversùs *Joannem XXII.* Pontificem Maximum, & Ecclesiasticam auctoritatem commodarunt. *Marsilius* pestiferum librum de Jurisdictione Imperiali & Pontificia anno M. CCCXXIV. ipsi nuncupavit, quem inscripsit, *Defensorem Pacis*. Cui etiam consarcinando damnatissimam operam *Jandunus* impendit. Hos errores homines impii propugnarunt. I. Christum Dominum, quando solvit tributum Cæsari, id ex ne- E cessitate & obligatione, non ex pietate fecisse; quod res ejus temporales Imperatori subessent. Ex quo inferebant, res Ecclesiæ temporales ita Imperatori subjectas esse, ut velut suas pro libito repetere illas possit. II. Christum in cœlos ascendentem nullum in Ecclesia visibile caput constituisse, nullum Vicarium reliquisse. Nec *S. Petrum* plus auctoritatis quàm Apostolos reliquos accepisse. III. Ad Imperatorem spectare Pontifices instituere, deturbare, ac punire. IV. Imperatorem succedere Pontifici, & Ecclesiam Sede vacante regere posse. V. Sacerdotes omnes, sive F Pontifices, sive Episcopos, sive simplices Presbyteros, ex institutione Christi esse æqualis auctoritatis & Jurisdictionis. Quòd autem unus ampliorem alio potestatem habeat, id Imperatori acceptum ferre: qui ut liberaliter concedit, ita revocare pro libito potest. VI. Totam Ecclesiam simul junctam nullum hominem punitione coactiva coërcere posse, nisi id concesserit Imperator. VII. Ecclesiam bona temporalia possidere non posse VIII. Excommunicationis aut Interdicti ferre Sententiam, nulli Episcopo vel Sacerdoti, aut ipsorum Collegio licere, absque auctoritate Principis. IX. Non minùs Episcopos communiter

Hunc Guillelmus Nangii Continuator Gallum facit, fortè quia legerat alicubi Joannem de Landuno, loco Joannis de Janduno.

» communiter aut divisim excommunicare posse Romanum Pontificem, quàm illos Pontifex communione privare possit. X. Matrimoniorum humana duntaxat, non divina lege prohibitorum dispensationem ad Principem spectare. XI. Natos non ex legitimo thoro legitimos facere, non solùm ad civiles effectus, sed etiam ad Officia & Beneficia Ecclesiasticæ, unius esse Principis.

» XII. Penes Principem esse Judicium coactivum de capacitate promovendorum ad Sacros Ordines, nec Episcopo fas esse quemquam absque ipsius auctoritate promovere. Ejusdem esse numerum Ecclesiarum sacrorúmque Ministrorum decernere, & Beneficia Ecclesiastica conferre; Religiosos Ordines approbare; de rebus temporalibus ad pias causas destinatis disponere; Concilia congregare . ita ut nullam vim habeant, quæ sine illius auctoritate celebrantur; & ad conditorum in illis Decretorum observantiam nedum temporali, sed etiam spirituali pœna compelli nemo possit, aut ex conscientia teneatur. Unius Concilii Generalis auctoritate, vel Principis, Jejunia, & feriationem à mechanicis operibus indici posse. Istorum errorum indicem ex *Defensore Pacis*, à *Marsilio* conscripto, ex Sententia *Joannis XXII.* adversùs *Marsilium* & *Jandunum*, corúmque hæreses & libros latâ; ex *Alvaro Pelagio*, lib. *De Planctu Ecclesiæ*, cap. LXVII. ex Cardr. de *Turrecremata*, in Summa *De Ecclesia*, lib. IV. P. II. cap. XXXVII. excerpsi. Errores præcipuos eruditè ac prolixè refellit *Joannes XXII.* in Sententia illa sua, quam apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum MCCCXXVII. N. 27. legere est. Adversùs eosdem scripsere, *Alvarus Pelagius*, Silvensis Episcopus, & *Alexander de S. Elpidio*, ex Priore Generali Augustinianorum Archiepiscopus Ravennas, lib. *De Jurisdictione Imperii & Auctoritate Summi Pontificis*, & *Petrus de Palude* Ordinis Prædicatorum insignis Theologus lib. *De Causa immediata Ecclesiastica Potestatis*. Præter tres istos Authores coævos, easdem hæreses confutavit *Albertus Pighius* lib. v. *De Hierarchia Ecclesiastica*.

Marsilii & Janduni errores à Joanne XXII. damnati.

A quibus Auctoribus confutati.

ARTICULUS XIV.

De PALAMITIS.

SEctæ nomen dedit *Gregorius Palamas* Græcus Monachus ac Thessalonicensis postea Episcopus; quam Monachi plerique sunt professi, qui se, ἡσυχαστὰ à quiete & animo imperturbato nuncupabant. Hos etiam Euchitas, & Massalianos *Barlaamus*, qui ipsos detexit ac insectatus est, appellabat, quòd orationis & contemplationis genus usurparent inusitatum & absonum, quo nomine infames olim fuerant Massaliani, de quibus *S. Epiphanius*: & ὀμφαλοψύχους id est, *Umbilicanimos*, quòd ad umbilicum oppresso capite & contortis oculis, suppressóque spiritu, cum primùm locum cordis mens reperisset, mirabilem se lucem intueri, & inexhausta voluptate affici, delirabant. Absurdi istius commenti author fuit Simeon *S. Mamantis* in Xerocerco Abbas, à suis Junior Theologus appellatus, in libro *De Sobrietate & Attentione*, de quo plura *Combefisius* noster in Notis ad *Manuelis Caleca* librum *De Essentia & Operatione* adversùs Palamitas: in quibus & Vitæ ejus summam, & doctrinæ specimen exhibet ex ejus verbis; unde, (inquit) vel tueri ut orthodoxum, virúmque pium ac eximiè spiritalem proclive sit, vel etiam ut hominem seductum, nec sanæ mentis proscribere. Atque illius doctrinam cum Massalianis commune nihil habere ostendere conatur vir doctissimus, & ad Theologiæ mysticæ arcana dogmata subliméśque loquendi formulas dicta ejus inflectit. At ubi locum illum ex libro *De Sobrietate & Attentione* à *Leone Allatio* prolatum attigit, eò se recipit ut hunc Tractatum *Simeoni* ab æmulis affictum conjiciat. Ut ut est, insani dogmatis propugnator acerrimus ac pertinacissimus fuit *Gregorius Palamas*, qui Hesychastarum Monachorum patrocinium suscepit. A quibus cùm quæreretur, quid lumen illud esset, quo se ad certum illum, quem diximus, corporis habitum conformatos perfundi gloriabantur; post multas verborum ambages respondebant, Esse gloriam Deitatis increatam; & eam tamen humano visui subjici. Quem errorem altero confirmabant, adducto in exemplum Thaborio lumine, quod increatum fuisse, & nihilominus corporeis oculis ab Apostolis visum, affirmabant. Cúmque urgeretur *Palamas*, Essentiam Dei corporeis oculis videri non posse; respondebat: *Est quidem lumen illud divinum & increatum, & Deitas à Sanctis nominatur, sed non est substantia Dei, sed operatio & gratia, & gloria, & splendor ex divina substantia in Sanctos missus. Omnes enim Sancti, tam homines quàm Angeli, vident quidem gloriam Dei temporis expertem: Substantiam verò Dei nullus neque homo, neque Angelus vidit, aut videre potest.* Ita refert *David* Monachus in Relatione de Dissidio *Barlaami* & *Palamæ*, (Apud *Leonem Allatium*, lib. II. De Perpetua Consensione Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis cap. XVII.) Addebat *Palamas*, operationem Dei esse quid ab ejus substantia secundùm rem distinctum, ipsáque inferius, & ab ea velut à causa profectum. Quòd (inquiebat) substantia cum rebus creatis communicari nequeat: operationes verò ad creaturas producendas, continendas, fovendas, gubernandásque descendant. Operationum autem nomine, non actiones solùm, quas Theologi de Schola virtualiter transeuntes vocant, ut creationem, conservationem, gubernationémque rerum, sed ipsa etiam attributa, ut bonitatem, sapientiam, &c. reipsa distingui ab essentia & substantia Dei, esséque ea minora, licet ipsi coæterna; sicut splendor à sole emissus, non est substantia solis, etsi coævus illi sit. Illásque operationes nihilominus *Deitates* appellabant. Unde non absque ratione *Demetrius Cydonius* lib. *Adversùs Palamam*, & *Manuel Calecas*, lib. *De Essentia & Operatione* adversùs eundem, ipsi objiciunt, quòd plures Deitates admiserit, summam unam & præcipuam, reliquas inferiores: idque variis Operum ejus locis in medium adductis probant.

In Auctario Novissimo Biblioth. Patrum.

Palamitarum error de luminis increati visione.

Palamitarum error de distinctione attributorum Dei ab ejus essentia.

Barlaamus, Basilianus Monachus ex Calabria oriundus, Hieracensis postea Episcopus, sacris, & humanioribus literis apprimè imbutus, qui ex Italia venerat ad *Andronicum Juniorem* Imperatorem, & Sermones de Processione Spiritus Sancti, & de Primatu Romani Pontificis contra Latinos evulgaverat, ut gratiam à Græcis iniret, cùm Hesychastarum Monachorum superstitionem insanósque errores detexisset, linguam publicè in circulis & conventibus, calamum in Musæo adversùs illos exercere cœpit. Monachorum partes tuendas suscepit *Gregorius Palamas*. Contentione ad tertium jam annum protracta, cùm rem ad Patriarcham detulisset *Barlaamus*, indicta Synodus est anno circiter MCCCXLI. & *Joanne* Patriarcha Præside, *Andronico* Imperatore præsente, magnâ Episcoporum frequentiâ in Templo Sanctæ Sophiæ celebrata. *Barlaamus* damnatus de duobus capitibus, de lumine Thaborio, & de oratione. Pœnæ in Actis Synodi contra Monachorum insectatores decretæ. Patrum Sententiæ nudæ & absque ullâ expositione

Palamitarum Synodi

ne Tomo Synodico seu Definitioni, ad istorum capitum confirmationem inseriæ. Silentium de dogmatibus tum *Barlaamo*, tum *Palamæ* impositum. Ita declarat Patriarcha, qui Synodo præfuerat, apud *Leonem Allatium* lib. II. *De Perpetua Consensione*, cap. XVII. Pag 330. Refert etiam *Nicephorus Gregoras* lib. XI. Historiæ suæ, de dogmate in ea Synodo nihil actum esse, ob præsentiam imperitæ multitudinis; tum ne Theologiæ arcana profanis vulgi auribus ingererentur; tum ne *Palamas* contra disputante *Barlaamo*, blasphemæ doctrinæ palam convinceretur. Mentitus est *Cantacuzenus* lib. II. Historiæ cap. XL. scribens, *Barlaamum* veniam ob stultè dicta petiisse, falsúmque fuisse, quod in Thabor lumen Apostolis circumfulsit, gloriam Dei principii expertem, & æternum lumen esse: Rediisséque in gratiam cum *Palama* & Monachis. Palamitam *Cantacuzenum* fuisse qui noverit, ipsum in hac historia non esse audiendum fatebitur. *Barlaamus* Græcorum declinans invidiam, quos proditâ etiam Catholici Dogmatis veritate promereri frustra studuerat, in Italiam rediit ad Latinorum instituta, quibus erat innutritus. Haud sopita est eo recedente pertinax de Thaborio lumine & de distinctione substantiæ & operationis divinæ contentio, *Palama* errorem utrumque acriter propugnante, *Barlaami* discipulis fautoribúsque oppugnantibus. Hos inter principem locum tenebat *Gregorius Acindynus*, Monachus. Contra quem altera Synodus celebrata est, Præside Patriarcha *Joanne*, cum *Cantacuzeno* adhuc Magno Domestico. In ea denuo damnati sunt *Barlaamus* & *Acyndinus*, eorúmque Sectatores. De hac Syndo legendus *Cantacuzenus*, postremo capite libri II. Tertia Synodus *Anna* Imperatrice, & filio ejus *Joanne Palæologo* Præsidentibus celebrata est. In qua *Joannes* Patriarcha exauctoratus, quòd *Barlaami* & *Acindyni* dogmata tueretur. Hujus Synodi meminit *Cantacuzenus*, lib. III. cap. 98. & lib. IV. cap. 24. Cùm verò istarum Synodorum Decretis plerique ex doctoribus liberè contradicerent, præsertímque Metropolitæ duo, alter Ephesi, alter Gani, item *Nicephorus Gregoras* & *Dexius*, quarta Synodus celebrata est Præside *Cantacuzeno* & *Calixto* Patriarcha, in locum *Joannis* intruso. De qua Synodo fusè *Cantacuzenus* lib. IV. cap. 23. 24. 25. & *David* Monachus in sua Relatione. Quartæ istius Palamitarum Synodi Acta edidit *P. Combefisius* in Auctario novissimo Bibliothecæ Græcorum Patrum. In ea Palamitarum errores duo, de Thaborio lumine increato, & de reali distinctione operationis divinæ ab essentia, sunt asserti: Tomi priorum Synodorum confirmati, *Barlaami* & *Acindyni*, fautorúmque rursus conclamata damnatio. Exauctorationis in Episcopos & Presbyteros, excommunicationis in Laïcos lata Sententia; laudatus *Palamas* Thessalonicensis jam Metropolita ut veritatis propugnator, pietatisque defensor.

Qui pro Palamitis, & contra illos scripsere.

Palamitarum errores Scriptis propugnarunt, tum *Palamas* ipse, cujus Orationes duas in Dominicam Transfigurationem edidit *Combefisius* noster in Auctario novissimo Bibliothecæ Græcorum Patrum, tum *Isidorus* Patriarcha & *Philotheus* ex Monacho Metropolita Heracleensis, & postea Patriarcha Constantinopolitanus; & *Josephus Bryennius* Oratione *De Transfiguratione*. Ipsos verò confutarunt, & Catholicam adversùs ipsos egregiè propugnarunt veritatem, *Nicephorus Gregoras*, *Joannes Cyparissiotus*, *Demetrius Cydonius*, *Manuel Calecas* Ordinis Prædicatorum vir doctissimus. *Cyparissioti* Sermones aliquos *Palamitarum Transgressionum*, ingentis specimen Operis, & *Manuelis Caleca* librum *De Essentia & Operatione* adversùs *Palamam*, edidit *P. Combefisius* in Auctario novissimo Bibliothecæ Patrum Græcorum. A *Joanne Becco* Patriarcha Constantinopolitano in multis diversísque Synodicis Actionibus anathemate confixos *Palamam* & Palamitas omnes, eorúmque damnatam doctrinam, *Cyparessiotus* Sermone IV. cap. IV. testatur. *Sermonem Patriarchalem quo proscribuntur Palamas, & illius fautores, concordes, auditores, & à Sancta Dei Ecclesia tanquam fidei innovatores extruduntur*, legere est apud *Leonem Allatium* lib. II. *De Perpetua Consensione*, cap. XVI. Palmare Catholicorum argumentum contra Palamitarum de lumine Thaborio errorem erat: Quicquid oculis corporeis visum est, creatum est: Lumen Thaborium corporeis oculis à Discipulis visum est; ergo creatum est: Legatur *Leo Allatius* tum in Opere mox laudato, cùm Tom. I. *Græciæ Orthodoxæ*, & in Diatriba *De Simeonibus*.

Leo Allatius à vera Theologiæ principiis aberrat.

At libro peiùs laudato *De Perpetua Consensione*, cap. XVII. à vera Theologia procul aberrat vir eruditus, cùm *Barlaamum* non minùs quàm *Palamam* circa lumen Thaborium lapsum esse scribit; illúdque ipsam Christi Deitatem fuisse docet, nec repugnare ut oculis corporeis diviniore vi corroboratis Deitas ipsa videatur. *Uti in rebus aliis (* inquit *) ita ut has quoque mediâ viâ progrediendum est, ne à veritate aberremus. Id cum non assecuti fuissent neque Barlaamus neque Palamas, in varios errores lapsi sunt. Error itaque fuerit asserere, lumen illud in Monte Thaborio non fuisse Deitatis illius gloriam, & lumen proprium, luminéque ab essentia divina emanans, quod unum & idem cum essentia divina erat, nec aliud, ut asserunt apertissimè Patres, Ephrem Syrus, Joannes Damascenus, Dionysius Areopagita, Andreas Cretensis, Cosmas Melodus, & Maximus Confessor, Cyrillus Alexandrinus, Joannes Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Basilius Magnus, & Athanasius Synadenus. Splendor enim ille & lumen ipsa Christi Deitas beatifica, quæ per miraculum ad illud tempus tecta, ne oculis humanis sua majestate officeret, & die Transfigurationis, cessante dicto miraculo apparuit, & Apostolorum oculos circumfulsit. Et argumentum de creato & increato nihil concludit. Verum enim est oculis corporeis increatum conspici non posse, at dum oculi in statu & conditione naturæ manent; sed si, diviniore vi corroborati, ad altiora elevantur: nil impedit, corporeis hisce oculis in eminentiorem statum sublevatis, deitatem ipsam, & gloriam deitatis, quæ una cum Deo est, videri: Idque expertissima ratione confirmatur. Nam Beata Virgo, quam modò assumptam canit Ecclesia cum corpore ipso; Deum & divinitatem ipsissimis oculis corporeis, sublevatis tamen & divina vi confirmatis intuetur. Et post Judicium universale, Beati resumptis corporibus, corporeis oculis gloriam deitatis deitatémque ipsam conspicient. Sic & die Transfigurationis duplex miraculum cernimus: alterum cùm cessat esse in Corpore Christi; alterum quòd Apostolorum oculos ad diviniorem aspectum excitat. Damnatus itaque est Barlaamus, quòd lumen illud neque ex divina essentia, neque divinam essentiam esse affirmabat, & præterea corporeos oculos per nullam diviniorem potentiam adeo elevari posse, ut deitatem conspiciant. Ex quo multa absurda sequi in doctrina Ecclesiastica manifestum est. Sic enim tolleretur visio beatifica post Judicium, & aliorum Sanctorum gloria, qui nunc in cælo dicuntur degere, divinam Dei naturam corporeis oculis aspicientes. Damnatus est etiam ex alia parte, & jure merito, Palamas, dum lumen illud & operationem Dei, diversum quid ab ipso Deo quamvis increatum constitueret. Qui verò mediâ insistit via, cum Ecclesia & SS. Patribus sentit. Sic enim Deitas ipsa illiúsque lumen increatum, corporeis oculis, sublevatis tamen, videri poterit.* Hæc *Allatii* Sententia, omnium Theologorum doctrinæ penitus dissentanea.

Prateolus

Prateoli multiplex error in Palamitarum historia.

Prateolus in Catalogo Hæreticorum longè à vicinia veritatis erravit, de controversia *Palamæ* & *Barlaami* ita scribens: *Adversùs Barlaamum & Acindynum. IX. Generale Concilium coactum fuit, & celebratum in præsentia illius beati & celeberrimi Imperatoris Domini Michaëlis Andronici, cognomento Paleologi, Imperatoris Græcorum, & Joannis ejus filii. Censebant isti modò nullum esse discrimen in divina natura, substantia & effectu: sed idem esse, nec diversum: modò differentiam esse profitebantur, substantiam tamen increatam. Ejus autem essentiales actiones & naturales sentiebant esse diversas, non tamen increatas, sed creatas.* Quot verba tot pene errata. Nullum enim ex Conciliis supradictis, in causa *Palamæ* celebratis, generale fuit; nullum sub *Michaële* habitum, sed sub *Andronico Juniore* & *Cantacuzeno*; & quarto *Joannes Paleologus* subscripsit, filius non *Michaëlis Paleologi*, sed *Andronici Junioris*, quem beatum frustra nominat, cùm in Schismate vixerit & obierit. Nec *Barlaamus* & *Acindynus* effectum à Dei substantia distingui usquam negarunt; sed operationem duntaxat, quam Theologi de Schola vocant *Immanentem*, ut actus intellectus aut voluntatis divinæ, esse à Dei substantia distinctam, nisi solâ ratione. Lege *Gretserum* S. I. Theologum in Annotationibus ad *Joannis Cantacuzeni* Historiam ad caput xl. libri II. & *Dionysium Petavium*, ejusdem Societatis lumen Tom. I. *Theologicorum Dogmatum* lib. I. Cap. XII. & XIII.

Palamas inter Sanctos à Græcis quibusdam schismaticis celebratus.

Observandum denique *Palamam* à Græcis plerisque Schismaticis inter Sanctos collocari, & hymnis ac sacris Canticis in Ecclesia celebrari. A *Philotheo* Patriarcha Constantinopolitano Palamita in Triodium intrusa sunt, quæ de illo habentur. Qua de re *Gennadius* Patriarcha Græcos alloquens pro Concilio Florentino: *Vos*, inquit, *Græcos, quamvis flagitiosissimos & stultissimos, si solùm adversùs Latinos dicant, omnium Sanctissimos arbitramini, inter alios quidem multos, quemdam qui vocatur Palamas, & Ephesi Marcum, hominem nec satis mentis compotem, sed tumidum sapientiæ ostentatorem, nulla virtute vel sanctitate subnixos, quia loquuntur & scribunt solùm contra Latinos, extollitis & celebratis, eorùmque imagines exornatis, festùmque agentes diem colitis, & veluti Sanctos adoratis.* Observat tamen *Allatius*, exceptâ Thessalonicâ, & nonnullis in Monte Atho Monasteriis, nullum ex Græcis hoc ævi, jam prædictos dignos tanta commemoratione existimare; imò etiam decreto vetitum esse ne quis in posterum de iis Officia in Ecclesia celebret; licet de *Palama* Officium ab illius Sectæ aliquo per summum nefas in Triodio editum fuerit.

ARTICULUS XV.

De Erroribus JOANNIS DE MERCURIA, & NICOLAI DE ULTRICURIA.

Propositiones blasphemæ.

I. ANno MCCCXLVII. *Joannes de Mercuria*, Cisterciensis Ordinis Professor, Parisiis plures articulos erroneos proposuit, quos Episcopus & Sacra Facultas Parisiensis damnarunt. I. » Quòd sit possibile Christum voluntate humana » aliquid voluisse nusquam eventurum. 2. Fieri potuisse ut Christus diceret falsum & assereret assertione creata, tam vocali, quàm mentali. 3. Deum efficaciter velle quicquid vult. 4. Facere Deum quòd aliquis peccet, & velle voluntate beneplaciti ut ille sit peccator. 5. Peccare neminem volendo aliquid contra Dei voluntatem. 6. Deum aliquid reprobare, quod vult nihilominus voluntate beneplaciti. 7. Peccatum magis esse bonum, quàm malum. 8. Animam Christi conjunctam Verbo, saltem per accidens, posse Deum odio habere & execrari. 9. [a] Si quis habens usum liberi arbitrii, tam gravi tentatione pulsatus, ut illi resistere non possit, moveatur ad illecebram cum aliena uxore, ipsum adulterium non committere, idémque de aliis peccatis ferendum esse judicium. 10. Aliquam possibilem esse passionem, cui voluntas, etiam habitâ gratiâ quacumque, sine miraculo non posset resistere, quin eliceret actum secundùm illam: qui actus, peccatum non esset. 11. Non esse pejorem in genere moris, qui vitioso habitu cum actu, quam qui consimili habitu sine actu fœdatus est: Nec esse meliorem, qui habitu meritorio planè otioso instructus est, quàm eum qui cum habitu simili actus meritorios exercet. 12. Nullam creaturam, nullamve circumstantiam, gravitatem peccati minuere. 13. Peccatum ex consuetudine levius esse. 14. Odium proximi non esse malum, nisi quia à Deo prohibitum. 15. Probabile esse cognitionem vel volitionem non esse distinctas ab anima. 16. [b] Probabile esse, si una ratio, seclusâ fide, consulatur, nulla esse accidentia, sed res omnes extantes esse substantias. 17. Non esse evidens quin res omnis posset produci nobilior. 18. Si intentio, volitio, sensatio, sunt qualitates subjectivè existentes in anima, quas Deus creare solus possit, &, ubi vult, ponere; consequens esse quòd Deus facere possit ut anima proximum séque ipsum odio habeat; non demerendo. 19. [c] Deum esse causam peccati quà peccatum est, & demeritorium. 20. Quacumque creaturâ demonstratâ, propositiones istas esse veras: Hæc chimera intelligitur, vel potest intelligi: Item, Hæc res Deo major potest cogitari. 21. Deum ob opera bona futura prædestinasse homines ab æterno. Item prædestinasse propter bonum usum liberi arbitrii, quem ipsos habituros præscivit. 22. Non sic gratiâ & misericordia Deum aliquem prædestinasse: quin & pro omnibus bonis ipsius futuris, vel alterius. «

[a] Errores à Quietistis renovati.

[b] Hunc errorem innovavit Cartesius.

[c] Propositiones blasphemæ.

Errores gratuitæ sanctorum prædestinationi oppositos damnavit Sacra Facultas Parisiensis.

Nicolai de Ultricuria errores.

II. Anno MCCCXLVIII. eadem Sacra Facultas Magistrum *Nicolaum de Ultricuria* compulit ad publicam articulorum plurimorum de rebus Philosophicis & Theologicis à se propositorum revocationem: qui quidem primùm à Sede Apostolica damnati fuerant omnes ut falsi, plerique ut hæretici. Et libelli atque Epistolæ quibus continebantur, igni traditæ fuerunt. Erant autem articuli infra scripti. I. » De rebus per naturalia phænomena quasi nulla certitudo haberi potest: illa tamen modica potest brevì comparari, si homines mentem ad res ipsas, non ad Aristotelem vel Commentatorem convertant. 2. Non potest evidenter ex una re inferri seu concludi alia res, vel ex non esse unius, non esse alterius. 3. Illæ propositiones, Deus est, Deus non est, penitus idem significant, licet alio & alio modo. 4. Hæc propositio, Homo est animal, non est necessaria secundùm fidem. 5. Certitudo evidentiæ non habet gradus. 6. De substantia materiali aliâ ab anima nostra non habemus certitudinem evidentiæ. 7. Non scimus evidenter quòd aliqua causa causet efficaciter quòd non sit Deus. 8. Non scimus evidenter quòd aliquis sit vel esse possit effectus naturaliter productus. 9. Nescimus evidenter quòd in aliqua productione concurrat subjectum. 10. Nulla potest esse simpliciter demonstratio, quâ ex causæ existentia colligatur existentia effectus. 11. Non potest fieri aliqua demonstratio à priori realiter dif-

ferenti. 12. Non potest evidenter ostendi nobilitas unius rei præ aliâ. 13. Quacumque re demonstrata, nullus scit evidenter an illa sit Deus, si Dei nomine ens nobilissimum intelligatur. 14. Nemo scit evidenter quod una res sit filius alterius. 15. Qualibet re ostensâ, nemo scit evidenter num ipsi honorem maximum deferre debeat. 16. Nemo scit evidenter num ista propositio concedi possit: Si aliqua res est, Deus est productus. 17. Evidenter non potest ostendi quòd res quælibet non sit æterna. 18. Pane demonstrato, evidenter ostendi non potest ibi esse rem aliquam quæ non sit accidens. 19. Qui dixerit rem omnem in mundo productam esse, ad contradictionem perduci non potest. 20. Istæ consequentiæ non sunt evidentes: Actus intelligendi est, igitur intellectus est. Actus volendi est; igitur voluntas est. 21. Deus & creatura non sunt aliquid. 22. Contradictoria idem significant. 23. Res permanentes de quibus vulgò dicitur, quòd generantur & corrumpuntur, sunt æternæ, sive accidentia sint, sive substantiæ. 24. [a] In rebus naturalibus unus est motus localis congregationis & disgregationis; ita ut cùm tali motu colliguntur atomi, & naturam unius suppositi sortiuntur, fit corruptio. Cùm verò atomorum accessio ad motum suppositi, vel ad naturalem ipsius operationem nihil confert, alteratio est. 25. Lumen nihil aliud est quam corpuscula quædam, quæ nata sunt sequi motum Solis, vel alterius corporis luminosi: fitque hujusmodi corpusculorum ad corporis luminosi præsentiam confluxu. Et si objiciatur, motu locali non fieri, cum momento fiat illuminatio: Respondetur fieri in tempore, sicut sonum, etsi non percipiamus. 26. Universum secundùm se, & secundùm partes suas esse perfectissimum, nullámque in eo imperfectionem esse posse: Ideóque oportere ut totum & partes æternæ sint. 27. Quicquid in mundo est, melius est ipsum quàm non ipsum. 28. Præmiatio bonorum & punitio malorum in eo positæ sunt, quòd atomalibus corpusculis segregatis, quidam spiritus remaneant, quorum unus intellectus, alter sensus appellatur. 29. Omne corruptibile includit in se repugnantiam & contradictionem. 30. Actus animæ nostræ sunt æterni. Nihil est novum de novo in esse positum. 31. Supposita redibunt eadem numero per reditum corporum cœlestium ad eumdem situm. 32. Eadem intellectio quæ nunc mihi præsens est, alteri postea supposito præsens erit. 33. Potentiæ nil recipiunt ab objectis: sed objecto præsente, & aliis ad operationem concurrentibus, res aliqua fit præsens animæ, quæ priùs ipsi præsens non erat, sed alteri; quod non fit atomalium resolutione corporum, sed motu spirituali. 34. Sicut vilia crassáque corpora tendunt ad centrum, & ad terram suopte pondere feruntur propter homogeneitatem; ignis autem & corpora alta nobilia, ad loca suæ perfectioni convenientia: sic ad animas nobiles veniunt exemplaria nobilia, ad viles verò vilia; & quæ de terra sunt, de terra loquuntur. Unde hujusmodi exemplarium discrimen, animarum perfectionem vel imperfectionem testatur. 35. Desiderium naturale non est frustra. Ideo quicquid desideramus, aliquando adipiscemur. Unde quicumque ad nostram Dominam ire cupit, aliquando ibit. 36. Istud est primum principium & non aliud: Si aliquid est. 37. Significatum ista propositione: Deus & creata distinguuntur, nihil est. 38. A contradictorio in contradictorium, absque mutatione reali intrinseca cujuscumque, transitus esse potest. 39. Quæcunque distinguuntur, summè distinguuntur & æqualiter. 40. [a] Si adolescens ingenuus aliquem inveniat, qui brevi edocere ipsum valeat scientiam omnem quæ de rebus creatis haberi potest, centum librarum pretio constituto, quas adolescens furto dumtaxat comparare potest, eo casu furtum licitum est. Hic articulus inter alios ut *hæreticus* damnatus est. 41. [b] Deus rationali creaturæ præcipere potest ut ipsum odio habeat, cui mandato obediens, mereretur magis, quàm si ipsum ex præcepto diligeret: quoniam id faceret majori conatu & contra propriam propensionem. 42. [c] Si quis voluntatem suam divinæ conformare velit, alterutrū necesse est, vel quòd Deus omnia necessaria ad salutem ipsum edoceat, ita ut errare non possit; vel si errare ipsum permittat, vitio non vertatur error; imò actus consequens magis vel æquè sit meritorius ac oppositus. 43. Proximum se meliorem magis diligere quàm se ipsum, nemo non tenetur. Hi præcipui errores dicti Magistri *Nicolai*, de quo nihil præterea novimus, referuntur in Bibliothecis Patrum. Ex quo monumento Sacræ Facultati Parisiensi Doctrinalis Judicii auctoritas in fidei etiam materia confirmatur.

Nostris cognata Cartesianæ Philosophiæ placitis.

a Articulus hæreticus, de furto.

b, c Propositiones blasphemæ & hæreticæ.

ARTICULUS XVI.

De Erroribus Magistri SIMONIS, Fratris GUIDONIS, & Magistri LUDOVICI, à Sacra Facultate Parisiensi damnatis.

I. ANno MCCCLI. Magister *Simon* errores in Actu Vesperiarum propugnatos; Sacræ Facultatis Parisiensis Judicio, revocare ac ejurare compulsus est. Dixerat scilicet, 1. Nomen *Jesus* de Deo dicitur accidentariò: Unde hæc propositio est possibilis: *Jesus* non est Deus. 2. *Jesus* potest esse & non esse Deus. 3. Nulla res est aut esse potest, quæ modò non sit Deus, & aliquando esse possit Deus. 4. Deus potest aliqualiter se habere qualiter se non habet, & aliqualis etiam esse qualis non est. 5. Quamvis *Jesus* fuerit ab æterno Patri coæqualis, tamen aliquando fuit Deus quando non fuit *Jesus*. 6. Filius Dei incœpit esse. 7. Nunquam hic homo, qui Christus est, factus est Christus. Editum est Retractationis istius Instrumentum in Bibliotheca Patrum.

Magistri Simonis propositiones hæreticæ.

II. Anno MCCCLIII. Frater *Guido*, Ordinis Eremitarum *S. Augustini* in Sacra Facultate Parisiensi Baccalaureus Theologus, hos, in quos docendo Sententias, & respondendo impegerat, errores, ex ejusdem Facultatis Decreto, revocavit. 1. Charitas quæ semel labitur vel deperditur, nunquam fuit vera charitas. 2. Præscitus existens in charitate, actum vitæ æternæ meritorium elicere non potest. 3. Homo vitam æternam ita de condigno meretur, ut hanc ipsi Deus absque injuria negare non possit. 4. Si nullum esset liberum arbitrium, adhuc esset peccatum. 5. Bonum meritum ita est à Deo, ut nihil sit à voluntate. 6. Deus homini viatori necessitatem quandoque imponit præveniendo voluntatem ad bonum actum, ita ut in ea potestas ad oppositum non remaneat. 7. Dantur plures unitates quæ non faciunt numerum. 8. Nulla creatura rationalis specialiter est in se, nisi quia Deus est sibi esse. Et in omni creatura essentialius est non esse quàm esse. 9. Aliquid potest esse sine tempore in merito & peccato. Retractationis istius Instrumentum in Bibliotheca Patrum editum est.

Fratris Guidonis Articuli plerique hæretici, alii erronei.

III. Anno MCCCLXII. Magister quidam *Ludovicus*,

vicus, nonnullas propositiones quas docuerat vel propugnaverat, Sacræ Facultatis Parisiensis mandato revocavit, scilicet. 1. Ad quodlibet velle vel nolle respectu cujuslibet producibilis ad extra, sequitur necessariò mutatio in voluntate perfecta. 2. Licet perfectæ voluntatis, seu divinæ essentiæ quodlibet intrinsecum sit absolutè necessarium secundùm suum esse reale: tamen est aliquid intrinsecùs contingens, & non est necessarium secundùm suum esse formale. 3. [a] Aliquid est Deus secundùm suum esse reale, quod tamen non est Deus secundùm suum esse formale. Quam propositionem damnavit Sacra Facultas *tanquam fidei dissonam*. 4. Non stat perfectum intellectum cognoscere vera contingentia, & voluntatem illa non producere. 5. [b] Perfectus intellectus non potest peccatum ut peccatum est, cognoscere; Quia sequeretur inde peccati causatio. 6. [c] Divina voluntas non diligit intensiùs prædestinatum, quàm præscitum. Nec plus intensivè Deus diligit seipsum, quàm Diabolum secundùm naturam. 7. Quælibet volitio qua Deus vult A. esse, non minùs distinguitur à volitione qua vult B. esse, quàm Deus distinguitur à materia prima realiter. 8. Nullum velle immensum perfectæ voluntatis continet aliquid ad extra producibile. 9. [d] Divina voluntas non potest immediatè nolle peccatum esse. Peccatum non est immediatè odibile à perfecta voluntate. 10. Quicquid perfecta voluntas potest immediatè velle, potest immediatè nolle, & è converso. Quicquid autem immediatè nolle potest, efficere potest. 11. Quodlibet extrinsecum perfectæ libertati seu voluntati, æquè ab ipsa est odibile, sicut diligibile. 12. In Deo sunt contradictoria, quæ immensè formaliter repugnant. Retractationis istius Instrumentum in Bibliotheca Patrum legitur. Ex quo rursus confirmatur Sacræ Facultati Parisiensi Doctrinalis Judicii auctoritatem convenire.

[a] Ab hac Propositione sibi caveant Scotistæ, cum etiam inter Dei attributa & essentiam distinctionem ex natura rei propugnant.

[b c d] Propositiones falsæ, erroneæ, piarum aurium offensivæ, Deo injuriosæ.

ARTICULUS XVII.

De BERTOLDI DE RORBACH, MARTINI GONSALVI, NICOLAI CALABRI, JANOVEZII, & BERENGARII erroribus.

I. B*ertoldus de Rorbarch*, Germanus hæreticas & blasphemas propositiones quasdam Herbipoli primùm docuit, ac ejurare coactus est, deinde Spiræ iterum publicavit: ubi, tanquam relapsus, Curiæ seculari traditus, & igne damnatus est, anno MCCCLXX. ut *Nauclerus* & *Marius* referunt. Ejus porro hæreses erant: 1. Christum in Cruce sic fuisse à Patre derelictum, ut præ nimio dolore de salute animæ suæ dubitaverit, maledixeritque *B. Mariæ* Virgini, necnon terræ quæ sanguinem suum suscepit. 2. [a] Hominem in hac vita cum perfectionis gradum consequi posse, ut illi nec jejunio nec oratione sit opus. 3. Laïcum illuminatum adeo proficere posse prædicando & docendo, ut magis ei quàm Evangelio aut Sanctis Doctoribus sit credendùm. 4. Hominem pium in perceptione cibi communis tantam gratiam percipere posse, quantam in Eucharistiæ perceptione.

[a] Hunc errorem innovarunt Quietistæ.

II. *Martinus Gonsalvus*, Conchensis, circa idem tempus in Hispania multa fatua, hæretica, & impia asserens, ab Archiepiscopo Toletano damnatus est, & à seculari Magistratu igni traditus. Docebat homo dementissimus, 1. Se germanum esse Archangeli Michaëlis. 2. Locum ex quo cecidit Lucifer sibi à Deo servari. 3. Se primam veritatem & scalam cœli dicebat. 4. Singulis diebus cœlum se scandere & illud osculari. 5. Se advenientem Antichristum ad singulare certamen provocaturum, & Cruce Christi, diademate spineo ornatâ prostraturum. Ita refert *Franciscus Diago* in Historia Provinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatorum. lib. 1. Cap. XXIV.

III. Eadem tempestate, *Nicolaus Calaber*, amentiâ pari, hos errores Barcinone publicavit. 1. *Gonsalvum* præfatum esse Dei Filium in cœlis ab æterno genitum, quamvis in terris patrem & matrem habuisse videretur. 2. Illum nunquam moriturum. 3. Spiritum Sanctum futuris temporibus carnem assumpturum: & ad prædicationem *Gonsalvi* mundum universum conversum iri. 4. In extremo Judicii die, omnes ad inferorum supplicia damnatos, *Gonsalvi* precibus salutem consecuturos. 5. In homine tria esse; Animam, quam formaverit Deus Pater; Corpus, quod plasmaverit Filius; Spiritum, quem insufflaverit Spiritus Sanctus. Ab *Eymerico* Inquisitore, & à Vicario Generali Barcinonensis Episcopi damnatus, & Curiæ seculari traditus est, flammis absumendus, ut idem *Eymericus* refert. II. P. Directorii Inquisitorum, Quæstione XI.

IV. *Bartholomæus Janovezius*, Majoricanus, *Urbano V.* Pontifice Maximo, Libellum hæresibus scatentem edidit. Asserebat scilicet. 1. Antichristum die Pentecostes anni millesimi trecentesimi sexagesimi venturum. 2. Antichristi tempore omnia Ecclesiæ Sacramenta, & Incruentum Sacrificium, desitura. 3. Christianos adultos, qui Antichristi charactere semel inusti forent, nunquam ampliùs ad fidem Christi redire posse: Pueros vero Christianorum, Judæos, Saracenos, & Infideles cæteros, ab eodem Antichristo seductos, eô extinctô ad Christum conversum iri. Hos aliósque errores, quos Author pœnitentiam publicè professus ejuravit solemni ritu, damnavit *Eymericus* Inquisitor, & Libellum igni tradidit: ut ipse refert loco supra laudato, & post ipsum *Prateolus*.

V. Anno circiter MCCCLIII. *Innocentio VI.* Pontifice Maximo *Berengarius de Montefalcone* Cisterciensis Ordinis, in Cœnobio Populeti, in Provincia Cataloniæ Professor, errorem docuit, qui eò magis invaluit, quò vitæ spiritualis perfectionem provehere videbatur. Scilicet, [a] Quæcumque bona facienda sunt, puro Dei amore, non ob aliam rationem, nec spe mercedis æternæ facienda. Hunc errorem solemni Judicio damnarunt *F. Nicolaus Roselli*, Inquisitor Ordinis FF. Prædicatorum, & *Sancius* Tarraconensis Archiepiscopus ex Ordine FF. Minorum assumptus.

[a] Hunc errorem novissimè suscitarunt Spirituales Quietistæ.

ARTICULUS XVIII.

De Erroribus Magistri JOANNIS DE CALORE, & Fratris DIONYSII SOULECHAT.

ANno MCCCLXXIII. Magister *Joannes de Calore*, propositiones quasdam in suo Vesperiarum Actu assertas, revocare jussus est à Sacra Facultate Parisiensi. Prima erat: Summus Legislator Deus dignus est perfectionibus infinitis, quas nec habuit, nec habet, nec habere potest. Hanc propositionem in sensu cathegorico, quem præ se fert, falsam esse professus est: sed eam in sensu duntaxat hypothetico se intellexisse: nimirum, si essent in-

finitæ perfectiones intelligibiles, quas Deus non haberet, illis adhuc perfectionibus dignus esset. 2. «Datus Legislator, id est Christus, dignificavit se in carne ad suam assumptionem hypostaticam. Verbo illo, dignificavit, idem se intellexisse ac, manifestavit, contestatus est.» Quasdam alias propositiones malè sonantes idem Magister *Joannes* revocavit. Ejus Palinodia edita est in Bibliotheca Patrum.

Damnati de paupertate Evangelica errores.

II. Urbano V. Pontifice Maximo *Dionysius Soulechat*, Ordinis Minorum, in Sacra Facultate Parisiensi Baccalaureus Theologus, damnatos à *Joanne XXII.* de paupertate Evangelica errores «docere apud suos ausus est, scilicet: 1. Lex amoris omnem aufert proprietatem & dominium. 2. Actualis abdicatio cordialis voluntatis, & temporalis potestatis dominii seu auctoritatis, statum perfectissimum ostendit & efficit. 3. Christum non abdicasse hujusmodi possessionem & jus in temporibus, non habetur in Nova Lege, imò potius oppositum. 4. Hanc legem pro regula perfectionis Christus docuit, & exemplo confirmavit. 5. Abdicatio rerum temporalium secundùm animi præparationem, nullam aut valde imperfectam & fragilem ostendit & perficit perfectionem. 6. Christus nihil sibi retinuit. 7. Christus in Monte omnia simpliciter abdicavit. 8. Quando Corpus Christi in sepulchro mansit, charitas abstulit ab eo omnem proprietatem & dominium.» Ad Sacram Facultatem Parisiensem delatus Frater *Dionysius*, damnationis sententiam excepit. Censorio stigmate inustæ sunt propositiones: ipsi docendi munere eadem Facultas interdixit. Testes sunt *Urbani V.* Pontificis Maximi Literæ ad *Joannem* Cardinalem Episcopum Bellovacensem, quæ Jus Doctrinalis Judicii eidem Sacræ Facultati Parisiensi asserunt. *Dionysius Soulechat Ordinis FF. Minorum Professor, tunc in Studio Parisiensi consistens, reprobo spiritu ductus, multas Conclusiones recitavit & tenuit minùs sanas, & sinceritati fidei minimè congruentes. Super quibus ipso Dionysio dilectis filiis Cancellario & Magistris in Theologia & Studii prædicti delato, ipsi Cancellarius & Magistri suum in hac parte debitum exequentes..... Conclusionibus ipsis cum exacta diligentia maturóque consilio recensitis, earum aliquas hæretica nequitia fermento infectas, nonnullas verò Ecclesiæ determinationi contrarias, & multas earum scandali causativas concorditer decreverunt. Et ut scandali materia de medio tolleretur, orthodoxæque fidei veritas illibata persisteret, prædicto Dionysio in eorum constituto præsentia inhibuerunt ac interdixerunt ne legendi exerceret officium*, &c. Addit Pontifex, Dictum Fratrem *Dionysium* obedientiam simulasse, promisisse in solemni cœtu damnatas propositiones se revocaturum; sed imminente die subterfugisse, idcóque de crimine hæreseos delatum ad *Stephanum* Parisiensem Episcopum, & postea Cardinalem, necnon ad Inquisitorem Fidei, postulatúmque Judicio non comparuisse, sed Avenionem ad Curiam Pontificiam se contulisse: ibíque damnatas Propositiones, mandato Cardinalium ad ejus declarationem audiendam à Summo Pontifice destinatorum, cùm in frequenti Theologorum cœtu revocaret, in pejores errores impegisse. Tum versipellem hominem ad alias artes & diverticula se convertisse. Quamobrem jussit *Urbanus V.* illum comprehendi, & ad errores Parisiis publicè revocandos compelli, sub pœna anathematis: eique pro juramentorum & promissionum transgressionibus pœnas infligi. Ultimum causæ Judicium *Joanni* Cardinali commisit Pontifex, eúmque Theologorum Parisiensium consilio uti jussit: *Ascitis*, inquit, *& in hoc assistentibus Cancellario prædicto & Magistris in Facultate prædicta, de ipsorum consilio*, &c. Hæ *Urbani V.* Literæ datæ sunt x. Kalendas Januarii anno MCCCLXVIII. ad quem annum ab *Oderico Raynaldo* referuntur Num XVI. Anno sequenti, damnatos illos errores in solemni Disputatione Parisiis in Ecclesia FF. Prædicatorum, jubente Cardinali, ejuravit dictus Frater *Dionysius*. Publicum Retractationis documentum in Bibliothecis Patrum editum est.

Doctrinale sacræ Facultatis Parisiensis Judicium de erroribus F. Dionysii Soulechat confirmat Urbanus V.

Legatum Apostolicum hac in causa consilio Magistrorum ejusdem Facultatis uti jubet.

Jus Doctrinalis Judicii sacræ Facultati Parisiensi assertum.

Ex iis quæ in causa *Dionysii Soulechat* gesta sunt, & ex *Urbani V.* Diplomate, *Petrus de Alliaco* in Tractatu quem contra F. *Joannem de Montesono* Parisiensis Academiæ nomine scripsit, & *Clementi VII.* obtulit, colligit 1. *Quòd Magistris in Theologia ex debito officii incumbit doctrinaliter cognoscere de conclusionibus contra Fidem.* Quod probant illa *Urbani V.* verba: *Suum in hac parte debitum exequentes.* 2. *Quòd non solum Doctrinaliter, sed etiam Judicialiter, scilicet subjectos suos tales Conclusiones asserentes per inhibitionem Lecturæ puniendo, & ipsos ad revocationem sententialiter condemnando.* 3. *Quòd hoc non solum possunt in conclusionibus manifestè hæreticis, aut determinationi Ecclesiæ contrariis, sed etiam in scandalosis.* 4. *Quòd Appellatio ad Sedem Apostolicam, denegantem errores suos revocare, & obedire ordinationi Magistrorum Theologiæ, à pertinacia non excusat.* 5. Quòd in simili causa Joannis de Montesono, *Facultas Theologiæ non erat à Judicio ulteriori vel consilio excludenda.* 6. Quòd ipse *Joannes de Montesono Parisios erat remittendus, & ibidem puniendus.*

ARTICULUS XIX.

De Erroribus JOANNIS DE LATONE, & ARNALDI MONTANERII: Et de TURLUPINORUM Hæresi.

Errores damnati circa Eucharistiæ Sacramentum.

I. FRater *Joannes de Latone*, & F. *Petrus de Bonageta*, Ordinis Minorum Professores, & alii quidam Religiosi Viri, anno MCCCLXXI. sequentes circa Eucharistiam errores è sacro suggestu in Provinciis Taraconensi & Cæsaraugustana publicarunt. «1. Si Hostia consecrata cadat seu projiciatur in cloacam, lutum, seu turpem quemvis locum, speciebus remanentibus, sub eis esse desinere Corpus Christi, & substantiam panis redire. 2. Si Hostia consecrata à mure corrodatur, seu à bruto quovis sumatur, simile ferendum esse judicium. 3. Quoties Eucharistia sumitur sive ab homine justo, sive à peccatore, dum species dentibus teruntur, Christus ad cœlum rapitur, nec in hominis stomachum trajicitur.» De his, *Eymerici* Inquisitoris relatione, certior factus *Gregorius XI.* selectis duobus Cardinalibus causam istam commisit, qui datis ad Taraconensem & Cæsaraugustanum Episcopos, & eorum Suffraganeos, necnon ad Inquisitores Literis, ipsis Auctoritate Apostolica jusserunt, ut absque mora in suis Provinciis sub pœna excommunicationis inhiberent, ne quis dictas propositiones prædicare deinceps præsumeret. Quod Fratri *Joanni de Latone* nominatim denuntiatum est. Cardinalium Literas refert *Eymericus* in *Directorio Inquisitorum*, P. I. pag. 44. & post ipsum *Odericus Raynaldus* ad annum MCCCLXXII. Num. XI.

II. *Innocentii VI. Urbani V.* & *Gregorii XI.* Romanorum Pontificum temporibus, Frater *Arnaldus Montanerius*, ex Oppido Podii Ceritani in Catalonia oriundus, Ordinis Minorum Professor, ob errores plurimos ad Sacrum Inquisitionis tribunal

bunal delatus est; quos quia ejurare noluit jubente *Nicolao Roselli*, Fidei Censore, sed in partes Aquilonares fugit ut Judicium declinaret, ibique eadem prava dogmata docere ac pertinaciter propugnare non destitit, ab *Eymerico* Inquisitore & *Berengario* Urgeltano Episcopo, post annos undeviginti ut Hæreticus damnatus est: ipsúmque ab his monitus *Gregorius XI.* capi jussit, & vinctum ad Sedem Apostolicam transmitti. Errores quorum damnatus fuit idem *Eymericus* recenset 11. P. *Directorii Inquisitorum*, Quæst. 11. Docebat scilicet 1. Christum & Apostolos nihil habuisse proprium vel commune. 2. Nullum posse damnari, qui deferat habitum *S. Francisci*. 3. *S. Franciscum* semel quotannis ad Purgatorium descendere, & inde in Paradisum extrahere quotquot Ordinem suum professi sunt. 4. Ordinem *S. Francisci* in perpetuum duraturum. Hæc postrema quæstio de *Arnaldi Montanerii* erroribus habita est anno MCCCLXXII.

Errores circa Paupertatem Christi & Ordinem Sancti Francisci.

III. Iisdem temporibus, infamis Secta *Turlupinorum* de ridiculo scommate nuncupata, & *Sodalitas paupertatis*, in Galliis & Allobrogibus grassabatur, cujus sectatores diris devovit *Gregorius XI.* & *Amedeo* Sabaudiæ Comiti jussit ut ad hanc pestem exterminandam Inquisitoribus opem ferret. Præter Begardorum errores quos sectabantur, docebant, nihil pudere quemquam debere eorum quæ à natura accepimus; unde nudi absque verecundia incedebant, & palam, canum more, libidinem exercebant. Addebant, * Voce non esse orandum, sed solo corde, eáque spiritûs libertate, quæ divinis legibus subjecta non sit. Cùm Parisiis, tum alibi, partim igne deleta, partim suæ turpitudinis horrore protinus extincta Secta est. De qua *Prateolus* & *Bernardus Lutzemburgus*, *Gaguinus* lib. 9. Historiæ, *Belleforestius* lib. 5. Cap. 47. & alii.

Infamem Turlupinorum Sectam damnavit Gregorius XI.

** Error à Quietistis renovatus.*

ARTICULUS XX.

De Erroribus RAYMUNDI LULLI, & RAYMUNDI NEOPHYTI.

RAymundus Lullus, ortu Majoricensis, professione mercator, quem Tertio Ordini *S. Francisci* nomen dedisse scribunt Authores Minoritæ, & in odium Christiani nominis Bugiæ in Africa à Saracenis occisum, apud Majoricenses ut Martyrem coli, viginti libros edidit, vulgari idiomate Catalano, scatentes erroribus, quos recenset *Pegna* Commentario 21. in 11. P. *Directorii Inquisitorum*, *Nicolai Eymerici*. Horum doctrinam se in Monte quodam à Christo crucifixo habuisse gloriabatur; veriùs ab Angelo tenebrarum transfigurante se in Angelum lucis Ipsum tot errores edoctum asseruere, qui absque partium studio de illo tulere judicium. Id innuit ipse qui Minorum Annalium condidit, & *Lullum* tuetur quantùm potest, *Vuadingus*: Quòd scientiarum revelationes à Deo fiant ad fidei incrementum, vel Ecclesiæ fulcimentum, quæ ab hac non vidimus hucusque prodiisse; cùm nulli fuerint usui ejus Libri in Conciliis ab ejus morte celebratis. *Abstinendum itaque (inquit) ab ineptis quorundam Epithetis, & parentheticis, quæ insulsè affinguntur, elogiis: temerè enim à suis appellatur Sectariis, Doctor Illuminatissimus, Tuba Spiritus Sancti, Organum Dei, Fons Veritatis, Ecclesiæ Restaurator.* De ejus Artibus Magna & Parva, cæterísque libris ita censet idem *Vuadingus*, cujus Judicium nec Minoritis, nec Lullistis suspectum esse debet. *Artes Magna & Parva, & Inventiva veritatis, admirabiles habent ambages, & sinuosos anfractus, per quos nec Dædalo liceat incedere, nec ingeniosissimis aliquando viris etiam filum sufficiat Ariadnæ, quin in itinere vel judicio sæpe deficiant. Paucos vel nullos invenias, qui hanc artem vel artium omnium secretissimum & mysteriosum quod fingunt seminarium, vel (ut alii volunt) ludibrium, perfectè assequantur. Quod si post immensos labores, & fatigati cerebri vigilias, aliqui se putent assecutos, vellem scire quos tanti laboris vaeriunt vel edunt fructus, vel quam singularem præ communi hominum sorte, aut trita gymnasiorum doctrina imbutis viris præferant excellentiam. In universis autem hominis Operibus stylus inconcinnus, inæqualis, non solum humilis, verùm & passim barbarus, idiotismis aliorum idiomatum ubique scatens, quo plurima ubique sine studio aut librorum subsidio in itinere & peregrinationum perpetuo motu scribenti condonandum est. Methodus irregularis, inculta & confusa: Rerum gestarum neque seria, neque levis, sed levis & aspera, aliquando ridicula, vera tamen & sincera narratio. Modi & termini loquendi à communi dissident loquela Theologorum, & pleraque ejusdem assertiones à communi nostri ævi doctrina.* In ejus errores *Alexander V.* anno MCCLX. inquiri jussit & animadverti, ut constat ex ipsius Epistola 123. Anagniæ data 2. Nonas Octobris & 223. Nonis Octobris & 125. 12. Kalendas Novembris, quas quidem *Bzovius* laudat ad hunc annum, & *Petrum* Taraconensem Archiepiscopum, auctoritate *Alexandri* primùm in Raymundum Censuram Ecclesiasticam distrinxisse refert. Qua non obstante, cùm Raymundi *Lulli* doctrina annos pene centum pacificè divulgata fuisset, *Nicolaus Eymericus* Ordinis FF. Prædicatorum Theologus doctissimus, in Regis Aragonum ditionibus hæreticæ pravitatis Inquisitor, ipsam in perniciem fidei invalescere ac grassari videns, ejus libros multo labore perlegit, errores annotavit, excerpsit, ad *Gregorii XI.* Pontificis Maximi tribunal detulit. Erroneas propositiones ut minimùm quingentas in ejus libris contineri *Eymericus* observat: centum duntaxat recenset prolixitati parcens, II. P. *Directorii Inquisitorum*, Quæst. 9. & libros indicat ex quibus sunt exceptæ. Easdem hîc exhibeo, quòd omnibus non sit ad manum *Eymerici* liber. Primus articulus est 1 Deus habet multas essentias (Lib. *de Philosophia Amoris.*) 2. In divinis essentia non est otiosa, sed essentiat, & natura naturificat, bonitas bonificat, æternitas æternificat. (Lib. *de centum Dei nominibus, & super 1. Sentent. Quæst. 1.*) 3. Sicut leò se habet ad leonificandum, & homo ad hominificandum; sic & multò plus divina natura se habet ad naturificandum, & divinitas ad divinificandum. (*In 1. Sent. q. 11.*) 4. Sicut divina natura requirit agere intrinsecè, scilicet naturare; sic sua bonitas requirit bonificare, magnitudo magnificare, &c. cùm sint cum ipsa natura unum numero. (*Ibidem.*) 5. Sicut Deus naturale habet intelligere & amare intrinsecè; ita intrinsecè habet naturale bonificare, æternificare, possificare, & virtuificare (*In 1. Sent. & lib. de Centum Dei Nominibus.*) 6. Quia non est altera æternitas nisi Dei, oportet quod substantia se habeat ut suppositum æternans, ut de se ipsa producat æternum bonum (Lib. *Contemplationum.*) 7. In divinis est darè commune suppositum, quod respondet secundùm suam naturam rationibus divinis in producendo bonum. (*Lib. Contemplat. & de septem Arboribus.*) 8. In divinis sunt tres personæ & non plures, nec pauciores, scilicet uniens, unibilis, & unire;

Raymundi Lulli errores.

R. Lulli errores circa Deum, & Sanctissimam Trinitatem.

Lucæ Vuadingi de Raymundo Lullo ejusque Libris Judicium.

deificans, deificabilis, & deificare: æternificans, æternificabilis, & æternificare (*Lib. de ſeptem Arboribus.*) 9. In divinis deificativus, bonificativus, & æternificativus, virtuificativus, poſſificativus, & in amore intellectivus eſt Pater: deificabilis, bonificabilis, æternificabilis, virtuificabilis, poſſificabilis, & in amore intelligibilis eſt Filius: ſed deificare, bonificare, æternificare, virtuificare, poſſificare, & in amore intelligere, eſt Spiritus Sanctus (*Lib. de Centum Dei Nomin. & de ſeptem Arbor.*) 10. Eſſentia & natura Dei Patris generat Filium, (*Lib. de centum Dei Nomin. & de Eccleſiaſt. Proverbiis*) 11. Deus Pater eſt antequam Dei Filius. (*Lib. de* VII. *Arbor.*) 12. Deus Pater, in quantum Pater, eſt ſuppoſitum ſingulare, ſed in quantum reſpondet ſuis rationibus ad procedendum Filium, eſt ſuppoſitum commune. (*Ibidem.*) 13. Si Deus non fuiſſet Pater, non potuiſſet eſſe Pater æternitatis, cujus Pater eſt, in quantum eam dedit Filio per generationem (*Lib. de Eccleſ. Proverb.*) 14. Deus Pater eſt multiplicabilis, & Deus Filius conſimiliter. (*Lib de Contritione, Confeſſione, Satisfactione, & Oratione*) 15. Deus Filius eſt à Deo Patre totus generatus, & tota ejus eſſentia & natura. (*Lib. Orationum.*) 16. Deus Filius ſic eſſentialiter eſt de eſſentia productus, ſicut perſonaliter de perſona. (*In 1. Sent. Quaſt.* XXIV.) 17. Dei Filii eſſentia relata ad perſonam Filii ſic eſt genita, ſicut eſt ingenita eſſentia Patris relata ad perſonam Patris. (*Ibidem.*) 18. Deus, qui eſt Filius Deitatis, eſt Pater hominis deificati, propter hoc ut deificare Patri aſſimiletur. (*Lib. de centum Dei Nomin.*) 19. Spiritus Sanctus eſt conceptus de Patre & Filio. (*Lib. de Eccleſiaſt. Proverb.*) 20. Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio, ut æqualis ſit Patri & Filio: ita quòd habeat duas paſſiones, unam à Patre, aliam à Filio: ſicut Pater habet duas actiones, & Filius unam actionem & unam paſſionem. (*Lib. de* VII. *Arbor. & in* 1. *Sent. q.* XII.) 21. Duæ paſſiones Spiritus Sancti ſunt de tota activitate Patris; & ſtant ſicut una perſona, ſicut duæ activitates unum principium. (*Lib. de* VII. *Arbor.*) 22. De Patre & Filio & Spiritu Sancto ſic eſt, quòd quilibet eorum ſtat tam completus ſicut alius, & ſtant omnes tres unus Deus, non diſtincti in aliquo. (*Lib. de Confeſſione, &c.*) 23. Tantùm ſunt tres perſonæ divinæ in unione, quòd nulla illarum trium poteſt aliquid agere intrinſecè ſine aliis: quia nec generare, nec ſpirare. (*Lib. de Contemplat.*) 24. Generatio & Proceſſio non poſſunt eſſe in divinis per unam vel duas perſonas ſolùm, minùs de omnibus tribus. (*Lib. de Contemplat.*) 25. Stante Filio de toto Patre, & ſtante Spiritu Sancto de totis ambobus ſine aliqua contrarietate, ſtat eorum diſtinctio & concordia in majoritate, quæ poteſt eſſe: & tres perſonæ divinæ diſtinguuntur majori diſtinctione quæ poteſt eſſe. (*Lib. de* VII. *Arbor.*) 26. Sicut inter Patrem & Filium in divinis eſt major concordia & unitas quæ poſſit eſſe; ſic inter eos eſt major diſtinctio quæ poſſit eſſe. (*Ibidem.*) 27. Malè faciunt qui dicunt, quòd inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non ſit tanta diſtinctio, quanta eſt inter Deum & equum: cùm inter divinas perſonas ſit major concordia quam inter Deum & equum; quæ non poteſt eſſe ſine majori diſtinctione perſonarum. (*Lib. de* VII. *Arbor.*) 28. Extra Deum differentia eſt major in pluralitate, & concordia in unitate: Sed in Deo eſt æqualitas in differentia & unitate. (*Lib. Amati & Amici.*) 29. Inquantum Filius in divinis eſt diſtinctus à Patre & Spiritu Sancto perſonaliter, poteſt eſſe incarnatus ſine hoc quòd illi ſint incarnati: ſed in quantum omnes tres perſonæ ſunt una eſſentia & natura, oportet quòd Pater & Spiritus Sanctus ſint ita veraciter homo per incarnationem, ſicut Filius. (*Lib. de* VII. *Arbor.*) 30. Unitas naturæ & eſſentiæ divinæ facit ſtare æqualiter tres perſonas divinas hominem deitatum. (*Ibidem*). 31. In perſona Filii Dei accepit natura humana participationem cum perſona Dei Patris, & Dei Spiritus Sancti. (*Lib. de Eccleſiaſt. Proverb.*) 32. Tunc quando Filius Dei accepit humanam naturam, produxit perſonam hominem in ſua perſona: ſic in amando eſſe hominem, produxit cum Patre Spiritum Sanctum. (*Lib de* VII. *Arbor.*) 33. Eſſe humanum eſt nobilius eſſe quod Deus creavit, & homo melior creatura, quæ ſit. Et ſicut eſſentia divina eſt ſummum eſſe in bonitate: ita Filius Dei fuit incarnatus in meliori eſſe quod ſit poſt divinum eſſe. (*Lib. Contempl.*) 34. Divina natura, quæ eſt Filius Dei, voluit eſſe induta de humana natura, quæ eſt Chriſtus homo. (*Lib. de* VII. *Arbor.*) 35. Deus pro humano genere ſalvando, ſine hoc quòd peteret veniam, voluit ei indulgere per incarnationem, quam accepit miſericordia quæ eſt Deus. (*Ibidem.*) 36. Si humana natura potuiſſet ſe elongare à divina natura, & eam fugere, ut non incarnaret ſe in ea, feciſſet: Sed natura divina acceſſit ad humanam naturam, & incarnavit ſe in illa (*Lib. Contemplat.*) 37. Natura divina in Chriſto unita humanitati, eam à peccato originali purificavit, cuſtodivit, & mundavit. (*Ibidem.*) 38. In Chriſto ſunt tres naturæ, ſcilicet divina, anima rationalis, & corpus humanum. Et propter quamlibet iſtarum naturatum eſt Rex: Nam propter naturam divinam, eſt Rex divinus & æternus: propter animam rationalem, eſt Rex omnium Spirituum creatorum & creabilium; ſed propter corpus humanum, eſt Rex totius corporalis naturæ (*Lib. de Benedicta tu.*) 39. Subſtantia humanitatis Chriſti diſtinguitur in tres res, ſcilicet animam, corpus, & ſpiritum, qui exit à duobus, ſcilicet à corpore & anima. (*Lib Contemplat.*) 40. Anima Chriſti diligit ſuam formam, & ſuam materiam, quæ forma animæ Chriſti eſt nobilior, pulchrior, melior & honorabilior formâ quæ ſit: In qua propter ejus pulchritudinem, qui ſunt in Paradiſo habent magnam gloriam. (*Ibidem.*) 41. Per Chriſtum principaliter eſt mundus creatus de nihilo. (*Lib de centum Dei Nomin.*) 42. Divina natura & humana in Chriſto ſunt magnæ in differentia & concordia; & tam magnæ, quòd ſicut eſt concordia major quàm alia concordia, quæ ſit inter Creatorem & creaturam; ita oportet quòd ſit differentia major inter divinam naturam & humanam in Chriſto, quàm aliqua differentia quæ ſit inter Creatorem & creaturam. (*Lib. de* VII. *Arbor.*) 43. Inter Verbum & animam, quam aſſumpſit, eſt magna concordia per conjunctionem & unionem; & ita magna, quòd Verbum eſt anima & homo, & homo eſt Verbum cum omnibus partibus ſuis, & Verbum convertitur cum anima. (*In* 1. *Sent. quaſt.* VII.) 44. Anima Chriſti eſt inſtrumentum, & Verbum eſt agens: & ideo mediante anima Chriſti Verbum comprehendit, & non immediatè. (*In* III. *Sentent. Quaſt.* XVII.) 45. Chriſto ita fuit leve in die Paſſionis ſuæ dolores ſuſtinere, ſicut dicere. (*Lib. Contemplat.*) 46. Tota humana natura Jeſu Chriſti in Paſſione pœnam habebat: & tota divina natura pœnam ejus ſentiebat. (*Lib. de Eccleſiaſt.*

R. Lulli errores circa Chriſtum.

Ecclesiast. Proverb.) 47. Corpus Christi stans in Cruce fuit mortuum; in quantum anima dimisit illud, & non fuit mortuum in quantum deitas ab eo non recessit, nec conjunctio divinæ naturæ & humanæ fuit divisa: Remansit ergo Christus vivus & mortuus: fuit mortuus secundùm cursum naturalem, sed remansit vivus supra cursum naturalem. (*Lib. de* VII. *Arbor.*) 48. Mortuus fuit Christus homo secundùm mortem humanam, sed remansit homo Deus, in quantum Deus remansit homo. (*Ibidem.*) 49. Resurrexit Christus propter hoc, ut esset homo conjunctus ex anima & corpore, sicut erat homo antequam moreretur; & quando fuit mortuus, fuit homo, in quantum Filius Dei erat homo. (*Ibidem.*) 50. In Cœlo Imperiali sunt animæ Sanctorum, & in illo vident Deum; & contemplantur facie ad faciem. Et in istis locis inferioribus nulla anima potest videre nec contemplari Deum sine medio, quod est species phantastica, oportuit ergo quòd Christus assumpserit corpus suum in altum. (*Ibidem.*) Quibus significat omnino, Animam Christi ante ipsius in cœlos Ascensionem immediatè divinam essentiam minimè potuisse, nec Deum sine medio & sine specie phantastica fuisse contemplatam. 51. Dei Filius est bonus ratione bonitatis *B. Mariæ*, quæ est bona per naturam, & naturalem habet proprietatem quòd est bona in se ipsa, in tantùm quòd non fecit peccatum mortale nec veniale, sed habet proprietatem per se ipsam faciendi bonum. (*In lib. de Beata Maria.*) 52. Beata *Maria* relaxat peccatoribus culpas & peccata, & potest plus peccatoribus indulgere, quàm ipsi peccare; donáque virtutes & merita, fidem, spem, & caritatem, cum quibus habeant homines vitam æternam (*In lib. de Beata Maria*) 53. Voluntas Beatæ *Mariæ* est contra justitiam, quia non dilexit Filii sui mortem, quem Deus cum justitia interemit: & in hoc est stulta & inobediens B. *Mariæ* voluntas (*In lib. Orationum*) 54. Papa est Vicarius B. *Petri*. (*Lib. de* VII. *Arbor. & de Contemplat.*) Hæc quidem impropria locutio: sed Vicarii nomine successorem in eadem auctoritate intellexisse videtur: quo sensu similem loquendi modum Authores probatissimi usurparunt. 55. Propter peccatum primi hominis totus mundus fuit corruptus, & quantùm ad vegetabilia, & animalia, & alia creata ad servitium hominis. Immò etiam quantùm ad homines & Angelos. (*In lib. Contemplat.*) 56. Propter peccatum originale corpus hominis non est dignum quod sumat usum & servitium ac vitam de plantis, nec de animalibus brutis, quæ sunt creaturæ Dei, in quibus non habet jus aliquis qui sit contra Deum (*In lib. de Articulis Fidei*) 57. Quia anima rationalis est forma corporis, & movet corpus ad accipiendam vitam de plantis, animalibus brutis, & aliis rebus ei necessariis, movet corpus contra jus & rationem. (*Ibidem*) 58. Post peccatum originale, Deus & humanum genus fuerunt in magna contrarietate boni & mali, virtutis & vitii, veri & falsi: & illa contrarietas erat ita magna quòd Deus in mundo populum non habebat. (*In* I. *Sentent. Quæst.* CX.) 59. Deus coosentit quòd homo faciat peccatum veniale, ut non faciat peccatum mortale: aliàs magis distaret à divina bonitate & magnitudine per peccatum veniale, quàm per mortale: & sic Deus non licentiaret hominem quòd faceret peccatum veniale: quòd est impossibile. (*Ibidem Quæst.* CXIX.) 60. Deus peccatorem juvare non potest, dum suum intelligibile & amabile sunt infirma: & hoc quia participaret per suam bonitatem & virtutem cum malitia; neque Deus contra justitiam agere potest. (*In* 2. *Sentent. Quæst.* XLVII.) 61. Anima Judæi & Saraceni, qui credit esse in veritate, & non peccat mortaliter peccato actuali, non habebit pœnam spiritualem. (*Lib. de* VII. *Arbor.*) 62. Nullus est homo ita peccator, qui qualibet hora qua velit, non possit esse Dei amicus & familiaris. Is articulus sano sensu intelligi potest, scilicet si pœnitentiam agat: juxta illud: *In quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* 63. Homo non debet reclamare ad Deum, si non diligit eum: & ille facit magnam malignitatem, qui orat Deum sine charitate. (*Lib. de Ecclesiastic. Proverb.*) 64. In faciendo bonum, non oportet nos sperare quòd Deus incipiat; quia jam incœpit quando nos creavit, & pro conservatione nostra mundum nobis dedit; ut ei serviamus, & eum honoremus. (*Lib. Orationum, & lib. de Philosophia Amoris.*) 65. Virtus est ita bona & quantitate magna, quòd omnis homo potest eam habere pro sua voluntate. (*Lib. de Philosophia Amoris, & de centum Dei Nomin.*) 66. Nullus homo est, qui non possit multiplicare amorem suum, & velle in quantum voluerit. (*Lib. Contemplat.*) 67. De amore divino quilibet potest habere quantùm voluerit. (*Lib. Contemplat. & de Dei Nomin.* 68.) *a* Quilibet homo potest Deum contemplari quantùm vult, & ubi vult, & quando vult. (*In lib. Contemplat.*) 69. Quilibet homo de charitate & spe potest habere quantùm vult. (*Ibidem.*) 70. Homo potest venire ad salvationem per virtutes morales: & quilibet potest habere de gloria Paradisi tantam quantam vult habere omni tempore. (*Lib. de Artic. fidei, & lib. Contemplat.*) 71. Homo peccat, & est Deo inobediens, si non facit bonum quod intelligit, quod quidem potest facere, licet illud bonum facere non sit ei mandatum. 72. Qui non facit id bonum quod potest facere, non videtur Deum multùm diligere. (*Lib. Contemplat.*) 73. Tantùm est imputandum omni potenti bonum facere, & nolenti, quantùm si faceret malum: quia homo potens facere bonum, & nolens, semper est in culpa. (*Ibidem.*) 74. Qui non facit totum posse suum ad coovertendum omnes Infideles, errat, & est sine charitate. (*Ibidem.*) 75. Deus est ita firmus ad indulgentiam, quòd nihil potest indulgentiam impedire, nisi desperatio. (*Lib. de centum Dei Nomin.*) 76. Deus habet populo suo tantam charitatem, quòd quasi omnes homines mundi erunt salvati; quia si plures essent damnati quàm salvati, misericordia Christi esset sine magna charitate. (*Lib. de Plan-Eln.*) 77. Sine charitate non possumus habere aliquam virtutem; sicut sine oculis non possumus videre. (*Lib. de doctrina puerili.*) 78. Quia omnes homines ejusdem speciei sunt; dignum est quòd homo diligat proximum suum quantùm se ipsum: & si non facit, ejus amor est falsus & deordinatus: & de hoc est Dei mandatum. (*Lib. de Contemplatione & lib. de* VII. *Arbor.*) 79. Qui non diligunt pluviæ multiplicitatem, vel paucitatem, vel sterilitatem seu siccitatem, calorem & frigus, &c. non diligunt opera divina, sed contrariantur divinæ justitiæ. (*Lib. Contemplat.*) 80. *b* Homo debet amare Deum, quia bonus est, non autem propter ullam rem quam sibi donet; nec propter indulgere suum peccatum, nec propter hoc quòd ipse non sit damnatus: Et qui sic voluerit orare, sentit se tam altum per suum amare, & per suum intelligere, & memorari, quòd non poterit altiùs ascendere. (*Lib. de Contritione, Confessione,*

R. Lulli errores circa Beatam Virginem Mariam.

R. Lulli errores de peccatis.

R. Lulli errores de gratia & virtutibus.

a Error à Quetifio renovatus.

b Error novissimè suscitatus à spiritualibus Quietistis.

Confessione; &c.) 81. Qui amant Deum propter hoc ut det eis gloriam cœlestem, vel bona temporalia, & timent Deum propter hoc ut non det eis pœnam infernalem, vel labores temporales, faciunt de prima intentione secundam, & de secunda primam, & eorum intentio est perversa & falsa; & contra Dei intentionem. Non est qui fecerit tantum malum sicut fecit *Mahometus*, qui tot homines misit in errorem: & tamen majus malum sequitur cùm homo non habet Deum primam intentionem, quàm sit totum malum quod fecit *Mahometus*: quia majus bonum est in homine uno qui fortiter diligit Deum per primam intentionem, quàm sit malum in omnibus hominibus qui sunt damnati. (*Lib. Intentionum.*) 82. Si Deus dat homini de bonis hujus mundi, nec propter hoc quia dat sibi & multiplicat bona, homo debet eum diligere plus: quia tantùm debet eum diligere, quòd plus non possit eum diligere. (*Lib. de Arte amativa.*) 83. Inconveniens est quòd verus amor, propter aliqua quæ facit homini Deus multiplicet seu minuat suum amare: quia postquam Deus initiavit hominem amare, & homo contemplari Deum, non convenit quòd contrarium habeat posse in amare; imò oportet quòd non possit suum amare crescere nec minui. (*Ibidem.*) 84. Tantùm desiderat & amat amicus, hoc est, homo justus, bonitatem, magnitudinem, & æternitatem sui amati, hoc est Dei, quòd propter suum amorem se concordant bonitas, magnitudo, & æternitas in esse unam essentiam, & naturam, & unam & eamdem rem numero in amico & amato (*Ibidem.*) 85. Amicus & amatus, scilicet homo justus & Deus, sunt una indistincta & inconfusa essentia & natura in bonitate & magnitudine, & æternitate. (*Ibidem.*) 86. Si amicus, hoc est homo justus, non fuisset ipsa substantia sui amati, hoc est Dei, & amatus non fuisset ipsa substantia sui amici, jam eorum gloria non fuisset in magna concordia amoris. (*Ibidem.*) 87. Amicus & amatus, hoc est, homo justus & Deus, in quibus non est parvus amor, sed magnus, possunt esse, imò sunt una met essentia & natura divina indistincta & indivisibilis sine ulla contrarietate & diversitate essentiæ. (*Ibidem.*) 88. De Patre, & Filio, & Spiritu Sancto sic est, quòd quilibet stat tam completus sicut alius: & stant omnes tres unus Deus, non distincti in aliquo. Et qui sic potest levare suum orare, & potest tam longo tempore stare sine ulla imaginatione de ulla re temporali, nulla oratio tantùm valet: quia homo stabit totus raptus superiùs per Spiritum Sanctum, non curans de re quæ sit hîc: & suum orare erit sic verum, quòd homo non possit addere in contemplando, nec desiderando. (*Lib. de Contritione, Confessione, &c.*) 89. Infanti qui non vult assentiri Sacramento Confirmationis, non valet Sacramentum Baptismatis. (*Lib. Contemplat.*) 90. Si homo non est confirmatus, & credat esse confirmatus, est à peccato originali mundatus ratione bonæ intentionis, quæ consumit culpam & peccatum. (*Lib. Contempl. & lib. de Eccles. Proverb.*) 91. Quilibet est obligatus ut sit in ordine matrimonii vel religionis: quia omnis alius status discordat cum finali intentione propter quam quilibet est creatus. (*Lib. de doctrina puerili.*) 92. In matrimonio generatur homo cum sanctitate: & matrimonium sic ligat, quòd nullus debet accedere ad uxorem suam, nisi causâ prolis. (*Lib. de Eccles. Proverb.*) 93. Existentes in Purgatorio non possunt Deum tantùm diligere, quantùm eum diligerent, si illas pœnas non sustinerent. (*In lib. Orationum.*) 94. Sicut Deus Pater non addit aliquid in Filio generando in æternitate: Ita Sacerdoa non addit aliquid Christo, uniendo sibi substantiam, quam panis & ejus accidentia dimittunt. (*Lib. de Eccles. Proverb.*) 95. Sicut Dei Filius non accipit additamentum per esse hominem: ita Sacerdos facit, quòd sanguis quem accepit Christus de Domina nostra non accipit additamentum propter additionem quam facit cum sanguine calicis. (*Lib. de Eccles. Proverb.*) 96. Omnes articuli fidei, & Ecclesiæ Sacramenta, ac potestas Papæ, possunt probari, & probantur per rationes necessarias, demonstrativas, evidentes. (*Lib. de Artic. fidei, lib. Contemplat. de Eccles. Proverb. & De Planctu Raymundi.*) 97. Fides est necessaria hominibus rusticis, insciis, ministralibus, & non habentibus intellectum elevatum, qui nesciunt cognoscere per rationem, & diligunt cognoscere per fidem: sed homo subtilis faciliùs trahitur ad veritatem Christianam per rationem quàm per fidem. (*Lib. Contemplat.*) 98. Qui cognoscit per fidem ea quæ sunt fidei, potest decipi: sed qui cognoscit per rationem, non potest falli: Nam fides potest errare & non errare. Et si homo errat per fidem, non habet tantam culpam, sicut si erraret per rationem. Et sicut veriùs cognoscimus ea quæ videmus, quàm ea quæ palpamus: ita veriùs sumus dispositi ad cognoscendum veritatem per rationem, quàm per fidem. Sed sicut palpando aliquando invenimus veritatem: ita etiam quandoque per fidem cognoscimus veritatem, sicut cæci, qui aliquando inveniunt quæ volunt, aliquando non. (*Lib. Contemplat.*) 99. Interficientes hæreticos sunt injuriosi & vitiosi in suo memorari, intelligere, atque velle; quia hæretici, quando interficiuntur, moriuntur morte sensuali & morte intellectuali: & Christus voluit quòd ejus Apostoli & Discipuli essent homines simplices, & qui non interficerent Infideles; propter hoc, ne interficiendo eos sensualiter, morerentur etiam eorum animæ. (*Lib. Contemplat.*) 100. Deus contulit *Raymundo Lullo* Artem & Doctrinam generalem in quodam monte, ubi Christus ipsi apparuit crucifixus, & contulit eam sibi pro hujus sæculi tenebris illustrandis: quæ est generalis ad omnem scientiam, & Naturalem, & Medicinam, & ad Jura, & valet specialiter ad destruendum errores. (*In Prol. Sentent. & lib. de Planctu Raymundi.*)

Errores à Quesitis adoptati.

R. Lulli errores circa Sacramenta.

R. Lulli errores circa Fidei Rationisque cognitionem.

R. Lulli error contra justam Hæreticorum punitionem.

R. Lulli [illegible] homo [illegible] cus.

Hos articulos *Raymundi Lulli* aliósque *Gregorius XI.* Pontifex Maximus, audita *Petri* Cardinalis Episcopi Ostiensis & viginti Doctorum in Theologia, quibus librorum illius examen commiserat, relatione ac censorio judicio, ut *erroneos*, & maximam partem *hæreticos* damnavit, omnésque ipsius libros prohibuit VII. Kalendas Februarii anno MCCCLXXVI. Diploma editum est in Directorio *Eymerici*, inter Literas Apostolicas, pag. 67. Lullistæ subreptitium esse Diploma contendunt, idémque Minoritæ Scriptores *Lulli* Apologistæ effutiunt. Id probant ex Sententia *Bernardi Ermengaudi* Ordinis Prædicatorum Provincialis, & Inquisitoris hæreticæ pravitatis in Provincia Aragoniæ, aliorúmque duorum ejusdem Ordinis Doctorum; necnon Fratris *Arnoldi Peregrini*, Confessarii Reginæ Aragonum, Ordinis Minorum, & etium ex eodem Ordine Consodalium: qui unanimiter cotuestantur, indignè traductum *Raymundum* ab *Eymerico* in quibusdam propositionibus hæreticis, quas dicebat contineri in libro *Philosophiæ Amoris*, cùm nullatenus in eo legantur. Sed ut alia omittam quæ adversùs hoc judicium objici possent; Cardinalis Ostiensis, & viginti Theolo-

R. Lulli errores à Gregorio XI. damnati.

Eymerici Inquisitoris in R. Lulli errores æquissima Censura à calumniis vindicatur.

gi,

gi, qui in librorum & errorum *Raymundi Lulli* examen & censuram jubente *Gregorio XI.* incubuere, minùs oculati, minùs eruditi, minùs diligentes & accurati non erant septem illis Theologis Hispanis: è quibus quatuor Minores privatis in *Raymundum* studiis indulserunt, & Regi Aragonum, qui ab illius doctrina infamiæ notam expungi optabat, sunt adulati. Præterea, *Tres tantum sunt propositiones de quibus illi Judicium tulerunt. Porro ex reliquis, quas Eymericus centum exscripsit in Directorio, major & potior pars verè in ejus Operibus reperitur: quarum nonnulla duriores & crassiores sunt, quàm eas communis Theologorum Schola admittat; aut sine censuris elabi permittat.* Ita censet ac scribit *Vvadingus* in Annalibus Minorum, ad annum MCCCXV. Addit idem Author: *Vidi, & penes me habeo Apologiam Antonii Beluer Cathedratici Primarii, & Canonici Majoricensis integro & magno Volumine contentam, ad Sixtum V. & Philippum II. pro Raymundi asserenda doctrina transmissam, & aliorum Responsiones ad Objecta Eymerici: & sincerè dicam, post multas ambages verborum, post miros anfractus, quos non percipiat, terminorum, non plenè in omnibus satisfecisse,* &c. Quod Authoris minimè suspecti judicium sufficit ad calumnias aliorum in *Eymericum* Inquisitorem diflandas.

Gregorio XI. Constitutio contra R. Lulli errores, non est ab Eymerico Inquisitore confiata, sed genuina.

Nec enim minùs futile est quod Lullistæ objiciunt, *Gregorii XI.* Diploma subreptitium declaratum esse à *Bernardo* Episcopo Tipbcinate, nec in Gregorii Regesto diligenter quæsitum, inveniri potuisse. Nam *Bernardum* non satis accurata consideratione rem expendisse, non maturo satis judicio pronunciasse; nec suppositum esse ab *Eymerico* Inquisitore *Gregorii XI.* Diploma, quamvis aut ex ipsius Regesto ablatum sit, aut ejus autographum casu aliquo perierit, ut alia plurima Diplomata anno VI. *Gregorii XI.* data, gravia momenta probant. Primo alia duo ejusdem Pontificis Diplomata anno 2. & 4. Pontificatus data, quibus libros *Raymundi Lulli*, seu suspectos, ad se mitti jussit, & diligentissimè examinari. Perlecti sunt & discussi à Cardinali Hostiensi, & XX. Doctoribus, erroribus scatentes inventi: quid igitur erat reliquum, nisi ut censurâ configerentur? Unde nec *Vvadingus* ipse ferventissimus *Lulli* defensor temperare sibi potuit quin cogente veritate fateretur, *Suspicionem ingerere duas præfatas Extravagantes, Summum Pontificem circa Lulli doctrina damnationem aliquid effecisse.* Secundò, *Petrus* Rex Aragonum in Epistola ad *Gregorium XI.* ipsius de *Raymundi Lulli* damnatione Diploma ut legitimum agnoscit, & in suo Regno promulgatum, rogatque ejus Sanctitatem ut novum examen librorum damnatorum decernat. Hanc Epistolam edidit *Franciscus Diagus* lib. II. Historiæ Provinciæ Aragoniæ Ordinis FF. Prædicatorum à se descriptam summa fide ex Carthulario Regio civitatis Barcinonensis, in quo Regestum exstat varias *Petri* Regis Aragonum Epistolas continens ab anno MCCCLXXI. ad annum MCCCLXXXIX. His autem concepta verbis est illa qua de agimus: *Sanctissime Pater, intelleximus relata quorumdam quòd Sanctitas vestra ad instigationem Fratris Nicolai Eymerici, Inquisitoris pravitatis hæreticæ, misit ad has partes Barcinonæ, Valentiæ, & Majoricarum quoddam Rescriptum continens, quod quicumque teneat de libris per Raymundum Lullum quondam civitatis Majoricarum factis, intra certum tempus in ipso Rescripto contentum, illos teneatur sub excommunicationis pœna ponere in posse Vicariorum Episcoporum ipsarum civitatum. Nam fertur quod dictus Inquisitor, Opus dicti Raymundi examinari fecit, & quod in eo invenit quæ contra fidem Catholicam existunt. Cùmque, Sanctissime Pater, consanguinei ipsius Raymundi qui sunt in hac civitate, a qua suum genus traxit originem, cupiant valde quòd idem Opus in eadem examinetur civitate, quod rationabile nobis videtur & justum. Primò, quia Opus prædictum est in idiomate Catalano, ob quod absque dubio melius intelligetur per Catalanos, quam per homines alterius nationis. Secundò, quia in Catalonia sunt plures Clerici & Religiosi, qui in dicto Opere libenter student, cùm plurima in eo addiscant utilia valde, quique super examinatione poterunt multa dicere, per qua veritas demonstretur. Tertiò, quia scientia dicti Raymundi habet principia valde dissimilia aliis scientiis. Unde per ignorantes eam, quamvis aliarum scientiarum scientificos, potest de facili non intelligi. Quartò, quia magnum est interesse consanguineorum prædicti Raymundi, an dictum Opus comprobetur: vel reprobetur. Unde rationabile valde existit, quòd super hoc ipsi vocentur, & audiantur rationes eorum. Quocirca Sanctitati vestræ humiliter supplicamus, ut providere dignemini quòd dictum Opus in hac civitate examinetur, committendo examinationem ipsam Episcopo Barcinonæ, juxta supplicationem, quæ super hoc nostri parte vestræ clementiæ offeretur. Nam de hoc nobis specialem gratiam faciet benignitas vestra. Nam ex quo dictus Raymundus erat Catalanus, & subditus noster, multum nobis placebit si ejus scientia comprobetur, & proinde Sanctitati vestræ gratias humiles referemus. Datum Barcinone, sub nostro sigillo secreto septima die Januarii, anno à Nativitate Domini MCCCLXXVII.*

REX PETRUS.

Circa quam Epistolam nonnulla observare operæ pretium est 1. Scriptam illam esse die septima Januarii anni MCCCLXXVII. mensibus sexdecim ante obitum *Gregorii XI.* cui mensis Aprilis anni MCCCLXXVIII. fatalis fuit. Proinde satis habuisse temporis ut ad Regem rescriberet, ipsúmque de suppositione Diplomatis admoneret, si suppositium fuisset, ut malè feriati Lullistæ commenti sunt. Nec verisimile est quòd *Eymericum* Inquisitorem, quem criminis falsi tam manifestè convictum volunt, impunitum reliquisset, flagitium dissimulasset, munus ipsum gerere permisisset, quo tam insigniter fuisset abusus. Secundò, *Gregorii XI.* Diploma contra *Raymundi Lulli* errores missum est ab eodem Pontifice ad Barcinonensem, Valentinum, & Majoricensem Episcopos, qui suis in Diœcesibus illud promulgari permiserunt. Non permisissent autem si vel levissima suspicio falsi adversùs illud orta fuisset; *Eymericum* impostorem proclamassent; illorúmque suffragia contra Inquisitorem notatum Rex etiam in Epistola sua protulisset. Tertiò, Rex cui adeo cordi erat *Lulli* fama, *Eymericum* Inquisitoris munere suis in ditionibus fungi non permisisset, immò eum è Regno suo expulisset, vel deponi curasset, aut saltem ad faciendum satis memoriæ *Lulli* adegisset. At *Eymericus* Inquisitor annos XXI. post *Gregorii XI.* obitum, quamdiu vixit ipse, Inquisitoris officio honorificè functus est. Quartò, Rex nullo alio titulo *Lullum* insignit, quàm civis Majoricani, quod etiam in Diplomate suo præstiterat Pontifex; quamvis *Eymericus*, Catalanus & ipse, expressiùs *Raymundum Lullum* Mercatorem dicat, & *Franciscus Pegna* ejus Commentator *Laicum*, nullus verò Eremitam, vel Tertii Ordinis *Sancti Francisci* Professorem. Quintò, Rex *Petrus* inter cæteras rationes, quibus in Epistolâ illâ suâ Summum Pontificem movere conatur ad novum examen librorum *Lulli* concedendum, nec Domus Regiæ, cujus aliquando Senescallus fuerit vel Præfectus, ut Lullistæ fingunt; nec Ordinis Francis-

cani, cujus Professor extiterit, honorem; sed consanguineorum dumtaxat ipsius *interesse*, (ut ipse loquitur) exponit. Sextò, illa in Epistola nihil de mirabili *Raymundi Lulli* conversione, vocatione à Christo, illuminatione, sanctitate, prædicatione apud Infideles, Martyrio, miraculis, quæ defensores ipsius adeo magnificè jactant. Quæ certè Rex non omisisset, ad suum scilicet consilium in primis conducentia: siquidem non consanguineorum dumtaxat *Lulli*, sed ipsius Ecclesiæ honos & utilitas postulassent ut Vir Religiosus, Sanctus, & Martyr vindicaretur à calumnia. Septimò, *Lulli* scientiam habere principia scientiarum cæterarum principiis longè dissimilia, Rex *Petrus* scribit. Quod Novatorem ipsum fuisse probat, aliis concurrentibus argumentis. Veritatem Gregoriani contra *Lullum* Diplomatis confirmat etiam *Gregorii XIII.* auctoritas, cujus nomini Directorium inquisitorum *Eymerici*, Notis exquisitis à se Illustratum, & Literis Apostolicis locupletatum, quas inter extat laudatum Diploma, *Franciscus Pegna* consecravit.

Sacræ Facultatis Parisiensis & Gersonii de Libris & doctrina R. Lulli judicium.

Venerabilis *Gersonii* Parisiensis Ecclesiæ & Academiæ Cancellarii de *Raymundi Lulli* doctrina Judicium silentio prætereire non possum. Is 11. P. libri *De Examinatione Doctrinarum*, Consideratione 1. ita scribit: *Attendendum in examinatione doctrinarum primò & principaliter, si doctrina sit conformis Sacræ Scripturæ, tam in se, quàm in modi traditione..... Est igitur talis ars, talis regula, vel exemplar, cui se non conformans alia doctrina, vel abjicienda est ut hæreticalis, aut suspecta, aut impertinens ad Religionem prorsus est habenda..... Quæret aliquis quid sibi vult finis hujus considerationis loquens de modo traditionis Scripturæ? Nunquid potest alia salubris doctrina taliter tradi, quòd redderetur inepta & nociva? Potest utique. Ponitur ad præsens exemplum de doctrina Raymundi Lulli, quæ quidem & vera, & copiosa multa continet, non tamen in multis absque ponibili calumnia, de quibus nihil ad præsens. Hoc unum placet inferere, temporibus nostris in Sacra Theologia Facultate institutum. Habet ipse Lullus modum traditionis specialem sub magnis voluminibus ad certa nomina, ad characteres, & figuras. Sensit eadem Facultas, nonnullos de suis suppositis, ut proni sumus ad novitates, velle traditionem hujusmodi multiplicare per studium. Nam in Aragonia dicitur edoceri. Constituit protinus Statutum (quod Patribus Carthusiensibus prope Parisios significavit per literam: habent enim copiam librorum dicti Lulli) quo statuto prohibebatur omnibus suppositis suis, ne derelinquentes modum doctrinalem Sanctorum Doctorum per Ecclesiam approbatorum, & qui tentus est hactenus in Sacra Theologia Facultate, transirent ad novam hanc phantasiandi curiositatem.* His omnibus addendum, *Raymundi Lulli* Opera à *Paulo IV.* Pontifice Maximo fuisse rursus prohibita.

R. Lullus hæreticus non fuit.

Propter errores tamen, & propositiones plerasque hæreticas, hæreticum nemo dixerit *Raymundum Lullum*, cùm omnia Opera sua Ecclesiæ Romanæ censuræ ac judicio subjecerit, ut multis probat *Vuadingus*. Et si verè Martyr fuit, (quod agnoscam lubens, cùm ejus Martyrium ab Ecclesia Romana cæterarum Matre & Magistra vindicatum probabitur) totum illud errorum virus passionis falce in beata anima purgatum est. Sed verè inter hæreticos censendi Lullistæ, seu *Raymundi Lulli* Sectatores illi, de quibus *Eymericus* loco supra laudato; qui non solum damnatos ab Ecclesia illius errores pertinaciter propugnabant, sed novos etiam addebant: Doctrinam scilicet Veteris Testamenti attribui Deo Patri; Doctrinam Novi Testamenti Filio; Doctrinam *Raymundi Lulli* Spiritui Sancto: Theologiam omnem deletum iri: Theologos omnes Antichristi tempore à fide defecturos: Tunc verò per doctrinam *Raymundi* Fidem Catholicam in Ecclesia à Lullistis suscitandam. Hanc doctrinam non per studium, neque per hominem, sed per revelationem haberi, & à solis Lullistis intelligi. *Gregorium XI.* qui doctrinam *Raymundi Lulli* in xx. ejus voluminibus contentam, ut hæreticam in ducentis articulis Avenione in Consistorio damnavit; Sacrum Collegium quod consensit; Cardinalem Hostiensem qui hac in causa cognitor ac Judex à Summo Pontifice delegatus est; viginti Magistros in Theologia hujus doctrinæ ac librorum examinatores & censores, illam non intellexisse, & turpiter erravisse. Denique *Raymundum Lullum* pro Beato habendum & colendum pertinaciter propugnabant, quamvis ejus sanctitas non esset ab Ecclesia declarata, nec Martyrium vindicatum.

Quidam ejus Sectatores hæretici.

R. Lulli obitus.

Raymundum Lullum obiisse anno MCCCXV. die xxix. Junii scribit *Vuadingus*, non xxvi. Martii, ut habet *Arturus à Monasterio*, in Martyrologio Franciscano. Nonagesimum quintum annum attigisse fertur. Ejus Vitam *Carolus Bovillus*, homo Gallus, secundùm narrationem ignoti cujusdam Hispani, Epistolâ complexus est, anno MDXI. ducentis paulò minus annis à morte *Lulli*, secundùm *Vuadingi* rationes. Narrationem illam *Benedictus Gononus*, Ordinis Celestinorum, inter Vitas Sanctorum Patrum & Eremitarum Occidentis lib. VI. inseruit. Ex eadem Epistola & ex *Raymundi* scriptis, Vitam ejus contexit *Vuadingus* in Annalibus. De ipso pariter legendi *Bzovius* noster, & alii Annalium Ecclesiasticorum post *Baronium* Cardinalem Continuatores, *Hugo Cavellus* Ordinis Minorum in Apologia pro *Raymundo Lullo*, *Nicolaus Jansenius* in Appendice ad Tom. 115. *Bzovii*; *Franciscus Diagus* in Historia Provinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatorum lib. 1. Cap. 24. 25. 26. & 27. & lib. 2. Cap. 91. Mariana lib. XV. de Rebus Hispaniæ Cap. IV. & *Dervicius Thadæus* in *Nitela Franciscanorum*. Raymundum Lullum. P. *Caussinus* S. I. Tom. IV. *Curia Sancta*, Tractatu 1. Sect. 13. *Thesaurum absconditum* appellat, & à solis invidis & æmulis exagitatum ait. Quod non satis attentâ consideratione à viro alioqui laudatissimo scriptum esse probant, quæ hucusque diximus. P. *Sanjurius* ejusdem Societatis, ipsum inter ferventiores Christi amatores refert lib. IV. de Christi cognitione & amore. Illis qui *Raymundum Lullum* à caritate laudant, non succenseo, quia id caritatis esse potest: sed ejus doctrinam ab Ecclesia proscriptam, prohibitam, & damnatam laudari, quis Ecclesiæ filius patiatur? De doctrina dumtaxat illius hic egi, non de vitâ. Quanquam in Vita ejus prout à *Bovillo*, *Genono*, *Vuadingo*, literis mandata est, multa non dicam paradoxa, sed contradictoria inveniantur. Scilicet *Raymundus Lullus*, secundùm ipsos, uxoratus fuit, Monachus, Eremita vagus; Theodidactus errans & in erroribus perseverans; cujus scientia à Deo accepta & infusa, inutilis tamen *ad fidei incrementum, & Ecclesiæ fulcimentum*: qui *mirabiliter fuit tota mente illustratus*, quamvis *nec tota, nec præcipua aliqua pars ejus doctrinæ à Deo immediatè sit infusa*: Qui *cœlitus fortasse illuminatus* est, licet *pleraque ejus assertiones absona à communi nostri ævi doctrina, & ejus modi loquendi & termini à communi dissideant loquela Theologorum*. Cujus *Ars magna & parva admirabiles habent ambages & sinuosos anfractus, per quos nec Dædalo liceat incedere: cujus methodus irregularis, inculta, & confusa: stylus inæqualis, inconcinnus, barbarus*. Eundem

Vitæ Scriptores.

In Vita R. Lulli multa contradictoria.

dem Prædicatorem exhibent absque missione laudati Vitæ ipsius Authores. Qui rationibus invictis se Mysterium Sanctissimæ Trinitatis demonstraturum Infidelibus pollicebatur; quibus ipsos Philosophos dumtaxat, non fideles effecisset. Qui rationibus illis absonis, & quæ *Didaci Ruizis* S. I. Theologi doctissimi judicio *ridicula sunt, & somniantis maléque sani capitis deliria*, Septuaginta Philosophos Tuneti ad Christiana Sacra traduxerit. Martyrem denique celebrant ab Ecclesia Romana non vindicatum.

Raymundi Neophyti errores.

II. Libri *De Invocatione Dæmonum*, *De Secretis Naturæ*, *De Alchimia*, non sunt *Raymundi Lulli* Majoricensis, sed alterius cognomento *De Terraga*, qui *Raymundus Neophytus* nuncupatus est. Is ex Hebræorum Rabbino Christianus factus, Religioso cuidam Ordini nomen dedit, cæterùm mores non mutavit homo nequissimus. Execrandos enim errores & blasphemias scriptis tradidit. Librorum ipsius examen Archiepiscopo Tarraconensi, & *Nicolao Eymerico* Inquisitori commisit *Gregorius XI.* & ad eorum relationem damnavit, Diplomate quod incipit: *Aliquid mali propter vicinum malum.* Hos *Raymundi Neophyti* errores *Eymericus* recenset II. P. *Directorii Inquisitorum*, Quæst. 2. Scripsit 1. Prava dogmata „ Almarici, Arii, Sabellii, & quorumvis Hæreticorum, per se hæretica non esse, sed tantùm „ respectu illorum qui ipsa animo pertinaci eligunt 2. a Licitum esse creaturas adorare & cultu „ Latriæ prosequi, quatenus Creatorem repræsentant. 3. Fas esse eadem ratione Dæmones adorare. 4. Sacrificantem Dæmonibus æquè & meliùs „ ab idololatria excusari, quàm Christianum adorantem imaginem Christi & Sanctorum: Iisque „ Jure naturæ adorationem & sacrificium deberi. „ 5. Qui victi suppliciis, Deum negant ore, sed „ corde adorant, non solùm non peccare, immo „ remuneratione dignos esse. 6. Laicum non teneri ad aliquem fidei articulum explicitè credendum: Idcóque si teneat vel credat oppositum „ alicujus articuli ex ignorantia & tentatione „ diaboli, non peccare. 7. Omnes qui Dei vel „ Ecclesiæ præceptis non obediunt, hæreticos esse „ censendos. 8. Peccatorem omnem, dum peccat, „ voluntatem suam divinæ conformare. Æquè „ enim placere Deo bona & mala; æquè *Judæ* „ desperationem & *Petri* contritionem. 9. Nullum Legis præceptum hac in vita posse adimpleri; neque charitatem ab ullo viatore haberi. 10. Hominem absque charitate infusa posse Deum super omnia diligere, & vitam æternam promereri. 11. Sine charitate neminem fidelem esse posse. 12. Sectam *Mahometi* esse æquè Catholicam ac fidem *Jesu Christi*. 13. Perfectius esse Schismaticum esse quàm Catholicum. Christum, Apostolos, Angelos, Cælites omnes, esse Schismaticos. 14. Solum Deum Patrem esse optimum, Dei Filium esse bonum in primo gradu, Spiritum Sanctum in secundo, creaturam omnem in tertio. Legatur idem *Eymericus* Quæst. XXVII. & *Franciscus Pegna* Commentar. LII. Ex his emendatur error *Prateoli*, *Bernardi Lutzemburgi*, & *Bzovii*, qui similitudine nominis decepti, *Raymundi Neophyti* errores & perniciosos libros, *Raymundo Lullo*, tanquam notiori affinxerunt.

a Huic errori affinis videtur illa propositio Vasquezii in 111 parte Disput. 1.0. cap. 2. Creaturæ quælibet irrationales & inanimæ possunt adorari, modo in illis adoratio non sistat, & solus persona fundatur.

Raymundus Neophytus cum R. Lullo perperam confunditur.

ARTICULUS XXI.

De Erroribus in Anglia disseminatis, & à SIMONE LANGHAM Cantuariensi Archiepiscopo, de consilio Doctorum damnatis.

CUm errores plurimi incertis auctoribus in Anglia, erupissent, ac in Provincia maximè Cantuariensi disseminati fuissent. *Simon Langham* Cantuariensis Archiepiscopus, Angliæ Primas, congregato virorum Theologorum & Jurisperitorum cœtu, prævióque diligenti examine, illos confixit, & in Scholis vel alibi, publicè vel occultè, doceri, propugnari, vel approbari prohibuit, sub pœna excommunicationis. Id constat ex ejus Sententia Lambethæ data quinto Idus Novembris, anno MCCCLXVIII. quam Oxoniensis Academiæ Cancellario misit promulgandam. Confixit autem ac damnavit errores numero XXX. quorum tenorem subjicio.

„ I. Quilibet viator tam adultus, quàm non adultus, Saracenus, Judæus, & Paganus, etiam in utero materno defunctus, habebit claram visionem Dei ante mortem suam. Qua visione manente, habebit electionem liberam convertendi se ad Deum, vel divertendi se ab eo. Et si pro tunc elegerit converti ad Deum, salvabitur; sin autem, damnabitur. II. Peccatum commissum in hujusmodi clara visione per malam electionem, non est remediabile nec remissibile: & sic pro illo Passio Christi non potest satisfacere quantùm ad efficientiam. III. Stat aliquem adultum, sine actu vel habitu fidei Christi in se, de lege communi salvari. IV. Sacramentum Baptismi non est è lege Dei alicui parvulo decedenti requisitum ad salutem æternam. V. De quolibet parvulo in utero materno decedente, ac aliis parvulis decedentibus sine Sacramento Baptismi, est à quolibet Catholico dubitandum an damnetur, an salvetur. VI. De quolibet parvulo baptizato decedente, an salvabitur seu damnabitur, est à quolibet Catholico dubitandum. VII. Saracenos, Judæos, Paganos, adultos & discretos, qui nunquam habuerunt, habent, vel habebunt actum seu habitum fidei Christianæ, possibile est de communi lege salvari, intelligendo in sensu composito: & de quolibet tali decedente an salvabitur, est à quolibet Catholico dubitandum. VIII. Non est possibile de lege communi aliquem pro solo originali peccato damnari, si intelligatur pro solo originali sine actuali. IX. Impossibile est de lege communi aliquem damnari sine peccato actuali. X. Gratia, juxta communiter ponentes, est troffa, eò quòd non est possibile aliquem talem esse. XI. Aliquis potest ex puris naturalibus mereri vitam æternam. XII. Est medium sufficiens in natura ad attingendum finem hominis naturalem, id est, beatitudinem ultimam & æternam. XIII. Pro quolibet peccato commisso in statu fidei est remedium sufficiens in natura, per quod redire potest viator ad gradum deperditum per peccatum. XIV. Pro nullo peccato commisso citra claram Dei visionem est aliquis justè privandus hereditate cœlesti, sicut nec puer peccans ex ignorantia est hereditate privandus. XV. Nihil est nec esse potest malum, solùm quia prohibitum. XVI. Pomum vetitum, quod Primus Parens comedit, non solùm fuit malum sibi quia probi-

,, bitum, sed sibi prohibitum quia malum. XVII.
,, Quocunque effectu signato, oportet quòd sit ali-
,, qua causa quare Deus vult illum effectum.
,, XVIII. Pater in divinis est finitus, Filius in di-
,, vinis est finitus, & solus Spiritus Sanctus est in-
,, finitus. XIX. Solus Pater efficit, solus Filius
,, format, & solus Spiritus Sanctus finit quam-
,, libet creaturam. XX. Deus non potest aliquid
,, annihilare. XXI. Deus non potest aliquem im-
,, mediatè punire, eò quòd non potest esse tortor.
,, XXII. Nullus potest peccare appropriatè con-
,, tra Patrem in divinis, eò quòd nullus potest
,, peccare ex impotentia, si peccet ex ignorantia,
,, vel malitia. XXIII. Quàm necessariò homo est
,, animal, tam necessariò homo est mortalis. XXIV.
,, Christus, *Beata Maria*, & omnes homines
,, beati, adhuc veraciter sunt mortales. XXV. Vir-
,, go Beata est adhuc peccabilis, & damnabilis
,, pro peccato. XXVI. Omnes Beati, tam Angeli
,, quam homines, excepto Christo, sunt peccabi-
,, les & damnabiles. XXVII. Omnes homines
,, damnati in Inferno sunt reparabiles & beatifica-
,, biles. XXVIII. Omnes Dæmones sunt & sem-
,, per erunt reparabiles ad beatitudinem conse-
,, quendam. XXIX. *a* Deus de potestate absoluta
,, non posset facere creaturam rationalem impec-
,, cabilem. XXX. Beati sunt mortales & immor-
,, tales.

SCHOLION.

a An satis attendit *Simon Langham* vigesimam-nonam Propositionem damnans, ad illa *Sancti Anselmi* verba lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 2. ubi Boson quærenti, Cur ,, Deus tales non fecit Angelos & duos primos homines ,, ut & peccare non possent, & de justitia sua laudandi es- ,, sent? respondet: *Quoniam nec potuit, nec debuit fieri ut* ,, *unusquisque eorum esset idem ipse qui Deus.* Sed & Sancti Augustini certissimum principium est, impeccantiam creaturæ ex natura sua convenire non posse: Lib. 4. *De Trinitate*, cap. 4 *Quamquam magna natura est*, inquit, *vitiari tamen potuit, quia summa non est.* Et *Enchiridii* cap. 12. *Natura igitur omnes, quoniam naturarum prorsus omnium conditor bonus est, bona sunt: ideo in eis & minui bonum & augeri potest.* Sed alio sensu Propositionem illam 29. Simon Angliæ primas videtur accepisse ac damnasse; quòd scilicet Deus absolutâ potestate non posset facere creaturam rationalem, ex gratia in qua singulari & extraordinario favore ab illo non solùm condita, sed confirmata esset, impeccabilem: solam enim impeccantiam quæ creaturæ ex naturâ conveniat, cum ipsius conditione cohærere non posse, Sancti Patres Augustinus, Fulgentius, Gregorius & Anselmus asserere videntur.

ARTICULUS XXII.

De WICKLEFFI Heresi.

§. I.

Quis Author?

ANno MCCCLXXV. *Eduardo III.* in Anglia regnante, ex inferis erupit Wickleffiana Hæresis, authore *Joanne Wickef*, Natione Anglo, Doctore Theologo, Ecclesiæ de *Lutthlevvorth*, Lincolniensis Diœcesis Rectore, ingenii vehementis homine, superbòque & ambitioso. Primum illius in Ecclesiam & Romanum Pontificem odii seminarium fuit, ut observat *Nicolaus Harpsfeldius*, Cantuariensis Archidiaconus in *Historia Vvickeff.* c. 1. quòd Pontificis Decreto à Præfectura Collegii Cantuariensis Oxonii, quam præter jus fásque invaserat, quippe quæ ex præscripto *Simonis Islepi* Cantuariensis Archiepiscopi Monacho tantùm debebatur, causâ cognitâ fuisset abdicatus. Litis Instrumenta Pontificiúmque Decretum se legisse testatus laudatus Author. Addunt alii, quam passus deinde fuit Wigorniensis Episcopatus repulsam, faces illi ad incendium in Ecclesia excitandum subministrasse. Opportunum serendis erroribus, quorum plures ex *Janduni & Marsilii Patavini* damnatis libris derivavit, nactus Angliæ statum est. Rex, Procerésque à Romano Pontifice ob collationes Beneficiorum & pecuniarum exactiones, erant subalienati. *Eduardi* Regis inclinatâ jam ætate, non satis severa constánsque Reipublicæ gerendæ ratio, favor *Joannis* Lancastriæ Ducis, qui tum omnia sua auctoritate administrabat; *Alicia Peresia*, Regiæ pellicis gratia, errorum quos primò disseminavit lenocinia. (Ad Regis enim, ac secularium Magistratuum amplificandam auctoritatem, subversâ Ecclesiasticâ Potestate, collineabant) *Gregorii XI.* vigilantissimi Pontificis obitus, & Schisma quod deinceps turbavit Ecclesiam, *Vickleffo* viam ad novandum straverunt facillimam. Ipsi etiam auctoritatem conciliavit quædam vitæ severioris species. Nudis enim pedibus Wickeffistæ incedebant, vestiti panniis vilibus, ut per vitam pœnalem faciliùs incautos traherent ad Sectam suam, teste *Vualsinghamo* in Historia Anglicana ad annum MCCCLXXVI.

§. II.

De WICKLEFFI erroribus. Et primùm de iis quos contra Deum & Christum evomuit.

Joannes Luke Oxoniensis Theologus ducentos sexaginta sex errores ex *Vvickleffi* Operibus collegit, alii tres supra trecentos, *Thomas Valdensis* octiogentos in iis repertos tradit. Constantiensis Synodus quadraginta quinque præcipuos recenset ac damnat. *Joannes Cochlaus* lib. III. *Historia Hussitarum* pag. 122. XL. classes erroneorum Articulorum *Vvickleffi* exhibet. *Joannes Przibram* multò plures enumeravit edito libro. Nos certas etiam in classes præcipuos referemus. Atque ut ab iis incipiamus quos contra Deum & Christum evomuit, primus ille est: *Deus debet obedire diabolo.* (Ex Vualsingamo & Concilio Constantiensi Sess. VIII.) 2. *Qualibet creatura est Deus.* (Lib. de Judæis, Cap. 3. & ex Thoma Waldensi Tom. 1. Lib. 1. c. 1. & seq.) 3. *Deus nihil potest producere, nisi quod producit.* (Lib. 1. Trialogi, cap. XI. & ex Waldensi T. 1. L. 1. c. 10.) 4. *Deus mundum amplificare vel imminuere non potest, nec animas nisi ad certum & fixum numerum creare.* (In Trial. & ex Thoma Wald. c. 23.) 5. *Deus aliquam creaturam in nihilum redigere non potest.* (In Tractatu Universalium, cap. 13. & ex Thoma Waldensi lib. 1. cap. 17.) 6. *Terminus à quo creationis non est merum nihil, sed esse perfectissimum rei creata, scilicet esse ejus ideale: quia potentia Dei ad nihilum se non extendit.* (1. Trial. cap. 11. & ex Thoma Waldensi cap. 20. lib. 1.) 7. *Deus non dat aliquid nisi Justis.* (De dominio divino, c. 2. & ex Thoma Waldensi lib. 2. Art. 3. cap. 82.) 8. *Omnia ex necessitate absoluta eveniunt. Et Deus necessitat singulas creaturas activas ad quemlibet actum suum.* (In 1. Trial. cap. 13. ex Thoma Waldensi lib. 1. cap. 21. & ex Concilio Constantiensi.) 9. *Absolutè necessarium est quòd damnandus ponat obicem in peccando.* (IV. Trial. c. 13. & ex Thoma Wald. ibid.) 10. *Infans præscitus & baptizatus, necessariò vivet diutius, & peccabit in Spiritum Sanctum: ratione cujus merebitur ut perpetuò damnetur.* (Ex Thom. Wald. ibid. & c. 23.) 11. *Si-*

cut

tut prædestinatus non potest à charitate vel gratia tali excidere : sic præscitus non potest in illa charitate vel gratia perpetuò perdurare : quòd si oppositum contigerit, non est illa. (III. Trialogi c. 7. & ex Thoma Waldensi Tom. 2. c. 160.) 12. *Christus est ex tribus naturis, scilicet deitate, anima, & corpore : & est qualibet earum sigillatim, & ea omnes conjunctim* (II. Trialogi c. 7. & de Compositione hominis, c. 6. & ex Thoma Waldensi T. 1. L. 1. Art. 3. c. 39.) 13. *Christus in triduo mortis fuit homo.* (In Trialogo, & ex Thoma Wald. c. 43. Lib. 1. T. 1.) 14. *Humana Christi natura, à Verbo præcisa, adoratione latriæ adoranda est ; imò si Verbum illam dimitteret, nihilominus adoranda esset.* (Apud Thom. Wald. T. 1. lib. 2. Art. 3. c. 44.) 15. *Deus non est pronior ad præmiandum Justos, vel ad parcendum Pœnitentibus, quàm ad puniendum iniquos.* (IV. Trialogi cap 12. & ex Thoma Wald. Tom. 2. cap. 163.)

§. III.

De VVICKLEFFI erroribus contra Ecclesiam, & varios ejus Ordines ac membra.

CUm primò Denarium *S. Petri* non esse solvendum duntaxat prædicasset, ut Anglorum sibi conciliaret animos, audacior mox factus, *Husso, Luthero*, & *Calvino* in subvertendo *S. Petri* & Successorum ejus divino Primatu, omnibúsque Ordinibus Ecclesiasticis abrogandis *Vvickleffus* præivit : cujus contra Ecclesiam variósque ejus Ordines ac membra errores hi fuere. 1. *Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ, nec Papa est immediatus & proximus Vicarius Christi & Apostolorum.* (Ex Concilio Constantiensi.) 2. *Petrus & Romani Pontifices, quorum quosdam verisimile est esse diabolos, non sunt caput Ecclesiæ totius militantis.* (Lib. de Christo & Antichristo, cap. 5. & ex Thoma Waldensi T. 1. l. 2. Art. 1. c. 1.) 3. *Hæretici sunt, qui dicunt Petrum habuisse excellentiorem potestatem cæteris Apostolis.* (Ibidem.) 4. *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.* (Ex Concilio Constantiensi & *Vvalsinghamo.*) Docet autem sacra Synodus, quo sensu hæc propositio sit erronea : *Error est* (inquit) *si per Romanam Ecclesiam intelligas universalem Ecclesiam, aut Concilium Generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.* Quintus *Electio Papæ à Cardinalibus, per diabolum est introducta.* (Ex Concil. Constant. ex ipso *Vvickleffo*, lib. de Veritate & Mendacio cap 10. & Thoma Wald. lib. II Art. 3. c. 39.) 6. *Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.* (Ex Concil. Constant.) 7. *Potestas quam exercet Papa, à Potestate Cæsarea derivata est, nec habet fundamentum in fide Scripturæ.* (Lib. de Christo & Antichristo c. 7. & ex Thoma Wald. T. 1. l. 2. Art. 3. c. 33.) & *Quod Papa plus tenetur Imperatori, quàm è converso*, (Ex Walsingh.) 8. *Si Papa sit præscitus & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super Fideles* (De Sermone Domini in Monte p. 2. c 19. ex Thom. Wald. & Concil. Constant.) 9. *Papa est Antichristus.* (Lib. de Christo & Antich. & ex Thom. Wald. T. 1. l. 2. A. 3. c. 49. & 50.) 10. *Excommunicatio Papæ, vel cujuscunque Prælati non est timenda, quia est Censura Antichristi*) Ex Concil. Constant.)

11. *Decretales Epistolæ sunt apocryphæ, seducunt à Christi fide : & Clerici sunt stulti qui student eis.* (Ex Concil. Constant.) Wickleffistarum circa hoc caput errorem aliter exprimit *Henricus de Knigton*, lib. v. *De Eventibus Angliæ*, quòd nimirum assererent *Papam non posse condere Canones Decretales seu Constitutiones, & si quas condiderit, nullus tenetur eas observare.* Addidit : *Ubi leges humanæ non fundantur in Scriptura Sacra, subditi non tenentur obedire.* (Ex Walsinghamo, pag. 283.) 12. *Ecclesia est prædestinatorum universitas : & credendum est quodlibet membrum illius esse prædestinatum ad gloriam* (Lib. de Antich. cap. 1. lib. de dotatione Ecclesiæ c. 2. & ex Thoma Wald. T. 1. l. 2. Art. 2. Cap. 8.) 13. Ecclesiam militantem dividit in *Clericos, Milites & operarios.* (Lib. de Christo & Antichristo c. 1. lib. de Verit. & c. 1. & ex Thoma Wald. T. 1. lib. 2. Art. 1. c. 12.) 14. Aiebat quòd *Nulli Prælati quidquam debent in materia fidei definire, nisi ad hoc habuerint Scripturæ Sacræ auctoritatem, vel revelationem à Spiritu Sancto specialem. Idque sine Concilio* (Sermon. 45. & ex Thoma Wald. T. 1. l. 2. A. 2. C. 29.) 15. *Apud Sapientes relinquendum tanquam impertinens veritati, quicquid Scriptura Sacra non ponit expressè.* (Lib. de Verit. & Mendac c. 16. & ex Thoma Wald. T. 1. l. 2. Art. 2. c. 23.) Wicklessianam quandam mulierem consequenter ad istud dogma, anno circiter 1410. Londini propugnasse & docuisse, B. Virginem *Mariam* virginem non mansisse post partum, quòd non sit in Scripturis expressum, idem *Vvaldensis* commemorat. 16. *Quicquid* (inquiebat) *Papa vel Cardinales ex Scriptura sacra colligunt, illud duntaxat credendum vel ad eorum monita faciendum est : & quicquid ultra præsumpserint, tanquam hæreticum contemnendum.* (In Supplem. Trialogi c. 9. & ex Thoma Wald. T. 1. l. 2. A. 2. C. 24.) 17. *Non est standum Judicio Concilii Generalis.* (II. p. Serm. 45. & ex Thoma Vuald. c. 26. libri mox laudati.) 18. *Capitulum Antichristi constat ex Papa, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, Officialibus & Decanis, Monachis, Canonicis, & Fratribus Mendicantibus.* (Lib. de Ecclesiæ & membris, c. 16. & ex Thoma Vuald. lib. 2. A. 3. C. 54. N. 19.) *Papa & Episcopis omnibus sublatis, magis prosperaretur Ecclesia : & Christus perpendiculariter residens in Cœlis super Justos Presbyteros, daret illis potestatem faciendi quæcumque Papa & Episcopi faciunt.* (Lib. de IV. Sectis novellis, & ex Thoma Vuald. lib. 2. A. 3. c. 57.) 20. *In Primitiva Ecclesia suffecere duo Ordines Clericorum, scilicet Presbyter & Diaconus. Tempore Apostoli fuit idem Presbyter & Episcopus. Hos gradus superbia Cæsarea adinvenit.* (I. Trialogi c. 15. & ex Thoma Vuald. l. 2. A. 3. c. 60.) 21. *Confirmatio Juvenum, Clericorum Ordinatio, locorum consecratio, reservantur Papæ & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.* (Ex Concilio Constantiensi.) 22. *Nullus. Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi priùs sciat eum esse excommunicatum à Deo : & qui sic excommunicat, est hæreticus ex hoc, vel excommunicatus.* (Ex eodem.) 23. *Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis & Regni.* (Ex eodem Concilio & ex Vualsingh.) 24. *Illi qui dimittunt prædicare, sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die Judicii traditores Christi habebuntur.* (Ex eodem Concilio.) 25. *Licet alicui Diacono vel Presbytero prædicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicæ, vel Episcopi Catholici.* (Ex eodem Concilio.) 26. *Fatuum est credere Indulgentiis Papæ & Episcoporum.* (Ex eodem) 27. *Nullus est Dominus civilis, nullus Prælatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali.* (Ex Vvickleffi conclusionibus damnatis,

ex lib. de Dominio civili, ex Thoma Vvald. cap. 18. lib. III. T. 1. & ex Concilio Constant.) Addebat: *Populares posse ad arbitrium dominos delinquentes corrigere.* (Ex Concilio Constant.) *Juramenta quæ eorum Magistratibus fiunt, esse illicita.* (Ex eodem Concilio) 28. *Sancti instituentes Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.* (Ex Concil. Constant.) 29. *Religiosi viventes in Religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana.* (Lib. de Speculo Milit. Eccles. ex Thoma Vuald. lib. 3. & ex Concil. Constant.) 30. *Si quis ingreditur Religionem privatam qualemcumque tam possessionatorum, quàm Mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad observantiam mandatorum Dei.* (Ex Concilio Constant. & ex Vvalsinghamo.) 31. *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.* (Ex Concilio Constant. & ex Thoma Vvald. T. 1. lib. 4. Art. 1. & 2.) 32. *Conferens eleemosynam Fratribus, est excommunicatus ipso facto.* (Ex iisdem) Nec Viris duntaxat Religiosis, sed nulli omnino peccatori, quandiu talis esse cognoscitur, dandam eleemosynam, quia sic foveremus Domini nostri Proditorem, docuit Vuicxleffus. (Ex Thoma Vvald.) 33. *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant ad orandum pro aliis eis quoad temporalia subvenientibus.* (Ex eodem Concilio.) 34. *Oratio præsciti nulli valet.* (Ex eodem.) 35. *Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos vel Religiosos, non plus prosunt eidem quàm generales, cæteris paribus.* (Ex eodem Concilio & ex Vvalsinghamo) 36. *Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & Parochiani propter suorum Prælatorum peccata eas ipsis auferre possunt.* (Ex eodem Concilio & ex Vvalsinghamo) 37. *Contra Scripturam Sacram est quòd Viri Ecclesiastici habeant possessiones.* (In Trialogo & lib. de Sermone Domini in Monte, ex Concilio Constant. & Thoma Vvald. T. 1. l. 4.) 38. *Ditare Clerum, est contra Regulam Christi.* (Ex Concilio Constant.) 39. *Sylvester Papa, & Constantinus Imperator, erraverunt Ecclesiam ditando.* (Ex eodem) 40. *Papa cum omnibus Clericis suis possessiones habentibus, sunt hæretici, eò quòd possessiones habent, & consentientes eis, omnes videlicet Domini seculares, & cæteri Laici.* (Ex eodem Concilio) 41. *Quod Imperator, & Domini seculares seducti sunt à diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.* (Ex eodem) 42. *Quòd peccant fundantes claustra, & ingredientes sunt viri diabolici.* (Ex eodem) 43. *Quòd Augustinus, Benedictus, Bernardus, damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc quòd habuerunt possessiones, & instituerint & intraverint Religiones: & sic à Papa usque ad infimum Religiosum, omnes sunt Hæretici.* (Ex eodem Concilio) 44. *Quòd omnes Religiones indifferenter introductæ sunt à Diabolo.* (Ex eodem) Pestiferum istud *Vuicklefi* dogma multos è claustris apostatas excivit. Quos inter *Petrus Pareshul* Augustinianus Anglus famosis libellis tum sacrum Ordinem cujus jugum excusserat, tum alias Congregationes Religiosas proscidit, se è nido diaboli egressum impudenter asserens, ut refert *Vvalsinghamus* ad annum 1388. 45. *Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus.* (IV. Trialogi c. 18. & ex Concilio Constant. Thoma Vuald. lib. IV. T. 1. Art. 3. c. 40. & *Vvalsinghamo* in Histor. Anglic. ad annum MCCCLXXVI.) Facilitatem revocandi donationes & rescindendi dotationes Ecclesiarum colligebat *Vvitkeffus* ex Jure Regaliæ, quo Rex Angliæ fruebatur. *Constat*, inquit, *ex Regalia Regis Angliæ, quòd decedente Episcopo vel Abbate, aut quocumque notabiliter dotato de Anglia, temporalia ejus ad denotandum Regaliam Regis cadere debent in manum ejus: & non procedatur ad electionem, nisi obtenta Regis licentia, nec habebuntur ab electo mortificata Regni dominia, nisi Rege noviter approbante. Contineat ergo se Rex ab innovatione delicti, maximè Progenitorum suorum, & in brevi erit totum Regnum purgatum à mortificatione stolida bonorum temporalium, quæ jam sunt in manu mortua.* Hæc Hæresiarcha apud *Thomam Vvaldensem.* 46. Ut Clerum odiosum redderet Principibus, Ecclesiæ affingebat hunc errorem: *Quantumcumque secularis Potestas eguerit, ipsi ex Ecclesiæ bonis subveniendum non esse, nec licere Clero illa reddere absque sacrilegio.* (Lib. de Sermone Domini in Monte c. 13. & ex Thoma Vuald. c. 41.) Quam calumniam egregiè diluit idem Theologus, *S. Ambrosii* verba laudans lib. 8. in Lucæ c. 9. dicentis: *Si non vis obnoxius esse Cæsari, noli habere quæ mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Et si vis nihil Regi debere terreno, dimitte omnia tua, & sequere Christum.* Laudat & *Hugonem à S. Victore*, lib. de Sacramentis II. p. c. 7. scribentem: *Diligenter attendendum, quòd Ecclesia, licet fructum terrenæ possessionis in usum accipiat, potestatem tamen exercendæ Justitiæ per Ecclesiasticas personas, per quas Jura & Judicia ad serenam potestatem pertinentia secundum tenorem legum & debitum juris terreni exerceat: sic tamen ut & ipsum quod potestatem habet, à Principe terreno se habere cognoscat: & ipsas possessiones nunquam ita à regia potestate elongari posse intelligat, quòd si res postulaverit & necessitas, & illis ipsa Potestas debeat patrocinium; & illi ipsi possessores debeant in mente obsequium: sic enim Regia potestas, quæ debet alteri, non potest negare. Sic ipsa possessio etiam ab Ecclesiasticis personis detenta, obsequium quod Regiæ Potestati pro patrocinio debet, jure negare non potest, sicut scriptum est: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Addit Thomas Vualdensis: *Nec hoc solùm: imò tanta largitate fulgent Doctores Ecclesiæ, ut non solum ad impensas Principum, sed etiam ad sepulturas Fidelium faciendas, Basilicas fabricandas, captivitates hominum redimendas, si aurum desit Ecclesiæ, frangendos dicunt Calices, quantacumque vasa sacra cum omni celeritate conflanda.*

Vvicleffi calumnias contra Ecclesiæ dominium ac possessiones diluit Thomas Vvaldensis.

Denique *Vickleffi* calumnias contra Ecclesiæ dominium ac possessiones diluit doctissimus Theologus c. 43. ostendendo illud à dominio seculari plurimùm differre. Viros quippe Ecclesiasticos nullatenus esse dominos rerum Ecclesiasticarum. *Concorditer* (inquit) *negatur à Clero quòd Prælati Ecclesiæ sunt verè domini rerum Ecclesiasticarum: Primò propter carentiam prærogativæ finalis, quia omnia bona Ecclesiæ non sunt propter Prælatos, sed propter Ecclesiam Fidelium: nec ipsa Ecclesia propter Prælatos, sed Prælati propter Ecclesiam: & ideo dicuntur Pastores & Ministri, quasi ideo sint ut pascant, ut ministrent: & sic tollit eis rationem dominandi, secundum illud 1. Petri. 5.* Neque ut « dominantes in Clero, sed forma facti gregis. « *Et illud Christi ad Apostolos:* Reges gentium « dominantur eorum. Vos autem non sic, *&c. Secundò, Prælati non sunt veri domini propter carentiam proprietatis. Unde Augustinus super Joannem Homilia VI. Columba Ecclesia est. Quid clamas? Non devoramus villas, columba illas habet. Quæratur quid sit columba, & an ipsa habeat. Non nostis, Fratres charissimi, quod villæ istæ non sunt Augustini, & vos non nostis, & putatis me gaudere in possessione villarum, Deus novit: ipse scit quid de villis illis sentiam, vel quid sufferam: novit gemitus meos, si mihi aliquid de columba impertiri dignatus est.* Prælatos igitur bonorum Ecclesiasticorum dispensatores tantùm esse ac procuratores, non dominos, *Vvaldensis* colligit. 47. *Vvicleffus*

Viri Ecclesiastici non sunt bonorum Ecclesiasticorum domini, sed dispensatores.

cleffus docebat *Universitates, Studia, Collegia, Graduationes & Magisteria in eisdem, esse vanâ gentilitate introducta, nec magis Ecclesiæ prodesse, quàm diabolum* (Ex Concilio Constantiensi) 48. Sanctorum intercessiones, invocationem, canonizationem, festos dies, Reliquiarum cultum, orationes pro defunctis impugnabat, communis tam vivorum quàm defunctorum hostis, (Ex *Thoma Vuald.* passim T. 3. has hæreses refellente, & loca in quibus à *Vuickleffo* assertæ sunt indicante.)

§. IV.

De Erroribus VVICKLEFFI circa Sacramenta.

SAcramentorum hostis infensissimus *Vuickleffus* contra illa divinæ misericordiæ instrumenta & salutis humanæ media nefarios istos errores evomuit. 1. *Non est certum quòd Christus assistat Ministro Sacramenta celebranti & conficienti, & cum eo concurrat.* (Est inter damnatas illius conclusiones XXIV. teste *Thoma Vualdensi* T. 2. c. 1.) 2. *Si Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat. Nam ipsum Deus à suo Officio & Ministerio suspendit.* (Serm. VI. II. p. Sermone Domini in Monte, ex Concilio Constant. & Thoma Vuald. T. 2. c. 3.) *Minister infidelis Sacramentum non conficit.* (In eodem Serm. & ex Thoma Vuald. c. 5.) 3. *Præsciti Sacramenta conficere non possunt.* (Ex iisdem.) 4. *Baptismus aquæ materialis non est absolutè necessarius, sed sufficit baptismus flaminis per meritum & effluxum aquæ materialis de latere Salvatoris. Et sine baptismo aquæ infantes ipsi salvari possunt.* (Serm. 6. & IV. Trialogi c. 12. & ex Thoma Vuald. T. 2. c. 96.) 5. *Baptismus venialia omissionis peccata non delet.* (Ex Thoma Vuald. Tom. 2. c. 108.) 6. *Sacramentalis character nec in Scriptura Sacra, nec in ratione fundamentum habet, prorsusque inutilis est.* (IV. Trial. c. 15. & ex Thoma Vuald. c. 109.) 7. *Antiquissimas cerimonias, & sacros ritus qui ab Apostolorum temporibus baptismo accesserunt, chrismatis videlicet unctionem, fontis consecrationem, &c.* impugnavit. (Ex Thoma Vuald. Tom. III. C. 45. & 46.) 8. Sacramentum Confirmationis sustulit, *Spiritum Sanctum* per illud dari, & hanc *Episcopis* potestatem reservatam esse negans. (IV. Trial. c. 14. & ex Thoma Vuald. c. CXI. Tom. II.) 9. Berengarianam hæresim contra Eucharistiæ Sacramentum *Vuickleffus* suscitavit, asserens quòd *Eucharistia* simul est *Corpus Christi, & verus Panis*; Corpus quidem Christi *in figura*, verus panis in natura. *Nec in eo Sacramento Corpus & Sanguinem Christi esse realiter & identicè præsentia* (IV. Trial. c. 8. ex *Henrico de Kington* lib. V. ex Thoma Vuald. T. II. c. 23. & seq. ex Concilio Constant. & ex Vualsinghamo.) 10. *Eucharistiæ adorationem seu idololatriam* damnabat. (De Euchar. c. 9 & ex Thoma Vuald. c. 26.) Eò progressam Vuickleffistarum væsaniam *Thomas Valdensis* commemorat, ut formosam juvenculam præferre solerent vivificis Sacramentis; quòd (inquiebant) imago esset Trinitatis expressior. Et *Vuilhelmum* quemdam *Jacobi* Sectæ istius Professorem, cùm solemni Missæ die Dominica interesset in medio ingentis Ecclesiæ, dum elevaretur Hostia adoranda, dorsum vertisse Altari, sublatas in altum manus vultumque in fœminam quamdam specie præcellentem convertisse: se clariùs intueri Deum dixisse quem in illa adoraret, quàm in Hostia consecrata. Grande facinus hoc in auribus devotorum (inquit Thomas Vualdensis) attamen eis non magnum crimen est quòd solent à Magistro suo frequenter audire, sicut dixit in Tractatu suo de Apostasia, c. 18. *Quòd Corpus Christi in Eucharistia sit creatura pejor pulice, quia panis.*) 11. Eucharistiam conficiendi officium Sacerdotes Sanctos decere aiebat: posse tamen convenire Laicis non ordinatis. (IV. Trial. cap. 10. & ex Thoma Vuald. T. 2. c. 28.) Et Vuickleffianos ex doctrina Sectæ munus publicè baptizandi & Eucharistiam conficiendi Juvenculæ cuidam Londini imposuisse, idem Theologus commemorat. 12. *Accidentia panis sine subjecto manere posse*, negabat (Serm. 52. & 58. II. P. ex Vualsinghamo, ex Concilio Constant. & ex Thoma Vuald. T. 2. c. 74. & seq.) 13. *Non esse fundatum in Evangelio* effutiebat, *quod Christus Missam ordinaverit.* (Ex Vualsinghamo, & Concilio Constant.) 14. *Si homo fuerit contritus, Confessionem Sacramentalem, & absolutionem Sacerdotis superfluam esse & inutilem.* (Lib. de Papa, c. 11. ex *Henrico de Knigton*, lib. V. De Eventibus Angliæ, ex Concilio Constant. & Thoma Vuald. T. III. c. 68.) 15. *Sacramenti Pænitentiæ & Absolutionis fundamentum in Scriptura Sacra nullum esse.* (C. 8. de blasphemia, & ex Thoma Vuald. T. III. c. 69. (16. *Confessionem auricularem esse novitium inventum, & ab Innocentio III. fuisse institutam.* (Ex Thoma Vuald. T. III. c. 71.) 17. *Confessionem esse medium ab Antichristo vel membro ejus inventum ad omnia arcana noscenda, & possessiones secularium exquirendas.* (IV. Trial. c. 24. & ex Thoma Vuald. T. 2. c. 148.) 18. Peccati mortalis & venialis discrimen, non ex voluntatis judicio, sed præscientiæ atque prædestinationis abysso metiebatur: *Omnia præscitorum peccata esse mortalia: prædestinatorum universa venialia* affirmans (Serm. III. P. Serm. 23. & ex Thoma Vuald. c. 155.) 19. *Horum peccatorum discrimen per actus extrinsecos non colligi.* (Ibid. & ex Thoma Vuald. c. 156.) 20. *Solum peccatum finalis impœnitentiæ, quod est peccatum in Spiritum Sanctum, propriè esse mortale.* (Ibid. & ex Thoma Vuald. c. 158.) 21. *Peccatum mortale in homine fructuosam pœnitentiam tandem agente non esse dignum pœnâ perpetuâ, sed solùm temporariâ.* (III. Trial. c. 6. & ex Thoma Vuald. c. 159.) 22. *Unctionem Extremam Sacramentum non esse.* (IV. Trial. c. 15. & ex Thoma Vuald. T. 2. c. 163.) 23. *Esse tamen aliquibus unctis Sacramentum, si sic suis precibus Presbyter mereatur.* (Ibid.) 24. *Asserebat non esse verè matrimonium, quod absque spe prolis contrahitur.* (IV. Trial. c. 2. & ex Thoma Vuald. T. 2. c. 130.) 25. *Consensum conjugum, Domino approbante, subducto quocumque signo sensibili, fore satis ad contrahendum conjugium.* (IV. Trial. c. 21. & ex Thoma Vuald. c. 132.) 26. *Judices qui ex nudis verbis judicant pro matrimonio, judicare contra legem Dei.* (Ibid.) 27. *Verba de futuro magis quàm verba de præsenti, esse ad matrimonium contrahendum accommoda.* (Ibid.) 28. Solemnem ritum quo Sacerdos virum & uxorem in Ecclesia conjungit, sugillabat; verbaque sacra *nugatoria & falsa* appellabat. (IV. Trial. c. 22. & ex Thoma Vuald. c. 133.) 29. Gradus quoslibet consanguinitatis, etiam fratrum & sororum, matrimonia Jure divino non dirimere asserebat, sed humana tantùm ordinatione, quæ dicit non solùm ex cognatione, sed ex affinitate amorem inter homines dilatari. Cæteroquin hanc hominum rationem esse nimis debilem; nec subesse causam cur non liceret hodie, quod primi hominis ætate, & Patriarcharum temporibus licuit. (IV. Trialogi c. 20. & ex Thoma Vualdensi c. 34.)

§. V.

§. V.

De aliis WICLEFISTARUM *Erroribus.*

Vvickleffi discipulos novis erroribus ac blasphemiis Magistri sui hæreses cumulasse, ex Anglicanis Commentariis probat *Nicolaus Harpsfeldius*, qui Vvickleffianam accuratè scripsit Historiam. Narrat, *Guillelmum Album* publicè in concionibus asseruisse, licere quocunque die, cuicunque Sancto, imò Christo dicato, ut Dominicis, & aliis, manuum opera exercere. *Guillelmum Vvinderby* affirmasse, neminem debere propter æs alienum claudi carcere. Sacerdotem, qui annuam pensionem accipit, anathemati obnoxium. *Vvalterum Brutum* propugnasse, quòd omnes Apostoli, omnes Doctores Ecclesiæ erraverint. Vanam esse fabulam, quod Patres Ecclesiæ tradunt de Antichristo tribus annis cum dimidio grassaturo. Non licere omnino bellum gerere. Non esse integrum & fas Magistratui quemquam occidere. *Joannem Edouardem* negasse ullum honorem aut reverentiam Prælatis exhiberi debere. *Guillelmum Tayler* affirmasse, eum qui aliquam Scripturam collo appensam gestat, honorem Deo debitum tollere, & eumdem ad diabolum transferre. Et Synodum Constantiensem quædam damnasse, quæ rectè cum lege Dei, & Fide Catholica congruerent. Non posse Sacerdotem civiliter dominari, imò nec Laïcos Principes ex voluntate divini beneplaciti, sed tantùm ex permissione Dei civiliter dominari. *Robertum Hoocke* dixisse, Laïcos Proceres ex lege divina, ut omnia in communi possideant, adstringi. *Thomam Baglen* fidem potius adhibendam *Joanni Vvickleffo* effutiisse, quàm Sanctis Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Gregorio. *Guillelmum Sartorem* asseruisse, quòd omnis petitio alicujus boni supernaturalis vel gratuiti, soli Deo sit dirigenda. Idololatriæ reum esse quicumque aliquam creaturam orat. Idem testatur *Henricus de Knigton*, antiquior *Harpsfeldio* Historicus, lib. *De Eventibus Angliæ*. Addit *Harpsfeldius*, prodiisse ex *Vvickleffi* Schola, qui nudi in publicum prodirent, tam viri, quàm fœminæ, & ita in omnibus instar Adami & Evæ incedendum esse contenderent. Alios asseruisse, nulla alia oratione quàm Dominica utendum. Addit post *Henricum de Knigton*, Vvickleffistas Crucis & Sacrarum Imaginum cultum velut Idololatriam sugillare, quod *Vvickleffus* ipse ausus non erat. Cùm ille asseruisset dumtaxat, infantes absque baptismo decedentes vitam æternam consequi; hos addidisse *Henrico V.* regnante, illis mutilem prorsus baptismum esse. *Coubrigium* Vvikleffistam idem Author commemorat publicè propugnasse, Sacerdotes reos esse læsæ majestatis divinæ, quòd Hostiam in tres particulas distribuant, & non integram recipiant. Neminem debere se jejunus macerare, aut corpus castigare. Christi nomen ipsum, ubicumque legebat, expunxisse: & omnes qui in Christi nomen credidissent, damnatos asseruisse. Hæc Christi verba: *Accipite & manducate, Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*, ad hunc modum interpretatum esse: Hoc est corpus meum, in quo populus circumvenietur & decipietur. Narrat insuper *Harpsfeldius*, *Antonium Personum* Vvickleffistam affirmasse, Verba Christi quæ ille in Cœna suprema de Corpore & Sanguine suo protulit, nihil ad corpus & sanguinem spectare, sed solùm ad Sacras Scripturas, quas à Christo accipere, & populo distribuere Sacerdotes jubentur. Addit, Recentes Wickleffistas quasi fundamento quodam novi sui Evangelii hoc jam niti dogmate: Fidem solam esse, quæ remotis bonis operibus apud Deum justificet. Quod tamen dogma ipsorum Præceptori ignotum erat. Hanc Sectam profiteri, quos vulgò *Puritanos* in Anglia appellant, quòd se puros atque impollutos præ aliis non modò Catholicis, sed etiam Evangelicis (ut vocant) glorientur. Cum antiquioribus *Vvickleffi* discipulis hæc ipsis communia esse dogmata, ut negent infantes Christianorum Baptismo perfundendos: Jusjurandum aliqua ex causa coram Magistratu præstandum, imò Christianum posse aliquem Magistratum gerere, aut ullum inter Christianos habere gladii usum; Hæreticos carceribus aut morte multandos, aut licere Christiano Principi bellum gerere, aut cuiquam Christiano litem aliquam in Judicio contra Christianum intendere; vel quidquam proprium possidere. Homines qui se huic Puritanorum Sectæ devoverunt, ferocis, atrocis, atque sanguinarii spiritus esse idem *Harpsfeldius* observat, & inter alia exitialia dogmata, arbitrari licitum esse cuivis privato Religionis aut Reipublicæ hostem è medio tollere. De his qui plura volet, eumdem Authorem legat *Historia Vvickleff. cap.* IV.

§. VI.

De multiplici WICKLEFIANÆ *Hæreseos Damnatione.*

I. PRima in Wickleffum quæstio habita est Londini à *Simone Subduriensi*, Cantuariensi Archipræsule, anno MCCCLXXVI. Sed Lancastrio Duce, & *Perceio* Magno Regni Marechallo ipsi faventibus, & Episcopo Londinensi, qui hominem de hæresi delatum sedere in Præsulum consessu non patiebatur, minas intentantibus, populo pro Episcopis stante, id unum eo in tumultu actum est ut *Vvickleffo* silentium indiceretur.

Interea perlatâ Romam ad *Gregorium XI.* Pontificem Maximum novæ doctrinæ famâ, transmissisque errorum capitibus, quos ex ipsius libris seu Præsules seu Catholici Theologi excerpserant, Pontifex ipsos ex Cardinalium consilio damnavit, Literasque dedit ad *Richardum* Regem, ad Cantuariensem & Londinensem Episcopos, ad Oxoniensem Academiam, quibus eos excitavit ut omni quo possent studio ac diligentia nascentem hæresim opprimerent. Academiam arguit negligentiæ in extirpandis erroribus. *Vvickleffi* dogmata pleraque cum damnatis *Marsilii Patavini* & *Janduni* erroribus congruere monuit, XXII. illius insigniores errores notavit, Cantuariensi & Londinensi Episcopis jussit ut *Vvickleffum* comprehendi curarent, in custodiam tradi, & habita de illius erroribus quæstione, ipsius responsa ad se transmitti. Pontificis Literas *Vvalsinghamus*, exhibet pag. 201. & seq. Eædemque in Anglicana Conciliorum Collectione Tom. II. & in Labbeana Tom. XI. P. II. editæ sunt. Conclusiones autem *Vvickleffi*, de quibus tunc habita quæstio est, suis ad Cantuariensem & Londinensem Episcopos Literis annexas misit *Gregorius XI.* hoc tenore.

Gregorii XI. Acta in Vvickleffum.

1. *Totum genus concurrentium citra Christum, non habet potestatem simpliciter ordinandi ut Petrus & omne genus suum dominetur politicè super mundum.*

2. *Deus non potest dare homini pro se & heredibus suis in perpetuum civile dominium.*

3. *Charta humanitatis adinventa de hereditate olim perpetua, sunt impossibiles.*

4. *Quilibet existens in gratia gratificè & fideliter, nedum habet jus, sed in re habet omnia Dei.*

5. *Homo potest solùm ministratoriè dare tam naturali*

turali filio, quàm imitationis in schola Christi, tam temporale dominium, quàm æternum.

6. *Si Deus est, Domini temporales possunt legitimè ac meritoriè auferre bona fortuna ab Ecclesia delinquente.*

7. *Numquid Ecclesia est in tali statu vel non, non est meum discutere, sed Dominorum temporalium examinare, & posito casu confidenter agere, & in pœna damnationis ejus temporalia auferre.*

8. *Scimus quòd non est possibile, quòd Vicarius Christi purè ex Bullis suis, vel ex illis cum voluntate & consensu suo, & sui Collegii, quemquam habiliter vel inhabiliter.*

9. *Non est possibile hominem excommunicari, nisi prius & principaliter excommunicaretur à se ipso.*

10. *Nemo ad sui deteriorationem excommunicatur, suspenditur, vel aliis Censuris cruciatur, nisi in causa Dei.*

11. *Maledictio vel excommunicatio non ligat simpliciter, nisi in quantum fertur in adversarium Legis Christi.*

12. *Non est exemplificata potestas à Christo suis discipulis excommunicandi subditos, præcipuè propter negationem temporalium, sed è contra.*

13. *Discipuli Christi non habent potestatem coactè exigere temporalia per Censuras.*

14. *Non est possibile de potentia Dei absoluta, quòd si Papa vel alius prætendat se quovis modo solvere vel ligare, eo ipso solvit & ligat.*

15. *Credere debemus quod solùm tunc solvit vel ligat, quando se conformat Legi Christi.*

16. *Hoc debet Catholicè credi: Quilibet Sacerdos ritè ordinatus habet potestatem sufficienter Sacramenta qualibet conferendi & per consequens quemlibet contritum à peccato quolibet absolvendi.*

17. *Licet Regibus auferre temporalia à Viris Ecclesiasticis, ipsis abutentibus habitualiter.*

18. *Sive Domini temporales, sive Sancti Papa, sive Sancti, sive caput Ecclesia, qui est Christus, dotaverint Ecclesiam bonis fortuna vel gratia, & excommunicaverint ejus temporalia auferentes, licet tamen propter conditionem implicitam delicto proportionabili eam temporalibus spoliare.*

19. *Ecclesiasticus, imò Romanus Pontifex, potest legitimè à subditis corripi, etiam accusari.*

Hæc ibi retulisse non inutile fuerit, quamvis errores *Vvicklessi* superiùs recensuerim, ut compertum sit quæ primùm dogmata publicaverit.

Acceptis *Gregorii XI.* Literis, Episcopi Lambetham convenientes, *Vicklessum* in jus vocaverunt, ut pravæ doctrinæ rationem redderet. Sed ipsis fucum fecit versipellis Hæresiarcha, & objectos sibi articulos ita interpretatus est, ut nihil ab Ecclesiæ doctrina alienum sensisse, sed obscurè, novè & imprudenter dumtaxat locutus videretur. Præ se ferebat præterea humilem animum, & Ecclesiæ obedientem; contra cujus fidem si quid sibi excidisset, id se revocare profitebatur. Quamobrem, & ob fautorum etiam suorum auctoritatem ac potentiam, impunè dimissus est; indicto in posterum silentio. Lege *Thomam Vvalsinghamum* in Historia Anglicana ad annum MCCCLXXVI. pag. 191. Interim *Joannes Ballaus*, Presbyter, ex Episcopi sui carcere profugus, *Vicklesso* se adjunxit, audacior Magistro discipulus, civilis fax belli, conjurationisque in primatia Cleri, & Nobilitatis Anglicanæ capita, quâ *Simon Subduriensis* Archiepiscopus Cantuariensis & Regni Cancellarius trucidatus est.

Synodus Londinensis contra Vvicleff sub Gulielmo Courtenejo Archiepiscopo Cantuariensi.

II. Qui *Simoni Subduriensi* in Archiepiscopatu Cantuariensi successit *Guillelmus Courtenejus*, Synodum Londini in Conventu FF. Prædicatorum, ad *Vvicklessi* configendam atque profligandam hæresim celebravit, anno MCCCLXXXII. Decem cum Primate Episcopi, & omnium Ordinum Theologi, ac Juris Canonici Doctores adfuere, quibus Wicklefianarum XXIV. propositionum examen commissum est, eorúmque auditâ relatione ac censurâ, delaravit Synodus dictarum conclusionum aliquas esse *hæreticas*, aliquas *erroneas*, & *determinationi Ecclesiæ contrarias*. Decem primi, quatuordecim secundi ordinis recensentur. Primi sunt istæ:

1. *Quod substantia panis materialis & vini maneat post consecrationem in Sacramento Altaris.* 2. *Quòd accidentia non maneant sine subjecto post consecrationem, in eodem Sacramento.* 3. *Quod Christus non sit in Sacramento Altaris identicè, verè, & realiter in præsentia corporali.* 4. *Quòd si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, conficit, nec baptizat.* 5. *Quod si homo fuerit debitè contritus, omnis Confessio exterior est sibi superflua & inutilis.* 6. *Non est fundatum in Evangelio, quòd Christus Missam ordinaverit.* 7. *Quòd Deus debet obedire Diabolo.* 8. *Quod si Papa sit præstigiator ac malus homo, ac per consequens membrum diaboli, non habet potestatem supra Fideles Christi ab aliquo sibi datam, nisi fortè à Cæsare.* 9. *Quòd post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub Legibus propriis.* 10. *Est contra Scripturam Sacram quòd Viri Ecclesiastici habeant possessiones temporales.*

Secundi ordinis Propositiones sunt istæ:

1. *Quòd nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi priùs ipsum sciat esse excommunicatum à Deo.* 2. *Quòd sic excommunicans, ex hoc sit hæreticus vel excommunicatus.* 3. *Quòd Prælatus excommunicans Clericum qui appellavit ad Regem & Consilium Regni, eo ipso traditor Dei est, Regis, & Regni.* 4. *Quòd illi qui dimittunt prædicare, seu audire verbum Dei, vel Evangelium prædicatum, propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die Judicii traditores Dei habebuntur.* 5. *Licet alicui Diacono vel Presbytero prædicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolica, vel Episcopi Catholici.* 6. *Nullus est Dominus civilis, nullus est Episcopus, nullus Prælatus, dum est in peccato mortali.* 7. *Domini temporales possunt ad arbitrium auferre bona temporalia ab Ecclesiasticis habitualiter delinquentibus: & populares possunt ad arbitrium Dominos delinquentes corrigere.* 8. *Decimæ sunt puræ eleemosynæ; quas Parochiani propter Curatorum suorum peccata retinere possunt, & aliis ad libitum conferre.* 9. *Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos vel Religiosos, non plus prosunt ei quàm orationes generales, cæteris paribus.* 10. *Eo ipso quòd aliquis ingreditur Religionem privatam quamcumque, redditur ineptior & inhabilior ad observantiam mandatorum Dei.* 11. *Sancti instituentes Religiones privatas quascumque, tam possessionatorum, quàm Mendicantium, instituendo peccaverunt.* 12. *Religiosi viventes in Religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana.* 13. *Fratres tenentur labore manuum, non mendicatione victum sibi acquirere.* 14. *Conferens eleemosynam Fratribus vel Fratri prædicanti, est excommunicatus, & recipiens.*

In eadem Synodo habita quæstio est in *Nicolaum Hereford, Philippum Rapingdon*, & *Joannem Aisthon*, Wicklefi discipulos. Duo priores, vocibus ambiguis hæreseos præcipua capita damnarunt, quibus propterea datæ sunt induciæ, ut fidem damnatis articulis oppositam clariùs profiterentur, damnationis sententiam aliàs excepturi. Tertius petulantiùs respondit, ac hæreseos statim convictus atque damnatus est. *Vvicklessus* coram eadem Synodo sistere se compulsus est à Lancastriæ

Duce, & errores scripto ejurare sub præscripta Formula, quam Anglicanorum Conciliorum Compilator *Spelmannus* nobis invidit. *Richardus* Rex Cantuariensi Archiepiscopo, cæterisque Episcopis permisit, ut quoscumque de hæresi suspectos in carcerem detruderent. Hujus Historiam Synodi apud *Henricum de Knygton*, *Vvindefordum*, & *Vvalsinghamum* legere est. Hujus Acta fuisse ab Apostolica Sede confirmata, postremò laudatus Author asserit.

Vvicklessi obitus.

III. Obiit *Vvicklessus* Luthevvorthii in Diœcesi Lincolniensi, die *Sancto Silvestro* Pontifici sacra, paralysi ante biduum correptus, die scilicet *Sancti Thomæ* Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris memoriâ solemni, cùm utriusque Sancti gloriosum nomen satyrica Oratione proscindere Panegyrici loco decrevisset, anno MCCCLXXXIV. *Vvalsinghamus* ejus obitum anno sequenti collocat, quòd à Natali Christi, non ab ineunte Januario annos numeraret.

Synodus altera contra Vvicklessi errores sub Thoma Arundelio Cantuariæ Archiepiscopo.

IV. Hæresim cum Authore minimè sepultam, sed perniciosiùs grassantem, succedentes Archiepiscopi, *Thomas Arundellius* & *Chicheleius* insectati sunt, ac Synodicis Decretis confixerunt: de quibus *Nicolaus Harpsfeldius* Cap. XVI. Historiæ Vvicklessianæ. Synodum à *Thoma Arundellio* anno MCCCXCVI. celebratam *Guillelmus Vvindefordus* commemorat in Tractatu contra *Vvicklessi* errores, in eâque damnatos Articulos octodecim, ex ejus Trialogo excerptos, quos recenset.

1. *Manet panis substantia post ejus consecrationem in Altari, & non desinit esse panis.* 2. *Sicut Joannes fuit figurativè Elias, & non personaliter, sic panis est figurativè Corpus Christi, & absque omni ambiguitate hæc est figurativa locutio :* Hoc est Corpus meum : *sicut illa in verbis Christi :* Joannes est Elias. 3. *In Capite, EGO BERENGARIUS, Curia Romana determinavit quòd Sacramentum Eucharistiæ est naturaliter verus panis, loquendo conformiter ut priùs de pane materiali albo & rotundo.* 4. *Definientes parvulos Fidelium sine Baptismo Sacramentali decedentes, non fore salvandos, in hoc sunt præsumptuosi & stolidi.* 5. *Collatio Sacramenti Confirmationis non est Episcopis reservata.* 6. *Tempore Pauli sufficiebant Ecclesiæ duo Ordines Clericorum : Sacerdos & Diaconus, nec fuit temporibus Apostolorum distinctio Papæ, Patriarcharum, Episcoporum : superbia Cæsarea alios gradus adinvenit.* 7. *Senes qui ex cupiditate rerum temporalium, vel spe mutuorum juvaminum, aut ex causa excusandæ libidinis, licèt de prole desperent, copulantur ad invicem, non verè matrimonialiter copulantur.* 8. *Causa divortii ratione consanguinitatis vel affinitatis sunt infundabiliter humanitus ordinata.* 9. *Hæc verba, Accipiam te in uxorem, eligibiliora sunt pro contractu matrimonii, quàm hæc verba, Accipio te in uxorem.* 10. *Isti duodecim sunt procuratores ac discipuli Antichristi, Papa, Cardinales, Patriarcha, Archipræsules, Episcopi, Archidiaconi, Officiales & Decani, Monachi, & Canonici bifurcati, Pseudofratres introducti jam ultimò, & Quæstores.* 11. *Numerorum* XVIII. & *Exechielis* XLIV. *præcipitur simpliciter negativè ut Sacerdotes & Levitæ non habeant partem hæreditatis cum aliis Tribubus, sed purè vivant de decimis & oblationibus.* 12. *Non est major Hæreticus vel Antichristus, quàm Clericus qui docet, quòd licitum est Sacerdotibus & Levitis Legis Gratiæ dotari possessionibus temporalibus.* 13. *Non solùm Domini temporales possunt auferre bona fortuna ab Ecclesia habitualiter delinquente : Non solùm hoc eis licet, sed debent hoc facere sub pœna damnationis æternæ.* 14. *Si corporalis Unctio foret Sacramentum, ut modo fingitur : Christus & ejus Apostoli ipsius promulgationem non tacuissent.* 15. *Quicumque est humilior Ecclesiæ servitor, & in amore Christi quoad suam Ecclesiam amabilior, ille in Ecclesia militante major, & proximus Christi Vicarius est.* 16. *Ad verum dominium seculare requiritur justitia dominantis, sic quod nullus in peccato mortali est Dominus alicujus rei.* 17. *Omnia quæ eveniunt absolutè, necessariò eveniunt.* 18 *Quicquid Papa vel Cardinales sui sciunt ex Sacra Scriptura deducere clarè, illud dumtaxat est credendum, vel ad sua monita faciendum, & quicquid ultra præsumpserint, tanquam hæreticum condemnandum.*

Synodus Oxoniensis.

V. Idem Archipræsul Concilium alterum Oxonii anno MCCCCVIII. celebravit, ejúsque Decreta XIII. Londini promulgavit anno sequenti ad excindendam hæresim edita. Propositiones aliquas contra sanam doctrinam in Scholis pertinaciter impugnari, de articulis per Ecclesiam damnatis, ac de dogmatibus. Ecclesiæ Judicio constitutis atque confirmatis disputari prohibuit laudata Synodus. *Vvicklessi* libros, alibique legi vetuit, nisi ab Oxoniensi, vel Cantabrigiensi Academiis, aut à duodecim Theologis ab iisdem designatis, prævio accurato examine, deinde ab Archiepiscopo Cantuariensi approbatos. Neminem ad prædicandum verbum Dei admitti statuit, nisi missionis suæ fidem faciat legitimis documentis. Quia verò plerique Oxoniensis Academiæ Scolastici Vvicklessianæ hæreseos virus hauserant, Gymnasiarchas singulis mensibus in doctrinam ac mores Scholasticorum suorum jussit inquirere. Contra eos qui suspicione vel infamiâ hæreseos laborarent, summariè ac de plano procedi posse declaravit, ipsis sub forma præscripta in jus vocatis. Tandem quia Scripturæ Sacræ in linguam vulgarem Versione suos errores spargebant Vvicklessistæ, vetuit ne Versio aliqua Scripturæ Sacræ fieret sub forma libri, libelli, aut tractatus, nec legeretur, sub pœna excommunicationis, nisi Versio ipsa à Diœcesano Episcopo, aut à Concilio Provinciali fuisset approbata. Canonis qui VII. est verba subjicere, operæ pretium existimo. *Periculosa quoque res est, testante Beato Hieronymo, textum Sacræ Scripturæ de uno in aliud idioma transferre : eo quòd in ipsis Translationibus non de facili idem in omnibus sensus retinetur, prout idem Beatus Hieronymus, etsi inspiratus fuisset, se in hoc sæpius fatetur errasse. Statuimus igitur & ordinamus, ut nemo deinceps aliquem textum Scripturæ Sacræ, auctoritate sua in linguam Anglicanam, vel aliam transferat, per viam libri, libelli, aut tractatus : nec legatur aliquis hujusmodi liber, libellus, aut tractatus, jam noviter tempore dicti Joannis Vvicklef, sive citra, compositus aut imposterum componendus, in parte vel in toto, publicè vel occultè, sub majoris excommunicationis pœna, quousque per loci Diœcesanum, seu, si res exegerit, per Concilium Provinciale, ipsa Translatio fuerit approbata. Qui contra fecerit, ut fautor hæresis & erroris similiter puniatur.*

Scripturæ Sacræ Versiones in linguam vernaculam vel aliam prohibitæ, nisi ab Episcopo Diœcesano aut Synodo Provinciali fuerint approbatæ.

Synodus Romana contra Vvicklefiam sub Joanne XXIII.

VI. *Vvicklessi* doctrinam damnavit, librósque prohibuit *Joannes XXIII.* in Synodo Romana anno MCCCCXIII. & ab Ordinariis locorum, adhibitis Censuris Ecclesiasticis conquisitos ignibus publicè concremari : contra eos verò qui ejusmodi libros retinuerint, legerint, exposuerint, docuerint, laudaverint, veluti suspectos de fide procedi jussit. Omnibus tandem qui *Vvicklessi* memoriam tueri vellent, præcepit ut infra novem menses apud Sedem Apostolicam comparerent, dicturi & allegatun quicquid vellent in ejus defensionem, ne, ab humanis licèt ereptus, ut hæreticus damnaretur. Synodale *Joannis XXIII.* Decretum legere est T. XI. P. II. Conciliorum Edit. *P. Labbe.*

VII. Eodem anno *Thomas Arundelius*, Archiepiscopus

Synodus altera Londinensis contra Vvicklefistas.

piscopus Cantuariensis, Londini Synodum celebravit contra *Joannem Oldcastell*, virum nobilem & potentem, Vvickleffianæ Sectæ professorem ac fautorem pertinacissimum. E Turri Londoniensi, in quâ Regia Jussione conclusus fuerat, ad Concilium adductus, & de articulis sibi objectis interrogatus, ad articulum de Eucharistia respondit; Quòd sicut Christus in terra degens habuit in se divinitatem & humanitatem; Divinitatem tamen velatam & invisibilem sub humanitate, quæ in eo aperta & visibilis fuerat: sic in Sacramento Altaris est verum corpus & verus panis, videlicet quem videmus, & Corpus Christi sub eodem velatum, quod non videmus. Cùm ipsi Romanæ Ecclesiæ sententia & doctrina objiceretur, dixit: Determinationem Ecclesiæ factam esse contra Sacram Scripturam, postquam Ecclesia dotata est, & venenum in eam infusum. De Pœnitentia & Confessione dixit: Si quis esser gravis peccati reus, expedire & bonum esse sibi adire aliquem sanctum & discretum Sacerdotem pro consilio ab eo habendo; sed illum confiteri peccatum suum proprio Curato, seu alteri Presbytero, etiamsi haberet copiam ejusdem, non esse necessarium ad salutem: quia sola contritio peccatum hujusmodi delere posset, & ipse peccator purgari. De adoratione sanctæ Crucis interrogatus, dixit: Solum Corpus Christi, quod in Cruce pependit, esse adorandum: De clavium potestate, & Hierarchia Ecclesiastica dixit: Romanum Pontificem esse caput Antichristi; Archiepiscopos, Episcopos, & alios Prælatos, Fratres, id est, Viros Religiosos; ejus membra. Papæ, Episcopis, aliisque Prælatis obediendum non esse, nisi quatenus fuerint imitatores Christi in vita, moribus, & conversatione. Hæreseos convictum, ac in ea pertinacem damnavit Synodus, & seculari Judicio puniendum reliquit. Hujus Concilii Acta ex *Vvalsinghamo* in Historia Anglicana in *Henrico V.* ad hunc annum petuntur.

Vvickleffi errores à Sacra Facultate Parisiensi, & ab Academia Pragensi damnati.

VIII. A Sacra Facultate Parisiensi damnatos *Vvickleffi* Articulos, *Vvindefordus* lib. contra illos edito, & *Joannes Cochlaus*, lib. 1. Historiæ Hussitarum scribunt: quo anno, mihi non constat. Eosdem Pragensis Academia confixit, cùm *Vvickleffi* libri in Bohemiam à *Petro Payne* Anglo, *Vvickleffista*, allati essent, jamque illa in regione invalesceret hæresis. Hæc damnatio facta est anno MCCCCVIII. *Joannes Hus* etiam præsente & suffragante, ut testatur *Joannes Przibram*, in Præfatione libri, quem de Articulis *Vvickleffi* ex diversis ejus libris collegit, contra eos qui dicebant, *Vvickleffum* nunquam tam enormes sensus vel tenuisse vel posuisse, sed per calumniam excerptos esse ex ejus argumentis, quæ ipse non approbaverit. Idem *Przibram* Bohemus, quondam Hussita, in libro *De Professione Fidei Catholica & errorum revocatione*, scripto anno MCCCCXXVIII. id confirmat his verbis: *Item profiteor veraciter, quia ante annos viginti Magister Joannes Hus cum Magistris & Doctoribus Nationis Bohemica, ex pleno consilio suo & consensu unanimi, nullo (ut dicebant) contradicente, reprobaverunt, refutaverunt, & probibuerunt publicè coram omnibus & manifestè istos Articulos Joannis Vvickleffi, Quod scilicet panis materialis remaneat in Hostia post consecrationem. Item, Quòd in Sacramento accidentia non stant sine subjecto. Item, Quòd Christus non est in eodem Sacramento identicè & realiter, in propria præsentia, subaudi, & existentia corporali: unà cum aliis Articulis citra XL. Hoc idem fecit Facultas Theologorum Pragensium. Hoc idem Doctores in Romana Curia. Hoc idem Doctores in Anglia, & Doctores in Francia. Propter quod securius est cum illo sentiendum, præcipuè in illis tribus punctis, & cum Sanctis Doctoribus Ecclesiæ, quàm cum Joanne Vvickef omnes sales hæreticanse, & nefandissimos hæreticos impudenter appellante.*

Concilii Constantiensis Acta contra Vvicklefum & ejus errores.

IX. Anno denique MCCCCXV. Sacra Synodus Constantiensis Sessione VIII. latâ Sententiâ damnavit Articulos XLV. *Joannis Vvickleffi* post accuratum examen, damnavit plures ut *notoriè hæreticos, & à Sanctis Patribus dudum reprobatos*; alios *non Catholicos, sed erroneos*; alios *scandalosos & blasphemos*; quósdam *piarum aurium offensivos*; nonnullos eorum *temerarios & seditiosos* dixit. Hos Articulos, etsi superiùs indicatos, eo ordine subjicio, quo in Concilio Constantiensi referuntur, ut Lectoribus satisfiat.

1. *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, remanent in Sacramento Altaris.* Ex hoc fonte *Lutherus* & *Calvinus* hausere.

2. *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.*

3. *Christus non est in eodem Sacramento identicè & realiter in propria præsentia corporali.* Hac in Schola edoctus Calvinus.

4. *Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.*

5. *Non est fundatum in Evangelio, quòd Christus Missam ordinaverit.* Hinc Lutherus & Calvinus accepere.

6. *Deus debet obedire Diabolo.*

7. *Si homo fuerit debitè contritus, omnis confessio exterior est superflua & inutilis.* A *Vvickleffo* Lutherus & Calvinus id didicere.

8. *Si Papa sit præscitus & malus, & per consequens membrum Diaboli, non habet potestatem super Fideles sibi ab aliquo datam, nisi fortè à Cæsare.*

9. *Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.*

10. *Contra Scripturam Sacram est, quòd Viri Ecclesiastici habeant possessiones.*

11. *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum à Deo: & qui sic excommunicat, fit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.*

12. *Prælatus excommunicans Clericum qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis & Regni.*

13. *Illi qui dimittunt prædicare, sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in Dei Judicio traditores Christi habentur.*

14. *Licet alicui Diacono vel Presbytero prædicare verbum Dei, absque auctoritate Sedis Apostolicæ, sive Episcopi Catholici.*

15. *Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.*

16. *Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, Possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solùm actu delinquentibus.*

17. *Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.*

18. *Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt Parochiani, propter peccata suorum Prælatorum, ad libitum suum eas auferre.*

19. *Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos vel Religiosos, non plus prosunt eidem quàm generales, cæteris paribus.*

20. *Conferens eleemosynam Fratribus, est excommunicatus eo facto.*

21. *Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcunque, tam Possessionatorum quàm Mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad observationem mandatorum Dei.*

22. *Sancti instituendo Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.*

23. *Religiosi viventes in Religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana.*

24. *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.*

25. *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.*

26. *Oratio præsciti nulli valet.*

27. *Omnia de necessitate absoluta eveniunt.* Hinc Lutherus Liberum arbitrium oppugnare didicit.

28. *Confirmatio juvenum, Clericorum Ordinatio, locorum consecratio, reservantur Papæ & Episcopis, propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.* Hinc Lutherus & Calvinus similem errorem hausere.

29. *Universitates, Studia, Collegia, Graduationes & Magisteria in eisdem, sunt vanâ Gentilitate introducta, & tantùm prosunt Ecclesiæ, sicut Diabolus.*

30. *Excommunicatio Papæ vel cujuscumque Prælati, non est timenda, quia est Censura Antichristi.* Secundùm Wicklessum sensit Lutherus.

31. *Peccant fundantes claustra, & ingredientes sunt viri diabolici,*

32. *Ditare Clerum, est contra Regulam Christi.*

33. *Silvester Papa, & Constantinus Imperator erraverunt Ecclesiam dotando.*

34. *Omnes de Ordine Mendicantium, sunt hæretici: & dantes eis eleemosynam sunt excommunicati.*

35. *Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina præcepta, & per consequens ad perveniendum ad Regna cœlorum, nisi apostataverint ab eisdem.* Saniora non docuere Lutherus & Calvinus votorum & Vitæ Monasticæ hostes, Apostasiæ Magistri.

36. *Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eò quòd possessiones habent: & consentientes eis, omnes videlicet Domini seculares & cæteri Laici.*

37. *Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ: nec Papa est proximus & immediatus Vicarius Christi & Apostolorum.* Hunc errorem suum fecere Lutherus, Calvinus, cæterique Novatores.

38. *Decretales Epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt à fide Christi: & Clerici sunt stulti qui student eas.*

39. *Imperator & Domini seculares sunt seducti à Diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.*

40. *Electio Papæ à Cardinalibus, à Diabolo est introducta.*

41. *Non est de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.* In hoc etiam Lutherus & Calvinus Wickleffistæ fuerunt.

42. *Fatuum est credere Indulgentiis Papæ & Episcoporum.* Hic etiam Lutheri & Calvini damnatus error.

43. *Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus, & commercia civilia.*

44. *Augustinus, Benedictus, & Bernardus, damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc quòd habuerunt possessiones, & instituerunt & intraverunt Religiones: & sic à Papa usque ad ultimum Religiosum omnes sunt hæretici.*

45. *Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt à Diabolo.*

Ducentos etiam sexaginta Articulos, quorum aliqui cum illis quadraginta quinque coincidebant, licèt non in eadem forma verborum, ab Academia Oxoniensi censorio stigmate inustos & reprobatos, eadem Sancta Synodus confixit & damnavit: & *Vvicklessi Dialogum, Trialogum*, cæterósque Libros ac Tractatus reprobavit, & ignibus publicè tradi jussit, prout in Concilio Romano statutum fuerat. Postremò, habito diligenti examine, servatóque ordine Juris, sancta Synodus latâ Sententiâ declaravit, eumdem *Joannem Vvicklef* fuisse notorium Hæreticum, pertinacem, ac in hæresi decessisse; ipsúmque diris Christiano ritu devovit, illius damnavit memoriam; ipsiúsque corpus & ossa, si ab aliis Fidelium corporibus discerni possent, exhumari, & procul ab Ecclesiastica sepultura projici decrevit.

Richardi II. Henrici IV. & Henrici V. Angliæ Regum Edicta contra Vvicklessistas.

X. Non solùm Ecclesiastica, sed Regia etiam auctoritas in exterminationem Wicklessianæ hæreseos incubuit. *Richardi II.* Regis laudandum hac in re pro Catholica fide studium, quam privatis compendiis antiquiorem habuit. Ut ejus Majestatem ac Angliæ Proceres sibi addiceret, Regni Comitiis sive Parlamento Londini anno 1382. congregato Propositiones perniciosissimas inanibus publici boni fucis oblitas, eóque tendentes ut Ecclesia Principibus omnino subjiceretur, *Vvicklessus* obtulit. Prima Propositio hæc erat: *Quòd Rex aut Regnum nulli Sedi vel Prælato obediat, nisi de quanto ex fide Scriptura sonat in obedientiam Jesu Christo. Patet, quia aliter præponitur Christo in obedientia Antichristus. Omnis enim obedientia quæ non fit Christo, fit Antichristo. Quia Lucæ* 2. Qui non est mecum, &c. II. *Quod nec Curia Romana, nec Avenionica, nec alicui externa, emittatur Regni pecunia, nisi doceatur hoc esse debitum ex Scriptura.* III. *Quod nec Cardinalis, nec alius, habeat fructum Ecclesiæ vel Præbendæ de Anglia, nisi vel rite resideat, vel occupetur legitimè in causa Regni à Proceribus rationabiliter approbata.* IV. *Quòd Rex & Regnum tenentur destruere Regni proditores, & suos à ferocibus inimicis defendere.* V. *Quòd Regni communitas non oneretur tallagiis insuetis, antequam totum patrimonium, quo Clerus dotatur, deficiat. Patet, quia omnia ista sunt bona pauperum caritativè exponenda ad eorum egestatem, vivente Clero in perfectione primaria paupertatis.* VI. *Quòd quocumque Episcopo vel Curato dotato de Anglia in contemptum Dei notoriè incidente, nullum liceat Regi, sed teneatur sua temporalia confiscare.* VII. *Quod Rex nullum Episcopum vel Curatum mancipet suo Ministerio sæculari. Quia tam Rex quàm Clerus foret proditor Jesu Christi.* VIII. *Quòd Rex nullum propter moram in excommunicatione incarceret, antequam secundum legem Dei sit docta esse licita.* Has *Vvicklessi* propositiones refert *Vvalsinghamus* in *Richardo II.* Illas Anglicani Proceres, ut par erat, rejecerunt. Anno verò MCCCLXXXVIII. Rex solemni Edicto libros & scripta omnia *Joannis Vvicklessi, Nicolaii Herfordii, & Joannis Aston*, ubicumque in Regno & ditionibus suis inveniri possent, ad Consilium suum deferri jussit, ignibus tradenda, & illa à quovis subditorum suorum servari, legi, describi, vendi aut emi prohibuit, vel damnatos Wicklessi errores propugnari sub pœna carceris. Edicto hac formulâ Rex subscribit: *Teste me ipso, apud Vvestmonasterium* XXIII. *die Maii, anno Regni nostri* XI. Illud apud *Henricum de Knigton*, lib. v. *De Eventibus Angliæ*, legere est. *Vicklessistas* Edictis suis pariter insectati sunt

sunt & coërcuerunt *Henricus IV.* & *Henricus V.* Reges, ut *Nicolaus Harpsfeldius*, in Historia Vvicklessiana Cap. XVII. observat. Unus, inquit, ex » præcipuis scopis quò Vvicklessiani collimabant, » ille erat, ut possessiones omnes Clero excuterent, » atque in summa illum egestate constituerent. Quò » & Libellus ille, de quo commemoravi, licet » tertius spectabat. Sed regnantibus Henrico IV. » atque V. callidum hoc & nefarium consilium » apertiùs & violentiùs erupit, résque in ipso » Parlamento tractata est, rapinæque huic specio- » sus quidam regiæ & publicæ utilitatis fucus, ad » Reges, Illustrioresque viros inescandos obtende- » batur. Jactabant itaque, temporales Ecclesiæ pos- » sessiones, quas Monastici Viri, & alii ex Clero, » malè & perditè (ut isti aiebant (collocabant, » posse insignem & incredibilem Regi Regnóque » fructum afferre. Posse ex his emolumentis XV. » Comites, CIXC. ꟾↄ. Equestris ordinis homines, » duo millia Armigerorum, (ut appellamus) ad » Reipublicæ defensionem atque tutelam foveri. » Posse præterea centum pauperum hospitia ædi- » ficari, præter viginti mille librarum annuos pro- » ventus qui Regio Fisco accederent. Hoc certè fuit » novum sub pietatis specie aucupium, & quo Re- » ges facilè irretiendos existimabant. Tentata res est, » ut dixi, sub *Richardo*, tentata sub *Henrico* IV. » tentata & sub *Henrico V*. Sed privatis illi com- » pendiis Dei & Ecclesiæ honorem pro insita sua » pietate prætulerunt; & aditum ipsum, quem per » hoc fraudulentum commentum veteratores isti se » aperire posse sperabant, obstruebant. *Henricus* » præterea uterque Vvicklessianorum insolentiam » severissimis Legibus coërcuit. *Henricus* pater » maximorum Comuiorum auctoritate constituit » & sancivit, ne quisquam sine licentia Episcopi » (exceptis iis quos Jus Ecclesiasticum admittit) » concionari audeat: Ne quisquam ad prava & dam- » nata dogmata discenda, conventus aliquos homi- » num erect; Ne quis autem hujusmodi docentibus » præbeat: Ne quis damnatos libros apud se re- » tineat: Ut qui obstinati in erroribus persistunt, » palam incendio ad terrorem & exemplum alio- » rum absumantur... Adeo autem Rex iste ad pro- » fligandam hanc hæreticam luem accuratas cogita- » tiones suscepit, ut Episcopos ad suum in hac cau- » sa munus vigilanter & strenuè obeundum, mis- » sis selectissimis ad ipsorum Synodum ex sua No- » bilitate secretóque Consilio viris, vehementer & » solicitè excitarit, & eis in hac tam necessaria per- » functione quodammodo præiverit. Atque in hoc » pietatis genere non eum modò æquavit, sed su- » peravit potius filius ejus *Henricus V*. qui in sum- » mis Regni Comitiis cavit, ut qui hæreseos dam- » narentur, suppliciúmque propter eam subirent, » omnibus bonis atque possessionibus exciderent. » Cautum præterea ut Regni Cancellarius, ut qui » essent à Thesauris, ut civitatum Prætores, alii- » que civiles Magistratus, cùm Magistratum ini- » rent, religione conceptis verbis obstringerentur, » quâ contestarentur se nihil summæ diligentiæ » prætermissuros, quâ exortæ hæreses extermina- » rentur, omnéque consilium, opem, & auxilium » Episcopis ad eas obruendas collaturos. Cautum » præterea ut Regni Justitiæ Præsides, quique de » maleficis de more inquirerent, simul etiam inqui- » rerent de Hæreticis & eorum fautoribus; ca- » ptósque ad Episcopos remitterent.

§. VII.

De Scriptoribus qui Vvicklessianam Hæresim confutarunt.

VVicklessum adhuc spirantem impugnarunt, ejúsque errores confutarunt *Joannes Jordanus*, & *Joannes Bromiardus* Ordinis FF. Prædicatorum, *Joannes Tissingthon* Ordinis FF. Minorum, *Joannes Kiningamius* & *Richardus Lavenhamus* Carmelitæ: *Thomas Ashburnus*, & *Thomas Vvinterton* Augustiniani: *Uthredus Boltenius*, & *Nicolaus Radcliffus*, Benedictini: *Guillelmus Berton* Oxoniensis Cancellarius; *Rodolphus Strode* ex Mertonensi Oxonii Collegio: *Guillelmus Binhamus* Norvolgiæ Monachus. Eamdem hæresim post Authoris damnati mortem Scriptis profligarunt *Thomas Vvalvordus*, & *Guillelmus Vvindefordus* Ordinis Minorum Professores; *Richardus Maidston*, *Petrus Stokes*, *Thomas Lombé*, *Gualterus Disse*, *Joannes Marrey*, & *Thomas Vvaldensis*, Carmelitæ; quorum posterior tres Tomos edidit *Doctrinalis Antiquitatum Ecclesiæ* contra Vvicklessistas & Hussitas, *Martino* V. Pontifici Maximo dicatum Opus, qui & illud Brevi Apostolico commendavit: *Joannes Bury* Augustinianus; *Rogerus Dimmocke* Dominicanus, *Joanuss Suaffanius* & *Stephanus Patringtonius*, Menevenses Episcopi; *Robertus Vvaldebie* Eboracensis Archiepiscopus: *Robertus Alingtonius*, Oxoniensis Academiæ Cancellarius, &c.

§. VIII.

Discipulorum ac Sectatorum suorum Errores quosdam VVICKLEFFUS, sibi etiam interdum contradicens, evertit.

I. VVicklessistæ, & qui eorum communione, vel doctrinæ societate gloriantur, Lutherani & Calvinistæ, solam Scripturam Sacram recipiunt. Contra *Vvicklessus*, lib. *De Potestate*, Cap. II. scribit: *Ulteriùs conceditur, quod observanda est laudabilis consuetudo Ecclesiæ, licèt non sit explicita, sed implicita in Scriptura. Quia nimis diffusa & onerosa esset lex Christi, si omnes tales ritus, usus, vel consuetudines forent in ea expressa. Ideo credendum est quòd Spiritus Sanctus necessariora Ecclesiæ expressit, & leviora sub quodam confuso involucro simul texit, ut patet* 1. *Corinth.* 14. *dicit Spiritus Sanctus per suum Apostolum*: Omnia honestè & secundùm ordinem fiant. *In quo includuntur omnes usus Ecclesiæ, indicendo servitium, omnes ritus Ordinum privatorum, & breviter omnis consuetudo Clericalis vel Laicalis laudabilis.*

Apud Joannem de Protibus, in Professione Fidei Catholicæ.

II. Solum Baptismum & Eucharistiam inter Sacramenta numerant. Contra *Vvicklessus*, in Postilla super Novum Testamentum, ad Cap. XV. S. Marci: *Sacramenta Ecclesiæ*, inquit, *sunt velut castrum & munitio tutissima, quam velut fluvius immensus primò circuit aqua baptismatis, quæ primò coercet accessus hostiles. In interioribus ripis fluminis, sunt Confirmatio & Pœnitentia, velut vallus & murus exterior. In medio autem velut turris fortissima, Sacramentum Eucharistiæ collocatur; ad quam ascenditur per gradus Ordinis. Et citra hos gradus, Matrimonium quasi murus interior, defendens legitime forum seculare & Ecclesiasticum. Ostiolum autem per quod ingreditur vitam futuram, est Extrema-Unctio. Sed & totam istam seriem castrorum fundavit Christus, dans Vicariis potestatem ubique erigendi.*

Apud Joannem Rockysanam Bohemum, in Tractatu de vii. Sacramentis, Cap. XIX.

Et super prima ad Corinth. I. in eadem Postilla dicit: *Omnia Sacramenta sunt Christi, & ipse dat*

gratiam, quam efficaciter significat quodlibet Sacramentum. Et ab ipso ut fundamento habet efficaciam, secundùm benedicta ejus merita. Et infra: *Docuit eum omnia Sacramenta instituere, quadam tamen difficiliora ad credendum, & magis necessaria ad salutem per se promulgavit, ut Baptismum, Eucharistiam, Ordinem & Pœnitentiam. Quadam autem per Apostolos, ut Confirmationem & Extremam-Unctionem. De Confirmatione patet in Actibus Apostolorum, & de Extrema-Unctione Jacobi 5. Immo Marci 6. fit mentio de olei unctione. Nec credendum est omnia opera Christi in Evangelio fuisse explicata, ut patet Joannis ultimo, sed pracipuè curarunt Evangelista tradere illa qua sunt de necessitate salutis, & Ecclesia dispositionis.*

Apud Rokysanam, ibidem.

III. Confessionem Auricularem Calvinistæ, ac Luterani rejiciunt. Contra *Vvickleffus* in Cap. 5. *Jacobi* confitenda peccata mortalia esse ait, non soli Deo, sed Christi Vicario. *Oportet*, inquit, *recipere Sacramentum Pœnitentia pro mortalibus abluendis: Confidendo non solùm Deo, sed & homini in casu. Et cùm specialiter confitendum sit Vicario Christi, qui mediat inter Deum & hominem, ordinarunt posteri Confessionem Auricularem.*

Ibidem.

IV. Extremam-Unctionem è Sacramentorum numero Lutherani & Calvinistæ expungunt, ac ut ritum inutilem rejiciunt. Contra *Vickelffus* in 1. ad Corinthios 1. dicit: *Quòd Unctio Extrema est medicina ad sanandum peccatum, ad intitulandum in Officio novo, ut patet Jacobi 5. Est enim Extrema-Unctio signum efficax, & finalis, & universalis remissionis peccatorum, per Unctionem infirmi Pœnitentis, in determinatis partibus, cum oleo oliva, ab Episcopo consecrato, ministrato à Sacerdote, verba cum intensione debita proferente.*

Apud Joannem de Przibram in Professione Fidei.

V. Sacrum Missæ ritum Calvinistæ abrogarunt: contra *Vvickleffus* totum Missæ ritum à principio fere usque ad finem approbavit, dicens eum *Egregium, & & egregiè declaratum*, déque illo dicens, lib. *de Apostasia* Cap. 18. *Certum quidem est, quòd omnia talia de tanto sunt laudabilia, de quanto excitant ut Christus plus ametur* Et in lib. *de Potestate Papa*, ait *quòd Christus & Apostoli usi sunt leniter ornamentis, docendo ut faciamus similiter.* Subdit Rokysana: *Vicklef autem celebravit Missas suas ritu & forma Ecclesia: faciant idem Taborita, vel confundantur dici Vvickleffista.*

Ibidem.

VI. Alios item Ritus, necnon Jejunia ab Ecclesia instituta improbant Calvinistæ. Contra *Vvickleffus* in Tractatu *de Gradationibus Scholasticis*, cap. 3. hæc approbat, quibusdam Sophistis respondens: *Non, inquiunt, legitur, quòd Apostoli habuerunt caput & barbas rasas, sicut nos utimur. Nec dixerunt Horas Canonicas, ut nos facimus, nec servarunt jejunium, vestimenta, vel Ritus in celebrando, sicut nos facimus: Ergo omnia talia sunt illicita. Quis stultus nescit, quoniam istud non sequitur? Sed oportet Fidelem nominare humiliter, non captiosè, quomodo aliqua sunt docta implicitè in sua specie vel suo principio, & aliqua explicitè in suo individuo. Tunc dicitur quòd supposita quacumque tali ceremonia virtuosa vel licita, fuit docta per appositiones in suo principio. Nam si principium fuit Paulo quòd* Omnia secundùm ordinem fiant; *dum tales Ritus fuerunt ordinati, docentur in isto principio.*

Ibidem.

VII. Invocationem Deiparæ Virginis & Sanctorum explodunt Lutherani & Calvinistæ. Contra *Vvickleffus* in quodam Sermone de Assumptione Beatæ *Maria* ait: *Videtur mihi quòd impossibile est nos pramiari sine Maria suffragio. Verumtamen sunt gradus in ejus auxilio: ut quosdam etiam prascitos juvat ad cavendum peccata vel eorum gravedinem, & per consequens ad pœna perpetua mitigationem. Quosdam autem juvat ad bonorum fortuna, natura, & gratia cumulationem, & per consequent ad periculi vel damni temporalis evitationem. Et quosdam juvat ad beatitudinis promeritionem. Et sic nemo est expers ejus superabundanti suffragio, sive plus, sive minùs sibi servierit: immò illi qui nihil meruerunt, sentient ejus levamen, cùm occasione sua humilitatis, & interpellationis pro humano genere, mitiùs punientur. Ipsa enim fuit quodammodo causa Incarnationis & Passionis Christi, & per consequens totius salvationis mundi. Hoc tamen credendum est, quòd nemo meretur beatitudinem, nisi gratia Dei praveniat, & ipso consequenter Deum adinvenerit. Maria tamen semper pravenit merita peccatorum, quia meretur existentibus in crimine ut resurgant, & sic non est sexus, atas, vel status, vel conditio humani generis, quin necesse habeat auxilium Virginis implorare. Nemo tamen meretur beatitudinem, nisi optimam partem cum ipsa elegeris.*

VIII. Reliquiis & imaginibus Sanctorum cultum religiosum Lutherani & Calvinistæ negant. Contra *Vvickleffus* in Tractatu magno de Eucharistia, cap. 9. ait: *Sed ideo adoramus imagines nudè ut signa, Deum autem debemus, quantum sufficimus adorare.* Et infra: *Conceditur ergo quòd Imagines, Reliquia, & Sacramenta, sunt cum prudentia adoranda. Ille ergo qui sciet suspendere considerationem signi sensibilis, & appendere communem intentionem, & affectionem in creatione imaginis, modo quo Clericus suspendit Scripturas, concipiendo sententiam; Ille, inquam, adoraret latria Deum in illo signo.* Et in Decalogum, cap. 15. *Licèt introducta sint imagines in Ecclesiam post firmitatem fidei primitiva, ut sint libri Laicorum, & signa recordativa singulis Christianis, ut adorent debitè Sanctos Dei: tamen in veteri Testamento hoc non licuit.* Et infra. *Non negandum est quin Imagines Ecclesia possent bene fieri.*

SCHOLION.

In hoc Articulo pag. 464. Edit Primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant velut meam: *Ecclesiastici non sunt Domini bonorum temporalium, sed dispensatores.*

R. Non ita scripsi; sed: *Prelatos bonorum Ecclesiasticorum dispensatores sanciùm esse ac procuratores, non dominos, Thomas Valdensis colligit.* Thomæ Valdensis Opus contra Hussitas & Vvicklefitas *Martino Quinto* Pontifici Maximo dicatum, ab eodem Pontifice Brevi Apostolico approbatum, ab omnibus commendatum est. Propositio illa, quam à Thoma Valdensi assertam commemoro, ex Conciliis, Decretis Summorum Pontificum, ex SS. Patribus, S. Thoma, S. Carolo Borromæo, à me demonstrata & confirmata est lib. 11. *Theologia Dogmatica & Moralis*, in Tractatu *De Sacramento Ordinis*. cap. V. *De vita & honestate Clericorum* inscripto, Regula VIII. Nemo est Doctrinæ ac Disciplinæ Ecclesiasticæ peritus, qui propositionem nostram non propugnet. Quam verò fabricarunt RR. Censores, non est mea. Viros enim Ecclesiasticos *Bonorum patrimonialium, vel licitè acquisitorum, veri dominos* esse censeo: *bonorum verò Ecclesiasticorum Clericos non esse verò dominos, sed dispensatores.* Verba sunt S. Thomæ, Quodlibeto VI. Quæst VII. Articulo 1.

ARTICULUS XXIII.

De Erroribus Fratris JOANNIS DE MONTESONO.

FRater *Joannes de Montesono*, Hispanus, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, Theologus Parisiensis, in hac Regia Urbe quatuordecim propositiones erroneas, partem in Actu *Vesperiarum*, partem in Actu *Resumpta* propugnavit. Illas Censorio Judicio confixit Sacra Facultas Parisiensis, deinde tota Studiorum Universitas damnavit, anno MCCCLXXXVII. Eas retractare jussus Frater

Joannes

Joannes, id se præstiturum spopondit, juravitque: quod cùm intra diem condictam minimè præstitisset, imò eas ad mortem usque se defensurum profiteretur, ad *Petrum de Ordeomonte* Parisiensem Episcopum delatus est, qui propositiones à quovis publicari, prædicari, doceri lata Sententia prohibuit. Contumax *Montesonus* ad *Clementem VII.* in sua obedientia Pontificem Maximum, Avenione sedentem, provocavit. Defensionem ejus suscepit Generalis Ordinis Magister, pessimæque causæ defensioni Ordinem obstrinxit, quam ob causam nostri Censuræ subscribere nolentes, è Sacræ Facultatis gremio abscissi sunt, & ultra vigesimum quintum annum ab ea mansere segregati, ut *Gersonius* in Epistola ad Studentes Navarrici Collegii testatur. Missi ab Academia Parisiensi ad Curiam Pontificiam *Petrus de Alliaco*, *Ægidius de Campis*, *Joannes de Novavilla* in Sacra Pagina Magistri, & *Petrus de Alanvilla* Doctor in Jure Canonico, Censuram Sacræ Facultatis & totius Universitatis; ejusdem nomine contra Fratrem *Joannem de Montesono* propugnaturi. Quæ contra ipsum in Consistorio proposuit *Petrus de Alliaco*, in Historia Universitatis Parisiensis legere est. Tractatum ejusdem Universitatis nomine contra ipsum edidit idem Doctor, ad Cameracensem Episcopatum & Cardinalitias Infulas ob eximiam eruditionem postea promotus, qui MS. extat in Bibliotheca Navarrici Collegii. Sacræ Facultatis Doctrinale Judicium, & Parisiensis Episcopi Sententiam *Clemens VII.* confirmavit. *Joannes de Montesono* cùm se carceri mancipandum, ac deinde Parisios ad retractandos errores mittendum intelligeret, prout Academiæ Deputati postulabant, in Aragoniam Patriam suam fugit, ut testatur *Joannes Juvenalis de Ursinis* in Historia *Caroli VI.* Regis Christianissimi; & ad obedientiam *Urbani VI.* qui Romæ sedebat, transiens, Jus ipsius contra *Clementem* edito Opere propugnavit. Hæ porro erant *F. Joannis de Montesono* Propositiones.

S. Bernardus lib. de Consid. [illegible] S. Thomas III P. Q. II. Art. 12.

I. *Major est unio hypostatica in Christo, quàm unio trium personarum in essentia increata.* Hanc recitativè duntaxat se posuisse *Joannes de Montesono* coram Sacra Facultate asseruit. Quamobrem ad eam revocandam ipsum non damnavit, sed tantùm ad profitendum palam, quòd eam *recitativè* dixisset, *nihil asserendo*. Rectè tamen probat *Petrus de Alliaco* eam communi Sanctorum doctrinæ, ac præsertim *Bernardi* & *Thomæ*, necnon Theologicæ rationi adversari: *Petri de Palude* contrariam sententiam in III. Sententiarum Dist. V. Art. ultimo nullius esse auctoritatis. Hac ratione suum illum errorem propugnabat *Montesonus*. Major est unio realis quàm unio rationis; sed unio hypostatica est realis, & unio trium personarum in essentia increata est unio rationis; Ergo illa major istâ. Minorem hoc modo probabat. De ratione unionis est ut diversa in unum conveniant; Sed in unione hypostatica diversæ naturæ realiter conveniunt in uno, & in essentia increata tres personæ non sunt diversæ nisi per imaginationem: nec potest dici quòd conveniant, sed potius quòd sint unum. Ergo si ratio unionis propriè est ibi, est secundùm imaginationem. Quam rationem *Petrus de Alliaco* in laudato Tractatu Cap. II. refellit, & multiplicem errorem continere demonstrat.

II. Propositio: *Possibile est esse aliquam creaturam puram, quæ in puris naturalibus ita posset sibi & homini mereri, sicut anima Christi concurrente gratia habituali. Non est tamen aliqua possibilis, quæ ita convenienter, congruenter & sufficienter hominem posset redimere & salvare sicut Christus.* Damnata est à Sacra Facultate tanquam *falsa, male sonans, erronea*, quoad primam partem. Frater *Joannes de Montesono* in Consistorio dixit, se illam posuisse gratiâ collationis, & sumpsisse ex *Durando* in III. Sententiarum Distinct. XIII. Addidit in Scripto tradito DD. Commissariis, se semper de potentia Dei absoluta, non de ordinaria locutum. Sed hanc excusationem inutilem ipsi esse *Petrus de Alliaco* ostendit. Primò quia modificationes hujusmodi in Scripto suo Parisius non posuit. Secundò, quia nulla Propositio hæretica vel in fide erronea à Doctore Theologo, etiam gratia collationis, ponenda est: quia talis collativa positio posset esse erroris occasio. Tertiò quia hujusmodi propositio apud *Durandum* non reperitur; imò oppositum ponit in II. Sententiarum Dist. XXVIII. Q. II. & similiter *S. Thomas* in II. Sententiarum Distinctione eadem. Quartò quia si de potentia Dei absoluta intellexit, hanc modificationem exprimere debuit. Quandocumque enim aliqua propositio favet seu favere videtur manifestæ hæresi per Ecclesiam condemnatæ, nunquam ponenda est sine expressa modificatione illius sensus in quo potest veritatem habere. Sed dicta propositio videtur favere errori & hæresi *Pelagii*: Et ideo, cùm non fuerit expressè modificata, meritò fuit modificata tanquam retractanda.

Tertia Propositio; *Aliqua creatura rationalis potest etiam in suis puris naturalibus beatificè Dei essentiam intueri.* Quod de creatura illa constare dixit, de qua in superiori Propositione locutus est. Cujus quidem Propositionis censura his est concepta verbis: *Revocanda est tanquam falsa, aliàs Parisiis damnata, & tanquam in fide erronea.* Et revera, ut observat *Petrus de Alliaco*, est contra illud Apostoli: *Gratia Dei vita æterna*: &: *Lucem habitat inaccessibilem*: favet errori Beguardorum, damnato in Clementina, *Ad nostrum, de Hæreticis.* Repugnat *S. Thomæ*. Convenit cum propositione damnata Parisiis: *Quòd intellectus noster per sua naturalia potest pertingere ad cognoscendam essentiam primæ causæ.* De qua Sacra Facultas ita censuit: *Malè sonat, & est error, si intelligatur de cognitione immediata.*

Quarta propositio: *Aliqua pura creatura est possibilis perfectior Christi animâ in merendo, puta gratia animæ Christi.* Damnata est tanquam *falsa, erronea, absurda in Theologia, & Philosophia, & Theologica doctrina irrisiva*, adeóque *revocanda*. Hanc se gratiâ duntaxat collationis posuisse, *Montesonus* in Consistorio dixit, istámque modificationem addidit: *Etsi non quoad quantitatem meriti, tamen quoad modum merendi.* Sed à Scripto Parisiis tradito aberat: nec hujusmodi Propositionem à Censura eximere potest: Nam persona infinitæ nobilitatis & virtutis hujusmodi meritum operabatur, scilicet Christus Sacerdos, qui idem hostia est & pretium nostræ redemptionis. Et gratia unionis illud acceptum habendi ratio erat. Hæc autem in nulla pura creatura concurrere possunt.

Quinta Propositio erat Corollarium secundæ, hisque verbis concepta erat: *Videtur mihi quòd talis creatura, si poneretur, esset simpliciter extra genus.* (Eadem censurâ confixa est quâ præcedens.)

Sexta propositio: *Ponere aliquod creatum, vel aliqua creata esse simpliciter & absolutè necesse esse, non est in aliquo contra fidem.* Damnata est tanquam *falsa & malè sonans in fide secundum communem modum loquendi Theologorum*; adeóque *revocanda*. Ipsam se asseruisse tanquam probabilem, & doctrinæ *S. Thomæ* consentaneam lib. II. contra Gentes, cap. XXIX. fassus est *Montesonus* in Consistorio. Sed *Petrus de Alliaco* reponit, Sacram

Facultatem

Facultatem honori doctrinæ *S. Thomæ* consultum voluisse his verbis, in suo Prologo: *Salvâ in omnibus reverentiâ S. Thomæ, quem credimus verisimiliter bonum habuiße sensum, propter dicta ipsius non sunt asserenda, aut publicè dogmatizanda Propositiones quas Magister de Montesono asseruit. Et allegantur ibi duæ auctoritates, una S. Augustini lib. IV. de Doctrina Christiana, alia ejusdem S. Thomæ in Tractatu contra errores Græcorum. Ex quibus clarè patet, quòd dicta Sanctorum, quando propter improprietatem loquendi ob aliam causam de virtute sermonis non sunt vera, non tamen propter hoc sunt penitus refutanda, sed reverenter interpretanda. Si quis autem posteriorum dictum alicujus Sanctorum contra usum loquendi communem & communi Scholæ consuetum vellet multum extendere, & ad suum sensum inflectendo trahere, aut trahendo inflectere, dictum ejus non esset reverenter sustinendum aut glossandum, sicut dictum ipsius Sancti cujus auctoritate uti nititur, sed eßet de errore increpandus & condemnandus, non minus quam si hujusmodi dictum nunquam aliquis Sanctus posuisset. Et causa est, quia in hoc casu talis innititur sensui suo, & præsumit Sanctorum sententias suis coaptare perversis dogmatibus. Unde evenire potest ut contagione pestifera plurimos secum perdat. Et ideo corrigendus est, nec in hoc reprehenditur Sancti doctrina, sed malè utentis perversa sententia. Et ad hoc potest poni exemplum clarissimum. Nam B. Augustinus in pluribus locis ait, Quòd homo factus est Deus, & quòd Deus assumpsit hominem. Et tamen si aliquis in communi Schola vellet de proprietate sermonis ista dicta extendere, & propter ista dicere, quòd asserere quòd Deus assumpsit hominem, & quòd homo factus est Deus, non est in aliquo contra fidem; constat quòd talis cogeretur revocare: Quia hoc est contra fidem ad intellectum non quidem Augustini & Ecclesiæ, sed communis Scholæ, & juxta communem loquendi modum, ut docet S. Thomas III. P. Q. III. A. III. Sic autem omnino est in proposito: quia dicta propositio & aliæ sequentes non condemnantur ad intellectum S. Thomæ; sed in condemnatione dicitur quòd non est ex dictis S. Thomæ asserenda in sensu quem reddit, scilicet ad sensum communis Scholæ: non condemnatur sensus S. Thomæ tanquam in fide erroneus, sed condemnatur propositio tanquam malè sonans in fide secundum modum loquendi Theologorum. Et hoc est clarum, quia in communi usu non solum Theologorum, sed etiam Logicorum & Physicorum, per simpliciter & absolutè necesse eße, intelligitur id quod per nullam potentiam potest non esse. Hæc autem attribuere creaturæ, est manifestè in fide erroneum, etiam secundùm S. Thomam. Et sic patet manifestè quod Facultas Theologiæ huic Sancto magnam facit reverentiam, ejus dicta reverenter gloßando, & prædictus Frater è contra magnam irreverentiam, ejus dicta malè applicando, & eis abutendo.* Addit *Petrus de Alliaco*, propositionem illam Dei verbo contrariam esse, Exodi 3. *Ego sum qui sum*: secundùm communem sensum Expositorum: & contra Articulum de omnipotentia Dei pugnare.

Septima propositio *Joannis de Montesono* hæc erat: *Necesse esse non repugnat esse causatum.* Damnata est tanquam *falsa & erronea in fide.* S. Thomam hujus propositionis assertorem lib. II. contra Gentes cap. XXIX. laudabat. Sed *S. Thomas* in hac & superiori propositione nihil aliud *necessarii* nomine quàm *incorruptibile* intellexit, ut ex isto loco & ejus rationibus perspicuum est. *Montesonus* verò eo nomine intellexit id quod est immutabile tam secundùm substantiam, quàm secundùm accidens: quod soli Deo convenit. Ita observat *Petrus de Alliaco.*

Octava Propositio: *Magis est consonum fidei; ponere aliquid citra primum esse absolutè & simpliciter necesse esse, quàm ponere ipsum sine aliqua additione esse necesse esse.* Damnata est tanquam *falsa & erronea*, propter falsam & erroneam implicationem compositionis quam includit, quòd aliquam rem creatam esse necesse esse, scilicet sine aliqua additione, est consonum Sacræ Scripturæ, & per consequens aliquid creatum est increatum: quod contradictionem includit. Hanc propositionem *S. Thomæ* non esse lib. II. contra Gentes cap. XXIX. & I. P. Q. IX. à *Montesono* laudatis, & contra communem loquendi modum Theologorum pugnare, *Petrus de Alliaco* probat.

Nona Propositio: *Asserere aliquid verum, quod est contra Scripturam Sacram, est expressissimè contra fidem.* Damnata est tanquam *falsa & injuriosa Sanctis & Doctoribus, universaliter intellecta.* Et rectè quidem, inquit *Petrus de Alliaco*, quia multæ sunt Propositiones contradictoriæ inter Sanctos & Doctores disputatæ, quarum aliqua est contra Scripturam Sacram, nulla tamen expresse contra fidem: ut istæ; Deus potest creare supremam speciem: Deus non potest creare supremam speciem. Si enim prima sit vera, secunda est contra Articulum de omnipotentia Dei, & per consequens contra Scripturam Luc. 1. *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Si secunda sit vera, constat quòd prima est contra Articulum de unitate Dei: scilicet quòd Deus possit aliquam rem facere infinitæ perfectionis; quia illa esset Deus. Sed quia non est evidens quænam sit contra Sacram Scripturam, neutra hæretica est: & aliquam hæreticam asserere, injuriosum esset Doctoribus contrarias opiniones tenentibus. Sic *SS. Hieronymus* & *Augustinus* de *S. Petro* cogente gentes Judaïzare, ad Galatas 2. & de cessatione Legalium opposita asserunt: & alterutrius opinio est contra Scripturam Sacram, neutra tamen contra fidem. Hinc *S. Thomas* Secunda Secundæ Quæst. XI. Art. II. ait: *Aliqui Doctores videntur dissensisse vel circa ea quorum nihil interest ad fidem utrum sic vel aliter teneantur, vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam determinata.* Quamobrem ante determinationem Ecclesiæ non est dicendum quòd horum Doctorum aliquis dicat expressissimè contra fidem, nisi evidenter ostendatur quòd hoc sit contra Scripturæ Sacræ auctoritatem, & quòd sit contra sensum Spiritus Sancti. Qui sensus aliquando latet Sanctos & Doctores Catholicos. Ita ratiocinatus *Petrus de Alliaco.* Addit Joannem de Montesono *superbè & pertinaciter* duo Corollaria intulisse. Primum, *Quòd asserentes oppositum suæ conclusionis incidunt in errorem Manichæorum*: quia falsa in Scriptura Sacra contineri asserunt, sicut & Manichæi. Secundum, *Quod tales sunt puniendi sicut hæretici.* Ex quibus colligit Alliacensis, *Montesonum* ipsum pertinacem esse in suo errore, siquidem Parisiensem Episcopum & Facultatis Theologicæ Magistros velut hæreticos sugillabat: adeòque illum hæreticum esse censendum. Unum enim nec minimum genus est pertinaciæ, illos hæreticos nominare, ad quos pertinet aliquem de hæresi corrigere.

Decima Propositio: *Non omnem hominem præter Christum contraxisse ab Adam peccatum originale, est expressè contra fidem.* Damnata est *revocanda, tanquam falsa, scandalosa, piarum aurium offensiva, & præsumptuosè asserta, non obstante probabilitate quæstionis utrum Beata Virgo fuerit in peccato originali concepta.* Et jure quidem merito: « illa enim propositio est falsa, scandalosa, piarum « aurium offensiva, & præsumptuosè asserta, quæ « asserit aliquid esse expressè contra fidem, quod « multi

» multi Sancti & Doctores Catholici tenent, & » quod multi Summi Pontifices, & S. R. E. Cardinales, & alii majores Prælati, & plures particulares Ecclesiæ, imò fere universalis Ecclesia, aut ejus major aut sanior pars asserunt, & » publicè dogmatizant, & ad ejus approbationem » tenent miracula esse facta, & in cujus commemorationem annuale festum celebrant. Sed prædicta propositio, & aliæ tres sequentes sunt hujusmodi: ergo, &c. Major patet: quia absurdum est quòd tales & tanti Catholici teneant » & afferant expressè vel expressissimè contra fidem: & quòd Summus Pontifex & alii majores Ecclesiæ Prælati faveant sic errantibus contra fidem. Et pro hoc facit auctoritas *S. Augustini* lib. II. de Doctrina Christiana, ubi ait: *Divinarum Scripturarum solertissimus indagator hunc modum tenere debet in Scripturis, ut eas qua ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, praponat eis quas plures graviorésque accipiunt, eis quas pauciores, minorisve auctoritatis Ecclesia tenent.* Et » sicut dicit Augustinus de Scriptura, ita dicendum est de Scripturarum expositionibus & intelligentiis. Et ideo illud quod in eis plures Ecclesiæ, & majores Ecclesiarum Prælati tenent » & asserunt, non est dicendum expressè vel expressissimè contra fidem, donec per universalem Ecclesiam oppositum fuerit determinatum, vel certissima veritate probatum. Ita ratiocinatur *Petrus de Alliaco*. Addit: Hanc præsumptuosam assertionem non solùm Sanctis & Doctoribus, tenentibus B. Virginem sine macula originali conceptam, injuriosam esse, sed etiam eis qui tenent oppositum adversativè. Nam licet *B. Bernardus* in Epistola ad Lugdunenses tenuerit, ipsam in peccato fuisse conceptam, propter quod ibidem scribit, Conceptionem ipsius celebrandam non esse; tamen in fine dictæ Epistolæ sic concludit: *Qua autem dixi, absque prajudicio dicta sint sanius sapientis, Romana prasertim Ecclesia auctoritati atque examini totum hoc, sicut & catera, qua hujusmodi sunt, universa reservo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.* Unde » patet, quòd illud solùm probabiliter & opinativè tenuit, nec oppositum tenentes insanè sapere » asserere præsumpsit, quod tamen dicere potuisset, si illud expressè esse contra fidem credidisset. Tunc enim hoc non reservasset aliorum examini vel correctioni, sed dixisset potius cum Apostolo ad Galatas I. *Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis praterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*

Montesoni Propositiones contra Immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem à Sacra Facultate & Episcopo Parisiensi damnatæ.

Undecima propositio: *Beatam Mariam Virginem & Dei Genitricem non contraxisse peccatum originale, est expressè contra fidem.* Damnata est *tanquam falsa, scandalosa, præsumptuosè asserta, & piarum aurium offensiva.* De hac Propositione dixit *Joannes de Montesono*, se eam propugnasse *tanquam opinabilem*. At aliam ejus fuisse mentem ex eo probat *Petrus de Alliaco*, quòd à Decano Theologicæ Facultatis monitus ut eam revocaret, publicè in Scholis dixerit, se illam ubique ad mortem usque defendere velle. Hunc autem errorem *Petrus de Alliaco* hac ratione refellit: Romana Ecclesia, quæ est caput omnium Ecclesiarum, cum multis Ecclesiis sibi subjectis, tenet » & asserit, quòd non est expressè contra fidem dicere, *Mariam* conceptam sine originali peccato: Ergo asserere oppositum, est temerarium: Quia sic dicere, est asserere hujusmodi Ecclesiam errare. Qui enim sustinet & permittit illud quod » est expressè contra fidem, quod tamen potest impedire, sic permuendo præcisè, illud tacitè tenet & asserit, & in hoc errat contra Fidem. (Ex Hist. Eccl. Sæc. XIII. & XIV.

Cap. *Qui alios*. Et Cap. *Excommunicamus*. Extra, *De Hæreticis*.) Sed constat quòd Romana Ecclesia permittit dicere, *Mariam* sine originali peccato conceptam: imo etiam de ejus Conceptione solemnizat. Ipsam itaque errare sequeretur. Frustra verò *Montesonum* ex universalibus Scripturæ Sacræ sententiis, quæ omnes homines in *Adam peccasse*, omnes *in ipso mortuos esse*, asserunt, ad Romanos 5. & 2. ad Corinthios 5. colligere, quòd Beata Virgo in peccato originali sit concepta, *Petrus de Alliaco* respondet: quia id non sequitur ex Scriptura Sacra *ad sensum Spiritus Sancti* intellectâ, secundùm quem Privilegiati in generalibus illis propositionibus non includuntur; sicut nec in istis; *Omnis homo mendax: Omnis caro fænum*: Christus & Beata Virgo comprehenduntur: nec propositiones istas; B. Virgo mendax non fuit; B. Virgo incinerata non fuit: aliquis expressè contra fidem esse dixerit.

Duodecima Propositio: *Tantùm contra Scripturam Sacram est unum hominem esse exemptum à peccato originali, præter Christum, sicut si decem homines ponerentur exempti.* Damnata est *tanquam falsa, scandalosa, præsumptuosè asserta, & piarum aurium offensiva.*

Decima-tertia Propositio: *Magis est expressum contra Scripturam Sacram, Beatam Virginem non esse conceptam in peccato originali, quàm asserere illam fuisse simul Beatam & viatricem ab instanti sua Conceptionis, vel Sanctificationis, vel fuisse unitam hypostaticè.* Eadem Censurâ confixa fuit quâ superior.

Decima-quarta Propositio: *In expositione Sacra Scriptura, sive determinando per Ecclesiam, sive declarando per Doctores, sive excipiendo per quemcumque, de Sacra Scriptura & non aliunde trahenda est determinatio, declaratio, sive exceptio: sicut in Grammatica qua Regulas ponit, eadem exceptio reperitur.* Damnata est *tanquam falsa & erronea, si intelligatur quòd exceptio vel expositio sit trahenda expressè & explicitè ex Scriptura Sacra, & non aliunde.* Quæ mens erat *Montesoni*, ut exemplo Grammaticæ patet ab ipso prolato, in quâ exceptiones expressè & explicitè reperiuntur. Quamquam in Scripto Judicibus tradito suam illam propositionem modificaverit, expositionem, vel exceptionem ex Scriptura Sacra *principaliter & fundamentaliter* trahendam esse dicens. Hanc ut reliquas *Petrus de Alliaco* eruditè refellit, in Tractatu MS. contra dictum Fratrem, qui extat in Bibliotheca Navarrici Collegii, cujus tunc Magnus erat Magister; ex quo hanc Historiam hausimus.

Montesonus à Sacra Facultate Parisiensis Censura & Parisiensis Episcopi Judicio ad Summum Pontificem appellavit.

Sacræ Facultatis & Parisiensis Episcopi Judicio non paruit pertinax *Montesonus*, sed ab ipsis ad Summum Pontificem appellavit, suam his rationibus Appellationem fulciens. I. Quòd suarum Propositionum aliquæ ex doctrina *S. Thomæ* traherentur, quam Theologica Facultas aliàs expressè commendavit, & *Stephanus* Episcopus Parisiensis suis Litteris approbavit. II. Quòd *Urbanus V.* Doctrinam *S. Thomæ* tanquam veridicam & *Catholicam* à Christicolis & studiosis teneri, & eam pro viribus ampliari jussierit, Diplomate ad Tolosanam Academiam dato. III. *Quòd solius Sedis Apostolica est declarare, damnare, & reprobare. Et quod Episcopus Parisiensis apponens manum in messem Summi Pontificis, dictas conclusiones pronuntiavit & decrevit falsas, hæreticas, & erroneas. Quia ista qua tangunt fidem, sunt de majoribus Ecclesia causis & qua ad solum Summum Pontificem pro examinatione & decisione deferri debent.* Ex quibus colligebat: *Quòd nec Episcopus, nec Facultas prædicta, Conclusiones præmissas potuerunt judicialiter condemnare, nec tantum dogmatizationem, aut publicationem vel defensionem*

Sacra Facultas Parisiensis doctrinam S. Thomæ tenetur.

fionem fententialiter prohibere. S. Thomæ doctrinam fe non attigiſſe, Academia noſtra ſuis Literis profeſſa eſt. *Nos*, inquit, *millefies diximus, & ut videmus, non ſufficit, qualiter S. Thomæ doctrinam in dicta noſtra condemnatione nequaquam reprobamus, ſed hunc ejuſque fautores, doctrinam ejus ad diſtortum fideique abſonum ſenſum adaptantes, aut ultra quam fieri debet, contra ejuſdem Doctoris documentum dilatantes, condemnandos andacter aſſerimus.*

Petrus de Alliaco reſpondet rationibus quibus Appellationẽ ſuam ſuſtentabat Monteſonus.

Ad præcipuam verò rationem qua ſuam Appellationem ſuſtentabat *Monteſonus*, reſpondet *Petrus de Alliaco*. I. Quòd Sacra Facultas & Epiſcopus B Pariſienſis ejus propoſitiones ſententialiter ſeu judicialiter non damnaverunt, ſed ſolùm circa eas Facultas diffinivit & declaravit *Scholaſticè & doctrinaliter*: Epiſcopus verò ipſas falſas, hæreticas, & erroneas non pronuntiavit, ſed eas *publicare, prædicare, & dogmatizare* duntaxat prohibuit. Unde « licèt non ad prædictam Facultatem vel ad Epiſ« copum, ſed ad ſolum Summum Pontificem per« tineret dictarum concluſionum judicialis con« demnatio, quod tamen pars adverſa non pro« bat: Tamen ex hoc non ſequitur quòd ad eos « non pertinuerit dogmatizationis & publicationis C « earum judicialis inhibitio, propter ſcandalum ex « earum publicatione Pariſiis notoriè generatum.

Addit Doctor eximius: *Illud quod dictus Frater ad ſuæ Appellationis fundamentum principaliter aſſumit, ſcilicet quòd ſolius Sedis Apoſtolicæ eſt declarare, damnare, & reprobare: Et quòd eorum quæ tangunt fidem, ad ſolum Summum Pontificem pertinet examinatio & deciſio: Hoc, inquam, continet manifeſtam hæreſim: & eſt dictum ſibi ipſi repugnans & contrarium. Et ideo propter hoc ſolum, etiamſi nihil aliud erroneum dixiſſet, Romana Eccleſia ipſum debet cogere ad revocandum.*

D Damnationis *Joannis de Monteſono* ab Epiſcopo Pariſienſi, & à *Clemente Septimo* meminit *Joannes Juvenalis de Urſinis* Remenſis Archiepiſcopus, in Hiſtoria *Caroli VI.* ad annum MCCCLXXXVII. Sed unius duntaxat propoſitionis, contra Immaculatam ſcilicet Deiparæ Virginis Conceptionem, è ſacro ſuggeſtu aſſertæ, ipſum reum agit. Verba « ejus Latinè reddo. Ea tempeſtate vixit Doctor « quidam Theologus, Ordinis FF. Prædicatorum, « Magiſter *Joannes de Monteſono* nuncupatus, qui « vir inſignis & bonus Clericus habebatur; qui « ſæpe conciones habebat. Hic in Concione pa« E lam dixit, aſſeruitque, Glorioſam Virginem *Ma« riam* Matrem Salvatoris & Redemptoris noſtri « Jeſu Chriſti, in peccato originali fuiſſe concep« tam. Id ubi Epiſcopo Pariſienſi notum fuit, « plurimos inſignes Clericos cùm ſeculares, tum « Regulares, & Mendicantes, ea de re convocavit. « Quæſtione in ejus Palatio diſceptatâ, concluſum « eſt propoſitionem dicti Magiſtri in Theologia « damnatam iri & debere. Quamobrem Proceſſio « ac Supplicatio generalis ad Beatæ *Mariæ* Virgi« nis Eccleſiam facta eſt, ubi Epiſcopus Pontifi« calibus indutus, dictam propoſitionem ritu ſo« lemni damnavit. Alium ejuſdem Ordinis Do- F ctorem Rothomagi eamdem propoſitionem publicè è ſacro ſuggeſtu aſſeruiſſe teſtatur idem Hiſtoricus, maximamque invidiam, & populi clamores in reliquos ejuſdem Ordinis viros illorum audaciam & temeritatem concitaſſe. Etſi porro vera ſcripſerit *Juvenalis de Urſinis*, non minùs vera ſunt, quæ ex tractatu MS. *Petri de Alliaco*, ex Commentariis Sacræ Facultatis, & ex Academiæ Pariſienſis Hiſtoria retulimus. Et in Concionibus igitur, & in Theſibus, eumdem errorem *Monteſonus* aſſeruit.

Damnatis illius propoſitionibus, cum magno ſui A dedecore, Ordiniſque FF. Prædicatorum, ex quo aſſumptus fuerat, damno, patrocinatus eſt *Guillelmus de Valone* Ebroicenſis Epiſcopus, *Carolo VI.* Regi Chriſtianiſſimo à Confeſſionibus, qui anno ipſo MCCCLXXXVIII. coram Rege ac Regii ſanguinis Principibus viriſque Sacri Conſiſtorii primariis, Rectore Academiæ, & Deputatis quatuor Facultatum, ad palinodiam in Regia Lupara adactus eſt, in hæc verba: *Ego Guillelmus Ebroicenſis Epiſcopus, malè motus, inconſultè & malè informatus, dixi, Quòd propoſitiones aliquæ condemnatæ fuerunt per Univerſitatem, quæ ſunt veræ* B *& Catholicæ, & quòd auderem eas prædicare & dogmatizare coram Rege, & Papa, aut aliàs ubicumque. Item addidi & dixi, Quòd Magiſtri Univerſitatis Pariſienſis non intelligebant doctrinam S. Thomæ, &c. Acta fuerunt hæc in Domo Regali de Lupara, Pariſiis, videlicet in Camera dicti Domini noſtri Regis, ſub anno* MCCCLXXXVIII. *Indictione* XII. *die Februarii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri Domini Clementis, divinâ providentiâ Papæ VII. anno* XI. Piam de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione ſententiam eloquentiâ ſuâ & auctoritate in Aula egre- C giè tuitus eſt *Ferricus Caſſinellus*, Autiſiodorenſis Epiſcopus, & deinde Remenſis Archipræſul, Regique perſuaſit ut FF. Prædicatores ad publicam devotionem flecteret. Sed Magiſter & Procurator Ordinis *Joannis de Monteſono* cauſam imprudenter ſuſceperunt, & auctoritate ſua effecerunt, ne homines noſtri Cenſuræ Sacræ Facultatis ſubſcriberent, falsò arbitrati *S. Thomæ* doctrinam Academiæ & Epiſcopi Pariſienſis Judicio petitam. Propterea docendi concionandique munere, Gradibúſque Theologicis prorſus noſtris interdictum eſt; & quamvis poſtliminio omnes aut plurimi ad con- D ditiones à Sacra Facultate ſibi imperatas exequendas præſto fuerint, Viros Academicos flectere non potuerunt, & annos ſolidos viginti-quinque ab Academia manſerunt excluſi; mutuis Ordinis, ipſiúſque Academiæ, ex illâ tempeſtate incommodis, quæ deflet Venerabilis *Gerſonius*, qui Fratres noſtros cum Academia parente incredibili caritate reconciliavit, in Epiſtola ad Studentes Navarrici Collegii. *Cogor*, inquit, *illam deflere ſciſſuram miſerabilem, & mutilationem luctuoſam partis non modicæ Univerſitatis Pariſienſis, præſertim à Sacra Theologiæ Facultate, cujus ſciſſuræ cauſam præbuerunt illius de Monteſono erronea, temeraria, &* E *impia aſſertiones. Nolo putet aliquis me hoc loco juſtificationem ſeu defenſionem partis illius, quæ depulſa vel avulſa eſt, ſuſcepiſſe. Fratres Prædicatores loquor: viderint ipſi quid egerunt. Ego enim fidenter & conſtanter, affirmo, condemnationem errorum præfati de Monteſono rationabiliter & Catholicè factam: quæ dum deferretur in Romana Curia, ego ipſe Baccalarius Curſor tunc exiſtens, cum cæteris præcellentiſſimis atque ſapientiſſimis viris ab Univerſitate Legatis præſens interfui. Sed nunquid qui ceciderunt, non adjiciens ut reſurgant? Quin etiam pia mater Univerſitas hæc quæ hactenus filiis iraſa eſt, nunquid tandem miſericordiæ recordabitur,* F *aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Nunquid tot oves paſcuæ ſuæ, ſi deliquerint aut erraverint, æternaliter abjiciet. Imò etſi redire contemnerent, exemplum Chriſti pii Paſtoris imitandum erat ut quærerentur, & piâ quadam violentiâ ad ovile proprium obnitentes traherentur, quanto ampliùs dum id totis, ut dicitur, affectibus & votis expoſtulant & precantur? ...... Cæterùm memoriter teneo cur & qualiter primitus ab Univerſitatis conſortio, viâ quadam indirectâ ſegregati ſunt Fratres prædicti. Statutum enim & concluſum erat, ut omnis gradus & honoris in Univerſitate expers fieret*

Guillelmus de Valone Ebroicenſis Epiſcopus, Monteſoni defenſor, ad palinodiam coram Rege compulſus.

FF. Prædicatores ob ſuſceptum Monteſoni patrocinium ab Academia Pariſienſi diu excluſi.

Gerſonii operâ reſtituti.

Tom. 4. pag. 161.

ferei, quisquis non juraret tenere condemnationem super erroribus prædictis ab Universitate prius, dehinc ab Episcopo Parisiensi factam. Distulerunt hoc agere Baccalaurii è Fratribus prædictis tunc excipiendi, causantes à Superioribus suis licentiam ad hujusmodi præstationem Juramenti necdum petiisse vel habuisse. Ex hac origine, neque Gradus, neque Cathedram, neque Sermones posterius adepti sunt. Audivi tamen ex post aut omnes aut plurimos eorum ad præfata conditionis adimpletionem præsto fuisse: quod si etiam nunc vellent, non viderentur penitus non admittendi. Attenderent ô utinam omnes & benigna recogitatione secum tractarent, quanta qualisve jactura spiritualis est & fuit, tot hactenus Sermones, tot lectiones, tot salubres Instructiones in Universitate & alibi exinde cessasse. Quin etiam naturalis pietas exigit ut mater filio aberranti, & corpus membro ægrotanti compassione moveatur. Deinde considera damnum proprium in Sermonibus, in Propositionibus, & aliis: tum audi monitionem metro comprehensam: Si non vis aliis parcere, parco tibi. Nec loquar vexationes, opprobria & carceres ab illis, quos loquimur, perlatos, quæ tamen benignos & mansuetos æstimatores, ad misericordiam velociùs impendendam inflecterent. Passa est ex adverso, fateor, Universitas laborum & expensarum damna plurima: Ipsa tamen meo judicio leviter obliviscenda aut contemnenda sunt pro commercio pacis, pro fraterna reconciliatione, pro redintegratione tantæ partis abruptæ: tantummodo fidei sua integritas, & Universitati suus honor permaneant: vel fallor, vel satis est. Exclamabunt fortassis ad hæc plurimi, ejusdem mecum esse sententiæ; quoniam pacis Zelatores aut sunt aut videri volunt. Vereor tamen dum ad excusationem ventum erit, quibusdam eorum nihil quod offerri possit ad reconciliationem ejus sufficiat, quin assiduè calumnientur vel Fidei vel Universitatis honorem non servari: ita demum neque reconciliatio unquam, neque pax habebitur. Cæterùm non sum tam insolens ut usurpem definire, quo pacto ea quæ prædiximus, Fides scilicet & Universitatis honor illæsa manerent. Hoc unum apud me persuasum firmiter habeo, posse ista etiam de facili contingere, si ad hoc non dicam omnes, non dicam multi; sed paucissimi de Universitate, cum paucis Fratribus recta integraque voluntate operam dare voluerint. Quod si ex corde noluerint, quicquid ora blanda loquantur, nullâ viâ, nullis precibus, nulla obligatione id ipsum valebit obtineri. Cur ita? Nimirum semper allegabunt, hanc esse causam fidei, nec ex ea posse quidquam remittere. Quid igitur reliquum est mihi? Ut apud semetipsum quisque redeat, constituat ante cordis oculos luctuosam hanc scissuram cum præteritis incommodis, videat diligenter & acriter ad reparandam hanc jacturam, quantùm facultatis aut gratiæ donum desuper acceperit: tunc omni deposito contentionis studio inquirat pacem & persequatur eam. Hoc est quod nunc agere satago: hoc est quod pro vice mea his in scriptis offero. Porro quantùm proficiam vel obero, prorsus in incerto fluctuat animus. Novi publicos hominum mores: novi quanta judiciorum sententiarùmque veritas. Novi quòd implacabiles indomabilesque regnant in quorumdam cordibus affectiones, quantùm vigeat in eorum linguis obloquendi libertas effrænis: qualiter in operibus persequendi bonos ferox licentia deseviat: novi deinde quàm paucorum est, bona & solicita fide, quæ Jesu Christi, non quæ sua sunt, quærere. :.. Oblatrabunt scio; si ad quosdam scripta hæc delata fuerint, ferentes indigne, imò pro scelere vel mutabilitate deputantes; quod pacem Jacobitarum videar optasse, aut pro eâ verbum scriptùmve fecisse: sed libera voce fatebor, nec illud unquam pudori deputabo, me nunc & priùs olim semper dum modestè volui vel optavi, reconciliationem ipsorum in mediis etiam litibus optavisse. Pereant qui de matris aut mystici corporis fœda mutilatione gloriantur, qui non sanationi student, sed medelam quærentibus crudeliter irascuntur, & qui ad divisionem magis quàm pulcherrimam unionem dæmoniaca impietate pelluntur: quorum persecutio, si pergunt in pacificos unitatis amatores furere, spernenda est, & generosa virtutis pede calcanda, hoc proviso ne damnosum inde nascatur in Universitate vel Republica scandalum. De hoc *Joannis de Montesono* negotio pluribus agunt Author Vitæ *Clementis VII.* & San…nysianus Monachus, in Historia MS. *Caroli VI.* libro VIII.

SCHOLION I.

In hoc Articulo Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Dominicani, Generalis Mandato prohibiti, nolunt subscribere Censuræ Montesoni, & ideo ejiciuntur ex Universitate, pessimæ causæ defensores.*

R. Rem gestam sincerè & absque præjudiciis refero. Defensionem (inquam) *Montesoni* suscepit Generalis … Ordinis Magister, pessimæque causæ defensionis Ordinem obstrinxit: Quam ob causam nostri Censuræ subscribere nolentes, è sacræ Facultatis gremio ejecti sunt, & ultra vigesimum quintum annum ab ea mansere segregati, ut *Gersonius* in Epistola ad Studentes Navarrici Collegii testatur. Meræ facti quæstio est, de quâ *Odoricus Raynaldus* in Annalibus Ecclesiasticis ita scribit ad annum 1387 Num. 14 *Excitata est Parisiis hoc anno gravissima controversia inter Academiæ Parisiensis Doctores & Dominicanos, cùm Joannes à Montesono nonnullas Propositiones, quibus Beatam Virginem conceptam in peccato originali contendebat, tuendas suscepisset; ex quo in Galliis magna Dominicanis ipsis conflata invidia est. Rem verò gestam Clementis Vitæ Scriptor pluribus enarrat.* Tomum XVII Annalium Odorici Raynaldi, in quo hæc scripta, approbavit Reverendissimus Sacri Palatii Magister *Raymundus Capisucchus* Dominicanus, postmodum S. R. E. Cardinalis.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 513. Edit. primæ Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Est hæresis asserere, ad solum Papam pertinere declarare, damnare, & reprobare aliquam doctrinam.*

R. Hæc *Petri de Alliaco* Theologi Parisiensis, postea Cameracensis Episcopi & S. R. E. Cardinalis Censura est, à me historicè relata, non dogmaticè ibi asserta. Verba illius sunt in Tractatu contra *Joannem de Montesono*, non mea.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 514. Edit. primæ hanc Narrationem reprehendunt: *Cum dedecore propositiones Montesoni de Conceptione Beatæ Virginis defendit quidem Episcopus noster.*

R. Damnatis *Joannis de Montesono* Propositionibus, cum magno sui, Ordinisque Prædicatorum, ex quo assumptus fuerat dedecore patrocinatum fuisse *Guillelmum de Valone* Ebroicensem Episcopum, & ad palinodiam recantendam coram Rege, ac Regii Sanguinis Principibus, virisque Sacri Consistorii primariis, Rectore Academiæ, ac Deputatis quatuor Facultatum, compulsum commemoro, & Retractationis instrumentum profero. Historiæ res est, quam supprimere non debui pro ea quam profiteor sinceritate.

SCHOLION IV.

In eodem Articulo, pag. 515. Edit. primæ, hanc rursus narrationem carpunt Religiosi Censores: *Imprudenter Ordo noster oppugnavit Sententiam de immatulata Conceptione B. Virginis, & Generalis nostros coëgit ne Censuræ subscriberent.*

R. Candorem Scriptore Ecclesiastico dignum exhibui in hoc Historiæ Capite recensendo. *Piam (inquam) de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione sententiam eloquentia sua & auctoritate in Aula egregiè tuitus est Ferricus Cassinellus*

nellus, Amstelodamensis Episcopus, & deinde Romanensis Archipræsul, Regique persuasit ut FF. Prædicatores ad publicam devotionem flecteret. Sed Magister & Procurator Ordinis Joannis de Montesono causam imprudenter susceperunt, & auctoritate sua effecerunt, ne homines nostri Censuræ Sacræ Facultatis subscriberent, falsò arbitrati S. Thomæ doctrinam Academiæ & Episcopi Parisiensis Judicio petitam. Meta facti quæstio est. Illosne Christianæ prudentiæ Regulas sequi putant RR. Censores, qui piam opinionem in quam propendet maximè, & cui impensè favet Ecclesia, qui publicam devotionem Fidelium impugnant; & hujusmodi facto sive hac agendi ratione, quæ Deo & hominibus displicet, scandalumque parit, publicum odium in Ordinem suum aliàs Ecclesiæ tam utilem, concitant? Id autem à me commemoratum est, ne Fratres nostri eorum, qui Joannis de Montesono opinionem contra piam & communem Sententiam de Immaculata B. Virginis Mariæ Dei Matris Conceptione pertinaciter propugnarunt, imprudentiam imitentur aliquando. Quicquid enim ea de re senserit S. Thomas, certum est ex eodem Angelico Doctore *Magis standum esse Auctoritati Ecclesiæ, quàm auctoritati Augustini vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris: quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet.* Quamobrem & S. *Thomæ* doctrinæ atque opinioni præponendam opinionem in quam propendet & cui favet Ecclesia, præponendam publicam fidelium devotionem, quæ est *Spiritus pietatis* Sancto est, ex ejusdem Angelici Doctoris Principio colligitur. Cùm igitur *Vetus sit Fidelium Christi erga ejus Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sentientium ejus Animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia & privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus Filii, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præservatam, immunem, atque in hôc sensu ejus Conceptionis Festivitatem solemni ritu colentium & celebrantium*, crevitque horum numerus atque hujusmodi cultus post editas à Sixto Quarto in ejus commendationem Apostolicas Constitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit. Cùm aucta rursus & propagata fuerit hæc pietas & cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine approbantibus Romanis Pontificibus, Monasteria Religiosorum Ordinum & Confraternitates ac Indulgentias, *Ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc Sententiam, jam fere omnes Catholici eam complectantur*, ut loquitur *Alexander Septimus* in Constitutione quæ incipit, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*: Author sum Fratribus meis Prædicatoribus, ut depositis antiquæ & jam antiquatæ opinionis præjudiciis, cujus tenebras Spiritus Sanctus dispulit (etsi nondum ita plenè ac perfectè ut quæstio ista sit in Fidei luce per divinam revelationem Ecclesiæ factam constituta) communem, piam, & Ecclesiasticam Sententiam ac devotionem erga Immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem amplectantur, prædicent ac propagare studeant.

S. Thomas Secunda secundæ, Quæst. 10. Art. 12.

CAPUT IV.

De Scriptoribus præcipuis XIII. Seculi.

ARTICULUS I.

De Niceta Choniate, Saxone Grammatico, Dodechino, Helinando, Petro de Valle Cernaii, Gunthero, Arnoldo Lubecensi, Ottone à S. Blasio, Gervasio Tilberiensi, Guillelmo de Seliniaco, Gervasio Dorobernensi, & Radulpho de Diceto.

NICETAS ACOMINATUS à Patria *Choniates* appellatus, Magnus Logotheta Secretorum, Inspector & Judex Veli, ac Præfectus Sacro Cubiculo fuit, ineunte XIII. Seculo. Libris XXI. Historiam annorum LXXXV. complexus est, ab obitu *Alexii Comneni* Imperatoris, ubi desierat *Zonaras*, usque ad annum millesimum ducentesimum tertium. Editi sunt ex Typographia Regia cum aliis Byzantinæ Historiæ Scriptoribus. Ejusdem Authoris libri v. *Thesauri Orthodoxæ Fidei* ex naufragio reliquorum ejusdem argumenti superstites, in Bibliothecis Patrum editi. Fratrem habuit *Michaelem Choniatem*, Athenarum Archiepiscopum, qui in ejus funere Monodiam scripsit.

II. *SAXO GRAMMATICUS*, Roschildensis in Dania Ecclesiæ Præpositus, Historiam scripsit libris XVI. in qua non pauca esse fabulosa, *Scaliger* lib. de Emendatione Temporum observavit. Nec tamen tantus est fabulator, inquit *Vossius* lib. II. *de Historicis Latinis* c. LV. ac nonnullis videtur, qui eum nullo habent loco. Dictio ejus tersa est & elegans. Perduxit Historiam usque ad tempora *Philippi* Cæsaris, sub quo non inglorius vivebat. Ejus meminit Vita *S. Guillelmi* Roschildensis Abbatis ab ejus discipulo scripta; missúmque Parisios testatur, ut *Guillemum* ipsum, & alios ex Abbatia *S. Genovefæ* Canonicos Regulares Danorum Ecclesiæ impetraret.

III. *DODECHINUS*, Germanus, Abbas Cœnobii *S. Dysibodi*, scripsit Historiam Sanctam, sive de peregrinatione in Palestinam, & Appendicem ad Chronicon *Mariani Scoti* ab anno MLXXXIV. usque ad annum MCC. Unde falsus est *Trithemius*, qui ipsum sub *Conrado III.* anno MCXL. floruisse scribit.

IV. *HELINANDUS*, Monachus *Frigidi Montis*, Ordinis Cisterciensis, in Diœcesi Bellovacensi, Historiam ab orbe condito usque ad annum millesimum ducentesimum scripsit, libris XLVIII. ex aliis pro more illorum temporum nullo ferè delectu defloratam. Ejus cum laude meminere *Vincentius Bellovacensis*, Speculi Historialis lib. XXIX. cap. CVIII. *S. Antoninus* III. P. Chronicorum Tit. XVIII. Cap. 5. *Albericus* Trium Fontium Monachus, & Magni Chronici Belgici Author, qui sæpius ex illius fonte hausere; præcipuè *Vincentius Bellovacensis*, qui ex floribus sive sententiis ipsius sertum quoddam adornavit loco laudato, cui hanc imposuit coronidem, *Expliciunt flores Helinandi Monachi, viri boni, religiosi, honesti & sancti, ac vità præcipui.* Quatuor postremi duntaxat ipsius libri supersunt, quos ex MS. *Frigidi Montis*, cum ejusdem Sermonibus, & Epistola ad *Galterum*, *De Reparatione Lapsi*, edidit P. *Bertrandus Tissier*, Tom. VIII. *Bibliotheca Cisterciensis*. Scripsit etiam Martyrium *S. Gereonis*, & Sociorum, Sanctorúmque *Victoris*, *Cassii*, *Florentii*, & *aliorum*. Lege apud *Surium*, ad diem x. Octobris. Commentarium *Helinandi* in Apocalypsim MS. reperiri in Abbatia *Longipontis* O. C. monet P. *Labbeus*: sed alterius esse cognominis, ejusdem tamen Ordinis Monachi *Tissierius* observat.

V. *PETRUS*, Monachus *Vallis Cernais*, Ordinis Cisterciensis, in Parisiensi Diœcesi, *Guidonis* ejusdem Cœnobii Abbatis, postea Carcassonensis Episcopi, unius è XII. Abbatibus, quos ad Albigensium hæresim expugnandam, *Innocentius III.* misit, nepos & comes, istius Hæreseos, & belli sacri in Hæreticos Duce *Simone* Comite Monfortio suscepti accuratè scripsit Historiam, & *Innocentio III.* Pontifici Maximo dicavit. Edita est Tom. V. Historicorum Francorum *Francisci Duchesnii* & Tom. VIII. *Bibliotheca Cisterciensis*.

VI. *GUNTHERUS*, Monachus Ordinis Cisterciensis, in Cœnobio Parisiensi, non Regiæ Gallarum urbis, sed altero Diœcesis Basileensis, scripsit Historiam Constantinopolitanam de sui temporibus

bus quibus à *Balduino* capta Constantinopolis est. Quæ scripsit, à *Martino* Abbate, qui expugnationi Urbis interfuit, se accepisse profitetur. Edita est à *Canisio*, Tom. v. Antiquæ Lectionis.

VII. *ARNOLDUS* Hildesheimensis Præpositus, & postea Lubecensis Abbas, Chronico Sclavorum, cujus author est *Helmoldus* Presbyter, Supplementum addidit; quod Opus dicavit *Philippo*, Raceburgensis Ecclesiæ Antistiti. Floruit *Philippi* Cæsaris, & *Ottonis IV*. Romanorum Regis temporibus. In rebus Sclavonicis fide dignum, non ita in iis quæ de Italiæ, Siciliæ, Græcorúmque rebus, adnectit, censet *Vossius* lib. II. *De Historicis Latinis*, cap. LV.

VIII. *OTTO A SANCTO BLASIO*, Cœnobii *Sancti Blasii*, Ordinis Benedictini, in Diœcesi Constantiensi; juxta Albam fluvium Hercyniæ Sylvæ, Monachus, ad Chronicon *Ottonis Frisingensis* Appendicem adjecit, quam ab anno MCXLVI. perduxit usque ad annum MCCX. Inter Illustres Rerum Germanicarum Scriptores edidit *Christianus Urstisius*. Composuit etiam *Chronica* prima: quibus genealogias omnes Sacræ Historiæ usque ad Timotheum & Titum Pauli discipulos complexus est. Quod Opus MS. extare Basileæ, *Vossius* testatur.

IX. *GERVASIUS TILBERIENSIS*, ita cognominatus à Tilburia sive Tilberia, quod oppidum est in Anglia, in litore Thamesino situm, *Henrici II*. Anglorum Regis nepos, Arelatensis ditionis Mareschallus, Historiam Britannicam *Galfridi Monemutensis* illustravit. Præterea scripsit Historiam Terræ Sanctæ, De Burgundionum Origine, Mirabilia Orbis, Chronicon cui titulus, De Otiis Imperialibus, *Ottoni IV*. Imperatori dicatum, quod MS. Cantabrigiæ in Collegio *Sancti Benedicti* servari, testatur *Vossius* lib. II. *De Historicis Latinis* cap. LVI. Reliquit & Tripartitam Angliæ Historiam, quam *Balaus* digessit in tres columnas, atque inde *Tricolumnium* inscripsit.

X. *GUILLELMUS* è castro *Seliniaco*, in territorio Antisiodorensi oriundus, unde & ipsi cognomen, è nobili genere *Sancti Bernardi* Claraevallensis Abbatis procreatus, matrem habuit sanctitate conspicuam, fratrem Manassen, Aurelianensem postea Episcopum. Archiepiscopatu Senonensi & Nivernensi Episcopatu singulari modestia recusatis, Autisiodorensi Ecclesia, cujus Decanus erat, vacante, Episcopus electus, ejus regimen, Deo volente, suscepit. Ipsius curis ac favori hæc Ecclesia debet Immunitatem ab onere Regaliæ, quam à *Philippo Augusto* Rege Christianissimo impetravit, anno millesimo ducentesimo-sexto, ut constat ex Historia Episcoporum Autisiodorensium, edita Tom. I. Bibliothecæ Novæ MSS. Librorum à P. *Labbe* S. J. ubi & alia ipsius gesta celebrantur, Cap. LIX. Cùm annos tredecim & dimidium Autisiodori sedisset, ad Parisiensem Episcopatum translatus est invitus, & *Honorii III*. Romani Pontificis jussu, illius Ecclesiæ administrationem suscepit. Scholasticos, qui Jurisdictionem Episcopi & Cancellarii Parisiensis excutere volebant, & absque ipsorum auctoritate sibi Statuta condere, coërcuit. Tres annos & dimidium Parisiensem rexit Ecclesiam. Obiit Novembri mense, die *Sancto Clementi* sacra, anno millesimo ducentesimo vigesimo tertio. Corpus ejus Pontiniacum delatum, ibique in Sacello *Sancti Thomæ* Martyris conditum est. *Summâ Theologicâ* celebre inter Ecclesiasticos Authores nomen est consecutus.

XI. *GERVASIUS MELKELAIA*, Dorobernensis, sive Cantuariensis, Ordinis Benedictini Monachus, sub Rege Anglorum *Joanne* claruit. Historiæ patriæ fuit intelligentissimus. Transmisit ad posteros Tractatum de combustione & reparatione Dorobernensis Ecclesiæ, Imaginationes de Discordiis inter Monachos Cantuarienses, & Archiepiscopum *Baldewinum*, Chronica de temporibus Regum Angliæ, *Stephani*, *Henrici II*, & *Richardi I*. & Vitas Dorobernensium Episcoporum. Edita sunt hæc illius Opera inter antiquos Anglicæ Historiæ Scriptores à *Rogerio Twysden*.

XII. *RADULPHUS DE DICETO*, Londinensis Ecclesiæ Decanus, sub eodem Rege de Historia præclarè meritus est. Abbreviationes Chronicorum, Imagines Historiarum, aliáque scripsit. Plurima ex *Eadmero* ipsum deflorasse, observavit *Seldenus*, Præfatione in *Eadmerum*.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 524. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Autisiodorensis Ecclesia libera est ab onere Regaliæ, quia id à Rege impetravit.*

R. *Guillelmum de Seliniaco* Autisiodorensem Episcopum hanc Immunitatem à *Philippo Augusto* impetrasse observavi. Mero facti Quæstio est, cujus veritas constat ex Historia Episcoporum Autisiodorensium, edita Tom. I. Bibliothecæ Novæ MSS. librorum à *P. Labbe* S. J. Professore.

ARTICULUS II.

De Beato Jordano, Cæsario Heisterbacensi, Rigordo, Sancto Francisco, Sancto Antonio Patavino, Conrado à Liktenavv, Gaufredo de Bello-Loco, Roderico Ximene, Luca Tudensi, Sancto Edmundo, Jacobo de Vitriaco, Alexandro Halensi, & Joanne à Sancto Ægydio.

BEATUS JORDANUS, è Saxonia, vel, ex Moguntina Diœcesi, ut *Trivettus* in Chronico testatur, nobili genere oriundus, Theologus Parisiensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum Professor ac fœlicissimus propagator, ejusdem Ordinis post *Sanctum Dominicum* Generalis Magister electus est in Comitiis Parisiensibus anni MCCXXII. cùm tres annos in Ordine nondum complevisset. *Sancti Dominici* Translationem anno MCCXXXIII. procuravit, die XXIV. Maii, & de Translationis hujus historia misit encyclicas literas ad omnes Conventus, quas refert *Bzovius* noster ad eumdem annum, Num. v. Post Generalissima Comitia Parisiis anno MCCXXXVI. celebrata, Hierosolyma pergens, ut Loca Sancta, & Ordinis Conventus in Palæstina & Syria constitutos visitaret, irruente tempestate, cum duobus Sociis, aliísque quamplurimis submersus est. Ejus sanctitas miraculis post obitum est illustrata. Duo refert celebratissima *Trivettus* in Chronico, ad annum MCCXXXVIII. Corpus ipsius in Conventum Acconensem Fratrum Prædicatorum delatum, ibique honorificentissimè conditum est. Ejus Acta ea Vitis Fratrum Prædicatorum, jussu *Humberti*, ejusdem Ordinis Generalis Magistri V. à F. *Gerardo Fracheto*, Lemovicensi, Provinciæ Franciæ Provinciali conscriptis, *Bollandus* edidit ad diem XIII. Februarii. Ex iisdem *Beati Jordani* Vitam collegit *Leander Albertus* lib. I. De Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum, quam & apud *Surium* legere est. De eodem Beato Viro legendi

 Theodoricus

Theodoricus de Appoldia, in Vita *Sancti Dominici*, Cantipratanus lib. II. *De Apibus*, cap. XVI. *Bernardus Guido* in Commentario MS. de Rebus Ordinis, *Ptolomæus Lucensis* lib. 21. Historiæ Ecclesiasticæ c. 26. *Sanctus Antoninus* 112. P. Chronici Tit. 23. c. 9. *Susatus*, & *Antoninus Senensis* in Chronicis Ordinis, *Ambrosius Taegius* prima & quinta parte Monumentorum Ordinis, *Antonius Flaminius* lib. II. & III. Vitæ *Sancti Dominici*, *Michael Pius* lib. I. Virorum Illustrium Ordinis Prædicatorum. Ipsius cum laude meminit *Matthæus Paris* in Historia Anglicana ad annum MCCXXXVI. De ipso denique legendus *Malvenda* noster in Annalibus, maximè ad annum MCCXXXVII.

Scripsit librum *De Initio Ordinis Fratrum Prædicatorum*, Epistolas plures ad Fratres, Sermones. Commentarios etiam in Apocalypsim, in Priscianum minorem, & alia quædam ad Grammaticam spectantia scripsisse commemorant Philippus Bergomensis in Supplemento Chronicorum, Trithemius, Eisengrenius, Possevinus, Susatus in Chronico Ordinis, Leander Albertus, Gerardus-Joannes Vossius lib. II De Historicis Latinis Cap. LVII. *Nicolaus Trivettus* in Chronico ad annum MCCXXII. de ipso ita scribit: *Cùm Parisius in scientiis secularibus, & præcipuè in Mathematicis magnus haberetur, libros duos admodum utiles, unum de ponderibus, & alium de lineis dicitur edidisse: postea ad studium Theologiæ se transferens, tandem ad Prædicationem Fratris Reginaldi, Ordinem Prædicatorum ingressus, die Cinerum, dum Fratres illam Antiphonam*, Immutemur habitu, *decantarent*.

II. *CÆSARIUS HEISTERBACENSIS*, Ordinis Cisterciensis Professor, ac Prior Villariensis Monasterii in Brabantia, floruit anno MCCXXII. Libros duos edidit in illud, *Signum magnum apparuit in cælo*, Homilias de Infantia Salvatoris, quosdam Sermones, libros tres de Vita *Sancti Engelberti* Coloniensis Archiepiscopi, qui extant apud *Surium* ad diem VII. Novembris, & Dialogos duodecim de Illustribus Miraculis. Hos adornavit jussu Heisterbacensis Abbatis sui, & consilio Abbatis *Loci-Sanctæ Mariæ*. Sinceritatem Authoris hæc verba probant in Præfatione: *Testis est mihi Dominus, nec unum quidem Capitulum in hoc Dialogo me finxisse. Quod si aliqua fortè aliter sunt gesta, quàm à me scripta: magis eis videtur imputandum esse, à quibus mihi sunt relata.* Editi sunt à P. B. *Tissierio* Tom. II. *Bibliotheca Cisterciensis*.

III. *RIGORDUS*, *Philippi Augusti* Galliarum Regis *Physicus* * & Chronographus, Sandionysiani Monasterii Clericus, *Philippi* ejusdem Gesta literis commendavit, Opúsque decennio elaboratum dicavit *Ludovico* Regi post obitum Patris, cui successit anno MCCXXIV. Tom. V. Veterum Historiæ Franciæ Scriptorum à *Francisco Duchesnio* editum est.

* Sic ea ætate Medici vocabantur.

IV. *S. FRANCISCUS ASSISIAS*, vir Apostolicus, Christi Crucifixi spirans effigies, *Celsa humilitate conspicuus*, *Christiani orbis fulcimentum*, *Ecclesiæ Reparator*, Ordinis Fratrum Minorum Patriarcha, in cœlum evolavit IV. Nonas Octobris, anno Christi MCCXXVI. ætatis XLIV. altero post obitum anno à *Gregorio IX.* Pontifice Maximo in album Sanctorum relatus. Simplicibus verbis, sed divino Spiritu, Regulas, Collationes, Epistolas, Orationes pussimas, aliáque Opuscula, ac demum Testamentum scripsit. De his consuli potest *Vvadingus*. Tom. I. Annalium & in Bibliotheca Ordinis Minorum.

Gregorius IX. in Epitaphio ipsi apposito.

V. *S. ANTONIUS*, Lusitanus, Ulyssiponensis, *De Padua* ex sepulturæ loco nuncupatus, ex Canonico Regulari *Sancti Augustini*, Ordinis Fratrum Minorum Professor, primus Sacras Literas Seraphici Parentis mandato apud suos docuit; Sacras Conciones, & Concordantias Morales Sacræ Scripturæ transmisit ad posteros. Ipsum *Gregorius IX.* olim *Arcam Testamenti* appellavit. Ad vitam migravit immortalem die XIII. Junii, anno MCCXXXI. A *Gregorio IX.* Sacris Fastis adscriptus est anno ab ejus obitu nondum expleto.

VI. *CONRADUS A LIKTENAVV*, vir nobilis, Præmonstratensis Ordinis Professor, Urspergensis Abbas ad Mindulam, in Diœcesi Augustana, Chronicon à *Belo* primo Assyriorum Rege ad annum nonum *Friderici II.* Imperatoris, id est, Christi MCCXXIX. ex variis Authoribus consarcinavit. Vivere desiit anno millesimo ducentesimo quadragesimo.

VII. *GAUFREDUS DE BELLO LOCO*, Ordinis Fratrum Prædicatorum Professor, *Ludovico IX* Galliarum Regi Sanctissimo à Confessionibus, Vitam ipsius literis mandavit. Edita est ex MS. Fratrum Prædicatorum Ebroicensium à *Francisco Duchesnio* Tom. V. Veterum Scriptorum *Historiæ Francorum*. Alterum librum de Vita ac Miraculis ejusdem sancti Regis addidit *Guillelmus Carnotensis* ejusdem Ordinis, qui ipsius Majestati fuerat à Sacris. In eodem argumento stylum exercuit *Joannes* Toparcha *Jonvilla*, qui Sancto Regi annis adhæsit *XXII*.

VIII. *RODERICUS XIMENES*, Navarrus, anno millesimo ducentesimo octavo Toletanus Archiepiscopus creatus est. Adfuit Concilio Oecumenico Lateranensi IV. magnamque eruditionis suæ, variarum linguarum peritia & usu ornatæ concitavit admirationem. Auctoritate & gratia, qua plurimùm valebat apud *Alphonsum* Castellæ Regem, effecit ut Toletanam Ecclesiam multorum oppidorum ditione augeret; & Toletanum Archipræsulem jure perpetuo Regni Cancellarium diceret. Obiit anno 1245. *Horta*, quod Cisterciensis Ordinis Cœnobium est, honorificè conditus, cum hac inscriptione: *Mater Navarra, nutrix Castella, Schola Parisius, Sedes Toletum, Hortus Mausoleum, Requies cælum.* Libros novem scripsit de Rebus Hispaniæ, ab Herculis in eas regiones adventu ad tempora *Ferdinandi III.* His subjunxit Ostrogothorum, Suevorum, Alanorum & Vvandalorum compendiosam Historiam. Scripsit denique Historiam Arabum ab exordio & origine Mahumetis. Hunc *Historicum esse bonum, quantum potuit in tali ævo*, censet *Justus Lipsius* lib. I. Politicorum cap. 9. Ejus cum laude meminerunt Vasæus in Chronico Hispaniæ, cap. IV. & *Joannes Mariana* lib. XI. Historiæ, cap. XXI. Edita sunt *Roderici Ximenis* Opera Tom. II. *Hispaniæ Illustratæ*.

IX. *LUCAS* Tudensis Episcopus, patria Legionensis, *Gregorio IX.* Pontifici Maximo familiaris, claruit anno millesimo ducentesimo trigesimo-quinto. Scripsit libros tres adversùs Albigenses, editos primùm à *J. Gretsero*, S. J. Theologo doctissimo, deinde in Bibliotheca Patrum. Scripsit etiam Chronicon, jussu *Berengariæ* Hispaniarum Reginæ, ab origine mundi usque ad Æram MCCLXXIV. Editum est Tom. IV. *Hispaniæ Illustratæ*. Lucæ Tudensis corpus Tudæ conditum juxta sepulchrum B. *Petri Gonsalvi* ex Ordine Fratrum Prædicatorum, quem vivens coluerat, prout supremis tabulis jusserat.

X. *S. EDMUNDUS*, cognomine *Virgo*, in Oxoniensi Facultate Doctor Theologus, Cantuariensis Archiepiscopus & Angliæ Primas, illi Ecclesiæ præfuit ab anno MCCXXXIII. ad diem decimam sextam Novembris anni MCCXL. quo in Gallus, in Soisiacensi domo Canonicorum Regularium obiit.

obiit. Corpus ejus in Pontiniacense Monasterium Ordinis Cisterciensis delatum. Ab *Innocentio IV.* Pontifice Maximo, Sanctorum albo adscriptus est anno MCCXLIX. Idibus Janouarii. Ejus Acta scripsere *Robertus Richius*, & *Robertus Bavonus* ejus discipulus. De ipso etiam legendi *Vincentius Bellovacensis*, lib. XXXI. cap. LXVII. *Nicolaus Trivettus* in Chronico ad annum MCCXL. *S. Antoninus* III. P. Chronicorum Tit. XIX. Cap. X. *Surius* Tom. VI. *Petrus* in Catalogo lib. X. cap. LXIII. Librum piissimum composuit, quem inscripsit, *Speculum Ecclesiæ*. Editus est in Bibliotheca Patrum. Fratrum Prædicatorum Ordinem dilexit, cujus Professores aliquos semper familiares habuit & comites, teste *Nicolao Trivetto*.

XI. *JACOBUS DE VITRIACO*, Argentolii ad Sequanam Presbyter, ex Canonico Regulari Ogniacensi, Acconensis Episcopus in Palæstina, deinde Cardinalis Episcopus Tusculanus à *Gregorio IX.* creatus, & Legationibus Apostolicis in Galliis & Terra Sancta perfunctus, obiit Romæ, pridie Kalendas Maii, anni MCCXLIV. corpus ejus in Cœnobium Ogniacense, ad *Sabin* fluvium relatum est. Scripsit libros tres Historiæ Orientalis & Occidentalis, quorum Præfationem apud *Canisium* Tom. VI. Antiquæ Lectionis legere est; Vitam *S. Mariæ Ogniacensis*, Conciones in Evangelia & Epistolas totius anni. Ejus cum laude meminere *Vincentius Bellovacensis*, lib. XXX. Speculi Historialis cap. X. *S. Antoninus*, P. III. Tit. XXIV. cap. VII. §. I. *Jacobus Bergomas* in Supplemento, *Trithemius*, & *Henricus de Gandavo*, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, &c.

XII. *ALEXANDER HALENSIS*, Anglus, ab *Hales* Monasterio Comitatus Claudiocestrensis cognominatus, vir pietatis eximiæ, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, *S. Bonaventuræ* Præceptor, Ordinis Fratrum Minorum lumen: ab iis *Fons vitæ*, *Doctor Doctorum*, & *Irrefragabilis* appellatus. Scriptis doctissimis nominis sui famam propagavit. Eorum indicem apud *Vuadingum*, in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum legere est, ex quo expungenda *Summa Virtutum*, & Commentarius in Metaphysicam. Delendus quoque ex ejus Elogio perperam affictus ipsi titulus Præceptoris *S. Thomæ*. Lege Collationem Dominicani cum F. Minore, *De Titulo Præceptoris S. Thomæ ex Elogio Alexandri Halensis expungendo*, inter Apologetica pro *S. Thoma* Opuscula à nobis editam anno vertente MDCLXXIX.

XIII. *Alexandro Halensi*, coævus fuit *JOANNES DE S. ÆGIDIO*, ex Anglia pariter oriundus, Theologus Parisiensis, qui in hocce Parisiensi Fratrum Prædicatorum ad S. Jacobi Conventu *Sermonem faciens ad Clerum, cùm suasisset paupertatem voluntariam, ut verba sua exemplo confirmaret, descendens de Ambone, habitum Fratrum recepit, & in eodem regressus, ad Clerum Sermonem explevit. Occasione ejus habuerunt Fratres duas Scholas* (sive duas Cathedras Theologicas) *infra septa sua, resumente eo lectiones suas post Ordinis ingressum, ad importunam instantiam auditorum. Suavissimus quippe Moralizator erat, ut satis considerare poteris, qui libros ejus inspexerit, manu propria emendatos. Fuit nihilominus in arte Medicina expertissimus, utpote qui jam Parisius, quàm in Montepessulano rexerat in eadem. De ejus curis & prognosticationibus multa referuntur admiranda.* Verba sunt *Nicolai Trivetti* in Chronico ad annum MCCXXII.

ARTICULUS III.

De Bartholomeo Brixiano, Guillelmo Parisiensi, Roberto de Sorbona, Matthæo Paris, Vincentio Bellovacensi, Hugone de Sancto Caro, Petro de Tarentasia, Alberto Stadensi, Joanne Columna, Humberto de Romanis, Gerardo Fracheto, Pantaleone, & Anonymo Scriptore Annalium Colmariensium.

I. *BARTHOLOMÆUS BRIXIANUS*, Jurisconsultus & Historicus celebris, *Gregorio IX.* Pontifici Maximo familiarissimus, unus ex comitibus *Sancti Dominici*, cùm Brixiam veniret, anno MCCLVIII. patriâ ab *Actiolino* tyranno occupatâ, pro libertate fortiter occubuit, anno ætatis octogesimo quarto. Commentarios Juris, & Chronicon de Urbibus Italiæ transmisit ad posteros. Ejus cum laude meminere *Volaterranus* lib. XXI. *Trithemius* in Catalogo Scriptorum Illustrium, *Philippus Bergomas* Supplementi Chronicorum lib. XII. ad annum 1240. *Vossius* lib. II. *De Historicis Latinis*, cap. LVII. &c.

II. *GUILLELMUS ALVERNUS* à patria cognominatus, Aureliacensis, Theologus Parisiensis, ejusdémque Regiæ Urbis erectus Episcopus anno MCCXXVIII. obiit feria tertia majoris hebdomadæ anno 1248. & in Abbatia *Sancti Victoris* sepultus est. Doctissimis Operibus nomen suum celebravit religiosissimus Archipræsul; quorum indicem *P. Labbæus* in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis exhibet. A *Nicolao de Braia*, in Carmine heroïco de gestis *Ludovici VIII.* Regis, *Alberico* in Chronico, *Thoma Cantipratano* lib. I. de Apibus, cap. 19. & II. cap. 55. *Trithemio* in Catalogo Scriptorum Illustrium, & *Gersonio* in Epistola ad Studentes Navarræ, commendatur. Ipsius non sunt Dialogi septem de Sacramentis, sub ejus nomine Lipsiæ anno MDXXII. & Lugduni MDLXVI. editi. Illorum enim Author ex Scriptis *F. Thomæ*, & *Petri de Tarento*, seu *de Tarentasia*, qui *Guillelmo* Parisiensi posteriores sunt, sua se deflorasse profitetur. Istud Opus alteri *Guillelmo* Parisiensi Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui ante annos trecentos scribebat, tribuit *Theophilus Raynaudus* in Erotematis.

Dialogi 7. de Sacramentis, non sunt Guillelmi Parisiensis Episcopi.

III. *ROBERTUS DE SORBONA*, à natali vico ita cognominatus, Suessionensis primùm, deinde Parisiensis Canonicus, Collegii Sorbonici anno MCCLII. aut sequenti conditor, cujus Theologi, *Pauperes Sorbonici*, ad hæc usque tempora nominati sunt. Ludovico IX. Regi Francorum Sanctissimo gratus imprimis & familiaris, Jonvillæo teste: Tractatus quosdam scripsit, de Conscientia, de Confessione, de itinere Paradisi, quibus ejus animi pietas magis quàm facundia elucet. Obiit anno circiter MCCLXX. aut certè ante annum MCCLXXIV. Ejus Testamentum exquisitis Observationibus suis in Historiam *Sancti Ludovici* à *Jonvillæo* scriptam inseruit Vir Clarissimus *Carolus du Fresne*, Dominus *Du Cange*. De eodem legi potest *Breullius* lib. II. Antiquitatum Parisiensium, & *Stephanus Pasquierius*, lib. VII. Disquisitionum, cap. XV.

IV. *MATTHÆUS PARIS*, Anglus, Albanensis Monachus Ordinis Benedictini, nomen suum ab oblivione vindicavit, scribendo Historiam Anglicanam, ab anno MLXVI. usque ad annum MCCLIX. quo vivere desiit. Quæ deinde sequuntur

quuntur usque ad annum ultimum *Henrici III.* id est, MCCLXXIII. ab alio addita sunt, quem plérique arbitrantur fuisse *Guillelmum Rishanger*, ejusdem Cœnobii Monachum. Scripsit idem *Paris* Historiam minorem, qua pressiùs & breviùs ea narravit, quæ prolixiùs in Historia majori prodiderat; item Additamenta ad Historiam, quæ sæpius laudat *Matthæus Westmonasteriensis*, Vitas aliquot Sanctorum, & Albanensium Abbatum Gesta. De hoc Historico ita censet doctissimus Cardinalis *Baronius* ad annum nongentesimum nonagesimum sextum: *Quàm fuerit animo infensissimo erga Apostolicam Sedem, quivis facilè poterit intelligere: nisi probra illa fuerint additamenta ejus qui edidit. Quæ si quis demat, aureum sanè dixeris Commentarium, utpote quod ex publicis monumentis, totidem verbis redditis, egregie contextum, & coagmentatum inveniatur.* Quosdam locos in editione hujus Historici à *Matthæo Cantuariensi* procurata plurimùm sibi suspectos esse *Brianus Twinus* profitetur lib. III, de Antiquitate Academiæ Oxoniensis.

De Matthæo Paris judicium.

V. *VINCENTIUS*, cognomine vel natione Burgundus, Ordinis Fratrum Prædicatorum Professor, *Bellovacensis* Conventus alumnus, unde cognomen sumpsit, nusquam illius urbis Episcopus (quâ in re plurimi lapsi sunt Auctores) regnante *Sancto Ludovico* Francorum Rege, & sumptus suppeditante, ut ex *Trithemio* colligitur; non *Philippo Valesio*, ut scripsit *Sixtus Senensis*, *SPECULUM* quadruplex adornavit, & ex variis Auctoribus defloravit. *DOCTRINALE* de omni genere scientiarum tractat, à Grammatica incipit, in Theologia desinit. *HISTORIALE* ab orbe condito ad annum usque millesimum ducentesimum quadragesimum-quartum Historias complectitur. *NATURALE* est de natura rerum, situ locorum, & ratione temporum; in quo, ubi de temporibus agit, scribere se ista dicit anno MCCXLIV. *MORALE*, est de affectibus, de lege & gratia, de virtutibus & vitiis. Horum meminit *S. Antoninus* III. P. Chronici Tit. XXIII, cap. XI. §. II. & ipse plurima ex *Vincentii* Speculo Historiali suum in Chronicon derivavit.

Quo tempore obierit Vincentius Bellovacensis?

Negari non potest quin *Vincentius* Speculum Morale perfecerit, de quo in Operis sui Prologo Cap. XIX. scribit: *In tertia verò parte virtutes ac vitia describendo, non potui omnium librorum Moralium, etiam quos in promptu habebam, omnes flores in unum colligere; sed de multis pauca pro modulo meo eligere; alioqui oporteret volumen in immensum extendere.* Et cap. XVI. *Opus universum in 4. partes principales, tanquam in 4. volumina perfecta, & à se invicem separata distinxi. Quarum una continet totam Historiam Naturalem. Alia verò totam seriem Doctrinalem. Tertia totam eruditionem Moralem. Quarta totam Historiam temporalem.* Conjici tamen haud absque fundamento potest, Morale, quod nunc habemus Speculum, amisso priore *Vincentii*, loco illius fuisse suppositum; quia non ex multis collecta pars illa est, sed ex uno fere *Sancto Thoma*; quem tamen non laudat, cùm in aliis partibus Auctores appellet, quos exscribit. Quo anno migraverit è vita *Vincentius Bellovacensis*, non constat. Quidam anno 1256. alii 1261. nonnulli 1263. vel 1264. mortem ejus consignant. Ante annum 1259. non obiisse certum est, quo Epistolam consolatoriam ad Sanctum Ludovicum scripsit de morte filii ejus primogeniti Ludovici. Scripsit exinde Tractatum *De Eruditione Puerorum Regiorum*, jubente Margarita Regina Sancti Ludovici conjuge, urgente etiam *Philippo* Principe, cui nomen *Audaci*, ejusdem Sancti Regis filio tunc natu majore. Vincentii obitum post annum 1274. quo S. Thomas è vita migravit, consignandum conjicit

Non ex illo S. Thomas, sed ille ex S. Thoma Speculum Morale compilavit.

Quetifius Sodalis noster ex anno fundationis Conventus nostri Bellovacensis circiter 1230. vel 1233. cujus quidem Conventus Supprior fuisse videtur Vincentius anno 1246. ab Odone Legato Apostolico deputatus cum Guarino Archidiacono ad reformationem Fratrum Xenodochii Bellovacensis. Postea Theologiam docuit in Cœnobio Regalis Montis à Sancto Ludovico fundato, eodem sancto Rege jubente, quo munere adhuc fungebatur anno circiter 1260. Utut est, à Vincentio *S. Thomam* non esse mutuatum quæ de Moribus edisserit, sed *Vincentium* à *Sancto Thoma*, (si tamen ipsi non est suppositum illud quod nunc habemus *Morale Speculum*) omnino certum est, cùm se Compilatorem profiteatur in Prologo totius Operis, Cap. IV. *Quamobrem ergo nunc arguendus videor, quia multorum librorum florem quemdam atque medullam in unum volumen compegi, iterumque sub certis titulis ordine congruo redegi. Non autem hoc dico Sanctorum Patrum, vel etiam cæterorum Auctorum scriptis præsumptuosè derogando, meùmque jactanter & inaniter extollendo: præsertim cum hoc ipsum Opus utique meum simpliciter non sit, sed eorum potius ex quorum dictis fere totum illud contexui. Nam ex meo ingenio pauca, & quasi nulla addidi. Ipsorum igitur est auctoritate, meum autem solâ partium ordinatione.* Lege quæ ea de re scripsi in Opusculo quod inscribitur: *SUMMA S. THOMÆ VINDICATA*, cap. XVI. Denique *Vincentium Bellovacensem* ex coævorum etiam Auctorum scriptis hausisse plurima, ac sua fecisse, constat ex his ipsius verbis in Prologo, cap. III. *Interdum etiam ea quæ ipse vel à majoribus meis didici, vel in quorumdam Scriptis notabilia reperi, nomine meo, id est, Auctoris, intitulavi.* Quamobrem nemini mirum videri debet, si *Sancto Thoma* vivente, *Vincentius* ea usurpaverit, quæ de moribus Prima & Secunda Secundæ scripserat. Qua responsione satis fiet illis qui Morale Speculum, quale nunc habemus, *Vincentii Bellovacensis* esse contendunt. Non omnia ex Auctoribus excerpsit ipse, sed pleraque à nonnullis Fratribus excerpta suscepit, Operique suo inseruit, non eodem penitus verborum schemate, quo in originalibus suis jacent, sed ordine plerumque transposito; nonnumquam etiam mutatâ paululum ipsâ verborum formâ, manente tamen Auctoris sententia, ut profitetur in Prologo, Cap. X. ubi & hanc methodum à calumnia vindicat. Cap. XVIII. Prologi, humiliter se accusat, quòd aliorum curiositati morem gerens, in rerum naturalium tractationem nimiùm incubuerit. *Itaque*, inquit, *dum curiosis morem gerere volui, vitium curiositatis incurri. Etenim quod Medicorum est, promittunt Medici, tractant fabrilia fabri. Sic & ego tam sublimis Professionis homunculus, cujus scilicet totum studium & labor debet esse circa lucrum animarum intendere, etiam in hoc Opere debui præcipuè de his quæ ad Professionem meam spectant, insistere. De cæteris autem præcipuè quæ magis ad Medicinam corporis pertinent, si forsitan inciderent (sicut Doctoribus nostris mos est) breviter pertransire. Hoc est igitur quod licèt multis etiam è Fratribus placeat, eò quòd totum per quasdam rerum similitudines & integumenta figurarum, ad ædificationem morum referri valeat: super omnia tamen quæ continentur in hoc Opere mihi confiteor displicere. Non quòd illa quidem in se bona non sint, talsiumque studiosis utilia, sed quia Professionem meam (ut dixi) non decuit hujuscemodi rebus investigandis ac describendis tam diligenter insistere.* In quarta parte, scilicet in Speculo Historiali, nimium se fuisse fatetur in referendis Miraculis. *Vellem*, (inquit) *si fieri posset, de Sanctorum Miraculis rescidisse nonnulla.* Hoc Opus *novum est simul & antiquum, breve pariter & prolixum*

Vincentius Bellovacensis ingenuitas, ac de propriis Operibus judicium.

lixum. Antiquum auctoritate & materia : Novum partium compilatione, & earum aggregatione. Breve, propter multorum dictorum in breve perstrictionem : longum, propter immensam materia multitudinem (ut ait ipse Auctor.) Virum certè immensæ lectionis & variæ eruditionis fuisse *Vincentium Bellovacensem*, Opus istud testatur. Scripsit & alia, scilicet *De Gratia Dei*, sive *De Mysterio Redemptionis humana* libros quatuor ex dictis Patrum concinnatos, *De Laudibus B. Virginis Maria* librum unum ex Patribus collectum, & alterum *De Laudibus S. Joannis Evangelista : DE ERUDITIONE PUERORUM REGALIUM* ad *Margaritam* Reginam Franciæ, *Sancti Ludovici* conjugem ; *Consolatorium de morte amici*, ad *Sanctum Ludovicum* Francorum Regem, &c. De *Vincentio Bellovacensi* lege *Antonium* & *Sixtum Senenses*, & ante ipsos *Trithemium* Abbatem lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi ipsum commendat ceu *Virum in Divinis Scripturis studiosum & exercitatum, Veterum lectione divitem, ingenio subtilem, & sermone compositum : qui tantum literis studium adhibuit, ut nullis umquam laboribus, vigiliis vel occupationibus ab earum cultura potuerit avocari, quin semper aut legeret, aut scriberet, aut prædicaret. Tantus itaque fuit, ut post se necdum habuerit parem, si ardua quæ scripsit Opuscula ex multis laboriosè collecta, æqua lance cum cæteris ponderemus.*

Vincentii Bellovacensis elogium.

VI. *HUGO DE SANCTO CARO*, ex Barcinoneta * oppido Delphinatus, in valle quæ ad Ebrodunum vergit, oriundus, ex Doctore Theologo Parisiensi, & Provinciali Franciæ, primus Ordinis Fratrum Prædicatorum Cardinalis Tit. S. *Sabina* ab *Innocentio IV.* creatus, & Legationibus Apostolicis in Germania & Gallia præclarè functus, quem *S. Antoninus* III. P. Chronici Tit. XIX. c. 5. §. II. *Magnarum virtutum virum & valde literatum* prædicat, Commentarios seu breves Glossas in Vetus ac Novum Testamentum, juxta quadruplicem sensum, edidit. Expositio specialis in Psalmos *Alexandro Halensi* perperam à Franciscanis quibusdam adscripta est, quam *Hugonis* Cardinalis esse docet *Sanctus Antoninus*, Tit. XXIII. c. XI. §. 2. *Speciale*, inquit, *Opus fecit & valde prolixum super totum Psalterium, multiplices ponens expositiones, & multas distinctiones ad prædicandum aptas.* Sancto Antonino consentientes *Bellarminus*, *Simlerus*, & *Labbaus*, Minoritarum figmentum explodunt. Composuit etiam *Speculum Sacerdotum & Ecclesiæ* ; *Sermones de Tempore & de Sanctis* ; *Concordantias* denique *Bibliorum invenit*, ut *Nicolaus Trivettus* scribit *in Chronico*, & *Sanctus Antoninus* testatur loco primùm laudato. Illud verò Opus dicuntur compilasse quingenti Fratres Ordinis Prædicatorum, Operis Præside, Authore, & Ordinatore *Hugone*. Ita intelligendus *Sanctus Antoninus* cùm posteriori loco scribit : *Librum Concordantiarum valde necessarium à Fratribus Ordinis compilatum fuisse non dubitatur, sed à quo non clarè invenitur. Dicitur à quibusdam, fuisse commissum Opus pluribus Patribus in diversis Provinciis.* Concordantias eodem sæculo *Conradus Halberstadius*, additis dictionibus indeclinabilibus locupletavit. *Hugonem* à *Sancto Caro* Lugdunensem Archiepiscopum fuisse qui scribunt, falsi convincuntur ex illius Ecclesiæ monumentis. Ab *Henrico Gandavensi* cap. XL. de Scriptoribus Ecclesiasticis, *Trithemio*, *Sixto*, & *Antonio Senensibus*, commendatur. Obiit XIV. Kalendas Aprilis anno MCCLXIV. Urbeveteri, ubi primùm sepultum, deinde Lugdunum translatum ejus corpus est, ubi apud Fratres Prædicatores diem Resurrectionis expectat.

** Barcinonetta.*

Expositio specialis Psalmorum, germana est Opus Hugonis à S. Caro.

Concordantia Bibliorum eundem agnoscunt Auctorem.

VII. *PETRUS DE TARENTASIA*, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Dominicanus, postea S. R. E. Cardinalis, & Summus Pontifex *Innocentius V.* scripsit in Sententias, & in Epistolas *Sancti Pauli*. *Abbreviatorem Sancti Thomæ* vocat *Sanctus Antoninus*. Obiit anno MCCLXXVI. die XXII. Junii.

VIII. *ALBERTUS*, natione Germanus*, Ordinis Benedictini Monachus, & Cœnobii Stadensis Abbas, ad Fratrum Minorum Ordinem migravit, nomèoque sibi fecit accuratissimis Chronicis ab orbe condito ad annum MCCLVI. Ipsum cum *Alberto Pisano* Ordinis Minorum Generali Ministro confundunt *Arnoldus Vvion*, *Villotus*, *Mirans*, & *Possevinus*. Floruit *Gregorio IX.* Summo Pontifice, & *Friderico II.* Imperatore. *Albertum Krantzium* ex eo multa in Saxonia sua & Metropoli transcripsisse, *Vossius* observat lib. II. de Historicis Latinis cap. L X.

IX. *JOANNES COLUMNA*, Romanus, Archiepiscopus Messanensis ex Ordine Fratrum Prædicatorum assumptus, floruit anno millesimo, ducentesimo, quinquagesimo quinto, quo Legatus *Alexandri IV.* Pontificis Maximi fuit, & Tauromenii oppidi cum *Jacobo de Ponte* Præfectus. Inter eos Scriptores qui *Ludovici Bavari* temporibus claruerunt, non rectè ipsum recenset *Trithemius* Abbas, ducem ea parte errantem secutus *Philippum Bergomatem*, qui lib. XIII. Supplementi Chronicorum illum refert ad annum MCCCXII. Nomen suum ab oblivione vindicavit libris decem, quos *Mare Historiarum* inscripsit. Quod Opus *Sanctus Antoninus* interdum laudat. Ipsum quoque Pontificum Historiam scripsisse, testatur Auctor Operis *De Hierarchia Subcœlesti*, quod MS. extat Parisiis in Bibliotheca Victorina. De hoc Auctore legendi *Sanctus Antoninus* III. P. Tit. XXIII. cap. XI. §. 2. *Trithemius*, *Thomas Fazellus*, Rerum Sicularum posterioris Decadis lib. VIII. *Leander Albertus* lib. III. & IV, de Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum.

X. *HUMBERTUS DE ROMANIS*, * à *Romone* oppido, in Viennensi apud Gallos Diœcesi, ubi natus est, cognomen sumpsit. Cùm adolescens Lutetiæ Parisiorum Juris Canonici & Theologiæ studiis operam daret, Ordini Fratrum Prædicatorum in Cœnobio *Sancti Jacobi* nomen dedit, cœlesti vocatione ad Sacram Professionem traductus. Literas Sacras Parisiis & Lugduni docuit. Ob eximiam pietatem & doctrinam V. Ordinis Generalis Magister in Comitiis anni MCCLIV. Budæ in Hungaria celebratis renunciatus est. Quam Præfecturam cùm annos novem sanctissimè gessisset, in Comitiis Londinensibus anni MCCLXIII. in quibus *Sanctus Thomas Aquinas* jure suffragii pro Romana Provincia potitus est, abdicavit. Præter Divini Officii Ordinationem, juxta Ritum Dominicanum, & Augustinianæ Regulæ, secundùm quam profitemur, Commentarios, scripsit sex libros Institutionum Spiritualium, sive *De Eruditione Religiosorum*, qui aliàs, *Speculum Religiosorum*, inscribuntur ; Epistolam sive Tractatum de votis substantialibus Religionis ; libros duos *De Eruditione Religiosorum Prædicatorum*, & de arte concionandi, seu de modo promptè cudendi Sermones ; & librum de Officiis Ordinis Prædicatorum. Post abdicatum Magistri Generalis Officium, Lugduni privatus vixit, quo tempore Patriarchatum Hierosolymitanum à *Nicolao III.* Pontifice Maximo oblatum respuisse dicitur. In Cœnobio Valentino ad Rhodanum obiit pridie

** Romanis.*

Idus Junii anno Domini MCCLXXVII. ut testantur Acta Capituli Generalis Mediolani celebrati, anno MCCLXXVIII. & *Bernardus Guido*. Mortem ejus anno MCCLXXVI. consignat *Leander Albertus*, quæ epocha vera est, si Nativitatis Dominicæ annos numeremus, prior verò si Incarnationis. Falsa omnino *Ferdinandi à Castillo* Chronológia, qui XV. Januarii, anno MCCLXXIV. *Humberti* obitum consignat, secutus Chronicon breve Magistrorum Ordinis, quod ad calcem nostrarum Constitutionum habetur. A *Sancto Antonino* III. P. Chronici Tit. XXIII. Cap. XI. celebratur. Librum *De modo prompte cudendi sermones*, in 4. Libros tributum, cuidam Regulari Canonico Anonymo, qui ante extinctos Templarios vivebat, tribuit Dom. *Mabillonius* in *Itinere Italico*, pag. 194. ex MS. Codice Abbatiæ Sancti Salvatoris Bononiensis: At *Humberto* nostro *de Romanis* hoc Opus, non in quatuor libros, sed in duas dumtaxat partes tributum, & melioris notæ MS. Codex in Lusitania inventus & editi libri vendicant.

X. *GERARDUS DE FRACHETO*, Lemovicensis, vir religiosissimus & egregius Concionator, Ordinis Fratrum Prædicatorum Tolosanam Provinciam rexit. Scripsit *Vitas Fratrum*, seu librum de Origine ac Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum, jussu *Humberti de Romanis* Magistri Ordinis: quem propterea ipsi *Humberto* tribuunt *Theodoricus de Appoldia* in Præfatione Vitæ *Sancti Dominici*, *Jacobus Philippus Bergomas*, in Supplemento Chronicorum, *Sanctus Antoninus* III. P. Chronici Tit. XXIII. C. XI. §. II. & *Antonius Senensis* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis. MS. extare in Monasterio Rubræ Vallis apud Bruxellam, Duaci, & alibi, testatur *Gerardus Joannes Vossius*, lib. II. de Historicis Latinis Cap. LIX.

XI. Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, *PANTALEO* Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologus, Constantinopoli Tractatum contra errores Græcorum edidit, in quo capita quatuor controversa expendit, scilicet de Processione Spiritus Sancti, de Purgatorio, de Azymis & fermentato, & de Romani Pontificis Primatu, debitáque Sedi Apostolicæ obedientia. Editus primùm est ex MS. Codice Bibliothecæ Bavaricæ, curante *Petro Stevartio*. Extat in Bibliotheca Patrum Edition. Lugdunen. Tom. XXVII.

XII. Partim vacante Imperio, partim *Roberto Habspurgensi* Imperante, qui summa rerum potiri cœpit anno MCCLXXIII. Anonymus Dominicanus Annales Colmarienses scribere aggressus est. Incipiunt ab anno MCCXI. qui decimus est ante natale Authoris, ut docent hæc verba ad annum MCCXXXVIII. *Intravi in Ordinem Prædicatorum natus anno* MCCXXI. Historiæ leges nescivisse, qui res minutissimas & Annalibus indignas scriptis mandavit, *Vossius* observat Cap. LX. lib. II. *De Historicis Latinis*. Cæterùm ejus diligentiam laude non indignam sibi videri. Ab eodem Auctore scripti non sunt Annales illi Colmarienses, sed ab alio perducti ad annum millesimum trecentesimum secundùm. Ubi verò desierit incertum est. Editi sunt ab *Urstisio* cum aliis Rerum Germanicarum Scriptoribus.

ARTICULUS IV.

De Thoma Cantipratano, Alberto Magno, Sancto Thoma Aquinate, Raymundo Martini, & Gulielmo Peraldo.

I. *THOMAS CANTIPRATANUS*, natione Brabantius, *Lewis* prope Bruxellam celebri municipio è nobili gente ortus, Canonicus primùm Regularis fuit in Monasterio Cantipratano, quod in Artesia est, juxta Cameracum, unde cognomen sumpsit, deinde ad Ordinem Prædicatorum migrans, *Alberti Magni* Coloniæ docentis auditor fuit, & *Sancti Thomæ* condiscipulus; quo rogante ipsum libros Aristotelis Latinitate donasse, *Alfonsus Fernandes* tradit: sed alii antiquiorem fuisse Versionem illam observant, ad quam Commentaria scripsit *Sanctus Thomas*: quorum quidem observatio pugnat cum *Gulielmo de Thoco* in Vita *Sancti Thomæ*. Episcopus inauguratus, Cameracensi Episcopo Suffraganeus datus est. Duos edidit libros *De Apibus*, quos & *Bonum Universale* inscripsit, omnium Ordinum hominibus utilissimum Opus, in quo miracula & exempla sui temporis exponit. Illud *Humberto de Romanis* Ordinis Prædicatorum Generali Magistro nuncupavit. Scripsit post annum MCCXLVI. ut probant hæc ipsius verba lib. II. *Apum*, cap. III. *Ego fidelium novissimus, antequam piissimus Ludovicus Francorum Rex anno ab Incarnatione* MCCXLVI. *crucem transmarinam susciperet, crucem in cœlo ex clarissimo & sydereo lumine vidi: nec recolo me decentiùs & operosiùs formatam crucem unquam sub aliqua materia vel figura vidisse.* Scripsit præterea Vitam *Sanctæ Christinæ* Virginis, quæ *Mirabilis* appellata est. Extat apud *Surium*, ad diem XXIII. Junii. Item Vitam *S. Lutgardis* Monialis de Aquiria, quæ apud eumdem *Surium* habetur ad diem XVI. Junii. Librum unum de Vita *Sanctæ Mariæ Ogniacensis*, quem idem *Surius* exhibet ad diem XXIII. Junii. Vitam denique *Beatæ Margaritæ Yprensis*, quæ obiit anno MCCXXXVII. Scripsit & librum *De Natura rerum*, ex variis Authoribus, spatio quindecim annorum, multo labore compilatum, ut ipse testatur lib. II. de Apibus, Cap. ultimo. At liber ille interiisse videtur, aut alicubi delitescere. Obiit die XV Maii anno MCCLXIII. Ut Venerabilis sanctitate relatus est à *Miræo* in Fastis Belgicis, & *Raissio* in Auctario *Molani* ad Natales Sanctorum Belgii. Vitam ejus ex Codice MS. Rubeæ Vallis edidit *Hiacynthus Choquetius* in libro de Sanctis Belgii Ordinis Prædicatorum. Eamdem conscripsit *Georgius Colvenerius*, & præfixit libris de Apibus, quos edidit & Notis illustravit anno MDCVII. *Thomam Cantipratanum*, celebrant *Jacobus de Vitriaco* in Vita Beatæ Mariæ Ogniacensis, *Henricus de Gandavo*, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. LI. *Dionysius Carthusianus* lib. contra pluralitatem Beneficiorum Art. VIII. *Leander Albertus*, *Antonius Senensis*, *Bellarminus*, *Possevinus*, *Labbeus*, & PP. *Henschenius* & *Papebrochius*, in Indice SS. prætermissorum die XV. Maii.

II. *ALBERTUS MAGNUS*, Lavingæ apud Suevos ex nobilissima Dynastarum Bolstatensium familia natus est anno Christi MCXCIII. Prædicatorum Ordini nomen dedit anno MCCXXI. Beatæ Virginis *Mariæ*, quam cultu præcipuo prosequebatur, intercessione scientiæ donum adeptus, Sacras Literas Coloniæ docuit, ea celebritate nominis

ginnis, ut *Magnus*, etiam vivens appellaretur. Quod nomen ipsi non doctrina modò singularis, sed eximia sanctitas, promeruit est. Parisiis ipsum docuisse, tanto Discipulorum concursu, ut cùm non caperet eos consuetum auditorium, necesse fuerit ut in publica platea doceret, quæ *Magni Alberti* * nuncupata est, *Leander* lib. III. De Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum, & alii, fabulantur. Ratisponensis Episcopus creatus est ab *Alexandro IV.* anno MCCLIX. eámque suscepit invitus dignitatem, *Humberto* Generali Magistro Prædicatorum Ordinis ipsi gravissimis literis dissuadente ne Angelicis humeris formidandum onus subiret, ac statum sanctæ paupertatis relinqueret. Has literas refert *Leander*. Post biennium abdicato Episcopatu, Coloniam rediit, ubi Scholas Theologicas iterum rexisse fertur, donec ipsum in publica lectione memoria defecit, secundùm quòd illi fuerat à Beata Virgine olim prænuntiatum. Obiit anno MCCLXXX. ætatis suæ LXXXVII. In universo Fratrum Prædicatorum Ordine sacris honoribus colitur die XV. Novembris. Vitam ejus scripsere Rudolphus Noviomagensis, Joannes Antonius Flaminius, ex quo illam descripsit Leander lib. III. de Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum. Petrus Prussiensis, & Radeius in *Bavaria Sancta*. Ipsum etiam celebrarunt *Henricus* Gandavensis lib. de Viris Illustribus, cap. XLIII. *Tritheminus* Abbas lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi ejus Opera recenset, de ipsóque ait: *Non surrexit post eum vir similis ei, qui in omnibus literis, scientiis & rebus tam doctus, eruditus, & expertus fuerit. Quod autem de Necromantia accusatur, injuriam patitur vir Deo dilectus.* His adde *Aventinum* lib. VII. Annalium Bojorum. Qui *Albertum Magnum* vocat *Germanum Varronem*, immo longè *Varrone doctiorem*. Additque: *Nihil eum penitus fugit, omnia perfectè novit, natura secundùm Aristotelem verissimus Interpres. Legi ejus Dialectica, Mathematica, Physica, Metaphysica, Ethica, Theologumena. Et (si fas est dicere) Magica adeo exacta atque exquisita, haud aliter quàm si uni duntaxat operam navasset, cætera ne attigisset quidem. adeo singula in suo genere absoluta sunt. Non minus Platonis, Epicuri, Pythagoræ, aliorúmque Philosophorum dogmata callnit, quàm Aristotelica. Primus Latinorum quicquid in Græcis, Latinis, Hebræis, Arabibus, Ægyptiis Philosophis egregium fuit, perscrutatus est. Primus apud Latinos in omnes Aristotelis, Euclidis, Petri Lombardi, aliorum hujusmodi Auctorum libros Commentaria scripsit. Eloquentiâ summâ suo sæculo, eruditione etiam nostro præditus.* Alberti Magni Opera XXI. Tomis edidit *F. Petrus Jammy*, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Professor, multo labore, nullo criterio.

Sermones de Eucharistia, quibus Thema illud præponitur, *Venite, comedite panem meum*, extant inter Opuscula *S. Thomæ*, LVIII. nec ab Editoribus, qui genuina secreverunt à supposititiis ac dubus, ista minusculis characteribus excudi curantes, inter dubia rejiciuntur. Non sunt tamen Angelici » Doctoris, sed *Alberti Magni*. Si quidem in Cœ» nobio Coloniensi Fratrum Prædicatorum extat » liber ille magna ex parte ipsius *Alberti* manu » conscriptus. In quo alterius quoque deprehen» ditur quasi per vices succedens manus, in fi» ne tamen, sicut & in principio quidam Sermo» nes sunt integri, ejus manu descripti. Neque » de hoc dubitari potest, cùm multis in locis li» bri visantur toti manu illius exarati; ut Colo» niæ quæ in Evangelium Matthæi scripsit, & » de Animalibus. Verba sunt *Flaminii* & *Leandri*.

Libri XII. *De Laudibus Beatæ Virginis Mariæ* Tomo vigesimo editi, non sunt *Alberti Magni*, sed *Richardi à Sancto Laurentio*, Pœnitentiarii Rothomagensis, ut constat ex MSS. ex quibus primùm editi sunt Duaci anno MDCXXV. utque observant *P. Theophylus Raynandus*, S. J. in Dyptychis Marianis, & *Hyppolytus Maracius*, Clericus Regularis Lucensis, in Bibliotheca Mariana. Sanè *Sanctus Antoninus* III. P. Chronici Cap. XI. librum unicum specialem super *Missus est in laudem Virginis Gloriosa* ab *Alberto M.* scriptum commemorat.

Liber *De Mirabilibus*, vanitate & superstitione refertus, *Alberto* Magno suppositus est, inquit *Delrio*, Disquisitionum Magicarum, Cap. III. Librum *De Secretis mulierum*, nec ipsius, nec docti cujuspiam esse censuerunt Medici Lovanienses, ut refert *Molanus* in Bibliotheca Sacra.

III. S. THOMAS DE AQUINO, genere, sanctitate & doctrina clarissimus, Theologorum Princeps, *Doctor Angelicus* jure merito appellatus, in Castro *Rocca-Sicca*, Patre *Landolpho* Comite Aquinate, Matre *Theodora* Theatis Comitis filia, ex Normannica origine, sub initium anni MCCXXV. natus est. Ordinem FF. Prædicatorum ingressus est anno MCCXLIII. ætatis suæ XIX. Ex Ordine raptus à Fratribus, anno integro in carcere detentus à matre est. Anno MCCXLV. ex Decreto Generalium Comitiorum, & *Joannis Teutonici* Magistri Ordinis, Parisios, indéque Coloniam ductus, *Alberto Magno* Præceptore Philosophiæ & Theologiæ operam dedit. Postea Parisios remissus, à Sacra Facultate in Baccalaureorum Ordinem cooptatus est. Anno MCCLVI. Doctoralibus Insulis insignitus, *Alexandro IV.* commendante, quòd Academiæ Cancellarius Religiosis Mendicantibus haud satis æquus moras necteret. *Totus divinis operibus intentus, aut eruditioni qua præcellebat, aut prædicationi qua intentus erat, aut orationi qua devotus, aut Scripturæ Sacræ quâ profundus, sedulus vacabat, adeo ut præter naturalis necessitatis aut quietis horas nullum sibi aut vix temporis spatium relinqueret otiosum..... Tam super Vetus quam super Novum Testamentum Scripta, plurimáque alia Opera in Dei laudem, Fidei dilatationem, eruditionémque studentium, clara cùm sciens esset; famosa, cùm cognitus, non absque speciali Dei infusione perfecit.* Verba sunt *Joannis XXII.* in Diplomate Canonizationis ipsius. Viginti postremos vitæ suæ annos docendo, scribendo, concionando cùm peregisset, tandem anno ætatis quinquagesimo inchoato, die VII. Martii, anni MCCLXXIV. in Monasterio Fossæ Novæ, Cisterciensis Ordinis, ad quod diverterat, in Gallias iter faciens, ut Concilio Lugdunensi, de mandato *Gregorii X.* Pontificis Maximi interesset, ad vitam migravit immortalem. A *Joanne XXII.* in Sanctorum numerum relatus est anno MCCCXXIII. *Beatus Pius V.* anno MDLXVII. ipsum V. Ecclesiæ Doctorem dixit, ac Festum ejus eodem ritu cultúque ac aliorum quatuor Doctorum celebrari jussit. *Urbanus V.* Sacrum Corpus Ordini Prædicatorum dedit, quod Tolosam anno MCCCLXVIII. translatum est. Egregia planè sunt Pontificum de *Sancti Thomæ* doctrina & sanctitate testimonia. *Clemens VIII.* in Diplomate Pontificio ad Neapolitanos: *Piè*, inquit, *prudentérque cogitatis de novo civitati Patrono adsciscendo, eive vestro, divina voluntatis Angelico Interprete, vita sanctitate & miraculis claro, Thoma Aquinate, cujus doctrina fuit tantum tributum, ut Christiana eruditionis sua divinum etiam illud habeat testimonium: Bene de me, Thoma, scripsisti.* Idem Pontifex in altero ad eosdem Diplomate: *Cùm superiorum temporum memoriâ Sanctus Thomas Or-*

Margin notes:

* Gallicè. *La Place Maubert.*

Alberti Magni elogium.

Sermones de Eucharistia inter Opuscula S. *Thomæ* sub titulo Opusculi 58. editi, Alberto Magno vindicantur.

Libri De Laudibus B. Virginis Mariæ inter Alberti M. Opera editi, Richardum à S. Laurentio agnoscunt Auctorem.

Libri Alberto M. suppositi; cóque indigni.

S. Thomæ elogium.

dinis Prædicatorum, Doctor Angelicus, similiter in eodem Regno tum sanctitatis ac miraculorum gratiâ, tum doctrinæ laude clarus extiterit, laudabili consilio eadem civitas illum cæteris Patronis suis adjungendum statuit. Hic siquidem honor ejus virtutibus cum admirabili doctrina conjunctis debetur. Ac doctrinæ quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit. In quibus conscribendis interdum Sanctos Apostolos Petrum & Paulum colloquentes, locósque illi quosdam Dei jussu enarrantes habuit. Quos deinde conscriptos, expressâ Christi Domini voce comprobatos audivit. Paulus V. *Splendidissimi Catholicæ Fidei Athletæ, Beati Thomæ Aquinatis, cujus Scriptorum clypeo militans Ecclesia Hæreticorum tela feliciter elidit, honores & venerationem magis magísque in dies augeri, plurimùm in Domino gaudemus.*

Omnia Opera sua S. Romanæ Ecclesiæ judicio subjicit S. Thomas.

Sancti Thomæ non infima laus est, quod omnia Scripta sua Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Judicio humillimè subjecerit, hæc verba proferens cùm Sacrum Viaticum recepit: *Ego de isto Sanctissimo Corpore Domini nostri Jesu Christi, & aliis Sacramentis multa docui, multa scripsi in Fide Jesu Christi & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus correctioni cuncta subjicio, cuncta suppono.*

Sanctum Thomam commendant *Thomas Cantipratanus*, Lib. 1. de Apibus, Cap. xx. *Stephanus de Salanacho*, anno MCCXC. defunctus, qui virtutes ejus interserit lib. De quatuor rebus quibus Deus Prædicatorum Ordinem insignivit. (Extat MS. Mediolani in Dominicano Gratiarum Conventu) *Ptolemæus Lucensis* in Annalibus. Vitam *Sancti Thomæ* scripserunt *Guillelmus de Thoco*, Prior Beneventani Conventûs Ordinis Fratrum Prædicatorum, Canonizationis ipsius promotor, & *Bernardus Guidonis* Lodovensis Episcopus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum assumptus. Joannem Garzonem, Antonium Flaminium, Leandrum Albertum, Demetrium Cydonium, aliósque prætereo. Elogia etiam quibus S. Thomam ejúsque doctrinam exornarunt Summi Pontifices, Academiæ, Ordines Religiosi, Scriptores omnium Ordinum eruditi, silentio prætermitto, tum quia omni mortalium laude major est, ipsius Veritatis voce laudatus: omnibúsque præponderat elogiis illa vox à Christo prolata: *Bene scripsisti de me, Thoma:* ut in Literis Apostolicis ad Neapolitanos refert *Clemens VIII.* eruditissimus & sagacissimus Pontifex, qui visiones & revelationes incertas & indiscussas non approbasset: tùm quia hæc indicavi penè omnia in Panegyrico Sancti Thomæ, quem cum Opusculis Apologeticis pro eodem Angelico Doctore anno MDCLXXX. in lucem edidi. Extat Vita *S. Thomæ* à *Guillelmo de Thoco* scripta apud *Bollandum* inter Acta Sanctorum mensis Martii, ad diem VII. De ipsius doctrina *Gersonius* in Epistola ad Studentes Collegii Navarræ: *Excellit Sanctus Thomas*, inquit, *præsertim Secunda Secundæ.* De eodem Sancto Doctore & ejus Operibus, legendus *Sanctus Antoninus* P. III. Chronici Tit. 1. De Summa *S. Thomæ*, aliísque ipsius Scriptis, Dissertationem instituemus.

IV. *RAYMUNDUS MARTINI*, oppido Subiratensi in Catalonia oriundus, Ordinis Fratrum Prædicatorum in Conventu Barcinonensi Professor, vir Hebraïcæ, Chaldaïcæ, Arabicæ Linguæ peritissimus, ac Theologus eximius, Sancto *Thomæ* coævus, *Sancto Raymundo de Pennaforti* suadente, & *Jacobo* Aragoniæ Rege favente, cum Fratre *Paulo Christiani*, aliísque ejusdem Ordinis doctissimis viris, Judaïcæ impietatis blasphemiis detegendis ac refellendis egregiam operam navavit. Rex hominibus recutitis imperavit publica Sanctione data XXVII. Martii die, anno MCCLXIV. ut quicquid in ipsorum libris extabat blasphemum & contumeliosum adversùs Christum & Virginem Matrem delerent, judicio Barcinonensis Episcopi, & Fratrum *Raymundi à Pennaforti*, *Arnaldi de Sigarra*, *Raymundi Martini*, & *Petri de Janua*, Prædicatorum. Hac occasione cùm reconditiores quique Hebræorum Codices in manus *Raymundi Martini* venissent, ipsos diligenter deflorayit, & composito libro, quem inscripsit PUGIONEM FIDEI, ipsos propriis armis debellavit. Insigne illud Opus *Raymundo Sebon* falsò tribuit *Josephus Scaliger* ad *Casaubonum* scribens: At verè observavit, *Petrum Galatinum* Ordinis FF. Minorum Auctorem, quicquid in Arcanis Catholicæ Veritatis ab ipso editis optimæ notæ est, quiquid Rabbinicæ eruditionis, ex Pugione Fidei *Raymundi* suffuratum fuisse, magnâ sanè inverecundiâ, cùm ne semel quidem Opus istud aut ejus Auctorem laudaverit. Præses *Mausfacus*, & *D. Josephus de Voisin* Vir Clarissimus & doctissimus, ille in Prolegomenis in Pugionem Fidei, hic in exquisitissimis Observationibus, quibus hoc Opus illustravit, idipsum confirmant. Quicquid *Galatinus* ex *Raymundo* desumpsit, *Voisinus* ad marginem singulorum Capitum annotavit. Hoc Opus *Nicolao de Lyra* doctissimo Scripturarum Interpreti ignotum non fuit, qui interdum *Raymundi* nostri Observationes contra Judæos cum laude Auctoris refert, eúmque *in Hebraica linguâ valde peritum* prædicat in Commentario ad Cap. IX. *Oseæ*, vers. 12. Ex eodem Opere multa compilavit *Porchetus de Salvaticis*, Genuensis, Ordinis Carthusianorum, in libro qui inscribitur, *Victoria adversùs Judæos:* Sed ut erat vir candidus & liberalis, id ingenuè professus est, fontémque coronavit, ex quo hauserat. Eumdem Auctorem laudavit *Paulus* Burgensis Episcopus in Annotationibus ad Commentaria Nicolai de Lyra. Scripsit præterea *Raymundus Martini* aliud Opus compendiosum contra Judæos, quod *Capistrum Judæorum* inscripsit: & Summas contra Alcoranum Saracenorum, ut testatur *Antonius Senensis* in Chronico & in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum. De *Raymundo Martini*, ejúsque Operibus legendus etiam *Franciscus Diago*, in Historia Provinciæ Aragoniæ Fratrum Prædicatorum, lib. 1. cap. 2. & 15. lib. 2. cap. 28. *Pugio Fidei*, in tres partes tributus est. Prima pars tota Latina, secunda & tertia Latino Hebreæ sunt. Edidit D. *Josephus de Voisin*, ex Codice Manuscrip. Bibliothecæ Collegii Fuxensis collato cum Tolosano, Barcinonensi, & Majoricano FF. Prædicatorum.

V. *GUILLELMUS PERALDUS*, Gallus, Viennensis in Delphinatu Diœceseos, Ordinis Fratrum Prædicatorum Professor, quem aliqui Lugdunensem Archiepiscopum fuisse falsò scripserunt, *Sancto Thomæ* penè coævus: Sermones de Tempore & de Sanctis, librum de Proprietatibus rerum, librum de Eruditione Principum, Expositionem Regulæ *Sancti Benedicti*, librum de Eruditione Religiosorum, necnon *Summam virtutum & vitiorum*, posteris reliquit, quam S. *Antoninus* III. P. Tit. XXIII. Cap. XI. §. II. *Prædicatoribus utilem* asserit: quam *Gersonius* lib. De Examinatione Doctrinarum P. II. Consideratione XV. his verbis commendat: *Notat Summa de vitiis & virtutibus in Tractatu de Fide, causas octo confectionis hæreseon. Remittamus ad illam, quam libenter hic & alibi commemoramus Summam, quoniam ex optimis undecumque*

undecumque collecta est, cujus Auctor contemporaneus satis fuit Guillelmo Parisiensi & S. Thomæ, vir sine gradu, de Conventu Prædicatorum Lugdunensium. Hic nihil in compilatione de phantasia proprii capitis, sed de communi acervo Scripturarum doctrinam nectis, cui si comparentur novella visiones nostrarum & nostrorum, ô sapientissime Deus! quantùm solidiores, non umbratiles invenirentur! Ab eis tamen, quibus adversùs Sapientis consilium, non est persuasum quòd aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconsus suavior, quique magis ea mirantur quæ vel non intelligunt, vel insolita sunt, separatum volentes habere convivium, similes Atheniensibus, volentes semper audire aliquid novi, prurientes auribus.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 546 Religiosi Censores hanc propositionem velut meam notant: *Fabula est quod de Alberti Magni auditorum concursu narratur.*

R. Frequentissimum fuisse ad *Albertum Magnum* auditorum concursum, non diffiteor: tantum fuisse ut Parisiis in publica Platea longè à conventu FF. Prædicatorum distante quæ *Mauberti* dicitur, publicè docere sub dio cogeretur, meritò ut fabulam rejicio. Nullum id probat Historiæ Francorum aut Urbis Parisiensis Monumentum. Plateæ verò nomen, non à Magistro *Alberto*, sed à feudo *Mauberti* cujusdam civis Parisiensis derivatum esse certis Monumentis constat.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 548. Edit. primæ Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Libri xxi. De Laudibus B. Mariæ Virginis, non sunt Alberti Magni.*

R. Id scripsi, & probavi. Mera Criticæ Quæstio est.

SCHOLION III.

Sanctum Thomam Aquinatem Casini Monachum fuisse, antequam in FF Prædicatorum Ordinem convolaret, Dom. *Mabillonius* Vir Eruditus, mihique imprimis amicus, asserit in *Itinere Italico*, pag. 123. ex Martyrologio veteri Cœnobii Casinensis, in quo de eo Nonis Martii secunda quidem manu, sed ante annos trecentos, adscriptum legitur: *Nonis Martii apud Fossam-Novam Natale Sancti Thomæ Confessoris, viri eruditissimi, qui oriundus de Aquino, primò Casinensis Monachus factus, postmodum in Ordine Beati Dominici Frater Prædicator effectus, sua multiplici & fructuosa doctrina illuminavit valde Ecclesiam Sanctam Dei.*

Verùm quamvis S. Thomas Deo fuerit oblatus à parentibus, cùm adhuc quinquennis esset, Ordinique Benedictino destinatus, nunquam tamen Monasticum habitum in Cœnobio Casinensi induit; sed ibi inter nobiles pueros piis moribus, primisque literarum rudimentis institutos, à parentibus suis Neapolim missus est ut humanioribus & Philosophicis Disciplinis studeret. Quo studiorum perfecto cursu, FF. Prædicatorum ordinem ingressus est. Id cùm Guillelmus de Thoco Prior Beneventani Conventus, qui S. Thomam vidit, & audivit docentem ac prædicantem, & Canonizationis ejus promotor fuit, in ejus Vita particulatim & rerum gestarum ordine servato referat, nullum potest designari tempus quo Monachus Casinensis fuerit. Ad annum enim usque duodecimum ætatis Casini manserit, ante hanc ætatem Monachus esse non potuit, cùm puerorum solemnis oblatio, & ad Monasticum habitum receptio in desuetudinem penitus abiisset, ut observat Mabillonius Tom. III. *Veterum Analectorum*, pag. 476. & 477. Postquam verò Neapolim ad studendum profectus est Thomas, Casinum redisse non legimus, sed confectis studiis ad FF. Prædicatorum Ordinem convolasse. Hæc omnia ex ejus Actis à *Guillelmo de Thoco* scriptore coævo fideliter conscriptis comperta sunt. Cap. 1. narrat Eremitam sanctum, cui nomen *Bono*, Theodoræ Comitissæ Aquinati prædixisse filii, quem paritura erat, sanctitatem his verbis: *Paries filium, quem vocabis Thomam: & tu & vir tuus cogitabitis eum facere Monachum in Monasterio Montis Casini, in quo corpus Beati Benedicti quiescit, habentes spem ad magnos ipsius Monasterii reditus pervenire per ipsius filii vestri apicem & Prælaturam: sed Deus de ipso aliter ordinabit, quia erit Frater Ordinis Prædicatorum, tantæ claritatis in scientia & sanctitatis vitâ, quòd in Mundo sibi similis suo tempore non poterit inveniri.* Et infra. *Parentes ejus puerum facientes cum omni diligentia enutriri ut puerum mirabilem, quem prophetia promiserat, & gratia tam munifestu monstrabat. Quem sic enutritum liberaver Deo offerunt, & quinquennem ad Monasterium Prædictum Montis Casini per nutricem cum bona societate transmittunt, ut ibi quo instrueretur sanctis moribus, devotis illuminationibus præparandus.... Parvulus adhuc à nobilium puerorum consortio, qui ibidem nutriebantur in moribus, ut moris erat patria, se frequentiùs absentabat: habens in manu chartulam continentem scripturis prima addiscentium puerilia rudimenta...... Abbas autem prædicti Monasterii providus, cùm adverteret in puero tam certa & matura futuræ perfectionis indicia, & clara jam prænuntia semina futuræ segetis scripturarum, advocato Domino Landulpho Patre Prædicti pueri, providè ei consuluit ut puer mitteretur Neapolim ad studendum.... De utriusque Parentis consilio Neapolim mittitur, & sub Magistro Martino in Grammaticalibus & Logicalibus, & Magistro Petro de Ibernia studiis in Naturalibus edocetur. In quorum scholis tam luculentè cœpit esse ingenii & intelligentiæ, ut altiùs & profundiùs & clariùs aliis audita repeteret, quàm à suis Doctoribus audivisset.* Et infra: *Ductus est ad Fratrum Prædicatorum Ordinem, diu inditi desiderio affectatum, eo duce, quo fuerat prophetica visione prædictum &c.* Sed nec Bernardus Guidonis Lodevensis Episcopus, nec alii qui S. Thomæ Vitam postea scripserunt, Casinensem fuisse Monachum meminerunt.

ARTICULUS V.

De S. Bonaventura, Manuele Caleca, S. Raymundo de Pennaforti, Brocardo & Udalrico, Joanne Teutonico, Martino Polono, Jacobo de Voragine, Thoma Sprotto, Guillelmo Thorno, Rogerio Bacono, Ruperto de Russia, Theoderico Appoldiensi, Conrado Germano, & Stephanardo.

SANCTUS BONAVENTURA Balneoregii in Pontificia ditione ortus est. Anno ætatis vigesimo-secundo Ordinem FF. Minorum ingressus, eâ vixit morum integritate ac innocentia, ut *Alexander Alensis* ejus Præceptor dicere soleret, videri sibi Adamum in *Bonaventura* non peccasse. Totius Ordinis Minister Generalis factus, ac deinde Albanensis Episcopus & S. R. E. Cardinalis, à *Gregorio X.* Pontifice Maximo creatus est anno MCCLXXIV. paulò ante Concilium Oecumenicum Lugdunense II. cui interfuit, eóque nondum finito obiit Lugduni die XV. Julii, doctrinâ, sanctitate, & miraculis clarus, ibique sepultus est apud suos. In Sanctorum numerum à *Sixto IV.* relatus est, anno MCCCCLXXXII. & à *Sixto V.* inter Ecclesiæ Doctores conscriptus. De Operibus ejus agunt *Henricus Gandavensis* in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, *Bartholomæus Pisanus*, vel qui Continuator est ejus, *Jeremias Bucchius* Conformitate VIII. qui Prosam illam admirabilem, *Lauda Sion Salvatorem*, à *S. Thoma Aquinate*, cum Officio reliquo Sanctissimi Sacramenti compositam, falsò *B. Bonaventuræ* tribuit; *Trithemius* Abbas, *Guillelmus Eisengrenius* in Catalogo testium veritatis, ad annum MCCLXIX. *Marianus Florentinus* in Fasciculo Chronicorum Ordinis Minorum lib. II. cap. XXV. *Sixtus Senensis*, *Possevinus*, *Bellarminus* & omnium fusissimè *Vuadingus* in Bibliotheca Minorum. His ipsum ipsum verbis *Trithemius* commendat: *Profundus est, non verbosus: subtilis, non curiosus; disertus, non vanus: flammantia, non inflantia verba proferens: unde & securiùs legitur, faciliùs ab amante intelligitur, frequentatur dulciùs & fructuosiùs retinetur.*

S. Bonaventuræ elogium

De ipso *Gersonius* Parisiensis Academiæ Cancellarius, in Epistola Lugdunum scriptâ ad quemdam

Fratrem Minorem, anno MCCCCXXVI. hæc habet: *Sortitus est secundùm laudem sua vita pariter & doctrina nomen ipse Bonaventura, ut antonomasticè Doctor Seraphicus nominetur. Docet hoc in speciali suum Itinerarium mentis in Deum, cujus Opusculi, immo Operis immensi laus superior est ore mortalium. Docet & suum Brevilloquium, & Theologia processum propriè Theologicum retinens, & quasi conversum ad priorem, quoniam à primo principio descendit ad alias veritates. Docet denique Lectura sua grandior ignem suum cum lumine: unde mirum, immo miserum & miserabile videtur, ne dicamus damnabile, quo pacto prelata sunt doctrina quadam alia sub specie subtilitatis, plus inquietantes quasi cynifes Ægyptia, quàm Sabbathum mentis incendio terra Gessen afferentes. Secutus est Doctor iste (se testante) doctrinam communem & solidam qua Parisiis vigebat, maximè tempore suo... Sint alii Doctores qui dicantur Cherubici, hic verissimo nomine Seraphicus simul & Cherubicus, quia inflammat affectum & erudit intellectum, reducit & unit ad Deum per amorem excitativum; dum alii multi solùm divaricant & dispergunt intellectum per præcisiones, prioritates & posterioritates, & signa & contingentia, cùm tamen unum sit necessarium.*

Et in Tractatu De librorum delectu à Viris Religiosis, Consideratione V. & VI. *Subinde nescio si præcipuus inter omnes numerandus sit Eustachius, ita enim nomen istud suum vulgatum, Bonaventura, videor posse tradere. Ille enim singulariter inter omnes Doctores Catholicos, pace omnium salvâ, videtur idoneus & securissimus ad illuminandum intellectum, & ad inflammandum affectum. Cujus Opuscula duo, (ut Lecturam & alios Tractatus ejus interim præteream) tantâ sunt arte compendii divinitus composita, ut supra ipsa nihil. Breviloquium noto & Itinerarium. Qui licet sint difficiliores & rariores, debet tamen omnis Christianus ad illos aspirare, quoniam Theologia talis Mystica propria est Christianorum..., A XXX. annis & ampliùs citra volui habere familiares mihi prædictos Tractatulos sæpe legendo, sæpe ruminando, etiam usque ad verba, nedum sententias. Et ecce hac ætate, hoc otio, velut ad votum vix perveni ad initium gustûs eorumdem, qui & repetiti semper mihi novi fiunt & placent.* Legatur ejusdem Epistola ad *Osualdum* Carthusiensem. Denique ad finem libri de Examinatione Doctrinarum, de *Bonaventura* Operibus ita censet: *Porro si quæratur à me quis inter cæteros Doctores plus videatur idoneus? Respondeo sine præjudicio, Quòd Dominus Bonaventura, quoniam in docendo solidus est, & securus, pius, justus & devotus. Præterea, recedit à curiositate quantum potest, non immiscens positiones extraneas, vel doctrinas seculares Dialecticas aut Physicas terminis Theologicis obumbratas more multorum, sed dum studet illuminationi intellectus, totum refert ad pietatem & religiositatem affectus. Unde factum est ut ab indevotis Scholasticis, quorum proh dolor! major est numerus, ipse minùs extiterit frequentatus, cùm tamen nulla sublimior, nulla divinior, nulla salubrior atque suavior pro Theologis sit doctrina. Quando denique diligentiùs in senectute mea sum revolutus ad studium ipsius, tantò facta est ampliùs confusa garrulitas mea. Dixique mecum, Sufficit hæc doctrina; ut quid stulto labore consumeris, quid dictas, quid scribis? Multiplicentur potius & transcribantur Opera Doctoris istius, de quo verè dicitur illud Christi de Joanne: Erat lucerna ardens & lucens.*

S. Bonaventuram, ejúsque doctrinam commendat *S. Antoninus* III. P. Chronicor. Tit. XXIV. *Intellectus ejus perspicacitatem*, inquit, *omnia Opuscula ejus redolent iis, qui divinam scientiam requirentes, hanc libentiùs quàm vanitatem Aristotelicam venerantur.*

II. *MANUEL CALECAS* Græcus, Ordinis FF. Prædicatorum insignis Theologus; ut testatur *Joannes Cardinalis à Turrecremata*, in Summa de Ecclesia, lib. II. cap. 93. Concilio Lugdunensi non interfuit, ut *Galesino* visum est, sed post Concilium floruit, *Andronico* Seniore Imperatore, à quo in odium fidei & Romanæ Ecclesiæ vexatus est, ut colligitur ex ipsius verbis lib. IV. contra errores Græcorum: *Prorsus verò à nostris nunquam defuerunt, ex his qui aliquid esse videbantur, qui Romana Ecclesia faverint: fuerunt quidem separationem irrationabilem & præter Ecclesiasticas Leges Patrúmque Theologiam esse arbitrantes, se autem ad illos conferentes, ignominiis quidem affecti, sive etiam fugati ob veri confidentiam ac prædicationem: quibus & qui hæc scribis, adjunctus est: gratias Deo quod sit dignus habitus.* Libros IV. *Adversùs Errores Græcorum* scripsit vir doctissimus: librum *De Essentia & Operatione adversùs Palamitas*; Librum *De Principiis Fidei Catholicæ*, quos à se latinitate donatos, *Combefisius* noster in lucem edidit. Fertur & ipsius liber *De Trinitate.* Quosdam ipsius Sermones laudat *Leo Allatius* in Diatriba *De Simeonum Scriptis.* Grammatica *Manuelis Caleca* extat in Bibliotheca Regis Christianissimi. Item Excerpta ex libris adversùs errores Græcorum, in quibus *S. Augustini*, aliorúmque Patrum Latinorum testimonia fœlicissimè Græcè reddita. Hujus Authoris accurata tractandi Methodus, rata Scripturæ Sacræ, Patrum, Conciliorum auctoritate atque traditione. *Calecam* nostrum *magna doctrina & fidei virum* prædicat doctissimus *Turrianus* S. J. lib. de Sexta & Septima Synodo. *Ipsum luculentis Scriptis Ecclesiam Catholicam Romanam adjuvisse*, Galesinus in Vita *S. Bonaventuræ*, cap. XIV. affirmat.

II. *S. RAYMUNDUS DE PENNAFORTI*, Barcinone, nobili familia oriundus, Bononiæ Doctoris in utroque Jure lauream consecutus, sacros Canones publicè, magna cum hominum admiratione, absque ullo stipendio interpretatus est. Cui postea cùm Senatus Bononiensis honorarium ex ære publico decrevisset, ipse labores suos Domino sanctificans, datæ sibi à Senatu pecuniæ, omniúmque rerum quas industriâ suâ comparasset, Deo inprimis ac suo Parocho decimas fideliter offerebat. A *Berengario* Barcinonensi Episcopo in patriam reductus, & Canonicatu atque Præpositura illa in Ecclesia ornatus est. Annuntiationis Deiparæ Virginis festum diem illic antea minùs celebrem, solemniter agi curavit, annuo censu ex Præposituræ suæ redditibus attributo, Canonicis in distributiones erogando, qui Sacris Officiis ea die interessent. Perfectionis vitæ desiderio, FF. Prædicatorum Ordinem ingressus est anno MCCXVIII. annum quintum supra quadragesimum agens. *Petro Nolasco* viro nobili ac pio, & *Jacobo* Aragonum Regi, author fuit instituendi sacrum Ordinem B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, cui *B. Raymundus* certas vivendi leges præscripsit. A *Joanne* * Cardinali Episcopo Sabinensi, Sedis Apostolicæ in Hispania Legato, socius & adjutor Legationis assumptus est, deinde Romam à *Gregorio IX.* vocatus, qui brevi perspectis ejus animi dotibus, summísque virtutibus, ipsum Capellani sui Officio (quod tunc temporis idem erat quod nunc est Causarum Palatii Apostolici Auditorum) & Pœnitentiarii dignitate ornavit. Eum tanti fecit *Gregorius IX.* ut nonnisi adhibito ejus consilio graviores causas tractaret. Quem cùm etiam à sacris sibi Confessionibus præfecisset, is, qua erat in egenos caritate, pœnitentiæ loco illi injungebat ut inopum preces & justas petitiones

* Is Joannes de Abbatisvilla, Episcopus Velantinus.

titiones statim audiret, eorumque negotia quàm citissimè conficeret. Quare ab eodem Pontifice *Pater Pauperum* est appellatus. Archiepiscopatum Tarraconensem recusavit, & valetudinis causa Barcinonem ex Medicorum consilio, cum Summi Pontificis licentiâ redire compulsus, cum animi candorem ab omni ambitionis labe intactum & illæsum, quo imbutus ad Urbem venerat, in patriam reponavit. Generalis Ordinis Prædicatorum Magister post *B. Jordanum* absens electus, cùm biennio sanctissimè & magna cum laude Magistratum gessisset, eo se, mœrentibus omnibus, sponte abdicavit. *Jacobo I.* Aragoniæ Regi suasit ut Inquisitionis Officium suis in ditionibus instituerct, ad Waldensium hæresim exterminandam: & hanc ob causam Concilio Provinciali Tarracone adversùs eos habito, jussu ejusdem Regis interfuit. Eumdem Regem ad Majorem ex Balearibus Insulam proficiscentem, eo rogante comitatus est, tum ut ei à sacris Confessionibus esset; tum etiam ut verbo Dei prædicando, Fideique Catholicæ Mysteriis explicandis, Hebræos & Agarenos, qui ibidem magno numero erant, ad Christianam Religionem adduceret. Ubi cùm idem *Jacobus* Rex vesano amore captus, cujusdam fœminæ consuetudine uteretur, & frustra monitis ac precibus ipsum ab ea revocare vir sanctissimus conatus esset, ex Insula discedere decrevit. Cúmque Rex capitali Edicto nautis omnibus prohibuisset, ne quis eum trajiceret, ille ab omnibus repulsus, expanso super aquas pallio, reductáque ejus orâ instar veli ad baculum, quo tanquam malo uteretur, Dei opem invocans, ac signo crucis se muniens, centum sexaginta milliaria sex horis confecit, omnibúsque circum littora insolitum navigandi genus admirantibus, Barcinonem appulit: ubi resumpto pallio, quod nequidem aqua perfusum erat, ad Monasterium Ordinis se contulit, illúdque, novo miraculo, januis clausis ingressus est. Seminarium impensis Regum Castellæ & Aragoniæ instituit, in quo nonnulli ex Ordine Prædicatorum Viri Religiosi Hebraïco & Arabico idiomate erudirentur. Quod opus toti Hispaniæ ornamento, atque Infidelibus adjumento fuisse ex eo constat, quòd illius ope atque auxilio ingens eorum multitudo Christianam Religionem amplexa sit. Omnibus virtutibus cumulatissimus, anno ætatis pene centesimo, Christi verò MCCLXXV. ipsa die Epiphaniæ, ad vitam migravit immortalem. Ejus funus *Alphonsus* Castellæ, & *Jacobus* Aragoniæ, Reges, præsentia sua cohonestarunt. A *Clemente VIII.* in Sanctorum numerum solemni ritu relatus est III. Kalendas Maii, anno millesimo sexcentesimo primo. Ex cujus Diplomate hæc excerpta sunt. Ejus Acta literis commendarunt *Nicolaus Eymericus*, Inquisitor Regni Aragoniæ, a *Bernardus Guido* in MS. libro b de Capitulis Generalibus Ordinis. *Jacobus de S. Joanne*, qui anno MCCCCLVI. Barcinone Inquisitor erat. *Michael Llot* Canonizationis ejus procurandæ causa in Urbem missus. *Joannes Maristta*, Historiæ Sanctorum Hispaniæ P. II. lib. XII. cap. XXX. usque ad XXXIX. *Franciscus Diago*, Historiæ Provinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatorum P. I. lib. II. cap. VII. & XX. sequentibus. *Leander Albertus*, &c.

a Extant MSS. Gerundæ. Apud Prædic.
b Extat MS. Barcinone in Conventu Prædicat.

Scripta S. Raymundi, Summa.

Scripsit Summam casuum Conscientiæ, qui solent in foro Pœnitentiæ occurrere, magna doctrinæ atque auctoritatis, & tam Confessariis, quàm confitentibus valde utilem ac necessariam (inquit *Clemens VIII.* in Bulla Canonizationis.) Rogante ac jubente *Sugerio* Provinciali Hispaniæ scriptam, antequam Romam à *Gregorio IX.* vocaretur, ex veteri MS. probat Diago. At ex Epistola variorum Conventuum ad *Bonifacium* VIII. quam *Llot* cap. XIV. exhibet, colligi videtur scriptam aut certè perpolitam esse Romæ post Decretales. Quod & *Mariesta* cap. XXXI. & *Ferdinandus Castillo* lib. II. tradunt. In tres partes dividitur. Prima agit de criminibus quæ in Deum committuntur: altera de his quæ in proximum: tertia de Ministris irregularibus, & irregularitatibus, & impedimentis Ordinandorum, Dispensationibus, Purgationibus, Sententiis, Pœnitentiis, & Remissionibus. Tractatum addit de Matrimonio. Composuisse præterea *S. Raymundum* Tractatum *De ratione visitandæ Diœcesis, & curanda subditorum salutis*, quibusdam Episcopis rogantibus, tradunt *Diago* lib. II. cap. XIII. *Domeneccus* lib. II. Historiæ Sanctorum Cataloniæ, & *Llot*. Mercatoribus quoque *Modum justè negotiandi* præscripsit. Laudatur & Scriptum ejus De bello & duello. *Decreta Romanorum Pontificum quo quoque tempore condita erant, diversis in Epistolis & Conciliis sparsa, quæ obscuritatem & incertitudinem inducere videbantur, ad communem omnium, & maximè studentium utilitatem, in ordinem & compendium redigi jamdiu omnibus ferè placuerat, sed tanto Operi vir idoneus quærebatur. Itaque Gregorius IX. B. Raymundum huic muneri aptissimum esse ratus, id oneris ei imposuit. Quod tandem ipse ingenti labore, trium annorum spatio fœliciter absolvit, quemadmodum in ipso Decretalium Proœmio gravissimo ejusdem Gregorii testimonio est comprobatum* Verba sunt *Clementis VIII.* in Bulla Canonizationis ipsius.

Collectio Decretalium.

Antiquarum Collectionum ordo.

Ex Collectionibus quinque præcedentibus hanc absolvit *S. Raymundus*. Cui Collectioni multas Constitutiones addidit ipse *Gregorius*, vel emergentibus novis negotiis, vel proprio motu, plerásque ex Jure Civili petitas. Hic autem Antiquarum Collectionum Decretalium ordo est. Prima paulò post Decretum *Gratiani* composita est à *Bernardo* Papiensi Præposito, quam ipse *Breviarium Extravagantium* appellat, quod de veteri Jure & novo se compilasse in Præfatione profitetur, ordinem fere Justinianei Codicis secutus. Enimvero vel ex antiquis Conciliis & Patribus addidit quædam *Bernardus*, à *Gratiano* omissa, vel novas Pontificum Constitutiones, nempe post *Gratianum* editas inseruit. Primæ autem Collectionis Decretales novissimæ, *Alexandrum* & *Lucium III.* Authores præcipuos habent; Antiquiores paucissimæ. Secunda Collectio, ter à tribus confecta est, *Gilberto*, *Alano*, & *Joanne Vallensi*. Prævaluit tamen ea quam ex duabus prioribus Vallensis composuit. Suspicatur *Antonius Augustinus*, eam esse *Alani*, quæ in Conciliorum editionibus vulgò subjicitur sine nomine Auctoris post Concilium Lateranense sub *Alexandro III.* Tertiam Collectionem ex Regestis Innocentii III. *Bernardus Compostellanus* compilaverat, quæ non est recepta. *Innocentius III.* aliam quam vocamus *Tertiam*, confici jussit, & auctoritate publica munivit. Composita est ex libris XII. Regestorum *Innocentii III.* in qua adornanda, *Petri* Beneventani Diaconi & Notarii sui operâ usus est. Quartam Collectionem idem Pontifex compilari curavit ex Concilii Generalis Lateranensis Canonibus, & sequentibus libris Regesti, post duodecimum: cujus operâ, incertum. Duæ illæ posteriores, *Innocentii* solius Constitutiones continent. Has quatuor Collectiones antiquas edidit *Antonius Augustinus*. Quinta Collectio edita est auctoritate *Honorii III.* & de ipsius Constitutionibus tantùm, ut ipse loquitur in Epistola ad *Tancredum*, in quintæ Collectionis principio, referente *Contio* in Decretalium Præfatione. Ex Constitutionibus quæ in illis quinque Collectionibus continebantur, vel ex aliis quæ omissæ erant à Collectoribus, & extra eas vagabantur, vel quæ postea editæ fuerunt ab ipso *Gregorio IX.* *Honorii* Succes-

sorc,

fore, nova Collectio Decretalium composita est. Quinque libris constat ista Collectio. Quæ quamvis accuratissima sit, & superflua se resecasse tantùm *S. Raymundus* profiteatur, origines tamen & fontes Decretalium singularum inquirere juvabit ex antiquis Collectionibus.

III. *BROCARDUS* Argentoratensis, Ordinis Prædicatorum in Terra Sancta propagator, illuc missus dicitur à Generalibus Ordinis Comitiis anno MCCXXII. Lutetiæ Parisiorum celebratis. Ita quidem *Antonius Senensis*, *Castillus*, *Bzovius*, aliique rerum Dominicanarum Scriptores tradunt. Sed tardiùs missum ex eo fit verisimile, quòd anno MCCLXXXIII. se Palæstinam lustrasse testetur & in *Monte Gelboe* pluviam & rorem expertum: Quo tempore nonagenarius fuisset, etiamsi anno ætatis trigesimo illuc missus esset. Hanc difficultatem sensit *Malvenda* noster, & absque solutione reliquit. Ut ut est, vir ille non minùs eruditione quàm pietate conspicuus, accuratissima *Terræ Sanctæ Descriptione* celebritatem nominis sibi peperit, quæ oculis usurpaverat explicans. Ab *Andrea Masio* Scripturarum Interprete doctissimo, *Scriptor diligentissimus* appellatur. Laudatur etiam ob summam in scribendo fidem ab Authore *Gesnerana* Bibliothecæ. Istud Opus, sed mutilum in lucem edidit *Canisius* Tom. VI. *Antiquæ Lectionis*. MS. illius exemplar Coloniæ in Bibliotheca Crucigerorum extare ait *Vossius*, lib. II. *De Historicis Latinis*, cap. LX. quo exemplari usum se profitetur in Hierosolymæ ac suburbanorum descriptione *Christianus Adrichomius*. Ejusdem fuisse Annales *De Gestis Frederici in Terra Sancta*, quos apud *Vuolphangum Lazium* extitisse *Simlerus* testatur in Epitome & Auctario Bibliothecæ *Gesneri*, conjicit *Vossius*. De sacra expeditione adversùs Turcas obeunda Commentarium misit ad *Philippum* Regem Christianissimum anno MCCXXXII. laudatum à *Zurita* in Rerum Aragonensium Indicibus lib. II. pag. 153. De hoc Authore legendi *Sixtus* noster *Senensis* lib. IV. *Bibliotheca Sancta* & *Malvenda* in Annalibus ad annum MCCXXII.

In Josue c. 8. vers. 18.

Eidem ætate claruit *UDALRICUS ARGENTINENSIS*, Ordinis FF. Prædicatorum Doctor eximius, Author *Summæ Theologicæ*, quam à Doctoribus valde laudatam scribit *Dionysius Carthusianus*, ex eaque insignem locum profert contra pluralitatem Beneficiorum, in singulari quod edidit eo de argumento Tractatu.

IV. *B. JOANNES, TEUTONICUS* à patria cognominatus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, ex Pœnitentiario Papæ, Bossinensis in Hungaria Episcopus, cessione factâ cum venia Romani Pontificis, ad Ordinem reversus, ac deinde Generalis totius Ordinis Magister in Comitiis Parisiensibus anno 1241. electus est. Quod onus cum renueret, subire ex obedientia compulsus est Pontificio *Gregorii IX.* Diplomate. Quartus inter supremos Dominicanæ Religionis Moderatores numeratur, dignus *Sancti Raymundi* successor. Annos XII. cum dimidio sanctissimè præfuit, quibus peractis obiit Argentinæ, anno MCCLIII. Hunc *S. Antoninus* III. P. Chronicorum Tit. XXIII. c. XI. *Bonitate conspicuum, aspectu & affatu gratiosum, multiplici idiomate eruditum*, prædicat, ac *viventem defunctumque miraculis claruisse*. Ipsum etiam commendant *Thomas Cantipratanus* lib. II. *de Apibus*, c. 57 *Humbertus* & *Bernardus Guido* in Chronicis, *Susatus*, *Leander*, *Olmeda*, *Castillus*, & alii qui de rebus Dominicanis scripsere. Narrat *Cantipratanus*, ipsum cùm in Bossinensi Episcopatu octo millia marcarum annui reditus perciperet, *quasi nihil in usus proprios expendisse, sed omnia in pauperes erogasse*. Nec equum quidem habuisse, sed asello usum ad libros & ornamenta sacra vehenda: ipsum vero cum Fratribus peditem incessisse. *Summam Casuum Conscientiæ* edidisse ex S. Thoma in Summa & in Sententiis, ex Petro de Tarentasia, S. Raymundo, Hostiensi & aliis compilatam, quæ inscribitur *Summa Confessorum*, ab Authore etiam *Summa Joannina* dicitur, vulgò asserunt qui de Scriptoribus Ecclesiasticis, ac de rebus Ordinis egere; sed hoc Opus alterius esse *Joannis* necesse est, pariter *Teutonici*, cùm Summam *S. Thomæ* laudet: prior autem *Joannes Theutonicus* Ordinis Magister obierit anno MCCLIV. ut *S. Antoninus* tradit. Quo tempore nondum *S. Thomas* Doctorales Infulas Parisiis consecutus co… t, adeòque de Summa Theologica nequidem cogitaverat. De *Joanne Teutonico* Generali Ordinis Magistro scribit *Nicolaus Trivetus* in Chronico ad annum MCCLI. *Hic Magister cum esset in quadruplici lingua, videlicet Teutonica, Gallica, Italica, & Latina Prædicator egregius, de Priore Provinciali Hungariæ factus est Episcopus Bosonensis: sed à Papa Gregorio, cùm in desiderio haberet secretum contemplationis, per magnam instantiam cessionem obtinuit, nulla sibi provisione retentâ. Cùm autem in Magistrum Ordinis electus esset, & ut Prælationem talem refugeret, Pontificalem vellet Ordinem allegare, porrecta est in contrarium Litera Papalis decernens, quòd cùm absolutus esset à cura Pastoralis regiminis, & per consequens sub obedientia Ordinis constitutus, debuit in recipiendo Officium Ordini obedire: sed tamen cùm in multis Privilegiis procuratis per eum, Dominus Papa scribat ei, non tantùm* Filium, *ut alios Magistros, sed ut cæteros Episcopos*, Venerabilem Fratrem *appellat*.

Summa Confessorum non est Joannis Teutonici Ordinis FF. Prædicatorum Magistri, sed alterius cognominis.

V. *MARTINUS, POLONUS* natione & nomine, non Scotus, aut Italus, ut quidam scripsere, non Cisterciensis Monachus aut Benedictinus, sed Dominicanus; Pœnitentiarius, non *Innocentii IV.* ut excidit *Bellarmino* & *Vossio*, sed *Nicolai III.* qui *Joanni XXI.* successit anno MCCLXXVII. ab ipso ad Episcopatum Gnesnensem in Polonia anno MCCLXXVIII. die X. Kalendas Julii, cùm diu inter electos controversia durasset, assumptus est. Cùm vero itineri se accinxisset, eodem anno Bononiæ obiit. Chronicon edidit de Summis Pontificibus & Imperatoribus, à Christo nato ad *Joannem XXI.* inclusivè, ut ipse ait in Præfatione Operis. Obiit autem *Joannes XXI.* anno MCCLXXVII. Scripsit & Summam Juris Canonici, quæ *Martiniana* vocatur, & libellum qui inscribitur: *Memorabilia Romæ*, & Sermones de Tempore & de Sanctis. De ipso legendi *Sanctus Antoninus* III. P. Chronicorum Tit. III. c. XI. *Trithemius*, *Leander* lib. III. *De Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum*, *Spondanus* ad annum MCCLXXVIII. Num. XVIII. *Vossius*, & *Aubertus Miræus*, in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis.

VI. *JACOBUS DE VARAGINE*, Ligurum oppido, vulgò *de Voragine* appellatur, vir sanctimonia vitæ & doctrina clarus, Genuensis Archipræsul à *Nicolao IV.* Pontifice Maximo renuntiatus est, anno MCCXCII. Anno sequenti Synodum Provincialem congregavit, in qua leges tulit Ecclesiasticæ Disciplinæ conducibiles. Biblia Sacra primus in Italicam ling ıam summa fide & diligentia transfudit. Scripsit *Vitas Sanctorum*, *Sermones de Tempore & de Sanctis*; *Mariale*, sive librum *de Laudibus Deiparæ Virginis*, & *Genuense Chronicon*. In Vitis Sanctorum scribendis haud satis accuratus fuit. De ipso lege *Sanctum Antoninum* III. P. Chronici Tit. XXIII. c. XI. §. 2. *Leandrum Albertum* lib. III. de Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum, *Ferdinandum Ughellum* in

Januensibus

Januensibus Archiepiscopis, &c. Obiit anno 1298. cùm 7. annis Januensem rexisset Ecclesiam, & Guelforum Gibellinorúmque conciliatis animis, pacem diu exulem in urbem reduxisset.

VII. *THOMAS SPROTTUS*, Anglus, Ordinis Benedictini Monachus, claruit anno MCCLXXIV. *Eduardo I.* regnante. Scripsit Cantuariensium Historiam, & Gesta Abbatum sui Cœnobii, ab adventu *S. Augustini* in Angliam usque ad annum Christi MCCLXXII. Idem argumentum postea tractavit *Guillelmus Thornus* ejusdem Cœnobii Monachus, qui *Sprottum* passim exscripsit, pauca addidit, quæ illum fugerant, ut *Vossius* observat. *Thorni* Chronicon inter antiquos Anglicanæ Historiæ Scriptores editum est.

VIII. *ROGERIUS BACCONUS*, Anglus; Ordinis Minorum, Sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, à sui temporis hominibus *Doctor Mirabilis* salutatus, quem *Joannes Picus* Mirandulæ Comes *Virum ingeniosissimum* prædicavit, ad quem *S. Bonaventura* Opusculum suum misit *De paupertate, labore manuum, & legendi studio*: in omni scientiarum genere excelluit; sub *Clementis IV. Gregorii X. Innocentii V. Hadriani V. Joannis XXI.* & *Nicolai III.* Pontificatu. Nimia in perscrutandis reconditioris Philosophiæ arcanis curiositas, ipsum non tantùm apud imperitum vulgus, sed apud doctos etiam in Magicarum artium suspicionem adduxit. Quare ab *Hieronymo de Esculo* totius Ordinis Minorum Generali Ministro in Judicium vocatus est anno MCCLXXVIII. Multiplicis ejus doctrinæ testis est librorum ab ipso editorum multitudo, quorum indicem apud *Pitseum*, & *Vvadingum* in Bibliotheca Minorum legere est.

IX. *RUPERTUS*, sive *ROBERTUS DE RUSSIA*, Ordinis FF. Minorum, obiit anno MCCLXXX. ut scribit *Wadingus*, Declarationem in Regulam S. Francisci, Commentarios in libros Sententiarum, Sermones varios, ipsum scripsisse, *Trithemius* Abbas testatur.

X. *THEODORICUS DE APPOLDIA*, Erfordiensis, Ordinis FF. Prædicatorum, libris VIII. Vitam Sanctissimi Patris *Dominici* accuratè conscripsit. *Leander Albertus* lib. IV. de Illustribus Ordinis Prædicatorum Viris, Vitam *S. Elisabethæ* filiæ Regis Ungariæ ab eodem exaratam ait, sed reclamat *Vossius*, eámque *Theodorico Thuringio* consultiùs tribuit.

XI. *CONRADI*, Germani, & *STEPHANARDI E VICOMERCATO*, Itali, Patria Mediolanensis, cum laude meminit *Leander* Albertus lib. IV. de Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum, qui temporibus Rodolphi Habspurgensis, Adolphi Nassovii, & Alberti Austriaci Imperatorum claruerunt. *Conradus* Vitam *S. Dominici* eleganti stylo edidit circa annum Christi MCCXC. *Stephanardus* Chronicon metro edidit. Hunc esse *Stephanardum Flamma*, à *Paulo Jovio* in Vita *Ottonis Vicecomitis* laudatum, conjicit *Vossius* lib. II. de Historicis Latinis, Cap. LXI.

ARTICULUS VI.

De Henrico de Segusio, Henrico Gandavensi, Durando Speculatore, Guidone de Baysio, Richardo de Mediavilla, & Guillelmo Nangio.

I. *HENRICUS DE BARTHOLOMÆIS*, Segusio, in Subalpinis, nobili genere ortus, Cardinalis & Episcopus *Hostiensis*, ab *Urbano IV.* Pontifice Maximo creatus, anno MCCLXIII. ex Archiepiscopo Ebredunensi, obiit anno MCCLXXI. ut probant *Sammarthani* Tom. I. Galliæ Christianæ, in Archiepiscopis Ebredunensibus: Lugduni apud Prædicatores sepultus est. Ob eximiam in utroque Jure eruditionem, *Splendor* & *Fons Juris* appellatus. *Summam* composuit, quæ ab ipso *Hostiensis* inscribitur. Hanc incœperat in minoribus constitutus, sed incendio absumptam novis studiis curisque elaboravit & absolvit jam Cardinalis, ut ipse testatur ad finem Operis illius egregii. *Expositionem* præterea scripsit *In Decretales*, jussu *Alexandri IV.* Pontificis Maximi.

II. *HENRICUS BONICOLLIUS*, * à patria *Gandavensis* vulgò nuncupatus, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, *Solemnis* titulo celeberrimus, Archidiaconus Tornacensis, obiit anno Christi MCCXCIII. ætatis LXXVI. die VIII. Septembris. Ejus sepulchrum apud Nervios conspicitur in Deiparæ Æde primaria. Scripsit Quodlibeta Theologica, Summam Quæstionum Theologicarum, Librum de Viris Illustribus, sive de Scriptoribus Ecclesiasticis, post *Sigebertum* Gemblacensem Monachum, & Vitam *S. Eleutheri* Tornacensium Episcopi. Ipsius cum laude meminere Trithemius, Jacobus Philippus Bergomas in Supplemento Chronicorum ad annum MCCC. Vossius lib. II. de Historicis Latinis cap. LX. Joannes Molanus in Bibliotheca Sacra, Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, &c.

* Gentis nomine Goethals.

III. *GUILLELMUS DURANTES*, sive *DURANDUS*, cognomento *Speculator*, olim Sedis Apostolicæ Nuncius, & copiarum Ecclesiasticarum Præfectus in Umbria, sub Martini IV. Pontificatu, Mimatensis Episcopus electus & ab Honorio IV. Pontifice Maximo confirmatus anno MCCLXXXVI. Ex Provincia oriundus erat, è *Podio Missonis*, ut docet ejus Epitaphium. Apud *Bonifacium VIII.* magno in honore fuit, ac Ravennatem Archiepiscopatum, ipso deferente, recusavit. Hic Urbaniæ in Italia Conditor, anno 1296. ut liquet ex ejus Epitaphio, quod *Ughellus* refert. Tom. II. *Italia Sacra*, in Episcopis Urbaniensibus. De ipso legi possunt *Simon Majolus* Episcopus Vulturanensis in ejus Vita, *Joannes Fichardus* in Vitis Jurisconsultorum, Trithemius, Sammarthani Tom. III. Galliæ Christianæ in Episcopis Mimatensibus, &c. Obiit Romæ anno MCCXCVI. Kalendis Novembris, & in Ecclesia *S. Mariæ* super Minervam sepultus est. Vir fuit in utroque Jure doctissimus, & præclara insignis eruditionis monumenta reliquit, *Speculum Juris* in tria Volumina distinctum; *Repertorium Juris*; *Rationale Divinorum Officiorum*, libris octo comprehensum, & Commentarium in Canones Concilii Oecumenici Lugdunensis II.

IV. *GUIDO DE BAYSIO*, patria Regiensis, Archidiaconus Bononiensis, claruit anno MCCXC. *Trithemio* teste, magnámque apud Jurisperitos consecutus est auctoritatem. Reliquit *Rosarium*, sive Commentarium in Decretum Gratiani, & in libros Decretalium.

V. *RICHARDUS DE MEDIAVILLA*, vulgo Anglico *Middeltonne*, Anglus, Ordinis Minorum Professor, & Doctor Oxoniensis, *Doctoris Solidi*, *Copiosi*, ac *Fundatissimi* nomen consecutus, vir in Sacris Literis & Jure Canonico peritissimus, multa scripsit, de quibus legendi *Pitseus*, *Wadingus* in Annalibus & in Bibliotheca Minorum, &c. Ipsum ante illos *Sanctus Antoninus* celebravit III. P. Chronicorum Tit. XXIV.

VI. *GUILLELMUS DE NANGIS*, Sandionysianus Monachus Ordinis Benedictini; secundo à Lutetia Parisiorum lapide; Chronicon scripsit ab orbe condito ad annum MCCC. Ab anno dum-

taxat MCXIII. editum est à *D. Luca Dacherio* Tom. XI. *Spicilegii*; quod *Guillelmus* ipse scripserit ab eo anno *Sigeberti* Chronicon se continuavisse, tametsi nonnulla mutuatur ab *Anselmo* Gemblacensi Monacho, *Sigeberti* Continuatore. Illud continuavere Anonymi duo Monachi Sandionysiani. Prior desinit in anno MCCCXL. alter in anno MCCCXLVIII. Scripsit idem *Nangius* Gesta *S. Ludovici*, (sive incœpta ab *Ægidio Remensi* prosecutus est, sicut ipse fatetur) & filii ejus *Philippi* cognomento *Audacis*. Idem Historicus Chronicon suum Gallicè vertit.

CAPUT V.

De Scriptoribus Illustribus XIV. Sæculi.

ARTICULUS I.

De Engeberto Admontensi, Joanne à Sancto Geminiano, Raynerio, Bernardo Guidone, Henrico Sterone, Dino, Eberardo, Siffrido, Nicolao Triveto, Joanne de Parisiis, & Joanne Duns Scoto.

ENGELBERTUS, Admontensis Abbas, quod Monasterium est in Styria, ad Amasum amnem, ultra Petium Montem, floruit anno MCCC. Scripsit libros *De ortu & fine Imperii Romani*; *De Articulis Fidei*; *De Corpore Domini*; *De Passione Domini & Mysterio Crucis*; *De gratia Salvationis & Justitia damnationis*; *De Libero arbitrio*: *De summo hominis bono*; *De Providentia Dei*; *De Miraculis Christi*; *De statu Defunctorum*; *De Christiani Principis Institutione*; Commentarium in Psalmum, *Beati Immaculati*; In Evangelium, *In Principio*, &c.

II. *JOANNES DE S. GEMINIANO*, Ordinis Fratrum Prædicatorum Doctor egregius, anno MCCCX. florebat, *Antonio Senensi* teste. Præter Sermones de Tempore, de Sanctis, & Funebres, scripsit *Summam* admodum utilem Prædicatoribus, *De similitudinibus rerum*, in quâ naturalia præclarè ad mores accommodat, additis interdum Scripturæ Sacræ & Sanctorum Patrum sententiis. Decem libros complectitur. Primus exempla similitudinésque tradit de corporibus simplicibus, cœlo nimirum & elementis; secundus de metallis & lapidibus; tertius de vegetabilibus & plantis; quartus, de natatilibus & volatilibus; quintus, de animalibus terrestribus; sextus, de homine & membris ejus; septimus de visionibus & somniis; octavus de Canonibus & Legibus; nonus, de artificibus, & rebus artificialibus; decimus, de actibus & moribus humanis. Hoc Opus *S. Antoninus* commendat P. III. Chronici Cap. XXIII. §. II.

III Duos viros nomine affines, duobus, quorum tractamus historiam, sæculis, Prædicatorum Ordo tulit, Italum utrumque. Prior Placentinus, *REINERIUS* nimirum seu *REINERUS SACHONUS*, ex Hæretico Waldensi, & Episcopo Sectæ Catharorum, Fidei Catholicæ non modò professor, sed defensor, Theologiæ, Jurísque Canonici peritissimus, Inquisitor Fidei in Longobardia circa annum MCCLIV. teste *Antonio Senensi* in Bibliotheca Authorum Ordinis, scripsit Opusculum *De Hæreticis*, præcipuè de Sectis Waldeosium. Alius posterior ætate *RAYNERIUS*, Pisanus, qui teste *S. Antonino* III. P. Chronici Tit. XXIII. C. XI. §. 2. Summam edidit, quæ *Pantheologia* inscribitur, in duas partes tributam, *procedentem in materiis secundum ordinem Alphabeti, quâ non solùm tractat de casibus conscientiæ, sed etiam de omni materia prædicabili, & per modum prædicabilem.* Scribebat anno MCCCXXXIII. *Raynerii* Pantheologiam auxit illustravítque P. *Joannes Nicolai* in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, sed mirum est quòd nihil præfari dignatus sit de Auctore cujus agrum aravit, cuíque suo labore, industria, eruditione ad contulit beneficii, ut messem ferret longè uberiorem ac locupletiorem. *Jacobi Florentini* Ordinis Minorum Professionis Prologos rescidit, omisítque; monere neglexit eruditum illum Minoritam ex *Raynerii Pantheologia* pauca subtraxisse, multa addidisse, quæ deficere videbantur, reducendo etiam aliquas materias subtiles ad stylum faciliorem & clariorem, ut tam à legentibus quàm audientibus dulciùs gustarentur, & medullitus imprimerentur. Verba ipsius sunt in altero Prologo. In priori verò ad B. Cardinalem Placentinum, Sabinensem Episcopum, de Raynerio magnificè præfatur. *Eximius Pater ille omni veneratione dignissimus in Pisana urbe F. Raynerius, qui utilitati omnium studiosorum incumbens, sine sui laude, & de se ipso, ut plerique faciunt, nec præfationem præmittens, absolutè incœpit*: ABSOLUTIO... *Opus pretiosissimum posteris reliquit, omni utilitate completum. Nihil enim deficit. Omnia nempe ordinatissimè distinxit, atque optimo stylo perfectè in Summam redegit*...... *Quid utilitatis, quid difficultatis, quid insuper necessarium in studio Scripturarum Sanctarum reperiri potest, quod in hac Summa inveniri plenè non possit?*.... *Tantâ facunditate & doctrina claritate refulsit Vir iste omni virtute præclarus, quòd usque ad partes extremas nostræ Christianæ Religionis Religiosi nonnulli ac Clerici ipsum Opus omni cum diligentia deportaverunt. Tanta namque fragantia extitit, quòd ab ipsis longinquis partibus traxerit studiosos & literatos. Ipse decus ingens & splendor non solùm suæ Professionis, sed & omnium Religionum, & totius Italiæ, & propriæ nationis.* Hæc vir cordatus in Præfatione Summæ Raynerianæ sive Pantheologiæ, Editionis Nurembergensis anni MCCCCLXXIV.

IV. *BERNARDUS GUIDO*, patria Lemovicensis, ex humili familia in vico *Roccio*, prope *Rupem Avis* natus, Fratrum Prædicatorum Ordinem anno ætatis decimo-nono ingressus est, cúmque diversis Officiis Ordinis egregiè functus esset, Inquisitoris etiam munus Tolosæ octodecim circiter annis gessisset, interimque per Italiam, Galliam, & Belgium Legationes Apostolicas pro negotiis difficillimis obiisset, à *Joanne XXII.* Pontifice Maximo Tudensis primùm in Castella, deinde Lodovensis in Provincia Narbonensi Episcopus creatus est anno MCCCXXIV. Obiit Præsul doctrina, vitæ sanctimonia, & miraculis clarus anno MCCCXXXI. ætatis septuagesimo; ejus corpus ad FF. Prædicatores Lemovicenses delatum est. Scripsit Chronicon Romanorum Pontificum, Imperatorum, & Regum Francorum, usque ad annum MCCCXXX. quod *Joanni XXII.* dicavit: Item Vitas Sanctorum, quæ Tolosæ extant in FF. Prædicatorum Bibliotheca, quinque prægrandibus voluminibus, Tractatus de Conciliis, De Officio Missæ, Chronologiam Episcoporum Lemovicensium ac Tolosanorum Comitum, Acta *S. Thomæ Aquinatis*, &c.

V. *HENRICUS STERO*, Ordinis Benedictini in Altaicho Germaniæ Cœnobio Monachus, XIV. ineunte sæculo floruit. Annales scripsit ab anno Christi MCLII. ad annum MCCLXXIII. Editi sunt inter Scriptores Rerum Germanicarum à *Marquardo Frehero*, & auctiores Tom. I. Antiquæ

Lectionis

Lectionis *Henrici Canisii.* Annalibus suis subjecit Historiam de rebus *Rudolphi Habspurgensis, Adolfi Nassavii, & Alberti Austriaci* Imperatorum, ad annum usque MCCC. Cui Appendicem usque ad annum MCCCXXXV. addiderunt *Ulricus* & *Conradus Vvellingi* fratres, Monachi Cœnobii Augustani *Sanctorum Uldarici* & *Afræ*, Ordinis Benedictini.

VI. *DINUS*, Jurisconsultus clarissimus, è Mugello agri Florentini oppido oriundus, eadem tempestate floruit. *Commentarios* scripsit *in Librum* VI. *Decretalium*, *Consilia*, plurimaque alia de *Jure Civili*. Obiisse Bononiæ aonno MCCCSII. & apud FF. Prædicatores sepultum narrat *Forsterus*. A *Trithemio* Abbate celebratur.

VII. *EBERARDUS ALTAHENSIS*, Ratisponensis Archidiaconus, Annales edidit ab anno MCCLXXIII. ad annum MCCCV. quibus præcipuè Ducum Austriæ, Bavariæ, ac Sueviæ Gesta posteritati consignavit. Ex *Henrici Steronis* Annalibus hausisse plurima, viri eruditi observant.

VIII. *SIFFRIDUS*, Misnensis Ecclesiæ in Saxonia Presbyter, aono circiter MCCCVIII. Epitome Historiarum ab orbe condito nomen sibi peperit. Tom. I. Rerum Germanicarum *Pistorii* edita est. Perperam à nonnullis cum *Siffrido* Cyreneosi Episcopo titulari, Moguntini Archiepiscopi in Pontificalibus Vicario confunditur, cujus meminit *Trithemius*. Is enim claruit anno millesimo quadringentesimo septuagesimo,

IX. *NICOLAUS TRIVETUS*, claris in Anglia parentibus natus in Comitatu Norfolcensi, patrem habuit *Thomam Trivetum* Equestris Ordinis virum, Regis aliquando Summum Justitiarium. Ordinem FF. Prædicatorum Londini amplexus, pietate & eruditione excelluit. Scripsit Commentaria in Genesim, in Leviticum, in Psalterium, Catenam ex Patribus in universam Scripturam, Tractatus de peccatis & virtutibus, *Scutum veritatis* contra impugnantes statum perfectionis; Quodlibeta varia, Tractatum de Missa, Commentarios in libros *Sancti Augustini* de Civitate Dei, Chronicon ab anno MCXXXVI. ad annum MCCCVII. in quo licet ipsi propositum fuerit potissimùm de rebus Anglicanis scribere, tamen res etiam Francorum & aliarum gentium passim recensuit. Editum est Tomo VIII. *Spicilegii Acheriani*. De ipso, ejúsque Operibus legendi *Sixtus Senensis* lib. IV. Bibliothecæ Sanctæ, *Pitseus* lib. de Illustribus Angliæ Scriptoribus, & *Possevinus* in Apparatu.

Joannis de Parisiis nævi & errores.

X. *JOANNES DE PARISIIS*, Ordinis FF. Prædicatorum, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, floruit regnante *Philippo Pulchro*, quem inter & *Bonifacium VIII.* Pontificem Maximum fervente dissidio, librum scripsit *De Potestate Regia & Papali*, in quo Romanum Pontificem nullam habere potestatem in Regum temporalia luculenter probat. Nævis tamen non caret. Quis enim illud approbare possit, quod Cap. XIV. legitur de Principe? *Si esset hæreticus & incorrigibilis, & contemptor Ecclesiasticæ Censuræ, posset Papa aliquid facere in populo unde privaretur ille seculari honore, & deponeretur à populo. Et hoc faceret Papa in crimine Ecclesiastico, cujus cognitio ad ipsum pertinet, excommunicando scilicet omnes, qui ei ut Domino obedirent: & sic populus ipsum deponeret; & Papa per accidens. Sic etiam è converso, si Papa esset criminosus, & scandalizaret Ecclesiam, & incorrigibilis esset; Princeps posset ipsum excommunicare indirectè, & deponendo ipsum per accidens, monendo scilicet ipsum per se & per Cardinales. Et si quidem Papa acquiescere nollet, posset aliquid facere in populo, unde compelleretur cedere, vel deponeretur à populo; quia Imperator posset sub hypotheca rerum, vel pœna corporum, inhibere omnibus & singulis, ut nullus obediret vel serviret Papæ.* In Præfatione libri hanc Professionem præmittit, quæ pietatem ipsius ac reverentiam erga Sedem Apostolicam testatur: *Protestor autem quòd nihil intendo dicere cum assertione aliqua, contra fidem, nec contra bonos mores, vel sanam doctrinam, personæ vel status Summi Pontificis reverentiam. Et si aliquid hujusmodi occurrerit inter dicta vel dicenda, principaliter, vel incidenter, volo pro non dicto haberi: volens hanc protestationem valere & currere, ac si eam specialiter resumerem super quolibet dicendorum.*

Joannis de Parisiis in Sedem Apostolicam reverentia.

Idem Author in Scripto quodam suo, quod inscribitur: *Determinatio Fratris Joannis de Parisiis Prædicatoris, de modo existendi Corpus Christi in Sacramento Altaris, alio quàm sit ille quem tenet Ecclesia:* ait, Utrumque modum ponendi Corpus Christi in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, scilicet modum conversionis substantiæ panis, & assumptionis ejusdem substantiæ à Verbo, esse probabilem, & utrumque ex dictis Sanctorum approbari posse. Neutrum tamen esse ab Ecclesia determinatum, & ideo nullum cadere sub fide; & si aliter dixisset, minùs bene dixisset: & qui aliter dicerent, minùs bene dicere: & qui determinatè assererent alterutrum cadere sub fide, incurrerent sententiam Canonis & Anathematis. Non est tamen quòd hujus Theologi auctoritate Sacramentarii abutantur, cùm eorum erroribus nullatenus faveat. Nam Catholica dogmata de vera & reali existentia Corporis Christi in Eucharistia, & de Transsubstantiatione panis & vini in ejusdem sacratissimi Corporis & Sanguinis substantiam, admittit ac profitetur. Duas nimirum corporeitates in Sacramento esse censet; panis, & humanitatis, id est, humanitatem & paneitatem: unum tamen propugnat esse corpus; siquidem corpus non est corporeitas, sed corporeitatem habens. Panem igitur & vinum personæ Verbi Dei unita esse docet, non immediatè, sed mediante Christi corpore: consequenter corporeitates panis & Corporis Christi simul esse in Sacramento; esse nihilominus unum Corpus, sicut unam personam. Denique panem amplius non subsistere, quia ejus corporeitas mediante Christi corpore Verbo personaliter conjuncta remanet: Hunc modum explicandæ præsentiæ realis & Transsubstantiationis spectant illa ejus verba in fine Scripti ea de quæstione ab ipso editi, quod extat in Bibliotheca Regalis Abbatiæ *S. Victoris* Parisiensis: *In præsentia Collegii Magistrorum in Theologia dictum est: Utrumque modum ponendi Corpus Christi esse in Altari tenet pro opinione probabili, & approbat utrumque.... Dicit tamen quòd nullus est determinatus per Ecclesiam, & ideo nullus cadit sub fide: Et si aliter dixisset, minùs benè dixisset: & qui aliter dicunt; minus benè dicunt. Et qui determinatè assereret alterum præcisè cadere sub fide, incurreret sententiam Canonis, & anathematis.* Quod verò Catholicum dogma de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia; & de Transsubstantiatione panis & vini in idem sacratissimum Corpus & Sanguinem, non obstante singulari illa & absona de modo existendi opinione, expressè; luculentè; constanter propugnaverit, probant ipsius verba initio ejusdem Determinationis: *Intendo defendere veram existentiam & realem Corporis Christi in Sacramento Altaris; & quòd non est ibi solùm sicut in signo. Et licet teneam & approbem illam solemnem opinionem, quòd Corpus Christi est in Sacramento Altaris per conversionem substantiæ panis in Corpus Christi, & quòd ibi ma-*

Singularis & absona Joannis de Parisiis sententia de modo existendi Corporis Christi in Eucharistia.

Catholica dogmata de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia & de Transsubstantiatione, Joannes de Parisiis professus est ac propugnavit.

neant accidentia sine subjecto : non tamen audeo dicere quòd hoc cadat sub fide mea : sed potest aliter salvari vera & realis præsentia Corporis Christi in Sacramento Altaris. Protestor tamen, quòd si ostendatur dictus modus determinatus esse per sacrum Canonem, aut per Ecclesiam, aut per Generale Concilium, aut per Papam qui in virtute continet totam Ecclesiam : quicquid dicam nolo haberi pro dicto, & statim paratus sum revocare. Quòd si non sit determinatus, contingat tamen ipsum determinari, statim paratus sum assentiri. Probabiliter tamen potest aliter salvari vera & realis existentia Corporis Christi in Sacramento Altaris : & si quis alium modum inveniat, paratus sum juvare ipsum ad sustinendum eum, ut sic fides nostra de vera existentia Corporis Christi in Sacramento Altaris possit pluribus modis salvari & defendi. Quæstionis à *Joanne de Parisiis* excitatæ statum eodem modo exponit Continuator Chronici *Guillelmi Nangii*, pag. 617. Tom. xi. Spicilegii Acheriani. *Frater Joannes de Parisius Ordinis Fratrum Prædicatorum Magister in Theologia, vir admodum literatus & ingenio clarus, circa veram existentiam Corporis Christi in Sacramento Altaris, novum ponendi modum introducere conatur ; dicens videlicet non tantùm hoc esse possibile commutatione substantiæ panis in Corpus Christi verbo adesse suppositum ipsius, mediante Corpore, quod est pars naturæ humanæ ; verum etiam hoc esse possibile per assumptionem substantiæ panis vel paneitatis in Christo : nec credebat primum modum ponendi, quem communis Doctorum opinio tenet, esse ita necessariò tenendum, seu ab Ecclesia destinatum, quin etiam secundus teneri possit tanquam popularis, & fortassis, ut dicebat Magister, magis rationabilis & congruus veritati Sacramenti, & per quem magis salvatur apparentia circa species sensibiles remanentes. Cæteris Theologiæ Doctoribus contrarium adstruentibus, primum modum tanquam ab Ecclesia destinatum, præsertim per Decretalem Papæ de Summa Trinitate & Fide Catholica, FIRMITER CREDIMUS, necessariò tenendum, & secundum tanquam veritati fidei & etiam Sacramenti dissonum, meritò reprobandum.* Perperam itaque & mala prorsus fide Calviniani Ministri *Joannis Parisiensis* auctoritatem contra Dogma Catholicum præsentiæ realis Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & Transsubstantiationis objiciunt. De illius Authoris errore lege *Thomam Vvaldensem* in Doctrinali Fidei, Tom. II. Cap. LXV. & *Joannem Bacon* Authorem coævum, ex quibus rursus colligitur, ipsum novam illam opinionem pertinaciter non asseruisse, sed velut problema proposuisse, ut etiam observat doctissimus Cardinalis *Perronius* lib. III. de Sacramento Eucharistiæ, Authore LXIII. Cæterùm ab Episcopo & Sacra Facultate Parisiensi pluries auditus, & docendi munere prohibitus, cùm ad Sedem Apostolicam, doctrinæ suæ rationem redditurus, accessisset, eo interim defuncto, quæstio sopita est.

Doctores duos cognomines distinguendi.

Porrò duo extitere hujus nominis Ordinis FF. Prædicatorum in Sacra Facultate Parisiensi celeberrimi suo tempore Doctores & Professores. Primus doctrina & sanctitate clarus, & è primis Conventus *S. Jacobi* Parisiensis Patribus, Scholarúmque nostrarum Regentibus, ante *S. Thomam* floruit, ut *Stephanus de Salanaco*, & *Bernardus Guido* rerum Dominicanarum antiqui Scriptores, & ex iis *Malvenda* in Annalibus Ordinis ad annum MCCXXXVII. pag. 50. testantur ; & hic vel ob ingenii acumen ac subtilitatem, vímque ac excellentiam doctrinæ, vel à familia, *Pungens asinum* cognominatus est. Alter *Bonifacii VIII.* & *Philippi Pulchri* Regis tempore floruit, qui hanc movit de modo præsentiæ realis Corporis Christi in Eucharistia quæstionem. Et hic Burdegalæ obiit in Curia Romana, ubi finitivam Sententiam expectabat, die sacra *Sancto Mauritio* & Sociis Martyribus Thebæis, anno Domini MCCCVII. ut laudatus *Malvenda* observat. Id notare operæ pretium erat contra Thomam Waldensem, Soto, Nugno, Spondanum, Passerinum, & alios, qui posteriori illi Doctori, *Pungentis asinum*, cognomen adhæsisse scripserunt.

XI. *JOANNES DUNS SCOTUS*, de cujus patria magna est Anglos inter, Scotos, & Hibernos contentio, singulis illum sibi vendicantibus, quamvis illum posterioribus *Vvadingus* adjudicet. Præceptorem habuit *VVilelmum de VVarra*, seu *VVarronem*, non *Alexandrum Alensem*, ut Trithemius, Sixtus Senensis, & Bzovius scripsere. Obiit enim *Alexander* priùs quàm *Scotus* nasceretur. Oxonii, Parisiísque docuit. Illic scripsit Commentaria in quatuor Sententiarum libros ; hîc Reportata in eosdem edidisse dicitur. Quod tamen Opus, *Præter stylum longè diversum à Scripto Oxoniensi, discrepat etiam ab eodem valde doctrinâ. Adde, longè humilius & inferius esse priori Opere, atque proinde ingenio jam provectiori Doctoris Subtilis indignum.* Wadingi censura est ; qui & hac ratione factum esse ait, ut neglectis Reportatis Parisiensibus, omnes inhæreant Oxoniensi Commentario. Alia ejus Opera idem Author Tom. III. Annalium FF. Minorum ; & in Bibliotheca enumerat. *Joannem Duns Scotum* Oxonio Parisios venisse pro defendenda Beatæ Virginis Immaculata Conceptione, publica scilicet ac solemni hac de re disputatione ad sedandos jam exortos tumultus inter FF. Minores & Prædicatores Apostolico præcepto indictâ, Legatis etiam Apostolicis præsentibus ; & ducentis argumentis adversariorum absque interruptione respondisse, ac multis fortissimísque rationibus probasse Virginem Sanctissimam sine originalis peccati macula conceptam ; ac propterea *Scoto* Doctoris Subtilis nomen Parisiensem Universitatem decrevisse, *VVadingus* in Annalibus asserit ex obscuris Auctoribus, quorum nullus Scoto coævus aut suppar. Id verò totum fabulosum esse ostendit silentium omnium Historicorum qui de rebus Gallicis scripsere : tum quòd nulla proferatur Pontificis, qui solemnem illam Disputationem indixerit, Epistola, Mandatum nullum ; Legatorum nomen ignotum sit ; adversarii *Scoti* in tam glorioso certamine sileantur : nullum sit in Tabulatio Universitatis & Facultatis Theologicæ Parisiensis hujus rei monumentum : Addit Wadingus, *Scotum* hoc Actu, & iis quæ scripsit in III. *Sententiarum* pellexisse Universitatem Parisiensem ad efformandum illud Decretum, quo cavit ne ad ullos Gradus Scholasticos admitteretur, qui priùs non juraret se defensurum Beatam Virginem, à noxa originaria ; & Decreto addidisse Votum de celebranda quotannis Festivitate Immaculatæ Conceptionis, Episcopo Parisiensi Missæ Sacrificium offerente, & uno ex Magistris concionem habente. Id verò non minùs fabulosum. Nam Universitas Parisiensis hujusmodi Juramento suos non obstrinxit nisi post Synodum Basileensem, anno MCCCCXCVII. diebus tertia, sexta, & nona Martii, & vigesima tertia Augusti. Juramentum, inquam, suis alumnis Sacram Facultatem post Basileense dumtaxat Concilium imperasse, ipsius Juramenti verba, quæ subjicio, demonstrant, & *Vvadingi* hallucinationem patefaciunt. *Cùm multas majores nostri fortissimi ac strenuissimi Catholicæ fidei milites nascentes variis temporibus hæreses, nullis unquam laboribus, nullis periculis deterriti, sacris suis disputationibus oppresserint : in illos tamen errores qui immaculatam & gloriosissimæ Dei Genitricis, perpetuaque Virginis Mariæ*

Vvadingi fabula de Scoto refellitur.

Parisiensis Academiæ Sacramentum de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, Joanne Scoto longè recentius.

ria laudem & dignitatem violare visi sunt, peculiari quodam sancto perfectóque odio vehementiùs insurgendum, acriúsque sibi pugnandum semper judicarunt.... ¶ *Cùm itaque proximo seculo quæstio de puritate Conceptionis fælicissima Dei & Domini nostri Jesu Christi Genitricis Mariæ, solitò frequentiùs agitari cæpisset, Spiritu Sancto scilicet ejus rei veritatem aliquando propalari volente, diligentiùs utriusque partis libratis rationibus primùm pro tempore suum prudentissimè suspenderunt judicium. Demum in eam partem inclinatiores, quæ Virginis gloria & puritati adstipulari videbatur: ita eorum vanissimam temeritatem disputando confutaverunt, qui citra efficacem probationem Virginem in originali peccato fuisse conceptam obstinatè contendebant: ut contrariam quæstionis partem, quæ Virginem, dum conciperetur, speciali Dei numine ab originali macula fuisse immunem affirmat, & pietati fidei, & rectæ rationi, & Scripturis Divinis valde quadrantem decernerent. Quæ Sententia paucos post annos in sacro Basileensi Plenario Concilio, post longam ejus quæstionis disputationem, gravissimámque deliberationem, Spiritu Sancto inspirante placuit: ut eam tandem doctrinam, quæ Beatissimam Dei Genitricem Mariam, cùm conciperetur, ab omni prorsus peccati originalis labe, speciali singularique Dei gratia fuisse liberam asseruerit & docuerit, tanquam piam, Ecclesiastico cultui, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Scripturæ Sacræ consonam, ab omnibus Catholicis approbandam, amplectendam & tenendam definierit: contrariámque assertionem deinceps doceri defendique sub interminatione divini Judicii vetuerit. Quod sanctum Synodi Decretum, cùm omnium Ecclesiarum, tum etiam totius populi Christiani judicio, consensu, ac religione comprobatum confirmatúmque videamus, non possumus quorumdam vanam superbiam, temerariam insanámque obstinationem non admirari, non indignè molestéque ferre, qui hoc nostro adhuc tempore ejusmodi piam & religiosam doctrinam, Universalis Synodi & Ecclesiæ, quæ juxta Christi promissionem errare non potest, Judicio auctoritatéque probatam; aut oppugnare, aut in dubitationem revocare non verentur: implacabile impiissimúmque bellum adversùs piissimæ Dei Genitricis eximiam dignitatem gerentes. Quorum furori ut alacriùs fortiúsque occurramus atque resistamus, pro nostra professione, ordine, & gradu, majorum nostrorum vestigia sequentes; Universi tertiò congregati, post multam, gravem, & maturam deliberationem, in ejus piissimæ doctrinæ, quæ benedictissimam Dei Matrem ab originali peccato Dei singulari dono fuisse præservatam affirmat, quamque jampridem veram credidimus & credimus, defensionem ac propugnationem speciali Sacramento conjuravimus, nósque devovimus. Statuentes ut nemo deinceps sacro huic nostro Collegio adscribatur, nisi se hujus religiosæ doctrinæ assertorem, strenuúmque propugnatorem semper pro viribus futurum simili Juramento profiteatur. Quod si quis ex nostris; quod absit, ad hostes Virginis transfuga, contrariæ assertionis, quam falsam, impiam, erroneam judicamus, spretâ non nostrâ tantum, sed Synodi & Ecclesiæ, quæ procul dubio summa est, auctoritate, patrocinium quacumque ratione suscipere ausus fuerit, hunc honoribus nostris omnibus privatum atque exauctoratum à nobis, & consortio nostro velut Ethnicum & publicanum procul abjiciendum decernimus.* Falsò igitur scripsit *Vvadingus* effecisse *Scotum* ut Sacra Facultas Parisiensis Juramento suos obstringeret ad piam opinionem de Conceptione Immaculata Deiparæ Virginis propugnandam.

Sanè anno MCCCLXXXVII. quo *Joannis de Montesono* Propositiones XIV. ab Academia Parisiensi damnatæ sunt, nondum ullo Juramento Sacra Facultas alumnos suos ad Beatissimæ Virginis Immaculatam Conceptionem propugnandam obstrinxerat, ut colligitur ex silentio *Petri de Alliaco* in Tractatu contra *Montesonum* edito, quo Censuram Academicam defendit. Ipsi enim objecisset solemnis violationem Juramenti; & Propositionem ejus erroneam Decreto etiam Sacræ Facultatis palam repugnare dixisset; nec probabiliter quæstionem illam, Utrum Beata Virgo fuerit in originali peccato concepta; tunc in utramque partem disputari scripsisset. At ne semel quidem innuit *Petrus Alliacensis* aliquod Sacræ Facultatis Decretum, votum, vel Juramentum, ea in materia editum, nuncupatum vel præstitum: imò quæstionem in utramque partem ea tempestate probabiliter disputari significat. Quin etiam Facultas ipsa in Censura sua idem tradit, cùm decimam Propositionem *Montesoni* damnat *tanquam falsam, scandalosam, piarum aurium offensivam, & præsumptuosè assertam: Non obstante probabilitate quæstionis, Utrum Beata Virgo fuerit concepta in peccato originali.* At verò *Petrus de Alliaco* in defensione Censuræ: *Sanctorum verò ac Doctorum Auctoritates pro illa parte non inducimus, quia illam quæstionem, Utrum B. Virgo fuerit in peccato originali concepta, hic disputare non proponimus. Nam prædicta & eros sequentes condemnantur, non obstante probabilitate hujus quæstionis. Unde sicut probabiliter tenentes partem prædictam non dicunt illos asserere contra fidem, qui tenent partem oppositam: ita multò minus iste Frater dicere debuit, quòd tenentes eam non fuisse in peccato originali conceptam, dicant expressè vel expressimè contra fidem.* Quæ loquendi ratio supponit tunc liberum fuisse Sacræ Facultatis alumnis de ista quæstione probabiliter in utramque partem disputare, modò piam opinionem de Immaculata Conceptione Deiparæ nullâ censurâ afficerent, suámque modestè & citra scandalum propugnarent: adeóque nullam adhuc Juramenti formulam de piæ illius opinionis defensione suscipienda fuisse à Sacra Facultate Baccalaureis & Doctoribus Theologis præscriptam. Idem ex *Gersonio* colligitur in Tractatu *De Propositionibus ab Episcopo Hæreticandis*, Conclusione III. *Ad Episcopos*, inquit, *non spectat Propositionem aliquam hæreticare, quæ ex se & de jure penitus dubia est, an ad fidem pertineat repugnanter, neque est scandalosa, & potest sine periculo ejus veritas vel falsitas ignorari. Exemplum: Potest Deus creare supremam speciem: Deus creare non potest novam speciem: Virgo Maria fuit concepta in peccato originali: & de similibus, quæ apud maximos Doctores in Theologia, non corruptos affectu vel intellectu, judicantur probabiles, neque scandalizant, neque oportet eas scire ad bene vivendum vel credendum.* Gersonii ergo temporibus nondum suos alumnos ullo Juramento adstrinxerat Sacra Facultas Parisiensis ad piam opinionem de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione propugnandam. Non eam ergo ad istius Juramenti religionem *Scotus* disputatione sua impulit, ut *VVadingus* commentus est. Denique Doctorem Subtilem tanto fervore, fragore tanto, Conceptionem Immaculatam Deiparæ Virginis propugnasse, verisimile nemo censebit, qui attenta consideratione expenderit quam jejunè, quam meticulosè hac de re dixerit sententiam in III. Sententiarum Dist. III. Q. 1. cui titulus est: *Utrum B. Virgo concepta fuerit in originali peccato?* Sic autem respondet: *Ad quæstionem dico, quòd Deus potuit facere quod ipsa nunquam fuisset in originali peccato. Potuit etiam fecisse ut tantùm in uno instanti esset in peccato. Potuit etiam facere ut per tempus aliquod esset in peccato, & in ultimo instanti illius temporis purgaretur.* Quas propositiones ubi sigillatim pro-

bavit, demum ita concludit: *Quid autem horum trium, quæ ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus novit. Si auctoritati Ecclesiæ vel auctoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile quod excellentius est attribuere Mariæ.* Hæc verò ad facti historici discussionem duntaxat observata, trahi nolim adversùs piam Academiæ nostræ de Immaculata Beatissimæ Virginis Conceptione opinionem, & præstitum à me ut à Doctoribus cæteris solemne sacramentum, cujus religionem absit ut violare unquam velim, & aliquid contra Sacræ Facultatis sententiam, cui adeo favet Ecclesia, & contra majorem Christi & Matris ejus gloriam asserere, quam datâ occasione defendere ac promovere ut ex officio teneor, ita toto cordis affectu polliceor ac voveo.

Joannes Duns Scotus Coloniensem Academiam non fundavit.

Scotum anno MCCCVIII. Coloniam missum, Annales Minorum tradunt. Coloniensem Academiam ab ipso fundatam quidam falsò scripsere. Nam Academia hæc sub *Urbano VI.* Pontifice Maximi condita est, Legatis ex Mendicantium Ordinibus ab Agrippinatum Senatu destinatis anno M.CCCLXXXVIII. ut *Jacobus Middendorpius* lib. de Academia Coloniensi, & *Pitseus* lib. de Scriptoribus Anglicanis observant. Et si de publicis lectionibus ibidem institutis sermo sit, Scholæ Coloniensis fama primaria non *Scoto*, sed *Alberto Magno*, & Sancto *Thomæ Aquinati* debetur. Obiit *Doctor Subtilis* anno MCCCVIII. sexto Idus Novembris. *Paulus Jovius*, & ex eo *Bzovius*, scripsere, Scotum comitiali morbo laborantem, pro mortuo tumulatum; serò morbi impetum naturam discussisse: frustra eumdem ad petendum opem miserabili mugitu edito, pulsatoque diu lapide, eliso tandem capite periisse. Hanc fabulam refellit *VVadingus*. 1. Ex antiquo more in Conventu Coloniensi & universo Minorum Ordine servato, Fratrem defunctum sequenti tantùm die sub Missa solemni tradendi sepulturæ, quo temporis intervallo sopiti sensus soporem omnem excussissent, & discipulorum aliquis hunc morbum ipsi familiarem fuisse, monere potuisset. 2. Quòd nullus unquam fuerit usus sepulchrorum concameratorum in Ecclesia FF. Minorum Coloniæ, sed ut Fratres effossa & injecta humo terræ mandarentur: sic autem neque spirare, neque mugire, neque gradus ascendere, neque pulsare possunt sepulti. 3. Quòd secundùm Ritum Ordinis, alligatis manibus & pedibus defuncti sepeliantur: in Provincia verò Coloniensi præterea substernatur eis asser sive tabula, cui cadaver alligatur, & sic strati sepulchro inferantur. 4. Quòd sepultus sit ad introitum Sacristiæ, quà communis erat transitus Fratrum, qui mugientem audire, & sepulcrum aperire potuissent. Addit *Vvadingus* sublestam esse *Pauli Jovii* fidem, quem Lipsius lib. 1. Politicorum cap. 9. *Judicio & fide ambiguum* dicit, *& ubi affectus adsunt, obnoxium ad gratiam se dare & auram.* Æquè falsum quod alii effutiunt, fuisse in ectasi sepultum, *S. Bernardini* auctoritate freti, Serm. 1. Extraord. P. 1. Nam *S. Bernardini* non esse quartum illum Tomum Sermonum, qui *Quadragesimale Seraphim* inscribitur, sed cujusdam Collectoris, *Danielis de Purzillis*, observat *Vvadingus*: esseque in illo Opere quamplurima *S. Bernardino* indigna, stylum barbarum & inconcinnum, totum scatentem idiotismis Italicis; esse etiam multa ludicra & futilia, neque methodum respondere ordini ab eodem observatò in voluminibus reliquis. Denique sæpius citari Sanctum ipsum *Bernardinum*, & tanquam agentem vel loquentem à Collectore introduci, ut videre est in plerisque Sermonibus, præsertim in eo ipso ex quo desumptum est supra scriptum testimonium, & in Sermone XL. P. 111.

Joannem Duns Scotum vivum sepultum fuisse, fabula est.

SCHOLION I.

Ad hunc Articulum, Num. VIII. pag. 180. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Joannes de Parisiis luculenter probat Romanum Pontificem nullam habere potestatem in Regum temporalia.*

R. Id ex ejus Libro compertum est, quem tamen nævis non carere observavi. Meræ facti & criticæ quæstio.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 183. hanc propositionem notant velut meam Religiosi Censores: *Papa in virtute continet totam Ecclesiam.*

R. Hæc Propositio non est mea, sed *Joannis de Parisiis*; nec à me approbatur, sed historicè refertur, sicut & ejus error de modo existendi Corporis Christi in Sacramento Altaris, cujus determinationi sive defensioni inserta est.

SCHOLION III.

Ad eumdem Articulum, Num. 12. pag. 186. Edit. primæ, hanc notam appinxerunt Religiosi Censores; *Licet vera dicat de Scoto, tamen tangit materiam de Conceptione Beatæ Virginis, contra Alexandri VII. Decretum.*

R. Ad *Alexandri VII* Constitutionem non attenderunt Religiosi Censores. Nusquam in eam pecco, quia nusquam B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse assero, nusquam piam de Immaculata Conceptione Virginis Deiparæ Sententiam impugno, quin potius eam me amplecti non semel declaro. Hic verò ne quidem hanc attingo Quæstionem, sed solùm probo falsum esse quòd *Scotus* Oxonio Parisios venerit ad defendendam Beatæ Virginis Immaculatam Conceptionem in publica ac solemni Disputatione. An verò hujusmodi quæstiones merè historicas tractare prohibuit *Alexander Septimus*? Minimè gentium. Ubi verò Quæstionem Historicam expendi, hæc subjungo Pontificiis Constitutionibus & Ecclesiæ pietati consona: *Hæc verò ad facti Historici discussionem duntaxat observata, trahi nolim adversùs piam Academiæ nostræ de Immaculata Beatissimæ Virginis Conceptione opinionem, & præstitum à me ut à Doctoribus cæteris solemne Sacramentum, cujus religionem absit ut violare unquam velim, & aliquid contra Sacræ Facultatis Sententiam, cui adeo favet Ecclesia, & contra majorem Christi & Matris ejus gloriam asserere, quam data occasione defendere ac promovere ut ex officio teneor, ita toto cordis affectu polliceor ac voveo.* Hæc ego pag. 192.

ARTICULUS II.

De Ægidio Columna, Antonio Andrea, Petro Aureolo, Joanne Bassolis, Herveo Natali, Francisco Mayronis, Augustino Triumpho, Guidone de Perpiniano, Astesano, Ludolpho Carthusiano, & Monaldo.

I. ÆGIDIUS, patria Romanus, ex nobilissima Columnensium familia, Ordinis Eremitarum S Augustini Prior Generalis, deinde commendatione *Philippi Pulchri*, Regis Christianissimi, cujus fuerat Præceptor, anno MCCXCIV. Bituricensis Archiepiscopus creatus, interfuit Concilio Viennensi anno MCCCXI. ac demum Avenione obiit die 22. Decembris anni MCCCXVI. *S. Thomæ Aquinatis*, cujus discipulus fuerat, vindex acerrimus, scripsit *Correctorium Corruptorii* Doctrinæ ejusdem Angelici Præceptoris. Doctorales Infulas in Sacra Facultate Parisiensi consecutus, ob eximiam eruditionem, *Doctoris Fundatissimi* nomen promeritus est. Multa scripsit Philosophica, Theologica, Moralia, Commentarios in Cantica Canticorum, in Epistolas *S. Pauli* ad Romanos, & 1. ad Corinthios, librum *De Ecclesiastica Potestate* tempore dissidii *Bonifacii VIII.* cum *Philippo Pulchro*, &c. Quæ *Philippus Bergomensis* in Supplemento

plemento Chronicorum, ad annum MCCXCVI. recenset, ubi etiam ipsum miraculis claruisse, & sanctitatis merito *Beatum Doctorem* appellatum scribit. Liber ipsius *De Potestate Ecclesiastica & Laica*, editus est à *Goldasto* Tom. II. Monarchiæ. In eo probat utramque Potestatem esse distinctam, nec Romanum Pontificem ullum habere dominium in Regum & Principum temporalia. Articulo III. observat quòd *Cum Christus triplicem habuerit potestatem, videlicet rerum corporalium, animarum, & temporalium facultatum, primâ potestate usus est; secundâ usus est & commisit; tertiâ nec uti voluit, nec commisit. Primâ quidem usus est, infirmitates corporales curando, mortuos suscitando, ac in cunctis rebus corporalibus multimoda miracula faciendo. Secundâ usus est & commisit, videlicet spiritualem, quantum est necessarium & expediens ad salutem animarum. Tertia nec usus est, nec commisit, quin potius tam Petro quàm cæteris Apostolis interdixit. Attende quid Beatus Bernardus scribens ad Eugenium Papam, dicat:* Et nos ut verè sentiamus de » nobis, impositum novimus ministerium, non » dominium datum. Si sapiens es, contentus esto » mensura, qua mensus est. Deus Quod enim amplius est, à malo est. Disce exemplo Prophetico » præsidere, non tam ad imperandum, quàm ad » faciendum. Disce sarculo opus tibi esse, non » Regio Sceptro, ut opus facias Prophetæ, ut » evellas & destruas, disperdas & dissipes, & » ædifices & plantes. Articulo V. propugnat quòd *Rex Franciæ à solo Deo immediatè tenet & possidet Regnum suum, ita quòd non ab homine quoquam. A Vicario verò Christi non tenet, nec in quantum homo, nec in quantum Christi Vicarius. Ad hoc sumamus testimonium Summi Pontificis ipsius, videlicet Innocentii III.* Extra. *Qui filii sint legitimi*, cap. *PER VENERABILEM*, de Rege Francorum sic loquentis: *Rex Francorum superiorem in temporalibus minimè recognoscit.* Præterea, *Justæ possessionis & liberæ justum titulum, sine recognitione cujuscumque Superioris, quo dictus Rex nunc possidet Regnum suum, & Prædecessores ejus hactenus possederunt ac ejus Successores, omnipotentis Dei dextra protegente, perpetuò possidebunt, rationibus irrefragabilibus declaramus. Primò quidem possessionis hujus justum titulum probat Unctio Sacra, missa divinitus, quâ Reges Franciæ semper opportunis temporibus inunguntur. Nonne Regnum evidenter approbatur à Deo, cujus Reges divino munere consecrantur? Secundò hoc idem probant aperta miracula, universo orbi manifestè notoria, & notoriè manifesta. Unde Dominus Rex de justo titulo suo respondens dicere potest illud quod in Evangelio respondit » Dominus Jesus contra calumnias Judæorum:* Si » mihi non vultis credere, operibus credite. *Sicut enim hæreditaria jure succedit patri filius in adoptionem Regni: sic quasi hæreditario jure succedit, facultatem Deo tradente, alteri in simili potestate miracula faciendi. Tertiò, hoc idem probat bonitas vitæ, claritas famæ, devotionis fervor, sinceritas fidei Christianæ, quæ semper in Regibus nostris viguit, & in Regno, præ cæteris Regnis & Regibus hujus mundi.* Ægidii Romani Corpus Lutetiam Parisiorum translatum, in Ecclesia Augustinianorum, juxta majus Altare conditum est. Ejus cum laude meminere Guillelmus Nangius, Philippus Bergomas in Supplemento Chronicorum ad annum MCCXCVI. Trithemius Abbas lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Sabellicus Tom. II. Eneadis VII. lib. IX. Chronica Ordinis Eremitarum S. Augustini, Patriarchium Bituricense editum à P. *Labbe* S. J. Tom. II. Bibliothecæ Novæ MSS. Librorum cap. LXXV. &c.

Ægidii Romani liber De Ecclesiastica Potestate.

Supremum & ab Ecclesia vel quovis alio præter Deum in temporalibus independens Christianissimi Regis dominium demonstrat.

II. *ANTONIUS ANDREAS*, Ordinis Minorum Philosophus & Theologus insignis, *Scoti* discipulus, *Doctor Dulcifluus*, à suis nuncupatus, scriptis in Philosophiam Peripateticam, & in quatuor libros Sententiarum Commentariis celebris, floruit anno circiter MCCCXX.

III. *PETRUS AUREOLUS* Vermeriæ oppido ad Isaram fluvium in Francia natus, Ordinis Minorum Professor, & Theologus Parisiensis, ad Narbonensem Archiepiscopatum anno M. CCCXXI. promotus, ob ingenii perspicuitatem, *Doctor Facundus* appellatus, cujus cum laude meminere S. Antoninus, Trithemius Abbas, &c. Breviarium Bibliorum, sive Epitomen universæ Scripturæ Sacræ juxta literalem sensum edidit, Compendium Theologiæ, Commentarios in quatuor libros Sententiarum, librum de Conceptione Beatæ Mariæ, Tractatum de Paupertate & usu paupere rerum, Sermones, &c. Obiit die XXVII. Aprilis MCCCXXII.

IV. *JOANNES BASSOLIS*, Ordinis Minorum Professor, *Scoti* discipulus, qui de ipso dicere solebat, *Eu adjutorium est*: anno circiter 1322. nomen sibi peperit, *Doctoris Ordinatissimi* nomen consecutus. *Miscellanea Philosophica & Medica*, & Commentaria in IV. libros Sententiarum, ad posteros transmisit.

V. *HERVEUS NATALIS*, Aremoricus, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, Ordinis FF. Prædicatorum Generalis Magister XIV. editis in quatuor Sententiarum libros Commentariis, Tractatu *de Potestate Papæ*, Quodlibetis, & *Defensorio contra impugnantes FF. Prædicatores*, non item Commentario in Epistolas *S. Pauli*, qui antiquiorem *Herveum*, Burgidolensem Ordinis Benedictini Monachum, agnoscit Authorem, obiit Narbonæ anno Domini MCCCXXIII. teste *Antonio Senensi*, in Bibliotheca FF. Prædicatorum.

VI. *FRANCISCUS DE MAYRONIS*, Gallus, è Diniensi Provinciæ oppido oriundus, Theologus Parisiensis, author Actus celeberrimi, qui hac in Academia *Sorbonica* nuncupatur, à sexta matutina ad sextam vespertinam absque interruptione celebrari soliti, *Doctoris Illuminati* nomen promeritus est. Obiit Placentiæ anno MCCCXXV. Operum ipsius Indicem apud *Vvadingum* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum legere est.

Origo Actus Theologici, cui Sorbonicæ nomen.

VII. *AUGUSTINUS TRIUMPHUS*, Ancona in Italia oriundus, Ordinis Eremitarum *S. Augustini* Professor, Summam *De Potestate Ecclesiastica* edidit, ac *Joanni XXII.* dicavit, necnon *Milleloquium S. Augustini*, quod *Bartholomeus Urbinas* ejus discipulus absolvit, & *Clementi VI.* dicavit, teste *Trithemio*. Obiit Neapoli, die secunda Aprilis, anno MCCCXXVIII. ætatis LXXXV.

VIII. *GUIDO DE PERPINIANO*, dictus, è Ruscinonensi Comitatu oriundus, Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Prior Generalis, deinde Majoricensis in Insulis Balearibus Episcopus, demum Elnensis, floruit anno M. CCCXXX. Scripsit *De Hæresibus* ad *Gaucelinum* Cardinalem Episcopum Albanensem.

IX. *ASTESANUS*, ab *Asta* in Subalpinis urbe Nobili, Ordinis FF. Minorum, vir doctissimus, & in utroque Jure versatissimus, Summam Casuum Conscientiæ libris octo distinctam scripsit, anno MCCCXVII. hortatu *Theodori Gaetani*, S. R. E. Cardinalis, quæ vulgò *Astesana* dicitur. *Astesanum* alterum paulòpost floruisse, Authorem Commentariorum in libros Sententiarum, & in Apocalypsim, ac Sermonum de tempore, *VVadingus* in Bibliotheca observat.

X. *LUDOLPHUS*, natione Saxo, ex Prædicatorum

dicatorum Ordine, in quo viginti sex aut triginta annos meruerat, ad Carthusiensem migravit, & Argentoratensis Carthusiæ Prior, nomen sibi fecit, *Christi Vitâ* ex IV. Evangelistis, aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis editâ: Item Commentario in Psalmos, ex eo qui *S. Hieronymi* nomen præfert, ex *S. Augustini*, *Cassiodori*, & *Petri Lombardi* Expositionibus deflorato. Claruit anno Christi MCCCXXX.

XI. *MONALDUS*, Justinopolitanus, Dalmata, Ordinis FF. Minorum, quem aliqui Beneventanum Archiepiscopum fuisse dicunt, quem cum *Monaldo* Anconitano, ejusdem Ordinis Professore, qui Arxengæ à Saracenis martyrio coronatus est anno MCCLXXXVIII. alii perperam confundunt, vixit anno MCCCXXXIII. scripsitque *Summam Juris Canonici*, item *Summam Casuum Conscientiæ*, quæ ab ejus nomine *Monaldina*, aliàs *Aurea* dicitur.

SCHOLION.

In hoc Articulo, Num. I. pag. 195. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Ægidius Romanus tenet Papam nullum habere dominium in Regum & Principum temporalia.*

R. Facti & Criticæ Quæstio est, cujus veritas constat ex ejus libro *De Ecclesiastica Potestate*, cujus verba descripsi.

ARTICULUS III.

De Nicephoro Callisto, Theodoro Anagnoste, Durando à S. Portiano, Nicolao de Lyra, Lupoldo Bambergensi, Alvaro Pelagio, Petro Paludano, Nicephoro Gregora, Joanne de Baccone, Guillelmo Okam, Bartholomæo à S Concordio, & Ptolomæo Lucensi.

I. NICEPHORUS, Callisti Xanthopuli filius, vixit sub *Andronico Seniore Palæologo*, ejúsque filio *Michaële*, ac nepote *Andronico Juniore*. Historiæ ipsius Ecclesiasticæ libri supersunt octodecim, qui exordium ducunt à Christo nato, & desinunt in anno ejusdem sexcentesimo vigesimo-quinto. Sequentium quinque librorum ab *Heraclii* exordio usque ad mortem *Leonis Sapientis* Imperatoris, quæ accidit anno nongentesimo undecimo, sola extant argumenta. Ut fuit Schismaticus, Historiæ suæ immiscuit errores Græcorum de Processione Spiritus Sancti à solo Patre, & alios. Sed & multis fabulis scatet, ut viri eruditi pridem observarunt.

II. *THEODORUS*, *Anagnostes* sive Lector Ecclesiæ Constantinopolitanæ, scripsit *Collectanea Historiæ Ecclesiasticæ* excepta ab ore *Nicephori Callisti*. Incipit à morte *Theodosii Junioris*, & desinit in *Justino Thraco*, qui anno quingentesimo decimo-octavo imperare cœpit. Vixit autem *Theodorus* circa annum millesimum trecentesimum vigesimum.

III. *DURANDUS A SANCTO PORTIANO*, Arvernus, Ordinis Prædicatorum Theologus eximius, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor, Sacri Palatii Magister, à *Joanne XXII.* Aniciensis Episcopus designatus est anno MCCCXVIII. Statuta Synodica anno MCCCXX. condidit. Ad Meldensem Episcopatum anno MCCCXXVI. translatus est. Scripsit librum *De Jurisdictionum origine*, & Commentarios in IV. libros Sententiarum. *Doctor Resolutissimus* appellari meruit. A *S. Thomæ* doctrina defecit, quam adversùs ipsum vindicavit *Durandellus* Opere quod incipit: *Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris, & adversùs filium matris tuæ ponebas scandalum: Existimasti quod ero tui similis: Arguam te.* Extat MS. in Bibliotheca Regalis Abbatiæ *S. Victoris* Parisiensis. In Academia Salmanticensi Cathedrarum una *Durandi* appellatur, in qua ejus doctrina exponitur, quamvis in *S. Thomæ* verba Theologi Salmanticenses jurent. De ipso *S. Antoninus* III. P. Chronicorum Tit. XXIII. cap. XI. §. II.

In Præfatione in IV. libros Sententiarum, Theologum, in his quæ fidem spectant Scripturæ Sacræ & Ecclesiæ doctrinæ adhærere: in aliis rationi quàm Doctoris cujuscumque auctoritati plus tribuere debere propugnat. *Oportet*, inquit, *loqui de Mysterio Christi, & universaliter de his quæ merè tangunt fidem, conformiter ad ea quæ tradit Sacra Scriptura. Unde Joannis 5. Christus:* Scrutamini Scripturas: Illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. *Si quis autem hoc non servat, non loquitur de Mysterio Christi, ac de cæteris directè fidem tangentibus, sicut oportet; sed incidit in illud quod Apostolus 1. Corinth. 8.* « Si quis autem « existimat se aliquid scire, nondum cognovit quo- « modo oporteat illum scire. *Modus enim est non* « *excedere mensuram fidei; de qua dicit Apostolus Rom. 12.* « Non plus sapere quàm oportet sapere, « sed sapere ad sobrietatem, & unicuique sicut « Deus divisit mensuram fidei. *Quæ quidem mensura in duobus consistit, videlicet ut non subtrahatur fidei quod sub fide est; nec attribuatur fidei illud quod sub fide non est. Utroque enim modo mensura fidei exceditur, & à continentia Sacræ Scripturæ, quæ fidei mensuram exprimit, deviatur. Et hunc modum, Deo adjuvante, tenere volumus, ut nihil scribamus vel doceamus Sacræ Scripturæ dissonum. Quòd si per ignorantiam vel inadvertentiam aliquid dissonum scriberemus, ipso facto pro non scripto habeatur. Et quia interpretatio dubiorum Sacræ Scripturæ ad Sanctam Ecclesiam Romanam & Catholicam pertinet, omnia Opera nostra hujus libri ac sequentium, ejus correctioni totaliter supponimus: utpote qui à pueritia in fide & obedientia Romanæ Ecclesiæ nutriti sumus, & in Romana Curia in Scholis Sacri Palatii veritatem Sacræ Scripturæ docuimus, & per Sedem Apostolicam ad Episcopalem Dignitatem, quamvis immeriti, promoti sumus. Modus autem loquendi ac scribendi, in cæteris, quæ fidem non tangunt, est ut magis innitamur rationi, quàm autoritati cujuscumque Doctoris, quantumcumque celebris vel solemnis: & parvipendatur omnis humana auctoritas, quando per rationem elucescit contraria veritas. Quamvis enim captivandus sit intellectus noster in obsequium Christi, & in his, quæ fidem tangunt, plus acquiescere debeamus autoritati Sacræ Scripturæ, quàm cuicumque rationi humanæ.... Tamen omnis homo dimittens rationem propter auctoritatem humanam, incidit in insipientiam bestialem, ut comparatus sit jumentis insipientibus, & similis factus sit illis. Quis enim nisi temerarius existens audeat dicere, quod magis sit acquiescendum autoritati cujuscumque Doctoris, quàm autoritati Sanctorum Doctorum Sacræ Scripturæ, Augustini, Gregorii, Ambrosii, & Hieronymi, quos celebritate condigna Sancta Romana Ecclesia sublimavit? Et tamen Augustinus inter Doctores celeberrimus, dicit de se ipso III. de Trinitate, circa principium:* « Noli meis literis, quasi Scrip- « turis Canonicis, inservire: sed in illis, & quod « non credebas, cùm inveneris, incunctanter cre- « de: In istis autem, quod certum non tenebas, « nisi certum intellexeris, noli firmum retinere.... « *Ex quibus patet quòd compellere seu inducere aliquem*

Regula præscripta Theologo à Durando præscripta.

Durandus Opera sua correctioni Ecclesiæ Romanæ & Catholicæ subjicit.

quem, ne doceat vel scribat dissona ab iis, quæ determinatus Doctor scripsit, est talem Doctorem præferre Sacris Doctoribus, præcludere viam inquisitioni veritatis, & præstare impedimentum sciendi, & lumen rationis non solùm occultare sub modio, sed comprimere violenter. Nos igitur plus rationi, quam cuicumque auctoritati humanæ consentientes, nullius puri hominis auctoritatem rationi præferimus, attendentes quòd omnibus existentibus amicis, sanctum est præhonorare veritatem. Istos Commentarios juvenis inchoavit, senex complevit, ut ipse testatur in Epilogo. Obiit die XIII. Septembris, anni MCCCXXXIII.

IV. *NICOLAUS DE LYRA*, Normanniæ oppido in Diœcesi Ebroïcensi, FF. Minorum Ordinem in Cœnobio Vernoliensi professus est; deinde Parisios missus, egregiam Sacris Literis navavit operam, & in ejusdem Regiæ Urbis Academia Doctoralibus Infulis ornatus, ibidem in suorum Conventu multos annos docuit. Brevia scripsit in universam Scripturam Sacram Commentaria, Tractatus contra Judæos, librum de Corpore Christi, Tractatum de [illegible] ministrante & suscipiente Sanctissimum Sacramentum Altaris, Commentarios in libros Sententiarum; &c. de quibus legendus *Wadingus* in Bibliotheca. Obiit die XXIII. Octobris, anno Christi MCCCXL. Religiosæ Professionis XLVIII. & in Aula Capitulari Conventus Parisiensis FF. Minorum sepultus est cum Epitaphio. Ipsum commendat *S. Antoninus* III. P. Chronicorum Tit. XXIV.

V. *LUPOLDUS BAMBERGENSIS*, Juris utriusque Professor doctissimus, non Bambergensis Episcopus, quamquam id *Trithemius* scripserit, floruit ab anno MCCCXXX. ad MCCCXL. Librum edidit *De Juribus Regni atque Imperii* ad *Balduinum* Trevirensem Archiepiscopum; necnon alterum *De zelo veterum Regum Galliæ, & Germaniæ Principum*, quo illorum in amplificandis Religionis Christianæ finibus studium probat & commendat.

VI. *ALVARUS PELAGIUS*, Hispanus, Ordinis FF. Minorum Professor, Sacrarum Literarum, & Juris utriusque peritissimus, Episcopus Coronensis in Achaïa, & Silvensis in Lusitanorum Algarbiis, scripsit libros duos *De Planctu Ecclesiæ*, quibus Virorum Ecclesiasticorum, omniúmque Reipublicæ Christianæ statuum vitia luculenter ac perspicuè perstringit. Item Summam Theologiæ, Commentaria in IV. libros Sententiarum; Collyrium adversùs hæreses; Speculum Regum; Apologiam pro Joanne XXII. contra *Marsilium Patavinum*; & *Guillelmum Okamum*, &c. Vixit sub annum MCCCXL. Ejus cum laude meminit *S. Antoninus* III. P. Tit. XXIV. Cap. VIII. §. II.

VII. *PETRUS A PALUDE*, filius *Girardi Varembonii* Toparchæ in Bressia, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, Hierosolymitanus Patriarcha, subscripsit Deliberationi ac Doctrinali Judicio ejusdem Facultatis, de visione Sanctarum Animarum, die secunda Januarii MCCCXXXIII. Præfuit Consilio Selectorum in Theologia Magistrorum, anno MCCCXXXI. habito de Literis quibusdam, quas *Robertus* Comes *Bellimontis* in Normannia in Parlamento protulerat, ut jus suum ad Comitatum Attrebatensem probaret, quas miraculo se invenisse jactabat, & quæ nihilominus falsæ ac supposititiæ probatæ fuerant. Unde causa ceciderat *Robertus*, & Comitatus Duci Burgundiæ adjudicatus fuerat. Sed & Domicella quædam hujus falsitatis rea igne damnata est, & Comes urgente conscientia fugere compulsus, ipsique di-

A cta dies ut coram Rege & Paribus se sisteret. Interim, ut Nangiani Chronici Continuator commemorat, *Quidam Frater Prædicator Confessor Domini Roberti prædicti, ad Aulam Episcopi Parisiensis in præsentia aliquorum Magistrorum in Theologia, & præcipuè Fratris Petri de Palude tunc Patriarchæ Hierosolymitani, & aliquorum aliorum Magistrorum, & præcipuè Mendicantium, & aliquorum de Secretariis Regis, adducitur, & de illis falsis Literis quid & quantùm sciret diligenter interrogatur: & quoniam ibi & alibi semper dixerat, quòd illud quod de prædictis Literis sciebat, erat* B *sub sigillo Confessionis, & per consequens illud non poterat nec debebat revelare, & in hoc proposito viriliter persistebat: Veruntamen quia antequam in ipsorum Magistrorum præsentiam veniret, ipse consenserat, quòd si Magistri in Theologia vellent in præsentia ejus asserere, quòd ipse posset istud sine peccato revelare, ipse revelaret de Literis & earum mutatione, quando & quomodo inventæ fuerunt, edoceret; idcirco Patriarcha prædictus de Ordine Prædicatorum Doctor in Theologia, assumpto verbo in præsentia dicti Fratris Confessoris, & omnium aliorum coassistentium, dixit, Quòd ipse poterat [illegible] sine peccato vel periculo revelare, quo-* C *niam (ut dicebat) sola peccata sub sigillo Confessionis cadunt, & quia istud non erat peccatum, sed magis erat ad manifestationem & elucidationem veritatis, & propter pacem & tranquillitatem totius Regni, & per hoc, si sciretur, justitia præclarissima virtutum in Regno Franciæ fieret, & etiam servaretur, & idcirco de revelatione nullum sibi periculum imminebat, immo sibi deberet pro merito compensari. Cui finienti alii assistentes Magistri consenserunt unanimiter*, &c. De Confessionis Sacramentalis arcano quæstio non erat: violari absque sacrilegio non posse, convênit semper inter Do-D ctores: sed an secreti religio ad sola peccata se extenderet, an etiam ad alia, quæ eadem serie pœnitens aperit Sacerdoti. Diffiteri non possum, quin periculosa sit hæc *Petri de Palude* & aliorum sententia, & si nullâ explicatione molliatur, omnino dura, nec ad praxim revocanda, ut quæ Confessionem Sacramentalem odiosam faciat. Quamobrem laudatus *Nangii* Continuator observat Responsum istud fuisse *contra doctrinam communem, quam Prædicatores reputant verissimam, & quam ipsi quotidie defendere nituntur, qua dicit, Quòd ea quæ sub eodem contextu cum peccatis dicuntur,* E *licèt peccata non sint, sub eodem sigillo Confessionis cum peccatis habentur*: Si tamen per ea, peccatâ vel peccator deprehendi possint. Hanc enim exceptionem adhibet *Sanctus Thomas*. Et illa nihilominus summo studio celanda monet, tum propter scandalum, tum propter pronitatem; quæ ex consuetudine accidere posset.

Durius cuipiam videri fortassis posset *Innocentii III.* responsum, de quo *Cæsarius Cisterciensis* lib. III. Historiarum Memorabilium, cap. XXI. & XXII. *In domo quadam Cisterciensis Ordinis Monachus quidam sine Ordine celebravit. Hoc cùm die qua-* F *dam Abbati suo retulisset in Confessione, nec tamen cessare vellet à tanta præsumptione, Abbas dolens & lachrymans, ut à blasphemia tam magna desisteret, miserum rogavit, monuit, præcepit, sed non profecit. Ille verò timens notari si cessaret, celebravit ut priùs.* Abbas in proximo Capitulo Generali casum generatim proposuit. Cisterciensis Abbas caput Ordinis, cæterique Abbates, à dicenda ea de re sententia temperarunt. Ad *Innocentium III.* relata quæstio est. Consuluit ille Cardinales, viróśque literatos, casum proposuit, singulorum sententiam rogavit; *Omnibus pene in hoc sentientibus quòd Confessio non esset prodenda, respondit:*

T *Ego*

Tom. XI. Spicilegii.

De sigillo Confessionis observatione digna.

Ego dico in tali articulo esse prodendam, quia talis Confessio non est Confessio, sed blasphemia. Nec debet Confessor blasphemiam talem ac insaniam celare, per quam periculum incumbere poterit toti Ecclesiæ. Et placuit sententia omnibus, scripsitque sequenti anno Capitulo, quod à se fuerat determinatum, & à Cardinalibus approbatum. Innocentius & Cardinales sentiebant sigillum Confessionis reserari non posse, ut ex Concilii Lateranensis IV. Canone XXI. compertum est; sed Confessionis fictæ & illusoriæ, seu declarationis peccati quæ animo confitendi facta non fuerat, nullum esse quoad secreti religionem privilegium censebant, utpote quæ Sacramentalis non esset, nec actus religionis, sed blasphemia.

Conjurationem in Summum Pontificem *Innocentium IV.* factam à quodam Sacerdote ipsi revelatam, qui unius è complicibus Confessionem audierat, refert *Matthæus Parisius*: Sed credere par est virum illum qui pœnitens obierat, totum conjurationis ordinem Sacerdoti propterea patefecisse, ut conjurationis auctorem, alterúmque complicem ejus Sanctitati indicaret: idque illi permisisse, prout officii sui esse ex Confessarii ejusdem monitis intellexerat. Rem ita commemorat *Parisius* ad annum MCCLVII. Cùm *VValterus de Ocra* Frederici II. Clericus & Consiliarius specialis *Radulfum* militem transfugam ad cædem *Innocentii IV.* subornasset, hospitémque *Reginaldum* in nefariæ conjurationis consortium traxissent, qui Pontifici & ejus Ministris notus erat: *Accidit infra paucos dies sequentes, ut idem Reginaldus graviter & usque ad mortem infirmitate subitâ correptus, Presbytero suo in Confessione hæc omnia insinuavit moriturus, & sic pœnitens in fata concessit. Sacerdos autem statim hoc imminens periculum Papæ fiducialiter intimavit. Missis igitur expeditissimis nuntiis repentinè armatis, captus est miles supradictus Radulfus, qui cùm omnia constanter inficiaretur, tandem tormentis exquisitis expositus, virus conceptum proditionis prænotatæ evomens, rei veritatem eminus toti Papali Curiæ propalavit.* Hæc digressio non inutilis fuerit nec ingrata, ut palam fiat XIII. & XIV. sæculi Doctores de religione sigilli Sacramentalis Confessionis aliud non sensisse quàm modò sentiat ac semper censuerit Ecclesia Catholica. Quæ occasione Responsi à *Petro Paludano* & aliis Sacræ Facultatis Parisiensis Doctoribus dati in negotio Comitis Bellimontis dicta sunt.

Petri à Palude Opera.

Obiit *Petrus à Palude* Parisiis anno MCCCXLI. seu, ut modò numeramus, MCCCXLII. die ultima Januarii, & in Majori Conventu FF. Prædicatorum sepultus est, ipsique positum ibi Epitaphium refellit eos qui in Regno Cypri defunctum non satis considerate scripserunt. Commentaria in totam Scripturam Sacram, secundùm multiplicem expositionem, ut refert *S. Antoninus* III. P. Chronicorum Tit. XXIII. Cap. XI. §. 2. In libros Sententiarum; Tractatum *De Causa immediata Ecclesiasticæ Potestatis*, & Sermones de Tempore, transmisit ad posteros. *Declaratorem & Defensorem doctrinæ S. Thomæ* S. Antoninus prædicat, ejúsque Commentarium in IV. librum Sententiarum, quoad *Practicam Casuum conscientiæ*, cæteris anteponit.

VIII. *NICEPHORUS GREGORAS*, sub Imperatoribus *Andronicis* Historiæ Byzantinæ libros XI. scripsit, quibus res annorum centum quadraginta quinque complexus est, à Constantinopoli per Latinos capta, sive à *Theodoro Lascare Seniore*, usque ad annum MCCCLXI. quo *Andronicus junior* obiit. Ipsius meminit *Joannes Cantacuzenus* lib. IV. capp. XXIV. & XXV. ubi levem & mendaciorum manifestum appellat. De ipso *Lipsius* in Notis ad lib. I. Politicorum legendus. *Nicephori Gregoræ* Historiam Latinitate donavit ac in lucem edidit *Hieronymus VVolfius*: quædam ejusdem Historici fragmenta P. *Petavius* S. J. vir clarissimus post *Nicephori* Patriarchæ Constantinopolitani Breviarium publicavit. *Theodorum Metochitam* Magnum Logothetam, virum in Philosophia Peripatetica, & Historia eruditum, Scriptisque clarum, Oratione funebri laudavit *Nicephorus Gregoras*. Librum etiam Synesii, *De Insomniis*, interpretatus est.

IX. *JOANNES DE BACCONE*, aut *Bacondorpius*, à villa natali in agro Nortfolciensi in Anglia nuncupatus, Ordinis Carmelitarum, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, quem anno MCCCL. claruisse *Trithemius* tradit, alii anno MCCCXLVI. obiisse: Scripsit Commentaria in quatuor libros Magistri Sententiarum, Compendium Legis Christi, Quodlibeta quædam Carmeliticum Ordinem spectantia, Commentaria in libros *Sancti Augustini de Civitate Dei, & de Trinitate*, & in libros *Sancti Anselmi de Incarnatione Verbi*, & *Cur Deus homo*. Sermones varios, &c.

X. *GUILLELMUS OKAM*, Anglus, *Joanne XXII.* Pontifice Maximo & *Ludovico Bavaro* Imperante, turbas excitavit maximas. *VVadingi*, de ipso Judicium in Bibliotheca referre malim, quàm ejus elogium verbis meis contexere. « Scholam inchoavit vel maximè stabilivit Nominalium. « Vir quidem acris ingenii, sed minimè sobrii; « plus enim volebat sapere quàm oportebat; nec timuit in cœlum os suum ponere, & sacram deprimere Pontificiam, nimiúmque extollere Imperatoriam Dignitatem. Insipienti zelo & nimis ardenti defendere volens Franciscanæ paupertatis excellentiam, timens incidere in manus *Joannis XXII.* Minorum sententiæ valde contrarii, fugit cum *Michaële Casenate* ad *Ludovicum Bavarum*, qui tunc Cæsarem agebat, « scripsitque intemperanter nimis contra Joannem Ludovici adversarium plurima Opuscula, quorum aliqua proscripta sunt, & alia cautè sunt legenda. Si fœdam hanc maculam non incurrisset, insigni inter Theologos nomine audiret. Eámque nihilominus retinuit famam, ut *Venerabilis Inceptor*, & *Singularis Doctor* communiter appelletur. Ejus Opera ibidem *VVadingus* enumerat. Obiit Monachii « anno MCCCXLVII. si ejus Epitaphio fides, quod illic in Odæo Fratrum Minorum legitur. Falsum Epitaphium alterum Capuæ erectum, quo die XX. Septembris anno MCCCXX. obiisse dicitur. Sub vitæ finem resipuisse, & à Censuris absolutum, *Trithemius* Abbas testatur, idémque ex Literis *Clementis VI.* ad Ministrum Generalem Ordinis datis *VVadingus* probat, quibus ipsi potestatem fecit absolvendi *Okamum*, aliósque Fratres, qui Schismati *Ludovici Bavari* adhæserant. Refert has Literas in Annalibus Minorum ad annum MCCCXLVII. Num. XXII. Ipsum etiam ab hæreseos labe purgat, etsi Hæreticus appelletur in Sententia contra ipsum latis, non ob aliquam hæreticæ doctrinæ assertionem, sed ob præsumptionem & gravem suspicionem. *Okamo* plus æquo favebant Nominales Academiæ Parisiensis, & *Joanni XXII.* iniquiores erant, in Articulis quos miserunt ad Regem Christianissimum *Ludovicum XI.* anno MCCCCLXXIII. cùm ejus Majestas agentibus Magistro *Joanne Boucart*, & Thomistis, jussisset *Okami* & Nominalium doctrinam condemnari, & deinceps in eadem Universitate doceri ac legi prohibuisset. Articulos illos edidit *Stephanus Baluzius* Vir Clarissimus, libro IV. Miscellaneorum, p. 531.

Okam sub vitæ finem resipuit.

XI. *BARTHOLOMÆUS A S. CONCORDIO*, Pisanus, Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologus, Summam Casuum conscientiæ, quæ *Pisanella* ex ejus nomine vocatur, absolvit anno Christi MCCCXXXVIII. Reliquit & Sermones Quadragesimales. Obiit anno MCCCXLVII. Ejus cum laude meminit *Trithemius* Abbas.

XII. *PTOLOMÆUS LUCENSIS*, Ordinis Fratrum Prædicatorum Professor, Episcopus Torcellanus prope Venetias, Annales scripsit ab anno MLX. usque ad annum MCCCIII. Extant typis Lugdunensibus vulgati. Scripsit etiam Historiæ Ecclesiasticæ libros XXIV. quibus finem imposuit anno MCCCXXXVII. die XIV. Januarii. Extant MSS. in Bibliotheca Vaticana, & sæpe ab *Odorico Raynaldo* laudantur. Ejus cum laude meminere Blondus, lib. XIII. *Platina* in Vita Lucii III. *Raphaël Volaterranus* initio libri XXII. Commentariorum Urbanorum, &c.

ARTICULUS IV.

De Joanne Andrea, Joanne Villanio, Simeone à Cassia, Petro Bertrando, Roberto Holkot, Alberico de Rosate, Nicolao Cabasila, & Nicolao de Gorram.

I. *JOANNES ANDREAS* Bononiensis Jurisconsultus, quem *Trithemius* omnium admiratione celeberrimum, fontem Canonum, dubiorum cautissimum Interpretem prædicat, scripsit Novellas seu Commentaria in quinque libros Decretalium, Glossas in Sextum & Clementinas, Addinones ad Speculum *Guillelmi Durandi* Episcopi Mimatensis, &c. Bononiæ ex peste obiit die VII. Julii, anno MCCCXLVIII.

II. *JOANNES VILLANIUS*, Florentinus, libris XII. Historiam Italicè scripsit, à primis *Nembrothi* temporibus, ad annum MCCCXLVIII. quo finem vivendi fecit. Continuavit *Matthæus* ejus frater. Inter optimos Historicos laudatur.

III. *SIMEON A CASSIA*, natali in Hernicis vico appellatus, Ordinis Eremitarum *S. Augustini* Concionator insignis, vitæ sanctimoniâ conspicuus, necnon Prophetiæ dono, ut *Trithemius* Abbas testatur, libros XV. de Gestis Christi Salvatoris scripsit, in quibus universam quatuor Evangelistarum Historiam, sub unius narrationis ordine dispositam, juxta historicam & mysticam intelligentiam luculenter exposuit, inquit *Sixtus Senensis* lib. IV. Bibliothecæ Sanctæ, pag. 300. Scripsit præterea de Beata Virgine. Obiit 2. Februarii, MCCCXLVIII.

IV. *PETRUS BERTRANDUS*, filius *Matthæi Bertrandi*, civis Aononensis in Diœcesi Vivariensi; frater *Guillelmi* Noviomensis Episcopi, Juris utriusque Professor in Academiis Avenionensi, Monspeliensi, Aurelianensi, & Parisiensi, Aniciensis Ecclesiæ Decanus, deinde *Joanna* Reginæ Francorum, & Burgundiæ Comitissæ Cancellarius, postea creatus Episcopus primùm Nivernensis, tum Æduensis anno MCCCXXV. demum S. R. E. Cardinalis à *Joanne XXII.* Pontifice Maximo renunciatus die vigesima Decembris anno MCCCXXXI. cùm ante biennium, die scilicet XV. Decembris anno MCCCXXIX. Jurisdictionem & libertatem Ecclesiæ adversùs *Petrum de Cugneriis* Regium Advocatum luculentâ disputatione tuendo coram *Philippo Valesio* Rege Christianissimo, de Religione præclarè meritus esset. Antequam Ecclesiæ causam ageret, solemnem hanc Protestationem præmisit: *Quicquid dicturus sum, volo dicere, non ad finem subeundi quodcumque judicium, sed solum ad Domini Regis, & ei Assistentium conscientiam informandam.* Solemnis hujus Disputationis Acta cum ejusdem *Bertrandi* Tractatu *De Origine & usu Jurisdictionum*, sive *De spirituali & temporali potestate*, edita sunt in Bibliotheca Patrum. Pia loca plurima excitavit, fundavitque, & inter alia Collegium Augustodunense Parisiis, anno MCCCLX. Obiit Avenione, anno MCCCXLVIII. die XXIV. Junii, & in Prioratu Beatæ Virginis *de Montealto*, prope Avenionem, sepultus est.

V. *ROBERTUS HOLKOTH*, Northamptoniæ in Anglia natus, Ordinis Prædicatorum, in Academia Oxoniensi Doctor & Professor, Commentaria scripsit in librum *Sapientiæ*, in *Canticum Canticorum*, in septem priora *Ecclesiastici* Capita, & in IV. *libros Sententiarum*. Obiit ex lue epidemica anno MCCCXLIX. ut *Trithemius* Abbas, *Antoninus Senensis*, & *Alfonsus Fernandez*, in Catologo Scriptorum Concertationi Prædicatoriæ subjecto, testantur.

VI. *ALBERICUS DE ROSATE*, seu *Roxiati*, Bergomensis, Juris Canonici Doctor insignis, circa medium Sæculi XIV. scripsit *Commentaria in librum VI. Decretalium*, &c.

VII. *NICOLAUS CABASILAS*, Thessalonicensis Archiepiscopus, Schismaticus, cujus meminit *Joannes Cantacuzenus* lib. III. Historiæ Capp. LXXIII. & XCIX. vixit circa annum Christi MCCCL. Scripsit libros sex *De Vita in Christo*, quibus ostendit, eam per Baptismi, Sacræ Unctionis, sive Confirmationis, & Eucharistiæ Mysteria constitui, & quo pacto eam conservare oporteat. Doctum ac pium Opus, & ad animos Dei amore inflammandos miré appositum, *Jacobus Pontanus* S. J. Theologus, quo Interprete prodiit in lucem, prædicat. Ejusdem Orationem in Fœneratores edidit ex Codice Bibliothecæ Serenissimi Bavariæ Ducis, uti & præcedens Opus. Scripsit præterea *Compendiosam Interpretationem in Divinum Officium*, sive *Liturgiæ Expositionem*.

Doctrinam Catholicam de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & Transsubstantiationis veritatem adeo luculenter asserit ac explicat Capp. XXIV. XXVII. XXVIII. XXX. XXXII. XLVII. & XLIX. necnon lib. IV. *De Vita in Christo*, ut stupenda sit *Claudii* Caremonici Ministri cæcitas, & audacia, qui *Cabasilam* Calviniano errori suffragari asseruit. Eucharistiam Sacrificium esse propitiatorium pro vivis & defunctis, perspicuè docet Cap. XLII. Græcorum opinionem de Precum verba Christi consequentium necessitate ad Donorum consecrationem propugnat Capp. XXIX. & XXX. Quamvis enim vi Dominicorum verborum consecrationem fieri censeat, eorum tamen vim ac efficaciam per orationes adjunctas concedit applicandam, quæ ideo perfecta non sit nisi precibus illis prolatis atque recitatis. Hanc esse Græcorum mentem, quam plerique Theologi non capiunt, constat ex *Cabasilæ* verbis: *Hic autem Latini quidam nostra reprehendunt. Dicunt enim post verbum Domini*, Accipite, comedite, *& quæ sequuntur, ad hoc ut sanctificentur Dona, nullâ amplius opus habere oratione, ut quæ à verbo Domini perfecta sint: Propterea qui postquam hæc verba dixerint, panem & vinum nominant, & tanquam nondum sanctificati precantur sanctificationem, præter id quod infidelitate laborant (inquiunt) vanam quamdam rem & supervacaneam faciunt. Quod autem hoc verbum est quod Dona perficit*, Beatus, inquiunt, *Cabasila & Græcorum cæterorum, de verbis quibus Corpus & Sanguis Christi conficiuntur, sententia, minùs à nostra in speciem*

inquiunt, *Chrysostomus testatur*, *dicens*, *Quòd quemadmodum opifex sermo*, *hic scilicet* : Crescite & multiplicamini, *semel quidem à Deo dictus est*, *semper autem operatur* ; *ita etiam hoc verbum semel à Servatore dictum*, *perpetuò operatur*. Ad hanc Latinorum objectionem ita respondet : *Hæc autem omnia non est solvere difficile* : *& primùm ab ipsis verbis Divi Joannis, quibus nituntur. Si enim hoc verbum id potest quod sermo opifex*, *illud consideremus. Dixit Deus* : Crescite & multiplicamini. *Quid ergo ? Post illum sermonem nullo adhuc egemus*, *& nullo alio nobis opus est ad generis incrementum ? An etiam Matrimonio & conjunctione*, *& alia cura opus est*, *& sine his fieri non potest ut genus constet & propagetur ? Ergo sicut illis ad liberorum procreationem Matrimonium necessarium ducimus* : *& post Matrimonium pro eo ipso rursus oramus*, *nec videmur opificem sermonem habere despicatui, scientes ipsum quidem esse causam generationis*, *sed hoc modo per Matrimonium*, *per nutrimentum*, *per alia* : *ita etiam credimus ipsum esse quod operatur Mysterium*, *Domini scilicet verbum*, *sed sic per Sacerdotem*, *per ejus interpellationem & orationem. Non enim per omnia simpliciter operatur*, *neque quomodocumque* : *sed multa sunt quæ requiruntur*, *sine quibus non faciet quæ sua sunt. De morte autem Christi*, *quis nescit eam esse solam*, *quæ peccatorum remissionem in mundum introduxerit ? Sed illud etiam scimus*, *quòd post mortem illam etiam fide*, *& pœnitentia*, *& confessione opus est*, *& Sacerdotum oratione*, *nec potest homo solvi à peccatis*, *nisi hæc præcesserint. Quid igitur ? Mortémne illam despicimus*, *& eam impotentiæ condemnamus*, *quòd existimamus non sufficere quæ ejus sunt*, *nisi etiam nostra afferamus ? Nequaquam. Neque ergo meritò accusandi sunt qui orant ut Dona perficiantur.* Scripsit idem *Cabasilas* duos Tractatus contra Latinos, unum *De Processione Spiritus Sancti* ; alterum qui inscribitur, Ελεγχος τῶν Λατίνων, quo *S. Thomam* refellendum sibi sumpsit.

VIII. *NICOLAUS DE GORRAM*, Ordinis Prædicatorum Professor, de cujus patria & ætate non conveniunt Authores, siquidem *Pitseus* Anglum ; *Sixtus Senensis*, *Fernandes*, *Possevinus* & alii Gallum ; quidam anno MCCCIV. ut *Antonius Senensis* & *Alfonsus Fernandez* : quidam anno MCCCL. ut *Bellarminus* ; nonnulli anno MCCCXC. ut *Eisengreinius*, & Sixtus Senensis ; alii MCCCC. ut *Simlerus*, *Pitseus*, & alii, floruisse scribunt, omnium consensu vixit XIV. sæculo. Scripsit Commentaria in IV. Evangelistas, & in Epistolas *Sancti Pauli*. Ipsum in scholasticis quæstionibus tractandis acutum, & in Sanctorum lectione exercitatissimum, edidisse scholastico & aperto sermone breves in universa Biblia Commentarios, sacrorum Voluminum studiosis valde proficuos, scribit *Sixtus Senensis* lib. IV. Bibliothecæ Sanctæ pag. 276. seque Venetiis in Bibliotheca *Sanctorum Joannis & Pauli* vidisse testatur Commentariorum ipsius in *Genesim* libros V. in *Psalterium* librum I. in Ecclesiasticum lib. I. in *Threnos* lib. I. in *Cantica Canticorum* lib. I. in *Matthæum* lib. I. in *Marcum* lib. I. in *Lucam* lib. I. in *Joannem* lib. I. in omnes Epistolas *Sancti Pauli* libros XIV.

❧

ARTICULUS V.

De Adamo Goddamo, Thoma Argentinensi, Gregorio Ariminensi, Bartolo, & Baldo, Joanne Calderino, Joanne Taulero, Henrico Susone, & Alphonso Vargas.

I. *ADAMUS GODDAMUS*, Anglus, Ordinis Fratrum Minorum, in Academia Oxoniensi Sacræ Theologiæ Doctor & Professor, quem anno MCCCXX. claruisse *Wadingus* tradit, quo verò obierit anno, incertum est, scripsit in Magistrum Sententiarum libros IV. & alia, quæ in Bibliotheca Patrum S. J. Lovanii MSS. extare scribit *Vvillotus* in suis Athenis Franciscanis, aliáque in Bibliotheca Franciscanorum *Nanceii* se vidisse *Pitseus* testatur.

II. *THOMAS ARGENTINENSIS*, natione Germanus, patria Argentoratensis, Ordinis Eremitarum *Sancti Augustini* Prior Generalis Parisiis electus est anno MCCCXLV. cumque annos XII. Magistratum gessisset, obiit Viennæ ad Danubium, in Austria, anno MCCCLVII. editis in quatuor libros Magistri Sententiarum Commentariis celebris. Non istius, sed alterius cognominis, Ordinis Prædicatorum, qui anno MCCCCXCV. claruit, teste *Simlero*, sunt *Sermones*, reliquis omnibus hujus generis scriptis, *Trithemio* judice, præferendi ; *Meditationum* liber unus, *Epistolæ*, & *Quæstiones*.

III. *GREGORIUS ARIMINENSIS*, à patria cognominatus, Ordinis Eremitarum *Sancti Augustini* Professor, & in suprema ejusdem Ordinis Præfectura *Thomæ Argentinensis* Successor, Scholasticorum sui temporis subtilissimus, editis in IV. *libros Sententiarum*, in *Epistolas Sancti Pauli*, & *Canonicam Sancti Jacobi*, Commentariis ; libro *de Usuris*, necnon *Sermonibus de Tempore & de Sanctis*, nomen sibi inter eruditos peperit. Vivere desiit Viennæ in Austria, anno MCCCLVIII. Ejus cum laude meminere *Trithemius* Abbas, *Sabellicus*, noster *Sixtus Senensis*, & alii.

IV. *BARTOLUS DE SAXOFERRATO*, Jurisconsultus celeberrimus, in Mathematicis etiam & Hebraïcis versatissimus, à quibusdam anno MCCCLV. ab aliis, ut à *Lanceloto* in ejus Vita, obiisse dicitur anno MCCCLIX. Præceptores habuit *Cynum* & *Jacobum de Butrigariis*, auditorem *Baldum*. Ejus Opera Jurisconsultis notissima sunt. A *Palmerio* in Chronico, *Trithemio* lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, *Paulo Jovio* in Elogiis, *Volaterrano*, Antropologiæ lib. XXI. *Mantuano* & *Fichardo* in Vitis Jurisconsultorum commendatur.

V. *BALDUS DE UBALDIS*, Perusii natus, *Bartolum* Præceptorem ingenii fœlicitate & doctrinæ varietate superavit. A *Joanne Galeatio* Duce Mediolanensi Papiam accersitus, Jurisprudentiam ibi publicè multis annis professus est. Annos egit sequenti sæculo tres & viginti, decrepita prorsus ætate mortuus anno MCCCCXXIII. quem ad vitæ extremum, habitum *Sancti Francisci* suscepisse nonnulli tradunt, idque colligere sibi videntur ex Epitaphio ipsi erecto Ticini in Templo *Sancti Francisci* :

Clauditur hic Baldus, Francisci tegmine fultus,
Doctorum Princeps, Perusina editus arce.

Quamquam hæc solùm significent ipsum in Ecclesia

Ecclesia Franciscanorum sepultum fuisse. Ipsum inter Scriptores Ordinis Minorum proptérea numerat *Vvadingus*, *Rodulphum*, & *Vvillotum* secutus, ejúsque recenset Opera in Bibliotheca sua. Inter quæ locum habet liber unus in 51. *Decretalium*. Egregium etiam Commentarium scripsit pro asserendo *Urbani VI.* Pontificatu anno MCCCLXXVIII. quem ex MS. Vaticano edidit *Odericus Raynaldus* ad calcem Tomi XVII. Annalium Ecclesiasticorum.

VI. *JOANNES CALDERINUS*, patria Bononiensis, à *Joanne Andrea* in filium adoptatus, scripsit *Commentaria in libros Decretalium*, *Decisiones*, *Consilia*, &c. Vixit circa annum MCCCLX. Bononiæ in Ecclesia Fratrum Prædicatorum sepultus.

VII. *JOANNES TAULERUS*, natione Germanus, à sæculi vanitate divinâ gratiâ conversus, Prædicatorum Ordinem professus in Conventu Coloniensi, Concionator egregius, & vitæ spiritualis Magister eximius evasit. Ejus extant Sermones, & alii Tractatus unctionem Spiritus Sancti referentes, nimirum *De veris Virtutibus*, *Institutionibusque divinis* : *Epistola*, *Prophetia*, *Cantica spiritualia animæ Deum impensè amantis* : *De novem Gradibus Christianæ perfectionis* : *Speculum lucidissimum*, *& exemplar Domini nostri Jesu Christi* : *Exercitia de Vita & Passione Christi* : *Convivium M. Ekardi jucundum & pium* : *Colloquium Theologi & Mendici* : *De decem Cæcitatibus*, *& quatuordecim Divini Amoris radiosibus*, &c. Quæ ex Germanico Idiomate in Latinum transtulit, edidítque *Laurentius Surius*, Carthusiæ Coloniensis alumnus, cum Vitæ & Conversionis ejus Historia. Obiit anno MCCCLXI. XVI. Kalendas Junii, ut constat ex inscriptione lapidis, qui Argentorati in Collegio Academiæ positus est. Alii ejus obitum ad annum MCCCLV. referunt. De *Taulero* iniquè & acerbè judicavit *Eckius*, vir alioqui doctissimus, eíque hæreseos notam inussit, & somniatorem appellavit. Pro ipso verò Apologiam scripsit Vir Religiosissimus, & Spiritus Sancti pariter discipulus, Vitæque Spiritualis insignis Magister *Ludovicus Blosius*, Lætiensis Abbas, qui inter alia hæc de *Taulero* nostro habet: *Taulerus Catholicæ fidei cultor integerrimus est. Ea quæ scripsit, sana, & planè divina sunt, ut cognoscere possunt qui in illis sunt versati. Sed Eckius ardore Ecclesiæ succensus, indignè tulit quòd Lutherus magnificè laudaret Taulerum, & sententiis suis prava dogmata confirmare niteretur. Quid verò mirum, si miser & infœlix ille suos errores dictis Tauleri à se perperam allegatis tueri tentaverit, cùm non solum Sanctorum Patrum, verùm ipsius quoque Sacræ & Divinæ Scripturæ verbis impudentissimè ad suam hæresim stabiliendam abutatur? Si doctrinæ Tauleri adhærere voluisset, profectò hæreticus nunquam fuisset. Nam ex unius Tauleri scriptis hæreses, quæ hisce temporibus emerserunt, plenissimè confutari possunt.* Et postea : *Eckius non putans se falli, dicit : Utinam Taulerus prorsus lateret, & non involaret in Monasteria! Ego verò in nomine Domini dico : Utinam Taulerus ubique gentium cognitus esset, atque à quampluribus diligentissimè legeretur! Verùm Eckius, licet minùs circumspectè damnaverit Taulerum, nondum à se satis studiosè lectum, nequaquam tamen hoc malignè fecisse credendus est : sed fervens ille zelus quo invehebatur in Lutherum Hæresiarcham, facilè illi persuasit ut præproperè iniquam de sanctissimo viro Taulero sententiam ferret.*

Tauleri Opera.

Tauleri Vindiciæ.

VIII. *B. HENRICUS SUSO*, natione Suevus, honesta & insigni familia oriundus, ob eximium Christi amorem *Amandi* cognomen à Deo accepit. Paternum cognomen usurpare noluit, sed matris utpote matronæ sanctissimæ, retinuit, ut simul etiam virtutes illius æmularetur. Unde factum est ut non *Henricus Montensis* ex patre, sed *Henricus Suso* ex matre sit appellatus. Æternæ Sapientiæ amore captus, ejus Minister esse & dici meruit. Multis afflictionibus interiùs vexatus, multis etiam divinis favoribus atque solatiis recreatus est. Nomen Jesu carni suæ supra cor stylo inscripsit, totáque vitâ id signum pietatis suæ ac ardentissimæ caritatis retinuit. Ergà Deiparam Virginem singulari devotione propensus, cœlestibus deliciis ab ipsa perfusus & cumulatus est. Crucem 30. clavis horrentem annis octo diu noctúque inter scapulas gessit in ipsa carne, cui extremo anno acus septem addidit in honorem doloris quo Deiparæ cor & anima in Filii morte confixa fuere. Pœnitentiæ & Christianæ mortificationis exemplar admirabile ac penè inimitabile se præbuit, Christique Passioni se conformare studiis omnibus conatus est. In salutem proximorum procurandam, & nomen Jesu prædicandum incomparabili fervore incubuit. Obiit vir sanctissimus Ulmæ die XXV. Januarii, anno MCCCLXV. Ipsius Vitam literis mandavit *Surius*, & quæ ipsemet vir sanctus de se, veluti de alio quopiam scripserat, aliíque ab eo audita annotaverant, iis ad Vitam illam contexendam usus est. Eam inter Acta Sanctorum mensis Januarii, Tom. II. ad diem XXV. P. *Bollandus* exhibuit. Idem Surius *Blosio* Lætiensi Abbate piissimo rogante, omnia *Henrici Susonis* Opera è Suevico idiomate in Latinum vertit, ac in lucem edidit, scilicet, *Dialogum Sapientiæ & Ministri ejus*, sive *Horologium Sapientiæ*, *Conciones*, *Epistolas* : *Dialogum de Veritate*, *cum Appendice* : *Libellum de novem Rupibus* : *centum Meditationes Dominicæ Passionis*, *Officium quotidianum de Divina Sapientia*. De quibus Religiosus Editor in Epistola Dedicatoria ad *Blosium* Abbatem scribit : *Credo equidem neminem tam saxeo esse pectore, qui non cœlestis gratiæ inexperta priùs illustratione sit nonnihil immutandus, si se sedulum horum præbere lectorem non recusaverit.*

B. Henrici Susonis elogium.

B. Henrici Susonis Opera.

IX. *ALFONSUS VARGAS*, natione Hispanus, patria Toletanus, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, Uxamensis primùm, deinde Pacensis Episcopus, ac demum Archiepiscopus Hispalensis, ex Ordine Eremitarum Sancti Augustini assumptus, scriptis in 17. libros Magistri Sententiarum Commentariis, olim Parisiis dictatis, inter Authores Scholasticos nomen consecutus, obiit Hispali, die XXVI. Decembris, anni MCCCLXVI.

ARTICULUS VI.

De Francisco Petrarcha, Nicolao Oresmio, Joanne Rusbrochio, Ranulpho Hygden, Joanne Trevisa, Joanne Malvernæo, Guillelmo Conventriensi, Thoma Stubs, Alberto Argentinensi, S. Catharina Senensi, S. Raymundo Capuano, Henrico Knygton, Gerardo Zutphaniensi, & Gerardo Magno, Marsilio ab Ingen, Radulpho de Rivo, & Nicolao Eymerico.

I. *FRANCISCUS PETRARCHA*, excellentis vir ingenii, & exquisitæ doctri-

A næ, Latinæ patriæque linguæ cultu, ac Poëtica etiam utráque facultate sui sæculi Princeps, qui literas à multo ævo sepultas è Gotthicis tumulis excitavit, inquit *Paulus Jovius* in Elogiis Doctorum Virorum; Aretii, Patre Florentino exule natus est anno MCCCIV. die XX. Julii, claruit anno MCCCXL. & proximis annis XXXIV. Parmensis Archidiaconus fuit, tum Cathedralis Ecclesiæ Paravinæ Canonicus. Præter Epistolas & Carmina, scripsit Dialogos excellentes *De Remediis utriusque fortuna*, libros duos *De Vita Solitaria*, totidem *De Otio Religiosorum*, *Dialogos de vera Sapientia*, & *De Contemptu mundi*, *Psalmos* VII. *Pœnitentiales*, Librum I. *De Republica optimè administranda*, alterum *De Officio & Virtutibus Imperatoriis*, libros IV. *Rerum Memorandarum*, Opus Historicum, exemplis cùm antiquis constans, tum recentioribus, &c. Seriis hisce lucubrationibus temporis in suis [illegible] *Lauram* canendis amoribus malè collocati maculam abstersit: Quamquam (ut ipse profitetur) unico illo & honesto amore captus fuerit. De ipso legendi Poggius, Trithemius, Paulus Jovius, Raphaël Volaterranus Anthropologiæ lib. XXI. Jacobus Bergomensis lib. XXIII. Supplementi Chronicorum, Xicco Polentonus, Hieronymus Squarzafichus, in ejus Vita, & Jacobus Philippus Thomasinus, Episcopus Æmoniensis in *Petrarcha Redivivo*: sed legenda ante omnes ipsius Petrarchæ Epistola de Origine, Vita, conversatione sua, & studiorum successu, Operibus ipsius præposita. Obiit in Arquato sive Arquada, agri Patavini pago, anno 1374. ætatis 70. ubi & magnificum habet sepulchrum, quatuor porphyreticis columnis subnixum.

II. *NICOLAUS ORESMIUS*, Theologus Parisiensis, & Navarrici Collegii Gymnasiarcha, Sanctæ Capellæ Canonicus, *Caroli V.* Regis Christianissimi Præceptor, cujus jussu Aristotelis Ethica & Politica, aliáque, Gallicâ Versione donavit, ex Decano Metropolitanæ Rothomagensis Ecclesiæ, Lexoviensis Episcopus creatus est anno MCCCLXXVII. Scripsit Librum *De Communicatione Idiomatum*, Tractatum *Contra Astrologos Judiciarios*, & Tractatum *De Mutatione Monetarum*, qui Tom. XXVI. Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunensis habetur. Sacra etiam Biblia Gallicè reddidit.

III. *JOANNES RUISBROKIUS*, à pago *Ruisbroëk* ad Sennam fluvium inter Bruxellam & Hallas cognominatus, Primus Prior Cœnobii Canonicorum Regularium in Viridivalle, sita in Sylva Sonia ad secundum ab eadem urbe lapidem, *Doctor Divinus*, & *Excellentissimus Contemplator* appellatus, obiit anno MCCCLXXXI. ætatis LXXXVIII. die secunda Decembris. Vitam ejus edidit *Henricus à Pomerio*, ejusdem Cœnobii Canonicus Regularis. Scripsit Ruisbrochius *Summam totius Vitæ Spiritualis*, *Speculum salutis æternæ*; *Commentaria in Tabernaculum Mosis*, *& ad id pertinentia*; *Tractatum de præcipuis quibusdam virtutibus*; *De Fide & Judicio*; *De IV. Tentationibus*: *De VII. custodiis Scholæ Spiritualis*; *De septem gradibus Amoris, sive scalis*; *Libros III. De Nuptiis Spiritualibus*; *De perfectione filiorum Dei*; *Regnum amantium Deum*: *De vera Contemplatione*; &c.

Joannis Ruisbrochii Opera

Venerabilis Ecclesiæ & Universitatis Parisiensis Cancellarius *Joannes Gersonius* scripsit Epistolam contra librum Ruisbrochii *De ornatu spiritualium Nuptiarum*; reprehenditque quod doceret, Animam perfectè contemplantem Deum non solùm videre eum per claritatem, quæ est divina essentia, sed esse ipsammet claritatem divinam: Contemplatione quippe animam unum fieri cum Deo secundùm existentiam, & divinæ existentiæ abysso absorberi. Atque ita in errorem *Almarici* ab Ecclesia damnatum declinasse videbatur. Hunc esse seosum Authoris probat *Gersonius* ex ejus verbis in illa ad *Bartholomæum* Carthusiensem Epistola. Apologiam pro *Ruisbrochio* contra *Gersonium* scripsit *Joannes de Schoenhavia*, quæ extat inter ejusdem *Gersonii* Opera. Contra quam Apologiam idem Cancellarius Epistolam scripsit, quâ reprehensionem Religiosissimi Viri temperat. *Postmodum*, inquit, B *verbis excusare conatus sum prædictum Auctorem, postquam innotuit mihi quod in alio loco plus expresserit quod creatura nullo modo perdit esse suum quod habet in proprio genere: quod si ita inseruisset ad verba tertiæ partis sui Tractatus, non ita præbuisset occasionem errandi & se culpandi, non solùm apud simplices, sed literatos & doctos.* Cæterùm viros pios, & qui dono contemplationis insignes habentur, plerumque labi in errorem observat, doctrinæ & eruditionis defectu: ideo ipsos à scribendo vel docendo temperare sibi debere. *Qui amant, sibi somnia fingunt, ait Virgilius. Super hoc dicto cum experientia & ratione certa fundatur dictum* C *prioris Epistolæ meæ, quæ sic ponitur: Sicut ex carentia pii affectus, & magis ex infectione ejus per vitia, errant nonnunquam peritissimi in Literis Sacris: excæcavit enim eos malitia eorum, & dati sunt in reprobum sensum: Ita & parvo lumine intellectus, & parva instructione in studio literarum, etiam secularium, quandoque, præsertim in Logica, prolabuntur aliquando in errores periculosissimos illi qui magnorum sunt ergo virtutes affectuum: quales Apostolus vocavit habere Zelum, sed non secundum scientiam: adeo ut si non humiliter sapiant, & nisi sese contrahant infra metas suæ cognitionis, nulli* D *pertinaciùs inveniuntur, neque absurdiùs errores confingere. Propterea non leviter oportet eos scribere, vel docere, sed nec absque cautela magna adhærendum est eis, nisi prævia discussione diligenti, & Doctorum examinatione. In talibus quippe sæpe reperimus plurima aut falsa, aut malè explicata, ac proinde multam erroris materiam præbentia simplicibus, quamquam in multis divinissima altissimáque sint. Addo nunc id quod evenit tempore meo de quadam quæ Prophetissa, & miraculorum operatrix reputata est à multis, quam & vidi, & allocutus sum. Hæc tandem dixit, & scribi jussit: Quod Spiritus suus, Deum contemplando fuerat annihilatus* E *vera annihilatione, & hinc recreatus. Et dum quæreretur qualiter hoc scire potuerat, respondebat se expertam. Dies mihi non sufficeret, si numerare vellem innumeras tales insanias amantium, immo & amentium, quia non secundùm scientiam.*

Tom. 1. pag. 419.

Pag. 466.

Gersonius in Ruisbrochium scribit.

Sed reprehensionem suam subinde temperat.

Viri pii & qui dono contemplationis insignes habentur, doctrinæ defectu plerumque in graves errores impingunt.

Observandus & ille Canon à Venerabili Cancellario ibidem traditus: *Modus loquendi Doctorum, si reperiatur improprius, & parabolicus: & inusitatus, aut figurativus, extendi, vel in usum trahi non debet, sed ad sensum proprium, & non figurativum, reverenter exponi. Alioqui frustra essent Doctores in Theologia, constituti principaliter* F *ad hoc officium elucidandi Sacram Scripturam, quam magis atque magis aliter agendo confunderent. Unde si quis ad vim vocis sustinere vellet quòd Deus ad liberandum suscepturus hominem non horruit Virginis uterum, utique erroris reus esset. Tolerent igitur patienter homines inferioris gradus & scientiæ, si dicta eorum quærantur ad proprium usum coarctari, non in perniciem Doctrinæ Catholicæ dilatari. Hac consideratione permotos existimo Doctores novissimos Thomam, Bonaventuram, Alexandrum de Ales, & similes, dum omisso omni verborum ornatu,*

Dicta Patrum & Doctorum inusitata, impropria & figurata, ad sensum proprium reducenda sunt & exponenda.

nata, tradiderunt Theologiam per quæstiones, ut sub certis regulis, & sub præcisa verborum forma, tutissimam haberemus Theologiam tam practicam, quam speculativam, reducendo Doctores omnes priores ad unam securámque locutionis proprietatem.

IV. *RANULPHUS HYGDEN*, aliis *Hygeden*, vel *Hykeden*, Anglus, Ordinis Benedictini Monachus, obiit anno Christi MCCCLXIII. Hic *Mappa Mundi*, & *Polychronici* auctor est; quod Opus constat sex libris, pro numero tum sex dierum quibus operatus est Deus, tum sex ætatum, in quas universa Mundi Historia distribuitur. Ab orbe creato exorsus, procedit usque ad annum MCCCXLIII.

V. *Polychronicon* Anglicè reddidit *JOANNES DE TREVISA*, illúdque continuavit addita LV. annorum Historia, usque ad annum MCCCXCVIII.

VI. His coævus fuit *JOANNES MALVERNÆUS*, sive *Milvernaus*, Anglus, Monachus Wigorniensis, Ordinis Benedictini, qui & *Polychronicon* continuavit: & Opus de Visionibus suis Anglicè scripsit. De tribus his postremis Authoribus lege *Gerardum Joannem Vossium*, lib. III. *De Historicis Latinis*, cap. II.

VII. *GUILLELMUS CONVENTRIENSIS*, Ordinis Carmelitarum Professor, Anglus, scripsit *De laude Religionis*, *Scutum Carmelitarum*, *Praconia Deiparæ Virginis*, *Annales breviores*, *Elucidarium fidei*, *Compendium Historiarum*, *Adversùs Peccata*, &c. Floruit anno MCCCLX.

VIII. *THOMAS STUBBS*, aliis *STOBBES*, patria Eboracensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum Professor, & Sacræ Theologiæ Doctor, *Chronicon* scripsit *De Archiepiscopis Eboracensibus*, ad annum usque MCCCLXXIII. Item librum inscriptum, *Statutum Ecclesiæ contra impugnantes Ecclesiastica Statuta*; *De Stipendiis debitis Prædicatoribus verbi Dei*; *De Perfectione vitæ solitariæ*: *De Arte moriendi*, &c. Celebratur ab *Antonio Senensi* in Bibliotheca Prædicatorum, à *Leandro Alberto* lib. IV. de Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum, *Baleo* Centuria VI. Scriptore 36. *Gesnero*, *Possevino*, & *Vossio* cap. II. lib. III. De Historicis Latinis. Ejus Chronicon editum est inter Historiæ Anglicanæ Scriptores Antiquos.

IX. *ALBERTUS ARGENTINENSIS*, Chronicon scripsit à *Rodolphi Hasburgensis* Imperio, sive ab anno MCCLXX. usque ad obitum *Caroli IV*. Imperatoris, qui incidit in annum MCCCLXXVIII. Editum est à *Christiano Urstisio*, cum aliis Rerum Germanicarum Scriptoribus.

S. Catharinæ Virginis Senensis elogium & opera.

X. *SANCTA CATHARINA*, Virgo Senensis, Tertii Ordinis *Sancti Dominici*, de Pœnitentia nuncupati, arcanorum Christi Sponsi conscia; favorum, dolorúmque particeps, ejúsque sacris Stigmatibus insignita; Prophetiæ, discretionis spirituum, & miraculorum charismatibus à Deo donata; Contemplativæ, activæque vitæ prodigium; Summorum Pontificum *Gregorii XI.* & *Urbani VI.* Legationibus pro Ecclesiæ commodis & pace præclarè functa, obiit Romæ, exeunte Aprili, anno MCCCLXXX. ætatis suæ tertio & trigesimo. A *Pio II.* Pontifice Maximo in numerum Sanctarum Virginum relata est anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, tertio Kalendas Julii. Trecentas sexaginta quatuor Epistolas scripsit, necnon librum Dialogorum, quibus Spiritus Sancti per ipsam loquentis, & ad vitam Christianam atque spiritualem homines informantis documenta saluberrima continentur. De illa *Papirius Massonus* lib. IV. Annalium: *Extant Catharinæ Senensis Epistolæ plures ad Urbanum, próque ejus causa ad Carolum V. Regem scripta pridie Nonas Maii* MCCCLXXIX. *quâ nihil gravius, nihil elegantius, aut concipi animo aut scribi ab ullo illius temporis viro certè potuisset, ne Petrarcha quidem excepto, cujus ingenium admirari, & cæteris illius ætatis Scriptoribus Opera ejus anteferre soleo.* Ibidem: *Gregorius XI. ad quem extant XII. Epistolæ Catharinæ Senensis sanctissimæ atque eloquentissimæ Virginis, quibus hortatur ut quamprimum in Italiam proficiscatur spretis impiorum consiliis &c.* Et infra: *Catharina, ex cujus ore melle dulcior fluebat oratio.*

XI. Beatus *RAYMUNDUS DE VINEA*, Capuanus, Ordinis Fratrum Prædicatorum Magister Generalis, Sanctæ *Catharinæ Senensis* antea Confessarius, & omnium ipsius arcanorum conscius, partim ex notitia per ejus Confessiones, & plurium annorum convictum haustâ, partim ex testium oculatorum relatione, partim ex primi ejus Confessarii *F. Thomæ Dominici* Scriptis, Vitam ejusdem Sanctæ Virginis Literis commendavit anno ab ejus obitu decimo. Librum etiam Dialogorum ipsius ex Italica lingua in Latinam vertit. Vitam inter Acta Sanctorum mensis Aprilis, Tom. III. ad diem XXX. retulerunt PP. *Henschenius* & *Papebrochius*. Scripsit etiam *Sanctus Raymundus* Vitam *Sanctæ Agnetis de Monte Politiano*, cùm junior esset; Tractatum in *Magnificat*, &c. Obiit Norimbergæ in Germania, anno MCCCXCIX. De ipso *Stephanus Senensis*, Prior Carthusiæ *Sanctæ Mariæ de Gratia* prope Ticinum, in Epistola ad Fratrem *Thomam Antonium de Senis*, de Virtutibus & Gestis *Sanctæ Catharinæ*, data XXVI. Octobris, anno MCCCCXI. ita scribit, cap. IV. *Exhortor in Domino devotos homines, qui delectantur audire virtutes reales, mirabiles, saluberrimas & exemplares istius almæ Virginis..... Legant Vitam ipsius editam & ordinatam à Reverendissimo Patre Magistro R. de Capua, Sacræ Paginæ Professore, qui longo tempore Confessor ejus extitit, & post ejus felicem obitum fuit factus Generalis Magister sui Ordinis, videlicet Prædicatorum, ubi multa utilia simul & pulcherrima reperient. Et quamvis aliqui fastidiosi lectores ab omni fructu devotionis alieni, dicant, quòd valdè prolixè scripsit; hoc apertissimè noverint universi, quòd in comparatione Gestorum ipse nimis abbreviavit Vitam illius, & ea quæ scripsit, indubitanter existimo quòd Spiritu Sancto dictante scripserit. Hoc verbum hic apposui confidenter, quia longam conversationem, licèt immeritus habui secum: & non ignoro commendabilem vitam ejus, atque dotes odoriferas, videlicet virginitatis, nobilitatis etiam corporea, scientiæ magnæ, ac aliarum virtutum, quibus à Divina Deo nostro fuerat insignitus...... Beatissimæ Virgini Mariæ devotissimus extitit, ut etiam apparet omnibus illum pulcherrimum atque devotum Tractatum, quem ipse super* Magnificat *edidit, attentè legentibus. Et quia, sicut ego piè credo, jam ad vitam æternam transivit, unum hactenus secretum in præsenti propalabo, & apud me certum habeo, quia per annos plurimos antequam ipse cognosceret almam Virginem supra scriptam vel è converso, Beatissima Virgo Maria corporaliter apparens ipsi Sacratissimæ Virgini Catharinæ, promisit ei dare unum fidelissimum devotum suum in Patrem & Confessorem, qui daret ei valde majorem consolationem, quàm hactenus habuerat à cæteris suis Confessoribus, ut postea rei probavit eventus.*

XII. *HENRICUS KNYGTON*, Canonicus Leycestrensis in Anglia sub *Richardi II.* Regis tempora claruit, ad cujus fermè obitum Historiam suam *De Eventibus Angliæ*, à *VVillelmo I.* perduxit,

duxit, ſive ad annum MCCCXCV. præmiſſo compendio de rebus aliquot Saxonicis & Normannicis. Quinque libros complectitur, qui inter veteres alios Anglicanæ Hiſtoriæ Scriptores editi ſunt, Tomo II.

XIII. *GERARDUS ZUTPHANIENSIS*, à natali ſolo cognominatus, è primis Clericis Vitæ Communis apud Daventrienſes à *Gerardo Magno* inſtitutis, quem non minùs converſatione, quàm ſcientia Scripturarum inſignem *Trithemius* Abbas prædicat, præter Sermones varios, duo ſcripſit Opuſcula *De Reformatione virium Animæ*, & *De ſpiritualibus Aſcenſionibus*, quæ in *Magni Gerardi* Vita commendat *Thomas à Kempis*. Obiit MCCCXCVIII. Laudata ipſius Opuſcula habentur Tom. XXVI. Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunenſis.

XIV. *GERARDUS MAGNUS*, Daventriæ ad Iſalam fluvium in Germania inferiore natus, cùm Literis Sacris in Academia Pariſienſi operam dediſſet, Ultrajectenſis & Aquiſgranenſis Eccleſiæ Canonicus factus eſt, quibus demum abdicatis Beneficiis, *Clericos* ſeu *Fratres Vitæ Communis* in patria inſtituit, qui & literis, & optimis moribus Chriſtianam Juventutem informarent. Scripſit *Proteſtationem de veridica Prædicatione: Concluſa & Propoſita; De ſtudio ſacrorum Librorum*: aliáque Opuſcula, Sermones, Epiſtolas de quibus *Aubertus Miræus* in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 444. Ad vitam immortalem tranſiit anno MCCCLXXXIV. die XX. Auguſti, ætatis XLIV. Vitam ipſius literis mandavit *Thomas à Kempis*.

XV. *MARSILIUS AB INGEN*, natione Germanus, Eccleſiæ *S. Andreæ* Colonienſis Canonicus & Theſaurarius, Heidelbergenſis Academiæ conditor, primúſque Doctor ac Rector, quam *Rupertus* Dux Bavariæ, & Comes Palatinus Rheni magnificè dotaverat, & *Urbanus VI.* Pontifex Maximus inſtar Pariſienſis confirmaverat, *Trithemio* teſte, Commentariis in IV. Libros Magiſtri Sententiarum poſteritati relictis, obiit XIII. Kalendas Septembris, anno MCCCXCIV.

XVI. *RADULPHUS DE RIVO*, Tungrenſis Eccleſiæ Decanus, decimo-quarto ſeculo cadente claruit, librúmque edidit *De Canonum Obſervantia in Eccleſiaſticis præſertim Officiis*. Propoſitionibus ſive Capitibus XXIII. conſtat. Tom. XXVI. Bibliothecæ Patrum, Lugdunenſibus Typis editus eſt. Obiit *Radulphus de Rivo* die III. Novembris anno MCCCCIII.

XVII. *NICOLAUS EYMERICUS*, Gerundæ in Catalonia natus, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſor, non Theologiæ duntaxat, ſed utriuſque Juris ſcientia inſignis, *Nicolao Roſelli* quem *Innocentius VI.* Cardinalitiis Infulis ornavit anno MCCCLVI. in Inquiſitoris Generalis per totum Aragoniæ Regnum munere ſucceſſit. Pro graviſſimis fidei negotiis Avenionem profectus, à *Gregorio XI.* Pontifice Maximo amantiſſimè ſuſceptus eſt, ejuſque Capellanus creatus, qui & varia ad ipſum pro variis cauſis Inquiſitionis munus ſpectantibus Reſcripta dedit. Plurima ſcripſit *Eymericus*, quibus nomen ſuum cum gloria tranſmiſit ad notitiam poſteritatis. Nam præter Philoſophicos, Commentarios edidit in quatuor Evangelia, in Epiſtolas Sancti Pauli ad Galatas & ad Hebræos, Sermones de Tempore, & de Sanctis, librum *De duabus Chriſti naturis*, item alterum *De tribus perſonis in Deo*, adversùs errores Parochorum Valentinæ urbis, qui Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrantes, fideles interrogabant: *Credis quod hæc Sacra Euchariſtia, quam præ manibus habeo, eſt Pater & Filius, & Spiritus Sanctus? & reſpondentibus, Credo*, porrigebant. Scripſit etiam *De excellentia Chriſti & B. Virginis; De Romani Pontificis Poteſtate*; & alia quæ in Conventu Gerundenſi FF. Prædicatorum MSS. extare dicuntur. & *Directorium Inquiſitorum: PRÆCLARUM ſanè & vetuſtate venerandum Opus, in quo ſumma religionis capita continentur, & quæ ad hæreticam iniquitatem coërcendam & extirpandam conducunt piè & eruditè præſcribuntur, & quicquid ad Sacrum Inquiſitionis Officium ſecurè exercendum exigitur, artificiosè ac methodicè demonſtratur.* Verba ſunt *Franciſci Pegnæ* in Epiſtola ad *Gregorium XIII.* Directorii nuncupatoria. *De Nicolao Eymerico*, ejuſque Geſtis legendi *Franciſcus Diago* in Hiſtoria Provinciæ Aragoniæ Ordinis Fratrum Prædicatorum lib. I. cap. 24. 25. 26. & 27. & lib. 2. *Bzovius* ad annum MCCCLXXII, Num. IX. & ſeq. *Nicolaus Janſenius* in Appendice ad Tom. III. *Bzovii*. Obiiſſe *Eymericum* Inquiſitorem Gerundæ die IV. Januarii anno MCCCXCIX. *Diago*, & *Bzovius* tradunt, quamvis anno MCCCXCIII. defunctum ex vetuſto Epitaphio quod ejus ſepulchro inciſum eſt, in Gerundenſi Fratrum Prædicatorum Conventu, certum habeat *Franciſcus Pegna*. Multos habuit vir ille, dum viveret, adverſarios (inquit idem Author) ſed non eſt mirandum, cùm ea ferè ſit eruditorum conditio, aut infœlicitas. Habet quæque virtus ſua adverſa & obſtantia vitia, & quò altiores ſunt turres, majoribus ventorum flatibus concutiuntur: & ut rectè protulit ille:

Nicolai Eymerici Opera.

Error Parochorum Valentinorum circa Euchariſtiam.

N. Eymericus multos habuit adverſarios, quæ viri eruditorum ferè ſors eſt.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſa graviore caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulgura montes.

Horat.

Hæc magna eſt & poſtrema viri laus, eum acri odio hæreticos omnes habuiſſe, cunctaſque hæreſes deteſtatum fuiſſe: res verò ad Fidem Chriſtianam & Religionem Catholicam ſpectantes, ſumma religione & pietate coluiſſe. Hæc *Pegna* in ejus Vitæ Breviario, quod Directorio præmiſit.

CAPUT VI.

De Conciliis Nationalibus & Provincialibus, quibus ſancita eſt Diſciplina Sæculis XIII. & XIV.

ARTICULUS I.

De Concilio Londinenſi anni MCC.

Londinum; Londres, Angliæ Regia Urbs, Epiſcop. ſub Metropoli Cantuarienſi.

HUBERTUS Cantuarienſis Archiepiſcopus & Angliæ Primas Londini apud Weſtmonaſterium Concilium celebravit anno ducenteſimo ſupra milleſimum, in quo tredecim conditi Canones. Primus nimiam feſtinationem aut protractionem in celebratione Miſſæ & Divini Officii recitatione prohibet, ac in verbis Canonis monet *non eſſe diu immorandum, propter inſurgentes cogitationes, quæ ut muſcæ morientes, perdunt ſuavitatem unguenti*. Secundus Presbyteris bis una die celebrare vetat, *niſi neceſſitate urgente*. Singulis Dominicis Euchariſtiam renovari jubet. Statuit ut publicè & inſtantes petenti detur, *niſi publicum ſit ejus delictum*. Tertius, ut Baptiſmus & Confirmatio conferantur, ſi dubitetur an confir-

Canonis Canonum.

matus

matus sit aliquis, vel baptizatus: *quia non dicitur iteratum quod non scitur fuisse collatum.* Item ut non liceat Diaconis baptizare vel pœnitentias dare, nisi in duplici necessitate, cùm scilicet Sacerdos non potest vel absens est, vel stultè non vult, & mors imminet puero, vel ægro. In necessitate verò à Laïco etiam baptizari posse declarat, & à patre vel matre pueri, *absque matrimonii præjudicio.* Quartus, ut Sacerdotes in pœnitentiis imponendis *Sacrorum Canonum statuta* sequantur, & diligenter attendant circumstantias, qualitatem scilicet personæ, quantitatem delicti, tempus, locum, causam, moram in peccato factam, devotionem animi Pœnitentis; & ut pœnitentia talis injungatur uxori, ut non reddatur marito suspecta de aliquo gravi & occulto peccato; idémque erga maritum observetur. Addit, *Ad Sacerdotum cupiditatem resecandam, ut Missæ non injungantur in Pœnitentiam his qui non fuerint Sacerdotes.* Quintus statuit ut Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, subditos in Visitationibus Parochiarum immodicis sumptibus non gravent, sed modum servent in Concilio Lateranensi III. Canone IV. præscriptum. Sextus, ut Episcopus, qui *sine certo titulo* Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, *tamdiu* necessaria *ipsi subministret, donec ei in aliqua Ecclesia convenientia stipendia Militiæ Clericali assignaverit*; nisi qui ordinatus est de sua vel paterna hereditate subsidia vitæ habere possit. Septimus, ne sententia excommunicationis vel suspensionis feratur, nisi Canonicâ monitione præmissâ, nec subjecti contra Disciplinam Ecclesiasticam, ante disceptationem causæ in vocem appellationis prorumpant. Prohibet præsertim ne Monachi *contra Regularem Prælati sui & Capituli disciplinam appellare præsumant.* Octavus, Ut pro Sacramentorum administratione & sepulturis, aut pro licentiâ docendi à Magistris nihil exigatur. Ne novi census ab Episcopis vel Abbatibus imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur. Ne Beneficia vel Ministeria Ecclesiastica promittantur aut conferantur alicui *antequam vacent, ne desiderare quis proximi sui mortem videatur, in cujus locum vel Beneficium se credit successurum.* IX. Ne decima minuatur occasione mercedis servientium, vel messorum: & ut *detentores decimarum* à Presbyteris Parochialibus excommunicentur, juxta Rotomagensis Statuta Concilii. *Decimus*, Ut Parochi in Ecclesiis suæ curæ commissis resideant: Clerici mulierculas à domibus suis eliminent, nec tabernas adeant. *Undecimus* statuit de Matrimonii impedimentis, prohibetque ne contrahatur sine trina denuntiatione publica in Ecclesia, neque si fuerint personæ incognitæ. Nec etiam conjungantur *nisi publicè, in facie Ecclesiæ, & præsente Sacerdote: Et si secus factum fuerit, non admittantur alicubi in Ecclesia, nisi speciali auctoritate Episcopi.* XII. Ut iis Canonica purgatio impertiatur, qui criminis alicujus infamia sunt aspersi, cujus convinci non possunt. XIII. Ut Leprosi Cœmeterium, Ecclesiam, & proprium Presbyterum habeant. XIV. Ecclesias & Beneficia, *sine Episcopali auctoritate, de manu Laica* recipi vetat. Item ne Monachi *pretio recipiantur* in Monasterio, nec *peculium habere permittantur. Si quis exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad Canonicos Ordines non accedat: is autem qui acceperit, Officii sui privatione mulctetur. Si verò peculium habuerit, nisi ei ab Abbate fuerit pro injuncta administratione permissum, à Communione removeatur Altaris: Et qui in extremis cum peculio inventus fuerit, nec Oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres recipiat sepulturam.* In singulis Canonibus hæc repetitur clausula, *Salvo in omnibus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ honore & privilegio.* Hæc Decreta suis Annalibus Anglicanis inseruit *Rogerius Hovedenus.*

In pœnitentiis imponendis quid attendendum?

Missæ in pœnitentiam Laïcis non injungendæ.

Titulus Ordinandorum.

Beneficia non conferenda vel promittenda antequam vacent.

Matrimonii mora denuntiatio & publica celebratio.

Peculium Monachis interdictum.

ARTICULUS II.

De Concilio Avenionensi.

HUgo Regiensis Episcopus, & *Theodisine,* Sedis Apostolicæ Legati, Concilium Avenione congregarunt anno Christi millesimo ducentesimo-nono, Pontificatus *Innocentii III.* duodecimo, octavo Idus Septembris. Adfuere quatuor Archiepiscopi, Viennensis, Arelatensis, Ebredunensis, & Aquensis; Episcopi viginti, Abbates aliique Ecclesiarum Rectores plurimi XXI. Canonibus Disciplina in Ecclesiis Provinciæ sancita est. I. Statuit ut Episcopus quilibet in sua Diœcesi frequentiùs & diligentiùs Fidem prædicet Orthodoxam; & cùm expedierit, per alias honestas & discretas personas faciat prædicari. II. Ut Hæretici secundùm Canonicas Sanctiones; & bonorum etiam confiscatione puniantur: Judæi ab omni administratione removeantur, nec in domibus suis ad ministerium permittantur habere Christianos. III. Ut festivis diebus & solemnibus, & maximè cùm Synodus celebratur, usurarii omnes sive suo, sive alieno nomine crimen illud exerceant, generaliter excommunicationis vinculo innodentur: publici, aut convicti nominatim eadem feriantur Censurâ, pœnisque in Concilio Lateranensi III. constitutis subjaceant; scilicet ut eorum non recipiantur oblationes, & si in eo statu obierint, Ecclesiasticâ careant sepulturâ. IV. Ut Judæi ad remittendas usuras compellantur; ad cessandum ab operis diebus Dominicis & Solemnibus, & ad temperandum à carnibus diebus abstinentiæ. V. Ut Laïci & aliæ personæ, de bonis omnibus sibi à Deo collatis, non deductis expensis, decimas ac primitias solvant, ad idque Censuris Ecclesiasticis compellantur, præscriptione aliqua, titulo, seu consuetudine non obstante: *Cum adeo debita sint, ut sine voluntate eorum quibus debentur, absque mortali peccato non valeant retineri.* Prohibet insuper ne Episcopus, aut alia persona Ecclesiastica, alicui Laïco decimarum collectionem perpetuò concedat habendam, nec Laïci, quibus fortè concessa fuerit, ex hujusmodi concessione jus aliquod sibi vendicare valeant. VI. Ut tam Ecclesiasticæ personæ, quàm seculares à pedagiis, quidagiis, salinariis, & aliis indebitis exactionibus, per excommunicationis sententiam in personas, & interdictum terrarum, penitus desistere compellantur: *Nisi fortè Regum vel Imperatorum concessione probaverint se habere.* VII. Vetat ne Laïci ab Ecclesiis & Ecclesiasticis personis albergarias, procurationes, exactiones, tallias exigant; jubet ut Ecclesias & Domos Religiosas, in plenissima libertate conservent; ita ut *Episcopis, vel aliis earum Rectoribus defunctis, ipsas nullomodo audeant spoliare, nec se administrationi earum, seu custodiæ, nisi fortè rogati ab Episcopo, vel Capitulo, occasione alicujus consuetudinis, seu aliquâ aliâ immiscere: sed omnia cum integritate qualibet defunctorum successoribus reserventur.* VIII. Prohibet *ne electioni Episcopi, vel alterius Ecclesiæ Rectoris* se Laïci *immisceant*: & ne ab Ecclesiis seu Religiosis Domibus ac Ecclesiasticis personis, sicut in quibusdam locis huc usque præsumptum fuerat, vigesimam partem annuorum redituum, ratione murorum, vel aliqua occasione, extorquere contendant. IX. Sub anathematis pœna Ecclesias *incastellari* vetat, nisi ad repellendos Paganorum incursus necesse fuerit. X. Statuit ut ad pacem &

Avenio, Avignone, urbs Provinciæ, ad Rhodanum, Pontificiæ Ditionis, Archiepiscopatus.

Summa Canonum.

Decimæ sine mortali peccato retineri non possunt.

treugam faciendam pariter & servandam etiam invin compellantur. XI. Ut Ecclesiastici Judices in reddendo Jure finiendísque litibus ad tribunal suum delatis diligentiores se præbeant. XII. Ut Excommunicationis & Interdicti Sententias absque congrua satisfactione non relaxent: alioqui ad restituendum damnum passis condemnentur. XIII. Ut convicti de perjurio, qui sex menses in excommunicatione manserint, *ad Sedem Apostolicam, sicut sacrilegi & incendiarii mittantur. Si Clerici fuerint, ab Officio & Beneficio Ecclesiastico repellantur: ad quorum neutrum restitui valeant, nisi per Summum Pontificem, vel ipsius Legatum.* In hac primùm Synodo Perjurorum absolutio in quatuor Provinciis, Sedi Apostolicæ reservata est, ut constat ex his verbis Patrum: *Pro eo quòd faciles sunt homines ad perjuria, & ad Censuram Ecclesiasticam contemnendam, specialem & novum Canonem promulgamus.* XIV. Lateranensis Concilii Constitutionem innovat, qua sancitum est ut aer vacantes Ecclesias, infra sex menses, Patroni personas idoneas Episcopis præsentent: alioqui ad ipsos Episcopos Jus pro hac vice devolutum esto. XV. Episcopis, Abbatibus, Præpositis, Prioribus, sub attestatione divini Judicii districtè injungit, ut Monachis & Monialibus *Licentiam habenda propriecatis non tribuant, cùm etiam hoc Romano Pontifici non liceat, sicut Innocentius III.* * *testatur.* XVI. Jubet Episcopis ut raptores, & violatores pacis anathemate percellant: alioqui ad resarciendum damnum injuriam passis teneantur. XVII. Ut in Sanctorum Vigiliis *histrionica saltationes & Chorea* in Ecclesiis non fiant, nec *amatoria carmina* vel *cantilena* recitentur: ex quibus *obtutus & auditus quorumlibet spectantium polluuntur* XVIII. De habitu & tonsura Clericorum cùm Regularium, tum Secularium decernit, ut ipsorum Professioni congruant. XIX. Tam Præpositos, quàm alios Clericos, ad mandatum sui Episcopi ad sacros Ordines promoveri jubet. Advocationes coram Judicibus Laïcis exercere vetat. XX. Consanguineos eorum, qui *Petrum de Castro Novo,* Sedis Apostolicæ Legatum, & *Gaufredum* Canonicum Gebennensem interfecerant, usque ad tertiam generationem, arcet à Beneficiis & Officiis Ecclesiasticis, eamdemque pœnam erga consanguineos eorum, qui similia facinora perpetrarint, decernit, si apud viros bonos & graves in suspicionem & infamiam de perpetrato crimine incurrerint. XXI. Jubet Archiepiscopis & Episcopis ut hæc Decreta curent observari.

Perjurorum absolutio Sedi Apostolicæ in quatuor Provinciis nunc primùm reservata.

Licentia proprietatis habendæ Monachis tribui non potest.

Extra. De statu Monachorum.

Saltationes & Choreæ.

ARTICULUS III.

De Concilio Parisiensi.

ANno MCCXII. *Robertus de Corceone* S. R. E. Cardinalis, & Sedis Apostolicæ in Galliis Legatus Concilium Parisiis celebravit, in quo saluberrimas Constitutiones edidit ad restaurationem Ecclesiasticæ Disciplinæ, quadrifariam distributas. Prima pars spectat Clericos seculares, & XX. constat Capitulis. Altera Viros Regulares & XXVII. Capita complectitur. Tertia eosdem, & Moniales, & Capita XXI. habet. Quarta Archiepiscopum & Episcopos, & totidem capita continet.

Decreta Canonum.

Circa Clericos seculares, I. De ipsorum vita & honestate decernit, in habitu, gestu, conversatione; ut à confabulationibus in Ecclesia & in Choro abstineant; & à deambulatione & mora extra Chorum dum Horæ cantantur, vel Missa celebratur. Si Decreti hujusce prævaricatores à Prælato moniti se non correxerint, *Beneficii sui suspensione mulctentur. Si contumaces adhuc extiterint, à Superiore excommunicentur.* II. Ut qui totis horis non intersunt, sed principio tantùm vel fini, stipendio seu portione sua priventur. III. Ne venationi aut aucupio dediti sint, horúmque gratiâ canes aut aves nutriant; aut equos habeant more seculari phaleratos. IV. Ut focarias è domibus suis expellant, nec in alienis foveant, sub pœna suspensionis ab Officio & Beneficio. V. Ut Prælato suo, vel alteri de ipsius licentiâ confiteantur. VI. Ne Clericus Beneficio sufficienti auctus, *Pactione interveniente advocationem exerceat*, nec causis desperatis patrocinetur, nec eas malitiosè protrahat, nec in contumelias partis adversæ prorumpat: sed *suscepta negotia fideliter & diligenter exerceat secundùm veritatem*; & nullum jus falsum allegans, erga Judices se habens reverenter & modestè. VII. Ne Clerici juramentum faciant de libris aliísve rebus non commodandis. VIII. Ne quæstuariis vel conductitiis Concionatoribus Officium Prædicationis committatur. IX. Ne Sacerdotes ignoti ad Divinorum celebrationem admittantur sine literis testimonialibus, vel bonorum virorum testimonio. X. Ne excommunicatum, interdictum, vel penitus ignotum, vel alienum Parochianum, in præjudicium primi Sacerdotis, vel ad sepulturam, vel ad Communionem Eucharistiæ, scienter aliquis Sacerdos admittat, *præcipuè in Solemnitate Paschali.* XI. *Ne pro annalibus, vel triennalibus, vel septennalibus Missarum* faciendis, Laïci vel alii *dare aliquid vel legare testamento cogantur*, & ne super his aliqua pactio vel exactio, vel sub aliquâ aliâ specie palliata, à Sacerdotibus fiat: & *ne superflua multitudine talium annalium se onerent Sacerdotes, ad qua explenda honestè sufficere non possint, & propter qua ipsos oporteat conductitios Sacerdotes habere.* XII. Ne proprias Ecclesias dent ad firmam, vel alienas recipiant. *Et ne quis Sacerdos sine mandato Superioris, aut ejus qui in aliqua Parochia curam animarum gerit, Confessiones recipiat, omissis propriis Sacerdotibus, vel contemptis, nisi in articulo necessitatis.* XIII. Ne sectio Beneficiorum Ecclesiasticorum, & divisio Præbendarum fiat. XIV. Ne Decanatus rurales pretio conferantur. XV. Ne Archidiaconus pretium exigat pro redemptione procurationum ab Ecclesiis quas personaliter non visitat, & quibus debitum visitationis Officium non impendit. XVI. Ne in domibus Clericorum vel Religiosorum Claustris, vel in atriis Ecclesiarum, inhonestæ comessationes vel ludi talorum fiant. XVII. Ut Capitula Conventualium Ecclesiarum Prælatum extra eligant, si in suo Collegio dignum non reperiant. XVIII. Ut cùm electiones à Capitulo faciendæ sunt, aut Beneficia conferenda, dies præfigatur ad quam absentes, & præcipuè residentes commodè valeant convenire. XIX. Beneficia curam animarum annexam habentia plura ab uno possideri vetat, sive in pluribus Ecclesiis, sive in una & eadem, sub pœna excommunicationis, quâ & ipse Collator percellatur. XX. Ne quis Beneficium Ecclesiasticum sibi hereditario jure vendicet, nec eodem jure à quoquam alteri conferatur. Et ne quis pro dandâ licentiâ docendi, vel pro Scholarum regimine conferendo, ante vel post aliquid exigere vel extorquere præsumat. In hujus Constitutionis violatores, post admonitionem Prælati, suspensio à Beneficio, in contumaces excommunicatio decernitur.

De vita & honestate Clericorum.

Annalia Missarum non exigenda, nec de his facienda pactio.

Secundæ partis Canon primus simoniacum in Monasterium ingressum prohibet ac damnat, *secundùm Mandatum Romani Pontificis ad Archiepiscopos*

Canones Regularem monasteriorũ Disciplinam spectantes.

nepos & Episcopos per totum Regnum Franciæ. Statuit etiam ut nullus omnino Regularis *proprium* habeat. II. Ut nemo infra xviii. ætatis annum ad Monasticam Professionem recipiatur. III. Ut suspecta ostiola & diversoria, sive in Abbatiis, sive in Prioratibus, sive in quibusvis locis ubi Religiosi conversantur, obstruantur per Episcopos locorum. IV. Ut Viri Religiosi curam infirmorum & debilium habeant diligentem: Utque reditus eleemosynæ assignati nullo modo imminuantur, vel aliis usibus deputentur, & subtracti restituantur. V. De hospitalitate, & fideli eleemosynarum distributione decernit. VI. Ut *remotâ omni acceptione personarum, nullus occasione nationis tantum, dummodo aliàs honestus fuerit, & Ecclesia credatur esse utilis, ab ingressu Religionis repellatur.* VII. Monachorum cupiditatem damnat, qui manifestos usurarios, & alios excommunicatos, seu nominatim interdictos, ad Sacramenta, vel ad Religionem, aut sepulturam interdum recipiebant, eosque ad usurarum restitutionem compellendos edicit. VIII. Statuit ut nullus alicui Cœnobio vinculo Professionis obligatus, in aliud recipiatur, nisi præsumatur quòd sincerè illud requirat, vel id fiat cum licentia Abbatis. IX. Chirothecas albas, calceos nimis strictos & peracutos, aliaque morem aut fastum sæcularem redolentia ornamenta; necnon singulares comessationes extra refectorium, Monachis prohibet. X. *Cubicula extra dormitorium*, nisi illis quibus permittitur propter Officium suum, secundùm Statuta Ordinis, *litem in capitulo, rumorem in claustro, ingressum mulierum per loca suspecta, ludos illicitos*, puta *talorum, scaccorum, alearum, & hujusmodi*, aucupia, venationes, & illicita juramenta iisdem vetat: silentium in locis regularibus observari jubet. XI. Monacho, vel Canonico Regulari iter agenti in equitatura & expensis sibi ac societati suæ necessariis provideri jubet, *ne in opprobrium Domini & Ordinis aliunde mendicare cogatur.* XII. Statuit ut subditi *humiliter & devotè* obediant: Prælati *discretè & providè* imperent, non Fratres vexent aut scandalizent; quod quandoque contingit, ut vel honestissimi viri de Cœnobiis suis exire cogantur.

Præpositur æ Monachis ad firmam non dandæ.

XIII. Exscindit detestabilem, quæ inoleverat, consuetudinem, ut Abbates Præposituras suas quibusdam Monachis ad firmam darent, & ab ipsis fidejussores sæculares reciperent. Ex quo non modica sequebantur incommoda & scandala, quia si aliquid excederet supra firmam; id sibi quasi proprium Monachus retinebat. Si reditus Præposituræ non sufficerent, per fas & nefas quærebat unde satisfacere posset Abbati. Id itaque sub pœna suspensionis ab Officio Abbatibus prohibetur. XIV. Apostatas à Sacerdotibus locorum excommunicari decernit. XV. Statuit de absolutione eorum qui aliquo excommunicationis vel interdicti vinculo irretiti, Monasterium ingrediuntur. XVI. Vetat, juxta Lateranensis Concilii III. Constitutionem, *Ne Monachi per villas, oppida, vel Ecclesias Parochiales singuli ponantur, & ne soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictum expectent.*

Monachi in villis aut parochialibus Ecclesiis singuli non ponendi.

XVII. Ne Viri Religiosi duos Prioratus sive Obedientias sibi præsumant usurpare: alioqui in condemnationem suæ cupiditatis utroque priventur ipso jure.

Partes in Capitulis facere monachis vetitum.

XVIII. Secundùm Chalcedonensis Decreta Concilii, statuit ut *Qui faciunt partes & conspirationes in Capitulis, vel pro Prælato, vel contra Prælatum, vel pro quocumque privato commodo*, gradu excidant. XIX. Prohibet ne Viri Religiosi advocationem exerceant in causa ad suam, vel aliam Religiosam Domum non pertinente, maximè sine licentia sui Abbatis. XX. Jubet juxta Lateranensis III. Concilii Decretum, ne Regulares Jurisprudentiæ aut Medicinæ extra claustra dantes operam, infra duos menses ad Cœnobium redeant, sub pœna excommunicationis; non obstante Abbatis sui licentiâ, quam dare non potuit. XXI. Vetat ne Monachi vel Canonici Regulares, *bini in eodem lecto*, sed in singulis lectis singuli, *vestiti* jaceant, secundùm Statuta Ordinis. XXII. Ne Monachorum numerus minuatur, cum Cœnobiorum facultates non sunt imminutæ. Si Abbates vel Priores hac in re peccaverint; Diœcesanus Episcopus sollicitudine ac auctoritate sua numerum Deo servientium restauret.

Juramentum de libris non commodandis vetitum.

XXIII. Ne Viri Religiosi juramentum emittant de non commodandis libris, *cùm commodare inter præcipua misericordiæ opera computetur.* Et deinceps libros teneri sub anathemate prohibet. XXIV. Statuit ut qui seditiones movent ut mittantur in Cellas, diutius & arctiùs in claustro permaneant.

Usura.

XXV. Usurarios declarat, & pœnis contra usurarios latis obnoxios, *Qui merces suas vendunt ad terminum*, ut ipsas propterea *carius vendant.*

Ab ingressuris Monasterium nihil exigendum.

XXVI. Clericis & laïcis vetat Prioratus teneri ad vitam: nisi causâ meliorationis, vel pro urgenti debito, cùm assensu Diœcesani alicui conferantur. XXVII. Prohibet ne ab ingressuris Monasterium, vel *pastus*, vel *vestimentum*, vel *denarii*, aut quid aliud loco prædictorum exigatur, sub pœna suspensionis.

Sanctimonialium disciplina.

De Monialibus statuit eadem Synodus, ne circa ipsas versentur Clerici vel Servientes suspecti: Ne inanes confabulationes Clerici sæculares cum juvenibus habere permittantur: Ne illarum parentes secretum ad eas accessum habeant sine testimonio seniorum, & omni suspicione carentium mulierum. Ut in eodem lecto binæ non jaceant. Ne ad invisendos parentes exeant sine custodibus boni testimonii, & ut infra breve tempus ad claustrum redeant. Ut choreas non ducant. Ut religiosam in vestibus & suppellectili modestiam & paupertatem servent. Ut de bonis Monasterii in communi eis necessaria subministrentur. Si facultates Monasterii ad hoc non sufficiant, numerus Monialium minuatur.

Monialium Confessarii.

Ut *Episcopi Confessarios discretos & honestos, & omni exceptione majores ipsis provideant, ne sanguis ipsarum in die judicii de manibus eorum requiratur:* Ut Abbatissæ & Priorissæ circa observantiam Ordinis negligentes ab Officiis suis suspendantur, & nisi se correxerint, deponantur.

Quæ Abbatibus, Prioribus, vel Præpositis Religiosorum Virorum cavenda.

De Viris Religiosis tertia illa parte statuit Insuper Synodus, ut Abbates, Priores, & Præpositi Religiosorum circa observantiam Ordinis & correctionem subditorum negligentes, ad majora Officia & Dignitates non promoveantur. Ut Magistratus & publica Officia non gerant, alioqui deponantur. Ut eidem pœnæ subjaceant, si numerum equitaturarum excesserint, secundùm consuetudinem, facultatem, & dignitatem Monasterii sui; Et si Juvenes lascivos & suspectos in familia sive in societate sua manifestè & ex consuetudine habuerint. Item si cognatis bona Ecclesiæ suæ dederint, *Nisi pauperibus, & ut pauperibus*: nisi forsan *aliquando, & rarò, & moderatè*, secundùm facultatem Monasterii darent, quod tamen ne omnino faciant sunt admonendi. Ut non recipiantur Juvenculæ vel mulieres suspectæ in domibus Religiosorum Virorum. Ut Abbates Obedientiarios sive Priores non amoveant nisi pro manifesta utilitate Ecclesiæ, non pro pretio, neque ut consanguineos in locum ipsorum præficiant; sub pœna exauctorationis. Ut bis in anno Priores, & Abbates rationem reddant accepti & expensi. Ne Abbates vel Priores magna negotia tractent, aut ma-

gnam pecuniæ summam mutuò accipiant, nisi cum consilio septem Seniorum à majori parte Capituli electorum, sub pœna depositionis. Ne sint immisericordes Fratribus Pœnitentibus, & reverti volentibus ad Officium, salvâ Ordinis disciplinâ. Ne Abbates vel Priores inconsulto Capitulo festinanter comminentur, vel aliquid faciant, vel statuant contra illum qui aliquid proposuit in Capitulo ad correctionem Domûs vel Priorum. Ne aliquos in villis vel cellis morari sinant, nisi ratione debilitatis, vel alia de causa legitima ac manifesta. Ne Scholas externas Monachi adeant, sed in claustro literarum studio vacent. Ne Capellanos habeant minùs religiosos, vel socios minùs maturos ætate aut moribus.

Prælatorum officia.

Quarta parte, de vita & honestate Prælatorum statuit Synodus. Ne in lectis jacentes Matutinas audiant. Ut in magnis Solemnitatibus *per se Divina celebrent*, & *verbum Dei prædicent*, vel prædicari curent. Ne *venationi sylvaticæ* & *aucupio* vacent. Ne pellibus pretiosis utantur. Ut ab aleis abstineant. Ut in mensa eorum, saltem in principio & fine *sacra lectio* habeatur: non mimi, vel eorum instrumenta audiantur. Ut providos & *honestos Eleemosynarios habeant. Ut sint hospitales: Ut *horis competentibus ad exhibendam justitiam & audiendos pauperes publicè se præsentent*. Ut per se *frequenter intersint Confessionibus audiendis*, & *Pœnitentiis injungendis*: ipsique frequenter confiteantur. Ut in *Ecclesiis Cathedralibus frequentiùs resideant*, præsertim diebus solemnioribus, & Quadragesimali tempestate. Ut formulam Professionis, quam in Consecratione sua emiserunt, bis in anno, semel in Synodo, & semel in Capitulo legi curent. Ut evectionum & sociorum superfluitatem, subditorúmque gravamen caveant. Ut socios habeant integræ opinionis & famæ, habitu compositos, ætate grandævos, fide claros, & eruditos *Cubicularios honestos, qui juxta Canones, sint testes vitæ ipsorum, & conscii secretorum*. Ut eorum ministri, & præcipuè januores, pecunias non extorqueant, maximè ab ordinandis. Ut Officiales fideles habeant & prudentes, sine personarum acceptione gratis justitiam exhibentes. Ne Prælati, vel eorum ministri aliquid exigant *ratione sigilli*. Ne Beneficia Ecclesiastica minoribus vel indignis contra sacros Canones conferant. Ne præcipites censuras ferant. Ne mulctâ dumtaxat pecuniariâ indictâ excommunicatos absolvant. Ne pro redemptione denunciationum quæ per tres dies solemnes ante desponsationem fieri debent, pecuniam exigant. Ne monomachias aut Judicia peregrina in sacris locis vel cœmeteriis fieri sinant. Ut festum fatuorum abrogent, in quo baculus accipiebatur, sive Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Abbatissæ, per ludum eligebantur, & cum Dignitatum insignibus Officia celebrabant Kalendis Januariis, & ludi exhibebantur, choreæ ducebantur in templis, viri Ecclesiastici vestibus secularibus induti prodibant, aliáque id genus fiebant insolentia & scandalosa. Nefariam illam fatuorum festivitatem in Diœcesi Parisiensi abrogaverat *Odo de Soliaco* ejusdem Ecclesiæ Episcopus, anno Christi millesimo centesimo nonagesimo octavo, ut constat ex ejus Literis in Appendice ad *Petrum Blesensem* editis. Non statim abrogata est prava illa & superstitiosa consuetudo; ut constat ex hac Synodo. Sacra Facultas Parisiensis idem Festum proscripsit ac doctrinali judicio damnavit die XII. Martii, anno millesimo quadringentesimo quadragesimo-quarto. Decretum & Epistolam ejusdem Sacræ Facultatis ad universos Prælatos & Capitula Ecclesiæ Gallicanæ, ex Codice MS. *Abbatiæ* Cisterciensis edita legere est in Appendice ad *Petri Blesensis* Opera, editionis *Petri de Gussavilla*. Statuit præterea Concilium Parisiense, ut Episcopi Synodum quotannis celebrent; Sacramentum Confirmationis pro loco & tempore conferant: subditorum excessus, nullius odio, gratiâ, vel timore dissimulent. Ne choreas in cœmeteriis duci, opera servilia diebus Dominicis exerceri, illicita Matrimonia contrahi, legitima testamenta infirmari permittant. Ut illud denique *non nominandum flagitium, quod Summi Principis monetam falsificat, & naturæ reverentiam dehonestat: ad quod extirpandum, etiam secundùm Jura Civilia Leges insurgere, & Jura jubentur armari*, ubicumque deprehenderint, evellant, destruant, & exstirpent. Reósque puniant secundùm Lateranensis Concilii Decretum.

Episcopus per se Confessiones frequenter audire debet.

Nil exigendum ab Episcopo ratione sigilli.

Nec pro denuntiationum Matrimonii redemptione.

Festum fatuorum abrogatum.

ARTICULUS IV.

De Concilio Monspeliensi.

Monspelium, Montpellier, urbs Episcopalis in Occitania inferiori, sub Metropoli Narbonensi.

Concilium istud à *Petro Beneventano*, Sedis Apostolicæ Legato congregatum est anno MCCXIV. De cujus Actis contra Albigenses superiùs diximus, Cap. III. Art. 5. Eo in Concilio Disciplina Canonibus XLVI. sancita est. Primus est de indumentis Episcoporum, quos talaribus vestimentis & superpelliceo indutos in publicum prodire jubet, secundum antiqua Statuta Canonum. II. Canonicis & Clericis quibuslibet vetat ne frænis & calcaribus deauratis utantur, & curias, hospitia, vel colloquia mulierum frequentent. III. Ne indumentis vel caligis rubei vel viridis coloris, & manicis consutitiis utantur: útque superiorem vestem clausam habeant & talarem. IV. De tonsura & corona decenti. V. Ne pignora pro mutuo recipiant, ut fructus pignorum lucrifaciant, vel alias usuras aut negotiationes exerceant. VI. Clericis simplicibus Ecclesiastica Beneficia conferri prohibet, donec habitum compositum ac modestum ferant. VII. Ne venatorias aves nutriant. VIII. Ne Laïci in Canonicos, aut ad Præbendam recipiantur. IX. Ut qui hisce Concilii Decretis infra quindecim dies ab eorum publicatione parere contempserit, ab Officio & Beneficio sit suspensus. X. Ut Prælato, qui infra octo dies ab eorum notitia, illa exequi neglexerit, Ecclesiæ aditu sit interdictum. XI. Ut Episcopi Beneficia Ecclesiastica gratis, & personis idoneis conferant. XII. Ut Parochialium Ecclesiarum curam adolescentibus, vel in minoribus Ordinibus constitutis non concedant. XIII. XIV. XV. XVI. & XVII. De Monachorum & Canonicorum Regularium Disciplina decernunt. XVIII. Vetat *ne proprium habeant, etiam de sui Abbatis vel Prioris licentiâ, cùm ipsi hujusmodi licentiam dare non possint*: Et *ne certa pecunia virium pro vestimentis illis detur*. XIX. Ut in quolibet Monasterio *Diebus Dominicis proprietarii in Capitulo excommunicentur*. XX. Ut nullus in Canonicum vel Monachum admittatur *cum conditione vel pacto* aliquid dandi pro ejus receptione. XXI. Ut Monachi & Canonici Regulares in causis alienis Advocati non existant. XXII. Ut quæ ex mensa supersunt, pauperibus tribuantur. XXIII. Ut Canonici Regulares amplas coronas habeant, Monachi amplissimas. XXIV. Ut calceamenta clausa & alta, non aperta, aut nodulis adstricta habeant. XXV. Ut ab una Ecclesia ad aliam non transferantur, *Nisi propter majorem religionem, vel aliam justam causam à Canonibus approbatam.*

Summa Canonum.

De vita & honestate Clericorum.

Monachorum & Canonicorum Regularium disciplina.

Proprietarii excommunicandi.

XXVI.

XXVI. Ut Canonici Regulares superpelliceis semper utantur. XXVII. Ut nullus Monachus, vel Canonicus Regularis ab aliqua Ecclesia vel persona Ecclesiastica, Ecclesiam vel aliquid aliud recipiat vel teneat pro Præbenda. XXVIII. Ut qui hæc Decreta violaverint, sint ab Officio & administratione suspensi. XXIX. Quorumdam Religiosorum Virorum coërcetur cupiditas, qui usurarios, excommunicatos, interdictos, ad Sacramenta, ad Religionem, ad sepulturam interdum recipiebant, quod ne fiat, sub pœna anathematis prohibet Synodus, & ad resarcienda Ecclesiis damna compellendos edicit. XXX. In Prioratibus tres ad minus fratres constitui jubet: Quibus si reditus non sufficiant, Ecclesiæ quædam Prioratui uniantur ab Episcopo vel Abbate. Undecim sequentes Canones de pace servanda decernunt, & de pœnis violatoribus pacis infligendis. XLIII. Sub interminatione anathematis prohibet ne nova pedagia imponantur, vel augeantur antiqua. XLIV. Jubet ut Barones & Domini locorum, seu aliæ personæ quæ pedagium recipiunt, vias publicas custodiri curent. XLV. Vetat sub anathematis interminatione, ne conjurationes sive confratriæ, & fœdera, in civitatibus, villis, & castris fiant, nisi volentibus Dominis locorum, & Diœcesano Episcopo consentiente, *Propter urgentem necessitatem, & evidentem utilitatem.* XLVI. In singulis Parochus delatores Hæreticorum constitui jubet Sacerdotem unum, & duos vel tres bonæ opinionis Laïcos.

ARTICULUS V.

De Concilio Oxoniensi.

Oxonium, *Oxford*, urbs Episcopalis Angliæ sub Metropoli Cantuariensi.

ANno Christi millesimo ducentesimo vigesimo secundo, *Stephanus* Cantuariensis Archiepiscopus Concilium Oxonii celebravit, ad reformandum Anglicanæ Ecclesiæ statum, cujus ad eum annum meminere *Matthæus Paris*, & *Matthæus Vestmonasteriensis.* XLIX. Capitulis sancita disciplina est. I. Excommunicatio lata in Jurium Ecclesiasticorum pervasores, Regni perturbatores, Jurium Regalium usurpatores, in falsos testes, & qui eos subornant, calumniatores, &c. II. Statuit ut Prælati Eleemosynarios honestos habeant, hospitales sint, audientiam pauperibus præbeant, ipsi Confessiones interdum audiant, & pœnitentias injungant. III. Ne in collatione Beneficiorum aliquid extorqueant, aut fructus nondum collectos sibi retineant. IV. Ut Episcopi & Archidiaconi præsentatos à Patronis ad Beneficia, si idonei sint, admittere non differant ultra duos menses: alioquin fructus à præsentatione percepti illis restituantur, cùm instituti fuerint. V. Statuit ut si duo ad eamdem Ecclesiam fuerint præsentati, neutri committatur custodia pendente lite. Si contentio sit inter duos de Jure Patronatus, & jus conferendi ad Episcopum devolvatur, neutri eorum qui præsentati fuerint, Beneficium conferat illa vice, nisi de Patroni utriusque consensu. VI. Ut Divina Officia & Sacramenta devotè celebrentur & administrentur: nec bis in die Sacerdotes Missam celebrent, nisi diebus Nativitatis & Resurrectionis Dominicæ, & in Exequiis Defunctorum. VII. Ne Clerici villarum procurationes admittant, aut seculares Jurisdictiones administrent. VIII. Festa & Vigilias in Ecclesia Anglicana observandas præscribit. IX. Presbyteris Parochialium Ecclesiarum frequentem verbi Dei prædicationem, & visitationem infirmorum injungit. X. Statuit de ornamentis Ecclesiæ. XI. Ne quis Ecclesiæ suæ renuntians, recipiat ab eo qui sibi substituitur Vicariam: cùm vehemens esse possit de pactione turpi suspicio. Quo si ab aliquo fuerit acceptatum, & ille Vicaria, & alius Personatu privetur. XII. Ne Ecclesiæ dividantur, & pluribus Rectoribus conferantur. Excipiuntur illæ quæ ex antiquis divisæ fuerunt. XIII. & XIV. Statuunt de Vicariorum Perpetuorum residentia. XV. De congrua portione illis assignanda. XVI. Ut in Parochiis magis diffusis sint duo vel tres Presbyteri. XVII. Ut ab iis qui sibi ad Beneficia præsentantur, Episcopus Juramentum exigat ac recipiat, quo se à simoniæ suspicione purgent, si metuò suspecti videantur. XVIII. Ut certos Confessarios in singulis Archidiaconatibus, & in Cathedralibus Ecclesiis Episcopi constituant ad audiendas Confessiones Presbyterorum & Canonicorum. XIX. Ut Decani Rurales causas Matrimoniales non audiant, sed earum examinatio viris eruditis & prudentibus committatur, quibus assidentibus, si commodè fieri potest, postmodum pronuntietur. XX. Sub interminatione anathematis prohibet ne latrones foveantur. XXI. Archidiaconis vetat ne Ecclesiis & Rectoribus oneri sint; & ne redemptionem pro visitatione extorqueant. XXII. Ne Archidiaconatus, Decanatus, & alia Officia merè spiritualia tradantur ad firmam. XXIII. Ut Archidiaconi curent ut Sacerdotes ritè proferre noverint saltem verba Canonis & Baptismatis. XXIV. Ut Eucharistiam, Chrisma, & Oleum sanctum, sub clavibus recondita diligenter custodiantur. XXV. Ut penes se ornamenta & vasa Ecclesiarum descripta & numerata habeant. XXVI. Ut invigilent ne Ecclesiæ suis Juribus fraudentur. XXVII. Ut novas exactiones per se vel per suos Ecclesiis ac subditis suis non imponant. XXVIII. Ne sententias excommunicationis ferant, nisi Canonica monitione præcedente. XXIX. Ne sepultura, vel Sacramenta denegentur propter pecuniam. Si quid pia devotione fidelium consueverit erogari, per Ordinarium loci jus dicatur. XXX. Ne Archidiaconi & Decani bonum pacis & causarum compositionem impediant. XXXI. Ne aliquem ad solam præconum suorum suggestionem ad purgationem compellant, nisi apud viros bonos & graves infamiâ laboret: Nec in causa sua pariter sint judices & actores. XXXII. & XXXIII. De modestia Clericorum in habitu & capillitio decernunt. XXIV. & XXXV. De concubinis Clericorum expellendis, excommunicandis, & invocato etiam brachio seculari puniendis: Clericis verò concubinariis Beneficii & Officii subtractione plectendis. Vetant etiam ne concubinis suis aliquid testamento relinquant: Quod si fecerint, id arbitrio Episcopi in usum convertatur Ecclesiæ. XXXVI. Ne Clerici vel Prælati bona & reditus Ecclesiarum suarum consanguineis vel amicis vendere, impignorare, infeodare, vel alienare præsumant, nisi formâ Canonis observatâ. Alioqui totum irritum esto; qui id fecerit Beneficio excidito; qui bona hujusmodi receperit, nec restituerit monitus, excommunicatione percellitor. XXXVII. Ne Clerici Beneficiati fructus Ecclesiæ in laïco feudo constituant. Ut rei communis Administratores sive Procuratores in Monasteriis, & Prælati Majores, bis in anno rationem reddant de expensis & receptis coram fratribus à Conventu deputatis, vel coram Superioribus. Ab hac lege excipiuntur Prelati, qui possessiones habent à Monachis vel Canonicis Regularibus separatas. XXXVIII. Ut Moniales *velum vel peplum sericum* non habeant, nec *acus argenteas vel aureas*, nec ipsæ, vel Monachi, aut Canonici Regulares,

Summa Canonum.

Episcopus interdum Confessiones audire debet.

Archidiaconorum officia.

De vita & honestate Clericorum.

Regularis Monasteriorum disciplina.

Vestium vanitas Monialibus, Monachis, & Regularibus Canonicis prohibita.

 habeant

habeant zonas sericas auro vel argento intertextas, A nec panno irregulari, aut vestibus longioribus utantur, sed talaribus. Ut denique solæ Moniales consecratæ annulum deferant, eúmque unum. XXXIX. Ut à recipiendis in Monasterium nihil exigatur, & si præ paupertate domûs Novitius vestes sibi comparare debeat, nihil ultra justum earum pretium ab eo recipiatur. XL. Statuit ut Ecclesiæ certis personis deputatæ nulli dentur ad firmam, nisi forte justa causa fuerit, & à suo Episcopo approbata. XLI. Ne in Ecclesia quidquam nomine Beneficii alicui assignetur, qui aliud Bene- B ficium habuerit, cui animarum cura sit annexa. XLII. Mulctantur Advocati qui Matrimonia protrahunt. XLIII. Ut Monachi, & Canonici Regulares, & Moniales in uno dormitorio, singulisque lectis dormiant; ut communiter omnibus cibi præparentur, & indumenta ministrentur, non pecunia pro vestibus tribuatur; & cùm eis nova tradita sunt, vetera recipiantur, in usus pauperum, vel alias necessitates convertenda. Ut Monachus minor annis octodecim non recipiatur, nisi evidens utilitas seu necessitas aliud postulet ac suadeat. XLIV. Ne Moniales infra septa domorum suarum, C præter ancillas necessarias, mulieres seculares ad cohabitandum recipiant, nisi accedente Episcopi consensu: Ut silentium locis & temporibus constitutis servent: Ut absque licentiâ, & honesta causa extra septa domûs non exeant, &c. XLV. Ut singularitas in Refectorio vitetur: Quod superest, pauperibus erogetur. Qui Statutum istud, vel alterum de indumentis observare noluerit, Sacerdos à celebratione Divinorum: in minoribus constitutus, vel Monialis, à Communione Corporis Christi, usque ad plenam satisfactionem suspendatur. XLVI. Ne Moniales ultra numerum, D qui de bonis Monasterii in omnibus necessariis sustentari possit, recipiantur: Abbatissa & Priorissa quæ Decretum istud violaverint, deponantur. Ut peccata sua deponant apud Sacerdotes ab Episcopo deputatos. Ut Clerici vel Laïci frequenter, & absque causa legitima ad claustra Monialium non accedant. XLVII. Ne Viri Religiosi testamentum condant, cùm nihil habeant suum, quod transferre valeant in dominium alienum. Nec Monasterium, aut quodlibet Ecclesiæ suæ prædium ad firmam retineant. XLVIII. Ut extra loca & horas statutas non bibant, exceptis infirmis, & iis E qui fuerint in obsequio Prælatorum. XLIX. Ut cùm ratione debilitatis, vel aliâ justâ de causâ, Monachi seorsum *in misericordia morantur*, seu dispensatione utuntur, Seniores secum habeant, qui Juniorum levitatem compescant; & qui postmodum in Capitulo testificentur qualiter in misericordia fuerint conversati. Statuit denique ut Decreta Lateranensis Concilii IV. sub *Innocentio III.* celebrati accuratè observentur.

Pecunia pro vestibus Monachis & Monialibus non tribuenda.

Singularitas in refectorio vetita.

Monialium numerus secundùm facultates Monasterii.

Misericordia seu dispensatio.

ARTICULUS VI.

De Concilio Germanico.

ANno Christi millesimo ducentesimo vigesimo-quinto, *Conradus* Cardinalis Portuensis & *Sanctæ Rufinæ* Episcopus, Sedis Apostolicæ in Germania Legatus, Concilium celebravit IV. Idus Decembris, quo loco incertum: in quo XIV. Capitulis Ecclesiasticam sanxit Disciplinam. Tria priora de Clericorum continentia decernunt, & de pœnis concubinariorum Clericorum. IV. In Judices Ecclesiasticos animadvertit, qui A sententiam excommunicationis, non præmissâ monitione canonicâ in aliquem tulerint, eosque per mensem ab Ecclesiæ ingressu prohibet. V. Vetat ne Clerici fructus Beneficiorum suorum concubinis vel spuriis suis testamento relinquant: alioqui Ecclesiasticâ sepulturâ priventur: & quibus ejusmodi fructus legantur, eis careant ipso jure. Horum testamentorum executores aut fautores excommunicentur: & quamdiu fructus tam infamibus personis subministrabuntur, Ecclesia subjaceat interdicto. VI. Statuit ut Clerici qui à Præla- B tis excommunicati vel suspensi, Divina nihilominus celebrant, sine spe restitutionis ab Officiis & Beneficiis deponantur, & infames, & intestabiles sint. VII. Ut qui coram excommunicatis publicè denunciatis celebraverit, simili pœna plectatur. VIII. Ut si quem Episcopus excommunicaverit, eum vicinis Episcopis denuntiet: qui si ad communionem illum receperint, ab ipsorum communione Cathedralium Ecclesiarum Canonici abstinebunt. IX. Patronos anathemate ferit, qui partem decimarum vel aliarum obventionum Ecclesiasticarum sibi retinentes ex pacto in Ecclesiis, in C quibus habent Jus Patronatus, Clericos ad easdem præsentant: eorúmque terram Ecclesiastico supponi decernit Interdicto, donec Ecclesiam liberam cum suo jure dimittant. X. Clericos hujusmodi præsentationem recipientes Officio Beneficióque privat; illósque Beneficiorum, & sacrarum functionum incapaces pronuntiat, nisi cum eis à Sede Apostolica fuerit dispensatum. XI. Episcopos & Archidiaconos qui hujusmodi hominibus curam animarum commiserint, ab institutione & collatione in perpetuum suspendit. Statuit etiam ut nullus Clericus ad curam animarum ab Episcopo D vel Archidiacono admittatur: nisi priùs juraverit, nullam se in adeptione Beneficii, ad cujus curam præsentatur, simoniam commisisse. XII. Ne *conductitii Sacerdotes*, sed Vicarii Perpetui, assignatâ ipsis congruâ portione, Parochialibus Ecclesiis præficiantur. XIII. Ut qui pudicitiæ Sanctimonialium insidiantur, Clerici ab Officio, Laïci à Communione Corporis Christi suspendantur. Qui sacrilegum incestum cum ipsis commiserint, excommunicentur. Illæ verò ab omni Officio in Monasterio arceantur, & ultimum locum teneant tam in Choro quàm in claustro. XIV. Præcipit ut hujus E Concilii Decreta singulis annis ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, & Decanis in Synodo promulgentur, & executioni mandentur, sub pœna excommunicationis. Eodem in Concilio, Patribus congregatis oblatum est corpus *S. Engelberti* Coloniensis Archiepiscopi, recèns cæsi à *Frederico* Isemburgensi Comite cognato suo, adversùs quem Essediensis Ecclesiæ Jura tuebatur. *Fredericus* à Legato Apostolico & Synodo excommunicatus est, ut refert *Cæsarius* in Vita *S. Engelberti*, lib. II. Cap. XIII. apud *Surium* 7. Novembris.

Anno sequenti millesimo ducentesimo vigesimo-sexto idem Sedis Apostolicæ Legatus Concilium F habuit Leodii, in quo *Frederici* Comitis fratres duos, alterum Monasteriensem Episcopum, alterum Osnaburgensem electum, de nece *S. Engelberti* suspectos, suspendit, & ad Romanum Pontificem *Honorium III.* judicandos remisit, quo exauctorati sunt, quòd suspicionem diluere Canonica Purgatione non possent: ut tradit idem *Cæsarius*.

Summa Canonum.

Simoniacæ ad Beneficia præsentationes.

Vicarii perpetui portio congrua.

ARTICULUS

ARTICULUS VII.

De Concilio Narbonensi.

Narbo, Narbonne, caput Galliæ Narbonensis, ad Atacis fluvii ostia, Archiepiscopalis civitas.

ANno millesimo ducentesimo vigesimo septimo, *Petrus* Narbonensis Archiepiscopus Provinciæ suæ Concilium congregavit, cujus meminit *Guillelmus de Podio Laurentii* in Chronico, cap. 36. in quo viginti capitibus Ecclesiasticam Disciplinam sanxit. Primum executioni mandari jubet Legem à *Ludovico VIII.* Rege Christianissimo contra pertinaces clavium Ecclesiæ contemptores olim apud Appamias de consilio *Romani* Cardinalis Sedis Apostolicæ Legati, & Prælatorum ac Baronum Franciæ latam: *Ut quicumque post trinam admonitionem se excommunicari permiserit, in novem libris & uno denario Turonensi puniatur. Si verò per annum contumaciter in excommunicationis sententia permanserit, bona ejus omnia cadant in commissum.* II. III. & IV. Judæos coërcent. V. Statuit ut Testamentum coram Catholicis viris, & Parochiali Sacerdote, vel alia persona Ecclesiastica semper condatur; tum ut de integra Testatoris fide testimonium reddat, tum maximè ut quæ pias in causas legaverit, fideliter & citiùs sine fraude solvantur. Si Testator vocare Sacerdotem & Viros Catholicos contempserit, careat Ecclesiasticâ sepulturâ. Notarius qui absque hujusmodi solemnitate Testamentum scripserit, Ecclesiæ ingressu prohibeatur. VI. Perjuros & falsos testes, post denuntiationem publicam excommunicari decernit, & intestabiles ac infames declarari. VII. Ut Sacerdotes nomina eorum scribant, quorum Confessiones audiunt, ut laudabile testimonium perhibere possint quòd istud Christianæ Legis præceptum impleverint. Qui verò ab anno XIV. & supra saltem semel in anno confiteri contempserint: vivi Ecclesiæ aditu arceantur, mortui Ecclesiasticâ sepulturâ priventur. VIII. Ut publici usurarii, incestuosi, concubinarii, adulteri & raptores, necnon testamentorum suppressores, & qui ea complere admoniti renuunt, singulis diebus Dominicis & festivis publicè in Ecclesia excommunicentur. IX. Ut secundùm Lateranensis IV. Concilii & Romanorum Pontificum Constitutiones, Vicariis Perpetuis portio congrua secundùm facultates Ecclesiarum assignetur. X. Ut in Ecclesiis Regularibus non sint pauciores quàm tres Monachi, vel Canonici Regulares. XI. Ut Monachi, Canonici Regulares, & Sacerdotes, causas non agant in Foro seculari vel Ecclesiastico, nisi pro Ecclesiis suis & miserabilibus personis, & de Prælati sui licentia speciali. XII. Ut Clerici ratione patrimonii sui vel personæ *nullatenus tallientur*, & Consules sive alii Laïci ab his oneribus Clericis imponendis, Ecclesiasticâ Censurâ, si necesse fuerit, compescantur. XIII. Ut nova pedagia & quidagia per Ecclesiasticum Judicem, si opus fuerit, omnino prohibeantur. XIV. Ut ab Episcopis testes Synodales in singulis Parochiis instituantur, qui de hæresi, & aliis criminibus manifestis diligenter inquirant. XV. Ut Consules, Castellani, Potestates, & Barones, ad abjurandos hæreticos & eorum fautores Ecclesiasticis Censuris compellantur. XVI. Ut Hæretici, vel de hæresi suspecti, à Magistratibus & Officiis publicis amoveantur. XVII. Ut *Raimundus* filius *Raimundi* quondam Comitis Tolosani, Comes Fuxensis, Vicecomes Buerrensis, aliique Hæretici, & qui arma, equos, annonam, & alia subsidia ipsis vendunt vel donant, solemni ritu denuntientur excommunicati, & exposili cuilibet occupanti tam in rebus quàm in personis, per singulas Parochias, singulis diebus Dominicis & festivis. XVIII. Ut ii quibus animarum cura credita est, ad Sacerdotium promoveantur. XIX. Ut Rectores Ecclesiarum *Quæstores* in Ecclesiis conciones habere non permittant; sed legi duntaxat literas, quas habent, ut statutum fuit in Concilio Lateranensi IV. Postremum tandem Caput Festum *S. Matthiæ* posteriore die anno bissextili semper celebrari; quarta feria tertiæ hebdomadis Septembris Jejunia Quatuor Temporum observari; singulis annis in Dominica *Lætare*, Concilium Provinciale haberi statuit.

Summa Canonum.

Lex à Ludovico VIII. lata in pertinaces clavium Ecclesiæ contemptores.

Annua Confessionis præceptum.

Vicariis perpetuis portio congrua.

Clericorum immunitas.

Quæstores à Concionibus habendis prohibentur.

ARTICULUS VIII.

De Concilio Tolosano.

Tolosa, Toulouse, urbs Senatu supremo Occitaniæ, Archiepiscopali Sede, & Academia nobilis, ad Garumnam.

CUm *Raymundus Junior* Comes Tolosanus in gratiam Ecclesiæ & *S. Ludovici* Francorum Regis anno millesimo vigesimo-octavo receptus fuisset, paxque in Conventu Parisiensi confecta, *Romanus* S. Angeli Diaconus Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus, Concilium Tolosæ celebravit anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo-nono, mense Novembri, de extirpandis Hæreticis, & pace servanda in Tolosana Diœcesi, & Narbonensi Provincia, & Diœcesibus circumjacentibus, terrisque vicinis. Statuta XLV. edita sunt. Septem priora Hæreticos diligenter inquiri jubent: in singulis Parochiis unum Sacerdotem & duos vel tres bonæ opinionis Laïcos, Sacramenti religione obstrictos, ad hoc opus constitui; Dominos locorum de illis detegendis solicitos esse, & illorum latibula destruere: Fautores Hæreticorum terræ suæ jacturâ, & aliis pœnis ad arbitrium Domini principalis, plecti: Domum in qua fuerit inventus Hæreticus, dirui, & fundum confiscari: Baillivum qui exterminandis Hæreticis operam non dederit, bonis suis ac Magistratu exui. VIII. Ut nemo tamquam Hæreticus puniatur, nisi ab Episcopo, vel alia persona Ecclesiastica potestatem habente, Hæreticus fuerit judicatus. IX. Ut quilibet in terra alterius possit inquirere vel capere Hæreticos. X. Ut Hæretici ad Catholicam Fidem conversi, constituantur in Villa quæ nulla sit hæresis suspicione notata: in veteris execrationem erroris cruces duas vestibus intertextas, alterius tamen coloris gerant, unam à dextris, alteram à sinistris: Ad Officia publica, & actus legitimos non admittantur, nisi à Summo Pontifice, vel Legato Apostolico fuerint in integrum restituti, injunctâ sibi pœnitentiâ competenti. XI. Ut qui non sponte, sed metu mortis, vel aliâ quacumque causâ, redierint ad Catholicam unitatem, ad agendam pœnitentiam includantur, ne facultatem habeant alios corrumpendi. XII. Ut omnes & singuli utriusque sexus, masculi à XIV. anno, fœminæ à XII. hæresim execrentur, & jurent quòd *Fidem Catholicam, quam Romana Ecclesia tenet & prædicat*, servabunt; & Hæreticos pro viribus persequentur, & eos bona fide manifestabunt. Hujusmodi autem juramentum singulis bienniis renovetur. XIII. Ut omnes & singuli Confessionem peccatorum faciant ter in anno proprio Sacerdoti, vel alteri de voluntate ipsius vel mandato; & ter etiam Sacramentum Eucharistiæ suscipiant, scilicet in Natali Domini, Pascha & Pentecoste: alioqui suspecti de hæresi habeantur. XIV. Ne Laïci libros Veteris aut Novi Testamenti permittantur habere, nisi fortè Psalterium vel Breviarium pro Divinis Officiis, aut Horas *Beatæ Mariæ*. Sed ne Sacros

Summa Canonum.

Decreta ad extirpationem hæresum.

Libri sacri in linguam vernaculam translati Laïcis prohibentur grassante hæresi.

cros Libros in linguam vulgarem translatos habeant, arctissimè prohibet Synodus XV. Ne Hæretici *Medici* munus exerceant; & ne ad infirmos accedere sinantur. XVI. Ut testamenia fiant coram proprio Sacerdote, vel alio Viro Ecclesiastico, qui vices ejus suppleat. Alioquin irrita sunto. XVI. & XVII. Ne Prælati, Barones, Domini terrarum, Hæreticis aut hæreseos infamiâ laborantibus, munus ullum publicum aut administrationem committant, aut eos in sua familia vel consilio retineant. XVIII. Omnia Privilegia & libertates Ecclesiarum, & Religiosarum domorum integra & inviolata servari jubet: Decimásque & primitias solvi. XIX. Clericos à vectigalibus immunes ac liberos esse declarat, nisi sint mercatores vel conjugati. XX. Clericos & Viros Religiosos, peregrinos & Milites, cum rebus ipsorum pariter immunes esse juber ab omni pedagio, nisi sint mercatores. Laicis prohibet ne pedagia, quidagia, seu alia tributa à quibuscumque personis exigant, *nisi quæ ab antiqua Regum, vel Imperatorum, vel Principum concessione* probaverint esse profecta, *aut ex antiquâ consuetudine introducta*. Alioqui Censuris Ecclesiasticis coërceantur. XXI. Ut qui pedagia recipiunt, securas vias præstent. XXII. Ut Laici ab hominibus Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum Virorum tributa nulla exigant vel census, nisi ab eis possessiones habeant. XXIII. Ut qui Clericum cœperit ob crimen, vel aliam ob causam, eum Episcopo vel Archidiacono restituat postulatus; alioqui excommunicatus denuncietur. XXIV. Statuit ut Parochiani, *dominus & domina cujuslibet domûs, Dominicis & festivis diebus ad Ecclesiam venire teneantur, Prædicationem ex integro audituri & Divinum Officium, nec inde recessuri, donec Missa compleatur*. Si defuerint, dummodo sint in villa præsentes, nec infirmitate, aut aliâ causâ legitimâ detenti, duodecim denarios Turonenses solvere quilibet teneatur, quorum medietas sit Domini villæ, & alia Sacerdotis & Ecclesiæ. XXV. & XXVI. Diebus Dominicis & festivis feriari præcipit. Hi porro erant festivi dies in Provincia Narbonensi: Natale Domini, S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ, SS. Innocentium, S. Silvestri, Circumcisio Domini, Epiphania, Purificatio, Annuntiatio, Assumptio, & Nativitas B. Mariæ Virginis: Pascha cum duobus diebus sequentibus: Rogationum tres dies: Pentecoste cum duobus diebus sequentibus: Natale S. Joannis Baptistæ, Inventio & Exaltatio S. Crucis, XII. Apostolorum, S. Mariæ Magdalenæ, S. Laurentii, S. Martini, S. Nicolai, S. Michaëlis, Dedicatio cujuscumque Ecclesiæ, Festivitas Sancti sub cujus invocatione Deo consecrata est. XV. Canones sequentes de pace servanda statuunt, ejúsque infractores coërceri jubent. XLIII. Ut Judices gratis jus dicant, postpositâ gratiâ, odio, vel timore. XLIV. Ut Curia pauperibus det Advocatum. XLV. Ut Parochiales Presbyteri hæc Statuta quater in anno Parochianis exponant.

Clericorum immunitas.

Parochialis Ecclesiæ frequentatio Dominicis & festis diebus.

Mulcta his qui defuerint imposita.

Festi dies in Provincia Narbonensi anno ... seculo ex præcepto celebrati.

ARTICULUS IX.

De Concilio apud Castrum Gonterii.

Chasteau Gontier, in Diœcesi Andegavensi.

ANno Christi millesimo ducentesimo trigesimo primo, Turonensis Provinciæ Concilium apud *Castrum Gonteris* celebratum est, in quo triginta septem de Disciplina Canones editi. Primus jubet ut Prælati ad Matrimonia clandestina dirimenda, omni dilatione & excusatione seclusis, procedant. II. Vetat ne Archipresbyteri vel Decani Rurales auctoritate propriâ causarum Matrimonialium cognitionem sibi arrogent. III. Statuit ut à Curatis ante ipsorum institutionem Juramentum exigatur, quòd nihil ab ipsis vel ab aliis pro Beneficio illo obtinendo sit datum, vel promissum. IV. Ut ad personalem Residentiam compellantur. V. Ut si aliquâ necessitate exigente Ecclesia tradatur ad firmam, portio congrua Capellano reservetur. VI. Ut certus constituatur Canonicorum numerus, nec fiat Ecclesiarum sectio, vel Præbendarum. VII. Ne deinceps in Ecclesia Cathedrali instituantur aliqui ad Præbendam vacaturam: olim tamen instituti primò vacaturas obtineant. VIII. Ut Cathedralium Consuetudines, scriptis mandentur. IX. Ut cum excommunicatis communicantes, ab Ecclesiæ ingressu arceantur. X. Ut Judices Ecclesiastici à generalibus excommunicationibus temperent. XI. Ne Sacerdotes vel alii Viri Ecclesiastici secularibus personis sese tributarios constituant, sub pœna suspensionis ab Officio & Beneficio. XII. Ne Archidiaconi, Archipresbyteri, & alii Jurisdictionem Ecclesiasticam habentes, extra civitatem Officiales habeant, sed per se Officio suo fungantur. XIII. Ne in pecunia numerata procurationes accipiant, contra Statuta Concilii Generalis. XIV. Ne Prælati à firmariis in Ecclesiis constituendis pecuniam exigant, aut extorqueant: alioqui ad duplum Ecclesiæ Matrici restituendum compellantur. XV. Ut Patroni tam Ecclesiastici, quàm Laïci, qui ad curam animarum *illiteratos* præsentaverint, *Jure præsentandi careant illâ vice*: XVI. Ne quis Ecclesiæ regimini præficiatur, nisi loci illius idioma loquatur & intelligat: Alioqui & institutus privetur Beneficio, & Collatores instituendi potestate careant illa vice. XVII. Ne tutelæ vel curæ minorum vendantur; qui abusus aliquibus in locis Provinciæ Turonensis irrepserat. XVIII. Ut nullus Sacerdos ad Ordinis sui functiones recipiatur sine licentiâ Episcopi sui, vel nisi aliàs constet de Canonica ipsius Ordinatione. XIX. Ne Laici Clericis actiones suas cedant, nisi in casibus à Jure concessis. Id si factum fuerit, Clericus ab agendo repellatur. Et ne actiones vendantur, sub eadem pœna. XX. Clericos in enormi delicto deprehensos Diœcesano reddi jubet, & si crimen postulet, degradari. Si ad meliorem frugem postea non redierint, ab Ecclesia nullatenus defendi. XXI. Clericos ribaldos, maximè qui Goliardi vocabantur, tonderi vel etiam radi Episcoporum, vel aliorum Prælatorum jussu statuit; ita ut nullum in eis maneat Clericalis Tonsuræ vestigium. XXII. Cruce-signatos homicidii vel alterius criminis reos, coram Judice Ecclesiastico convictos legitimè, signo crucis, & aliis Privilegiis Crucesignatis concessis ab Ecclesiastico Judice exui jubet. XXIII. Tyrannos coërcet, qui per viles personas, quæ non sunt solvendo, Ecclesiasticas personas capiunt, ipsarúmque bona deprædantur. Vigesimusquartus & quinque sequentes, Monachis Regularem Observantiam imperant, silentium, abdicationem peculii, abstinentiam à carnibus. Statuunt ut Monachi ante decimum quintum ætatis annum in Prioratibus non ponantur, nisi Conventualibus. Ne Abbas sine Monacho, & Monachus sine famulo equitet. Ne Monachi in Prioratibus solitarii constituantur. XXX. Usurarios excommunicari statuit, donec usuras restituerint, & Ecclesiæ satisfecerint. In crimine pertinaces, Ecclesiasticâ sepulturâ privari. XXXI. & duo sequentes, Judæos coërceri jubent, ab Officiis publicis, & à testimoniis contra Christianos ferendis arceri. XXXIV. Sub pœna excommunicationis inhibet, ne aliqui deinceps Matrimonium contrahant per verba de præsenti, nisi priùs denuntiationes solemnes seu banna in Ecclesia

Jubentur Canones XXXVII.

Qui ad Parochiarum regimen præsentandi.

Ribaldi, id est, Libidinosi & scortatores.

Goliardi, id est, joculatores & scurræ. Hinc Gallica vox, Gaillard.

clesia præmittantur XXXV. & XXXVI. De Judicum & Advocatorum Juramento statuunt. XXXVII. De Conciliis apud *Vallem Guidonis* celebratis Decretis observandis.

ARTICULUS X.

De Concilio Biterrensi.

Biterræ, Beziers, urbe Occitaniæ, Episcop. sub Metropoli Narbonensi.

ANno Christi millesimo ducentesimo trigesimo-tertio, *Walterus* Episcopus Tornacensis, Sedis Apostolicæ Legatus, Biterris Concilium celebravit, cujus meminit *Guillelmus de Podio Laurentii*, in Chronico. Decreta XXVI. condita. I. Ut Hæretici & eorum fautores singulis diebus Dominicis excommunicentur. II. Ut quilibet privatus in terra cujuslibet possit inquirere & capere Hæreticum, & captum Episcopo præsentare. III. Ne credentes & fautores Hæreticorum Bailivas & publica Officia emant. Si qui hæc ipsis vendiderint Domini, excommunicationis gladio feriantur. IV. Ut Hæretici reconciliati, qui duas cruces prominentes ad mandatum Episcopi portare noluerint; excommunicentur, & bona eorum confiscentur. V. Ut Sacerdotes circa suspectos de hæresi invigilent, observentque an diebus Dominicis & festivis ad Ecclesiam veniant, & Decreta Concilii Tolosani contra eos qui defuerint; exequantur. VI. Ut Ordinandi de scientia & moribus diligenter examinentur, & *sine titulo patrimoniali* centum ad minus solidorum Turonensium, vel *Ecclesiastico Beneficio* competenti, ad Ordines non admittantur. VII. Ut ad primam Tonsuram non recipiantur nisi ex libero utero & Matrimonio legitimo procreati, & qui expeditè legant & canant: nisi ex causa visum fuerit Episcopo loci super procreatis ex contubernio dispensandum. VIII. Ut Episcopi juramentum vel aliam cautionem à Clericis Ordinandis non exigant, quòd ratione tituli patrimonialis, vel alteriùs minus idonei, ipsis vel eorum Successoribus negotium non facessent: quia hujusmodi cautiones labe simoniacâ fœdatæ sunt. IX. Ut Episcopi tales Archidiaconos constituant, qui zelum animarum habentes, Clero & Populo verbum Dei prædicare valeant. X. Ut Lateranensis Concilii Constitutiones, *Sacro approbante Concilio*: & *sub interminatione divini judicii*, contra injustè excommunicantes legantur. XI. Ut Patroni tam Ecclesiastici quàm Laïci ante Festum proximum omnium Sanctorum Episcopis Rectores seu Vicarios perpetuos præsentent, congruâ portione ipsis assignatâ. XII. Ut quicumque animarum curam habent, ad Ordinem Sacerdotum quantocyus promoveantur: ad idque subtractione Beneficii compellantur. Ut quælibet Parochialis Ecclesia *proprium habeat & perpetuum Sacerdotem* qui personaliter resideat. XIII. Constitutiones Lateranensis Oecumenici Concilii de vita & honestate Clericorum, observari jubet: vetat ne Clerici arma offensiva extra belli tempus deferant. Ne Canonici Seculares stallum in Choro, aut vocem habeant in Capitulo, qui non fuerint in Sacris Ordinibus constituti, nisi ex causa cum eis ab Episcopo fuerit dispensatum. XIV. & XV. sequentes de Regulari Monachorum Disciplina statuunt, imprimis de abdicatione proprietatis. *Prohibemus*, inquit, Synodus, *in virtute obedientiæ, sub obtestatione Divini Judicii, ut aliquis Religiosorum proprium, possideat. Sed si quis aliquid habeat proprium, in continenti resignet. Si verò post hæc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari admonitione præmissâ de Monasterio expellatur: nec recipiatur ulteriùs, nisi pœniteat secundùm Monasticam Disciplinam. Quòd si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte ipsa: cum ea in signum prædonis, secundùm statuta B. Gregorii, ex Monasterio subterretur. Nec etiam æstimet Abbas, vel aliquis Superior, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho, vel Regulari Canonico dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut custodia castitatis, adeo est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Imò tales in præcipuis Festivitatibus excommunicationis vinculo innodentur. Quòd si Abbas, vel alii Superiores, in his corrigendis negligentior extiterit: correctio ad Episcopum devolvatur, Abbatibus nihilominus de negligentia puniendis.* XXVI. Solemne de pace servanda Juramentum renovari præcepit.

Summa Canonum.

Decreta ad hæresim Albigensium exstirpationem.

Ordinandorum Titulus. Ad Tonsuram clericalem qui recipiendi.

Vicarii perpetui portio congrua.

Monachorum proprietariorum pœnæ.

ARTICULUS XI.

De Conciliis Arelatensibus.

I. ANno millesimo ducentesimo trigesimo-quarto, VI. Idus Julias, *Joannes* Arelatensis Archiepiscopus Provinciale Concilium in Metropoli sua celebravit, in quo Decreta viginti quatuor edita sunt. I. Executionem Statutorum Lateranensis Concilii 4. imperat. II. Ut Episcopi suis in Diœcesibus verbum Dei per se & per alios frequenter prædicent. III. Ut seculares Potestates, Magistratus & Domini Juramentum præstent de exterminandis Hæreticis. IV. Ut Hæretici & eorum fautores; diebus Dominicis & festivis excommunicati denuntientur. V. & VI. Ut inquirantur, & bonorum confiscatione, carcere, aliisque pœnis, secundùm Canones & Leges Principum plectantur. VII. VIII. & IX. Pacem servari statuunt: conjurationes sive confratrias sub anathemate prohibent: nisi fortè ab Episcopo ob urgentem & evidentem utilitatem permittantur. X. Ut excommunicati pro damno dato, vel injuria irrogata, non absolvantur, nisi fecerint satis. XI. Ut Hæretici post mortem dumtaxat cogniti, extumulentur, & seculari judicio relinquantur. XII. Ut nulli Laico; suo vel alterius nomine Beneficium conferatur. XIII. Ut nemo, nisi præviâ monitione canonicâ excommunicetur: Qui ultra mensem terribili vinculo constrictus manet, quinquaginta solidis quovis mense mulctetur. XIV. Episcopos correctioni ac reformationi morum invigilare jubet. XV. Ut in qualibet Synodo, & singulis diebus Dominicis & festivis excommunicentur usurarii, adulteri manifesti, divini, sortilegi, & qui eos consulunt. XVI. Ut Judæi à Christianis signo discernantur, & Ecclesiis pro decimis oblationibúsque satisfaciant. XVII. Ut Privilegiati Prælatorum Sententias non enervent. XVIII. Ut Arelatensis Provinciæ Episcopi *Regalia B. Trophimi* ad Arelatensem Ecclesiam; ex Imperatorum concessione spectantia, viriliter & potenter defendant. XIX. Ut quælibet Ecclesia ruris proprium habeat Sacerdotem, aut saltem juxta dispositionem Episcopi administretur. XX. Ut in causis decimarum, primitiarum, piorum legatorum, aliisque negotiis Ecclesiasticis, secundùm Jus commune, & Canones agatur. XXI. Ne testamentum fiat sine præsentia Parochi. Si secùs factum fuerit, testator Ecclesiasticâ sepulturâ privetur, tabellio excommunicetur. XXII. Ne pedagia vel salinaria, nisi ab Imperatoribus, Regibus, vel Principibus concessa, vel ex antiquâ & præscriptâ consuetudine introducta, exigantur. XXIII. Ne quis de Juribus Ecclesiis Parochialibus debitis cum Viris Religiosis componat sive cum Monasteriis, nisi Episcopi auctoritas & consensus accedat. XXIV. Ut nullus Ecclesiastico

Summa Canonum.

Censurarum Ecclesiæ contemptores contumaces mulctâ pecuniaria castigantur.

Beneficio absque causæ cognitione spolietur.

* Venasque. * Cavaillon.

II. Idem Archipræsul Concilium alterum Provinciale *Insulæ*, quæ Vindascini * Comitatus villa est in Diœcesi Cavallicensi, * celebravit anno 1251. cujus Decreta numero tredecim, superioris Concilii Statutis pene gemina sunt.

Summa Canonum Concilii alterius Arelatensis.

III. Anno millesimo ducentesimo sexagesimo; *Florentius* Arelatensis Archipræsul Concilium cum Suffraganeis suis habuit, in quo sexdecim edita Decreta. I. Phantasticos *Joachimi* Abbatis damnat Sectatores, seu qui ejus nomine perniciosa dogmata sua vehebantur. II. Statuit Synodus hæc Arelatensis ut Parochi formam & ritum Baptismi Parochianos suos doceant, ut pueros imminente periculo baptizare possint. III. Ut Confirmationis Sacramentum nonnisi jejunis & à jejunis confesatus, nisi nimia confirmandorum multitudo & frequentia prohibeat ne sacrum istud Ministerium jejunus obire valeat Episcopos. IV. Clandestina Matrimonia sub pœna excommunicationis prohibet. V. Statuit ut Vicarii saltem perpetui in Parochialibus Ecclesiis resideant. VI. Festum Sanctissimæ Trinitatis in Octava Pentecostes solemniter celebrari; Festum *S. Trophimi* per totam Provinciam solemne esse jubet, sicut Festa Apostolorum, Officiúmque de ipso ut de Apostolis peragi. VII. Ut ad honestatem & decorem divini cultus, luminaria in Ecclesiis subministrentur. VIII. Ut Judæi signum aliquod in vestibus deferre compellantur. IX. Ne Clerici Beneficiati coram secularibus Judicibus causas dicant, nisi Ecclesiæ, pauperibus, orphanis & viduis patrocinari voluerint intuitu pietatis: alioqui Ecclesiæ ingressu prohibeantur, & nisi moniti hujusmodi officio nuntium remiserint, Beneficio Ecclesiastico priventur. X. Ut Monachi & Canonici Regulares pro doctrina sacra stipendium non accipiant, sub pœna suspensionis. XI. De Canonicorum Regularium disciplina decernit. XII. Ut Hospitalariorum & Templariorum immunitas ad eorum familiares non extendatur, sed ejus solùm sint participes qui ad domesticam eorum familiam pertinent. XIII. Ut Hospitalium regimini Religiosæ personæ deputentur, quæ vitam communem agant, nihilque sibi ac suis præter victum & vestitum ex bonis & eleemosynis retineant: & annis singulis rationes reddant iis à quibus ipsis hujusmodi administratio commissa est. XIV. Ut Prælatus mutuum pro suis & Ecclesiæ necessitatibus contrahens, chartas & instrumenta proprii sigilli charactere & impressione consignet. XV. Viris Religiosis prohibet sub pœna suspensionis à Prædicatione & Confessionibus audiendis, ne Laicos diebus Dominicis & Solemnitatibus præcipuis recipiant ad Divina, nec horis illis Conciones in Ecclesiis suis habeant, quibus in Parochiis Missarum solemnia celebrantur. XVI. Vetat Confessariis, qui ab Episcopis per villas & Parochias Diœceseos mittuntur, ne à casibus reservatis absolvant, vel generales Parochianorum Confessiones excipiant, *nisi de mandato Prælati, & licentiâ Curati; sed eos ad proprios Sacerdotes remittant, & à casibus, pro quibus mittuntur, pœnitentes absolvant: Ne Parochiani mandatum de confitendo semel in anno propriis Sacerdotibus simulatoriè & dolosè se gaudeant evasisse.* XVII. Prohibet ne in quæstionibus, quæ de Beneficiis Ecclesiasticis inter aliquos oriuntur, competitores armis parentum & amicorum Ecclesias invadant & occupent, sed apud Ecclesiasticos Judices juribus agant.

Hospitalium regimine.

Missæ Parochiales. Laici ab ea non avocandi.

Annuæ Confessionis propriis Sacerdotibus faciendæ mandatum.

Alterum Concilium Arelatense.

IV. Anno circiter millesimo ducentesimo septuagesimo-quinto, *Bertrandus de Sancto Martino* Arelatensis Archiepiscopus Provinciale Concilium in Metropoli sua celebravit, in quo Decreta viginti duo edita sunt. Quatuor priora desiderantur. V. Statuit ut Sententias Excommunicationis & Interdicti ab uno latas alii Prælati denuntient & observari curent, cùm à proferente rogati fuerint. VI. Ut Priores, Rectores Ecclesiarum & Hospitalium, ac Beneficiati cæteri, indicem sive inventarium omnium bonorum mobilium & immobilium ad Ecclesias suas pertinentium initio sui regiminis conscribant. VII. Ne calices, libri, & ornamenta Ecclesiæ, absque licentia Episcopi vendantur aut oppignerentur. VIII. Ut testamenta coram Parochiali Presbytero condantur: alioqui testator careat Ecclesiastica sepultura: Notarius Ecclesiæ ingressu prohibeatur. IX. Ut Parochiales Presbyteri piorum legatorum solutionem urgeant. X. & XI. Excommunicationem decernunt in eos *Qui solicitant, monent, inducunt aliquo modo aliquem vel aliquam, per se, vel per alium, ut dimissâ suâ Ecclesiâ Parochiali, vel Matrice, ad aliam se transferant, sepulturam ibi Ecclesiasticam eligendo*: Necnon in eos, qui testatoris voluntatem seu ordinationem impediunt vel ad impediendum præstant auxilium vel favorem, in dispendium alicujus Ecclesiæ, vel Ecclesiasticæ personæ: Et Jura Canonica in his observari jubent. XII. & XIII. Casus Episcopo & Romano Pontifici reservatos recensent. XIV. & XV. Excommunicationem ferunt in Clericos qui triticum aut vinum emerint causâ revendendi aut negotiandi: & eos qui usuram aut fraudem in venditione annonæ commiserint, pretio rei venditæ mulctandos statuunt, Ecclesiæ Parochialis fabricæ applicando. XVI. & XVII. Calices argenteos Ecclesiis provideri, & ruris Ecclesias, earumque domos restaurari jubent. XVIII. Statuit ut usurarii & adulteri publici diebus Dominicis & Festivis excommunicati denuncientur. XIX. & XX. Ut nomina illorum qui *in Quadragesima* confessi non fuerint *Proprio Sacerdoti, vel aliis de licentia ipsius, in Synodo post Pascha per proprios Sacerdotes in scriptis ad Diœcesanum Episcopum deferantur*: & si Religiosi Confessiones audierint, *præsertim in Quadragesima, nomina sibi confitentium, infra Octavas Paschæ in scriptis tradant proprio Sacerdoti.* Qui verò infra annum proprio Sacerdoti confessus non fuerit, sepulturæ non tradatur Ecclesiasticæ absque Episcopi licentia speciali. XX. Statuit ut infirmorum Confessiones à Parochiali Presbytero, vel ab alio, seculari vel Religioso, de ipsius licentia, audiantur. Quam licentiam *liberaliter & libenter* à Parochis, cùm rogati fuerint, dari jubet Synodus. XXII. Vetat ne Curati Ecclesias suas dimittant.

Excommunicantur qui aliquem sollicitant vel inducunt ad eligendam sepulturam extra suam parochiam.

Confessionis annuæ dilucida.

Confessiones infirmorum à quibus audiendæ.

ARTICULUS XII.

De Conciliis duobus Turonensibus à JUHELLO Archiepiscopo celebratis.

I. ANno Christi millesimo ducentesimo trigesimo-sexto, mense Junio, *Juhellus* Turonensis Archiepiscopus, congregatis Provinciæ suæ Episcopis, Concilium celebravit, in quo disciplina Decretis XIV. sancita est. I. Cruce signatos occasione alicujus delicti à Judice seculari detentos, ab Ecclesiastico Judice repeti statuit, adhibito si necesse sit Censurarum terrore. II. III. & IV. Advocatos recipi vetant nisi solido triennio Juri studuerint: Officiales nisi quinquennio: Notarios, nisi stylum Curiæ & Statuta noverint. V. Judices à Sede Apostolica in Provincia Turonensi delegatos causarum sibi commissarum cognitionem suscipere prohibet, nisi exhibito sibi authentico Rescripto & Impetratore coram ipsis jurante. VI. Statuit ut Episcopi & ipsorum Officiales, aliique inferiores Judices Appellationibus deferant, nec Appellantibus

Summa Canonum.

bus molesti existant. VII. Ut Episcopi Testamentorum executionem auctoritate sua urgeant: Quæ ne supprimi valeant vel occultari, infra decem dies à testatoris obitu, ad Episcopum ipsum, vel Archidiaconum, vel Deputatos ab ipsis deferantur. Et ne Testamentorum executores quicquam de bonis decedentium in suos usus convertere vel retinere præsumant; alioqui ad restitutionem compellantur. VIII. Infames declarantur, & flagellis digni, qui binas nuptias vel sponsalia eodem tempore contrahunt. IX. Eadem pœna in sortilegos decernitur, nisi pœnam sibi injunctam pecuniâ redemerint ad arbitrium Judicis: Quæ in usus pauperum illius Parochiæ convertatur. X. Mulcta pecuniaria indicitur eis qui cum nominatim excommunicatis communicaverint in mensa, si absque scandalo possint evitari. Statutum apud *Castrum Gonterii* editum, quo excommunicationem ipso facto incurrebant, revocatur. XI. Jubet ut Exempti de quorum Privilegiis dubitatur, illa exhibere teneantur. XII. Eamdem pœnam in falsos testes decernit, quam superiùs in sortilegos decrevit Synodus. XIII. Episcopos curam de Neophytis seu recèns conversis ab Hæresi aut Judaïsmo gerere præcipit singularem, ut in fide erudiantur, & commodè sustententur, ne cogente paupertate ad vomitum redeant. XIV. Abbatibus & Prioribus hospitalitatem commendat, maximè erga Religiosos qui propter Christum propria dimiserunt.

Communicantes cum excommunicatis, mulctâ pecuniariâ castigantur.

II. Concilium alterum celebravit idem Archipræsul anno millesimo ducentesimo trigesimo-nono, in quo tredecim Decreta condita sunt. I. In qualibet Parochia tres testes Synodales constitui jubet, qui de scandalis interrogati ab Archiepiscopo vel Archidiacono, dicant veritatem. II. Ut Clerici crimine confessi vel convicti, ad arbitrium Episcopi puniantur. III. Ne Sacerdotes in publicum prodeant, nisi in habitu qui Ordinem suum deceat. IV. Ut Sacramenta gratis exhibeantur, sed postea exigi possit quod piæ consuetudinis est, ad quod solvendum Prælati Censurâ Ecclesiasticâ subditos compellant. V. Vetat Curatis ne pro jure suo, vel Ecclesiæ suæ, Parochianos auctoritate propria excommunicent. VI. Ne Clerici nothis suis aut concubinis testamento aliquid legent: Si fecerint, irritum sit, & Ecclesiæ applicetur. VII. Ne Archidiaconi & Archipresbyteri extra civitatem Officiales habeant, sed Officio suo per se fungantur. IX. & X. Ne præcipiti motu, sed maturè & præviis monitionibus legitimis feratur excommunicationis sententia: Et ne communicantes cum excommunicatis generali anathemate percellantur. XI. Ne Viris Religiosis certa pecuniæ summa pro victu seu vestitu, & aliis necessariis detur, sed ipsis de communi cellario & vestiario provideatur. XII. Ne Clerici vel Monachi ancillas habeant. XIII. Ne Monachi in Ecclesiis Parochialibus deserviant, nisi ab Episcopo in casibus permissis curam receperint animarum.

Alterius Concilii Turonensis

Summa Canonum.

Sacramenta gratis administranda.

Piæ consuetudines.

Victus communis Monachorum.

ARTICULUS XIII.

De Concilio Londinensi ab OTTONE Sedis Apostolicæ Legato congregato.

ANno Christi millesimo ducentesimo trigesimo-septimo, Concilium ab *Ottone* S. Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali, & Sedis Apostolicæ per Angliam Legato, Londini congregatum est. Cantuariensi Archiepiscopo à dextris, & Eboracensi à sinistris Legati sedente, orta inter eos est de sessionis ordine controversia, quam neutrius Juri derogans idem Legatus prudenter composuit: *In Bulla*, inquit, *Domini Papæ stat imago Pauli à dextris Crucis in medio Bullæ figurata, & Petri à sinistris: Nulla tamen inter tantos Sanctos est orta unquam contentio: ambo enim sunt in coæquali gloria. Veruntamen propter Petri clavigeri dignitatem, cum prioratu vocationis, meritò à dextris Crucis ejus imago collocanda videtur. Sed quia Paulus credidit in Christum quem non vidit, à dextris figuratur*, Beati enim qui non viderunt & crediderunt. *Sic Dominus Cantuariensis totius Angliæ Primas, & qui præest nobilissimæ & antiquissimæ Ecclesiæ Cantuariensi, necnon & Londoniensi quæ est S. Pauli, non sine ratione à dextris est collocandus.* Ita refert *Matthæus Paris.* Uno & triginta Decretis Ecclesiastica Disciplina sancita est. I. Statuit ut Ecclesiæ omnes infra biennium consecrentur. II. Ut Sacramenta, qualibet exclusâ cupiditatis labe, administrentur. III. Ut in Vigiliis Paschatis & Pentecostes Baptismus solemnis celebretur. IV. Coërcet avaritiam Sacerdotum, qui non aliter admittunt ad Pœnitentiam confitentes, nisi priùs ab ipsis in sinu avaritiæ suæ quidpiam reponatur: In eósque privatio Beneficii, & suspensio perpetua ab Officio decernitur. V. Statuit ut in singulis Decanatibus Confessarii selecti constituantur ab Episcopo, apud quos Beneficiati & Minores Clerici peccata sua deponere valeant. In Cathedralibus verò Generales Confessarii seu Pœnitentiarii instituantur. VI. Diligens Ordinandorum examen haberi jubet. VII. Prohibet ne Dignitates vel Officia, puta Decanatus, vel Archidiaconatus, sive proventus ex Ecclesiasticæ vel spiritualis Jurisdictionis exercitio, sive ex Pœnitentia vel Altari, seu aliis Sacramentis venientes, ad firmam concedantur. VIII. & IX. Ne Laïcis unquam, nec Viris Ecclesiasticis ultra quinquennium, Ecclesiæ ad firmam concedantur. X. Ut Vicarius perpetuus nemo instituatur nisi Presbyter, vel saltem Diaconus proximis quatuor Temporibus ordinandus; qui residentiam personalem juret. XI. Ne prætextu opinionis vel famæ, quæ de morte vel cessione habeatur absentis, ejus Beneficium conferatur: sed Prælatus expectet donec de alterutro certior fiat. Alioqui ad resarciendum omne damnum hac occasione inflictum absenti sit adstrictus: Et qui se procuravit intrudi, præter fructuum restitutionem, ipso facto sit ab Officio ac Beneficio suspensus. XII. Ne deinceps in plures Personatus aut Vicarias una Ecclesia dividatur: & quæ divisæ sunt, quantocyus integrentur; nisi sic institutum fuerit ab antiquo. XIII. Ut Canones & Decreta Romanorum Pontificum de residentia Rectorum; & contra eos qui plures Dignitates, Personatus, seu Beneficia curam animarum habentia, contra Constitutionem Concilii Generalis; *absque dispensatione Sedis Apostolicæ speciali*, retinent, executioni mandentur. Contra Statutum istud *Walterus de Cantelupo* Wigorniensis Episcopus intercessit, Apostolicum Legatum his verbis compellans: *Pater Sancte, cùm multi Nobiles, quorum sanguis noster est, plura obtineant Beneficia, cum quibus nondum dispensatum est, quorum etiam aliqui provecta sunt ætatis, & usque ad præsens honorificè vixerunt, & hospitalitatem ad posse procurando, eleemosynas patentibus januis erogarunt: durum esset nimis tales suis Beneficiis spoliatos in ignominiosam tradi paupertatem. Quidam verò Juvenes feroces ac strenui maximis periculis se opponerent, antequam suis se sinerent privari Beneficiis, unico tantùm retento...., Quoniam igitur multitudo talium in causa est, Sanctæ Paternitati vestræ supplicamus, quatenus ob salutem vestram & nostram, super hujusmodi Statuto Dominum Pa-*

Summa Canonum.

Pœnitentiarii.

Residentia Rectorum.

Beneficiorum pluralitas sacris Canonibus prohibita.

pam consulatis. Annuit Legatus ut ad Summum Pontificem communiter scriberetur. Ita refert *Matthæus Paris.* XIV. Statuit de habitu Clericorum, secundùm Concilii IV. Lateranensis Decreta.

Decreta contra Clericos incontinentes.

XV. Clericos qui Matrimonium clam contraxerunt, ab Ecclesiis & Ecclesiasticis Beneficiis; quibus sunt ipso jure privati, removeri decernit: & bona post hujusmodi Matrimonium quæsita, non filiis aut uxoribus, sed Ecclesiis, in quibus Beneficia tenuerunt, applicari. Filios verò ab Ordinibus & Beneficiis arceri. XVI. Clericos concubinarios, nisi concubinas infra mensem ejecerint, ab Officio suspensos declarat; nisi tandem Ecclesiæ paruerint, Beneficio privari. XVII. Filios in patrum Beneficiis institui vetat, abdicat institutos.

Monastica Disciplina.

XVIII. Latronum fautores anathemate percellit. XIX. Abstinentiam à carnibus, Monachis Benedictinis, secundùm Regulam imperat, exceptis debilibus & infirmis. Novitios completo probationis anno ad Professionem compelli jubet secundùm *Honorii III.* Pontificis Maximi Constitutionem. XX. De Archidiaconorum Officio statuit, vetat ne Ecclesias superfluis gravent expensis; ut tam in familia quàm in equis modestiam servent, nec pecunias extorqueant. XXI. Vetat ne Judices Ecclesiastici litium compositionem impediant, dummodo tale sit negotium, quod jure possit transigi vel componi: nec aliquid propterea exigant à partibus.

Episcoporum officia.

XXII. Episcopus hortatur ut sint forma gregis, ut in Cathedralibus Ecclesiis resideant, ibique Missas in præcipuis saltem Solemnitatibus, & diebus Dominicis, in Quadragesima & Adventu celebrent: Diœcesim suam circumeant opportuno tempore: saltem bis anno Professionem in Consecratione sua emissam sibi legi curent. XXIII. Matrimonialium causarum cognitionem ac judicium viris prudentibus & Juris peritis committi jubet. XXIV. Jusjurandum calumniæ, & de veritate dicenda, in causis etiam Ecclesiasticis exigi præcipit. XXV. XXVI. & XXVII. Statuunt de Procuratoribus constituendis, de citationibus, de sigillis.

Sigilla authentica.

XXVIII. Declarat quinam sigilla authentica habere debeant: scilicet Archiepiscopi & Episcopi, & eorum Officiales; Decani Rurales, Ecclesiarum Cathedralium Capitula, & cæteræ Collegia & Conventus cum suis Rectoribus, aut divisim, juxta eorum consuetudinem vel Statuta. Jubet ut habeat uniuscujusque sigillum nomen, puta Dignitatis, Officii, Collegii, & etiam illorum proprium nomen, qui Dignitatis vel Officii perpetui gaudent honore, insculptum notis & characteribus manifestis.

Tabelliones in Anglia non erant 13. sæculo.

Ideo autem de sigillis tantâ curâ statuit Synodus, quia Tabelliones in Anglia non erant. Unde sigilla authentica publicam faciebant fidem. *Quoniam*, inquit, *Tabellionum usus in Regno Angliæ non habetur, propter quod magis ad sigilla authentica credi est necesse*, &c. XXIX. Statuit de Juramento ab Advocato præstando. XXX. De Actis scribendis. XXXI. De cautione præstanda.

ARTICULUS XIII.

De Concilio apud Campinacum.

Cognac.

ANno Christi millesimo ducentesimo trigesimo octavo, *Gerardus* Burdegalensis Archiepiscopus cum Provinciæ suæ Episcopis Concilium *Campinaci* celebravit, Feria II. post Octavas Paschæ: in quo Ecclesiastica Disciplina triginta & octo Capitulis sancita est.

Summa Canonum.

I. & II. Variis in casibus excommunicationem jaculantur. III. Excommunicat seculares homines, qui Ecclesias, Xenodochia, vel alias Religiosas domos aut personas exactionibus importunis gravare præsumpserint. IV. Vicarios ab Archidiaconis, Archipresbyteris & Decanis constitui vetat, nisi ex justa causa absentes fuerint. V. Ne Rectores Parochialium Ecclesiarum aliam Vicariam suscipiant. VI. Ut quælibet Capellania sive Parochia proprium sigillum habeat.

Forma citationis judicialis.

VII. Ut citatio non fiat, donec authenticum ipsum, cujus auctoritate fit in Jus vocatio, inspiciatur & describatur ab eo, cui fuerat citandi munus injunctum, & transsumptum retineatur, parti quæ in Jus vocatur tradendum. VIII. Ne Prælati sententias excommunicationis sine satisfactione competenti relaxare præsumant. IX. Ut Sententias ab uno latas alii in suis Diœcesibus observari faciant, ac si ab ipsis fuissent promulgatæ. X. Ne causarum Matrimonialium cognitio committatur nisi viris peritis & prudentibus, qui & per se ipsos testes examinent, vel per eum qui Canonicas Sanctiones non ignoret.

Ecclesiastica Jurisdictio.

XI. Judicibus & aliis personis laïcis sub pœna excommunicationis inhibet, ne Clericos ad seculare tribunal litigare compellant, sed ad Judicium Ecclesiæ Viros Ecclesiasticos remittant conventos vel reconventos. XII. Ne Monachi vel Canonici Regulares Advocatos aut Procuratores agant, nisi pro Ecclesiæ suæ evidenti utilitate, & Superiore suo imperante. XIII. Idem prohibet Sacerdotibus, nisi pro Ecclesiis, & miserabilibus & conjunctis personis, nullo pacto aut pretio mediante. XIV. Advocatum pauperibus à Curia dari jubet. XV. Ut subditi pluribus Dominis indivisim, pro alterutrius delicto, communi Interdicto subjiciantur. XVI. Ut Domini terrarum ad restituenda Ecclesiis Beneficia, pro eorum culpa amissa, Censuris Ecclesiasticis compellantur.

Qui anno solido in excommunicatione manet, velut hæretici habentur.

XVII. Ut Baronum crimina Excommunicatione & Interdicto vindicentur. Si anno solido in excommunicatione manserint, velut Hæretici habeantur, & ipsorum bona confiscanda nihilominus exponantur.

Mulctâ pecuniariâ castigantur Censuræ Ecclesiasticæ contemptores.

XVIII. Ut si quis quadraginta dies in excommunicatione manserit, pœna decem librarum, vel alia competenti multetur. XIX. Ut qui Clericos capiant ac verberant ut redemptionem ab illis extorqueant, non solùm excommunicatione feriantur, sed nullus de posteritate ipsorum ad tertiam usque generationem, ad Ecclesiasticum Beneficium & Ordines admittatur.

Monastica Disciplina.

XX. Ne Abbates & Capitula Regularia pecuniam pro victu vel vestitu Fratribus assignent, *Ne habendi proprium eis materia tribuatur. Nec aliquos recipiant pacto vel pecunia mediante:* Sed si Monasterii non sufficiunt facultates, minuatur Monachorum numerus: nullique deinceps admittantur, donec possint de communi vivere. XXI. Ut Procuratores, & Abbates Monasteriorum rationes reddant. XXII. Ne Monachi absque Superiorum licentia exeant, vel comedant extra claustra. XXIII. Ne aliqua in Judicio repetant absque specialibus Superioris sui literis, nisi ad administrationem sibi commissam pertineant. XXIV. Ne pallium deferant.

Peculium monachis vetitum. Proprietariorum pœnæ.

XXV. Ne *peculium habeant*: & si in morte habuerint, nec Superiori suo humiliter ac devotè reddiderint, *careant sepultura.* XXVI. & XXVII. Ut circa id Abbates invigilent & circa vestium, & tonsuræ, & conversationis honestatem: ac ter in anno sub pœna excommunicationis publicè ipsis injungant ut peculium abdicent, & in manu sua resignent. XXVIII. Ne Monachi, etiamsi rerum temporalium procuratio & administratio ipsis credita sit, pro aliquo fidejubere, vel ultra viginti solidos mutuo recipere præsumant: alioqui graviter plectuntor: Abbates verò & Conventus ad solvendum pro his non tenentor; nisi fortè in utilitatem domorum suarum redundasse manifestè constiterit.

Monachorum abstinentia.

XXIX. Ne Monachi *in domibus Laicorum*

rum carnes comedant, sub pœna excommunicationis. xxx. Ne curam habeant Parochialium Ecclesiarum, nisi in necessitate, cum Abbatis & Diœcesani Episcopi licentiâ. xxxi. Ne Monachi & Canonici Regulares soli maneant in Prioratibus, cellis, & grangiis. xxxii. Ne Confraternitates Laïcorum sine Episcopi auctoritate fiant. Plerúmque enim conjurationibus confraternitatis nomen imponebant, impietatem nomine pietatis obvelantes. xxxiii. Ut Parochialium Ecclesiarum Presbyteris portio congrua deputetur. xxxiv. Ne novæ Domus Religiosæ fiant sine Episcopi licentia. xxxv. Ne absque ejusdem consensu possessiones Ecclesiæ alienentur: alioqui alienatio irrita esto, & allienantes pœnis Canonicis plectuntor. xxxvi. Ut si plures Capellani Parochianos communes habent, ad divisionem ab Episcopo cogantur. xxxvii. Ut nemo ex aliena Diœcesi ad celebrandum Divina recipiatur, nisi sui Ordinatoris, vel Successoris ejus literas omni suspicione carentes, suscepti Ordinis mentionem expressam, & causam Peregrinationis idoneam continentes, ostendat. xxxviii. Ut neque Ordinator, nec is qui vice fungitur Præsentantis, nec alius quispiam Juramentum recipiat vel pactum ab Ordinando, quòd nihil eo nomine ab aliquo exigat Ordinatus: cùm hujusmodi commercio fraus fiat Canoni, & vitium sapiat simoniæ. Denique xxxix. vetat ne Beneficia quorum collatio ad Archiepiscopum vel Episcopum devoluta est, ab alio conferantur.

Confraternitates.

ARTICULUS XV.

* De Concilio apud Vallem Guidonis.

* Laval, Urbs ad Meduanam fluvium, La Mayenne, in Diœcesi Cenomanensi

Jubellus Turonensis Archiepiscopus, cujus superiùs meminimus, anno millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, Provincialem Synodum apud *Vallem Guidonis*, in Diœcesi Cœnomanica celebravit, in qua novem Capitibus Disciplinam sanxit. i. Statuit ut Viri Religiosi suam Regulam, & observantiam regularem diligenter custodiant. ii. Ut Abbates Prioratuum domos restaurent, nec ipsas pensionibus gravent. iii. Ne Priores ab Abbatibus facilè mutentur vel transferantur. iv. Ne Archidiaconi, & alii, causas Matrimoniales, Simoniæ, vel alias, quæ degradationem vel amissionem Beneficii, vel depositionem exigant, nisi ex speciali mandato sui Episcopi, ullatenus cognoscant vel finiant: nec Officiales habeant; excepto civitatis Archidiacono, qui in civitate dumtaxat, non extra, Officiales habere consuevit. v. Ne Clerici, in civilibus etiam & criminalibus causis, ad secularia Judicia prorumpant, quod olim Milevitana & Calcedonensis Synodus prohibuere. Alioqui Censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis Canonicis plectantur. vi. Ut Canonici tempore Interdicti ad Officia Divina submissâ voce dicenda, clausis januis, & exclusis Excommunicatis & Interdictis, conveniant. vii. Ne *Religiosis personis pecunia pro vestibus tradatur, ut ipsis occasio habendi proprium subtrahatur.* viii. Ut si Princeps, aliusve Laïcus anno integro excommunicatus fuerit, loca ad quæ declinaverit, quandiu ibi manserit, Ecclesiastico supponantur Interdicto. ix. Ut qui in Purgatione Canonica sibi indictâ defecerint, tanquam convicti canonicè puniantur.

Summa Canonum.

Pecunia pro vestibus Religiosis personis non danda.

ARTICULUS XVI.

De Concilio Biterrensi.

Anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo-sexto, *Guillelmus* Narbonensis Archiepiscopus cum Provinciæ suæ Episcopis Concilium *Biterris* celebravit, in quo quadraginta sex Capitula, Disciplinam Ecclesiasticam spectantia, condita sunt, seu potius ex superioribus collecta Conciliis, maximè ex Lateranensi IV. Oecumenico, ex Narbonensi anni millesimi ducentesimi vigesimi-septimi, & ex Avenionensi; & ab Archipræsule Narbonensi, & Suffraganeis Episcopis promulgata. Quamobrem ab illis referendis abstineo. Iidem Præsules Fratribus Ordinis Prædicatorum Inquisitoribus contra Hæreticos consilia saluberrima dedere, quâ ratione in Sancti Officii executione gerere se deberent. Triginta septem Capitulis continentur: inter quæ xxxvi. observatione dignum est: *De Libris Theologicis non tenendis etiam à Laicis in Latino, & neque ab ipsis, neque à Clericis in vulgari.*

Libri Theologici Lingua vernaculâ non donandi.

ARTICULUS XVII.

De Concilio Valentino.

Valentia, Valence, Episcopatus sub Metropoli Viennensi.

Anno millesimo ducentesimo quadragesimo-octavo, *Petrus* Albanensis Episcopus, & *Hugo* S. Sabinæ Presbyter S. R. E. Cardinales & Apostolici Legati, cum Episcopis quatuor Provinciarum, Narbonensis, Viennensis, Arelatensis, & Aquensis, Valentiæ ad Rhodanum, in Delphinatu, mense Decembri, Synodum celebrarunt pro fide, pace, & libertate Ecclesiæ: quibus viginti Capitulis prospexere. Primum jubet antiqua Concilia per Legatos Apostolicæ Sedis habita inviolabiliter observari. II. Ut quolibet triennio Juramentum de servanda pace renovetur: addaturque in Sacramento, quòd *Friderico* Imperatori Schismatico non præbebunt auxilium vel favorem. III. Ut nulli Clerici in Sacris Ordinibus constituti, seu Canonici Cathedralium Ecclesiarum, aut alii Beneficiati, Officia publica in *Curia seculari* recipiant ac gerant: alioqui ab Officio & Beneficio suspendantur. IV. Ut Clerici Beneficiati Ordines Sacros suscipiant, cùm necessitas postulat, & Episcopus jubet. V. Ut Judæi ad signum gestandum compellantur. VI. VII. & VIII. Ut perjuri secundùm Canonicas Constitutiones puniantur, præsertim qui pro pace, pro fide, pro defensione seu libertate Ecclesiæ juraverunt: & in Ecclesiis publicè denuncientur. IX. Ut sententiæ ab Inquisitoribus latæ executio Censurarum Ecclesiasticarum terrore urgeatur. X. Ut qui eam denunciare vel exequi noluerint Episcopi, Ecclesiæ ingressu prohibeantur. XI. Ne in negotiis Inquisitionis admittantur Advocati, quorum artibus ac strepitu causæ retardarentur. XII. Ut sacrilegi & sortilegi tradantur Episcopo, nisi resipuerint, perpetuo carcere damnandi, vel ad ejus arbitrium puniendi. XIII. Statuit de pœnis illorum, qui crucem in signum ejuratæ hæreseos impositam abjiciunt, qui è carceribus evadunt, qui excommunicationum fulmina contemnunt. XIV. Ut excommunicati ad Magistratus & Officia publica non eligantur. XV. Ut quicumque Statuta, præcepta, seu banna contra excommunicatores vel excommunicationum latarum denuntiatores faciunt, denun-

Summa Canonum.

tientur excommunicati, & sacrorum justitium servetur in omnibus locis ad quæ diverterint, quandiu ibi morabuntur. XVI. Ut Prælati omnes excommunicatum à suo Episcopo denuntiatum vitent: alioqui Ecclesiâ solido mense prohibentur. XVII. Ut excommunicatorum sese Officiis Ecclesiasticis pertinaciter ingerentium absolutio uni Sedi Apostolicæ reservetur. XVIII. Ut cum excommunicatis frequenter & quasi ex consuetudine communicantes, Ecclesiæ aditu arceantur. XIX. Ut Statuta Conciliorum de Clericorum interfectoribus, bonorum Ecclesiasticorum raptoribus, Ecclesiasticæ libertatis violatoribus, de Clericorum honestate, &c. diligenter observentur. XX. Constatriæ seu conjurationes dissolvuntur & prohibentur sub pœna excommunicationis. XXI. Eadem pœna decernitur in eos qui pacem jurare noluerint. XXII. & XXIII. Excommunicationem in *Fridericum* & ejus fautores jaculantur.

ARTICULUS XVIII.

De Concilio Salmurensi *

*Salmurium, Saumur, urbs Diœcesis Andegavensis

ANno millesimo ducentesimo quinquagesimo-tertio, *Petrus de Lamballe* Turonensis Archiepiscopus, cum Episcopis Provinciæ suæ Concilium celebravit *Salmuri*, in Abbatia *S. Florentii*, die Martis post Festum *S. Andreæ*, in quo triginta duobus Capitulis Ecclesiasticam sanxit Disciplinam. I. Statuit ut in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Horæ Canonicæ temporibus debitis dicantur solemniter & devotè. II. Ut Sanctuarium in quo Corpus Christi reponitur, Fontes, Oleum, & Sanctum Chrisma sub clavibus custodiantur. III. Ut per Sacerdotem vel Diaconum superpelliceo indutum corporalia sæpe abluantur, & in vase mundo omnes ablutiones, vel saltem prima, reponatur. Altaris verò linteamina, indumenta Sacerdotalia ab aliqua honesta matrona vel virgine, sine appositione aliorum pannorum, quoties opus fuerit, abluantur. IV. Ut libri, vasa, ornamenta, & reditus Ecclesiarum in quaternis ab Archidiaconis scribantur. V. Ut Archidiaconi, & Archipresbyteri, ad Sacros Ordines infra annum suscipiendos Beneficiorum subtractione compellantur. VI. Ne in Ecclesiis aut earum porticibus causæ agitentur. VII. Ne Archidiaconi, Archipresbyteri, aut alii minores Prælati Jurisdictionem Ecclesiasticam habentes, causas audiant, seu Placita teneant Episcopis suis præsentibus. VIII. Ne extra civitatem Officiales habeant seu Vicarios, sed per se Officium suum exequantur. Et ne causas Matrimoniales, simoniæ, & alias quæ degradationem, vel amissionem Beneficii, seu depositionem exigunt, cognoscant ac judicent, nisi de speciali mandato Episcopi. IX. Ne Prælati procurationem recipiant ab Ecclesiis quas non visitant. X. Ut certus Canonicorum numerus in Ecclesiis constituatur. Ne Ecclesiarum vel Præbendarum sectiones fiant. Ne quis ad Præbendam vacaturam nominetur. XI. Ne in Canonicum Cathedralis Ecclesiæ recipiatur, qui non fuerit ex legitimo Matrimonio procreatus. XII. Ne Prælati subsidium à subditis exigant, nisi necessitas ex causâ manifesta & legitima hoc exposcat. XIII. Ne Rectores Ecclesiarum novis pensionibus graventur. Et si fortè ad pensionum hujusmodi solutionem Juramento sint adstricti, Pensionarios ad remittendum Juramentum Censuris Ecclesiasticis Episcopi compellant. XIV. Ut Regulares præscripta sibi Literis Summi Pontificis observare co-

Summa Canonum.

Corporalium ablutio.

Monastica Disciplina.

A gantur sub pœnis in iisdem contentis. XV. Ut hujusmodi Literarum transsumptum linguâ vernaculâ expositum in singulis Abbatiis habeatur. XVI. Ut Monachi peculium non habeant, etiam de licentia Abbatum. XVII. Ne Viri Religiosi secularia Placita audiant, aut iis se immisceant. XVIII. Ne Abbates Religiosa loca, etiam Monachis destituta, vel ad tempus Laïcis concedant. XIX. Ut Abbates ad antiquum Monachorum numerum in Prioratibus supplendum Censuris Ecclesiasticis, si opus fuerit, ab Episcopo compellantur. XX. Ut Abbates novas pensiones Prioratibus non impo- B nant, nec veteres augeant: si quas imposuerint, ad eas remittendas ab Episcopo compellantur. XXI. Ne Abbates vacantium Prioratuum bona occupent. XXII. Ne Viri Religiosi extra suam Ecclesiam, Monasterium, aut Prioratum, depositum habeant. XXIII. Ne Viri Ecclesiastici mercimonia vel alios turpes contractus ineant aut exerceant. XXIV. Ne Judices Ecclesiastici potestatem citandi pluribus passim committant. XXV. Ne quis Jurisdictionem Ecclesiasticam impediat, & ne minis aut terroribus seu bonorum captione aut corporum, litigantes de rebus ad Forum Ecclesiasticum spectantibus ab eo revocet, sub pœna ex- C communicationis. XXVI. Sub eadem pœna prohibet ne Sententiarum à Judicibus Ecclesiasticis latarum impediatur executio. XXVII. Matrimonia clandestina vetat. Viros Ecclesiasticos qui Matrimoniis hujusmodi interfuerint, vel ipsa in suis Ecclesiis contrahi permiserint, suspensione ab Officiis & Beneficiis per triennium: contrahentes mulctâ pecuniariâ ad arbitrium Episcoporum damnat. XXVIII. Prohibet ne Episcopi Ecclesias Parochiales Clericis alias habentibus, aut competenter Beneficiatis commendent: alioqui Commendatarius Ecclesia careat, & Collator potestate conferendi hac vice sit privatus. XXIX. Ne Episcopi D Ecclesiarum Parochialium reditus mensæ suæ applicent, aut in earum collatione sibi novas pensiones retineant, vel antiquas augeant. XXX. Ne Clerici filiis spuriis aut concubinis aliquid legent, alioqui legatum irritum sit, & Ecclesiæ applicetur. XXXI. Ut qui Sacerdotes in Cathedralibus vel Collegialibus Ecclesiis Præbendas habent, ibidem in Sacerdotali Ordine ministrent, aut Beneficiis priventur. XXXII. Ut Statuta Synodorum Provincialium observentur, sub pœna excommunicationis.

Ecclesiastica Jurisdictio.

Clandestina Matrimonia prohibentur.

E

ARTICULUS XIX.

De Concilio Albiensi.

Albia, Alby, nunc Sedes Archiepiscop.

ANno Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, Concilium apud *Albiam* à *Zoen* Avenionensi Episcopo celebratum est, multis Narbonensis, Bituricensis, & Burdegalensis Provinciarum concurrentibus Episcopis & Prælatis, jussu *Ludovici IX.* Regis Francorum Sanctissimi. Uno & septuaginta Capitulis Disciplina Ecclesia- F stica sancita est. XXVIII. Priora de Hæreticis inquirendis & exterminandis decernunt, & partim Concilii Tolosani anno MCCXXIX. celebrati, partim Valentini anno MCCXLVIII. Statutis germina sunt. XXIX. Statuti, *Omnis utriusque sexus*, de Confessione facienda semel in anno proprio Sacerdoti, aut alteri de illius consensu, executionem imperat: nec non Eucharistiæ susceptionem in Natali Domini, Pascha & Pentecoste: ita ut Confessio Communionem præcedat: nisi à sacra Mensa de consilio proprii Sacerdotis ad tempus abstinuerint. XXX. Ut Dominus & Domina cujuslibet

Summa Canonum.

bet domus diebus Dominicis ad Ecclesiam venire teneantur, sacram Concionem & Divinum Officium ex integro audituri, nec inde recessuri donec Missa compleatur: si absque legitima causa defuerint, duodecim denariis usualis monetæ mulctentur: quorum medietas sit Domini villæ, altera Ecclesiæ. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. & XXXV. De excommunicatis vitandis, de Censuris maturo ferendis judicio, de absolutione gratis impertienda satisfacientibus, vel ad satisfactionem paratis, statuunt. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. & XL. Concilii Tolosani Decreta renovant ac executioni mandari jubent, de testamentis coram Parochiali Presbytero condendis, de neganda sepultura Ecclesiastica testatoribus, qui huic Decreto non paruerint, & de Notariis qui testamenta absque ista solemnitate scripserint, Ecclesiæ ingressu prohibendis, de testamentorum transsumpto Parochiali Sacerdoti tradendo, ut heredes ad eorum executionem compellat: & de testamentis iisdem publicè in Ecclesia legendis. XLI. Vetat ne Sacerdotes fœminas suspectas retineant. XLII. Statuit ut in omnibus Ecclesiis, quarum reditus & proventus annuatim attingunt summam quindecim librarum Turonensium, argentei Calices habeantur. XLIII. Ut ad ruralium Ecclesiarum restaurationem Rectores, vel alii qui ad hoc tenentur, Censuris Ecclesiasticis compellantur. XLIV. Ne Clerici in Sacris Ordinibus constituti, vel Beneficiati, & Regulares, causarum Patronos agant absque Superioris sui licentiâ. XLV. Ne Clerici in Sacris Ordinibus constituti, Canonici Cathedralium Ecclesiarum, seu alii Beneficiis Ecclesiasticis ornati, Magistratus in Curia seculari suscipiant ac gerant, sub pœna suspensionis ab Officio & Beneficio; immo privationis, si per annum in contumacia perstiterint. X. Sequentia Capitula de Clericorum & Regularium vestibus, vita & honestate statuunt: aurum & argentum in vestibus, fibulis, frœnis, calcaribus, & sellis: aleatum & taxillorum ludos, venationem cum avibus & canibus, puerorum è sacro fonte susceptionem, prohibent. Regularibus pro pirantia aut vestibus pecuniam dari vetant. Tres saltem Monachos, vel duos Canonicos Regulares jubent in Prioratibus constitui. LVI. Ut Ecclesiastica Beneficia, *in quorum collatione haberi debet principaliter ante oculos solus Deus*, personis idoneis, & statuto à Canonibus tempore, absque pacto; diminutione, aut nova pensione conferantur. IV. Sequentia de Visitatione Episcoporum, déque ipsorum in evectionibus, in epulis & in procurationibus exigendis moderatione statuunt. LXI. & LXII. Avenionensis Decreta Concilii de pœnis perjurorum & usurariorum executioni mandari præcipiunt. VIII. Sequentia politiam præscribunt circa Judæos observandam. LXXI. Nova pedagia imponi vel recipi, sub pœna excommunicationis prohibet.

Beneficiorum collatio.

ARTICULUS XX.

De Concilio Burdegalensi.

Burdegala, Bourdeaux, Aquitaniæ caput, Archiepiscopi Sedes

ANno millesimo ducentesimo quinquagesimo-quinto, *Gerardus de Malemort* Burdegalensis Archiepiscopus, Idibus Aprilis, Provinciale Concilium in Metropoli sua celebravit, in quo triginta Capitibus Ecclesiastica Disciplina sancita est. I. Clericis Beneficia habentibus ectidentiam imperat: utque statuto tempore Ordines sacros suscipiant, sub pœna privationis Beneficiorum. II. Sacerdotibus prohibet ne Quæstores sine Summi Pontificis vel Episcopi Mandato in suis Ecclesiis

Summa Canonum.

prædicare permittant III. Ne Presbyteri aliarum Diœceseon in Ecclesiis ad sacrum Ministerium admittantur, sine Episcopi licentiâ. IV. De citationibus statuit. V. Ne Eucharistia die Paschatis pueris detur, sed panis benedictus duntaxat. VI. Ut reditus Ecclesiæ in Missalibus scribantur à Presbyteris, & de bonis ipsius nihil alienetur, nisi Episcopi auctoritate. VII. Ut Laïci ad jurandum super Reliquias non admittantur à Septuagesima usque ad Octavas Paschæ, ab Adventu Domini ad Octavas Epiphaniæ, in Jejuniis Quatuor Temporum & Litaniis Majoribus, in Dominicis, & Rogationum diebus. VIII. Ut Virorum Ecclesiasticorum nemo de personalibus injuriis, vel de eleemosynis Ecclesiæ factis coram seculari Judice litiget, nisi de consensu Episcopi IX. Ne Reliquiæ de capsa extrahantur, aut exponantur venales, aut recens inventæ publicè colantur, nisi fuerint *Auctoritate Romani Pontificis approbatæ*. X. Ne Clerici judicio capitali intersint. XI. Ne moribundi à Sacerdotibus absolvantur, nisi partibus læsis satisfecerint; vel fidejussorem dederint: alioqui absolvens partibus in solidum teneatur. XXII. Ne intra claustra Regularium lites agitentur, sub pœna Interdicti. XII. Capita sequentia de decimis decernunt, & de pœnis Laïcorum qui eas detinent, nisi Ecclesiæ auctoritate eas possideant: & Et ne vendantur, vel oppignerentur. Fructus decimarum vendi non prohibent Concilia, sed jus illos percipiendi. Decimarum detentores excommunicatione ferit hæc Synodus, ipsósque, & eorum uxores, filios & filias in ipsorum potestate existentes, Eucharistiæ Communione, Matrimonio, purificatione post partum, & Ecclesiastica privat sepultura. Temperat tamen *Guillelmi* Burdegalensis Archiepiscopi Constitutionem, quatenus Decimatiorum filios ab Ordinibus arcebat, quia *Semper cultus divini nominis est amplianduus*. XXV. Statuit ut Parochiani Capellanis suis Jura Parochialia solvere cogantur. Si noluerint, Ecclesiastica sepultura priventur. XXVI. Vetat ne pro Sacramentorum administratione, pro collatione Beneficiorum, aut pro jure dicendo, aliquid exigatur vel recipiatur. Quæ ex consuetudine laudabili & antiqua debentur, postea à subditis exigantur. XXVII. Ut Laïci excommunicati, qui invito Sacerdote intrant Ecclesiam, bonorum suorum confiscatione à seculari Domino mulctentur. XXVIII. Ut qui quadraginta dies in excommunicatione manserit, mulctâ novem librarum puniatur. XXIX & XXX. De Confraternitatum abusu & statutis illicitis rescindendis decernunt: & Comitem vel Comites à Confratribus creari prohibent, absque expresso Capellani consensu: & Statuta condi absque Prælati licentiâ.

Reliquiarum approbatio.

Decimarum detentio.

Laudabiles consuetudines.

Excommunicationis contumaces mulctâ pecuniaria castigantur.

Confraternitatum abusus.

ARTICULUS XXI.

De Concilio Roffiacensi.

* Ruffiacum, Ruffec, in Diœcesi Pictavensi.

ANno Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo-octavo, Concilium *Roffiaci** à *Geraldo* Burdegalensi Archiepiscopo celebratum est, cum Provinciæ suæ Episcopis. XII. Kalendas Septembris, in quo decem Capitulis Disciplina sancita est. I. Statuit ut Barones, Milites, Communitates, cives aut oppidani, rustici, qui adversùs Jurisdictionem & Libertatem Ecclesiasticam Statuta, conjurationésve faciunt, & prohibent ne Laïci in Foro Ecclesiastico litigent, nisi de paucis admodum, quos exprimunt articulis; & ne ab uxoribus suis vel familiis fiant oblationes in Ecclesiis jure vel consuetudine institutæ, excommunicari denuncientur diebus Dominicis & Festivis: & si tres menses in excommunicatione

Summa Canonum.

communicatione manserint, nec Ecclesiæ ante obitum satisfecerint, priventur Ecclesiastica sepultura: & filii eorum ac nepotes à Clero & Beneficiis Ecclesiasticis arceantur. II. Ut qui Ecclesiæ violant immunitates & salvitates, quousque loco sacro ad arbitrium Episcopi satisfecerint, & passis injuriam in duplum damna resarciant, excommunicati denuncientur. III. Ut Monachi Censuras ab Episcopo latas contemnentes, ex illius Diœcesi in perpetuum vel ad tempus expellantur: & Abbates vel Priores ad eos ejiciendos, Censuris Ecclesiasticis, si opus sit, compellantur. IV. Laicos bona Ecclesiarum occupantes ipso facto excommunicatos denunciat. V. Eamdem pœnam in eos decernit, qui Viros Ecclesiasticos ad forum seculare compulerint, in causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, & in Clericos coram seculari Magistratu in hujusmodi causis agentes, vel respondentes absque Prælatorum suorum licentiâ. VI. Clericis omnibus, Virisque Religiosis prohibet, ne in foro seculari causa dicant, nisi pro se, pro Ecclesia, pro pauperibus, vel propinquis, sub pœna excommunicationis. VII. Testamenta coram Curato & idoneis testibus condi jubet. VIII. Vetat ne Sacerdotes infirmum pro re manifesta, vel pro re judicata excommunicatum absolvant, nisi ab ipso, vel ab aliquo nomine ipsius, fuerit adversæ parti factum satis: alioqui Sacerdos ipse ad damna resarcienda teneatur. IX. Admonitionem continet ad eos quibus causarum cognitio à Sede Apostolica aut Legatis ipsius committitur, quomodo juris ordinem servare debeant. Litigantes excommunicantur, qui Literis Apostolicis abutuntur. Prælatos qui abusionibus consentiunt, vel connivent, ab Officio & Beneficio suspendit Synodus: si quadraginta dies suspensi manserint, excommunicatione ferit. X. Causas infra Basilicas vel claustra Regularium disceptari vetat, sub pœna Interdicti.

ARTICULUS XXII.

De Concilio Monspeliensi.

EOdem anno *Jacobus* Narbonensis Archiepiscopus Provinciale Concilium apud Montempessulanum VIII. Idus Septembris celebravit, in quo octo Statuta condita sunt. I. De rerum Ecclesiasticarum invasoribus, jurium Ecclesiasticorum usurpatoribus, libertatum, immunitatum, & personarum Ecclesiasticarum violatoribus excommunicatione feriendis. II. Vetat ne quis Episcopus alienæ Diœceseos homines ad Clericatum aut Ordines promoveat spe ratihabitionis. III. Decernit ut Clerici mercimonia publicè exercentes, aut qui artibus mechanicis operantur, bigami, & qui, etiam sine culpa, propter homicidium vel aliam irregularitatem sunt Clericatus incapaces, vel qui in habitu Clericali non vivunt, Clericali Privilegio non gaudeant, & à talliis seu quotis ab Ecclesia minimè defendantur. IV. Ut ad Mandatum Judicis à Domino Papa delegati, aut subdelegatorum nullus passim aliquem excommunicet vel interdicat, aut excommunicatum vel interdictum denunciet, nisi potestatis & commissionis suæ Apostolicas Literas ostenderint. V. Ut Judæi Christianorum creditores super sorte duntaxat audiantur, usurarum petitione penitus submotâ. VI. Ut Episcopi literas Quæstoribus non concedant, nisi literas ab Archiepiscopo impetrarint. VII. Ut hæc Statuta observentur, & in Synodis publicentur. VIII. Ut Constitutio contra bonorum Ecclesiasticorum invasores edita, diebus Dominicis & Festivis ab omnibus Ecclesiarum Rectoribus publicetur.

ARTICULUS XXIII.

De Concilio Coloniensi.

Colonia Agrippina, Cologne, urbs Germaniæ Imperialis & Anseatica, Archiepiscopatus illustris.

ANno Christi millesimo ducentesimo sexagesimo, IV. Idus Martii, *Conradus* Coloniensis Archiepiscopus in Metropoli sua Provinciale Concilium celebravit, in quo Statuta quatuordecim de reformatione Cleri, viginti octo de reformatione Monachorum edita sunt. I. Clericorum concubinas adhibitis Censuris Ecclesiasticis expelli jubet, Clericos qui cum ipsis peccando Patrimonium Jesu Christi dilapidarunt, ad satisfaciendum Ecclesiæ cogit. Vetat ne filiorum suorum nuptiis intersint, aut aliquid ipsis legent. Ipsos ob crimen carceri ad certum tempus addicit. II. In Clericos negotiatores animadvertit, eósque ob turpem avaritiam, & bonorum Ecclesiasticorum abusum simili pœna damnat. III. Statuit ut Clerici legere saltem & cantare sciant ad divini Officii Ministerium competenter: & qui per se legere & cantare non possunt, per aliam personam idoneam officium illud suum impleant. IV. Modestiam in habitu & tonsura Clericis imperat. V. Ut simoniaci Beneficia per simoniam obtenta dimittant, secundùm Canonicas Sanctiones postea castigandi. VI. Ut Clerici irregulares ab Officii sui executione se contineant. VII. Ut Canonicorum dormitoria restaurentur, in usque dormiant, ut ad Matutinum Officium canendum præsto sint. Ut tabella Capitularis, seu Ordo Chori qualibet hebdomada legatur; ut Officium Defunctorum cantetur, etsi nulla distributio facienda sit; ut Kalendæ ac Martyrologium legantur, &c. Sequentia Capita decernunt de Campanariis, Thesaurariis & Custodibus Ecclesiarum: De Decanis, Scholasticis, & Cantoribus, quibus residentia imperatur: De Capellanis Regalibus, Episcopalibus, & Præpositorum: quibus etiam residendi necessitas imponitur, nisi illo tempore quo suorum negotia Dominorum agunt, vel si Ecclesiæ negotia exposcant ut cum ipsis ad tempus dispensetur: De pistrino communi, & pane præbendali distribuendo: Ne cum modio panis præbendalis annona recipiatur ad vendendum, ex qua venditione perit hospitalitas in Ecclesiis: De mutuis Præpositorum & Capitulorum Officiis: De *Alexandri IV.* Pontificis Maximi Constitutione circa Institutiones ad Præbendas vacaturas observanda: De immunitatibus sive septis, & muris Ecclesiarum.

Summa Canonum.

II. Secunda pars Concilii XXVIII. Statuta continet de reformatione Monachorum Benedictinorum.

ARTICULUS XXIV.

De Conciliis apud Copriniacum.

Cognac.

I. EOdem anno, *Petrus* Burdegalensis Archiepiscopus, Provinciæ suæ Concilium apud *Copriniacum* seu *Campinacum*, celebravit, in quo Statuta undeviginti edita sunt. I. Ne in Ecclesiis vel Cœmeteriis vigiliæ fiant, ex quibus multa turpia sequi funestâ experientiâ probatum est. II. Ne in Festo SS. Innocentium per ludum erigatur Episcopus, & baleationes seu choreæ in Ecclesiis fiant. III. Ut vacantium Beneficiorum fructus Successoribus reserventur. IV. Ut vacantium Ecclesiarum commendæ & collationes ad unum Archiepiscopum vel Episcopum pertineant, nec aliquis de illis se intromittat, sub pœna excommunicationis.

Summa Canonum.

nicationis. V. Ne alieni Parochiani ad matrimonium admittantur nisi de Curati sui licentia VI. Ut alienæ Diœceseos Presbyteri ad celebrandum Divina non admittantur. VII. Duellum gallorum, quod in Scholis Grammaticæ & aliis fieri consueverat, sub anathemate prohibetur, cùm propter alia mala, tum ob jacturam temporis. VIII. De modestia Clericorum in vestibus statuit. IX. Chrisma dari vetat Privilegiatis, qui Diœcesanis reddere nolunt quod juris est. X. & XI. Congruam portionem Vicariis Ecclesiarum & Capellanis seu Curatis assignari jubent. XII. Duos saltem Monachos in Prioratibus ali. XIII. Prohibet Rectoribus Ecclesiarum ne alias ad firmam recipiant vel teneant, sub Beneficii periculo. XIV. Ne novæ pensiones Ecclesiis imponantur, aut olim impositæ augeantur. XV. Vetat ne funera extra Parochialem Ecclesiam efferantur, nisi corpus illuc delatum fuerit, ut meliùs sciatur ibi an defunctus excommunicationis vel interdicti Sententia constrictus obierit. XVI. Ne quis funus suscipiat, nisi corpus à proprio Capellano sive Curato sibi præsentetur. XVII. Ut Rectores Ecclesiarum congruis in locis domos habeant, in quibus assiduè commorentur, & commodè possint inveniri. XVIII. & XIX. Constitutiones in Decimarios editas observari mandant.

Duellum gallorum gallinaceorum prohibetur.

Parochialium Ecclesiarum jura in funeribus.

II. Aliud Concilium ibidem celebratum legitur post biennium, ab Archiepiscopo Burdegalensi *Petro*, in quo septem Statuta edita sunt. I. Ut loca in quibus res vel personæ Ecclesiasticæ captæ detinentur, subjaceant Interdicto. II. Ut qui Jurisdictionem Ecclesiasticam impediunt, excommunicentur. III. Ut Barones & seculares Domini ac Judices ad compellendum excommunicatos bonorum occupatione, ut Ecclesiæ pareant ac satisfaciant, Censuris Ecclesiasticis cogantur. IV. Ut non absolvantur excommunicati, nisi rerum & expensarum restitutione factâ. V. Ut qui tempore generalis Interdicti Divina patentibus januis celebrant, coërceantur; & Parochianis prohibeatur ne ad Ecclesias illas durante Interdicto accedant, sub pœna excommunicationis. VI. Sub eadem pœna prohibet Archidiaconis, Archipresbyteris, & Decanis, ne Vicarios constituant. VII. Ut Constitutiones Provinciales in Synodis annis singulis publicentur.

Alterius Concilii apud Copriniacum decreta.

ARTICULUS XXV.

De Concilio Lambethensi.

Lambetha, Lambeth, in Anglia.

ANno millesimo ducentesimo sexagesimo primo, *Bonifacius* Cantuariensis Archiepiscopus Provinciale Concilium III. Idus Maii *Lambetha* celebravit, in quo de Jurisdictione, libertate, & immunitate Ecclesiastica tuendis statutum est, & in earum violatores ac perturbatores lata excommunicationis sententia. Statutum inter alia, *Ut si vocetur Prælatus ad Judicium Seculare, pro eo quod cognovit inter Clericos suos, vel inter Laicos conquerentes, & Clericos defendentes, in personalibus actionibus, super contractibus aut delictis, vel quasi: aut pro eo quod personas Ecclesiasticas ad Mandatum Regis in Judicio Seculari non exhibet, seu Clericos in foro seculari, pro negotiis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, amerciatos non compulit ad amerciamenta[a] exsolvenda, seu ipsa pro eisdem non solvit, vel quia in Ecclesiis & Capellis annexis Episcopatibus aut Monasteriis vacantibus, per mortem aut cessionem Prælatorum, aut alio justo modo, Jurisdictionem suam Ecclesiasticam, Canonicam, & consuetam exercet, vel si quæ his similia facit vel non facit Prælatus, pertinentia ad Officium Pastorale, & ad forum seu Jurisdictionem Ecclesiasticam eviden-* A *tem, pro talibus, inquam, & his similibus, Prælati ad Judicium Seculare vocati, ut ibidem pro his judicium subeant, nullatenus venire præsumant: cùm judicandi Christos Domini nulla sit Laicis attributa potestas, quos manet necessitas obsequendi. Ut tamen honori Regio deferatur, Majores Prælati Dominum Regem adeant, vel sibi scribant, quòd pro hujusmodi Mandatis Regi parere non possunt absque periculo Ordinis, & subversione Ecclesiasticæ Libertatis. Et si fortè Dominus Rex in suis inhibitionibus vel submonitionibus, non de decimis, sed de Jure Patronatus; non de fide mentita seu perjurio, sed de catallis; non de sacrilegio vel perturbatione Ecclesiasticæ Libertatis,* B *sed de transgressione subditorum vel Ballivorum suorum, quorum correctiones ad se tantùm asserit pertinere, fecerit mentionem, tunc intiment ei Prælati, quòd non de Patronatu, cujus cognitionem Rex de facto exercet, neque de catallis*[b], *seu aliis ad forum ipsius pertinentibus, cognoscunt, seu cognoscere intendunt, sed de decimis, peccatis, & aliis merè spiritualibus, ad Officium & Jurisdictiones eorum pertinentibus, & ad animarum salutem, monendo eumdem, quòd ipsos non impediat in præmissis. Et nihilominus Episcopus, & cujus res agitur, Dominum* C *Regem iterato moneat, ut animæ suæ saluti consulat, & ab hujusmodi Mandatis omnino desistat. Et si non destiterit, tunc Vicecomites, & alii quicumque Ballivi attachiantes & distringentes per locorum Diœcesanos, in forma Juris, per suspensionis & excommunicationis Sententias arceantur..... Et si Dominus Rex hortationibus & monitionibus obauditis, ad attachiationes*[c] *vel districtiones per se vel per alios processerit; tunc cæteri Coepiscopi districtiones hujusmodi, quasi communem omnium causam & privatissimam singulorum, & etiam communem injuriam Ecclesiæ reputantes, civitates, terras dominicas, burgos, castra, & villas ipsius Regis vel alterius Potestatis in suis Episcopatibus consistentes, autoritate præsentis Concilii Ecclesiastico supponant Interdicto;* D *Et si nondum infra xx. dies attachiationes & districtiones Rex vel Potestas revocaverit: extunc Archiepiscopus & Episcopi suas Diœceses Ecclesiastico supponant Interdicto. Idem fiat de terris, castris, burgis, villis Magnatum Regalia habentium in Provincia memorata.* Hi erant Anglicanorum Præsulum in vindicanda Jurisdictione Ecclesiastica animi.

Jurisdictionis & Libertatis Ecclesiasticæ defensio.

[a] *Amerciare*, est mulctam pecuniariam pro delicti modo & qualitate irrogare. Pœna ipsa *Amerciamentum* dicitur, à Gallico *Merci*, quod sint in misericordia Regis vel judicii, qui sic mulctantur.

[b] *Catallum*; Proficuis Anglis est omne bonum mobile vel immobile, quod neque liberum tenementum, neque feudum est.

[c] *Attachiatio*, vox forensis apud Anglos, à Gallico *Attacher*, deducta, significat vinculum legitimum per quod pars defendens invita adstringitur ad standum juri, & respondendum parti de se querenti juridicè.

ARTICULUS XXVI.

De Concilio Nannetensi.

E ANno millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, die Martis post Festum SS. Apostolorum *Petri & Pauli*, *Vincentius* Turonensis Archiepiscopus Provincialem Synodum Nannetis celebravit, in qua novem Decreta edita sunt. I. Statuit ut nullus Prælatus vel Patronus ad collationem seu præsentationem Beneficii vacantis se obliget. Alioqui irrita sit promissio, & promittens pœna canonica plectatur. II. Ne in Prioratibus antiquus Monachorum numerus minuatur, immo imminutus restauretur. III. Ut Clerici venatores à Prælatis F diligenter puniantur, *Quia nullum Venatorem invenimus Sanctum.* IV. Ne Vicariæ constituantur, nisi in casibus à jure permissis. V. Ut Prælatis in Visitatione duo tantum fercula præparentur. Quod ultra paratum fuerit, pauperibus erogetur. VI. Plura Beneficia curam animarum annexam habentia, ab uno possideri vetat; singula possidentibus residentiam imperat. VII. Prohibet ne pedagia pro rebus Clericorum exigantur, sub pœna excommunicationis. VIII. Ne Abbates, Archidiaconi, Decani, & alii Viri Ecclesiastici, auctoritate ex-

Summa Canonum.

Venatio Clerici is prohibetur.

traordinaris aliquem in Jus vocent ad loca minùs A insignia, ubi non potest Jurisperitorum copia haberi. IX. Secularem Potestatem & quemcumque Laïcum qui bona Clericorum occupaverit ac detinebit, Censuris compelli statuit per Ordinarios ad reddendum vel recredendum, absque obligatione libelli, priùs tamen à conquerentibus data cautione Judici Ecclesiastico, vel ejus mandato, de parendo Juri.

ARTICULUS XXVII.

De Concilio Viennensi in Austria.

Vienna, Austriæ caput, ad Danubium, Episcopatus sub Metropoli Salisburgensi.

ANno millesimo ducentesimo sexagesimo-septimo, *Guido* S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, Sedis Apostolicæ in Saltzburgensi Provincia & Diœcesi Pragensi Legatus, Concilium Viennæ celebravit VI. Idus Maii, cui Pataviensis, Frisingensis, Ratisponensis, Brixinensis, & Lavendinus Episcopi, plurimíque Abbates, Præpositi, Archidiaconi, & Decani interfuere. Disciplina Capitulis undeviginti sancita. I. De vita & honestate Clericorum statuit. II. Ut Prælati à subditorum gravamine abstineant in Visitatione Ecclesiarum. III. Clericos, qui concubinas retinent, Ecclesiastico Beneficio privatos edicit. IV. Excommunicatos denuntiat, qui bona Ecclesiarum occupant ac detinent, aut vim Clericis inferunt. V. Eorum absolutionem Sedi Apostolicæ reservatam declarat: & loca in quibus Canonicum Cathedralis Ecclesiæ vel res Ecclesiasticas capi contigerit, usque ad ejus liberationem, & restitutionem bonorum, Interdicto subjicit. VI. Plura Beneficia, cum animarum cura, vetat absque dispensatione possideri. Qui fuerint in pluribus retinendis pertinaces, omnibus privantor. VII. Decimas plenariè persolvi jubet: Laïcos illas usurpantes Ecclesiæ ingressu prohibet. VIII. Excommunicatione ferit usurarios, tam Clericos, quàm Laïcos: Sacros homines trium mensium intervallo excommunicationem sustinentes Beneficiis spoliari decernit. IX. Eamdem pœnam irrogat Clericis, qui contra Prælatorum suorum correctionnes legitimas auxilium brachii secularis invocaverint, vel Potentum preces armatas impetraverint, vel impetratis uti præsumpserint. Vetat etiam ne Dignitates, Personatus, seu Beneficia curam animarum habentia pueris minoris ætatis, videlicet octodecim annorum conferantur, nisi cum eis Sedes Apostolica vel ejus Legati dispensaverint. X. Ne Patroni Ecclesiarum, Advocati, Judices, & Præcones, bona decedentium Clericorum occupent, sub pœna excommunicationis. XI. Clericum Ecclesiam Parochialem à Laïco Patrono recipere vetat, nisi ab Episcopo vel Archidiacono fuerit institutus, sub pœna suspensionis ab Officio & Beneficio. In laïcum qui auctoritate sua instituere præsumpserit, Juris Patronatûs privatio decernitur. Eadem pœna Patronis cum Laïcis tum Ecclesiasticis intentatur, qui Ecclesiæ dotem alienaverint. XII. Curatos ad residentiam subtractione fructuum compelli ab Episcopis imperat. XIII. Jubet universis Episcopis Saltzburgensis Provinciæ ac Episcopo Pragensi, ut infra sex menses assumptis secum duobus Abbatibus Cisterciensis Ordinis, omnia Benedictinorum Cœnobia suis in Diœcesibus reforment, tam in capite quàm in membris XIV. Vetat Abbatibus ne calices vel patenas seu sacras vestes benedicere vel consecrare, aut alia munia Episcopalis exercere præsumant, nisi à Sede Apostolica speciale Privilegium habuerint. Quinque Capitula sequentis de Judæis coërcendis statuunt. Hujus Synodi meminit *Henricus Stero* in Annalibus, ad hunc annum.

Summa Canonum.

Residentia Curatorum.

Sacrarum vestium Benedictio quibus competat?

ARTICULUS XXVIII.

De Concilio Londinensi.

ANno millesimo ducentesimo sexagesimo-octavo, non sequenti, ut perperam scripsit Continuator *Matthæi Paris*: multò minùs anno MCCXLVIII. ut habet Collectio Anglicana, *Ottobonus* S. Hadriani Diaconus Cardinalis, Sedis B Apostolicæ Legatus in Angliam à *Clemente IV.* missus, Nationale Concilium IX. Kalendas Maii Londini celebravit, in quo sanctissimæ Constitutiones pro Ecclesiasticæ Disciplinæ restauratione conditæ sunt, Capitulis quinquaginta-quatuor contentæ. I. Statuit ut solemnis Baptismus Sabbathis Paschatis & Pentecostes celebretur. Ut Parochiales Presbyteri atque Vicarii formam hujus Sacramenti Parochianis suis vernaculo idiomate exponant & inculcent. II. Vetat ne pro Sacramentorum administratione aliquid exigatur. Qui aliquid cujusvis consuetudinis prætextu extorserint, simoniacorum pœnis damnentur, quas nisi Episcopus & Archi- C diaconus inflixerint, ille à Pontificalibus, iste ab Officio, sint suspensi. Prohibet insuper *ne Confessionis remedium* ulli *denegetur postulanti*. Qui in carcere detentis, vel aliis, Confessionis gratiam inhibuerint, careant Ecclesiastica sepultura, nisi ad mandatum Episcopi vel Prælati viventes satisfecerint. III. Consecrationem Ecclesiarum infra annum ab ipsarum constructione à Rectoribus & Archidiaconis procurari jubet, sub pœna suspensionis: eámque gratis ab Episcopo exhiberi. IV. Arma deferre vetat Clericis sub pœna excommunicationis, & privationis Beneficiorum, vel inhabili- D tatis ad Beneficia quælibet obtinenda per quinquennium, nisi se moniti correxerint. V. De Clericorum habitu & Tonsura statuit. VI. Ne Clerici Advocationis Officium in foro seculari pro causa sanguinis, vel alia quacumque exerceant, nisi in casibus à Jure permissis: vel in iisdem sanguinis causis, in quibus mortis aut mutilationis membrorum Judicium agitur, Judices aut Assessores esse præsumant, sub pœna suspensionis. VII. Ne Sacerdotes Magistratum secularem suscipiant: susceptum infra duos menses omnino dimittant, sub pœna suspensionis ab Officio & Beneficio VIII. E *Ottonis* Apostolici quondam in Anglia Legati Constitutionem contra Clericos concubinarios in Concilio Londinensi anni MCCXXXVII. editam executioni mandari jubet. Qui ipsorum crimini cooperantur aut connivent, aut eorum concubinis domos locant vel accommodant, si sint Clerici, eadem pœna castigari; si Laïci, ad arbitrium Episcopi puniri. IX. Ut Vicarii infra annum ab institutione sua Presbyteratus Ordinem suscipiant, & in Ecclesiis sibi commissis resideant; alioqui ad restitutionem fructuum compellantur. X. & XI. Prohibent ne Patroni quemquam ad Ecclesiam præsentent, nisi probabilem habeant de illarum vacatione notitiam: Prælatus autem ad quem institutio F pertinet, præsentatum non admittat vel instituat, nisi de morte Rectoris, vel resignatione, aut cessione omnino constet. Adversùs intrusos pœnas decernunt, ut nimirum ad fructuum, expensarum, & damnorum restitutionem cogantur, Beneficiis priventur, ad illud in quod intrusi sunt possidendum sint in perpetuum inhabiles. XII. Divisionem Ecclesiæ in plures Personatus vel Vicarias prohibet, nec non portionis alicujus fructuum aut proventuum retentionem, quæ absque labe simoniacæ pravitatis fieri non potest. Si quæ facta fuerit, irrita declaratur. Qui Decretum istud violaverint,

Summa Canonum.

laverint, à collatione, institutione, seu præsentatione Beneficiorum sint suspensi. XIII. Statuit ut si quis aliquem ad Ecclesiam vel Cœmeterium aut Claustrum confugientem inde abstraxerit violenter, aut victum necessarium prohibuerit, aut res alienas ibi depositas violenter seu hostiliter asportaverit, vel asportari fecerit, aut rapientibus, abstrahentibus, seu prohibentibus consenserit aut faverit, ipso facto sit excommunicationis vinculo innodatus, à quo non absolvatur, nisi priùs Ecclesiæ, & damnum passo fecerit satis. XIV. Ne quis matrimonia contracta legitimè, quò minùs in facie solemnizentur Ecclesiæ impedire præsumat: Episcopi verò, quorum interest Sacra tueri, punire condignè studeant hujusmodi præsumptores. XV. Ut cùm testamentum Ordinario secundùm approbatam consuetudinem præsentatur, ab ipso non approbetur, nisi Executor sui fori Privilegio quoad hunc actum renuntiet. XVI. Ne Prælati vacantium Ecclesiarum fructus & proventus per annum, vel aliquanto alio tempore percipiant, neque suos faciant sic perceptos: sed de ipsis fiat quod in Canonibus est statutum: Nisi fortè iidem Prælati Jus hujusmodi sibi valeant, ex speciali Privilegio, vel consuetudine, ab antiquo vendicare. Si contra fecerint, suspenduntur ab Officio, donec restituerint. Sequestrationes etiam proventuum & fructuum sub eadem pœna prohibet, nisi casus speciales emergant, in quibus illis consuetudo jusque permittat. XVII. Statuit ut Capellani ministrantes in Capellis, quæ salvo Jure Matricis Ecclesiæ sunt concessæ, universas oblationes, & cætera quæ ipsis non recipientibus ad Matricem Ecclesiam pervenire deberent, ipsius Rectori sine difficultate restituant, sub pœna suspensionis. XVIII. Ut Clerici Beneficiorum suorum domos & cætera ædificia restaurent: alioqui Episcopus ipsorum impensis, ex fructibus ipsius Ecclesiæ vel Beneficii id fieri curet. XIX. Vetat ne Prælati procurationem, quæ ratione visitationis debetur, ab Ecclesiis recipiant, nisi cùm eis officium visitationis impendunt: alioqui Ecclesiæ aditu prohibeantur, donec restituerint. Canonem Lateranensis IV. Concilii de evectionum numero, & expensarum moderatione, ab Episcopis, & aliis inferioribus Prælatis observari jubet. XX. Decernit ut Archidiaconi pro nullo mortali & notorio crimine, vel de quo scandalum generatur, pecuniam à delinquente recipiant, vel pœnam canonicam cum mulcta pecuniaria commutent: *Quia nullam reus pertimescit culpam, quam redimere nummis æstimat*: ut ait S. Isidorus: *Nec ex hoc mala voluntas minuitur vel mutatur, sed potius datur auctoritas & licentia delinquendi.* XXI. Ne Dignitates vel Officia, vel proventus ex Ecclesiasticæ ac spiritualis Jurisdictionis exercitio, seu ex Pœnitentia, Altari, vel Sacramentis quibuslibet venientes, concedantur ad firmam: alioqui contractus irritus sit, & tertia pars proventuum ejusmodi fabricæ Cathedralis Ecclesiæ applicetur. XXII. *Episcopos ad personalem residentiam circa gregem Domini sibi commissum, tam Divinis quam Ecclesiasticis Præceptis adstrictos* declarat. XXIII. Prohibet Episcopis, ne Ecclesiam sibi subjectam alteri Episcopo, vel Monasterio, seu Prioratui, appropriationis jure conferant vel assignent: nisi is cui appropriare voluerint, adeo manifestè prematur paupertatis onere, vel alia legitima causa subsit, quòd talis appropriatio non tam juri contraria, quàm pietati consona meritò censeatur. XXIV. Bona intestatorum in pios usus distribui jubet, secundùm Statutum à Prælatis Anglicanis olim editum *cum approbatione Regis & Baronum.* XXV. XXVI. & XXVII. De causarum delegatione, de forma citationis, de Juramento Advocatorum decernunt.

Archidiacono prohibetur pœnam canonicam cum mulctâ pecuniaria in causis criminalibus commutare.

Episcoporum Residentia, juris divini.

Præclara hæc & memoriâ digna de munere Advocatorum sententia: *Laudabile vitaque hominum necessarium Advocatorum Officium, qui quasi Athletæ Justitiæ in campo Judicii militant, multum quidem exaucloratur ab illis qui in ipso infideliter se exercent, per quos Justitia deperit, & litium processus innumeris subterfugiis impeditur.* XXVIII. Statuit ut si quis pro impedimento paci seu compositioni litigantium objiciendo quidquam receperit, ei qui dederit omnibus modis restituere teneatur; & tantumdem exsolvat pauperibus erogandum, sub pœna excommunicationis. XXIX. Relaxationem Censurarum publicari jubet locis & temporibus opportunis. XXX. Plura Beneficia curam animarum annexam habentia, absque dispensatione à quovis Clerico possideri vetat. XXXI. Universas Ecclesiarum commendationes hactenus factas, nisi ex evidenti utilitate, unius tantùm Ecclesiæ commendatio facta sit; penitus revocat, ipsásque ex tunc vacantes decernit: Et in posterum inhibet Ecclesiam quamlibet commendari, nisi justa causa & legitima id exposcat: & ne plura Beneficia cum cura habenti, vel plures uni commendentur: alioquin Episcopus qui commendaverit, à quorumvis Beneficiorum collatione sit suspensus. Mali radicem indigitat Synodus: *Quod cum una Ecclesia unius debeat esse Rectoris, sicut & ratio dictat, & multiplicis Juris Statuta declarant, quidam tamen rationis expertes, vel Juris regulas contemnentes, dum ad plurium Ecclesiarum occupationem velamen aliud non habentes, quoquomodo ditari festinant, vacantes Ecclesias sibi commendari procurant, amplectentes Juris verba, non sensum, quod aliquando permittit unam haberi Ecclesiam intitulatam, & aliam commendatam. Et cùm juxta sanum intellectum, propter necessitatem vel utilitatem vacantis Ecclesiæ, jus commendationis non tam præceptoria, quàm permissiva fuerit introductum: ipsi ad cupiditatis suæ lucrum omnia convertentes, in ipsarum Ecclesiarum dissipationem, non solùm unam, sed plures recipiunt commendatas.* XXXII. Episcoporum electiones confirmari vetat, si plura Beneficia curam animarum habentia, absque dispensatione, habuerit. XXXIII. Ad vitandam collusionem qua nonnulli Beneficia sua resignabant, ne ratione pluralitatis Beneficiorum essent incapaces qui ad Episcopatus eligerentur, & postea sua spe frustrati, eadem resumebant: Prohibet ne cui Beneficia sua sic resignanti postea restituantur, aut quasi de novo concedantur: Alioqui hujusmodi restitutio aut concessio irrita esto. Qui verò sic resignata contulerint resignanti, Episcopi à Pontificalium indumentorum usu; Prælati inferiores ab Officio sint suspensi. XXXIV. Pactiones omnes in præsentationibus ad Beneficia factas damnat & irritas declarat. Pensiones omnes Ecclesiis Parochialibus hactenus impositas revocat: nisi qui eas obtinent, seu percipiunt, præscriptione legitima, vel speciali privilegio, vel certo alio jure sint muniti. XXXV. In Ecclesiis mercatum teneri, & negotiationem exerceri vetat. XXXVI. Preces publicas pro pace Regni & Terræ Sanctæ imperat. XXXVII. Harumce Constitutionum lectionem singulis annis in Synodis præcipit. XXXVIII. Canone & sequentibus, Monasticæ Disciplinæ consulitur. Statuunt scilicet Legatus Apostolicus & Synodus, ut Novitii Professionem statim emittant anno probationis elapso. Ut Summorum Pontificum Constitutiones Monachorum statum spectantes, & libris Decretalium insertæ, scilicet Tit. *De Regularibus*, Cap. *Ex parte: Statuimus; Ne Religiosi.* Tit. *De Statu Monachorum*, Cap. *Monachi: Cùm ad Monasteriorum: In singulis*

Advocatorum Officium.

Abusus in vacantium Ecclesiarum commendatione emendatur.

Regressus ad Beneficia resignata vetitus.

Pensiones Parochialibus Ecclesiis impositæ revocantur.

Monastica disciplina.

gulis Provinciis : *Ea quæ.* Tit. *De Simonia*, Cap. *Labet.* * Tit. *De Sententia excommunicationis*, Cap. *Monachi* : *Universitatis* ; *Cùm illorum absolutio* : *De Monialibus.* Tit. *De Fidejussoribus*, Cap. *Quod quibusdam.* Tit. *De Solutionibus*, Cap. *Si quorumdam* : post Regulam scribantur, & bis in anno, scilicet in principio Adventus Domini & in Capite Quadragesimæ, omnibus convocatis Fratribus in Capitulo legantur. Ut Abbates & Priores de proprietariis bis in anno diligenter inquirant, eósque secundùm Canones & Regulam puniant. Qui hac in re negligentes fuerint, à suis administrationibus sint suspensi. Ut Monachis pro vestibus, vel aliis vitæ necessariis pecunia non detur. Ut maneria soli non permittantur in Ecclesiis vel Maneriis. Ut Ecclesiæ, maneria, seu quæcunque possessiones, illis ad firmam non dentur. Ut ab esu carnium abstinere, secundùm Regulam, compellantur. Ne Monachi, Canonici Regulares, vel Moniales, scypho argenteo, vel pretiosiore in refectorio vel in aliis locis utantur, illum quasi proprium possidendo, aut in dormitorio, majori apparatu lecti, vel teguminis. Ut cùm Abbas vel Prior vult aliquos in camera sua reficere, nunc hos, nunc illos vocent absque personarum acceptione, & curent ut duæ saltem partes fratrum in refectorio comedant. Ut Prior vel Superior Claustralis sæpius visitet infirmos, & eorum curam gerat. Ut Abbates, Priores, & alii Ecclesiarum Rectores, & Custodes Hospitalium, certum quid quod vulgò *liberationes* appellant, non vendant seu assignent ad tempus vel ad vitam, pro vitæ necessariis diebus singulis, vel certis temporibus exsolvendis. Ut in singulis Monasteriis, & in iis præcipuè, quæ sunt Ecclesiæ Cathedrales, servetur antiquus numerus Monachorum : *Ne Regis Regum cultum attenuet colentium paucitas, & contra multiformis nequitia hostem minuatur exercitus bellatorum.* Ut Abbates & Priores saltem semel in anno de statu Monasterii, & administratione sua rationem reddant. Ne Monachi vel Moniales negotiationem exerceant aliquam. Ut Monialis, exceptis horis, quibus in Oratorio, in Capitulo, in Refectorio & Dormitorio esse ipsam oportet, *Moretur in claustro, in quo sic se claudat, & corporis sui sensus ; ut inter se & mundum chaos firmatum esse intelligens, & solum Deum mentis oculis aspiciens, aliquid prægustet de æterna vita dulcedine contemplando.* Ad eas verò seculares, nisi ex necessaria & justa causa non accedant : & hoc non frequentes, sed rarò, ne ex frequenti conversatione secularium, quies earum & contemplatio perturbetur, vel saltem ad secularia, cogitatione vel desiderio, earum animus pertrahatur. Ut Monachi frequenter confiteantur & celebrent, & Superiores eos qui desunt his religiosis Officiis graviter arguant : quod ut faciliùs præstent, semel in mense Confessarios Monachis deputatos de confitentium nominibus interrogent. De *Sancti Benedicti* Ordine Synodus honorificè præfata est, hæc Statuta ad ejus reformationem promulgans. *Sanctum*, inquit, *& Deo proximum Ordinem Monachorum, per virum illum venerabilis vitæ, gratia & nomine Benedictum, docente Sancto Spiritu, institutum & elevatum ad charismata meliora, quantò per altioris vitæ gradus à diebus antiquis de terrenis triumphantem ascendimus, Regnum Dei sanctâ violentiâ rapientem : tantò cura nobis major incumbit illius reservare decorem, munire sanctimoniam, & immissiones per Angelos malos præcludere, atque illatos ab hostibus gladio & insidiis sanare languores.*

** Non extat.*

Monachis pro vestibus pecunia non danda.

Monasteria quædam in Anglia erant Ecclesiæ Cathedrales.

Monialium solitudo.

Frequens confessio & sancti sacrificii celebratio monachis imperatur.

Monachorum Ordo Spiritu Sancto docente institutus.

ARTICULUS XXIX.

De Conciliis apud Castrum Gonterii, Andegavensi, Senonensi, Compendiensi, & Avenionensi.

I. EOdem anno MCCLXVIII. *Vincentius de Pilenis*, Turonensis Archiepiscopus, Concilium cum Suffraganeis, die Lunæ post festum *S. Mariæ Magdalenæ*, celebravit apud *Castrum Gonterii*, in quo octo Statuta condita. I. Contra bonorum Ecclesiasticorum invasores, quos excommunicatione ferit. II. Contrà impedientes Jurisdictionem Ecclesiasticam, in quos idem fulmen jaculatur. III. Contra excommunicatos, qui per annum vel ampliùs excommunicationem sustinent, nec absolutionem petunt : quibus Ecclesiasticam sepulturam negandam statuit. IV. Vetat ne Prioratus vacantes cessione, morte, vel mutatione Priorum, bonis mobilibus ibi inventis spolientur. V. Ne Monachi extra sua Monasteria depositum habeant. VI. Statuit de Archidiaconorum, Archipresbyterorum, & Decanorum habitu. VII. Episcopum in sua Diœcesi absolvere posse declarat ab excommunicationibus hac in Synodo latis. VIII. Præcedentium Conciliorum Statuta renovat & confirmat.

II. Anno sequenti MCCLXIX. Concilium Provinciale celebratum est Andegavis, Julio mense. Duo Statuta edidit : I. Dominos temporales qui subditos suos prohibent à donationibus, eleemosynis, & legatis Ecclesiis aliisve piis locis faciendis, Ecclesiasticâ Censurâ coërceri jubet. II. Clericis Beneficiatis, vel in Sacris Ordinibus constitutis vetat, ne coram secularibus Judicibus causas dicant.

III. Eodem anno, sub finem Octobris, Senonensis Archiepiscopus Concilium in Metropoli sua celebravit, in quo sex edita sunt Decreta. I. Contra Clericos concubinarios. II. & III. Contra usurarios, quos sepultura Christiana privari jubet, si in peccato decesserint. IV. Canonem *Omnis utriusque sexus*, præcipit observari. V. Vetat ne Clerici Clericos trahant ad secularia Judicia. VI. Est contra Privilegiorum abusus.

IV. Anno millesimo ducentesimo septuagesimo, die Lunæ ante Ascensionem Domini, *Joannes de Courtenay* Remensis Archiepiscopus, Provinciale Concilium suum Compendii celebravit adversùs eos qui bona Ecclesiastica occupant ac detinent, quos unà cum fautoribus, excommunicari decrevit, & loca in quibus resident, vel ubi res & bona hujusmodi detinentur, Interdicto supponi ; & latas ab uno Episcopo super his Sententias, à cæteris promulgari ac servari : salvis quæ super his & aliis articulis *per Sedem Apostolicam, ac per Venerabiles Patres Ecclesiæ Gallicanæ* ; ac in aliis Conciliis Provincialibus Remensis Provinciæ ordinata sunt & statuta.

V. Eodem anno, Idibus Julii, *Bertrandus* Arelatensis Archiepiscopus Provinciale Concilium Avenione celebravit, in quo statutum est. I. Ut qui bona Ecclesiarum sine Diœcesanorum consensu alienarunt, ad rescindendum alienationis contractum Censuris Ecclesiasticis compellantur. II. Ut pecunia quam testator distribuendam legavit ad arbitrium executorum supremæ suæ voluntatis, in pias causas, de consilio & assensu Prælatorum dividatur. III. Ut Archiepiscopus & ejus Suffraganei, in Sententiis servandis, exequendis, & publicandis

Concilium apud Castrum Gonterii 1268. Canones.

Monachis depositum extra sua monasteria habere non licet.

Concilium Andegavense 1269.

Concilium Senonense 1269.

Concilium Compendiense 1270.

Summa Canonum Concilii Avenionensis 1270.

blicandis mutuum sibi præstent auxilium. IV. Ut qui promoti sunt ad Beneficia curam animarum habentia, infra annum ad Presbyteratus Ordinem suscipiendum compellantur, exceptis Archidiaconis, quibus sufficit ut Diaconi sint. V. Ut expensæ ab Episcopis aut Rectoribus Ecclesiarum factæ in receptione Legatorum aut Nunciorum Apostolicorum, de communi contributione Ecclesiarum totius Diœceseos solvantur. VI. Ut Clericis in Personatibus & Dignitatibus Ecclesiæ constitutis, certi reditus ab Episcopis vel Capitulis assignentur. VII. Ut Clerici qui secularem defensionem contra Episcopos quæsierint, excommunicatione plectantur: immo & Beneficiorum privatione, si contempserint. VIII. Ut Clericus, qui Episcopum, Præpositum, vel alium in Dignitate constitutum, aut Canonicum, verbis aut factis læserit, ad Beneficium illius Ecclesiæ non admittatur, nisi illi satisfecerit, cui irrogavit injuriam.

Pœnæ Clericorum secularem defensionem contra Episcopos quærentium.

ARTICULUS XXX.

De Concilio Redonensi.

Rhedones, Renes, Armoricæ caput, Episcopatus sub Metropoli Turonensi.

ANno Christi millesimo ducentesimo septuagesimo-tertio, die Lunæ post Ascensionem Domini, *Joannes de Montesorello* Turonensis Archiepiscopus, Provinciale Concilium Redonis celebravit, in quo septem Statuta edita sunt. I. In eos qui manus violentas Episcopo, Abbati, vel Abbatissæ intulerint, aut in eorum domos ignem immiserint, aut Virum Ecclesiasticum occiderint vel mutilaverint. Hos anathemate ferit Synodus, & omni Beneficio Ecclesiastico, tam obtento quam obtinendo, ipso facto privatos dicit, si Clerici sint: si verò Laïci, eorum liberos ac nepotes ad tertium usque gradum arcet à Clero. II. Ecclesias Parochiales ad firmam dari prohibet, nisi firmario, juxta Episcopi arbitrium, tanta portio relinquatur, quòd Christi pauperibus condecens hospitalitas valeat exhiberi: *Quia QUICQUID HABENT CLERICI, PAUPERUM EST, & domus eorum debent esse communes:* & ideo *indecens videretur, si de bonis Ecclesiasticis Christi pauperibus hospitalitas negaretur.* III. Ne Abbates, Priores, Administratores, translati, vel transferentes, Prioratus vacantes bonis in iis inventis ita spolient, quin Prioribus & Monachis in iis morantibus sufficiens provisio remaneat usque ad tempora collectarum, sub pœnâ suspensionis ipso facto incurrenda. IV. Qui bona Ecclesiastica invaserint, occupaverint, detinuerint, ipso facto excommunicati denunciantur. V. Declarat hoc in casu bona Ecclesiastica intelligi, non solùm propria Clericorum, verùm etiam deposita, commodata, & ab eis conducta, & precariò concessa, & quorum habent Ecclesiasticæ personæ possessionem aut detentionem quamcumque, & quæ in earum servitio capiuntur: necnon si earum homines, & bona eorumdem hominum, qui Jurisdictioni temporali Ecclesiæ subsunt, capiantur. VI. Declarat quemlibet Episcopum, in sua Diœcesi, excommunicatos vel suspensos à Synodo posse absolvere. VII. Concilia omnia Provincialia per suos Prædecessores celebrata Patres renovant & confirmant.

Summa Canonum.

Hospitalitas à Clericis exercenda.

ARTICULUS XXXI.

De Conciliis Saltzburgensibus.

Saltzburgum sive Salisburgum, Saltzbourg, urbs Archiepiscopalis in Bavaria.

I. ANno Christi millesimo ducentesimo septuagesimo-quarto, *Fridericus* Saltzburgensis Archiepiscopus & Sedis Apostolicæ Legatus Provinciale Concilium in Metropoli sua celebravit, in quo Decreta Concilii Oecumenici Lugdunensis II. proximè celebrati promulgata sunt, utque in omnibus Provinciæ Ecclesiis publicarentur ac observarentur, statutum est. Constitutionibus etiam *Guidonis* Tituli *S. Laurentii in Lucina* Presbyteri Cardinalis, & Sedis Apostolicæ in Provincia Saltzburgensi quondam Legati, in Concilio Viennensi anno MCCLXVII. editis novum robur additum est, earúmque executio imperata. Secundùm hæc, viginti quatuor Capitulis Ecclesiastica Disciplina sancita est. I. Abbatibus Ordinis Benedictini jubet, ut annis singulis Capitula Provincialia celebrent, quorum neglecta celebratione, observantia Regularis collapsa est. II. Monachos fugitivos revocari præcipit, enormiter delinquentes carceribus recludi. Vetat Abbatibus ne Monachos ad strictiorem Ordinem transeuntes *ab obedientia* absolvant, *quæ Monachorum ossibus inseparabiliter est affixa.* III. Pravam consuetudinem improbat, quâ Abbates pro levibus excessibus, & nonnunquam simulatis offensis, passim & indifferenter de Monasteriis ad Monasteria Monachos suos mittebant; *cùm delictum potius illic puniri & mori debeat, ubi committitur & patratur; cùm nec tales missi ad alia Monasteria, peccata sua lugeant, sed vagentur potius dissolutè.* Statuit propterea Synodus, ut si Monachum ad alia Monasteria transmitti necessitas postulet, id Abbati non liceat, nisi causa missionis, & tempus reditus per loci Episcopum ordinentur. IV. Pontificalium indumentorum usu, sacrarum vestium & vasorum benedictione, Indulgentiarum concessione, Abbatibus interdicit, nisi in proxima Synodo Provinciali fidem fecerint Privilegiorum, quibus banc sibi vendicant potestatem. V. Id Canonicis etiam Regularibus prohibet: Cœterùm de aliis quæ ad Regularem observantiam & morum correctionem pertinent, in Provincialibus Capitulis statui jubet. VI. Commissam cuicunque Religioso vel Ordini, aut Fratribus Ordinum potestatem Confessiones audiendi, remissiones & indulgentias largiendi, & alia obeundi munia Sacerdotalia aut Pontificalia, omnino revocat. VII. Præcipit ut qui plura Beneficia possident, aut eo, quod ultimò recepere, sint contenti; aut in Synodo legitimis documentis probent, secum esse per eum, qui de jure hoc facere potuerit, dispensatum. VIII. Omnes & singulos Clericos curam animarum habentes, ad personalem in Beneficiis residentiam revocat sub pœna suspensionis à perceptione fructuum, & administratione temporalium. IX. Eamdem pœnam in eos decernit, qui infra tempus à Canone statutum Ordines non susceperint, quos ipsorum Beneficia postulant. X. De Vicariorum institutione & congrua portione decernit. XI. De tonsura & habitu Clericorum. XII. & XIII. Clericos non viatores, in sacris Ordinibus constitutos, qui tabernam absque evidenti & honesta causa ingressi fuerint, aut ad aleas, vel taxillos luserint, ab Officio suspendunt. Sacerdotem excommunicatum vel suspensum, qui se Divinis ingesserit, Episcopali carceri mancipari jubent. XIV. Excommunicationis & carceris pœna damnat eos qui Clericum vel Monachum pro criminibus suis à Prælato carceri addictum, fracto

Summa Canonum.

Monastica disciplina.

Obedientia.

Delicta Monachorum ibi [illegible] ubi [illegible]ntur.

Beneficiorum pluralitas vetita.

Residentia in beneficiis quibus animarũ cura annexa est.

Suspensionis pœna in Clericos tabernam ingredientes decernitur.

carcere liberaverint. xv. Virum aut mulierem Religiosis vestibus indui vetat, nisi certam profiteatur Regulam ex approbatis, séque certo loco destinet. xvi. Vagis Scholaribus aliquid erogari vetat. xvii. Ludos, quos vulgus vocabat *Episcopatum puerorum*, in Ecclesiis & à personis Ecclesiasticis fieri prohibet. xviii. Censuras ab uno Episcopo latas, ab aliis publicari & observari jubet. xix. Dies festos Sanctorum Salixburgensis Ecclesiæ Patronorum, *Ruperti, Virgilii*, & *Augustini*, solemnes esse statuit, in iisque per totam Provinciam ab omni servili opere abstineri, sub pœna excommunicationis. xx. Vetat Religiosis ne Confessarios extra suum Ordinem eligant absque Prælati sui licentia speciali. xxi. Monachos aut Religiosos quoscumque qui adversùs correctionem Superiorum secularem potentiam invocaverint, ejúsque favore usi fuerint, in carcerem mitti statuit, & nullius unquam dignitatis vel administrationis Officium in illa Ecclesia vel Monasterio consequi. xxii. Episcoporum captivitatem aut persecutionem, & Ecclesiarum invasionem generali decernit Interdicto vindicandam. Viros tamen Principes, & terras eorum ab hoc Decreto excipit, nisi admoniti ab hujusmodi injuriis temperare & satisfacere contempserint. xxiii. Probibet ne quis Clericorum Prælaturas aut Parochiales Ecclesias de manibus Laicorum recipiat, antequam ab Episcopo fuerit investitus, sub pœna excommunicationis, & privationis Beneficii. xxiv. Ecclesiarum Advocatos admonet ut ab indebitis vexationibus Ecclesiarum, & bonis ipsarum abstineant, debitísque juribus sint contenti.

Pœna Monachorum secularem potentiam contra superiorum suorum correctionem invocantium.

II. Aliud Concilium celebravit idem Archipræsul anno MCCLXXXI. in quo Canones octodecim conditi, contra Ecclesiarum alienationes, Beneficiorum curam animarum annexam habentium pluralitatem, immodicos Visitatorum sumptus, contra Patronos & Judices, qui bona morientium Clericorum invadunt, contra Clericos qui de manibus Laicorum Ecclesias recipiunt, contra falsarios, contra eos qui violentas manus Clericis inferunt, & de Monachorum disciplinâ.

Alterum Concilium Salisburgense.

ARTICULUS XXXII.

De Conciliis Salmuriensi, & Bituricensi.

I. ANno Christi millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, ab Archiepiscopo Turonensi & Comprovincialibus Episcopis Concilium Salmuri celebratum est die Lunæ post festum Decollationis *S. Joannis Baptistæ*, in quo quatuordecim Capitulis Ecclesiasticæ & Monasticæ Disciplinæ consultum voluere. Beneficiorum curam animarum annexam habentium pluralitas Clericis Cap. III. prohibita est, *nisi Episcopi cum aliquibus duxerint dispensandum.* Prioratus in quibus duo Monachi commodè possint sustentari, secularibus Clericis conferri vetat Canon X.

Concilium Salmuriense 1276.

II. Eodem anno, *Simon* Tituli Sanctæ *Cæciliæ* Cardinalis, Sedis Apostolicæ in Gallia Legatus, Concilium Avarici Biturigum celebravit Idibus Septembris, in quo pro restauratione Disciplinæ & defensione Libertatis Ecclesiasticæ Decreta sexdecim condita sunt. I. Asserit sacrarum electionum libertatem, impressiones quibus impeditur ac violatur, prohibet, earum auctores excommunicatione ferit, aliísque pœnis damnat. II. Statuit ut Judices delegati formam Romanæ Curiæ in citationibus observent. III. Iisdem sub pœna excommunicationis prohibet ne pro absolutione à Censuris aliquid accipiant, vel mulctæ nomine, etiam ex post facto. IV. Prælatis injungit ne facilè Monachorum querelas contra ipsorum Abbates, maximè ubi de correctione agitur, admittant, nisi circumstantiis discussis verisimiliter præsumatur, ipsos non causâ vitandi correctionem Ecclesiasticam, sed justè & ex causa probabili, ad Prælatorum præsidium confugisse. V. Eos qui Prælatorum Jurisdictionem perturbant, excommunicatione percellit. VI. Decernit ut qui Judices Ecclesiasticos ad concedendam absolutionem à Censuris vi vel metu compulerint, excommunicati publicè denuncientur. VII. Laïcos Magistratus, qui in actionibus merè personalibus Viros Ecclesiasticos ad tribunal suum litigare compellunt, excommunicatione ferit, à qua absolvi non possint, nisi integrè satisfecerint, eorum Sententiis in hujusmodi quæstionibus etiam prolatis, nihil omnino roboris habituris. Statuit insuper Synodus, ut si Laïcus Judex de Censuris, aut aliis Ecclesiasticis vel spiritualibus causis cognitionem aut judicium præsumpserit usurpare, nisi monitus ab hac usurpatione temperaverit, ad hoc Ecclesiasticâ Censurâ compellatur. VIII. Exceptionem præscriptionis non admittendam statuit super rerum illarum decima, de quibus, sive similibus, in locis eisdem, à similis conditionis personis hactenus consuevit exsolvi: *Cùm in illis, in quibus periculum vertitur animarum, præscriptio quantumcumque longæva non vendicet sibi locum; sed quantò graviora sunt crimina, tantò diutius miseram animam teneant alligatam.* Qui perceptione decimarum prohibuerint eos qui jus habent, excommunicatione feriuntor. IX. Eadem pœna damnantur, qui testamentis secundùm Canonicas Sanctiones factis impedimentum apposuerint, vel ipsa impugnaverint ob secularium Judicum absentiam. X. Excommunicationis Sententiam in eos jaculatur, qui nova pedagia imponunt, aut antiqua ad Clericos & res ipsorum extendunt, nisi infra menses duos ab istius Decreti promulgatione destiterint. XI. Eamdem pœnam decernit in eos, qui contra Ecclesiæ libertatem, & consuetudines antiquas, statuta, banna, prohibitiones vel præcepta fecerint, vel fieri procuraverint, seu jam facta servaverint, aut servari fecerint, aut servantibus vel facientibus consilium vel opem duxerint adhibendam. XII. Sacrilegos immunitatis Ecclesiarum violatores, qui confugientes ad Ecclesiarum asylum vulnerant, mutilant, interficiunt, aut incendunt; aut exinde extrahunt, aut ista fieri præcipiunt vel procurant, seu consilium aut opem exhibent in tantis sceleribus perpetrandis, ipso facto excommunicatos, & feudis ac Beneficiis, si quæ ab Ecclesiis illis obtinent, privatos pronuntiat, eorúmque filios ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda inhabiles & indignos declarat. XIII. Ecclesiasticæ Jurisdictionis perturbatores diris devovet; qui scilicet in foro Ecclesiastico litigantes, seu litigare volentes, super causis merè Ecclesiasticis, seu quæ ad forum Ecclesiasticum de antiqua & approbata consuetudine, & hactenus pacificè observatâ, pertinere noscuntur, ad desistendum compellunt, per ipsorum, vel parentum, aut consanguineorum, sive rerum eorum vel personarum hujusmodi captionem, aliisve modis. XIV. Vetat ne Judæi alibi quàm in civitatibus, castris, & locis insignibus habitare permittantur. XV. Ne quilibet exempti, seu libertatis Sedis Apostolicæ Privilegiis communiti, excommunicatos publicè vel nominatim interdictos, seu usurarios manifestos, ad divina Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam scienter admittant: Qui contra præsumpserint, Ecclesiæ ingressu prohibentur. XVI. Excommunicat eos qui nuncios seu executores Ecclesiasticorum Judicum, aut alios literas

Concilium Bituricense 1276.

Summa Canonum.

Ecclesiastica Jurisdictio.

Solutio decimarum.

Ecclesiæ libertas & immunitas.

Ecclesiastica Jurisdictio.

teras eorum vel Acta judicialia deferentes, verberare, capere, seu literas vel Acta prædicta per vim aufere, adulterare, aut destruere præsumpserint. Hujus Synodi Statuta misit Legatus Apostolicus ad omnes Galliæ Episcopos, ut, quà Legatio sua patebat, ubique servarentur. Id constat ex *Joannis* Archiepiscopi Turonensis Epistola ad Episcopum Nannetensem, præmissâ Bituricensi Concilio in Collectione Conciliorum Provinciæ Turonensis, quæ à *Joanne Maano* edita est.

ARTICULUS XXXIII.

De Conciliis Langesiensi, & Pontodomarensi.

Langesium, *Langez*, oppidum in Turonibus.

I. ANno circiter millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, *Joannes* Turonensis Archiepiscopus cum Suffraganeis Concilium celebravit *Langesii*, in quo sexdecim Canones conditi sunt, quibus statutum est. I. Ne Prælati procurationes recipiant nisi ab Ecclesiis quas visitaverint. II. Ut Archidiaconi, Archipresbyteri & Diaconi, extra civitatem Officiales non habeant. Ne Matrimonia clandestina contrahantur. III. Ne Presbyteri filios suos in sacris Ordinibus genitos secum retineant, vel ipsis aut concubinis aliquid legent. IV. Ne testamentorum executores aliquid de bonis testamento comprehensis emere possint. Juris exemplum sequi se profitetur Synodus, prohibentis Procuratoribus aliquid emere de bonis eorum procurationi seu gubernationi commissis. Contractus contra hoc Statutum initos irritos declarat, emptorem ad restitutionem dupli pretii rei emptæ, in executionis utilitatem convertendæ, condemnat. VI. Excommunicatos ultra annum claves Ecclesiæ contemnentes nullis in testamentis heredes scribi posse declarat. VII. Censuras in eos decernit, qui Litteris Apostolicis abutuntur. VIII. Parochiales Ecclesias ad firmam tradi vetat sine speciali & expresso Diœcesani consensu. IX. Ne communicantes cum excommunicatis generatim excommunicentur. X. Ut qui ex cessione sibi facta agere voluerit, ante litis contestationem jurare teneatur, quòd cessionem non recipit fraudulenter. XI. Ut juvenes Monachi in claustro commorentur, nec ad Prioratus mittantur, antequam annum ætatis decimum octavum attigerint. XII. Ne Monachi vel Moniales plures in Monasteriis recipiantur, quàm ex ipsorum facultatibus sustentari possint. XIII. Ne Monachi soli in Prioratibus morari permittantur. XIV. Ne Prioratus vacantes denudentur. XV. Ne Advocati ad causas dicendas in foro Ecclesiastico admittantur, nisi triennio saltem integro Juri Canonico & Civili operam dederint. XVI. Ut Officiales, & alii demandatam Jurisdictionem habentes, in institutione sua jurent, quòd munera non accipient ratione Officii, & bonâ fide causas audient, & diriment.

Summa Canonum Concilii Langesiensis.

Emptio bonorum quæ testamento sunt comprehensa, illius executoribus prohibetur.

Pons Audomari, *Le Pont-audemer*, urbe Normaniæ, in Diœcesi Lexoviensi.

II. Anno Christi millesimo ducentesimo septuagesimo-nono, circa Dominicam Ascensionem, *Guillelmus de Flavacuria* Rotomagensis Archiepiscopus Concilium Provinciale apud *Pontem Audomari* celebravit, in quo XXIV. Decreta de Disciplina Ecclesiastica edita sunt. Statutum I. Ut Clerici excommunicati fructus Beneficiorum amittant, & si per annum excommunicationem animo indurato sustinuerint, Beneficiis priventur. II. Ut Capellanis, & Parochialibus Presbyteris qui Missas non celebrant, Beneficia post monitionem Canonicam subtrahantur. III. Ut Statuta Conciliorum Bituricensis & Lugdunensis contra Jurisdictionis & Libertatis Ecclesiasticæ perturbatores observentur. IV. Ut excommunicati à Canone propter violentam manuum injectionem in Clericos, à Parochialibus Presbyteris, de mandato Episcoporum, excommunicati publicè denuntientur, & nisi se absolvi procuraverint, *justitiari* mandentur, id est, plecti ac mulctari. V. Confessionem proprio Sacerdoti, vel alii potestatem habenti semel singulis annis, & Communionem in Paschate, secundùm Lateranensis Concilii Statutum imperat. VI. Excommunicationem decernit in Potestates seculares Clericos capientes, vel detinentes contra requisitionem Judicis Ecclesiastici. VII. Causas Ecclesiasticas, maximè de personalibus actionibus, ad seculares Judices deferri vetat. VIII. Statuit ut qui majores decimas in Ecclesiis Parochialibus percipiunt, ad restaurandam fabricam compellantur. IX. Ne Christiani Judæis serviant, aut cum ipsis habitent. X. Ne vigiliæ & choreæ in Cœmeteriis & sacris locis fiant. XI. Ne Clerici Beneficiati vel in sacris Ordinibus constituti, venationibus aut aucupiis dedui sint. XII. Ut in Abbatiis & Prioratibus numerus Religiosorum redintegretur. XIII. Ut Monachi commorantes in Prioratibus Statuta *Gregorii* Papæ, quantùm ad esum carnium, Confessiones, & jejunia, censurarum terrore observare compellantur. XIV. Ut Regulares cùm secularibus non morentur, nisi de Diœcesani licentia. XV. Ut mutuum ultra certam quantitatem nisi, cum Abbatis licentia, non contrahant. XVI. Ut Decani Rurales non suspendant vel excommunicent nisi in scriptis. XVII. Ut Sacerdotes à denuntiandis excommunicatis non desistant, nisi de ipsorum absolutione constet: quæ solemni ritu impartienda est. XVIII. Ne generatim excommunicent, nisi pro furtis & deperditis, & canonica monitione præmissa. XIX. Ut Capellani, quibus Ecclesiæ committuntur ad tempus, diligenter examinentur. XX. & XXI. Ut Clerici à secularibus negotiis abstineant, maximè inhonestis: utque tonsuram & habitum deferant Clerico congruentes; alioqui privilegiis Cleri non gaudeant. XXII. Ut Clerici excommunicati propter defectum solutionis decimæ, se quantocyus absolvi curent, quod nisi statuto tempore præstiterint, etiam Beneficiorum privatione plectentur. XXIII. Ut Clerici Crucesignati literis Apostolicis non abutantur. XXIV. Ut Canonici Regulares ad curam animarum non admittantur, nisi prævio examine: neque instituti inde à suis Prælatis amoveri valeant absque consensu Episcopi.

Summa Canonum Concilii apud Pontem Audomari celebrati.

Ecclesiastica Jurisdictio.

---

*ARTICULUS XXXIV.

De Conciliis duobus Avenione celebratis, Annis MCCLXXIX. & MCCLXXXII.

Summa Canonum Concilii Avenionensis 1279.

I. ANno MCCLXXIX. *Bernardus* Arelatensis Archiepiscopus, postea Cardinalis Episcopus Portuensis, Provinciale Concilium Avenione celebravit, XVI. Kalendas Junii. In quo quindecim editi Canones. I. & II. Censuras continent adversùs invasores bonorum Ecclesiasticorum. III. Permittit Episcopis quibus injuria irrogata est, ut sententiam in delinquentes ferre possint, quocumque in loco Provinciæ Arelatensis fuerint. IV. Statuit ut qui Clericum ceperint, nec Episcopo aut Officiali repetentibus restituerint, excommunicati denuncientur. Si denunciati per tres dies, illum non reddiderint, civitas, castrum, aut villa ubi detentus fuerit, Ecclesiastico subjaceat Interdicto. V. Ut nulla persona Ecclesiastica vel secularis, inducat per se, vel per alium, aliquam personam sanam vel infirmam,

Posset Pollicitantem aliquem ad sepulturam abigentem extra suam Parochialem Ecclesiam.

infirmam, nec etiam moneri faciat, ut dimissâ suâ Parochiali Ecclesiâ, in Cœmeterio alterius Ecclesiæ cujuslibet eligat sepeliri, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. vi. Canones de Judæis condi:os observari jubet. vii. & viii. Canones undecimum, & decimum tertium Bituricensis Concilii anno MCCXXVI. contra libertatis & Jurisdictionis Ecclesiasticæ perturbatores renovant & confirmant. ix Vetat ne Religiosi vel seculares exempti, excommunicatos publicè, vel nominatim interdictos, seu usurarios manifestos, ad Sacramenta vel Ecclesiasticam sepulturam admittant: alióqui Ecclesiæ aditu prohibeantur. x. & xi. Decreta Vilemini Concilii anni MCCXLVIII. de excommunicatis ad Officia publica non eligendis, & de pœnis eligentium, confirmant. xii. & xiii. Prohibent ne Clerici negotientur, causas dicant, aut Magistratus gerant. xiv. Ne testamenta occultentur, sed eorum transsumptum ab heredibus vel Notariis, quatenus pias causas spectant, exhibeatur Ecclesiæ, sub pœna excommunicationis. xv. Superiora Statuta infra duos menses in omnibus Provinciæ Arelatensis Ecclesiis promulgari jubet.

Seamus Canonum Concilii Avenionensis 1282.

II. Anno Christi millesimo ducentesimo, octogesimo secundo, *Bertrandus Almaricus* Arelatensis Archiepiscopus, cum Suffraganeis suis, Concilium alterum Avenione celebravit, in quo xi. Canones editi. i. Usurarios omnes ipso facto excommunicatos denunciat; ac usurarios declarat, qui pannos, triticum, vinum, oleum, vel quascumque res alias mobiles carius vendunt ratione dilatæ solutionis, quàm essent aliàs venditurì. ii. Preces pro Ecclesia imperat. iii. Ecclesiarum bona ac jura sine consilio Episcopi & assensu alienari vetat. iv. Procuratores institui jubet contra litigatores improbos, qui Prælatos & Rectores Ecclesiarum, cœteróśve Clericos Beneficiis ornatos, coram diversis Judicibus fatigant laboribus & expensis.

Usurarii ipso facto excommunicati.

Ecclesiarum Parochialium frequentatio Dominicis & solemnibus diebus.

v. Statuit ut quilibet Parochiani, saltem diebus Dominicis & solemnibus, venire ad Parochiales Ecclesias suas, cessante impedimento canonico, teneantur: & in eis inter Missarum solemnia Eucharistiæ nostræ peregrinationis Viaticum à propriis Presbyteris recipere, præsertim in festis Resurrectionis Domini, & Pentecostes. vi. Prohibet ne Privilegiati seu Exempti Sententias & Censuras ab Episcopis latas, prætextu Privilegiorum suorum contemnere aut violare audeant.

Ecclesiastica Jurisdictio.

vii. Causarum spiritualium, seu negotiorum Ecclesiasticorum ad Curiam secularem delatores excommunicatione ferit. viii. Colligationes, societates, confratrias seu conjurationes, Canonibus reprobatas, humanis dumtaxat legibus introductas, dissolvit & irritas facit. ix. Decernit ut Exempti Censuris à Synodo latis involuti censeantur, cum Statuta quorum violationi annexa Censura est, transgressi sunt, nisi fidem faciant se vi Privilegiorum suorum excipi. x. Ne quis, sine suo Parochiali Presbytero, si absque magno periculo expectari possit, maximè ad pias causas, testamentum faciat, in quo caveatur imprimis, ut absque mora, post obitum seu convalescentiam testatoris, malè acquisitorum quomodolibet fiat restitutio integra, quamdiu ejus sufficere potuerint facultates, antequam legata quæcumque in favorem facta & gratuita persolvantur. xi. Statutum quoddam à *Bernardo* Arelatensi Archiepiscopo conditum in superiori Synodo, executioni mandari jubet: quodnam illud sit, non constat, quia Canon iste mutilus est.

ARTICULUS XXXV.

De Concilio Budensi.

Buda, Budæ, Hungariæ Regni caput.

ANno millesimo ducentesimo septuagesimo nono, *Philippus* Firmanus Episcopur, in Hungaria, Polonia, Dalmatia, Croatia, Rama, Servia, Lodomeria, Gallicia, Cumania, Sedis Apostolicæ Legatus, Nationale Concilium in Castro Budensi, Vesprimiensis* Diœcesis celebravit, die xiv. Septembris, in quo sexaginta novem editi Canones.

De Vesprimo.

Seamus Canonum.

I. II. III. IV. V. VII. VIII. XI. & XII. Statuunt de habitu, vita & honestate Prælatorum, omniúmque Clericorum. VI. Ut Episcopi ex Religiosis Ordinibus assumpti, vel deinceps assumendi, sui Ordinis habitum deferant: alioqui Ecclesiæ ingressu & Pontificalium executione prohibeantur. IX. Ut Clerici Sententiam sanguinis non ferant vel dictent; nec rerum capitalium Judiciis intersint. X. Vetat ne Archidiaconi & alii Rectores Ecclesiarum, suas Laicis vel Clericis uxoratis Vicarias committant. XIII. Reverentiam in Divinis Officiis imperat. XIV. Vetat ne Prælati Ecclesias vel Parochias visitantes, immodicis illas sumptibus gravent. XV. Ne quis *Beneficium Ecclesiasticum de manu Laicorum recipiat.* XVI. Ut Plebani, Rectores, & Capellani Parochialium Ecclesiarum in ipsis deserviant, per se ipsos, & non per Vicarios, sub pœna privationis fructuum. XVII. Conjurationes Clericorum dissolvit, prohibétque, sub pœnis excommunicationis & privationis Beneficiorum. XVIII. & XIX. De Officiis, cultu & ornatu Presbyterorum Parochialium, & Clericorum cœterorum ad Synodum euntium, decernunt. XX. Ut omnes curam animarum habentes infra annum sacrum Presbyteratus Ordinem suscipiant, sub pœna privationis Beneficiorum. XXI. De Eucharistia & Oleo Sancto sub fideli custodia, clavibus adhibitis conservandis. XXII. Divinum Officium cùm diurnum, tum nocturnum *distinctè & devotè* à Sacerdotibus celebrari præcipit. XXIII. Intrusos in Beneficia excommunicatione percellit, & ad fructuum restitutionem compelli jubet. XXIV. Prohibet ne Viri Ecclesiastici agant, respondeant, vel fidejubeant aut se astringant vel obligent coram Judice seculari, nisi de his quæ ad seculare, non ad Ecclesiasticum forum spectant. Judices qui ipsos contra privilegia Clero indulta ad agendum coram se compulerint, excommunicatione percellit.

Ecclesiastica Jurisdictio.

XXV. Ne Clerici de personalibus injuriis, vel eleemosynis Ecclesiæ factis, coram seculari Judice litigent absque Episcopi sui licentiâ. XXVI. Ne in domibus suis habeant prolem in sacris Ordinibus susceptam, aleas, vel taxillos: utque eorum filii majoris Ecclesiæ servi sint. XXVII. Ne Reliquiæ Sanctorum extra capsam ostendantur, vendantur, aut recèns inventæ publicæ venerationi exponantur, *nisi priùs auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ.*

Reliquiæ Sanctorum qua ratione exponendæ.

XXVIII. De Concionatoribus & Quæstoribus recipiendis statuit, certis legibus. XXIX. & XXX. Ne res Ecclesiæ pignori obligentur, nisi pro Ecclesiæ necessitate, de licentia Episcopi, multò minùs donentur. Obligationes atque donationes hujusmodi Synodus irritas dicit. XXXI. Ne Clerici absque licentia Episcopi sui peregrinentur, sub pœna suspensionis. XXXII. Ne ignari ad sacra Ministeria admittantur. XXXIII. *Ne Parochiani Ecclesia sua Parochiali relicta vel contempta, ad alias Ecclesias, cujuscumque sint Ordinis, Religionis, aut status, ad audienda Divina* Officia,

Missa Parochialis Dominicis diebus audienda.

Officia, speciatimque *Missam. Dominicis & festivis diebus* conveniant, nec in illas admittantur, vel ipsis ministrentur Sacramenta ab aliis quàm à *Parochialis Presbyteris*; nisi fortè *causâ devotionis majoris* aliqui *circa hoc à Sede Apostolica Privilegio aut indulgentia speciali muniti sint.* Parochianos hoc Statutum violantes à perceptione Sacramentorum: qui verò Parochianos alienos ad Divina receperint, vel eis Sacramenta administraverint, ab executione suorum Ordinum suspenduntur; & qui Parochianis alienis hoc modo suspensis administrare Sacramenta præsumpserint, excommunicatione percelluntur. XXXIV. De rationibus reddendis ab omnibus qui Ecclesiastica bona administrant. XXXV. De mutuo ab iis non dando vel accipiendo ultra certam summam. XXXVI. De bonis Ecclesiasticis non alienandis. XXXVII. De Ecclesiis novis exactionibus non gravandis, déque veteribus pensionibus non augendis, decernunt. Statuit ut Archidiaconi in Hungaria & Polonia non instituantur, nisi qui Juri Canonico per triennium operam dederint. Rationem hujus Statuti Synodus profert: quia *tam de jure, quàm de generali consuetudine, multarum Ecclesiarum Archidiaconi Jurisdictionem habent causas Matrimoniales & plerumque alias audiendi, examinandi atque decidendi.* XXXIX. Ut causæ Matrimoniales viris gravibus, honestis, & Juris peritis committantur. XL. Prohibitiones, Juramenta, Sententias vel Censuras, quibus nonnulli Prælati cùm seculares tum Regulares, subditos suos impediunt ne Superioribus Ecclesias aut Monasteria sua visitantibus, earumdem Ecclesiarum aut Monasteriorum, personarum ac rerum statum revelent, penitus irrita declarat. XLI. Profanam supellectilem in Ecclesia servari vetat. XLII. Presbyteris jubet ut Manuale, aliósque libros Ecclesiasticos habeant. XLIII. & XLIV. Choreas in Cœmeteriis, aut Ecclesiis duci, vel civiles causas agitari, aut vigilias fieri vetant à Laïcis. XLV. Canonicos, & cæteros Clericos Beneficiatos, qui in suis Ecclesiis Horis Canonicis, Matutinis saltem, Missæ, vel Vesperis non intersunt, stipendiis privari statuit. XLV. Vetat ne consuetudo, quâ Archidiaconi Hungariæ marcham argenti exigebant, antequam interfecti, aut veneno extincti, sepulturæ traderentur, extendatur ad alios fortuitis casibus interemptos, qui pœnitentes obierint, vel in morte signa pœnitentiæ dederint manifesta. XLVII. Publicos concubinarios Ecclesiæ ingressu prohibet. XLVIII. Christianis omnibus vetat ne domos suas vel possessiones publicis meretricibus, adulteris, incestuosis, aut aliis infamibus personis locent, vendant, vel donent: alioqui ab Ecclesiæ ingressu arceantur. XLIX. Vetat ne bona morientium Episcoporum, & aliorum inferiorum Prælatorum: vel Ecclesiarum vacantium à Laïcis, occasione Juris Patronatus, vel quovis alio prætextu occupentur, sub pœna excommunicationis, donec occupata vel subtracta restituerint. L. Alienationem bonorum Ecclesiæ sub eadem pœna prohibet. LI. Ne seculares vel Ecclesiastici Patroni Jus Patronatus quo in quibusdam Ecclesiis aut Monasteriis fruuntur, aliis Ecclesiis aut Monasteriis donent, absque licentia & assensu Episcoporum aut Prælatorum, in quorum Diœcesi vel Jurisdictione, Ecclesiæ vel Monasteria ipsa constituta sunt. LII. & LIII. Ecclesiarum, Monasteriorum, & bonorum Ecclesiasticorum invasores anathemate feriunt. LIV. Judices Ecclesiasticos, qui gratiâ aut pecuniâ corrupti judicaverint, per annum à Jurediciendo suspendit. LV. Excommunicatos, ab agendo, patrocinando, aut ferendo testimonio repellit. LVI. Exceptionem rei judicatæ per Ecclesiasticum Judicem, in causis quæ sunt Ecclesiastici fori, à seculari Judice admittendam; & pariter exceptionem rei judicatæ per secularem Judicem, in causis quæ sunt fori secularis, ab Ecclesiastico Judice recipiendam statuit. LVII. Ut seculares & Ecclesiastici Judices mutuam sibi impendant opem ad eos coërcendos & ad officium revocandos, qui suæ Jurisdictioni non parent. LVIII. Laïcas Potestates percellit, quæ in causis Ecclesiasticis appellationem ad Superiores, & maximè ad *Sedem Apostolicam*, prohibuerint. Regem ipsum, & Reginam Hungariæ, si fortè illas impedierint, Ecclesiæ ingressu prohibet: Duces, Barones, & alios inferiores Judices, excommunicatione ferit. LIX. & LX. Ecclesiarum, & Virorum Ecclesiasticorum immunitatem à tributis, pedagiis, vectigalibus, &c. asserunt. Sexagesimus primus & quinque sequentes, Monasticam sanciunt Disciplinam. LXVII. Excommunicationis & Interdicti Sententias à Prælatis latas, jubet ab omnibus observari. LXVIII. Vinearum & agrorum depopulatores excommunicatione ferit. LXIX. Jurium & bonorum Ecclesiasticorum invasores coercet. Budense Concilium ex Codicibus MSS. Vaticano & Vallicellano primùm edidit *Odoricus Raynaldus*, ad calcem Tom. XIV. Annalium Ecclesiasticorum.

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, pag. 743. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt. *Quoties ponitur Canon de audienda Missa in Parochia, Literis diversis exprimis, quia hanc sententiam tueris.*

R. Quæ observatione digna censui, sivè Patrum, sivè Conciliorum; sivè aliorum Scriptorum verba, edita sunt Italicis ut plurimùm characteribus. Plurimæ sunt objectiones, plurimi Hæreticorum errores diversis literis seu characteribus editi, quos propterea me tueri, nemo sanæ mentis dixerit. Sed quod spectat Canones de audienda Missa Parochiali, sanctissimam Disciplinam his Canonibus sancitam, & à Summis Pontificibus confirmatam tuitus sum, & tueri debui. Loco à Religiosis Censoribus notato, refero Concilii Budensis Canones. XXXIII. (inquam) vetat *Ne Parochiani Ecclesia sua Parochiali relictâ vel contemptâ, ad alias Ecclesias, cujuscumque sint Ordinis, Religionis, aut status, ad audienda Divina Officia*, speciatimque *Missam Dominicis & Festivis diebus* conveniant, nec in illas admittantur, vel ipsis administrentur Sacramenta ab aliis quàm *à Parochialibus Presbyteris*; nisi fortè *causâ devotionis majoris* aliqui *circa hoc à Sede Apostolica privilegio aut indulgentia speciali muniti sint.* Quæ characteribus Italicis sunt exarata, ipsa Canonis Budensis verba sunt. Qui nullis adversùs Parochiales Ecclesias, & adversùs Ecclesiæ Disciplinam præjudiciis sunt occupati, hæc à me referri, & observari ægrè non ferent. Censeo planè Fideles diebus Dominicis & Majoribus Festis Parochiam frequentare, solemne sacrum, & verbum Dei in ea audire teneri: Quod ex Concilio Tridentino, Statis IV Conciliorum Provincialium post Tridentinum celebratorum; Mediolanensis VI. à *Sancto Carolo* celebrati & à Sede Apostolica confirmati, Generalium Cleri Gallicani Comitiorum Decretis ac Statutis, luculenter à me probatum est lib. II. *Theologiæ Dogmaticæ ac Moralis*, in Tractatu *De Sacramento Eucharistiæ*, cap. VI. Articulo V. Regulâ I.

ARTICULUS XXXVI.

De Concilio Andegavensi.

Summa Canonum.

EOdem anno MCCLXXIX. *Joannes* Turonensis Archiepiscopus Provinciale Concilium Andegavis celebravit die Dominica post festum *S. Lucæ* Evangelistæ, in quo quinque Canones editi. I. Excommunicatos denunciat qui Viros Ecclesiasticos in actionibus personalibus ad secularia tribunalia traxerint. II. Ministros Episcoporum, qui *pro literis* Ordinationis *sigillandis*, pecuniam aut muneris aliquod exegerint vel receperint, si sint in Sacris, suspensione; si sint in Minoribus Ordinibus constituti, vel laïci, excommunicatione mulctat. III. Eadem pœna damnat eos, qui contra fas, & absque assensu Parochialis Presbyteri, defunctorum corpora in Ecclesiis vel Cœmeteriis sepelierint. IV. Clericos tam seculares quàm Regulares, Beneficium Ecclesiasticum seu Administrationem quamlibet obtinentes, quamdiu fuerint excommunicati, Beneficiorum aut Administrationum suarum fructibus; si ultra annum in excommunicatione manserint, Ecclesiæ claves contemnentes, Beneficiis ipsis, & Administrationibus privandos edicit. V. Singulis Episcopis permittit, ut à Censuris hac in Synodo latis, in suis Diœcesibus, post satisfactionem congruam, absolvant irretitos.

ARTICULUS XXXVII.

De Concilio Coloniensi.

Summa Canonum.

ANno millesimo ducentesimo octogesimo, *Sifridus* Coloniensis Archiepiscopus Provinciale Concilium in Metropoli sua celebravit, in quo Disciplina Ecclesiastica, maximè circa Sacramentorum administrationem, duodeviginti Capitulis sancita est. Primum est de vita, honestate, & Officio Clericorum, in quo observandum, quòd non solùm Horas Canonicas, sed etiam Horas de B. Virgine singulis diebus recitare, in Coloniensi Provincia tenebantur. Secundum Clericos mulierosos, & eorum concubinas coërcet. Tertium est de Monachorum & Monialium disciplina, quibus inter alia peculium, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, prohibetur. Quartum, de Baptismo. Quintum, de Sacramento Confirmationis. Sextum, de Sacramento Extremæ-Unctionis, cui recipiendo quatuordecim annorum ætatem & supra assignat. Septimum, de Sacramento Eucharistiæ, & celebratione Missæ, cui Confessionem, si commodè fieri potest, & Matutinarum ac Primæ recitationem præmitti jubet. Octavum, de Sacramento Pœnitentiæ & Confessionis. Sacerdotibus sub pœna excommunicationis prohibet ne Pœnitentibus, quorum Confessiones excipiunt, nomine restitutionis pro Pœnitentia injungant, ut Ecclesias, Capellas, vel Cœnobia construant, vel Ecclesiis donationes vel legata faciant, sed priùs malè parta restituant iis quibus debent, vel eorum heredibus. Item, ne Missas, quas pœnitentibus in pœnitentiam injungunt, celebrent ipsi, sed mittant ad alios. Ut fideles semel in anno proprio Sacerdoti Parochiali confiteantur. Nonum, de Ordinibus. Vetat inter alia, ne quis una die plures Ordines recipiat. Decimum, de Matrimonio. Clandestina Matrimonia prohibet sub pœna excommunicatio-A nis, quâ non solùm contrahentes, sed omnes etiam qui nuptiis hujusmodi interfuerint, percellit, nisi infra mensem Episcopo vel ejus Officiali id revelaverint. Undecimum, de sepulturis & Cœmeteriis. Sub pœna excommunicationis observari jubet, ut quoties aliquis in loco Religioso seu in Monasterio sepulturam elegerit, corpus primò præsentetur Parochiali Missæ; quâ celebratâ, deferatur ad locum ubi sepulturam elegit. Duodecimum, de bonis Ecclesiæ non alienandis. Decimum tertium, de malefactoribus ad Ecclesiam confugientibus. Decimum-quartum, de usurariis manifestis, quos communione & sepulturâ Christianâ, nisi pœnitentiam egerint, privari statuit. Decimumquintum statuit ut nullus Sacerdos vel Clericus in Ecclesia Parochiali vel Capella audeat celebrare sine Episcopi vel Archidiaconi licentiâ. Ne Parochiam teneat, ad quam non sit legitimè præsentatus, & ab Episcopo vel Archidiaconis locorum institutus, sub pœna excommunicationis. Ne Beneficium de manibus laïcorum accipiat: alioqui Beneficio gradúque excidat. Decimum-sextum, Archiepiscopi, & Curiæ Ecclesiasticæ Coloniensis Mandata executioni mandari jubet: ac Jurisdictionis ejusdem Curiæ perturbatores excommunicari præcipit. Decimum septimum, Executores testamentorum coram duobus ab Episcopo in singulis Archidiaconatibus deputandis rationem reddere jubet. Decimum-octavum, Ecclesiastici Interdicti observandi modum præscribit.

Restitutio.

Confessariis Missæ quas pœnitentibus forte injunxerint, celebrare vetitum.

Extrema-Unctio qua ætate recipienda?

De sepulturis.

ARTICULUS XXXVIII.

De Concilio Lambethensi.

D ANno millesimo ducentesimo octogesimo-primo, VI. Idus Octobris, *Joannes de Peckham* Archiepiscopus Cantuariensis, Angliæ Primas, Concilium Provinciale *Lambethæ* celebravit, in quo primùm Lugdunensis Concilii II. Decreta recensita sunt, cùm ut omnibus innotescerent, tum ut si quid in illis Anglicanis moribus *intolerabile* videretur, *circa illud temperamentum Apostolicæ Clementiæ humiliter imploraretur*. Deinde lectæ sunt Constitutiones *Ottoboni* Sedis Apostolicæ quondam in Anglia Legati. Tertiò, recitata sunt *Lambethensis* Concilii sub Archiepiscopo *Bonifacio* Decreta. Quartò, Statuta viginti septem condita sunt, quæ multis deformata mendis ad nos pervenere. I. De Sacramento Eucharistiæ. II. De Annalibus & Anniversariis celebrandis. Observandum quod docet, Sacerdotem Missam unam celebrantem satisfacere non posse pro duobus, pro quibus speciatim & in solidum celebrare promisit. Quia *Licèt ipsum Sacrificium, quod est Christus: sit infinitæ virtutis: non tamen in Sacrificio sua immensitatis summam plenitudinem operatur; alioquin pro uno mortuo nunquam oporteret nisi Missam unam dicere. Operatur enim in hujusmodi Mysteriis distributione certâ suæ plenitudinis, quam ipse eisdem lege infallibili alligavit.* III. De Baptismo & ejus effectu. IV. De Sacramento Confirmationis. Neminem ad Eucharistiam, extra mortis articulum admitti statuit, nisi fuerit confirmatus, vel à receptione Confirmationis causâ legitimâ impeditus. V. De Ordinibus. Subdiaconatum cum quatuor Minoribus unà conferri vetat; immò ut Minores Ordines, cùm id fieri potest, simul non conferantur, sed combinentur, suadet, *pro Sacramenti reverentia*. VI. & VII. De Confessione & absolutione. VIII. Peccata graviora, quæ *scandalo suo totam*

Anglicani Prælati Summo Pontifici supplicandum statuunt, ut Concilii Lugdunensis secundi Canones temperet, si quid in illis Anglicanis moribus incommodum & intolerabile sit.

Summa Canonum.

Sacerdos Missam unam celebrans satisfacere non potest pro duobus, pro quibus speciatim & in solidum celebrare promisit.

Ordinationes sacræ.

Peccata graviora & scandalosa publicæ pœnitentiæ subjicienda.

tam commovent civitatem, solemni Pœnitentia, secundùm Canonicas Sanctiones, castigari decernit. IX. Unum Confessarium in quolibet Decanatu constitui jubet ad Confessiones Rectorum, Vicariorum, aliorúmque Sacerdotum ac Ministrorum Ecclesiæ audiendas. X. De informatione simplicium, sive de catechizandis rudibus. XI. De hospitalitate exhibenda, præcipuè Concionatoribus. XII. De certificatoriis. XIII. De falsis procurationibus. XIV. De clandestinis Inquisitionibus rejiciendis. XV. De firmis. Ecclesias ad firmam tradi vetat, nisi ex causis necessariis, ab Episcopo approbatis, & Viris dumtaxat Ecclesiasticis & probis, reservatâ Parochiæ pauperibus pingui portione ad arbitrium Episcopi, sub testimonio quatuor fidelium Parochianorum iisdem eroganda. XVI. De Religiosis, seu Canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini. Hos, etsi ritus diversos habeant, ad unum Capitulum Generale quolibet triennio convenire jubet. XVII. & XVIII. Monialium castitati & famæ consulunt, earum constupratores anathemate confodiunt. Vetant ne ultra tres dies in domibus parentum vel affinium causâ recreationis, ultra sex dies pro necessitate vel occasione commorentur: nisi locorum Episcopis aliud ex causa necessaria aliquoties videatur; de quo eorum conscientia in tremendo Judicio oneratur. XIX. Monachos & Moniales anno Probationis expleto professionis vinculo declarat obligari, nec ad seculum redire posse. XX. Apostatas ad statum pristinum, vel ad laxiorem Regulam ab Episcopis compelli, statuit. XXI. Vetat ne Viri Religiosi testamentorum executores fiant. XXII. Secularis formæ vestes Clericis prohibet. XXIII. Filios Presbyterorum in Patrum Beneficiis institui vetat, *Ne contra justitiam in hereditate Crucifixi locus pateat successioni*. XXIV. Statuit ut Episcopus Clerico, quem ad Ecclesiam aliquam admittit, literas concedat exprimentes quo in Ordine constitutus, & quo titulo ad hujusmodi Beneficium sit admissus. XXV. Pluralitatem Beneficiorum, curam animarum annexam habentium, *absque dispensatione Apostolica*, damnat, eáque possidentes resignare jubet liberè & absolutè in Episcoporum suorum manibus, supra sex menses, unicò servatô. XXVI. Statuit ut Advocati non admittantur, nisi per triennium saltem Jus Civile & Canonicum audierint. XXVII. Ut quilibet Sacerdos tam secularis quàm Regularis, pro Archiepiscopo vel Episcopo defuncto Missam unam celebret.

Professio tacita Monachorum & Monialium.

De filiis Presbyterorum.

His ita constitutis, *Joannes* Cantuariensis Archipræsul & Angliæ Primas, Concilii Præses, ad Serenissimum Magnæ Britanniæ Regem *Eduardum* gravissimas de libertate Ecclesiæ Literas dedit. Incipiunt his verbis: *Autore Domino præcipimur Majestatem Regiam honorare, & ad idem beneficiis innumeris obligamur. Quia tamen oportet Domino magis quàm hominibus obedire, ad prævaricationem Legum illarum, quæ divinâ auctoritate absque omni dubio subsistunt, nullâ possumus humanâ Constitutione ligari.* Libertatem Ecclesiæ fultam ait Decretis Summorum Pontificum, Statutis Conciliorum, Sanctionibus Orthodoxorum Patrum; quibus Regem obtestatur ut cedat. *Ex his enim tribus* (inquit) *sunt Canones aggregati, & Jura Coronæ vestræ, Christi Coronæ supponenda, cujus sunt diadema ac Sponsæ suæ monilia, universa Ecclesiastica libertates...... Decretis autem Summorum Pontificum auctoritatem dedit omnium Imperator, dicens Petro;* Quicquid ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlo. *Ligat siquidem Summus Pontifex, non vinculis corporalibus, sed spiritualibus, sacris saltem legibus, quibus tenentur universi homines obedire, dicente Domino:* * Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, &c. Morietur homo ille. *Ab hac autem obedientia non est Altitudo Regia absoluta, sed plus quàm cæteri laici eâ inferiores, eidem obnoxia. Unde subjungitur consequenter:* Postquam sederit Rex in solio Regni sui, describet Deuteronomium sibi Legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ Tribus legétque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias ejus, quæ in Lege præcepta sunt, & longè ipse regnet, ipse & filius ejus. *Tenetur igitur Rex ipse ex præcepto Legis expresso, Summo Pontifici obedire: quod si non fecerit, timere potest Rex Legis insinuatione, ut Regni sui prolongatio minuatur. Item Salvator ipse dixit Discipulis congregatis:* Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit...... *Sed dicet forsitan Ecclesiæ inimicus, quòd non pertinet ad Summum Pontificem juga hujusmodi Legum vel Canonum imponere Principi seculari. Cujus nos cum universali Ecclesia, & omnibus mundi Sanctis & Sapientibus ex adverso contrarium affirmamus. Huic autem dissidio si quæratur qualiter debeat paci remedium adhiberi, docet Dominus in Deuteronomio dicens:* Si difficile & ambiguum apud te judicium esse prospexeris, & Judicum intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus; veniésque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore: quærésque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem: Et facies quæcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta Legem ejus. *Ergo ad Summum Pontificem pertinet omnis controversiæ terminatio, quæ non potest per inferiores Judices quoscumque terminari.*

Observanda de Ecclesiastica libertate.

Reges Summo Pontifici obedire tenentur.

Regiæ Coronæ jura, Christi Coronæ supponenda.

Deuter. 17.

Item quanta auctoritatis sit Ecclesia in Concilio Christi nomine congregata, patet ex Evangelio Matthæi, dicente Domino: Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. *Et ibidem:* Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. *Qui igitur Ecclesiæ non obediunt, in Concilio præcipuè congregatæ, Hæretici sunt censendi.*

Quanta Conciliorum auctoritas.

Item quanta auctoritatis sit SS. Patrum sincerissima doctrina, patet testimonio Salvatoris in Evangelio dicentis: * Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. *Idem est ergo Sanctorum Patrum definitionibus resistere, quòd Spiritus Sancti oraculis adversari. Hæc attendentes Imperatores Catholici, Leges suas omnes sacris Canonibus subdiderunt, ne Schismatici vel Hæretici putarentur. Cùm igitur ad vos, Excellentissime Domine Rex, pertineat pax inclyta Imperii: & vos etiam tenemini Leges vestras Canonibus subjicere, & contrarias abolere...... Oppressiones, quas plangimus, credimus sumpsisse exordium tempore Regis Henrici I. & præcipuè Regis Henrici Patris Henrici Junioris, quando voluit Articulos gravaminum, per consensum S. Thomæ Archiepiscopi, & cæterorum Pontificum Angliæ confirmari. Quibus quia noluit consentire, sustinuit exilium: & hujus occasione postea passionem. Si igitur Martyrem non facit pœna, sed causa, illiciti & damnabiles sunt articuli, quibus quia assentiri noluit, sustinuit agoniam: cujus injuria toties repetuntur, quoties Clerus vel Ecclesia contra Canones illos opprimitur, quos voluit observari.*

Matth. 10.

Leges Principum, Canonibus subjiciendæ.

ARTICULUS XXXIX.

De Concilio Turonensi.

ANno Christi millesimo ducentesimo octogesimo-secundo, Augusto mense, *Joannes* Turonensis Archiepiscopus in Metropoli sua Concilium celebravit, in quo tredecim condidit Canones. I. Contra vexatores. II. Contra eos qui ad rixas, vel ad lites incitant, in quos decernitur excommunicatio. III. Contra Clericos & Religiosos tabernas frequentantes. IV. Contra fures librorum & ornamentorum Ecclesiasticorum; aut qui ex libris hujusmodi folia sciderint, deleverint, corruperint, qui pariter excommunicantur. V. De Processionibus diebus Dominicis, aliisque, secundùm piam consuetudinem faciendis. VI. Usurarii secundùm Lugdunensis Concilii Decretum puniantur, & de omnium Fidelium terris penitus expellantur. VII. Ecclesiasticæ Jurisdictionis & libertatis perturbatores & oppressores in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, Collegialibus, & Parochialibus excommunicatos denunciari statuit. VIII. Eidem pœnæ subjicit eos, qui bis nominibus suspecti fuerint, nisi ad mandatum Episcopi se purgaverint. IX. Simili ferit anathemate eos qui comestores vel custodes in Religiosis domibus, vel in domibus Prælatorum, aliorùmque Virorum Ecclesiasticorum collocant. X. Seculares Magistratus, qui possessiones Ecclesiarum manucapere, Viris Ecclesiasticis auferre, vel in alios transferre præsumpserint ratione obligationum eorum ipsis factarum, excommunicationis sententia percellit. XI. Eadem censurâ plectit laïcos prohibentes subditis suis, ne cum Viris Ecclesiasticis, à quibus dissident, communionem in vita civili prorsus ullam ineant. XII. Eamdem pœnam infligit illis omnibus qui Viros Ecclesiasticos, aut Ecclesiarum Ministros impediunt ne decimas ad ipsos aut ad Ecclesias pertinentes colligant, percipiant, aut ad firmam tradant quibus voluerint. XIII. Statuta priorum Turonensis Provinciæ Conciliorum confirmat, & observari jubet.

Summa Canonum.

ARTICULUS XL.

De Concilio Ravennate.

Ravenna, Ravenne, Anglis, sive Romandiolæ caput, Sedes Archiepiscopalis.

ANno Christi millesimo ducentesimo octogesimo sexto, *Bonifacius* Archiepiscopus Ravennas Provinciale Concilium celebravit, in quo novem edita sunt Decreta. I. Statuit ut nullus Clericorum joculatores vel histriones à laïcis transmissos recipiat, seu provideat ipsis aliquid propter victum, etiam transeundo: alioquin duplum ejus quod istiusmodi hominibus dederit, Ecclesiæ restituere teneatur, in usus pauperum convertendum. II. Prælatos & Clericos ad erogandas eleemosynas adhortatur. Episcopis qui qualibet hebdomadis die quatuor pauperes semel refecerint; Abbatibus qui duos; Archidiaconis, Præpositis, Archipresbyteris, &c. qui unum, anni unius Indulgentiam impartitur. Eamdem gratiam illis concedit, qui novum indumentum; quadraginta verò dies illis qui vetus & detritum dederint. III. Mulctâ pecuniariâ damnat eos, qui arma portaverint, vel habitum, coronam, aut tonsuram statui suo minimè congruentem. IV. Statuit ut ad regimen Parochialium Ecclesiarum promoti, sacrum Presbyteratus Ordinem infra annum suscipere teneantur, sub periculo Beneficii. V. Ut quotidianarum distributionum illi sint dumtaxat participes, qui Horis Canonicis intersunt, pro rata suæ præsentiæ. VI. Lugdunensis Concilii Constitutionem, de usurariorum testamento, executioni mandari jubet. VII. In eos qui solvere decimas contemnunt, excommunicatio decernitur: utque contra contumaces qui solido mense excommunicationem sustinuerint, invocetur auxilium brachii secularis. VIII. Casus Episcopo in Ravenniate Provincia reservatos recenset. IX. Statuta Ecclesiæ libertati & consuetudini contraria abrogari jubet ac deleri, sub gravissimis pœnis Potestatibus infligendis. Statutorum & Consuetudinum hujusmodi conditores authoresque, & Potestates, Consules, & Rectores locorum, in quibus introductæ fuerint, editæ, vel servatæ, denuntiat excommunicatos.

Histriones.

Indulgentiæ alentibus aut vestientibus pauperes à Synodo concessa.

ARTICULUS XLI.

De Concilio Bituricensi.

EOdem anno, *Simon de Belloloco*, Bituricensis Archiepiscopus Provinciale Concilium celebravit, xv. Kalendas Octobris, in quo triginta quinque Capitulis Disciplina Ecclesiastica sancita est. I. Statuit ut causarum Matrimonialium Judices maturè & cum peritorum consilio in iis dirimendis procedant. II. Matrimonium clandestinè contrahentes, & cooperatores, & scienter præsentes, excommunicatione percellit. III. Statuit ut nemo causarum cognitiones extra loca suæ Jurisdictionis usurpet. IV. Ne Archidiaconi, Archipresbyteri, & alii Jurisdictionem Ecclesiasticam habentes, extra civitatem Officialem habeant. V. Ut Clerici ad regimen Parochialium Ecclesiarum præsentati fructibus non gaudeant, donec sacros Ordines susceperint. VI. Ut Clerici peregrini ad sacra Ministeria non admittantur, nisi ab Episcopo approbati. VII. Ut Clerici concubinas vel meretriculas in domibus habentes, Beneficiis Ecclesiasticis priventur. VIII. Ut filios illegitimos in domibus suis non alant. IX. In eos Beneficii privatio decernitur, qui anno solido in excommunicatione sorduerint. X. Ut excommunicati diebus Dominicis & festivis publicè à Parochis denuncientur. XI. Ut *Gregorii X.* & *Simonis* Apostolici Legati Constitutiones contra impedientes Jurisdictionem Ecclesiasticam legantur & populo diligenter exponantur, semel saltem quolibet mense. XII. Gregorianæ Constitutionis, *De Rescriptis* executionem imperat, latâ in transgressores excommunicationis sententiâ. XIII. Statutum Lateranensis Concilii de Confessione singulis annis facienda proprio Sacerdoti, vel alii de ejus licentia, jubet executioni mandari. XIV. Curatis præcipit ut Constitutionem *Innocentii III.* quæ incipit, *Omnis utriusque sexus*, & *Clementis IV.* Constitutionem: *Quidam temerè sentientes*: & *Martini IV. Ad uberes*, de FF. Prædicatorum & Minorum Privilegiis in audiendis confessionibus, vernaculo idiomate, nedum Latino, penes se habeant, & populo exponant. XV. Ut Parochi observent eos qui cum excommunicatis communicant, ipsósque priùs moneant; ac eorum deinde nomina Episcopis vel Officialibus per literas denuncient. XVI. Presbyteris ac Viris Religiosis prohibet, ne excommunicatos auctoritate ordinaria, præterquàm in articulo mortis absolvant, aut tradant Ecclesiasticæ sepulturæ, donec ab Ordinario defuncti obtenta fuerit licentia specialis, sub pœna excommunicationis. XVII. Eamdem pœnam decernit in

Summa Canonum.

Matrimonia clandestina.

Annuæ Confessionis præceptum.

eos,

eos, qui publicos usurarios, quos diris solemniter devoveri, & testamenti faciendi declarari jubet incapaces, Ecclesiastica sepultura donaverint. XVIII. Statuit ut Monachi singulares cameras extra dormitorium non habeant. XIX. Ut peculium non habeant, etiam de licentia Abbatis, quæ ipsis in hoc suffragari non potest. XX. Ut Prior mutuum ultra summam sexaginta solidorum non contrahat, absque Abbatis aut Superioris alterius licentiâ XXI. Ut arcæ, & quicquid profanæ supellectilis est, aut annonæ, ab Ecclesiis amoveantur. XXII. Ut in iis choreæ non ducantur. XXIII. Ne Monachi minores viginti annis in Prioratibus Conventualibus morentur, Censuris Ecclesiasticis intentatis prohibet. XXIV. Ne mulieres in domibus Regularium morentur. XXV. Ne decimæ, sine consensu Episcoporum à laïcis recipiantur, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. XXVI. Ut mortuis vel amotis Prioribus, Ecclesiarum vacantium bona non asportentur. XXVII. XXVIII. XXIX. & XXX. De testamentorum factione coram proprio Sacerdote; & executione à Prælatis curanda, decernunt. Illa supprimi vel occultari vetant: aut quicquam ex legatis in proprios usus ab executoribus converti, etiam titulo emptionis. XXXI. Statuit ut qui excommunicationem anno solido sustinuere, invocato secularium Potestatum auxilio, bonorum captione, & personarum, ad unitatem Ecclesiæ redire compellantur, & contra ipsos ut de fide suspectos agatur. XXXII. Ut Dominici dies, & Festa religiosè observentur, ab omni opere servili feriando. XXXIII. Ut Episcopi, & Officiales ipsorum aliique Ecclesiastici Judices, appellationibus deferant: sin minùs, aditu Ecclesiæ prohibeantur. XXXIV. Ut Officiales Archiepiscopi Jurisdictionem Suffraganeorum non impediant: alioqui eadem pœnâ plectontor. XXXV. Ut latam in perturbatores ac violatores Ecclesiasticæ Jurisdictionis Sententiam omnes Episcopi, & eorum Officiales executioni mandent, nulla prorsus appellationum habita ratione.

Monastica disciplina. Cameras extra dormitorium & peculium, Monachis habere non licet.

Testamenta.

Excommunicati in contumacia anno integro perseverantes quomodo tractandi?

ARTICULUS XLII.

De Concilio Herbipolensi.

Herbipolis, Wirtzbourg, in Franconia, Episcopatus sub Metropoli Moguntina.

ANno millesimo ducentesimo octogesimo-septimo, *Joannes* Tusculanus Episcopus, Sedis Apostolicæ in Germania Legatus, Nationale Concilium Herbipoli celebravit, cui Moguntinus, Coloniensis, Salizburgensis, & Viennensis Archipræsules, aliique Episcopi & Abbates ex istis Provinciis adfuere. Ecclesiastica Disciplina Capitulis quadraginta duobus sancita. Quinque priora statuunt de vita & honestate Clericorum: ipsis vestes immodestas, tabernarum aditum, ludos taxillorum, Panhenonum frequentationem, & ludos cum Monialibus in cameris, vel publicè, hastiludia & torneamenta, gravium interminatione pœnarum prohibent. Beneficiis ipso facto privatos denunciant, qui concubinas retinuerint. VI. Intrusos in Beneficia, excommunicatione, & restitutione fructuum mulctandos statuit. VII. Presbyteros coërcet qui nulla necessitate urgente, solius quæstus gratia, bis eadem die Missam celebrant. VIII. Sanctissimum Corpus Christi ad infirmos & ad mulieres vicinas partui veneratione congrua deferri jubet. IX. Alienationes & oppignerationes bonorum Ecclesiasticorum, exceptis casibus à Jure permissis, prohibet. X. Duas ab eodem teneri Vicarias vetat. XI. Ne ad Parochialium regimen Ecclesiarum promoveantur, qui annum ætatis vigesimum quintum non attigerint, secundùm Lugdunensis Concilii Canonem decimum-tertium. XII. Patronos monet ut personam idoneam, legitimæque ætatis, infra tempus à Jure statutum, ad Beneficia suæ præsentationis nominent; alioqui excommunicentur, & ea vice præsentandi jure priventur. XIII. Interdictum ab omnibus Clericis tam secularibus quàm Regularibus observari jubet; nisi Privilegio vel Indulto dispensentur. XIV. Beneficia de manu Laïci suscepta resignari præcipit in manu Episcopi, vel ejus ad quem collatio & institutio pertinet. Qui secus faxit, excommunicatione plectitur, & ad fructus restituendos damnatur. XV. Pro benedictionibus nubentium, & sepulturis aliquid exigi vetat, laudabiles consuetudines locorum & Ecclesiarum nihilominus observari statuens. XVI. Curatis mandat ut Capellarum Parochiis suis annexarum curam gerant, in iisque, si fieri possit, Vicarium instituant. XVII. Ut Abbates & Priores in Parochialibus Ecclesiis, quas obtinent, Vicarios idoneos instituant infra mensem, sub pœna absolutionis ab Officio, ipso facto incurrendâ. XVIII. & XIX. De vita & conversatione Monachorum & Monialium decernunt. XX. & XXI. Rerum Ecclesiasticarum invasores, & Laïcos Ecclesiastica Beneficia occupantes, excommunicatos denunciant. XXII. Advocatos Ecclesiarum juribus suis contentos esse jubet, Ecclesias ipsas, earúmque jura & personas tueri: alioqui à communione removeri. XXIII. *Gregorii X.* Constitutionem in fœneratores editam in Concilio Lugdunensi, executioni mandari statuit. XXIV. XXV. & XXVI. Eos omnes qui Clericis, multò magis qui Nuntiis Sedis Apostolicæ vim inferunt, ac injuriam: necnon eos qui vacantium Ecclesiarum, & morientium Clericorum bona usurpant ac diripiunt, excommunicatione percellunt. XXVII. Archiepiscopis & Episcopis jubet ut Diœceses suas annis singulis aut quolibet saltem biennio visitent, Sacramentum Confirmationis conferant; quæ corrigenda sunt, emendent. XXVIII. Eamdem pœnam in eos decernit, qui Ecclesias & domos earum, absque Prælatorum assensu, incastellant, seu propugnacula in iis erigunt. XXIX. Uxores vel matres pro maritorum aut filiorum debitis excommunicari vetat, nisi in mariti aut filii defunctorum bona successerint. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXV. XXXVI. XXXVII. XL. Excommunicatione feriunt raptores & prædones, eorúmque fautores; ementes & vendentes bona feudalia Ecclesiarum; eos qui propter debita vel obligationes privatorum, Ecclesiæ vel Capituli bona capiunt; qui bona Ecclesiarum propter Advocatorum inimicitias diripiunt, aut Ecclesias ipsas, villas, & loca earum devastant ac deprædantur: Laïcos item, qui fabricæ curandæ nomine, oblationes & proventus Ecclesiarum recipiunt, ac administrant sine Prælatorum seu Capitulorum assensu; illos etiam qui Jurisdictionem & Libertatem Ecclesiasticam impediunt ac perturbant: falsarios Pontificiorum Diplomatum, literarum, sigilli, vel monetarum, & eorum fautores: illos demum qui nova pedagia imponunt & exigunt, vel antiqua seu concessa augent. XXXIV. Reprobatos Apostolos, seu falsi nominis Monachos & vagos Scholares à quopiam recipi vetat, vel ipsis alimenta ministrari. XXXIX. Cavet ne Conservatores Monasteriorum à Sede Apostolica instituti, auctoritatis sibi demandatæ fines excurrant. XLI. Constitutiones superiores in omnibus Ecclesiis promulgari jubet, ad quas *Joannis* Tusculani Legatio pertinet. XLII. Indulta quævis Apostolica & Privilegia, quibus nonnullis tam Clericis quam secularibus concessum erat, ne

Summa Canonum.

De vita & honestate clericorum.

Pro nubentium benedictione & sepulturis nihil exigendum.

Diœcesis Visitatio ab Episcopo.

excommunicationis, suspensionis, vel interdicti vinculis constringi possent, à Summis Pontificibus *Alexandro IV.* & *Clemente IV.* revocata declarat. Excipiuntur Privilegia Regibus & Reginis, quantùm ad Regna sua tantùm, & Regnis ipsis, necnon Regum filiis & fratribus, ac eorum uxoribus, eorúmque omnium terris concessa.

** Rudolphum.*

Hujus Concilii meminit *Trithemius* in Chronico Hirsaugiensi, narratque, Legatum Apostolicum Romani Pontificis nomine contributionem decimi denarii à Clero, & Regem * ab universo Populo Imperii exegisse, multósque Principes eorum annuisse postulatis. At *Siffridum* Coloniensem, & *Henricum* Trevirorum, Archiepiscopos, contra insolitam gravémque nimis exactionem intercedentes, negotium abrupisse. Eadem *Ebehardus* commemorat in Annalibus ad annum MCCXC.

ARTICULUS XLIII.

De Concilio Insulano.

Insula, Villa Diœcesis Cavallicensis, de Cavaillon, in Provincia.

ANno MCCLXXXVI. *Rostagnus* Arelatensis Archiepiscopus Concilium *Insulæ* cum Suffraganeis suis celebravit, in quo duodeviginti Decreta edita sunt. I. Statuit ut excommunicati propter damnum illatum vel injuriam, non absolvantur donec satisfecerint. II. Ut nullus Ecclesiastico Beneficio absque causæ cognitione à Prælato spolietur. III. Ut circa Regulares nihil innovetur. IV. Ut pecuniæ, quas testator ad arbitrium executorum supremæ voluntatis suæ distribuendas legavit, in pias causas dividantur, de consilio & assensu Prælatorum. V. Ut Presbyteri Parochiales Baptismi ritum ac formam Parochianos suos doceant, quò parvulos urgente periculo baptizare possint. VI. Ut in Parochialibus Ecclesiis Vicarii saltem perpetui resideant. VII. Ut Festum Sanctissimæ Trinitatis, & Festum *S. Trophimi* solemni ritu per totam Provinciam celebrentur. VIII. Ut Parochiales Presbyteri testamentorum executionem quoad pia legata urgeant. IX. & X. Bonorum Ecclesiasticorum invasores coërcent. XI. Seculares Dominos & Magistratus, eorúmque Ministros, qui Clericum cœperint, nec jussi restituerint Episcopo vel ejus Officiali, cum omnibus ipsius bonis, excommunicatos denuntiari statuit. XII. Decreta de Judæis edita observari jubet. XIII. Bituricensis Concilii anno MCCLXXVI. Constitutionem de iis qui contra libertatem Ecclesiæ Statuta, Præcepta, prohibitiones & banna faciunt, promulgant, aut observant, sive observari curant, excommunicandis, innovat & confirmat. XIV. Eos qui toxica in mortem vel abortum dictant, vendunt, tradunt, aut ministrant; aut qui dantes vel ministrantes infra mensem Episcopo tanquam Judici non revelaverint, excommunicatos denunciat. Si per tres menses in excommunicatione Laïci manserint indurati, eorum liberis ad quartam usque generationem, aditus omnis ad Ecclesiastica Beneficia, & ad seculares etiam Dignitates sit interclusus. Clerici verò hujus criminis rei Beneficiis excidant, degradentur, Curiæ demum seculari tradantur. XV. Transferri triticum prohibet, donec decimatum fuerit. XVI. Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum immunitati & quieti providet adversùs exactiones Dominorum temporalium. XVII. Vetat ne in Baptismo, præter albam, munus aliquod detur. XVIII. Priorum Arelatensis Provinciæ Conciliorum Statuta observari præcipit.

Summa Canonum.

ARTICULUS. XLIV.

De Concilio Rotomagensi.

Rotomagus Normanniæ caput, urbe Archiepiscopali Sede, ac supremo Senatu insignis.

ANno Christi millesimo ducentesimo nonagesimo nono, Provinciale Concilium ab Archiepiscopo Rotomagensi & ejus Suffraganeis die Jovis post Octavas Pentecostes, in Ecclesia *B. Mariæ de Prato*, prope Rothomagum celebratum est, in quo septem Decreta edita sunt. Primum, de vita & honestate Clericorum. Alterum de religiosa Dominicæ diei & Festorum observantia, Placita his diebus haberi prohibet: *In quibus solum divinis est laudibus, non terrenis negotiis insistendum*, sub pœna excommunicationis. III. Simili Censura ferit Clericos, qui in factis personalibus, ac speciatim *Clamore de Haro*, se Justitiæ seculari subjiciunt. IV. Excommunicatos ipso facto denunciat Laïcos Judices, qui Clericos, vel Laïcos occasione factorum à Clericis commissorum, de factis personalibus ac delictis, atque speciatim in *Clamore de Haro*, ad tribunalia sua respondere compulerint. V. Spectat seculares Magistratus, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam impediunt ac perturbant, Judicibus Ecclesiasticis *cedulas inhibitorias dirigentes quæ Brevia nuncupantur, in casibus in quibus de sui naturâ Brevia nulla cadunt*. Ipsos *Bonifacii VIII.* Constitutione ipso facto excommunicatos denunciat. Judicibus Ecclesiasticis prohibet ne hujusmodi Brevia admittant, eisve pareant. Si Magistratus personarum aut bonorum captione Actorem vel Judicem compulerint, excommunicationi subduntur. VI. Statuit ut Episcopi FF. Prædicatoribus & Minoribus, aliisve Religiosis, potestatem absolvendi à casibus reservatis non committant, *nisi certis personis & notis duntaxat*; Utque *ipsa commissio ad casus, in quibus tenetur Catholicus quilibet confiteri semel in anno peccata sua proprio Sacerdoti, nullatenus extendatur, nisi ipsius Sacerdotis habita super hoc voluntate.* VII. Horum observantiam Statutorum omnibus imperat.

Summa Canonum.

Ecclesiastica Jurisdictio vindicatur.

Potestas absolvendi à casibus Reservatis, quibus ab Episcopo committenda, quave cautione?

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, pag. 766. & ad Articulum LXII. pag. 810 & 811. Religiosi Censores hanc notam appinxerunt: *Vide quæ dicis de Confessione Regularium* ... sibi non probari significantes, quæ de Confessione apud Regulares edita his locis dicuntur.

R. De Confessione apud Regulares edita nihil de meo dixi locis notatis. pag. 766 refero Summam Canonum Concilii Rotomagensis anno 1299. celebrati. *Sextus (inquam) statuit ut Episcopi Fratribus Prædicatoribus & Minoribus aliisve Religiosis, potestatem absolvendi à Casibus Reservatis non committant, nisi certis personis & notis duntaxat: Utque* IPSA COMMISSIO AD ACTUS IN QUIBUS TENETUR CATHOLICUS QUILIBET CONFITERI SEMEL IN ANNO PECCATA SUA PROPRIO SACERDOTI, NULLATENUS EXTENDATUR NISI IPSIUS SACERDOTIS HABITA SUPER HOC VOLUNTATE Pag 810. Concilii Vaurensis Canones recensens, hæc tantùm habeo de Confessione apud Regulares: *Sexagesimus-sextus Decretalem Bonifacii VIII.* SUPER CATHEDRAM, *à Clemente V. in Concilio Viennensi confirmatam observari jubet. Religiosos Viros istius constitutionis transgressores ab audientia Confessionum & Prædicatione verbi Dei excludit.* Pag 811. nihil de Confessione apud regulares facta, sed de Missæ Parochialis auditione hæc habentur: Vaurensis ejusdem Concilii *Canon octogesimus-quartus statuit ut Parochiani diebus Dominicis & Festivis ad Parochialem Ecclesiam suam concurrant Missas integras audituri; si duabus Dominicis continuis defuerint, commoneantur, illisque Excommunicatio intentetur. Id scilicet necessarium duxere Patres*, UT HONOR DEBITUS PAROCHIALIBUS ECCLESIIS OBSERVETUR, ET ANIMARUM PERICULIS OBVIETUR.

VIETUR. Priora verba characteribus Italicis edita canonis Vaurensis sensum exprimunt, posteriora characteribus majusculis exarata, ipsa Canonis verba sunt. Hæc displicere non possunt nisi hominibus Ecclesiasticæ Disciplinæ imperitis, Hierarchiæ infensis, suis præjudiciis adversus Parochialium Ecclesiarum & Parochorum jura occupatis. Quod de Religiosis Censoribus cum sentire nolim, hæc ab iis attento animo lecta & considerata non existimo.

ARTICULUS XLV.

De Conciliis Auscitanis, & Nugariolensibus.

Auscorum Augusta, Auch, urbs Novempopulaniæ, Archiepiscopatu insignis.

ANno Christi millesimo trecentesimo, Concilium Auscitanæ Provinciæ celebratum est, quo loco, incertum. Tredecim edita Decreta. I. Contra impedientes electionem, postulationem, Provisionem Canonicam Beneficiorum, Dignitatum, administrationum Ecclesiasticarum, excommunicationem jaculatur. Clericos hujus criminis reos privat insuper omnibus Ecclesiasticis Beneficiis: Laïcorum familiis, Sacris interdicit, eorúmque nepotes ad quartam usque generationem Beneficiorum Ecclesiasticorum possessione prohibet. II. & III. Episcopos, Abbates, Capitula, & Viros quoscumque Ecclesiasticos, vacantium Ecclesiarum bona occupantes, ab Officiis & Beneficiis suspendit, donec restituerint. IV. & V. Intrusos in Beneficia ab eorum possessione spéque impetrandorum dejicit. VI. Patronos ad Beneficia suæ nominationis prævio pacto præsentantes, excommunicatos denunciat, & jure præsentandi illa vice privatos: Sic vero scientes & consentientes, ad Beneficium quodvis præsentatos Ecclesiasticū, inhabiles declarat.

Concilium Auscitanum 1300.

Summa Capitum.

Portio congrua Curatorum.

VII. Rectoribus Ecclesiarum congruam portionem assignari jubet. VIII. Excommunicatione percellit eos, qui Beneficii Curati pacificam possessionem impediunt. IX. Septennium duntaxat ad studia semel in vita uni & eidem personæ in uno vel pluribus Beneficiis institutæ concedit. X. Parochialem Ecclesiam illi conferri vetat, qui non vult ad Sacerdotium promoveri. XI. Plura Beneficia curam animarum habentia prohibet ab uno possideri. XII. Infantes, conjugatos, illiteratos, & alienæ Diœceseos homines, ordinari vetat, absque licentia Episcopi è cujus sunt Diœcesi. XIII. Beneficium, cui annexa animarum cura est, minori viginti quinque annis nemini conferri præcipit.

Beneficia quibus conferenda?

Concilium Nugariolense. Nugarolium Nogaro, oppidum tractus Armaniacensis, Armagnac, in Diœcesi Auscensi.

II. Anno Christi millesimo trecentesimo tertio, die Luna post festum *S. Andreæ* Apostoli, *Amaneus* Auscitanus Archiepiscopus Provinciale Concilium Nugaroli celebravit, in quo Decreta undeviginti edita sunt. I. & II. Clericos peregrinos, absque suorum Episcoporum commendatitiis literis ad Divina prohibet admitti. Admissos & admittentes excommunicationis vinculo constringit. III. Laïcis sub pœna Excommunicationis, Clericis & Religiosis sub pœna Interdicti vetat, ne Prælatos, Judices, Inquisitores, & Visitatores, in Officiorum suorum executione perturbent. IV. Eos excommunicatos denunciat, qui nunciis vel executoribus ab Episcopo missis vim intulerint. V. Eamdem ferri sententiam in Dominos & Judices temporales, qui causarum ad forum Ecclesiæ spectantium cognitionem usurpant, ac de Censuris judicare præsumunt, *an justè lata sint vel injustè.* VI. Sub eadem pœna prohibet ne ad Ecclesiarum tutelam confugientibus vis inferatur. VII. Perjuros denunciat excommunicatos, intestabiles, & infames. VIII. Laïcos *in Ecclesiis* sepeliri vetat *sine licentia Prælati & Rectoris,* quamvis olim sepulturas haberent, sub pœna excommunicationis. IX. Defunctorum corpora, qui *extra Parochialem Ecclesiam* sepulturam elegerunt, *Matrici Ecclesiæ* solemniter præsentari statuit, eique funeralia jura persolvi. Quod Statutum qui violaverint Ecclesiastico subjaceant Interdicto.

Ecclesiastica jurisdictio.

In sepulturis.

Decimarum detentores.

X. Decimarum usurpatores ac detentores, ante ipsarum restitutionem, eorúmque filios, uxores, & familias; Christianâ sepultura privandos: eorum filios usque ad quartam generationem inclusivè, ab Ordinibus, Tonsura Clericali, & Beneficiis arcendos edicit. XI. Archidiacono & illius hominibus prohibet, ne in Visitationum decursu aliquid muneris à quopiam recipiant: alioqui Archidiaconus ab Officio sit suspensus, ejus homines ipso facto fiant excommunicati: hi & ille ad restitutionem dupli Ecclesiæ vel Rectori à quo acceperint, teneantur. XII. Ecclesiam nondum consecratam, si sanguinis effusione violenta, aut seminis, vel excommunicatorum aut interdictorum sepulturâ polluatur, à solo Episcopo aspersione aquæ lustralis benedicendam statuit. XIII. Causas seculares, maximè sanguinis, in Ecclesiis aut Cœmeteriis agitari vetat; sub pœna excommunicationis & nullitatis Sententiarum. XIV. & XV. Excommunicatos denuntiant omnes concubinarios, usurarios, adulteros manifestos; necnon creditores, qui instrumentum solutii debiti detinent; nisi infra quindecim dies, si commodè fieri possit, ipsum restituerint debitori, aut ipsum cancellaverint ac fregerint. XVI. Loca omnia in quibus res Ecclesiis aut Viris Ecclesiasticis per vim ereptæ, aut Clericis repugnantibus Prælatis detinentur, Interdicto subjicit. XVII. Seculares Magistratus, Consules, Barones, qui reclusos Leprosos vectigalibus onerant, excommunicatione ferit. XVIII. Eamdem pœnam in eos decernit, qui personas Ecclesiasticas vel earum bona pro aliis obligant. XIX. Idem anathema vibrat in eos qui bona in ædibus sacris deposita occupaverint.

Ecclesiâ pollutæ reconciliatio.

Aliud Concilium Auscitanum, 1308.

III. Aliud Concilium Nugarolii celebratum est anno MCCCXV. in quo quinque Decreta sunt edita. Tertium statuit ne ultimo supplicio damnatis Pœnitentiæ Sacramentum denegetur.

IV. Anno millesimo trecentesimo octavo, *Amaneus* Auscitanus Archipræsul, Concilium in Metropoli sua celebravit IV. Kal. Decembris, in quo sex edita Decreta, de Juribus Ecclesiæ pro virili defendendis, de celebratione Missarum, de usuris, de Monachis. Vetitum inter alia, ne Abbates Regulares bona ipsis ac eorum Monachis communia ullatenus dividant: & ne Monachis, præsertim ex Ordine Mendicantium ad alios Ordines transeuntibus, pensiones in pecuniis, tritico aut aliis rebus stantes assignentur.

ARTICULUS XLVI.

De Conciliis Compendiensibus.

Compendium, Compiegne, urbs insulæ Franciæ, in Diœcesi Suessionensi.

ANno Christi millesimo trecentesimo primo, Novembri mense, Remensis Provinciæ Concilium Compendii celebratum est, in quo septem edita Decreta. Primum & secundum statuunt, ut ubicumque à Laïco Magistratu Clericus captus fuerit & detentus, Sacrorum justitium servetur, donec Episcopo vel ejus Officiali repetentibus fuerit restitutus. III. Ne Laïci Judices mulctas pro Clericorum criminibus exigant; sub pœna excommunicationis. IV. & V. Fulminant etiam in seculares Magistratus, prohibentes ne laïci in foro Ecclesiastico conveniantur, in causis in quibus de jure aut consuetudine ibidem conveniri possent. VI. Similem censuram vibrat in Abbates, qui in Episcopos conspiraverint, seu contra Jurisdictionem Episcopalem

Ecclesiastica jurisdictio vindicatur.

palem de mutua defensione fœdus inierint. VII. Statuit ut qui solido biennio excommunicationem indurato animo sustinuerint, ad proximum Concilium tanquam suspecti de hæresi vocentur, & in eos ex juris præscripto agatur.

II. Anno millesimo trecentesimo quinto, Januario ineunte, sive 1304. secundùm supputationem Gallicam (Tunc enim in Galliis à Paschate duntaxat annus inchoabatur) *Robertus de Courtenay* Remensis Archiepiscopus Provinciale Concilium Compendii celebravit, in quo decretum est, I. Ut qui nominatim excommunicatos & interdictos ad Divina vel ad Ecclesiasticam sepulturam admittunt, aut celebrationi Sacrorum coram hujusmodi bannitubus ab Ecclesia proscriptis interesse præsumunt: Item eos qui Matrimonia clandestina contrahunt, procurant, aut præsentiâ suâ cohonestant, ipso facto sint excommunicati. II. Eadem censurâ configit laïcos Magistratus, qui vectigalia Clericis imponunt, & tallias atque collectas ab iis exigunt eo nomine quòd mercaturam faciant, quod tamen probare nolunt in foro Ecclesiastico, sed judicis & actoris officio functi, bona ipsorum mobilia capiunt, vendunt, distrahunt. III. Excommunicatos qui solido biennio claves contempserint Ecclesiæ, prohibet Ecclesiasticâ sepulturâ, nisi saltem in extremis pœnitentiam exegerint, & satisfecerint. IV. Excommunicatis hujusmodi contumacibus, qui ad Synodum vocati, non comparuere, ac propterea de hæresi vehementer suspectis, Canonica purgatio indicitur. V. Viros singulos Ecclesiasticos jusculo & duobus ferculis sine fraude in conviviis contentos esse jubet, nisi supervenient Magnates.

Matrimonia clandestina.

Clericorum immunitas.

Clericorum Mensa frugalis.

ARTICULUS XLVII.

De Concilio Coloniensi.

ANno Christi millesimo trecentesimo decimo, *Henricus* Archiepiscopus Coloniensis Provinciale Concilium in Metropoli sua celebravit, in quo duodetriginta Decreta edita sunt. I. Statuta, pacta, & ordinationes contra libertatem Ecclesiæ aut personarum Ecclesiasticarum facta vel factas damnat, reprobat, rescindit, jubétque ab authoribus revocari, sub pœna excommunicationis. II. Pœnas decernit in eos qui manus violentas Clericis inferunt. III. Vectigalia, & quasvis exactiones Ecclesiis imponi vetat à laicis ratione Advocatiarum, quas in bona Ecclesiastica habent, vel quovis alio nomine. IV. & V. Decreta *Engilberti* Coloniensis quondam Archiepiscopi contra invasores & detentores rerum Ecclesiasticarum innovant & confirmant, ipsósque latâ excommunicationis sententiâ ad restitutionem compelli statuunt. VI. *Siffridi* Coloniensis quondam Archiepiscopi Statuta, de vita & honestate Clericorum, executioni mandari præcipit. VII. Vicariis permittit lectiones & versus in Matutinis canere ad supplendam Canonicorum negligentiam, in iis Ecclesiis in quibus Missas majores sive solemnes in Altari præcipuo sua hebdomada celebrant. IX. In Clericos concubinarios & Sanctimonialium constupratores pœnas decernit. X. Pœnitentias publicas vel emendas Clericis imponi vetat, quibus infames reddantur. XI. Statuit ut Epistolas & Evangelia non legant, nisi qui in sacris Ordinibus sunt constituti, & sacras vestes induti. XII. Ut nullus Parochialem Ecclesiam regendam suscipiat, susceptámque teneat, nisi ab Episcopo vel Archidiacono, aut eorum vices gerentibus sit institutus, sub pœna excommunicationis: *Cùm alias non habeat claves ligandi vel solvendi* XIII. Ut ii quibus collata sunt Beneficia, se ad Ordines, quos illa postulant, curent promoveri: alioqui fructibus, immo Beneficiis ipsis priventur. XIV. Ut Canonicorum, qui suspensi obierunt, anni gratiæ, fructúsque, ipsorum Successoribus non cedant, sed Ecclesiis. XV. Ut Clerici concubinis suis vel spuriis fructus Beneficiorum suorum non legent vel donent; alioqui careant Ecclesiasticâ sepulturâ, & legata irrita sint. XVI. Ut Campanarii semper assumantur literati, qui respondere Presbytero valeant, & in albis ministrent. XVII. Ut Decani & Plebani locorum, libros & ornamenta Ecclesiæ examinent, & quod defuerit, intra mensem à Conservatoribus Ecclesiæ & Parochianis suppleri faciant. XVIII. Ut fructus Canonicorum suspensorum Capitula sibi vindicent ad communes usus, non singulares è Capitulis personæ. XIX. Ut Ecclesiæ vel Cœmeteria non consecrentur, nisi assignata dote, de qua certior fiat Episcopus. XX. Ut Parochiani à suis duntaxat Plebanis Communionem recipiant, alioqui ab Eucharistia abstineant; quousque satisfecerint ipsis de contemptu. XXI. Prohibet ne in Ecclesiis imprecationes fiant, aut contra personas aliquas, *Media vita*, canatur, nisi cùm permiserit Episcopus. XXII. Ne quis Matrimoniis clandestinis intersit, útque de Matrimoniis contrahendis proclamationes fiant, sub pœna excommunicationis. XXIII. Ut annus deinceps à Nativitate Domini inchoetur, secundùm morem Ecclesiæ Romanæ, *quæ est omnium Ecclesiarum caput & magistra.* XXIV. Tabellionibus seu Notariis Publicis præcipit, ut Appellationum, Protestationum, aliorúmve Instrumentorum publicorum apographum dent Judicibus à quibus appellatur, sub pœna excommunicationis XXV. Statutum *Siffridi* Coloniensis olim Archiepiscopi, de Sacramentis, accuratè observari jubet. XXVI. Vetat ne ratione Cathedratici vel Synodatici non soluti Chrisma vel Oleum sacrum Plebanis negetur. XXVII. & XXVIII. *Conradi* Coloniensis Archiepiscopi Statuta de reformatione Monachorum Benedictinorum confirmant & observari jubent. Monachos & Moniales ad resignandum peculium intra mensem, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, compellunt. Perpetuam clausuram Monialibus indicunt, ita ut ad eas aditus non pateat, nisi de illius licentia ad quem pertinet, secundùm Constitutionem *Bonifacii VIII.* quæ incipit: *Periculoso.*

Summa canonum.

Curatorum institutio nisi ab Episcopo facta, non est canonica.

Communio [illegible]

Matrimonia clandestina.

Anni initium.

Peculium Monachis & Monialibus sub pœna excommunicationis prohibitum.

Clausura Monialium.

ARTICULUS XLVIII.

De Conciliis Ravennatibus II. III. & IV.

I. ANno Christi millesimo trecentesimo undecimo, *Raynaldus* Archiepiscopus Ravennas Provinciale Concilium celebravit Junio mense, in quo triginta duo Decreta edita sunt I. Statutum est ut vacantibus Ecclesiis preces ad Deum fundantur pro celeri earum Ordinatione, donec electio fuerit celebrata. II. Ut defunctorum Episcoporum solemnes exequiæ celebrentur, quilibet Episcopus pro Episcopo Comprovinciali triginta Missas continuis diebus triginta celebret, & die qualibet tres pauperes alat. III. Ut quotannis Anniversarium solemne pro defunctis totius Provinciæ Coëpiscopis celebretur. IV. Ut idem pietatis officium pro Patronis & Benefactoribus Ecclesiarum persolvatur. V. Ut incertæ Reliquiæ sub Altaribus recondantur, fidelium venerationi non exponantur.

Summa Canonum Concilii Ravennatis 1311.

ponantur. VI. Ut omnia Sacramenta à jejunis, quantum possibile fuerit, & gratis conferantur. VII. Ut Corpus Christi, Chrisma & Oleum sacrum diligenter recondita serventur. VIII. De ornamentis & libris Ecclesiarum curandis statuit. IX. Ut Sacerdotes unam duntaxat Missam diebus singulis celebrent, exceptis casibus à Jure permissis. Utque omnes & singuli fideles, diebus saltem Dominicis in Ecclesia sua Parochiali Missam integram audiant, qui contra fecerit, tertiò admonitus, excommunicetur. X. Ut Festa & Vigiliæ singulis diebus Dominicis à Parochialibus Presbyteris denuntientur. XI. Ut forma Baptismi ter in anno publicè in Ecclesiis recitetur, & fidelibus inculcetur. XII. Ne in Ecclesiis fiant mercata, tractatus & Judicia de rebus temporalibus. XIII. Admitti vetat ad prædicationis Officium, nisi qui trigesimum saltem annum attigent, cujuscunque sit Ordinis: quia ad sacri illius muneris functionem *exigitur industria personarum pollentium ætate, gravitate morum, vitæ sanctitate, scientia & sermone.* Vetat etiam ne Quæstuarii ad istud officium recipiantur. XIV. Abbates & Priores Ordinis Benedictini & Canonicorum Regularium, non exemptos, annis singulis ad Capitulum Provinciale convenire jubet, ubi de Regulari observantia tractent ac statuant. XV. Canonem, *Omnis utriusque sexus,* executioni mandari præcipit. XVI. Cavet ne Beneficia Ecclesiastica illiteratis conferantur, sed iis qui sciant saltem legere & cantare. XVII. Ut omnes ejusdem Ordinis Monachi sint in Divinis Officiis uniformes. XVIII. Ut Episcopi singulis annis Synodos celebrent. XIX. Ut absque solemnibus denuntiationibus, nec temporibus ab Ecclesia interdictis, Matrimonia celebrentur. XX. Intrusos in Beneficia excommunicatione percellit, & spe prorsus omni promotionis dejicit. XXI. Clericos seculares vel Religiosos Prælatis suis rebelles, ab Officio & Beneficio suspendit. XXII. Statuit ut Monachi apostatæ in Ecclesiis secularibus vel Regularibus ad Beneficia & Officia non admittantur. XXIII. Ut Judæi signum gerant quo à Christianis possint discerni. XXIV. Ne quis Episcopus in aliena Diœcesi Jurisdictionem exerceat, aut Pontificalibus utatur, nisi de licentia Ordinarii. Ne Clerici seculares vel regulares, exceptis Ordinum Mendicantium Fratribus, aliisque Privilegiatis, ad Ordines promoveantur sine licentia vel literis Episcopi sui Diœcesani. XXV. Hospitalium Rectores institui vetat, nisi sint religiosi & sine uxore, & se ad serviendum ibi perpetuò pauperibus obstringant. XXVI. Pœnas decernit in eos qui Episcopis & Clericis manus violentas inferunt, vel ipsos ex Ecclesiis suis ejiciunt. XXVII. Decernit ut blasphemantes in Deum, Beatam Virginem, & Sanctos, per mensem ab Ecclesiæ liminibus arceantur; & si pluries correpti non resipuerint, Ecclesiastica sepultura priventur. XXVIII. Ut qui Censuras Ecclesiasticas per annum animo indurato sustinent, etiamsi ante obitum absolutionis beneficium prævia satisfactione impetraverint, Ecclesiastica sepultura priventur. XXIX. Adulteros Episcopo denunciari, & Censuris ad expellendas adulteras compelli jubet. XXX. Statuit ut eleemosynæ generales fiant ab Episcopis, Capitulis, & Monasteriis quorum sufficientes sunt reditus, & ut Episcopi quotidie pauperes aliquos alant; quia *Bona Ecclesiarum sunt pauperum.* XXXI. Ut Notarii qui testamenta vel schedulas ad pias causas scripserint, earum apographum Episcopo vel ejus Vicario infra mensem tradant, sub pœna excommunicationis. Et nisi executores post annum officio suo functi fuerint, executio ad Episcopum devoluta sit. XXXII. Ut Episcopi Notariorum & Sigilliferorum suorum stipendia moderentur.

Missæ Parochialis auditio Dominicis diebus.

De Concionatorum ætate, & qualitatibus.

Promotio ad Ordines. Literæ dimissoriæ.

Blasphemantium pœnæ.

Ecclesiasticarum Censurarum contemptores obdurati.

Eleemosyna Ecclesiastica.

Testamenta.

II. Idem Archipræsul *Raynaldus* Concilium alterum Provinciale celebravit Argentæ, quod Ravennatis Diœceseos Castrum est, anno Christi millesimo trecentesimo decimo-quarto, die x. Octobris, in quo Decreta xx. edita sunt. Statutum i. Ut ii duntaxat qui in Sacris Ordinibus sunt constituti, Canonici in Capitulo vocem habeant. ii. Ut nullus ante vigesimum quintum ætatis annum Sacerdos, ante vigesimum Diaconus, ante decimum sextum Subdiaconus ordinetur. iii. Ut peregrini & ignoti Episcopi non consecrentur; nec etiam noti, nisi de licentia Archiepiscopi, & Comprovincialium assensu, secundùm Canones & consuetudinem. iv. Ne Exempti peregrinos vel ignotos Episcopos, & populum non habentes, invitent vel admittant ad Ordinationes celebrandas, vel Pontificalia exercenda in suis Ecclesiis, Monasteriis, aut locis. v. Ut Legati, Delegati, & Nuntii Sedis Apostolicæ, legationis, delegationis, ac potestatis suæ fidem faciant Ordinario, ejusque transsumptum postulanti exhibeant. Legati à Latere excepti sunto. Excipiuntur & illi qui ad privatas quasdam causas delegantur, quos parti Jurisdictionem suam significare satis est. vi. Ut Episcopis honor exhibeatur & reverentia, pulsentur campanæ, cùm per civitates & Diœceses transeunt; in Pontificalibus celebrare possint per totam Provinciam Ravennatem, in locis ubi moram ultra decem dies non traxerint. Prælatis rebelles suspensione mulctentur. vii. Ut Notarii instrumenta personis Ecclesiasticis rogantibus confecta illis tradant, sub pœna excommunicationis. viii. Vetat ne ulli Religiosi vel seculares Prælatis visitantibus aut visitare volentibus repugnent, cujusvis præscriptionis vel desuetudinis ratione, sub pœna Excommunicationis, & Interdicti Ecclesiarum. ix. Ut excommunicati appellantes, & appellationem prosequi negligentes, si Divinis se ingerant, omnibus Beneficiis priventur. x. Statuit de vita, honestate, & vestibus Clericorum. xi. Ut virorum nemo ad Monasteria Virginum accedat absque licentiâ Episcopi: alioqui secularis viginti solidis mulctetur, quos si non solverit infra mensem ipso facto sit excommunicatus: Religiosus verò per mensem bis in hebdomade jejunet in pane & aqua: quâ pœnitentiâ nisi functus fuerit, sit pariter excommunicatus. xii. Ut qui ad Beneficia promoventur, Sacros Ordines tempore statuto suscipiant: alioqui Beneficiis priventur. xiii. Ut Presbyter infra tres menses ab Ordinatione sua primam Missam celebrare teneatur, & deinde quò frequentiùs poterit, aut saltem semel in anno, Sacrum facere; alioqui Beneficiis omnibus privetur, si secularis est; Religiosus verò voce activâ & passivâ, ultimùmque locum teneat in Choro, & Refectorio. xiv. Ut Parochiales Sacerdotes formam Baptismi populum suum doceant. xv. Ut Confessio quæ fit in Introitu Missæ, *Confiteor Deo*, &c. sub eadem verborum formula in omnibus Provinciæ Ravennatis Ecclesiis recitetur. xvi. Ut Conciliorum Provincialium celebrationi triduanum jejunium, orationes, & eleemosynæ præmittantur. xvii. Pœnas decernit in bonorum Ecclesiasticorum invasores. xviii. Decernit excommunicationem in Clericos tum seculares cum Regulares, qui Beneficia vel Officia ad mensam alicujus Episcopi, Monasterii, Capituli, vel Ecclesiæ pertinentia detinuerint vel occupaverint. xix. Prohibet ne pro causis merè pecuniariis Sententiæ Interdicti ferantur. xx. Indulgentiarum quarumdam concessionem revocat.

III. Anno millesimo trecentesimo decimo-septimo, idem Archipræsul *Rainaldus.* iv. Ravennatis Provinciæ Concilium habuit Bononiæ, in quo viginti

Summa Decretorum Concilii Argentensis in Diœcesi Ravennate, anno 1314.

De sacris Ordinationibus.

Pœna Clericorum & monachorum accedentium ad parthenones sine licentia Episcopi.

Pœna Presbyterorum Missam non celebrantium.

quatuor Decreta edita sunt de iisdem penè Disciplinæ Capitibus, de quibus in superioribus Conciliis actum est. Singulare quid imperat quintum Statutum, ne scilicet aliqui recipiantur vel instituantur Canonici alicujus Cathedralis vel Collegiatæ Ecclesiæ, vel Monachi alicujus Cœnobii, vel Canonici Regulares, sine licentia Episcopi. Monachos exemptos non spectat hoc Statutum.

ARTICULUS XLIX.

De Concilio Vallisoletano.

Vallisoletum, Valladolid, urbs Castellæ veteris, Episcopatus sub Toletana Metropoli.

ANno Christi millesimo trecentesimo vigesimo-quarto, *Guillelmus* Sabinensis Episcopus, Sedis Apostolicæ in Hispania Legatus, Nationale Concilium Augusto mense celebravit Vallisoleti, in quo viginti septem Statuta promulgavit. I. Ut quovis biennio Synodi Provinciales, annis singulis Diœcesanæ celebrentur. II. Ut Curati Parochianos suos necessaria ad salutem edoceant. III. Seculares Judices qui Clericos ad tribunalia sua de rebus suis & causis Ecclesiastici fori litigare compulerint, excommunicatos denuntiat. IV. Feriationem à servilibus operis diebus Dominicis & festivis præcipit, sub pœna excommunicationis: à qua excipiuntur qui *urgente necessitate, vel evidenti pietatis causa, & tunc de speciali licentia Sacerdotis*, laborant. V. Falsos testes, Advocatos, mediatores, & omnes qui ad falsum testimonium ipsos inducunt, excommunicatione ferit, donec pro damnis illatis satisfecerint. VI. & VII. Agunt de vita & honestate Clericorum. VIII. Canonicos suis Episcopis personaliter assistentes, à Beneficiis suis absentes censeri non debere declarat, ideóque nec Præbendarum suarum fructibus privandos. IX. Ut Ecclesiæ non dividantur, sed una conferatur uni, congruâ portione ad vitam honestè sustentandam, & ad ferenda Curæ onera ipsi assignata. Ut tot Clerici in Ecclesiis ordinentur, quot de proventibus earum sustentari possunt, ne Clerici multitudine suâ vilescant, & mendicare cogantur. Ut clandestinæ & fraudulentæ Beneficiorum collationes irritæ sint. X. Parochias certis finibus ab Episcopis circumscribi statuit, quos transilire non liceat Curatis, alienos Parochianos recipiendo: aut Parochianis, alteri Parochiæ se subjiciendo: alioqui & se transferens & recipiens, excommunicationem incurrant. XI. Religiosos, qui Prælatos aut Rectores debitis decimis animalium aut novalium fraudaverint, excommunicari jubet. XII. De Monastica Disciplina statuit. XIII. De hospitalitate ab Ecclesiarum Rectoribus exercenda erga Religiosos pauperes, & peregrinos. XIV. De Jure Patronatus. Vetat ne Patroni cuiquam ad Ecclesias nondum vacantes literas Præsentationis concedant, ne pueros vel alios intrudant, ne reditus Beneficiorum usurpent, sub pœna excommunicationis. Ne pluribus Clericis ad idem Beneficium præsentans, pendente lite de Jure Patronatus, unus ex alterius cessione sibi facta ullum omnino jus acquirat. XV. Ut Episcopi singulis annis Chrisma consecrent, & omnes Ecclesiarum Rectores, & Religiosi, etiam exempti, novum Chrisma postulent, nec veteri utantur. XVI. Ut qui Quadragesimali tempestate, vel quatuor Temporum Jejuniis carnes comederint, exceptâ causâ infirmitatis, vel qui publicè vendiderint, ipso facto sint excommunicati. XVII. Ecclesiarum immunitati consulit, ac debitam sacris locis reverentiam promovet, causas disceptari, aut nundinas in iis fieri prohibens. XIX. Concilii Viennensis Statutum, quo in contrahentes Matrimonia in gradu prohibito lata excommunicationis Sententia est, promulgari jubet. XX. Ab Episcopis aut eorum Ministris aliquid recipi vetat pro Ordinibus collatis, vel conferendis, vel licentia aut literis ad eorum susceptionem necessariis: alioqui Prælatus cujus mandato vel consensu aliquid receptum est, à collatione Ordinum, Archidiaconus aut alius Jurisdictionem habens à perceptione fructuum sui Beneficii sit suspensus, donec duplum ejus quod receperint, restituant, partem Clerico, partem Fabricæ Cathedralis Ecclesiæ applicandam. XXI. Statuit de Magistris in civitatibus, & aliis locis insignibus instituendis; utque Clerici studiis incumbentes, fructus Beneficiorum suorum ad triennium usque percipiant, vel diutius, si Prælatis & Capitulis id conducibile videatur. XXII. Multa de Judæis & Saracenis decreta complectitur. XXIII. Conjugatos qui concubinas palam fovent, & quoslibet qui concubinam habent infidelem, excommunicatione percellit. XXIV. Raptores Christianorum hominum, quos Saracenis vendunt, necnon invasores ac detentores Ecclesiarum, decimarum, & bonorum Ecclesiasticorum, excommunicatos denunciari statuit. XXV. Sortilegos, maleficos, incantatores, ariolos consuli vetat sub pœna excommunicationis; & ne quis auguriis attendat. XXVI. Canonicam purgationem indici prohibet, nisi in casibus à Jure præscriptis. XXVII. Purgationem per ferrum candens, aut aquam ferventem, sub eadem pœna prohibet. XXVIII. Canonem, *Omnis utriusque sexus*, maximè quoad pœnas non confitentium, aut non communicantium, præcipit executioni mandari.

Summa Canonum.

Dominicæ dies sanctificatio.

Providendū ne Clerici multitudine sua vilescant & mendicare cogantur.

Solutio decimarum.

Quadragesimalis & quatuor Temporum abstinentia.

Simoniacorū pœna, & restitutio.

Clericorum studium.

Superstitiones damnatæ.

ARTICULUS L.

De Conciliis Senonensi & Parisiensi.

ANno Christi millesimo trecentesimo vigesimo, *Guillelmus de Meloduno*, Senonensis Archiepiscopus, die Jovis post Pentecosten Provinciale Concilium in Metropoli sua celebravit, in quo decretum est. I. Ut quilibet Episcopus plebem sibi commissam hortetur ad jejunandum in Vigilia Festi Corporis Christi: jejunantibus, veréque pœnitentibus & confessis quadraginta dierum Indulgentiam concedit Synodus. Jejunium istud non modò suadet, sed præcipit Synodus altera Provincialis Parisiis celebrata anno MCCCXXIII. II. In locis omnibus in quibus Clericum à Judice Laïco detineri contigerit, Sacrorum justitium indicitur. III. Ut Viri Religiosi & Moniales cùm per annum & diem religiosam vestem deferentes in Monasteriis manserint, Professionem emittere compellantur. IV. Caligas peregrini coloris, & inhonestas, comam, barbámque prolixam Clericis prohibet. Parisiense Concilium anno millesimo trecentesimo vigesimo tertio ab eodem Archipræsule Senonensi & ejus Suffraganeis Parisiis celebratum eadem statuit, & iisdem fere verbis.

Jejunium in Vigilia Festi Corporis Christi.

Monastica professio.

ARTICULUS LI.

De Concilio Toletano.

ANno Christi millesimo ducentesimo vigesimo-quarto, die XXI. Novembris, *Joannes* Toletanus Archiepiscopus, Hispaniæ Primas, Provinciale Concilium in Metropoli sua celebravit, in

in quo octo Decreta edita sunt. I. Ut Episcopi vocati ad Concilium veniant, nisi legitimo impedimento præpediri. II. De honestate & vestibus Clericorum decernit. III. Vetat ne Clerici fructus Capellaniarum seu Beneficiorum, quæ ex devotione fidelium in eorum instituuntur Ecclesiis, inter se dividant, aut propria sibi vendicent auctoritate, sub pœna suspensionis. IV. Ne quis Beneficium Curatum administret, donec in eo fuerit ab Episcopo institutus. V. Ut Clerici bona Ecclesiæ filiis suis non donent vel relinquant. VI. Ne Presbyteri pro Missis celebrandis pecuniam exigant, sed quod oblatum ex caritate fuerit, absque pacto & conventione grato animo accipiant. Qui contrarium fecerit, à celebratione Missarum per annum sit suspensus, & aliàs ad arbitrium Episcopi plectatur. VII. Ut nullus absque urgente necessitate plures Missas unâ die celebret, exceptâ Nativitate Domini: Utque quater saltem in anno Presbyteri celebrent. VIII. Eos qui Saracenis contra Christianos bellum gerentibus subsidia impendunt, excommunicatos denunciat.

Pecunia pro Missis celebrandis non exigenda.

ARTICULUS LII.

De Conciliis Avenionensibus duobus.

ANno Christi millesimo trecentesimo vigesimo-sexto, die decima Junii, *Gasbertus* Arelatensis, *Jacobus* Aquensis, & *Bertrandus* Ebredunensis, Archiepiscopi, cum suarum Provinciarum Episcopis, Concilium Avenione celebrarunt, in quo quinquaginta novem edita sunt Decreta. IV. Prioribus Indulgentias concedit Synodus iis qui verè pœnitentes & confessi, adfuerint *Missæ de Beata Maria*, semel in hebdomada celebrandæ, qui pro Romano Pontifice oraverint; qui Corpus Christi, cum ad infirmos defertur, prosecuti fuerint; qui nomini *Jesu* caput reverenter inclinaverint. V. Fontes Baptismales claudi jubet. VI. Ut Censuras ab uno Episcopo latas rogati cæteri publicent ac observari curent, præcipit. VII. Pœnis decernit in Censurarum Ecclesiasticarum contemptores. VIII. Excommunicatos denunciat seculares Dominos ac Magistratus, qui Prælatos vel alios Ecclesiarum Rectores cogunt ostendere, quare merum vel mixtum Imperium, aut Jurisdictionem exercent, quamvis pacificè multos annos tenuerint; & si non probent, ipsos è possessione dejiciunt. IX. Clericos à secularibus Judicibus ad tribunal ac forum ipsorum de personalibus actionibus aut de crimine vocari & compelli vetat, sub Pœna excommunicationis. X. Prohibet Clericis ne Conclericos in causis Ecclesiasticis, criminalibus, & personalibus coram seculari Domino vel Magistratu in jus vocent sub pœna suspensionis ab omni Officio Ecclesiastico, & sub periculo cadendi causâ. XI. XII. XIII. & XIV. Gladium spiritualem distringit Synodus in eos qui bona & jura Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum subtrahunt, imminunt, dissipant, invadunt, detinent; & in seculares Magistratus, qui Clericos capiunt, nec Judicibus Ecclesiasticis restituunt. XV. In hujusmodi jurium & bonorum Ecclesiasticorum invasores & eorum fautores, Episcopi, in cujus Diœcesi crimen patratum fuerit, Synodus Jurisdictionem ampliat, ut in aliis etiam Diœcesibus trium Provinciarum in ipsos agere possit. XVI. Excommunicatos ad Officia publica & Magistratus admitti prohibet. Eos à quibus assumpti, approbati, vel confirmati fuerint, diris devovet; latas ab ipsis sententias irritas dicit. XVII. & XVIII. Pœnas in veneficos decernunt, eósque feriunt excommunicatione, cujus vinculum ab una Sede Apostolica solvi possit. XIX. Regulares qui Privilegiis & Immunitatibus suis ad Prælatorum contemptum abutebantur, coërcet. XX. Statuit ut Presbyteri Parochiales conditioni testamentorum intersint: ut Notarius transsumptum testamenti, quoad pia legata, vel restitutiones, Episcopo vel Officiali, vel Parochiali Presbytero tradat, sub pœna excommunicationis: ut denique restitutiones incertæ ad arbitrium Episcopi distribuantur. XXI. Episcopos distributionibus legatorum interesse jubet, ad eásque vocari, cùm jus vel consuetudo id postulant. XXII. Casus Episcopo reservatos exponit, prohibétque ne ab iis Presbyterorum ullus absolvat, absque ipsius licentia. XXIII. Vetat ne Clerici ratione donationis vel cessionis sibi factæ aut faciendæ, vel emptionis, permutationis, vel in solutum dationis, coram extraordinario Judice conveniant, sub pœna excommunicationis. XXIV. Ne vacantium Ecclesiarum bona quis occupet, nisi privilegio vel consuetudine id ipsi liceat, sub pœna excommunicationis. XXV. Ne Viri Ecclesiastici *Curias & Consilia Principum frequentantes* dent ipsis consilium, favorem, vel auxilium contra *Ecclesiasticam Libertatem*, sub pœna *excommunicationis Sedi Apostolicæ* reservatæ. XXVI. Ne Clericus habens curam animarum, vel in sacris Ordinibus constitutus, Magistratum ullum aut Officium *in Curia seculari* gerat; alioqui à Beneficiis suspendatur, aut Ecclesiæ liminibus arceatur. XXVII. Statuit ne quis funera defunctorum quos *FF. Prædicatores & Minores sepulturam apud se elegisse probaverint, deferri ad Domos & Ecclesias eorum impediat: salvo jure portandi funus ad Parochialem Ecclesiam, ex consuetudine laudabili hactenus observata.* Qui contra hujus tenorem Decreti funera è domibus extraxerint, excommunicantur. XXVIII Ut collatio Beneficii cum novi census impositione, aut veteris augmento irrita sit, & collatio ad Superiorem devoluta. XXIX. Ut Monachi in Ecclesiis curæ suæ subditis Vicarios perpetuos Episcopo instituendos infra sex menses præsentent; alioquin ipse provideat. XXX. Ut nullus merum jus Patronatus obtinens Beneficium pleno jure conferat. XXXI. Ut Clerici à Patronis ad Beneficia præsentati juramenta coram ipsis non præstent sine Episcopi licentia, nec ab alio se institui in Ecclesia Parochiali patiantur; nec Beneficium absque illius permissione, vel legitimâ causâ dimittant. XXXII. & XXXIII. Ut Clerici, Hospitalia, & Ecclesiæ à talliis & exactionibus, quas Domini temporales imponunt, per Episcopos defendantur. XXXIV. XXXV. & XXXVI. Censuras Ecclesiasticas in seculares distringunt, qui ratione generalis alicujus Statuti prohibent ne Clerici frumentum è terra, castro, seu villa exsportent, aut certo pretio vendere compellunt: cùm nec in eos, nec in eorum bona aliquam habeant potestatem. Item in eos, qui solutionem decimarum impediunt; vel pia legata, aut laudabiles Ecclesiæ consuetudines prohibent. XXXVII. Societates, confœderationes, & conjurationes, quæ confratriæ vocabantur, irritas facit, illísque nomen dare vetat sub pœna excommunicationis, à qua non possit absolvi nisi à Synodo Provinciali, extra mortis periculum. Se tamen non improbare Synodus profitetur Confraternitates *olim in honorem Dei, & Beatæ Mariæ, & aliorum Sanctorum, pro subsidiis pauperum introductas, in quibus conjurationes & Juramenta non interveniunt* XXXVIII. & XXXIX. Clericos Ecclesias & earum Jura indebitè occupantes, & arma portantes, excommunicatione feriunt ac mulctant. XL. Jubet ut Prælati

Summa Canonum.

Indulgentiæ.

Censuræ.

Ecclesiastica Jurisdictio.

Veneficorum Absolutionem Sedi Apostolicæ reservat Synodus.

De Testamentis & incertis Restitutionibus.

Ecclesiastica libertas.

De sepulturis.

Institutio Canonica Curatorum ad Episcopum pertinet.

Immunitas Clericorum.

Piæ Confraternitates.

Sæculares magistratus & Domini temporales Ecclesiasticam Jurisdictioné juvare tenentur.

mutuam ad commendationem, delictorum remissionem indulgeant. XLI. Jubet Dominis temporalibus, eorúmque Bajulis, vel Judicibus locorum, ut ab Ecclesia rogati, excommunicatos ad satisfaciendum, & ad petendam humiliter absolutionem, pœnis temporalibus compellant: alioqui excommunicatione ipsimet feriantur, & terra subjaceat Interdicto. XLII. & XLIII. Jurisdictionis Ecclesiasticæ perturbatores iisdem Censuris percellunt. XLIV. Excommunicationem decernit in eos, qui in ædibus Episcoporum, seu coram ipsis, vel eorum Officialibus, gravem injuriam alicui irrogaverint. XLV. Decernit ut banna sive mulctas Domini seculares à Clericis non exigant; sed quæ à Laïcis ratione alicujus damni illati fructibus alienis, vel pro eorum animalibus in vineis, pratis, aut possessionibus alienis inventis exiguntur, eædem à Clericis Ecclesiasticæ Curiæ solvantur. XLVI. Permittit Episcopis trium Provinciarum, ex quibus erat congregata Synodus, ut in alienis etiam Diœcesibus populo benedicant, ad fidelium devotionem excitandam. Excipiuntur Metropolitanæ civitates, & loca in quibus Episcopus Diœcesanus præsens esset. XLVII. Statuit ut Censuras ab uno latas alii promulgare, & servare teneantur. XLVIII. Eos qui ex Diœcesi sua exiverint ad matrimonium clam & sine licentia proprii Sacerdotis contrahendum, à communione removet. XLIX. Pœnas in eos decernit, qui Literis Domini Papæ vel Legatorum ipsius nequiter abutuntur, & eos excommunicatione percellit. L. Sub interminatione anathematis vetat ne quis de decimis, vel aliis Parochialium Ecclesiarum Juribus præsumat cum Viris Religiosis componere, vel jus unius Ecclesiæ ad aliam transferre, absque auctoritate Episcopi. LI. Ne possessiones aut Jura quævis immobilia Ecclesiarum, absque licentiâ Episcopi alienentur. LII. Statuit ut si quis Ecclesiam ex causa legitima dimittat, tantùm ibi relinquat bonorum mobilium, secundùm prudentium æstimationem & Ecclesiæ facultates, ut personæ Ecclesiæ & ejus domui necessariæ usque ad novorum fructuum collectionem commodè sustentari possint, & omnia onera Ecclesiæ incumbentia sustinere. LIII. Ut omnes Beneficiati authenticum inventarium omnium bonorum mobilium & immobilium ad Ecclesias & Beneficia sua pertinentium, initio suæ administrationis conscribant. LIV. Statuta olim de testamentis Prælatorum vel Beneficiatorum reliquorum edita, & legitimas consuetudines hactenus in singulis Provinciis observatas confirmat. LV. Statuta, banna, prohibitiones, vel præconizationes aut præcepta, contra Ecclesiasticas consuetudines approbatas, antiquas, & hactenus pacificè observatas, edita revocari jubet, sub pœna excommunicationis. LVI. Statuit ut expensæ necessariæ in Legatis aut Nunciis Sedis Apostolicæ excipiendis factæ, ex communi Ecclesiarum contributione solvantur. LVII. Ut Judæi ad signa deferenda, & ad satisfaciendum Ecclesiæ pro decimis & oblationibus, ratione domorum & possessionum, quas occupant, compellantur. LVIII. Ut Interdicti sententia ad mandatum Episcopi, vel ejus Officialis aut Delegati servetur. LIX. Absolutionem vel Dispensationem in omnibus casibus, in quibus Apostolicæ Sedi ab hac Synodo, vel aliàs, ejusmodi absolutiones & dispensationes non sunt reservatæ, Episcoporum auctoritati & prudentiæ permittit.

Altera Synodus Avenionensis 1337.

Hæc Decreta repetita & confirmata sunt in altera Synodo Avenionensi ex iisdem Provinciis congregata anno MCCCXXXVII. & alia quædam addita (nam sexaginta novem complectitur.) Inter illa, quartum prohibet Curatis sub pœna excommunicationis, ne Parochianis suis licentiam concedant recipiendi Eucharistiam extra Ecclesias Parochiales totâ quindenâ Paschali, nisi ratione infirmitatis: & ne Prælati de hoc statuto cum aliquo dispensent, nisi ex causa legitima. V, Statuit ut Clerici Beneficiati, & in Sacris Ordinibus constituti, diebus Sabbati, in honorem *B. Mariæ*, carnibus abstineant, nisi ex causa necessitatis, vel nisi Festum Natalis Domini die Sabbathi celebretur. Hoc Decretum violantes, mensem unum ab Ecclesiæ ingressu arcentur. Observatione dignum est hoc statutum, ex quo certum est, anno MCCCXXXVII. abstinentiam à carnibus nundum indictam fuisse laïcis & minoribus Clericis diebus Sabbati, in Provinciis Arelatensi, Aquensi, & Ebredonensi. Ex devotione, non ex lege & Ecclesiæ præcepto, & seculares plerique in Ecclesia Gallicana à carnibus Sabbato quolibet abstinebant, ut *Hugo V.* Cluniacensis Abbas testatur, hanc Monachis suis imperans abstinentiam, ad quam *Petrus Venerabilis* frustra ipsos adhortatus fuerat. *Henricus I.* Cluniacensis item Abbas anno MCCCVIII. electus, & *Joannes Borbonius* anno MCCCCLVIII. eamdem abstinentiam Cluniacensis Congregationis Monachis injunxerunt, ut ex eorum Statutis patet in Cluniacensi Bibliotheca editis. *S. Antoninus* in Summa P. I. Tom. 16. Cap I. §. 4. consuetudinem comedendi carnes Sabbatho adhuc in Gallia vigere scribit, ante annum MCCCCLIX. quo vivere desiit.

Abstinentia à carnibus die Sabbati eo tempore nondum ubique indicta.

ARTICULUS LIII.

De Conciliis Marciacensi, Silvanectensi & Compendiensi.

Concilium Marciacense. *Marciacum*. Locus Diœcesis Auscensis.

I. ANno millesimo trecentesimo vigesimo-sexto *Guillelmus de Flavacour*, Auscitanus Archiepiscopus, die VIII. Decembris, Provinciale Concilium apud *Marciacum* celebravit, in quo Statuta quinquaginta sex edita sunt. Quorum alia Ecclesiarum & Clericorum tuentur immunitatem ac libertatem; alia de sepultura, quædam de decimis, nonnulla de Censuris, de Ecclesiarum constructione & consecratione, de Reliquiis, & Indulgentiis: quædam aliis de capitibus Ecclesiasticæ Disciplinæ decernunt. Mendis plerúmque deformata sunt & interpolata.

Concilium Silvanectense.

Silvanectum. *Senlis*, in Vallesia, *le Valois*. Episcopatus sub Remensi metropoli.

II. Eodem anno, *Guillelmus de Bria*, Remensis Archiepiscopus, Provinciale Concilium Silvanecti celebravit, in quo septem Decreta edita sunt. I. Ordinem celebrandi Concilii præscribit. II. Beneficiatis prohibet ne alienas in se suscipiant obligationes, sub pœna privationis Beneficiorum. III. Solutionem accuratam decimarum sub pœna excommunicationis imperat. IV. Excommunicatos ab actione, patrocinio, & testimonio, in utroque foro repellit. V. Excommunicationem in eos promulgat, qui confugientibus ad Ecclesiam vim inferunt, eósque ex sacris asylis extrahunt absque auctoritate Episcopi. VI. Clandestina Matrimonia contrahentes, latâ in ipsos excommunicationis sententiâ coërcet. VII. Diris eos devovet, qui Ecclesiasticæ Jurisdictionis usum & executionem impediunt.

Concilium Compendiense 1329.

III. Anno Christi millesimo trecentesimo vigesimo nono, *Guillelmus de Bria*, Remensis Archiepiscopus, Provinciale Concilium Compendii celebravit, mense Septembri, in quo septem edita sunt Decreta. I. Statuit ut Constitutiones pro juribus & immunitatibus Ecclesiarum tuendis latæ habeantur, earúmque executionem Censurarum terrore urgeant Episcopi. II. Constitutiones contra

tra usurarios editas executioni mandari jubet. III. Sub pœna suspensionis Clericis prohibet ne se vel bona Jurisdictioni, coërcitioni, seu compulsioni secularis alicujus Domini vel Judicis subjiciant. IV. Vetat ne quis Religiosus possessiones vel jura sui Monasterii, Prioratus, Ecclesiæ, vel administrationis, ad vitam vel ad tempus, pecuniâ exinde receptâ, concedat, sine consensu Episcopi, sub pœna suspensionis ab Officio; & rescissionis contractus. V. Ne citationes & mandata ad trahendum aliquem extra Provinciam, & ultra fines Regni Franciæ: item generales citationes, inconsultis Episcopis, executioni mandentur. VII. Præcipit ut singulis diebus Dominicis excommunicati denuncientur omnes & singuli usurpantes, impedientes, & perturbantes ordinariam Jurisdictionem Ecclesiasticam.

Ecclesiastica Jurisdictio.

ARTICULUS LIV.

De Concilio Rothomagensi.

ANno millesimo trecentesimo trigesimo-quinto, *Petrus* Archiepiscopus Rothomagensis Provinciale Concilium celebravit in Monasterio *B. Mariæ de Prato*, prope Rothomagum, Septembri mense, in quo tredecim edita Decreta. I. Divina Officia religiosè celebrari statuit, juxta Constitutionem editam in Concilio Viennensi, quæ incipit, *Gravi nimirum*. II. Constitutiones de vita & honestate Clericorum in superiori Provinciæ Rothomagensis Concilio editas observari decernit. III. Constitutionem Concilii Viennensis, sive Clementinam de Statu Monachorum, quæ incipit, *Ne in agro Dominico*, diligenter executioni mandari jubet. IV. Statuit ut Capellani ad sacras functiones in Beneficiis suis obeundas, fructuum subtractione compellantur. V. Prohibet ne Patroni ad Beneficia præsentent pro pecunia, vel alio commodo temporali; alioqui dans & recipiens in excommunicationem Episcopo reservatam ipso facto incurrant. VI. Eadem Censurâ configit eos qui Viros Ecclesiasticos decimarum collectione ac perceptione prohibent. VII. Jubet ut Prælati sacram expeditionem à *Philippo VI.* Rege Christianissimo susceptam promoveant. VIII. Instaurationi fabricæ & librorum Ecclesiasticorum providet. IX. Decernit ut Parochi ab aliis quàm à Diœcesanis instituti, infra quadraginta dies à tempore initæ possessionis coram Episcopo vel ejus Vicario compareant, de titulo quo Beneficium possident, fidem facturi, ac juramentum de obedientia, fidelitate & residentia ipsi præstituri. Quo tempore elapso, ad id officii, captione & detentione fructuum & proventuum Ecclesiæ compellantur. X. & XI. Ut Casus in quibus incurritur excommunicatio, & Casus reservati Sedi Apostolicæ & Episcopis, in Ecclesiis publicentur & exponantur. Et si qui Sacerdotes, Regulares vel seculares, sibi potestatem absolvendi à Casibus Episcopo reservatis ab ipso concessam asserant, in scriptis exhibere teneantur Curato, cujus in Parochia Confessiones excipiunt. XII. Curatos, aliósque Viros Ecclesiasticos hortatur, ut erga FF. Prædicatores & Minores, aliorúmque Mendicantium Ordinum Professores, cùm ad eorum loca & Monasteria accesserint, benignos se præbeant, eisque faveant. XIII. Hujus & superiorum Conciliorum Provincialium Constitutiones promulgari & observari jubet.

Summa Canonum.

ARTICULUS LV.

De Concilio apud Castrum Gonterii.

ANno Christi millesimo trecentesimo-sexto, *Petrus* Archiepiscopus Turonensis Provinciale Concilium celebravit in Castro Gonterii, Diœceseos Andegavensis, in quo duodecim edita Decreta pro Libertate & Immunitate Ecclesiastica vindicandis, & contra Jurisdictionis & bonorum Ecclesiæ invasores & detentores. X. Statuit ut in permissione celebrandi Sacrum in domibus & Capellis Nobilium seu aliorum secularium, sex dies excepti habeantur, scilicet prima Dominica Adventus Domini, Dominica post Festum Epiphaniæ, prima Dominica Quadragesimæ, Dominicæ in Passione, post Pentecosten, & post Festum Assumptionis Beatæ *Mariæ* Virginis, in quibus unus Parochus, vel alius de ipsius mandato, poterit ibi Divina celebrare.

Summa Canonum.

ARTICULUS LVI.

De duobus Conciliis Toletanis.

I. ANno Christi millesimo trecentesimo trigesimo nono, *Ægidius* Toletanus Archiepiscopus, Hispaniæ Primas, Provinciale Concilium in Metropoli sua celebravit, in quo quinque Decreta condita sunt. I. Statuit ne quis possessiones in locis, in quibus Ecclesia dominium obtinet temporale, sitas, eis qui Ecclesiæ vassali tunc non sint, vendere, aut quovis alio titulo in eos transferre præsumat; alioquin tam vendentes quàm ementes aut recipientes, excommunicationem incurrant, alienatio irrita sit, & possessiones istæ loci Domino adjudicentur. II. Illiteratos ad Clericatum promoveri vetat. III. Ex qualibet Cathedrali & Collegiata Ecclesia unum ex decem Canonicis ad Studia Theologica & Juris Canonici mitti jubet. IV. Ut Episcopi legitimè impediti, & Cathedralium Ecclesiarum Capitula, Procuratores ad Concilium Provinciale mittant. V. Ut Canonis, *Omnis utriusque sexus*, executionem curent singuli Rectores Ecclesiarum, & eorum Vicarii, & omnium qui sibi, vel alteri potestatem habenti confessi fuerint, nomina scripto consignent.

Concilium Toletanum 1339.

Summa Canonum.

II. Alterum Concilium celebravit idem Archipræsul anno millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, in quo quatuor Decreta condita sunt. I. De vita & honestate Clericorum. II. Contra bonorum & Jurium Ecclesiasticorum invasores, & quoscumque gravem injuriam personis Ecclesiasticis inferentes. III. De Constitutione *Clementis V.* in Concilio Viennensi, quæ incipit, *Abusionibus*, contra Quæstores, observanda. IV. Vetat ne Præsulum Notarii pro sigillo, pro literis dimissoriis, aut provisoriis, indebitam pecuniam extorqueant; alioqui gravi mulctâ plectantur.

Alterum Concilium Toletanum 1347.

ARTICULUS LVII.

De Conciliis duobus Londinensibus.

Summa Canonum Concilii Londinensis 1342.

I. ANno millesimo trecentesimo quadragesimo-secundo, mense Octobri, *Joannes Stretford* Cantuariensis Archiepiscopus Provinciale Concilium Londini celebravit, in quo Decreta duodecim de Ecclesiastica Disciplina edita sunt. I. Statuit ne in privatis Oratoriis, absque licentia Episcopi, Missa celebretur; nec ea licentia concedatur nisi Magnatibus & Nobilibus, quorum domus ab Ecclesiis Parochialibus multùm distant, vel infirmis & debilibus. II. Exactiones pro literis Clericorum ordinatorum, Institutionum, Collationum, Inquisitionum, &c. prohibet. III. Statuit ut Archidiaconi sumptibus moderatis ab Episcopis institutos in possessionem Beneficiorum mittant. IV. Ut Religiosi Parochias Monasteriis suis annexas habentes, secundùm facultates hujusmodi Beneficiorum, annis singulis ad certam eleemosynam pauperibus Parochianis distribuendam ab Episcopis compellantur. V. De reparatione Ecclesiarum decernit. VI. Quantùm pro testamentorum insinuatione, vel approbatione rationum eorum executionem spectantium exigi possit ab Ecclesiasticis Judicibus. VII. Statuit de Visitatione Archidiaconorum, & contributiones ratione Visitationis eis solvendas moderatur. VIII. De locis in quibus Episcoporum Consistoria, & Archidiaconorum Capitula celebranda sunt. IX. De apparitorum multitudine ab Archidiaconis resecanda. X. Vetat ne Archidiaconi, & eorum Officiales, corporales pœnitentias adulteris, fornicariis, aliorúmque gravium criminum reis, præsertim relapsis, imponendas vel impositas, mulctâ pecuniariâ commutent. XI. Ne, quibus purgatio criminis indicta est, ab uno Decanatu ad alium evocentur, & laboribus ac sumptibus fatigentur. XII. Eos qui Ecclesiastica Beneficia vi Brevium Regiorum occupant, possessoribus ritè & canonicè non amotis, excommunicatione percellit.

Corporales Pœnitentiæ gravium criminum reis ab Archidiaconis aut Officialibus impositæ, vel imponendæ, non sunt ab iis mulctâ pecuniariâ commutandæ.

Alterius Concilii Londinensis non multo post celebrati Decreta.

II. Alterum Concilium Provinciale in eadem urbe celebravit idem Archipræsul, in quo septemdecim Decretis Ecclesiastica Disciplina firmata est. I. Anglicanæ Ecclesiæ Regnique paci consulit. II. De habitu & honestate Clericorum decernit. III. De conditionibus servandis in dimissione Beneficiorum ad firmam. IV. Contra decimarum & oblationum fraudatores decernit, uti & V. & VI. VII. De debitis intestatorum solvendis, & de testamentorum executione: qua de re etiam caput octavum est. IX. Excommunicat eos, qui in extremis positi, bona sua in fraudem Ecclesiarum vel creditorum, donatione inter vivos alienant. X. Vigilias in privatis domibus coram defunctorum corporibus in feretro expositis fieri vetat, nisi à Clericis Psalteria recitantibus, & propinquis ac amicis: quòd populo ad hujusmodi vigilias promiscuè conveniente, multa patrarentur inhonesta. XI. Matrimonia clam contrahentes, & Sacerdotes qui ipsos conjungunt, excommunicatione ferit. XII. Excommunicatos denunciat, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam imped□iunt. XIII. Probibet ne excommunicati, à seculari Magistratu postulantibus Episcopis custodiæ traditi, absque Prælatorum auctoritate liberentur: jubetque ut ipsis inconsultis liberati, solemni ritu rursus diris devoveantur. XIV. Excommunicat eos, qui herbas & arbores in Cœmeteriis Ecclesiarum & Capellarum crescentes, metunt, evellunt, dissipant, absque Rectorum arbitrio. XV. Eamdem pœnam decernit in eos qui bona Judicis Ecclesiastici sententiâ sequestrata violaverint. XVI. Eos qui impetrant Breve Regium contra adversarios in Comitatibus extraneis, ipsísque ignorantibus fraudulenter & malitiosè litem intentant; agúntque interdum ut proscribantur, excommunicatione percellit. XVIII. Superiores Constitutiones promulgari jubet. Ad eumdem annum ab Anglicano Collectore hoc refertur Concilium, quo superius, quamquam verisimile non sit duo Concilia Provincialia eodem anno celebrata.

Matrimonia clandestina.

ARTICULUS LVIII.

De Concilio Noviomensi.

Noviomum, *Noyon*, urbs Picardiæ, Episcopatus sub Remensi Metropoli.

ANno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo-quarto, mense Julio, *Joannes* Remensis Archiepiscopus Concilium Provinciale Noviomi celebravit, in quo septemdecim Decreta edita sunt. Primum contra impedientes Jurisdictionem Ecclesiasticam. II. De citationibus. III. Personarum Ecclesiasticarum diffidationes seu activas, seu passivas, sub pœna excommunicationis prohibet. IV. Divinum Officium in omnibus Ecclesiis Diœceseos fieri jubet secundùm usum Cathedralis. V. Excommunicat Dominos temporales, qui vassallis suis inhibent, ne aliquid vendant Clericis, aut ab ipsis emant, vel terras eorum colant VI. Eadem Censurâ configit seculares Judices, qui captos ac detentos Clericos postulantibus Ordinariis non restituunt, sed receptâ pecuniâ dimittunt. VII. Superstitiones quasdam ab histrionibus fieri solitas prohibet. VIII. Clericos qui pœnitentias à Judicibus Laicis indictas sponte subierint, vel mulctas impositas solverint, gravissimè plecti jubet. IX. Concionatoribus, ex Mendicantium præsertim Religiosis Sodalitiis, præcipit, ut Christianas plebes ad solvendas decimas adhortentur, alioqui potestate absolvendi à Casibus reservatis priventur. (Quam scilicet Episcopi tunc ipsis liberaliter concedebant.) X. Decernit ut Capitula Prælatis, & Prælati Capitulis, cùm fuerit opus, necessaria causis ipsorum Instrumenta sine fraude suppeditent. XI. De Clericorum honestate statuit. XII. Vetat ne recentia miracula inconsulto Episcopo prædicentur. XIII. Dominos temporales, & seculares Judices excommunicatione ferit, qui captis & detentis, ratione criminis alicujus Clericis, vestes Clericales detraxerint, aut crines abraserint. XIV. Diris eos devovet; qui se Clericos fingunt. XV. Eos qui Decreto Silvanectensis Concilii, annno MCCCXVII. celebrati, contra Clericorum & bonorum Ecclesiasticorum detentores, fraudem faciunt, excommunicatione ferit. XVI. In Promotores Curiarum Ecclesiasticarum, qui varia interdum crimina diversis hominibus imponebant, eósque gravissimis sumptibus & expensis vexabant, animadvertit. XVII. Procuratorum rapacitatem coërcet ac moderatur.

Diffidare, est à fide quam quis alicui debet, aut pollicitus est, per literas deficere.

Ecclesiastica Jurisdictio.

Solutio decimarum.

ARTICULUS LIX.

De Concilio Parisiensi.

Summa Canonum.

ANno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo-sexto, *Guillelmus* Senonensis Archiepiscopus cum Suffraganeis suis Concilium Parisiis celebravit, Martio mense, in quo tredecim edita Decreta. I. Immunitatem Clericorum contra seculares Magistratus Censuris Ecclesiasticis tuetur. II. Decernit de Clericorum habitu. III. Statuit ut in eos qui anno solido in excommunicatione obduruerint, quasi suspectos de hæresi agatur. IV. Ut seculares Magistratus & Domini temporales, hæreticos capiant, seu capi curent, jubentibus Episcopis, captósque Ecclesiasticæ Curiæ repræsentent sub pœna excommunicationis. V. Ut Legata Ecclesiæ in alios usus non convertantur, quàm in quos relicta sunt. VI. Ut absentes à Synodo ob impedimentum Canonicum, absentiam per idoneum nuncium excusent. VII. De literis citatoriis est. VIII. Prioratus & Ecclesias Parochiales, in quibus non sunt sufficientes reditus, uniri jubet. IX. Antiquas Decretales & Clementinas Constitutiones de Xenodochiis, Leprosariis, & Eleemosynariis observari præcipit. X. De sartis tectis Ecclesiarum, Monasteriorum, & Domorum Ecclesiasticarum restaurandis decernit. XI. Prælatis Regularibus prohibet ne Prioratus, Ecclesias, Administrationes, aut Beneficia ad eorum dispositionem spectantia, mensis suis applicent, aut veteres pensiones augeant, vel novas imponant. XII. Statuit ut juxta Constitutionem Clementinam, in titulo de Judiciis positam, in causis matrimonialibus, usurarum, & decimarum, summariè, simpliciter, de plano, sine strepitu & figura judicii procedatur. XIII. Ter Salutationem Angelicam hora ignitegii * dicentibus Indulgentias concedit.

* Serò, cùm tegitur ignis.

ARTICULUS LX.

De Concilio Biterrensi.

Summa Canonum.

ANno Christi millesimo trecentesimo quinquagesimo-primo, *Petrus* Narbonensis Archiepiscopus, cum Suffraganeis suis Concilium *Biterris* celebravit, in quo octo Decreta condita sunt. I. De reverentia sanctissimo nomini *Jesu* capitis inclinatione exhibenda. II. De sacro Christi Corpore, cùm ad infirmos defertur, religiosè prosequendo. III. Indulgentias concedit orantibus pro Summo Pontifice, Rege, & Prælatis. IV. Sacros fontes baptismatis claudi jubet. V. In bonorum Ecclesiasticorum invasores animadvertit. VI. Canonis, *Omnis utriusque sexus*, executionem Curatis imperat, prohibetque ne alicui, nisi ratione infirmitatis, percipiendæ Eucharistiæ extra Parochiales Ecclesias in quindena Paschali concedant licentiam, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. VII. Clericos in Beneficiis Ecclesiasticis vel sacris Ordinibus constitutos horratatur, ut diebus Sabbati deinceps à carnibus abstineant, nisi ex causa necessitatis, vel nisi Festum Nativitatis Domini Sabbato evenerit. VIII. Pœnas decernit in eos qui excommunicatione percussi, non modò terribilem illam Censuram aspernantur, sed palam irrident, Prælatos à quibus sunt

Abstinentia Sabbati nondum omnibus tunc temporis istius Concilii præcepta.

A excommunicati, vicissim per jocum & ludibrium, quasi in scena, excommunicantes.

ARTICULUS LXI.

De Concilio Andegavensi.

ANno Christi millesimo trecentesimo sexagesimo quinto, *Simon* Turonensis Archiepiscopus Concilium cum Suffraganeis suis Andegavi celebravit, die XII. Martii, in quo triginta quatuor

B Decreta edita sunt. Priora quatuor Judicia spectant. V. Statuit ut qui à Sede Apostolica Beneficia acceptant, infra tres menses acceptationem illam suam in loco Beneficii publicare teneantur; alioquin jure suo excidant. VI. Ut iidem infra sex menses à tempore provisionis sibi factæ, possessionem inire teneantur. VII. Idem statuit de iis quibus collata sunt Beneficia in Provincia Turonensi à Prælatis tam secularibus, quàm Regularibus: alioqui collationem irritam dicit. VIII. Vetat ne Beneficia, quæ ex fundatione, consuetudine, vel statuto, sacros Ordines postulant, iis conferantur

C quorum ad illos Ordines suscipiendos immatura est ætas. IX. Beneficiis ipso facto privatos declarat, nisi ad Ordinem saltem Subdiaconatus infra annum fuerint promoti. X. Prohibet ne ab examinatoribus Curatorum aliquid ratione literarum vel sigilli recipiatur. XI. Ne Archidiaconi vel Archipresbyteri, qui in quibusdam Turonensis Provinciæ locis lectos Curatorum defunctorum, ex consuetudine, sibi vendicant, ultra quinquaginta solidos pro lecto recipiant, si Parochialis Ecclesia quinquaginta tantùm libras decimalium redituum obtinet; vel centum solidos, si reditus sint ampliores.

D XII. & XIII. De vita & honestate Clericorum decernunt, eisque vestium breviorum, & calceorum secularium usum, sub pœna suspensionis à suffragio ferendo in Capitulo, necnon à perceptione quotidianarum distributionum & fructuum Beneficiorum per mensem; adjectâ decem librarum mulctâ, prohibent. XIV. Vetat ne Presbyteri Missam pro defunctis celebrent, nisi priùs Officium Defunctorum persolverint, quod à Curatis singulis diebus ferialibus recitari jubet. XV. Officium Beatæ Virginis in singulis Ecclesiis, Metropolitana, Cathedralibus, Regularibus, Collegiatis, singulis diebus sole-

E niter decantari præcipit, exceptis Festivitatibus [...]ni majoribus, Adventu Domini, vel cùm a[...] Officium de *Beata Maria* celebratur. XVI. Prohibet ne Viri Ecclesiastici, quacumque dignitate fulgeant, etiam Episcopi, ultra duo fercula in conviviis solemnibus, vel festivitatibus præcipuis parari curent, nisi propter adventum Principum, vel aliarum personarum, quæ Ecclesiæ utiles esse possint. XVII. Residentiam Beneficiatis, & maximè curam animarum habentibus imperat, sub pœna privationis fructuum, si mensem integrum absque li-

F centia & causa legitima abfuerint; amissionis verò Beneficiorum, si sex menses. XVIII. De quotidianis distributionibus decernit. XIX. & XX. De Monachorum & Canonicorum Regularium vestibus reformandis. XXI. Vetat illis quorum est Leprosariarum, Eleemosynariarum, Xenodochiorum, Domorum Dei administrationem committere, ne pecuniam, aliudvè munus, ratione commissionis, sigilli, vel literarum recipiant, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. XXII. Abstinentiam à lacte & butyro diebus jejuniorum, & maximè Quadragesimali tempestate præcipit; absolutionem ad hujus præcepti transgressione Superioribus reservat. Vigesimum-tertium & sex sequentia Ecclesiarum

Summa Canonum.

De collatione Beneficiorum.

Officii Defunctorum recitatio.

Officium B. Virginis Mariæ.

Virorum Ecclesiasticorum frugalis mensa.

Abstinentia à lacte & butyro diebus jejuniorum.

Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum immunitates vindicant. XXX. Clericos ac Laïcos concubinas publicè foventes, excommunicatione ferit. XXXI. Sententiam excommunicationis à quocumque Judice latam, infra mensem à tempore quo lata fuerit, publicari jubet. XXXII. Hujus Concilii statuta, singulis annis, certis diebus, in Ecclesiis Parochialibus promulgari, & lingua vulgari exponi jubet. XXXIII. Sex Dominicas notat, quibus in domibus seu Capellis Nobilium, in quibus Sacrum facere ex Episcopi concessione licet, Missa celebrari non possit nisi à Curato, vel ejus Capellano, vel alio cui mandaverit. XXXIV. Absolutionem à Censuris hac in Synodo latis, cuilibet Episcopo in Diœcesi sua permittit.

ARTICULUS LXII.

De Concilio Vaurensi.

Vaurum, Lavaur, urbs Occitaniæ, Episcopatus sub Metropoli Tolosana.

ANno Christi millesimo trecentesimo sexagesimo octavo, *Petrus* Narbonensis Archiepiscopus, *Gaufredus* Tolosanus, & *Philippus* Abbas *Soricinii* Archipræsulis Auxuani Vicarius Generalis, ab eòque potestatem habens, cum trium Provinciarum Episcopis, Concilium in Castro Vaurensi celebravere, in quo centum triginta tribus Decretis Ecclesiastica Disciplina sancita est. Primum est de Fide Catholica, & Catechesim continet ad Christianarum plebium informationem, accuratam sanè & exquisitam. Observatione digna est Moralis Regula, quam hæc Synodus tradit: *Neque enim Confessor debet esse promptus ad facilè judicandum de aliquo quòd sit mortale peccatum, nisi sit in dictis Scriptura vel Sanctorum expressum.* Secundum, & septem sequentia, de Conciliorum Provincialium & Synodorum Diœcesanarum celebratione statuunt. X. & XI. Excommunicatione feriunt eos, qui Literis Apostolicis abutuntur. XII. Statuta, banna, præcepta, prohibitiones contra consuetudines Ecclesiasticas, libertates, seu observantias antiquas, rescindi jubet ab authoribus, sub pœna excommunicationis. XIII. Vetat ne bona Ecclesiarum vacantium à Prælatis, aut aliis personis Ecclesiasticis, nisi ex jure, privilegio, vel consuetudine id ipsis liceat, occupentur, sub pœna excommunicationis. XIV. Conjurationes Confraternitatum nomine honestatas, omniàque Pacta, Juramenta, Ordinationes, quibus illi cujuscumque sint conditionis, conjurati obstricti sunt, rescindit ac in irritum mittit: ac deinceps fieri vetat sub pœna excommunicationis, à qua unus absolvere possit, extrà mortis articulum, Episcopus. Per hoc tamen *Confraternitates olim in honorem Dei, & B. Mariæ, & aliorum Sanctorum, & pro subsidiis pauperum introductas*, in quibus conjurationes hujusmodi non intervenerunt, minimè se reprobare Synodus profitetur. Decimum-quintum & tria sequentia, renovant Constitutiones Auscitani Concilii, anno millesimo trecentesimo celebrati, contra eos qui electionibus & postulationibus canonicis, vel pacificæ possessioni Beneficiorum Ecclesiasticorum impedimentum apponunt; aut in Beneficia se intrudunt, aut plura incompatibilia retinent. XIX. Jubet ut Viri Ecclesiastici Beneficiorum suorum jura, usus, consuetudines, pro virili tueantur; eorúmque negligentiam Superiores suppleant. XX. Illiteratos ad sacros Ordines promoveri prohibet. XXI. De leprosis sequestrandis decernit. XXII. Extraneos Clericos & Religiosos absque suorum Prælatorum literis ad Divina Ministeria vetat admitti. XXIII. Vetat ne quis nova erigat Altaria, vel aliquam in injuriam Ordinariorum Jurisdictionem usurpet, sub pœna excommunicationis. XXIV. Pseudoapostolos, & falsi nominis Religiosos, periculosos homines circa fidem, à Sede Apostolica damnatos, per orbem errantes, capi jubet, ac Episcopis examinandos, corrigendos, plectendos repræsentari. XXV. Prohibet ne Archidiaconi de causis Matrimonialibus absque mandato Episcopi judicent. XXVI. Causas ab Ordinariis Judicibus gratis examinari statuit. XXVII. Ut Juris Canonici Peritis causarum Matrimonialium cognitio committatur, & in locis dumtaxat insignibus examinentur ac judicentur, in quibus virorum eruditorum copia haberi potest. XXVIII. Ne Suffraganei appellationes ad Metropolitanum impediant. XXIX. XXX. XXXIII. XXXVI. XXXVIII. XXXIX. XL. Jurisdictionem & libertatem Ecclesiasticam tuentur contra invasorum & oppressorum injurias. XXXI. Censuras ab uno Episcopo latas, ab aliis, cùm rogati fuerint, publicari, & observari statuit. XXXII. Clericos curam animarum habentes, vel in sacris Ordinibus constitutos, in Curia seculari Magistratum gerere, vel causas dicere, aut agere vetat. XXXIV. Ne Clericus laïco contra Ecclesiam sive contra alium Clericum, in Judicio Ecclesiastico vel seculari patrocinium impendat. XXXV. Statuit ut excommunicati, qui vi aut metu absolutionem surripiunt, à locorum Ordinariis excommunicati publicè denuncientur. XXXVII. Vetat ne excommunicati, ad Magistratus & Officia publica assumantur, sub pœna excommunicationis ab eligentibus, approbantibus, & confirmantibus, ipso facto incurrenda. XLI. XLII. & XLIII. De Instrumentis & contractibus decernunt. XLIV. & XLV. De Juramentis, quorum ratione causas aliàs civiles ad forum Ecclesiasticum pertinere declarat Synodus, latâ in eos qui cognitionem hujusmodi causarum Ecclesiæ prohibuerint, excommunicationis sententiâ. XLVI. XLVII. & XLVIII. De vestibus Canonicorum & familiarium Episcopi, & cujusvis alterius Prælati statuunt. XLIX. Prohibet ne Viri Ecclesiastici, temporalem Jurisdictionem habentes, malefactores in terris suis recipiant aut protegant: alioqui ad arbitrium Ordinarii sui puniantur. L. Statuit ut Canonici, sua quisque hebdomada, in Divinis Officiis secundùm Ordinem suum ministrent. LI. Ut qui Ecclesiam sibi commissam dimittit, bonorum mobilium & annonæ tantùm relinquat, quantùm satis sit ad sustentandum personas Ecclesiæ & ejus domus necessarias, & ferenda onera eidem Ecclesiæ incumbentia, usque ad collectionem novorum fructuum. LII. Statuit de distributionibus quotidianis. LIII. LIV. LV. & LVI. De bonorum Ecclesiasticorum administratione vacantibus Ecclesiis decernunt, eorúmque invasores excommunicatione feriunt. LVII. Baillivias, Scribanias, & alia Officia ad Prælatos seu Capitula spectantia, concedi prohibet ad vitam. LVIII. Vetat ne bona Ecclesiarum vel Beneficiorum à Prælatis aut Clericis sub sigillo Regis, vel alicujus Domini temporalis obligentur: alioqui excommunicationem incurrant. LIX. Ne bona Ecclesiarum in sacris ædibus deposita capiantur, sub pœna excommunicationis. LX. Statuit ut Episcopi testamentorum executionem circa relicta ad pias causas promoveant. LXI. Ut Episcopi nobilia & pulchra ornamenta, aut centum florenos auri, Ecclesiis suis relinquant. LXII. Ut Curati factioni testamentorum rogati intersint; & Notarii, infra octo dies ab obitu testatoris, eorum transumptum Episcopo vel ejus Officiali, aut Curato exhibeant, quoad pia legata & restitutiones, sub pœna excommunicationis. LXIII. LXIV. & LXV. De sepulturis statuunt, & de Parochialium Ecclesiarum juribus non

Marginalia: Summa Canonum. — Regula secundum quam judicium de peccatis ferendum. — Piæ Confraternitates approbantur. — Causarū Matrimonialium judicium. — Ecclesiastica Jurisdictio. — De Testamentis.

non fraudandis. LXVI. Decretalem Bonifacii VIII. *Super Cathedram*, à *Clemente V.* in Concilio Viennensi confirmatam, observari jubet. Religiosos viros istius Constitutionis transgressores ab audientia Confessionum & Prædicatione verbi Dei in perpetuum excludit. LXVII. Eamdem pœnam in illos decernit, qui fidelium animos à decimarum aut aliorum Jurium Ecclesiasticorum solutione averterint. LXVIII. LXIX. & LXX. Rem decimariam spectant. LXXI. Infideles Baptisma postulantes antea probari jubet. LXXII. Monachos & Canonicos Regulares Apostatas, nisi infra mensem ad claustrum redierint, Beneficiis privat & excommunicatos unà cum omnibus ipsis faventibus, denunciari præcipit. LXXIII. Exemptos, in Prioratibus & locis non exemptis delinquentes, ab Ordinariis puniri posse declarat. LXXIV. Religiosis Mendicantibus, ad Ordines non Mendicantium transeuntibus, pensiones aliquas assignari vetat. LXXV. Statuit ut Curatis, qui de redditibus Ecclesiarum suarum commodè nequeunt sustentari, nec incumbentia onera sustinere, ab iis, qui decimas earumdem Parochiarum percipiunt, congruam assignari portionem curent Episcopi. LXXVI. Statuit ut laïci, qui occasione Juris Patronatus Ecclesias detinent, eas quantocyus dimittant, sub pœna excommunicationis. LXXVII. Eamdem pœnam infligit iis qui per potentiam vel impressionem cujuscumque secularis personæ in Beneficia Ecclesiastica fuerint intrusi. LXXVIII. Præsentatos vel institutos à Patronis sacras functiones in Parochialibus Ecclesiis exercere vetat, donec ab Episcopo curam animarum receperint: alioqui Jure suo cadant. LXXIX. Expensas ab Episcopo vel Curato in Legatis vel Nunciis Sedis Apostolicæ recipiendis factas, ex communi contributione Ecclesiarum civitatis vel Diœcesis, infra quas factæ sunt, solvi jubet. LXXX. Statuit ut pauperibus Ecclesiis & Clericis, ad Jurium suorum defensionem, ex communi totius Diœceseos ærario sumptus necessarii subministrentur. LXXXI. Cuilibet Presbytero Missam celebrare volenti permittit, ut cuivis Sacerdoti idoneo peccata sua confiteatur. LXXXII. Vetat ne Presbyter sacrum faciens filium suum spurium ministrum adhibeat. LXXXIII. Præcipit ut Rectoribus Ecclesiarum Missas celebrantibus unus saltem Clericus superpellicio indutus ministret. LXXXIV. Statuit ut Parochiani diebus Dominicis & festivis ad Parochialem Ecclesiam suam concurrant Missas integras audituri. Si duabus Dominicis continuis defuerint, commoneantur, illisque excommunicatio intentetur. Id scilicet necessarium duxere Patres, *Ut honor debitus Parochialibus Ecclesiis observetur, & animarum periculis obvietur.* LXXXV. & LXXXVI. Diligentem Eucharistiæ, Chrismatis, & fontium baptismalium custodiam & clausuram imperat. LXXXVII. Indulgentias religiosè prosequentibus sacratissimum Corpus Christi, cùm ad infirmos defertur, concedit Synodus. LXXXVIII. Antiquas Reliquias extra capsas aut vasa ostendi, & venales esse; recèns inventas fidelium venerationi exponi vetat, nisi à Romana Ecclesia fuerint approbatæ. LXXXIX. Sub pœna excommunicationis & maledictionis æternæ prohibet, ne quis diebus Jejuniorum & præcipuè Quadragesimali tempestate, carnes comedat, nisi necessitate cogente. XC. Statuit ut Clerici Beneficiati aut in sacris Ordinibus constituti, singulis diebus Sabbati, ob reverentiam *B. Mariæ* Virginis, à carnium esu abstineant, nisi ex causa necessitatis, vel nisi ea die Festum Natalis occurrat, alioqui mensem unum ab Ecclesiæ ingressu arceantur. Rationem Statuti hanc afferunt Patres: *Cum deceat Ecclesiasticos Viros, præsertim sacris insignitos Ordinibus, aut Beneficia Ecclesiastica obtinentes, in domo Domini, in cujus sortem adscripti sunt, in modo vivendi laïcos excellere, ut laïci eorum exemplo proficiant, &c.* Nondum ergo laïcis in Gallia ea abstinentiæ diebus Sabbati erat imposita anno MCCCLXVIII. XCI. De fabrica Ecclesiarum decernit. XCII. Vetat ne Exempti Oratoria in locis non exemptis erigant, vel in ipsis Divina celebrent sine Episcoporum licentia. Nonagesimo-tertio, nonagesimo quinto & tredecim sequentibus, immunitati, libertati, honori, securitati, locorum & hominum sacrorum, Juriúmque ac bonorum Ecclesiasticorum consulitur: pœnæ in violantes libertatem, perturbantes vel impedientes Jurisdictionem, invadentes bona & jura Ecclesiarum aut Virorum Ecclesiasticorum, iisque insueta onera imponentes, & injuriam irrogantes, decernuntur gravissimæ. CIV. Clericos vel Religiosos, qui Clericum alterum vel Religiosum, de actione personali vel crimine ad seculare tribunal vocaverint, excommunicatione percellit, mulctátque. CIX. Omnes qui ex Synodicis Constitutionibus commodum recipiunt, illis subesse jubet. CX. Matrimonia clam & sine licentia proprii Sacerdotis contrahentes excommunicatos ipso facto denuntiat. CXI. Statuit ut ex qualibet Ecclesia Metropolitana, Cathedrali, Conventuali vel Collegiata, duo Canonici ad Studia Theologiæ vel Juris Canonici, ab Episcopis & Capitulis mittantur, qui Studiorum tempore fructus Beneficiorum suorum percipiant, exceptis distributionibus quotidianis. CXII. & tria sequentia Judæos spectant, vetántque ne Christianæ mulieres Judæorum filios nutriant; ne Christiani Judæorum Medicorum aut Chirurgorum operâ utantur; ne Circumcisionibus, sepulturis, & conviviis Judæorum intersint. CVI. CVII. CVIII. CIX. & CX. Excommunicatione feriunt eos qui toxica seu herbas ad mortem vel abortum procurandum vendunt, aut ministrant: item adulteros & concubinarios, incendiarios & raptores publicos, non revelantes Instrumenta, Privilegia, & documenta ad Ecclesias pertinentia; Judices demum qui usuras solvere jubent, aut repetere prohibent. CXXI. Exemptos & Privilegiatos, qui suis abutuntur Privilegiis, coërcet. CXXII. Edicit quomodo in eos sit agendum, qui Episcopum vel Prælatum inferiorem interfecerint, vulneraverint, percusserint, cœperint; & quibus pœnis sint plectendi. CXXIII. Convenientibus ad Missam *Beatæ Mariæ* Indulgentias concedit. CXXIV. Orantibus pro Romano Pontifice quadraginta dies de injunctis Pœnitentiis relaxat. CXXV. Quæstores sine literis Episcoporum ad concionandum admitti vetat. CXXVI. Statuit ut Episcopi Confessarios idoneos deputent, quibus plenariam absolvendi à casibus reservatis committant potestatem. CXXVII. Triginta dies dè injunctis pœnitentiis condonat Fidelibus, qui ad sonum campanæ circa Solis ortum, pro pace & prospero statu Ecclesiæ, quinquies Orationem Dominicam in honorem quinque vulnerum Salvatoris nostri, & septies Angelicam Salutationem ad honorem septem gaudiorum quæ de Filio suo Beata Virgo habuit, devotè recitaverint. CXXVII. In Censurarum Ecclesiasticarum contemptores & irrisores animadvertit. CXXIX. Sententias ab uno latas Episcopo, ab aliis denuntiari ac observari jubet, cùm rogati fuerint. CXXX. Tempore Interdicti Constitutionem *Bonifacii VIII.* quæ incipit: *Alma mater*, executioni mandari præcipit. CXXXI. Statuit ut Domini temporales & Magistratus excommunicatos ad parendum Ecclesiæ, & postulandum absolutionis beneficium, bonorum captione, distractione, ven-

Portio congrua Curatorum.

Auditio Missæ Parochialis Dominicis diebus.

Clericos Laicis in modo vivendi præcellere oportet.

Abstinentia Sabbato nondum universim præcepta.

Ecclesiastica Jurisdictio & immunitas.

Matrimonia clandestina.

Canonicorum studia.

ditione, aliísque juris remediis, citra pœnam sanguinis, ab Episcopis vel eorum Officialibus rogati compellant. Qui hanc Ecclesiæ operam præstare noluerint, excommunicatione feriuntur. CXXXII. Prælatis jubet ut excommunicatos pariter vitent ac subditi, nec eos ad manus osculum admittant, nec cum eis in mensa aut vitæ civilis commerciis communicent. CXXXIII. Constitutiones Provinciales Metropolitanorum Narbonensium, Tolosanorum, & Auscitanorum confirmat.

ARTICULUS LXIII.

De Concilio Saltzburgensi.

ANno Christi millesimo trecentesimo octogesimo-sexto, *Pilgrinus* Saltzburgensis Archiepiscopus, Sedis Apostolicæ Legatus, Provinciale Concilium in Metropoli sua celebravit, in quo septemdecim edita Decreta. I. Præcipit ut omnes & singuli Clerici eumdem Ritum Cathedralis Ecclesiæ suæ in Divinis Officis sequantur. II. Vetat Presbyteris ne à Censuris & Casibus Episcopo aut Sedi Apostolicæ reservatis absolvant, sub pœna suspensionis. III. Licentiam absolvendi à casibus reservatis Episcopis revocat; quoniam eâ nonnulli ad quæstum abutebantur. IV. In casibus dubiis, periculum vel salutem animarum spectantibus, Superiorem, vel saltem peritiores & sapientiores consuli jubet. V. & VI. De Clericorum habitu statuit. VII. De ornamentorum Ecclesiasticorum & sacrorum vasorum nitore. VIII. Vetat ne Mendicantium Ordinum Fratres ad prædicandum verbum Dei, vel ad audiendas Confessiones, à Rectoribus Ecclesiarum admittantur, nisi à suis Superioribus licentiam habeant, illámque exhibeant, & nisi ab Episcopis fuerint approbati. IX. Censuris temporales Dominos compescit, qui collectis, talliis, & exactionibus Clericos vexant. X. Sententias excommunicationis per omnes civitates & Diœceses promulgari statuit. XI. Constitutiones *Bonifacii VIII.* de Immunitate Ecclesiarum & Virorum Ecclesiasticorum in Sexto editas solemniter promulgari jubet. XII. Pœnas in eos decernit, qui bona vacantium Dignitatum & Ecclesiarum occupant, rapiunt, usurpant, vel in suos usus convertunt. XIII. Usurarios excommunicatione ferit, & Christiana sepultura privandos edicit, si hoc in crimine sine satisfactione canonica, vel cautione de satisfaciendo obierint. XIV. Eos qui Clericos ad secularia tribunalia trahunt, & Clericos ipsos qui coram seculari Judice respondent, excommunicatione ferit. XV. Presbyteros peregrinos & ignotos absque testimonialibus literis ad Sacrum faciendum vetat admitti. XVI. Ad Notarii & Tabellionis exercendum Officium admitti prohibet, nisi qui de suo Officio coram Episcopo vel ejus Officiali plenam fidem fecerint. XVII. Statuit ac præcipit ut omnes Prælati, Archidiaconi, & Parochi, Legatorum Apostolicorum, & Synodorum Provincialium Constitutiones penes se habeant: alioqui ab Ecclesiæ ingressu suspendantur.

Ecclesiastica Jurisdictio.

CAPUT VII.

De Politia Ecclesiastica XIII. & XIV. Seculi.

ARTICULUS I.

De Metropolitanis.

Metropolitanorum potestas in supplenda Suffraganeorum negligentia.

I. SUFFRAGANEORUM Episcoporum defectum ac negligentiam in Collationibus, Institutionibus, Electionibus, & Confirmationibus Beneficiorum Ecclesiasticorum, supplere poterant Metropolitani; ut colligitur ex Cap. *Licet*, Lib. I. Decretalium, Tit. X. *De supplenda negligentia Prælatorum*, quod est Innocentii III. *Ne igitur*, inquit, *Jus nostrum negligere videamur, qui alios in sua justitia confovemus: Mandamus, quatenus si vobis constiterit Archidiaconatum Richemundiæ vacasse per annum (tempore semestri, quo vel ad Archiepiscopum, vel Capitulum donatio pertinebat, non à vacatione, sed à notitia computato) cum pro eo quòd Eboracensis Archiepiscopus alium Superiorem non habet, ex tunc fuerat ad nos donatio devoluta, utrique super eo silentium imponatis.* Concilii Lateranensis Oecumenici sub *Alexandro III.* celebrati Canone VIII. hæc disciplina nitebatur, de qua superiori seculo diximus. Idem constat ex Cap. *Dilecto*, ibidem. *Quia* (inquit Innocentius III.) *nobis constitit à Salamantino Decano & ejus sequacibus, post elapsum sex mensium spatium, infra quod Episcopus & Capitulum (prout communiter spectabat ad eos) procedere ad electionem Cantoris neglexerant, electionem supra dicti P. minùs canonicè celebratam, eamdem decernimus irritam & inanem: & appellationem à Decano & suis fautoribus interpositam, factum Archiepiscopi (ad quem jam erat eligendi auctoritas devoluta) nequivisse aliquatenus impedire.... Mandamus, quatenus nisi dicto G. aliquod canonicum obviet: electionem de ipso factam, sublato appellationis obstaculo confirmetis.*

Cathedrali Ecclesia vacanti Visitatorem aut Administratorem delegare Metropolitanus poterat.

II. Si vacante Episcopatu, Capitulum administrationem spiritualem aut temporalem Diœceseos negligeret, Metropolitanus Visitatorem aut Administratorem instituere poterat ut constat ex *Bonifacio VIII.* in VI. Cap. *Ecclesia*, Tit. *De supplenda negligentia Prælatorum*, cujus hæc sunt verba: *Ecclesia Cathedrali vacanti Visitator ab alio quàm à Romano Pontifice deputari non potest: Nisi fortè Capitulum in spiritualibus & temporalibus negligenter aut perperam administret. Tunc enim Archiepiscopus, ob negligentiam vel malitiam Capituli (eo vocato, causaque super hoc cognitione præmissâ) Visitatorem, seu Administratorem eidem Ecclesia licitè poterit deputare.*

Metropolitanorum sacra Visitatio.

III. Provincias suas visitare Metropolitani tenebantur; quæ correctione indigebant, emendare; & Synodos Provinciales propterea congregare. Procurationem verò sive sumptus Canonibus constitutos ab iis poterant exigere, quos visitabant. Id constat ex *Innocentio III.* Cap. *Cum ex Officii*, Tit. *De Præscriptionibus*, ita decernente: *Cum ex Officii sui debito Senonensem Provinciam visitaret Archiepiscopus Senonensis, per Parisiensem Diœcesim transitum faciens, ad Abbatis S. Maglorii, Prioris de Castres, & quorumdam aliorum Ecclesias ejusdem Diœcesis necesse habuit declinare: à*

quibus

quibus cùm procurationem sibi debitam postularet, ipsi eam inhumaniter negaverunt : ad suæ negationis defensionem hoc solum allegantes, quod non meminerint se procurationem hujusmodi Prædecessoribus ejusdem Archiepiscopi exolvisse, nec ab eis aliquando fuisse petitam.... Nos igitur præmissam allegationem eorum nullam reputantes, cùm contra procurationem quæ ratione Visitationis debetur, præscribi nequiverit, quemadmodum nec contra Visitationem ipsam potest aliquo modo præscribi : Mandamus quatenus sententiam, quam in hujusmodi contemptores de antiqua Metropolis consuetudine tulit Archiepiscopus memoratus, usque ad satisfactionem condignam facias observari.

Idem habetur ex *Gregorio IX.* Cap. *Cùm nuper*, Tit. *De Censibus*, in gratiam Archiepiscopi Beneventani scribente : *Mandamus, quatenus cùm eumdem Archiepiscopum, sive auctoritate propria, sive nostra Beneventanam Provinciam contigerit visitare, procurationes ratione Visitationis debitas, juxta facultates Ecclesiarum vestrarum exhibeatis eidem. Alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari.*

De Metropolitanorum Visitationibus fusè decrevit *Innocentius IV.* Cap. *Romana Ecclesia* : Tit. *De Censibus*, in Sexto. *Statuimus*, inquit, *ut quilibet Archiepiscopus suam volens visitare Provinciam, priùs Ecclesiæ suæ Capitulum, ac civitatem & Diœcesim propriam plenè visitare procuret : nec sit solum erga majorum, sed etiam minorum Ecclesiarum, nec circa Clericorum tantùm, sed etiam populorum Visitationem intentus. Et si commodè, vel absque difficultate accedere ad unamquamque non poterit : de pluribus locis ad unum congruum Clericos & Laicos studeat convocare, ne in illis Visitatio postponatur. Deinde liceat ei per totam Provinciam, vel ejus partem, Visitationis Officium exercere, Civitates & Diœceses, Suffraganeos suos & eorum subditos, Cathedralium & aliarum Ecclesiarum Capitula & Monasteria, Ecclesias, & alia religiosa & pia loca, Cleros & populos liberè visitando, ac procurationes à locis tantùm recipere visitatis. Ex quo tamen aliquam de ipsis Diœcesibus visitare cœperit : nusquam, postea sive totam, sive partem ejus visitaverit, revertatur causa visitationis ad illam, priusquam omnes reliquæ ipsius Provinciæ Diœceses in toto, vel in parte, (quas securè visitare poterit) & sua, deinde fuerint visitatæ. Quòd si fortè eadem Diœcesis, vel aliqua ibi Ecclesia plus aliis indiguerit visitari : tunc aliarum visitatione intermissa, redeat ad eamdem, si à loci Diœcesano requisitus extiterit, vel de omnium aut majoris partis Episcoporum ejusdem Provinciæ processerit consilio & assensu : ad quod iidem se pronos exhibeant, ne animarum profectus aliquatenus negligatur. Si verò malitiosè in hic difficultatem adhibuerint, Archiepiscopus licentiam super hoc à Sede Apostolica postulet confidenter. Postquam autem semel omnes Provinciæ suæ Diœceses visitaverit, licitum sit ei postea, (priùs tamen Suffraganeorum suorum requisito consilio, & ipsius diffinitione super hoc habita coram eis, quæ in scriptis redigi volumus, ut possint aliis esse nota) Visitationem per eamdem reiterare Provinciam, juxta modum superiùs adnotatum : etiamsi non interveniat in hoc Suffraganeorum ipsorum assensus : illam semper providentiam adhibendo, ut in posterioribus Visitationibus illas Ecclesias, eósque Cleros & populos prius visitet, qui non fuerant ab eo in prioribus visitati, nisi magis sit aliis Visitationis officium opportunum. Sanè hujusmodi impensurus officium, proposito verbo Dei, quæras de vita & conversatione ministrantium in Ecclesiis, & locis aliis divino cultui deputatis, ac cæteris quæ ad officium ipsum spectant, absque coactione & exactione qualibet juramenti : ad ipsorum emendationem per salubria monita, nunc levia, nunc aspera, juxta datam sibi à Deo prudentiam diligenter intendens. Quod si de aliquibus orta fuerit infamia contra eos, Ordinariis ipsorum, ut super his solemniter inquirant, denuntiet, si viderit expedire. Notoria verò crimina, quæ examinatione non egeant (cùm super his meritò notari possit Ordinariorum negligentia eorumdem) liberè corrigat, pœnam pro illis debitam infligendo. Procurationes autem recipiat, secundùm quod est in Canonibus constitutum.*

Constitutionem istam *Innocentii IV.* confirmavit, & Metropolitanorum jura in Provinciarum suarum Visitatione explicuit *Bonifacius VIII.* in Sexto, Cap. *Perpetuo* : *De Censibus* : cujus hæc sunt verba : *Perpetuo declaramus Edicto, Archiepiscopum posse secundùm tenorem Constitutionis felicis recordationis Innocentii Papæ IV. Prædecessoris nostri super hoc edita, suam Provinciam visitare liberè, licet non sint ejus Suffraganei negligentes, & iterare Visitationem eamdem, ac procurationes à locis recipere visitatis ; consuetudine (si qua forsan ab ipsis Suffraganeis, vel ab aliis allegetur) præmissis contraria non obstante. Potest etiam idem Archiepiscopus dum visitat, Confessiones subditorum Suffraganeorum audire, ac absolvere confitentes, & ipsis Pœnitentias injungere salutares.*

Petrus Turonensis Archiepiscopus lustratâ sacro ritu Provinciâ Synodum Provincialem Salmuri celebravit annò MCCLIII. ut cum Suffraganeis corrigeret, quæ emendatione indigere perspexerat. *Nos* (inquit Canone 1.) *Sanctorum Canonum, & Prædecessorum nostrorum volentes servare statuta, & ea quæ visitando Provinciam Turonensem, correctione novimus indigere, corrigere cupientes : vocatis venerabilibus fratribus, Turonensis Provinciæ Episcopis, ac aliarum Ecclesiarum Prælatis apud Salmurum, de dictorum Fratrum consilio duximus statuendum, &c.*

Eodem consilio congregata est Synodus Turonensis à *Joanne* Archiepiscopo, anno MCCLXXXII. ut Præfatio docet : *Nos Joannes Dei patientia Archiepiscopus Turonensis, intimo mentis desiderio corrigere cupientes ea quæ correctione legitima circa personas Ecclesiasticas, visitando nuper illam Provinciam, novimus indigere, &c.*

IV. Metropolitani, in Visitationum suarum cursu, punire poterant Suffraganeorum suorum subditos, si vel Jurisdictionis suæ usum impedirent, vel manifestam aliàs injuriam inferrent. Ita decrevit *Innocentius IV.* Cap. *Romana Ecclesia* : *De Pœnis*, in Sexto. *Licet autem*, inquit, *Remensi Archiepiscopo suam Provinciam visitanti, eos qui tunc sibi, vel suæ familiæ, aut aliis, quos propter hoc per eamdem Provinciam dirigit, & etiam quando Concilium convocat, vel quibus nuntiis suis, quos illò vel aliàs per Provinciam ipsam sua debita Jurisdictione utendo transmittit, injuriari præsumunt : si hac occasione sua in his impediatur Jurisdictio, pro injuria hujusmodi (dummodo existat notoria) propria auctoritate punire..... Sibi etiam & Metropolitanis aliis, in suis Provinciis, dum sic in illis Jurisdictionem exercent, puniendi manifestas & notorias offensas tunc eisdem illatas, vel suis (etiamsi exinde impediri Jurisdictionem hujusmodi non contingat) libera sit de nostra speciali concessione facultas.*

Metropolitanorum Jurisdictio.

V. Metropolitani excommunicatos à Suffraganeis suis, aut eorum Officialibus, absolvere poterant, si à sententia lata ad eorum tribunal appellatum esset ; non verò excommunicatos ab Archidiaconis aut aliis subditis Suffraganeorum suorum, ut constat ex Cap. *Venerabilibus* : in Sexto,

Tit. De Sententia Excommunicationis. *Cæterùm Rhotomagensi Archiepiscopo, vel ejus Officiali, non licet excommunicatis ab Archidiaconis, vel aliis subditis Suffraganeorum ipsius Archiepiscopi (cùm nec excommunicantium, nec excommunicatorum sint Judices, absolutionis beneficium impertiri: Excommunicatos autem ab ipsis Suffraganeis, vel eorum Officialibus, possunt absolvere, si ab ipsis litigantibus ad eos fuerit provocatum. Neutra verò partium appellante, si qua ipsarum per Archiepiscopum, vel ejus Officialem, ab excommunicatione contra eam lata pro reliqua postulet se absolvi: vel aliàs coram eis de parte adversa querimoniam sine appellationis interpositione deponat, non est in hoc ab ipsis (cùm sui non sint Judices) audienda.* Declarat ibidem Pontifex, posse Archiepiscopum à subditis Suffraganeorum emendas pecuniarias, secundùm consuetudinem regionis exigere in casibus, in quibus ei licet eos excommunicationis vinculo innodare.

Potestas Archiepiscopi in causis excommunicationis.

Potestatem Archiepiscopi in causis excommunicationis, magis explicuit *Innocentius III.* Cap. *Ad reprimendam*. Tit. *De Officio Judicis Ordinarii*: ubi Rothomagensem Archiepiscopum sic alloquitur: *Tu vero, frater Archiepiscope (cùm excommunicationis sententiâ per appellationis non suspendatur objectum) si quis excommunicatus ab Episcopo, de injusta tibi fuerit excommunicatione conquestus, ad ipsum (ei quasi Coepiscopo deferens) absolvendum secundùm Ecclesiæ formam remittas: qui si noluerit ipsum absolvere, tu (receptâ juratoriâ cautione) absolutionis munus ei poteris exhibere: ita tamen quòd nisi legitimè tibi constiterit, eum contra justitiam excommunicatum fuisse, ex debito sibi juramenti præcipias, ut super eo, de quo fuerit excommunicatione notatus, eidem Episcopo satisfaciat competenter. Quòd si facere contempserit, eum in excommunicationis Sententiam, appellatione remotâ, reducere non omittas.*

ARTICULUS II.

De Episcopis.

Episcoporum electiones.

I. EPiscopi ab Ecclesiarum vacantium Capitulis eligebantur XIII. & XIV. Seculo. Sacrarum electionum libertas sancita est in Concilio Lateranensi IV. Canonibus. XXIII. XXIV. & XXV. Primus sic habet: *Statuimus ut ultra tres menses Cathedralis vel Regularis Ecclesia Prælato non vacet: infra quos, justo impedimento cessante, si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum qui proximò præesse dignoscitur, devolvatur.*

Canon XXIV. *Quia propter electionum formas diversas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent Ecclesiis viduatis: statuimus, ut cùm electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus qui debent, & volunt, & possunt commode interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secreto & singulatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto, ut is collatione adhibita eligatur, in quem omnes, vel major, vel sanior pars Capituli consentit. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ provideant de Pastore. Aliter electio facta non valeat, ni fortè communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem divinam absque vitio celebrata.*

Canon XXV. *Quisquis electioni de se factæ per secularis Potestatis abusum consentire præsumpserit contra* A *Canonicam libertatem: & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec absque dispensatione possit ad aliquam eligi Dignitatem. Qui vero electionem hujusmodi, quam ipso jure irritam esse censemus, præsumpserint celebrare: ab Officiis & Beneficiis penitus per triennium suspendantur, eligendi tunc potestate privati.*

Gregorius IX. dedit in Mandatis Capitulo Bisuntino *S. Joannis & S. Stephani*, ut infra XL. dies ab Apostolicarum Literarum susceptione Archiepiscopum eligerent cum consilio Abbatum *S. Benigni*, & *Morismundi*, & F. G. Ordinis Prædicatorum: B alioqui Religiosi Triumviri ipsis Archiepiscopum nominarent ac designarent. (Cap. *Cùm in veteri.* Extra. *De Electione & Electi potestate.*)

Idem Pontifex Cap. *Massana*. (ibidem,) Laïcos ab Episcopi electione excludit, eamque solis Canonicis asserit. *Edicto*, inquit, *perpetuo prohibemus, ne per Laicos cum Canonicis, Pontificis electio præsumatur. Quæ si fortè præsumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem: Non obstante contraria consuetudine, quæ dici debet potius corruptela.* Idem Jus *Innocentius III.* asseruerat, ut habetur Cap. *Cùm Ecclesia*: Extra. *De causa possessionis & proprie-* C *tatis*: cujus hæc sunt verba: *Cum secundum Statuta Canonica electiones Episcoporum ad Cathedralium Ecclesiarum Clericos regulariter pertinere noscantur, nisi alibi secus obtineat de consuetudine speciali*, &c.

Assensus Regis necessitas in electionibus Episcoporum, in Ecclesia Gallicana.

Regii tamen assensus necessitas his seculis in Gallicana perseverabat Ecclesia: eligendi licentia à Rege Christianissimo postulabatur, & ad ejus Majestatem accedebat Electus Antistes, postquam ejus electionem Metropolitanus confirmaverat, præstitoque fidelitatis Sacramento, Investituram ab ipsa recipiebat, Literásque Regias obtinebat *de Liberatione* * *Regalium*, (ut eo ævo loquebantur) D Id factum in electione *Guillelmi* Andegavensis Episcopi anno MCCXCI. probant Literæ *Philippi* Regis relatæ in Gestis *Guillelmi Majoris* Andegavensis Episcopi, Tomo X. *Spicilegii*, pag. 271: *Philippus Augustus* Matiscoensi Capitulo indulsit, ut non petitâ licentiâ Episcopum eligeret: *Ne*, inquit, *propter locorum distantiam damnum aliquod immineret, si Canonici eligere non possent, nisi à nobis prius peterent eligendi licentiam, volumus ut eligant non petitâ licentiâ eligendi.*

* *Main levée*

Episcopatus à Romano Pontifice jure devoluto collati.

At Romani Pontifices Episcopatus Jure devo- E to conferebant. *Innocentius IV. Guidonem de Sulliaco*, Ordinis FF. Prædicatorum, Ecclesiæ Bituricensi jam multos annos vacanti præfecit anno MCCLXXVI. *Bonifacius VIII.* Beneficia omnia in *Curia* vacantia Sedis Apostolicæ collationi reservavit, ipsos etiam Episcopatus. *S. Ludovicum* Regii Sanguinis Principem, Ordinis FF. Minorum, Tolosanum Episcopum creavit; *Guillelmo Duranti* Mimatensem contulit; *Ægidio Romano* Bituricensem Archiepiscopatum commisit. *Benedictus XII.* Episcopatuum, aliorúmque Beneficiorum reservationem ampliavit ad Beneficia Cardinalium, & F Ministrorum quorumlibet Romanæ Curiæ, item omnium ad Curiam accedentium, vel ab ea recedentium, si in locis ultra duas dietas legales à Curia non distantibus obirent; ad ea tandem ad quæ si quis electus fuerat, vel postulatus, electio missa in irritum fuerat, vel postulatio repulsa, vel ab iis facta renuntiatio, & à Romano Pontifice admissa. *S. Ludovicus* Pragmatica Sanctione sua sacrarum electionum libertatem asseruit Cap. II. *Ecclesiæ Cathedrales*, inquit, *& aliæ Regni nostri, liberas electiones, & earum effectum integraliter habeant.*

Anno 1268.

Episcoporum electiones in Anglia.

Eadem in Anglicana Ecclesia vigebat disciplina, ut

ut ex Anglicanæ Historiæ monumentis facilè probatur. De *S. Hugonis* Carthusiensis in Lincolniensem Episcopum electione ita scribit *Matthæus Paris* ad annum MCC. *Tenuerat Rex* JOANNES *Ecclesiam Lincolniensem in manu sua per multos annos, Pastoris solatio viduatam : quem volens excessum redimere, honestè procuravit, ut per electionem vir prædictus ad illius Ecclesiæ regimen vocaretur. Quo facto, cum viro Dei electio denunciata fuisset, respondit, quod Pontificalis Officii non susciperet dignitatem, nisi sibi prius de communi Lincolniensis Ecclesiæ Canonicorum consensu, & de licentia Carthusiensis Prioris constaret. Cùmque super his sufficienter fuerat satisfactum, Decanus Lincolniensis, cum Majoribus Ecclesiæ, ad Dei Virum accessit, qui inter prima colloquia sic eorum sibi gratiam conciliavit, ut cum Pastorem & Patrem Spiritualem sincera devotionis optarent effectu. Sed ut illi certius eorum consensus innotesceret, ibi cum denuo elegerunt : & tunc primò consensit.*

Anno MCCV, *Huberto* Cantuariensi Archiepiscopo defuncto, Cantuarienses Monachi, non rogato Regis assensu, *Reginaldum* Suppriorem suum in Archiepiscopum elegerunt, & ab electo juramentum extorsere de celanda electione, donec licentiam & literas de illius promulgatione à Conventu accepisset. Metuebant nimirum ne Rex de electione certior factus, confirmationem impediret. Juratum silentium *Reginaldus* non servavit, Electionis Decretum publicavit, Romanam Curiam adiit ad Confirmationem impetrandam. Moras nexuit *Innocentius III.* donec rei gestæ seriem pleniùs cognosceret. Interim Cantuarienses Monachi in Suppriorem arcani detecti, violatique Juramenti reum vehementer commoti, *Miserunt ad Regem, requirentes ab eo licentiam, Pastorem sibi idoneum eligendi. Quibus Rex protinus, absque omni conditione benignè annuit quòd petebant : & secretiùs eos alloquens, ostendit eis Episcopum Norvvicensem magna sibi familiaritate conjunctum fore ; ipsumque solum ex omnibus Angliæ Prælatis secretorum suorum esse conscium. Unde sibi & Regno suo magnum asserebat provenire commodum, si eum ad Archiepiscopatum Cantuariensem transferre potuisset. Rogavit igitur Monachos ut unà cum Clericis suis quos missurus erat ad Conventum, hanc petitionem suam exponerent illis.... Conventus autem, ut Regem, quem offenderant, sibi reconciliarent, convenientes in Capitulo, Joannem Norvvicensem Episcopum unanimiter elegerunt.* Lis Monachos inter & Provinciæ Cantuariensis Episcopos de jure electionis mota, ac disceptata est. Objiciebant Episcopi, se ad electionem vocari debuisse ; tres Metropolitanos concurrentibus Episcoporum & Monachorum suffragiis electos ; Jus suum Canonibus & consuetudine firmatum ; electionem contra præsumptam penitus irritam esse. Monachi à longis retro temporibus se Archiepiscopum solos elegisse, non vocatis Episcopis, manifestè probabant, quæ nihilominus electiones à Sede Apostolica fuerant confirmatæ. Prætereà, Sedis Apostolicæ Privilegium proferebant, quo statutum erat, *Ut decedente Archiepiscopo Cantuariensi, nullus ibi proponeretur, nisi quem communi consilio major pars Monachorum consilii sanioris, secundùm Dominum, & sacrorum Canonum Sanctiones providisset eligendum.* His maturè discussis, *Innocentius III.* electionem à Monachis factam confirmavit, & silentium Episcopis imposuit, *De communi Fratrum nostrorum consilio, vobis & Successoribus vestris super jure Cantuariensem Archiepiscopum eligendi silentium perpetuum imponimus, & Monachos Cantuarienses ab impetitione ac molestatione vestra & Successorum vestrorum, per Sententiam difinitivam absolvimus : Auctoritate Apostolica decernentes, ut Monachi Cantuariensis Ecclesiæ, & Successores eorum, Archiepiscopum eligant sine vobis.* Ita refert *Matthæus Paris* ad annum MCCV. & MCCVI. Hoc tamen Decreto nondum Cantuariensis pax Ecclesiæ constituta est, dissensione inter Monachos perseverante. Suam enim electionem tuebatur Supprior *Reginaldus*, alii *Joannis* Norvvicensis Episcopi confirmationem urgebant. Post diuturnas ex utraque parte disceptationes, Pontifex electionem utramque irritam dixit ; *persuasitque Monachis Cantuariensibus, qui Procuratores coram eo constituti fuerant pro negotio Ecclesiæ Cantuariensis, ut eligerent Magistrum Stephanum de Langton Presbyterum Cardinalem, asserens ipsius promotionem tam ipsi Regi, quàm universæ Ecclesiæ Anglicanæ plurimum profuturam. Monachi verò ad hæc respondentes, asserebant sibi non licere præter consensum Regium, & sui Conventûs, Canonicam electionem celebrare.* Reposuit Pontifex : *Sciatis nos plenariam habere in Ecclesia Cantuariensi potestatem : nec super electionibus apud Sedem Apostolicam celebratis solet assensus Principum expectari. Unde vobis in virtute obedientiæ & sub pœna anathematis præcipimus, ut illum in Archiepiscopum eligatis, quem nos damus vobis in Patrem & Pastorem animarum vestrarum. Monachi quoque excommunicationis sententiam metuentes, licet inviti, & cum murmuratione, assensum tamen præbuerunt.* Secundùm hæc, Pontifex ad Regem scripsit perhonorificè, ejusque Majestatem hortatus est ac obsecravit, ut Cardinalem Episcopum electum, è Regno suo oriundum, eruditione & virtute conspicuum, susciperet. Rex novæ electionis & Pontificiæ Confirmationis accepto nuntio, in Monachos vehementer commotus est, eósque velut proditores & Majestatis reos è Regno expulit. Tum acres & comminatorias ad *Innocentium III.* literas dedit, & apud ipsum de ipsomet conquestus est, quòd Norvvicensis Episcopi electione repulsa, *Stephanum de Langtone* sibi penitus ignotum (ut aiebat) qui in Regno Francorum inter hostes suos diu vixerat, in Cantuariensem Archiepiscopum jusserat consecrari. *Et quod magis in præjudicium & subversionem libertatum ad Coronam suam spectantium redundat, ipsius consensu à Monachis qui illum postulasse debuerant, nec vice requisito, eundem Stephanum temerè promovere præsumpsit. Unde asserebat, se sufficienter admirari non posse, quòd tam ipse Papa, quàm universa Curia Romana, ad memoriam non reducunt in quantum ejus dilectio Romanæ Sedi fuerit hactenus necessaria, in hoc rationis oculum non figentes, quòd uberiores sibi fructus proveniant de Regno suo Angliæ, quàm de omnibus regionibus citra Alpes constitutis.* Addit insuper, *Quod pro libertatibus Coronæ suæ stabit, si necesse fuerit, usque ad mortem : immutabiliter affirmans, se non posse ab electione & promotione Norvvicensis Episcopi, quam sibi utilem intelligit, revocari.* Porro si repulsam à Pontifice ferat, *omnibus Romam petentibus maris semitas angustabit, ne terrâ suâ divitiis evacuatâ, ipse minùs ad hostes ab ea depellendos sufficiat. Et cùm Archiepiscopi, Episcopi, & alii Ecclesiarum Prælati, tam de Regno Angliæ, quàm aliarum terrarum suarum, in omnium scientiarum plenitudine sufficienter abundent : si necessitas coegerit, extra terras suas Justitiam vel Judicium ab alienigenis non emendicabit.* Regis iram ac minas ratione retudit prudentissimus & magnanimus Pontifex, datis ad ejus Majestatem literis. Conquestus est quòd Sedi Apostolicæ secundùm jus non deferret, quæ ipsius Majestati supra jus deferebat. Si ejus devotio Ecclesiæ Romanæ esset necessaria, Pontificiam nihilominus benevolentiam ipsi esse non parum opportunam. Rationes quas vel contra electionem *Stephani*

phani Langtoni, vel contra Electum ipsum proferebat, nullius esse momenti. Regio satis honori ab Apostolica Sede fuisse consultum, rogatúmque Majestatis ejus assensum. *Licèt autem* (inquit) *super electionibus apud Sedem Apostolicam celebratis, non consueverit assensus Principum expectari: duo tamen Monachi fuerunt spiritualiter deputati, ut ad te pro requirendo assensu venirent, qui apud Devoriam fuerunt detenti ut injunctum sibi mandatum exequi non valerent... Nos quoque qui super eamdem Ecclesiam Cantuariensem plenitudinem potestatis habemus, Regium super hoc dignati sumus implorare favorem. Et Cursor noster, qui Apostolicas tibi literas præsentavit, literas quoque Prioris ac Monachorum, qui ex mandato totius Capituli Cantuariensis celebraverunt electionem memoratam, super assensu petendo Regiæ Sublimitati porrexit. Ideòque non vidimus oportere denuo post hæc omnia Regium postulare consensum: sed illud disposuimus, non declinantes ad dexteram vel ad sinistram, quod Sanctorum Patrum Canonicæ Sanctiones statuunt faciendum: ut videlicet nihil moræ vel difficultatis rectis dispositionibus afferatur, ne gregi Dominico diu desit cura Pastoralis.* Regem admonet ut Sedi Apostolicæ pareat, ne fortè, si secus egerit, in eam se difficultatem inducat, ex qua se facilè non valeat expedire. *Cùm tandem oporteat eum vincere, cui flectitur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorum, cujus nos vices in terris, licèt immeriti, exercemus. Ne igitur*, inquit, *eorum consiliis acquiescat, qui tuam semper turbationem desiderant..... Quia non esset tibi tutum, in hac causa Deo & Ecclesiæ repugnare, pro qua Beatus Martyr & Pontifex gloriosus Thomas sanguinem suum recenter effudit: præsertim ex quo pater & frater tuus claræ memoriæ, tunc Reges Anglorum, in manibus Apostolicæ Sedis Legatorum illam pravam consuetudinem abjurarunt. Nos autem si nobis humiliter acquieveris, sufficienter tibi & tuis providere curabimus, ne super hoc valeat vobis aliquod præjudicium generari.* Nec monitis, nec minis Romani Pontificis flecti potuit Rex *Joannes*. Quamobrem tribus Episcopis in mandatis dedit *Innocentius III.* ut Sacrorum justitium toti Angliæ Regno indicerent. Denuntiato Interdicto, gravis à Rege concitata persecutio in Clerum est, Episcopatuum, Abbatiarum, ac Prioratuum bona occupata, redditus fisco addicti. Violentia illa Regis, excommunicationis fulmine vindicanda Summo Pontifici visa est, cujus ea de re mandata Londoniensis, Eliensis, & Vvigorniensis Episcopi in Gallia exules executi sunt, ac sententiæ publicationem aliis Episcopis Anglicanis commisere. Ita refert *Matthæus Paris*. Postea Rex pace cum Romano Pontifice compositâ, libertatem electionum restituit: *Qualiscumque*, inquit, *consuetudo temporibus nostris, & Prædecessorum nostrorum hactenus in Ecclesia Anglicana fuerit observata, & quicquid Juris nobis hactenus vendicaverimus, de cætero in universis & singulis Ecclesiis, & Monasteriis, Cathedralibus & Conventualibus totius Regni Angliæ, liberæ sint in perpetuum electiones quorumcunque Prælatorum, majorum & minorum: salvâ nobis & heredibus nostris custodiâ Ecclesiarum & Monasteriorum vacantium, quæ ad nos pertinent. Promittimus etiam quòd nec impediemus, nec impedire permittemus per nostros, nec procurabimus, qui in universis & singulis Monasteriis & Ecclesiis, postquam vacaverint Prælaturæ, quemcunque voluerint, liberè sibi præficiant electores Pastorem, petitâ tamen à nobis prius & heredibus nostris licentiâ eligendi, quam non denegabimus, nec differemus. Et si fortè accidat quòd denegaremus, vel differremus, nihilominus procedant electores ad electionem canonicam faciendam. Et similiter post celebratam electionem, noster requiratur assensus, quem non denegabimus, nisi adversus eamdem rationale aliquid proposuerimus, & legitimè probaverimus, propter quod non debemus consentire. Quare volumus & firmiter jubemus, ne quis vacantibus Ecclesiis vel Monasteriis, contra hanc nostram concessionem & constitutionem in aliquo veniat, vel venire præsumat. Si quis verò contra hoc aliquo tempore veniat, maledictionem Dei omnipotentis & nostram incurrat.* Hanc *Joannis* Regis concessionem *Innocentius III.* confirmavit, Regiásque Litteras Diplomati suo inseruit, ut apud *Matthæum Parisium* legere est ad annum MCCXV.

Eodem anno, Eboracensi Archiepiscopatu vacante, *Canonici impetratâ à Rege licentiâ, ad electionem faciendam pariter convenerunt.* Regiæ commendationis in gratiam *Walteri de Gray* Vvigorniensis Episcopi nullâ ratione habitâ, *Simonem de Langtona*, Stephani Cantuariensis Archiepiscopi fratrem, elegere. Rex, ne confirmaretur, intercessit. Majestatis ejus oppositione rationibúsque probatis, *Innocentius III.* electionem abrogavit, jussitque Canonicis, ad Lateranense Concilium Oecumenicum proximè celebrandum aliquos ex suis cum potestate mitterent, qui Capituli totius nomine, cum ipsius Pontificis consilio, personam idoneam eligerent vel postularent in Archiepiscopum & Pastorem. Postularunt illi *Walterum* Vvigorniensem Episcopum, quem Rex optabat. Votis eorum annuit Pontifex: *Et nos*, inquit, *eum damus vobis.* Ita refert *Matthæus Paris*.

Anno MCCXIII. *Innocentius III.* ad *Nicolaum* Legatum Apostolicum in Anglia scripserat hoc tenore: *Mandamus, quatenus Episcopatus & Abbatias Angliæ nunc vacantes, facias cum tuo consilio de personis idoneis per electionem vel postulationem canonicam ordinari, qui non solum vitâ, & scientia sint præclari, verum etiam Regi fideles, & Regno utiles, nec non ad auxilium & consilium efficaces, assensu Regio requisito.*

Electionum libertas *Henrico III.* regnante turbata sæpe fuit. *Petro de Rupibus* Vvintoniensi Episcopo defuncto, anno MCCXXVIII. *Wilelmum* Valentinum electum illi Ecclesiæ præficere voluit Rex *Henricus*. Capitulum Vvintoniense *Radulphum de Neville* Cicestrensem Episcopum, Regique Cancellarium *contra voluntatem Regis* postulavit. Ab ipso propterea sigillum abstulit Rex *Henricus*, & Capituli postulationem à Romano Pontifice rescindi obtinuit. Ad alteram electionem itum est. Rex omnem adhibuit operam ut Electus Valentinus eligeretur. *Quod constanter Monachi, ad quos specialiter de antiquo jure pertinere dignoscitur electio, inter se renuentes, sicut moris est, Regem adierunt, licentiam eligendi postulantes.* Electus iterum *Radulphus*, quem Rex multis convitiis affecit; electionémque à Romano Pontifice irritam dici impetravit. Anno sequenti, Monachi Vvintonienses à Romano Pontifice impetrarunt, *Ut nullam alienigenam personam & invisam universitati Regni per Regis acerbam instantiam vel imperiosas ejus preces, in suarum animarum custodem & Episcopum eligerent, sed rite, ut justum & canonicum est, quemcunque viderent idoneum, liberè & sine exactione in suum Antistitem sumerent & Pastorem. Quapropter Dominus Rex in vehementem iram exarsit, quasi non posset invenire Angligenam illi Episcopatui sufficientem.*

Anno MCCXL. Anglicani Præsules & Magnates coram Sedis Apostolicæ Legato, de Rege, Regiísque Ministris conquesti sunt, his verbis: *Non patitur suis Pastoribus viduatas Ecclesias, restitutas respirare; sed ut ab eisdem Ecclesiastica bona variis argumentis*

argumentis extorqueas, annis plurimis eas in manu sua detinet, nec patitur electiones canonicas celebrari.

Seculo XIV. Jus electionum in Ecclesia Anglicana integrum erat, sed interdum Pontificiis Reservationibus impediebantur. Anno MCCCXIII. defuncto *Roberto de Vvinchelsey* Cantuariensi Archiepiscopo, Monachi Magistrum *Thomam de Cobham* concorditer elegerunt, quamvis illius Archiepiscopatus collationem sibi Summus Pontifex reservasset. Electionem propterea irritam pronuntiavit, & *Vvalterum* Wigorniensem Episcopum Regis Cancellarium, Archipræsulem renuntiavit, Ecclesiæ ac Regno sperans plurimùm profuturum. Ita refert *Thomas Vvalsinghamus* in *Eduardo II.*

Anno MCCCXL. *Eduardus III.* ad *Clementem VI.* Pontificem Maximum gravissimas literas dedit pro Ecclesiæ Anglicanæ libertate contra Reservationes, & Collationes Beneficiorum Cardinalibus factas, quibus electionum libertas pessumdabatur. *Nos autem*, inquit, *Anglicanæ depressionem Ecclesiæ, & exheredationem Coronæ nostræ, ac mala prædicta, quæ dissimulata diutiùs, adjicerent verisimiliter graviora, patulo cernentes intuitu, ad vos Successores Apostolorum Principis, qui ad pascendum, non ad tondendum oves dominicas, ac ad confirmandum, & non ad deprimendum fratres suos mandatum à Christo suscepit, ista deferimus, votivis affectibus supplicantes, quatenus præmissis debitè ponderatis ac consideratis, quòd de jure creandi sunt de vico populi Magistratus, & juxta dictum Prophetæ, dandi sunt de eodem loco populi vinitores, quod per Beatos Apostolos legitur esse factum.... Pensatâ etiam devotionis plenitudine, quâ Domus nostra Regia, & Clerus & populus dicti Regni perstiterunt hactenus in obedientia dictæ Sedis, propter quod non haberet paternus affectus eis onera & gravamina cumulare, ut pater filiis thesaurizans, alleviant dictarum impositionum, & provisionum, ac onerum tam per Sedem Apostolicam invalescentium gravitatem, permittentes ulteriùs ut Patroni Patronatûs sui solatium non amittant, Ecclesiæque Cathedrales, & aliæ dicti Regni liberas electiones & earum effectum habeant. Quas quidem Ecclesias dicti Progenitores nostri, dudum singulis vacationibus earumdem, personis idoneis Jure suo Regio liberè conferebant, & postmodum ad rogatum & ad instantiam dictæ Sedis, sub certis modis & conditionibus concesserunt, quòd electiones fierent in dictis Ecclesiis per Capitula earumdem, quæ concessio fuit per Sedem Apostolicam ex certa scientia confirmata. Sed contra formam concessionis & confirmationis prædictarum, dicta Sedes per Reservationes & Provisiones suas dictis Capitulis electiones adimit supradictas, & nobis jus & prærogativam, quæ juxta formam dictæ concessionis nobis competunt in hac parte.* Ita refert *Thomas Vvalsinghamus* in *Eduardo III.*

Anno MCCCLXXIII. Oratores misit ad Romanum Pontificem Rex *Eduardus III.* qui suæ Majestatis nomine Sanctitatem ejus rogarent: *Ut super reservatione Beneficiorum in Curia sua factâ, in Anglia de cætero supersederet, ut etiam Clerici ad Episcopales Dignitates suis electionibus pleno jure gauderent, & ut à suis Metropolitanis, prout antiquitus fieri consuevit, iidem Clerici confirmari valerent..... Eodem anno in Parlamento erat decretum, quòd Ecclesiæ Cathedrales suis gauderent electionibus, & quòd Rex de cætero contra electos non scriberet, sed per literas suas ad eorum confirmationem juvaret, sed tamen hoc statutum in nullo profecit.* Verba sunt *Thomæ Vvalsinghami*.

Anno MCCCLXXIV. Tractatus Regem inter & Pontificem initus est, & *concordatum est inter eos, quòd Papa de cætero reservationibus Beneficiorum minimè uteretur.* Sed de electionibus pro quibus Oratores anno superiori missi fuerant, altum fuit silentium. *Et hoc adscribitur aliquibus, qui sciebant se potius per Curiam Romanam, quam per electiones, ad Dignitates Episcopales, quas ambiunt, promoveri* (inquit laudatus Historicus.)

Electiones Episcoporum in Hispaniis.

Ante XII. seculum, in Hispania Taraconensi, post Episcopi obitum, alius eligi non poterat absque consilio & assensu Regis. Id Ecclesiasticæ libertati parum commodum censuit *Petrus* Rex Aragonum. Quamobrem Romæ peractis Inaugurationis suæ solemniis anno MCCVI. lege latâ sancivit ut deinceps libera esset Episcoporum electio, assensu Regio minimè requisito. Ne tamen Jus illud Regium penitus abjiceret, statuit ut electione celebratâ electus Antistes Regi præsentaretur in signum Regiæ fidelitatis. *Regi Regum*, inquit, *per quem Reges regnant, reverentiam debitam exhibentes, & Sponsæ ejus sanctæ videlicet Ecclesiæ integram libertatem conservare volentes, pessimam consuetudinem à nobis hactenus observatam, quâ electionem Prælatorum sine nostro consilio & assensu procedere non permittebamus, amore Dei & Sanctæ Ecclesiæ, & pro remedio animæ nostræ & parentum nostrorum, relaxamus: Vobisque & universis Successoribus vestris, & Conventibus in omni Jurisdictione nostra constitutis, liberam eligendi facultatem per nos & per omnes Successores nostros, assensu Regio minimè requisito, in perpetuum indulgemus. Hoc solum nobis & successoribus nostris reservantes, ut liberè & canonicè electus, in signum Regiæ fidelitatis nobis & successoribus nostris debeat præsentari.* Regium Edictum confirmavit *Innocentius III.* Epistola data ad Episcopos in Regno Aragonensi constitutos, quæ est CXLIV. libri X. Legatur Additio doctissimi *Baluzii* ad caput X. lib. VIII. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, Dom. *De Marca*.

Episcoporum Electiones in Italia.

Decimo-tertio seculo salvam fuisse in Italia sacrarum electionum libertatem, *Innocentii III.* Epistolæ & Decreta testantur. Lege Epistolas CX. & CCXXXIII. libri XV. *Fridericus II.* Romanorum & Siciliæ Rex anno MCCXIII. sacramentum de servandis Ecclesiæ Juribus, & sacrarum præsertim electionum libertate præstitit. *Illum* (inquit) *volentes abolere abusum, quem quidam Prædecessorum nostrorum exercuisse dignoscuntur & dicuntur, in electionibus Prælatorum, concedimus & sancimus, ut electiones Prælatorum liberè & canonicè fiant, quatenus ille præficiatur Ecclesiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major & sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil desit ei de Canonicis Institutis.* Ita refert *Odericus Raynaldus* ad hunc annum, Num. XXIII. Regii tamen assensus rogandi necessitatem non remisit *Fridericus*, unde anno MCCXXVI. de *Honorio III.* Pontifice Maximo conquestus est, quòd Regia Jura imminueret, suâque inconsultâ Majestate Præsules Ecclesiis præficeret, ut ex literis ejusdem Pontificis ad ipsum *Fridericum* jam Imperatorem compertum est. *Dicis, Jus Regibus Siciliæ in electionibus Prælatorum, sicut asseris, debitum ex antiquo, nostris Constitutionibus minorari. Verùm si scripta tua & Genitricis tuæ manu sollicitudinis revolvisses, si Sanctorum etiam Patrum Constitutiones adverteres, non culpares Ecclesiam circa defensionem Ecclesiasticæ libertatis.... Asseris insuper Nos, præter formam communiter requisitam, Te inconsulto, quibusdam Ecclesiis Regni vacantibus præfecisse personas. Sed quæ sit illa forma nescimus, quæ pro certo nimis esset informis, per quam Apostolicæ Sedis judicium ex tuæ voluntatis arbitrio dependeret. Non tamen intendimus promovere suspectos, dummodo non ultra*

notam

notam suspicionis extendas, quàm rationis tramites patiantur.

Anno MCCLXIII. *Innocentius IV.* de Sicilia *Carolo* Andegavensis Comiti fiduciario jure tradenda per Legatum Apostolicum agens, plures ipsi conditiones proposuit, quarum una sacrarum electionum libertatem spectabat. *Item electiones, provisiones, postulationes, & confirmationes Cathedralium Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum locorum religiosorum, tam in Prælatis quàm Clericis & aliis personis Ecclesiasticis, liberè fiant, secundùm quòd Canones mandant, & maximè Statuta Concilii Generalis. Denuntiatio tamen mortis Prælati, Regi fiat, si fieri consuevit: sed ejus consilium vel consensus in prædictis non requiratur, nec ante electionem, nec post electionem.* Ita refert *Odoricus Raynaldus* ad hunc annum, Num. III. Eamdem verò conditionem sacramento firmavit *Carolus*, cùm Siculi Regni Investituram à *Clemente IV.* suscepit. *Omnes insuper Ecclesiæ, tam Cathedrales, quàm aliæ Regulares & seculares, necnon & omnes Prælati & Clerici, ac universæ personæ Ecclesiasticæ, seculares & Religiosæ, & quæcumque religionis loca, cum omnibus bonis suis, in electionibus, postulationibus nominationibus, provisionibus, & omnibus aliis, plena libertate gaudebunt: nec ante electionem, sive in electione, vel post, Regius assensus vel consilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem vos & vestri in Regno heredes semper manutenebitis.* Refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCLXV. Num. XIX. Eamdem legem *Jacobo* Aragonum Regi *Bonifacius VIII.* imposuit, cùm ipsi & ejus posteris Sardiniæ & Corsicæ Regna fiduciario jure tradidit, anno MCCXCVII. ut in ejus Diplomate apud *Odoricum Raynaldum* Num. X. legere est. Eædem leges in Germania vigebant.

Confirmatio Episcoporum.

II. Episcopos electos à Metropolitanis: Metropolitanos verò à Romano Pontifice confirmari necessum erat. Ante confirmationem, Ecclesiarum administrationi se ingerere non poterant, etiam sub procurationis aut œconomatus nomine, ut constat ex Decreto Concilii Oecumenici Lugdunensis sub *Gregorio X.* & refertur cap. *Avaritia: De electione & electi potestate*, in Sexto. *Avaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas, aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, ut quæ sibi à jure interdicta noverint, exquisitis fraudibus usurpare conentur. Nonnulli siquidem ad regimen Ecclesiarum electi, quia eis, jure prohibente, non licet se ante confirmationem electionis celebratæ de ipsis, administrationi Ecclesiarum ad quas vocantur ingerere: ipsam sibi tanquam Procuratoribus seu Oeconomis committi procurant. Cùm itaque non sit malitiis hominum indulgendum: Nos latius providere volentes, hac generali Constitutione sancimus, ut nullus de cætero administrationem Dignitatis, ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, sub œconomatus vel procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se vel per alium, pro parte vel in totum, gerere vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. Omnes illos qui secus fecerint, jure, si quod eis per electionem quæsitum fuerit, decernentes eo ipso privatos.* Electionis confirmationem infra tres menses nisi peterent, irrita fiebat electio, ut statutum est cap. *Quam sit*; (ibidem) quam sui Decessoris Decretalem confirmavit, & explicuit *Nicolaus III.* cap. *Cupientes*; (ibidem.) Apud Sedem Apostolicam promotos, vel ab ea confirmatos, possessionem inire, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem ante accipere vetuit *Bonifacius VIII.* quàm in promotionis aut confirmationis suæ testimonium Literas Apostolicas obtineant, ut constat ex Extravaganti, *Injunctæ*; cujus hæc sunt verba: *Præsenti itaque perpetuò valitura Constitutione sancimus, ut Episcopi, & alii Prælati Superiores, necnon Abbates, Priores, cæteri Monasteriorum regimina exercentes, quocumque nomine censeantur, qui apud dictam Sedem promoventur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis Ecclesias & Monasteria, absque dictæ Sedis Literis, hujusmodi eorum promotionem, confirmationem, consecrationem seu benedictionem continentibus, accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere non præsumant, nullique eos absque dictarum literarum ostensione recipiant, aut eis pareant vel intendant. Quod si forsan contra præsumptum fuerit: quod per Episcopos, Prælatos, Abbates, &c. medio tempore actum fuerit, irritum habeatur: nec quicquam interim iidem Episcopi vel Prælati, de Ecclesiarum vel Monasteriorum proventibus percipiant eorumdem. Capitula verò, Conventus Ecclesiarum & Monasteriorum ipsorum, & alii quicumque, ipsos absque dictæ Sedis Literis recipientes, vel obedientes eisdem, tamdiu sint à Beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc ejusdem Sedis gratiam meruerint obtinere.* Novæ hujusce Constitutionis suæ rationem hanc affert Pontifex, quòd *Periculosum existat, quòd aliquis in Officio, Dignitate, vel Gradu fore se asserat, & pro tali etiam habeatur, nisi prius ipse, quod asserit, legitimis ostenderit documentis, ut tam ex Civilibus, quam ex Canonicis Institutis colligitur evidenter.*

Juramentum obedientiæ Romano Pontifici præstitum.

III. *Fidelitatis & obedientiæ Juramentum* Orientales Patriarchæ Romano Pontifici præstare tenebantur, cùm ab eo Pallium recipiebant; Idem verò Pontificalis Officii insigne sibi subditis Metropolitanis conferre poterant: *Recipientes pro se Professionem Canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem.* Ita decretum est in Concilio Lateranensi IV. Canone 5. & refertur cap. *Antiqua. De Privilegiis & excessibus Privilegiatorum.* Gradensi Patriarchæ prohibuit *Gregorius IX.* ne à Suffraganeis suis Juramentum exigeret præter formam Canonicam, quam Romanus ipse Pontifex à Coëpiscopis sibi immediatè subjectis recipiebat. (cap. *Dilecti: De Majoritate & Obedientia.*) Statuit *Clemens VI.* ut Episcopi seu alii Prælati, qui per Sedem Apostolicam promoventur, & consecrationis seu benedictionis munus à Summo Pontifice in Romana Curia, vel alibi ejus mandato suscipiunt, ipsique solitum fidelitatis præstant sacramentum, suis Metropolitanis teneantur, seu Prælatis aliis quibus immediatè subsunt, aliud consuetum Juramentum præstare. Hancce *Clementis VI.* Constitutionem rogante *Goffredo* Archiepiscopo Tolosano, confirmavit *Urbanus V.* anno MCCCLXX. Refert *Odoricus Raynaldus*, ad hunc annum Num. XX. Legatur & duplex Juramentum quod *Albertus* Lubecensis Episcopus, Livoniæ, Estoniæ, & Prussiæ Apostolicæ Sedis Legatus præstitit C. Archiepiscopo Bremensi, Metropolitano suo, aliudque *Vvillelmi* Suverinensis Episcopi. Edita sunt inter Privilegia Ecclesiæ Hamaburgensis, ad calcem Historiæ Ecclesiasticæ *Adami* Bremensis Canonici, pag. 199. & 200.

Sacramentum fidelitatis Regibus præstitum ab Episcopis.

IV. Juramentum fidelitatis Regibus præstare tenebantur Episcopi. *Innocentius III.* in Concilio Lateranensi IV. *Canone* 43. Laïcis duntaxat inhibuit ne Sacramentum fidelitatis ab illis exigerent, qui temporalia dominia ab ipsis non tenebant. *Nimis*, inquit, *de jure divino quidam Laici usurpare conantur, cùm Viros Ecclesiasticos nihil temporale detinentes ab eis ad præstandum sibi fidelitatis juramenta compellunt. Quia verò secundùm Apostolum, servus suo Domino stat aut cadit, sacri auctoritate Concilii*

Concilii prohibemus, ne tales Clerici personis secularibus præstare cogantur hujusmodi juramenta. Refertur Extra, *De Jurejurando : Cap. Nimis.* Jus exigendi fidelitatis Juramentum ab Episcopis, Scotiæ Regibus convenire agnovit *Alexander IV.* qui de *Joanne Cheamo* Glasguensi Episcopo ad *Alexandrum* Scotiæ Regem his verbis scripsit : *Nos qui semper ad hoc vigilanter intendimus, quòd Apostolicæ Dignitatis honorem, & privilegium Ecclesiasticæ libertatis in suo robore conservantes, aliquorum jura vel approbatas consuetudines non lædamus, de fratrum consilio duximus providendum, quòd idem Episcopus sub suo conductu ad Regalem præsentiam liberè perveniat & securè, ac tibi prout consuevit fieri, præstet fidelitatis debita Juramentum, & præfatæ Ecclesiæ suæ Regalia, seu temporalia de manibus tuis recipiat subsequenter, &c.* Ita refert *Odericus Raynaldus* ad annum MCCLX. Num. XIV.

Jus idem Regi Siciliæ servavit *Clemens IV. Carolo* Andegavorum Comiti, suo & Apostolicæ Sedis nomine Regnum conferens anno MCCLXV. *Sacramenta verò fidelitatis*, inquit, *præstabuntur secundùm antiquam & rationabilem consuetudinem, prout Canonica Instituta permittunt, ab illis Ecclesiarum Prælatis, quorum Prædecessores antiquis illa Regibus Siciliæ præstiterunt : ab illis autem Prælatis & Ecclesiis, qui Regalia sive temporalia bona tenent, si qui tamen sunt qui hujusmodi bona teneant à Domino Regni & aliis Dominis temporalibus : & qui ratione hujusmodi bonorum ab antiquo consueverunt Regibus & ipsis Dominis temporalibus servitia exhibere ; hujusmodi honesta & antiqua servitia eis secundùm rationabilem & antiquam consuetudinem, & sicut Instituta patiuntur Canonica, impendentur, salvâ semper circa Ecclesias Cathedrales, & alias Regulares & seculares, ac personas & loca Ecclesiastica, tam in faciendis provisionibus & electionibus confirmandis, quàm in omnibus quibuscumque aliis, Romani Pontificis & Ecclesiæ Romanæ Jurisdictione, ac auctoritate plenariâ & liberâ potestate.* Illud *Clementis IV.* Diploma editum est Tom. IX. *Spicilegii*, pag. 214.

Tom. ix. Spicilegii

Anno MCCXCI. *Guillelmus Major* Andegavensis Ecclesiæ Electus, & auctoritate Metropolitanâ confirmatus, *Philippo Pulchro* Regi Christianissimo Juramentum fidelitatis præstitit hunc in modum, prout in Gestis suis ipse refert Cap. XVII. *Stola nobis ad collum positâ in modum Crucis ante pectus, & manu ad pectus missâ, libro Evangeliorum coram posito dixit nobis de mandato Regis Dominus Petrus de Chamberry Miles : Vos juratis Domino Regi fidem & legalitatem, & filio ejus Regi Francorum post eum, & quòd servabitis eisdem corpora, membra, & visum, & jura sua, & honorem suum temporalem ; & si petat à vobis consilium bonum & fidele, sibi dabitis. Ita juratis? Et nos respondimus : Ita juro.*

Cessiones Episcoporum.

V. Cessiones Episcoporum sinè causis canonicis, & absque Romani Pontificis auctoritate fieri non poterant. Id constat ex Cap. *Inter : De Translatione Episcopi* : cujus hæc sunt verba : *Cùm fortius sit spirituale vinculum, quàm carnale, dubitari non debet quin omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantum judicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem etiam carnalis conjugii, quod est inter virum & fœminam, suo tantum judicio reservavit, præcipiens ut quos Deus conjunxit, homo non separet. Non enim humana, sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cùm per translationem, depositionem, aut cessionem, auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium Jesu Christi) Episcopus ab Ecclesia removetur : & ideo tria hæc, quæ præmisimus, non tam Constitutione Canonica, quàm Institutione Divina, soli sunt Romano Pontifici reservata.* Probabilem, verisimilem, convenientem rationem *Innocentius III.* affert, non necessariam, demonstrativam, convincentem. Nam si idem planè judicium de carnalis & spiritualis connubii vinculo ferendum esset, sequeretur Summum Pontificem spirituale connubium Episcopi cum sua Ecclesia solvere non posse, sicut carnale matrimonium legitimè contractum dirimere non potest. Sed eo sensu intelligenda est *Innocentii* sententia, ut sicut utriusque connubii, & indissolubilitatis ipsius Deus est author, ita dispensationes omnes utrumque spectantes à Summo ipsius in terris Vicario dari deceat. Divina porro institutione soli Romano Pontifici jus admittendi cessiones Episcoporum, aut translationes decernendi, permittendique reservatum asserit, quia potestas dispensationes concedendi per totam Ecclesiam, & majora quædam negotia sibi reservandi, appendix quædam est divini Primatus.

Causæ ob quas Episcopatu cedere licet.

Sex autem causas cedendi Episcopatu idem Pontifex recenset Cap. *Nisi : De Renuntiatione* : cujus hæc sunt verba : *Intueri te volumus, quòd hæ sunt illæ, per quas cedendi Episcopus licentiam potest postulare : conscientia criminis, debilitas corporis ; defectus scientiæ ; malitia plebis ; grave scandalum ; irregularitasque personæ : sed in his omnibus est observanda cautela. Propter conscientiam enim criminis, cedendi potest licentia postulari, & forsitan non cujuslibet, sed duntaxat illius, propter quod ipsius Officii executio post peractam pœnitentiam impeditur : cùm si omnes quos arguit conscientia cujuslibet culpæ, cederent, pauci vel nulli in illo Ministerio remanerent...... Alia verò causa est debilitas corporis ; quæ vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit : Nec tamen omnis, sed illa solummodo per quam impotens redditur ad exequendum Officium Pastorale... Pro defectu quoque scientiæ plerumque potest quis petere cessionem : quia cùm ipsa circa spiritualium administrationem sit potissimum necessaria, & circa curam temporalium opportuna ; Præsul qui commissam sibi debet Ecclesiam regere in utrisque, salubriter ei renunciat, si scientiam in qua ipsam regat, ignorat. Tu enim (inquit Dominus) scientiam repulisti : & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Quanquam & desideranda sit eminens scientia in Pastore, in eo tamen sit competens toleranda, quia secundùm Apostolum, Scientia inflat, charitas autem ædificat : & ideo imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis. Propter malitiam autem plebis cogitur interdum Prælatus ab ipsius regimine declinare : quando plebs adeo dura cervicis existit, ut proficere nequeat apud ipsam... Non tamen pro qualibet culpa Pastor debet gregem deserere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit : sed de Superioris licentia tunc demum potest non tam timidè fugere, quàm providè declinare, cùm oves convertuntur in lupos ; & qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicunt : cùm etsi tales sint graviter pro crimine puniendi, sunt tamen utiliter tolerandi, quia sanguinem elicit, qui nimis emungit.... Pro gravi quoque scandalo evitando, cùm aliter sedari non potest, licet Episcopo petere cessionem : ne plus temporalem honorem, quàm æternam videatur affectare salutem.... Personæ verò irregularitas, ut si fortè sit bigamus, vel viduæ maritus, est causa propter quam petere potest licentiam aliquis resignandi, attestante Apostolo qui dicit : Oportet Episcopum esse unius uxoris virum. Non tamen propter quamlibet irregularitatem personæ, debet ei, qui regulariter ministravit, cedendi licentia indulgeri : utpote si de legitimo Matrimonio non sit natus : quia licèt irregularitatem hujusmodi*

Hist. Eccl. Sæc. XIII. & XIV.

non potuerit subticere, si tamen & culpa latet & causa, cum eo qui laudabiliter suum implevit Officium (injunctâ sibi pœnitentiâ competenti) potest non minus utiliter, quàm misericorditer dispensari.

Porro qui cedendi licentiam postularunt, ii sunt ad cedendum compellendi, si fortè eâ obtentâ Episcopatum retinent, ut statuit idem Pontifex, Cap. *Quidam*, ibidem. *Quidam*, inquit, *cedendi licentiam cum instantia postulantes, eâ obtentâ, cedere prætermittunt. Sed cùm in postulatione hujusmodi, aut Ecclesiarum commoda quibus præsunt, aut salutem videantur propriam attendisse (quorum neutrum suasionibus aliquorum quærentium quæ sua sunt, seu etiam levitate qualibet volumus impediri) eos ad cedendum decernimus compellendos.* Legantur Epistolæ Innocentii III. XXXII. libri XIV. ad Auxitanum Archiepiscopum XXXIV. ad Uticensem Episcopum Sedis Apostolicæ Legatum, Epistola CXLII. libri XV. ad Cremonensem & Vercellensem Episcopos Sedis Apostolicæ Legatos, & Reginensem electum; denique CXL. libri XVI. ad Taurinensem Episcopum data.

Anno MCCXIII *Gaufridus Silvanectensis Episcopus sentiens se tam ætate, quam corpulentiâ ponderosâ insufficientem oneri, quod jam per XXX. annos portaverat, impetratâ à Summo Pontifice, sicut in Jure cautum est, licentiâ, renunciavit Episcopatui, & transtulit se ad Monachos Karoli loci, Cisterciensis Ordinis.* Ita refert *Rigordus* lib. *De Gestis* Philippi Augusti. *Gaufridus* alter *Meldensis Episcopus, vir sanctissimus, Episcopatui similiter renuncians, in Monasterio S. Victoris Parisius divinæ contemplationi sese arctiùs mancipavit;* eodem *Rigordo* teste.

Coadjutorum assumptio.

VI. Resignationes in favorem, & Coadjutorum assumptiones non fiebant ab Episcopis, nisi ob affectam ætatem, frequentes & quasi perpetuas infirmitates, vel alias causas gravissimas, quæ illos prohibebant ne Pastorali Munere fungerentur; nec absque Sedis Apostolicæ auctoritate. Id constat ex *Innocentio III*. Cap. *Ex parte*: *De Clerico ægrotante*, cujus hæc sunt verba: *Cum Aurasiensis Episcopus gravi & incurabili morbo fere per quadriennium laboraverit, ita quòd Pastorale Officium non potest ullatenus exercere: Princeps terræ illius, ac cives civitatis ejusdem, à te postulant incessanter, ut ipsis (cùm sis Metropolitanus eorum) studeas providere. Verùm cùm ipsum ad cessionem compellere non possis, nec debeas ullo modo, nec afflicto afflictio sit addenda, immo potius ipsius miseriæ miserendum, eò quod idem vir bonus extiterit, & Ecclesiam salubriter sibi commissam gubernaverit: Nos volentes tam Episcopo quam Ecclesiæ providere, Mandamus quatenus illi Coadjutorem associes virum providum & honestum: per quem tam Episcopo quàm populo utiliter consulatur.*

Idem confirmat *Bonifacius VIII*. in Decretali, *Pastoralis*, in Sexto. *Declaramus*, inquit, *atque statuimus, Coadjutorum Episcoporum & Superiorum Prælatorum dationem intelligendam esse de causis majoribus, & referendam ad Sedem Apostolicam, ac ab ea (consuetudine non obstante contrariâ) tantummodo postulandam. Verùm ne hoc prætextu Ecclesiæ (existentes præcipuè in remotis) dispendia patiantur: Nos earum in hac parte indemnitatibus præcavere volentes, hâc generali Constitutione sancimus, ut Episcopus senio aut valetudine corporali gravatus, vel etiam aliàs adeo impeditus perpetuo, ut Officium suum nequeat exercere: possit de sui consilio & assensu Capituli, vel majoris partis ipsius, unum vel duos Auctoritate Apostolica Coadjutores assumere, ad dictam Officium exequendum. Si vero Episcopus demens fuerit, & quid velit aut nolit, exprimere nesciat, vel non possit: tunc ejus Capitulum, vel duæ ipsius partes eadem auctoritate unum aut duos Coadjutores assumant idoneos, qui ejus Officium exequantur. Si autem Episcopus senio aut incurabili morbo gravatus, vel perpetuo impedimento detentus, ad sui executionem Officii reddatur inutilis, & Coadjutorem assumere vel habere noluerit, licèt à Capitulo requisitus proprio, se illius non indigere suffragio forsitan asserendo: tunc nil per Capitulum innovetur, sed hoc casu, & etiam proximo, idem Capitulum Episcopi & Ecclesiæ suæ conditionem & statum, ac facti circumstantias universas quàm citò poterit, fideliter & explicitè referat ad notitiam dictæ Sedis, recepturi humiliter & efficaciter impleturi, quod super hoc per Sedem ipsam contigerit ordinari. Præsenti quoque adjicimus Sanctioni, ut Coadjutores hujusmodi de proventibus Prælatorum, in quorum assumentur auxilium, sumptus recipiant moderatos, ab alienatione qualibet de bonis Ecclesiasticis Prælatorum ipsorum, vel Ecclesiarum suarum quomodolibet facienda penitus abstinentes: rationem non solùm in districto examine, sed & Prælatis eisdem (si sanæ mentis extiterint) ac Capitulis eorumdem, seu etiam ipsorum Prælatorum successoribus (si hoc antea non fecerint) plenariam reddituri.*

Episcoporum translationes Solius Sedis Apostolicæ auctoritate, & ob Ecclesiæ commodum factæ.

VII Translationes Episcoporum, solius Sedis Apostolicæ auctoritate, & ob Ecclesiæ commodum fieri poterant, ut docet *Innocentius III*. Cap. *Cum ex illo*: *De Translatione Episcopi*: quo Antiochenum Patriarcham, qui confirmatum in Archiepiscopum ad Sedem Episcopalem Tripolitanam transtulerat, ab Episcoporum confirmatione suspendit. *Cum*, inquit, *ex illo generali Privilegio, quod B. Petro, & per eum Ecclesiæ Romanæ Dominus indulsit, Canonica postmodum manaverint Instituta, continentia majores Ecclesiæ causas ad Sedem Apostolicam perferendas: ac per hoc translationes Episcoporum, & Sedium mutationes ad Summum Apostolicæ Sedis Antistitem de jure pertineant; nec super his quicquam præter ejus assensum debeat immutari: Miramur, quòd L. Apameensem electum in Tripolitanam Ecclesiam transtulisti, & novo quodam mutationis genere parvificasti majorem, & magnum quodammodo minorasti, episcopare Archiepiscopum, immo potius dearchiepiscopare præsumens* &c. Cum Turonensis Archiepiscopus electum Abrincensem, per Metropolitanum suum confirmatum, in Ecclesiam Andegavensem præter auctoritatem Sedis Apostolicæ transferre præsumpsisset, & in Episcopum consecrare, illique Rothomagensis Archiepiscopus transeundi licentiam concessisset, utrumque Archipræsulem à consecratione & confirmatione Episcoporum, ipsum verò Episcopum ab executione Pontificalis Officii suspendit: Cap. *Inter*: *De translatione Episcopi*. Norwicensem Episcopum ad Wintoniensem Ecclesiam transtulit *Innocentius IV*. Id indignè tulit *Henricus III*. Angliæ Rex, nec absque suæ Majestatis assensu fieri debere contendit. Regalia fructúsque omnes Episcopatus detinuit, Antistitem in Gallias fugere compulit. Ad Regem scripsit Summus Pontifex gravissimas literas, quibus ipsius Majestatem est hortatus ut Episcopo faveret, nec Ecclesiæ libertatem opprimeret. *Cum*, inquit, *Venerabilem Fratrem nostrum, quondam Norwicensem, Wintoniensi Ecclesiæ de Fratrum consilio concessimus in Pastorem, preces sibi direximus speciales, ut eidem pro divina & nostra reverentia te redderes affectu benevolum, & effectu favorabilem, ac si qua castra & maneria ipsius Ecclesiæ, promptâ benignitate ei faceres assignari. Tu verò, sicut mirantes audivimus & dolemus, nedum preces hujusmodi voluisti deducere ad effectum; immo, quod*

est

est gravius, in verba nihil debita modestia vel reverentia filialis habentia prorupisti, asserens quòd nulla postulatio in Regno Anglia per Sedem Apostolicam admitti possit vel debeat te invito, & quòd illam quam nos in spiritualibus, tu in temporalibus habeas potestatem, nec quis postulatus possit absque tuo consensu possessionem temporalium obtinere. Adjecisti praterea, quod translationem ipsius Episcopi reputares invalidam, tanquam à nobis per vitium surreptionis obtentam. Hac siquidem, Fili charissime, non Dei, non Ecclesia, non tua resonant Sublimitatis honorem, non sapiunt justitiam, non redolent aquitatem: prasertim cùm teneat omnium credulitas pia fidelium, quòd Apostolica Sedis auctoritas liberam habeat in Ecclesiis universis potestatem à Dei providentia, nec arbitrio Principum ipsa stare cogitur, ut eorum in electionum vel postulationum negotiis requirat assensum. In quibus tamen, Dominum habendo pra oculis, sic providè procedit & cautè, quòd per illam nullius possit honori detrahi, vel justitia derogari: sicut etiam in translatione ipsius Episcopi dignoscitur processisse, &c. Sibi castra & maneria cum fructibus inde perceptis à tempore translationis hujusmodi, omni postposita difficultate resignes, ac benevola benignitate concedas, quòd sollicitudinem ei creditam possit cum effectu prosequi, tua favente gratia speciali. Alias, cum Libertatem Ecclesiasticam in diebus nostris velimus non minui, sed Deo propitio augeri cupiamus, nullatenus sustinere poterimus, quòd nos in ipso Episcopo tam prajudicialem injuriam patiamur. Hanc Epistolam refert *Matthaus Parisius* ad annum MCCXLIV. Narrat idem Auctor quomodo pax inter Episcopum & Regem composita sit, illo ad Regis postulata modestè & cum reverentia ejus Majestati debita respondente; salvis tamen Ecclesiæ juribus.

Anno MCCCXCVIII. *Papa Joannem Lincolniensem Episcopum transtulit ad Episcopatum Cestria tunc vacantem. Et dedit Episcopatum Lincolnia Henrico Bevvford uni de filiis Domini Joannis Ducis Lancastria, ob Ducis reverentiam & amorem. Episcopus verò Lincolnia veteranus noluit admittere hanc translationem, sed eâ spretâ contulit se Lincolniam, & in Ecclesia Christi inter Monachos finem vita fecit. Confessor Regis* [a]*, quidem Frater de Ordine Pradicatorum, de Episcopatu Landasensi translatus est ad Episcopatum Cestrensem. Rex eo tempore fecit convocari Clerum, ut determinaret si liceret Papa tales facere Translationes pro arbitrio sua voluntatis. Ad quod fuit responsum, non directè, sed modo supplicationis porrecta Regi ex parte Cleri, ut dignaretur Papa scribere, ut à talibus Translationibus cessaret pro commodo totius Ecclesia Anglicana. Rex vero cùm audisset responsum tale, velut offensus licentia Papa, juravit, quod si Clerus restitisset constanter Papa in isto negotio, ipse manus apposuisset in auxilium eorumdem.* Ita refert *Thomas VValsinghamus* ad hunc annum, pag. 356.

[a] Richardi II.

Episcopi alia Beneficia absque Sedis Apostolica dispensatione possidere non poterant.

VIII. Alia Beneficia ab Episcopatu possidere absque Sedis Apostolicæ dispensatione Episcopis non licebat. Abusum in Anglicana Ecclesia inolitum narrat *Matthaus Paris* ad annum MCCLI. pag. 546. ut Episcopi electi, vel translati, prioris Episcopatus reditus aliquot annos retinerent. *Confirmati sunt Electus VVintoniensis & Roffensis, quibus concessum est & per aliquot annos sequentes reditus prius obtentos retinere. Et sic jam in consuetudinem & usum hac abusio suscitatur, ut quis ad Episcopatum vocatus, non Episcopus permaneat, sed Electus, ut scilicet Pastor non pascat, sed pascatur: Et ut Episcopatûs pristinos reditus retineat, ut multiforme monstrum habeatur: Et ut aliquis Episcopus ad alium Episcopatum ditiorem postulatus transferatur, ut una Ecclesia alterius pellex habeatur.*

Brugensis Capellæ Decano Conventrensi Episcopo renunciato, permisit *Eduardus I.* Angliæ Rex, ut Decanatum ad quinquennium retineret, accedente Sedis Apostolicæ dispensatione. *Decanatum*, inquit, *qui per electi consecrationem est vacaturus, & ad nostram donationem liberè spectaturus, retineat per quinquennium de gratia nostra speciali, & fructus inde percipiat, si dispensationem ab Apostolica Sede accipiat.* Refertur in Constitutionibus Antiquis Regum Angliæ, pag. 769.

Humberto Delphinorum Vienneosium postremo, Alexandrino Patriarchæ, Remensis Ecclesiæ perpetuam administrationem *Clemens VI.* commendavit.

Tres Imperii Electores Ecclesiastici Cardinalitiam Dignitatem recusant.

Cùm *Urbanus VI.* tres Electores Ecclesiasticos Imperii, aliosque Germaniæ Præsules ad Cardinalitiam Dignitatem promovisset, *Cardinalatus honorem acceptare noluerunt, licèt Papa Archiepiscopis & Episcopis prafatis Ecclesiarum sibi commissarum administrationem in spiritualibus & temporalibus, quoad viverent, eis etiam non petentibus conservasset.* Refert *Theodoricus Niemus* lib. 1. de Schismate, Cap. XLIV. Cardinalibus necessaria erat dispensatio, ut Episcopatum cum Infulis Cardinalitiis retinerent. Unde *Clemens VI.* Attrebatensem Episcopum Cardinalem creans, à vinculo, quo suæ obstrictus erat Ecclesiæ, absolverat anno 1344. referente *Odorico Raynaldo* Num. LXVIII. *A vinculo*, inquit, *quo Attrebatensi tenebaris adstrictus, per nos de potestatis plenitudine absolutum, ad Cardinalatus honorem duximus assumendum.*

Cardinalibus necessaria erat dispensatio Pontificia ut Episcopatum cum Infulis Cardinalitiis retinerent.

Autisiodorensi Episcopo *Tolarando* in Collegium Cardinalium cooptato, reditus Episcopatus ad duos menses ex dispensatione concessit *Joannes XXII.* ut testantur ejus literæ ad *Philippum* Regem Christianissimum datæ, & ab *Odorico Raynaldo* relatæ. *Ut in veniendo possit expensas habiliter supportare, eidem dictam Autisiodorensem Ecclesiam de fratrum nostrorum consilio, usque ad instans Festum Magdalena duximus commendandam.* Cardinalem à Ravennatibus in Archiepiscopum postulatum illis denegaverat *Innocentius III.* ut constat ex Cap. *Bona memoria*; Extra: *De postulatione Pralatorum*, cujus hæc sunt verba: *Consideravimus quòd ejusdem Cardinalis prasentia utilior sit non solùm Romana, sed etiam Ecclesia generali tam apud Apostolicam Sedem, quàm apud Ecclesiam Ravennatem: Unde non immerito praferentes speciali utilitati communem, & minori majorem, pradictum Cardinalem postulationi vestra non duximus concedendum.*

Beneficiorum commendationes.

Beneficiorum commendationes, quæ spirituali polygamiæ occasionem dederunt, interdum à Romanis Pontificibus factæ, interdum saniori consilio revocatæ. *Clemens V.* Collationes omnes titulo Commendæ à se factas, Archiepiscopatuum, Episcopatuum, Monasteriorum, etiam S. R. E. Cardinalibus, abrogavit x. Kalendas Martii anno MCCCVI. ut docet ipsius Decretalis: *Ex superna*: cujus hæc sunt verba: *Ab ipso nostra promotionis exordio antiqua notitia Regum, Pralatorum, Magnatum, & aliarum nobilium personarum Ecclesiasticarum & secularium memores existentes, ac ipsorum aliquibus, tum quia in terris morantes eorum, gradum hujusmodi promotionis habuimus, tum quia solita ad eos amicitia specialibus affectibus ducebamur: aliquibus verò ex assueta Romanorum Pontificum liberalitate, quam in suis exercere sunt soliti novitatibus, volentes honoris & liberalitatis affluentia complacere, ad eorum importunas tamen & multiplicatas precum instantias, nonnullis Clericis & personis Ecclesiasticis,*

religiosis & secularibus diversorum ordinum, dignitatis, conditionum & statuum, Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias ac Monasteria destituta Pastoribus, sub commenda, vel custodia, seu cura, vel guardia, aut administrationis titulo, duximus perpetuò ad vitam seu ad certi temporis spatium committenda: super his, an tales videlicet sanctásque gratias per nos fieri decuisset, variorum arduorum negotiorum multiplicitate distracti, usque ad tempus, quo infirmitate periculosa nos his diebus visitavit Omnipotens: nequivimus cogitare plenariè. Verùm in debilitate ipsius agritudinis constituti, à negotiorum utcumque discussione semoti, ad hoc sub diligenti examine direximus aciem nostra mentis, demùmque prospeximus evidenter, quòd Ecclesiarum & Monasteriorum eorumdem cura negligitur, bona & jura dissipantur ipsorum, ac subjectis eis personis & populis spiritualiter plurimùm & temporaliter derogatur, eisque redundans ad noxam qua dicebantur cedere ad profectum, ac nedum ipsis, sed etiam Romana Matri Ecclesia (qua disponente Domino ipsorum Caput fore dignoscitur & Magistra) graviora inde futura timentur pericula. Nolentes igitur his tot & tantis dispendiis ulteriùs causam relinquere, sed volentes potius opportunum & debitum in hac parte remedium adhibere; omnes & singulas promissiones hujusmodi per nos factas quibuscumque cujuscumque ordinis, dignitatis aut status, sed etiam S. R. E. Cardinalibus, quotumque modo vel tempore facta noscantur, Auctoritate Apostolica ex nunc ex certa scientia revocamus, cassamus, & anullamus, & decernimus de cætero non habere aliquam roboris firmitatem. Extat lib. III. Extravagantium Communium Tit. II.

Commendarum abusus, & Beneficiorum ac Pensionum coacervatio vetita.

Contra Commendarum hujusmodi abusum, & Beneficiorum coacervationem *Guillelmus Durandus* Episcopus Mimatensis in libro *De Modo Generalis Concilii celebrandi*, quem *Clementis V.* jussu ante Concilium Oecumenicum Viennense scripsit, Parte III. Rubrica XX. hæc habet observatione dignissima: *Theologorum communiter hoc habet opinio, quòd si unum habens Beneficium, de quo potest non lautè, nec ad elationem & pompam, sed convenienter & mediocriter sustentari, & recipiat vel retineat aliud, mortaliter peccat........ Quare videretur utile Ecclesia sancta Dei, ut Ordinatio Bonifacii super hoc facta in Decretali, CUM SINGULA: quantùm ad Regulares, extenderetur ad Clericos seculares, & ad Dominos Cardinales, qui in grave animarum ipsorum periculum, & universalis Ecclesia dispendium, multa millia florenorum, librarum & marcharum, sibi & suis pestifera adinventione super Ecclesias etiam Parochiales & Curatas faciunt cumulari: & Ecclesias etiam Cathedrales & ultramarinas sub diversis coloribus commendari: & certas sibi solvi ab illis, qui illorum promoventur auxilio, Pensiones, qua numquam in Romana Ecclesia moriuntur, sed ab uno Cardinali in alium, vel in ejus vel Domini Papa propinquum, vel nepotulum detinentur. Ex quibus sequitur (cùm sibi vendicent universa) infelix quòd Clericus, qui de prædictis Beneficiis sustentari, & eis personaliter deservire debuerat, mendicat in plateis, & servili operi mancipatus, publicam deposcit eleemosynam.... Et hac peste est etiam noviter introductum contra Jura, quòd Prioratus Conventuales, & alia Beneficia Ecclesiastica consueta ab olim regi & gubernari per Monachos, & per alios Regulares, prædicti Domini Cardinales, (ac si Beneficia secularia nequaquam sufficerent: vel si per illos meliùs quàm per alios reformari deberent) sibi & suis faciunt assignari: quanquam non efficiantur Monachi, nec sint de vita & Regula Monachorum & aliorum Regularium contra Concilium Æduense sub VII. Gregorio congregatum, & contra Capitulum Urbani Papa, & contra XXIV. Capitulum Concilii Chalcedonensis, & contra XIII. Capitulum VII. Synodi, XIX. Q. III. in quinque primis Capitulis. Extra, De vita & honestate Clericorum*, Deus qui Ecclesiam; *&*, *De Religiosis domibus*, Inter quatuor: *&* XVIII. Q. II. Pervenit. *Ex quibus in dictis Prioratibus & Beneficiis Regularium, periit in totum Regularis observantia disciplina: cum non sit inter eos qui corrigat, non sit qui doceat, non sit cui observantia & reverentia prabeatur, nec qui eos in Vita Regulari & Monastica valeat gubernare: fraudatur hospitalitas servari in dictis Prioratibus & Beneficiis consueta: & jura ac bona Prioratuum hujusmodi dissipantur: & loca ad irreparabile opprobrium, non absque populi scandalo, deducuntur.*

Joannes XXII. non solùm Cardinalibus, sed & aliis Ecclesiastica Beneficia commendavit. Commendas hujusmodi abrogavit *Benedictus XII*, dispensatione solis Cardinalibus & Patriarchis concessa, ut Vitæ ipsius Auctor testatur. *Innocentius VI.* idem præstitit, cùm ejus Decessor *Clemens VI.* in Commendarum concessione fuisset indulgentior. *Attendentes*, inquit, *quòd occasione Commendarum, & concessionum hujusmodi, in commendatis & retentis eisdem, sicut experientia docuit, ut plurimùm divinus cultus minuitur; animarum, in eis, quibus imminet, cura negligitur, hospitalitas consueta & debita non servatur, ruinis adificia patent, ipsorum Jura in spiritualibus & temporalibus collabuntur: ac propterea hujusmodi malis occurrere, & Ecclesiis & Monasteriis, Pralaturis, Beneficiis, & aliis prædictis saltem commendatis & retentis de Pastoribus & Rectoribus propriis, qui eis praesse velint & valeant, providere...... Nonnullorum quoque Pradecessorum nostrorum Romanorum Pontificum in hac parte vestigiis inharentes, deliberatione super hoc cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus prahabita, omnes & singulas Commendas & concessiones hujusmodi de quibuscumque Cathedralibus vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, Pralaturis, Prioratibus, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, Officiis & Beneficiis, ac locis Ecclesiasticis Secularibus & Regularibus quorumcumque Ordinum, quocumque nomine censeantur....... Auctoritate Apostolica penitus revocamus, & omnino viribus vacuamus.* Legitur apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCCLIII. Num. XXXI.

Episcoporum Residentia.

IX. Residendi in suis Ecclesiis necessitatem Episcopis incumbere, XIII. & XIV. Seculi Doctoribus omnino persuasum erat. *Innocentius III.* Archiepiscopum Ragusinum à sua Ecclesia quadriennio toto absentem, nisi intra mensem redeat, Archiepiscopatu excidisse declarat, & Ragusiensibus permittit ut novum Archipræsulem eligant. *Discretioni vestra mandamus*, inquit, *quatenus, (nisi forsitan jam redieris) vos post mensem à receptione præsentium, personam vobis idoneam in Archiepiscopum eligatis.* Refertur C. *Qualiter*: Extra, *De Clericis non residentibus.*

Concilium Parisiense anno MCCXII. Episcopis Residentiam in Cathedralibus Ecclesiis imperat, præsertim in majoribus Solemnitatibus, & Quadragesimali tempestate. (Canone 8.) Idem edicit Concilium Londinense anno MCCXXXVII. (Canone XXII.) Londinense alterum anno MCCLXVIII. Canone XXII. *Episcopos ad personalem Residentiam, circa gregem Domini sibi commissum tam Divinis quàm Ecclesiasticis Praceptis adstrictos* declarat. *Gregorius XI.* Anno Christi MCCCLXXV. Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates Regulares, Archimandritas

&

& Præsidentes quoslibet quorumcumque Ordinum non Mendicantium, ad Residentiam personalem in suis Diœcesibus, Ecclesiis, & Monasteriis, Apostolico Diplomate compulit: exceptis S. R. E. Cardinalibus, ac etiam Apostolicæ Sedis Legatis & Nuntiis, necnon Ecclesiæ Romanæ, & Summi Pontificis Officialibus. Mala quæ ex residendi negligentia oriuntur, optimus Pontifex luculentis verbis describit: *Ex quo*, inquit, *in Clero & populo vitia pullulant, cultus divinus minuitur, Sancta spernuntur, provenit indevotio populorum, oriuntur errores, decrescit fides, crescunt insolentia, Ecclesiasticus status contemnitur, conculcatur libertas Ecclesiastica, patitur sæpe detrimentum Justitia, dum proprius Judex non ministrat eamdem, ac ædificia & alia bona temporalia collabuntur. Ex quibus, & aliis malis innumeris inde provenientibus; strepunt murmurationes filiorum, dum spirituale patrum pabulum non degustant, suscitantur scandala gravia, &, proh dolor! animæ, ad quarum salutem Præsides spirituales invigilare tenentur, evidentibus periculis exponuntur.* Refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCLXXV. Num. XXIII.

Causæ à Residentia dispensationis.

Episcopi à Residentia legitimè dispensati aliquando censebantur, certas ob causas, pietatis, necessitatis, vel publicæ utilitatis. Primùm cùm adeunda erat Apostolica Sedes, vel ob Synodi celebrationem, vel ob reverentiæ & obedientiæ significationem. Hinc *Ludovicus IX.* Rex Francorum Sanctissimus ad *Fredericum II.* Imperatorem scribens:

Profectio ad Sedem Apostolicam.

Admirari, inquit, *cogimur vehementer, & non sine ratione turbari, quod nulla offensionis causa vel materia præcedente, Prælati Regni nostri ad Sedem Apostolicam accedentes, cui tam ex fide quàm obedientia tenebantur, nec ejus poterant recusare mandata, in mari capi fecistis, & eos sub custodia detinetis.*

Alexander IV. Privilegia quorumdam Præsulum importunis precibus extorta ne Sedem Apostolicam pro more adire tenerentur, anno MCCLVII. rescidit. *Nonnulli*, inquit, *Ecclesiarum Prælati obtinuerunt sibi per Sedem Apostolicam importunè concedi, ut non teneantur Sedem eamdem usque ad certa tempora visitare, contra formam præstiti Juramenti: ex quo illud evenit inconveniens, quòd Apostolicæ Sedis dignitas rariùs visitatur, in derogationem reverentiæ, quæ ab omnibus debetur eidem, utpote quæ Mater existit Ecclesiarum omnium & Magistra. Nos igitur volentes super hoc salubri remedio providere, ac Romanam Ecclesiam, quæ super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, congruis honoribus frequentari; præsertim cum non sit facile recedendum ab eo, quod à Prædecessoribus nostris super hoc diu excogitatum extitit & obtentum; de fratrum nostrorum consilio, indulgentias & concessiones hujusmodi, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis concessas, auctoritate præsentium revocamus.* Refert *Odoricus Raynaldus* ad hunc annum, Num. L.

Assistentia Regiis Consiliis.

Secundò, à Residentia dispensabantur Antistites ratione obsequii Regibus impendendi, cùm inter Consistorianos Comites ab ipsis adlegebantur, vel ad Regni Comitia convocabantur. Regnante Philippo Augusto, *Guarinus* ex Ordine Equitum *S. Joannis Hierosolymitani* ad Sylvanectensem Episcopatum assumptus, *Regis specialis Consiliarius effectus, in Aula Regia propter prudentiam & incomparabilem consilii virtutem, & alias animi dotes multiformes ita laudabiliter se habebat, quod quasi secundus à Rege, negotia Regni inculpatè tractabat, & Ecclesiarum necessitudines, tanquam vir literatus, ad plenum nihilominus omni studio procurabat. Libertates & Privilegia earum modis omnibus quasi sub chlamyde conservans indemnes.* Ita refert *Rigordus* in Vita *Philippi Augusti*. Regnante *Ludovico IX.* Rege Sanctissimo, Episcopos ad ejus Consilia & Parlamenta frequenter vocatos legimus.

Anno MCCXLV. *Infra octavas S. Dionysii, convocavit grande Parisius Parlamentum, in quo Legatus Apostolicus, & plures Regni Franciæ Archiepiscopi, Pontifices, & Abbates, Barones quoque & Comites adfuere*, ut refert *Guillelmus Nangius* in Regis Sancti Vita. *Anno* MCCLX. *Dominica in Passione, congregavit Rex Franciæ Ludovicus Parisius Concilium Episcoporum & Principum Regni sui, eò quòd Dominus Papa scripsit ei, Tartaros in transmarinis partibus irruisse* (inquit idem Author) Anno MCCLXIX. *Crucem assumpturus, convocavit Prælatorum, Principum, Baronum ac Militum, cæterorum quoque hominum multitudinem copiosam, quibus congregatis in unum, Domino Legato præsente, ipsemet Rex Catholicus, coram cunctis qui aderant, exhortationem fecit quamplurimùm efficacem, animans eos ad ulciscendam injuriam Salvatoris.* (Ex eodem Authore) Cùm blasphemiæ crimen è Regno suo radicitus extirpare decrevisset, habito consilio cum *Simone* S. R. E. Cardinali Sedis Apostolicæ Legato, *Auctoritate ipsius Legati & sua convocati sunt Parisius majores de Regno, tam Principes quàm Prælati: ut super hoc damnabili vitio refrænando, vel potius destruendo, apponeretur consilium & remedium salutare.* Ita refert *Gaufridus de Belloloco* in ejus Vita.

Rex *Philippus Pulcher* in Parlamentis & Curiis Inquisitionum, quæ tunc bis in anno celebrabantur, Episcopos quosdam adesse voluit, ut probat ejus Edictum à *Pasquierio* relatum lib. II. *Disquisitionum Francicarum*, cap. XXXV.

Qui *Somnium Viridarii* scripsit, dicavitque *Carolo Sapienti*, eos refellit, qui ægrè ferebant Episcopos ad Aulam vocari, & Regum Consiliis interesse: *Qui autem Reges arguisis* (inquit cap. 163.) *quòd Episcopos ad se advocant, & ipsos suos faciunt Consiliarios, non est quidem novum quòd Regum Consiliis intersint Episcopi. Sicut enim honestate & sapientia cæteros antecedunt, sic expeditiores, & efficaciores in Reipublicæ administratione censentur, quia sicut scriptum est.* « Minùs salubriter disponitur Regnum, quod non regitur consilio Sapientum: *Scriptum est enim*: Væ terræ cujus Rex puer est, cujus Principes manè comedunt. Beata est terra, cujus Rex sensatus est, & cujus Principes vescuntur tempore suo. *In quo notatur Consiliis Principum eos debere assistere, qui sciant, velint, & possint patientibus compati, patriæ ac populi saluti proficere, erudire ad justitiam Reges, imminentibus periculis occursare, & quadam auctoritate potestativa præsumptionem malignantium cohibere. Nec vobis Clericis debet esse molestum, si Regum Consilio intersint Prælati, quia forsitàn nisi Episcopi essent Consiliarii Regis, aliqui Laici, qui Clericis oppidò sunt infesti, supra dorsum Ecclesiæ sæpiùs fabricarent. In hoc ergo est Rex laudandus, qui tales sibi Consiliarios assumit, qui reddant quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Nunc enim si Ecclesia attentatur injuria, auctoritate Pontificali corripitur; aut si ad hoc Ecclesiastica Censura non sufficit, spiritualis gladii defectus materiali suppletur, & ad eorum arbitrium animadversio exercetur. Si quando Regis indignatio adversùs Personas Ecclesiasticas exardescit, Episcoporum precibus temperatur. Istis mediantibus judiciarius rigor admittitur, pauperum Ecclesiarum dignitas erigitur, firmatur in Clero libertas, pax in populis, in Monasteriis quies, Justitia*

cia liberè exerceatur, augetur Laicorum devotio, Religio fovetur, diriguntur Judicia, Leges acceptantur, Decreta Romana vim obtinent, possessiones Ecclesiasticæ dilatantur.

Cardinalis in Parlamento Parisiensi Senator.

Eodem regnante *Carolo V.* in Curia Subsidiorum Præses creatus est, ac deinde Senator in Parlamento, *Joannes de Grangia* Fiscanensis primùm Abbas, deinde Ambianensis Episcopus & S. R. E. Cardinalis: & in Sacrum Collegium cooptatus, munus tamen illud infra se non censuit, nec illud exercere dedignatus est, ut testatur ipse in suo Testamento, quod ordinationi, cognitioni, ac protectioni ejusdem Supremi Senatus subjecit XII. Aprilis anno MCCCCII. *Cùm*, inquit, *benignitate & gratia Regis Caroli bonæ memoriæ Domini mei, & ex concessione ipsius ego fuerim, tunc existens Abbas Fiscanensis, de solemni & honorabili Collegio Parlamenti Regis Parisiensis, & ipsum continuaverim per plures annos in diebus deputatis ad lites seu quæstiones audiendas, & Consilia tenenda: Et postquam fui Cardinalis, fuerim & sederim pluries cum aliis Dominis in Camera Parlamenti, & in litibus audiendis, & Consiliis tenendis, méque reputaverim & reputem fuisse & esse, ac permanere de dicto Collegio quamdiu vivam, & sim certus per Curiam ipsius Parlamenti, absque acceptione personarum, tam magnis quàm parvis justitiam indifferenter omnibus ministrari, & per dictum Parlamentum quod suprema Regis Curia existit, omnes indifferenter, quantùm tenentibus ipsum fuerit possibile, a gravaminibus & oppressionibus defenduntur & præservantur, & si gravati & oppressi fuerint, ab eisdem relevantur*, &c. *Ego qui servitor Regis & Consiliarius, ac cum servitoribus & bonis meis quibuscumque in sua salva gardia & protectione speciali existo, prædictum Testamentum meum & executionem ipsius ac omnia & singula contenta in eo, & bona mea quæcumque mobilia & immobilia, præsentia & futura, & submitto protectioni, cognitioni, ordinationi, & determinationi prædictæ Curiæ Parlamenti.* Hujus Cardinalis Testamentum editum est in Annotationibus Viri Clarissimi *Dionysii Godefridi* ad Historiam *Caroli VI.* pag. 754.

Henricus III. Angliæ Rex à *Gregorio IX.* Pontifice Maximo licentiam retinendi quosdam Episcopos in Consiliis suis rogavit anno MCCXXXI. Pontificias Literas refert *Odoricus Raynaldus*, quæ sic habent: *Pia devotione Progenitorum tuorum, qui ad Deum & ejus Ecclesiam, debitam reverentiam habuisse noscuntur, asseris introductum, quòd Reges Angliæ semper habere consueverunt Consiliarios aliquos Episcopos Regni sui, de cujus statu cum consilio disponerent eorumdem. Unde humiliter postulasti eisdem Prælatis, quibus incumbit ex Officio Pastorali conservare justitiam, & diligere honestatem, ut liberè assumere valeant solicitudinem, & assistere in Consiliis, à nobis licentiam indulgeri. Nos autem piam in hac parte intentionem tuam esse credentes, & tam Regni tui sperantes, quàm Ecclesiæ utilitatibus providere. Episcopis, quos ad hoc duxeris evocandos, tibi assistendi in Conciliis, prout utilitas exigit & honestas, & liberam autoritate præsentium concedimus facultatem.*

Profectio ad Synodos.

Denique legitimè dispensatos à Residentia Episcopos ut Synodis Generalibus & Provincialibus interessent, non est cur probare satagam, cùm id perspicuum sit & exploratum. De Conciliorum Provincialium singulis annis celebratione ita sanxit Lateranensis IV. Synodus *Innocentio III.* Præside, Canone VI. *Sicut olim à Sanctis Patribus noscitur institutum, Metropolitani singulis annis cum suis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare. In quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, præsertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, Canonicas Regulas, & maximè quæ statuta sunt in hoc Generali Concilio, relegentes, ut eas faciant observari, debitam pœnam transgressoribus infligendo.*

Celebrationem Conciliorum Provincialium, quæ in desuetudinem abire cœperat, imperavit *Gregorius XI.* Petro Archiepiscopo Narbonensi, anno MCCCLXXIV. *Licèt*, inquit, *pro observatione Sacrorum Canonum, corrigendis excessibus, & reformatione morum, præsertim Cleri, sit à sanctis Patribus institutum, quòd Metropolitani cum suis Suffraganeis non omittant Provincialia Concilia celebrare, quia tamen celebratio hujusmodi fere ubique terrarum, quod dolenter referimus, longis temporibus est negligenter omissa, propter quod idem Clerus ab honestate sui primævi status, non modicum excidit, multipliciterque in devium declinavit: nos de opportuna reformatione illius cogitantes, non videmus quòd hujusmodi reformatio possit citius & efficaciùs fieri, quàm per novas celebrationes Conciliorum Provincialium prædictorum; ut super observatione antiquorum Institutorum, novisque casibus in Clero sæpius evenientibus manifestis, in eisdem Conciliis opportuna remedia præbeantur.*

Episcopalis Jurisdictio in causis Clericorum.

X. Summa erat Episcoporum Jurisdictio in causis Clericorum, tam civilibus, quàm criminalibus. Cujus rei cùm probationes multæ suppetant, præcipuas hîc exhibebo. *Innocentius III.* ad Pisanum Archiepiscopum scribit, Clericum non posse constituere sibi Judicem Laicum, etiamsi proprium Juramentum, & adversarii consensus accedat. Quia cùm in Conciliis Milevitano & Carthaginensi III. sit promulgatum: *Ne Clerici Clericos relicto suo Pontifice ad Judicia publica pertrahant, alioquin causam perdant, & à communione habeantur extranei: & tam Episcopi quàm Diaconi, seu quilibet Clerici, in criminali seu civili negotio, si derelicto Ecclesiastico Judicio, publicis Judiciis se purgare voluerint, etiamsi pro eis sit lata Sententia, locum suum amittant, & hoc in criminali actione; in civili vero perdant quod evicerint, si locum suum maluerint obtinere: Manifestè patet, quòd non solum inviti, sed etiam voluntarii, pacisci non possunt ut secularia judicia subeant, cùm non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico publicè sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest. Nec Juramentum licitè servari potuit, quod contra Canonica Statuta illicitis pactionibus informatur.* Habetur C. *Si diligenti*: Extra, *De Foro competenti.*

Idem ad Vercellensem Episcopum & Abbatem de Toleto scribit: *Præcipiatis ex parte nostra Prælatis, ut Laicis de Clericis conquerentibus plenam faciant justitiam exhiberi, non obstantibus appellationibus frustratoriis, quas in eorum gravamen Clerici frequenter opponunt: Ne pro defectu justitiæ Clerici trahantur à Laicis ad Judicium seculare, quod omnino fieri prohibemus.*

Idem Pontifex Ecclesiasticam Immunitatem adversùs Barones Franciæ tuitus est, qui novis Constitutionibus ipsam perturbabant, ut constat ex ipsius Epistola ad Episcopum Tusculanum, Sedis Apostolicæ Legatum, cujus hæc sunt verba: *Si dicti Barones diligenter attenderent, quòd Carolus Magnus Ecclesiam, à qua omnem honorem susceperat, cupiens honorare, perpetua lege decrevit ut omnes ipsius Jurisdictioni subjecti Statutum à Theodosio Imperatore pro Ecclesiæ libertate editum inviolabiliter observarent: Videlicet ut quicumque litem habens, sive petitor fuerit, vel initio*

litis

ticis, vel decursis temporum curriculis, sive cum jam caperit promi Sententia, si Judicium elegerit Sacrosancta Sedis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etsi pars altera refragatur, ad Episcoporum Judicium cum sermone litigantium dirigantur, & omnes causa, qua Pratorio, & etiam Civili Jure tractantur. Episcoporum terminata sententiis, perpetua robur obtineant firmitatis; & negotium quod judicio ipsorum deciditur, nequaquam ulteriùs ab aliquo retractetur. Ex qua manifesta potest ratione perpendi, quàm iniquum videatur & absonum, si honor Ecclesia, qua tam grandis libertatis privilegio donata dignoscitur, in illis immunitatibus, qua multò pradictis noscuntur esse minores, hic temporibus decurtetur: Si aliàs Barones ipsi pensarent, quòd omnes qui prasumunt Statuta condere contra Ecclesiasticam libertatem, sunt ipso facto excommunicationis Sententiâ innodati: forsan non processissent ad talia, nec etiam persisterent in eisdem.

Gregorius IX. Tolosanam Academiam confirmans, ad Tolosanum Comitem scripsit de Magistrorum, Studentium, & Clericorum immunitate à Secularibus Judiciis. *Nulli* (inquit) *Magistri & Scholares, vel Clerici ac servientes eorum, si (quod absit) contigerit eos in aliquo maleficio deprehendi, ab aliquo Laico judicentur, vel etiam puniantur.... Laici teneantur Studentibus coram Ecclesiastico Judice respondere, secundum consuetudinem Ecclesia Gallicana.* (Epist. XXXVIII.)

Concilium apud *Vallem Guidonis* anno MCCLXII. Canone V. Conciliorum Milevitani II. & Chalcedonensis Canones renovat contra Clericos, *Qui juri publico, quantùm in ipsis est, derogando, relicto Ecclesiastico Judicio, ad secularia judicia prorumpere non verentur: maximè in civilibus & criminalibus causis.*

Concilium Bituricense anno MCCLXXVI. celebratum, Præside *Simone* Sanctæ Cæciliæ Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato, excommunicatione ferit Laïcos Judices, *Qui in actionibus merè personalibus, Ecclesiasticas coram se personas litigare compellunt, contra Canonicas Sanctiones.* (Can. VII.) Idem sanxit Synodus Andegavensis à *Joanne* Turonensi Archiepiscopo celebrata anno MCCLXXIX. Canone I. Idem Avenionensis anno MCCLXXXI. Canone VII. *Frequens*, inquit, *& detestanda prasumptio apud plures invaluit Clericos, & etiam Regulares, Juris ordinem pervertentes, ut Clerici, necnon Laici, Clericos suo relicto Pontifice, non expaveant, in eversionem Juris manifestissimam utriusque, ad Judicia Secularia pertrahere passim... Volentes igitur hujusmodi morbis salubre antidotum praparare, prasenti Concilio statuimus, quòd si aliquis super causis spiritualibus vel Ecclesiasticis negotiis, vel per se, vel per alium, adiverit Curiam secularem, & monitus infra tres dies desistere recusaverit, eo ipso sit excommunicationis sententia innodatus.*

Concilium Rothomagense anno MCCXCIX. celebratum, Canonibus III. & IV. Judicibus secularibus prohibet sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne quoscumque Clericos aliásve personas, *occasione factorum à Clericis commissorum; super delictis atque factis personalibus quibuscumque commissis, atque specialiter in clamore de Haro, nec de crimine usurario à Clerico perpetrato, coram se respondere compellant.* Eadem pœna ferit Clericos qui in factis personalibus justitiæ seculari se subjiciunt.

Concilium Compendiense, anno MCCC. Canone I. decernit ut *Si in aliqua civitate, vel in aliquo loco Remensis Provincia contingat quandoque Clericum detineri per laicalem Justitiam, postquam fuerit ab Episcopo loci illius, vel ab Officiali, vel Decano Rurali, seu ex parte alicujus eorum legitimè requisitus: cessetur à Divinis in loco captionis & detentionis, quousque fuerit competenter restitutus.* Canone III. *Cum per Justitiam laicalem non debeant puniri excessus Clericorum, nec ab eis levari emenda de eisdem: cùm hac ad solos Judices Ecclesiasticos, non seculares pertinere dinoscantur: monemus omnes & singulos nostra Provincia, ne pro pradictis, seu occasione eorumdem, levent aliquid, recipiant, vel exigant quoquo modo: Alioquin contra facientes excommunicationis sententiâ innodamus.*

Concilium Avenionense anno MCCCXXV. celebratum, Canone IX. decernit: *Ut nullus Dominus temporalis, vel Judex seu Delegatus ejusdem, Clericum, vel Personam Ecclesiasticam aut Religiosam, coram se, super criminalibus vel personalibus citet, seu citari faciat, vel quoquo modo distringat: quod si fecerit, & in hoc persisterit, & intra dies octo non se correxerit, ex tunc sententiam excommunicationis incurrat.* Et Canone X. *Prohibemus ut nulla persona Ecclesiastica, de Clerico vel Ecclesiastica persona qualicumque conquerens super spiritualibus, vel Ecclesiasticis, aut criminalibus, vel personalibus quibuscumque, recurrat ad Curiam, vel Principem, aut Dominum alium secularem, vel Laicum alium quemcunque, super justitia facienda, vel violentiâ Clerico in persona vel rebus ad eum pertinentibus inferendâ: nec cum ipso vel ipsis, super eisdem, sine conscientia Pralati vel Officialis sui, pactum aliquod inire prasumat, nec factum observet aliquando. Querelam exponens, vel denuntiationem faciens, & in eis persistens, vel paciscens, & pactum observans, à jure suo eo ipso cadat, nullâ aliâ super hoc expectata sententiâ: & donec super hoc ad arbitrium Prelati satisfecerit, omni Beneficio Ecclesiastico, quod obtinet, noverit se suspensum, & ab obtinendo indignum.*

Anno MCCCXXIX. *Petrus Bertrandi* Æduensis Episcopus Ecclesiasticam Jurisdictionem, totius Ecclesiæ Gallicanæ nomine, contra *Petrum de Cugneriis* Regium Advocatum, pro Baronibus & secularibus Magistratibus, immo pro ipso Rege orantem; coram *Philippo Valesio* Rege Christianissimo egregiè ac fœliciter tuitus est. Judicium de causis Clericorum, seu civilibus seu criminalibus, ad Episcopos spectare non diffitebatur *Petrus de Cugneriis*: casus duntaxat aliquos exceptos volebat, scilicet 1. Crimen furti. 2. Clericorum conjugatorum delicta. 3. Si absque Tonsura & veste Clericali essent in crimine deprehensi. 4. Si de ipsorum conjugibus ageretur. 5. Clericos negabat in terris Baronum capi posse.

Discrepatio de Ecclesiastica Jurisdictione inter Petrum Bertrandi, & Petrum de Cugneriis.

Ad primum respondet Præsul Æduensis: *Cùm ad Ecclesiam solùm pertineat cognoscere de Clericis, Laici non possunt nec debent se intromittere de rebus furatis: quia ad eum pertinet accessorium, ad quem principale: sic enim Laici haberent indirectè cognitionem Clericorum: & multi possent fingere notorium, quod non esset.*

Ad secundum respondet: *Si Clericus conjugatus deferat Tonsuram, & vestes Clericales, & in tali habitu capiatur per Judicem secularem; cùm de jure & consuetudine notoriis talet Clericus, quantùm ad delicta sint de foro Ecclesia, Officiales pradicti nullam faciunt injuriam Dominis temporalibus, si compellant eos per sententias excommunicationis, vel alias, ad abstinendum à cognitione talium delictorum: quia quocunque modo delinquatur, cognitio pertinet ad Prelatos: & Laïci offendunt, exactionem seu pœnam pecuniariam à talibus exigendo.*

Ad tertium respondet: *Tales, pro eo quòd non deferunt Tonsuram vel habitum Clericis congruentem, non amittunt Privilegium Clericale. Unde si sit notorium Judici Ecclesiastico talem esse Clericum, vel fama sit publica super hoc, idem Judex,*

sine

sine cujuscumque injuria potest ad restitutionem talis Clerici Justitiam compellere secularem. Sed si dubium esset talem Clericum esse vel non, & captus fuisset in habitu laicali, ad Ecclesiam pertinet cognitio, & detentio ad Judicem secularem, secundum quòd Jura dicunt.

Ad quartum respondet : *Quòd in locis ubi de consuetudine speciali uxor Clerici esset de foro Ecclesiæ : quia etiam ad hoc Jus Imperatoris concordat, nulla fit injuria, si cognitionem ipsarum mulierum Ecclesia retinet.*

Ad quintum respondet : *De Jure divino & humano licitum est Prælatis & eorum Judicibus capere Clericos ubique, quia non est dare locum ubi non sit Jurisdictio spiritualis, sicut temporalis. Unde talis captio Clericorum, quæ est spiritualis, & de foro Ecclesiastico, potest & debet fieri per Judicem Ecclesiasticum, & non per alium quemcumque. Et nisi ita fieret quòd capi possent Clerici per Judices Ecclesiasticos ubique, sæpissimè delicta Clericorum remanerent impunita ; cùm per laicos non possint capi absque sententia excommunicationis à Canone incurrenda propter hoc.* Is erat Episcopalis Jurisdictionis in Clericos status, quem *Philippus Valesius* fartum tectum voluit. Eamdem Jurisdictionem vindicarunt Concilium apud Castrum Gontetii anno MCCCXXXVI. Canone I. Novlomense anno MCCCXLIV. Canone I. Parisiense MCCCXLVI. Canone I. Vaurense MCCCLXVIII. Canonibus XXXVI. & XXXVIII.

Summi Pontifices Christianissimis Regibus permittunt ut Clericos flagitiosos in carcerem suos detrudi jubeant, ad Ecclesiæ mandatum reddendos.

Nicolaus IV. Pontifex Maximus *Philippo III.* Regi Christianissimo permisit anno MCCLXXVIII. ut Clericos gravissimorum criminum notâ inustos in carcerem detrudere posset ; non ut jus aliquod in eos exerceret, sed Præsulibus traderet, ne in effrænatam licentiam impunitatis spe prorumperent, ob quod factum anathematis sententiam non subiturum decrevit. (Epist. 147.) Ita refert *Odoricus Raynaldus*, ad hunc annum, Num. XXXVII. Istud Privilegium *Philippo V.* confirmavit *Joannes XXII.* anno MCCCXVII. *Celsitudinis tuæ*, inquit, *precibus benignum impertientes assensum, ut si contingat te, tuósve Ministros alios flagitiosos Clericos propter crimina homicidii, mutilationis, aut alterius enormis facinoris, vel etiam super hujusmodi criminibus publicè diffamatos, de quorum fuga & evasione probabiliter timeatur, servatâ modestiâ quæ potest in talibus observari, capere, detinere, seu capi facere, vel etiam detineri, non in contemptum Clericalis Ordinis, vel odii Zelo, seu persecutionis affectu, nec ut Jurisdictionem usurpetis in ipsos, sed tantùm ut reddantur ad mandatum Ecclesiæ, ne crimina remaneant impunita ; propter hoc tu dictive Ministri nequaquam excommunicationis sententiam incurratis, ad instar felicis recordationis Nicolai Papæ Prædecessoris nostri, qui per Apostolicas Literas idem claræ memoriæ Philippo Regi Francorum tuo Progenitori concessit, auctoritate præsentium tibi duximus concedendum. nullam propter hoc tibi vel Ministris eisdem dantes licentiam Clericos ipsos taliter capiendi, nec eorum captionem vel detentionem etiam hujusmodi approbantes.* Refert *Odoricus Raynaldus* ad hunc aonum Num. XIII.

Episcopalis Jurisdictio in causis Laïcorum.

Episcoporum Jurisdictio ad laïcorum etiam causas pleraſque pertinebat. Cognitio de usuræ crimine ad Judices Ecclesiasticos spectabat. Decretalium Jure Judicium de adulterio Ecclesiastici fori erat (C. *Perniciosam*, Extra, *De Officio Judicis Ordinarii.*) In arbitrio Rectorum Ecclesiæ erat, sub quo Judice, Laïco vel Ecclesiastico, sacrilegos convenire vellent. (C. *Cum sit* ; Extra, *De Foro Competenti.*) Viduarum causæ ad Ecclesiasticum tribunal deferri poteraot, si Judex laïcus Jus A ipsis dicere recusaret, vel tardaret. (C. *Ex tenore*, ibidem.) Laïci, in causis civilibus coram Ecclesiastico Judice, ratione Juramenti conveniebantur. (C. *Cùm Laïcus* ; *De litis contestatione*, in VI.) Causæ mobilium, ratione juramenti, fidei, testamenti, vel Matrimonii, ad forum Ecclesiasticum in Galliis XIII. seculo pertinebant. Anno MCCXXV. *Ludovicus VIII.* Rex Christianissimus Concilium convocavit Melodunum, *Ubi Archiepiscopi & Episcopi, præsente Legato petebant instanter à Rege & à suis Baronibus, Jurisdictionem omnium bonorum super mobilibus, de quibus homines Ecclesiarum in* B *causam traherent coram ipsis, & Jurisdictione ista dicebant esse investitam Ecclesiam Gallicanam. Quibus Rex se opponens, argumentis evidentissimis asserebat hoc esse dissonum rationi : cùm causa mobilium non ratione juramenti, vel fidei, vel testamenti, vel maritagii petitorum, mera sit Laïcalis ; nec ad forum Ecclesiasticum videatur aliquatenus pertinere. Saisinam eorum super his asserens irritam & inanem : cùm eo nec-non & Philippo bonæ memoriæ patre sciente vel vidente, de iis nunquam saisiti fuerint : & maximè cùm nullus possit de jure partem sui Domini deteriorem facere, vel vende-* C *re, vel quitare ; nec per eum alius in eum alterius dominium usurpare. Tandem interveniente Dei gratia & Legato, causa ista ab utraque parte posita est in suspenso.* Ita refert *Chronicon Turonense.*

Bertrandus Episcopus Æduensis coram *Philippo Valesio* Rege Christianissimo cognitiooem causarum Laïcorum, tum in actionibus personalibus, cùm in realibus, Ecclesiæ Gallicanæ asseruit ex coosuetudine, ex præscriptione, ex Privilegio. Ex consuetudine, quæ iotroducta est *magis ex voluntate & electione populi recurrentis ad Judicium Ec-* D *clesiasticum, potius quàm ad Judicium seculare ; & in favorem eorum.* Quæ quidem consuetudo *fuit in contradictorio Judicio obtenta. Frequenter enim reclamantibus Baronibus, responsione Prælatorum audita, fuit per Prædecessores vestros Reges Franciæ consuetudo ejusmodi Ecclesiæ firmata, & per Ecclesiam pacificè obtenta.* (inquit Episcopus Æduensis.) Ex præscriptione. Ad hanc enim tria concurrunt, *Titulus, bona fides, & continuitas temporis. Certum est autem quod Ecclesia justum titulum habuit*, scilicet *Privilegium concessum à Theodosio Imperatore, & confirmatum à Carolo* E *M.* & *mandatum inviolabiliter observari. Item habuit titulum ex jure divino, naturali, & humano. Habuit etiam bonam fidem, cui noscuntur tot & tanti & tam clari tituli suffragari. Concurrit etiam continuitas temporis, & tanti quod sufficit ad præscriptionem, etiam contra fiscum. Non enim fuit solùm continuitas centum annorum, immo etiam sexcentorum, & ultra.* Regius Advocatus exceperat, Jus istud esse *imprascriptibile.* Reposuit Æduensis Episcopus : Præscribi potuisse *ab Ecclesia, quæ (quantùm ad spiritualitatem) non est subdita Regi, immo nobilior. Certum est autem quòd æqualis vel* F *major bene potest præscribere jus æqualis, vel inferioris, sicut unus Rex jus alterius. Quare patet, quòd Ecclesia hoc præscribere potuerit, etiamsi esset Jus fisci : quod tamen non est.* Id tandem probavit ex Privilegio concesso per Carolum Magnum, per S. Ludovicum, Philippum Pulchrum, Ludovicum Hutinum, & Philippum Longum : *Quæ Privilegia habemus in promptu*, (inquit *Bertrandus.*) Tum Regiorum Virorum objectionem occupat, rogantium : *Quare hoc sibi vendicat Ecclesia Gallicana, cùm alia Ecclesia sibi in aliis regionibus hoc minimè vendicare noscantur ?* Ad quam ita respondet : *Si Reges Franciæ, quos Deus singularibus Privilegiis, gratiis & honoribus, præ cæteris Regibus insignivit,*

gavisi, & prosperati sunt inter cæteros propter tria, scilicet propter magnam fidem & devotionem ad Deum; propter maximum honorem & reverentiam ad Ecclesiam; propter justitiam prælibatam ad populum sibi subditum, Ecclesiæ plures libertates concesserunt, vel concessis uti liberè permiserunt, non est mirum: immo tanta fuit ad Ecclesiam eorum devotio, quòd Ecclesiæ tantò eis propinquiores, quantò pluribus libertatibus gaudent. Regi subinde revocat in memoriam Juramentum inter Inaugurationis suæ solemnia præstitum: *Quòd Episcopis, & Ecclesiæ, & eis commissis, Canonicum Privilegium, & debitam legem, & justitiam servaret, & defensionem, quantum posset, exhiberet. Cum ergo,* inquit, *sit Privilegium Ecclesiæ Canonibus incorporatum, V. Quæst.* I. *C.* Quicunque: *& sit etiam de consuetudine introductum (quæ consuetudo est canonica) quòd Ecclesia possit cognoscere inter laicos in multis casibus, si istud non servaretur Ecclesiæ, sic posset in aliquo conscientia vestra lædi.* Ipsius etiam Majestati *S. Ludovici* exemplum ponit ob oculos, *qui cùm Majores Barones totius Regni se confœderassent ad tollendam istam Ecclesiæ libertatem, & ordinassent adhuc dare centesimam bonorum suorum; ipse nunquam eis adhæsit, sed potius eos ab istis compescuit, & finaliter hanc libertatem Ecclesiæ confirmavit.*

Secundùm hæc, ad Objecta *Petri de Cugneriis* singillatim respondit Episcopus Æduensis. Demum Libellum Supplicem pro conservatione Jurisdictionis ac libertatis Ecclesiasticæ Gallicani Præsules Regi obtulerunt, hoc tenore: *Supplicant Regiæ Majestati Prælati præsentes (tamen se aliquo modo judicio minimè submittendo) quod placeat ei Jura, Libertates, Privilegia Canonica, consuetudines & saisinas, quæ & quas Ecclesia Gallicana habent & habuerunt temporibus retroactis, eis defendere, & servare, specialiter super cognitione actionum personalium, realium, & mixtarum, inter laicos. Item super cognitione Clericorum, quando per laicos fit eis petitio, aut quando Clerici super violentia in bonis illorum illata per laicos conqueruntur. Item super cognitione contractuum initorum coram Judice sæculari. Item quòd non impediantur quin eorum Notarii contractus recipere valeant in quacumque suarum Diœceseon. Item quòd non impediantur super inventariis faciendis de bonis defunctorum, quorum de jure, vel consuetudine, vel compositione, executores existunt. Item quòd non impediantur super cognitione hypothecarum, quam habent de jure, vel consuetudine. Item quòd non impediantur super cognitione viduarum & pupillorum, & super bonis intestatorum, quantùm ad eos pertinet de consuetudine vel de jure. Item quòd non impediantur in quacumque parte Diœcesis suæ, quin possint habere suos Officiales, & Clericos capere. & ab ipsis Clericis, necnon à laicis, emendas pecuniarias exigere, debitas de consuetudine, vel de jure. Item quòd non impediantur super cognitione rerum furatarum à personis Ecclesiasticis. Item, quod tam super captione, quàm super cognitione Clericorum non conjugatorum, & conjugatorum, eorum jura & consuetudines observentur, & confirmentur eisdem: quia vobis manifestè ostenderunt quòd hæc debent fieri de Jure divino & humano.*

Supplicant iidem Domino Regi, ut pro Dei honore, in statu in quo sui boni Prædecessores tenuerunt Ecclesiam, ipse eam teneat & defendat, nec ei faciat aliquam novitatem. Et placeat ei proclamationes & inhibitiones factas (scilicet quòd nullus laicus trahat alium laicum coram Judice Ecclesiastico) revocare: quia hoc esset omnia Ecclesiarum Jura tollere. Et licet in aliquibus locis pro tolerantia eorum malitiæ, in talibus proclamationibus, seu inhibitionibus, verba quæ sequuntur apponant: videlicet, Quòd Laïcus non trahat alium Laicum coram Ecclesia super casibus pertinentibus ad Judices seculares: *hoc est, propter Jura Ecclesiæ usurpanda. quia multa pervenirent ad forum laicorum, quæ nihilominus pertinent ad Ecclesiasticum, si jus & consuetudo tolleretur, per quæ in electione laici est, quòd possit alios laicos in foro Ecclesiæ convenire.* Dies erat *S. Thomæ* Cantuariensi sacer, cum pro Ecclesiæ Libertate & Jurisdictione coram *Philippo Valesio* tam luculentè disseruit *Bertrandus* Episcopus Æduensis. Rex Præsulibus respondit: *Jura Ecclesiarum auxerim potiùs quàm imminuta velim. Gratias universi egere. Rex* CATHOLICI *cognomen promeruit* (inquit *Paulus Æmilius.*)

Vulnera Ecclesiasticæ jurisdictioni à Laicis illata.

Paulò ante Viennense Concilium, *Guillelmus Durandus* Mimatensis Episcopus, in Tractatu *De modo Generalis Concilii celebrandi*, Rubrica XXX, vulnera Ecclesiasticæ Jurisdictioni à laïcis inflicta detexerat. *Quasi per quamdam alluvionem* (inquit) *frustatim Domini temporales ad se omnia trahunt. Et sicut frustatim lupus agnum comedit: ita & per ipsos Jurisdictio Ecclesiastica frustatim quodammodo devoratur: quicquid ad Ecclesiasticam Jurisdictionem, potissimè quoad temporalia pertinet, sibi competere putantes. Et pauci sunt casus ad Ecclesiam pertinentes, in quibus directè vel indirectè per eos Ecclesiastica Jurisdictio non turbetur in diversis mundi partibus. Nec jam constituta remedia proficere possunt, sicut experientia docet,*

Turbatur enim per eosdem Ecclesiastica Jurisdictio in causis servorum & rusticorum Ecclesiasticorum, quos talliant & justitiant tanquam suos, contra illa Jura, LXXXIX. *Dist.* Judicatum. XII. Q. 2. Ecclesiarum servos; *De foro competenti*, Nullus.

Item in causis Pœnitentium, qui in causis suis, quas negligere fortè non debent, meliùs Ecclesiasticum quàm forense expetunt Judicium, etiam si sint rei, secundùm Glossam XI. Q. I. Aliud, *De Pœnitentia, Dist.* I. Aliud.

Item, in causis libertorum, & pupillorum, viduarum, & debilium personarum, quæ pertinent ad Ecclesiam quantùm ad possessorium indefinitè. De foro competenti. Ex parte. *Et quantùm ad defensionem & tuitionem, ne à potentibus opprimantur.* De Censibus. Licet. *Et in præallegato Cap.* Si quis de Potentioribus. XXIV. Q. III. *& C. sequenti. Et etiam quantùm ad petitorium, in defectum Dominorum temporalium.* De foro competenti: Ex tenore.

Item in causis peregrinorum & mercatorum: agricolarum & in mari navigantium, qui pace & securitate gaudere debent. De treuga & pace. Innovamus. De Clericis peregrinantibus *Cap. unico;* « & De raptoribus: Excommunicationi. *Et in præ-* « *alleg.* C. Si quis Romipetas. *Et C.* Paternarum, « XXIV. Q. III.

Item cùm agitur de feudis Ecclesiæ, usurpant sibi Jurisdictionem, contra illud, De foro competenti: Verum.

Item impediunt ne in Curia Romana Clerici contra laicos impetrent, sicut consueverunt hactenus facere indistinctè, ut, De Judiciis, *C. ultimo. Et etiam quando laicus contra laicum impetrat, contra Decretalem illam:* Gravem, De sententia excommunicationis: *&*, De Arbitris; Innotuit. *Etiamsi id, super quo laicus contra Clericum impetrat, sit tale quod pertineat ad forum Ecclesiasticum ratione rerum vel personarum.* De verborum significatione: Novimus. *Et hoc frequenter accidit cùm impetrant contra laïcos vel eos conveniunt*

in crimine sacrilegii, vel usurarum, vel hæresis, vel excommunicationis, vel perjurii, vel adulterii, vel fornicationis, vel in causa nativitatis, vel juris patronatus, vel decimarum, vel rapinarum, de quibus nullum est dubium quin pertineant ad Ecclesiasticum forum. Id autem de singulis illis causis probat ex Canonibus.

Item impediunt quando Ecclesia vult cogere aliquem ad satisfaciendum de peccato in quo est, licèt cognitio pertineat ad Ecclesiam. De Judiciis: Novit.

Item impediunt ne adeatur Ecclesia in eorum defectum, vel quando vacat Imperium vel Regnum, ne cognoscat Ecclesia de feudo. De foro competenti: Licet. De electione: Cùm inter universas.

Item impediunt ne vidua spoliata ad restitutionem agens trahat spoliatorem coram Ecclesia: quamquam persona & causa in hoc simul concurrant, contra illud, De foro competenti: Ex parte.

Item impediunt, si quid ambiguum inter Judices seculares oriatur, ne ad Ecclesiasticos Judices recurratur, contra illud, Qui filii sint legitimi: Per venerabilem. §. Licet.

Item impediunt ne Ecclesia & Curia Officialium Episcoporum cognoscant, ubi consuetudo antiqua hoc habet, de personalibus, & de realibus, & criminalibus, licèt consuetudo in talibus det Jurisdictionem, & in delictis domino super familiam suam. » De Officio Ordinarii: Irrefragabili. De foro com- » petenti: Cùm contingat. IX. Q. III. Conquestus. » De arbitris: Dilecti.

Item impediunt Jurisdictionem Ecclesiasticam contra effractores pacis & treugarum, dicentes Jus Regalium esse, contra illud, De treuga & pace: *Per totum.* & XXIV. Q. II. Si quis.

Item impediunt Jurisdictionem Ecclesiasticam in his quæ ratione connexitatis pertinent ad Ecclesiam, scilicet in dote. De donatione inter virum & uxorem: De Prudentia. & C. Nuper. *Et in pœna posita in Matrimonio.* De Sponsalibus: Gemma.

Item quando Judices temporales, Ordinariis recusatis ut suspectis, non patiuntur quod ad Episcopum civitatis, & ad Ecclesiasticum forum habeatur recursus, licet hoc expressè caveatur in Autent. Ut diff. Jud. §. Si verò Judex. Collat. IX.

Item impediunt Jurisdictionem Ecclesiæ, quia cùm in eos, vel in eorum Ministros aut Officiales vel subditos, Excommunicationis, Suspensionis, Interdicti sententiæ proferuntur, gravant ex hoc proferentes, vel res aut subditos eorumdem, quousque absolutionis beneficium deferunt ad eosdem, nec sufficit remedium excommunicationis, sicut ait Gregorius. De sententia excommunicationis: Quicumque.

Item impediunt dictam Jurisdictionem Ecclesiasticam, personas Ecclesiasticas eis displicentes pro levissimis criminibus carceribus mancipando: in casibus etiam in quibus laici deprehensi in maleficiis eisdem vel gravioribus, nullatenus caperentur. Et quòd dictas personas Ecclesiasticas incontinenti, & liberè, & absque redemptionibus, exactionibus, & eorum infamia, reddere nolunt Ecclesiasticis Judicibus eorumdem: Nec contentantur nisi coram eis de Clericatu & ejus possessione cognitio habeatur. Nec prodest ad contrarium C. Si quis suadente. XVII. Q. IV. *Nec Decretalis Bonifaciana*: Si Judex. De sententia excommunicat. *lib.* VI. *Nec Decretalis*: Eos. De Immunit. Eccles. *eodem libro.*

Item impediunt Jurisdictionem Ecclesiasticam dicti Judices seculares, & eam sibi usurpant, compellendo personas ipsas Ecclesiasticas ad solvendum debita super quibus coram eis Judicibus contra personas Ecclesiasticas earum patentes literæ exhibentur. Nec sufficit quòd dictus Dominus Bonifacius eos mandaverit per Censuram Ecclesiasticam ab Ordinariis compescendos. De foro competenti: Seculares. *Lib.* VI.

Item impediunt & perturbant Jurisdictionem Ecclesiasticam, quia contra alienationes dotales cum Juramento factas audiunt mulieres, & filias contra patres, quibus cum Juramento fecerunt pactum de hereditate, dum nuptui tradebantur. Et quia exceptionem rei judicatæ coram Ecclesiastico Judice in casu ad eum de jure vel de consuetudine pertinente non recipiunt: nec proficit quòd in dictis tribus casibus, sicut & in præcedenti, dictus Dominus Bonifacius eos per Ordinarios decreverit compescendos. De foro competenti: Seculares: De Pactis: Quamvis. De Jurejurando: Licet. Et De exceptionibus: Cùm quidam. *Lib.* VI.

Item impediunt dictam Jurisdictionem Ecclesiasticam, restringendo immunitatem Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum, & Ecclesiasticorum bonorum, variis & diversis modis. Nam imponunt eis munera, tallias, & collectas extraordinarias in casibus prohibitis à Jure.

Ex hoc *Durandi* Miniatensis Episcopi loco evidens est quàm latè pateret Ecclesiastica Jurisdictio Seculis XIII. & XIV. quamvis à temporalibus Dominis & secularibus Judicibus interdum perturbaretur.

XI. Episcoporum finitiva & ultima Judicia Sedi Apostolicæ reservata erant, sed causarum Episcopalium prima cognitio ad Metropolitanos & Synodos Provinciales pertinebat. Translationem quidem, depositionem, & cessionem Episcoporum, *non tam Constitutione Canonica, quàm Institutione Divina, soli Romano Pontifici reservata*, docet *Innocentius III.* Lib. I. Decretalium, Tit. *De Translationibus*, Cap. 2. Sed de ipsa depositione quantùm ad Jus relationis, & confirmationis, non de primo Judicio intelligendus est: nec ejus verba severè sunt accipienda, sed benignâ interpretatione molienda, quibus ait: Institutione divinâ depositiones Episcoporum soli Romano Pontifici reservari; quatenus scilicet Primatus Jure divino à Christo collati *S. Petro* & ipsius Successoribus, in Ecclesia universa, appendix quædam est Jus illud majores Ecclesiæ causas cognoscendi atque finiendi, post Episcopale Judicium, & Synodorum relationem. Et SS. Patres atque Synodi, rationem habuere divini Primatûs, cùm hujusmodi causas ad Sedem *S. Petri* referendas sanxere. Ita mentem suam exponit idem Pontifex Epistolâ XVI. libri I. quæ est ad Capitulum Sanctæ Anastasiæ. *Ex illo* (inquit) *singulari excellentiæ Privilegio, quod unigenitus ille Filius Jesus Christus Apostolorum Principi Petro concessit, Sanctorum Patrum postmodum Instituta manarunt, ut Majores causæ ad Sedem Apostolicam perferrentur.* Et Epistola XLVIII. quæ est ad Patriarcham Antiochenum: *Cùm ex illo generali Privilegio, quod B. Petro, & per eum Romanæ Ecclesiæ Dominus noster indulsit, Canonica postmodum manarunt Statuta, continentia, Majores Causas esse ad Sedem Apostolicam perferendas.* Cæterùm si, prout sonant, verba illa *Innocentii III.* Decretalibus inserta, severè accipienda essent, sequeretur Concilia omnia, Summos Pontifices *Innocentii* Decessores, Ecclesiam universam in jus divinum peccasse, cùm Episcoporum causas in Synodis Provincialibus judicari sanxerunt, & appellationes tantùm in Sedem Apostolicam contulerunt. Accedit quod *Innocentius III.* in Concilio Lateranensi IV. Canone V. quo antiqua Patriarchalium Sedium Privilegia renovantur, non modò causarum omnium cognitionem Patriarchis permittit, sed

Canonica Episcoporum Judicia.

ſed etiam appellationes illis tribuit, modò tamen à ſuis ipſi Judicius ad Sedem Apoſtolicam appellari non ægrè ferant: *In omnibus autem Provinciis eorum Juriſdictioni ſubjectis, ad eos, cùm neceſſe fuerit, provocetur: ſalvis appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis, quibus eſt ab omnibus humiliter deferendum.* Et Canone VI. Metropolitanorum Synodorúmque Provincialium auctoritas in Clericorum delictis caſtigandis, moribúſque reformandis confirmatur, ſecundùm Canonicas Regulas. *Sicut olim à SS. Patribus noſcitur inſtitutum, Metropolitani ſingulis annis, cum ſuis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare: in quibus de corrigendis exceſſibus, & moribus reformandis, præſertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, Canonicas Regulas, & maximè quæ ſtatuta ſunt in hoc Generali Concilio relegentes, ut eas faciant obſervari, debitam pœnam tranſgreſſoribus infligendo.* Quare *Innocentii III.* mentem non attingunt, qui primam cauſarum Epiſcopalium cognitionem ipſum ſibi ac ſuæ Sedi vindicaſſe affirmant.

Anno MCCCXV. *Petrus de Latilliaco*, Catalaunenſis Epiſcopus, accuſatus eſt, quòd ſui Deceſſoris, & *Philippi Pulchri* Regis Chriſtianiſſimi mortem procuraſſet. Ipſum in carcerem detrudi juſſit *Ludovicus X.* ejúſque cauſam ab Archiepiſcopo Remenſi Metropolitano ſuo, ſecundùm Canones judicari. Synodum Provincialem ad ejus diſcuſſionem ac Judicium congregavit *Robertus* Archiepiſcopus Remenſis, anno MCCCXVI. Sed *completum Epiſcoporum numeram, qui juxta Canonicas Sanctiones neceſſario requirebatur in hac cauſa, habere non potuit*, propter aliquorum ex Suffraganeis, & aliorum Præſulum, quos ex aliis Provinciis invitaverat, abſentiam, & canonicum impedimentum. Unde Concilium à die XV. Maii ad diem poſt Feſtum B. Mariæ Magdalenæ prorogavit: & ad Synodum Sylvanecti cœptam per literas vocavit Rothomagenſem, Senonenſem, Bituricenſem, Lugdunenſem Archiepiſcopos, Pariſienſem, Aurelianenſem, Carnotenſem, Æduenſem, Lingonenſem, Meldenſem, Autiſiodorenſem, Nivernenſem, Claramontenſem, Mimatenſem, Lemovicenſem, Bethleemitanum, Bajocenſem, Lexovienſem, Conſtantienſem, Ebroicenſem, Briocenſem, Maclovienſem, Cenomanenſem, Andegavenſem, Pictavienſem, & Santonenſem Epiſcopos, *in juris ſubſidium, ne hujuſmodi cauſa deſerta maneret, vel forſitan indiſcuſſa.* Extat hæc Epiſtola Tom. IV. *Spicilegii Dacheriani.* Hanc Synodum adjuvante Rege Chriſtianiſſimo *Ludovico X.* anno ſuperiori convocaverat Archiepiſcopus Remenſis, ut conſtat ex Epiſtola Majeſtatis ejus ad *Gazonem* Epiſcopum Laudunenſem, quæ in eodem *Spicilegii* Tomo edita eſt: cujus hæc ſunt verba: *Cùm, ſicut accepimus, dilectus & fidelis noſter Archiepiſcopus Remenſis pro examinatione quorumdam criminum, ſuper quibus apud eum Petrus Epiſcopus Catalaunenſis his diebus delatus extitit, certo indigeat Epiſcoporum numero ſecundùm Canónicas Sanctiones, ac hujuſmodi negotium perſonam noſtram plurimùm tangere dignoſcatur: Vos attentè requirimus & rogamus, vobis etiam ſub debito fidelitatis quâ nobis tenemini, tenore præſentium injungentes, quatenus Sylvanecti, ſexta die inſtantis menſis Auguſti, dicto Catalaunenſi Epiſcopo per eumdem Archiepiſcopum ad reſpondendum criminibus aſſignatâ, juxta requiſitionem ipſius Archiepiſcopi perſonaliter interſitis: ita quòd propter veſtri defectum nequeat præfati examinatio negotii retardari.* Negotium illud ad finem minimè perduxit Remenſis Archipræſul, *Suis, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ agendis implicitus, & aliis excuſationibus perſonalibus præpeditus.* Cúmque interim Catalaunenſis Epiſcopus detineretur, *Joannes XXII.* Pontifex Maximus Archiepiſcopo Bituricenſi, & Laudunenſi, Ambianenſi, atque Mimatenſi Epiſcopis, cauſam finiendam commiſit, *Ut vel Epiſcopum ipſum juxta exigentiam commiſſorum plecterent pœnâ canonicâ, ſi eſſet culpabilis, aut debitè abſolverent eumdem & plenariò liberarent, ſi à culpa reperiretur immunis.* Joannis XXII. Libellus ad illos Epiſcopos, ex Regio Chartulario editus eſt in libro *De Cauſis Majoribus*, Authore viro clariſſimo *Joanne Gervaſio* Doctore Pariſienſi, pag. 302.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, Num. I. pag. II Edit. primæ, Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *In Galliis petebatur licentia eligendi Epiſcopos à Rege, à quo liberabantur à jure Regalia, præſtito juramento, & receptâ inveſtiturâ.*

R. Ita eſt. Regii aſſenſus neceſſitas his Sæculis in Gallicana perſeverabat Eccleſia; eligendi licentia poſtulabatur à Rege, ad ejus Majeſtatem accedebat electus Antiſtes poſt quam ejus electionem Metropolitanus confirmaverat, præſtitoque fidelitatis Juramento, inveſtituram ab ipſa recipiebat, Literáſque Regias obtinebat *De Liberatione Regalium* (ut eo ævo loquebantur.) Hiſtoriæ res eſt, certiſſimis documentis eo loci à me probata. Literas *Philippi Pulchri* Regis Chriſtianiſſimi citavi *ſuper deliberatione Regalium* Eccleſiæ Andegavenſis factâ *Guillelmo Majori* Epiſcopo Andegavenſi electo & confirmato. An rectè citaverim, illarum verba probabunt: *Cùm nos (inquit Rex) Procuratoribus ſeu Nuntiis Guillelmi Electi Andegavenſis Eccleſiæ & confirmati. ... reddiderimus Sabbato poſt Paſcha ultimò prætèritum circa horam Veſperarum Regalia Epiſcopatus Andegavenſis, Mandamus vobis, quatenus dicta Regalia, & ea quæ ad ipſa pertinent, à die & hora prædictis deliberetis Electo & Confirmato antedicto. Actum apud Abbatiam Monialium juxta Melodunum, dicta die Sabbati anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo.* Ejuſdem Chriſtianiſſimi Regis Literæ ſuper Juramento fidelitatis facto ſuæ Majeſtati per eumdem Epiſcopum Andegavenſem electum & confirmatum, ſic habent: *Notum facimus quòd die Mercurii in Octavis Tranſlationis S. Nicolai, apud Vicenas ad nos accedens dilectus ac fidelis noſter Guillelmus Andegavenſis Electus nobis præſtitit Juramentum fidelitatis, prout alii Epiſcopi Andegavenſes Prædeceſſores ſui Regibus Franciæ Prædeceſſoribus noſtris, hujuſmodi Juramentum fidelitatis hactenus præſtiterunt, &c.*

SCHOLION II.

Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem in eodem Articulo, pag. 21. Edit. primæ notant: *Reſervationes Beneficiorum in Anglia liberam electionem impediebant.*

R. Hiſtoriæ res eſt.

SCHOLION III.

Ad eumdem Articulum, Num. VIII. pag. 44 Religioſi Cenſores hanc notam appinxerunt. *Quædam refert de nepotibus Papæ, & Cardinalibus.*

R. Nullum totâ illâ paginâ verbum meum eſt. Unus loquitur *Guillelmus Durandus* Epiſcopus Mimatenſis occaſione Commendarum abuſum & Beneficiorum coacervationem. Si Cardinales & Nepotes Pontificum olim perſtrinxit, vitia, non homines eſt inſectatus. Ego vero teſtimonium ipſius ad illuſtrandam ſæculi illius Diſciplinam conducibile mutilare non debui, vel ſupprimere.

SCHOLION I.

In eodem Articulo, Num. XI. pag. 71. Edit. primæ Religioſi Cenſores hanc velut meam propoſitionem notant: *Prima cognitio depoſitionis Epiſcoporum ad Metropolitanos, & non ad Papam pertinet.*

R. Non ita ſcripſi, ſed: *Epiſcoporum ſiquidem & ultimæ judicia Sedi Apoſtolicæ reſervata erant; cauſarum Epiſcopalium prima cognitio ad Metropolitanos & Synodos Provinciales pertinebat.* Hiſtoriæ & antiquæ Diſciplinæ res eſt, Canonibus & exemplis à me probata.

ARTICULUS II.

De Clericis.

Clericos absque titulo Beneficii aut Patrimonii ordinari nefas erat.

I. Absque Titulo Beneficii, aut Patrimonii, Clericos ordinari XIII. & XIV. seculo nefas erat. Id constat ex Decretalibus à *Gregorio IX.* Pontifice Maximo promulgatis. C. *Non liceat, De Prabendis & Dignitatibus*; cujus hæc sunt verba: *Non liceat ulli Episcopo ordinare Clericos, & eis nullas alimonias præstare: sed duorum alterum eligat: vel non faciat Clericos, vel si fecerit, det illis unde vivere possint.* Et C. *Episcopus*, quod sic habet: *Episcopus, si aliquem sine certo Titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tandiu ei necessaria subministret, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia Militiæ Clericalis assignet: Nisi talis ordinatus de sua vel paterna hereditate subsidium vitæ possit habere.* Est Concilii Lateranensis III. Canon V.

Innocentius C. *Per tuas, De simonia*, Subdiacono ad superiores Ordines ascendere vetat, vel in Ordine suscepto ministrare, *Qui cum certum titulum non habeat, quemdam Presbyterum exoravit, ut ipsum ad Ecclesiæ suæ titulum præsentaret: quod cum ille facere recusaret, ipse illi firmiter repromisit, quòd nunquam, si præsentaret eumdem, in Ecclesia sua aliquam peteret portionem.* Idem spectat C. *Si quis*, quod est *Gregorii IX.* ibidem: *Si quis ordinaverit, seu ad Ordinem præsentaverit aliquem, promissionem vel juramentum ab illo recipiens, quòd super provisione sua non inquietet eumdem: Ordinator à Collatione, Præsentator verò ab executione Ordinum per triennium, & Ordinatus ab Ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, noverint se suspensos.*

Concilium Bitterense anno MCCXXXIII. de Clericorum titulo sic decernit Canone VI. *Præcipimus ut quilibet Ordinandus examinetur de vita, & de scientia, & moribus diligenter; & sine Titulo Patrimoniali centum solidorum Turonensium ad minus, vel Ecclesiastico Beneficio competenti, sicut in Jure Canonico cautum est Ordinandus de cætero nullatenus admittatur.* Canone VIII. *Ad abolendam simoniæ corruptelam, quæ in his partibus inolevit, videlicet quòd Episcopi Clericos ad Sacros Ordines promovendos nolunt aliquatenus promovere, nisi prius præstito juramento, vel alia cautione, quòd ratione tituli patrimonialis, vel alterius minus idonei, ipsos vel eorum non impediant Successores: districtè inhibemus ne talia præsumant de cætero attentare. Quod si fecerint, à celebratione Ordinis noverint se suspensos: quia sanctius est in Ordine Sacerdotii paucos quàm multos malos habere Ministros, sicut est Lateranensi Concilio constitutum.*

…ordinandorum ætas. *Lib. I. Tit. VI. De ætate & qualit. Ordin.*

II. Subdiaconi anno ætatis XVIII. Diaconi XX. Presbyteri XXV. ordinabantur. Qua de re Clementina *Generalem*, ita statuit: *Generalem Ecclesiæ observantiam volentes antiquis Juribus in hac parte præferri: Decernimus, ut alio non obstante impedimento canonico, possit quis liberè in decimo-octavo ad Subdiaconatum, in vigesimo ad Diaconatum, & in vigesimo-quinto ætatis suæ anno ad Presbyteratus Ordines promoveri.* Subdiaconos anno ætatis decimo-sexto Ravennatensis Ecclesia ordinabat, ut constat ex Concilio Ravennatensi III. anno MCCXIV. Veteres Canones de Ordinandorum ætate renovari optabat *Guillelmus Durandus* Episcopus Mimatensis, *Cùm ab iis recedi non debeat, nisi necessitas id exposcat.* Expendendum esse ait, num expediret presbyterorum inaugurationem ad annum trigesimum differri, secundùm Canonem Concilii Neocæsariensis & alia veterum Synodorum Decreta. *Videretur considerandum* (inquit) *Si esset utile dicta Jura servari propter periculum fornicationis... Et quod ætas consueta in Episcopis, & etiam Regula Apostolica, in promotione Cardinalium servaretur. Videretur etiam utile quod Levitæ & Virgines ante XXV. annos non consecrarentur, sicut continetur in IV. C. Concilii III. Carthaginensis, & in aliis Conciliis & Juribus.* Puetis Ecclesiasticas Dignitates & Beneficia conferre, nefas erat. *Innocentius III.* Epistola CCXXXV. Libri XV. inter alias causas, propter quas Episcopi Melfitani depositionem decernit, hanc assignat, quòd *Nepotibus suis vagientibus in cunabulis, licèt ad plus vix valentibus balbutire, majores Prabendas tribuit, & Beneficia meliora, portantibus aliis pondus diei & æstus, & istis, ubi non seminaverunt, metentibus plena manu.*

Durandus in lib. De modo Gen. Concil. celebr. P. II. Rubr. …

Gregorius IX. pueros etiam à Beneficiis Ecclesiasticis excludit, C. *Super, De Prabendis & Dignitatibus*, cujus hæc sunt verba: *Cùm autem illi sint in Ecclesiis idonei reputandi, qui servire possunt & volunt in ipsis: Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd pueri & Beneficiati, qui non possunt in eadem Ecclesia deservire, in ea non debent idonei reputari.*

Concilium Lugdunense Oecumenicum sub *Gregorio X.* anno MCCLXXIV. celebratum Canone VIII. statuit *Ut nullus ad regimen Parochialis Ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus scientia, moribus, & ætate. Decernentes* (inquit) *Collationes de Parochialibus Ecclesiis, iis qui non attigerint vigesimum-quintum annum de cætero faciendas, viribus omninò carere.* Statuit etiam ut Curatus *infra annum à sibi commissi regiminis tempore numerandum se faciat ad Sacerdotium promoveri. Quod si infra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesiâ sibi commissâ, nullâ etiam præmissâ monitione, sit privatus.*

Concilium Ravennatense anno MCCCXI. Canone XVI. prohibet *Ne Canonicatus conferatur alicui in Ecclesia Cathedrali, nisi decimum-quintum annum attigerit: Nec Canonicatus vel Prabenda & Clericatus in Ecclesia Collegiata, ubi tres vel plures fuerint in congregatione, nisi duodecimum compleverit annum.* Concilium Viennense sanxit ut nullus Canonicus in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis suffragio gaudeat, etiamsi id sibi ab aliis liberè concedatur, *nisi saltem in Subdiaconatus Ordine fuerit constitutus.*

III. Præbendæ Cathedralium Ecclesiarum interdum à solis Episcopis, quandoque à solis Capitulis; interdum ab utrisque conjunctim, secundùm varios Ecclesiarum mores conferebantur. Id colligitur ex Cap. *Cùm Ecclesia, De electione & electi potestate*, quod est *Innocentii III.* ad Episcopum Florentinum de causa Vulterani Episcopi & Canonicorum scribentis: *In secundo quoque articulo, quo petebat Episcopus, ut dicti Canonici ipsum jure electionis uti liberè paterentur, absolvere studeas Canonicos, maximè si sit notorium, quòd in Tuscia generalis consuetudo servetur, ut in Cathedralibus Ecclesiis solum Capitulum irrequisito Episcopo, eligendi Canonicos habeat facultatem.*

Beneficiorum collatio à quibus facta? *Ab Episcopo.* *A Capitulis.*

Cùm Eboracensis Archiepiscopus fuisset à Romano Pontifice suspensus, & suspensionis tempore, ac deinceps, quidam præter ipsius auctoritatem in Eboracensem aliásque Ecclesias se intrusissent, in quibus ad ipsum pertinebat Beneficiorum collatio, querelas ad *Innocentium III.* detulit. Legato Apostolico dedit in mandatis Pontifex, *Quatenus eos qui Prabendas vel Dignitates ad donationem ejus spectantes, præter auctoritatem ipsius acceperant, ad eas resignandas, monitione præmissâ, per excommunicationis sententiam, & subtractionem aliorum Beneficiorum compelleret.*

De

De Jure collationum ad Episcopum & Capitulum conjunctim pertinentium, agit Cap. *Postulastis*, *De concessione Præbendæ*, quo *Innocentius III.* ad Metropolitanæ cujusdam Ecclesiæ Capitulum rescribit: *Postulastis per Sedem Apostolicam edoceri, ut cùm ad vos & Archiepiscopum vestrum simul donatio Præbendarum Ecclesiæ vestræ pertineat, utrùm Præbendæ vacantis donatio penes Archiepiscopum ipsum remaneat, si eam infra semestre tempus neglexeritis ordinare? Ad quod breviter respondemus. Quòd si vos & idem Archiepiscopus infra tempus præscriptum circa hoc negligentes extiteritis; sicut nec ab illo ad vos, ita nec à vobis ad illum potestas devolvitur conferendi: sed secundùm Statuta Lateranensis Concilii ad Superiorem transit donatio: Nisi fortè Archiepiscopus non ut Prælatus, sed ut Canonicus, vobiscum jus habeat conferendi. Et in hoc casu, cùm dolose impedierit, dolus ei suffragari non debet.*

Honorius III. Cap. *Illa*, *Ne Sede vacante aliquid innovetur*, declarat Beneficia spectantia ad collationem Episcopi non posse conferri a Capitulo Sede vacante: *Cum nusquam inveniatur cautum in Jure, quòd Capitulum vacante Sede fungatur vice Episcopi in Collationibus Præbendarum.*

Bonifacius VIII. Cap. *Si ad Episcopum*, Tit. *Ne Sede vacante aliquid innovetur*, in VI. declarat, 1. Collatione communiter ad Episcopum & Capitulum pertinente, Capitulum conferre mortuo vel suspenso Episcopo, similiter Episcopum suspenso Capitulo. 2. Si Collatio spectet ad Episcopum cum consilio vel assensu Capituli, defuncto Episcopo vel suspenso, Capitulum jus non habere conferendi. 3. Conferentem cum Episcopi consilio, sine illo conferre, morte vel absentia interveniente. *Si ad Episcopum & Capitulum communiter pertineat collatio Præbendarum: mortuo Episcopo, vel à Beneficiorum collatione suspenso, poterit Capitulum vacantes conferre Præbendas: etiamsi Episcopus interesse habeat in hujusmodi Collatione ut Prælatus: Idem poterit Episcopus, si Capitulum ab ipsa collatione suspendi contingat, vel singulariter omnes de Capitulo majoris excommunicationis vinculo innodari. Cùm verò ad solum Episcopum Præbendarum spectat collatio cum consilio sui Capituli vel assensu: defuncto Episcopo vel suspenso (nisi Episcopus in petenda relaxatione suspensionis hujusmodi sit in mora) Capitulum se non potest intromittere de eisdem. Ubi verò, de speciali alicujus Ecclesiæ consuetudine vel statuto, Beneficiorum collatio ad aliquem cum consilio Episcopi noscitur pertinere: sublato Episcopo de medio (cùm consilium negatur tunc peti ab eo) non erit propter hoc vacantis Beneficii collatio differenda: nec etiam si egerit in remotis, ita quòd non possit ipsius præsentia in brevi haberi: Quia in petendo vel expectando ejus consilio, posset vacanti Beneficio periculum imminere.*

Mandata Pontificia & Reservationes Beneficiorum.

IV. Mandatis Pontificiis, ac Reservationibus, in Beneficiorum collatione interdum locus erat; Testes sunt plures *Innocentii III.* Epistolæ, XXIII. lib. XV. ad Capitulum Pictaviense; XXXVII. ad Abbatem de Nonantula; XCVII. ad Episcopum & Capitulum Petragoricense, CLXIII. libri XVI. ad Episcopum & Capitulum Massiliense; CLXV. ad Episcopum Wratislaviensem, ex qua discimus, paupertatem proborum Clericorum, qui nullum Beneficium Ecclesiasticum habebant, Romanos Pontifices ad collationes hujusmodi primùm impulisse. *Cùm*, inquit, *per formam prædictam necessitatibus pauperum Clericorum, qui nullum sunt Ecclesiasticum Beneficium assecuti, sicut ibidem exprimi consuevit, Sedes Apostolica duxerit succurrendum*, &c. Legatur & Epistola CLXXVII. ad Patriarcham & Capitulum Antiochenum. Idem

A Pontifex Mandata direxit Episcopo Zamorensi in gratiam quorumdam Clericorum, quos ille sine titulo ordinaverat. (C. *Accepimus* De ætate & qualitatibus Ordinandorum. *Licet* inquit *in Ordinationibus Clericorum, illam tu ac Prædecessores tui diligentiam debueritis adhibere, ut minus idonei non ordinarentur à vobis, nec ideo post promotionem eorum, exceptionem non poteris prætendere contra illos: nisi fortè postquam promoti fuerint, reddiderint se indignos; ex superabundanti tamen, quando scribere pro talibus nos oportet, facimus in Literis nostris apponi. ut si Ordinatus,*

B *pro quo scribimus, idoneus habeatur, & Ecclesiastico Beneficio non indignus, ei ab Ordinatore, vel Successore ipsius, competens Beneficium tribuatur; Cùm etsi tecum de jure agere vellemus, te possemus meritò ad provisionem eorum compellere, quos à te vel Prædecessoribus tuis ordinatos esse constaret, eò præsertim quod ad Ecclesiasticum Beneficium eos debes idoneos reputare, quos ad Ordines suscepisti. Unde graviter sustinere non debes, sed nobis potius devotè inclinare teneris, si eos examinari per alios facimus, quos sine examinatione non credimus ordinatos, antequam ad provisionem eorum compellere te velimus. Mandamus igitur, quatenus*

C *eis pro quibus te contigerit recipere nostra Mandata in forma communi, in Majori Ecclesia, vel aliis Ecclesiis Diœcesis Bracarensis providere non tardes.*

Honorius III. ad Capitulum Andegavense *preces direxit & præcepta*, pro G. Clerico ut ipsum, quàm citò facultas se offerret, in Canonicum reciperent, & ad executionem Apostolici Mandati selectos viros nominavit. (*C. Dilectus, De Præbendis & Dignitatibus.*)

Ecclesia Gallicana reservationibus Pontificiis non præbuit assensum.

Anno MCCXXVI. *Romanus* Sedis Apostolicæ Legatus, Archiepiscopis, Episcopis, & Clero Gal-

D licano Avarici Biturigum congregatis, postquam de *Raymundi* Tolosani, & *Simonis* Montisfortis Comitum negotio actum est, Procuratores Capitulorum dimisit, *retentis tantùm Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & simplicibus Prælatis. Unde non immeritò timuerunt, ne procuratâ eorum absentiâ qui majoris prudentiæ erant & experientiæ, præ multitudine potentiores ad contradicendum, aliquid statueretur in præjudicium absentium Prælatorum. Quocirca dicti Procuratores post deliberationem diutinam, miserunt ad Legatum Procuratores Metropolitanarum Ec-*

E *clesiarum, qui coram eo sic allegaverunt: Domine, audivimus quòd habetis literas speciales à Curia Romana, de exhibendis Præbendis in omnibus Ecclesiis Conventualibus, sive Cathedralibus. Quocirca multùm miramur, quòd non in hoc Concilio proposuistis eas nobis audientibus, quos specialiter tangunt. Unde rogamus in Domino, ne illud scandalum oriatur per vos in Ecclesia Gallicana: scientes quòd sine maximo scandalo, & inæstimabili damno, non posset hîc ad effectum perduci. Quia esto quòd aliquis assentiret,*

F *nullus esset ejus assensus in rebus quæ omnes tangunt, cùm ferè omnes majores, & generaliter omnes subditi, necnon & ipse Rex, & omnes Principes, parati sint contradicere, & resistere usque ad capitis expositionem, & omnis honoris privationem: præsertim cum videatur imminere propter hoc scandalum, subversio Regni, & Ecclesiæ generalis. Ratio autem nostri timoris est, quòd cum cæteris Regnis non habuistis sermonem. & quibusdam Episcopis præcepistis & Abbatibus, ut cùm Præbendæ vacaverint, ad opus Domini Papæ reservarent. His auditis, cùm niteretur Legatus persuadere ut omnes consentirent, ostendit tunc primò Domini Papæ Authenticum; in quo exegit à singulis Ecclesiis*

religiosis & secularibus diversorum ordinum, dignitatis, conditionum & statuum, Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias ac Monasteria destituta Pastoribus, sub commenda, vel custodia, seu cura, vel guardia, aut administrationis titulo, duximus perpetuò ad vitam seu ad certi temporis spatium committenda: super his, an tales videlicet tantásque gratias per nos fieri decuisset, variorum arduorum negotiorum multiplicitate distracti, usque ad tempus, quo infirmitate periculosa nos his diebus visitavit Omnipotens: nequivimus cogitare plenariè. Verùm in debilitate ipsius ægritudinis constituti, à negotiorum utcumque discussione semoti, ad hoc sub diligenti examine direximus aciem nostræ mentis, demùmque prospeximus evidenter, quòd Ecclesiarum & Monasteriorum eorumdem cura negligitur, bona & jura dissipantur ipsorum, ac subjectis eis personis & populis spiritualiter plurimùm & temporaliter derogatur, eisque redundans ad noxam quæ dicebantur cedere ad profectum, ac nedum ipsis, sed etiam Romanæ Matri Ecclesiæ (quæ disponente Domino ipsorum Caput fore dignoscitur & Magistra) graviora inde futura timentur pericula. Nolentes igitur his tot & tantis dispendiis ulteriùs causam relinquere, sed volentes potius opportunum & debitum in hac parte remedium adhibere; omnes & singulas promissiones hujusmodi per nos factas quibuscumque cujuscumque ordinis, dignitatis aut status, sed etiam S. R. E. Cardinalibus, quocumque modo vel tempore facta noscantur, Auctoritate Apostolica ex nunc ex certa scientia revocamus, cassamus, & annullamus, & decernimus de cætero non habere aliquam roboris firmitatem. Extat lib. III. Extravagantium Communium Tit. II.

Commendarum abusus, & Beneficiorum ac Pensionum coacervatio vetita.

Contra Commendarum hujusmodi abusum, & Beneficiorum coacervationem *Guillelmus Durandus* Episcopus Mimatensis in libro *De Modo Generalis Concilii celebrandi*, quem *Clementis V.* jussu ante Concilium Oecumenicum Viennense scripsit, Parte III. Rubrica XX. hæc habet observatione dignissima: *Theologorum communiter hoc habet opinio, quòd si unum habens Beneficium, de quo potest non lautè, nec ad elationem & pompam, sed convenienter & mediocriter sustentari, & recipiat vel retineat aliud, mortaliter peccat........ Quare videretur utile Ecclesiæ sanctæ Dei, ut Ordinatio Bonifacii super hoc facta in Decretali, CUM SINGULA: quantùm ad Regulares, extenderetur ad Clericos seculares, & ad Dominos Cardinales, qui in grave animarum ipsorum periculum, & universalis Ecclesiæ dispendium, multa millia florenorum, librarum & marcharum, sibi & suis pestifera adinventione super Ecclesias etiam Parochiales & Curatas faciunt cumulari: & Ecclesias etiam Cathedrales & ultramarinas sub diversis coloribus commendari: & certas sibi solvi ab illis, qui illorum promoventur auxilio, Pensiones, quæ numquam in Romana Ecclesia moriuntur, sed ab uno Cardinali in alium, vel in ejus vel Domini Papæ propinquum, vel nepotulum detinentur. Ex quibus sequitur (cùm sibi vendicent universa) infelix quòd Clericus, qui de prædictis Beneficiis sustentari, & eis personaliter deservire debuerat, mendicat in plateis, & servili operi mancipatus, publicam deposcit eleemosynam..... Et hac peste est etiam noviter introductum contra Jura, quod Prioratus Conventuales, & alia Beneficia Ecclesiastica consueta ab olim regi & gubernari per Monachos, & per alios Regulares, prædicti Domini Cardinales, (ac si Beneficia secularia nequaquam sufficerent: vel si per illos meliùs quàm per alios reformari deberent) sibi & suis faciunt assignari: quanquam non efficiantur Monachi, nec sint de vita & Regula Monachorum & aliorum Regularium: contra Concilium Æduense sub VII. Gregorio congregatum, & contra Capitulum Urbani Papæ, & contra XXIV. Capitulum Concilii Chalcedonensis, & contra XIII. Capitulum VII. Synodi, XIX. Q. III. in quinque primis Capitulis. Extra, De vita & honestate Clericorum,* Deus qui Ecclesiam; *&, De Religiosis domibus,* Inter quatuor: & XVIII. Q. II. Pervenit. *Ex quibus in dictis Prioratibus & Beneficiis Regularium, periit in totum Regularis observantiæ disciplina: cum non sit inter eos qui corrigat, non sit qui doceat, non sit cui observantia & reverentia præbeatur, nec qui eos in Vita Regulari & Monastica valeat gubernare: fraudatur hospitalitas servari in dictis Prioratibus & Beneficiis consueta: & jura ac bona Prioratuum hujusmodi dissipantur: & loca ad irreparabile opprobrium, non absque populi scandalo, deducuntur.*

Joannes XXII. non solùm Cardinalibus, sed & aliis Ecclesiastica Beneficia commendavit. Commendas hujusmodi abrogavit *Benedictus XII*, dispensatione solis Cardinalibus & Patriarchis concessa, ut Vitæ ipsius Auctor testatus. *Innocentius VI.* idem præstitit, cùm ejus Decessor *Clemens VI.* in Commendarum concessione fuisset indulgentior. *Attendentes*, inquit, *quòd occasione Commendarum, & concessionum hujusmodi, in commendatis & retentis eisdem, sicut experientia docuit, ut plurimùm divinus cultus minuitur; animarum, in eis, quibus imminet, cura negligitur, hospitalitas consueta & debita non servatur, ruinis ædificia patent, ipsorum Jura in spiritualibus & temporalibus collabuntur: ac propterea hujusmodi malis occurrere, & Ecclesiis & Monasteriis, Prælaturis, Beneficiis, & aliis prædictis taliter commendatis & retentis de Pastoribus & Rectoribus propriis, qui eis præesse velint & valeant, providere..... Nonnullorum quoque Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum in hac parte vestigiis inhærentes, deliberatione super hoc cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus præhabita, omnes & singulas Commendas & concessiones hujusmodi de quibuscumque Cathedralibus vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, Prælaturis, Prioratibus, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, Officiis & Beneficiis, ac locis Ecclesiasticis Secularibus & Regularibus quorumcumque Ordinum, quocumque nomine censeantur....... Auctoritate Apostolica penitus revocamus, & omnino viribus vacuamus.* Legitur apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCCLIII. Num. XXXI.

Episcoporum Residentia.

IX. Residendi in suis Ecclesiis necessitatem Episcopis incumbere, XIII. & XIV. Seculi Doctoribus omnino persuasum erat. *Innocentius III.* Archiepiscopum Ragusinum à sua Ecclesia quadriennio toto absentem, nisi intra mensem redeat, Archiepiscopatu excidisse declarat, & Ragusiensibus permittit ut novum Archipræsulem eligant. *Discretioni vestræ mandamus*, inquit, *quatenus, (nisi forsitan jam redierit) vos post mensem à receptione præsentium, personam vobis idoneam in Archiepiscopum eligatis.* Refertur C. *Qualiter*: Extra, *De Clericis non residentibus.*

Concilium Parisiense anno MCCXII. Episcopis Residentiam in Cathedralibus Ecclesiis imperat, præsertim in majoribus Solemnitatibus, & Quadragesimali tempestate. (Canone 8.) Idem edicit Concilium Lodinense anno MCCXXXVII. (Canone XXII.) Londinense alterum anno MCCLXVIII. Canone XXII. *Episcopos ad personalem Residentiam, circa gregem Domini sibi commissum tam Divinis quàm Ecclesiasticis Præceptis adstrictos* declarat. *Gregorius XI.* Anno Christi MCCCLXXV. Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates Regulares, Archimandritas

&

& Præsidentes quoslibet quorumcumque Ordinum non Mendicantium, ad Residentiam personalem in suis Diœcesibus, Ecclesiis, & Monasteriis, Apostolico Diplomate compulit: exceptis S. R. E. Cardinalibus, ac etiam Apostolicæ Sedis Legatis & Nuntiis, necnon Ecclesiæ Romanæ, & Summi Pontificis Officialibus. Mala quæ ex residendi negligentia oriuntur, optimus Pontifex luculentis verbis describit: *Ex quo*, inquit, *in Clero & populo vitia pullulant, cultus divinus minuitur, Sancta spernuntur, provenit indevotio populorum, oriuntur errores, decrescit fides, crescunt insolentia, Ecclesiasticus status contemnitur, conculcatur libertas Ecclesiastica, patitur sæpe detrimentum Justitia, dum proprius Judex non ministrat eamdem, ac ædificia & alia bona temporalia collabuntur. Ex quibus, & aliis malis innumeris inde provenientibus, strepunt murmurationes filiorum, dum spirituale patrum pabulum non degustant, suscitantur scandala gravia, &, proh dolor! animæ, ad quarum salutem Præsides spirituales invigilare tenentur, evidentibus periculis exponuntur.* Refert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCLXXV. Num. XXIII.

Causæ à Residentia dispensantes.

Episcopi à Residentia legitimè dispensati aliquando censebantur, certas ob causas, pietatis, necessitatis, vel publicæ utilitatis. Primùm cùm adeunda erat Apostolica Sedes, vel ob Synodi celebrationem, vel ob reverentiæ & obedientiæ significationem. Hinc *Ludovicus IX.* Rex Francorum Sanctissimus ad *Fredericum II.* Imperatorem scribens: *Admirari*, inquit, *cogimur vehementer, & non sine ratione turbari, quòd nullâ offensionis causa vel materia præcedente, Prælati Regni nostri ad Sedem Apostolicam accedentes, cui tam ex fide quàm obedientia tenebantur, nec ejus poterant recusare mandata, in mari capi fecistis, & eos sub custodia detinetis.*

Profectio ad Sedem Apostolicam.

Alexander IV. Privilegia quorumdam Præsulum importunis precibus extorta ne Sedem Apostolicam pro more adire tenerentur, anno MCCLVII. rescidit. *Nonnulli*, inquit, *Ecclesiarum Prælati obtinuerunt sibi per Sedem Apostolicam importunè concedi, ut non teneantur Sedem eamdem usque ad certa tempora visitare, contra formam præstiti Juramenti: ex quo illud evenit inconveniens, quod Apostolica Sedis dignitas rarius visitatur, in derogationem reverentiæ, quæ ab omnibus debetur eidem, utpote quæ Mater existit Ecclesiarum omnium & Magistra. Nos igitur volentes super hoc salubri remedio providere, ac Romanam Ecclesiam, quæ super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, congruis honoribus frequentari: præsertim cum non sit facile recedendum ab eo, quod à Prædecessoribus nostris super hoc diu excogitatum extitit & obtentum; de fratrum nostrorum consilio, indulgentias & concessiones hujusmodi, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prælatis concessas, auctoritate præsentium revocamus.* Refert *Odoricus Raynaldus* ad hunc annum, Num. L.

Assistentia Regum Consiliis.

Secundò, à Residentia dispensabantur Antistites ratione obsequii Regibus impendendi, cùm inter Consistorianos Comites ab ipsis adlegebantur, vel ad Regni Comitia convocabantur. Regnante Philippo Augusto, *Guarinus* ex Ordine Equitum *S. Joannis Hierosolymitani* ad Sylvanectensem Episcopatum assumptus, *Regis specialis Consiliarius effectus, in Aula Regia propter prudentiam & incomparabilem consilii virtutem, & alias animi dotes multiformes ita laudabiliter se habebat, quòd quasi secundus à Rege, negotia Regni inculpate tractabat, & Ecclesiarum necessitudines, tamquam vir literatus, ad plenum nihilominus omni studio procurabat, Libertates & Privilegia earum modis omnibus quasi sub chlamyde conservans indemnes.* Ita refert *Rigordus* in Vita *Philippi Augusti*. Regnante *Ludovico IX.* Rege Sanctissimo, Episcopos ad ejus Consilia & Parlamenta frequenter vocatos legimus:

Anno MCCXLV. *Infra octavas S. Dionysii, convocavit grande Parisius Parlamentum, in quo Legatus Apostolicus, & plures Regni Franciæ Archiepiscopi, Pontifices, & Abbates, Barones quoque & Comites adfuere*, ut refert *Guillelmus Nangius* in Regis Sancti Vita. *Anno* MCCLX. *Dominica in Passione, congregavit Rex Franciæ Ludovicus Parisius Concilium Episcoporum & Principum Regni sui, eò quòd Dominus Papa scripsit ei, Tartaros in transmarinis partibus irruisse* (inquit idem Author) Anno MCCLXIX. *Crucem assumpturus, convocavit Prælatorum, Principum, Baronum ac Militum, cæterorum quoque hominum multitudinem copiosam, quibus congregatis in unum, Domino Legato præsente, ipsemet Rex Catholicus, coram cunctis qui aderant, exhortationem fecit quamplurimùm efficacem, animans eos ad ulciscendam injuriam Salvatoris.* (Ex eodem Authore) Cùm blasphemiæ crimen è Regno suo radicitus extirpare decrevisset, habito consilio cum *Simone* S. R. E. Cardinali Sedis Apostolicæ Legato, *Auctoritate ipsius Legati & sua convocati sunt Parisius majores de Regno, tam Principes quàm Prælati: ut super hoc damnabili vitio refrænando, vel potius destruendo, apponeretur consilium & remedium salutare.* Ita refert *Gaufridus de Belloloco* in ejus Vita.

Rex *Philippus Pulcher* in Parlamentis & Curiis Inquisitionum, quæ tunc bis in anno celebrabantur, Episcopos quosdam adesse voluit, ut probat ejus Edictum à *Pasquierio* relatum lib. II. *Disquisitionum Francicarum*, cap. XXXV.

Qui *Somnium Viridarii* scripsit, dicavitque *Carolo Sapienti*, eos refellit, qui ægrè ferebant Episcopos ad Aulam vocari, & Regum Consiliis interesse: *Qui autem Reges arguitis* (inquit cap. 163.) *quòd Episcopos ad se advocant, & ipsos suos faciunt Consiliarios, non est quidem novum quòd Regum Consiliis intersint Episcopi. Sicut enim honestate & sapientià cæteros antecedunt, sic expeditiores, & efficaciores in Reipublica administratione censentur, quia sicut scriptum est:* « Minùs salubriter disponitur Regnum, quod non regitur consilio Sapientum: *Scriptum est enim*: Væ terræ cujus Rex puer est, cujus Principes mane comedunt. Beata est terra, cujus Rex sensatus est, & cujus Principes vescuntur tempore suo. *In quo notatur Consiliis Principum eos debere assistere, qui sciant, velint, & possint patientibus compati, patriæ ac populi saluti proficere, erudire ad justitiam Reges, imminentibus periculis occursare, & quadam auctoritate potestativa præsumptionem malignantium cohibere. Nec vobis Clericis debet esse molestum, si Regum Consilio intersint Prælati, quia forsitan nisi Episcopi essent Consiliarii Regii, aliqui Laici, qui Clericis oppidò sunt infesti, supra dorsum Ecclesiæ sæpiùs fabricarent. In hoc ergo est Rex laudandus, qui tales sibi Consiliarios assumit, qui reddant quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Nunc enim si Ecclesia attentatur injuria, auctoritate Pontificali corripitur: aut si ad hoc Ecclesiastica Censura non sufficit, spiritualis gladii defectus materiali suppletur, & ad eorum arbitrium animadversio exercetur. Si quando Regis indignatio adversus Personas Ecclesiasticas exardescit, Episcoporum precibus temperatur. Istis mediantibus judiciarius rigor admittitur, pauperum Ecclesiarum dignitas erigitur, firmatur in Clero libertas, pax in populis, in Monasteriis quies. Justi-*

tia liberè exercetur, augetur Laicorum devotio, Religio fovetur, diriguntur Judicia, Leges accepantur, Decreta Romana vim obtinent, possessiones Ecclesiastica dilatantur.

Eodem regnante *Carolo V.* in Curia Subsidiorum Præses creatus est, ac deinde Senator in Parlamento, *Joannes de Grangia* Fiscanensis primùm Abbas, deinde Ambianensis Episcopus & S. R. E. Cardinalis: & in Sacrum Collegium cooptatus, munus tamen illud infra se non censuit, nec illud exercere dedignatus est, ut testatur ipse in suo Testamento, quod ordinationi, cognitioni, ac protectioni ejusdem Supremi Senatus subjecit XII. Aprilis anno MCCCCII. *Cùm, inquit, benignitate & gratia Regis Caroli bonæ memoriæ Domini mei, & ex concessione ipsius ego fuerim, tunc existens Abbas Fiscanensis, de solemni & honorabili Collegio Parlamenti Regis Parisiensis, & ipsum continuaverim per plures annos in diebus deputatis ad lites seu quæstiones audiendas, & Consilia tenenda: Et postquam fui Cardinalis, fuerim & sederim pluries cum aliis Dominis in Camera Parlamenti, & in litibus audiendis, & Consiliis tenendis, mèque reputaverim & reputem fuisse & esse, ac permanere de dicto Collegio quamdiu vivam, & sim certus per Curiam ipsius Parlamenti, absque acceptione personarum, tam magnis quàm parvis justitiam indifferenter omnibus ministrari, & per dictum Parlamentum quod suprema Regis Curia existit, omnes indifferenter, quantùm tenentibus ipsum fuerit possibile, a gravaminibus & oppressionibus defenduntur & præservantur, & si gravati & oppressi fuerint, ab eisdem relevantur, &c. Ego qui servitor Regis & Consiliarius, ac cum servitoribus & bonis meis quibuscumque in sua salva gardia & protectione speciali existo, prædictum Testamentum meum & executionem ipsius ac omnia & singula contenta in eo, & bona mea quæcumque mobilia & immobilia, præsentia & futura, & submitto protectioni, cognitioni, ordinationi, & determinationi prædictæ Curiæ Parlamenti.* Hujus Cardinalis Testamentum editum est in Annotationibus Viri Clarissimi *Dionysii Godefridi* ad Historiam *Caroli VI.* pag. 754.

Cardinalis in Parlamento Parisiensi Senator.

Henricus III. Angliæ Rex à *Gregorio IX.* Pontifice Maximo licentiam retinendi quosdam Episcopos in Consiliis suis rogavit anno MCCXXXI. Pontificias Literas refert *Odericus Raynaldus*, quæ sic habent: *Pia devotione Progenitorum tuorum, qui ad Deum & ejus Ecclesiam, debitam reverentiam habuisse noscuntur, asseris introductum, quòd Reges Angliæ semper habere consueverunt Consiliarios aliquos Episcopos Regni sui, de cujus statu cum consilio disponerent eorumdem. Unde humiliter postulasti eisdem Prælatis, quibus incumbit ex Officio Pastorali conservare justitiam, & diligere honestatem, ut liberè assumere valeant solicitudinem, & assistere in Consiliis, à nobis licentiam indulgeri. Nos autem piam in hac parte intentionem tuam esse credentes, & tam Regni tui sperantes, quàm Ecclesiæ utilitatibus providere, Episcopis, quos ad hoc duxeris evocandos, tibi assistendi in Conciliis, prout utilitas exigit & honestas, & liberam auctoritate præsentium concedimus facultatem.*

Denique legitimè dispensatos à Residentia Episcopos ut Synodis Generalibus & Provincialibus interessent, non est cur probare satagam, cùm id perspicuum sit & exploratum. De Conciliorum Provincialium singulis annis celebratione ita sanxit Lateranensis IV. Synodus *Innocentio III.* Præside, Canone VI. *Sicut olim à Sanctis Patribus noscitur institutum, Metropolitani singulis annis cum suis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare. In quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, præsertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, Canonicas Regulas, & maximè quæ statuta sunt in hoc Generali Concilio, relegentes, ut eas faciant observari, debitam pœnam transgressoribus infligendo.*

Profectio ad Synodos.

Celebrationem Conciliorum Provincialium, quæ in desuetudinem abire cœperat, imperavit *Gregorius XI.* Petro Archiepiscopo Narbonensi, anno MCCCLXXIV. *Licèt, inquit, pro observatione Sacrorum Canonum, corrigendis excessibus, & reformatione morum, præsertim Cleri, sit à sanctis Patribus institutum, quod Metropolitani cum suis Suffraganeis non omittant Provincialia Concilia celebrare, quia tamen celebratio hujusmodi fere ubique terrarum, quod dolenter referimus, longis temporibus est negligenter omissa, propter quod idem Clerus ab honestate sui primævi status non modicum excidit, multipliciterque in devium declinavit: nos de opportuna reformatione illius cogitantes, non videmus quod hujusmodi reformatio possit citius & efficaciùs fieri, quàm per novas celebrationes Conciliorum Provincialium prædictorum; ut super observatione antiquorum Institutorum, novisque casibus in Clero sæpius evenientibus manifestis, in eisdem Conciliis opportuna remedia præbeantur.*

X. Summa erat Episcoporum Jurisdictio in causis Clericorum, tam civilibus, quàm criminalibus. Cujus rei cùm probationes multæ suppetant, præcipuas hîc exhibebo. *Innocentius III.* ad Pisanum Archiepiscopum scribit, Clericum non posse constituere sibi Judicem Laicum, etiamsi proprium Juramentum, & adversarii consensus accedat. Quia cùm in Conciliis Milevitano & Carthaginensi III. sit promulgatum: *Ne Clerici Clericos relicto suo Pontifice ad Judicia publica pertrahant, alioquin causam perdant, & à communione habeantur extranei: & tam Episcopi quàm Diaconi, seu quilibet Clerici, in criminali seu civili negotio, si derelicto Ecclesiastico Judicio, publicis Judiciis se purgare voluerint, etiamsi pro eis sit lata Sententia, locum suum amittant, & hoc in criminali actione; in civili verò perdant quod evicerint, si locum suum maluerint obtinere: Manifestè patet, quod non solùm inviti, sed etiam voluntarii, pacisci non possunt ut secularia judicia subeant, cùm non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico publicè sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest. Nec Juramentum licitè servari potuit, quod contra Canonica Statuta illicitis pactionibus informatur.* Habetur C. *Si diligenti*: Extra, *De Foro competenti.*

Episcopalis Jurisdictio in causis Clericorum.

Ideo ad Vercellensem Episcopum & Abbatem de Toleto scribit: *Præcipiatis ex parte nostra Prælatis, ut Laicis de Clericis conquerentibus plenam faciant justitiam exhiberi, non obstantibus appellationibus frustratoriis, quas in eorum gravamen Clerici frequenter opponunt: Ne pro defectu justitiæ Clerici trahantur à Laicis ad Judicium seculare, quod omnino fieri prohibemus.*

Idem Pontifex Ecclesiasticam Immunitatem adversùs Barones Franciæ tutus est, qui novis Constitutionibus ipsam perturbabant, ut constat ex ipsius Epistola ad Episcopum Tusculanum, Sedis Apostolicæ Legatum, cujus hæc sunt verba: *Si dicti Barones diligenter attenderent, quòd Carolus Magnus Ecclesiam, à qua omnem honorem susceperat, cupiens honorare, perpetua lege decrevit ut omnes ipsius Jurisdictioni subjecti Statutum à Theodosio Imperatore pro Ecclesiæ libertate editum inviolabiliter observarent: Videlicet ut quicumque litem habens, sive petitor fuerit, vel initio*

litis

ctis, vel decursis temporum curriculis, sive cum jam ceperit promi Sententia, si Judicium elegerit Sacrosanctæ Sedis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etsi pars altera refragatur, ad Episcoporum Judicium cum sermone litigantium dirigantur, & omnes causæ, quæ Prætorio, & etiam Civili Jure tractantur, Episcoporum terminatæ sententiis, perpetua robur obtineant firmitatis; & negotium quod judicio ipsorum deciditur, nequaquam ulteriùs ab aliquo retractetur. Ex quâ manifesta potest ratione perpendi, quàm iniquum videatur & absonum, si honor Ecclesiæ, quæ tam grandis libertatis privilegio donata dignoscitur, in illis immunitatibus, quæ multò prædictis noscuntur esse minores, his temporibus decurtetur. Si aliàs Barones ipsi pensarent, quòd omnes qui præsumunt Statuta condere contra Ecclesiasticam libertatem, sunt ipso facto excommunicationis Sententiâ innodati: forsan non processissent ad talia, nec etiam persisterent in eisdem.

Gregorius IX. Tolosanam Academiam confirmans, ad Tolosanum Comitem scripsit de Magistrorum, Studentium, & Clericorum immunitate à Secularibus Judiciis. *Nulli* (inquit) *Magistri & Scholares, vel Clerici ac servientes eorum, si (quod absit) contigerit eòs in aliquo maleficio deprehendi, ab aliquo Laico judicentur, vel etiam puniantur.... Laici teneantur Studentibus coram Ecclesiastico Judice respondere, secundum consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ.* (Epist. XXXVIII.)

Concilium apud *Vallem Guidonis* anno MCCLXII. Canone V. Conciliorum Milevitani II. & Chalcedonensis Canones renovat contra Clericos, *Qui juri publico, quantùm in ipsis est, derogando, relicto Ecclesiastico Judicio, ad sæcularia judicia prorumpere non verentur: maximè in civilibus & criminalibus causis.*

Concilium Bituricense annò MCCLXXVI. celebratum, Præside *Simone* Sanctæ Cæciliæ Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato, excommunicatione ferit Laïcos Judices, *Qui in actionibus mere personalibus, Ecclesiasticas coram se personas litigare compellunt, contra Canonicas Sanctiones.* (Can. VII.) Idem sanxit Synodus Andegavensis à *Joanne* Turonensi Archiepiscopo celebrata anno MCCLXXIX. Canone I. Idem Avenionensis anno MCCLXXXI. Canone VII. *Frequens*, inquit, *& detestanda præsumptio apud plures invaluit Clericos, & etiam Regulares, Juris ordinem pervertentes, ut Clerici, necnon Laici, Clericos suo relicto Pontifice, non expaveant, in eversionem Juris manifestissimam utrinsque, ad Judicia Secularia pertrahere passim... Volentes igitur hujusmodi morbis salubre antidotum præparare, præsenti Concilio statuimus, quòd si aliquis super causis spiritualibus vel Ecclesiasticis negotiis, vel per se, vel per alium, adiverit Curiam secularem, & monitus infra tres dies desistere recusaverit, eo ipso sit excommunicationis sententia innodatus.*

Concilium Rothomagense anno MCCXCIX. celebratum, Canonibus III. & IV. Judicibus secularibus prohibet sub pœna excommunicationis ipsò facto incurrendæ, ne quoscumque Clericos aliásve personas, *occasione factorum à Clericis commissorum, super delictis atque factis personalibus quibuscumque commissis, atque specialiter in clamore de Haro, nec de crimine usurario à Clerico perpetrato, coram se respondere compellant.* Eadem pœna ferit Clericos qui in factis personalibus justitiæ seculari se subjiciunt.

Concilium Compendiense, anno MCCI. Canone I. decernit ut *Si in aliqua civitate, vel in aliquo loco Remensis Provinciæ contingat quandoque Clericum detineri per laicalem Justitiam, postquam fuerit ab Episcopo loci illius, vel ab Officiali, vel Decano Rurali, seu ex parte alicujus eorum legitimè requisitus: cessetur à Divinis in loco captionis & detentionis, quousque fuerit competenter restitutus.* Canone III. *Cum per Justitiam laicalem non debeant puniri excessus Clericorum, nec ab eis levari emenda de eisdem; cùm hæc ad solos Judices Ecclesiasticos, non seculares pertinere dinoscantur: monemus omnes & singulos nostræ Provinciæ, ne pro prædictis, seu occasione eorumdem, levent aliquid, recipiant, vel exigant quoquo modo: Alioquin contra facientes excommunicationis sententiâ innodamus.*

Concilium Avenionense anno MCCCXXV. celebratum, Canone IX. decernit: *Ut nullus Dominus temporalis, vel Judex seu Delegatus ejusdem, Clericum, vel Personam Ecclesiasticam aut Religiosam, coram se, super criminalibus vel personalibus citet, seu citari faciat, vel quoquo modo distringat: quod si fecerit, & in hoc perstiterit, & intra dies octo non se correxerit, ex tunc sententiam excommunicationis incurrat.* Et Canone X. *Prohibemus ut nulla persona Ecclesiastica, de Clerico vel Ecclesiastica persona qualicumque conquerens super spiritualibus, vel Ecclesiasticis, aut criminalibus, vel personalibus quibuscumque, recurrat ad Curiam, vel Principem, aut Dominum alium secularem, vel Laicum alium quemcunque, super justitia facienda, vel violentiâ Clerico in persona vel rebus ad eum pertinentibus inferenda: nec cum ipso vel ipsis, super eisdem, sine conscientia Prælati vel Officialis sui, pactum aliquod inire præsumat, nec factum observet aliquando. Querelam exponens, vel denuntiationem faciens, & in eis persistens, vel paciscens, & pactum observans, à jure suo eo ipso cadat, nulla aliâ super hoc expectata sententiâ: & donec super hoc ad arbitrium Prælati satisfecerit, omni Beneficio Ecclesiastico, quod obtinet, noverit se suspensum, & ab obtinendo indignum.*

Anno MCCCXXIX. *Petrus Bertrandi* Æduensis Episcopus Ecclesiasticam Jurisdictionem, totius Ecclesiæ Gallicanæ nomine, contra *Petrum de Cugneriis* Regium Advocatum, pro Baronibus & secularibus Magistratibus, immo pro ipso Rege orantem, coram *Philippo Valesio* Rege Christianissimo egregiè ac fœliciter tuitus est. Judicium de causis Clericorum, seu civilibus seu criminalibus, ad Episcopos spectare non diffitebatur *Petrus de Cugneriis*: casus duntaxat aliquos exceptos volebat, scilicet 1. Crimen furti. 2. Clericorum conjugatorum delicta. 3. Si absque Tonsura & veste Clericali essent in crimine deprehensi. 4. Si de ipsorum conjugibus ageretur. 5. Clericos negabat in terris Baronum capi posse.

Discrepatio de Ecclesiastica Jurisdictione inter Petrum Bertrandi, & Petrum de Cugneriis.

Ad primum respondet Præsul Æduensis: *Cùm ad Ecclesiam solùm pertineat cognoscere de Clericis; Laici non possunt nec debent se intromittere de rebus furatis: quia ad eum pertinet accessorium, ad quem principale: sic enim Laici haberent indirectè cognitionem Clericorum: & multi possent fingere notorium, quod non esset.*

Ad secundum respondet: *Si Clericus conjugatus deferat Tonsuram, & vestes Clericales, & in tali habitu capiatur per Judicem secularem: cùm de jure & consuetudine notoriis tales Clerici, quantùm ad delicta sint de foro Ecclesiæ, Officiales prædicti nullam faciunt injuriam Dominis temporalibus, si compellant eos per sententias excommunicationis, vel alias, ad abstinendum à cognitione talium delictorum: quia quocunque modo delinquatur, cognitio pertinet ad Prælatos: & Laïci offendunt, exactionem seu pœnam pecuniariam à talibus exigendo.*

Ad tertium respondet: *Tales, pro eo quòd non deferunt Tonsuram vel habitum Clericis congruentem, non amittunt Privilegium Clericale. Unde si sit notorium Judici Ecclesiastico talem esse Clericum, vel fama sit publica super hoc, idem Judex,*

sine

sive cujuscumque injuria potest ad restitutionem talis Clerici Justitiam compellere secularem. Sed si dubium esset talem Clericum esse vel non, & captus fuisset in habitu laicali, ad Ecclesiam pertinet cognitio, & detentio ad Judicem secularem, secundum quòd Jura dicant.

Ad quartum respondet : *Quòd in locis ubi de consuetudine speciali uxor Clerici esset de foro Ecclesiæ ; quia etiam ad hoc Jus Imperatoris concordat, nulla fit injuria, si cognitionem ipsarum mulierum Ecclesia retinet.*

Ad quintum respondet : *De Jure divino & humano licitum est Prælatis & eorum Judicibus capere Clericos ubique, quia non est dare locum ubi non sit Jurisdictio spiritualis, sicut temporalis. Unde talis captio Clericorum, quæ est spiritualis, & de foro Ecclesiastico, potest & debet fieri per Judicem Ecclesiasticum, & non per alium quemcumque. Et nisi ita fieret quòd capi possent Clerici per Judices Ecclesiasticos ubique, sæpissimè delicta Clericorum remanerent impunita ; cum per laicos non possint capi absque sententia excommunicationis à Canone incurrenda propter hoc.* Is erat Episcopalis Jurisdictionis in Clericos status, quem *Philippus Valesius* sartum tectum voluit. Eamdem Jurisdictionem vindicarunt Concilium apud Castrum Gonterii anno MCCCXXXVI. Canone I. Noviomense anno MCCCXLIV. Canone I. Parisiense MCCCXLVI. Canone I. Vaurense MCCCLXVIII. Canonibus XXXVI. & XXXVIII.

Summi Pontifices Christianissimis Regibus permittunt ut Clericos flagitiosos in carcerem suum detrudi jubeant, ad Ecclesiæ mandatum reddendos.

Nicolaus IV. Pontifex Maximus *Philippo III.* Regi Christianissimo permisit anno MCCLXXVIII. ut Clericos gravissimorum criminum reos immissos in carcerem detrudere posset ; non ut jus aliquod in eos exerceret, sed Præsulibus traderet, ne in effrænatam licentiam impunitatis spe prorumperent, ob quod factum anathematis sententiam non subiturum decrevit. (Epist. 147.) Ita refert *Odericus Raynaldus*, ad hunc annum, Num. XXXVII. Istud Privilegium *Philippo V.* confirmavit *Joannes XXII.* anno MCCCXVII. *Celsitudinis tuæ*, inquit, *precibus benignum impertientes assensum, ut si contingat te, tuósve Ministros alios flagitiosos Clericos propter crimina homicidii, mutilationis, aut alterius enormis facinoris, vel etiam super hujusmodi criminibus publicè diffamatos, de quorum fuga & evasione probabiliter timeatur, servatâ modestiâ qua potest in talibus observari, capere, detinere, seu capi facere, vel etiam detineri, non in contemptum Clericalis Ordinis, vel odii Zelo, seu persecutionis affectu, nec ut Jurisdictionem usurpetis in ipsos, sed tantùm ut reddantur ad mandatum Ecclesiæ, ne crimina remaneant impunita ; propter hoc tu dictive Ministri nequaquam excommunicationis sententiam incurratis, ad instar felicis recordationis Nicolai Papæ Prædecessoris nostri, qui per Apostolicas Literas idem claræ memoriæ Philippo Regi Francorum tuo Progenitori concessit, auctoritate præsentium tibi duximus concedendum, nullam propter hoc tibi vel Ministris eisdem dantes licentiam Clericos ipsos taliter capiendi, nec eorum captionem vel detentionem etiam hujusmodi approbantes.* Refert *Odericus Raynaldus* ad hunc annum Num. XIII.

Episcopalis Jurisdictio in causis laicorum.

Episcoporum Jurisdictio ad laïcorum etiam causas pleräsque pertinebat. Cognitio de usuræ crimine ad Judices Ecclesiasticos spectabat. Decretalium Jure Judicium de adulterio Ecclesiastici fori erat (C. *Perniciosam*, Extra, *De Officio Judicis Ordinarii.*) In arbitrio Rectorum Ecclesiæ erat, sub quo Judice, Laïco vel Ecclesiastico, sacrilegos convenire vellent. (C. *Cum sit* ; Extra, *De Foro Competenti.*) Viduarum causæ ad Ecclesiasticum tribunal deferri poterant, si Judex laïcus Jus

A ipsis dicere recusaret, vel tardaret. (C. *Ex tenore*, ibidem.) Laïci, in causis civilibus coram Ecclesiastico Judice, ratione Juramenti conveniebantur. (C. *Cùm Laïcus* ; *De litis contestatione*, in VI.) Causæ mobilium, ratione juramenti, fidei, testamenti, vel Matrimonii, ad forum Ecclesiasticum in Galliis XIII. seculo pertinebant. Anno MCCXXV. *Ludovicus VIII.* Rex Christianissimus Concilium convocavit Melodunum. *Ubi Archiepiscopi & Episcopi, præsente Legato petebant instanter à Rege & à suis Baronibus, Jurisdictionem omnium hominum super mobilibus, de quibus homines Ecclesiarum in*
B *causam traherent coram ipsis, & Jurisdictione ista dicebant esse investitam Ecclesiam Gallicanam. Quibus Rex se opponens, argumentis evidentissimis asserebat hoc esse dissonum rationi : cùm causa mobilium non ratione juramenti, vel fidei, vel testamenti, vel maritagii petitorum, mera sit Laïcalis, nec ad forum Ecclesiasticum videatur aliquatenus pertinere. Saisinam eorum super his assereat irritam & inanem ; cùm eo nec-non & Philippo bonæ memoriæ patre sciente vel vidente, de iis nunquam saisiti fuerint : & maximè cum nullus possit de jure partem sui Domini deteriorem facere, vel vende-*
C *re, vel quitare ; nec per eum alius in eum ulterius dominium usurpare. Tandem interveniente Dei gratia & Legato, causa ista ab utraque parte posita est in suspenso.* Ita refert *Chronicon Turonense.*

Bertrandus Episcopus Æduensis coram *Philippo Valesio* Rege Christianissimo cognitionem causarum Laïcorum, tum in actionibus personalibus, cùm in realibus, Ecclesiæ Gallicanæ asseruit ex consuetudine, ex præscriptione, ex Privilegio. Ex consuetudine, quæ introducta est *magis ex voluntate & electione populi recurrentis ad Judicium Ec-*
D *clesiasticum, potius quàm ad Judicium seculare ; & in favorem eorum.* Quæ quidem consuetudo *fuit in contradictorio Judicio obtenta. Frequenter enim reclamantibus Baronibus, responsione Prælatorum audita, fuit per Prædecessores vestros Reges Franciæ consuetudo ejusmodi Ecclesiæ firmata, & per Ecclesiam pacificè obtenta.* (inquit Episcopus Æduensis.) Ex præscriptione. Ad hanc enim tria concurrunt, *Titulus, bona fides, & continuitas temporis. Certum est autem quòd Ecclesia justum titulum habuit,* scilicet *Privilegium concessum à Theodosio Imperatore, & confirmatum à Carolo*
E *M.* & *mandatum inviolabiliter observari. Item habuit titulum ex jure divino, naturali, & humano. Habuit etiam bonam fidem, cui noscuntur tot & sancti & tam clari tituli suffragari. Concurrit etiam continuitas temporis, & tanti quod sufficit ad præscriptionem, etiam contra fiscum. Non enim fuit solùm continuitas centum annorum, immo etiam sexcentorum, & ultra.* Regius Advocatus exceperat, Jus istud esse *imprascriptibile.* Reposuit Æduensis Episcopus : Præscribi potuisse *ab Ecclesia, quæ (quantùm ad spiritualitatem) non est subdita Regi, immo nobilior. Certum est autem quòd æqualis vel*
F *major bene potest præscribere jus æqualis, vel inferioris, sicut unus Rex jus alterius. Quare patet, quòd Ecclesia hoc præscribere potuerit, etiamsi esset Jus fisci : quod tamen non est.* Id tandem probavit ex Privilegio concesso per Carolum Magnum, per S. Ludovicum, Philippum Pulchrum, Ludovicum Hutinum, & Philippum Longum : *Quæ Privilegia habemus in promptu,* (inquit *Bertrandus.*) Tum Regiorum Virorum objectionem occupat, rogantium : *Quare hoc sibi vendicat Ecclesia Gallicana, cùm alia Ecclesia sibi in aliis regionibus hoc minimè vendicare noscantur ?* Ad quam ita respondet : *Si Reges Franciæ, quos Deus singularibus Privilegiis, gratiis & honoribus, præ cæteris Regibus insignivit,*

gnivit, & prosperati sunt inter cæteros propter trin, scilicet propter magnam fidem & devotionem ad Deum, propter maximum honorem & reverentiam ad Ecclesiam: propter justitiam prælibatam ad populum sibi subditum, Ecclesiæ plures libertates concesserunt, vel concessis uti liberè permiserunt, non est mirum: immo tanta fuit ad Ecclesiam eorum devotio, quòd Ecclesiæ tantò eis propinquiores, quantò pluribus libertatibus gaudent. Regi subinde revocat in memoriam Juramentum inter Inaugurationis suæ solemnia præstitum: *Quòd Episcopis, & Ecclesiæ, & eis commissis, Canonicum Privilegium, & debitam legem, & justitiam servaret, & defensionem, quantum posset, exhiberet. Cum ergo,* inquit, *sit Privilegium Ecclesiæ Canonibus incorporatum, V. Quæst.* 1. *C.* Quicunque: *& sit etiam de consuetudine introductum (quæ consuetudo est canonica) quòd Ecclesia possit cognoscere inter laicos in multis casibus, si istud non servaretur Ecclesiæ, sic posset in aliquo conscientia vestra lædi.* Ipsius etiam Majestati *S. Ludovici* exemplum ponit ob oculos, *qui cùm Majores Barones totius Regni se confœderassent ad tollendam istam Ecclesiæ libertatem, & ordinassent adhuc dare centesimam bonorum suorum: ipse nunquam eis adhæsit, sed potius eos ab istis compescuit, & finaliter hanc libertatem Ecclesiæ confirmavit.*

Secundùm hæc, ad Objecta *Petri de Cugneriis* singillatim respondit Episcopus Æduensis. Demum Libellum Supplicem pro conservatione Jurisdictionis ac libertatis Ecclesiasticæ Gallicani Præsules Regi obtulerunt, hoc tenore: *Supplicant Regiæ Majestati Prælati præsentes (tamen se aliquo modo judicio minimè submittendo) quod placeat ei Jura, Libertates, Privilegia Canonica, consuetudines & saisinas, quæ & quas Ecclesia Gallicana habent & habuerunt temporibus retroactis, eis defendere, & servare, specialiter super cognitione actionum personalium, realium, & mixtarum, inter laicos. Item super cognitione Clericorum, quando per laicos fit eis petitio, aut quando Clerici super violentia in bonis illorum illata per laicos conqueruntur. Item super cognitione contractuum initorum coram Judice sæculari. Item quòd non impediantur quin eorum Notarii contractus recipere valeant in quacumque suarum Diœceseon. Item quòd non impediantur super inventariis faciendis de bonis defunctorum, quorum de jure, vel consuetudine, vel compositione, executores existunt. Item quòd non impediantur super cognitione hypothecarum, quam habent de jure, vel consuetudine. Item quòd non impediantur super cognitione viduarum & pupillorum, & super bonis intestatorum, quantùm ad eos pertinet de consuetudine vel de jure. Item quod non impediantur in quacumque parte Diœcesis suæ, quin possint habere suos Officiales, & Clericos capere, & ab ipsis Clericis, necnon à laicis, emendas pecuniarias exigere, debitas de consuetudine, vel de jure. Item quòd non impediantur super cognitione rerum furatarum à personis Ecclesiasticis. Item, quod tam super captione, quàm super cognitione Clericorum non conjugatorum, & conjugatorum, eorum jura & consuetudines observentur, & confirmentur eisdem: quia vobis manifestè ostenderunt quòd hæc debent fieri de Jure divino & humano.*

Supplicant iidem Domino Regi, ut pro Dei honore, in statu in quo sui boni Prædecessores tenuerunt Ecclesiam, ipse eam teneat & defendat, nec ei faciat aliquam novitatem. Et placeat ei proclamationes & inhibitiones factas (scilicet quod nullus laicus trahat alium laicum coram Judice Ecclesiastico) revocare: quia hoc esset omnia Ecclesiarum Jura tollere. Et licèt in aliquibus locis pro toleranda eorum malitia, in talibus proclamationibus, seu inhibitionibus, verba quæ sequuntur opponant: videlicet, Quòd Laicus non trahat alium Laicum coram Ecclesia super casibus pertinentibus ad Judices seculares: *hoc est, propter Jura Ecclesiæ usurpanda; quia multa pervenirent ad forum laicorum, quæ nihilominus pertinent ad Ecclesiasticum, si jus & consuetudo tolleretur, per quæ in electione laici est, quòd possit alios laicos in foro Ecclesiæ convenire.* Dies erat *S. Thomæ* Cantuariensi sacer, cum pro Ecclesiæ Libertate & Jurisdictione coram *Philippo Valesio* tam luculentè disseruit *Bertrandus* Episcopus Æduensis. Rex Præsulibus respondit: *Jura Ecclesiarum auxerim potiùs quàm imminutu velim. Gratias universi egere. Rex* CATHOLICI *cognomen promeruit* (inquit *Paulus Æmilius.*)

Vulnera Ecclesiasticæ jurisdictioni à Laicis illata.

Paulò ante Viennense Concilium, *Guillelmus Durandus* Mimatensis Episcopus, in Tractatu *De modo Generalis Concilii celebrandi*, Rubrica LXX. vulnera Ecclesiasticæ Jurisdictioni à laïcis inflicta detexerat. *Quasi per quamdam alluvionem* (inquit) *frustatim Domini temporales ad se omnia trahunt. Et sicut frustatim lupus agnum comedit; ita & per ipsos Jurisdictio Ecclesiastica frustatim quodammodo devoratur: quicquid ad Ecclesiasticam Jurisdictionem, potissimè quoad temporalia pertinet, sibi competere putantes. Et pauci sunt casus ad Ecclesiam pertinentes, in quibus directè vel indirectè per eos Ecclesiastica Jurisdictio non turbetur in diversis mundi partibus. Nec jam constituta remedia proficere possunt, sicut experientia docet.*

Turbatur enim per eosdem Ecclesiastica Jurisdictio in causis servorum & rusticorum Ecclesiasticorum, quos talliant & justitiant tanquam suos, contra illa Jura, LXXXIX. *Dist.* Judicatum. XII. Q. 2. Ecclesiarum servos; *De foro competenti*, Nullus.

Item in causis Pœnitentium, qui in causis suis, quas negligere fortè non debent, meliùs Ecclesiasticum quàm forense expetunt Judicium, etiam si sint rei, secundùm Glossam XI. *Q.* 1. Aliud, *De Pœnitentia, Dist.* 1. Aliud.

Item, in causis liberorum, & pupillorum, viduarum, & debilium personarum, quæ pertinent ad Ecclesiam quantùm ad possessorium indefinitè. De foro competenti. Ex parte. *Et quantùm ad defensionem & tuitionem, ne à potentibus opprimantur.* De Censibus. Licet. *Et in præallegato Cap.* Si quis de Potentioribus. XXIV. Q. III. *& C. sequenti. Et etiam quantùm ad petitorium, in defectum Dominorum temporalium.* De foro competenti: Ex tenore.

Item in causis peregrinorum & mercatorum: agricultorum & in mari navigantium, qui pace & securitate gaudere debent. De treuga & pace. Innovamus. De Clericis peregrinantibus *Cap. unico.* & De raptoribus: Excommunicationi. *Et in præalleg.* C. Si quis Romipetas. *Et C.* Paternarum, XXIV. Q. III.

Item cùm agitur de feudis Ecclesiæ, usurpant sibi Jurisdictionem, contra illud, De foro competenti: Verum.

Item impediunt ne in Curia Romana Clerici contra laicos impetrent, sicut consueverunt hactenus facere indistinctè, ut, De Judiciis. *C. ultimo. Et etiam quando laicus contra laicum impetrat, contra Decretalem illam:* Gravem, De sententia excommunicationis: *&*, De Arbitris; Innotuit. *Etiamsi id, super quo laicus contra Clericum impetrat, sit tale quod pertineat ad forum Ecclesiasticum ratione rerum vel personarum.* De verborum significatione: Novimus. *Et hoc frequenter accidit cùm impetrant contra laïcos vel eos conveniunt*

in crimine sacrilegii, vel usurarum, vel hæresis, vel excommunicationis, vel perjurii, vel adulterii, vel fornicationis, vel in causa nativitatis, vel juris patronatus, vel decimarum, vel rapinarum, de quibus nullum est dubium quin pertineant ad Ecclesiasticum forum. Id autem de singulis illis causis probat ex Canonibus.

Item impediunt quando Ecclesia vult cogere aliquem ad satisfaciendum de peccato in quo est, licèt cognitio pertineat ad Ecclesiam. De Judiciis: Novit.

Item impediunt ne adeatur Ecclesia in eorum defectum, vel quando vacat Imperium vel Regnum, ne cognoscat Ecclesia de feudo. De foro competenti: Licet. De electione: Cùm inter universas.

Item impediunt ne vidua spoliata ad restitutionem agens trahat spoliatorem coram Ecclesia; quamquam persona & causa in hoc simul concurrant, contra illud, De foro competenti: Ex parte.

Item impediunt, si quid ambiguum inter Judices seculares oriatur, ne ad Ecclesiasticos Judices recurratur, contra illud, Qui filii sint legitimi: Per venerabilem. §. Licet.

Item impediunt ne Ecclesia & Curia Officialium Episcoporum cognoscant, ubi consuetudo antiqua hoc habet, de personalibus, & de realibus, & criminalibus, licèt consuetudo in talibus det Jurisdictionem, & in delictis domino super familiam suam. » De Officio Ordinarii: Irrefragabili. De foro competenti: Cùm contingat. IX. Q. III. Conquestus. » De arbitris: Dilecti.

Item impediunt Jurisdictionem Ecclesiasticam contra effractores pacis & trengarum, dicentes Jus Regalium esse, contra illud, De treuga & pace: *Per totum.* & XXIV. Q. II. Si quis.

Item impediunt Jurisdictionem Ecclesiasticam in his quæ ratione connexitatis pertinent ad Ecclesiam, scilicet in dote. De donatione inter virum & uxorem: De Prudentia. & C. Nuper. *Et in pœna posita in Matrimonio.* De Sponsalibus: Gemma.

Item quando Judices temporales, Ordinariis recusatis ut suspectis, non patiuntur quod ad Episcopum civitatis, & ad Ecclesiasticum forum habeatur recursus, licet hoc expressè caveatur in Autent. Ut diff. Jud. §. Si verò Judex. Collat. *IX.*

Item impediunt Jurisdictionem Ecclesiæ, quia cùm in eos, vel in eorum Ministros aut Officiales vel subditos, Excommunicationis, Suspensionis, Interdicti sententiæ proferuntur, gravant ex hoc proferentes, vel res aut subditos eorumdem, quousque absolutionis beneficium deferunt ad eosdem, nec sufficit remedium excommunicationis, sicut ait Gregorius. De sententia excommunicationis: Quicumque.

Item impediunt dictam Jurisdictionem Ecclesiasticam, personas Ecclesiasticas eis displicentes pro levissimis criminibus carceribus mancipando: in casibus etiam in quibus laici deprehensi in maleficiis eisdem vel gravioribus, nullatenus caperentur. Et quòd dictas personas Ecclesiasticas incontinenti, & liberè, & absque redemptionibus, exactionibus, & eorum infamia, reddere nolunt Ecclesiasticis Judicibus eorumdem: Nec contentantur nisi coram eis de Clericatu & ejus possessione cognitio habeatur. Nec prodest ad contrarium C. Si quis suadente. XVII. Q. IV. *Nec Decretalis Bonifaciana*: Si Judex. De sententia excommunicat. *lib.* VI. *Nec Decretalis*: Eos. De Immunit. Eccles. *eodem libro.*

Item impediunt Jurisdictionem Ecclesiasticam dicti Judices seculares, & eam sibi usurpant, compellendo personas ipsas Ecclesiasticas ad solvendum debita super quibus coram eis Judicibus contra personas Ecclesiasticas earum patentes literæ exhibentur. Nec sufficit quod dictus Dominus Bonifacius eos mandaverit per Censuram Ecclesiasticam ab Ordinariis compescendos. De foro competenti: Seculares. *Lib.* VI.

Item impediunt & perturbant Jurisdictionem Ecclesiasticam, quia contra alienationes dotales cum Juramento factas audiunt mulieres, & filias contra patres, quibus cum Juramento fecerunt pactum de hereditate, dum nuptui tradebantur. Et quia exceptionem rei judicatæ coram Ecclesiastico Judice in casu ad eum de jure vel de consuetudine pertinente non recipiunt: nec proficit quòd in dictis tribus casibus, sicut & in præcedenti, dictus Dominus Bonifacius eos per Ordinarios decreverit compescendos. De foro competenti: Seculares: De Pactis: Quamvis. De Jurejurando: Licet. Et De exceptionibus: Cùm quidam. *Lib.* VI.

Item impediunt dictam Jurisdictionem Ecclesiasticam, restringendo immunitatem Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum, & Ecclesiasticorum bonorum, variis & diversis modis. Nam imponunt eis munera, tallias, & collectas extraordinarias in casibus prohibitis à Jure.

Ex hoc *Durandi* Mimatensis Episcopi loco evidens est quàm latè pateret Ecclesiastica Jurisdictio Seculis XIII. & XIV. quamvis à temporalibus Dominis & secularibus Judicibus interdum perturbaretur.

Canonica Episcoporum Judicia.

XI. Episcoporum finitiva & ultima Judicia Sedi Apostolicæ reservata erant, sed causarum Episcopalium prima cognitio ad Metropolitanos & Synodos Provinciales pertinebat. Translationem quidem, depositionem, & cessionem Episcoporum, *non tam Constitutione Canonica, quàm Institutione Divina, soli Romano Pontifici reservata*, docet *Innocentius III.* Lib. I. Decretalium, Tit. *De Translationibus*, Cap. 2. Sed de ipsa depositione quantùm ad Jus relationis, & confirmationis, non de primo Judicio intelligendus est: nec ejus verba severè sunt accipienda, sed benignâ interpretatione mollienda, quibus ait: Institutione divinâ depositiones Episcoporum soli Romano Pontifici reservari: quatenus scilicet Primatus Jure divino à Christo collati *S. Petro* & ipsius Successoribus, in Ecclesia universa, appendix quædam est Jus illud majores Ecclesiæ causas cognoscendi atque finiendi, post Episcopale Judicium, & Synodorum relationem. Et SS. Patres atque Synodi, rationem habuere divini Primatûs, cùm hujusmodi causas ad Sedem *S. Petri* referendas sanxere. Ita mentem suam exponit idem Pontifex Epistolâ XVI. libri I. quæ est ad Capitulum Sanctæ Anastasiæ. *Ex illo* (inquit) *singulari excellentiæ Privilegio, quod unigenitus ille Filius Jesus Christus Apostolorum Principi Petro concessit, Sanctorum Patrum postmodum Instituta manarunt, ut Majores causæ ad Sedem Apostolicam perferrentur.* Et Epistola XLVIII. quæ est ad Patriarcham Antiochenum: *Cùm ex illo generali Privilegio, quod B. Petro, & per eum Romanæ Ecclesiæ Dominus noster indulsit, Canonica postmodum manarunt Statuta, continentia, Majores Causas esse ad Sedem Apostolicam perferendas.* Cæterùm si, prout sonant, verba illa *Innocentii III.* Decretalibus inserta, severè accipienda essent, sequeretur Concilia omnia, Summos Pontifices *Innocentii* Decessores, Ecclesiam universam in jus divinum peccasse, cùm Episcoporum causas in Synodis Provincialibus judicari sanxerunt, & appellationes tantùm in Sedem Apostolicam contulerunt. Accedit quod *Innocentius III.* in Concilio Lateranensi IV. Canone V. quo antiqua Patriarchalium Sedium Privilegia renovantur, non modò causarum omnium cognitionem Patriarchis permisit, sed

sed etiam appellationes illis tribuit, modò tamen à suis ipsi Judiciis ad Sedem Apostolicam appellari non ægrè ferant: *In omnibus autem Provinciis eorum Jurisdictioni subjectis, ad eos, cùm necesse fuerit, provocetur: salvis appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum.* Et Canone vi. Metropolitanorum Synodorúmque Provincialium auctoritas in Clericorum delictis castigandis, moribúsque reformandis confirmatur, secundùm Canonicas Regulas. *Sicut olim à SS. Patribus noscitur institutum, Metropolitani singulis annis, cum suis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare: in quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, præsertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, Canonicas Regulas, & maximè quæ statuta sunt in hoc Generali Concilio relegentes, ut eas faciant observari, debitam pœnam transgressoribus infligendo.* Quare *Innocentii III.* mentem non attingunt, qui primam causarum Episcopalium cognitionem ipsum sibi ac suæ Sedi vindicasse affirmant.

Anno MCCCXV. *Petrus de Lattilliaco*, Catalaunensis Episcopus, accusatus est, quòd sui Decessoris, & *Philippi Pulchri* Regis Christianissimi mortem procurasset. Ipsum in carcerem detrudi jussit *Ludovicus X.* ejúsque causam ab Archiepiscopo Remensi Metropolitano suo, secundùm Canones judicari. Synodum Provincialem ad ejus discussionem ac Judicium congregavit *Robertus* Archiepiscopus Remensis, anno MCCCXVI. Sed *completum Episcoporum numerum, qui juxta Canonicas Sanctiones necessario requirebatur in hac causa, habere non potuit*, propter aliquorum ex Suffraganeis, & aliorum Præsulum, quos ex aliis Provinciis invitaverat, absentiam, & canonicum impedimentum. Unde Concilium à die xv. Maii ad diem post Festum B. Mariæ Magdalenæ prorogavit: & ad Synodum Sylvanecti cœptam per literas vocavit Rothomagensem, Senonensem, Bituricensem, Lugdunensem Archiepiscopos, Parisiensem, Aurelianensem, Carnotensem, Æduensem, Lingonensem, Meldensem, Autisiodorensem, Nivernensem, Claramontensem, Mimatensem, Lemovicensem, Bethleemitanum, Bajocensem, Lexoviensem, Constantiensem, Ebroicensem, Briocensem, Macloviensem, Cenomanensem, Andegavensem, Pictaviensem, & Santonensem Episcopos, *in juris subsidium, ne hujusmodi causa deserta maneret, vel forsitan indiscussa.* Extat hæc Epistola Tom. IV. *Spicilegii Dacheriani.* Hanc Synodum adjuvante Rege Christianissimo *Ludovico X.* anno superiori convocaverit Archiepiscopus Remensis, ut constat ex Epistola Majestatis ejus ad *Gazonem* Episcopum Laudunensem, quæ in eodem *Spicilegii* Tomo edita est; cujus hæc sunt verba: *Cùm, sicut accepimus, dilectus & fidelis noster Archiepiscopus Remensis pro examinatione quorumdam criminum, super quibus apud eum Petrus Episcopus Catalaunensis his diebus delatus extitit, certo indigeat Episcoporum numero secundùm Canonicas Sanctiones, ac hujusmodi negotium personam nostram plurimùm tangere dignoscatur: Vos attentè requirimus & rogamus, vobis etiam sub debito fidelitatis quâ nobis tenemini, tenore præsentium injungentes, quatenus Sylvanecti, sexta die instantis mensis Augusti, dicto Catalaunensi Episcopo per eumdem Archiepiscopum ad respondendum criminibus assignatâ, juxta requisitionem ipsius Archiepiscopi personaliter intersitis: ita quòd propter vestri defectum nequeat præfati examinatio negotii retardari.* Negotium illud ad finem minimè perduxit Remensis Archipræsul, *Suis, & Ecclesiæ sibi commissæ agendis implicitus, & aliis excusationibus personalibus præpeditus.* Cúmque interim Catalaunensis Episcopus detineretur, *Joannes XXII.* Pontifex Maximus Archiepiscopo Bituricensi, & Laudunensi, Ambianensi, atque Mimatensi Episcopis, causam finiendam commisit. *Ut vel Episcopum ipsum juxta exigentiam commissorum plecterent pœnâ canonicâ, si esset culpabilis; aut debitè absolverent eumdem & plenariè liberarent, si à culpa reperiretur immunis.* Joannis XXII. Libellus ad illos Episcopos, ex Regio Chartulario editus est in libro *De Causis Majoribus*, Authore viro clarissimo *Joanne Gervasio* Doctore Parisiensi, pag. 302.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, Num. I. pag. 11 Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *In Galliis petebatur licentia eligendi Episcopos à Rege, à quo liberabantur à jure Regaliæ, præstito juramento, & receptâ investiturâ.*

R. Ita est. Regii assensus necessitas his Sæculis in Gallicana perseverabat Ecclesia; eligendi licentia postulabatur à Rege, ad ejus Majestatem accedebat electus Antistes postquam ejus electionem Metropolitanus confirmaverat, præstitoque fidelitatis Juramento, investituram ab ipso recipiebat, Literásque Regias obtinebat *De Liberatione Regalium* (ut eo ævo loquebantur.) Historiæ res est, certissimis documentis eo loci à me probata. Literas *Philippi Pulchri* Regis Christianissimi citavi *super deliberatione Regalium* Ecclesiæ Andegavensis facta *Guillelmo Majori* Episcopo Andegavensi electo & confirmato. An rectè citaverim, illarum verba probabunt: *Cùm nos* (inquit Rex) *Procuratoribus seu Nuntiis Guillelmi Electi Andegavensis Ecclesiæ & confirmati..... reddiderimus Sabbato post Pascha ultimò præteritum circa horam Vesperarum Regalia Episcopatus Andegavensis, Mandamus vobis, quatenus dicta Regalia, & ea quæ ad ipsa pertinent, à die & hora prædictis deliberetis Electo & Confirmato antedicto. Actum apud Abbatiam Momalium juxta Melodunum, dicta die Sabbati anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo.* Ejusdem Christianissimi Regis Literæ super Juramento fidelitatis facto suæ Majestati per eumdem Episcopum Andegavensem electum & confirmatum, sic habent: *Notum facimus quòd die Mercurii in Octavis Translationis S. Nicolai, apud Vicenas ad nos accedens dilectus ac fidelis noster Guillelmus Andegavensis Electus nobis præstitit Juramentum fidelitatis, prout alii Episcopi Andegavenses Prædecessores sui Regibus Franciæ Prædecessoribus nostris, hujusmodi Juramentum fidelitatis hactenus præstiterunt, &c.*

SCHOLION II.

Religiosi Censores hanc Propositionem in eodem Articulo, pag. 21. Edit. primæ notant: *Reservationes Beneficiorum in Anglia liberam electionem impediebant.*

R. Historiæ res est.

SCHOLION III.

Ad eumdem Articulum, Num. VIII. pag. 44 Religiosi Censores hanc notam appinxerunt: *Quædam refert de nepotibus Papæ, & Cardinalibus.*

R. Nullum totâ illâ paginâ verbum meum est. Unus loquitur *Guillelmus Durandus* Episcopus Mimatensis contra Commendarum abusum & Beneficiorum coacervationem. Si Cardinales & Nepotes Pontificum olim perstrinxit, vitia, non homines est insectatus. Ego vero testimonium ipsius ad illustrandam sæculi illius Disciplinam conducibile mutilare non debui, vel supprimere.

SCHOLION I.

In eodem Articulo, Num. XI. pag. 71. Edit primæ Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Prima cognitio depositionis Episcoporum ad Metropolitanos, & non ad Papam pertinet.*

R. Non ita scripsi, sed: *Episcoporum finitiva & ultima judicia Sedi Apostolicæ reservata erant; causarum Episcopalium prima cognitio ad Metropolitanos & Synodos Provinciales pertinebat.* Historiæ & antiquæ Disciplinæ res est, Canonibus & exemplis à me probata.

ARTICULUS II.

De Clericis.

Clericos absque titulo Beneficii aut Patrimonii ordinari nefas erat.

I. ABsque Titulo Beneficii, aut Patrimonii, Clericos ordinari xiii. & xiv. seculo nefas erat. Id constat ex Decretalibus à *Gregorio IX.* Pontifice Maximo promulgatis. C. *Non liceat, De Præbendis & Dignitatibus*; cujus hæc sunt verba: *Non liceat ulli Episcopo ordinare Clericos,* B *& eis nullas alimonias præstare; sed duorum alterum eligat: vel non faciat Clericos, vel si fecerit, det illis unde vivere possint.* Et C. *Episcopus*, quod sic habet: *Episcopus, si aliquem sine certo Titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tandiu ei necessaria subministret, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia Militiæ Clericalis assignet: Nisi talis ordinatus de sua vel paterna hereditate subsidium vitæ possit habere.* Est Concilii Lateranensis III. Canon v.

Innocentius C. *Per tuas, De simonia*, Subdiacono ad superiores Ordines ascendere vetat, vel in Ordine suscepto ministrare, *Qui cum certum titulum* C *non habeat, quemdam Presbyterum exoravit, ut ipsum ad Ecclesiæ suæ titulum præsentaret: quod cum ille facere recusaret, ipse illi firmiter repromisit, quod nunquam, si præsentaret eumdem, in Ecclesia sua aliquam peteret portionem.* Idem spectat C. *Si quis*, quod est *Gregorii IX.* ibidem: *Si quis ordinaverit, seu ad Ordinem præsentaverit aliquem, promissionem vel juramentum ab illo recipiens, quod super provisione sua non inquietet eumdem: Ordinator à Collatione, Præsentator verò ab executione Ordinum per triennium, & Ordinatus ab Ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam* D *obtinere meruerint, noverint se suspensos.*

Concilium Biterrense anno MCCXXXIII. de Clericorum titulo sic decernit Canone VI. *Præcipimus ut quilibet Ordinandus examinetur de vita, & de scientia, & moribus diligenter; & sine Titulo Patrimoniali centum solidorum Turonensium ad minus, vel Ecclesiastico Beneficio competenti, sicut in Jure Canonico cautum est Ordinandus de cætero nullatenus admittatur.* Canone VIII. *Ad abolendam simoniæ corruptelam, quæ in his partibus inolevit, videlicet quod Episcopi Clericos ad Sacros Ordines promovendos nolunt aliquatenus promovere, nisi prius præ-* E *stito juramento, vel alia cautione, quod ratione tituli patrimonialis, vel alterius minus idonei, ipsos vel eorum non impediant Successores: districtè inhibemus ne talia præsumant de cætero attentare. Quod si fecerint, à celebratione Ordinis noverint se suspensos: quia sanctius est in Ordine Sacerdotii paucos quàm multos malos habere Ministros, sicut est Lateranensi Concilio constitutum.*

Ordinandorum ætas.

Lib. I. Tit. VI. De ætate & qualit. Ordin.

II. Subdiaconi anno ætatis XVIII. Diaconi XX. Presbyteri XXV ordinabantur. Qua de re Clementina *Generalem*, ita statuit: *Generalem Ecclesiæ observantiam volentes antiquis Juribus in hac parte* F *præferri: Decernimus, ut alio non obstante impedimento canonico, possit quis liberè in decimo-octavo ad Subdiaconatus, in vigesimo ad Diaconatus, & in vigesimo-quinto ætatis suæ anno ad Presbyteratus Ordines promoveri.* Subdiaconos anno ætatis decimo-sexto Ravennatensis Ecclesia ordinabat, ut constat ex Concilio Ravennatensi III. anno MCCXIV. Veteres Canones de Ordinandorum ætate renovari

Durandus in lib. De modo Generalis Concilii celebrandi, P. 3. Rubr. 31.

optabat *Guillelmus Durandus* Episcopus Mimatensis, *Cum ab iis recedi non debeat, nisi necessitas id expostulat.* Expendendum esse ait, num expediret presbyterorum inaugurationem ad annum trigesi- A mum differri, secundùm Canonem Concilii Neocæsareensis, & alia veterum Synodorum Decreta. *Videretur considerandum* (inquit) *Si esset utile dicta Jura servari propter periculum fornicationis. Et quod ætas constituta in Episcopis, & etiam Regula Apostolica, in promotione Cardinalium servaretur. Videretur etiam utile quod Levitæ & Virgines ante* XXV. *annos non consecrarentur, sicut continetur in* IV. *C. Concilii* III. *Carthaginensis, & in aliis Conciliis & Juribus.* Pueris Ecclesiasticas Dignitates & Beneficia conferre, nefas erat. *Innocentius III.* Epistola CCXXXV. Libri XV. inter alias causas, propter B quas Episcopi Melfitani depositionem decernit, hanc assignat, quòd *Nepotibus suis vagientibus in cunabulis, licèt ad plus vix valentibus balbutire, majores Præbendas tribuit, & Beneficia meliora; portantibus aliis pondus diei & æstus, & istis, ubi non seminaverunt, metentibus plena manu.*

Gregorius IX. pueros etiam à Beneficiis Ecclesiasticis excludit, C. *Super, De Præbendis & Dignitatibus*, cujus hæc sunt verba: *Cum autem illi sint in Ecclesiis idonei reputandi, qui servire possunt & volunt in ipsis: Consultationi tuæ taliter respondemus, quod pueri & Beneficiati, qui non possunt in eadem Ecclesia deservire, in ea non debent idonei reputari.*

C Concilium Lugdunense Oecumenicum sub *Gregorio X.* anno MCCLXXIV. celebratum Canone VIII. statuit *Ut nullus ad regimen Parochialis Ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus scientia, moribus, & ætate. Decernentes* (inquit) *Collationes de Parochialibus Ecclesiis, iis qui non attigerunt vigesimum-quintum annum de cætero faciendas, viribus omnino carere.* Statuit etiam ut Curatus *infra annum à sibi commissi regiminis tempore numerandum se faciat ad Sacerdotium promoveri. Quod si infra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesiâ sibi commissâ, nullâ etiam præmissâ monitione, sit privatus.*

D Concilium Ravennatense anno MCCCXI. Canone XVI. prohibet *Ne Canonicatus conferatur alicui in Ecclesia Cathedrali, nisi decimum-quintum annum attigerit: Nec Canonicatus vel Præbenda & Clericatus in Ecclesia Collegiata, ubi tres vel plures fuerint in congregatione, nisi duodecimum compleverit annum.* Concilium Viennense sanxit ut nullus Canonicus in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis suffragio gaudeat, etiamsi id sibi ab aliis liberè concedatur, *nisi saltem in Subdiaconatûs Ordine fuerit constitutus.*

Beneficiorum collatio à quibus facta?

III. Præbendæ Cathedralium Ecclesiarum in- E terdum à solis Episcopis, quandoque à solis Capitulis; interdum ab utrisque conjunctim, secundùm varios Ecclesiarum mores conferebantur. Id colligitur ex Cap. *Cum Ecclesia, De electione & electi potestate*, quod est *Innocentii III.* ad Episcopum Florentinum de causa Vulterani Episcopi & Canonicorum scribentis: *In secundo quoque articulo, quo petebat Episcopus, ut dicti Canonici ipsum jure electionis uti liberè paterentur, absolvere studeas Canonicos, maximè si sit notorium, quòd in Tuscia generalis consuetudo servetur, ut in Cathedralibus Ecclesiis solum Capitulum irrequisito Episcopo, eligendi Canonicos habeat facultatem.* F

Ab Episcopo

A Capitulis

Cùm Eboracensis Archiepiscopus fuisset à Romano Pontifice suspensus, & suspensionis tempore, ac deinceps, quidam præter ipsius auctoritatem in Eboracensem aliásque Ecclesias se intrusissent, in quibus ad ipsum pertinebat Beneficiorum collatio, querelas ad *Innocentium III.* detulit. Legato Apostolico dedit in mandatis Pontifex, *Quatenus eos qui Præbendas vel Dignitates ad donationem ejus spectantes, præter auctoritatem ipsius acceperant, ad eas resignandas, monitione præmissâ, per excommunicationis sententiam, & subtractionem aliorum Beneficiorum compelleret,*

De

ab utroque conjunctim

De Jure collationum ad Episcopum & Capitulum conjunctim pertinentium, agit Cap. *Postulastis, De concessione Prabenda*, quo *Innocentius III.* ad Metropolitanæ cujusdam Ecclesiæ Capitulum rescribit: *Postulastis per Sedem Apostolicam edoceri, ut cùm a vos & Archiepiscopum vestrum simul donatio Prabendarum Ecclesia vestra pertineat, utrum Prabenda vacantis donatio penes Archiepiscopum ipsum remaneat, si eam infra semestre tempus neglexeritis ordinare? Ad quod breviter respondemus: Quòd si vos & idem Archiepiscopus infra tempus prascriptum circa hoc negligentes extiteritis; sicut nec ab illo ad vos, ita nec a vobis ad illum potestas devolvitur conferendi: sed secundum Statuta Lateranensis Concilii ad Superiorem transit donatio: Nisi forte Archiepiscopus non ut Pralatus, sed ut Canonicus, vobiscum jus habeat conferendi. Et in hoc casu, cùm dolose impedierit, dolus ei suffragari non debet.*

Honorius III. Cap. *Illa*, *Ne Sede vacante aliquid innovetur*, declarat Beneficia spectantia ad collationem Episcopi non posse conferri à Capitulo Sede vacante: *Cum nusquam inveniatur cautum in Jure, quòd Capitulum vacante Sede fungatur vice Episcopi in Collationibus Prabendarum.*

Bonifacius VIII. Cap. *Si ad Episcopum*, Tit. *Ne Sede vacante aliquid innovetur*, in VI. declarat, 1. Collatione communiter ad Episcopum & Capitulum pertinente, Capitulum conferre mortuo vel suspenso Episcopo, similiter Episcopum suspenso Capitulo. 2. Si Collatio spectet ad Episcopum cum consilio vel assensu Capituli, defuncto Episcopo vel suspenso, Capitulum jus non habere conferendi. 3. Conferentem cum Episcopi consilio, sine illo conferre, morte vel absentia interveniente. *Si ad Episcopum & Capitulum communiter pertineat collatio Prabendarum: mortuo Episcopo, vel à Beneficiorum collatione suspenso, poterit Capitulum vacantes conferre Prabendas: etiamsi Episcopus interesse habeat in hujusmodi Collatione ut Pralatus. Idem poterit Episcopus, si Capitulum ab ipsa collatione suspendi contingat, vel singulariter omnes de Capitulo majoris excommunicationis vinculo innodari. Cùm verò ad solum Episcopum Prabendarum spectat collatio cum consilio sui Capituli vel assensu: defuncto Episcopo vel suspenso (nisi Episcopus in petenda relaxatione suspensionis hujusmodi sit in mora) Capitulum se non potest intromittere de eisdem. Ubi verò, de speciali alicujus Ecclesia consuetudine vel statuto, Beneficiorum collatio ad aliquem cum consilio Episcopi noscitur pertinere: sublato Episcopo de medio (cùm consilium nequeat tunc peti ab eo) non erit propter hoc vacantis Beneficii collatio differenda: nec etiam si egerit in remotis, ita quod non possit ipsius prasentia in brevi haberi: Quia in petendo vel expectando ejus consilio, posset vacanti Beneficio periculum imminere.*

Mandata Pontificia & Reservationes Beneficiorum.

IV. Mandatis Pontificiis, ac Reservationibus, in Beneficiorum collatione interdum locus erat; Testes sunt plures *Innocentii III.* Epistolæ, XXIII. lib. XV. ad Capitulum Pictavense; XXXVII. ad Abbatem de Nonantula; XCVII. ad Episcopum & Capitulum Petragoricense, CLXIII. libri XVI. ad Episcopum & Capitulum Massiliense; CLXV. ad Episcopum Wratislaviensem, ex qua discimus, paupertatem proborum Clericorum, qui nullum Beneficium Ecclesiasticum habebant, Romanos Pontifices ad collationes hujusmodi primùm impulisse. *Cum*, inquit, *per formam prædictam necessitatibus pauperum Clericorum, qui nullum sunt Ecclesiasticum Beneficium assecuti, sicut ibidem exprimi consuevit, Sedes Apostolica duxerit succurrendum*, &c. Legatur & Epistola CLXXVII. ad Patriarcham & Capitulum Antiochenum. Idem Pontifex Mandata direxit Episcopo Zemorensi in gratiam quorumdam Clericorum, quos ille sine titulo ordinaverat. (C. *Accepimus*, De ætate & qualitatibus Ordinandorum. *Licet*, inquit, *in Ordinationibus Clericorum, illam tu ac Prædecessores tui diligentiam debueritis adhibere, ut minus idonei non ordinarentur à vobis, ac ideo post promotionem eorum, exceptionem non poteris prætendere contra illos: nisi forte postquam promoti fuerint, reddiderint se indignos; ex superabundanti tamen, quando scribere pro talibus nos oportet, facimus in Literis nostris apponi: ut si Ordinatus, pro quo scribimus, idoneus habeatur, & Ecclesiastico Beneficio non indignus, ei ab Ordinatore, vel Successore ipsius, competens Beneficium tribuatur; Cùm etsi tecum de jure agere velimus, te possemus meritò ad provisionem eorum compellere, quos à te vel Prædecessoribus tuis ordinatos esse constaret, ed præsertim quod ad Ecclesiasticum Beneficium eos debes idoneos reputare, quos ad Ordines suscepisti. Unde graviter sustinere non debes; sed nobis potius devote inclinare teneris, si eos examinari per alios facimus, quos sine examinatione non credimus ordinatos, antequam ad provisionem eorum compellere te velimus. Mandamus igitur, quatenus eis pro quibus te contigerit recipere nostra Mandata in forma commun., in Majori Ecclesia, vel aliis Ecclesiis Diœcesis Bracarensis providere non tardes.*

Honorius III. ad Capitulum Andegavense *preces direxit & præcepta*, pro G. Clerico ut ipsum, quàm citò facultas se offerret, in Canonicum reciperent, & ad executionem Apostolici Mandati selectos viros nominavit. (*C. Dilectus, De Præbendis & Dignitatibus.*)

Ecclesia Gallicana reservationibus Pontificiis non præbuit assensum.

Anno MCCXXVI. *Romanus* Sedis Apostolicæ Legatus, Archiepiscopis, Episcopis, & Clero Gallicano Avarici Biturigum congregatis, postquam de *Raymundi* Tolosani, & *Simonis* *Montisfortis* Comitum negotio actum est, Procuratores Capitulorum dimisit, *retentis tantùm Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & simplicibus Prælatis. Unde non immeritò timuerunt, ne procuratâ eorum absentiâ qui majoris prudentiæ erant & experientiæ, præ multitudine potentiores ad contradicendum, aliquid statueretur in præjudicium absentium Prælatorum. Quocirca dicti Procuratores post deliberationem diutinam, miserunt ad Legatum Procuratores Metropolitanarum Ecclesiarum, qui coram eo sic allegaverunt: Domine, audivimus quòd habetis literas speciales à Curia Romana, de exhibendis Præbendis in omnibus Ecclesiis Conventualibus, sive Cathedralibus. Quocirca multùm miramur, quòd non in hoc Consilio proposuistis eas nobis audientibus, quos specialiter tangunt. Unde rogamus in Domino, ne illud scandalum oriatur per vos in Ecclesia Gallicana: scientes quòd sine maximo scandalo, & inæstimabili damno, non posset hic ad effectum perduci. Quia esto quòd aliquis assentiret, nullus esset ejus assensus in rebus quæ omnes tangunt, cùm fere omnes majores, & generaliter omnes subditi, necnon & ipse Rex, & omnes Principes, parati sint contradicere, & resistere usque ad capitis expositionem, & omnis honoris privationem: præsertim cum videatur imminere propter hoc scandalum, subversio Regni, & Ecclesiæ generalis. Ratio autem nostri timoris est, quòd cum cæteris Regnis non habuistis sermonem, & quibusdam Episcopis præcepistis & Abbatibus, ut cùm Præbendæ vacaverint, ad opus Domini Papæ reservarent. His auditis, cùm niteretur Legatus persuadere ut omnes consentirent, ostendit tunc primò Domini Papæ Authenticum; in quo exegit a singulis Ecclesiis*

Cathedralibus duas Præbendas, unam à Capitulo, & alteram ab Episcopo. Et in Cœnobiis similiter, ubi sint diversæ portiones, Abbatis scilicet & Conventûs, duas exegit Præbendas, unam ab Abbate, & aliam à Conventu. Tunc allegavit commoda quæ possent inde provenire, illud videlicet, quòd amoveretur scandalum à Romana Ecclesia, quæ Mater est omnium Ecclesiarum, concupiscentia scilicet, quæ radix est omnium malorum, cùm nullus pro aliquo negotio in Curia Romana faciendo aliquid offerret, vel aliquis oblata reciperet. Multa contra hujusmodi reservationem Gallicani Præsules, & secundi Ordinis Sacerdotes objecere. Dixerunt, quòd *Licet se obligarent, id non susciperent eorum Successores; nec ullam obligationem ratam haberent. Novissimè autem sic negotium concluserunt: Domine moveat vos zelus universalis Ecclesiæ, & Sanctæ Sedis Romanæ: Quia si omnium esset universalis oppressio, posset timeri ne immineret generalis discessio, quod Deus avertat. His auditis, respondit Legatus (ut videbatur plurimùm commotus in his omnibus) se cùm esset in Curia nunquam huic exactioni consensisse, & ipsum literas accepisse, postquam Galliam fuerat ingressus; & se multùm super hac doluisse. Addidit etiam, super hac quicquid præcepit, tali conditione, licèt tacitè, intellexisse, si Imperium & alia Regna consentirent. Adjecit insuper, se nihil amplius super hac attentaturum donec per Regna alia Prælati consenserint, quod credidit provenire non posse.* Ita refert *Matthæus Parisius.*

Ecclesia Anglicana beneficiorum Reservationibus obstitit.

Quod in Gallia *Romanus*, in Anglia *Otto*, Sedis Apostolicæ pariter Legatus, obtinere conatus est: sed hanc servitutem non minùs Anglicani, quàm Gallicani Præsules detrectarunt, ejúsque postulata eluserunt. Quibus congregatis, venit *Joannes Mareschallus*, & alii Nuntii Regis, *omnibus Prælatis, qui de Rege tenebant in capite, districtè inhibentes, ne laicum feudum suum Romanæ Ecclesiæ obligarent, unde à servitio sibi debito privaretur.* Ottone Romam revocato, *Stephanus* Cantuariensis Archiepiscopus negotium ursit jubente Summo Pontifice. Quocirca *Rex, convocatis seorsum Prælatis, & quibusdam Magnatibus, hoc Archiepiscopo dedit responsum: Ista quæ suadet nobis Dominus Papa, universam Christianitatis latitudinem respiciunt: & quia nos quasi in extremis orbis constituti sumus partibus, cùm viderimus qualiter cætera Regna erga tales se habuerint exactiones, Dominus Papa, cùm ab aliis Regnis habuerimus exemplum, in obsequiis nos inveniet promptiores.* Refert *Matthæus Paris* ad eundem annum MCCXXVI.

Anno MCCXXXIX. cùm Mandatorum Pontificiorum Executores, Beneficia reservata, etiam violato Jure Patronatus laicorum conferrent, Magnates Angliæ ad *Gregorium IX.* scripsere hunc in modum: *Mergente jam navicula nostræ libertatis, Progenitorum nostrorum sanguine fabricatâ, prorumpentibus in nos plus solito perturbantium procellis, dormientem Dominum in navicula Petri cogimur excitare, acclamantes jugiter* & *una voce*: Domine, salva nos, perimus: *Ut cùm judicium & justitia sint correctio Sedis ejus, unicuique æquâ ratione jus suum tribuat, & servet illæsum. Ne si secus fieret, corruente charitate, devotionéque deletâ, provocarentur filii contra Patris viscera, & mutuæ dilectionis affectus penitus evanesceret. Cum igitur, Sanctissime Pater, à prima Christianitatis fundatione in Anglia, tali fuerint hactenus Progenitores nostri gavisi libertate, quòd decedentibus Ecclesiarum Rectoribus, Ecclesiarum Patroni personas idoneas eligentes ad easdem, Diœcesanis præsentaverunt, ab eisdem Ecclesiarum regimini præficiendas: verùm vestris temporibus, de conniventia vestra, vel voluntate, nescimus, talis contra nos invaluit adversitas, quòd decedentibus Ecclesiarum Rectoribus, quidam Executores vestri, ad hoc dati, Ecclesias de Patronatu nostro passim conferunt, in nostræ præjudicium libertatis, & in eminens periculum juris Patronalis: licet super hoc pridem cautione Literarum Apostolicarum nobis prospexeritis, continentium, quòd decedentibus Ecclesiarum Personis Italicis vel Romanis, auctoritate provisionis vestræ in Ecclesiis promotis, licitè possemus personas idoneas præsentare... Sanè licèt sit hæc contra nos communis pestis introducta... unius tamen comparium nostrorum afflictionem exempli gratiâ producere decrevimus in medium, ut quod contra eum, & Juris sui Patronalis periculum hactenus est improvidè procuratum, auctoritate vestrâ, si placet, revocetur in irritum.* Is erat *Robertus de Thuinge*, Ecclesiæ de *Lusburum Patronus*, qui juris privati communisque tuendi causâ Romam profectus, has Anglorum Procerum literas *Gregorio IX.* obtulit. Pontifex Patronorum Jura sarta tecta servare sanxit, quæ in eorum injuriam acta fuerant, irrita declaravit; ne deinceps Beneficia, quæ ad Patronorum laicorum nominationem pertinerent, vi Mandatorum Apostolicorum conferrentur, prohibuit: ac Magnatibus rescripsit hunc in modum; *Credi non debet quod Nos, quantum cum Deo possumus, agere seu tolerare velimus, quod justè possit honorem Regiæ Serenitatis offendere, aut in eodem Regno scandalum generare. Unde cùm intentionis nostræ non fuerit, nec existat, ut Beneficia in Regno Angliæ constituta, quæ ad præsentationem pertinent secularium Patronorum, auctoritate nostrâ cuiquam conferantur, sicut ex quibusdam Literis nostris, quondam in Angliam destinatis, quarum tenorem de verbo ad verbum Celsitudini Regiæ sub Bulla nostra duximus destinandum, colligitur evidenter: Nos comperto nuper ex ejusdem Regis & vestrarum continentiâ literarum, quod quidam prædicti Regni Miles in Ecclesia de Lusburum, Eboracensis Diœcesis, quam olim cuidam de partibus nostris Clerico, ignorantes quòd præsentatio ad laicum pertineret, contulisse dicimur, jus obtinet Patronatus: prælibati Regis & vestris precibus inclinati, concessionem eamdem auctoritate Apostolica revocamus..... Tenore præsentium inhibendo ne alicui de cætero liceat, Ecclesias prædicti Regni, in quibus laici sunt Patroni, præter eorum assensum, Sedis Apostolicæ auctoritate conferre.* Reservationes itaque & Mandata Pontificia in iis tantùm Beneficiis locum deinceps habuere, quæ ad Patronatum Virorum Ecclesiasticorum & Religiosorum pertinebant. Quâ de re immodesto & effræni stylo pro more conqueritur Matthæus Parisius. *Solùm*, inquit, *data sunt in direptionem & prædam possessiones Personarum Ecclesiasticarum, & imbellium Religiosorum. Jamjam igitur in antiquum chaos mundus ruere comminatur.*

Anno MCCXL. *Gregorius IX. misit Præcepta sua Cantuariensi Archiepiscopo, & Lincolniensi, & Sarisberiensi Episcopis, ut trecentis Romanis in primis Beneficiis vacantibus providerent; scientes se suspensos à Beneficiorum collatione, donec tot competenter providerentur.* Ita refert *Matthæus Parisius.*

Contra Reservationes Pontificias graviter expostularunt Anglicani Magnates anno MCCXLV. scripta ad *Innocentium IV.* Epistola, quæ lecta est in Concilio Oecumenico Lugdunensi I. Sed in aliud tempus Responsum ad hujusmodi querimonias Pontifex distulit.

Eodem anno, *Cum vellet Dominus Papa quibusdam Præbendis Lugdunensis Ecclesiæ vacantibus quosdam*

quosdam alienigenas consanguineos vel affines suos inconsulto Capitulo intrudere, restiterunt ei in faciē Canonici Lugdunenses: comminantes, & cum juramento obtestantes, quòd si tales apud Lugdunum apparerent, non posset eos vel Archiepiscopus, vel Canonici protegere, quin in Rhodanum mergerentur. Nec ipsi qui Beneficium fuerant accepturi, ultra usquam comparuerunt. Refert *Matthæus Paris* pag. 445. col. 1.

Innocentius IV. Reservationum usum moderatus.

Anno MCCXLVII. Reservationum usum ita moderatus est Pontifex, ut preces ad Regem Angliæ deinceps pro Beneficiorum collatione, non Mandata, & Executores mitteret. *Nunc gratiâ Dei ita sedata est tempestas* (inquit Matthæus Parisius pag. 484.) *quod quando Papa provideat alicui, vel aliquibus ex nepotibus suis, vel Cardinalium, ipse vel ipsi Cardinales rogabunt Dominum Regem cum instantiâ, ut [illegible]identur sic.*

Innocentius IV. anno MCCLIII. factas antea Beneficiorum Reservationes revocavit, ac rescidit. *Et qualitas temporis* (inquit) *quod diebus istis potissimum fuit ob eorum malitiam redimendum, & nonnullorum instantia importuna extorsit, quod de Archiepiscopatibus, vel Episcopatibus, seu Abbatiis, & Prioratibus, mandavimus per nostras literas in diversis partibus provideri: sed sanius reputantes provideri Ecclesiis, quàm personis: providendi & ordinandi canonicè de præmissis omnibus, liberam illis ad quos prædictorum ordinatio, collatio, sive provisio pertinet, concedimus auctoritate præsentium potestatem: Non obstantibus quibuslibet Literis generalibus vel specialibus, sub quacumque forma verborum, super quorumcumque promotionibus vel provisionibus impetratis à Sede Apostolica, vel Legatis ipsius, aut etiam impetrandis; sin Reservationibus, vel prohibitionibus, aut nominationibus earumdem Literarum auctoritate factis vel faciendis.* Refert *Matthæus Parisius* in Additamentis, pag. 124. col. 2.

Reservationibus Beneficiorum à Curia Romana factis Pragmaticam suam etiam opposuisse videtur *S. Ludovicus* Rex francorum. *Promotiones*, inquit, *collationes, provisiones & dispositiones Prælaturarum, Dignitatum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum & Officiorum Ecclesiasticorum Regni nostri, secundum dispositionem, ordinationem, & determinationem Juris communis, Sacrorum Conciliorum Ecclesiæ Dei, atque Institutorum antiquorum SS. Patrum, fieri volumus & ordinamus.*

C. IV.

Beneficia in Curia vacantia, Sedi Apostolicæ jure reservata.

Beneficia in Curia vacantia Sedi Apostolicæ reservavit *Clemens IV.* antiqua fretus consuetudine, ut ipse ait, Cap. *Licet, De Præbendis & Dignitatibus*, in VI. Hujus tamen Reservationis nullum in Gregoriana Decretalium Collectione vestigium.

De Reservationibus tempore dissidii inter *Bonifacium. VIII.* & *Philippum Pulchrum*, interjectæ à Rege Christianissimo querelæ. Jus Reservationum Sedi suæ asseruit Pontifex. Cardinales ipsum hoc Jure in Ecclesiæ Regnique utilitatem usum esse probarunt, scriptis in Gallias literis. Contulisse nimirum Beneficia Clericis è Regno oriundis, ipsi Regi non suspectis, eruditionis eximiæ, Magistris in Theologia, Clericis Regis, Prælatorum, Ducum, Comitum, & Baronum, denique pauperibus Clericis quibus Prælatorum pietas minimè providebat. Beneficiorum in Curia vacantium collationem Sedi Apostolicæ speciatim reservavit *Bonifacius VIII.* Decretali, *Piæ. De Præbendis & Dignitatibus*, lib. III. Extravag. Communium.

Quàm latè Reservationum abusus grassaretur paulò ante Concilium Viennense, intelligere est ex Oratione sive Consilio Anonymi cujusdam Episcopi Gallicani in sacro illo Conventu, quam ex MS. Vaticano maximam partem exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXI. Num. LIX. *Quia*, inquit, *multi vitâ & moribus detestabiles de diversis mundi partibus ad Sedem Apostolicam concurrentes, tam in forma pauperum, quàm aliàs, Beneficia cum Cura, vel sine Cura, quotidie, impetrare noscuntur, maximè in locis, in quibus de vita eorum & moribus non habetur cognitio, & à Prælatis, tanquam filiis obedientiæ Mandato Sedis Apostolicæ obtemperantibus, veneranter instituti vel admissi, ita detestabilem vel deformem vitam ducunt, quòd ob hoc Ecclesiæ destruuntur, populi scandalizantur, Dei Ecclesia blasphematur; Prælati non possunt hodie bonis personis de Beneficiis, nec Beneficiis de bonis personis, obstante numerosa multitudine Clericorum impetrantium providere: ex quo fit quòd dum non habeant quid pro meritis retribuant literatis personis, non inveniunt servitores, sine quibus Prælationes suas rectè administrare non possunt. Scio Cathedralem Ecclesiam tantum triginta Præbendas habentem, in qua triginta quinque vel plures à viginti annis citrà vacaverunt, de quibus Episcopus, qui dictis viginti annis & ampliùs Episcopatum rexerat, obstante impetrantium à Sede Apostolica multitudine, contulit tantùm duas, & adhuc sunt in dicta Ecclesia Expectantes. Insuper omnes Dignitates, quæ in dicta Ecclesia dicto tempore vacaverunt, contulit dicta Sedes, maximè personis absentibus, qui nunquam ipsam Ecclesiam intraverunt, & adhuc sunt duo Expectantes Dignitates.*

Clemens V. Beneficia quæcumque in Curia vacantia, aut etiam vacatura, etiam Episcopales & superiores Sedes, provisioni, collationi & dispositioni suæ & Sanctæ Sedis reservavit, toto tempore Pontificatûs, ut docet Decretalis, *Ex superna, De Præbendis & Dignitatibus*, lib. III. Extravag. Commun.

Joannes XXII. Decretali *Ex debito, De Electione*, lib. I. Extravag. Commun. Reservationes *Clementis V.* pro sui pariter Pontificatûs tempore confirmavit; immo ampliavit, Beneficia vacare apud Sedem Apostolicam declarans, morte, depositione, ac privatione eorum qui ea obtinerent, electionum cassatione, postulationum repulsione, renuntiatione, translatione. Cardinalium & Officialium Curiæ Romanæ, ubicumque obierint; Beneficia quasi in Curia vacantia censeri.

Benedictus XII. Reservationes ampliavit Decretali, *Ad Regimen*, Pontifex alioqui in Beneficiorum collatione religiosissimus, maximéque cavens ne indignis conferret. Jus Reservationum adversùs *Eduardum III.* Angliæ Regem illas ægrè ferentem vindicavit *Clemens VI.* illúdque divini Primatus appendicem esse asseruit; quatenus scilicet ad Ecclesiæ commodum & ædificationem conducere poterat, non absolutè in se spectatum: ad Prædecessorum suorum usum provocavit: modum Reservationibus Pontificiis à Parlamento Angliæ apponi non posse contendit. *Videntur*, inquit, *innuere Literæ supra dictæ, quòd super Reservationibus & Provisionibus Ecclesiarum in tuis tibi Parlamentis liceat aliquid ordinare, quodque Reservationes & Provisiones Apostolicæ à tua dependeant voluntate. Profectò, dilectissime fili, illa Concordia quam in tuo Parlamento habitam tuæ prædictæ describunt Literæ, nimis existeret temeraria, & divinis Constitutionibus inimica, per quam Apostolicæ Sedis Reservationes & Provisiones dependerent ex tua voluntatis arbitrio; tuque per ipsas potestatem ejusdem Sedis Apostolicæ, quod profanum est dicere, coarctares. Quamquam Nos, qui Ecclesiarum omnium tanquam Pastor universalis, invigilamus commodis, uti non intenderimus, nec intendamus Reservationibus &*

Provisionibus

Provisionibus hujusmodi, nisi quantùm utilitatibus & necessitatibus Ecclesiarum ipsarum crediderimus expedire. Qualiter autem temporibus Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum circa Reservationes & Provisiones hujusmodi de multis Prælaturis & aliis Beneficiis Ecclesiasticis dicti Regni, super quibus nunquam impedimentum extitit appositum, res gesta se habuit, Magnitudinem tuam latere non credimus; nec a tua memoria excidisse, quòd nobis pro Reservationibus inibi faciendis aliquibus feceris supplicari. Neque, Fili amantissime, ignorant tui Consiliarii pœnas divinas & canonicas, quas statuentes, ordinantes, concedentes, & consentientes statui aliquid in præjudicium Ecclesiasticæ Libertatis incurrerunt. Non quævis terrena sententia, sed illud Verbum per quod constitutum est cœlum & terra, eamdem Romanam fundavit Ecclesiam: quæ quidem omnes Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias, & ipsarum cujuslibet ordinis dignitatem instituit: ad cujus Pastorem & Rectorem Ecclesiæ, videlicet Romanum Pontificem, omnium Ecclesiarum, Dignitatum, Personatuum, Officiorum & Beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio noscitur pertinere. Has *Clementis VI.* ad *Eduardum III.* literas legere est apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum MCCXLIV Num. LV.

Ad primas Principum preces collata Beneficia.

V. Ad primas Principum preces Beneficia Ecclesiastica conferebantur. Apud Continuatorem Abbatis Uspergensis, & apud *Goldastum* Tomo III. Constitutionum Imperialium pag. 406. *Rudolphi Habsburgii* Epistolam legere est: *De primis precibus*, ad quemdam Abbatem directam, cujus hic est tenor: *Cùm ex antiqua & approbata, ac à Divis Imperatoribus & Regibus ad nos producta consuetudine, qualibet Ecclesia in nostro Romano Imperio constituta, ad quam Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinet collatio, super unius collatione Beneficii Precum nostrarum primas admittere teneatur, Devotionem tuam rogamus, quatenus huic Clerico Beneficio quod ad tuam collationem attinet, ob reverentiam Sacri Imperii, studeas liberaliter providere.* Data est Epistola anno MCCLXXII.

Apud eumdem *Goldastum* Tom. I. pag. 343. extat Rescriptum *Caroli IV.* Imperatoris ad Præpositum & Monasterium Canonicorum Regularium Ordinis *S. Augustini*, Moguntinæ Diœceseos, his verbis conceptum: *Cùm nobis tam de jure, quàm antiqua & approbata consuetudine, à Divis Romanorum Imperatoribus, & Regibus Prædecessoribus nostris hactenus observatâ, competat, quòd ex Coronationis nostræ solemniis ad Romanorum Regnum, in quolibet Monasterio in Imperio constituto unam tantùm personam virtute primariarum Precum nostrarum ad Beneficium Ecclesiasticum facere possimus promoveri: Hinc est quòd pro dilecto nobis Petro Conradi de Dylle Presbytero, vobis primarias dirigimus Preces nostras... Vobis nihilominus per Regalia sceptra mandantes, quatenus præfato Petro, aut ipsius Procuratori, ac nomine & vice ipsius de Beneficio Ecclesiastico cum cura, vel sine cura, quod vacat ad præsens, vel quod primum vacaverit, ad vestram præsentationem, collationem, seu quamvis aliam dispositionem spectans, in quacumque Diœcesi constitutum fuerit, auctoritate & virtute primariarum Precum nostrarum providere debeatis.*

Venceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex, *Caroli IV.* filius ac successor, jus primariarum precum suarum in Spirensi & Vvormatiensi Diœcesibus, in *Rupertum* Comitem Palatinum Rheni & Bavariæ Ducem transfudit anno MCCCLXXVI. Verba Constitutionis, quæ apud *Goldastum* Tom. I. pag. 375. habetur, hæc sunt: *Concedimus quod tu omnes primarias Preces ratione nostræ coronationis in Romanorum Regem, per civitatem & Diœcesim Spirensem & VVormatiensem, tam de jure, quam ab antiqua consuetudine, Romanorum Regibus nostris Antecessoribus, & nobis competentes, porrigere valeas & debeas, in singulis tam Cathedralibus, quam Collegiatis & Conventualibus Ecclesiis, & Monasteriis utriusque sexus, tam secularium quam Regularium personarum, necnon ad Prælatos, & alias personas Ecclesiasticas quascumque, etiamsi Pontificali, vel alia præfulgeant Dignitate, in dictis civitatibus & Diœcesibus, sicuti easdem Preces per nos porrigere possemus: Jus & potestatem porrigendi hujusmodi Preces, nobis competentes, in tuam personam omni modo, forma, & jure, quibus meliùs fieri poterit, plenariè transferendo. Et si, divina nobis suffragante gratiâ, ad apicem Imperialis culminis fuerimus sublimati, volumus, & tibi favorabiliter concedimus tenore præsentium, quòd ta Preces primarias, ratione susceptionis Imperialis Coronationis nobis competentes, etiam porrigere valeas & debeas, in singulis Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, & Monasteriis, & apud Prælatos, & quascumque alias personas Ecclesiasticas, seculares & Regulares dictarum civitatum, & Diœceseon, omni modo, forma & jure, sicut de primariis Precibus, ratione Regiæ coronationis nostræ, est expressum. Mandantes sub obtentu gratiæ nostræ, necnon sub pœna privationis omnium & singulorum privilegiorum, jurium, & gratiarum, & libertatum, quæ & quas à Romanorum Imperatoribus & Regibus Prædecessoribus nostris obtinere dignoscuntur... Quatenus dictas primarias Preces per te ipsis porrigendas, omni promptitudine admittant, sicut tenentur, ac si per nos eis forent exhibita seu porrecta. Dantes & concedentes tibi plenariam potestatem, ut rebelles tibi in præmissis, si qui sunt, vel erunt, ad admittendum & exaudiendum dictas Preces, auctoritate Regali, & etiam Imperiali, compellere & coercere per te & alios valeas, quemadmodum & nos facere possemus.*

Ad commendationem Serenissimorum Magnæ Britanniæ Regum Episcopos & Abbates Beneficia vel Pensiones, in Ecclesiis suis ac Monasteriis concessisse, plura *Eduardi I.* Rescripta testantur, in Collectione Antiquarum Constitutionum Regum Angliæ edita. *Bonifacius VIII.* Regi Christianissimo *Philippo Pulchro* anno MCCXCVII. concessit, ut in qualibet Ecclesia Cathedrali & Collegiata, Clericus unus ad ejus beneplacitum institueretur.

Collationes Beneficiorum pleno Jure à Regibus factæ.

VI. Reges Christianissimi Beneficia nonnulla pleno Jure conferebant, maximè Jure Regaliæ. De *S. Ludovico* Gaufredus de Belloloco, in ejus Vita, Cap. XX. scribit: *Sanè in Beneficiis Ecclesiasticis conferendis, quæ ad Patronatum sive Donationem ipsius pertinebant, Deum semper præ oculis habebat, & electis & probatis personis ea, quantùm poterat, conferebat: præcipuè autem in Ecclesiis Cathedralibus, ubi Sede vacante, ratione Custodiæ Regalis, ex consuetudine pertinebat ad eum Collatio Præbendarum.* Sed de Jure Regaliæ erit uberiùs dicendi locus in Dissertatione de Concilio II. Lugdunensi.

Jus Patronatus. Regulæ Canonicæ de Jure Patronatus. Regula. I.

VIII. De Jure Patronatus hæ receptæ erant Regulæ Sæculis XIII. & XIV. Patronus Ecclesiasticus se ipsum ad vacantem Ecclesiam præsentare non poterat, *Cùm nullus se ingerere debeat Ecclesiasticæ Prælationis Officiis.* Innocentii III. Decretum est, C. *Per nostras, De Jure Patronatus.*

Regula. 2.

Si quæstio de Jure Patronatus inter aliquos emergens infra quatuor menses finita non fuerit, Episcopus vacantem Ecclesiam conferat: *Ita quod illi ex hoc non debeat in posterum præjudicium generari, qui Jus evicerit Patronatus.* (Cap. *Cùm propter*, Ibidem.)

Regula. 3.

Nec Mandata Pontificia, Nec Legatorum Apostolicorum potestas, Patronorum Laïcorum præsentationem prohibere, vel ejus effectum impedire potest. (C. *Cùm dilectus.* Ibidem.)

Si

Regula. 4. Si variet Patronus Laïcus, institutio ejus quem secundo loco præsentavit, robur obtineat firmitatis. At Episcopus, qui præsentatum idoneum malitiosè recusavit admittere, ad providendum ipsi de competenti Beneficio compellatur. (C. *Pastoralis*. Ibidem.)

Regula. 5. Si Rectores Parochialium Ecclesiarum aliquos Episcopis præsentarior sub earum titulis ordinandos, intitulatione hujusmodi nullum Patronis præjudicium generatur, quin possint alios ad illas Ecclesias, cùm vacaverint, præsentare; nisi de Patronorum assensu factum esset. (C. *Postulasti*. Ibidem.

Regula. 6. In Ecclesiis Collegiatis seu Monasteriis. *Jus eligendi non cadit in Laicum.* Ipsi tamen *Ordinatio facta denuntianda est, ut suum, si voluerit, honestum impertiatur assensum.* Ita *Gregorius IX.* Cap. *Sacrosancta, De Electione & Electi potestate.* Salvum tamen manet Jus Patronorum, quibus id collatum est ab Ecclesia in fundatione, vel privilegium aliàs concessum, ut colligitur ex *Clementis III.* exceptione *C. Nobis, De Jure Patronatus*, cujus hæc sunt verba: *In Conventuali Ecclesia, non electioni Prælati facienda, sed jam facta, honestius Patroni postulatur assensus, nisi aliter de sua Jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ.* Legatur Glossa istius Capitis, quæ hinc etiam exceptioni locum esse ait, *ubi datum fuit tale Privilegium quòd Rex simul cum Monachis eligat Abbatem.*

Regula. 7. Solum Jus præsentandi, non conferendi, Patrono etiam Ecclesiastico vi Juris Patronatus convenit.

Patronus, etiam Ecclesiasticus, vi juris Patronatûs Ecclesiam conferre non potest, sed duntaxat ad illam præsentare. Ita respondet *Gregorius IX. C. Transmissæ.* (Ibidem.) Institutio quippe Clericorum in Beneficus Curam animarum habeoribus, ab uno Episcopo, aut ejus auctoritate fieri potest, vel certè ab eo quicum Jura Episcopalia Sedis Apostolicæ Privilegio sont communicata. Hinc Synodus Bajocensis anno MCCC. Canone XLIV. ita statuit: *Omnia Beneficia collata Sede vacante Bajocensi, & post promotionem nostram, si nobis non fuerint præsentata, in manu nostra capimus, & per manus Decanorum volumus & præcipimus detineri.*

Concilium Coloniense anno MCCCX. Canone XIII. *Statuimus quòd nullus Ecclesiam Curatam de cætero teneat, vel regendam suscipiat, aut susceptam tenere præsumat, nisi à Nobis vel Archidiacono, & eorum vices gerentibus (quibus hoc de jure, vel consuetudine competere dinoscitur) de eadem fuerit legitimè institutus: cum aliàs non habeat claves ligandi vel solvendi. Contrarium faciens, nisi dictam Ecclesiam dimittat, monitione viginti dierum præmissa, ex nunc in excommunicationis Sententiam, quam in ipsum ferimus, incidat ipso facto, nec plebs ei obediat, vel intendat.*

Concilium Ravennatense IV. anno MCCCXVII. Canone 2. *Cùm de jure nullus Sacerdos alieri subditum, sine sui Superioris commissione, solvere valeat vel ligare: Nos quamdam consuetudinem, seu potius abusionem, animarum plenam periculis (quod videlicet Sacerdotes aliqui per nonnullos Prælatos Seculares seu Regulares, quibus in certis Ecclesiis Parochialibus Rectorum institutio de consuetudine competit, in eisdem Ecclesiis instituti, sine sui Episcopi auctoritate, commissione, vel licentiâ Parochiales Ecclesiarum ipsarum præsumunt solvere & ligare, in suarum præjudicium animarum) cupientes penitus extirpare, hoc Sacro approbante Concilio, sub privationis & excommunicationis pœnis, inhibemus Sacerdotibus memoratis, quod nullo modo præsumant in Ecclesiis, in quibus modo prædicto, & per prædictos fuerint instituti, in spiritualibus ministrare, nisi priùs ab Episcopo loci, prout Jura volunt, eis Cura commissa fuerit animarum, de quibus idem Episcopus tenetur Christo reddere rationem, tanquam de ovibus sibi commissis.*

Concilium Avenionense Canone XXX. *Nullus in aliquo Beneficio Ecclesiastico solum Jus obtinens Patronatus, cùm ipsum vacare contigerit, ad ipsum conferendum procedat. Quòd si secus egerit, in illa vacatione Jus præsentandi ipso facto amittat, & Superior ad quem institutio pertinet, plenam ejus dispositionem habeat illa vice.*

Concilium Rothomagense, anno MCCCXXXV. Canone IX. *Quia aliqui plerumque in Parochialibus Ecclesiis instituuntur per alios, quàm per Diœcesanos, sine auctoritate ipsorum: statuit idem Concilium, quòd quoties aliquem sic de cætero continget institui, idem Institutus, infra quadraginta dies à tempore corporaliter adepta possessionis, coram Diœcesano seu ejus Vicario comparere personaliter debeat, fidem facturus debitam de titulo, si quem habet in Beneficio sic adepto, ac præstiturus Diœcesano de & super obedientia, fidelitate, & residentia, & aliis consuetis, debitum & solitum Juramentum: & ad hoc per locorum Decanos, statim elapsis dictis quadraginta diebus, per captionem & detentionem fructuum & proventuum Ecclesiæ compellatur.*

Regula 8. Laïcus Jus Patronatus Ecclesiæ sibi competens, eidem vel alteri Ecclesiæ, aut loco religioso, conferre potest, etiam absque consensu Episcopi: salvis tamen Episcopi Juribus quoad Institutionem præsentandorum ad Beneficia. C. *Si Laicus, De Jure Patronatus.* In Sexto.

Regula. 9. Patronus Laïcus ad præsentandum quatuor menses habet: Ecclesiasticus verò sex. (Ibidem.)

Regula. 10. Ecclesia vel Monasterium, cui facta est à Laïco Juris Patronatus collatio, Patronus Ecclesiasticus, non Laïcus censeri debet. (Ibidem.)

Regula 11. Plures ab uno ex Patronis relicti hæredes, vocem duntaxat unius habent in præsentatione Rectoris. Possunt inter se convenire de Rectore alternis vicibus præsentando. Possunt etiam plures ad vacantem Ecclesiam eo modo præsentare personas, quòd unus ex eis eligi per Episcopum valeat & admitti. Ita sancitum est in Clementina, *Plures. De Jure Patronatus.*

Regula 12. Ad Ecclesias Parochiales à Patronis Ecclesiasticis, etiam exemptis, Præsentatos, admittere non debent Episcopi, nisi infra tempus ab ipsis Diœcesanis præfigendum, portio congrua de proventibus Ecclesiæ ipsis assignata fuerit. Quod si neglexerint, jus assignationis illius ad Diœcesanos devolutum est. (Ex Clementina, *Ut Constitutio.* Ibidem.)

Clerici à Patronis Præsentati Juramentum iisdem præstare alicubi soliti.

Quibusdam in Provinciis, Clerici à Patronis præsentati, Juramentum iisdem præstare tenebantur, ubi ab Episcopo admissi erant. Hujus consuetudinis fidem facit Synodus Bajocensis anno MCCC. Canone XLIII. *Nullus Clericus Patronis faciat Juramentum, antequam Episcopo sit præsentatus & receptus. Episcopus autem receptum faciat jurare, quòd ad Patronos accedet, ut debitum faciat Juramentum.* Et Synodus Avenionensis anno MCCCXXVI. Canone XXXI. *Sub pœna excommunicationis præcipimus, ne quis à Patrono Clerico vel Laïco præsentatus aut præsentandus, præstet aliquod Juramentum in manibus Patroni, vel alterius cujuscumque, sine speciali ipsius Ordinarii licentia & concessu: de quo in Institutione vel post possint præstare Juramentum Patronis, ratione temporalium, prout eis competit de jure vel consuetudine.*

A Patronis Præsentati, & ab Episcopis repulsi, coram Judicibus Laïcis causam agere non poterant.

A Patronis præsentati, & ab Episcopis repulsi, coram Judicibus Laïcis causam agere non poterant: sed una ipsis patebat ad Superiores Judices Ecclesiasticos appellandi via. Contrarius abusus in Ecclesiam Anglicanam irrepserat: quem, rogante Clero, Rex *Eduardus II.* anno MCCCXVI. emenda-

vit. Inter Articulos ejus Majestati à Prælatis Angliæ oblatos XIII. his verbis conceptus est: *Item petitur, quòd Personæ Ecclesiasticæ, quas Dominus Rex ad Beneficia præsentat Ecclesiastica, si Episcopus eos non admittat, ut puta, propter defectum scientiæ, vel aliam causam rationabilem, non subeant examinationem Laicarum personarum, in casibus ante dictis, prout his temporibus attentatur de facto contra Canonicas Sanctiones: sed adeant Judicem Ecclesiasticum ad quem de jure pertinet, pro remedio, prout justum fuerit, consequendo.* Ad hunc Articulum Rex Serenissimus respondit: *De idoneitate personæ præsentatæ ad Beneficium Ecclesiasticum, pertinet examinatio ad Judicem Ecclesiasticum. Et ita est hactenus usitatum, & fiat in futurum.*

Beneficia indi[illegible] con[illegible] vetita.

IX. Indignis conferri Beneficia Canones vetabant: dignioribus conferenda Doctores propugnabant. Concilium Lateranense IV. sub *Innocentio III.* Canone V. ea de re ita statuit. *Grave nimis est & absurdum, quòd quidam Ecclesiarum Prælati, cùm possint viros idoneos ad Ecclesiastica Beneficia promovere, assumere non verentur indignos: quibus nec morum honestas, nec literarum scientia suffragatur; carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis, unde quanta Ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, ut prætermissis indignis, idoneos assumant, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum: fiátque de hoc in Provinciali Concilio diligens inquisitio annuatim: ita ut qui post primam & secundam correctionem fuerit repertus culpabilis, à Beneficiis conferendis per ipsum Concilium suspendatur: instituta in eodem Concilio personâ providâ & honestâ, quæ suspensi suppleat defectum in Beneficiis conferendis. Et hoc ipsum circa Capitula, quæ in his deliquerint, observetur. Metropolitani verò delictum, Superioris Judicio relinquatur, ex parte Concilii nunciandum.* Idem constat ex Cap. *Cum nobis, De Electione & Electi potestate*, quod est *Innocentii III.* & ex Cap. *Perpetuo, De electione, in Sexto.* Digniorem eligendum persuasum habebat Metensis ille Episcopus, qui vacante Præpositura S. Salvatoris, *die electioni præfixo, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum in virtute obedientiæ, ac sub animæ periculo Canonicos adjuravit, ut secundum Deum, & juxta conscientiam suam, unum eligerent de duobus, in quos partes videbantur oculos extendisse, quem Ecclesiæ magis utilem & idoneum reputarent.* Ita refert *Innocentius III.* Cap. *Constitutis, De Appellationibus.* Atque huic opinioni fundamentum præbet Concilii Lateranensis sub *Alexandro III.* Canon. XVII. & refertur Cap. *Quoniam, De Jure Patronatus.* In Fundatorum scilicet dissensione illum Ecclesiæ præficiendum statuit, QUI MAJORIBUS JUVATUR MERITIS, *& plurimorum eligitur & approbatur assensu.* Quanquam verò nullas pœnas decreverint Concilia & Pontifices contra illos, qui omisso digniori dignum eligebant, aut instituebant, ne litibus daretur occasio: illos tamen à culpa coram Deo non censebant immunes, qui minùs dignum anteponerent digniori, id est, qui Ecclesiæ utilior esse posset. Enimverò *Dignitas alicujus personæ potest attendi dupliciter. Uno modo simpliciter & secundum se: & sic majoris dignitatis est ille qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim quandoque quod ille qui est minùs sanctus, & minus sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam vel industriam sæcularem, vel propter aliquid hujusmodi. Et quia dispensationes spiritualium principaliùs ordinantur ad utilitatem communem, secundum illud. 1. Corinth. 12.* Unicuique datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem: *ideo quandoque absque acceptione personarum, in dispensatione spiritualium illi qui sunt simpliciter minus boni, melioribus præferuntur. Sicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis.* Ita docet *Sanctus Thomas* Secunda Secundæ, Quæstione LXIII. Articulo II. Et Quodlibeto V. Quæstione VI. Articulo III. *Contingit quandoque aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc quod Beneficium percipiat: quia aliquis fortè potest Ecclesiam magis juvare, vel per consilium sapientiæ, vel quia servivit in Ecclesia. Non ergo Episcopus tenetur dare meliori simpliciter, sed tenetur dare meliori quoad hoc. Non enim potest esse quòd unum præferat alteri, nisi propter aliquam causam. Quæ si quidem pertineat ad honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ, jam quantùm ad hoc iste est melior: si autem illa causa ad hoc non pertineat, erit acceptio personarum, quæ tanto est gravior, quantò in rebus divinis committitur. Unde super illud Jacobi 2. Tu sede hic bene &c. dicit Glossa Augustini**: *Si hanc distantiam sedendi & standi ad honores Ecclesiasticos referamus, non est putandum leve esse peccatum in acceptione personarum habere fidem Domini gloriæ. Quis enim ferat eligi divitem ad Sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere sanctiore & instructiore?* Legatur & Articulus 1. Quæstionis IV. Quodlibeti VIII. ubi cùm sibi objecit Decretalem, *Cum dilectus, Extra, De electione*, quæ electionem alicujus in Episcopum factam, licet alii supponerentur digniores, *Innocentius III.* non propterea putat improbandam, nisi alia quædam obstent: respondet, Pontificem *non loqui quantum ad forum conscientiæ, sed quantùm ad forum contentiosum, in quo non reprobatur electio ex hoc quòd potest aliquis alius magis idoneus inveniri; dummodo ille qui eligitur, idoneus sit, alias omnis electio calumniam pateretur.*

* S. August. Epist. 29

Beneficiorum permutatio.

X. Clerici propria auctoritate Beneficia permutare non poterant, alioquin iisdem privabantur, ut constat ex *Innocentii III. Decretis* Cap. *Cum olim*, & Cap. *Cùm universorum. De Rerum permutatione.* Sed rata erat quæ fiebat Episcopi auctoritate permutatio, ut docet *Bonifacius VIII.* Cap. unico *De Rerum permutatione*, in Sexto. *Licet*, inquit, *in tua Diœcesi aliqui auctoritate Apostolica Beneficia proximo vacatura expectent: illos tamen qui secundùm formam Juris sua Beneficia in eadem Diœcesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes, liberè ac sine fraude in manibus tuis ipsa resignant: Nolumus occasione præmissa (æquitatem præferentes in hac parte rigori) circa faciendam permutationem Beneficiorum hujusmodi, quæ alias minime resignassent, ullatenus impediri.*

Beneficiorum plural[illegible], [illegible] damnata.

XI. Pluralitatem Beneficiorum, maximè quæ animarum curam & residendi obligationem annexam habent, frequentibus Canonibus ac Decretis Concilia & Pontifices damnarunt Sæculis XIII. & XIV. Occurrit in primis Canon XXIX. Concilii Lateranensis IV. sub *Innocentio III.* cujus hæc sunt verba: *De multa providentia fuit in Lateranensi Concilio prohibitum, ut nullus diversas Dignitates Ecclesiasticas & plures Ecclesias Parochiales reciperet, contra Sacrorum Canonum Instituta. Alioquin & recipiens sic receptum amitteret, & largiendi potestate conferens privaretur. Quia verò propter præsumptiones & cupiditates quorumdam nullus hactenus fructus aut rarus de prædicto Statuto provenit, Nos evidentiùs & expressiùs occurrere cupientes, præsenti Decreto statuimus, ut quicumque receperit aliquod Beneficium habens curam animarum annexam, si priùs tale Beneficium obtinebat, eo sit jure ipso privatus. & si fortè aliud retinere contenderit, alio etiam spolietur. Is quoque*

ad

ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius liberè conferat cui meritò viderit conferendum: & si ultra tres menses conferre distulerit, non solùm ad alium, secundùm Statutum Lateranensis Concilii, ejus collatio devolvatur: verùmetiam tantum de suis cogatur proventibus in utilitatem Ecclesiæ, cujus illud Beneficium est, assignare, quantum à tempore vacationis ipsius constiterit ex eo esse perceptum. Hoc idem in Personatibus decernimus servandum: addentes ut in eadem Ecclesia nullus plures Dignitates, aut Personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum. Dispensatio tamen ab hac lege concedi potest, 1. sublimibus tantùm literatisque viris. 2. cùm ratio postulaverit. 3. à sola Sede Apostolica. *Circa sublimes tamen & literatas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cùm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari.* Nam, ut scribit *Innocentius III.* ad Aurelianensem & Autisiodorensem Episcopos Epistola 158. lib. XIV. *Licèt circa eamdem personam Beneficiorum sit semper superfluitas improbanda, nonnumquam tamen est toleranda pluralitas, statu personæ provida consideratione pensato.* Qui Præbenda vel Dignitate investitus est, cui Parochialis Ecclesia est annexa, *idoneum & perpetuum Vicarium canonicè institutum* habeat in Parochia; ipse verò in Majori Ecclesia sacrum obeat Ministerium. Ita statuit idem Concilium Canone XXXII.

Concilium Biterrense anni MCCXXXIII. Canone XII. pluralitatem Beneficiorum habentium *curam animarum vel residentiam annexam*, à Concilio Lateranensi prohibitam interpretatur: ejúsque Decretum renovat & observari jubet. Concilium Salmuriense anni MCCLIII. Episcopos & alios Prælatos arguit Canone VIII. qui plures Ecclesias Parochiales Curatis commendant, *in animarum suarum periculum, & scandalum plurimorum; ut sic habeant commendatas, quas, secundùm Canones, habere non possunt intitulatas.* Lateranensis executionem Canonis *Gregorius X. Ottoni* Sedis Apostolicæ Legato in Anglia commendavit. Sed cùm illam urgeri non posse accepisset sine Regni perturbatione, & plurimorum scandalo, negotium istud surcedi jussit. *Cum sic intellexerimus* (inquit) *quòd nonnulli Clerici habentes plura Beneficia sint in Regno Angliæ, & contra eos, propter parentum potentiam, juxta Generalis Statuta Concilii, sine turbatione Regni, & sanguinis effusione procedi non posset: Attendentes quod si peccatum non debeat pro scandalo vitando committi, bonum tamen quod agi debeat, prudenter interdum intermittitur, ut scandalum evitetur: Discretioni tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus si contra dictos Clericos sine scandalo procedere, non poteris, subsidere procures.* Concilium Londinense anni MCCLXVIII. Canone XXXII. prohibet Ecclesiam quamlibet commendari, *nisi justa causa & legitima id exposcat. Ne cuiquam ultra unum cum cura animarum Beneficium obtinenti, Ecclesia commendetur, neque plures Ecclesiæ alicui personæ valeant commendari.* Concilium Lugdunense II. anno MCCLXXIV. Canone XVIII. decernit ut Episcopi subditos suos *plures Dignitates vel Ecclesias, quibus animarum cura imminet, obtinentes, seu Personatum aut Dignitatem, cum alio Beneficio, cui cura similis est annexa, compellant dispensationes, autoritate quarum hujusmodi Ecclesias, Personatus, seu Dignitates canonicè tenere se asserunt, infra tempus ipsorum arbitrio moderandum exhibere.* Si nullam dispensationem exhibuerint, Beneficia sine illa detenta Personis idoneis conferantur. Nec Beneficia curam animarum annexam habentia alicui plura similia obtinenti ante conferre præsumant, *quam eis super obtentis dispensatio evidenter sufficiens ostendatur.* Quà etiam ostensâ Beneficium non conferatur, *nisi appareat per eumdem, quòd is, cui est collatio facienda, hujusmodi Beneficium licitè retinere valeat cum obtentis. Vel, si ea quæ sic obtinet, liberè ac sponte resignet.*

Concilium Lambethense in Anglia anno MCCLXXXI. Canone VI. Sacerdotibus prohibet sub pœna excommunicationis, ne absolvant eos qui plura Beneficia retinent. Eos qui ipsos absolvunt vocat *Sacerdotes Belial, occidentes animas Christi Sanguine redemptas, & enervantes Ecclesiasticam Disciplinam. Istos igitur* (inquiunt Præsules Anglicani) *quasi vulpes demolientes vineam Domini veraciter reputantes, sub pristina districtione iteratò præcipimus, quatenus à talibus absolvendis de cætero abstineant, & ad renunciandum Beneficiis illicitè obtentis vel retentis sollicitè inducant: alioquì sciant se certissimè in die maledictionis fulgure feriendos.* Idem antè decreverat Concilium Redingense anno MCCLXXIX. Canone I. plurium Beneficiorum absque *Sedis Apostolicæ dispensatione* detentoribus denuntiari jubens ab eorum Confessariis, & ab Episcopis, *Quòd nec ad Dignitates Ecclesiasticas, nisi demum purgato vitio, possunt assumi: & si de facto ad easdem ascenderint, non possunt absque periculo ministrare, nec salvari poterunt in die Judicii, nec in præsenti accipere Pœnitentias, quæ non proficiant ad salutem, nisi cùm renunciaverint Beneficiis, quæ sic de facto detinent occupata: verùm etiam de fructibus Ecclesiæ sic consumptis, Ecclesiæ Dei, quam graviter offenderint, quatenus poterunt, satisfaciant competenter. Cùm isti Beneficia taliter invadentes, scienter falcem in messem inferant alienam: cùmque non intrent per ostium, non Pastores, sed fures pariter existunt & latrones, miseràsque animas impudenter decipiunt, quas nec valent utique solvere, nec ligare. Et illos quoque qui Confessores talium Clericorum existunt, qui eisdem in Pœnitentia non injungunt, ut fructus Ecclesiarum taliter, non perceptos, sed furtivè surreptos restituant, imperitos decernimus, aut minùs benignos, & callidos animarum Clericorum hujusmodi deceptores: inhibentes sub pœna excommunicationis, ne ad talium absolutionem manus extendant temerarias.*

Non absolvendi, qui plura Beneficia illicitè obtinent, vel tenent.

Synodus Pictaviensis anni MCCLXXXIV. Canone II. statuit ut *Nullus Parochialem habens Ecclesiam, ad Capellaniam; vel habens Capellaniam, ad Parochialem Ecclesiam præsentetur, aut admittatur, nisi fuerit fundator Capellaniæ, vel de novi fundatoris assensu; vel nisi Parochialis Ecclesia & Capellania in redditibus & proventibus ita sint tenues, quòd neutrum prædictorum Beneficiorum per se sufficiat ad congruam Rectoris, vel servitoris proprii sustentationem.* Beneficium porrò sufficiens non esse declarat, *cujus redditus non valent nec æstimantur quindecim libris monetæ in illis partibus usitatæ.*

Ex *Bonifacio VIII.* in Sexto, cap. XXI. Tit. De Præbendis & Dignitatibus, *Non potest dispensatio super pluralitate Beneficiorum concessu impetranti prodesse, qui aliquod quantumcumque modicum Beneficium subticuit.* At silentium hujusmodi non obest, si collatio fiat motu proprio Summi Pontificis. (*C. Si motu.*) Viris Religiosis Prioratum, vel Ecclesiam curam animarum annexam habentem obtinentibus, etiamsi cura illa non per ipsos, sed per Vicarios ad eorum præsentationem canonicè ab Episcopis institutos exerceatur, alterutrum jubet eligere Beneficium, infra mensem; nisi Sedis Apostolicæ dispensatione illa teneant, vel unum ab alio pendeat, vel sint annexa. Qui verò Prioratum vel Ecclesiam talem obtinens, alium receperit: primum, quo sit ipso jure privatus,

tui, statim omnino dimittere teneatur. *Quod nisi fecerit, efficiatur ineligibilis, & tamquam ambitiosus ab utroque penitus repellatur.* (Cap. *Cum singula* (ibidem.) Ratio Decreti est, quòd *singula Officia sunt singulis committenda personis, & dissolutionis ac evagationis materia est Religiosis præ cæteris auferenda.* Legantur Clementinæ, *Si plures*; &, *Si Romanus*, Tit. *De Præbendis & Dignitatibus.*

Ecclesiæ Gallicanæ Præsul Anonymus contra Beneficiorum pluralitatem in Concilio Viennensi nervosè disseruit hunc in modum: *Non est quædam inconveniens absurditas, quæ universalis Ecclesiæ robur & fortitudinem annihilat, ejúsque decorem & pulchritudinem exterminat & enervat, eamque mutilat & detruncat, sub silentio transeunda. Cùm enim tam secundum Jura divina quam humana, singula Ecclesiastici Juris Officia sint singulis committenda personis (sicut enim in uno corpore physico multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, multa membra sunt, secundum veridicam sententiam Pauli. Unde in eodem unoque corpore spirituali, committendum est hoc Officium uni, alii aliàs conferendum & committendum illud: nec quantumlibet exercitata uni personæ uno tempore duarum rerum sunt Officia committenda; quia si totum corpus oculus, ubi auditus? &c.) Hodie, quod cum dolore referendum est, una persona, aliquando minùs idonea, quatuor vel quinque in diversis Ecclesiis obtinet Beneficia, id est, quinque vel quatuor Dignitates, aliquando tres vel duas: quinimmo, quod non est minimum inconveniens vel absurdum, una persona, cui secundum statum suum abundè una sufficeret Canonica vel Præbenda, decem vel duodecim in diversis Ecclesiis obtinet & aliquando plures, sicut vidi. Heu! aliquando una persona tot obtinet Dignitates, Personatus, vel Officia, quòd ex eis posset quinquaginta vel sexaginta exercitatis & literatis personis sufficientissimè provideri. Ex quo perniciosæ abusu sequitur destructio Ecclesiarum, defectus servitiorum Ecclesiasticorum, enervatio & dissipatio studiorum, quæ modernis temporibus ubique terrarum depereunt, propter hoc quòd bonis Scholaribus exercitatum ingenium habentibus provideri non potest per Prælatos.* Refert *Odericus Raynaldus*, ad annum MCCCXI. Num. LXI.

Joannes XXII. Decretali, *Execrabilis*, anno Pontificatus altero datâ, ambitionem quorumdam tam Religiosorum, quàm secularium, & improbitatem importunam petentium, à se, & Prædecessoribus suis Romanis Pontificibus non tam obtinuisse queritur, quàm extorsisse, *Ut unus interdum etiam ad unum Beneficium Ecclesiasticum minùs idoneus, in diversis Ecclesiis nedum vicinis, sed ab invicem longè distantibus, immo nonunquam in diversorum Regnorum partibus situatis, plures quàm duas vel tres, aut plures etiam Dignitates vel Personatus, Officia seu Prioratus, aut diversa Ecclesiastica Beneficia curam animarum habentia posset dispensativè, cùm aliàs non liceret de jure communi, recipere, & simul licitè retinere.* Indéque hæc nasci dolet incommoda: *Quòd interdum unus, qui unum, quamvis modicum vix Officium implere sufficeret, plurimorum sibi vendicat stipendia; quæ multis literatis viris, vitæ puritate ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè sufficere, æquâ distributione collata. Habentibus ipsis paratur vagandi materia; divini cultus minuuntur, hospitalitas in ipsis Beneficiis debita non servatur: & dum non sunt sui in unaquaque regione Rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis & honori: Quæ carentes defensorum auxilio, in juribus suis & libertatibus multipliciter collabuntur: ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat Decessorum: Animarum cura negligitur, & vitiorum sensibus fomentum periculosè præbetur.* Ideo modum Apostolica Auctoritate adhibet dispensationibus super receptione ac retentione plurium Beneficiorum, *quibus cura sit animarum annexa*, à se vel Prædecessoribus, cuicumque personæ concessis: exceptis Cardinalibus S. R. E. & Regum filiis. Statuit itaque ut qui plura hujusmodi Beneficia ex dispensatione obtinent, unum tantùm, cum altero Beneficio sine cura, quod maluerint, retineant, cætera dimittant intra mensem: Alioqui tam his quàm aliis omnibus sint ipso jure privati, & ad similia Beneficia obtinenda) inhabiles. Statuit secundò, ut qui hujusmodi Beneficia absque dispensatione detinent, omnia dimittant infra tempus constitutum, eo dumtaxat retento quod ultimò sunt adepti, dummodo in eo ex collatione canonica jus habeant. Nisi paruerint, omnibus privantur, & ipsis ad quæcumque Beneficia præcluditur aditus. Statuit tertiò, ut qui deinceps Beneficium curam animarum habens annexam receperint, si antea simile Beneficium obtinebant, prius illud in Ordinariorum manibus dimittant absque mora: alioquin sint ipso jure secundo privati, & nedum ad sacros suscipiendos Ordines, quin etiam ad habendum quodcumque aliud Ecclesiasticum Beneficium inhabiles censeantur. Porro illa dumtaxat Beneficia curam habere declarat, quæ Parochias habent, quibus est animarum cura annexa, non per Vicarios Perpetuos, sed per Rectores aut Ministros Beneficiorum ipsorum, vel illorum temporales Vicarios exercenda. Necnon etiam illa, quorum Ministris, ratione Beneficiorum hujusmodi competit visitare, inquirere, procurationes recipere, suspendere, excommunicare, seu ab excommunicationis & suspensionis sententiis absolvere, de consuetudine vel de jure.

Urbanus V. edita Constitutione quæ incipit, *Horribilis*, Beneficiorum incompatibilium pluralitatem damnavit, ut Vitæ ipsius Author testatur, apud *Odericum Raynaldum*, ad annum MCCCLXX. Num. XXI. & XXII. Legatur ejusdem Constitutio, quæ incipit his verbis, *Consueta solicitudo*, Tom. XI. Conciliorum Editionis Labbeanæ, pag. 1936.

Guillelmus Episcopus Parisiensis cum Sacra Facultate, Beneficiorum pluralitatem damnavit anno MCCXXXVIII. modò unum ad victum sufficeret. Idémque ante triennium ab ejusdem Academiæ Theologis declaratum fuerat. Testis est qui posterioris Conventus ac Deliberationis tempore Parisiis versabatur *Thomas Cantipratanus*, lib. I. *Apum*, C. XX. Num. V. *Volo*, inquit, *ut quicumque hæc legerit, sciat me anno ab Incarnatione Domini M. CCXXXVIII. fuisse Parisiis, ubi Venerabilis Guillelmus Parisiensis Episcopus, qui in Theologia rexerat, Conventionem fecit omnium Magistrorum in Capitulo FF. Prædicatorum. Proposita ergo quæstione de pluralitate Beneficiorum, solerti & valde longa disputatione probatum est, duo Beneficia, dummodo unum valeret quindecim libras Parisienses, teneri cum salute animæ non posse. Hoc determinavit prædictus Episcopus, hoc Frater Hugo Ordinis Prædicatorum, postmodum Romanæ Curiæ Cardinalis, hoc F. Guerricus, & F. Gaufridus, ejusdem Ordinis, Joannes de Rupella Ordinis FF. Minorum, & alii plures Magistri Theologiæ determinaverunt in Scholis propriis successivè. Fuerat autem disputatio longa valde, & multò solemnior ante annos tres: in qua etiam omnes Magistri Theologiæ, exceptis duobus, determinasse probantur idem per omnia quod & supra: quorum unus fuit*

Sacræ Facultatis Parisiensis sententia contra [illegible] pluralitatem.

fuit Magister Philippus Cancellarius Parisiensis, & alter Magister Arnoldus postmodum Ambianus Episcopus. Cancellarius ille *Philippus* triennio post celebrem illam Sacræ Facultatis Deliberationem lethali morbo correptus, cùm singularem opinionem suam de pluralitate Beneficiorum ejurare, ac Beneficia, uno excepto, in manibus Episcopi *Guillelmi*, resignare pertinaciter renueret, velle se experiri dicens, utrum exitiale esset plura tenere Beneficia: eo in statu mortuus est. Paucis verò post diebus oranti Episcopo in umbra tetra & terribili apparuit, se damnatum renunciavit tribus de causis. Primò quòd crescentes fructus annuos contra pauperes tumidè reservasset. Secundò, quòd contra sententiam plurimorum de pluralitate Beneficiorum, quasi licitè tenendorum, sententiam propriam propugnasset, atque ita criminis lethalis periculo se commisisset. Tertiò, quòd vitio carnis multo tempore innexus fuisset. Refert *Thomas Cantipratanus*, idémque narrat *Guillelmus Durandus* Mimatensis Episcopus in Tractatu *De Modo Generalis Concilii celebrandi*, Rubrica xx. aliique Authores probatissimi. Alia divinæ ultionis in plurium Beneficiorum detentores exempla commemorat *Cantipratanus*, quæ suis ipse oculis usurpavit. Hinc denique tradit Regulam in praxi tutissimam: *Esto quòd multi Magistrorum dicant hoc, & multi alii opinentur in contrarium: hoc solum mortale ab Augustino omnium Doctorum Maximo judicatur, quòd quis incertitudinis periculo, aut mortalis peccati discrimini se committit.*

Guillelmi Parisiensis Episcopi rationes contra Benefic. cum pluralitatem.

Guillelmus Parisiensis Episcopus in Tractatu *De Beneficiorum Collatione*, Cap. vi. probat Beneficiorum pluralitatem illicitam esse multis rationibus. 1. Quòd pia fundatorum frustretur intentio; qui *sicut certum numerum voluerunt habere servitiorum, sic & servitorum.* 2. Quòd *defraudetur Dominus præconibus gloriæ suæ atque præconiis.* 3. *Ipsa etiam membris suis & membrorum Officiis Ecclesia.* 4. *Anima tam mortuorum, quàm vivorum; patronis simul & patrociniis.* Quod *sufficiens meritum est & causa damnationis æternæ.* Varias quidem circa Beneficiorum pluralitatem opiniones esse fatetur, dubitantibus nonnullis an licita sit vel illicita. Verum, inquit, *Si dubium est utrum liceat vel non liceat, ipsa dubietas certitudo est & determinatio, quia proculdubio non licet. Nulli enim dubium est quòd non licet alicui committere se discrimini: Discrimini autem se committit, qui aliquod facere præsumit, de quo dubitet an mortale peccatum sit.*

Ad id verò quo se tuebantur plerique Beneficiorum multorum detentores, illis residendi obligationem annexam non esse; respondet Antistes doctissimus: *Si quis verò adjecerit nobis ex Ecclesiis in quibus non compellitur fieri residentia: dicimus quia non est libertas ex Constitutione, vel fundatione, sed magis ex longa consuetudine, & Clericorum malitia usurpata.*

Summi Pontifices cum avaritia vel [illegible] Clericorum non dispensant.

Ad alterum defensionis ipsorum firmamentum à dispensationibus Pontificiis petitum, respondet idem Præsul: Romanum Pontificem, *Quantumcumque largam dispensationis gratiam videatur facere in Beneficiis cum aliquibus personis; tamen nec dispensare, nec dispensare posse cum avaritia, cupiditate, vel ambitione earum, nec indulgere eis indulgentiis suis, ut his vel aliis vitiis indulgeant. Non enim intendit nutrire pestes vitiorum de temporalibus bonis Ecclesiæ, quæ plenè novit ad sustentationem servorum Dei, in ejus servitio sacrificata esse Domino & oblata.*

S. Thomæ sententia de Beneficiorum pluralitate.

S. Thomas Quodlibeto ix. Quæst. vii. Articulo ii. quærit utrùm habere plures Præbendas sine cura animarum, absque dispensatione, sit peccatum mortale? Respondet: *Omnem quæstionem in qua de mortali peccato quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinari.* Hujus porro quæstionis *ambiguam* esse *veritatem. Cum enim ad Theologos pertineat, in quantum pendet ex Jure divino vel naturali, & ad Juristas, in quantum pendet ex Jure positivo, inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contrarie sentire. In Jure namque divino non invenitur determinata expressè, cùm in Sacra Scriptura expressa mentio de ea non fiat, quamvis ad eam argumenta ex aliquibus auctoritatibus Scripturæ forte adduci possint, quæ tamen non lucidè veritatem ostendunt. Determinanda verò eam secundùm Jus naturale, sic videtur ad præsens de ea dicendum, quòd actionum humanarum multiplex est differentia. Quædam habent deformitatem inseparabiliter annexam, ut fornicatio, adulterium, & alia hujusmodi. De numero talium non est habere plures Præbendas, ubi àt in nullo casu dispensationem recipere posset, quod nullus dicit. Quædam sunt actiones de se indifferentes ad bonum vel malum; inter quarum numerum quidam computant habere plures Præbendas. Sed hoc non videtur esse verum, cùm hoc quod est habere plures Præbendas, plurimas in se inordinationes contineat: utpote quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deservire, in quibus est Præbendatus, cùm Præbendæ videantur esse ordinatæ quasi quædam stipendia Deo ibidem ministrantium. Sequitur etiam diminutio divini cultûs, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus Beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest. Et multa alia hujusmodi, quæ de facili patent. Unde non potest contineri inter indifferentes actiones; & multò minus inter eas quæ sunt secundùm se bonæ, ut dare eleemosynam, & hujusmodi. Sunt verò quædam actiones, quæ absolutè consideratæ deformitatem, vel inordinationem quamdam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus, bonæ efficiantur; Sicut occidere hominem vel percutere, in se deformitatem quamdam importat: sed si addatur, occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum. In numero harum actionum videtur esse, habere plures Præbendas. Quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire, ita honestantes actum, quòd prædictæ inordinationes totaliter evacuantur; ut puta si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, & possit plus servire Ecclesiæ, vel tantumdem, absens quam alius præsens; & si quæ alia sunt hujusmodi. Et tunc istis conditionibus supervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum, etiam nullâ dispensatione interveniente, si consideretur tantùm Jus naturale: quia dispensatio ad Jus naturale non pertinet, sed solùm ad positivum. Si verò aliquis hac intentione plura Beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautius vivat, & ut faciliùs ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum ubi est Præbendatus, non tollantur prædictæ deformitates, sed augentur; quia cum tali intentione & unum Beneficium habere, quod nullam inordinationem importat, esset illicitum. Et sic quidem esset dicendum secundùm Jus naturale, nullo Jure positivo superveniente. Nunc autem certum est per antiqua Jura hoc esse prohibitum. Patet etiam huic prohibitioni consuetudinem esse contrariam, per quam quidam dicunt illa Jura esse abrogata. Nam per contrariam consuetudinem Jura humana abrogantur. Quidam verò dicunt per hanc consuetudinem antiqua Jura*

Multiplex inordinatio pluralitatis beneficiorum.

Nemini licet plura Beneficia Ecclesiastica habere ut lautius vivat.

non abrogari, eò quòd quædam Decretalis dicit: » Multa per patientiam tolerantur, quæ si in judi» cium fuerint deducta, justitia cogente cassarentur. *Et hæc controversia Juristis est relinquenda. Quamvis hoc videatur esse probabile, quod quantùm ad hoc quod Jura illa antiqua continent Jus naturale, abrogari non possint per contrariam consuetudinem, utpote irrationalem. Quantùm autem ad hoc quod solum de Jure positivo continent, possunt esse abrogata; præcipuè si dissimulantes hanc contrariam consuetudinem, in quorum potestate est Jus positivum mutare, intendunt per talem dissimulationem antiqua Jura mutare. Si ergo antiqua Jura, quæ hoc prohibent, in suo robore maneant, contraria consuetudine non obstante, certum est non posse aliquem plures Præbendas habere, absque dispensatione; etiam illis circumstantiis supervenientibus, quæ, secundum considerationem Juris naturalis, actum poterant honestare. Si autem antiqua Jura sunt per consuetudinem abrogata, tunc prædictis circumstantiis supervenientibus, etiam sine dispensatione, licitum est plures Præbendas habere. Sine quibus circumstantiis tutum non est, quantumcumque dispensatio interveniat; eò quod dispensatio humana non aufert ligamen Juris naturalis, sed solum ligamen Juris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.*

Insignium seculi 13. & 14. Theologorum sententia de Beneficiorum pluralitate.

Contra pluralitatem Beneficiorum eodem scripsere seculo insignes duo ex Ordine Prædicatorum Theologi, *Guillelmus Peraldus*, Lugdunensis, in Summa Virtutum & Vitiorum, Tractatu *De Avaritia*: Cap. XI. & *Udalricus* Argentoratensis, sive *De Argentina* dictus, in Summa Theologica. Ex utroque multa profert *Dionysius Carthusianus* in Tractatu singulari, quod eo de argumento edidit. Legatur & *Guillelmus Durandus* in Tractatu *De Modo Generalis Concilii celebrandi*, paulò ante Viennense Concilium edito, Rubrica XXI. P. II. cujus hic titulus est; *Ne quis in duabus Præbendis vel Ecclesiis intituletur, sed singula Officia & Beneficia singulis conferantur personis, cujuscumque status & conditionis existant.* Quod ubi ex Concilio Chalcedonensi, ex *S. Gregorio Magno*, ex Septima Synodo, ex Concilio Placentino sub *Urbano II.* ex *Innocentio III.* probavit: Ubi observavit ex hoc *parari generale præjudicium universali Ecclesiæ, quæ debitis Officiis & obsequiis, Rectoribus, Administratoribus, & defensoribus defraudatur: eleemosynæ subtrahuntur, personæ Ecclesiasticæ sic ditatæ in superbiam efferuntur: &,* (*secundum quòd dicitur Proverb.* I.) Eorum prosperitas perdit eos; *& dissolutionis materia ex hoc præstatur eisdem, & insolentia varia oriuntur: cultus divinus qui augeri debuerat, minuitur: & Officium, propter quod datur Beneficium, omittitur, & infinita alia mala subsequuntur.* His (inquam) observatis, subdit: *Etiam Theologorum communiter hæc habet opinio, quòd si unum habens Beneficium, de quo potest non lautè, nec ad elationem & pompam, sed convenienter & mediocriter sustentari, recipiat vel retineat aliud, mortaliter peccat.*

Certissima & tutissima Christianæ Moralis Regula de pluralitate beneficiorum.

Residentia Canonicis, Curatis, & omnibus curam animarum habentibus imperata.

XII. Canonicis & Curatis, omnibúsque Beneficia curam animarum habentia obtinentibus, Residentiam imperabat Ecclesia; ut docent *Innocentius III. C. Inter, De Clericis non residentibus*; cujus hæc sunt verba; *De Clericis qui Ecclesias vel Præbendas sibi concessas sine justa & necessaria causa deserunt, tuo præsertim non accedente consensu, hoc tibi duximus respondendum: quòd postquam congruo tempore fuerint expectati, nisi redierint ad illas, possunt eis justè privari: dummodo non sint justo impedimento detenti.* Et C. *Ex tuæ*, (ibidem) Panormitano Archiepiscopo sic respondet: *In Ecclesiis eorum qui se fraudulenter absentant, nec ad ipsos valet citatio pervenire, trinæ citationis Edictum facias publicari: & si nec sic curaverint obedire, & ultra sex menses suas deseruerint Ecclesias, juxta Sanctiones Canonicas, eis debent merito spoliari. Contra eos etiam procedatur, ut ipsos per suspensionis & excommunicationis Sententiam, ad tuam obedientiam venire compellas. Quòd si nec sic eorum malitia poterit emolliri, eos B. Tit. S. Susannæ Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, à spiritualium administratione removeat: & quibus præsunt Ecclesiis, de personis idoneis faciat provideri.*

Idem constat ex *Gregorio IX. C. Clericos*, cujus hæc sunt verba: *Clericos in Ecclesiis tuæ Jurisdictionis Beneficia, quæ Residentiam exigunt, assecutos; si ad alterius Diœcesim absque licentia tua, morandi causà transierint, liceat tibi, si moniti non redierint, dictis Beneficiis (nisi excusationem rationabilem ostenderint) spoliare.*

Concilium Coloniense anno MCCLX. Cap. X. Capellanos etiam Episcoporum ad Residentiam teneri declarat, *Nisi illo tantum tempore quando agunt suorum negotia Dominorum, etiam si negotia Ecclesiæ hoc exposcant.*

Concilium Londinense anno MCCLXVIII. *Ottobono* Sedis Apostolicæ Legato Præside celebratum, Canone IX. De Vicariorum seu Curatorum Residentia ita statuit: *Sacrorum Ordinum dispensatio, quasi clavis ad aperiendum varias portas salutis, & gratiæ spiritualis, hominibus est concessa, quam habere necesse est, ut clavis aperiat, qui curam obtinet animarum. Qui etiam clavem gestat, extra mansionem vagari non debet, ut paratus sit in statione continua vocantibus, & non vocantes suis exhortationibus, quasi Pastor solicitus ad se trahat. Hæc licet antiqua sanctorum Patrum decernat auctoritas: quia tamen ab iis, qui temporalem fructum plus diligunt quàm æternum, invenitur temerè non servatum, prædictus Legatus circa utrumque providè statuit inter alia, nullum de cætero ad Vicariam admittendum, nisi in Presbyterum jam ordinatum, vel saltem in Diaconum proximis temporibus ordinandum: qui renuncians aliis Beneficiis, si quæ habet curam animarum habentia, juret ibi Residentiam facere corporalem: Alioquin institutionem ipsius nullam fore decrevit, & Vicariam alii conferendam. Si quis contra hoc statutum Vicariam tenuerit, fructus suos non faciat sic perceptos, sed ipsos restituere teneatur: & ipsorum medietas Ecclesiæ, cujus est Vicaria, tradatur, in ipsius utilitatem modis omnibus convertenda: medietatis verò ulterius pars una in pauperes illius Parochiæ expendatur, & altera loci Archidiacono applicetur.*

Concilium Lugdunense II. anno MCCLXXIV. Canone XIII. statuit ut *Nullus ad regimen Parochialis Ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus scientia, moribus, & ætate... Is etiam qui ad hujusmodi regimen assumetur, ut gregis sibi crediti diligentius gerere curam possit, in Parochiali Ecclesia, cujus Rector extiterit, residere personaliter teneatur... Super Residentia verò facienda, possit Ordinarius gratiam dispensativè ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcet.* Decretum istud insertum est Sexto Decretalium, Tit. *De Electione & Electi potestate*, C. *Licet.*

Concilium Exoniense anno MCCLXXXVII. Canone XIX. statuit *Ut Rectores Ecclesiarum Parochialium, quibus ex suscepta cura regiminis, residendi onus incumbit, in ipsis personaliter resideant, iis duntaxat exceptis, quorum absentia per institutos Vicarios fuerit excusata; vel quorum Ecclesiæ Dignitati vel Præbendæ sunt annexæ, vel cum quibus ad obtinendum plura Beneficia à Sede Apostolica dicitur dispensatum.*

Bonifacius

Bonifacius VIII. omnes Indulgentias à se vel à suis Prædecessoribus concessas Clericis de percipiendis perpetuò Beneficiorum suorum fructibus, etsi ab Ecclesiis suis abessent, revocavit Decretali, *Quia per ambitiosam*, Tit. *De Rescriptis*, in Sexto, cujus hæc sunt verba: *Quia per ambitiosam importunitatem petentium, tam Nos, quàm nonnulli Prædecessores nostri Romani Pontifices, indulgentias perpetuas multis concessimus de percipiendis fructibus Beneficiorum suorum, distributionibus quotidianis duntaxat exceptis, sive in Scholis essent, sive in Ecclesiarum suarum altera residerent, aut in Romana Curia moram traherent, seu alio certo loco, vel etiam ubicumque: ex quo insolentia oriuntur vagandi, & dissolutionis præparatur materia, minuitur cultus divinus, quem desideramus augeri: & Officium plerumque, propter quod Beneficium Ecclesiasticum datur, omittitur. Nos volentes emendare præterita, & quantum possumus, adversus futura cavere; omnes hujusmodi & similes indulgentias, personis, non Ecclesiis vel Dignitatibus datas, penitus revocamus: & earum concessionem nostris volumus exulare temporibus. Quodque nobis licere non patimur, nostris Successoribus indicamus.*

Rationes Cle[illegible] à Resi[illegible] [illegible] excusandi.

A Residentiæ lege pro tempore dispensabantur Studentes, & Professores. Studentibus favet Innocentius III. C. *Tua, De Clericis non residentibus*, quo Antissiodorensi Episcopo hunc in modum respondet: *Quæsivisti præterea, ut cùm interdum Canonici, quibus studiorum gratia est indultum, ut in absentia sua fructus percipiant Præbendarum suarum, accepta licentia se ad villas transferunt vel castella, in quibus nullum est vel minus competens studiorum exercitium: utrum Præbendarum suarum fructus sint talibus conferendi? Ad quod breviter respondemus: Eis qui hujusmodi fraudem committunt (Cum fraus & dolus nemini debeat patrocinium impertiri) præfatam indulgentiam competere non debere.* Itaque si in celebri Studio literis operam darent, eo privilegio fruebantur.

Studentium & Professorum dispensatio.

In Studentium unà & Professorum gratiam edita est Decretalis Honorii III. *Super specula*. *De Magistris*; cujus hæc sunt verba: *Volumus & mandamus, ut Statutum in Concilio Generali de Magistris Theologis per singulas Metropoles statuendis inviolabiliter observetur: Statuentes ut quia super hoc propter varietatem Magistrorum se possent aliqui forsitan excusare, ab Ecclesiarum Prælatis & Capitulis, ad Theologicæ Professionis Studium aliqui docibiles destinentur, qui cum docti fuerint, in Dei Ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti: ex quibus postmodum copia possit haberi Doctorum: qui velut stella in perpetuas æternitates mansuri, ad justitiam valeant plurimos erudire: quibus si proprii proventus Ecclesiastici non sufficiunt, prædicti necessaria subministrent. Docentes vero in Theologica Facultate, dum in Scholis docuerint, & Studentes in ipsa, integrè per annos quinque percipiant, de licentia Sedis Apostolicæ, proventus Præbendarum & Beneficiorum suorum: non obstante aliqua alia consuetudine vel Statuto, cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes.* Hanc *Honorii III.* Decretalem *Clemens V.* anno MCCCVIII. *Joannes XXII.* anno M.CCXXXI. *Clemens VI.* annis MCCCXLII. & MCCCXLVI. con[illegible]m tunt.

Concilium Budense anno MCCLXXIX. Canone XXXVIII. Archidiaconis, quos Juri Canonico triennio ad minus studere jubet nisi jam in eo eruditi promoti sint, indulget ut infra [illegible]ennium quo hujusmodi studio vacabunt, *Archidiaconatuum & aliorum Beneficiorum suorum fructus & proventus cum ea integritate percipiant, cum qua ipsos perciperent, si in dictis Archidiaconatibus vel Beneficiis personaliter morarentur, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis.* Hæc Ecclesiarum Hungariæ & Poloniæ disciplina fuit. Necessarium quippe visum est ut Archidiaconi Juris Canonici periti essent, ut causas Ecclesiasticum ad Tribunal delatas vel spectantes secundùm jus & æquum dirimere possent.

Nicolaus IV. Ulyssiponensem Academiam erigens statuit: *Ut universi Magistri actu Regentes in civitate prædicta, proventus Præbendarum & Beneficiorum suorum, etiamsi Personatus & Dignitates existant, quotidianis distributionibus exceptis, integrè percipere valeant.* Diploma legere est apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum MCCXC. Num. LIII.

Bonifacius VIII. Decretali, *Cum ex eo, De electione & electi potestate*, in Sexto, indulget ut Episcopi dispensare possint cum Clericis, qui ad Parochiales Ecclesias sunt promoti, ut toto septennio Studiis vacent, nec ad Sacerdotium interim, sed ad Subdiaconatum duntaxat promoveri, nec residere teneantur: modò idoneus in illis Ecclesiis constituatur Vicarius ex fructibus Beneficii sustentandus. *Nos*, inquit, *volentes cupientibus in scientia proficere, ut fructum in Dei Ecclesia suo tempore afferre valeant opportunum, utiliter providere: præsenti Constitutione sancimus, ut Episcopi, eorùmque Superiores, cum his qui hujusmodi subjectas sibi Ecclesias obtinent, vel obtinuerint in futurum, dispensare possint liberè, quòd usque ad septennium literarum studio insistentes promoveri minimè teneantur, nisi ad Ordinem Subdiaconatûs duntaxat... Porro septennio prædicto durante, iidem Episcopi & Superiores solicitè providere procurent, ut per bonos & sufficientes Vicarios ab eis in hujusmodi Ecclesiis deputandos, animarum Cura diligenter exerceatur, & deserviatur laudabiliter in Divinis: quibus de ipsarum Ecclesiarum proventibus necessaria congruè ministrentur.*

Canonici Episcopo in Ecclesiæ regimine assistentes, residere censentur.

Qui Episcopo in Ecclesiæ regimine assistebant, aut in Sedis Apostolicæ obsequio detinebantur, infirmi præterea, aut Ecclesiæ propriæ negotiis occupati, à Residentia legitimè dispensati censebantur. Id constat ex Decretali *Ad audientiam*, *De Clericis non residentibus*, quæ est *Honorii III.* Meldensi Episcopo rescribentis: *Ad audientiam nostram pervenit, quòd cum in Meldensi Ecclesia quædam sit Constitutio vallata Juramento, auctoritate Sedis Apostolicæ confirmata, ut Canonici qui non resident in eadem, suarum priventur fructibus Præbendarum illis exceptis quos infirmitas excusaret, sive in Apostolicæ Sedis servitio contingeret detineri: Decernimus, ut duo ex Canonicis Ecclesiæ memoratæ, in tuo servitio existentes, suarum fructus integrè percipiant Præbendarum: cùm absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo & ipsius Ecclesiæ servitio commorantur.* Idem Pontifex C. *Cum dilectis*, Capitulo M[illegible]tensi jubet ut *Ottonem* Canonicum in Sedis Apostolicæ obsequio detentum, Præbendæ suæ fructus percipere sinat. *Mandamus, quatenus non obstante Constitutione, quæ contra absentes Canonicos inter vos dicitur emanasse, fructus Præbendæ assignetis eidem in nostro servitio commoranti: Cùm familiares nostri, qui circa nos se obsequiales exhibent universis, minori non debeant prærogativa gaudere, quàm vestrûm singuli, quorum negotia per ipsos sæpius promoventur.*

Et multo magis qui in Sedis Apostolicæ obsequio [illegible].

Quotidianæ distributiones quibus debitæ.

Bonifacius VIII. Cap. *Consuetudinem, De Clericis non residentibus*, in *Sexto*, distributiones quotidianas Canonicis & aliis Beneficiatis & Clericis duntaxat dari jubet, qui Divinis Officiis in Ecclesiis ipsis adfuerint. *Qui verò aliter de distributionibus ipsis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas: immo* ad

ad omniam restitutionem, qua contra hujusmodi nostram Constitutionem receperis, teneatur.

Cappellani Regum à Residentia dispensati.

Dispensabantur denique à Residentiæ lege Capellani & Clerici Regum Christianissimorum & Reginarum *obsequiis insistentes*, quibus hanc gratiam Diplomatibus suis fecere Alexander IV. Martinus IV. Gregorius X. Joannes XXII. & Clemens VI. ut refert. *I. Tilletius* in Collectione de Regibus Franciæ, ac eorum Corona, & Domo pag. 439. 447. 452. 454. Extant in Regio Chartulario. Eodem Privilegio Clerici obsequiis Regum Angliæ intendentes fruebantur, ut constat ex Responsis *Eduardi II.* ad Articulos à * Clero Anglicano suæ Majestati oblatos. Sic enim ad VIII. respondet: *Placet Domino Regi, quod Clerici suis obsequiis intendentes, si delinquant, per Ordinarium, ut cæteri, corrigantur. Sed tempore quo occupantur circa Scaccarium**, *ad Residentiam in suis faciendam Ecclesiis non tenentur. His additur sic de novo, per Consilium Domini Regis, Rex & Antecessores sui, à tempore cujus contrarii memoria non existit, usi sunt: quod Clerici, suis immorantes obsequiis, dum obsequiis illis intenderent, ad Residentiam in suis Beneficiis faciendam minimè compellantur: Nec debet dici tendere in præjudicium Ecclesiastica libertatis, quod pro Rege & Republica necessarium invenitur.*

Anno MCCCXVI

* L'Echiquier.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, Num IV. pag. 82. & seq. Religiosi Censores has propositiones notant: *Ecclesia Gallicana Pontificiis Reservationibus non præbuit assensum; nec Anglicana... Restitit huic Reservationi etiam S. Ludovicus.*

R. Facta sunt Historica, certis documentis à me probata.

SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum, pag. 90. ejusdem Editionis, Religiosi Censores hanc notam apposuerunt: *Exaggerat abusum Reservationum.*

R. Non ego, sed Anonymus Episcopus Gallicanus hunc abusum exaggerat Oratione habitâ in Concilio Viennensi, quam ex MS Vaticanæ Bibliothecæ exhibet *Odoricus Raynaldus* in Annalibus Ecclesiasticis.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, Num. V. pag 93. ejusdem Editionis, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Ad primas Regum preces Beneficia conferebantur.*

R. Historiæ res est, certis documentis probata.

SCHOLION IV.

In eodem Articulo, Num. VI. pag. 96. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Reges jure Regalia in Gallia nonnulla Beneficia conferebant.*

R. Id certissimum, & quantum necesse erat, en loci probatum ex *Gaufrido de Belloloco* in Vita *S. Ludovici* Regis Francorum.

ARTICULUS IV.

De Canonicis & Clericis Regularibus.

Episcopi Cathedralium suarum Canonicos ad Vitæ Regularis professionem compellere poterant.

I. EPiscopi Canonicos Cathedralium suarum ad Vitæ Regularis Professionem compellere poterant, ut ex Decretali, *Quoniam à Gregorio IX.* promulgata, Tit. *De vita & honestate Clericorum*, compertum est. *Statuimus, ut facultatibus Ecclesiarum vestrarum, proventibus & expensis diligenter inspectis, certum in eis valeatis ponere numerum Clericorum: & statuere ut bona eorum veniant in commune, in una domo vescantur, atque sub uno tecto dormiant & quiescant. Si qui verò contradictores exstiterint, licitum vobis sit per suspensionem Officii & Beneficii, aut graviori etiam pœna, si opus fuerit, ad hanc observantiam eos appellatione compellere non obstante.* Hac procul dubio Constitutione fretum Concilium Coloniense anno MCCLX. Vitam Regularem & communem in omnibus ejusdem Provinciæ Capitulis restituit Canone VII. *Benedictus XII.* Constitutione quæ incipit, *Ad decorem*, data Avenione Idibus Maii, anno M. CCCXXXIX. Canonicorum Regularium Ordinis *S. Augustini* reformationem edixit. (Tom. XI. P. II. Conciliorum Editionis Labbeanæ.)

Congregatio Fratrum Vitæ Communis.

II. *Gerardus Magnus*, Daventria oriundus, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, Ultrajectensis & Aquisgranensis Canonicus, Beneficiis, opibusque dimissis, Congregationem *Fratrum Vita Communis* Daventriæ instituit. Quod Institutum postea per Germaniam inferiorem latè propagatum est. Canonici Regulares non erant, sed Clerici nullo voto obligati. Bona si quæ haberent, in commune conferebant, cùm in Societatem admittebantur, jusque illa repetendi, si è Congregatione illos exire contingeret, se in perpetuum abdicabant. Labore manuum in describendis SS. Patrum libris vitam sustentabant. Scholas etiam aperuere, instituendæ in literis humanioribus, simulque Christianæ vitæ præceptis Juventuti. *Fratres Bona Voluntatis* etiam appellati leguntur. Hujus Congregationis Historiam scripsit *Aubertus Miraus*, & Romanorum Diplomata Pontificum in eorum gratiam data, etiam post Concilium Constantiense, in quo contra membra quædam distorta dumtaxat hujus Sanctæ Societatis actum est, in lucem edidit. Obiit *Gerardus Magnus* anno Christi MCCCLXXXIV. die XX. Augusti. Ipsi hoc Elogium inscripsit *Vuillelmus* Cantor Pariensis, & Ecclesiæ Leodiensis Archidiaconus:

Gerardi Magni elogium.

Sacra recordationis Magister Gerardus, dictus Magnus, feliciter migravit ad Dominum, & verè Magnus, qui in omnibus scientiis liberalibus, Naturalibus, Moralibus, Civilibus, Canonicis & Theologicis, nulli erat secundus in orbe. Erat enim tamen sanctitatis exemplar in mortificatione carnis, in abnegatione temporalium, & contemptu mundi, in fraterna charitate ad omnes, in desiderio salutis animarum, in efficacia prædicationis, in reprobatione & detestatione vitiorum, in opponendo se hæreticis, in persequendo secundum Jura Canonica concubinarios in convertendo ad vitam spiritualem viros ac mulieres prius secundum sæculum viventes, in fidelitate ad Dominum nostrum Urbanum VI. quod multa millia personarum testantur. Gerardi & aliorum quorumdam insignium ac piorum hujus Congregationis virorum Vitas literis mandavit Venerabilis *Thomas à Kempis*. Eumdem celebrat *Molanus* in Chronico & in Natal. SS. Belgii. Chronicon Magnum Belgicum ad annum MCCCLXXI. *Gerardum modernæ devotionis fontem & originem* prædicat. Congregatio *Fratrum Vitæ Communis*, appellata etiam est *Vvindesimensis*, à loco ubi primam erexere Domum. De ipsis legendus etiam *Pennotus*, Historiæ Tripartitæ lib. II. capp. LXIII. LXIV & LXV.

ARTICULUS V.

De Monachis, & Sanctimonialibus.

Ordo Pauperum Catholicorum. A quibus institutus & confirmatus.

I. NOvos Ordines XIII. & XIV. Seculo peperit Ecclesia. *Pauperum Catholicorum* Congregationem in Provincia Tarraconensi instituerunt *Bernardus Primas*, & *Durandus de Osca*, Valdenses

denses olim vel Albigenses Hæretici, ad fidem Catholicam conversi, qui rebus omnibus addicatis, pauperem vitam professi, & consilia Evangelica amplexi, jejuniis & orationibus, lectioni, exhortationi ac disputationi adversùs Hæreticos se ipsos consecrarunt. Horum fidem & Instituti rationem approbavit *Innocentius III.* anno MCCCXV. ut constat ex ipsius Epistolis LXXVII. LXXVIII. & XCIV. libri XIII. necnon ex Epist. LXXXII. & CXXXVII. libri XV. His porro verbis concepta eorum Regula est. *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatissimæ semper Virginis Mariæ, ad ædificationem universalis Sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad salutem animarum nostrarum, & omnium ad quorum aures pervenerit. Sicut fideliter credimus corde, Fidem Catholicam per omnia & in omnibus integram & inviolatam, quemadmodum in literis nostræ examinationis expressum est, ore firmiter confiteri & enuntiare & prædicare proposuimus, & usque ad animam & sanguinem adversùs omnes sectas hæresum defendere viriliter promittimus, consistentes sub Magisterio & regimine summi & veri Magistri Domini nostri Jesu Christi, ac piissimi Vicarii ejus Papæ Innocentii, & Successorum ejus, semper permanentes tam corpore quàm spiritu in communione Sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ, quam Sanctam, & Catholicam, & Apostolicam semper & ubique confitemur & prædicamus, extra quam neminem salvari fatemur. Sed quia fides sine operibus mortua est, seculo abrenunciavimus, & quæ habebamus, velut à Domino consultum est, pauperibus erogavimus, & pauperes esse decrevimus, ita quod solliciti esse de crastino non curamus, nec aurum vel argentum vel aliquid tale, præter vestimentum & victum quotidianum; à quoquam accepturi sumus. Consilia quoque Evangelica velut præcepta servare proposuimus. Et quanquam Officium nostrum sit præcipuè ut omnes discant Scripturas Sacras, & omnes idonei exhortentur, tamen, dum tempus ingruit, propriis manibus laboramus; ita duntaxat ne pretium accipiamus conventum. Nam cùm ex magna parte Clerici simus, & penè omnes litterati, lectioni, exhortationi, doctrinæ, disputationi contra omnes errorum Sectas decrevimus desudare, disputationes tamen à doctioribus fratribus in Fide Catholica comprobatis & instructis in Lege Domini dispensari, ut adversarii Catholicæ & Apostolicæ fidei cognoscant veritatem, & resipiscant à laqueis diabolici erroris, quibus tenentur capti. Cum Prælatorum verò licentia & veneratione debita, per idoneos fratres & in Sacra Pagina instructos, qui potentes sint in sana doctrina arguere gentem errantem, & ad fidem modis omnibus trahere, & in gremio Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ studebimus revocare. Denique licèt dicat Christus:* Oportet semper orare, & nunquam deficere; *& Apostolus:* Sine intermissione orate: *tamen quidam nostrorum per viginti quatuor vices inter diem & noctem, alii quindecies, alii duodecies, qui autem minùs, septies, pro omnibus hominibus secundùm eorum gradus orant. Continentiam perpetuam & castimoniam vel virginitatem inviolabiliter conservando, suspectum mulierum consortium devitando, ut nemo nostrûm solus ad solam, nec etiam ad loquendum, nisi audientibus aut videntibus legitimis testibus & certis personis, accedat. Nunquam in una domo fratres & sorores præsumant dormire, nunquam ad unam mensam residere. Ecclesiastica Sacramenta suscipiemus ab Episcopis & Sacerdotibus, in quorum Diœcesibus & Parochiis commorabimur, & eis obedientiam debitam & reverentiam exhibebimus. Per honestiores autem & instructiores in Lege Domini, & in Sanctorum Patrum sententiis, verbum Domini censuimus proponendum, de Prælatorum Ecclesiæ conscientia & consensu, Fratribus & amicis, Clericis & Laicis, ut discant necessaria pro Hæreticis convertendis. In omnibus verò Episcopatibus, Diœcesibus, vel Parochiis, in quibus sumus vel fuerimus, disposuimus jejunare secundùm morem & consuetudinem Prælatorum, & Catholicorum virorum illarum Provinciarum, tam in Vigiliis, quam in Jejuniis Quatuor Temporum & Quadragesimæ. Ad mensam quoque semper legendum in domo qua fuerimus conversati, ex quo numerum excedimus octonarium. Silentium similiter data benedictione usque ad peragendas gratias observandum, nisi ob correctionem Lectoris, aut ob explanationem lectionis. Qui verò secularium nobis credunt, si quibuscumque aliquid per aliquam fraudem habuerint, necesse est, si potuerint, & nobis acquiescere voluerint, ut ipsis, & non aliis restituant. Decimas siquidem & primitias & oblationes, & cætera secundùm usum locorum servitia Prælatis & aliis Clericis, sub quorum Diœcesibus vel Parochiis victitaverint, fideliter persolvant, quod omnibus fidelibus Christianis efficaciter suademus. Religiosum & modestum habitum ferre decrevimus, qualem ex voto consuevimus deportare; utendo de cætero calceamentis communibus, ad consilium & mandatum Summi Pontificis, pro tollendo scandalo quod contra nos movebatur de calceamentis desuper apertis, quibus uti hactenus solebamus.* Hanc Congregationem diu non stetisse discimus ex *Guillelmo de Podio Laurentii*, in Chronico; sive à prima puritate ac fervore sensim defecerit, seu fortè à Franciscano & Dominicano paulò post exortis Ordinibus fuerit absorpta.

Regula.

II. *Ordo Humiliatorum*, post varias ab annò MXVII. mutationes, meliorem in statum redactus, ab *Innocentio III.* anno MCC. confirmatus est. Benedictinam Regulam magna ex parte profitebantur. In ipsos iniquior est Urspergensis Abbas, cùm scribit ipsos Prædicationis munus usurpasse & administrationi Sacramentorum temerè se ingessisse absque licentiâ Prælatorum, & FF. Prædicatores in eorum locum institutos. Huic Authori *Jacobum de Vitriaco* oppono, qui *Humiliatos* maximis ornat laudibus Cap. XXVIII. Historiæ Occidentalis. *Fratres eorum* (inquit) *tam Clerici, quàm Laici literati, à Summo Pontifice, qui Regulam eorum, & Canonica Instituta confirmavit, auctoritatem habent prædicandi, non solùm in sua Congregatione, sed in plateis & civitatibus, in Ecclesiis secularibus, requisito tamen consensu illorum, qui præsunt locis illis, Prælatorum... Adeo formidabiles Hæreticis, quos Patarenos appellant, effecti sunt, & ita potenter & apertè fraudes eorum detegendo, impios & incredulos ex Divinis Scripturis prudenter convincunt, & publicè confundunt, quòd jam coram ipsis non audent comparere; multique ex ipsis errorem suum cognoscentes, ad Christi fidem reversi, ipsis Fratribus conjuncti sunt, & ita facti sunt discipuli veritatis, qui fuerant Magistri erroris.* De Humiliatis etiam legendi *Philippus Bergomensis* in Supplemento, ad annum MCLXXXIX. & *S. Antoninus* II. P. Chronici Tit. XV. Cap. XXIII. Hunc Ordinem extinxit Sanctissimus Pontifex *Pius V.*

Ordo Humiliatorum.

Urspergensis Abbas emendatur.

III. *Ordo Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum*, authores habuit *Joannem de Mata*, ex Provincia oriundum, in Sacra Facultate Parisiensi Doctorem, & *Felicem* Anachoretam Valesiensem. Qui cùm in loco qui *Cervus Frigidus* appellatur, in Diœcesi Meldensi, triennio vitam solitariam egissent, Romam ad *Innocentium III.* Pontificem Maximum tunc profecti, ut certam Vitæ Regularis normam à Sede Apostolica acciperent, Christi Vicario rem sacram facienti v. Kalendas Februarii

Ordo Sanctissimæ Trinitatis.

Ordinis Conditores.

* Cerfroy.

Februarii quo *S. Agnetis* memoria secundò recolitur, Angelus candore multo fulgens apparuisse perhibetur, cancellatis manibus duos tenens captivos, Christianum unum, Maurum alterum, tanquam eos commutaret. Huic Angelo Crux rubei & cærulei coloris ad pectus eminebat. Quo viso, & re divinâ confectâ, Pontifex *Joannem* & *Felicem* ad se vocans, ipsis eorúmque Sociis candidas vestes, superadditâ cruce tribuit, novúmque Ordinem approbavit sub titulo *Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum*, cum onere captivos Christianos ab Infidelium servitute liberandi.

Approbatio.

Regulam ipsis tradidit; cujus hæc præcipua capita: *Fratres domus Sanctæ Trinitatis, sub obedientia Prelati domus suæ, qui Minister vocabitur, in castitate & sine proprio vivant. Omnes res undecumque licitè veniant, in tres partes dividant æquales. & in quantum duæ partes sufficient, exequantur ex illis opera misericordiæ, cum sui ipsorum & eis necessario famulantium moderata sustentatione: Tertia verò pars reservetur ad redemptionem captivorum, qui sunt incarcerati pro fide Christi à Paganis, vel dato pretio rationabili pro redemptione ipsorum, vel pro redemptione Paganorum captivorum, ut postea rationabili commutatione & bona fide redimatur Christianus pro Pagano, secundum merita & statum personarum.* Jejunium ab Idibus Septembris secunda, quarta, & sexta feria, & sabbatho, nisi solemnis Festivitas intervenerit, usque ad Pascha ipsis præcipitur, à quo tamen Minister justis de causis dispensare possit. Carnibus datis ab his qui foris sunt, vel sumptis de propriis nutrituris, ipsis vesci licet Dominicis tantùm diebus à Pascha usque ad Adventum Domini, & à Natali usque ad Septuagesimam, & in Nativitate & Epiphania Domini, in Ascensione Domini, in Assumptione & Purificatione Beatæ *Mariæ*, & in Festivitate omnium Sanctorum. Nihil ad victum emere ipsis licet, præter panem, & pulmentum, scilicet fabas, & pisa, & hujusmodi legumina, olera, oleum, ova, lac, caseos, & fructus: non verò carnes, pisces, aut vinum, nisi ad necessitatem infirmorum, aut minutorum, vel pauperum, aut in magnis Solemnitatibus. In Ordinem nemo recipi debet, nisi vigesimum annum compleverit. Nihil pro receptione exigendum. In Divinis Officiis morem Cœnobii *S. Victoris* Parisiensis sequuntur. Si quisquam bona temporalia domus usurpaverit, vel retinuerit, [illegible]i Judicem oportuerit referri, non ante hoc fiat quàm Fratribus primò, post ab aliis vicinis ex charitate moneatur.

Regula Fratrum Ordinis sanctissimæ Trinitatis.

Inserta hæc Regula est Epistolæ *Innocentii III.* CCCCLXXXI. libri I. qua ipsam approbavit anno MCXCVIII. Pontificatus sui primo. Ordinis Institutionem finémque *Miramolino* Regi Marrochetanorum & ejus subditis significavit literis datis anno sequenti, Idibus Martii, ut faciles se redemptioni & permutationi captivorum præberent. (Epist. IX. libri II.) Eamdem Regulam Ordinémque *Honorius III.* confirmavit.

Ordinis Confirmatio.

Hanc postea ab Episcopo Parisiensi, & Abbatibus *S. Victoris* & *S. Genovefæ* auctoritate Apostolica recensitam, correctam, & mitigatam, *Clemens IV.* edita Constitutione, quæ incipit: *In Ordine vestro*, roboravit, promulgavítque anno MCCLXVII.

Regula mitigata.

Immunitatem ab Ordinariorum Jurisdictione Ordini concessit *Clemens V.* ac Sedi Apostolicæ immediatè subjecit. De hujus Ordinis fundatione legendi *Robertus Gaguinus*, l[illegible] VI. Historiæ Francorum, *Silvester Maurolicus* in [illegible]ati Oceano omnium Religionum, lib. III. *Chassanæus*, Catalogi Gloriæ Mundi, P. IV. Consideratione LXIII. *Sabellicus* lib. I. Enneade IX. *Mirans* Originum Monasticarum lib. I. c. VIII. *Pancirolus* in Thesauro Urbis Romæ, *Sammarthani* Fratres Tom. IV. Galliæ Christianæ pag. 978. & alii. Ipsum ante hos omnes egregiè commendavit *Jacobus de Vitriaco* Cap. 20. Historiæ Occidentalis. Obiit Beatus *Joannes de Matha*, Ordinis Conditor Romæ XXI. Decembris anno MCCXIII. & in Ecclesia *S. Thomæ de Formis* sepultus est. Generales Ordinis Ministri in Gallia residentes, Galli sunt semper; eorum electio ad Gallos solos, & inter eos ad solos quatuor hujus Ordinis Provinciarum, Franciæ videlicet, Campaniæ, Picardiæ, & Normanniæ Ministros pertinet.

IV. *Ordo Vallis Scholarium* à *Guillelmo* Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, *Richardo*, *Euvrardo*, & *Manasse* ejusdem Academiæ Magistris, & *Federico* Decretorum Doctore, Catalaunensi Episcopo electo & confirmato, qui Religiosæ Vitæ, paupertati, & solitudini postposuit Infulas, in Diœcesi Lingonensi anno MCCXIX. auctoritate *Guillelmi Joinvillæi* Lingonensis Episcopi institutus est.

Ordo Vallis Scholarium.

A quibus conditus.

Ipsis adjuncti XXXVII. Scholastici, sub Regula *S. Augustini* Deo militare decreverunt ac voverunt, in valle ipsis à *Guillelmo* Præsule assignata, quæ inde *Vallis Scholarium* appellata est. Quod etiam Ordini nomen adhæsit.

Regula.

Habitum, Divinique ritum Officii à Regali Cœnobio *S. Victoris* Parisiensis mutuati sunt. Ad Regulam certas Constitutiones addidere, quas legere est Spicilegii Dacheriani Tomo VIII. pag. 227.

Constitutiones.

Ipsis vetitum erat pro rebus temporalibus litigare. *Ablata*, (inquit Constitutio) *Judicio non repetent: immo si quis eis injuriosus exstiterit & molestus, accedent ad Episcopum loci, dicentes: Pater, nolumus vos ignorare, quoniam ille talis nobis molestus est, & ecce isti quomodo res se habeat, non ignorant: ab eis, si placet, rem inquirite.* Ordinem confirmavit *Honorius III.* Pontifex Maximus anno MCCXVIII.

Confirmatio.

Lege Authoris Anonymi Narrationem *De Institutione Ordinis Vallis Scholarium* Tom. I. Bibliothecæ Novæ MSS. Librorum à *P. Labbe S. I.* editæ, pag. 391. *Martinum Polonum* lib. IV. Chronici, *Renatum Chopinum* lib. I. *Monastici*, Tit. I. Num. 13.

Huic Ordini coævus fuit *Ordo Vallis Caulium*, in Diœcesi pariter Lingonensi, à *Viardo* quodam, sub Cistercensium Regula institutus, cujus austeriorem observantiam describit & commendat *Jacobus de Vitriaco*, Historiæ Occidentalis Cap. XVII.

Ordo Vallis Caulium.

V. Ordini *FF. Prædicatorum* initium dedit *S. Dominicus*, ex Nobilissima Gusmanorum Domo Calaroga in Hispania natus anno MCLXX. patre *Felice Gusmano*, matre *Joanna de Aza*.

Ordo FF. Prædicatorum.

Ordinis conditor S. Dominicus.

Studiis Palentiæ fœliciter peractis, à Venerabili *Didaco* Oxumensi Episcopo inter Canonicos Regulares ejusdem Ecclesiæ susceptus est anno MCXCIV. Romam pietatis ergo profectum Præsulem *Dominicus* comitatur. Ab *Innocentio III.* ad Albigensis Hæresis expugnationem, & conversionem Hæreticorum Pontifex utrumque mittit. Quo in munere cùm biennium Apostolico fervore *Didacus* Præsul sanctus & Dominicus insumpsissent, cum Apostolicis Legatis *Petro de Castro Novo*, *Rodulpho*, & *Arnaldo* Cisterciensi Abbate, aliisque duodecim ejusdem Ordinis Abbatibus; *Didacus* in Ecclesiam suam reverti decrevit, Fratre *Dominico* duce Prædicationis adversùs Albigenses paucis cum Sociis, (Nam & Cistercienses Abbates discesserant) relicto. Novem annos in Hæresis confutationem, in Prædicationem ac defensionem fidei, Vir Dei incubuit; verbo, precibus, miraculis, Catholicam Religionem in Provincia Narbonensi sustentavit: Novis additis Sociis, Prædicatorum Ordinem instituit, *Fulcone* Tolosatum Episcopo, & *Simone Montisfortis* Comite faventibus, anno Christi MCCXV. Præsul, Comes, aliique Nobiles viri

Ordinis confirmatio.

viri castra, villas, prædia, domos, Ecclesias, sacras A decimas, Religiosis Prædicatoribus ad vitæ sustentationem piâ munificentiâ contulere. Ordinem approbavit *Innocentius III.* ostensa cœlesti visione ruentis Basilicæ Lateranensis, quam *S. Dominicus* subjectis humeris sustineret. Ne verò recens Lateranensis Concilii Decretum de novis Religionibus non instituendis violari statim videretur, jussu Pontificis Maximi approbatam ab Ecclesia Regulam, Sancti scilicet *Augustini*, quam olim inter Oxomenses Canonicos professus fuerat, communicato cum suis consilio elegit. Primum Ordinis Cœnobium Tolosæ ad *S. Romani* conditum est, quam B illis Ecclesiam *Fulco* Religiosissimus Præsul contulerat. Novum Ordinem confirmavit *Honorius III.* apud *S. Sabinam XI.* Kalendas Januarii anno MCCXVI. Diplomate quod incipit, *Religiosam vitam*: cum possessionibus, Parochialibus Ecclesiis, & decimis. Unde refellitur *Flaminius*, qui *S. Dominicum* ante confirmatum Ordinem possessiones abdicasse scripsit. Id enim dumtaxat factum est post quadriennium ab Ordinis confirmatione, in primis Comitiis Generalibus Bononiæ celebratis anno MCCXX. Cum Ordine institutum est Sacræ Inquisitionis adversùs hæreticam pravitatem Officium, C quod *S. Dominicus* Innocentii III. & Honorii III. auctoritate in Provincia Narbonensi, & maximè Tolosæ, & Carcassonæ, exercuit.

Regula.

S. Dominicus primus adversus hæreticam pravitatem Inquisitor.

Rosarium B. Virginis à S. Dominico institutum.

Ab eodem Sancto Patriarcha *Rosarii* Beatæ Virginis Deiparæ, afflante Spiritu Sancto, ipsa cœlorum Regina revelante, inventa devotio est, quam Albigensium impietati opposuit, suisque alumnis prædicandam tradidit: quod non solùm Ordinis Scriptores referunt, sed Summi Pontifices *Leo X. Pius V.* & *Sixtus V.* Apostolicis Diplomatibus profitentur, quorum verba legere est apud *Malvendam* in Annalibus, ad annum MCCXV. p. 132. Nec D persuadet contrarium *Theodorici de Appoldia* eade re silentium in Vita *Sancti Dominici* & *Thomæ Cantipratensis* lib. II. cap. XXIX. Articulis VI. & VIII. tres Salutationum Angelicarum quinquagenas à quibusdam Beatæ Mariæ Virgini devotis recitari solitas memorantis, de Authore verò devotionis bujus nihil dicentis. Satis enim notum est quàm leve sit negantis argumenti pondus contra positiva disertáque testimonia. Sanè Rosarii originem quidam ad Sanctum Benedictum, alii ad Venerabilem Bedam, alii ad Petrum Eremitam frustra referunt. Ævo Sancti Benedicti aut Venerabilis Bedæ, Salutationis Angelicæ in precibus recitandæ usum nondum invaluisse, probat doctis- E simus *Mabillonius*, Præfatione in Sæculum V. Benedictinum, Christianíque nominis decimum. In omnibus enim Statutis, quæ cunctis quid sciendum, aut quid discendum sit explicant, sola Oratio Dominica & Symbolum Apostolorum proponuntur. Sanctus Eligius in Homiliis ad Populum à Sancto Audoëno relatis: *Symbolum & Orationem Dominicam cum fide & devotione dicite.* Ita fere apud Bedam in Epistola ad Egbertum à Waræo edita, in libello Pirminii Abbatis edito à Dom. Mabillonio Tom. IV. Veterum Analectorum, apud Abitonem seu Attonem Basileensem, Theodulfum F atque Walterum in suis Capitularibus, Aurelianenses sæculo IX. & X. Episcopos. Ita in Sermone Leonis Papæ Quarti: *Attendite ut Parochianis vestris Symbolum Apostolorum & Orationem Dominicam insinuetis.* Quæ verba repetit etiam Ratherius Veronensis Episcopus in sua Synodica. Nec alia modo loquuntur Concilia Cloveshoviense in Anglia, Canone X., & Germanica, Francofordiense, Moguntinum anni 813. & alia. In libro Precum Hemmæ Reginæ, Lotharii Regis Christianissimi conjugis, qui in Bibliotheca Remigiana asservatur, Oratio Dominica & Symbolum descripta sunt, non Angelica Salutatio. Venerabilis Beda Fidelibus Idiotis Symbolum & Orationem Dominicam in linguam Anglorum translatam obtulit, ut ipse testatur in Epistola ad Egbertum; & ab omnibus sua lingua dici, ac sedulò decantari postulavit, nullâ Salutationis Angelicæ mentione factâ. Denique Salutatio ista Fratribus Laicis & illiteratis non præscribitur in Statutis Guigonis Carthusiensis, sed neque in Regulis Templariorum, Carmelitarum, & Minorum, nec in Testamento Sancti Francisci, nec demum in Ritibus Humiliatorum, teste Joanne à Vitriaco. Concilium Celichetense in Anglia anno 816. celebratum cap. X. de Episcopi defuncti exequiis, & de precibus pro eo fundendis statuens: *Et Beltidum*, inquit, *PATER NOSTER pro eo cantetur*, id est, recitetur. His verbis certum Orationum Dominicarum numerum designari, perspicuum. Spelmannus de Rosario interpretatur, à Saxonico *Belt*; quod *cingulum* significat; verùm cùm de Salutatione Angelica, quæ Rosarii præcipua pars est, nulla ibi mentio fit, ex hoc loco probari non potest tunc temporis inventum fuisse vel institutum Rosarium. Certè numeratas orationes in usu fuisse ab antiquo, testis est Palladius, Historiæ Lausiacæ cap. XXIII. ubi agit de Paulo Ægyptio, qui trecentas quotidie orationes numeratis in sinu suo trecentis calculis recitabat. Godiva Comitis Leofrici uxor, & Conventriensis Monasterii anno quadragesimo supra millesimum in Anglia conditi cum illo fundatrix, thesauris suis in hoc pium opus erogatis, *circulum gemmarum filo insutum* sibi servavit, *ut singularum contactu singulas orationes incipiens, numerum non prætermitteret.* Verùm quod inter orationes illas, quas tactis singulis circuli gemmei globulis recitabat, censenda sit Salutatio Deiparæ Virginis, probari non potest; neque id asserit aut innuit Willelmus Malmesburiensis hanc Historiam referens lib. IV. *De Pontificibus*, sive Episcopis *Ecclesiæ Anglicanæ*, cap. IV. Herimannus Abbas in libello de Restauratione Cœnobii Sancti Martini Tornacensis, qui Tom. XII. Spicilegii Dacheriani editus est, commemorat *Theodoricum de Avesnis* visum esse Eremitæ cuidam in Dei judicium postulari ob Monasteria in bello vastata & combusta. At Deiparam Virginem Mariam intercessisse, propterea quòd uxor ejus Ada *Angelicam Salutationem singulis diebus sexagies replicaret; & vigies quidem prostrata, vigies genibus flexis, vigies autem stando, aut in Ecclesia, aut in cubiculo suo, aut in aliquo secreto loco commemorarit.* In tantùm verò *id diffamatum fuisse, ut etiam Goscegninus filius alterius Adæ qui avunculo suo præfato Theodorico successerat, easdem Salutationes Beatæ Mariæ quotidie replicaret, Militibúsque suis eas dicere suaderet.* Eremita ille, cujus meminit Herimannus, idem fortè est cum Petro Eremita, cui Polydorus Vergilius lib. V. *De Rerum Inventione* cap. IX. Inventum Rosarii tribuit, quòd hanc Adæ in Beatissimam Virginem devotionem in publicum vulgaverit. Sed sexagenus ille Salutationum Angelicarum numerus in Deiparæ Virginis honorem ac laudem ab Ada frequentatus, etsi Coronæ Beatæ Virginis initium dedisse videatur duodecimo ineunte sæculo, Rosarium tamen non erat, quod quinquaginta supra centum Salutationes Angelicas cum quindecim Orationibus Dominicis complectitur, adjunctâ quindecim præcipuorum salutis nostræ Mysteriorum meditatione. Nec etiam ad Rosarium pertinet, quod de Ida Moniali Cistereiensis Ordinis legitur apud Manriquem ad annum 1226. cap. IV. Num. 8. eam

nempe undecies centenas Orationes Dominicas, totidémque Beatæ Mariæ Salutationes replicasse. Ad Sanctum igitur Dominicum Ordinis Fratrum Prædicatorum patentem Institutio Rosarii referenda est.

S. Dominicus primus Sacri Palatii Magister.

Insigni Munere *Magistri Sacri Palatii* tum primùm ad Sacras Scripturas in Aula Pontificia familiaribus Cardinalium exponendas, dum ipsi Cardinales Ecclesiæ negotia cum Summo Pontifice tractabant, ab *Honorio III.* auctus est *S. Dominicus*, & *S. Pauli* Epistolas publicè, dum Romæ degebat, interpretatus est: quod Munus ab eo tempore Ordinis nostri viris pene semper collatum est. Vestem Religiosam, quâ nunc induti sumus, *Reginaldo* Aurelianensi Decano viro religiosissimo præmonstratam, induit, Fratribúsque tribuit anno MCCXVIII. approbante Summo Pontifice *Honorio III.* cùm antea Canonicorum Regularium habitum gestassent. Constitutiones quasdam à *S. Dominico* Ordini traditas certum est, ad quarum normam Fratres vitam exigerent, & præcipua ipsarum capita ab Ordine Præmonstratensi accepisse, perpetuam scilicet à carnibus abstinentiam, nisi morbi necessitate, continuum ab Exaltatione Sanctæ Crucis ad Pascha Jejunium, lineis indusiis ad carnem non uti &c. Sed hæc primùm solo usu & Sanctissimi Parentis mandato exemplóque stetit Observantia, postea lege etiam firmata est & scripto promulgata. Sanè in Ordinis confirmatione solius Regulæ *S. Augustini*, Constitutionum aliarum nulla mentio. *In primis statuentes*, (inquit Honorius III.) *ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum & B. Augustini Regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.* Auctæ Constitutiones in Generalibus Capitulis, & Constitutionum interpretationes declarationésque, magnam in molem excrevere. Sanctimonialium etiam Ordinem instituit *S. Dominicus*, & Nobilibus Virginibus, jam ante Ordinis nostri confirmationem apud *Prullianum* * congregatis & inclusis, eamdem Regulam & vivendi normam tradidit, ac possessiones contulit universas, quæ Tolosano *S. Romani* Conventui collatæ primùm fuerant. Instituit demum Tertium Ordinem Militiæ Jesu Christi, ad Ecclesiæ jura, libertatem, immunitates, bona ab Hæreticorum furore & invasione vindicanda, tuendáque. *S. Dominico* ad meliorem vitam translato & Cœlitibus adscripto, nomen & institutum hujus Ordinis mutatum est, cùm arma contra Hæreticos ampliùs necessaria non essent, & cum solis cupiditatibus & potestatibus tenebrarum, armis pœnitentiæ & orationis pugnandum esset. Quæ militia utrique sexui convenit. Huic itaque Tertio Ordini, *De Pœnitentia S. Dominici* nomen inditum. De quo legendus FF. *Vincentii Bandelli & Vincentii Justiniani* Magistrorum Ordinis Commentarius in Constitutionum Volumine editus. & *Malvenda* noster in Annalibus ad annum MCCXXI.

FF. Prædicatorum Constitutiones.

Secundus Ordo Sanctimonialium.

* *Prouille.*

Tertius Ordo

Ordinis FF. Prædicatorum elogium.

Ordinem FF. Prædicatorum egregiè commendat Urspergensis Abbas: qui eo tempore florebat quo *S. Dominicus* ipsum instituit. Prædicatores in locum Humiliatorum successisse scribit, qui nulla habita auctoritate, aut licentia Prælatorum, mittentes falcem in messem alienam, populis prædicabant, & vitam eorum plerumque regere satagebant, & Confessiones audire, & ministeriis Sacerdotum derogare. *Qua volens corrigere Papa, Ordinem Prædicatorum instituit & confirmavit.... Isti studio & lectioni Sacræ Scripturæ jugiter insistentes, tantùm in scribendo libros opus faciebant, & eos diligentissimè à Magistris suis audiebant, ut cum sagittis & arcu, & omni armatura fortium possent ingredi, & stare pro defensione sanctæ matris Ecclesiæ, & ex adverso ascendere, & ponere se murum pro domo, Israel, dum fidem roborant, virtutes instruunt, Statuta Ecclesiæ docent & collaudant, vitia hominum & pravitates redarguunt & castigant. Nihilominus Sedi Apostolicæ in omnibus obediunt, à qua auctoritatem præcipuam trahunt.* In eo falsus est Urspergensis Abbas quòd in locum Humiliatorum Prædicatores successisse scribit: cùm *Humiliatorum* Ordo ab *Innocentio III.* anno MCC. confirmatus, ad usque *Pii V.* tempora steterit, à quo tandem extinctus est.

Matthæus Paris, fallitur. Jacobitarum nomen Prædicatores nostri non elegerunt, sed id ipsis à plebe tributum est ob Parisiensem conventum in S. Jacobi suburbio situm, & Ecclesiâ Deo in S. Jacobi memoriam consecratam.

De eodem Ordine *Matthæus Paris*, aliàs in ejus Professores iniquior, ad annum MCXCVIII. ita scribit; *Defuncto Papa Celestino, Innocentius III. successit. Cujus favore exortum est in Italia Novum genus Prædicatorum qui Jacobitæ voluerunt appellari, eo quod vitam Apostolicam cœperunt imitari. Isti in victu & vestitu satis tenues, aurum & argentum, vel aliud quid proprii non possidentes, ibant per civitates, & vicos, & castella, verbum Evangelii prædicantes. Multiplicati sunt autem in brevi per orbem universum, propter spontaneam paupertatem, habitantes deni & septeni simul in urbibus Capitalibus; nihil de crastino cogitantes, nec quicquam usque mane retinentes. De Evangelio quoque juxta Regulam Evangelicam vivebant: & si quid sibi in mensa ex eleemosynarum largitione superabundabat, hoc continuò pauperibus erogabant. Ibant autem calceati in præparatione Evangelii, vestiti dormiebant, mattis pro stratis utebantur, saxeis cervicalibus capitibus submissis.*

Cùm Magister *Alexander* postea Cestrensis Episcopus, Theologiam Tolosæ doceret, ex visione septem stellarum sibi dormienti ostensarum, *B. Dominicum* cum sex Sociis quadam die Scholas suas intrantem cognovit. Qui in Commentario quem edidit in Psalmos, ad illum versum: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt*: hæc ad Ordinis FF. Prædicatorum commendationem scripsit memoria digna. *Scholaris quidam Bononiensis bene instructus, sed vanitati admodum deditus, quadam nocte vidit in somnis, se in quodam campo tempestate nimiâ comprehensum. Confugiens verò ad quamdam domum, dum ibi pulsat ut recipiatur à Domina domus, hujuscemodi audivit responsum: Ego Justitia hic habito, & quia tu justus non es, nequaquam intrare poteris domum meam. Dolens ille; aliam domum conspexit, ad quam cùm fugisset, sic eum allocuta est Domina domus illius: Ego Veritas hic habito, nec te volo recipere, quia non diligis veritatem. Discedens itaque venit ad domum tertiam, à cujus Domina hæc audivit: Ego sum Pax, quæ te non admitto, quia* Non est pax impiis, dicit Dominus: *sed tantum hominibus bonæ voluntatis. Verùm quia* cogito cogitationes pacis, & non afflictionis, *consilium utile tibi dabo: Ultra me habitat soror mea, quæ miseris solet præstare auxilium: accede ad eam, & monita ejus comple. Accedenti itaque ad domum quartam, occurrit Misericordia; sic enim vocabatur Domina domus, & petenti hospitium respondit: Si ab imminente tempestate salvari desideras, vade ad Sanctum Nicolaum, ubi habitant Fratres Prædicatores, & invenies ibi stabulum Pœnitentiæ, & præsepe continentiæ, & pabulum doctrinæ, & asinum simplicitatis, & bovem discretionis,* MARIAM *illuminantem, &* JOSEPH *proficientem, & puerum* JESUM *te salvantem. Hæc cùm evigilaret cum devotione ruminans, valde compunctus, quod sibi consultum fuerat, mox implevit.* Hoc fragmentum ex *Alexandri* Cestrensis Episcopi Commentario refert *Nicolaus Trivettus* in Chronico, ad annum MCCXXXVIII. quo obiit pius & doctus Antistes.

Ordinem Sacrum FF. Prædicatorum Romani Pontifices maximis laudibus ornarunt, beneficiis

cumularunt

cumularunt amplissimis; quorum expositionem Annalium Dominicanorum Scriptoribus relinquimus. Adscribere hic satis sit elogium à *Gregorio IX.* scriptum in Literis Apostolicis, quibus Fratres nostros omnibus orbis Christiani Prælatis commendavit sexto Idus Maii, anno MCCXXVII. *Quoniam abundavit iniquitas, & refriguit charitas plurimorum, ecce Ordinem dilectorum filiorum FF. Prædicatorum Dominus suscitavit, qui non quæ sua, sed quæ sunt Christi, quærentes, tam contra profligantes hæreses, quàm contra pestes alias mortiferas extirpandas, se dedicarunt evangelizationi verbi Dei in abjectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum sanctum propositum, & necessarium ministerium favore benevolo prosequentes, universitati vestræ ipsos affectuosè duximus commendandos.*

De Constitutionibus Ordinis plura non dicam, ne prolixitate lectoribus fastidium creem. Qui de Regula nostra & Institutis plura quæsierint, responsum illud *B. Jordanis*, totius Ordinis post *S. Dominicum* Generalis Magistri, ab *Humberto* seu *Gerardo de Fracheto* lib. III. De Vitis Fratrum Cap. XLV. memoriæ proditum referant: REGULA FF. PRÆDICATORUM HÆC EST, HONESTE VIVERE, DISCERE, ET DOCERE. *Quæ tria petit David à Domino, dicens: Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Honestæ vitæ nomine, vita regularis, accuratâque Regulæ, & Constitutionum observantia intelligitur. Honestè enim vivit quisquis omnes officii sui numeros implet, secundùm eum vitæ statum seu professionem cui addictus est. Sed nec honestè vivunt eâ ratione FF. Prædicatores, nisi jugiter discant, sacris incumbendo studiis, & doceant, vel in scholis, vel in exedris, populis verbum Dei prædicent, rudes catechizent & doctrinæ Christianæ præceptis informent; vel Scriptis & Commentariis sacra Studia excolant, & Ecclesiæ pro sua virili prodesse satigant & conentur. Quid verò discere debent ac docere FF. Prædicatores? Quod Sanctissimus Parens *Dominicus* discendum ac legendum admonuit, præcepit; Scripturam Sacram, & doctrinam SS. Patrum. *Legem nempe suis hanc tulit, ut semper Veterum Monumenta & Instituta sequerentur: sic fore ut in nullam hæresim aut alium errorem prolaberentur.* Ita refert *Flaminius* in ejus Vita. Scripsit Sanctus Patriarcha encyclicas ad Fratres suos literas post Generalia Comitia Bononiæ celebrata anno MCCXXI. in quibus hæc de ratione studiorum: *Ut ignito Prædicationis eloquio, & salutari in Confessionibus consilio abundare possitis, Scripturas divinitus inspiratas, & legem Domini immaculatam, convertentem animas, audiendo, meditando, scrutando sectemini, studio semper utilium insistentes, & curiositatis dispendium evitantes.* Epistolam non ære, sed omnium Dominicanorum cordibus insculpendam è vetustissimo Codice MS. descripsit *Bzovius* in Historia Prædicatorum Poloniæ, & ex eo *Malvenda* in Annalibus pag. 336. Nec præceptis tantùm, sed exemplo hanc studendi rationem filios docuit Sanctissimus Parens, ut scribit *Theodoricus de Appoldia* in ejus Vita lib. IV. cap. 4. *Et quia sine Sanctarum notitia Scripturarum perfectus Prædicator nemo esse potest, hortabatur Fratres S. Dominicus fideliter, ut semper in Novi & Veteris Testamenti lectione essent: Atque ipse quoque Evangelium secundùm Matthæum, & Pauli Epistolas apud se ferens, multùm in eis lectitabat, ut propemodum memoriâ retineret. Evangelium enim & Apostolicam doctrinam & vitam amans & amplectens, Philosophica figmenta non magni pendebat.*

Quæ FF. Prædicatorum Regula?

Ratio studendi FF. Prædicatorum.

Obiit Vir Sanctissimus Bononiæ die sexta Augusti anno MCCXXI. ætatis anno LI. Generalis Præfecturæ V. A *Gregorio IX.* Pontifice Maximo in Sanctorum numerum relatus est III. Idus Julii, anno MCCXXXIV. Ejus Gesta scripsere *B. Jordanus* in libello de Initio Ordinis, *F. Constantinus*, *Humbertus* Magister Ordinis V. seu potiùs *Gerardus de Fracheto*, in Vitis Fratrum; *Gerardus* alter Provincialis Germaniæ, *Petrus Ferdinandi* Hispanus, *Jacobus de Voragine*, *Theodoricus de Appoldia*, *Vincentius Bellovacensis* lib. XIX. Speculi Historialis Cap. 93. & seq. & lib. XXX. c. 65. & seq. *Bernardus Guidonis*, in Chronico Ordinis, *Conradus Teutonicus*, *Thomas Senensis*, *S. Antoninus III.* P. Chronici Tit. XXIII. c. 1. 2. 3. & 4. *Joannes Garzo* insignis Orator Bononiensis, *Antoninus Flaminius* Forocorneliensis, *Franciscus Diacetius* Fesulanus Episcopus, *Ferdinandus Castillus* lib. I. & II. *Malvenda* in Annalibus, & alii.

An S. Dominicus aliquid scripserit?

S. Dominicum inter Scriptores Ecclesiasticos non recensui, licet *Antoninus Senensis* in Ordinis Bibliotheca primum det ipsi locum ob duos libellos (inquit) contra Albigenses editos, qui in ignem conjecti diversis vicibus ab igne resilierunt. Sed cùm hos libellos, seu Fidei Catholicæ breves expositiones, ad memoriam posteritatis non scripserit, sed ad præsentem dumtaxat usum Hæreticos confundendi, immo *Petrus de Valle Cernaii*, in Historia Albigensium, unius tantùm Schedulæ in ignem conjectæ, & miraculo illæsæ, non librorum meminerit, locum ipsi propterea inter Authores non dedimus. Epistolas S. Pauli, Epistolas Canonicas, Psalterium, Evangelium S. Matthæi, & Apocalypsim ipsum Commentariis illustrasse, tradit idem *Antoninus Senensis*, & post eum *Possevinus*, quos sequitur *Malvenda* noster pag. 376. Annalium. Sed cùm nemo Antiquorum qui Acta *S. Dominici* scripserunt, hujusmodi Operum meminerit, nec ullibi inveniantur, ipsum nihil hujusmodi scripsisse existimo. Satis sit quod tot Authorum Ecclesiasticorum parens, omnium, quos Ordo Prædicatorum peperit, calamis Fidem Catholicam propugnaverit, asseruerit, illustraverit veritatem. Esto Scripturas Sacras sit interpretatus, & eos maximè libros, quos nominat *Antoninus Senensis*, cùm Sacri Palatii Magisterium exercuit; quòd tamen scripto expositiones suas tradiderit, nullis certis documentis probatur. *Petrus Galatinus*, lib. VI. Arcanorum Catholicæ Veritatis, C. 5. *Canisius* lib. I. de B. Virgine C. 7. *Suares* Tom. II. in III. P. S. Thomæ Disput. III. Sect. 5. & alii, cùm de Immaculata Deiparæ Conceptione disserunt, laudant *S. Dominicum* in Tractatu de Corpore Christi dicentem: *Sicut primus Adam fuit ex terra virgine & nunquam maledicta formatus, ita decuit in secundo Adam fieri.* At (inquit *Malvenda*) cùm istius Operis editi à *S. Dominico*, nec *Vincentius Bellovacensis*, nec *Humbertus*, nec *Theodoricus*, nec *S. Antoninus*, nec alii rerum ejus Scriptores meminerint, suspicamur alterius potius fuisse Scriptoris. Eodem argumento uti mihi liceat adversus *Malvendam* alia *S. Dominici* Opera laudantem. Næ stupendam sanè Ordinis nostri hominum incuriam, qui Sanctissimi Patriarchæ Opera perire permisissent! Hujus verò Tractatus de Corpore Christi Authorem indigitat *Malvenda* ex *Susato* in Chronico Ordinis, & *Antonio Senensi* in Bibliotheca, *Dominicum de Pantaleonibus*, Florentinum, quem in Ordine claruisse memorant ad annum MCCLXII.

Ordo Fratrum Minorum.

VI. *Ordo FF. Minorum à S. Francisco Assisiate*, cujus Vitam *S. Bonaventura* ejusdem Ordinis Doctor accuratissimè scripsit, anno MCCVIII. institutus est, & ab *Innocentio III.* approbatus anno

A quo conditus & confirmatus?

MCCXV. cùm cœlesti viso admonitus esset ne despiceret hominem, quem cum Ordine Seraphico ad Ecclesiam sustentandam æterno consilio Deus destinaverat. Sanctam Regulam ab *Innocentio* Decessore approbatam *Honorius III.* Diplomate quod incipit, *Solet annuere*, confirmavit, III. Kalendas Decembris, anno MCCXXIII. In Evangelica paupertate fundatus est FF. Minorum Ordo. Præcipio firmiter *Fratribus universis* (inquit S. Franciscus) *ut nullomodo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam. . . . Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Sed tanquam peregrini & advenæ in hoc seculo, in paupertate & humilitate famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se pauperem fecit in hoc mundo. Hæc est illa altissima paupertas, quæ vos carissimos Fratres meos hæredes Regni cœlorum constituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium, cui totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri in perpetuum sub cœlo habere velitis.*

Arctissima paupertas & humilitas ordinis fundamenta.

In locum *Pauperum de Lugduno* confirmatos ab Apostolica Sede, *Pauperes Minores* primùm appellatos, Abbas Urspergensis testatur, sed postea ne de paupertatis nomine vanam gloriam captarent, maluisse *Fratres Minores* appellari, *Apostolicæ Sedi in omnibus obedientes.* De S. *Francisco* agit prolixè *Matthæus Paris* in Historia Anglicana ad annum MCCXXVII. ubi sacram ejus Regulam describit. De Ordine verò FF. Minorum hæc habet: *Multi Nobiles ipsius* (S. Francisci) *exemplum secuti, relicto seculo cum vitiis & concupiscentiis ejus, sese Magisterio suo subdiderunt. Crevit igitur in brevi hic Ordo FF. qui Minores dicuntur, per orbem universum: qui in urbibus habitantes & castellis, deni & septeni exierunt in diebus illis per villas & Ecclesias Parochiales, verbum vitæ prædicantes, & terris agrestibus virtutum plantaria inserentes, fructum Domino plurimum obtulerunt. Nec solum inter Fideles semen verbi Dei & rorem doctrinæ cœlestis consperserunt: verum etiam ad Gentilium & Saracenorum nationes se conferentes, perhibuerunt testimonium veritati: inter quos etiam multi ex eis ad martyrii gloriam pervenerunt.* Et ad annum MCCVIII. de iisdem scribit: *Sub his diebus Prædicatores, qui appellati sunt Minores, favente Papa Innocentio subitò emergentes, terram repleverunt, habitantes in urbibus & civitatibus deni & septeni, nihil omnino possidentes, de Evangelio viventes, in victu & vestitu paupertatem nimiam præferentes, nudis pedibus incedentes, maximum humilitatis exemplum omnibus præbuerunt. Diebus autem Dominicis & festivis de suis habitaculis exeuntes, prædicaverunt in Ecclesiis Parochialibus Evangelium verbi, edentes & bibentes quæ apud illos erant, quibus officium prædicationis impendebant. Qui in rerum cœlestium contemplatione tantò perspicaciores sunt inventi, quantò à rebus præsentis sæculi & carnalibus deliciis comprobantur alieni. Nullum genus alimenti penes eos usque in crastinum reservatur, ut paupertas spiritus, quæ viget in mente, actu sicut & habitu omnibus innotescat.* Eumdem Ordinem commendat *Jacobus de Vitriaco*, Historiæ Occidentalis Cap. XXXII.

Ordinis FF. Minorum elogium.

FF. Minorum Regulam Apostolicis Declarationibus exposuerunt *Nicolaus IV.* in Decretali, *Exiit qui seminat*, Tit. *De verborum significatione*, in Sexto; *Clemens V.* in Decretali, *Exivi de Paradiso*, eodem Tit. *Joannes XXII.* in Extravag. *Quorumdam: Ad conditorem*; & *Quia quorumdam*, ut de *Gregorio IX. Alexandro IV.* & *Innocentio IV.* nihil dicam impræsentiarum. Seraphicum Ordinem præclaris exornant encomiis Pontifices Maximi. NICOLAUS IV. *Minorum Fratrum*, inquit, *mitis & docilis in paupertate ac humilitate per almum Christi Confessorem Franciscum dicata Religio: quæ ex illo vero semine germinans, germen illud per Regulam sparsit in filios, quos sibi & Deo per suum ministerium in observatione Evangelii generavit. Isti sunt filii, qui docente Jacobo, Verbum æternum Dei Filium insitum humanæ naturæ in horto Virginalis uteri, potens salvare animas, susceperunt. Hi sunt illius Sanctæ Regulæ Professores, quæ Evangelico fundatur eloquio, vita Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiæ, Apostolorumque ejus sermonibus actibúsque firmatur. Hæc est apud Deum & Patrem munda & immaculata Religio, quæ descendens à Patre luminum, per ejus Filium exemplariter & verbaliter Apostolis tradita, & deinde per Spiritum Sanctum Beato Francisco & eum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis. Hæc est cui, attestante Paulo, nemo de cætero debet esse molestus, quam Christus stigmatibus suæ passionis confirmavit, volens Institutorem ipsius Passionis suæ signis notabiliter insigniri.*

CLEMENS V. *Exivi de Paradiso, dixi, Rigabo hortum plantationum, ait ille cœlestis Agricola. . . . Hic hortus est FF. Minorum Sancta Religio, quæ muris regularis observantiæ firmiter undique circumclusa, intra se solo contenta Deo, adornatur abunde novellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei Filius mortificantis Pœnitentiæ myrrham metit cum aromatibus, quæ suavitate mira universis odorem attrahentis sanctimonia circumfundunt. Hæc est illa cœlestis vitæ forma & Regula, quam descripsit ille Confessor Christi eximius Sanctus Franciscus, ac servandam à suis filiis verbo docuit pariter & exemplo.*

JOANNES XXII. In Constitutione, *Gloriosam*, ubi de Ecclesia præmisit: *Cujus inæstimabilis decor, quia vario vivendi genere, in una tamen caritate perficitur, quasi de vestis pulcherrima varietate latetur*, scribit: *In hoc igitur vestimento tam mirabili varietate distincto Minorum Fratrum sacer Ordo, ab ipso suæ fundationis exordio, almi Confessoris B. Francisci regulari traditione, & Apostolicæ Sedis auctoritate atque confirmatione, indissolubili quadam textura connexus, fide clarus, spe validus, caritate profusus, humilitate placidus, obeditione devotus, velut singulare jubar, sanctitatis exemplo, ac doctrinæ verbo per universum orbem claruit, & Ecclesiastico decori multum utilitatis, & plurimum inclytæ alacritatis invexit.*

Præter Ordinem FF. Minorum, duos alios B. *Franciscus* instituit. Secundum nempe, Monialium quæ *Damianitæ* primùm dictæ sunt ab Ecclesia *S. Damiani*, in qua ipsas collocavit, deinde Clarissæ à S. *Clara* Virgine Assisiate, quam Seraphicus Patriarcha cœlestem vitæ rationem edocuit, eique & Sororibus Regulam tradidit. Hujus austeritatem Innocentius IV. temperavit. Virgo *Clara* ab *Alexandro IV.* Cælitum numero adscripta est. *Tertium* denique *Ordinem* instituit pro secularibus utriusque sexus, ex quo Religiosa *Pœnitentium* Congregatio emersit. De *S. Francisco*, & ejus Ordine, præter *S. Bonaventuram*, Legendi *S. Antoninus* III. P. Chronicorum, Tit. XXIV. ubi etiam agit de viris sanctitate, dignitate & doctrina conspicuis Ordinis FF. Minorum: ejusdem Ordinis Chronica, præsertim Annales *VVadingi*; Chronica *Marcelli de Lisboa* Lusitano idiomate edita Ulyssipone anno 1613. Annales *Francisci de Royas* Hispanicè conscripti; *Franciscus Gonzaga* in lib. de origine, progressu & legibus Seraphicæ Religionis; *Petrus Rodulphi* & *Henricus Sedulius* in *Historia Seraphica*. De anno obitus, & canonizationis

Secundus & Tertius Ordo S. Francisci.

tionis *S. Francisci* diximus in Cap. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Ordo Carmelitarum.

VII. *Carmelitarum* Ordo Sæculo XII. ex *Elia* Prophetæ revelatione, in *Monte Carmelo*, aspirante *Aymerici* Patriarchæ Antiocheni favore conceptus est anno MCLXXXV. ut testatur *Joannes Phoca* coævus Author, in Opusculo quod à *Leone Allatio* Latinè redditum, à *Bartoldo Nihusio* Anstelodami editum est anno MDCLIV. *Subsequitur*, inquit, *Mons Carmelus, de quo in veteri recentiorique Scriptura plurimus sermo est. Jugatur Mons, ab ipso Maris sinu, qui circa Ptolemaidem & Caipham incurvatur, initium ducens, & ad Galilea fines perveniens. In extrema parte jugi, quâ mare respicit, Propheta Elia spelunca spectatur, in qua angelicam vita rationem cùm exegisset mirificus vir ille, in aera sublatus est. Erat eo loci antiquitus Monasterium * Magnum, ut structurarum vestigia ad hac usque tempora commonstrant: sed illud tempore quod omnia in senium impellit, & gentium variis incursionibus penitus abolitum. Verum ante aliquot annos quidam Monachus, dignitate Sacerdos, capillitio albus, è Calabria oriundus, ex Propheta revelatione in Montem appellens, ea loca, Monasterii nempe reliquias, vallo perparvo cinxit, & turri adificatâ, templóque non ingenti extructo, Fratribúsque fermo decem collectis, etiamnum sanctum illum ambitum colit.* Is fuit *Bertoldus*, primus Carmelitarum Prior, cui facta revelatio ab *Elia* Propheta de colligendis in Carmelo Monte Eremitis, anno MCLVI. ansam dare potuit Carmelitici Ordinis originem ad *Eliam* referendi; non quòd fuerit ab *Elia* in terris vivente hîc Ordo constitutus sub tribus essentialibus votis Religionis. Eliæ itaque filii primi illi Carmeli Montis Eremitæ (quamvis tempore Veteris Testamenti non fuerint) quia Eliam imitabantur: ut *Jacobus de Vitriaco*, Episcopus Acconensis circa annum MCCXX. scribebat lib. 1. cap. 58. *Alii ad exemplum & imitationem sancti viri & solitarii Elia Propheta, & maximè in civitate illa qua supereminet civitati Porphyria, qua hodie Caiphas appellatur, juxta fontem qui fons Elia dicitur, non longè à Monasterio B. Virginis Margarita, vitam solitariam agebant, in alvearibus modicarum cellularum, tanquam apes Domini spiritualem dulcedinem mellificantes.* Qui propterea dicere poterant cum *S. Hieronymo* in Epistola ad Paulinum: *Noster princeps Elias, noster Elisaus, nostri duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Jordanis.*

* Ita vertit Allatius, quod æquè verti poterit, Habitatio magna, palatio, pro ke sarabè spoeraceu-... cum ibi Monasterium Magnum fuisse, nulla antiqua Monumenta testantur.

Carmelitici Ordinis origo ut ad Eliam referatur?

Defuncto *Bertoldo*, anno sui regiminis XLV. successit *Brocardus* in Eremi Carmelitanæ gubernatione anno MCC. Post annos quatuor, *B. Albertus* ex Canonico Regulari Vercellensis Episcopus, Hierosolymitanus Patriarcha electus est anno MCCIV eamque rexit Ecclesiam ab anno MCCIV. quo in Palæstinam appulit, ad annum MCCXIV. quo in solemni Supplicatione à Saracenis occisus est. Is Montis Carmeli Eremitis Regulam dedit brevissimam, præscribentem divini Officii & orationis quotidianæ pensum, constructionem Oratorii in medio cellularum, ubi mane per singulos dies ad audienda Missarum solemnia convenirent; perpetuam ab esu carnium abstinentiam; jejunium à Festo S. Crucis ad Pascha, solitudinem, silentium, fugam otii, Prioris electionem, &c. Quo anno Regula data est, incertum.

Primæva Carmelitarum Regula.

Antiquiores *Bertoldo* Carmelitici Ordinis natales, non probat liber *Joannis Hierosolymitani* nomine inscriptus ad CAPRASIUM, *De Institutione Monachi*, quem *Joanni Hierosolymitano* Patriarchæ falsò adscribi probavi in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi IV. cap. VI. Articulo XXXI. contra infoelices *VVastelii* Carmelitæ Vindicias. Nec etiam juvat Epistola sub *Cyrilli* Prioris III. nomine conficta ab homine qui nesciebat quis & cujus fuisset *Bertoldus* primus Prior, quo anno data esset ab *Alberto* Regula, quænam forma fuisset habitus Carmelitarum in Palæstina degentium. Non denique majoris ponderis est *Josephi* cujusdam *Antiocheni* liber *De Perfecta Militia Primitiva Ecclesia*, cujus ipsa inscriptio novitatem redolet. Monumenta illa priscis etiam ignota Carmelitis, velut recentiorum & malè feriatorum hominum figmenta rejiciunt viri quilibet eruditi: Qui & commentum explodunt de prima Beatæ Virginis *Maria* Ecclesia jam inde à temporibus Apostolorum in Carmelo ædificata, à qua factum sit ut jam tunc qui degebant ibidem Eremitæ, *Fratres S. Maria de Monte Carmelo* vocarentur. Cujus fabulæ vanitas ex eo demonstratur, quòd Carmelus olim inter loca sacra piis peregrinationibus à Christianis frequentata non sit annumeratus, ut constat 1. ex *S. Hieronymo*, qui *Paula* suæ diligentiam ac pietatem in sacris locis circumeundis tam accuratè descripsit. 2. ex Hodoeporico *S. VVillibaldi* ad annum circiter DCCXX. 3. ex *Arculphi* Episcopi peregrinatione, ex cujus ore accepit *Adamnanus* Locorum Terræ sanctæ descriptionem, quam unà cum Epitome illius à Venerabili *Beda* scriptâ vulgavit *Henricus Canisius*. 4. ex *Epiphanii* Monacho Hagiopolita, qui nono aut decimo seculo scripsit Enarrationem *De Syria, Urbe Sancta, & Locis ibi Sanctis*; in quibus nec Montem Sinai, neque S. *Maria* Ægyptiacæ sepulcrum octo dietis Hierosolymis dissitum, prætermivit silentio, prætermivit Carmelum. Anonymus ejusdem ævi Author *De Locis Hierosolymitanis*, cum dicto *Epiphanii* libello inter Συμμικτα Allatiana editus, non magis Carmeli meminit. Author Vitæ *S. Theotonii*, apud *Bollandum* ad XVIII. Februarii, celebriora quæque loca ab eo lustrata commemorat, meminit Jericho propter *Elisai* fontem adiri solitæ, de Carmelo silet. Primus omnium parvi Templi seu Oratorii in Carmelo erecti, & collectorum ibi à *Bertoldo* Calabro decem Eremitarum meminit *Joannes Phoca*.

Carmelitarum Ordinem Bertoldo antiquiorem esse nulla certæ fidei documenta probant.

Carmeli Eremitis cùm negotium facessetent Episcopi & Clerus Palæstinæ, quòd contra Lateranensis IV. Concilii Decretum sub novæ Regulæ ab Ecclesia Romana non approbatæ professione viverent, & plures Eremiticæ Vitæ candidatos in Sodalitium admitterent; *Brocardus* & Fratres ad *Honorium III.* confugerunt, cui id exposuerunt unum, *Albertum* Patriarcham ipsis ante Lateranense Concilium Regulam tradidisse, non ad *Eliam* originem suam retulerunt: non Majores suos Veteris Testamenti homines fuisse, non Monasterium Carmelitarum & Ecclesiam in honorem B. Virginis ab Apostolis erectam olim in Carmelo fuisse dixerunt, in qua Eliana successio traducta fuisset. Regulam ab *Alberto* editam approbavit *Honorius III.* Diplomate dato Reate III. Kalendas Februarii, Pontificatus anno decimo, id est, Christi MCCXXVI. Inscribitur: *Priori & Fratribus Eremitis de Monte Carmelo*; non, *Fratribus B. Virginis Maria*. Leonis IV. Adriani II. Stephani V. Joannis X. & XI. Diplomata, septem annos & duodecim quadragenas Indulgentiarum concedentium, vel tertiam partem omnium delictorum condonantium iis qui Ecclesias B. Mariæ de Monte Carmeli visitarent, vel adjuvarent, supposititia esse & conficta probat *P. Papebrochius* in Commentariis Historicis ad Vitam *B. Alberti* Patriarchæ Hierosolymitani cap. X. tum ex formulis Indulgentiarum ejusmodi, quæ nonnisi XI. aut XII. Seculo in Ecclesia usurpari cœpere: tum ex prioris Bullæ inscriptione

Regula Carmelitica confirmatio.

scriptione, *Leo Papa Quartus*, cui similem his temporibus nemo proferet: tum quòd nulla essent Carmelitarum in toto terrarum orbe Monasteria. Regulam ab *Honorio III.* approbatam confirmavit *Gregorius IX.* anno MCCXXX.

Carmelitarũ in Europam migratio.

Anno MCCXLV. Carmeli Eremitæ propter Saracenorum incursus in Europam migrarunt, & superinductâ cœnobiticæ vitæ formâ cœperunt inter Ordines Religiosos numerari, favente *Innocentio IV.* Pontifice Maximo. Tunc B. Virginis patrocinium experti, authore (ut verisimile est) B. Simone Stok, *Fratres B. Mariæ de Monte Carmelo* se ipsos appellabant. Carpita seu pallio variegato, id est, vittis seu circulis albis, non adsutis, sed intextis, & æquali spatio totam vestem à summo ad imum percurrentibus distincto, intercurentibus griseis, induti erant. De quibus Londinense Capitulum Generale anno MCLXXX. ita statuit: *Frater Professus habeat unam carpitam, quod est nostræ Religionis signum, non de petiis consutam, sed contextam, & habent septem radios tantum, ut simus uniformes.* Regulam à *B. Alberto* traditam *Hugo à S. Caro* Tituli *S. Sabinæ* Presbyter Cardinalis ex Ordine Prædicatorum assumptus, & *VVillelmus* Anteradensis Episcopus, auctoritate ab *Innocentio IV.* sibi commissâ, declararunt, correxerunt, mitigarunt: quam declarationem, correctionem & mitigationem ipse Pontifex confirmavit Diplomate dato Lugduni Kalendis Septembris anno MCCXLVIII. Regulam sic mitigatam non servant ipsi qui *Mitigati Carmelitæ* dicuntur, sed eamdem cum nova mitigatione facta ab *Eugenio IV.* die XV. Martii, anno MCCCCXXXV.

Antiquus Carmelitarũ habitus.

Regulæ Carmelitarum declaratio & mitigatio prima.

Secunda mitigatio.

Ante Innocentii Quarti Pontificatum nulla fuere in Europa Carmelitarum Cœnobia.

Ante *Innocentii IV.* Pontificatum nulla fuisse in Europa Carmelitarum Cœnobia, colligitur ex ipsius Pontificis Literis ad Archiepiscopos & Episcopos datis, anno MCCXLVI: in quibus ait, ipsorum *quietem mentis* recenti *ad has cismarinas partes transitu non modicum fuisse turbatam: & ad hoc* ipsos *aspirare*, ut per *Apostolicæ Pietatis auxilium, statum consequi valeant.* Statum igitur antea in Europa non habebant. 2. Idem colligitur ex Breviario Carmelitico, cujus Lectiones in Commemoratione solemni Beatissimæ Virginis *Mariæ* ad diem XVI. Julii, sic habent: *Cùm olim in Europa Ordo esset ignotus, & ob id apud Honorium III. non pauci pro illius extinctione instarent: astitit Honorio noctu purissima Virgo Maria, planéque jussit ut Institutum & homines benignè complecteretur.* 3. Ex *Guillelmo de Sanvvico*, Eremita Montis Carmeli, qui post amissam ultimò Acconem anno MCCXCI. in Europam venit. Is Chronicon edidit de multiplicatione Religionis Carmelitarum per Provincias Syriæ & Europæ, & de perditione Monasteriorum Terræ Sanctæ: in quo anno MCCXXXVII. Carmelitas in Capitulo deliberantes inducit, an liceat ipsis Terram Sanctam deserere. Migrationem eorum in Europam refert ad annum MCCXXXVIII. Cap. V. narrat quomodo à Curatis vexati ad Episcopos confugerint, supplicantes ut sibi Divina celebrandi in suis Cœnobiis licentiam, & libertatem sepeliendi Fratres concederent: scribítque respondisse Prælatos, quòd *Cum hæc Religio esset eis ignota, gratiam postulatam Fratribus non concederent, donec super præmissis intentionem Summi Pontificis scirent.* Sanvvici Chronicon ediderunt PP. *Henschenius & Papebrochius* in Tractatu præliminari ad Acta Sanctorum mensis Maii, Tom. III. & commentitios Fundationum antiquorum titulos everterunt, præcipuè Florentiæ, Senis, Boppardiæ, Burdigalæ, Coloniæ, Viennæ in Austria, &c. Lege & *Propylæi Antiquarii*, quod Actis Sanctorum mensis Aprilis Tomo II. iidem præmiserunt, partem secundam, in qua Florentinæ fundationis fabulam hoc seculo primùm adornatam, & fictitiam *Thomæ* Episcopi Attestationem, invictis argumentis probarunt, & Boppardiense *Henrici* Prioris *Hein* Epitaphium anni MCXIII. nullatenus ad Carmelitas pertinere. Ineluctabile sanè argumentum est ex *Jacobi de Vitriaco* silentio petitum, qui in lib. Historiæ Occidentalis, de Religiosis Ordinibus agens, Carmelitas prætermittit, quorum lib. I. de Historia Orientali meminerat. De cæteris Carmelitanum Ordinem spectantibus, lege librum *De ortu & progressu Carmelitarum*, apud Trithemium, *Guillelmum Conventriensem* in Scuto Carmelitarum, *Joannem de Vineta* in Chronico Ordinis, *Joannem Grossum* Ordinis Carmelitici Priorem Generalem, in Viridario; *Philippum Ribotum* in libris de institutione & peculiaribus gestis Carmelitarum. *Joannem Chimetensem* in Speculo Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli; *Joannem Baptistam Mantuanum* in Apologia pro Carmelitis, *Joannem Paleonidorum* in Antiquitatibus Ordinis; *Lezanam* in Annalibus Carmeliticis, *Antonium Gonsalvez* in Chronicis Carmelitarum Lusitano idiomate scriptis & Ulyssipone editis anno 1572. *Didacum de Coria* in Chronicis Hispanico idiomate editis Cordubæ anno 1598. *Thomam Saracenum* in Menologio Carmelitano; *Marcum Antonium Alegre de Casanate*, in Carmelitici Decoris Paradiso; *Lucium Belgam* in Bibliotheca Carmelitica; *Aubertum Miræum*, in libro de Origine & Incrementis Ordinis Carmelitarum; *Philippum à Sancta Trinitate*, in Decore Carmeli Religiosi, & in Historia Carmelitici Ordinis, *Danielem à Virgine Maria*, in Vinea Carmeli, &c.

Silvestrinorum Congregatio.

VIII. *Silvestrinorum Congregatio*, Ordinis Benedictini, anno MCCXXXI. condita est in Monte-Fano, non longè a Fabriano insigni Piceni oppido, authore *B. Silvestro Guzolino*, Auximate, qui è Canonico Eremita factus, famâ sanctitatis multos discipulos allexit. Obiit nonagenarius anno MCCLXVII. Vitam ejus scripsit *Andreas Jacobi* ejusdem Congregationis post ipsum quartus Abbas Generalis, quam apud *Surium* Tomo VI. posterioris editionis, ad diem 26. Novembris legere est. Religiosam illam Societatem confirmavit *Innocentius IV.* Diplomate dato quinto Kalendas Julii, anno MCCXLVII. quod incipit his verbis, *Religiosam vitam.* * De Sacris istius Congregationis Institutis scribit *Andreas Jacobi* lib. I. Cap. X. *Antiquissima inprimis erat omnibus Monachis Cœnobii disciplina, & vita Religiosa studium. Quæ exterioris hominis sunt: Vestis admodum vilis & aspera, ciborum magna simplicitas, non tam ad explendam, quàm levandam famem accommodata, suam inopiam ac paupertatem corrogatis eleemosynis leniebant. Mira in omnibus religiosa taciturnitatis observantia: crebras tum ad carnis macerationem, tum ad seculi expianda pericula verberationes & jejunia identidem usurpabant. Dies noctésque divinis laudibus Chorus personabat, mutua vigebant Charitatis Officia. Quæ interioris hominis sunt: statutum tempus sacris lectionibus ac precationibus tribuebant, erátque unusquisque sui contemptor egregius; neque hæc sui contemptio quidquam de bona cæterorum existimatione detrahebat; & ad summa demum Christianæ perfectionis studium incumbebant. Neque verò eorum virtus & charitas intra illius Cœnobii septa continebatur, sed ad externos quoque derivabatur.*

Author.

Confirmatio.

* Bullarii Roman. p. 114.

Instituta.

Ordo B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

IX. *Ordo Sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum*, consilio *S. Raymundi de Pennaforti* Ordinis Prædicatorum, *Jacobi I.* Aragonum Regis auctoritate, à *S. Petro Nolasco* Gal-

lo,

lo, ex oppido *Sanctnáram Puellarum* oriundo: viro nobili & divite, ad sanctum opus Redemptionis Captivorum à Maurorum & Saracenorum servitute, monente Deipara ipsi *Petro*, *S. Raymundo*, & *Jacobo* Regi conspicuam se præbente, institutus est Barcinone, die *S. Laurentio* Martyri Sacra, x. Augusti, anno MCCXXIII. sub Regula *S. Augustini*, & certis Constitutionibus à *S. Raymundo* præscriptis, cum Breviario & Ritu divini Officii FF. Prædicatorum. Ordinem approbavit *Gregorius IX.* Pontifex Maximus XVII. Kalendas Januarii anno MCCXXXV. Obiit *B. Petrus Nolascus* anno circiter MCCL. die vigesima nona Januarii. De ipso, sacróque Ordine legi possunt *Melchior Rodericus*, *Bernardinus de Vargas*, *Natalis Gabore*, *Philippus de Guimeran*, & *Joannes Lamy* in Historia Ordinis, *Franciscus Zumel* in libro de Vitis Patrum & Magistrorum Generalium, ex quo Vitam *S. Petri Nolasci* descripsit edidit que P. *Bollandus S. I.* inter Acta Sanctorum mensis Januarii, ad diem vigesimam-nonam; *Alfonsus Remon* in Annalibus Ordinis Hispanicè conscriptis, *Silvester Maurolicus* in Oceano Religionum, *Joannes Mariana S. I.* Rerum Hispanicarum lib. XII. cap. 8. *Clemens VIII.* in Diplomate Canonizationis S. Raymundi, *Franciscus Diago* in Historia Valentina, &c.

Ordinis conditores. — *Regula.* — *Approbatio.*

Ordo Eremitarum S. Augustini.

X. *Ordinem Eremitarum S. Augustini*, ut ab ipso Sancto Doctore institutum credam, auctoritate Sermonum ad *Fratres de Eremo*, quæ nulla est, cum sint ejus venerando nomini suppositii, adduci non possum. Legantur quæ de illis Sermonibus scripsi in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ v. Sæculi Cap. IV. Art. III. *Joachimi* Abbatis temporibus nulla erat Eremitarum *S. Augustini* Congregatio, siquidem illius ortum vaticinatus esse dicitur in Expositione Apocalypsis P. IV. Dist. VII. *Surgет*, inquit, *Ordo qui videtur novus, & non est. Induti nigris vestibus, & accincti desuper Zona. Hi crescent, & fama eorum divulgabitur. Et prædicabunt fidem, quam & defendent usque ad mundi consumptionem in spiritu Eliæ. Qui erit Ordo Eremitarum, ambulantium vitam Angelorum*, &c. Novum videri hunc Ordinem & non esse ait, quia Regula *S. Augustini*, quam servant, nova non est. *S. Antoninus* qui critices defectu Sermones ad Fratres in Eremo ut Augustinianos admisit, de hujus Ordinis antiquitate ita censet III. P. Chronici, Tit. XXIV. cap. XI. *Et si fuerunt aliqui ante Ordines Mendicantium, qui viverent in Eremis secundùm Regulam Augustini, non tamen erant talis Ordinis, nec habebant unum Caput, nec illas Ordinationes quas habent Eremitani nunc. Unde potest dici quod qui dicuntur Eremitani nunc, non fuerint ante Mendicantes.* Horum tamen Institutionem Concilium Oecumenicum Lateranense IV præcessisse, declarat *Gregorius X.* in Decretali *Religionum*, Tit. *De Religiosis Domibus*, in Sexto. *Innocentium III.* primum Pontificem fuisse à quo Eremitæ Augustiniani aliquod Privilegium habuerint, *S. Antoninus* mox laudatus asserit. Idem Pontifex Epistolis LXXXVII. & LXXXVIII. lib. XIV. Abbati & Conventui Majoris Monasterii Turonensis, Monasterii *Eremitarum Fontis Giardi* donationem ab Episcopo Cenomanensi factam confirmavit, eò quod *Fontis Giardi* Fratres vitæ & conversationis fuerant dissolutæ. Qui nihilominus conquesti sunt de violentiâ sibi illatâ, exponentes coram Apostolis Commissariis, *Quòd ab institutione ipsius domûs, secundùm B. Augustini Regulam conversantes, vixissent ibidem vita & habitu in Ordine Regulari.* Idem Pontifex Cap. *Insinuante*, Tit. *Qui Clerici vel Voventes Matrimonium contrahere possint*; Mulieris cujusdam nobilis Matrimonium irritum declarat, quæ *votum emiserat castitatis in manibus cujusdam de Fratribus S. Augustini, eo adjecto tenore, ut in domo propria cum omni substantia sua remaneret: ac in ejusdem Ordinis habitu biennio post permanserat.* Plures fabulas seu falsas opiniones de Augustinianorum Eremitarum origine excussit *Gabriel Pennotus* lib. I. Historiæ Tripartitæ.

A Joachimo Abbate prædictus.

Ut autem magis innotescat quis esset XIII. Sæculo hujus Ordinis status, operæ pretium est observare, quinque tunc fuisse Congregationes Eremitarum, primam *S. Guillelmi*, alteram *S. Augustini*, tertiam *F. Joannis Boni*, quartam *De Fabali*, quintam, *de Brictinis*. S. Guillelmi Canonizatio ab *Innocentio III.* facta anno MCCII. propagandi latiùs Ordinis Guillelmitani causa fuit, quem tunc in duas Congregationes divisum legimus. Primæ caput fuit Monasterium in *Stabulo Rhodis*, quo in loco Vir Sanctus obierat: alterius, Monasterium *De Fabali Monte*, quæ Congregatio proprio Generali parebat, sub Regula *S. Benedicti*, quam Guillelmitis dedit *Gregorius IX.* *Innocentius IV.* confirmavit, Diplomate dato Lugduni, VIII. Nonas Septembris, anno Pontificatus VII. Christi MCCL. quod *Samson Hains* exhibet in libro *De veritate Vitæ & Ordinis S. Guillelmi.* Congregationem Eremitarum *de Brictinis*, Gregorius IX. anno I. Pontificatûs VI. Kalendas Decembris dato Diplomate, quod incipit his verbis, *Sacrosancta Romana Ecclesia*, in protectionem Sedis Apostolicæ suscepit; eique anno sequente *Regulam S. Augustini* tradidit. Utrumque Diploma *Laurentius Empoli* Bullario Augustiniano inseruit. Alteram Congregationem Eremitarum Budrioli in Cæsenate Diœcesi instituit *B. Joannes Bonus*, Mantuæ anno MCCXLIX. die XXIII. Octobr. vitâ functus. His Regulam *S. Augustini*, cum nigro habitu, *Gregorius IX.* dedit, ut constat ex *Innocentii IV.* Diplomate, quod incipit; *Admonet nos cura*, & refertur in Bullario Augustiniano Num. XIV. Proprios Generales habuit, I. *B. Joannem Bonum*, deinde *Matthæum*, postea *Hugonem* & *Marcum* in schismate electos, denique ipsis ultro cedentibus, *Lanfrancum*, quem *Guillelmus S. Eustachii* Cardinalis *Innocentii IV.* auctoritate confirmavit, ut ex Diplomate mox laudato compertum est. Eremitæ qui nec ad Congregationem *S. Guillelmi de Stabulo Rhodis*, nec ad Congregationem *S. Guillelmi de Fabali*, nec ad illam *de Brictinis*, nec ad *B. Joannis Boni* pertinebant, nec suum Generalem habebant, sed parebant Episcopis, *Eremitæ S. Augustini* simpliciter dicebantur. *Innocentius IV.* varios Eremitas in Etruria potissimùm degentes in unum Religionis corpus adunavit, sub una *S. Augustini* Regula, unoque Superiore Generali, ac Religiosam illam Societatem multis ornavit Privilegiis, ut, FF. Prædicatorum instar ac Minorum, & ipsi Ecclesiæ servire ac prodesse possent; ut *Jordanus de Saxonia* in Vitis Fratrum lib. I. cap. XIV. narrat. Guillelmitæ ab hac unione sunt excepti, ut constat ex Innocentii IV. Literis datis Laterani XVII. Januarii Pontificatûs anno primo, id est, Christi MCCXLV. quæ sic inscriptæ sunt; *Innocentius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis Eremitis (Exceptis Fratribus S. Guillelmi) per Tusciam constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.* Hoc Diploma refert *Joannes Marquez* in Historia Augustiniana, Cap. III.

Status Ordinis XIII. Sæculo.

Alexander IV. varias Congregationes Eremitarum, *quarum quædam S. Guillelmi, quædam S. Augustini Ordinum, nonnulla autem Fratris Joannis*

nis Boni, *aliqua verò de Fabali*, *alia verò de Brictinis censebantur*, *& apud homines ambiguis interdum nuncupationibus vacillabant*, cooperante *Richardo* S. Angeli Diacono Cardinali, in unam redegit Ordinis Augustiniani observantiam, sub uno Priore Generali *Lanfranco*, qui tunc *B. Joannis Boni* Congregationi præerat. Hæc discimus ex Diplomate *Alexandri IV.* cujus initium est, *Licet Ecclesia Catholica integritatem*, dato xv. Nonas Maii, anno Pontificatus II. ut habetur in Bullario Romano, seu potius v. Idus Aprilis, ut habetur in Bullario Augustiniano, juxta autographum in tabulario Ordinis Romæ asservatum. Eremitis *S. Guillelmi* mutationem pristini status ægrè admodum ferentibus *Alexander IV.* postmodum permisit ut suis legibus viverent, sub *Regula* scilicet *S. Benedicti*, *secundum Institutiones S. Guillelmi*, & sub proprio Generali. Hoc Diploma referunt *Samson Hains*, *Chrysostomus Henriquez*, & alii. De Ordinis Eremitarum *S. Augustini* propagatione, Sanctis & Illustribus Viris, qui plura discere peroptabit, legat *Joannem Marquez* in Historia Augustiniana Hispanicè conscripta; *Thomam de Herrera* in Alphabeto Augustiniano; *Nicolaum Crusenium*, in Monastico Augustiniano, *Pamphilum* Signinum Episcopum in Chronico Augustiniano, & ante omnes *Jordanum de Saxonia*, in Vitis Fratrum.

Ordo Servorum B. Mariæ.

XI. *Ordo Servorum B. Mariæ* Virginis exordium habuit Florentiæ, die Assumptæ Deiparæ Sacra, anno MCCXXXIII. septem viris nobilibus, quorum primus erat *Bonfilius de Monaldis*, cœlesti consilio in sanctæ illius Congregationis institutionem conspirantibus. Regulam *S. Augustini* cum nigra veste ab Episcopo Florentino susceperunt. Ordinem approbavit *Alexander IV.* eumdemque *Benedictus XI.* confirmavit. Venerabile templum sub Annuntiatæ Virginis memoria Deo sacrum, anno MCCL. extrui cœptum est: Cujus Imago Mysterii, biennio post Angelorum ministerio depicta, ibidem frequentibus fidelium votis, & miraculis celebris evasit. Anno MCCLIII. hunc Ordinem ingressus est *S. Philippus Bennitius*, anno MCCLXVII. in Generalem assumptus, maximo cum Sancti Sodalitii fructu & commodo. Is in Ordinem admisit *Joachimum* virum pariter sanctum. Obiit *S. Philippus Bennitius* anno MCCLXXXV. die XXII. Augusti, quo ejus memoria colitur. De hoc Ordine curiosum lectorem plura docebunt *Michael Pocciantius* in Chronico, & *Archangelus Gianius* in Annalibus. Ejusdem nominis Congregatio Massiliæ instituta est anno MCCLVII. in Cœnobio *S. Mariæ de Areno*, cujus Fratribus Regulam *S. Augustini* tradidit *Benedictus* Massiliensis Episcopus. Illam *Clemens IV.* Pontifex Maximus confirmavit anno MCCLXVI.

Celestinorum Congregatio.

XII. *Celestinorum* Congregatio sub Regula *S. Benedicti* erecta est à *Celestino V.* Pontifice Maximo, antequam Pontifex creatus esset, de qua *Clemens V.* in Canonizationis ejus Diplomate: *Vir Sanctus* (inquit) *cupiens divinum ampliare cultum*, *Congregationem Monasticam sub B. Benedicti Regula*, *superadditis ei Statutis arctissimis ordinavit*, *ubi Fratrum suorum Deo famulantium adauctâ multitudine numerosâ*, *fundatisque locis non paucis in quibus Christus Jesus ab ipsis jugiter laudaretur*, *vixit cum eis cunctis florens virtutibus*, *ac eximia sanctitatis operibus informans & reformans universos.* Congregatio primùm *Sancti Spiritus de Sulmona* vocata est à primario Cœnobio, quam sanctus conditor *Petrus de Morone* Pontifex factus & *Celestinus V.* appellatus confirmavit, ac amplissimis Privilegiis donavit, Diplomate quod incipit: *Etsi cunctos*, dato v. Kalendas Septembris, Pontificatus anno I. Christi MCCXCIV. Eamdem Congregationem sub Sedis Apostolicæ protectione recepit, novisque gratiis auxit *Benedictus XI.* Diplomate quod incipit, *Religiosam vitam eligentibus*, dato secundo Idus Martii anno MCCCIV.

Congregatio Montis Oliveti.

XIII. *Congregatio Sanctæ Mariæ Montis Oliveti*, à *B. Bernardo Ptolomæo*, qui ante conditum Ordinem *Joannes* vocabatur, Acconæ in Aretina Diœcesi instituta est anno Christi MCCCXIII. adjunctis ipsi sociis *Patritio* & *Ambrosio*. Multi virtutum heroïcarum, quæ in ipsis elucebant, famâ ad idem vitæ genus invitati. Priorum Sodalium quietem interturbare, sanctique consilii progressum impedire, humani generis hostis aggressus est. Novitatis nomine ab Inquisitore delati ad *Joannem XXII.* qui tunc in S. Petri Cathedra sedebat, Avenionem evocati sunt. *Ptolomæus* duos è Sociis ad Summum Pontificem delegavit, qui de ipsorum vivendi ratione ac instituto, cæterisque, de quibus rogarentur, ejus Sanctitati responderent. Ipsos benignè exceptos ac lubenter auditos Christi Vicarius ad *Guidonem Petramalium* Aretinum Episcopum & Principem cum Literis Apostolicis remisit, dans ipsi in mandatis ut eorum consilia regeret, & aliquam vitæ normam ab Ecclesia probatam ipsis præscriberet, ne suo viverent arbitratu. Episcopus preces ac jejunia Religiosis Commilitonibus indixit, quibus exactis, Deipara Virgine in somnis admonente ipsos albis vestibus indutos ad vota nuncupanda secundùm *S. Benedicti* Regulam admisit, ut ejus observantiam tunc penè in Italia collapsam restaurarent. Annus Christi MCCCXIX. vertebatur. Anno MCCCXXIX. *Joannes XXII.* Monasterium *S. Mariæ de Monte Oliveto* in Accona sub Sedis Apostolicæ protectione suscepit. *B. Bernardo* Religiosam Præfecturam recusante, primus Abbas electus est *Patritius*: huic *Ambrosius* abdicanti successit; cui non multò post defuncto, subrogatus est *Simon Senensis*: post hujus obitum Pii Sodales à *B. Bernardo* multis precibus tandem impetrarunt ut teneræ Congregationis administrationem susciperet, anno MCCCXXXI. Quam decem auctam Cœnobiis *Clemens VI.* Pontifex Maximus confirmavit anno MCCCXLIV. *B. Bernardus Ptolomæus*, cùm anno MCCCXLVIII. in Cœnobium Senense concessisset, Fratribus, quorum maxima pars pestilenti lue, quæ per Etruriam, immo Italiam totam fœdè grassabatur, icta erat, solatium auxiliúmque allaturus, lethifero ipse morbo correptus ac brevi confectus, ad vitam migravit immortalem, XI. Kalendas Septembris.

A quo instituta?

Sub quâ Regula?

A quo Pontifice confirmata?

Congregatio Monachorum Corporis Christi, Ord. Cisterc.

Olivetanæ Congregationi ab annis ampliùs centum adjuncta est *Congregatio Monachorum Corporis Christi*, anno scilicet MDLXXXII. Istius Congregationis natales ad initium XIV. Seculi probabiliter referuntur. Ignotus Author Festivitate Corporis Christi ab *Urbano IV.* institutâ, & à *Clemente V.* in Concilio Viennensi confirmatâ, Viros quosdam Religiosos Sanctissimi Sacramenti adorationi sese devovisse, ac Officii à Sancto *Thoma* jussu *Urbani IV.* editi recitationi se adstrinxisse, verisimile est, qui propterea *Monachi Albi Corporis Christi*, & *Fratres de Officio Corporis Christi* sunt appellati. Congregationis Caput Gualdense Monasterium *Corporis Christi* fuit, in Umbria, in Nucerina Diœcesi: Ex quo sacram coloniam in fines suos traduxit *Joannes* Fulginatum Episcopus, ac in Æde Sacra *S. Mariæ in Campis*, juxta Fulgineam, consentientibus Canonicis collocavit, III. Idus Octobris anno MCCCLXXIII. Gualdensi Monasterio bellis aliisque tempestatibus imminuto, sacer Principatus in Congregationem reliquam Cœnobio *S. Mariæ de Campis* à Romano Pontifice *Bonifacio IX.* delatus est, qui & eorum annuens postulatis, ipsos Ordini Cisterciensi adjunxit, ejusdémque Ordinis Privilegia

cum

cum ipsis communicavit, ipsam tamen Congregationem *FF. Corporis Christi* nomine distinctam manere jubens. Diploma datum anno MCCCXCIII. Fulginense Monasterium *S. Mariæ Majoris Ordinis* FF. *de Officio Corporis Christi Ordinis Cisterciensis*, appellatum, vetera probant documenta. Monachos albos Corporis Christi Benedictinam Regulam professos, conjicere est ex eorum ad Cisterciensia aggregatione. Abbas Generalis Congregationis Corporis Christi triennio quolibet eligebatur. Penes Abbatem *S. Salvatoris de Monteacuto*, Cisterciensis Ordinis, in Perusina Diœcesi, confirmationis potestas erat. *S. Salvatoris* Cœnobio bellicis tumultibus, aliísque calamitatibus collapso, *Bonifacius IX.* Monasterium *S. Mariæ de Campis*, Abbatiæ *S. Galgani* in Volaterrano addixit. Qua pariter cadente, Ugolinus Trincius Princeps à Summo Pontifice obtinuit, ut Monasterium *S. Mariæ de Campis* sui juris esset, nec à Cisterciensibus ullo pacto penderet; servatis nihilominus Privilegiis. Quod à *Martino V.* anno MCCCCXIX. & *Eugenio IV.* anno MCCCCXLIII. confirmatum est. Hæc porro Cœnobia *Congregatio Monachorum Alborum Corporis Christi* complectebatur. 1. *Corporis Christi de Gualdo.* 2. *S. Angeli de Murono.* 3. *S. Catharinæ de Santanasolia.* 4. *S. Joannis de Buschio.* 5. *Corporis Christi de Buscho*, in agro Nucerino. 6. Aliud in Camerinensi. 7. Alterum in Perusina Diœcesi. 8. *S. Herculani de Perusio.* 9. *Corporis Christi & S. Mariæ Annunsiatæ, de Montescio, S. Jacobi de Tuderto, & S. Mariæ in Campis*: Quorum omnium *Bonifacii IX.* Diploma mentionem facit. Præterea, *S. Silvestri de Tuderto*, *S. Crucis de Comitibus Chigiani Nuceranis*: *SS. Gervasii & Protasii de Gualdo*; *S. Florentii de Perusio*, *cum Sacello S. Herculani*; *S. Joannis de Fillilo* quod extra, & *S. Hieronymi*, quod intra Camerinum. Fulginei verò Virginum Bethleemiticarum Monasterium moderabatur. Tudertini Corporis Christi ad *S. Silvestri* Monachi circumferendæ solemni pompa Eucharistiæ in Solemnitate Sanctissimi Sacramenti Clero universo & populo confluentibus, Privilegium habebant. Ista discimus ex *D. Secundo Lancelotto* Abbate Olivetano, lib. II. Historiæ Olivetanæ, Cap. LXIX. & LXX. Olivetani Ordinis exordia describuntur in Vita S. *Franciscæ* Romanæ à *Magdalena Anguillaria* Præside Oblatarum Turris Speculorum Italicè edita, Latinè verò à PP. *Henschenio & Papebrochio* S. J. inter Acta Sanctorum mensis Martii, Tomo II. ad diem IX. Cap. VIII.

Eremitæ S. Pauli.

Ordinis institutio.

XIV. *Ordo Eremitarum S. Pauli* primi Eremitæ, in Hungaria Authorem habuit *Eusebium* quemdam Strigoniensem, ut scribit *Silvester Maurolycus* lib. I. Oceani Religionum. Huic Sociísque certam piè vivendi normam *Bartholomæus* Quinqueecclesiensis Episcopus tradidit. Rogatus deinceps *Urbanus IV.* Pontifex Maximus ut hancce Congregationem approbaret, eique Regulam *S. Augustini* traderet, abnuit. Interim *Paulus* Vesprimiensis in Hungaria Antistes quasdam his Eremitis leges dedit anno MCCLXVIII. Anno MCCC. primus toti Congregationi præpositus est Prior Generalis F. *Laurentius Strigoniensis*. Missus à *Clemente V.* in Hungariam Sedis Apostolicæ Legatus *Gentilis de Monte Floris* S. R. E. Cardinalis Tit. *S. Martini in Montibus*, ex Ordine FF. Minorum assumptus anno MCCCVIII. singulari eum Ordinem benevolentia prosecutus, Regulam *S. Augustini* ipsi tradidit, scribendi Constitutiones, Generalia Comitia congregandi potestatem fecit. Denique *Joannes XXII.* eumdem confirmavit Ordinem, & multis auxit Privilegiis, *Caroli* Ungariæ Regis adductus precibus. Diploma ea de re datum Avenione x. Kalendas Decembris anno XIII. Pontificatus, id est, Christi MCCCXXVIII. apud *Odoricum Raynaldum* ad eum annum, Num. LXXXIII. legere est.

Regula.

Confirmatio.

Ordo Jesuatorum

A quo instituti, confirmati, extincti.

XV. *Jesuatorum Ordini*, sic appellato quòd Sanctissimum Nomen *Jesu* frequenter in ore haberent, initium dedit Senis *Joannes Columbinus* vir nobilis & sanctus: Quem *Urbanus V.* sub Regula *S. Augustini* confirmavit anno MCCCLXVII. De his legendi *Sylvester Maurolycus* in Mari Oceano Religionum, lib. V. & *Paulus Morigia*. Hunc Ordinem extinxit *Clemens IX.* Pontifex Maximus Diplomate dato die VI. Decembris MDCLXVIII.

Ordo S. Brigittæ.

XVI. *S. Brigitta*, Regum Suecorum genere prognata, *Ulphoni* Neritiæ Principi matrimonio juncta est. Susceptis ex thoro immaculato octo liberis, quatuor maribus, totidemque fœminis, continentiam cum eo servavit, & ad *S. Jacobum* in Compostella, aliáque sacra loca cum ipso peregrinata est. Quo in Ordine Cisterciensi piè defuncto, Sancti Spiritus impulsu Romam, & Hierosolyma ad sacra loca lustranda profecta est, asperrimo vitæ genere, prophetiæ dono, Revelationibúsque divinis, quæ & scriptis mandatæ extant, ubique celeberrima, & omnium penè sui temporis Scriptorum stylo celebrata. Religiosum Ordinem instituit *S. Salvatoris*, sub Regula *S. Augustini*, additis novis Sanctionibus, Christi revelatione. Veste & chlamyde grisei coloris tam viri quam fœminæ induebantur, cruce rubeâ chlamydi intertexta, cum albo circulo in medio. Hujus Ordinis meminit *Thomas Walsinghamus* in Historia Anglicana, in *Henrico V.* pag. 387.

Ejus Regula.

Sancti Augustini, (inquit) *profitentur Regulam, quæ cum aliis adjectis ceremoniis vocatur ab eis Regula Salvatoris. Iis non licet habere proprium, non quidem obolum nec pecuniam tangere quovis modo. In hoc Monasterio juxta Regulam debent esse Sorores* LX. *Sacerdotes* XIII. *Diaconi* IV. *octo Fratres Laici; quibus omnibus computatis, tantus erit numerus personarum, quantus erat* XIII. *Apostolorum, &* LXX. *Discipulorum Christi. Hi non lineis, sed laneis semper utuntur. Qui duos Conventus habebunt, unam Ecclesiam in communi: Moniales habebunt superiùs sub tecto: Fratres inferiùs ad terram. Et sunt utrique Conventus separatim inclusi: quibus post professionem non licebit egredi, nisi de Domini Papæ licentiâ speciali. Isti duo Conventus debent habere ex Regula sufficientem dotationem ad sustentationem personarum & servientium, ac supportationem onerum tanti Monasterii: ita quòd absque indigentia & mendicitate tam in anno sterili quam fertili possint sufficienter & quietè subsistere. Postea verò si totus mundus possessiones & prædia eis offerret, quiddam omnino recipere non liceret. Ante Festum omnium Sanctorum annuatim computari debent & præsciri victualia, & necessaria anni subsequentis, & quæcumque tunc remanent de victualibus seu pecunia anni tunc instantis, in crastino omnium Sanctorum debent pauperibus erogari. Si verò aliquando victualia sequentis anni videntur non sufficere, tunc de pecunia aut victualibus imminentis anni additur sequenti anno, quantùm necesse est & non plus, si Abbatissa, & Generalis ejusdem loci Confessor; periculum animæ suæ voluerint evitare. Et ex post quidquid remanserit, egenis dari debet. Abbatissa cum consensu Sororum & Fratrum eligere debet unum de* XIII. *Sacerdotibus in Confessorem Generalem Monasterii, cui omnes Fratres obedire debent, & contra præceptum ejus nihil omnino facere. Nullus secularium virorum, seu mulierum secularium, seu Religiosorum, ingredietur Monasteria Monialium. Hos ritus & plures alios observant hujus novellæ Religionis Professores.* De *S. Brigitta* & de ejus Ordine legi potest *S. Antoninus III.* P. Chronici

 Tit.

Tit. xxiv. Cap. xi. Hunc *Urbanus V.* Pontifex Maximus confirmavit. Ejus habitum non induit Sancta illa Mulier. Caput Ordinis Vvatzstenense Monasterium erat in Diœcesi Lyncopensi. Obiit admirabilis Vidua Romæ x. Kalendas Augusti anno MCCCLXXIII. A *Bonifacio IX.* Pontifice Maximo in Sanctarum numerum relata est, anno MCCCXCI. Rursus à *Joanne XXIII.* in Concilio Constantiensi, supplicantibus Regnorum Sueciæ, Daniæ, & Norvegiæ Oratoribus ejus sanctitas declarata est, ut *Trithemius* in Chronico Spanhemensi, & *Nauclerus* Generatione XLVIII. testantur. Tandem ne ipsius Canonizatio tempore Schismatis, à Pontificibus, quos universa non agnoscebat Ecclesia, facta vacillaret, tertiò postulata est à *Martino V.* cujus ea de re Constitutio Florentiæ data Kalendis Julii, anno Christi MCCCCXIX *S. Brigittæ* Revelationibus præmittitur. Ad Monasterium Vvatzstenense post obitum *Brigittæ* Matris Sanctissimæ se contulit *Catharina* ejus filia, ipsius venerandas Reliquias deferens, ibique suscepto Religionis habitu & votis nuncupatis, Abbatissa electa, Romam postea missa est à Sueciæ Rege ad Matris Canonizationem promovendam. *S. Catharinæ Suecicæ* Vitam apud Bollandi Continuatores legere est ad diem XXIV. Martii.

S. Brigittæ Canonizatio.

Ordo Hieronymitarum. A quo institutus & confirmatus? Regula.

XVII. Anno MCCCLXXIV. Hieronymitarum Ordo in Castella institutus est à *Petro de Guadalfaxara*, aliisque viris nobilibus, partim Italis, partim Hispanis; quibus Regulam S. Augustini *Gregorius XI.* Pontifex Maximus tradidit, certasque Constitutiones confirmavit, ac proprium designavit habitum. *Petrus* hanc Regulam Avenione coram Pontifice ritu solemni professus, Prioris ornatus dignitate in Castellam remissus est cum literis commendatitiis ad *Henricum* Regem, quibus Pontifex ejus Majestatem rogabat ut novo Ordini faveret. Illas descripsit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCLXXIV. Num. XXII. De istius Ordinis exordio scribit *Joannes Mariana* lib. XVII. de Rebus Hispaniæ, Cap. XVIII. *Octobris die quindecimo, Gregorio Pontifici ratio vivendi probata est, quam ii Monachi consectantur in Hispania, quibus a Divo Hieronymo nomen est, ædificiorum amplitudine, divinas laudes concentu suavissimo decantandi studio, clausura patientiâ præcipui præ cæteris atque præstantes: nativis lanarum coloribus extra veneto, intus candido distincti. Quidam viri Itali pietatis studio incensi, non procul Toleto domicilium constituerunt ab hominum conventu secretum. Horum vitæ genus propter excellentem sanctitatis opinionem æmulati alii, sese illis adjunxerunt. Viri in eo numero primarii, Fernandus Joannes Templi Toletani Canonicus, Pecha fratres, Alfonsus, Petrusque: hic Regius Cubicularius, ille Genuensis Episcopus. Primum huic Ordini Monasterium legibus institutisque temperatum, prope Caracam, supra Lupianam pagum. Regum Principúmque munificentiâ deinde multa alia fundata sunt.* Plura docebunt Ordinis Historici, *Hermenegildus à S. Paulo, Joseph de Siguença, & Franciscus de los Santos.*

Ordo S. Ambrosii. A quo confirmatus?

XVIII. *Ordo S. Ambrosii* dudum institutus, sed absque certa Regula à Sede Apostolica approbata, rogante *Simone* Mediolanensi Archiepiscopo, sub *S. Augustini* Regula à *Gregorio Undecimo* confirmatus est, cum potestate recitandi Ambrosianum Officium; Priorem eligendi, cujus confirmatio ad Mediolanensem Archiepiscopum pro tempore existentem pertineret; prædicandi verbum Dei; Confessiones audiendi, & mortuos sepeliendi sine præjudicio Parochialis Ecclesiæ. Diploma ea de re datum Avenione III. Kalendas Decembris anno MCCCLXXV. Tom. I. Bullarii Romani pag. 289. legere est. Caput Ordinis, Monasterium Mediolanense *S. Ambrosii ad Nemus.*

Ordines Equestres. Ordo S. Mariæ Gloriosæ.

XIX. Ordines etiam Equestres XIII. & XIV. Seculo instituti: in primis *Ordo S. Mariæ Gloriosæ*; cujus officium erat procuratio & conciliatio pacis in [illegible]tatibus Italiæ, quæ Gibellinorum & Guelforum intestinis odiis bellisque conflagrabant. Author Instituti fuit *Bartholomæus*, Ordinis FF. Prædicatorum vir sanctus, patria *Vicentinus*. Ab *Urbano IV.* Pontifice Maximo confirmatus est Constitutione Viterbii data anno Pontificatus I. Christi MCCLXI. Kalendis Januarii. Tunicâ albâ, & subcinericiâ togâ induti, crucem purpuream in campo albo, duabus supra positis stellis præferentes, Regulam *S. Augustini* profitebantur; viduarum & pupillorum tutelam suscipiebant; pacem & concordiam inter homines pro sua virili promovebant, fovebántque. Quos etiam, quòd suis quique in ædibus cum uxoribus & liberis vitam agere permissi sint, vulgus *FRATRES GAUDENTES* appellavit. De his *Ghirardacius* in Historia Bononiensi.

Ordo Pœnitentiæ sanctorum Martyrum.

Prodiit in Palæstina circa annum MCCL. Equestris *Ordo Pœnitentiæ SS. Martyrum*, sub Regula *S. Augustini*, cujus meminere qui de Ordinibus Militaribus scripserunt, præsertim *Franciscus Menenius.*

Ordo S. Lazari.

Ordinem Fratrum & Militum *Hospitalis Leprosorum S. Lazari Hierosolymitani*, longè ante sua tempora institutum, sub *S. Augustini* Regula confirmavit *Alexander IV.* anno Christi MCCLV. Diploma ea de re datum extat in Bullario Romano. De hoc Ordine legendi *Beloius & Menenius* in libris suis de Ordinibus Equestribus, & *Maurolicus* in Mari Oceano omnium Religionum. Eumdem Ordinem *Clemens IV.* Privilegiis auxit.

Ordo Montesiæ.

Ordo Montesiæ, ab urbe Regni Aragonii, in qua sedes ejus præcipua constituta est, appellatus; sub nomine *S. Mariæ & S. Georgii*, Ordini Calatravæ aggregatus, & Cistercienfium leges sub proprio Magistro servare jussus; Valentinum Regnum à Maurorum incursibus tueri. Veste candida cum rubra Cruce novi Milites insigniti. Templariorum bona in Valentino tractu illis collata. *Joannis XXII.* Pontificis Maximi auctoritate hæc instituta Militia, idque Aragonii Regis precibus datum, anno MCCCXVII.

Ordo Christi.

Post biennium, in Lusitania, eodem Pontifice concedente, Sacra pariter Militia instituta est, cui à CHRISTO nomen, Mauris & Saracenis propulsandis, Cruce rubra, linea candida intersecante distincta. Cui etiam Templariorum bona ejusdem Regni attributa fuere. Sedes principalis Castrum Marinum Silvensis in Algarbiis Diœcesis; unde postea Tomarium migrarunt. De Montesia, & Christi Militia legendus *Mariana* lib. XV. cap. XVI.

Monasticæ Professionis tempus.

XX. De Monasticæ Professionis tempore, seu ætate quâ emitti posset, varia fuit etiam his seculis, quorum historiam teximus, Ecclesiæ Disciplina. *Hugo* Cluniacensis Abbas XVII. anno MCXCIX. electus, Statuta quædam edidit, in quibus istud legitur: *Nullus Regularibus vestibus infra viginti annos induatur, exceptis illis tantùm de Schola apud Cluniacum, sine quibus servitium Dei fieri non consuevit.* Hoc Statutum *Gregorius IX.* Pontifex Maximus temperavit, Diplomate quo Cluniacensium Reformationem sanxit, quod incipit his verbis: *Debemus non contenti quasi bos comedere paleas:* & extat in Bullario Romano Tom. I. *Cæterum*, inquit, *quia non est in primogenito bovis arandum, districtiùs inhibemus, ne pueri ante quintum decimum annum in Monachos admittantur, illis duntaxat exceptis, quibus in Cluniacensi Monasterio,*

nasterio, ex antiqua consuetudine, certum est Officium deputatum. Id confirmavit *Nicolaus IV.* Constitutione quæ incipit his verbis : *Regis Pacifici*, edita anno MCCLXXXIX. *Cæterùm quia Ordo videtur grave profitentibus jugum imponere, districtius inhibemus, ne ante quintumdecimum ætatis annum completum ad Monachalem Professionem puer aliquis admittatur.* Concilium Parisiense anno MCCXII. à *Roberto de Corceone* Sedis Apostolicæ Legato congregatum P. II. Cap. III. annum XVIII. pro Religionis ingressu præscribit : *Juxta ætatem recipiendorum ad Religionem, cujuscumque fuerint Ordinis, districtè prohibemus, ne aliquis recipiatur infra decimum octavum annum.* Concilium Oxoniense anno MCCCXXII. eamdem disciplinam sancit Cap. XLIII. *Monachus non recipiatur minor octodecim annis, nisi evidens utilitas seu necessitas aliud inducat.* Conventus Generalis omnium Abbatum Ordinis Benedicti 'à ab *Ottone* Sedis Apostolicæ Legato Londini anno 1238. celebratus, quemquam ante vigesimum annum completum ad Professionem, & decimum-nonum ad Probationem, in Monasterium admitti vetat. Virgines anno ætatis duodecimo ad Professionem admissas, colligitur ex Cap. *Indemnitatibus*, *De electione & electi potestate*, in Sexto. *Nulla Monialis*, inquit, *nisi duodecimum annum peregerit, & professa fuerit tacitè vel expressè, ad eligendum cum aliis admittatur.* Qui per annum integrum Monasticum habitum gestaverant, tacitâ Professione obstricti censebantur, nec ad seculum reverti poterant : ut colligitur ex Cap. *Ex parte*, *De Regularibus*, quod est *Honorii III.* & ex Cap. *Statuimus*, quod est *Gregorii IX.* Quæ de iis duntaxat Ordinibus intelliguntur, in quibus idem erat Novitiorum & Profitentium habitus, ut ipsi declarant. *Alexander IV.* C. *Non solùm*, *De Regularibus*, in Sexto, Fratribus Prædicatoribus & Minoribus sub pœna excommunicationis prohibet, *ne ante annum Probationis elapsum, aliquem ad Professionem recipiant*, vel impediant ne ad alium Ordinem transeat, vel ad seculum redeat ; *Nisi major quatuordecim annis existens, professus sit tacitè vel expressè, aut evidenter constet illum vitam voluisse mutare : quod tamen non præsumitur, nisi clarâ probatione, vel competentibus indiciis ostendatur.* Probationis annum omnino necessarium statuit *Bonifacius VIII.* Cap. *Beneficium*, *De Regularibus*, ut quis sit obstrictus Vitæ Monasticæ, *nisi constet quòd vitam voluerit absolutè mutare, vel habitum receperit Professorum.* Concilium Londoniense anno MCCXXXVII. statuit ut *postquam Novitii anno Probationis finito gestaverint habitum Monachalem, ad Professionem, juxta Decretalem Honorii Papæ, districtione Ecclesiastica vel Canonica per Abbatem protinus compellantur.* Quæ lex etiam ad *Canonicos Regulares & Moniales* extenditur. Concilium Lambethense anno MCCLXXXI. Can. XIX. idem statuit de Monialibus, eas nimirum *ipso facto professas* censeri debere, *postquam ultra annum vitam sponte in Collegio duxerint Regularem ; adeo ut ad seculum redire nullatenus permittantur, etiamsi benedictionem Episcopalem cum solemnitate voti emissi minimè perceperunt.* Et Monachos, *si ultra annum Religionis habitum in Monasterio sponte detulerint, & ipso facto ad seculum redierint, esse sicut Apostatas ab Ecclesiasticis Officiis repellendos, & ad repetenda sua Monasteria, secundum Juris exigentiam compellendos.*

Pretium pro Monasterii ingressu recipere nefas.

XII. Pretium pro ingressu Monasterii seu pro receptione ad Religiosam Professionem exigere, Ecclesia Simoniæ damnavit XIII. & XIV. Seculo. Concilium Lateranense IV. anno MCCXV. hac de re Canonem LXIV. condidit, cujus hæc sunt verba : *Quoniam Simoniaca labes adeo plerásque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in Sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare : ne id de cætero fiat, penitus prohibemus ; statuentes ut quæcumque de cætero talem pravitatem commiserit, tam recipiens quàm recepta, sive sit subdita, sive Prælata, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris Regulæ ad agendum perpetuam pœnitentiam retrudenda. De his autem quæ ante hoc Synodale Statutum taliter sunt receptæ, ita duximus providendum, ut remotæ de Monasteriis, quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis ejusdem Ordinis collocentur. Quod si propter nimiam multitudinem alibi fortè nequiverint commodè collocari : ne fortè damnabiliter in seculo evagentur, recipiantur in eodem Monasterio dispensativè de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis. Hoc etiam circa Monachos & alios Regulares decernimus observandum. Verùm ne per simplicitatem vel ignorantiam se valeant excusare : præcipimus ut Diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas Diœceses publicari.*

In hujus disciplinæ violatores *Innocentius III.* Cap. *Dilectus*, *De Simonia*, animadvertere jussit Cantuariensem Archiepiscopum, qui Diœcesim suam visitans, *in Monasteriis & Religiosis locis pullulasse reperetat simoniacam pravitatem, ita quod in eis multi pretio essent recepti, qui potius gratis recipi debuissent, immo etiam ad Religionis observantiam invitari.* Quomodo erga eos gerere se deberet, Cantuariensis rogaverat Archipræsul. Respondet Innocentius III. *Si adversùs eos qui labe fuerint hujusmodi maculati, accusatio coram te fuerit canonice instituta, postquam crimen ordine fuerit judiciario comprobatum, tam in dantes, quàm in recipientes, canonicæ severitatis exerceas ultionem. Quod si de hoc tibi per solam inquisitionem constiterit, eos qui per simoniacam pravitatem in locis talibus sunt recepti, ab illis amotos, ad agendam pœnitentiam ad Monasteria dirigas arctiora. Abbatibus autem & Abbatissis, Prioribus, Prælatis quibuslibet & Officialibus eorumdem, injungas pœnitentiam competentem : & donec illam peregerint, eos à Sacrorum Ordinum executione suspendas : Injungens Episcopis tuis, ut hanc formam per suas Diœceses studeant observare. Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum.*

Concilium Oxoniense anno MCCXX. Canone XXXIX. statuit ut Monachi vel Canonici Regulares, *pro receptione alicujus in domum Religionis, pecuniam aut quidquam aliud extorquere non præsumant : adeo ut si præ paupertate domus, ingrediens debeat vestire se ipsum, prætextu vestium, ultra justum pretium earum, ab eo nihil penitus recipiatur.* Et Canone XLVI. statuit ut *Episcopi provideant quòd Moniales in omnibus necessariis competenter sustentari possint de bonis Monasterii, nec sustineant ultra numerum aliquam admitti : nec etiam suscipiatur aliqua, quousque redacta fuerint ad numerum illum..... Si autem contigerit aliquam de cætero contra hanc formam admitti, tam Abbatissa quam Priorissa deponatur.*

Concilium Langesiense anno MCCLXXVIII. plures in Monasterium recipi vetat, *quàm ex locorum facultatibus competenter possint sustentari.*

Bonifacius VIII. C. *Periculoso*, *De Statu Regularium*, in Sexto, prohibet, *Ne in Monasteriis Ordinum non Mendicantium aliqua recipiantur de cætero in Sorores, nisi quos poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis sive proventibus absque penuria sustentari : si secus actum fuerit, irritum* decernit.

Concilium Coloniense anno MCCCX. Canone XXVIII. prohibet, *Ne in aliquo Monasterio Monachorum vel Monialium, cujuscumque conditionis vel Regulæ existant, in receptione vel admissione Monachi seu Sanctimonialis ad ipsum Ordinem, pecunia exigatur, vel pro receptione talis personæ ad Religionem, pacta, conditiones, aut conventiones de pecunia, vel alia re temporali ipsi Religiosi faciant, quovis nomine vel colore ad hoc quæsito. Sed id quod ex post facto parentes & amici personæ receptæ, pro eleemosyna & devotionis causa, absque pacto liberè contulerint, recipere valeant: dum tamen id fiat purè & simpliciter, sine fraude.*

Urbanus V. Cap. *Sanè*, *De Simonia*, lib. v. Extravag. Communium, prohibet *Ne tam à maribus quàm à mulieribus volentibus ingredi Religionem*, Abbates, Priores, Abbatissæ vel Priorissæ, *in earumdem personarum receptione, aut ante vel post illam, quoscumque pastus, prandia seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata vel deputanda, directè vel indirectè petere vel exigere quoquomodo præsumant: sed eas potius cum omnimoda pietate recipiant, ac in victu & vestitu, sicut alias personas suarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, domorum & locorum, sincera charitate pertractent. Illa dumtaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes, purè & sponte, & plena liberalitate, omnique pactione cessante, dare vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, domibus, & locis hujusmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi. Nos enim qui secus egerint, si sint singulares personæ, tum dantes quàm accipientes, Excommunicationis: si Capitulum vel Conventus fuerit, Suspensionis sententiis eo ipso decernimus subjacere: A quibus, præter quàm in mortis articulo, absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ licentia speciali.*

Hugo V. Cluniacensis Abbas statuit ut in Monasteriis Cluniacensis Congregationis *Nullus pactione seu pretio recipiatur; sed si quis quidquam sponte obtulerit, non respuatur ejus devotio. Et quoniam*, inquit, *ex susceptione debilium & inutilium personarum ista præcipuè pestis irrepsit, præcipimus ut nonnisi tales recipiantur in Monachos, qui apti sint servitio Dei, & non onerosi Fratribus, & utiles Monasterio.*

Sanctus Thomas Secunda Secundæ, Quæst. C. Art. III. in Responsione ad tertiam Objectionem, docet, *Quòd pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium. Licet tamen, si Monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiunt Monasterii opes.*

Sanctus Bonaventura in Libello Apologetico in eos qui Ordini Minorum adversantur, Quæst. XVIII. docet quòd *Ubi recipitur persona propter pecuniam, simonia est, quia ibi venditur spirituale, id est, consortium spiritualis Societatis, pro temporali, scilicet pro pecunia.... Ubi verò pecunia recipitur propter personam, quam aliàs libenter reciperent, si haberent unde eam pascerent, non videtur esse simonia, dummodo forma cum intentione concordet. Et hoc modo sustinemus quòd Sorores Sanctæ Claræ recipiunt pecuniam cum personis, si quando oportet eas plures personas recipere, quàm de facultatibus Monasterii congruè valeant sustentari.* Lege *S. Raymundum de Pennaforti*, in Summa Tit. I.

XXII. Parentes filios suos minorennes vitæ Monasticæ quandoque devovebant, sed ad seculum redire poterant, nisi anno ætatis XV. parentum oblationem confirmarent. *Guillelmus* Montispessulani Dominus condito testamento, quod Tom. IX. *Spicilegii* editum est, de *Guidone* filio suo ita statuit: *Guidonem filium meum volo esse Monachum Cluniacensem; & dimitto Ecclesiæ Cluniacensi centum libras, quibus dictus Guido sit contentus de bonis meis. Si ante Monachationem Guido decesserit, habeat dicta Ecclesia de istis centum libris tantum decem solidos.*

Puerorum oblatio à parentibus.

Innocentius III. Epistolâ CXVI. libri XV. ad Lugdunensem Archiepiscopum datâ, confirmat quod *cautum reperitur in Canone, ut minoris ætatis filiis, qui oblati Monasterio fuerint, suscipientes habitum vel tonsuram, si à Prælatis suis anno quinto-decimo requisiti, se in assumpta Religionis proposito consenserint permansuros, pœnitendi licentia præcludatur, aliòquin eis non adimatur ad seculum redeundi facultas, ne coactà præstare Deo servitia videantur.*

XXIII. Parochialium Rectores Ecclesiarum sibi temerè potestatem arrogabant prohibendi ne Parochiani sui Vitam Monasticam absque licentiâ suâ amplecterentur. Illorum audaciam reprehendit *Innocentius III.* Epist. CLXVI. lib. XIII. ad Decanum, & Archidiaconum de Loseo, & *Hugonem* Canonicum Cabilonensem. *Abbas*, inquit, *& Conventus Cisterciensis transmissa nobis petitione monstrarunt, quòd quidam Rectores Ecclesiarum Provinciæ Lugdunensis, ab iis qui vivi & incolumes ad eorum Ordinem transeunt, sibi fieri exigunt testamentum, & in eos quos iidem relinquunt in seculo, propter hoc Ecclesiasticam exercent Censuram, ac Capitulum illud quo eis à Sede Ecclesiastica indulgetur, ut licitè liberos & absolutos à seculo fugientes recipiant, interpretantes sinistrè; asserunt eos, licet aliàs absoluti existant & liberi, sine ipsorum licentiâ non posse ad Religionem transire, pro eo quòd Jure Parochiali iisdem obligati tenentur. Quocirca Discretioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus præsumptores prædictos à præsumptione hujusmodi, monitione præmissa, per Censuram Ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo compescatis.*

Liberum fidelium ad Vitã Monasticam eligendam consulunt Summi Pontifices.

XXIV. Quidam Monachi subditi erant Episcopis, alii ab eorum Jurisdictione Sedis Apostolicæ auctoritate erant absoluti. Cistercienses Abbates Obedientiam Episcopis profitebantur, ut constat ex *Honorio III.* C. *Ne Dei Ecclesiam, De Simonia*, cujus hæc sunt verba: *Adjicimus ut Archiepiscopi & Episcopi eâ sint formâ Professionis contenti, quæ ab origine vestri Ordinis noscitur instituta, quæ talis est: Ego Frater Abbas Cisterciensis Ordinis, subjectionem & reverentiam, & obedientiam a SS. Patribus constitutam, secundùm Regulam S. Benedicti, tibi, Domine Episcope, tuisque Successoribus canonicè substituendis, & Sanctæ Sedi Apostolicæ, salvo ordine meo, perpetuò me exhibiturum promitto.* Ordines FF. Prædicatorum & Minorum, aliorùmque Mendicantium, statim à confirmatione sua Immunitatem ab Episcoporum Jurisdictione, quoad monasticum regimen, & ea quæ regularem disciplinam spectant, Sedis Apostolicæ privilegio obtinuerunt. Quoad Sacramentorum verò administrationem & verbi ministerium, eisdem erant, suntque subditi. *S. Franciscus* Cap. IX. suæ Regulæ statuit ut *Fratres non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum.* Idem vetant FF. Prædicatorum Constitutiones. Idem Patriarcha Seraphicus Testamento suo cavit, jussitque Fratribus universis ut *ubicumque sunt, non audeant*

Regularium immunitas.

petere

petere aliquam Literam in Curia Romana, per se, vel per interpositam personam, pro Ecclesia, neque pro aliquo loco, neque sub spem prædicationis, neque pro persecutione suorum corporum; sed ubicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendam pœnitentiam cum benedictione Dei. Nec Prælulibus dumtaxat, sed etiam secundi Ordinis Sacerdotibus reverentiam docet exhibendam, nec ipsis repugnantibus in ipsorum Ecclesiis concionandum. *Dedit mihi Dominus* (inquit) *& dat tantam fidem in Sacerdotibus qui vivunt secundum formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, propter Ordinem ipsorum, quod si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam quantam habuit Salomon, & invenirem pauperculos Sacerdotes hujus seculi, in Ecclesiis in quibus morantur, nolo prædicare ultra voluntatem ipsorum. Et ipsos, & omnes alios volo timere, amare, & honorare sicut meos Dominos.* Idem vir Sanctus, *Wadingo* referente, ad annum MCCXIX. N. XXVI. his verbis filios compellabat: *Hoc sit nobis singulare Privilegium, nullum habere Privilegium, per quod elevemur in superbiam, vel in quo confisi, velimus ulli præjudicare vel lites excitare.* Istud Regulæ FF. Minorum caput, quo *S. Franciscus* illis prohibuit, ne repugnante Episcopo in ejus Diœcesi Conciones haberent, *Nicolaus III.* in Decretali, *Exiit qui seminat*, servari jubet: *Nisi per Sedem Apostolicam circa hoc pro utilitate populi Christiani sit concessum vel ordinatum aliud, vel in posterum concedatur, seu etiam ordinetur.*

Religiosorum præsertim Mendicantium immunitatem cùm ægrè ferrent Prælati plerique & Ecclesiarum Parochialium Rectores, ac illos in multis gravarent, *Gregorius IX.* Pontifex Maximus jussit ab hujusmodi gravaminibus abstinerent, & Privilegiis suis eos frui finerent, ut constat ex C. *Nimis iniqua*, & C. *Nimis prava. De Excessibus Prælatorum.* Contra septem & viginti gravamina Monachorum quieti provideras *Gregorius IX.* adversùs triginta vexationum modos *Clemens V.* remedium attulit, Clementina, *Frequens, De Excessibus Prælatorum*, & Prælatis jussit ut Viros Religiosos ex charitate foverent, eisque Jura sua & Privilegia inviolabiliter servarent. *Quia enim*, inquit, *una est Regularium & Secularium, Prælatorum & subditorum, Exemptorum & non Exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una fides, & unum baptisma: decet ut omnes qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, & sicut fratres adinvicem vinculo charitatis sint adstricti.* Quia verò Privilegiis interdum suis Viri Religiosi abutebantur, & in Jura Præsulum & Curatorum involabant, eorum excessus coercuit idem Pontifex Constitutione, *Religiosi: De Privilegiis & Excessibus Privilegiatorum.*

Ante Concilium Viennense per totum orbem vulgatum est, omnes & singulos Religiosos exemptos ad Jus commune redigendos. Unde Cistercienses Summum Pontificem adiere ad suæ conservationem immunitatis obtinendam, ut refert *Walsinghamus* ad annum MCCCXI. *Guillelmus Durandus* Mimatensis Episcopus in Tractatu *De Modo Generalis Concilii celebrandi*, jussu *Clementis V.* edito, eidemque oblato, parte II. Rubrica IV. probandum suscipit quòd *Juxta ordinationem divinam & generalem universalis Ecclesiæ, Episcopis tanquam Ordinariis, & potestatem Apostolorum in suis Diœcesibus habentibus, subdi debeant omnia Monasteria & loca Religiosa, Abbates, Abbatissæ, Monachi, & Moniales.* Quòd ex hypothesi quòd Dominus Papa exemptiones, libertates & immunitates hujusmodi concedere possit, *Non tamen expedit sibi, nec universali Ecclesiæ, nec statui Religionis, nec personis Religiosorum, eas concedi, propter plura mala, scandala, & dispendia, quæ proveniunt ex eisdem.* Quod ubi multis exsecutus est, ita concludit: *Ex quibus omnibus constat, quòd quæcumque modo prædicta Exemptiones, Immunitates, Privilegia, & libertates contraria & contraria legibus & juribus pro communi utilitate constitutis considerentur, sive quantum ad illos quibus conceduntur, quod revocari debent, cùm per eas tollatur ordo universalis Ecclesiæ, status, & gradus, & honor, virtus, & potestas Prælationis constituta à Deo, quibus omnes Religiosæ personæ & loca Religiosa debent esse subjecta in civitatibus, Diœcesibus, ac Provinciis ante dictis, Prælatis & Archiepiscopis commissis potissimè: Cùm ex ipsis exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, & Privilegiis, Legibus & Juribus communibus contrariis, nulla utilitas universalis Ecclesiæ subsequatur: sed eisdem populo efficiunt, & statui Religionis, & personis Religiosorum, & multa discordia, scissura, schismata, mala, scandala, onera & dispendia proveniunt ex eisdem, prout in præcedentibus plenius est probatum.* Magnum ad tollendas Exemptiones argumentum ex Templariorum lapsu petitum; cùm ii Episcoporum imperio & auctoritate soluti, agente longè Pontifice, nullius censuram pertimuissent, & Privilegia sua in munimenta flagitiorum convertissent. Varias etiam querelas ab Episcopis in Exemptos allatas, ex MSS. Vaticanis probat *Odoricus Raynaldus* in Appendice Tomi XVI. ad annum MCCCXII. Religiosi Viri suas editis etiam Commentariis Immunitates ac Privilegia tuiti sunt. Inter alios *Jacobus de Thermis*, Abbas Cariloci, Cisterciensis Ordinis, Tractatum edidit contra Impugnatores Exemptionum & Privilegiorum, quem legere est Tom. IV. Bibliothecæ Cisterciensis. Eumdem Tractatum in compendium redegit, quod Annalibus suis Ecclesiasticis inseruit *Odoricus Raynaldus*, loco mox laudato. *Clemens V.* & Concilii Viennensis Patres Exemptis faverunt, modo dumtaxat Privilegiis adhibitus est, cautùmque ne ipsis Religiosi Viri abuterentur, ut superiùs diximus.

Anno MCCCLI. in Religiosorum Mendicantium Privilegia novas instruxere machinas in Curia Romana Prælati, & Curati, nonnullis etiam Cardinalibus faventibus. Extinctionem Ordinum, aut certè Privilegiorum urgebant. Mendicantes non esse ab Ecclesia vocatos & electos objiciebant, nec eorum esse Fidelibus prædicare, Confessiones audire, sepulturas recipere. Religiosorum patrocinium suscepit *Clemens V.* Pontifex Maximus, *probans eos à Deo & Ecclesia vocatos ad auxilium regiminis Ecclesiæ, licet tardiùs quàm de multis, etiam eos inter alios vocatos deberi meritò computandos.* Hæc, aliàque longè gravissima in ipsorum defensionem à Summo Pontifice prolata refert Continuator alter *Guillelmi Nangii*, * ad eum annum. Non minùs Religiosis Mendicantibus favit *Innocentius VI.* contra *Richardum* Armachanum Archipræsulem Hiberniæ Primatem, referente *Thoma Walsinghamo*, ad annum MCCCLVIII. qui hic & quavis occasione datâ Mendicantes virulento calamo perstringit. *Armachanus*, inquit, *opiniones suas erga Fratres coram Summo Pontifice diu plurisque sustinuit, & ipsos manifestè à suis deviasse Regulis, multis rationibus demonstravit. Sed tandem, proh dolor! Clero Anglicano sibi subtrahente promissa, & exuberante in Curia Fratrum satis magnâ pecuniâ, adhuc lite pendente, Fratres sua Privilegia, sicut per ante, sub data nova obtinuerunt.*

* Tom. XI. Spicileg. pag. 815. 816. 817.

XXV. Non Monachi eligi non poterant in Abbates. Ita statuit *Innocentius III.* C. *Cùm ad nostram.*

Abbates ex Monachis eligi.

Forte, Lexoviensi.

tram. *De electione & electi potestate*: cujus hæc sunt verba: *Cùm ad nostram notitiam pervenisset, quòd H. qui se pro Abbate * Lexoviensi gerebat, non fuit ante Monachus quàm electus: Nos attendentes quòd contra Regulares Traditiones illud fuerat attentatum: cùm nullam spem vel promissionem habenet ut Abbas fiat, debeat monachari: electionem de ipso factam curavimus irritare.* Et C. *Officii*, (ibidem) cuidam Cardinali Sedis Apostolicæ Legato sic respondet: *Sanè nobis literis tuis intimasti, quòd cùm Monasterium quoddam positum in medio nationis perversæ, Pastore careret, Monachi de electione Abbatis tractantes, cùm non possent sui Ordinis idoneam invenire personam, in quemdam virum nobilem oculos direxerunt, per quem poterant meliùs defensari, & patrem adierunt ipsius, humiliter postulantes, quod filium suum induceret ut habitum susciperet Monachalem; nullam patri de ipsius promotione fiduciam tribuentes: & pater ad hoc induxit filium providum & discretum qui effectus Monachus, fuit in Abbatem electus: cujus electio extitit per Rectorem Messanensem Apostolicæ Sedis Legatum, qui omnibus prædictis interfuit, confirmata. Cùm autem idem sit paratus purgare se, quòd nullâ fuit ad hoc ambitione inductus: postulas edoceri, utrum dictus Legatus electionem confirmare vel dispensare potuit, vel quod factum est stare possit: & utrum electione cassatâ, iterum eligi valeat in Abbatem? Nos autem consultationi tuæ taliter respondemus, quòd cùm ex his quæ incontinenti subsecuta sunt, ostendatur, quòd talis taliter non possit eligi in Abbatem, maximè pro eo quòd antequam esset discipulus, voluit esse Magister: electionem illam irritam esse decrevimus & inanem. Verùm postquam fuerit in Regula competenter instructus (si urgens necessitas, & evidens utilitas ipsius Monasterii postulaverit) purgatione receptâ, poterit in Abbatem assumi, ne Monasterium opprimatur incursibus malignorum.* Idem statuit *Gregorius IX.* C. *Cùm in Magistrum*, cujus hic est tenor: *Cùm in Magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit; nec sit præficiendus qui subesse non novit: Nos intellecto per te, quòd in quibusdam Regularibus domibus, jure tibi Diœcesano subjectis, sunt quidam in Abbates, non professi Ordinem Regularem, assumpti: Mandamus quatenus cùm tales Abbates esse non debeant, qui per professionem Monachi & Regulares Canonici non fuerint, ad amotionem eorum, quos tales inveneris, sublato appellationis impedimento procedas.* Idem statuit *Bonifacius VIII.* C. *Nullus Religiosus*, *De electione & electi potestate*, in Sexto.

Religiosos alterius Ordinis eligi prohibuit *Clemens V.* Cap. *Cùm electioni*, *De electione & electi potestate*: cujus hæc sunt verba: *Cum rationi non congruat ut homines disparis professionis vel habitus simul in eisdem Monasteriis socientur: prohibemus, ne Religiosus aliquis in Abbatem vel Prælatum alterius Religionis vel habitus de cætero eligatur. Quod si secus actum extiterit, sit eo ipso irritum & inane.*

Monachi ad Ecclesiasticas Dignitates assumpti.

XXVI. Religiosos Viros, Ordinum etiam Mendicantium, ad Ecclesiæ regimen & dignitates, ac munera frequenter assumptos, ad Cardinalitiam, Patriarchalem, Archiepiscopalem, Episcopalem Dignitatem, immo aliquos ad Summum Pontificatum, Ecclesiæ, Ordinúmque singulorum Annales testantur. Episcopum Gebennensem electum, qui de Monastico habitu suscipiendo votum emiserat, ad votum adimplendum *Innocentius III.* compulit, ejus consultationi respondens Epistola XCIII. libri XVI. *Si tuam* (inquit) *omnino sanare desideras conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ memoratæ, ac reddas Altissimo vota tua: in hoc tibi gratiam facientes, quod si Capitulum ejusdem Gebennensis Ecclesia te postmodum canonicè duxerit eligendum, concedimus ut electionem recipias de te factam.*

A Clemens IV. Pontifex Maximus Diplomate quod incipit, *Providentia laudabilis*, dato V. Idus Junii, anno MCCLXVIII. statuit ut Fratres Ordinis Prædicatorum ad Ecclesiasticas Dignitates assumpti, antequam consecrationis munus recipiant, omnia quæ ab Ordine habent, Conventui resignent. *Universis Fratribus dicti Ordinis, ad hujusmodi Archiepiscopatus, Episcopatus, & Prælaturas de cætero assumendis, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ne consecrationis munus quoquomodo recipiant, antequam libros & bona contingentia Ordinem memoratum, quæ apud eos tempore suæ promotionis haberi* B *contigerit, Prioribus & Conventibus de quibus assumpti fuerunt, cum integritate resignent, nisi forsan iidem Priores de consensu ipsorum Conventuum usum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum: Alioquin eo ipso ab executione Pontificalis Ministerii noverint se suspensos.*

Monachi & Canonici Regulares Parochialium Ecclesiarum regimini præfici poterant, modò sui Ordinis Socium secum haberent. Id constat ex *Innocentio III.* C. *Quod Dei*, *De Statu Monachorum*, cujus hæc sunt verba: *Licet in Lateranensi Concilio de Monachis caveatur, ne singuli per villas & oppida,* C *per quascumque Parochiales ponantur Ecclesias... Quia tamen istud de Canonicis Regularibus specialiter non cavetur, qui etsi à Sanctorum Monachorum consortio non patiuntur sejuncti, Regulæ tamen inserviunt laxiori: Et per antiquos Canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari, ex quo debent Prædicationis Officium, quod privilegiatum est, exercere; sic annuendum duximus postulatis, ut exercens Plebani Officium (si commode fieri poterit) unum Canonicum Regularem tecum habeas ad cautelam: cujus in his quæ Dei sunt & Regularis observantiæ, tam* D *consortio quàm solatio perfruaris.*

Durandus Mimatensis Episcopus in Tractatu *De Modo Generalis Concilii celebrandi*, P. II. Rubrica XVI. de hoc disciplinæ capite ita scribit: *Cùm per Gelasium Papam fuerit constitutum, quòd etiam traditi in Monasterialibus Disciplinis possint assumi ad curam & regimen animarum.* LV. Dist. *Priscis*; De Statu Monach. C. I. & C. *Monachi.* XVI. Q. I. *Cùm pro utilitate*, & C. *Doctos*, cum eorum concor. *Videretur pensandum an expediret quod illi qui probati essent in dictis Religionibus, per Episcopos, dispensatione, assumi possent ad curam & regimen ani-* E *marum.*

Viri Religiosi ad Regum Consilia, & Legationes obeundas assumpti.

Quin etiam ad Regum Consilia, aliqui Religiosi ex Ordinibus FF. Minorum & Prædicatorum assumebantur, & Legationes Principales obibant, ut dolens refert novorum Ordinum æmulus *Matthæus Paris*, ad annum MCCXXXIX. pag. 330. *Et facti sunt*, inquit, *eo tempore Prædicatores & Minores Regum Consiliarii & Nuntii speciales: ut sicut quondam mollibus induti in domibus Regum, erant, ita nunc qui vilibus vestiebantur, in domibus, cameris, & Palatiis essent Principum.*

Episcopi ex Religiosis Ordinibus assumpti, qua ratione ad Regulares observantias adstricti censerentur.

F XXVII. Monachi ad Ecclesiasticas Dignitates assumpti, sui Ordinis habitum ferre, & Regulam Constitutionésque, quantùm in eo statu fieri potest, observare tenebantur. De habitu expressum est Concilii Lateranensis sub *Innocentio III.* Decretum, quod lib. III. Decretalium, Tit. *De vita & honestate Clericorum.* C. *Clerici*, insertum est: *Pontifices in publico & in Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur: nisi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalem.*

S. Thomas Secunda Secundæ, Quæst. CLXXXV. Art. VIII. hanc doctrinam tradit & propugnat. *Status Religionis*, inquit, *ad perfectionem pertinet quasi*

quasi quædam via in perfectionem tendendi. Status autem Episcopalis ad perfectionem pertinet, tanquam quoddam perfectionis Magisterium. Unde status Religionis comparatur ad statum Episcopalem sicut disciplina ad Magisterium, & dispositio ad perfectionem. Dispositio autem non tollitur perfectione adveniente, nisi forte quantùm ad id in quo perfectioni repugnat, quantùm autem ad id quod perfectioni congruit, magis confirmatur: sicut discipulo cùm ad Magisterium pervenerit, non congruit quòd sit auditor, congruit tamen sibi quòd legat & meditetur etiam magis quàm ante. Sic ergo dicendum est, quòd si qua sunt in Regularibus observantiis quæ non impediant Pontificale Officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, & alia hujusmodi, ad hæc remanet Religiosus, etiam factus Episcopus, obligatus, & per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, qui est hujus obligationis signum: si qua verò sunt in observantiis Regularibus quæ Officio Pontificali repugnant, sicut est solitudo, silentium, & aliqua abstinentia vel vigiliæ graves, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum Pontificale Officium, ad hujusmodi observanda non tenetur. In aliis tamen potest dispensatione uti, secundùm quod requirit necessitas personæ vel Officii, & conditio hominum cum quibus vivit. Addit in Responsione ad tertiam objectionem, Episcopos ex Ordinibus Religiosis assumptos, *Proprium nullo modo habere posse. Non enim paternam hæreditatem vendicant quasi propriam, sed quasi Ecclesiæ debitam. Testamentum autem nullomodo facere potest, quia sola ei dispensatio committitur rerum Ecclesiasticarum, quæ morte finitur, ex qua incipit testamentum valere, ut Apostolus dicit ad Hebræos 9. Si tamen ex concessione Papæ testamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere testamentum; sed Apostolica Auctoritate intelligitur esse ampliata potestas suæ dispensationis, ut ejus dispensatio possit valere post mortem.*

Viri Religiosi ad opus manuum non tenentur.

XXVIII. Viros Religiosos ad opus manuum non teneri, nisi sit Regulis & Constitutionibus Monasticis præscriptum, SS. Doctores *Thomas* & *Bonaventura* contra *Guillelmum de Sancto Amore* invictis argumentis propugnarunt. Doctissimas ipsorum Apologias legere quisque potest. Angelicus Doctor inter alia sanè luculentissima hæc habet: *Qui habent unde aliàs vivant, quàm de labore manuum, quia habent possessiones, quæ ad eorum vitam sustentandam à Fidelibus collatæ sunt; vel habent ministerium prædicationis sibi commissum, de quo vivere possunt, 1. Cor. 9. Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.... Similiter aliqui Religiosi sunt, qui Ecclesiæ deserviant in divino Officio, & de hoc etiam licitè vivere possunt. Unde dicitur 1. Cor. 9. Qui altari deserviunt, cum altari participant. Et de his duobus dicit Augustinus in lib. de Opere Monachorum:* Si Evangelistæ sunt, fateor, habent scilicet potestatem de sumptibus fidelium vivendi. Si Ministri Altaris, bene sibi istam non arrogant, sed planè vendicant potestatem. *Similiter sunt aliqui Religiosi, qui Sacræ Scripturæ vacant, & de hoc etiam licitè vivere possunt. Unde dicit Hieronymus in Epistola contra Vigilantium:* Hæc in Judæa usque hodie perseverat consuetudo non solùm apud nos, sed etiam apud Hebræos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra nisi solum Deum, Synagogarum, & totius orbis foveantur ministeriis. *Ergo patet quòd non omnes Religiosi tenentur laborare.*

Item sicut dicit Augustinus lib. de Opere Monachorum: Apostolus ibi manibus operabatur, ubi Judæis solo die Sabbati prædicare consueverat, habens reliquum tempus liberum ad manibus laborandum, sicut faciebat cùm esset Corinthi. Sed quando erat Athenis, ubi poterat quotidie prædicare, manibus non operabatur, sed vivebat de his quæ detulerant sibi Fratres de Macedonia venientes. *Ex quo patet quòd Officium Prædicationis non est propter laborem manuum dimittendum. Ergo illi qui possunt Prædicationi quotidie insistere, & aliis quæ ad salutem animarum spectant, sive auctoritate ordinariâ hoc agant, sive ex commissione alterius, debent omninò à labore manuum abstinere.*

Item non est possibile studio Sacræ Scripturæ continuò insistere, & de labore manuum victum quærere: sed sicut Gregorius in Pastorali dicit, exponens illud quod dicitur Exodi 25. Vectes semper erunt in circulis. Nimirum necesse est, *inquit*, ut qui ad Officium Prædicationis excubant, à Sacræ Lectionis studio non recedant. *Ergo illi qui ad prædicandum deputati sunt, sive ex propria auctoritate, sicut Prælati, sive ex Prælatorum commissione, debent à labore manuum cessare ut studio vacent.*

Item quòd Religiosi possunt labore manuum dimissa, studio Sacræ Scripturæ absque reprehensione vacare, patet per id quod dicit Hieronymus in Prologo super Job: Si aut fiscellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultus mei comederem panem, & ventris opus sollicita mente pertractarem, nullus morderet, nemo reprehenderet. Nunc autem quia, juxta sententiam Salvatoris, volo operari cibum qui non perit, & antiquam Divinorum Voluminum viam sentibus virgultisque purgare, error mihi geminus injungitur. *Et infra.* Quapropter, ô Fratres dilectissimi, pro flabello, calatis, sportulisque, munusculis Monachorum, spiritalia hæc & mansura dona suscipite. *Ergo patet quòd beatus Hieronymus qui erat Monachus, loco laboris manualis studium Sacræ Scripturæ assumpserat, de quo tamen ab invidis reprehendebatur. Ergo & aliis Religiosis hoc ipsum licet, quantumcumque murmurent detractores.*

Item Augustinus in lib. de Opere Monachorum; Qui relictâ vel distributâ, sive amplâ, sive qualicumque opulentiâ, inter pauperes Christi piâ & salubri humilitate numerari voluerint, si corpore ita valent, & ab Ecclesiasticis occupationibus vacant, si & ipsi manibus operentur ut pigris auferant excusationem, multò misericordiùs agunt, quàm cùm omnia sua indigentibus diviserunt. *Ex quo patet, quòd tam illos qui corpore non valent, quam illos qui Ecclesiasticis operibus implicantur, non vult manibus laborare. Sed inter Ecclesiasticas occupationes prædicatio est utilior & dignior. 1. Timoth. 5.* Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. *Ergo qui in prædicatione occupantur, non debent manibus laborare.*

Studio tamen & Prædicationi Fratres nostri manuale quoddam opus addebant, ut testatur Abbas Urspergensis, nempe librorum scriptionem: *Isti verò Prædicatores*, inquit, *studio & lectioni Sacræ Scripturæ jugiter insistentes, tantùm in scribendo libros opus faciebant.*

Regula *S. Francisci* de labore manuum ita statuit: *Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & devotè, ita scilicet ut excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis & devotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deservire. De mercede verò laboris, pro se suisque Fratribus corporis necessaria suscipiant, præter denarios vel pecuniam.*

FF. Carmelitarum Regula opus manuum ad fugiendum otium præcipit: *Faciendum est vobis aliquid operis, ut semper vos diabolus inveniat occupatos; ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire.*

Viri Religiosi in bona parentum succedere poterant, seu potius Monasterium eorum nomine.

XXIX. Viri Religiosi in bona parentum succedere poterant, ex asse heredes instituti, & hereditatem colligere, non sibi quidem, sed Monasterio attribuendam. Id probat *Innocentii IV.* Diploma Cisterciensis Ordinis Abbatibus datum anno M.CCXLVI. *Devotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut possessiones & alia bona, mobilia & immobilia, exceptis feudalibus, quæ personas Fratrum ad Monasteria vestra à seculo fugientium, & professionem facientium in eisdem, si remansissent in seculo, ratione successionis, vel quocumque alio justo titulo contigissent, petere ac retinere liberè valeatis, contraria consuetudine non obstante.* Idem jus FF. Minoribus Conventualibus asseruit *Clemens IV.* Diplomate dato II. Idus Februarii anno MCCLXV. *Ex parte vestra* (inquit) *fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli Prælati, Clerici, & Laici, in diversis mundi partibus constituti, asserentes vos mundo fore mortuos, nec valentes proprium possidere, vos occasione hujusmodi à quibuslibet successionibus excludere moliuntur. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut ne contingat vos propter hujusmodi præsumptionem talium, aliquod incurrere nocumentum, congruum remedium adhibere paterna diligentia curaremus. Nos itaque vestris petitionibus benignius attendentes, auctoritate Apostolica declaramus, quòd vos in temporalibus bonis, in quibus succederetis in seculo existentes, licitè possitis succedere, & bonorum ipsorum possessionem apprehendere, ac vendere liberè bona ipsa, eorúmque pretium in utilitatem vestram convertere, prout vobis meliùs videbitur expedire.* Viâ facti in Galliis plerumque ab hereditate arcebantur, à quâ nondum ullo Jure aut Edictis Principum erant exclusi. Contra quem abusum *Guilelmus* Parisiensis Episcopus lib. *De Moribus*, Cap. IX. ita scribit: *Alii à parentibus & propinquis eo modo in claustro projiciuntur, quemadmodum catuli & porculi, quos matres non sufficiunt enutrire, ut videlicet mundo non spiritualiter, sed (ut ita dicamus) civiliter moriantur: videlicet ut portione hereditaria priventur, & ad eos qui in seculo remanent, devolvatur. Et quantum ad hoc simoniaca est hujusmodi projectio, immersio, vel intentio.*

SCHOLION.

In hoc Articulo, Num. XXVI. pag. 195. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Fratres Episcopi facti, omnia quæ ab Ordine receperunt, Ordini debent restituere.*

R. *Clemens Quartus* Diplomate cujus verba ex loci descripsi, & quod Tom. I. Bullarii Romani pag. 172. editum est, statuit ut Fratres Ordinis Prædicatorum ad Ecclesiasticas Dignitates assumpti, antequam Consecrationis munus recipiant, omnia quæ ab Ordine habent, Conventui resignent. Cur id displiceat Religiosis Censoribus, conjiciant alii. Ego tamen non scripsi quod mihi imputant, sed: *Clemens IV. statuit*, &c. An ita statuerit necne, mera facti Quæstio est. Propositio à RR. Censoribus fabricata jus ipsum spectat, quod ibi non expendo: Quamquam & ista Propositio Canonico Jure niti videatur: *Quidquid enim acquirit Monachus, acquirit Monasterio*, & peculii, dominii, aut ususfructûs incapax est per votum paupertatis effectus.

ARTICULUS VI.

De Bonis Ecclesiæ, & eorum Administratione, Sæculis XIII. & XIV.

Clerici bonorum Ecclesiasticorum dispensatores dumtaxat, non domini censebantur.

I. ECclesiæ bona pauperum patrimonia: eorúmque dispensatores, non domini Clerici censebantur. Hanc sententiam expressit Synodus Exoniensis anno MCCLXXXVII. Cap. XVIII. *Et licèt Ecclesiastici* (inquit) *quicquid vitæ suæ necessitati eis superfuerit de patrimonio suo Jesu Christi, in usus pauperum, quorum dispensatores existunt, teneantur ex debito erogare: quidam tamen eorum, quod audivimus, de quo dolemus, bona Ecclesiæ non in pauperum usus, at suarum concubinarum convertunt, &c.* Hinc imperatæ Clericis Beneficiatis eleemosynæ Canone XXX. Concilii Ravennatis II. anno MCCCXI. *Cum* (inquit) *juxta Prophetam*, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, *& Dominus dicat in Evangelio*, Date eleemosynam, & omnia munda erunt, *& bona Ecclesiarum sint pauperum: statuimus quòd de cætero, & prout sapius & melius poterit, fiant juxta possibilitatem eleemosynæ generales per Episcopos & Capitula Cathedralium Ecclesiarum, & Abbates seu Conventus Monasteriorum habentium sufficientes redditus ad ea. Et quilibet etiam Episcopus, secundum suum beneplacitum & possibilitatem, quotidie in prandium reficiat aliquos pauperes.* Et Concilium Londinense MCCCXLII. Canone IV. *Sacri approbatione Concilii statuimus, quòd Religiosi Beneficia appropriata obtinentes Ecclesiastica, secundum Beneficiorum hujusmodi facultates, annis singulis, pauperibus Parochianis certam eleemosynæ quantitatem, Ordinariorum ipsorum locorum moderandam arbitrio, per ipsos Episcopos distribuere compellantur, sub pœna sequestrationis & subtractionis fructuum.* Hanc ipsam ob causam Concilium Parisiense anno MCCXII. P. III. Canone 13. Abbatibus depositionem comminatur, *Si dederint cognatis suis bona Ecclesiæ suæ, nisi pauperibus, & ut pauperibus; vel circa hæc aliquid in fraudem fecerint.* Ob eamdem rationem Concilium Oxoniense anno MCCXXII. Canone XXXVII. prohibuit ne Clerici ex Ecclesiæ fructibus domos in laico feudo ædificarent, aut in eo pecunias collocarent. *Quia sunt plerique* (inquit) *quod non sine lachrymis dicimus & singultu, qui Omnipotentis indignationem & iram in die iræ ad perpetuam damnationem sibi cumulantes, non solùm filiis & nepotibus, verùm etiam concubinis suis turpiter invadant patrimonium Jesu Christi, ad quorum usus in feudo laicali de bonis Ecclesiæ domos construunt, in quibus Ecclesiasticos proventus, & bona Ecclesiæ usibus pauperum deputata congregare præsumunt: salubri provisione decernimus, ne Clerici Beneficiati fructus Ecclesiæ in laico feudo reponant.* Idem prohibuit Synodus Exoniensis anno MCCLXXXVII. Canone 27. *Richardus* Sarum Episcopus in Constitutionibus Synodicis anno MCCXVII. editis Cap. LXXI. idem secundùm Canones se decernere profitetur. *Quoniam* (inquit) *omnino injustum est, ut quem Ecclesia recipit pauperem & extraneum, in alieno efficiat divitem, & in suo recipiat fraudatorem: Sacrorum Canonum Statuta sequentes, districtè præcipimus, quòd nullus omnino, qui stipendio militat Ecclesiæ, in solo ædificet laicali, vel summam seu fortunam rerum suarum ad feudum transferat laicale: præcipuè illarum rerum, quas consideratione Ecclesiæ, vel Ecclesiasticorum Beneficiorum, perceperunt. Quòd si contra hoc Statutum venire præsumpserit,*

tanquam

tanquam defraudator Ecclesiasticæ substantiæ, quicquid occasione talis præsumptionis, damni vel incommodi intulerit Ecclesiæ vel Ecclesiasticis possessionibus, de cujus proventibus dinoscitur laicale feudum ampliasse, illi Ecclesiæ restituat, de cujus oblationibus, eleemosynis, suffragiis, atque proventibus constiterit ipsum sumptus fecisse.

Concilium Lambethense anno MCCCXXX. Canone VIII. idem prohibet: *Quamplures* (inquit) *non solùm filiis & nepotibus suis, verumetiam concubinis, per patrimonium Jesu Christi, domos in laico fundo ædificare præsumunt: ad quos Ecclesiasticos proventus deportantes, dum consanguineis bona Ecclesiastica congregant, iram Dei & damnationem perpetuam thesaurizant,* &c.

S. Thomas Secunda Secundæ, Quæst. CLXXXV. Art. VII. Episcopos bonorum Ecclesiasticorum dispensatores & procuratores, non dominos esse docet. *Aliter*, inquit, *est dicendum de propriis bonis quæ Episcopi possidere possunt, & de bonis Ecclesiasticis. Nam propriorum bonorum verum dominium habent. Unde ex ipsa rerum conditione non obligantur ut ea aliis conferant, sed possunt ea vel sibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri. Possunt tamen in eorum dispensatione peccare, propter inordinationem affectus, per quam contingit quòd vel sibi plura conferant quàm oporteat, vel aliis etiam non subveniant, secundùm quod requirit debitum caritatis. Non tamen tenentur ad restitutionem, quia hujusmodi res sunt eorum dominio deputata: sed Ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores vel procuratores. Dicit enim Augustinus ad Bonifacium* (Epistola L.) *Si privatum possidemus bonum quod nobis sufficiat, non illa bona nostra sunt, sed illorum quorum procurationem gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus. Ad dispensatorem autem requiritur bona fides, secundùm illud* 1. *ad Corinthios* 4. Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. *Sunt autem bona Ecclesiastica non solùm in usus pauperum, sed etiam ad cultum divinum & necessitates Ministrorum expendenda. Unde dicitur* XII. *Quæst.* II. De reditibus Ecclesiæ » vel oblatione Fidelium, sola Episcopo ex his una » portio remittatur: duæ Ecclesiasticis fabricis & » erogationi pauperum profuturæ à Bonagio Pres» bytero sub periculo sui Ordinis ministrentur: ul» tima Clericis pro singulorum meritis dividatur. *Si ergo distincta sint bona quæ debent in usum Episcopi cedere, ab his quæ sunt pauperibus & ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda: & si aliquid sibi retinuerit Episcopus de his quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in usum Ministrorum, aut in cultum divinum expendenda, non est dubium quin contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. De his autem quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio quæ est de propriis bonis: ut scilicet propter immoderatum affectum & usum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis. Si verò non sint prædicta bona distincta, eorum distributio fidei ejus committitur.*

Et in Responsione ad secundam Objectionem: *Bona Ecclesiarum* (inquit) *non sunt solùm expendenda in usus pauperum, sed etiam in alios usus. Et ideo si de eo quod usui Episcopi vel alicujus Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderatè, id est, ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant. Unde Ambrosius dicit in Lib. de Officiis:* * *HÆC EST approbanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas: non tamen ut illos ditiores fieri velis ex eo quod tu potes conferre inopibus.* * Lib. 1. c. ...

II. Possessiones ex Ecclesiæ bonis acquisitas sive bona immobilia, Clerici transmittere non poterant ad hæredes. At ex mobilibus donare aliquid poterant & erogare pauperibus, religiosis & piis locis, domesticis, seu aliis qui ipsis officia præstiterant. Religiosè servabantur Canones ea de re promulgati lib. III. Decretalium, Tit. *De Peculio Clericorum*, *De testamentis*, & *De successionibus ab intestato*. Synodus Coloniensis anno MCCC. celebrata, Canone 5. statuit ut *Clerici bona, maximè immobilia, & quæ per Ecclesiam sunt adepti, sive per modum testamenti, sive aliàs, non transferant ad filios vel nepotes, aut ad alios suos consanguineos, sed relinquant ea Ecclesiæ à qua sunt profecta. Sed itaque eleemosyna pauperibus, Religiosis & piis locis, & illis qui ipsis servierunt, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum de mobilibus dare possunt. De aliis verò bonis, quæ ex hereditate, artificio, vel doctrina, vel aliàs, non ex bonis Ecclesiasticis, ad Clericos pervenerint, Clerici possunt disponere pro suo arbitrio. Excommunicamus & excommunicatos declaramus omnes Clericos, qui bona mobilia Ecclesiarum filiis suis, nepotibus, vel consanguineis, seu aliis conferunt, vel in ipsos transferunt, & ab Ecclesia alienant sua propria voluntate, & sine consensu nostro.*

Quæ bona Clerici transmittere poterant, ad hæredes?

Synodus Baiocensis eodem anno celebrata Cap. LVIII. præcipit Sacerdotibus *Ut immobilia de bonis Ecclesiæ acquisita tantummodo suis legent Ecclesiis: de jure enim aliud facere non possunt. De mobilibus autem Sacerdotes rationabile possint facere testamentum. Domûs autem utensilia Successoribus suis relinquantur, saltem quod eis sufficiat competenter.*

His duabus Synodis in similis promulgatione Decreti Nemausensis præiverat anno MCCLXXXIV. *Illud* (inquit) *irrevocabiliter observetur, ut bona decedentium Clericorum, quæ occasione Ecclesiæ fuerint acquisita, nullus præsumat latens occupare, aut illicitè retinere: sed ad utilitatem Ecclesiæ conserventur, cujus intuitu fuerant acquisita. Licèt autem mobilia per Ecclesiam de jure in alios, pro arbitrio Beneficiati Clerici morientis, transferri non possint, consuetudinis tamen est non improbanda, ut de bonis mobilibus ipsorum, pauperibus & locis religiosis, & qui Clerico Beneficiato viventi servierunt, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur ab ipso infirmo, vel à Successore suo solvantur, seu reddantur, secundùm quod idem infirmus moderatè duxerit ordinandum. Ceterùm quæ ex hereditate, vel artificio, vel doctrinâ, vel dono consanguineorum, vel amicorum, vel alio quocumque modo, non habentia respectum ad Ecclesiam, ad Clericum pervenerint secularem, sive sit Beneficiatus, seu non, distribuantur pro arbitrio Clerici decedentis; quia potest de iis licitè condere testamentum seu ultimam voluntatem. Si autem infirmus nil de iis ordinaverit, bona ipsa ad consanguineos devolvantur: & si consanguineos non habuerit, penes Ecclesias quarum Rectores vel Beneficiati fuerint, bona ipsa volumus remanere. Si nullâ vero ordinatione vel dispositione facta de bonis suis decedentes Clerici, consanguineos, vel Ecclesias, seu Beneficia non habuerint, bona ipsorum debeant arbitrio sui Episcopi ordinari. Ad hæc, quicquid habeat Clerici de bonis Ecclesiasticis, deductis expensis honestis & necessariis, pauperum debet esse.... Clericus Beneficiatus in ægritudine constitutus, expensis necessariis, usque ad fructus colligendos illius anni, ad sustentationem Ministrorum Ec-*

clesia sibi commissa reservatis, & omnibus debitis ipsius Ecclesiæ persolutis, quidquid mobile residuum fuerit intuitu Ecclesiæ acquisitum, sive in pecunia, sive in rebus comestibilibus, sive animalibus, licitè Christi pauperibus ante suum obitum dare possit.

Toletanum Concilium anno MCCCXXIV. Canone V. statuit ut *Nullus Clericorum bona intuitu Ecclesiæ acquisita, filiis vel filiabus suis det, vel conferat inter vivos, vel in testamento, contra Canonum instituta, dimittat.* Præcipitque *omnibus Episcopis in virtute sanctæ obedientiæ, quod Jura super hoc edita diligenter observent.*

An & quomodo Jus condendi testamenti Episcopis competeret?

III. Seculo cadente XIV. *Carolus VI.* Rex Christianissimus Jus faciendi testamenti Gallicanis Episcopis competere, & ipsorum hæredes ad reparationes ædium Episcopalium teneri declaravit, prohibuitque ne Romani Pontificis Ministri in spolia morientium Episcoporum manus injicerent. *Licet*, inquit, *de jure, usu, & consuetudine, & communi observantiâ notoriè observatis, Episcopis Regni nostri testari liceat, & in suis testamentis executores ordinare, qui executores, aut saltem ipsorum Episcoporum heredes, ad faciendum reparationes ædificiorum Episcopalium per Judices & Officiarios nostros compellantur, & compelli consueverint... Attamen nunc cùm Episcopum in Regno nostro ab hac luce migrare contingit, Collectores & Subcollectores Summi Pontificis in Provinciis quibus subsunt hujusmodi Episcopi, ipsius Summi Pontificis auctoritate, bona mobilia & immobilia ex decessu talium Episcoporum relicta; etiam illa quæ per suam industriam quæsierunt, quæ amplius ipsorum Episcoporum non sunt, neque censentur, sed ad suos heredes, aut eorum executores spectant, capiunt: & nihil de his in reparatione seu refectione ædificiorum & aliorum hereditagiorum dictorum locorum Episcopalium eo casu convertentes: nulla etiam solutione aut satisfactione dictorum Episcoporum creditoribus facta: prædicta bona heredibus Episcoporum totaliter amovendo, ac ipsos contra jus & consuetudinem exheredando, in Juris nostri Regaliæque post obitum dictorum Episcoporum nobis in eisdem Ecclesiis competentis, ac totius Reipublicæ præjudicium non modicum & gravamen.* Datum est hoc Edictum die 6. Octobris anno MCCCLXXXV. Extat inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Cap. XXII. Num. VI.

Decimæ infeodatæ.

IV. Decimas infeodatas ex Ecclesiæ concessione Laïci possidebant, ut docet *Innocentius III.* C. *Tua, De Decimis*, lib. III. Decretalium. *Nec occasione decimationis antiquæ* (inquit) *licet in feudum decimæ sint concessæ, sunt decimæ novalium usurpandæ: cùm in talibus non sit extendenda licentia, sed potiùs restringenda.* Et Cap. *Cum Apostolica: De his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli*, (in eodem libro.) *In Lateranensi Concilio est inhibitum* (inquit) *ne qualibet religiosa persona Ecclesias & Decimas de manibus laicorum, sine consensu Episcoporum recipiat. Per quod indirectè datur intelligi, quòd sufficit consensus Episcopi, ut licitum Ecclesiæ sit Decimas de manibus recipere laicorum. Hoc autem de illis decimis intelligimus, quæ laicis in feudum perpetuò sunt concessæ.* Idem Pontifex Epistola IX. lib. XVI. Suessionensi Capitulo indulsit ut Decimas infeodatas à laïcis redimeret; ea lege ut laïci ad consueta servitia, quæ ratione decimarum hujusmodi Ecclesiæ debebant, tenerentur, postquam illarum pretium percepissent. *Nos volentes super hoc Ecclesiis, quibus hujusmodi debentur decimæ, providere, præferri eas volumus in redemptione talium decimarum. Quod si nolint, vel fortè non possint, redimendi eas ad opus illarum Ecclesiarum vobis concedimus facultatem: proviso nihilominus ut consueta servitia, ad quæ laici pro decimis illis Ecclesiæ tenebantur, etiam post contractum talis venditionis impendant, cum ad eos pretium perveniat earumdem: nisi fortè tam modico pretio velint esse contenti, quod ob hoc Ecclesia ab exactione servitiorum illorum, tanquam pro redemptione majoris incommodi, valeant abstinere.* Data est XII. Kalendas Aprilis, Pontificatus anno XVI. Id confirmat *Alexander IV.* Cap. *Statuto, De Decimis*, in Sexto. *Quamvis fortè* (inquit) *à Religiosis exemptis, & aliis, fiant infeudationes de decimis detentis à Laicis, & idem laici quòd illas ab ipsis Religiosis in feudum teneant, recognoscant: non tamen licet Religiosis eisdem post talem infeudationem, vel recognitionem sic de facto præsumptam, hujusmodi decimas de manibus laicorum ipsorum acquirere, vel recipere, absque Diœcesanorum Episcoporum assensu. Illas autem decimas intelligimus posse taliter à Religiosis de manibus laicorum recipi vel acquiri, quæ ante Lateranense Concilium ipsis laicis in feudum perpetuò fuere concessæ.*

Id demum confirmat *S. Thomas* Secunda Secundæ Quæst. LXXXVII. Art. III. in Responsione ad tertiam Objectionem. *Sicut* (inquit) *res nomine decimæ acceptas, potest Ecclesia alicui laico tradere: ita etiam potest eis concedere ut dandas decimas ipsi accipiant, jure accipiendi Ministris Ecclesiæ reservato: sive pro necessitate Ecclesiæ, sicut quibusdam Militibus decimæ debentur in feudum per Ecclesiam concessæ: sive etiam ad subventionem pauperum, sicut quibusdam Religiosis laicis, vel non habentibus curam animarum, aliquæ decimæ sunt concessæ per modum eleemosynæ.*

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 209 Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Rex Galliæ prohibet ne Romani Pontificis Ministri spolia morientium Episcoporum accipiant.*

R. *Carolum Sextum* Regem Christianissimum id prohibuisse, probat ejus Edictum, cujus verba descripsi. Historiæ res est.

ARTICULUS VII.

De Immunitatibus, & Oneribus Ecclesiarum.

Clericorum immunitas à vectigalibus & pedagiis.

I. Clericos exactionibus, procurationibus, vectigalibus, pedagiis, subdi passa non est Ecclesia XIII. & XIV. Seculo, etiam ratione patrimonii & hereditatis, nisi uxorati essent, vel mercaturam exercerent: & Censuris Ecclesiasticis eorum immunitatem defendit. Qua de re legendi Canon XLVI. Concilii Lateranensis IV. Concilii Avenionensis anno MCCIX. Canon VII. Concilii Narbonensis anno MCCXXVII. Canon XII. Concilii Tolosani anno MCCXXIX. Canon XX. & XXI. quo tamen statutum est ut *Si per successionem hereditariam aliqua possessio feudalis, seu etiam censualis, ad eorum manus devenerit, pensiones & onera ipsi in posterum adnexa solvere teneantur.* Concilii Biterrensis anno MCCXLVI. Canon XXVIII. Concilii Nannetensis anno MCCLXIV. Canon VII. Coloniensis anno MCCLXV. Canon VIII. Budensis anno MCCLXXIX. Canon LIX. & LX. Compendiensis MCCCIV. Canon II. Nugariolensis MCCCXV. Canon XI. Avenionensis anno MCCCLXV. Canon XXXII. Andegavensis anno MCCCLXV. Canones XXIII. XXIV. & XXV. Vaurensis anno MCCCLXVIII. Canones XCVI. XCVII. & XCIX. Narbonensis anno MCCCLXXIV. Canon XXV. Quibus Clericis & Religiosis

Viris

Viris prohibetur ne donationes rerum immobilium à laïcis admittant in fraudem ; alioqui *ad solutionem talliarum pro rebus eisdem donatis compellantur.* Immunitatem illam Ecclesiarum, Clericorum, & bonorum Ecclesiasticorum, coram *Philippo Valesio* Rege Christianissimo egregiè tutus est *Bertrandus* Episcopus Æduensis, postea S. R. E. Cardinalis.

Contributiones gratuitæ Cleri ob publicas Ecclesiæ & Regni necessitates.

II. Clerus ob publicas Ecclesiæ & Reipublicæ necessitates decimas & dona gratuita XIII. & XIV. Seculo contribuebat : quod à Synodo Lateranensi IV. Canone XLVI. fuerat approbatum his verbis : *Verùm si quando forsan Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem vel utilitatem prospexerint, ut absque ulla coactione, ad relevandas utilitates vel necessitates communes, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesiam duxerint conferenda : prædicti laici humiliter & devotè suscipiant cum actionibus gratiarum. Propter imprudentiam tamen quorumdam, Romanum prius consulant Pontificem, cujus interest communibus utilitatibus providere.*

Anno MCC. *Innocentius III.* Pontifex Maximus quadragesimam redituum pro subsidio Terræ Sanctæ postulavit. Anno sequenti Franciæ Angliæque Reges tam justis postulatis consenserunt, teste *Rogerio de Hoveden.* Anno MCCXV. Concilium Lateranense IV. Clericis omnibus vigesimam, Dominis Cardinalibus decimam pro expeditione sacra indixit.

Anno MCCXXIV. *Honorius III.* Marchioni Montisferrati *Guillelmo*, ad succurrendum Imperio Constantinopolitano, mediam partem redituum Ecclesiasticorum & omnium bonorum mobilium, in quibus aurum, argentum aut lapides pretiosi essent, exceptis Ecclesiarum thesauris, ad annum attribuit.

Regi Christianissimo *Ludovico VIII.* ad bellum contra Hæreticos Albigenses conficiendum Legatus Apostolicus Decimam in Concilio Bituricensi decrevit. Clerus cum gaudio animi, *de pura liberalitate, ne tanto negotio deesse videretur, dimidiam partem decimæ, non quidem nomine decimæ, sed obtentu subsidii persolverunt, aliam partem, & etiam majorem, si expediret, si Deus eumdem Regem reservasset incolumem, & in eodem negotio persistentem, libenter & liberaliter soluturi.*

Defuncto *Ludovico VIII.* Legatus Apostolicus Clerum ad solutionem decimæ in favorem *Blanchæ* Reginæ Matris & *Ludovici IX.* Regis adhuc pueri, compellere conatus est. Verùm quatuor Provinciarum Capitula, Remensis, Senonensis, Turonensis, & Rothomagensis, *habitâ deliberatione & tractatu pro libertate sua servanda potius, quàm pro subventione vitanda, ne ad onus ejusmodi compellerentur, ad Sedem Apostolicam appellarunt*, ut docent Literæ Capituli Parisiensis ad *Gregorium IX.* datæ anno MCCXXVII. quas refert *Odoricus Raynaldus* Num. LVI. Insignium Capitulorum querelis commotus Pontifex, *Romanum* S. Angeli Diaconum Cardinalem, Sedis Apostolicæ Legatum, durioribus literis perstrinxit, jussitque Ordinationem & malè tentata in Clerum revocaret, ut probant ipsius literæ ad eadem Capitula datæ, & ab *Odorico Raynaldo* Num. LIX. descriptæ. *Recognoscimus*, inquit, *& fatemur, quòd* ECCLESIA GALLICANA POST APOSTOLICAM SEDEM QUODDAM TOTIUS CHRISTIANITATIS EST SPECULUM, ET IMMOTUM FIDEI FIRMAMENTUM : UTPOTE QUÆ IN FERVORE FIDEI CHRISTIANÆ, ET DEVOTIONE SEDIS APOSTOLICÆ NON SEQUITUR ALIAS, SED, UT CUM EARUM PACE DIXERIMUS, ANTECEDIT. *Cujus devotionem verbis extollere superfluum reputamus, cùm sit claris operibus manifesta.*

Laus Ecclesiæ Gallicanæ.

Intellectis igitur gravaminibus vobis à dilecto filio nostro Romano S. Angeli Diacono Cardinali Apostolicæ Sedis Legato, per Ordinationem quamdam Senonis editam irrogatis, tacti dolore cordis intrinsecùs, & gravi admiratione commoti, eumdem Legatum literarum asperitate nostrarum, ut decuit, redarguimus, & ei continuò dedimus in virtute obedientiæ firmiter in præceptis, ut Ordinationem ipsam, sive quocumque alio nomine factum ejusmodi censeatur, omnino revocet sine mora. Attamen re postea maturiùs considerata, idem Pontifex *S. Ludovico* bellum adversùs Albigenses redintegranti Decimam illam confirmavit, ut probant Literæ ad ipsum datæ anno MCCXXVII. Idibus Novembris. *Considerato*, inquit, *quòd pro tam evidenti necessitate, & tam utili negotio Ecclesiæ Dei, dictus Legatus cum jure Legationis statuere vel ordinare potuit, quod expedire videbat, tum etiam ex eo quod specialem potestatem ab Ecclesia Romana receperat ordinandi & statuendi quæcumque, secundùm datam sibi à Deo prudentiam, videret negotio expedire, Ordinationem ipsius ex ordine legitimam, & sanctam ex causa, nec non & promissionem factam Regi de consilio pene totius Bituricensis Concilii, de Fratrum nostrorum consilio duximus approbandam, & non solum firmam, sed ratam & gratam habemus eamdem : volentes & statuentes, ut tibi Decima integrè persolvatur.* Anno MCCXLII. Sanctus idem *Ludovicus* convocatis Parisios Regni sui Episcopis & Abbatibus, subsidium ad bellum contra Hæreticos Albigenses conficiendum ab ipsis rogavit, qui vigesimam redituum suorum illius anni ejus Majestati promiserunt, teste *Matthæo Parisio.*

Anno MCCXLVI. cum Summi Pontificis venia Decimam à Clero Gallicano pro expeditione sacra exegit ; Summo Pontifici vigesimam ad subsidium Terræ Sanctæ concessit, ut idem Historicus testatur, qui tam justas & pias contributiones iniquè improbat, earùmque exactionem Regi Sanctissimo vitio vertit, solitâ maledicendi prurigine.

Anno MCCLXIII. in Concilio Parisiensi, *Concessum est à Prælatis ex ipsorum merâ gratiâ, non ex vi Literæ super subventione Terræ Sanctæ à Domino Papa impetratæ ; non aliqua coactione, sed sponte : quod ipsi Prælati, & eorum subditi, & sibi adhærentes, ob salutem animarum suarum, concedant Terræ Sanctæ subsidium de centum libris & viginti solidis redituum suorum Ecclesiasticorum, viginti solidos : & secundùm proportionem hujus summæ, secundùm quòd plus vel minus habebunt aliqui in reditibus Ecclesiasticis, solvant : & quod nullus compellatur per secularem Potestatem ad præstandum hujusmodi subventionem sive portionem ipsum contingentem : sed quilibet Prælatus in sua Diœcesi compellat subditos suos solvere per Censuram Ecclesiasticam. Si quis verò fuerit Presbyter Parochialis, Capellanus, vel alius, cujus reditus est ita pauper & tenuis, ut non excedat summam duodecim librarum Parisiensium, nihil solvat, nisi voluerit.* Hæc verò subventio ad quinquennium est concessa. Hanc Declarationem edidit *Claudius Menardus* in Observationibus ad *Jonvillam*, ex quo transcripta est in Labbeana Conciliorum Collectione Tom. XI. P. 1. pag. 823.

Anno MCCLXXII. *Gregorius X.* Regi Christianissimo *Philippo III.* Gallicani Cleri Decimas ad sacram expeditionem promovendam attribuit. A Decimis hujusmodi solvendis, Xenodochiis, Monialibus, aliisque Regularibus personis, quorum reditus adeò tenues erant, ut ex illis absque eleemosynarum subsidio sustentari non possent, necnon secularibus Clericis, quorum Ecclesiastici proventus annui summam septem librarum Turonensium

non excederent, concessit immunitatem. Decimæ Viris Ecclesiasticis in Concilio Lugdunensi II. in belli sacri sumptus anno MCCLXXIV. indictæ, ad annum usque MCCLXXXII. solutæ sunt, non tamen sine plurium magnis difficultatibus: quo argumento datis à *Martino IV.* Pontifice Maximo plures literis, ut reluctantes ad solvendum compelleret, *Odoricus Raynaldus* laudat Num. VII. Magdeburgensis Archiepiscopus, collecto Provincialium Episcoporum Concilio, decimas in dicta Synodo Oecumenica decretas solvi vetuerat: alii, ut *Conradus* Osnaburgensis, in suos usus derivabant: Quidam, ut *Siffridus* Coloniensis, aliique, earum partem defraudabant: Nonnulli etiam Principes, ut Rex Norvegiæ, decimas è suo Regno avehi abducique vetabant, cui *Martinus IV.* latam legem revocare præcepit. Anno MCCLXXXIV. *Eduardo* Magnæ Britanniæ Regi præcepit, ut decimas, quas in ærarium suum intulerat, in Syriæ subsidium convertendas restitueret. Anno sequenti eidem Regi decimas attribuit in Regno Angliæ, Hiberniæ & Vvalliæ, necnon in Regno Scotiæ collectas, accedente Scotiæ Regis assensu, ad subsidium Terræ Sanctæ, quod pollicebatur, ferendum. Postulatas verò Vvasconiæ & Pontivi decimas negavit, quòd Regi Christianissimo, secundùm ordinationem Concilii Lugdunensis concessæ fuissent. Id constat ex Pontificiis literis ab *Odorico Raynaldo* descriptis Num. 35. Idem Pontifex *Philippo III.* Regi Christianissimo decimas decrevit ad Regnum Aragoniæ, quod *Petro* Rege exauctorato, *Carolo Valesio* adjudicaverat, expugnandum, teste *Guillelmo Nangio* in Gestis *Philippi III.* Anno MCCLXXXVI. *Honorius IV.* decimas ad quadriennium *Philippo Pulchro* Regi concessit, ut fratrem suum *Carolum* in Regni Aragonii possessionem mitteret.

Anno MCCXCIV. Clerus Turonensis Provinciæ in Concilio Salmuriensi congregatus decimam ad tuitionem Regni & Ecclesiarum contra hostiles Regis Angliæ incursus *Philippo* Regi Christianissimo concessit. *Quocirca*, inquit, *nos necessitatem Regni ac Ecclesiarum ejusdem pariter attendentes, Illustrissimo Domino Philippo Francorum Regi, ob defensionem dicti Regni & Ecclesiarum ejusdem nimiis expensarum oneribus prægravato, cui ad onera supportanda sine Regnicolarum ac Ecclesiarum subsidio propria non sufficerent facultates, de bonis nostris mobilibus dignum duximus succurrendum. Concedimus itaque dicto Domino Regi hac vice communi consensu Cleri nostri ob necessitatem dicti Regni, & propter defensionem & tuitionem Regni, Ecclesiarum & Personarum Ecclesiasticarum, & bonorum earumdem, de bonis mobilibus nostris, & Personarum Ecclesiasticarum nostrarum Diœcesum non exemptarum, usque ad biennium duntaxat: tantam pecuniæ summam, quantam a nobis & aliis Personis Ecclesiasticis prædictis, nomine decimæ pro tempore quo decimam habebat, ex concessione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, deductis sumptibus, percipere consuevit: Ita tamen quod per istam concessionem nullum præjudicium Ecclesiis, nobis, & aliis personis Ecclesiasticis generetur; nec aliqua servitus Domino Regi in prædictis Ecclesiis acquiratur.* Literæ Concilii editæ sunt in Gestis *Guillelmi Majoris* Andegavensis Episcopi, Tom. X. *Spicilegii*, pag. 323.

Piam Regum Christianissimorum in Ecclesias munificentiam Clerum ad hujusmodi subsidia gratuitaque dona provocasse docent laudati Præsules. *Extollenda* (inquiunt) *dignis laudum præconiis benedicti Regni Francorum mira devotio, ineffabilisque Regum ejusdem Regni benignitatis & liberalitatis in Ecclesias munificentia, Clerum Regni memorati ac omnem Ecclesiasticum Ordinem naturalis rationis instinctu provocat & inducit ipsum Regnum prosequi sincero caritatis affectu, eidem cura vigilantiori consulere, ejusdemque necessitatibus, non tantum orationum suffragiis, sed etiam bonorum temporalium subsidiis, conditione temporis exigente, liberaliter subvenire. Ipsum namque Regnum, præ cæteris Regnis ubique terrarum longe lateque diffusis, semper sacræ Religionis extitit fundamentum, columna & scutum Ecclesiæ, iuramentum fidei, fons sapientiæ irrigans totum orbem fluentis plenissimis Scripturarum, cujus & Principes, videlicet Christianissimi Francorum Reges, præ cunctis terræ Regibus puriori fidei lumine radiantes, fundaverunt Monasteria, mirificè dotaverunt Ecclesias, eas multiplicibus immunitatum ac libertatum Privilegiorùmque insigniis decorando.*

Anno MCCXCV. Episcopus & Clerus Andegavensis eidem Regi concessere *centesimam bonorum hominum suorum Laicorum, in feodis & retrofeodis suis existentium, pro necessitate urgente & eminente totius Regni, ad defensionem Regni ipsius & incolarum ejusdem.* Rex verò declaravit, *Per hoc ipsis, eorum Successoribus, Dignitatibus, hominibus, & Ecclesiæ, aliquod præjudicium tunc vel in posterum non generandum, nec sibi vel Successoribus jus novum contra ipsos acquirendum.* Id constat ex Regiis Literis, quas in eodem *Spicilegii* Tomo pag. 331. legere est.

Anno MCCXCVII. Clerus Gallicanus *Philippo Pulchro* Regi, in bello difficillimo, quod ab Anglis Belgisque imminebat, decimarum contributione subvenire decrevit, petitâ à *Bonifacio VIII.* Constitutionis recèns promulgatæ veniâ, quâ nova exactionum onera Clero imponi sub pœna excommunicationis prohibuerat. Pio Gallicanorum Præsulum consilio annuit *Bonifacius VIII.* suámque Constitutionem explicuit datis ad ipsos Literis, quas refert *Odericus Raynaldus* ad annum MCCXCVII. Num. XLIII. *Licet*, inquit, *Constitutionem illam ediderimus pro Ecclesiastica libertate, non tamen fuit nostræ mentis intentio ipsi Regi, aliisve Principibus sæcularibus in tam arcto necessitatis articulo viam subventionis excludi, quominus ipsi Prælati, Ecclesiæ, ac Ecclesiasticæ Personæ libero arbitrio atque sponte, de nostra licentia, pro communis defensionis auxilio, in qua proprium cujuslibet interesse conspicitur, Principibus ac sibi ipsis provideant juxta suarum modulum facultatum. Et sicut alias dicto Regi, ac nonnullis aliis Regni sui, tam literatoriè, quam per Nuncios expressisse meminimus, si (quod Deus avertat) ipsum in necessitate tam gravi & tam importabili conspiceremus expositum, quod exterioribus egere subsidiis nosceretur, non solum de bonis Ecclesiasticis dicti sui Regni ea sibi præstari vellemus: quinimmo Ecclesiæ Romanæ res, bona, ac personam nostram etiam exponeremus, pro suorum conservatione jurium, ejusque necessitatibus sublevandis, in quantum, secundum Deum, noster & ipsius honor Ecclesiæ pateretur. Vestris itaque in hac parte supplicationibus annuentes, præsentium auctoritate concedimus, ut si casus communis & evidentis necessitatis immineat, nec idem Rex vestram & aliorum Prælatorum, Ecclesiarum, & personarum, atque bonorum Ecclesiasticorum, sicut & cæterarum personarum, locorum, & bonorum dicti Regni sui voluerit defensionem assumere, ac assumat, & efficaciter prosequatur, & id expedire videritis: liceat vobis & eisdem Prælatis, Ecclesiis, & Personis Ecclesiasticis, absque metu Constitutionis nostræ prædictæ, ipsi Regi pro hujusmodi vestra, ac ipsorum Regis & Regni intrinseca defensionis subsidio, subventionem congruam, prout vobis & cæteris Prælatis Regni præfati, seu majori parti vestrûm & ipsorum videbitur, voluntariam, liberalem, & liberam, non coactam, absque omni concussione, exactione, ac executione temporali vel laicali exigenda, ac vice præsenti, nostrâ licentiâ fretis, impertiri.*

Anno MCCCV. decimas ad resarciendos sumptus belli

belli Belgici *Clemens V.* eidem Regi *Philippo Pulchro* concessit ad quinquennium. Anno MCCCXII. omnibus Ecclesiæ Latinæ Viris Ecclesiasticis decimarum collationem ad recuperationem Terræ Sanctæ imperavit. Idem Pontifex subsidium à Clero Gallicano exegit ad bellum contra Gibelinos, & maximè contra *Galeatium* & fratres ejus *Vicecomites*. Rex Franciæ *asserens hoc in Regno Franciæ inconsuetum, prohibuit; sed Domino Papa sibi super his rescribente, postmodum Rex considerans*, Do ut des, *faciliter concessit: unde & pro duobus succedentibus annis Papa Regi biennalem decimam super Ecclesiam concessit*. Ita refert *Guillelmi Nangii* Continuator ad annum MCCCXXVI.

Philippo Valesio Regi Christianissimo *Joannes XXII.* decimas pro sacra expeditione in Syriam ad sexennium concessit anno MCCCXXXII.

Innocentius VI. anno MCCCLVI. *Joannem* Regem Francorum arguit datis ad ejus Majestatem literis, quòd bellici apparatûs gratiâ ad decimam sive subsidium ad valorem decimæ unius anni, de proventibus Ecclesiasticis solvendum, Clerum compelleret, occasione cujusdam concessionis, quam de illa vel illo quidam pauci numero Prælati Ecclesiastici dicti Regni nullum à Prælatis aliis & personis eisdem mandatum aut consensum habentes, eidem Regi fecerant absque licentia Sedis Apostolicæ, *sine qua* (inquit) *eis id facere non licebat*. Pontificias literas apud *Odoricum Raynaldum* legere est ad eum annum, Num. V.

Ex pietatis & grati animi officio, etiam jure naturali, Clerum subsidia Regibus debere, colligitur ex *Guillelmo* Parisiensi Episcopo, lib. *De Moribus*, Cap. IX. *De his*, inquit, *quæ Regibus & Principibus dantur, Patronis Ecclesiarum, & fundatoribus, & donatoribus, & ditatoribus, dicimus quia licet: dummodo ex hujusmodi donationibus non lædantur enormiter Ecclesia. Hi sunt usus pietatis, quoniam ex virtute gratitudinis, etiam jure naturali debentur hujusmodi hominibus. Alias etiam impii sunt, quia gratia eorum qui ex pietate talia donaverunt, quodammodo conservatur in eis, & devotio nutritur, quæ per contrarium extingueretur.*

Anno MCCXCVIII. Rex Angliæ *Eduardus I.* Parlamentum Londoniis habuit, in quo *Clero in denegatione persistente subsidii, Rex ipsum à sua protectione exclusit. Pro quâ tamen redimendâ, multi per se, multi verò per mediatores, Regi bonorum suorum dederunt postea quintam partem. Rex Archiepiscopum rigidiorem comperiens, terras ejus omnes saisivit, &c.* Ita Refert *VValsinghamus* in Historia Anglicana, pag. 69.

Anno MCCCLXXI. Rex *Eduardus III.* belli Gallici occasione, in Parlamento apud Westmonasterium celebrato petiit à Clero & populo subsidium quinquaginta millium marcarum argenti.... Ad quam summam persolvendam, Sacerdotes stipendiarii secundum valorem annui stipendii solvere jussi. Minuta etiam Beneficia, quæ hactenus ab hujusmodi oneribus libera fuerant, contributionis in partem venerunt. Ita refert *VValsinghamus*.

Episcopi & Abbates Militiam Galliæ Regibus suppeditare tenebantur.

III. Episcopi & Abbates Militiam Regi suppeditare, interdum & copias ducere tenebantur. Anno MCCVIII. cùm *Philippus Augustus* Rex Christianissimus exercitum in Albigenses colligeret, cûmque *omnes Barones & Episcopi vocati ad hunc exercitum, convenissent apud Medontam, & misissent ad mandatum Regis homines suos, prout debebant, in expeditionem illam; Aurelianensis & Autissiodorensis Episcopi cum Militibus suis ad propria sunt reversi, dicentes se non teneri ire vel mittere in exercitum, nisi quando Rex ipse personaliter proficiscitur. Et cùm nullo ad hoc privilegio se tueri possent, generali consuetudine contra eos faciente, petiit Rex ut hoc emendarent. Ipsis autem emendare nolentibus, Rex eorum Regalia confiscavit, scilicet ea tantùm temporalia quæ ab eo feodaliter tenebant; decimas & alia spiritualia eis in pace dimittens. Ipse enim Rex Christianissimus semper timebat offendere Ecclesiam Dei & ejus Ministros. Ipsis ergo terram & homines Regis interdicentibus, & ad Romanam Curiam mittentibus, & in propriis personis accedentibus, Domino Papa Innocentio III. consuetudines & jura Regni nolente infringere, aut in aliquo revocare; emendâ tandem factâ & Regi solutâ, post duos annos recuperaverunt omnia quæ à Rege fuerant confiscata.* Ita refert *Rigordus* in Libro de *Gestis Philippi Augusti*.

Bello ab *Ottone* Imperatore & ab Angliæ Rege imminente, Episcopi & Abbates cum Baronibus Suessione congregati *Philippo Augusto* auxilia spoponderunt, teste *Guillelmo Britone*:

Omnis Baro, Comes, Dux, Rector, Episcopus; Abbas,
Cum reliquis membris Regni, se fœdere firmo
Sponte ligant Regi, vitásque in prælia spondent;

Episcoporum Autissiodorensium Historia ab Auctoribus Anonymis scripta, & edita Tomo I. Bibliothecæ novæ MSS. librorum, à *P. Labbe* S. I. narrat quomodo *Manasses* Aurelianensis Episcopus *Vassallos Ecclesiæ Aurelianensis, quos Rex in expeditionibus suis propriis eorum sumptibus quasi jam pro consuetudine diu obtenta militare cogebat, non veritus propter illos cum Domino Rege de eorum injuria disceptare, in hanc libertatem eduxit, ut Episcopus in ejusmodi expeditionibus suis habeat stipendiis quotquot voluerit de iisdem. Unde & eorum jugum allevatum est in immensum, & Episcoporum conditio longè melior, quàm priùs existeret, est effecta. Nam vocato à domino Rege ad expeditionem Episcopo, non defuerunt ei vassalli sui qui se ei militaturos, ne compellantur à Rege, certatim & magna ambitione offerant, qui magnis priùs stipendiis & non sine facultate solebat conducere alienos.*

Rex idem *Augustus* ad resarciendam injuriam *Odoni* Parisiensi Episcopo à Ministris suis illatam, ipsum ab obligatione ducendi copias, non tamen ab onere illas colligendi & suppeditandi absolvit anno MCC. *In persona sua tantùm, quandiu vixerit, ab omni exercitu & equitatione absolvimus penitus & quittamus, salvo nobis debito Militum, quod idem Episcopus tenetur mittere in servitium nostrum.* Verba sunt Regiarum Literarum, quas Tom. I. Galliæ Christianæ, in Parisiensibus Episcopis legere est.

Idem Princeps anno MCCVI. insigni Autissiodorensis Ecclesiæ Capitulo Regalia vacante Sede concessit, salva militaris subsidii subministratione. *Salvo*, inquit, *servitio nostro, equitationis, exercitus, & submonitionis, sicut Episcopi Autissiodorenses nobis fecerunt.*

Idem Princeps *Pontio de Thoire* Matisconensi Episcopo, ejusque Successoribus & Capitulo Regalia vacante Sede remisit, anno MCCVI. & obligationem ducendi copias in Regium exercitum certis conditionibus temperavit. *Si Nos*, inquit, *vel Filius noster, vel Marescallus, vel Constabularius Franciæ, de mandato nostro versùs partes illas exercitum duceret: in hoc casu dictus Matisconensis Episcopus usque Divionem, & non ultra, in nostrum exercitum cum militibus & armis venire teneretur.* Chartam Regiam legere est Tomo III. *Galliæ Christianæ*, in Episcopis Matisconensibus, pag. 683.

Ludovicus VIII. Andegavensi Episcopo subsidii militaris onus remisit anno MCCXXIII. vetera confirmans Privilegia Ecclesiæ Andegavensi à *Philippo Augusto*, & à Regibus Angliæ *Henrico* & *Richarde* concessa. *Rex ipse* (inquit *Guillelmus de Beaumont*

mont Episcopus) *nobis recognovit, quod non tenemur ire in exercitum, aut equitatum ejus in propriâ personâ nostrâ, vel mittere aliquem ad sumptus nostros; nec occasione istius Sacramenti fidelitatis ullum onus aut gravamen imponetur nobis aut Ecclesiæ nostræ.* Refertur Galliæ Christianæ Tom. II. in Episcopis Andegavensibus pag. 136.

Anno MCCLXXXV. *Philippus* Sabaudiæ Comes publico Instrumento declaravit, Episcopum Bellicensem, & ejus Capitulum gratis & sponte militare subsidium præstitisse: Ex quo nullum adversùs ipsorum libertatem præjudicium trahi posset. *Cum*, inquit, *Episcopus Bellicensis & Capitulum nobis, ad requisitionem nostram, de guerra pluries auxilium præstiterint & succursum curialiter & benignè, quoties per nos & nostros requisiti fuerint: Nos confitemur & recognoscimus, quod ipsi prædicti fecerunt non pro aliquo debito, nec pro eo quod nobis ad prædicta facienda in aliquo teneantur, nec volumus nec intendimus, quod prædicta curialitas nobis facta à prædictis Episcopo, & civibus, & Capitulo, & quæ per ipsos fiet nobis in posterum, ipsis erga nos & nostros possit nocere, seu aliquod præjudicium generare, quoad hoc quòd ipsi nobis vel nostri ad prædicta facienda in antea, in aliquo teneantur, nec quòd ex prædictis aliquod eisdem in posterum servitutis debitum generetur.* Hæc Declaratio habetur Tom. II. Galliæ Christianæ, in Episcopis Bellicensibus, pag. 366.

Anno MCCIII. *Philippus Pulcher* in Præsulum ac Baronum Conventu edixit, ut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, aliique Ecclesiastici & Religiosi Viri, exempti & non exempti, ipsi certum numerum militum ad bellum Belgicum suppeditarent, ut docent Instrumenta edita inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Cap. XXXIX. Num. XII. & sequentibus. Qui decimam solverant Antistites, ab onere isto immunes facti, ut probant Literæ editæ Tom. XIII. *Spicilegii*, pag. 348.

Anno MCCCXLI. *Benedictus XII.* Pontifex Maximus Privilegia Cracoviensi Ecclesiæ olim à *Boleslao* Duce collata confirmavit, quorum unum erat immunitas ab expeditione qualibet. *Insuper ut Episcopus cum Clero suo possit divinis laudibus liberiùs insistere & invigilare, præsertim hostilitatis tempore, orationibus, ipsum, qui per tempora fuerit, Episcopum, & Capitulum suum, totùmque Clerum, ab expeditione qualibet intra vel extra terminos nostros perpetuò volumus esse liberos & exemptos: ita videlicet quòd de villis, possessionibus, & aliis bonis suis Ecclesiasticis venire personaliter, aut aliquos homines ad expeditiones mittere minimè teneantur: hoc duntaxat excepto, quod tempore incursûs subiti Lithuanorum, de Kylsyen, & Tarsen Castellaniis, Episcopus homines suos ad expeditionem prout in alio quodam nostro Privilegio distinximus, mittere teneatur.*

Anno MCCXLII. *Henricus III.* Angliæ Rex *misit in Regnum suum ad Custodes Regni, scilicet ad Archiepiscopum Eboracensem & ejus socios, militare postulans auxilium ac pecuniare. Ipsi quoque quinquaginta Ballistarios & magnam pecuniæ summam & victualia, & servientes cum armis ad Mandatum Regium sine mora dispendio destinaverunt.* Idem Rex anno MCCXLIV. *notificari fecit per totam Angliam, ut quilibet Baro tenens ex Rege in capite, haberet prompta & parata Regali præcepto omnia servitia militaria, quæ ei debentur, tam Episcopi & Abbates, quàm Laici Barones: & profectus est cum exercitu copioso versùs Novum-Castrum.* Ita refert *Matthæus Paris* in Historia Anglicana. Anno MCCXLVI. (loquit idem Author) *Emanarunt Literæ, quòd aliqui Prælati decem Milites strenuos, etiam aliqui quinque, & aliqui quindecim invenirent Domino Papæ, qui in servitio Romanæ Ecclesiæ starent per integrum annum, & Prælatorum stipendiis militarent. Quod servitium militare nulli nisi Regi & Regni Principibus debetur, nec ab aliquo usque ad nostra tempora exactum fuisse recolitur.*

SCHOLION I.

Ad hunc Articulum Num. II. pag. 215. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam marginalem improbant: *Laus Ecclesiæ Gallicanæ.*

R. Quæ in laudem Ecclesiæ Gallicanæ à Gregorio *Nono* scripta sunt, & ab *Odorico Raynaldo* Ecclesiasticis Annalibus inserta, ea à me observari cur ægrè ferunt Religiosi Censores?

SCHOLION II.

A Pagina 213. usque ad 229. (inquiunt Religiosi Censores) multa refert Libertati Ecclesiasticæ repugnantia.

R. Summa observationum mearum hæc est. Pag. 213. *Clericos exactionibus, procurationibus, vectigalibus, pedagiis subdi passa non est Ecclesia XIII. & XIV Sæculo, etiam ratione patrimonii & hæreditatis, nisi uxorati essent, vel mercaturam exercerent, & Censuris Ecclesiasticis eorum immunitatem defendit.* Pag. 214 *Clerus ob publicas Ecclesiæ & Reipublicæ necessitates decimas & dona gratuita XIII. & XIV. Sæculo contribuebat.* Pag. 214. *Episcopi & Abbates Militiam Regi suppeditare, interdum & copias ducere tenebantur.* Hæc mere historica, certisque documentis à me probata, quæ Libertati Ecclesiasticæ repugnare his Sæculis visa non sunt. Quamvis autem repugnarent, imputari mihi non debet quod ea retulerim, quia Historici partes ago, ea historicè refero, non dogmaticè. Non expendo an hæc rectè & jure facta sint necne.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, Num. II. pag. 215. Religiosi Censores hanc Propositionem notant velut meam: *Sine licentia Papæ, ex gratitudine, Clerus Gallicanus donare potest Regi voluntarium donum.*

R. *Ex pietatis & grati animi Officio, etiam jure naturali, Clerum subsidia Regibus debere, colligitur ex Guillelmo Parisiensi Episcopo, lib. De Moribus, cap. IX.* Hæc tantùm ibi. Hanc Propositionem suam proscripserunt RR. Censores, quæ nihilominus vera est.

SCHOLION IV.

In eodem Articulo, Num. III. pag. 224. Religiosi Censores hanc Propositionem notant. *Rex Galliæ Regalia Sacerdotum confiscat, quia Sacerdotes subsidium dare noluerunt.*

R. Cùm Aurelianensis & Autissiodorensis Episcopi officio suo in Militia *Philippo Augusto* suppeditanda, pro more illorum temporum, defuissent, *& nullo Privilegio se tueri possent, generali consuetudine contra eos faciente, petiit Rex ut hoc emendarent. Ipsis autem emendare nolentibus, Rex eorum Regalia confiscavit, &c.* Non mea, sed *Rigordi* in libro *De Gestis Philippi Augusti* verba sunt. Historia res est, & mera facti quæstio.

CAPUT VIII.

De Imperatoribus Orientis XIII. & XIV. Seculo.

ARTICULUS I.

De ALEXIO DUCA, & THEODORO LASCARI, Græcis; BALDUINO, HENRICO & PETRO, Latinis in Oriente Imperatoribus.

1. ALEXIUS *Angelus*, Junior, *Isaacii* Imperatoris filius, qui à fratre exauctoratus

tus & excæcatus fuerat, & à Cruce-ſignato Latinorum Exercitu captâ Conſtantinopoli reſtitutus Imperio anno milleſimo ducenteſimo tertio, annuam cum Patre dominationem obtinuit. *Alexius Ducas*, cui ob conjuncta ſupercilia, & velut oculis imminentia, *Murtzuphlo* cognomen, ſeditione facta, & *Iſaacio* animam agente, Juvenem *Alexium*, ſpecie illum ſubducendi furentis plebis incurſui, nefariâ proditione intercepit, in carcerem conjecit, invaſitque Imperium, *Canabo* adoleſcente, quem populus Imperatorem ſalutaverat, cuſtodiæ tradito, & *Alexio* Imperatore propriis manibus ſtrangulato, tyrannidem confirmare conatus eſt anno MCCIV. Gravis ipſi erat Francorum Cruce-ſignatorum exercitus, qui Duce *Balduino* Flandriæ Comite, finitima Philex loca populabatur, & tributa exigebat. Adversùs quem copias educens *Murtzuphlus*, pugnam temere commiſit. Græci fuſi fugatique, vix evaſit *Ducas* Tyrannus: Imago Deiparæ Virginis, Imperatoribus in acie præferri ad tutelam ſolita, in poteſtatem Francorum venit, ipſiſque ulteriorem victoriam, ac Imperium etiam ominata eſt. Tum Franci, ſanctiori fœdere cum Venetorum Duce renovato, communi conſilio viribúſque Conſtantinopoleos oppugnationem ſunt aggreſſi. Sexaginta ampliùs diebus terra marique obſeſſa urbs Imperialis, die XII. Aprilis anni MCCIV. ſecunda die hebdomadis VI. Jejuniorum, expugnata eſt. Victoris exercitus ingreſſum *Ducas Murtzuphlus* fugâ prævenit, lembum cum *Euphroſyna* Imperatoris *Alexii* conjuge, & *Eudocia* ejus filia, cujus amore captus erat, conſcendens. *Theodorus Laſcaris*, Alexii Angeli Tyranni gener, de Imperio cum *Theodoro Duca* contendens, & Cleri ſuffragio prælatus, Inſignia Imperii in tanta calamitate ſumere prudenter renuit, Latiniſque propellendis impar, fugere & ipſe coactus eſt. Latinos victoriâ immodeſtè, inſolenter, & impiè uſos, multis in urbe ſacrilegiis patratis, Sanctorum conculcatis Imaginibus, Reliquiis in fœda loca projectis, ſacris vaſis direptis, divino Sanguine & Corpore Chriſti humi effuſo, *Nicetas* deplorat: cujus, quamvis rerum tunc in Urbe Regia geſtarum teſtis oculati, Græca fides ſuſpecta eſt, ob pertinaciam in ſchiſmate, & immane in Latinos odium: quem aculeatus ſtylus teſtatur. Iniquum in totam nationem fuiſſe Hiſtoricum illum, vel hæc ipſius verba probant: *Difficile eſt Latinum avaro ingenio, oculo impudenti, ventre inſatiabili, animo iracundo, manu perpetuò enſem quærente, lenire obſequiis.* Multa nihilominus ſcelera, & ſacrilegia in illa expugnatione à Latinis patrata, Anonymus Vitæ *Innocentii III.* Auctor etiam teſtatur.

Deiparæ Virginis Imago in acie præferri ad tutelam ſolita.

Conſtantinopolis à Latinis expugnata.

II. Capta Urbe, rebúſque pro tempore compoſitis, de Latino Imperatore creando actum eſt. Fœderatorum Procerum conſilio duodecim deſignati, quibus electionis jus & poteſtas eſſet, nimirum Sueſſionenſis, Halberſtatenſis, Bethleemitanus, Epiſcopi, Acconenſis electus, & Abbas Lucedii, cum ſex Nobilibus Venetis, ut Acta *Innocentii III.* *Villarduinus* Campaniæ & Romaniæ Mareſchallus, qui rebus à *Balduino* geſtis interfuerat, harúmque pars magna fuit, & *Guntherus* teſtantur. Summæ Dignitati pares maximè videbantur Marchio Montisferrati, & *Balduinus* Flandrorum Comes. At *Balduinum* maluit *Dandulus* Dux Venetorum, ſuæque gentis ſuffragia in ipſum inclinavit; ne ſi Montisferrati Marchio eligeretur, & aliqua Venetos cum ipſo controverſia committeret, faciliùs ipſorum fines invadere aut incurſionibus vexare poſſet, ob ditionis ſuæ vicinitatem, quàm Flander à Venetiarum finibus remotiſſimus. *Balduinus* itaque, tunc annum agens ætatis duntaxat trigeſimum ſecundum, Imperator electus eſt, die IX. Maii, anno MCCIV. & ritu ſolemni inauguratus, die XXIII. De Conſtantinopoleos expugnatione, ſuáque electione Relationem ad *Innocentium III.* Pontificem Maximum, cum magnificis muneribus miſit, quæ & apud *Arnoldum Lubecenſem* lib. VI. Chronici Sclavorum Cap. XX. & apud *Godefridum* in Annalibus, habetur, mutatâ licet inſcriptione; nam apud illum data ſcribitur ad *Adolphum* Colonienſem Archiepiſcopum; apud illum verò ad univerſos Chriſti Fideles. Sed eamdem, prout ad *Innocentium III.* data eſt, exhibet Geſtorum ipſius Scriptor Cap. XCI. pag. 52. Editionis *Baluzii*. Patriarcham quoque Latinum elegere, *Thomam* * Natione Venetum, ſecundùm Pacta ante Urbis expugnationem conventa, ut ex illa gente, quæ Imperatorem non haberet, Patriarcha deſignaretur. Pacta illa in laudatis *Innocentii III.* Geſtis, Cap. XCIII. legere eſt. Electionem Patriarchæ irritam pronuntiavit Pontifex, utpote contra Canones factam 1. Quia Principis Laici auctoritate nec potuerat, nec debuerat eligi Patriarcha: *Siquidem Laicis, quantumcumque religioſis diſponendi de rebus Eccleſiaſticis nulla eſt attributa facultas.* Tum quia Clerici Veneti, qui in Eccleſiam *S. Sophiæ* quaſi Canonici introducti fuerant, nec à Summo Pontifice, nec ab ejus Legato fuerant inſtituti; adeoque jus nullum eligendi habebant. In gratiam tamen novi Imperatoris, & Venetorum, eumdem *Thomam* Apoſtolica Auctoritate Patriarcham inſtituit, & confirmavit. Id conſtat ex Literis *Innocentii* ad Imperatorem datis, quas in ipſius Geſtis, Cap. XCVI. legere eſt. *Balduinum* Imperatorem *Nicetas Choniates* hoc ornat elogio: *Nondum Balduinus annum ætatis XXXII. exceſſerat: & alioqui vir erat pius & modeſtus, ne impudico quidem aſpectu mulierem intuitus, quandiu à ſua conjuge abfuerat: vacabat divinis laudibus, neceſſitatibus conflictantes ſublevabat, ſuæ ſententiæ adverſantes æquo animo audiebat. Et quod maximum eſt, bis qualibet hebdomade veſperi proclamari jubebat, ne quis in ſuo Palatio cubaret, qui alienam mulierem attigiſſet.* Thraciæ urbibus luſtratis, Oreſtiadi, Didymoticho, & Philippopoli præſidia impoſuit; Theſſalonicam recepit: Marchionem *Bonifacium*, ambiguæ fidei hominem, amicum primò, deinde hoſtem expertus eſt. *Henricus* Balduini frater, & *Petrus Plancius* vir heroïco robore, in Orientem progreſſi, Græcas urbes circumquaque ſubegerunt. Plancius *Theodorum Laſcarim* circa Pæmaninum ſibi cum ingentibus copiis occurrentem in fugam compulit. *Theodorum Philadelphienſem*, ſibi circa Adramyttium agenti arma inferre auſum, *Henricus* profligavit. *Alexius Ducas Murtzuphlus*, ab *Alexio* quondam Imperatore, cujus filiam duxerat *Eudociam* excæcatus, in Latinorum manus incidit, à quibus Conſtantinopolim reductus, ob proditionem ac cædem *Alexii Junioris* Domini ac Imperatoris ſui, capitis condemnatus, & ex altiſſima columna præcipitatus, ac humi alliſus, animam efflavit. *Bonifacius* Marchio Montisferrati cum *Balduino* Imperatore reconciliatus, Bæotia, Attica, Corintho, Thebis, Athenis, Eubœa, aliiſque Provinciis & urbibus potitus eſt, Græcis ubique profligatis. Interea Græcorum urbes plurimæ Latinorum jugum excuſſere, incitante, ac ſuppetias ferente *Joannitio* ſive *Calojoanne* Bulgarorum Rege, cum ingentibus ſuorum, Scytharúmque copiis. *Balduinus* Imperator Adrianopolim urbem Thraciæ munitiſſimam, quò ſe Græci perduelles receperant, oppugnans, cùm *Joannitio* Bulgarorum Regi, ſuppetias obſeſſis advenienti, obviàm proceſſiſſet, ab hoſte interceptus, vinctúſque in

Balduinus Flandriæ Comes Imperator creatus.

* Thomas Morofini Conſtantinopol. Patriarcha electus

Balduini Imperatoris elogium.

Mysiam abductus, die 15. Aprilis, anno MCCV. ac in carcere mensium sexdecim spatio detentus, ab *Joannitio* crudeliter peremptus est, ut *Nicetas* scribit, sive in carcere obiit ex morbo, ut Rex ipse Bulgarorum in Literis ad *Innocentium*, à quo pro ejus libertate urgebatur, datis, & *Villarduinus* in Historia, testantur. Annos vixit circiter XXXV. Miracula ad ejus tumultum patrata scribit *Albericus*. De *Balduini* clade & captivitate *Henricus* ejus frater *Innocentium III.* Pontificem Maximum certiorem fecit, literis quæ ejusdem Pontificis Gestis incertæ sunt, Cap. CV. & CVI.

Theodorus Lascaris.

III. *Theodorus Lascaris*, Nicææ Imperator salutatus est. Turcarum Principem *Jathatinem*, ad quem *Alexius* ejus socer confugerat, infestum habuit. Hunc improvisò aggressus est, ingentemque Barbarorum exercitum, mille duntaxat Equitibus, quorum octingenti Latini erant viri lectissimi & bellicosissimi, in aciem eductis, se profligaturum confidit. Ambiguo marte pugnatum est. Lascaris à *Jathatine* ex equo dejectus ac vulneratus, sed resumptis animis, & divino quodam concitatus impetu, stricto ense pedes equi quo Sultanus vehebatur, concidit, Barbarum prostravit, caput ipsi amputavit, quo in sublime elato, & hostibus ostentato, illos metu ac stupore correptos in fugam vertit, ac victoriâ potitus est. Obiit anno MCCXXII. Imperii XVIII. ætatis XLVIII. *Joanne Duca*, qui filiam ejus duxerat, successore designato. Nullam quippe masculam prolem reliquit. Ejus virtuti debuit Græcia quòd Imperium penitus non amiserit. De ipso legendi *Nicephorus Gregoras* lib. I. & initio II. & *Georgius Acropolita*, ex quibus hæc excerpsimus. Imperante *Theodoro Lascari*, diem obiit *Joannes Camaterus* Patriarcha Græcus Regiæ Urbis, cui *Michaelem Saurianum* magnum Sacellarium idem Imperator substituit. *Joannis Camateri* Synodale Decretum extat lib. VI. Juris Græco-Romani, quo prohibetur ne vir unus sobrinas duas uxores ducat.

Henricus Balduini Frater, & in Imperio Constantinopol. successor.

IV. *Balduino* fratri in Imperio Constantinopolitano successit *Henricus*, à Latinorum exercitu electus Imperator. Rem strenuè gessit adversùs Bulgaros & Scythas. Legem Ecclesiæ incommodam, ne quis Ecclesiam bonorum immobilium scriberet heredem, *Innocentio III.* Pontifice Maximo jubente rescidit. Qua de re legendæ ejusdem Pontificis Epistolæ XCVIII. XCIX. & C. libri XIII. Ejus morum suavitatem & mansuetudinem, non in Latinos modò, sed in Græcos, commendat *Georgius Acropolita*. Cùm *Pelagius* Cardinalis Episcopus Albanensis, Sedis Apostolicæ Legatus, asperiùs in Græcos ageret, Presbyteros & Monachos Græcos, qui Romani Pontificis Primatum colere nolebant, in carcerem conjiciens, templáque claudens in quibus ritu suo Sacra faciebant, *Henricus* Græcorum querimonias placidè audivit, illisque, invito Legato, Sacrorum suo more faciendorum libertatem restituit. *Nos* (inquiebant) *alio genere orti aliúmque habentes Pontificem, nosmet Imperio tuo & Potestati subjecimus, ita ut in corpora, non in spiritum & animum dominareris. Namque in tui defensionem, dum bellum geritur, arma capere necesse est: ut nostris Ritibus ut cedamus, fieri omnino nequit. Aut itaque nos ab urgenti discrimine libera, aut tanquam liberis ad indigenas aditum dato.* Sic locutis, *Ille cùm tot probis optimisque viris privari nollet, etiam invito Legato renuente, templa reseravit, vinculis custodiisque Monachos & Sacerdotes liberavit, & tempestatem, quâ tunc Byzantium jactabatur, sedavit.* Ita refert *Georgius Acropolita*. Obiit *Henricus* die XI. Junii, anno MCCXVI. cùm annos decem, novem menses, & dies XXXI. imperasset. Annum ætatis quadragesimum attigerat. Nullos liberos reliquit.

Petrus Corteniacus Imperator.

V. *Henrico* successit *Petrus Corteniacus*, Autissiodorensis Comes, qui sororem ejus *Jolantam* in matrimonium duxerat. Hic ab *Honorio III*, Romæ coronatus, quinto Idus Aprilis, anno MCCXVII. dum in Thraciam proficisceretur, spe Dyrrachii recipiendi, à *Theodoro Comneno* Græco Epiri Dynasta perfidiosè captus, in vincula conjectus, atque peremptus est, ut Chronicon Autissiodorense, *Philippus Mouskes* Canonicus, ac deinde Episcopus Tornacensis, in Historiâ carmine conscriptâ, aliique Scriptores Latini commemorant.

ARTICULUS II.

De JONNE DUCA, Græco; ROBERTO CORTENIACO, JOANNE BRYENNIO, & BALDUINO II. Latinis Imperatoribus.

Joannes Ducas.

I. THeodoro *Lascari* successit *Joannes Ducas*, qui filiam ejus *Irenen* uxorem duxerat, *Petro* verò *Corteniaco* Imperatori Constantinopolitano *Robertus* ejus filius anno MCCXXI. die XXV. Martii Constantinopoli coronatus. Inter utrumque bellum exarsit. Penes *Ducam* frequens victoria, qui loca plurima de Latinis recepit, eorúmque debilitavit Imperium. Ipso regnante, anno MCCXXXIII. missi à *Gregorio IX.* Romano Pontifice Nuntii de pace Ecclesiarum cum *Germano* Græcorum Patriarcha, cæterísque gentis Præsulibus & Clero, ipsoque Imperatore acturi. Habita nullo fructu Synodus est; imò exulceratis animis adversæ partes discessere. Utriusque conjunctionem Ecclesiæ se consummaturum *Ducas* pollicebatur, modò Romanus Pontifex, ac Principes Occidentis ab auxiliaribus copiis, Latinis, qui Constantinopoli dominabantur, mittendis abstinerent, ut *Pachimeres* lib. V. testatur.

Robertus Corteniacus.

Joannes Bryennius Imperii Constantinop. Administrator.

Post obitum *Roberti Corteniaci*, qui anno MCCXXIII. contigit, *Joannes Bryennius* Rex Hierosolymorum, *Balduini* ejus fratris, annos nati circiter decem, tutelam, & Imperii Constantinopolitani administrationem ac defensionem suscepit contra *Joannem Ducam*, qui inito cum *Azane* Rege Bulgarorum fœdere, Latinis bellum intulit, Imperiique caput Constantinopolim oppugnavit. Verùm *Joannes Bryennius*, Rex Hierosolymitanus, quadraginta & octo Græcorum instructas acies cum exigua militum centum & sexaginta duntaxat manu partem cæcidit, partem fugavit, navésque viginti quatuor in potestatem suam redegit, ut *Gregorius IX.* commemorat in Epistola ad *Belam* Ungariæ Regem CCCXXXI. libri IX. Quod *Georgius Acropolita* suæ gentis honori parcens dissimulat. Cæterùm postea Constantinopolitanum Imperium Ducas in supremum discrimen adduxit, Regia Urbe ad extremam commeatuum inopiam redactâ. Quamobrem *Balduinus II.* in Occidentem ad auxilia conflanda confugere compulsus est. Obiit interim *Joannes Bryennius*, Imperator appellatus ob *Balduini* Junioris Imperatoris tutelam, & Imperii procurationem. Id nempe in Francia moribus receptum, ut Nobilium Pupillorum Tutores & Balli, se terrarum, quas regendas & custodiendas susceperant, Dominos scriberent, observat vir clarissimus & doctissimus D. *Du Cange*, Historiæ Constantinopolitanæ sub Francorum Imperio, lib. III. Num. XV.

Balduinus Corteniacus.

Balduinus Corteniacus rediit Constantinopolim cum

cum sexagiota millium Francorum exercitu, anno MCCXXXIX. Tzurulum oppidum munitissimum Græcis eripuit, Græcorum classem triginta navibus instructam Latini partim submersit, partim vertit in fugam. Cum Turcis, ejus amicitiam & pacem per Legatos rogantibus fœdus iniit.

Joannis Ducæ Græcorum Imperatoris gesta.

Agriculturæ & rei pecuariæ restauratione summam ubertatem populis, opum affluentiam in ærarium suum intulit *Ducas*, seu *Vatacius*, Græcorum Imperator, Turcis præsertim annonæ difficultate & penuria laborantibus, ex sola ovorum venditione tanta vis pecuniæ exiguo tempore comparata est, ut ex ea immensi pretii corona gemmis exquisitissimis distincta *Irenæ* Imperatrici pareretur, quam propterea ovatam Imperator appellabat. Vestes sericas Assyrias, Babylonicas, atque Italicas, vario artificio confectas Edicto prohibuit, iisque subditos contentos esse jussit, quas Græcæ Provinciæ ac manus præberent, ne Imperii pecunia efferretur, & privatorum opes in luxum effunderentur. Justi & æqui studiosissimus erat *Joannes Ducas*, erga Deum etiam & Deiparam pius (si nomeo istud Schismaticus mereretur) Templum enim elegantissimum sub ejusdem Beatæ Virginis nomine Magnesiæ erexit, quod *Sosandra* nuncupatum est. Non minùs religiosa *Irene* Imperatrix, quæ Prusæ Monasterium fundavit, amplisque reditibus dotavit sub *S. Joannis Baptistæ* nomine, in quo Monachos divino cultui jugiter vacaturos constituit. Multa etiam Xenodochia pauperibus & senibus alendis ædificarunt. *Michaelem* nothum *Michaelis Angeli I.* qui Thessaliæ & Ætoliæ vicinisque regionibus præerat, Imperii urbes infestantem bello fregit, & ad pacem rogandam compulit. *Irene* Imperatrice defuncta, alteram uxorem duxit, *Annam Alemannam*, *Manfredi* Siciliæ Regis sororem adhuc adolescentulam. Mulieres inter, quæ ipsam fuerant comitatæ, eique in ministerio erant, quædam formâ præstans *Marcesina* in se Imperatoris defixit oculos, amorésque convertit. Præ ipsa Imperatricem neglexit *Annam*, ubique excepto Augustæ oomine, ipsam Regio cultu, comitatu, honoribus æmulabatur. Tum magnâ pietatis & sacræ profanæque eruditionis famâ florebat *Nicephorus Blemmida*, qui & Orationes duas de Processione Spiritus Sancti à Patre & Filio contra Græcos Schismaticos conscripsit. Is Monasterio præerat, quod suis ædificaverat sumptibus. Cujus ad templum cùm se aliquando Regia pellex *Marcesina* magno cum fastu ac satellitio contulisset, ipsi fores occludi jussit *Blemmida*, qui & sermonibus, & calamo ejus impudicitiam fortiter insectabatur. Contumeliam sibi à Viro Religioso illatam rata superba mulier, Imperatorem cujus cor illaqueatum tenebat, ad ultionem omnibus artibus incitare conata est, hanc ignominiam in ipsius Imperatoris caput redundare clamitans. Ipsam juvabat assentatorum turba, Regium animum in *Blemmidam* commoventium. At Imperator criminis conscientiâ stimulatus, insigne moderationis & pœnitentis animi exemplum dedit, obortis lachrymis, & voce suspiriis interruptâ, sic *Marcesinam* & Aulicos compellans: *Quid me ad Virum justum puniendum impellitis? Nam si ego sine probro & ignominia vivere voluissem, Imperii Majestatem inviolatam conservassem. Nunc cum ipse meæ, atque adeo ipsius Imperii contumeliæ causam præbuerim: meritis meis gratia refertur ut mala sementis malam messem percipiam.* Ita refert *Nicephorus Gregoras* lib. II. Historiæ. Idem constat ex ipsius *Blemmidæ* Epistola ad multos scripta, quam apud *Leonem Allatium* lib. II. *De Perpetuo Consensu*, Cap. XIV. & *Odoricum Raynaldum*, ad annum MCCLV. Num. LXXV. legere est. *Principem Marcesinam* (inquit) *effictim ab Imperatore adamatam, ideóque reliquos alios superantem, & ipsi Augustæ prælatam, tyrannicè in venerandum S. Gregorii Taumaturgi Monasterium, ubi eo tempore nos degebamus, irrupisse: introisse etiam in Dei templum, cum Sacrificium Missæ fieret, & exclusam fuisse per nos à sacra auditione, atque cum dedecore fugatam, dum interim illa de hoc facinore lamentaretur & dolenter ferret..... Cum omni apparatu, & in ipsum templum, dum divinum ac mysticum Sacrificium conficeretur, execrabilis illa influxit. Nos rei inexpectatæ novitate quid ageremus nescientes, statim adulteram à sacra auditione, communi concordéque fidelium oratione, ac hymnodia repellimus, aversamur impudentem, maximèque Christi legibus injuriosam, & injuriam palam profitentem, totis conatibus è sacris locis profanam ejicimus; infirmitate carnis trementes & timidi, sed Dei inconcusso timore hominem exuentes, ducentésque mortem improbitate impietatéque ipsâ multò optabiliorem: & cum ea, cujus nullum cum Christianis consortium est, simul in Ecclesia commorari execrabilius magis æstimantes, quam pessima morte ex hoc corpore separari, verbera simul, & carceres, & famem, & si quid hic pejus excogitari poterit, per totam vitam sustinentes.* Ex morbo epileptico obiit *Joannes Ducas* anno MCCLV. III. Kalendas Novembris annum agens ætatis sexagesimum secundum, Imperii trigesimum tertium, ut *Georgius Acropolita* scribit.

Nicephori Blemmidæ Animi magnanimitas & zelus pro Dei lege.

Balduini Constantinopolitani clades.

Tunc temporis annum Imperii vigesimum octavum numerabat *Balduinus II.* Constantinopolitanus Imperator, quem postea *Michael Palæologus* Græcorum Imperator Imperio ac Regia Urbe ejecit anno MCCLXI. Vixit annos undecim calamitati superstes, dum ad recuperandam Constantinopolim auxilia in Occidente conquireret. Filium unicum reliquit *Philippum*, cui *Caroli*, Siciliæ Regis filiam despondit *Beatricem*, Constantinopoli promissâ, si illius ope recuperari posset. Obiit *Philippus* solo titulo Constantinopoleos Imperator, anno MCCLXXXV. Filiam unicam reliquit *Catharinam*, quæ *Carolo* Comiti *Valesio*, fratri *Philippi Pulchri*, Regis Christianissimi, *Bonifacio VIII.* Pontifice Maximo consanguinitatis impedimentum solvente, nupsit; Constantinopolitanique Imperii Jura ad ipsum transmisit anno millesimo trecentesimo primo; ea conditione ut in eadem Imperii Jura proles ex eorum matrimonio oriunda succederet. *Catharinam Valesiam* peperit. Hæc matri anno MCCCVIII. mense Januario defunctæ, successit in nomen Juráque Imperii. Nupsit *Philippo Siciliæ*, Tarentino Principi, dispensante *Clemente V.* ut consanguinitate non obstante matrimonium contraherent. Annus Christi MCCCXIII. vertebatur. *Philippus* Imperator hujus nominis II. appellatus est. Obiit Neapoli die XXVI. Decembris anno MCCCXXXII. Imperii Jura penes *Catharinam* uxorem remansere. In Græciam profecta est heroïci animi fœmina, ut Achaïæ Moreæque Provincias in sua filiique obedientia conservaret. Obiit Neapoli, quò secesserat, anno MCCCXLVI. Octobri mense. Post ejus mortem, *Robertus* ipsius ex *Philippo Tarentino* primogenitus, Constantinopolitanus Imperator appellatus est, *Mariam Borboniam*, filiam *Ludovici I.* Borbonii Ducis, uxorem duxit, *Clemente VI.* dispensante, anno MCCCXLVI. Obiit Neapoli anno MCCCLXIV. die X. Septembris. *Maria Borbonia* Imperatrix defuncta est anno MCCCLXXXVII. Post *Robertum II*, ejus frater *Philippus* Tarentinus Princeps, Imperii Constantinopolitani augustum nomen sumpsit. Duas habuit uxores: *Mariam Siculam*, filiam *Caroli* Calabriæ Ducis & *Mariæ Valesiæ*; deinde

Latini Constantinopoleos solo nomine Imperatores.

ipsâ defunctâ, *Elisabetham* filiam *Stephani Hungari*, Sclavorum & Dalmatarum Ducis. Obiit *Philippus* Constantinopolitanus Imperator hujus nominis III. nulla relicta prole, anno MCCLXXIV. In ejus Jura, noménque Constantinopolitani Imperatoris successit *Jacobus Buncia* Andriæ Dux, ejus nepos. Hi omnes à *Balduino II.* solo titulo Constantinopolitani Imperatores fuere. De his consule Historiam Constantinopoleos sub Francorum Imperio, scriptam à Viro Clarissimo & doctissimo *Carolo du Fresne*, Domino *Du Cange*, cujus studiis & eruditione & Byzantina & Francorum Historia plurimùm illustrata est.

ARTICULUS III.

De THEODORO & JOANNE LASCARIBUS, & MICHAELE PALÆOLOGO.

Theodorus Lascaris.

Filium unicum reliquit *Joannes Ducas*, ex *Irene* Augusta priori conjuge susceptum, qui ab avo materno *Theodorus Lascaris* appellatus est, & post obitum patris, militum populique concursu in clypeo collocatus, & salutatus Imperator. Mortuo *Manuele*, Constantinopolitano Patriarcha, de Successoris electione deliberatum est, à quo novus Imperator coronaretur. Omnium penè suffragia, & ipsius inprimis Augusti in *Nicephorum Blemmydam* propendebant: sed cùm ipsi voluntatem suam Imperator significasset, summam dignitatem vir modestissimus recusavit. Nec ipsum impensiùs urgere voluit *Theodorus*, quem etsi ob religionem ac sapientiam plurimi faceret, ob morum tamen integritatem ac severitatem metuebat. *Reges enim* (inquit Georgius Acropolita) *eos qui Patriarchatui præsunt, moribus ac ingenio abjectiores moderatioresque peroptant, ut facilius eorum nutibus veluti jussis succumbant.* Patriarcham itaque designavit *Arsenium* Monachum, hominem simplicem, illiteratum, necdum ad sacros ullos Ordines promotum, quem ab Episcopis quamprimùm consecrari jussit. Hi verò Imperatoris mandatis obsecuti, infra eamdem hebdomadam ipsum Diaconum, Presbyterum, Patriarcham inaugurarunt. Ab eo coronatus Imperator anno ætatis trigesimo-tertio, in Bulgaros Thessalósque arma convertit, quos ad pacem compulit deprecandam. *Palæologum*, qui ad Turcas defecerat, humanitate ac promissis revocavit, sibique sanctiori Sacramento obstrinxit. Anno Imperii IV. Christi MCCLIX. gravi morbo correptus ac valetudine à Medicis desperata, *Monasticum habitum* Pœnitentis animo *induit*, ac *Mitylenensem Archiepiscopum pro delictorum Confessione accersens, ad illius pedes humi provolutus, lachrymarum rivis terram in qua jacebat conspersit, adeo ut ex illis lutum fieret: & sæpe illud:* Deserui te, Christe, *inter Confessionis verba inclamabat.* Ita mortem obiit Augusto mense.

Michael Palæologus.

Filium reliquit octo dumtaxat annorum puerum, *Joannem* nomine, sub *Georgii Muzalonis* Protovestiarii tutela, quem Imperii Moderatorem instituit, donec filius adolevisset. Id Testamento mandatum, quod Proceres cum Patriarcha jurejurando confirmarunt. Sed Protovestiario à conjuratis, ad Altare, quod asyli instar complexus fuerat, obtruncato, *Michael Palæologus* Imperii Curator designatus est, móxque Despotæ titulo ornatus, tandem salutatus Imperator; Quem *Arsenius* Patriarcha ritu solemni coronavit, Sacramento priùs obstrictum, ut Imperium veluti depositum susciperet, heredi legitimo, statim atque Reipublicæ gerendæ per ætatem capax esset, restituendum. *Alexius* Cæsar *Strategopulus*, à novo Imperatore adversùs Ætoliæ & Epiri Despotam, cum octingentorum dumtaxat militum manu missus, datâ occasione, proditorum usus consilio, Constantinopolim tunc præsidio destitutam noctu ingressus, igne ad quatuor Urbis regiones admoto, *Balduinum* è Francorum gente postremum Imperatorem, Latinósque Proceres in fugam compulit, urbémque Græcorum subjecit Imperio, à quo tamdiu avulsa fuerat, die Julii mensis vigesima-quinta, Indictione quarta, annô ab orbe condito sexies millesimo septingentesimo sexagesimo-nono, ab urbe per Latinos occupata quinquagesimo octavo, ut *Georgius Acropolita* testatur. Qui characteres anno millesimo ducentesimo sexagesimo primo conveniunt. Tam fausto nuncio recreatus *Palæologus*, Mæonio, ubi tunc agebat, Constantinopolim festinavit; Urbémque religioso instructo agmine, ac supplicantis habitu ingressus est, tredecim precationibus, quas *Georgius Acropolita* ejus mandato ex tempore composuerat, solemni ritu recitatis, Imagine Deiparæ Virginis, quam ὁδηγήτριαν; id est, viæ ducem seu viæ monstratricem nominabant, præeunte. Secundùm gratias Deo relatas, *Alexio* Cæsari triumphum decrevit. In Sede Byzantina Patriarcham constituit *Arsenium*; quem paulo post pravis consiliis suis ac tyrannidi contrarium expertus, exauctorari curavit. Scilicet, *Palæologus* Imperium sibi suisque per fas & nefas confirmare volens, *Theodori Lascaris* filias duas Latinis hominibus, Nobilibus quidem, sed impari prorsùs Matrimonio, collocavit, longiùs abducendas. *Joannem* verò earum fratrem, Imperii heredem legitimum, qui tunc annum ætatis decimum agebat, ignito crepitaculi objectu excæcavit. Ipsum ob immanitatem facinoris, & violatam Sacramenti religionem excommunicavit *Arsenius*, œconomiâ tamen quadam permittens, ut Clerici consuetas pro eo preces in Choro recitarent. Frustra rogavit absolutionem Imperator, frustra pro ipso Episcopi, frustra *Josephus* Galesii Cœnobio Præpositus, qui ipsi à Confessionibus erat, oblatâ ejus nomine congruâ satisfactione, Patriarchæ ut eum communioni restitueret, supplicarunt. Ob repulsam indignatus, consilia de ejus depositione agitavit. Clericus quidem *Epsicopulus* nomine, seu sponte, seu ab Aulicis adulatoribus subornatus, Libellum accusationis contra Patriarcham Imperatori obtulit. Ille convocatis Episcopis qui Constantinopoli versabantur, Libello cum ipsis communicato, eorum consilium rogavit. Accusationum capita facilè diluebat *Arsenius*. Cujus defensiones *Palæologo*, ipsum è Sede ejiciendi occasionem opportunam quærenti haud sufficientes videbantur. Quamobrem frequentiorem Synodum convocavit, ut *Arsenium* opprimeret, vel ab eo absolutionem hujus apparatus metu extorqueret. Sistere se Synodo recusavit Patriarcha, quæ in Palatio, præsidente Imperatore, assidente Senatu, celebrabatur ab Episcopis Aulæ servientibus, nullo Judiciorum ordine servato. Lata in ipsum velut contumacem Sententia. Missi Episcopi duo, qui ipsi exauctorationem præsente Clero significarent. Hanc ille placido animo excepit, & Clericos ad mutuam concordiam adhortatus, cunctisque condonans injurias, jussit ut sacrorum vasorum, & totius thesauri Ecclesiastici indiculum describerent, ne fortè à calumniatoribus sacrilegæ rapinæ etiam accusaretur. * *Nos verò*, inquit, *palliolo, pugillaribus, & tribus nummis, mercede operæ librariæ describendo Psalterio locata, quæ omnia, juxta Monasticam Regulam, priùs possedimus, quum Patriarchales ædes ingrederemur, ut propriis resumptis, eximus.* Mox è

Constantinopolis à Græcis recuperata.

Michaelis Palæologi perfidia & immanitas.

Excommunicatur ab Arsenio Patriarcha.

Arsenius molitionibus & potentiâ Imperatoris oppressus, deponitur.

Arsenii Patriarchæ constantia & aequanimitas.

* *Ex Pachymere.*

è Patriarchali Palatio ejectus, & navi piscatoriæ impositus, ultra Proconnesum deportatus est & in mansiuncula quadam inclusus, impositis Custodibus ex Imperatoris satellitio, ne adiri exul à quibusvis invisere volentibus posset. In locum *Arsenii*, electione Cleri substitui curavit, *Germanum* Adrianopolitanum Archiepiscopum. Is cùm maledictis à vulgo proscinderetur, quòd *Arsenii* viventis Sedem occuparet, Dignitatem abdicavit. Interea Palatinorum quidam conjurationis in Imperatorem convicti, *Arsenium* olim Patriarcham conscios inter nominarunt. Ea de re quæstionem à Synodo haberi jussit. Mittendos esse qui Reum interrogarent, decretum est. Qui si criminis convinceretur idoneis indiciis, seu fateretur, seu negaret, condignis pœnis confestim plecteretur. Si verò nec propria confessione, nec sufficientibus ad plenam probationem argumentis reus peragi posset, deliberaturam iterum de causa Synodum. Id satis Imperatori non est visum, sed postulavit ut interim propter gravissimam suspicionem excommunicationis Sententiâ feriretur. Missi ad ipsum Præsules & Clerici, qui accusationis Instrumentum significarent; qui ipsum insontem esse comprobatum, & ad *Palæologum* retulere. *Germano* Patriarchæ Imperatoris favore, Præsulúmque suffragiis suffectus est *Josephus* Cœnobii *Galesii* Præfectus, qui Imperatorem solemni ritu ab excommunicatione, quam ob excæcatum *Joannem* Regium Puerum incurrerat, absolvit, & Communione Corporis Christi donavit. Mutationes illæ Patriarcharum schisma in Ecclesia Constantinopolitana fecere, cujus incentores fuere Monachi à novi Patriarchæ communione recedentes, eámque cœteris execrandam suadentes. Intrusum scilicet in locum legitimi Patriarchæ adhuc viventis *Arsenii* proclamabant. Aliud accedebat criminationis caput. *Ut enim Germanus supra injuriam exclusi Arsenii propria laborabat infamiâ mutata contra Canones Sedis, & Constantinopolitani ex Adrianopolitano consecuti Throni: sic & offendebat in Josepho, quod illum aiebant in excommunicationem incurrisse, sub cujus interminatione vetitum ei a Patriarcha fuisset Imperatoris Confessiones excipere, quod facere tamen pervexisset.* Ita refert *Pachymeres*. In tumultus authores inquiri *Josephus* ab Imperatore impetravit. *Georgio* Magno Logothetæ hæc demandata provincia est, viro cum primis erudito, sed *conscientia parum tenera, minimúmque pensi in rebus gerendis habere credito, quid fas & officium moneret;* (inquit Pachymeres) Ille igitur domos obiens, Patriarchæ obtrectatores prehensos abducebat, vexans, cædens, proscindens, suspendens, flagellans; qui verò inter illos eminerent dignitate, probris dehonestans, ac per fora ignominiosè traducens, prætextu veræ, quam celabat, causæ odiosissimis usque confictis criminibus, eósque exilio multabat; *nihil sanctam reveritus Professionem Religiosorum, qui semel abdicato mundo, exules se terra ad cœlestem ultro conversationem transtulissent.* Hæc violentia magnam adversùs *Josephum* Patriarcham invidiam concitavit. Longè saniora *Germani* consilia fuisse observat *Pachymeres*, quippe qui contumelias sibi illatas dissimulans, obtrectatorum suorum nemini molestus fuerit. Cujus etiam, postquam Patriarchatu cessit, sors fœlicior visa est. Nam *Existimatione gratiáque floruit, gratus ipsi Principi, Pater ab eo vocatus, in Consilium adhibitus, procuratione demandatâ negotiorum honoratus. & libenter, ac effectu impetrationis sequente, auditus, cum pro amicis intercederet. Erat enim homo innutritus mundo, multo usu vitæ civilis, insinuare se Principibus sciens, & persuadere quæ opus esset; tum eosdem placare, concitaréque prout res poscerent. Accedebat his animi bonis & corporis robur Palatinæ militiæ laboribus par. Nec enim huic obstabat valetudo, quominus sæpius in mense, interdum plus semel in hebdomade, adiret Imperatorem, partim ultro, partim accersitus.* Hæc *Germani* Patriarchæ effigies, *Pachymeris* penicillo delineata. *Michaëlem Palæologum* bella exercuere gravissima, Bulgaricum, Tichallicum, Turcicum, Siculum. Porro ut *Caroli* Siciliæ Regis, expeditionem terra marique ad recuperandam Constantinopolim adornantis, arma averteret, ad Ecclesiæ Romanæ concordiam respexit, datis ea de re literis, missisque Legationibus ad Romanos Pontifices Urbanum IV. Clementem IV. & Gregorium X. Ad Synodum Oecumenicam Lugdunensem II. Oratores misit, qui suo nomine fidem Ecclesiæ Romanæ profiterentur, concordiámque jurarent. Ultro citróque missi Legati ad conficiendum sanctæ conjunctionis negotium. Imperator convocata in Regia Urbe Synodo curas omnes, industriam, auctoritatem adhibuit, ut Patriarcham, Episcopos, Clerúmque universum ad ineundam cum Ecclesia Romana concordiam adduceret. Minis etiam ac pœnis eorum, qui argumentis non cederent, inflectere conatus voluntates. Exauctorato Patriarcha *Josepho*, concordia consummata est anno 1274. Qua de re uberiùs & accuratiùs agemus in Dissertatione de Concilio Lugdunensi II. De electione Patriarchæ agi cœptum. Dissidentibus Episcopis, & parte in *Principem*, virum revera ortum ex Principe Domo, gestis Præfecturis Monasticis, & Palatinis Legationibus insignem, Antiochenum tunc Patriarcham; parte in *Joannem Veccum* Magnæ Ecclesiæ Chartophylacem propendente, electio Imperatoris voluntati compromisso permissa est. *Ille haud cunctatus, Veccam prætulit, cùm aliis præstantem dotibus, tum maximè doctrinâ, postremo quòd tam longo usu Ecclesiasticarum rerum, tantâ famâ sapientiæ auctoritatéque præditus, omnium aptissimus videretur ad comprimendum schisma, negotiúmque concordiæ catenus promotum, fine optato coronandum.* Ita *Pachymeres* lib. 5. cap. 24. ubi & eximiam *Vecci* novi Patriarchæ caritatem, & constantiam in patrocinio miseris & insontibus apud Imperatorem exhibendo, & fiduciam in venia reis exoranda commendat. Cùm aliquando veniam pro homine injustè damnato deprecatus esset Patriarcha, gratiámque negaret Imperator, nec precibus ullis flecti posset, *Incruenti Sacrificii* tempus expectavit, cui die Sancto *Georgio* Martyri sacra in Monasterio Manganorum adfuit Imperator, ipso *Vecco* rem sacram faciente. *Ubi verò perfecta oblatione donorum, tempus adfuit, quo ex more solet Imperator accedere debebat ad perceptionem Panis Benedicti, quem Antidotum vocant, & Eulogiam à celebrante accipere, recludunt anteriores adytorum fores, & prodit qui bene precaturus Imperatori juxta morem erat. Præsto est Augustus, & manum porrigit, Sacram sumpturus Panem. Cohibet dexteram Sacerdos, qui fragmentum Sacri Panis tenebat.... Lingua ejus antea rejectam supplicationem iteravit: & homini ægrè habenti, ut ab Imperatore quod optabat, contingeret, precata est.... Atque excusanti, non esse id aptum veniæ isti concedendæ tempus, & differri negotium poscenti; Patriarcha contra reponebat: Optimè conjungi cum perceptione gratiæ ex Deo, indulgentiam in hominem veniæ.... Intentiori supplicatione institit Augustus, ut sibi Panis daretur, non tam ad usum, fructúmve (ut aiebat) proprium, quàm ad offensionem spectantis populi vitandam. Verùm ex adverso Patriarcha magis timendam cavendámque studiosiùs indicans Dei offensionem? Acciperet in judicium, Auguste,* inquit, *hunc sacrum cibum, quoad*

Germanus & J[oseph] Patriarchæ intrusi.

Michaëlis Palæologi bella.

Ecclesiæ Græcæ cum Romana concordiam procurat.

Joannes Veccus Patriarcha creatus.

Anno 1275.

Joannis Vecci caritas & constantia in patrocinio miseris & insontibus apud Imperatorem exhibendo.

certum fixúmque tibi erit, homini injustè vexato solatium negare.

Sincerum Michaelis Palæologi pro concordia utriusque Ecclesiæ studium.

Sincerum *Michaëlis* pro concordia Ecclesiæ utriusque promovenda studium testantur pœnæ Schismaticis inflictæ; *Josephi* Expatriarchæ exilium, ob nimiam cum ipsis familiaritatem; bellum à *Constantino* Bulgariæ Rege illatum instigante *Maria* ejus uxore, *Eulogia* filia, in odium Ecclesiasticæ pacis, & initæ cum Romana Ecclesia concordiæ. Erat autem *Eulogia* Soror Imperatoris, Schismaticorum Princeps, & malæ causæ patrona vehementissima, cujus amicitiâ Ecclesiæ unitatem ille potiorem habuit. Quorum omnium testis est *Pachymeres* lib. 5. & 6.

Joannis Vecci Patriarchæ libertas ac zelus ipsum *Palæologo* invisum fecere. Falsas accusationes in Patriarcham adornatas lubens ille gaudénsque suscepit. Calumniatores ad rem urgendam accendebat *Isaac* Ephesinus Episcopus, quo spirituali Patre, atque conscientiæ Arbitro tunc Augustus utebatur. Eo auctore Novellam promulgavit Imperator, decernentem, ut quæ Monisteria in quibusvis Episcopatibus uni Patriarchæ Constantinopolitano subjecta fuerant, Episcopis deinceps, in quorum Diœcesibus erant condita, parerent. Consuetudinem quippe Canonum auctoritati adversari, vetantium ne quivis Episcopus Jurisdictionem in alienis Diœcesibus usurpet. Aversum à se Imperatoris animum agnoscens *Veccus*, *Pachymeri* jussit ut abdicationis suæ libellum conscriberet: quem cùm Imperatori obtulisset, illo simulante se non recipere, continuò recedens in Panachrantæ Monasterio se abdidit. Illum è secessu revocavit *Palæologus*, misso etiam ad ipsum *Andronico* filio, Imperiique Collega.

Missis à *Nicolao III.* Romano Pontifice Legatis, qui Græcos seriò ac sincerè pacem amplexos non esse quererentur, sed omnia per ludibrium agi, & qui additionem vocis, *Filióque*, ad Symbolum, velut pignus veræ concordiæ exigerent; eorum postulata *Palæologus* elusit, ostensis quos in carceribus, ob pertinaciam in schismate detinebat, suos licet cognatos ac necessarios. Exinde Schismaticos magis infectatus, plurimósque suppliciis atrocibus affecit. *Martino IV.* post obitum *Nicolai III.* in Romanam Sedem evecto, Oratores ad ipsum misit Imperator, quos ille pessimè excepit, quòd persuasum haberet, *Michaëlem Palæologum* negotium pacis Ecclesiarum bona fide non promovere, sed politico ingenio pœnas nonnullis Schismaticis irrogatas ostentare. Quamobrem ipsum velut *Schismaticorum fautorem* anathemate confixit anno 1281. Extat lata excommunicationis Sententia Tom. 1. Bullarii. Accessit & alia causa, quòd *Michael*, conciliante *Joanne Procyda*, fœdus cum Rege Asagonum contra *Carolum* Siciliæ Regem pepigisset, quam ob rem *Carolus* Pontificem impulit ut illum excommunicatum denuntiaret. Ita referunt *Jordanus* & *Ptolomæus Lucensis*, insignes Historici ab *Oderico Raynaldo* laudati, ad annum 1281. Num. 26. Anathema intempestivè à Romano Pontifice vibratum, *Palæologum* exacerbavit, nomen ipsius in Sacris recitari prohibuit, & parum abfuit quin omnia pro pace priùs sancita, & totum concordiæ Tractatum rescinderet. Interea Siciliæ Rex *Carolus*, consentiente Pontifice, *Michaeli* bellum indixit, quod infœliciter aggressus est, copiis ejus ad Bellagrada profligatis, anno 1281. Lege *Pachymerem* lib. 6. Cap. 32. & 33. & *Nicephorum Gregoram* lib. 5. Obiit *Michael Palæologus* anno Christi 1283. ætatis quinquagesimo-octavo, Imperii vigesimo-tertio. Heredem Imperii reliquit *Andronicum*, quem dudum Collegam asciverat. Is *Patrem Imperatoriâ sepulturâ adeo non honoravit, ut ne plebeia quidem sit dignatus: præterquam quod jussit, ut noctu pauci quidam cadaver procul à castris abductum multa terra obruerent.* Ita refert *Nicephorus Gregoras*, idque in odium concordiæ cum Ecclesia Romana, quam totis viribus promoverat, & ad mortem usque servarat, factum asserit. *In causa erat*, inquit, *quod, dum viveret, à recta Ecclesiæ doctrina descivisset: quod factum filius, etsi patrem adamabat, & pietate filios omnes atque observantia superabat, ex animo clam oderat.* Sic loquitur Author Schismaticus. Idem testatur *Andronicus* ipse apud *Pachymerem* lib. XII. Historiæ. *Etenim*, inquit, *sententia illa heri aut nudiustertius nondum bene radicata, avulsa est, nostra solicitudine. Et qui illa egerat, licet pater esset, licet de nobis optimè meritus, licet amicissimus, & quicquid aliud dixeris, sive consanguinitatis, sive beneficii nomen, nullis, quod ad nos fuit, nec etiam iis qua quilibet Christianus consecutus fuisset, justis persolutis, inglorius jacet, vir & Imperator hostibus formidandus, multáque ob subditos maximis dispendiis perpessus, & singulariter mihi omni amore dignus, quod suis ipse sæpius mea præferebat, & hac comparatione superari se asserens, non verebatur. Nihilominus id visum & actum est.* Quibus testimoniis mendacii convincuntur *Dorotheus Monembasiensis*, & *Matthæus Cigala*, in Synopsi Historiarum, qui scribunt, *Michaelem* Imperatorem sepultum fuisse in templo SS. Apostolorum. Hunc verò *Metochita* coævus Author, & qui tetrum à Schismaticis carcerem pro Fide Apostolica Romana multis annis, ad mortem usque, sub *Andronico* passus est, hoc ornat Elogio: *Inclytus in Imperatoribus Michael, magnum Orientalium & Occiduorum tractuum nomen, aut potius quatuor mundi cardinum terror & gloria; Pietate constantissima, fiducia in Deum ardente pariter & immutabili. Qui per totam vitam scopo illustri sibi proposito sincera fidei, cuncta quæ ad hanc conducerent, quæ illam quomodocumque referrent, præ omni opere, cogitatione, consilio, omni modo & tempore, sedendo, surgendo, in omni motu ac passu spectavit, amplexúsque est. Indefessa mens, magnorum homo sensuum, cœlestis, magna operatus, ingentia conatus: Comnena mixtus stirpe Paleologorum surculus, planè admiratione dignus.*

Michaelis Palæologi obitus.

A sepultura honore privatur in odium concordiæ cum Romana Ecclesia initæ.

Michaelis Palæologi elogium.

ARTICULUS IV.

De duobus ANDRONICIS PALÆOLOGIS, Græcorum Imperatoribus. Et de OTTHOMANO & URCHANE Turcarum Regibus.

Andronicus Palæologus Michaelis filius, Schismaticus Princeps.

I. POst *Michaelis Palæologi* obitum, Imperium solus administravit *Andronicus* ejus filius, fidei Romanæ ac unionis Ecclesiarum, cui olim cum patre subscripserat, jam professus hostis. Pseudosynodum convocavit Schismaticorum Præsulum ac Monachorum, pulso è Sede Constantinopolitana *Joanne Vecco*; & *Georgio Cyprio* intruso, postquam revocatus antiquus Patriarcha *Josephus* Schismaticus iterum secessisset. In ea Synodus Oecumenica Lugdunensis confixa est, Ecclesiarum conjunctio improbata & rescissa: Damnati & in carcerem conjecti Patriarcha *Veccus*, *Constantinus Meliteniota*, & *Georgius Metochita*, Catholicæ Romanæ Fidei vindices constantissimi, quam & Operibus eruditis defenderunt, de quibus *Leo Allatius* lib. II. *De Perpetua Consensione* Cap. XV. Qui & nonnulla edidit in *Græcia Orthodoxa*. Morti proximus,

Joannis Vecci Patriarchæ obitus, & Testamentum.

proximus, quam in carcere obiit, *Veccus* Patriarcha, Fidem Catholicam Romanam de Processione Spiritus Sancti à Patre & Filio, seu, quod idem est, per Filium, Testamento suo consignavit, cujus hæc postrema verba: *Ob verum autem Patrum dogma, ex Patre scilicet per Filium Processionem Spiritus Sancti, exilio carcerêque mactatus, hoc meum Testamentum propria manu scripsi, subscripsique.* Illud apud *Allatium* lib. 11. *De Perpetua Consensione* Cap. xv. & apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum 1264. n. 49. legere est.

Andronici Palæologi ignaviâ, Græcorum Imperium à Turcis lacerari cœptum est, qui omnes pene Asiæ Provincias eâ tempestate subegerunt, ut *Nicephorus Gregoras* lib. vii. commemorat. Variis cladibus à Turcis affectus *Andronicus*, & Cruce-signatos exercitus reformidans, redintegrandæ cum Romana Ecclesia conjunctionis desiderium præ se tulit, & *Carolum IV.* Francorum Regem concordiæ interpretem ac sequestrem adhibuit missis Oratoribus, qui significarent ipsum cum omnibus Christianis, præcipuè verò cum Gallis pacem servaturum. De cujus voluntate ut certior fieret Rex Christianissimus, missi ad ipsum *Benedictum e Cunis*, Ordinis

Benedictus de Conis Ord. FF. Prædicatorum, Constantinopolim Nuntius Apostol. cui mittitur ad sanctæ unionis negotium promovendum.

FF. Prædicatorum Doctorem Theologum, sub Romani Pontificis beneplacito. Hunc *Joannes XXII.* ad *Robertum* Siciliæ Regem, & ad *Philippum* Tarentinum Principem præmisit, ut opportuna in re tanti momenti consilia & ipsi suggererent. Illum deinde Nuntii Apostolici ornatum dignitate Constantinopolim proficisci jussit, *Andronici* animum ut exploraret, utque cum Schismaticis publicè vel privatim congrederetur, & sacris etiam concionibus eos in sinum Ecclesiæ Romanæ revocare satageret. Id constat ex *Joannis XXII.* literis ad Regem Siciliæ datis, & ex aliis quas *Odoricus Raynaldus* laudat ad annum 1326. N. 26. & 27. ex Tom. v. Epistolarum Secretarum ejusdem Pontificis.

Andronicus II. Palæologus, patociis nepos.

Andronicus, mortuo *Michaële* filio, nepotem *Andronicum* designavit heredem Imperii: Qui adversùs avum rebellans sæpius, tandem Imperiali Solio ipsum depulit, capta Constantinopoli, anno millesimo trecentesimo vigesimo-septimo, die sacra Pentecostes, ut *Cantacuzenus* observat lib. 1. c. 59. ut nimirum pertinaciæ in promovendo schismate, & Spiritus Sancti neganda ex Filio Processione, pœnas ipsum dare justo Dei Judicio manifestum esset. In custodiam traditus, novas subinde passus est calamitates, oculorum enim usum amisit, & paulò post Monasticum habitum induere coactus est, ne spes aliqua revertendi ad Imperium illi superesset. Jusjurandum etiam subscriptione firmatum ab ipso extortum est, quo se Imperatoriam Potestatem numquam quæsiturum, & oblatam repudiaturum, neque alium ullum subornaturum pollicebatur. Quod nisi præstaret, ipso die de illius capite actum foret. In Monastico habitu biennium exegit, ac demum diarrhœa ex nimio aquæ potu & testaceorum esu correptus, noctu, omni destitutus auxilio, animam efflavit, die *S. Antonio* sacra, cujus nomen sumpto habitu Monastico acceperat, anno MCCCXXXII. Ostenta quædam obitum ejus præcessisse, narrat *Nicephorus Gregoras* lib. ix. Historiæ. Imminente verò morte, cùm neminem haberet qui sibi Divina Mysteria impertiretur, sacram Deiparæ imaginem, quam in sinu gestabat, loco Divinorum Mysteriorum in os inseruisse.

Andronici Senioris calamitates, & obitus.

Andronici junioris ad redintegrandam cum Romana Ecclesia concordiam propensio.

II. Turcarum irruptionibus, à quibus & copiæ ejus fusæ, & capta Nicea est, oppressus *Andronicus Junior*, redintegrandæ cum Romana Ecclesia concordiæ pium desiderium præ se tulit; ac ea de re cum Archiepiscopo Vosprensi *Francisco*, & Cersonensi Episcopo *Richardo*, ex Ordine FF. Prædi-

Episcopis ex Ordine Dominicanorum Apostolica Legatio committitur ad sanctam unionem promovendam.

A catorum assumptis, qui Christiana fide inter Zichos & Gothos longe lateque propagata, & Zichorum Rege ad Christum converso, palmis onusti ad Sedem Apostolicam redibant, contulit. Quo nuncio recreatus *Joannes XXII.* Pontifex Maximus, datis ad *Andronicum* literis ipsum hortatus est, ut pium consilium executioni mandaret, ipsique ac toti genti sinum Apostolicæ caritatis patere significavit. Scripsit etiam ad Patriarcham, & Clerum populùmque Græcum; & ad *Joannem Pisanum* qui plurimùm apud Imperatorem poterat, ut optatissimam Ecclesiæ Græcæ cum Romana Ecclesia B conjunctionem suaderet. Laudatis verò Præsulibus Apostolicam Legationem commisit, ut sanctam unionem promoverent. Pontificis Literas hac in causa scriptas, apud *Odoricum Raynaldum* legere est ad annum 1333. à Num. 17. ad 20. Novis literis *Andronicum* excitavit anno 1334.* scripsitque ad *Joannam* Imperatricem, ut marito redintegrationem concordiæ cum Ecclesia Romana persuaderet. Præterea, *Philippum Valesium*, Regem Christianissimum rogavit, Oratores Constantinopolim ad rem urgendam mitteret. Missi interim a Romano Pontifice Episcopi duo, quorum superiùs meminimus, Constantinopolim appulere; & Patriar C cham ad congressum de controverso dogmate provocarunt. *Is verò cùm nec linguam dicendi exercitatione instructam haberet, & suos Episcopos maximam partem indoctissimos esse cerneret, tergiversabatur quidem, sed quomodo populi tumultum sedaret non inveniebat.* Ita refert *Nicephorus Gregoras*; qui disputationem dissuasit iis rationibus, quas apud ipsum lib. x. Historiæ legere est. Sub *Benedicti XII.* Pontificatu rursus de unionis negotio actum fuit, *Andronico* se ad eam propensum demonstrante. At cùm ita se affectum ostenderet ut auxilia D contra Turcas à Latinis obtineret Principibus, eorúmque dissidia prohiberent ne Græciæ laboranti suppetiæ ferrentur, Tractatus intermissus est. *Palamæ* hæresi de Thaborio lumine increato favit, eámque vehementi contentione in Synodo Constantinopoli congregata, asseruit, anno MCCCXLI. Ex qua gravi morbo contracto, paucis post diebus è vita migravit, anno ætatis circiter quadragesimo quinto, Imperii X.

* Apud Odoricum Raynald. n. 2. & 3.

Andronicus Palamitis favet.

Ejus obitus.

Ottomani Imperii initia.

III. Turcarum, quos alii ex Scythis, (quam opinionem *Laonicus Chalcondilas* amplectitur) alii ex Parthis, quidam ex Turca Persarum Urbe E magna & opulenta, nonnulli ex Cœlesyria & Arabia oriundos tradunt, Imperium condidit *Othomanus*, sive *Osman*, filius *Orthogulis*, sive *Ertuculis*, cujus nativitatem ac Regnum à Vate quodam Mahumetano prædictam, cujus filiam, cum adolevisset, uxorem duxit, Annales Turcici referunt. Anno Christi millesimo ducentesimo nonagesimo octavo regnare cœpit. Ex Sogutha Mysiæ vico, unde oriundus erat, in Asiam cum gentilibus suis infudit sese, plurimásque subegit urbes, ac Prusam Mysiæ urbem, opibus florentem, fame expugnatam, Regni Sedem constituit. Eo regnan F te Turcarum octo millia in Europam per Hellespontum trajecerunt, captóque Græcorum præsidio Chersoneso imposito, penetrarunt in Thraciam, & ad Istrum prædabundi. Annis viginti & octo regnavit, obiitque anno Hegiræ DCCXXVII. Christi MCCCXXVI.

Othomanus Rex primus Turcarum.

Urchanes Rex Turcarum secundus.

IV. Ipsi in Regnum successit *Urchanes* filius, qui Lydiam universam ditioni suæ subjecit, Nicæam expugnavit, Asiam reliquam Græcis eripuit. Contra formidandum Christianis hostem Summus Pontifex *Joannes XXII. Philippus Valesius* Rex Francorum, Siciliæ Rex *Robertus*, Dux Venetorum *Franciscus Dandulus*, & Rhodiorum

Equitum

Equitum Magister, inito fœdere, classem instruxerunt validissimam, cui Joannes Dominus De Cepeye, Gallus, Diœcesis Bellovacensis, præfectus est. Insignem de Barbaris victoriam retulit Christiana classis, Turcis ad quinque millia cæsis, navibus majoris alvei ducentis quinquaginta incensis. Id constat ex *Joannis XXII.* literis, quas *Odoricus Raynaldus* exhibet ad annum MCCCXXXIV. à Num. VII. ad XI. ex *Joanne Villani* lib. XI. Cap. XVIII. & ex *S. Antonino* III. P. Chronici Tit. XXI. Cap. VI. §. XV. Cum *Joanne Cantacuzeno* Græcorum Imperatore affinitatem contraxit *Urchanes*, filiâ ejus in matrimonium acceptâ. Domos omnes atque prædia ditionum suarum describi jussit, edixitque ut unus quolibet ex prædio mitteretur, qui anno solido in Regia quosvis injunctos sibi labores subiret, quos *Iaias*, id est pedites, appellari placuit. Isnica urbe potitus, Imaretum in ea condidit, hoc est, Mahumetanum Templum, cum Schola & Xenone: Quo quidem in Xenone cibi parantur, & in egenos distribuuntur, præsertim in Scholasticos & peregrinos. *Solimannum Bassam* filium Isnicæ præfecit. Prusæ verò Sangiacatum tradidit *Amurathi* filio natu minori. Gallipolim, aliásque urbes & castra Christianis eripuit *Solimanus*. Inter venandum ex equo lapsus, humíque allisus, obiit, annno Hegiræ DCCLIX. Christi MCCCLVII. quo etiam, duobus post filii mortem mensibus, interiit *Urchanes*, cum annis duobus & triginta regnasset. Constant ista ex *Laonico Chalcondila* lib. I. *De rebus Turcicis*, & ex Turcicis Annalibus à *Joanne Leunclavio* editis.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 257. Edit. primæ hanc propositionem notant Religiosi Censores: *Processio spiritus-Sancti à Patre & Filio, seu per Filium, quod idem est.*

R. Stupendum est hanc propositionem à Religiosis Censoribus reprehendi. Præpositiones, *Ex*, & *Per*, sæpius idem significare, probat S. Basilius lib. *De Spiritu sancto*. Antiqui Patres, Græci præsertim, Spiritum Sanctum *ex Patre & Filio*, & *ex Patre per Filium* procedere interdum scripserunt. Cùm in Capitibus, quæ adversùs Concilium septimum ad Adrianum I Misit Carolus Magnus, inter alia Concilio Galli vitio verterent, quòd Tharasius Actione III. Spiritum Sanctum à Patre procedere per Filium asseruisset, hanc loquendi formulam Patribus esse familiarem, & proinde admittendam, in Responso ad Carolum Magnum tradit Adrianus I. Pontifex Maximus: quod argumento est antiquos Patres, immò & recentiores, indiscriminatim has loquendi formulas usurpasse. Unde in Concilio Florentino Archiepiscopus Nicænus Sessione XXV. demonstravit Græcos Patres hac loquendi formula usos fuisse, *Ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum*. Latinos vero sæpius, *Ex Patre & Filio*; nec inter se discrepare has loquendi rationes, sed specie tenus: Nolle tamen Græcos hanc præpositionem, *Ex*, in usum admittere, quòd apud eos causam principalem significet. Græci postea Imperatoris sui jussu convenientes idem decreverunt, & Joseph Patriarcha Constantinopolitanus ex Græcorum consensu eorumque nomine declaravit idem esse, *Per Filium*, & *Ex Filio* Spiritum Sanctum procedere. Hæc si considerare Censoribus Religiosis per otium non licuit, mirum quòd saltem non attenderint ad *S Thomæ* sententiam I. p. Quæst. XXXVI. Art. III *Quia*, inquit, *Filius habet a Patre quòd ab eo procedat Spiritus Sanctus; potest dici quòd Pater per Filium spirat Spiritum Sanctum: vel quòd Spiritus Sanctus procedat à Patre per Filium, quod idem est.*

ARTICULUS V.

DE JOANNE CANTACUZENO, Græcorum Imperatore.

ANdronicus *Junior* filium novennem *Joannem Palæologum* Imperii successorem reliquit. Publicæ rei administrationem suscepit Magnus Domesticus *Joannes Cantacuzenus*, Anna Imperatrice rogante, & consentiente demum *Joanne Patriarcha*, qui tutelam Imperatoris, & Imperii Procurationem sibi deberi ambitiosius primùm ac vehementiùs contenderat. Ad id honoris fastigium aspirabat *Apocaucus* Imperatorii Cubiculi Præfectus, qui ob affectatam tyrannidem, *Joannis Palæologi* inaugurationem, quam *Cantacuzenus* urgebat, differri suasit. Deinde *Cantacuzeno* struxit insidias, Imperatrici suspectum fecit, in ordinem redigere malis artibus conatus est. Adversùs hostem ut se tueretur Magnus Domesticus, Imperium licèt minimè affectaret, semel iterúmque rogatus à Proceribus & à Ducibus exercitus, Didymotichi Insignia sumpsit Imperii: ita tamen ut primùm *Annæ* Augustæ, deinde *Joanni* filio Imperatori; tertio loco *Joanni Cantacuzeno* Imperatori, & *Irenæ* uxori Imperatrici fuerit acclamatum. A Patriarcha ob invasum Imperium anathemate confixus est, suâque sententiâ ipse damnatus; siquidem *Andronico* Imperatori morienti author fuerat rogandi Patriarcham ut excommunicatione percelleret eos qui in *Joannem Palæologum* ejus filium, Imperatorem designatum, conjurarent. Pacem ab Imperatrice frustra exoravit. Suspicionem affectatæ tyrannidis à se amoliri magno studio conatus est. Interea *Joannes Palæologus*, Andronici filius, Augusta Matre volente, Byzantii coronatus est Imperator. *Apocauchus* Magni Ducis auctus dignitate, *Cantacuzenum* æmulum bello vexavit, ac in ejus propinquos sævit, animum Imperatricis *Annæ* occupans, ne pacem cum illo faceret. Sic intestinis discordiis caducum magis ac magis debilitabatur Imperium. *Cantacuzenus* Constantinopolim proditione cepit anno 1347. *Anna Augusta* missis ad eum pacis Interpretibus, fœdus cum ipso his legibus percussit: *Ut neque ipse vindicaret in eos, qui se læsissent, & tum in Palatio cum Imperatrice degerent, neque multaret ullo modo, sed omnia oblivione sepeliret: neque Imperatrix aut filius Imperator, in eos, à quibus ipse Cantacuzenus bello adjutus esset, inimicum retinerent animum: nec illis vel arte, vel ullâ machinâ nocere conaretur. Sed utrinque adversùm socios utrorumque odia deponerentur, omnésque quas ab initio habuissent, fortunas suas retinerent: Imperarent autem ambo, Cantacuzenus, & Joannes adolescens Palæologus. Séque ea invicem benevolentia complecterentur, quâ Patres & filii solent: Juniórque Seniori potiores deferret in omnibus: ac propter ætatem nondum firmatam, decem annos administratione cederet: quibus exactis, æquali authoritate cum eo imperaret.* Ita refert ipse *Cantacuzenus*, lib. III. Historiæ Cap. centesimo. Ad firmandum fœdus, filiam *Helenam Joanni Palæologo* Imperatori collocavit. Interea cùm Marchio Montisferrati Byzantium, Thessalonicam, Ænum, ut hereditarias urbes occupare meditaretur, *Bartholomæus* Delphini Viennensis ad *Annam* Augustam Legatus, ipsum deterruit, datísque ad *Clementem VI.* Pontificem Maximum ac Delphinum ipsum *Humbertum* literis, quibus *Cantacuzeni* potentiam Imperatoris plurimùm commendabat.

Joannes Palæologus Andronici filius, Imperiû consors.

Joannes Cantacuzenus Oecumenici Concilii celebrationem Romano Pontifici proponit ad unionem Ecclesiarum.

Cantacuz. lib. 4. c. 9.

dabat, Latinorum avertit arma. Has literas Historiæ suæ ad ostentationem inseruit ipse *Cantacuzenus* cap. II. libri IV. Idem Imperator, ut Romanorum Pontificum, & Occidentalium Principum sibi conciliaret amicitias, & auxilia contra Turcas ab ipsis impetraret, de Græcorum conjunctione cum Romana Ecclesia instauranda pium consilium præ se tulit, & cum *Clemente VI.* * & *Innocentio VI.* communicavit, Legatos Apostolicos perhonorificè suscepit. Conditionem proposuit de Concilio celebrando: » ineptum ac turpe videri dicens, de quibusdam fluxis ac caducis consilia agitari, quæ & adeptis haud ingens emolumentum, & frustratis leve damnum pariunt, in illis nullam diligentiæ partem omittere, ne quod bonum appareat amittatur: cùm de cœlestibus & de veritate dogmatum fidei quæstio est, parvi tangi solicitudine, & fidere tibi soli, perinde ac si per te ad tam sublimem cognitionem sis idoneus..... Vetus est hic mos, & à primis Evangelii Præconibus in pretio habitus. Nam & *Paulus*, quantumvis in tertium cœlum raptus, & arcana Mysteria edoctus, Evangelium suum cum Apostolis communicavit: *Timens*, inquit, *ne in vacuum curram, annuntians quæ Deo non placent.* Quin & primo ex *Palæologis* Imperatoribus *Michaeli* hic ausus non profuit: deterius enim schisma, & perniciosius consecutum est dissidium. Quare nec mihi aliquando persuaderi patiar, ut antequam congregata Synodus Oecumenica, quæ securè credenda sint, decernat, etiam ipse novitates consecter, & alios ad id cogam: idque non propter Ecclesiam & universitatem Christianorum modò, sed & propter omnia, quæ Episcoporum Judicium, & Sententia de fide constituerit. Extra hoc nulli me novitati addicam. Et cùm Episcopos omnes, tum alios Ecclesiasticorum dogmatum defensores ac patronos, hoc propensissimè facturos opinor. Sin auctoritate Imperiali compellantur, aures obturaturos, ut nec primam vocem excipiant. Quanquam nec apud vos mihi fidem habitum irrputo, si ita leviter, nullóque examine, dogmatis vestris subscripsero. Qui enim parum constanter tobætet, & paratus est deserere quæ Majores illi tradiderunt, & in quibus est educatus, quam quæso teneat de recentibus fidem? Quocirca necessarium arbitror, si idem vobis probabitur, super rebus adeo magni momenti Orientalium Occidentaliúmque Episcoporum Conventum Oecumenicum celebrari. Id si fiat, fidelis est Deus, qui nos à veritate aberrare non patietur. Ita refert *Cantacuzenus* ipse lib IV. c. IX. subditque: *Papa & ipse non se à Synodo abhorrere confessus, celeriter misit qui ei dicerent, consilium ejus se valde amplecti. Cæterùm Episcopos suos omnes in unum congregatos, locum & tempus Synodo agendæ nominare debere.* Scribit deinde bellum inter Principes Italiæ huic negotio moras injecisse: Imperatorem ex amicis Galatæ habitantibus *Joannem* Ordinis Prædicatorum ad Papam misisse, ad gratias ejus Sanctitati agendas, negotiúmque urgendum. Palamitarum erroribus favit *Cantacuzenus*, & *Joanne* Patriarcha Constantinopolitano, eorum insectatore exauctorato, *Isidorum* sectæ istius hominem substitui curavit. Quo defuncto, *Callistus Montis Atho* Monachus suffectus est. Ipso Præside *Barlaamus* & *Acyndinus* Palamæ impugnatores, in Synodo, post mortem, anathemate sunt confixi. Ephesi & Gani Episcopi exauctorati. Ortæ postea *Cantacuzenum* inter & *Joannem Palæologum* juniorem Imperatorem simultates, accensúmque bellum. *Cantacuzenus* Matthæum filium suum Imperatorem renontiavit an-

Joannis Dominicanus Cantacuzeni ad Romanum Pontificem Orator.

Cantacuzenus Palamitis favet.

Civile bellum.

no 1354. *Joannis Palæologi* nomen in acclamationibus ac Sacris taceri jussit. *Callistus* Patriarcha tyrannidi noluit assentiri, nec *Matthæum* inaugurare. Quam ob rem Sede pulsus est, in ejusque locum *Philotheus* consecratus, quem Imperator è tribus ab Episcopis pro more electis unum designavit. Imperium inter filium generúmque *Palæologum* ita partitus est, ut ipse quidem Constantinopoli rerum summam moderaretur, *Matthæum* Adrianopoli, Thessalonicæ *Joannem Palæologum* teneret, ne cœpta inter eos dissentio invalesceret. At *Palæologus*, cùm se in Thessalonicensi Regno velut in exilio detineri ægrè ferret, Constantinopolim tentavit, recepitque, communibus Procerum & Populi studiis, & ab ipso *Cantacuzeno* socero in Palatium introductus est. Ille tandem rerum humanarum pertæsus, purpuram ac sceptrum cum habitu Monastico, noménque ipsum *Joannis* cum *Joasaph* nomine commutavit. Mariti exemplum æmulata *Irene* Imperatrix, inter Sanctimoniales adscripta, & *Eugenia* deinceps appellata est. (Ex ipso *Cantacuzeno* lib. IV. cap. XLII.) Consilium de secessu & Monastica Professione dudum animo volvebat, & quod diu fuerat meditatus, ultro ac libens executus est, cùm Imperii consortium retinere potuisset. Tantùm abest ut *Joannes Palæologus* victor ad cedendum Imperio, cucullúmque induendum compulerit, ut quidam Authores scripserunt. Legatur ipsius Historia lib. IV. cap. XVI. XXXIX. & XLII. Præter quatuor Historiæ libros, Commentarios scripsit contra Mahometanos & Judæos, Paraphrasim in quinque priores libros Ethicorum Aristotelis, &c. Literas etiam coluit *Matthæus* ejus filius, & Commentarios edidit in *Cantica Canticorum*, aliaque Opera nonnulla.

Cantacuzenus Imperator purpuram ac sceptrum cum habitu Monastico commutat.

Cantacuzenus Historiæ & aliorum Operum Auctor.

ARTICULUS VI.

DE JOANNE & MANUELE PALÆOLOGIS, Græcorum Imperatoribus. Et de AMURATHE & BAJAZETHE Turcarum Regibus.

I. JOannes *Palæologus Matthæum Cantacuzenum* Philippis captum in ordinem redegit, summa cæteroquin humanitate in ipsum usus, ob quam ipsum commendat *Cantacuzenus* Pater. Domito æmulo, bellum à Turcis immane sustinuit: adversùs quos fœdus pepigit cum Romano Pontifice *Innocentio VI.* eique ac Successoribus debitam obedientiam & reverentiam pollicitus est, sequo Græcos à schismate revocaturum, ad nutum Legati Apostolici collaturum Beneficia & Dignitates Ecclesiasticas Græcis fide & communione cum Sede Apostolica conjunctis, Palatium & Ecclesiam Legatis Apostolicis, filio suo primogenito Latinum Præceptorem daturum. Scholas literarum Latinarum Constantinopoli aperiendas: nisi stet promissis, Imperio se privatum iri, quod in *Manuelem* filium transferetur, quem obsidem Summo Pontifici dabit. Hujus fœderis tabulas exhibet *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCLV. Anno sequenti misit Oratores ad *Innocentium VI.* De eodem sanctæ Unionis negotio cum *Urbano V.* egit, misit ad eum Oratores, Romam ad ejus Sanctitatem accessit ipse, & ex præscripta à Pontifice Formula Romanæ Ecclesiæ fidem est professus. Professionem ipsius apud *Odoricum Raynaldum* legere est ad annum MCCCLXIX. N. II. *Joannem Lascarim* Principem ad *Gregorium XI.* Oratorem misit, auxilia contra Turcas rogaturum. Viginti septem imperavit annis, valde imminuta per Turcas Græci Im-

Joannes Palæologus fœdus cum Innocentio sexto Romano Pontifice init.

Schisma ejurat.

perii majestate. Regnandi finem fecit anno MCCCLXXXIV.

Amurathes Rex Turcarum.

II. Tunc Imperio Turcico præerat *Amurathes*, qui *Urchani* patri successit anno Hegiræ 759. Christi 1357. Callipolim, Adrianopolim, ac circumjectas Provincias occupavit, maximásque clades Europæis intulit Christianis. *Joannem Palæologum* Græcorum Imperatorem non modò fœderatum habuit, sed stipendiarium, ejúsque filios castra sua ad nutum sequi compulit. Triballos, Mysiósque domuit. Dum Asiatico bello detineretur, *Sauzes*, sive *Moses Zelebis* major natu filius, quem Didymotichi reliquerat, ut rem Turcicam in Europa moderaretur, cum *Andronico Joannis Palæologi* filio conjuravit: immò eâ lege inter se convenere, ut parentes Regno cedere in sui gratiam cogerent. *Amurathes* ducto in Europam exercitu, Didymotichum ad deditionem compulit, Græcorum Optimates conjurationis conscios ex urbis turribus in fluvium præcipitari: parentes in filios defectionis reos animadvertere, immò propriis manibus ipsos jugulare jussit. *Sauzes* in carcerem conjectus, à patre excæcatus est. Qui & *Palæologum* compulit ad eamdem pœnam *Andronico* filio infligendam. *Andronicus* aceti ferventis infusione haud omnino excæcatus, ad *Bajazethem* Amurathis filium & successorem postea se contulit, ab eóque acceptis copiis, sub conditione annui tributi, Constantinopolim occupavit, patrémque ac fratrem *Manuelem* triennio in carcere detinuit. Qui elusis custodibus, inde elapsi, *Bajazethem* adiere, séque ac Imperium hoc jam indignum nomine, Barbaro turpiter subjicientes, majori tributi pensitatione, & obligatione copiarum, *Manueli* Regnum obtinuerunt, patre vitam privatam & quietam eligente. Amurathem *Janissaros*, seu *Genizaros* instituisse *Leunclavius* ex Turcicis monumentis testatur, quorum tamen institutionem *Ottomano* tribuit *Chalcondilas*. Qui & ipsos à Janua sive Porta appellatos ait, quòd Aula Sultani eo nomine vocetur. At falsa illa opinio est. Porta enim Turcicè *Capi* dicitur, & Janissarorum Turcicum vocabulum à Janua voce Latina derivatum, haud verisimile est. *Leunclavius* * Janissaros *novos homines*, seu *novos milites* rectiùs interpretatur, qui Latinis tyrones. Janissarorum autem institutum ex eo contigisse Annales Turcici à *Leunclavio* editi testantur, quòd *Amurathi* à quodam Mahometanæ Legis Perito persuasum sit, quintam partem mancipiorum Christianorum quæ Turci caperent, Sultani esse debere. *Amurathes* verò liberalioris formæ pueros sibi tradi jussit; Quos inter Turcas distribuit, ut apud eos disciplinæ ac laboribus assuescerent, ac Turcicè discerent. Exactis autem duobus vel tribus annis, ad Portam reducebantur, Janissarorum ordinibus adscribendi. In bello Triballico victor, à quodam ex hostibus transfugam simulante occisus est. Indéque morem illum profectum volunt nonnulli, * ut cùm Legati Principum, & quivis exteri ad Turcarum Imperatores deducendi sunt, Cubicularii brachia eorum utrinque teneant: Anno Hegiræ 792. Christi 1390. mors ipsius consignatur. Annis triginta duobus regnavit, secundùm Annales Turcicos. Variam belli fortunam vix usquam expertus est. Bellis XXXVII. in Asia & Europa, partim contra Christianos, partim contra rebelles suos confectis, nullo victus succubuit. In peccantes ad crudelitatem severus, cœterà humanus & comis in subditos fuit: Promissorum ac Juramentorum fidelissimus observator. Musulmanicæ superstitioni addictissimus, Templa, Scholas, Xenodochia Religiosis Turcis ac pauperibus extruxit. De ipso legendi *Laonicus Chalcondilas* lib. 1. *Phranzes* lib. 1. cap. 28. Annales Turcici, & *Leunclavius* in *Histor. Musulm.* lib. 5.

Janissarorum institutio.

** In Pandect. Histor. Turc.*

** Leunclav. in Pandect.*

Amurathis bellica virtus & mores.

Manuel Palæologus, Græcorum Imperator.

III. *Joanni Palæologo Manuel* filius in Græcorum Imperium successit. A *Bajazethe* immani bello lacessitus, ac pene oppressus, *Theodorum Palæologum Cantacuzenum* Principem misit ad Regem Franciæ *Carolum VI.* suppetias rogaturum, anno 1397. ut Francorum Historiæ testantur. *Joannem* fratris *Andronici* filium eadem tempestate misit in Italiam specie petendi auxilii à Genuensibus; apud quos egit eum ut captivum detinerent, ut refert *Laonicus Chalcondilas*. In ejus auxilium sacram expeditionem *Bonifacius IX.* indixit, anno 1399. Rex Christianissimus *Bucicaldum* Ducem cum exercitu misit lectissimo, a quo Turci propulsati sunt, sed aëris intemperies, & stipendiorum, quibus solvendis *Manuel* satis non erat, difficultas, nostros brevî redire compulit. Relictâ Imperii procuratione *Joanni* ex fratre nepoti, *Manuel* in Occidentem venit ad elicienda auxilia, præsertim à Francorum, Anglorúmque Regibus, sed turbæ Anglicæ, & Christianissimi Regis morbus frequens, prohibuere ne fructum itineris aliquem reportaret, ut *Juvenalis de Ursinis* refert in Historia *Caroli VI.* Anno Christi 1419. filio *Joanni* tradidit Imperium, & ad annum usque 1425. vitam protraxit. Biduo ante obitum Monachum induit, *Matthæi* sumpto nomine, anno ætatis septuagesimo septimo. Philosophicis ac Theologicis studiis egregiè excultus, Dialogos edidit eruditos de Religione Christiana, præcipuisque Fidei Mysteriis, ac de Mahometanæ Legis impietate, qui MSS. extant in Bibliotheca Regis Christianissimi.

In Occidentem venit ad eliciendum contra Turcas auxilium.

Bajazethes Rex Turcarum.

IV. Qui *Manueli* Imperatori molestissimus fuit *Bajazethes*, *Jacupe* minori fratre post mortem patris à Proceribus Turcis necato, Rex omnium suffragiis salutatus est anno Christi 1390. Triballorum exercitu adhuc in conspectu posito. Mox prælium redintegratum, & Rex Triballorum *Lazarus* victus captúsque, ante *Bajazethis* oculos frustulatim concisus est. *Bajazethes Gilderun*, id est, *fulmen* cognominatus, armorum terrorem Græciæ vicinísque regionibus inferens, Græcorum Imperium miserum in modum laceravit. Mysia, Bulgaria, & Valachia devastatis, suæque ditioni addictis, Constantinopolim diuturna fatigavit obsidione: Quam solvere compulsus est, ut contra *Sigismundum* Hungariæ Regem Nicopoli cum exercitu imminentem procederet. Hunc verò magna clade affecit, ut ex Turcarum Historiis *Leunclavius* commemorat. Id contigit anno Christi 1393. Rursus anno 1396. ad Nicopolim Turcas inter, & Hungaros, Gallósque fœderatos, pugnatum est. Christiani ad viginti millia in prælio cecidere, Turcarum sexaginta millia. Trecenti circiter Equites Franci à Turcis capti, jussu *Bajazethis* in ejus præsentia mactati sunt. Legatur *Bonfinius* de Rebus Hungaricis lib. III. Decade II. *Thurosius* in *Sigismundo II.* & Turcarum Annales. A *Tamerlane*, qui cum ingenti Tartarorum Persarúmque exercitu in Asiam irruperat, victus captúsque, caveâ ferreâ inclusus, feræ instar, ad ludibrium circumducebatur, scabelli loco adhibitus, quoties equitandum aut ex equo ipsi desiliendum erat. Ea in calamitate, ex animi ægritudine doloréque mortuum *Bajazethem* scripsit *Chalcondilas*. Annales Turcici addunt, hoc mœrore ad desperationem adactum, mortem sibimet ipsi conscivisse. Quod dilucidiùs exponens *Theodorus Spanduginus*, ait ipsum tandiu caput allisisse caveæ ferreæ quâ tenebatur inclusus, donec præ furore fremens ac frendens, miserè sibi mortem afferret, superbâque & crudelis anima indignata sub umbras fugeret. Prælium anno 1399. aut 1400. commissum, *Bajazethem* anno 1403. mortuum, quatuordecim annos regnasse, *Leunclavius* in Pandectis Historiæ Turcicæ observat,

Bajazethis bellica fama nota.

Bajazethis calamitas & obitus.

Cadii & Talismani apud Turcas.

servat, aliáque anachronismos emendat. Talismanos, Cadiósque omnes, fraudibus ipsorum, ac impuritate compertis? una in domo conclusos, olim flammis damnavit *Bajazethes*. (Sunt autem Cadii & Talismani Legis Mahumetanæ Periti, Judicésque Turcicæ gentis.) Hos *Alis Bassa* Veziris auctus dignitate, industria sua liberavit, cùm viros esse doctos *Bajazethi* suggessisset, nec Judicis munus obire posse, qui non esset eruditus. Quærente verò *Bajazethe*, cur adeo fœda facinora committerent? Cur ex recti & æqui regula sese non gererent? Cur quod aliis præcipiebant, ipsi non facerent? Respondit; Inopiam esse in causa: Quia nullum stipendium, annonas nullas constitutas habebant; obtinuitque ut stipendia illis assignarentur, nedum ipsos ab imminenti periculo liberavit. Ita narrant Annales Turcici à *Leunclavio* editi. Talismanorum porro occasione idem Author in Pandectis Historiæ Turcicæ ubi servat,

Cadis Legum periti apud Turcas, & Hierarchiæ species.

certos esse gradus Mahumetanis eorum, qui apud ipsos Legum Periti sunt, & partim Jus dicunt, partim Legem interpretantur. Laudat *Ludovicum Bassanum* Jadrensem, in hunc modum eos cum nostris Ecclesiasticis comparantem. *Primum Muphtim* dicit esse inter ipsos instar Summi Pontificis. Quippe Juris omnis & Sacrorum Rex est. Huic proximi sunt *Cadileschiri*, quos cum Archiepiscopis nostris comparat. Sequuntur *Cadii*, veluti proximum post Archiepiscopos locum obtinent Episcopi. Secundùm hos sunt *Hoggia*, qui Seniores dicuntur, ut Græcis, nobisque Presbyteri. Excipiunt Hoggias *Talismani*, seu Presbyteros Diaconi. Ultimi sunt *Dervisii*, qui Calogeris Græcorum, Monachis nostris respondent. *Talismani* Mahumetanus ad preces interdiu & noctu quinquies dicendas excitant, è turribus præaltis, quæ meschitis seu templis eorum sunt adjunctæ, acutissimâ voce clamorem edentes. Communis autem precatio Musulmanorum est hujusmodi, auctore Postello;

Turcarum precatio.

In nomine Dei misericordis, propitii. Laus Deo, Regi seculorum, misericordi & pio, Regi diei judicii. Heus serviamus illi, & beni adjuvabimur. Dirige nos in punctum rectum, punctum eorum in quibus tibi beneplacitum est, & quibus non irasceris, & non errabimus. Hæc tam illis est usitata precatio, quàm nobis Dominica, & à quibusdam centies usque repetitur. Idem facit in oratione publica Talismanus, pro his qui negligenter orant: atque hac repetitione supplet aliorum errores ac delicta. Quidam verò tanta repetunt assiduitate, tandem ut concidant: alii corpus ita circumagitando, ut extra se omnino rapti videantur. Hæc ex *Leunclavio* observasse, lectoribus non erit injucundum. De *Bajazethe*, *Laonicus Chalcondilas* lib. II. & III. *Phranzes* lib. I. cap. XXIX. *Leunclavius* lib. VII. Historiæ Musulmanorum, & Annales Turcici ab eodem editi, legi possunt.

SCHOLION

Ad hunc Articulum, pag. 274. Religiosi Censores hanc notam apposuerunt: *Tota hæc comparatio Turcarum cum Ecclesiasticis displicet.*

R. Primum Muphtim apud Mahumetanos instar summi Pontificis esse, &c non ego, sed Ludovicus Bassanus Jadrensis, & Leunclavius dixerunt. Id refero, non approbo: quamquam hæc comparatio nihil mali vel injuriæ contineat. Quid mirum si diabolus apud Turcas similitudinem quandam Hierarchiæ Ecclesiasticæ expresserit, qui & Christiana Sacramenta Idololatriæ Ritibus æmulatus est? Qua de re præclarus est *Tertulliani* locus libro *De Præscriptione Hæreticorum*, Cap. XL. *Diabolus* (inquit) *cujus sunt partes intervertendi veritatem, ipsas quoque res Sacramentorum divinorum, idolorum Mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos: expiationem delictorum de lavacro repromittit; & si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus Milites suos: celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam. Quid, quod & summum Pontificem unius nuptiis statuit? Habet & virgines, habet & continentes. Cæterum si Numæ Pompilii superstitiones revolvamus, si Sacerdotalia officia, insignia, & privilegia, si sacrificalia ministeria & instrumenta, & vasa ipsorum sacrificiorum, ac piaculorum & votorum curiositates consideremus, nonne manifestè Diabolus morositatem illam Judaicæ Legis imitatus est? Qui ergo ipsas res, de quibus Sacramenta Christi administrantur, tam æmulanter affectavit in negotiis idolatriæ, utique & idem & eodem ingenio gestit, & potuit instrumenta quoque divinarum rerum, & Sanctorum Christianorum, sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, profana & æmula fidei attemperare.*

CAPUT IX.

De Imperatoribus Occidentis XIII. & XIV. Seculo.

ARTICULUS I.

DE PHIPIPPO, & OTTONE IV.

DUODECIMO cadente Seculo gravis inter *Philippum* Sueviæ Ducem, *Henrici VI.* filium, & *Ottonem* Saxoniæ Ducem, de Imperio contentio fuit. *Philippo* Rex Franciæ, *Ottoni* Rex Angliæ *Richardus* favebant, in eúmque *Innocentius III.* Pontifex Maximus propendebat. *Erfordii* à majori Principum parte primus in Regem Romanorum electus *Philippus* est: Ab aliis *Otto Henrici* quondam Saxoniæ Ducis filius. Qui statim Aquisgranum cum exercitu advolans, urbem, licet *Philippi* munitam præsidio, ad deditionem compulit, in quâ ab *Adolpho* Coloniensi Archiepiscopo coronatus est. Discussis electionis utriusque & electorum meritis, Summus Pontifex *Ottoni* Regnum Romanorum confirmavit. Armis deinde Jura sua tuiti sunt, nunc in hanc, nunc in illam partem inclinante victoria, donec Sedis Apostolicæ Legati, absolutò ab anathemate *Philippo*, inducias inter utrumque conciliarunt, anno MCCVII. Anno sequenti, à Palatino quodam, nefaria proditione occisus est *Philippus*, cujus præclaras dotes Abbas Urspergensis in Chronico, & *Arnoldus Lubecensis* lib. VII. Chronici Sclavorum Cap. 16. aliique commendant. Id tamen ipsi vitio vertitur, quòd pecuniis ad militum stipendia deficientibus, non modò prædia, verùm etiam Ecclesias oppigneraverit: & Urspergensis Abbas Deum ultionum vindictam in ipsum exercuisse scribit, *Ut sub gladio tyranni caderet, qui primus Ecclesias in potestatem tyrannorum contradidit.*

II. *Otto* mortuo Competitore, cùm *Beatricem* ejus filiam duxisset, ac Sacramento Sedi Apostolicæ obstrictus, Ecclesiæ Jura confirmasset, ab *Innocentio III.* anno 1209. Romæ coronatus est. Sed cùm paulò post fidem datam violasset, Romanæ Ecclesiæ Jura ditionémque invadens, ejusdem Sententiâ Pontificis à communione repulsus est, ejúsque subditi Sacramento fidelitatis soluti. A *Frederico* Siciliæ Rege profligatus, & Germaniâ inferiori mulctatus, eum denique passus æmulum est, sensimque ab omnibus destitutus. Obiit anno Christi 1218. datis Christianæ Pœnitentiæ non dubiis argumentis, ut Abbas Stadensis, & *Richardus à S.Germano*, in Chronicis, *Godefridus* in Annalibus, & *Thomas Cantipratensis* lib. 2. cap. 53. referunt.

ARTICULUS II.

De FREDERICO II. HENRICO Lantgravio Turingiæ, & GUILLELMO Hollandiæ Comite.

Fridericus II.

I. FRidericus II. Henrici VI. Filius, Siciliæ Rex, Ottone exauctorato à Germanis Principibus electus, ab Honorio III. Pontifice Maximo Imperator coronatus est anno 1220. Post solemnem inaugurationis suæ pompam, Leges tulit pro tuenda Ecclesiæ dignitate, exscindendis Hæreticis, testamentis Crucesignatorum fulciendis, agricolis ab injuriis vindicandis, quas in Authenticis, & apud Goldastum in Constitutionibus Imperialibus legere est. Crucis etiam Signum ad Hierosolymitanam expeditionem ex manu Hugolini Cardinalis Hostiensis accepit, séque ad profectionem maturandam die à Summo Pontifice constituenda fore paratum juravit. Cùm verò fidem fefellisset, & negligentia cunctationéque ipsius res Christianorum in Syria pessum irent, ab Honorio III. monitis, precibus, minis ad implenda promissa frustra excitatus à Gregorio IX. Honorii Successore anathemate perculsus, cùm priora scelera novis criminibus cumulasset, Ecclesiæ ditiones invasisset, Cardinales, Episcopos, Abbates Romam ad Concilium ab eodem Pontifice indictum euntes intercepisset, captivósque detinuisset, opprimeret Ecclesiæ libertatem, Ecclesiasticos viros vexaret; bellis & factionibus Italiam replevisset, Saracenos in Apuliam transtulisset ac Nuceriæ collocasset; turpissimum cum Christiani hostibus nominis fœdus iniisset; ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi I. novo constrictus anathemate atque exauctoratus est, anno MCCXLV. Lege quæ capite I. Synopseos Articulis II. III. & IV. de rebus Friderici cum gestis Honorii III. Gregorii IX. & Innocentii IV. concurrentibus delibavi. Lege & Dissertationem singularem de Concilio Lugdunensi I. Oecumenico XIII. in qua, quæ ad Friderici causam pertinent, ubertùs ac diligentiùs edisseram. Conradum filium Regem Romanorum anno 1234. eligi curaverat, cujus electionis Acta edidit V. C. I. Baluzius Tom. I. Miscellanorum, pag. 472.

Frederici II. crimina

A Gregorio IX. excommunicatur.

Ab Innocentio IV. exauctoratur.

Henricus Hassiæ ac Thuringiæ Lantgravius Imperator creatur.

II. Nonnullos Principum Electorum à Friderico divulsos, ad novi electionem Imperatoris hortatus est Innocentius IV. eorúmque voluntates ac suffragia in Henricum Hassiæ ac Turingiæ Lantgravium inclinavit. Novo Cæsari stipendia ex ærario Ecclesiæ ad bellicum apparatum contra Fridericum adornandum suppeditavit: cùm verò plurimùm ad permovendos populos possit religio, Henricum ejúsque exercitum cruce insignivit. Ad hæc execrationes in Fridericum ceu Ecclesiæ hostem, ejúsque fautores universos, ritu solemni ubique promulgari jussit: ac terris, quæ illi parerent, Sacrorum omnium communione usúque interdixit: Legatum denique misit in Germaniam, qui Præsules, Proceres, populósque ad Henrici obsequium Censuris Ecclesiasticis compelleret. Æmulum ut opprimeret Fridericus, collectas raptim copias Conradum filium contra ipsum ducere jussit. Acies juxta Francofurtum commissæ; fusus fugatúsque Conradus. Siculorum defectione Friderici vires imminutæ: sed erecti animi, audito Henrici Lantgravii obitu, qui anno 1247. contigit.

Guillelmus Hollandiæ Comes Imperator eligitur.

III. Henrico, Septemviralibus Comitiis suffectus est Guillelmus Hollandiæ Comes, ipsa die S. Michaeli Archangelo sacra. Interea Fridericus ad Innocentium Papam opprimendum Lugdunum contendens, Longobardicis motibus, & Quintiani, Parmæque amissione revocatus est. Parmam obsidione cinxit, de qua funditus delenda in pœnam defectionis, aliarúmque terrorem urbium, inito consilio, novam in castrorum suorum loco civitatem erexit, Victoriam nomine, Basilicam principem sub S. Victoris Martyris invocatione Deo consecrari, & nummos ibi cusos Victorinos dici voluit. Menses omnino septem continuata obsidio est. Parmenses intercluso commeatu ad extremam annonæ difficultatem redacti, arrepta occasione quâ Fridericus rerum omnium ab obsessis prope securus, scortorum gregi lasciviens per nemora colluderet, subitò erumpentes, Victoriam adorti, custodibus oppressis ac fortissimè dissipatis, urbe ipsâ cum ingenti prædâ, & Friderici thesauro potiti sunt; cæsus Thadæus Friderici Judex, aliique innumeri. Ceteri fugati; à Victoribus incensa * Victoria, Fridericus in Cremonensem agrum vix evasit. Willelmus Batavus novus Cæsar, Aquisgranum expugnavit, in eáque urbe ritu solemni coronatus, Innocentio IV. Pontifici Maximo fidei Sacramento se devinxit, concessáque ab aliis Imperatoribus Romanæ Ecclesiæ Privilegia confirmavit. Id eodem anno 1248. in Historiis consignatur. Post biennium, anno scilicet 1250. die Sanctæ Luciæ Virgini & Martyri sacra, Florenzolæ in Apulia, non longè à Tarento, Fridericus II. obiit. Ptolomæus Lucensis, Martinus Polonus, Villanius, Sanctus Antoninus, quibus Cuspinianus consentit, tradunt, cùm graviter ægrotaret, Manfredum ejus nothum, illius thesauro & usurpationi Regni Siciliæ inhiantem, timentémque ne fortè convalescens aliud statueret, ipsum pulvinari ori jacentis imposito, suis manibus suffocasse. Excommunicatum & impœnitentem obiisse, Monachus Paduanus, lib. 2. Martinus Polonus, Author Chronici Monfortiani, & Ricordanus Malaspina coævi Authores, Joannes Villanius, Sanctus Antoninus, & alii testantur. Abbas Stadensis, Guillelmus de Podio Laurentii, & Matthæus Paris ipsum pœnitentiæ signa edidisse, & ab Archiepiscopo Panormitano absolutum fuisse asserunt. Manfredus ipse Epistola ad Conradum Regem, quam V. C. Baluzius T. I. Miscellaneorum edidit, pag. 475. de Frederici morte scribit: *In ipsis mortis indiciis, præter dona mirifica & beneficia gloriosa, quæ in testamenti serie fidelibus gratanter indulsit: Sacrosanctam Romanam Ecclesiam Matrem suam in corde contrito, velut fidei orthodoxæ zelator humiliter recognovit: & damna quæ dudum Ecclesiis, invitus forsitan vel potius provocatus intulerat, integrè restauranda sancivit.* Duas duxerat uxores, Mariam Regis Aragonum filiam, ex qua Henricum & Conradum susceperat, eáque defuncta, Jolantam, filiam Joannis Bryennii Hierosolymorum Regis, cum dotali Hierosolymitani Regni titulo. Henricus ob rebellionem in Apuliam relegatus, ab anno 1236. obierat. Superstes Patri vixit Conradus, qui Sicilia, Aquino, Suessa, Capua, Neapoli, aliisque urbibus Pontificiarum partium expugnatis, in Germaniam expeditionem comparabat adversùs Willelmum Imperatorem, cùm veneno à Manfredo sublatus est, anno 1254. Willelmus Frisonum insidiis, à quibus redibat victor, oppressus est, anno MCCLVI. Friderici II. Vitam encomiasticè potius quàm Historicè scripsit Collenutius.

Friderici II. clades.

* Anno 1248.

Friderici II. obitus.

ARTICULUS

ARTICULUS III.

De *RODULPHO HABSPURGENSI, & ADOLPHO NASSAWIO.*

POst obitum *VVillelmi Batavi*, Principes Electores varia in studia distracti, alii *Richardum* Cornubiæ Comitem, *Henrici* Anglorum Regis fratrem, alii *Alfonsum* Castellæ & Legionis Regem Imperatorem designarunt, Romanorum Regem pronuntiantes, Anno MCCLVII. *Richardi* prior electio fuit: in *Alfonsum* major conspiravit Electorum numerus. Causâ coram Apostolica Sede diu disceptatâ, sub Summis Pontificibus *Alexandro IV. Urbano IV.* & *Clemente IV.* cùm *Richardus* contendentium alter obiisset, *Gregorius X. Alfonsum* monuit ut suo Jure ad Imperium cederet, aliàs cum dedecore damnatum iri Sedis Apostolicæ Judicio: Comitiáque indixit, in quibus *Rudolphus* Comes Habspurgensis in Regem Romanorum electus est, pridie Kalendas Octobris anni MCCLXXIII. vir exiguarum quidem opum, sed ingentium animorum, & justitia, pietate, bellicâ virtute Imperio non impar, quod ipsi etiam ab Astrologo quodam olim prædictum, *Albertus Argentinensis* testatur. Ab Electoribus vocatus; cùm fidelitatis Juramentum statim à Principibus exegisset, iique propter Sceptri defectum recusarent; sumpta Cruce ait: *Ecce signum in quo nos & totus Mundus est redemptus: & hoc signo utamur loco sceptri.* Moxque Crucem deosculatus, cæteros pariter eam osculatos fidelitatis Sacramento obstrinxit. Ita referunt *Stero*, & *Eberardus* Authores coævi. Cùm Aquisgrani coronatus est, nubes candida, Crucis in modum formata ad horam apparuit, quæ subinde in ruborem sanguinis mutata est. Id cùm ad Cæsarem perlatum fuisset, se transmarinas partes, auspice Deo, aditurum promisit, & sanguinem Jesu Christo in sacra militia contra Saracenos consecraturum. Ita refert Chronicon Dominicanorum Colmariensium, P. II. Pietatis ejus erga Sacratissimam Eucharistiam Imperium præmium fuisse, Scriptores non obscuri tradunt. Olim scilicet Sacerdoti Sanctissimum Sacramentum lubrico & difficili itinere ad infirmum deferenti, equum dedisse cui insidebat, ipsúmque pedibus maximâ religione prosecutum: túncque Religiosam quandam fœminam honorem amplissimum ipsi à Deo in remunerationem pii facinoris auguratam fuisse. Lege *Serarium* lib. v. Rerum Moguntinarum. Cum *Othocaro* Boemiæ Rege grave illi bellum fuit. In prælio cecidit *Othocarus* anno 1278. Victoriæ præmium tulit Austriam, (quâ etsi antea ex pactis conventis Rex Boemorum cessisset, eam nihilominus, pactorum pœnitens, armis vendicare conabatur) & Moraviam. Filiam suam *Cutham*, sive *Jutham*, Wenceslao Othocari filio desponsaverat, cujus tutelam, Regnique Boemici administrationem (puer enim erat octennis) *Ottoni* Marchioni Brandeburgensi, sororis *Othocari* viro concredidit: Sororémque Wenceslai *Agnetem Rodulpho* juniori filio suo conjunxit, cui Austriam commiserat. Quo postea defuncto, ditionem illam *Alberto* filio suo natu majori asseruit. Hæc Augustæ Domus Austriacæ origo. *Princivallem Fliscum* Genuensem, Cancellarium suum, misit in Italiam cum Vicaria Potestate, ac Guelfas civitates, quæ libertatis degustaverant suavitatem, ad colendum Imperium ægrè revocari posse intelligens, Bononienses, Florentinos, Lucenses, ingenti exacto auri pondo, perpetuâ libertate donavit, in gravem Imperii jacturam. Hæc alienatio *Honorio IV.* Pontifici Maximo non displicuit, quamvis indigna tanto Principe videretur; quòd eâ ratione Ecclesiastica ditio securior futura esset, cùm Imperator civitates liberas non vexaret, nec Italiæ populis molestus esset. Ita referunt Blondus, Platina, Sabellicus, Thrithemius Abbas in Chronico Hirsaugiensi, Cuspinianus, Albertus Crantzius Metropolis lib. VIII. Nauclerus, & qui eorum testimonia laudat verbáque describit Sigonius, lib. XX. *De Regno Italiæ.* Addit idem Author, triennio post *Opizonem* Marchionem Atestinum Mutinam ac Regium sibi, eodem ipso permittente *Rodulpho* subjecisse. Adolphum autem Cæsarem, qui mox *Rodulphum* est subsequutus, *Matthæum* Vicecomitem Vicarium Imperii perpetuum in tota ditione Mediolanensi constituisse. Ex quibus intelligi apertè potest, cùm aliæ civitates atque Provinciæ ad justum Ecclesiæ, cujus fuerant, dominium redussent, aliæ proprios sibi Dominos ascivissent, aliæ libertatem armis partam nummísque redemptam obtinerent, Regnum Italiæ tunc temporis defecisse. Obiit *Rodulphus* anno Christi MCCXCI. pridie Kalendas Octobris, anno ætatis septuagesimo-tertio, Imperii decimo-octavo. De quo legendi Stero & Eberardus in Annalibus, Siffridus Presbyter, Albertus Argentinensis, Annales Dominicanorum Colmariensium, &c.

Rodulfus Habspurgensis.

Pietas ejus erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Imperio muneratur.

Augustæ Domus Austriacæ origo.

Bononia, Florentia, Luca libertatem a Rodulfo Imperatore ingenti auri pondo redemerunt.

Italici Regni finis.

II. *Rodulphum* excepit *Adolfus* Nassauviæ Comes, Francofurti, die sacra Epiphaniæ, anno M. CCXCII. electus. Orto inter *Eduardum* Angliæ, & *Philippum Pulchrum* Francorum, Reges dissidio, quod in bellum apertum erupit, *Adolphus* acceptâ ab Anglo pecuniâ, inimicitias Regi Christianissimo denunciavit. Ab Electoribus in ordinem redactus est, quòd Imperium extenuaret, discordias & bella nutriret, populos tributis insolitis gravaret, foveret prædones oppressorésque pauperum, Principes contemneret. Id factum anno M. CCXCVII. In ejus locum electus *Albertus* Austriæ Dux, *Rodulphi* Imperatoris filius. Contra quem *Adolfus* ad Wormatiam commisso prælio, fortiter pugnans cecidit anno MCCXCVIII. Ista constant ex Colmariensi Chronico, Alberto Argentinensi, Historia Australi, &c.

Adolfus Nassauvius.

ARTICULUS IV.

De *ALBERTO AUSTRIACO, & HENRICO LUTZEMBURGENSI, hujus nominis VII.*

I. POst *Adolfi* necem, *Albertus* electionem suam à Septemviris ratam haberi curavit, ne tyrannidis incusaretur. Eam confirmare cùm primùm recusasset *Bonifacius VIII.* Pontifex Maximus, ipsum læsæ majestatis judicio postulans, anno tandem millesimo trecentesimo secundo approbavit, ut Colmariense Chronicon testatur. Id in odium *Philippi* Francorum Regis à *Bonifacio* factum, ut ipsi potentissimum hostem opponeret. *Alberto* imperante, *Fœdus Helveticum* initium habuit, cùm occasione vexationum à Præfectis Austriacis illatarum Urii, Suitii, & Undervaldii, initâ societate iis obviàm, & arces diruere cœperunt, anno millesimo ter centesimo septimo. Qui deinde anno Christi millesimo ter centesimo decimo-quinto, mense Decembri, Fœdus suum primùm in literas retulere, ac Juramento confirmavere: Quod *Ludovicus Bavarus* Imperator, Austriacorum hostis confirmavit, & Immunitatibus ntra-

Albertus Austriacus.

Fœdus Helveticum.

vit. A *Joanne* fratris filio nefariè trucidatus est *Albertus*, Kalendis Maii, anno millesimo tercentesimo-octavo, Imperii decimo, ut tradit *Albertus Argentinensis*.

Henricus Lutzemburgensis.

II. *Alberto* Principum electione suffectus est *Henricus* Comes Lutzemburgensis, die *S. Catharinæ* Virgini & Martyri sacrâ. Aquisgrani Rex Romanorum coronatus est die Epiphaniæ, anno millesimo trecentesimo-nono. Missis ad *Clementem V.* Pontificem Maximum Legatis, ei ac Sedi Apostolicæ fidem & obedientiam pro more jurans, electionis confirmationem suæ obtinuit, eâ lege ut intra biennium Romam peteret, Coronam Imperii ibi accepturus. Anno MCCCX. Italiam numeroso cum exercitu ingressus, Mediolani corona ferrea ab Archiepiscopo redimitus est. Deinde Civitatibus, quæ Imperii jugum excusserant, arma intulit, quasdam subegit, alias in deditionem accepit, totam expilans & cladibus afficiens Italiam, dum *S. Joannis Hierosolymitani* Equites pro causa pugnantes sanctiori, Rhodum Insulam Turcis eripuere, die Assumptæ Virgini Deiparæ sacrâ, ipso anno MCCCX. ut Amalricus Augerius, Bernardus Guidonis, & Sanutus testantur. Hanc obsidionem promovit, rémque fortissimè ac solertissimè gessit *Fulco Villaretius*, Summus Ordinis Magister, natione Gallus, *Petri* Rutbenensis Episcopi ex Ordine FF. Minorum assumpti, & Sedis Apostolicæ Legati adjutus consiliis. Anno MCCCXII. Romam pervenit *Henricus* Rex Romanorum, & à Cardinalibus, quibus Summus Pontifex hanc provinciam demandaverat, ritu solemni inauguratus est, Imperiique Coronam accepit, die sacra Apostolis *Petro & Paulo*, ut ipse testatur in literis ad *Joannem* Wadsanensem Abbatem datis, quas Vitæ ejusdem Imperatoris à *Conrado Vecerio* scriptæ subjectas legere est, Tom. Historicorum Germaniæ Illustrium, *Urstisii*. Romanæ Ecclesiæ, & Summo Pontifici coram Apostolicis Legatis Sacramento se obstrinxit, secundùm formam Capitis, *Tibi Domino*,* aliúdque secundùm formam præscriptam in Pontificali Romano, *Ego N. Romanorum Rex*: præstitit. Hujus occasione Sacramenti inter Imperatorem & Pontificem orta paulò post dissensio est. Cùm enim Pontifex ad Cardinales Romæ existentes scripsisset, ut pacem inter *Henricum* & *Robertum* Siciliæ Regem conciliare satagerent, quòd ipsos ad Ecclesiæ Romanæ defensionem conjunctos esse deceret, cui *Juramento fidelitatis* uterque obstrictus erat: *Henricus* ea verba indignè ferens, Tabellionibus ac Notariis accersitis, qui de sua responsione publica Instrumenta conficerent, palàm professus est, se non esse cuiquam Juramento fidelitatis adstrictum, neque illud se unquam præstitisse, neque scire quòd fuisset unquam à suis Decessoribus præstitum. Qua de re certior factus Pontifex, ut Ecclesiæ Romanæ Juribus consuleret, Constitutionem edidit, qua ostendit, *Henricum* ante inaugurationem, in ipsa inauguratione, post ipsam, Juramentum fidelitatis & obedientiæ præstitisse, iterasse, & suis Literis confirmasse; idque ipsum Romanorum Reges & Imperatores ipsius decessores, Romanis Pontificibus præstitisse: fuisséque illa veræ fidelitatis Juramenta. (Clement. *Romani Principes, De Jurejurando.*) Cùm *Robertum* Siciliæ Regem, quem læsæ Majestatis iniquissimè damnaverat, armis opprimere meditaretur, obiit Bonconventi, qui pagus est XII. millibus Senis distans, die *S. Bartholomæo* sacra, susceptis magnâ religione Ecclesiæ Sacramentis, anno millesimo trecentesimo decimo tertio, Imperii quinto ab electione, à Romana verò coronatione secundo per mensem unum & dies viginti quatuor inchoato, ut *Jordanus* coævus Author tradit. Obiit, inquam, ex naturali morbo, ex anthrace omnium, seu pustulâ sub dextri cruris genu compertâ, postquam in Orgia fluvio lavisset. *Albertinus Mussatus* Patavinus, coævus etiam Author, duas addit præterea mortis ipsius causas, scissam ab stranguria vesicam, quo morbo assiduè laborabat, & pleuritidem. *Ptolomæus Lucensis* mortis *Henrici* causam in anthracem pariter refundit. Quod enim additur in MS. Vaticano de veneno ipsi porrecto à quodam Fratre Ordinis Prædicatorum, aliena maledici Interpolatoris manu additum est, ut probat Epigraphe, *Additio*, narrationem illam præcedens; & *Jacobita* nomen Dominicanum designans, quod in Italia non solùm peregrinum, sed prorsùs inusitatum est; & silentium nominis istius Jacobitæ, quem profectò novisset coævus Author, si *Bernardus Politianus* fuisset, vir magni nominis, *Henrico* Imperatori à Confessionibus, qui & apud ipsum auctoritate & gratiâ plurimùm poterat. *Ptolomæum Lucensem* alienis oculis, vel negligenter legerant *Albertus Krantzius* lib. nono *Saxoniæ* cap. 7. & *Paulus Langius* in *Chronico Citizensi*, ipsum testem appellantes veneni à Prædicatorum Ordinis fratre in Eucharistia *Henrico* porrecti. Quamquam duo illi Authores calumniam ab Ordine Prædicatorum non obscurè depellunt. *Cramzius* enim Imperatorem ante Eucharistiæ sumptionem ægrotasse narrat, Medicorum consilio Balnea Maceratensia adiisse, ex Balneorum lotione minùs recreatum & convalescentem, Bonconventum petiisse: dum obsidione premere inciperet, diem obiisse. Addit: *Signa veneni in cadavere apparuisse, multi scribunt*: tuéinque repetit *Paulus Langius*. At qui id scripsere, Medicorum testimonio refelluntur, qui post mortem Imperatoris accersiti, dissecto ipsius cadavere viscera, cor, jecur, partésque singulas diligenter inspexere, nec veneno, sed naturali morbo extinctum, Literis & Instrumentis publicis testati sunt, quæ in Chronicis *Jacobi Susati* legere est. Cæterùm, inquit Crantzius, *Ipsi Fratres* (Prædicatores) *multa in purgationem sui fratris congesserunt.* Paulus verò Langius: *Ordo tamen ipse*, inquit, *per Bullas Papales excusatur.*

Rhodus Turcis erepta ab Equitibus S. Joannis Hierosolym.

Henrici Imp. coronatio.

* Dist. 63. 33.

Dissidium inter Imperatorem & Pontificem.

Henrici Lutzemburgi Imperatoris obitus.

Naturali morbo extinctus est.

Ordo FF. Prædicatorum à calumnia vindicatur.

Sed & *Gulielmi Nangii* Continuator qui tum vivebat, ad annum MCCCXIII. morbo & febre obiisse *Henricum* Imperatorem testatur, veneni propinationem ad vagos & incertos rumores refert. *Tandem verò* (inquit) *applicans Bonconventum, post peractas multas insignes victorias, morbo pariter & febre correptus, vel (ut dicebant aliqui) Eucharistiam sumendo de manu Sacerdotis & proprii Confessoris de Ordine FF. Prædicatorum existentis corrupti pecunia per Regem Robertum, vel, ut verius creditur, per Florentinos sibi adversarios, veneno potionatus, diem vita clausit extremum.*

Platinam etiam laudat *Langius*: at nihil affirmat *Platina*, quosdam tantùm Scriptores veneni suspicionem meminisse ait: *Post aliquot dies moritur, non sine suspicione dati à Florentinis veneni, subornato pollicitationibus & præmiis Monacho quodam, qui ei Eucharistiam veneno illitam dederat, ut nonnulli scribunt.* Joannes Nauclerus, Præpositus Tubingensis, rumorem solum veneni *Henrico* propinati testem profert: *Unde quidam Jacobinus de Ordine B. Dominici subornatus, (ut aiunt) præmiis & pollicitationibus, nec sine suspicione Florentinorum, qui tam coram Imperatore celebrabat, venenum sub Sacramenti specie dedit, vertens Calicem vitæ in calicem mortis... Dicitur tamen Ordo Prædicatorum habere Literas, testantes Fratrem prædictum fuisse innocentem, & totam esse confictam.* Reverà innocentiæ *Bernardi Politiani* & totius Ordinis testimonium perhibuere locupletissimum

In Vitis Pontificum. in Clemente V.

simum Cardinales plurimi, Aretinus Episcopus, A alique Prælati & Proceres, scriptis ad Episcopos & Principes Germaniæ literis, quas *Jacobus Safatus* in Chronico descripsit. Nec leve ad ejus confirmandam innocentiam momentum est, quòd non ad Florentinos, aut ad *Robertum* Siciliæ Regem, *Henrici* hostes *Bernardus* fugerit, sed apud ejus amicos manserit, calumniam à malevolis disseminatam intrepido animo exceperit, certus ipsam facilè dissipatum iri, ut revera dissipata est, tum *Clementis V.* Pontificis Maximi Sententiâ, tum Judicio ac testimonio Principum Imperii; tum maximè *Joannis* Bohemiæ regis, ipsius *Henrici* Imperatoris filii, Diplomate, quod ex veteri membrana B authentica in Virdunensi nostro FF. Prædicatorum Conventu asservata edidit Vir Clarissimus *Stephanus Baluzius* lib. 1. *Miscellaneorum*, pag. 162. Sic autem habet.

Authenticæ Literæ Joannis Bohemiæ Regis, Dominicanum Ordinem à calumnia vindicantes.

JOANNES Dei gratia Bohemiæ Rex, Lucemburgensis Comes, universis præsentes literas inspecturis salutem in eo qui custodit veritatem in secula, & facit judicium omnibus qui injuriam patiuntur. Quia Salvator noster in hunc mundum venit ut perhiberet testimonium veritati, & nos secundum modulum nostrum debemus ipsum, quantum possumus imitari, & maximè quando per vanitates & infa- C *mias falsas veritas corruit in plateis, & salus populi graviùs impeditur ex eo quòd aliqui diminuunt bonam famam illorum qui pro veritate fidei mittuntur ut sint in lucem gentium, & loquendo & exhortando usque ad extremum terræ, proficiant cuilibet ad salutem: quicumque enim sic cogitant infamia vel procurant contra Dei Nuntios seu Ministros, restat proculdubio quod contra populum Dei consilium malignantur. Unde ait Propheta :* Super populum tuum malignaverunt consilium; *Et causa illico subinfertur:* Quia cogitaverunt adversùs Sanctos tuos. *Et sequitur :* Ut non memoretur nomen illorum ultra. *Nuper autem retulit coram nobis* D *Religiosus vir F. Petrus de Castro Reginaldi Ordinis FF. Prædicatorum, quòd in magnum ipsius Ordinis dedecus & contemptum facti sunt Romancii, Chronica, & Moteti, in quibus continetur quòd claræ memoriæ Dominum & Genitorem nostrum Imperatorem Henricum Frater quidam Bernardus de Montepelaciano Ordinis supra dicti, administrando ei Sacramentum Eucharistiæ venenavit: & propterè hoc ad defensionem veritatis prædictus frater Petrus de Castro Reginaldi habere super hoc Literam testimonialem humiliter supplicavit. Et nos ipsius sup-* E *plicationi prout possumus inclinantes, notum facimus universis quòd à principio, quando rumores audivimus de prædictis, Nos & amici nostri de his inquisivimus diligenter, & contra dictum Fratrem Bernardum de Montepelciano nihil invenimus fide dignum. Idcirco ipsum credimus prædictum facinus nullatenus commisisse, quia prædictum Dominum Genitorem nostrum in sua infirmitate ultima ipse Frater Bernardus diligenti obsequio custodivit & pacificè in sua Religione inter fideles Imperii commorando, ubi à familiaribus prædicti Domini Genitoris nostri longo* F *tempore supervixit; & hoc fuit non modicum ipsius innocentiæ argumentum. Duæ etiam Amitæ nostræ sorores prædicti Domini Genitoris nostri habitum prædicti Ordinis susceperunt, quarum una fuit Priorissa in quodam Monasterio, & sic professa in dicto Ordine usque ad mortem permanserunt. Postea etiam Domina Maria soror nostra germana suscepit habitum Ordinis memorati. Tamen antequam esset professa, inclytæ recordationis Carolus Rex Francorum eam sibi in uxorem petiit copulari; & sic facta Regina Francorum, quandiu vixit, habuit Confessorem de Ordine supradicto, & post mortem, sicut elegerat, habuit inter Sorores ipsius Ordinis sepulturam:* * *Et similiter Avia nostra Domina Beatrix Mater dicti Domini Genitoris nostri quæ post eum aliquo tempore supervixit, fecit se inter Sorores prædicti Ordinis sepeliri. Nos etiam & carissima Consort nostra habuimus postea de prædicto Ordine Confessores. Et si nobis & amicis nostris apparuisset quod aliqui de Fratribus Ordinis supra dicti in Dominum Genitorem nostrum tam dolorosum & nefandum flagitium perpetrasset, nunquam voluissemus tot & tantas familiaritates Fratribus ipsius Ordinis exhibere. Ideo rogamus, quantum possumus, universos, ut, sicut docet Apostolus, deponentes mendacium, loquatur unusquisque cum proximo suo veritatem, quòd non credat narrationem ignorantium & Romanciis, in quibus contra veritatem plurima continentur, quia hoc esset in detrimentum salutis eorum, & præjudicium animæ Patris nostri. Rogamus etiam quemlibet qui super hoc à Fratribus prædicti Ordinis fuerit requisitus, ut procuret sicut poterit, quòd adversariis a prædictis æmulationibus arceatur, ita quòd totus prædictus Ordo FF. Prædicatorum possit Deo sine cordis molestia liberius deservire, & populum ad viam salutis efficacius revocare. Quod ut perpetuæ firmitatis robur obtineat, præsentibus nostris Literis nostrum fecimus apponi sigillum. Datum in Castro nostro de Magduno super Euram, Bituricensis Diœcesis, XVII. mensis Maii* MCCCXLVI.

Obiit anno 1324 sepulta in Parthenone S. Dominici juxta Montem Argisum, in Diœcesi Senonensi.

His Literis planè refelluntur, quæ Gestorum *Baldevvini* Lutzemburgensis, Treverensis Archiepiscopi, *Henrici VII.* Imperatoris fratris, coævus Author, falsis rumoribus & calumniæ nimis credens scripsit lib. II. Cap. XVII. *Henricus die Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis Missam more solito devotè audiebat, & à quodam Ordinis Prædicatorum Religioso Dominici Corporis Christi Sa-* D *cramentum devotè recipiebat; cujus sodalis ejusdem Professionis ablutionem sumendam in Calicem fundebat, quem ipse Imperator fidelissimè sumebat, & statim postea totius corporis molestiam sentiebat. Postea sui prudentissimi intelligentes Medici ipsum nulla infirmitate alia quàm intoxicationis materia graviter laborare, sibi indicarunt, devotissimè supplicarunt quod hanc intoxicationis materiam sinerent eos per inferendum sibi vomitum radicitus revocare. Quibus fertur respondisse: Malo migrando ad Dominum diem claudere extremum, quam generare scandalum in Sacrum Dominicum & detrimen-* E *tum Christianorum. Et sic in illa infirmitate usque ad diem Augusti* XXIV. *laboravit, qui est dies Bartholomæi omnium Apostolorum secundùm sanguinem nobilissimi, ipse omnium Christianorum nobilissimus spiritum suum, qui fecit illum, reddidit Creatori.* 1. Falsum est quòd Medici cognoverint *Henricum* Imperatorem nullâ infirmitate aliâ quàm intoxicationis laborare: immò publicis Instrumentis professi sunt, veneno extinctum non fuisse. 2. Incredibile est quòd à Festo Assumptionis Beatæ Virginis, ad Festum usque *S. Bartholomæi* nullum F antidotum ipsi datum fuerit, aut quòd mori maluerit. 3. Scandalum in Sacrum Dominicum seu in Missæ Sacrificium, aut in sanctitatem Sacramenti Eucharistiæ nullum propterea ortum fuisset, sed in Sacerdotem; quem malum esse posse, veneficum, sacrilegum, nemo diffitetur: neque hujus scandali auctor fuisset Imperator veneno potatus, sed qui venenatum poculum miscuisset, aut Sacram Hostiam veneno conspersisset. 4. Vagis rumoribus Authorem istum fidem adhibuisse, hæc ejus verba indicant: *Quibus fertur respondisse*, &c.

Scriptor Gestorum Baldevvini Lutzemburgensis refellitur.

Lib. 1. Miscellan. Baluzii pag. 192.

Præterea *Carolus IV.* Imperator, *Joannis* Bohemiæ Regis filius, & *Henrici* nepos, à Magistro Generali

Generali Ordinis FF. Prædicatorum obtinuit, ut Pragæ, quæ Bohemiæ Metropolis est ac Regia civitas, Comitia Generalia celebraret. Die Sancto Pentecostes Eucharistiam in solemni Sacro de manu Magistri Generalis accepit cum Imperatrice: Diplomata aureis sigillis appensis munita, quibus Ordinem magnis ornabat Privilegiis, obtulit. Sequenti die, Patres omnes Capitulares Imperiali convivio in Regia excepit, magnisque affecit honoribus. Ita ne verò se gessisset, si nostrorum hominum aliquis Avo ipsius *Henrico* Imperatori Hostiam veneno illitam porrexisset?

Baldevvini Lutzemburgensis Trevirensis Archiepiscopi Literis, in Tabulario Trevirensis Ecclesiæ conservatis, resellitur supra citatus Gestorum ipsius Scriptor. Laudat illas *Nicolaus Serarius* S. I. vir eruditus lib. v. Rerum Moguntinarum. *Affirmarunt quidem complures* (inquit) *Henrico Imperatori à Bernardo quodam Dominicani Ordinis Hostiam Sacram veneno imbutam nefariè prabitam: sed à malevolis illud confictum testatur Trithemius, & alius Scriptor Vita Cæsaris Basilea impressus. Similiter Balduinus Henrici frater eâ notâ Monachum liberat, ut in Archivis Trevirensis Archiepiscopi habetur. Exhibitum est anno* M. DLXXV. *Maximiliano II. Romanorum Imperatori Ratisbona ipsum Originale Balduini Manuscriptum: & Ordinem Pradicatorum ea de re testimonia habere amplissima certum est. Addit MS. meum ejusdem fidei rumoris inanitatem testatam etiam Imperatoris ejusdem filium Joannem Bohemia Regem.*

Præter antiqua & integerrimæ fidei Manuscripta, duos laudat Authores *Serarius*, *Trithemium*, & alium Scriptorem Vitæ *Henrici VII.* scilicet *Conradum Veteriam.* Utriusque verba subjicere operæ pretium est. Sic habet *Trithemius* Abbas in Chronico Hirsaugiensi, ad annum MCCCXIII. *Henricus Imperator Romanorum* VII. *in Italia novis comparatis exercitibus contra Robertum Apulia Regulum, processurus in itinere apud Bonconvent dissenteria morbo resolutus, in die S. Bartholomai obiit, non sine jactura magna totius Imperii Romani, vacavit que Imperium anno uno. Sunt qui scribant, ipsum veneno periisse, per administrationem Fratris Bernardi Ordinis Pradicatorum, Confessoris & Capellani sui, à quo ipsum in die Assumptionis Beata Maria semper Virginis communicantem, in Hostia consecrata ferunt intoxicatum: & ob id Pradicatores omnes à Papa hâc pœna notatos, ut usque in hunc diem ac deinceps, communicantes in Altari, eorum Sacerdotes sinistrâ se manu communicent. Sed quoniam hoc omnino confictum putamus, idcirco fidem adhibere ista dicentibus justâ ratione contemnimus. Pradictus autem Frater Bernardus multos innocentia sua testes habuit Viros Illustres, & Literas similiter Joannis Bohemia Regis, filii Imperatoris, Archiepiscoporum quoque atque Pontificum, qui in morte Imperatoris ipsum clara voce excusantes fuere prasentes, videlicet Mediolanensis, Januensis, Perusini, Lucensis, & Argentinensis. Nihilominus Henricus Comes Flandria, cateriqne Nobiles Curiales econtra constanter affirmabant, reum esse Bernardum mortis Imperatoris, & eum in Sacramento Corporis Christi intoxicasse. Unde magna in Ordinem Pradicatorum persecutio minus justè fuit exorta; etiamsi Frater ille innocens à crimine objecto non fuisset, cùm crimen unius hominis in totum Ordinem non fuerit referendum.*

Cur Dominicani Sacerdotes sinistra manu Eucharistiam sumant?

Quod scripturierat aliquis, ob sacrilegum & parricidale *Bernardi* facinus Prædicatores omnes à Romano Pontifice hâc pœnâ damnatos, ut Sacrum facientes manu sinistra Corpus Christi sumant, jure confictum censet *Trithemius* Abbas; cùm ritus ille ab Ordinis exordio invaluerit, ut colligitur ex antiquo Rituali, quod in hoc Parisiensi Conventu & Collegio *S. Jacobi* habemus, & quod anno Christi MCCLVI. manu scriptum est; in quo statuitur ut Sacerdos Hostiam sinistrâ usque ad Communionem teneat. Qua ex Rubrica manasse consuetudinem sinistrâ quoque manu sumendi palam est, cùm Hostia sic fracta commodè ac decenter à sinistra in dextram non possit transferri. Hic autem Dominicanis peculiaris ritus est, quia sacram Hostiam super Patena non frangunt ac deponunt ut Seculares Sacerdotes, & aliorum Ordinum Regulares, sed super Calicem frangunt, cujus ritus & sumptionis Eucharistiæ sinistrâ manu mysticas etiam rationes homines nostri proferunt, quas apud *Bzovium* ad annum MCCCXIII. legere est.

Conradus Veterius in Vita *Henrici VII.* de supremo ejus morbo morteque ita scribit: *Henricus iter per Hetruriam faciens, ubi ad Montem Apertum accessit, agrotare manifestè incipit: tametsi jam inde à relictis Pisis initia morbi irrepentis animadverteras. Sed ipse quâ erat integritate animique magnitudine, ne die dictâ temerè abfuisse crederetur, fidei quàm valetudinis rationem habere maluit. Inter medicamenta autem Balnea Maceratana indicata fuere. Itaque eò loci profectus, procuratoque de Medicorum sententia corpore, sese Bonoconventum contulit: ibi mox ingravescente malo, excessit è vita. Varia de genere mortis opinio. Nonnulli venenum malum niveo libello inditum asserunt, quod per ineffabilia Mysteria commutatum, quotannis morituri que libamus. Monachos Pradicatorii Ordinis, quibus ille Ministris utebatur in Sacrificiis, horrendi facinoris extitisse auctores: eamque rem Beneventus Imolensis seculi hujus in literas retulit. Fuisse tamen postea ex ea familia Carthusiensis* in Fasciculo tradit, qui re delatâ ad Pontificem Maximum, Decretum causâ cognitâ impetrarint, quo innoxius ejus venefici Ordo universus pronuntiatus fuerit. Dominicani qui Lucebur gi agunt, hoc amplius, Cœnobii sui Autorem non alium extant quàm Henricum: neque ergo fieri potuisse uti tantum scelus in tam bene meritum perpetratum extiterit. Nobis potius in medio relinquere placet disputationem funestam, quàm de infanda audacia fama certam proferre sententiam.*

* Vvernerus Rolevvinck.

Albertus Argentinensis coævus Author veneni à Prædicatore in Calicem immissi meminit quasi rei rumore solo vulgatæ, cujus falsitatem ipso narrationis tenore indicat. *In Assumptionis Virginis Maria Vigilia* (inquit) *decantatâ coram Henrico Missâ, eoque per quemdam Pradicatorem communicato, post Missam cœpit illico infirmari. Dicebatur enim quod ipse Pradicator venenum sub ungue digiti tenens absconsum, post Communionem potui Cæsaris immisisset, & illico discessisset.* Quis sibi persuadeat Sacerdotem toto solemnis Sacri tempore venenum sub ungue digiti absconsum tenere potuisse, tractare Hostiam, frangere, sumere, in calicem immittere, nec illam inficere, sibique ipsi nocere? Aut ita compositum digitum, ita occlusum vel compressum unguem tenere, ut eò duntaxat momentô venenum immitteret, quo Cæsari post Communionem propinandus erat. Falsissimum etiam est, quòd statim discesserit Frater *Bernardus*, in quem tam atrox calumnia vulgata est, ut superiùs probavi.

Ex his resellumur *Joannes Cuspinianus*, *Joannes Belga* Batavus, & *Jacobus Meyerus* lib. XI. Belgicorum Annalium, qui eamdem fabulam, immò putidam & immanem calumniam scriptis mandarunt. A qua Dominicanum Ordinem etiam vindicat doctissimus Appamiarum Episcopus *Henricus*

ricus *Spondanus* in Annalibus Ecclesiasticis, ad annum MCCCXIII. Num. VI. *Mortuum verò esse*, inquit, *HENRICUM ex veneno ei in sacra Hostia (dicunt aliqui in ablutione Communionis) die Assumptionis Beatissimæ Virginis porrecto à quodam Fratre Bernardo (Joannem nonnulli vocant) Politiano, Ordinis Prædicatorum, ad eam rem ab adversariis conducto, multi scripsere. Nemo tamen ex antiquioribus id absolutè asserit, sed tantum ex incertâ vulgi opinione. Et quod maximi est apud nos momenti, nihil de eo Joannes Villanus, qui tum vivebat & scribebat Florentiæ, non longè à loco ubi Henricus obiit: cujus tantum esse novimus in scribendo candorem, ut nec suis Florentinis (qui præcipuè in crimen hujus veneni vocati fuere) in tam immani scelere parsurus omnino fuisset. Nihil item Continuator Historiæ Ptolomæi Lucensis qui prope aderat: quin immo omnem ejus obitûs sinistram opinionem diluens, disertè ait, eum morte naturali (quicquid*, inquit, *aliqui malevoli dicant) obiisse, infirmitatémque ejus cœpisse ab apostemate in coxa, & inde venisse in febrem, ex qua decesserit decima post die; sicut accepisse se ait à fide dignis qui fuerunt præsentes. Nihil item Albertinus Mussatus diligentissimus rerum Henrici Scriptor tunc pariter vivens, qui tres alias ejus mortis causas adducit.... Denique sunt qui tot fatua & anilia hujus toxici compositioni immisceant, ut vel hoc ipso longè ejiciendum existimari debeat. Præter quàm quod suppetunt testimonia Summorum Pontificum, Imperatorum, ac Principum tam secularium, quàm Ecclesiasticorum Germaniæ & Italiæ, de innocentia prædicti Bernardi ac totius Ordinis, quæ satis supérque sint ad obstruenda ora loquentium iniqua.*

Cum *Spondano* censet *Odoricus Raynaldus*, ad annum MCCCXIII. Num. XXIV. *Scripsere*, inquit, *recentiores, necatum veneno Henricum, atque in crimen vocavere ipsius Confessarium, virum religiosum Ordinis Prædicatorum, quem aiunt à Guelpha factione subornatum sacram Hostiam veneno livisse: alii venenum in Calice, cùm ablutionem porrigeret, miscuisse. Sed ea calumnia à pietatis osoribus aspersa tam facilè refellitur quàm objicitur, cùm levi recentiorum auctoritate nitatur.... Cæterùm veteres Historici morbo naturali ipsum periisse affirmant.* Quod paulò prolixiùs hoc Historiæ caput tractaverim, pietati erga sacrum Ordinem, quem profiteor, meæ lector benevolus facilè condonabit.

SCHOLION

In hoc Articulo pag. 186. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc observationem notant: *Id in odium Philippi Francorum Regis à Bonifacio VIII. factum, ut ipsi potentissimum Hostem opponeret.*

R. Id movisse *Bonifacium VIII.* ut Albertum Romanorum Regem confirmaret, Historiæ res est *Spondanus* Appamiensis Episcopus in continuatione Annalium Ecclesiasticorum *Baronii*, quod Opus magno Romanæ Curiæ plausu etiam exceptum est, ad annum 1303. ea de re ita scribit. *Fuisse illa contra Philippum Regem cogitata, & testantur Scriptores omnes qui de iis egerunt, & facile est cuivis perspicere. Denique legitur & oratio tunc à Bonifacio habita, quæ incipit*, Refulsit sol qui erat in orbibus: *in qua duo luminaria in firmamento Cœli à Deo creata de Pontifice & Imperatore interpretatus, Imperatorem deinde bonis ut solem, malis ut lunam esse dixit, tanquam totius mundi Monarcham: multa in Gallicanam superbiam & fastum cum insectatione petulans.* Hæc *Spondanus*. Sed & Odoricus *Raynaldus* ad eundem annum Num. 55. *Bonifacius*, inquit, *pridie Kal. Maii Albertum Regem Romanorum confirmatum adversus Philippum hoc anno sollicitavit.*

Id. p. Epist. ann. 11.

ARTICULUS V.

De LUDOVICO BAVARO.

Ludovici Bavari electio legitima.

POst mensium quatuordecim ab *Henrici VII.* obitu interregnum, divisis bifariam Principibus, plures *Ludovicum* Bavariæ Ducem, alii *Fredericum Austriacum* Imperatorem designarunt. Legitima fuit *Ludovici* electio, ad quam Electores omnino quinque conspiraverunt, *Petrus* Moguntinus, & *Balduinus* Trevirensis, Archiepiscopi, *Joannes* Bohemiæ & Poloniæ Rex, *VValdemarus* Marchio Brandeburgensis, & *Joannes* Dux Saxoniæ. *Henricus* Archiepiscopus Coloniensis, & *Rudolphus* Comes Palatinus vocati, ac etiam expectati, Comitiis non adfuere. *Fredericum* elegere extra locum & diem constitutam. Ista constant ex Actis electionis, & duplici Electorum autographo Diplomate, eorum sigillis munito, & in Tabulario Serenissimi Bavariæ Ducis asservato, quod edidit *Hervuartus* ad annum MCCCXIV. Item ex Literis Francofordiensium ad Aquisgranenses, apud eumdem Auctorem, pag. 33. Id confirmant *Joannes Villanus* coævus Author lib. IX. cap. LXVI. *Steronis* Continuatores, & *Albertus Argentinensis*. Anno MCCCXIV. *Fredericus* in *Ludovicum*, *Duce Leopoldo* fratre suo Exercitum immisit. *Ludovicus* excipiendo hosti imparatus, cedere ad tempus cogitur. Eslingam obsidione cingit *Fredericus*, *Ludovicus* subsidiariis copiis à Rege Bohemiæ & Trevirensi Archiepiscopo acceptis, ad liberandam urbem festinat. Ipsi infestis signis aciéque instructâ *Fridericus* occurrit. Ad Necarum flumen pertinaciter pugnatur, ancipiti marte. (Ex *Alberto Argentinensi* in Chronico, *Nauclero* Generatione XLIV. anno MCCCXV. *Krantzio* lib. IX. Saxoniæ, *Mutio*, & *Cuspiniano*.)

Joanne XXII. Pontifice Maximo electo, inaugurationem & coronationem ab ipso *Ludovicus Bavarus* rogavit, nec impetravit. Non tamen omnino negavit *Joannes*, nunquam concessurus, sed distulit, ut *Ludovicus* ipse testatur in Appellatione facta anno MCCCXXIII. in qua profitetur se decem circiter annos nomen & titulum, administrationem & dispositionem Regni in pacifica possessione continuè gessisse, absque reprobatione electionis & personæ suæ; ac sæpe missis ad Pontificem à se Nuntiis, & rescriptis à Pontifice Literis, per eos vel in aliis nunquam se fuisse reprehensum.

Bzovius refellitur.

Immeritò *Ludovicum Bavarum* arguit *Bzovius* noster, quòd electione suâ nondum à Romano Pontifice confirmata, Imperii administrationem susceperit. Nullus enim tunc erat Pontifex. Electus est *Ludovicus* anno MCCCXIV. XX. Octob. electus est *Joannes XXII.* anno MCCCXVI. septimo Idus Augusti. Debuitne interim novus Cæsar deses sedere, & spectare otiosus fluctuans Imperium? Parum sanè prudenter fecisset, si æmulo suo Imperium sibi vindicante, ipse domi quietus terras sibi & Regna eripi patienter tulisset. Igitur ne præveniretur, ipse prævenit, ut illa quæ virtus ei pepererat, tueretur. Sanè electum Regem Romanorum ritè Imperium administrare, etiam ante Pontificis confirmationem, Jurisconsulti plurimi Theologique sentiunt, de quo argumento legendus *Azorius* Tom. II. *Institutionum Moralium*, X. C. VI. §. II. & sequentibus. Quòd Gibellinos in Italia Gubernatores constituerit, ipsi vitio verti non potest, *Guelfis* enim fidere non poterat. Si qui Gibellinorum hæretici fuere & excommunicati, eorum hæresi criminibúsque non favit, nec ipsis tulit suppetias

ut Hæreticis, sed ut suis clientibus, militibúsque, quorum forti fidáque operâ usus est, non ad oppugnandam Religionem, sed ad Jura sua defendenda. Nec attingebat ea lis, tametsi Pontifex in parte erat, Sacra Religionis, sed dominatum duntaxat, & Italiæ Principatum.

Anno MCCCXXII. prælio inter *Ludovici* & *Friderici* exercitus commisso, *Fredericus* & *Ludovicus* ejus frater in *Ludovici* potestatem venere, ut *Stero-nis* Continuatores, & *Rebdorfius* testantur.

Monitorium contra *Ludovicum Bavarum* anno MCCCXXIII. *Joannes* emisit, quod à *Bzovio* & *Heruvarto* recensetur. Partam legitimè Dignitatem abdicare, & ab Imperii administratione abstinere noluit *Ludovicus Bavarus*. Intentatæ pœnæ, ni Imperium deponeret, ac Sententiam super electione privatus expectaret. *Ludovicus*, ubi primùm ex fama inaudiit Pontificem publicè pro tribunali sibi anathema Imperiíque abdicationem minatum, ilico Oratores misit uti rem cognoscerent, ac præscripti prorogationem termini à Pontifice obtinerent. Quod ex ipsius Pontificis testimonio compertum est. *Joannis XXII.* Literas, quibus supplicatio ab Oratoribus Cæsaris ipsius Sanctitati porrecta continetur, legere est apud *Heruvartum*, Tom. I. pag. 232. & sequentibus. Alios rursus à *Ludovico* expectavit Oratores Pontifex, sed quia ad duos duntaxat menses dies dictus prorogatus fuit, *Ludovicus* alios mittere aut non potuit, aut Pontificii Mandati gravitate exacerbatus, noluit. A Processibus & Sententiis *Joannis XXII.* ad Concilium Generale appellavit, vel à Sede Avenionensi ad Romanam *S. Petri*, ut *Albertus Argentinensis* in Chronico, & *Joannes Villanus* lib. IX. cap. 227. referunt. Appellationis *Ludovici Bavari* Transsumptum exhibet *Heruvartus* Tom. I. pag. 248. Anno MCCCXXIV. quinto Idus Julias, Pontifex Jus ad Imperium *Ludovico* abrogavit, & abrogatum declaravit. XV. Kal. Januarii ejusdem anni *Ludovicus Bavarus* appellavit. Galliæ Rex *Philippus Pulcher*, cum Pontifice, Germaniæque Proceribus *tractare non desiit, ut propter duorum diffidium, in Regem Romanorum eligeretur. Hac eademque spe Conventum indixit Bari.* (Ex *Villano*, lib. IX. cap. 268.)

Anno MCCCXXV. Pax inter *Ludovicum Bavarum*, & *Fredericum* Austriacum est confecta. Præcipua conditio erat, ut omni jure ad Imperium *Fredericus* cederet, omni ambitui renuntiaret, omnia Instrumenta & Literas quibus electio sua fulciri poterat, in *Ludovici* manus deponeret; quæcumque *Fredericus*, ejusque fratres, de Imperio tenebant, *Ludovico* restitueret. Literas pacis ex Archivis Serenissimorum Bavariæ Ducum descripsit *Heruvartus* Tom. I. pag. 328. his longè dissimiles, quas refert *Cuspinianus*, in *Austria* pag. 631. Secundùm hæc, libertati redditus est *Fredericus*, ut *Rebdorfius* & *Joannes Villani* testantur. Jurata pax super Eucharistiæ Sacramento, quod ambo recepere, ut idem *Rebdorfius* & *Albertus Argentinensis* commemorant.

Schismatica Ludovici Bavari in Joannem XXII. molitio.

Anno MCCCXXVII. *Ludovicus Bavarus* habitis Tridenti Comitiis profectionem in Italiam juravit ad res Imperii stabiliendas, invitantibus Gibellinis. Quo in Conventu *Joannem XXII.* hæreticum declaravit, sexdecim articulis contra ipsum oppositis, cúmque non jam Pontificem, sed *Presbyterum Joannem* irrisoriè nominabant Schismatici, chorago *Marsilio Patavino* (Ex *Joanne Villani* lib. X. cap. XVII.) *Galeacium Vicecomitem*, Mediolanensis urbis dominationem, excusso Imperatoris jugo ambientem, unà cum adolescente filio *Azone*, & *Joanne Luchino* fratre, Modoetiæ in carcerem conjecit. V. die Julii, ut *Corius* & *Bossius* in Historia Mediolanensi referunt. Scriptas contra *Ludovicum*

A *Bavarum* ad Pontificium Legatum Literas causam fuisse captivitatis *Galeacii*, Villanus tradit, easque *Ludovicum* in Castro Brixiensis territorii, cui nomen *Orzi*, habito generali Conventu publicasse. *Villano* consentit *Paulus Jovius*.

Anno MCCCXXVIII. Januario mense, Romam *Ludovicus Bavarus* pervenit, à Romanis honorificè susceptus est, ut legitimus Imperator, & à *Sarra Columnensi* coronatus. Æternum suo nomini dedecus inussit, *Joannem XXII.* exauctorare præsumens, quod *ad complacendum Populo Romano*, & *ad suggestionem quorumdam Clericorum & Laicorum*, B attentasse, *Rebdorfius* author est. Mox Legem tulit, ne Pontifex ultra spatium duorum dierum itineris Roma abesset, nisi cum licentia Populi Romani. (Ex *Villano.*) Anno MCCCXXX. obiit *Fredericus Austriacus Ludovici Bavari* æmulus.

De pace inter summum Pontificem & Ludovicum Bavarum frustra tractatur.

Eodem anno *Joannes* Bohemiæ Rex, & *Balduinus* Trevirensium Archiepiscopus, ita volente Austriæ Duce *Ottone*, cum *Ludovico* Imperatore de pace ipsum inter Pontificémque conciliandâ egere: & cum capita nonnulla utrique, suo judicio, non respuenda contulissent, ad *Joannem XXII.* Avenionem misere, ut ea probaret, quippe quæ C (ut loquebantur) *Sancta Romana Ecclesia*, & *Joannis Papa honorem & utilitatem in omnibus respicerent.* Quænam hæc capita fuerint, docet *Joannis* Epistola, ad annum MCCCXXX. in Annalibus Ecclesiasticis à *Bzovio & Oderico Raynaldo* descripta. 1. *Ludovicus cum effectu deponet suum hereticum Antipapam.* 2. *Ludovicus penitus ab appellatione recedet.* 3. *Omnia qua fecit seu attentavit contra Sanctam Personam Domini nostri Papa, Ecclesiam que Romanam, revocabit cum effectu.* 4. *Recognoscet se excessisse, & sententias excommunicationis illum ligasse.* 5. *Gratia Pontificis sese offeret ad misericor-* D *diam* 6. *Omnes oblationes supra dicta intelligun- tur ut Ludovicus in statu suo sive Imperio permaneat.* Principum petitionem respuit Pontifex, quam ob rem nimiæ duritiæ à plerisque omnium ordinum prudentissimis viris incusatus est.

Ludovicus Bavarus R. Pontificem reveretur, Legationes mittit, gratiam & pacem rogat, repellitur.

Extincto Schismate, *Ludovicus Bavarus Joannem XXII.* legitimum Pontificem agnovit, Legationem ad eum misit, literasque scripsit de reconciliatione cum Ecclesia tractans, ipsique æqua omnia offerens & spondens. Ejus literas ad Pontificem, & Mandata Oratoribus ea de re tradita ex Archivis Serenissimorum Bavariæ Ducum edidit E *Heruvartus*, Tom. II. pag. 589. & 591. ad annum 1331. Anno MCCCXXXIII. Legationem alteram ad Pontificem direxit, quâ in gratiam Ecclesiæ restitui rogavit, *Rebdorfio* teste. Hanc obtere Comites *De Halps*, & *Oetingen*, Ducésque Austriæ *Otto* & *Albertus* pro *Ludovico* apud Pontificem intercessere, sed repulsam passi sunt.

Ludovicus Bavarus æquas pacis conditiones & satisfactionem Benedicto XII. Pontifici Maximo offert.

Benedictus XII. Joannis XXII. Successor, ut primùm electus est, Legatos ad Cæsarem destinavit, de pace Imperii & Sacerdotii tractaturos. Respondit *Ludovicus*, se omnia posthabiturum Ecclesiæ & divinæ Religioni (Ex *Mutio.*) Mox F etiam Oratores & literas ad Pontificem & Cardinalium Collegium misit: quibus veniæ à Pontifice flagitandæ præscripta formula est. Id constat ex *Alberto Argentinensi*, & Literis *Benedicti XII.* ad Regem Francorum, cum quo id negotiũ communicavit, relatis ab *Oderico Raynaldo* ad annum MCCCXXXV. Num III. Remisit eodem anno Oratores cum plurissimis mandatis *Ludovicus Bavarus*, absolutionem flagitans, & se Ecclesiæ ac Pontifici facturum satis promittens, ut *Ptolomaus Lucensis* lib. XXIV. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 43. narrat. Quàm æqua promiserit Cæsar, ejus ad Pontificem Literæ, quibus mandata & potestates Oratoribus suis datas exponit, satis probant. Ipsis nimirum pote-

st
atem

ſtatem dedit. 1. Revocandi & in irritum mittendi omnia contra *Joannem XXII.* facta. 2. Revocandi Proceſſus & pœnas promulgatas ab *Henrico* quondam Imperatore contra eos qui ipſi non adhæſerant. 3. Revocandi donationes terrarum Eccleſiæ per ipſum, aut ejus nomine factas. 4. Concedendi facultatem Pontifici remittendi omnes injurias & rebelliones, & alia contra Imperium annis ab hinc quinquaginta facta. 5. Promittendi ipſum non occupaturum vel recepturum vel uſurpaturum terras & bona Eccleſiæ Romanæ. 6. Ipſum vaſſallis & ſubditis Eccleſiæ nullam moleſtiam illaturum. 7. Nullum jus uſurpaturum in ditionibus Eccleſiæ Romanæ in *Henrici* Imperatoris Diplomate expreſſis. 8. Si Pacta violaret, pœnis excommunicationis, aliiſque, etiam privationis Regni & Imperii, à Summo Pontifice infligendis ſe ſubjecit. *Si prædictos novem menſes*, inquit, *immediatè ſequentes de gratia expectati, monitioni non paruerimus, liberum ſit Romano Pontifici, prout ſibi expedire videbitur, ad alias pœnas procedere contra nos, privando etiam nos, ſi ſibi videbitur, Imperiali, Regia, & qualibet aliâ Dignitate, abſque alia vocatione, vel Juris ſolemnitate.* 9. Se Romam non venturum, niſi ad diem ſibi ſtatutam, ad recipienda Imperii inſignia, & eadem die cum exercitu & comitatu ſuo exiturum, & numquam poſtmodum in Urbem; aut terras Eccleſiæ Romanæ, abſque Summi Pontificis licentia reverſurum. 10. Omnia contra Juriſdictionem Eccleſiæ præſumpta reſciſſurum, &c. Has *Ludovici Bavari* Literas refert *Herwartus* ad annum MCCCXXXVI. Tom. II. Legatur & *Odoricus Raynaldus* ad eumdem annum, Num. XXXI. Galliæ Siciliæque Reges impedimento fuiſſe ne Cæſar in gratiam Eccleſiæ reciperetur, cùm Pontifex in ejus abſolutionem eſſet propenſiſſimus, & in craſtinum ipſum abſoluturus eſſet, *Albertus Argentinenſis* in Chronico teſtatur. Regis Chriſtianiſſimi Oratores, duos ſcilicet Archiepiſcopos, duos Epiſcopos, & duos Comites, & *Roberti* Siciliæ Regis Legatos Summum Pontificem *Benedictum XII.* ab Imperatoris abſolutione deterrentes, ab ipſomet Pontifice fuiſſe confutatos, idem Hiſtoricus tradit. *Cùmque dicerent*, inquit, *Ludovicum multa contra Eccleſiam feciſſe, Papa dixit: Immo nos fecimus contra eum. Ipſe enim cum baculo veniſſet ad pedes Prædeceſſoris noſtri, ſi voluiſſet, ſed ipſe noluit eum recipere: & quicquid ille fecit, quaſi provocatus fecit.* Subdit idem Author: *Quantumcumque Benedictus Papa ad abſolutionem Principis niteretur, in prædictis tamen, Franciæ & Apuliæ Regibus, & quaſi omnibus Cardinalibus ſeductis per eos, aſſenſum habere nequivit.*

Qua rationes abſolutionem Ludovici Bavari prohibuerint.

Sed & *Villanus* lib. XI. cap. LIV. politicas dumtaxat rationes abſolutionem *Ludovici Bavari* prohibuiſſe teſtatur. *Oratores*, inquit, *ad Papam miſeras, ut ad miſericordiam, & ad Eccleſiæ emendationem venire, ejúſque pacem habere poſſet, quæ ab Eccleſia jam acceptata erat, ſi ultra Mare tranſiret, & Eccleſiæ terras, id eſt, Siciliam, Regnum Neapolitanum, Patrimonium, Picenum, Flaminiam, & ex gratia Florentinos eorum diſtrictum pacaret. Rex Galliæ literis ſuis & Oratoribus ad Papam & Cardinales miſſis, turbavit hanc Conventionem, quia pro Fratre Regnum Arelatenſe, Vienna habere volebat.* An ita ſe res habuerit, (ut Hiſtorici illi commemorant) prudens lector judicet. Sententiam ſuſpendo, hoc unum monens, nulla in contrarium occurrere Monumenta.

Abſolutionem à Benedicto XII. rurſus per Legatos humiliter flagitat Bavarus.

Anno MCCCXXXVIII. Germaniæ Præſules *Ludovicum Bavarum* Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ & Summo Pontifici conciliare conati ſunt. Quam ob rem Spiræ indicto Conventu, *Ludovico* auctores fuere ut *Benedicti XII.* arbitrio ſe ſubmiſerit, & Legatos ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutione obtinenda ab Epiſcopis deſtinatos ire permiſerit, & cauſæ ſuæ Procuratores eſſe juſſerit. Eorum literas apud *Bzovium*, ad hunc annum, legere eſt. Ad Concordiam Sacerdotium inter & Imperium ſanciendam propenſiſſimum ſe rurſus exhibuit Pontifex, nec defuiſſe Eccleſiam recipiendo *Ludovico*, reſpondit, ſed abruptum fuiſſe ab ejus Oratoribus Tractatum, quòd eos *Ludovicus* revocaſſet, neque cum Rege Francorum pacem inire vellet. Cùm ipſe, tum Principes Electores, miſſis ad Sedem Apoſtolicam Oratoribus tractatum redintegrarent: pacem cum Rege Francorum facerent. (Tom. IV. Epiſt. Secret. 263. apud *Odoricum Raynaldum* ad hunc annum Num. VIII.)

Ludovicus Bavarus edita Conſtitutione declarat ſola electione verum Imperatorem effici, nec in terris ullum, quoad temporalia, ſuperiorem habere.

Cùm Antiſtitum Legati re infectâ in Germaniam rediiſſent, *Ludovicus* inde vehementiùs commotus, convocatis Francofordiam Electoribus Imperii, de illorum aliorúmque Germaniæ Principum aſſenſu Conſtitutionem edidit VIII. Auguſti ejuſdem anni MCCCXXXVIII. qua declaravit, Imperatorem ex ſola electione eorum ad quos pertinet, verum effici Imperatorem, nec alicujus alterius egere confirmatione vel approbatione, quoniam in terris, quoad temporalia, non habet Superiorem. *De Conſenſu*, inquit, *Electorum & aliorum Principum Imperii, declaramus, quòd* IMPERIALIS POTESTAS ET DIGNITAS EST IMMEDIATE A SOLO DEO: *Et quòd de Jure & Imperii conſuetudine antiquitus approbata, poſtquam aliquis eligitur in Imperatorem ſive Regem ab Electoribus Imperii concorditer, vel majori parte eorumdem, ſtatim ex ſola electione eſt Rex verus & Imperator Romanorum cenſendus & nominandus, & eidem debet ab omnibus Imperio ſubjectis obediri. Et adminiſtrandi Jura Imperii, & cætera faciendi quæ ad Imperatorem verum pertinent, plenariam habet poteſtatem: nec Papæ, ſive Sedis Apoſtolicæ, aut alicujus alterius approbatione, confirmatione, auctoritate indiget, vel conſenſu. Ea propter hac in perpetuum valitura lege decernimus, ut electus in Imperatorem concorditer, vel à majori parte Electorum, ex ſola electione cenſeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus ſubjectis Imperio debeat obediri*, &c. Contra hanc Conſtitutionem facientes læſæ Majeſtatis reos denuntiat, omnibúſque feudis quæ ab Imperio habent, ac Privilegiis & gratiis privatos. Extat apud *Hieronymum Balbum* Epiſcopum Gurcenſem in lib. *De Coronatione*, ad *Carolum V.* Imperatorem, inter Additiones ad *Rebdorfium*, apud *Bzovium*, & *Herwartum*. De Imperatorio Jure quod ſuo illo Diplomate aſſerit *Ludovicus Bavarus*, legi poſſunt *Azorius* Tom. II. lib. X. cap. 11. §. 6. & cap. VI. *Hoſtienſis* in Clement. 1. *De Jurejurando*, *Navarrus* Tom. III. in cap. *Novit*, Notab. 3. Num. 21. & ſeq. & mox laudatus *Hieronymus Balbus* Gurcenſis Epiſcopus ex Ordine FF. Prædicatorum aſſumptus, in lib. *De Coronatione*, quem *Leander Albertus* ejuſdem Ordinis Profeſſor & Terræ Sanctæ Provincialis Epiſtolâ ad Cardinalem SS. Quatuor Coronatorum datâ 15. Kalendas Martii, anno 1530.* approbat, & commendat, Authorem ceu *Virum undequaque literatiſſimum* prædicat.

* Extat in principio libri.

Electorum & Principum Imperii Confœderatio & Proteſtatio.

Eadem tempeſtate, Electores & alii Principes Imperii confœderationem iniere de Juribus ſuis & Imperii contra quemcumque tuendis. Hujus confœderationis formulam exhibet *Herwartus*, Tom. II. pag. 75. Ejuſdem meminit *Albertus Argentinenſis* in Chronico. Quin etiam ad *Benedictum XII.* Pontificem Maximum Proteſtationis in modum Epiſtolam ſcripſere, qua Francofordienſium Comitiorum deliberationem ejus Sanctitati ſignificarunt;

carunt: Processus & Sententias à *Joanne XXII.* in *Ludovicum Bavarum*, ejúsque fautores, contra Deum & justitiam (ut aiebant) latas, rescindi postularunt, & quicquid exinde secutum erat, tanquam in præjudicium Imperii & Jurium ipsius factum revocari. Alioqui se contra eosdem Processus & Sententias opportuna remedia quæsituros. Hanc Principum Epistolam *Bzovius*, & *Herwartus*, ad hunc annum edidere. Eodem anno, cùm videret *Ludovicus*, nulla se ratione à *Benedicto XII.* absolutionem à Sententiis per *Joannem XXII.* in se latis impetrare posse, ostendere aggressus est Sententias illas iniquas & irritas fuisse, scripto ac promulgato Apologetico, quem apud *Herwartum* Tom. II. pag. 772. & seq. legere est.

Apologeticum pro se scribit Ludovicus Bavarus.

Ludovicus Bavarus Matrimonium Joannis filii Regis Bohemiæ & Margaretæ Carinthiacæ impiè dirimit.

Anno MCCCXL. *Ludovicus Bavarus*, per summum nefas, Matrimonium *Joannis* filii Regis Bohemiæ, & *Margaretæ Karinthiacæ*, pronuntiatâ divortii sententiâ diremit; eámque, nullo facto per Ecclesiam divortio, filio suo *Ottoni Ludovico* Marchioni Brandeburgensi, data super tertio consanguinitatis gradu, quo se contingebant, dispensatione, copulavit. *Ludovici Bavari* Diplomata apud *Bzovium* & *Herwartum* ad hunc annum legere est, apud *Goldastum* Tom. II. Monarchiæ Imperialis, & in Additionibus ad *Rebdorfium*. Cæsarem in facinus istud ambitio, & Karinthiæ quæ dotis nomine matrimonio accessit, invadendæ cupiditas; *Margaretam* libidinis impotentia, præcipites egerunt. Illud verò omnes Historici reprehendunt & execrantur: *Dubravius* lib. XXI. Historiæ Bohemicæ, *Albertus Argentinensis* in Chronico, pag. 129. *Rebdorfius* ad annum MCCCXLI. *Krantzius* lib. IX. *Saxoniæ*, Cap. XV. *Cuspinianus* Histor. pag. 466. *Trithemius* in Chronico Hirsaugiensi, ad annum MCCCXXXIV. & MCCCXLIV. *Mutius* lib. XXIV. Chronicor. Viri impotentiam allegat *Margareta*, sed petulantis mulieris calumniam, procreato ex concubina filiolo *Joannes Bohemus* apertè confutavit, ut refert *Dubravius*. Ad tam atrox facinus vindicandum omnis Bohemia, Hungariáque & Francia commotæ sunt, ut *Krantzius* testatur. Ob illud crimen, inter alia, *Clemens VI.* Pontifex Maximus in *Ludovicum Bavarum* Sententiam tulit secundo Idus Aprilis anno MCCCXLIII. in qua hæc habentur: *Sed adhuc prædicta divulgat infamia, & notorium fertur in partibus illis, quòd Ludovicus prædictus, promovens quæ impia sunt & scelesta, & Deo ac hominibus abominabilia, Margaretam tunc Ducissam Karinthiæ, quam sua impudicitia non sinit nos dilectam filiam appellare, dilecti filii Joannis carissimi in Christo filii nostri Joannis Bohemiæ illustris filii, legitimam & notoriam conjugem, filio suo primogenito in gradibus consanguinitatis & affinitatis prohibitis, notorio (ut fertur) conjunctam matrimoniali, seu potius incestuosâ & adulterinâ copulâ, sanguine, ac Canonum & Legum sanctionibus, & bonis moribus, timoréque divino, contemptis, copulavit & conjungi fecit, carnali inter ipsos copulâ subsequutâ, opem & operam præbens, & principalis promotor & actor existens, ac malè (ut videtur) sentiens de Matrimonii Sacramento, quòd copula hujusmodi contraheretur, & committeretur adulterium cum incestu per filium suum & Margaretam prædictos.*

Ad istud Matrimonium filium suum nonnisi invitum & repugnantem adigere potuit *Ludovicus Bavarus*, ut *Albertus Argentinensis* testatur, & facinus illud Junior *Ludovicus Bavarus* plurimâ pœnitentiâ expiavit, ut constat ex Instrumento quod emisit, dum Ecclesiæ reconciliari voluit, anno 1359. & refert *Odoricus Raynaldus* ad eumdem annum. Hæc sunt ejus verba: *Nos Ludovicus de Bavaria, primogenitus quondam Ludovici de Bavaria, qui pro Romanorum Imperatore, dum vixeret, se gessit, sed Judicio Ecclesiæ reprobati, in præsentia coram Reverendis Patribus & Dominis, &c. Item confitemur & recognoscimus humiliter quòd olim cum nobili muliere Margareta Ducissa Carinthiæ, quamvis ipsa & Nos simul essemus in tertio consanguinitatis gradu ex utroque latere conjuncti, & justitia etiam publicæ honestatis inter nos ex eo ortu fuisset, quòd antea eadem Margareta per magnificum virum Dominum Joannem Marchionem Moraviæ, nobis in quarto gradu consanguinitatis attinentem, per verba de præsenti fuerat desponsata, licet ab eodem Domino Joanne fuisset postmodum Judicio Ecclesiæ separata (de facto) matrimonium scienter & temerè contraximus. Et in eo per septemdecim annos vel circiter contra Jus, Processus, & Sententias per felicis recordationis Dominos Benedictum XII. & Clementem VI. Romanos Pontifices, seu alios, eorum sive alterius ipsorum auctoritate & mandato super hoc contra Nos & dictam Margaretam specialiter habitos & prolatos, permansimus, & filios & filias procreavimus ex ea, & quod aliàs multipliciter contra Processus prædictos Deum verum Patrem & Dominum ac præfatam Romanam Ecclesiam omnium fidelium Matrem & Magistram, ac alíasque Ecclesias & Ecclesiasticas personas offendimus.* Judicio Ecclesiæ *Margaretam Karinthiæ* Ducissam & *Joannem Bohemum* separatos fuisse, *de facto*, ait *Ludovicus Bavarus* Junior, idémque asserit *Innocentius VI.* in Diplomate quod *Herwartus* laudat ex Archivis Serenissimorum Bavariæ Ducum, non de jure, quia malis artibus ad Judicium illud Ecclesiasticum obreptum est, ut *Henricus Mutius* testatur: vel ab Episcopo auctoritatem nullam habente pronuntiata divortii sententia est, ut *Aventinus* refert. Vel Judicium illud qualecunque spectant *Ludovicus Bavarus* Junior & *Innocentius VI.* quod septennio post conjunctionem nefariam, scilicet post mortem *Ludovici Bavari* Patris, intervenisse narrat *Rebdorfius* ad annum 1349. his verbis. *Eodem anno 1349. (inquit) mense Julio, Episcopus Curiensis, in cujus Diœcesi est Castrum Tyrolis, promulgat Sententiam divortii inter Joannem fratrem Caroli, & filiam quondam Ducis Karinthiæ, cui prænominatus Ludovicus Marchio Brandeburgensis, ut uxori suæ cohabitaverat per septem annos & ultra, & duos pueros suscepit ex ipsa. In qua Sententia Episcopus asseris præfatum Joannem frigidum & impotentem ad carnalem copulam, & ideo non fuisse matrimonium inter eos.*

Schismatici Tractatus de potestate Imperatoris in causis Matrimonialibus.

Ea tempestate Tractatus duo in defensionem *Ludovici Bavari* patris, quòd spectat matrimonialem hancce causam, scripti sunt, unus ab *Okamo* qui venalem calamum adversùs Ecclesiam ipsi mancipaverat, sic inscriptus: *Tractatus de Potestate Imperatoris in causis Matrimonialibus.* Editus est à *Goldasto* Tom. I. *Monarchiæ Imperialis*. Alter à *Marsilio de Padua* hæretico homine, sic inscriptus: *Incipit Tractatus consultationis per Marsilium de Padua editus, super divortio Matrimonii inter illustres conjuges, Joannem videlicet filium Regis Bohemiæ, & Margaretam Ducissam Karinthiæ, celebrato per Dominum Ludovicum, Dei gratiâ Romanorum Imperatorem.* Editus est ab eodem *Goldasto* Tom. II. *Monarchiæ Imperialis*. Hos Authores sequutus est *Joannes Launoius*, in libro qui inscribitur: *Regia in Matrimonium Potestas*,* ex facto illo, immo facinore & flagitio *Ludovici Bavari* colligens, seculares Principes eâ gaudere auctoritate ut Matrimonia dissolvere possint, & dispensare in gradibus consanguinitatis, aliísque impedimentis. Religiosior fuit *Georgius Herwartus*

* Cap. IX. art. 1. tertia Parte.

Herwartus, facinus illud *Ludovici Bavari* excusare non ausus, sed culpam in Theologos adulatores rejiciens omnem, quorum consilium sequutus est.

Novi Oratores à L. Bavaro ad Benedictum XII. Pontificem missi.

Anno MCCCXLI. *Ludovicus Bavarus* cum Rege Francorum concordiam init; *Eduardo* Anglorum Regi concessum Imperii Vicariatum revocavit. Rex Christianissimus operam suam spopondit ad ipsum cum Sede Apostolica reconciliandum. *Et sic in tota Francia post hac & Parisiis scriptus est & nominatus Imperator* (inquit Albertus Argentinensis) Missi à Cæsare & à Rege Francorum ad *Benedictum XII.* Oratores, qui pro ipsius Imperatoris ad satisfaciendum Ecclesiæ parati absolutione supplicarent. Respondit Pontifex, *Ludovicum Bavarum* ad arbitrium Regis Francorum modò Hæreticum, modò Christianissimum se habere non posse. Et protracto variis occasionibus negotio, *Rex Francorum (ut credebatur) quod noluisset, simulavit se velle. Benedictus verò quod voluisset, simulavit se nolle.* Verba sunt *Alberti Argentinensis*.

L. Bavarus Clementi VI. frustra supplicat pro absolutione.

Anno MCCCXLII. Oratores ad *Clementem VI.* Pontificem Maximum *Ludovicus Bavarus* misit, Ecclesiæ, ipsiúsque Pontificis gratiam humiliter flagitans. Hanc Legationem ejus obiit nomine *Humbertus* Delphinus Viennensis, ejus avunculus. (Ex *Rebdorfio* & *Alberto Argentinensi.*) Duriores conditiones *Ludovico* Pontifex imposuit, ut scilicet Oratoribus suis potestatem faceret in solidum confitendi omnes errores & hæreses. Item resignandi Imperium, nec resumendi, nisi hoc fieret de gratia Papæ, & se ac filios suos, bona ac statum suum, voluntati Papæ penitus committendi, aliáque insolita faciendi. Conditionibus *Ludovicus* subscripsit, Pontifice & Cardinalibus mirantibus. Oratores Cæsaris conditiones Juramento confirmarunt. Cùm verò nihil jam ipsius absolutionem retardare posse videretur, novos Articulos Pontifex de consilio Cardinalium proposuit, quos *Ludovicus* ratos habere deberet ad beneficium absolutionis impetrandum. Principes anno MCCCXLIV. Francofurti in solemnibus Comitiis congregati, novos illos Articulos à Pontifice præscriptos *in perniciem ac destructionem Imperii conceptos esse* judicarunt: & quòd nec Cæsar, nec ipsi, salvo Juramento de tuendis Imperii Juribus præstito, annuere valerent: ac decrevere, si Pontifex in sententia persisteret, se in *Rens* ad Rhenum conventuros, ut deliberarent de mediis quibus hujusmodi conatibus resisterent. (Ex *Alberto Argentinensi*, & *Nauclero.*) Anno MCCCXLV. Oratores iterum ad *Clementem VI.* misit *Ludovicus*, gratiam Ecclesiæ, & quorumdam Articulorum sibi præscriptorum exoraturos mutationem. At nihil ejusmodi legatio promovit, *Rebdorfio* teste.

Carolus IV. Rex Bohemiæ, Rex Romanorum agente summo Pontifice eligitur.

Anno MCCCXLVI. Indictis à Pontifice ad villam *Rhens* ad Rhenum Septemviralibus Comitiis, maxima pars Electorum *Carolum IV.* Regem Bohemiæ in Regem Romanorum elegit, ut *Albertus Argentinensis*, & *Cuspinianus* referunt. Verùm Aquisgrani pro more coronari non potuit, quòd Urbs *Ludovici* partibus constanter adhæreret. *Adolphus autem Comes Palatinus Rheni, Henricus Archiepiscopus Moguntinus, licet à Papa depositus, Marchio Brandeburgensis, Ducésque Bavariæ, ac pene omnes civitates Imperii, partes Ludovici, usque ad mortem ejus, pro viribus sequentes defendebant*: ut scribit *Trithemius*. Obiit anno MCCCXLVII.

Ludovici Bavari obitus.

non sine suspicione veneni à *Joanna* Austriæ Ducissa propinati. Christianæ pœnitentiæ signa ipsum edidisse, Cuspinianus, Paulus Langius, aliíque Authores ab Hervvarto laudati asserunt.

SCHOLION I.

In hoc Articulo pag. 303. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Ante confirmationem Papa imperator munia Imperii exercet.*

R. *Ludovicum Bavarum*, electione suâ nondum à Romano Pontifice confirmatâ Imperii administrationem suscepisse scripsi. Mera facti Quæstio est, cujus comperta veritas.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 306 Religiosi Censores hanc Propositionem notant. *Ob repulsam honestarum conditionum Joannes XXII. Papa nimia duritia accusatur.*

R. Mera facti Quæstio.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 309. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Rationes duntaxat Politicæ impedivere absolutionem Ludovici Bavari.*

R. Id ea propria sententia non dixi, sed ab aliis scriptum narravi, scilicet ab *Alberto Argentinensi*, & *Villano*, quorum verba descripsi, subjunxique: *An ita se res habuerit, ut Historici illi commemorant, prudens Lector judicet. Sententiam suspendo.* Modestiùs loqui non potui.

SCHOLION IV.

In eodem Articulo, pag. 310 Edit. primæ Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Imperialis Potestas & Dignitas est immediatè à solo Deo.*

R. Vera Propositio, quam tamen ibi dogmaticè non trado, sed historicè refero. Verba sunt enim *Ludovici Bavari* in Constitutione edita de consensu Electorum & aliorum Principum Imperii, quæ in historiæ serie descripsi, de istius Principis gestis agens. *Imperatores sciunt quis illis dederit Imperium* (inquit Tertullianus Apologetici cap. XXX) *sciunt qua homines, quis & animam. Sentiunt eum esse Deum solum, in cujus solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi . . . Imperator ideo magnus est, quia cælo minor est . . . inde est imperator, unde & homo antequam Imperator. Inde potestas illi, unde & spiritus.* Et cap. XXXIV. *Sed quid ego amplius de Religione atque pietate Christiana in Imperatorem, quem necesse est suspiciamus ut eum quem Dominus noster elegit. Et meritò dixerim, Noster est magis Cæsar à Deo nostro constitutus .... Magis illum commendo Deo, cui soli subjicio... satis habeat appellari Imperator. Grande & hoc nomen est, quod à Deo traditur.*

ARTICULUS VI.

De CAROLO IV. Bohemo, & VVENCESLAO.

I. *CArolus* IV. Lutzemburgensis, Bohemiæ Rex, mortuo *Ludovico Bavaro*, fœderatas urbes plurimas, quæ confirmatum ipsi à Romano Pontifice Romanorum Regnum agnoscere in ejúsque verba jurare hucusque recusaverant, ad obsequium suum traduxit, Ratisponam, Nuremburgum, Wittembergensem Comitatum, Bambergam, Herbipolim, Argentinam, Alsatiámque universam. Bavari Principes, & qui ab eorum stabant partibus, cùm Imperium *Eduardo* Regi Angliæ, deinde *Frederico* Marchioni Misneosi frustra detulissent; illis nempe injustum & plenum periculis honorem recusantibus, *Gantherum* Comitem Scuvartzburgensem *Carolo* demum opposuere. Pars utraque ad controversiam bello dirimendam sese comparabat, cùm Tyrannus subitâ correptus infirmitate, ex quâ manus illi contractæ, cedere coactus est. Sic incruentâ victoriâ parta Germaniæ pax. *Carolus* Aquisgrani coronatus anno 1349. in Italiam venit, ac Romæ die Paschatis Coronam Imperii accepit, statímque secundùm Pacta conventa cum Romano Pontifice, Urbe excessit, ac tota ditione Pontificia. Gibellinis contra

Caroli IV. coronatio.

 Guelphos

Comitia Imperialia, Legésque à Carolo IV. lata.

Guelphos plus æquo non favit, sed omnibus se præbuit æquissimum, & in Ecclesiæ utilitates propensissimum. Anno MCCCLVI. solemnem Conventum Metis habuit, in quo Leges promulgavit Imperio conducibiles. Leguntur apud *Goldastum* Tom. I. Constitutionum Imperialium. Alia eodem anno ineunte Comitia Nurembergæ habuerat, in quibus Leges etiam condidit ad concordiam inter Electores fovendam, & pacificam Regis Romanorum electionem procurandam. Extant apud *Onuphrium Panuinium* post librum *De Comitiis Imperii*, & apud *Goldastum* Tom. I. Constitutionum Imperialium. Ecclesiasticam Jurisdictionem ac libertatem contra seculares Magistratus ac Dominos Edicto insigni tuitus est, dato anno MCCC. LIX. quod cum aliis edidit *Goldastus*. Cum Ungariæ Rege *Ludovico* fœdus iniit Nuntiorum Pontificiorum operâ, scilicet *Petri* Episcopi Florentini, *Guidonis* Aquensis Episcopi, & Magistri Generalis Ordinis FF. Prædicatorum. Solemnes Conventus Cracoviæ habiti, quibus Imperator, & quatuor alii Reges, Ungariæ scilicet, Poloniæ, Daniæ, & Cypri, aliique insignes Principes interfuere, anno MCCCLXIV. ut Rerum Polonicarum Scriptores testantur.

Orante *Urbano V.* Pontifice Maximo in Italiam veniens anno MCCCLXVIII. *Bernarbonis Vicecomitis*, qui tyrannidem in Ecclesiæ ditionibus exercebat, plurimásque invaserat, fregit audaciam, eúmque ad pacem à Pontifice rogandam compulit, Ecclesiæ Romanæ Jura confirmavit, omnique Jure in Provinciis & Urbibus Ditionis Ecclesiasticæ amplissimo cessit Diplomate, quod ex libro Privilegiorum Ecclesiæ Romanæ edidit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCLXVIII. Hanc in Ecclesiam liberalitatem novo post decem annos cumulavit beneficio, *Gregorio XI.* permittens ut Insubriæ urbes Imperiales in clientelam Sedis Apostolicæ reciperet.

Caroli IV. in Romanam Ecclesiam Beneficia.

VVenceslaum filium Romanorum Regem creat Septemvirûm suffragiis pecunia redemtis.

Anno MCCCLXXVII. *Gregorii XI.* consensu, *VVenceslaum* filium quindecim annorum adolescentem, Romanorum Regem creavit, redemptis magnâ pecuniæ vi Septemviralibus Suffragiis. Quo facto maximum sibi peperit dedecus, proditâ præ studio privatæ rei Imperii majestate, ut *Æneas Silvius* Historiæ Bohemicæ cap. XXXIII. commemorat. *Clarus profectò Imperator*, inquit, *nisi Boemici Regni gloriam magis quàm Romani Imperii quæsivisset. Illud quoque nomini suo non parvam inussit maculam, quòd VVenceslaum ex filiis suis natu majorem, in Imperio sibi Successorem adhuc vivens ordinare conatus est, idque pecuniâ. Nam cùm Principes Electores haud facile ad eam rem trahi possent, quod virtute obtinere non potuit, pretio comparavit, promissis cuique Electori centum millibus aureis, quos cùm repræsentare non posset, publica illis Romanæ Reipublicæ vectigalia obligavit, perpetuum Imperii malum. Hinc Romana potestas ad nihilum redacta, nec posthac attollere caput Imperium potuit, cùm Principes Electores omnia sibi retinerent, Imperatorémque jurejurando adigerent, ne pignora revocaret.*

Caroli IV. erga sacras Reliquias pius affectus.

Magna Religione Sacras Reliquias prosecutus est *Carolus IV.* præcipuè Crucem Dominicam, sacram lanceam quâ Salvatoris latus confossum est, & clavos quibus manus ejus pedésque confixi, quarum partem cùm à *Ludovico* Marchione Brandeburgensi *Ludovici Bavari* Imperatoris filio recepisset, cum aliis Imperii insignibus, in earum honorem Festum diem ab *Innocentio VI.* institui impetravit feria VI. post Octavam Resurrectionis Dominicæ, ut *Rebdorfius* testatur; idemque constat ex Pontificio Diplomate, quod legitur apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum MCCCLIV. N. XVIII. Obiit anno MCCCLXXVIII. in Vigilia *S. Andreæ*, ut *Albertus Argentinensis*, & *Trithemius* testantur. Rerum à se gestarum Historiam scripsit, cujus in Præfatione præclara filiis suis ac Successoribus ad Rempublicam Christianè gerendam tradidit documenta, quorum fragmentum *Coeblæus* exhibet *Historia Hussitarum* lib. I.

VVenceslaus, Carolo Patri in Imperium succedit.

II. *VVenceslaum* filium natu majorem Boëmici Regni, Imperiique Successorem *Carolus IV.* reliquit. Is olim cùm baptizaretur sacrum fontem lotio infecerat, Altarique impositus, illud fœdaverat, malis sanè ominibus, instar *Constantini Copronymi*, ut *Dubravius* refert. Cùm ad annum usque millesimum quadringentesimum Imperium pessimè administrasset, Septemvirûm Sententiâ exauctoratus est, *Bonifacio IX.* connivente. Ad Summam illi Dignitatem abrogandam hæc maximè Principes impulerunt; negligentia in tollendo Schismate, Mediolani ac Longobardiæ abalienatio, imminuta passim ac dissipata Imperii Jura, venditæ justitia, latrociniorum permissio, in Sacerdotes aliósque viros honestos crudelitas, quorum plures in flumen præcipites egerat, igne damnaverat, aliísve suppliciis vexaverat & peremerat, quibus ut alter *Nero* pascebat oculos; socordia, ebrietas, luxuria, Magorum consuetudo, &c. Sententiam à *Joanne* Moguntino Archiepiscopo cæterorum Electorum nomine latam, apud *Odoricum Raynaldum* legere est, ad annum MCCCC. Num. XIII.

Electorum sententiâ exauctoratur.

CAPUT X.

De Regibus Francorum XIII. & XIV. Seculo.

ARTICULUS I.

DE PHILIPPO AUGUSTO.

Pax cum Joanne Angliæ Rege inita.

SECULO XIII. ineunte, annum Regni vigesimum agebat *Philippus Augustus*, pace initâ ipsum inter & *Joannem* Anglorum Regem lætissimum. Pacis conditiones fuere, ut Castrum Rodulphi, Exoldunum, & Crasseianum, in Biturigum finibus *Augusto* Regi Anglus restitueret, jure Volcassini citerioris, Eburovicum, locorúmque omnium quæ in Normannia Rex Christianissimus ceperat, repetundorum cederet; *Blancham* neptem suam, *Ildephonsi* Castellæ Regis filiam, *Ludovico Philippi* filio uxorem daret, triginta mille pondo argenti pro dote numerarentur: si *Joannes* sine liberis decederet, Normannia & cæteræ Provinciæ, quas Angli in Gallia occupabant, ad *Ludovicum* redirent: quas interim Beneficiario Jure à Rege Francorum teneret, ut *Richardus* Angliæ Rex ejus frater tenuerat. Breve fuit populorum de pace gaudium. Rex *Joannes* Parisios à *Philippo Augusto* vocatus ut tanquam Regiæ Francorum Beneficiarius pro Comitatu Pictavensi & Andegavensi, & Aquitaniæ Ducatu stata die ipsius Majestati ad ea quæ ipsa objiceret, responsurus se sisteret, nec per se, nec per Oratorem comparuit. Quamobrem Rex Augustus habito cum Principibus & Baronibus suis consilio, collecto exercitu in Normanniam irrupit, pluraque Castra & oppida sibi subjecit, inter quæ Gornacum, cum tota *Hugonis* Gornacensis ditione. Ibi *Arturum Joannis* Angliæ Regis nepotem cingulo militari donatum in clientelam suam ac fidem recepit *Augustus*, Britanniæ Comitatum, qui hereditario jure ad ipsum pertinebat, ei confirmavit, addictis Pictavensis & Andegavensis titulis, quos armis vendicaret.

Bellum breve renascitur.

Anno

Anno MCCII. *Innocentius III.* misit *Joannem* Abbatem Casemarii Ordinis Cisterciensis, ad Reges Francorum & Anglorum ad pacem inter eos conciliandam. Qui adjuncto sibi de Mandato Summi Pontificis Abbate Trium Fontium, Mandatum Apostolicum utrique Regi proposuerunt, *Præcipientes quòd convocatis Archiepiscopis, Episcopis, totiúsque Regni Principibus, salvâ utriusque Regis justitiâ pacem facerent, & Abbatias Monachorum seu Monialium, & alias Ecclesias, propter guerras eorum destructas, ad pristinum reformarent statum. Audito apud Medontam hujusmodi Mandato in Octavis Assumptionis B. Virginis Mariæ, à Domino Rege appellatione interposita, convenientibus Episcopis, Abbatibus & Baronibus, ad examen Summi Pontificis ejusmodi causam revocaverunt.* Ita refert Rigordus Philippi Augusti Chronographus.

Normannia universa à Philippo Augusto subacta.

Anno MCCIII. Rex Normanniam universam in potestatem redegit, quæ annos trecentos & sexdecim suis Ducibus paruerat. Receptâ Normanniâ Rex *Augustus* arma in Aquitaniam vertit, Pictavos in verba sua adigit, Lochias & Chinonem expugnat. *Joannes* Rupellam valido cum exercitu transmittit, Andegavum occupat. Anno MCCXIII. *Isemburgim* Reginam uxorem suam in gratiam recepit *Philippus* Rex, à qua sexdecim annos & amplius dissenserat. Quod unum in tanto Rege reprehensione dignum fuisse, *Rigordus* testatur. Anno MCCXIV. Belgicum bellum confecit, *Ferrando* Flandriæ, & *Reginaldo* Morinorum Comitibus, necnon *Ottone* Imperatore, numeroso cum exercitu, ad Bovinas, Tornacum inter & Insulam, justo prælio profligatis. Fugatus *Otto*, Comites quinque, quos inter *Ferrandus* & *Reginaldus*, in Augusti Regis potestatem venere. Prælium celeberrimum insignémque victoriam *Rigordus*, & *VVillelmus Brito* lib. XI. Philippidos, commemorant. Qua pietate se suósque ad pugnam præparaverit *Philippus Augustus*, narrat accuratè istorum Historicorum prior, qui ejus Majestati in ipso exercitu erat à Sacris. *Rex*, inquit, *antequam congrederetur, hac brevi & humili Oratione suos fuit milites allocutus: In Deo tota spes & fiducia nostra est posita: Rex Otho & exercitus suus à Domino Papa excommunicati sunt, qui sunt inimici & destructores rerum Sanctæ Ecclesiæ, & pecunia quâ eis stipendia ministrantur, de lachrymis pauperum, & de rapina Ecclesiarum Dei & Cleri acquisita est. Nos autem Christiani sumus, & communione & pace Sanctæ Ecclesiæ fruimur; & quamvis peccatores simus, tamen Ecclesiæ Dei consentimus, & Cleri pro posse nostro defendimus libertates. Unde præsumere fiducialiter debemus de Dei misericordia, qui nobis licet peccatoribus dabit de suis & de nostris hostibus triumphare. His dictis, petierunt milites à Rege benedictionem: & statim insonuerunt tubæ, & fecerunt insultum viriliter in hostes, & audacissimè & strenuissimè conflixerunt.* In victoriæ celeberrimæ ad Bovinas reportatæ perennem memoriam, & grati animi erga Deum exercituum Dominum monumentum, Abbatiam Ædémque sacram sub Deiparæ Virginis invocatione prope Silvanectum erigere decrevit Rex Christianissimus. Votum patris *Ludovicus VIII.* exolvit. Abbatiæ *A Victoria* nomen inditum. Canonici Regulares ex Abbatia *S. Victoris* Parisiensis in ea collocati.

Belgicum bellum.

Prælium celebre ad Bovinas, insignisque victoria.

Eodem tempore, *Ludovicus* Regius Juvenis *Joannem* Anglorum Regem è Pictonibus pepulit. Querelas contra *Philippum Augustum* de violatâ pace & Juramenti religione ad Summum Pontificem *Innocentium III. Joannes* detulit. Pontifex qui *Joannem* justam novo bello causam præbuisse non noverat, fiduciarii Principis officio erga Regem Francorum neglecto, Abbati Casemarii Le-

A gato Apostolico in mandatis dedit ut unà cum Archiepiscopo Bituricensi causam cognosceret, & juxta formam sibi præscriptam procederet; Præsulibus verò Gallicanis, ut ejus Sententiæ parerent, executionem Judicii promoverent. Prævidebat *Innocentius* doctissimus & sagacissimus Pontifex, Regem Christianissimum, Gallicanos Antistites, Procerésque, causæ meræ temporalis Judicium Sedi Apostolicæ non facilè permissuros, cùm de belli æquitate uni Deo rationem reddere supremi Principes teneantur. Quamobrem Deum sui erga Regem & Regnum Francorum sinceri amoris testem appellat, ejúsque juribus derogare se nolle contestatus.
B *Novit ille*, inquit, *qui nihil ignorat, qui scrutator est cordium, ac conscius secretorum, quòd Carissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Francorum illustrem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta diligimus, & ad honorem & profectum & incrementum ipsius efficaciter aspiramus:* EXALTATIONEM REGNI FRANCORUM, SUBLIMATIONEM APOSTOLICÆ SEDIS REPUTANTES: CUM HOC REGNUM BENEDICTUM A DEO SEMPER IN IPSIUS DEVOTIONE PERMANSERIT, ET AB EJUS DEVOTIONE
C NULLO UNQUAM, SICUT CREDIMUS, SIT TEMPORE DISCESSURUM: *Quia licet interdum hinc inde fiant immissiones per Angelos malos, Nos tamen qui Satanæ non ignoramus astutias, circumventiones ipsius studebimus evitare: credentes quod idem Rex illius seduci se fallaciis non permittet. Non ergo putet aliquis, quod Jurisdictionem aut Potestatem ipsius minuere aut perturbare velimus: cùm ipse Jurisdictionem nostram & Potestatem non debeat aut velit etiam coarctare. Cùmque Jurisdictionem propriam non sufficiamus explere, cur alienam usurpare vellemus?* Contestatur deinde, se
D judicium de feudo sibi arrogare nolle, cùm ad Regem pertineat, sed solùm de peccato. *Non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum spectat Judicium, (nisi forte juri communi per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum,) sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus & debemus. Non igitur injuriosum sibi debet Regia Dignitas reputare, si super hoc Apostolico Judicio se committat.* Solius itaque jus correptionis admonitionis, & Censuræ Ecclesiasticæ in Principes Christianos, ut in cæteros Ecclesiæ filios, non potestatem directam vel indirectam in eorum tem-
E poralia sibi tribuit *Innocentius III.* Unde verba *Valentiniani* Imperatoris profert, Mediolanensis Ecclesiæ Suffraganeos ita compellantis: *Talem in Pontificali Sede constituere procurate, cui & nos, qui gubernamus Imperium, sincerè nostra capita submittamus: & ejus monita, dum tanquam homines deliquerimus, suscipiamus necessariò velut medicamenta curantis.* Laudat & Legem *Theodosii* à *Carolo Magno* innovatam, quâ sancitum est; ut si litigantium alter Judicium elegerit Sacrosanctæ Sedis Antistitis, etiamsi pars alia refragatur, ad Episcoporum tribunal causa deferatur. Suam
F tamen Potestatem *Non humanæ Constitutioni, sed Divinæ Legi potius innixam* asserit. *Nullus enim* (ait) *qui sit sanæ mentis ignorat, quin ad Officium nostrum spectet de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Christianum, & si correptionem contempserit, ipsum per districtionem Ecclesiasticam coercere.* Tandem ratione Juramenti causam ad Sedem Apostolicam evocari posse scribit. *Postremò cùm inter Reges ipsos formata sint pacis fœdera, & utrinque præstito Juramento firmata; quæ tamen servata usque ad præfixum terminum non fuerunt: numquid non poterimus de Juramenti religione cognoscere,*

Innocentius III. de belli causa à Philippo Augusto Joanni Regi Anglorum illati cognoscere volens, nullam propterea sibi vendicat in ejus temporalia auctoritatem.

cognoscere, quod ad Judicium Ecclesia non est dubium pertinere, ut rupta pacis fœdera reformentur? Hæc Epistola ab *Antonio Augustino* edita est in III. Collectione Decretalium Tit. I. C. III.

Gallicani Præsules causam Regis contra Legatum Apostolicum generosè tuentur.

Gallicanos Præsules Apostolicus Legatus Meldas ad Colloquium congregavit, eisque Summi Pontificis literas exhibuit ac mandata. Responderunt, Angliæ Regem obrepsisse Pontifici, utque perturbationem ac mala Gallicanæ Ecclesiæ imminentia averterent, ipsum *Innocentium III.* consulere decreverunt, atque Appellatione ad Sedem Apostolicam interjectâ, Legati actionem prohibuere. Certum appellationi persequendæ constitutum tempus, consentientibus Episcopis, Christianissimi Regis Oratoribus approbantibus. Decreta Suspensionis pœna in Præsules singulos, qui appellationis persecutionem differrent.

A Summo Pontifice laudati.

De his certior factus Pontifex, Legati prudentiam, Gallicanorum Præsulum pietatem laudavit, ipsos, ob Ecclesiæ Gallicanæ erga Sedem Apostolicam merita, à conditione quam Legatus appellantibus imposuerat, absolvit; permisitque ut appellationem persequerentur prout Regno & Sacerdotio convenire judicarent, quorum jura illæsa ipse peroptabat. Ista constant ex Literis *Innocentii III.* ad Gallicanos Episcopos datis. *Quia*, inquit, FIDEM ET OBEDIENTIAM VESTRAM NOS ET PRÆDECESSORES NOSTRI SUMUS FREQUENTER EXPERTI: *ut ostendamus affectum, quem non solum ad vos &* ECCLESIAS GALLICANAS, *verùm etiam ad ipsum Regem & Regnum Francorum habemus: nolumus vos hoc titulo teneri ligatos; sed appellationem interpositam prosequamini, prout Regno & Sacerdotio noveritis expedire: Quia* NOS ITA VOLUMUS SACERDOTII JURA INTEGRA CONSERVARE, UT ETIAM REGNI JURA CUSTODIAMUS ILLÆSA. Cum Regis licentiâ, cujus causâ Gallicana Ecclesia Regiorum Jurium acerrima & constantissima semper propugnatrix, Sedem Apostolicam appellaverat, Romam profecti sunt Senonensis & Bituricensis Archipræsules, cum Parisiensi, Meldensi, Catalanensi, & Nivernensi Episcopis, multisque secundi Ordinis Sacerdotibus; & Regem Christianissimum ab æquitatis tramite non deflexisse, Juramenti religionem sanctissimè servasse, justâ de causâ bellum Anglo intulisse, qui causæ suæ diffidens neminem Romam miserat, Summo Pontifici persuasere. Ad hæc, in Consistorio sunt contestati: *Quòd ipsi non appellaverant ad Mandatum Apostolicum eludendum, sed quia sua interesse credebant: maximè cùm crederent in hac parte suum Regem justam causam habere. Sed si nec istud sufficeret, & in aliquo essent Domino Papa suspecti, Purgationem Canonicam offerebant, quam eis Dominus Papa remisit.* Ita refert Author Anonymus Commentatii *De Guerra Francia & Anglia Regum*, apud *Duchesnium*, Tom. v. Historiæ Francorum pag. 809.

Cardinalis Perronius obfuscatur, perperam asserens Philippum Augustum adversùs Joannem Angliæ Regem bellum gessisse ob sententiam exauctorationis ab Innocentio III in eum latam.

Doctissimi Cardinalis *Perronii* errorem hîc non possum quin perstringam ac refellam, qui *Philippum Augustum* bellum *Joanni* Anglorum Regi, *Sine Terra*, cognominato, intulisse ait, (in Oratione ad Tertium Regni Ordinem habitâ) fretum Sententia Summi Pontificis *Innocentii III.* qui ipsum exauctoraverat. *Joannem* ab *Innocentio III.* non fuisse exauctoratum, Cap. I. Num. XIII. probavi: nunc demonstrandum mihi sumo quòd etsi exauctoratum esse detur, non tamen propter *Innocentii III.* Sententiam in eum expeditionem duxit *Philippus Augustus*, ut Eminentissimus Cardinalis asserit, unius *Haillandi* recentioris Historici fultus testimonio. Sed rationes alias habuit gravissimas & æquissimas belli adversùs *Joannem* suscipiendi, quarum una fuit cædes *Arturi*, Britanniæ Ducis, & Andegavensis Pictavensisque Comitis, Beneficiarii sui, quem *Joannes*, Patruus Nepotem, crudeli proditione trucidaverat. Quanquam & occasione dirarum ab *Innocentio III.* in Regem latarum uti potuerit *Philippus Augustus* tanquam rebus suis commodâ, ut justissimi belli consilium exequeretur. Sed *Rigordum* Augusti Regis Chronographum audire præstat, rationes, quæ ipsum ad bellum Anglo inferendum moverunt, exponentem, ad annum MCCXIII. *Causa*, inquit, *qua Philippum Regem Magnanimum moverat ad hoc ut vellet in Angliam transfretare, fuit, ut Episcopos, qui diu à Sedibus suis ejecti in Regno suo exulabant, suis Ecclesiis restitueret, ut divinum servitium quod jam per septennium in tota Anglia cessaverat, faceret renovari, & ut ipsum Regem Joannem, qui nepotem suum Arturum occiderat, qui & plurimos parvulos obsides suspenderat, & flagitia innumerabilia perpetraverat, vel pœna condigna subjiceret, vel à Regno prorsus expellens, secundùm agnominis sui interpretationem, omnino efficeret* SINE TERRA. *Unde & ipse Joannes Rex hæc omnia metuens, dum prædicta agerentur, composuit cum Clero, missis Nuntiis ad Summum Pontificem, qui Pandulphum Subdiaconum suum in Angliam mittens, pacem inter Regem & Clerum, ut potuit, reformavit.* Cùm *Joannes* rebus cum Summo Pontifice compositis, ei & Ecclesiæ Romanæ Regnum suum addixisset, eique *fidelitatem* & *homagium* in manibus *Pandulphi* Legati Apostolici præstitisset, *Philippus Augustus*, eodem Pontifice monente, ac per Legatum urgente, omnem Anglici belli apparatum aliò convertit, non absque animi commotione, ut scribit *Matthæus Parisius*, in Historia Anglicana. *Hæc audiens Rex Francorum, iratus valde dixit: Se jam in apparatu navium, victualium, & armorum, plusquam sexaginta millia librarum expendisse. & ex præcepto Domini Papæ laborem præfatum & in peccatorum remissionem suscepisse.*

Angli à Johanne Rege deficiunt.

Postea verò cùm libertatum concessionem Regno & Ecclesiæ Anglicanæ, Baronibus exigentibus à *Joanne* Rege factam, & à se ipso confirmatam, *Innocentius III.* irritam declarasset, eosdémque Barones excommunicatione feriisset, quòd *Joannem* è Regno pellere molirentur; illi ad extrema redacti à *Joanne* palam defecerunt, & summo consensu *Ludovicum Philippi* Regis *Augusti* filium in Regem Anglorum elegerunt, & per solemnes nuntios literas omnium & singulorum sigillis munitas ad utrumque misere, obnixiùs rogantes patrem ut filium mitteret in Anglia regnaturum, & filium ut veniret illico coronandus. XXIV. obsides, quos Rex Christianissimus ad majorem securitatem postulabat, è primaria Nobilitate missi.

Ludovicum Principem Philippi Regis filium Angliæ Regem eligunt.

Ludovicus Princeps, dum bellicum apparatum instrueret, Viros Illustres & industrios præmisit in Angliam, per quos Baronibus spem conferret, eorúmque fidelitatem interim experiretur. Ita refert *Matthæus Parisius* ad annum MCCXVI. Datis etiam ad eosdem Barones, & ad cives Londinenses literis, se præsto ipsis quantocyus futurum spopondit.

Innocentius III. Philippum Augustum à bello Anglico deterrere conatur.

De his certior factus *Innocentius III. Galonem* Legatum in Gallias misit, qui *Ludovicum* à bello Anglico Auctoritate Apostolica prohiberet. Urbanissimis literis *Philippum* obsecravit ne filium Angliam hostiliter adire, vel Regem Anglorum bello lacessere permitteret: sed ipsum ut *Romanæ Ecclesiæ Vasallum* protegeret, defenderet, diligeret; *cujus Regnum ad Romanam Ecclesiam ratione dominii pertinebat.* Vix orationem Legatus Apostolicus absolverat, cùm Rex Magnanimus respondit:

Philippus Augustus Angliæ Regnum S. Petri patrimonium esse & Regnum à Joanne Rege in Sedis Apostolicæ dominium & clientelam transferri potuisse negat.

pondit: REGNUM ANGLIÆ PATRIMONIUM PETRI NUSQUAM FUIT, NEC EST, NEC ERIT. *Rex enim Joannes multis retro actis diebus; volens fratrem suum Regem Richardum Regno Angliæ injustè privare, & inde de preditione accusatus, & coram eo convictus, damnatus fuit per judicium in Curia ipsius Regis: quam Sententiam pronuntiavit Hugo de Pujat, & Episcopus Dunelmensis. Et ita nunquam fuit verus Rex, nec potuit Regnum dare. Item si aliquando fuit verus Rex, postea Regnum forisfecit per mortem Arthuri: de quo facto damnatus fuit in Curia nostra. Item nullus Rex vel Princeps potest dare Regnum suum sine assensu Baronum suorum, qui Regnum illud tenentur defendere: & si Papa hunc errorem tueri decreverit, perniciosissimum Regnis omnibus dat exemplum. Tunc quoque Magnates omnes uno ore clamare cœperunt: Quod pro isto articulo certarent usque ad mortem: Ne videlicet Rex vel Princeps per solam voluntatem suam posset Regnum dare, vel tributarium facere, unde Nobiles Regni efficerentur servi. Acta hæc apud Lugdunum die xv. post Pascha.* Refert *Matthæus Parisius* ad annum MCCXVI.

Ludovicus Princeps jus suum coram Legato Apostolico tuetur.

In crastino *Ludovicum* Principem ad colloquium cum Sedis Apostolicæ Legato vocavit *Augustus* Pater. Utrumque per Sacra omnia Legatus obsecravit, ut Anglici belli consilium deponerent, ne *Romana Ecclesiæ Patrimonium* invaderent. Rex *Augustus* respondit: *Ego Domino Papæ, & Ecclesiæ Romanæ devotus semper fui & fidelis, & in omnibus agendis suis negotia sua omnia efficaciter hucusque promovi. Sed nec modo per consilium meum vel auxilium filius meus Ludovicus contra Romanam Ecclesiam aliquid attentabit. Verumtamen si jus aliquod de Regno Angliæ sibi vendicat, audiatur: & quod justum fuerit, concedatur eidem.* Tunc Vir Nobilis, quem *Ludovicus* Princeps Procuratorem instituerat, Jus ipsius coram Rege & Legato Apostolico tutus est hunc in modum: *Domine Rex, res notissima est omnibus, quod Joannes dictus Rex Angliæ, pro Arthuri nepotis proditione, quem propriis manibus interemit, in Curia vestra, per judicium Parium suorum ad mortem fit condemnatus: ac postmodum à Baronibus Angliæ pro multis homicidiis, & enormitatibus aliis, quas ibidem fecerat, ne regnaret super eos, reprobatus. Unde Barones contra eum guerram moverunt, ut ipsum à Solio Regni immutabiliter depellerent. Præterea Rex sæpe dictus præter assensum Magnatum suorum Regnum Angliæ Domino Papæ contulit & Ecclesiæ Romanæ, ut iterum reciperet ab eis tenendum sub annuo tributo mille marcarum. Et si Coronam Angliæ sine Baronibus alicui dare non potuit, potuit tamen dimittere eam: quam statim cùm resignavit, Rex esse desiit, & Regnum sine Rege vacavit. Vacans itaque Regnum sine Baronibus ordinari non debuit. Unde Barones elegerunt Dominum Ludovicum ratione uxoris suæ, cujus mater, Regina scilicet Castellæ, sola ex omnibus fratribus & sororibus Regis Angliæ vivens fuit.* Reposuit Legatus, Regem *Joannem* Cruce signatum esse, propterea pace frui debere ad quadriennium, sub Sedis Apostolicæ protectione ditiones ejus manere securas, secundùm Lateranensis Concilii Decretum. Respondit Principis Procurator, *Joannem* Regem, antequam Cruce insignitus esset, & deinceps, in castra, feuda, hominésque *Ludovici* hostiliter grassatum: adeóque justi belli causam præbuisse. Legatus Apostolicus minas rationibus opposuit: *Ludovico* sub excommunicationis pœna prohibuit ne Angliam animo hostili adiret; *Philippo* Regi ne ipsum ire permitteret. Tunc Princeps his Patrem *Augustum* verbis compellavit: *Domine, etsi ego homo vester ligius sum de feudo quod mihi dedistis in partibus cismarinis, de Regno Angliæ ad vos non pertinet statuere quidquam. Unde me subjicio Judicio Parium meorum si debetis cogere me ne prosequar jus meum: & præcipue tale jus, de quo mihi non potestis justitiam exhibere. Rogo itaque vos ne propositum meum præpediatis: quia pro hereditate uxoris meæ usque ad mortem decertabo.*

Ludovicus Princeps in Angliâ transmittit, utrimque causam suam coram summo Pontifice per Oratores defendit.

Secundùm hæc missis Romam Oratoribus, qui jus suum coram Summo Pontifice contestarentur, in Angliam transmisit, fugiensque à facie ipsius *Joannis*, Londonias usque penetravit. Ubi *fidelitatem & homagium* à Baronibus & civibus cùm accepisset, illisque vicissim bonas leges se redditurum, [& bona restituturum jurasset, omnes Australis Angliæ Provincias in potestatem redegit. Interim *Ludovici* Principis Nuncii causam ejus coram Summo Pontifice disceptarunt. [Quæ ab ipsis allegata sint, quid ab *Innocentio* responsum, prolixè refert *Matthæus Parisius* ad annum MCCXVI.

Inter alia Pontifex objecit, se de communi consilio Synodi Generalis excommunicasse omnes Barones Angliæ, & omnes fautores eorum: & ita *Ludovicum* in Sententiam incurrisse. Nuntii modestè responderunt: *Ludovicus non adjuvat Barones Angliæ, nec fovet eos, sed jus suum prosequitur: nec etiam credit, nec credere debet, quòd Dominus Papa, vel sanctum Concilium, injustè velit aliquem excommunicare. Nam tempore latæ Sententiæ Dominus Papa nesciebat quòd Ludovicus haberet jus de Regno Angliæ: & cùm hoc illi constiterit,* NON CREDIT DOMINUS LUDOVICUS QUOD CONCILIUM POSSIT EI JUS SUUM AUFERRE. Obiit eodem anno Rex *Joannes*. Cui successit *Henricus* ejus filius. Ab illius inauguratione, *Ludovici* res in Angliâ pessum abiere, copiis ejus Lincolniensi prælio fractis, Anglísque ad *Henricum* sensim redeuntibus. Quamobrem *Ludovicus* pace *Henrico* Regi concessâ, quâ Baronibus Anglis & aliis Regnicolis Jura sua, hereditates, ac Libertates, quarum occasione à *Joanne* Rege defecerant, restitui voluit, obtinuitque, in Galliam regressus est, gloriam ex animi moderatione referens non minorem, quam antè ex bellica fortitudine pepererat.

Ludovicus Princeps pace Regnoque Henrico Johannis filio concessis, in Galliam redit.

Anglico fervente bello, Rex *Philippus Augustus* volens à se perjurii suspicionem amoliri, quòd juratas *Joanni* Angliæ Regi inducias violare videretur favendo *Ludovico* filio, *totam terram filii sui, & aliorum Baronum qui cum eo erant, confiscavit,* & manum super eos se gravaturum spopondit, *si Ecclesia eum super his debere amplius facere judicaret. Papa nihilominus eum de favore filii sui suspectum habens, Archiepiscopo Senonensi & ejus Suffraganeis literas destinavit, in quibus notabat ipsum Regem excommunicatum esse. Propter quod Synodo apud Melodunum congregatâ, universi Primates Regni proclamaverunt, Quod ipsum Regem propter hoc excommunicatum non haberent, nisi de voluntate Papæ fierent certiores.* Ita refert *Guillelmus Brito* ad annum MCCXVI.

Philippi Augusti ædificia.

Simoni Comiti *Monfortio*, & *Almarico* ejus filio *Ludovicum* Principem, cum copiis pecuniísque, adversùs Albigenses Hæreticos semel iterúmque misit Rex Augustus. Ipsi postremum Regni ac vitæ tempus pacatum fuit: quod muniendis Regni totius præcipuis urbibus oppidísque impendit, collatis ex ærario sumptibus, nullâ exactione subditos gravans, omnium indemnitati con-

ſulens, ut *Guillelmus Brito* canit lib. XII. Philippidos:

Sollicitúſque ſui curare negotia Regni,
Oppida more ſuo diverſa ſtudebat & arces
Viſere, præſertim quibus ille reædificandis
Impendens operam, muros fabricabat & arces.
Quotquot enim fiſcus urbes habet, oppida, vicos,
Ad proprios ſumptus muravit....
In omnibus iſtis
Vexavit nullum censûs exactiô, nullum,
Ut fieri ſolet à multis, angaria læſit.
Cujuſcunque domus, fundus, ſeu vinea propter
Foſſas aut turres periit, ſeu mœnia, damni
Totius pretium patiens à Rege recepit.

Philippi Augusti leges, ſtudium in literas & Pariſienſem Academiam.

Leges tulit Rex *Auguſtus* adversùs Hiſtriones ut Regni finibus excederent; quòd Reipublicæ perniciosum id hominum genus exiſtimaret: etiam adversùs Judæos, quâ eorum in exigendis uſuris improbitatem coërcuit. Literis fovit ac viris literatis, Pariſienſem Academiam, Studentéſque dilexit, privilegiis auxit, protexit. Quo de re ſcribit *Rigordus* ad annum MCCXIX. *In diebus illis ſtudium literarum florebat Pariſius, nec legimus tantam aliquando fuiſſe Scholarium frequentiam Athenis vel Ægypti, vel in qualibet parte mundi, quanta locum prædictum ſtudendi gratiâ incolebat. Quod non ſolùm fiebat propter loci illius admirabilem amœnitatem, & bonorum omnium superabundantem affluentiam, ſed etiam propter libertatem, & ſpecialem prærogativam defenſionis, quam Philippus Rex & Pater ejus ante ipſum ipſis Scholaribus impendebant. Cùm itaque in eadem nobiliſſima civitate non ſolùm de trivio & quadrivio, verùm & de quæſtionibus Juris Canonici & Civilis, & de ea facultate quæ de ſanandis corporibus, & ſanitatibus conſervandis ſcripta eſt, plena & perfecta inveniretur doctrina, ferventiori tamen deſiderio Sacram Paginam & Quæſtiones Theologicas docebantur.*

Philippi Augusti pius obitus.

Anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſecundo, quartana febre correptus eſt Rex *Auguſtus*, qua anno pene integro laboravit. Qua demum in continuam mutatâ, Julio menſe, anno MCCXXIII. ad Concilium Pariſiis contra Albigenſes Hæreticos congregatum, diſſuadentibus licèt Medicis, ire voluit, ne cauſæ Dei, Religionis, & Fidei promovendæ ac tuendæ auctoritate ſuâ deeſſet. Paciaco itaque Meduntam veniens, ibi ingraveſcente morbo, cujus initio peccatorum Confeſſionem ediderat, ac Teſtamentum condiderat Chriſtianiſſimi Regis pietate dignum, perceptâ Euchariſtiâ, ad vitam migravit immortalem.

De ipſius obitu ſcribit *Guillelmus Brito* lib. XII. Philippidos:

Pariſius, Medicis contradicentibus, ibat,
Paciacóque movens ad Concilium properabat,
Summam virtutum cupiens hanc eſſe ſuarum
Ut per eum ſtatus Eccleſiæ fideique reſurgens,
Catholicum ſumat ipſo moriente vigorem.
Quem fidei ſimilis Martini fervor agebat,
Qui ſibi cùm præſcita dies foret ultima vitæ,
Fratribus & Sanctis hoc prædixiſſet, adire
Non ideo metuit Candatum, ut pacificaret
Schiſma quod Eccleſiam vito turbabat in illo,
Eccleſiæ pacem, Clerôque relinquere gaudens.
Voto haud diſſimili properans Rex uſque Meduntam
Venerat. Hîc illi ſacra poſt Myſteria, poſtquam
Vitalis vitæ dedit Euchariſtia paſtum,
Occurrit ſuprema dies, ævíque beati
Terminus....

Mortem ipſius Romano Pontifici miraculo & viſo cœleſti revelatam, docet idem Author. Corpus ejus ad *Sanctum Dionyſium* delatum. Defuncto ritu ſolemni parentarunt *Bertrandus* Cardinalis Epiſcopus Prænestinus, Concilii Pariſienſis Patres, & *Joannes* Rex Hieroſolymorum. Cui, ac Templariis, & Hoſpitalis *Sancti Joannis Hieroſolymitani* Equitibus, centum & quinquaginta millia marcharum argenti teſtamento legaverat.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 316. Edit. primæ, Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *Prævidebat Pontifex in cauſa belli, utpote merè temporali, nullam ſe habere auctoritatem cognoſcendi.*

R. Scitè ſatis à me ſcriptum ac obſervatum eſt, occaſione querelarum à *Joanne* Anglorum Rege ad *Innocentium III.* P. M. contra *Philippum Auguſtum* Regem Chriſtianiſſimum delatarum: *Prævidebat Innocentius III. doctiſſimus & ſagaciſſimus Pontifex Regem Chriſtianiſſimum, Gallicanos Antiſtites, Proceréſque, cauſæ merè temporalis judicium Sedi Apoſtolicæ non facilè permiſſuros, cùm de belli æquitate uni Deo rationem reddere ſupremi Principes teneantur.*

SCHOLION. II.

In eodem Articulo, pag. 318 Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *Solùm jus correptionis, admonitionis, & Cenſuræ Eccleſiaſticæ in Principes Chriſtianos, ut & in cæteros Eccleſiæ filios, non poteſtatem directam vel indirectam in eorum temporalia, ſibi tribuit Innocentius III.*

R. Facti Quæſtio eſt. Quod ibi aſſerui, id ex ipſius *Innocentii III.* Epiſtola probavi.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 329. Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *Gallicani Præſules cauſam Regis contra Legatum Apoſtolicum generoſè tuentur.*

R. Hiſtoriæ res eſt. De cauſa merè temporali agebatur. Regia Jura tuiti ſunt Gallicani Præſules, ſalvâ reverentiâ Sedi Apoſtolicæ debita, ad quam interjectâ Appellatione, Legati actionem prohibuere, ut ibi obſervo. Fidem & obedientiam Præſulum Gallicanorum erga Sedem Apoſtolicam laudavit Pontifex, Regni jura integra & illæſa ſervare ſe velle profeſſus eſt. Ex *Innocentii* III. literis hæc probavi. Quid in his reprehenſione dignum?

SCHOLION IV.

Ad eumdem Articulum, pag. 330. hanc notam oppoſuerunt Religioſi Cenſores: *Redarguit Perronium Cardinalem, quia aſſeruit Regem Francorum bellum moviſſe contra Anglum, quia exauctoratus erat à Papa.*

R. Doctiſſimum illum Cardinalem meritò refello, ſalvâ quæ ejus infulis ac meritis debetur, reverentiâ, quòd aſſeruerit *Philippum Auguſtum* adversùs *Joannem* Angliæ Regem bellum geſſiſſe ob ſententiam exauctorationis ab *Innocentio* III. in eum latam. Joannem ab Innocentio exauctoratum non fuiſſe; & quamvis exauctoratus fuiſſet, non tamen propter Pontificis ſententiam in eam expeditionem duxiſſe Philippum Auguſtum, graviſſimis momentis eo loci demonſtro. Hiſtoriæ res eſt.

SCHOLION V.

In eodem Articulo, pag. 333. Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *Rex Galliæ negat Regnum Angliæ fuiſſe Patrimonium S. Petri, Regémque Joannem potuiſſe Regnum in Papam transferre.*

R. *Philippus Auguſtus* Regnum Angliæ *S. Petri* Patrimonium eſſe revera negavit, & Regnum à *Joanne* Rege in Sedis Apoſtolicæ dominium ac clientelam transferri potuiſſe. Refert *Matthæus Paris*, ut & alia hanc cauſam attinentia. Hiſtorici hujus verba deſcripſi. Meri facti Quæſtio eſt.

ARTICULUS II.

De LUDOVICO VIII.

PHilippo *Augusto* successit *Ludovicus* cognomine *Leo*, ejus primogenitus, ex *Isabella* Comitis Flandriæ filia, annum agens septimum & trigesimum. *Henricus* Rex Anglorum nobilissimam Aquitaniæ partem beneficiario nomine tenebat; neque tamen Regis inaugurationi Rhemis à *Guillelmo* Archiepiscopo celebratæ adfuerat, nec Oratores miserat absentiam suam legitimis rationibus excusaturos. *Savaricum Malleonensem*, virum magni in Aula Anglica nominis Aquitaniæ præfecerat. Hunc Rex Magnanimus aggressus, prælio vicit, fugavit; Niortum, Angeriacum, Rupellam ab ipso abstulit, coëgitque relictâ continente in Angliam trajicere, anno MCCXXIV. Quo etiam anno Colloquium apud *Vallemcoloris* mense Novembri, *Ludovicum* inter & *Henricum* Germaniæ Regem, *Friderici II.* Imperatoris filium, habitum est: ubi multa de utriusque Regni negotiis, nullo fructu tractata sunt, ut ejusdem *Ludovici* Regis Acta testantur. Anno sequenti in Octavis Ascensionis Dominicæ, Concilium alterum seu Conventum habuit Parisiis cum *Romano* Sancti Angeli Cardinali, Sedis Apostolicæ in Gallia Legato, in quo de negotiis Regni, Regisque Angliæ, & terræ Albigensium actum est, ut docet Chronicon Turonense. Conventus alter seu Parlamentum, in Sanctæ Magdalenæ Vigilia Parisiis habitum, in quo Legato Apostolico, & Regis Angliæ Nuntiis præsentibus, Toarcii Vicecomes homagium Regi præstitit. (Ex eodem Chronico.) Eodem anno in Octavis omnium Sanctorum, Concilium Meloduni Rex Christianissimus convocavit, ubi de Jurisdictione Ecclesiastica disceptatum, nihil conclusum, Actum pariter de Induciis inter Francorum Anglorumque Reges, & de Albigensi negotio. Rebus infectis discessum est. (Ex eodem Chronico.)

Bellum Aquitanicum.

Eodem anno, in festo *Sancti Andreæ*, Gallicanos Præsules, Abbates, & Capitula Avaricum Biturigum ad Synodum convocavit; ubi propter quorumdam Archiepiscoporum de Primatia contentionem cùm discordia metueretur, *Non fuit sessum quasi in Concilio, sed ut in Consilio.* De Tolosano Comitatu *Almaricus Monfortius* & *Raymundus* coram Patribus disceptarunt. *Almaricus* Jus suum probavit ex collatione ditionis ab *Innocentio* Pontifice Maximo, & *Philippo Augusto* Rege, *Simoni Monfortio*, parenti suo: *exhibens super Donatione facta, utrinsque, Papæ scilicet & Regis munimenta.* Addidit, Comitem *Raymundum abjudicatum fuisse Romæ in Concilio Generali propter hæresim Albigensium, ad minus à parte majori terræ quam nunc tenet. Econtra Comes Raymundus obtulit se facturum erga Regem Francorum & Ecclesiam Romanam, quicquid facere deberet pro hereditate sua. Tunc cum peteret pars adversa ab eo ut subiret Judicium duodecim Parium Galliæ, respondit Raymundus: Recipiat Rex homagium meum, & paratus sum subire, quia fortè non haberent me pro Pari, si secùs fieret. Cùmque hinc inde fuisset plurimùm altercatum, præcepit singulis Archiepiscopis Legatus ut convocatis seorsum unusquisque Suffraganeis, cum eis deliberarent super negotio præfato, & traderent Legato consilium suum redactum in scripto. Quo facto, Legatus excommunicavit omnes qui sua per hoc consilia sua revelarent, dicens se ea velle Domno Papæ, & Francorum Regi ostendere.* Ita refert Matthæus Parisius. Jus *Almarici* confirmatum, repulsam passus *Raymundus* est. In eodem Conventu de Reservationibus Beneficiorum à Romano Pontifice factis actum est. Adversùs Novitatem Sacris Canonibus & Gallicanis Libertatibus contrariam, Clerus Gallicanus intercessit. *Almaricus Monfortius* belli molem quo *Simon* Pater obrutus fuerat, sustinere se posse diffisus, Jure suo Regi Christianissimo cessit, à quo Magister Equitum sive Stabuli Comes creatus.

Conventus Bituricensis Acta.

Legato Apostolico ad Albigensis belli Reliquias incitante, & Anglis jubente ut arma interim deponerent, Rex in Tolosates duxit. Avenio Regio Exercitui transitum negans duorum mensium obsidione ad deditionem compulsa, mœnibúsque nudata. Tum Rex Provinciam & Novempopulaniam magnis itineribus emensus, omnibus penè oppidis, præter Tolosam, quam pestilentiæ metu obsidere noluit, in potestatem redactis, *Imberto Bellijocensi* regimen exercitus ac regionis totius Præfecturam commisit. Dum in citeriorem Galliam rediret, dyssenteriæ morbo correptus, ad *Montempensserium* in Alvernia obiit in Octavis omnium Sanctorum, anno MCCXXVI; *Virum Catholicum & miræ sanctitatis, qui omnibus diebus vitæ se non maculavit, præterquam cum uxore suâ sibi legitimo matrimonio copulatâ*, Gestorum ejus Scriptor * prædicat. Cùm ejus morbum usu fœminæ relevari posse vulgatum esset, virginem eleganti forma in cubiculum introductam repulit, dicens: *Non ita erit: Non enim peccarem mortaliter ullo modo.* Refert *Guillelmus de Podio Laurentii*, Cap. XXXV. Historiæ Albigensium. In ejus obitu completum *Merlini* vaticinium visum est: *In Ventris Monte morietur Leo Pacificus.* Corpus ejus ad *Sanctum Dionysium* delatum, juxta *Philippum Augustum* ipsius patrem sepultum est. Testamentum anno ante obitum condiderat, quo edixerat ut primogenitus filiorum *Ludovicus* in Regnum sibi succederet, *Robertus* filiorum alter Attrebatum Comitatum, tertius, Andegaviam & Cenomaniam; quartus, Pictaviam obtineret ac Alverniam. Quintum Clero destinavit. *Volumus* (inquit) *& præcipimus, quod quintus filius noster sit Clericus, & omnes alii qui post eum nascentur.* Magnam pecuniæ vim in pia opera jussit erogari. Testamenti Executores nominavit Carnotensem, Parisiensem, & Sylvanectensem Episcopos, cum Abbate Sancti Victoris. Literis excultus fuit *Ludovicus VIII.* Ipsi *VVillelmus Brito* libros XII. Carminum de Gestis *Philippi Augusti*, dicavit; *Ægidius* Parisiensis KAROLINUM confecerat, quo *Karoli Magni* virtutes commendabat, ad earúmque imitationem *Ludovicum* hortabatur. Gesta ejusdem Regis Carmine cecinit *Nicolaus de Braia*. Extat Tom. V. Historicorum Francorum à *Francisco Duschenio* editorum.

Bellum Albigense.

Ludovici VIII. obitus.

Elogium.

* *Apud Duchesnium Tom. V.*

Ludovici VIII Testamentum.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 342. Edit. primæ Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Clerus Gallicanus intercessit adversùs Novitatem sacris Canonibus & Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ contrariam.*

R. Meri facti & Historiæ Quæstio est.

ARTICULUS III.

DE S. LUDOVICO IX.

DEfuncto Patre, Regium nomen sumpsit *Ludovicus* ejus nominis *Nonus*, statimque Remis inauguratus est, annum agens ætatis duodecimum. Tutelam impuberis filii, Regnique Procurationem, Mariti Regis suprema voluntate sibi demandatam, *Blancha* Mater, heroïci animi, & pietatis eximiæ fœmina suscepit. Hinc factiones exortæ, impatienter ferentibus Principibus quòd fœmina genere externa rerum summam regeret. Adversùs ipsam conspiraverant *Philippus* Boloniæ Comes Regis patruus; *Theobaldus* Campaniæ, *Petrus* Britanniæ Dux, ejusque frater natu major Drudum Comes *Robertus*. Inter eos convenit ut *Ludovicum* Reginæ Matri eriperent. Et eripuissent, nisi *Theobaldus* Comes, jam in partes *Blancha* tractus, ejusque gratiam ambiens, insidias detexisset, ac Parisienses correptis armis, ad Regem periculo liberandum concurrissent, cùmque Lutetiam reduxissent. Factionem Regina prudentissimis consiliis armísque dissipavit. *Robertum* Comitem disjunxit à fratre, & in amicitiam invitavit. Campaniæ Comiti contra conjuratos, qui ipsius terram ob detectas Reginæ insidias hostiliter intraverant, & vastabant, auxilio fuit Rex annum duntaxat decimum-quartum natus ætatis; ipsósque tantis animis territos è Campaniâ fugavit. Mox ductus in Britanniæ Ducem exercitus. Andes Regi se dedidere. Alia oppida expugnata, Belesmum, Campanellum, Ardoeum, Caricealum. Ulterioribus Regiæ copiæ imminebant, cùm Dux metuens ne ditione tota exueretur, pactione pacem peperit, Britanniam Regni Francorum Beneficium esse professus, Regique *Homagium ligium* præstitit. *Raymundus* Tolosatum Comes *Imberti* virtute fractus, quem *Ludovicus VIII.* Albigensi bello Ducem præfecerat, cuique Præfecturam confirmaverat Regina *Ludovici IX.* Mater: Tolosates ad deditionem compulsi. *Raymundus* pacis conditiones accepit, quas Rex & *Romanus* Sancti Angeli Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus, præscribere voluerunt. Convenit ut *Raymundus* omni studio & diligentia Albigensem Sectam extirparet, unicam filiam *Joannam* fratri Regis *Alphonso* collocaret; mortuo in Tolosanum Comitatum gener succederet; si nulli ex eo matrimonio nascerentur liberi, ditio tota ad Regem rediret. Tractatus Meldis inchoatus, Parisiis confectus est die XXVIII. Aprilis anno MCCXXVIII.

Bellum Albigense à S. Ludovico confectum.

Hanc Albigensis belli finiti, eversæque hæreseos gloriam *Ludovico* Regi annum ætatis decimum quintum, Regni verò tertium agenti, Deus Optimus Maximus largitus est. Cui ut grates referret, Leges condidit sanctissimas ad Hæreseos extirpationem & Ecclesiasticæ restaurationem libertatis in Narbonensi & Arelatensi Provincia. Statuit inprimis ut *Ecclesia, & Viri Ecclesiastici in terris constituti prædictis, libertatibus & immunitatibus utantur, quibus Ecclesia Gallicana, & eis plenè gaudeant secundùm consuetudinem Ecclesiæ memoratæ. 2. Ut Hæretici per Episcopum loci, vel per aliam Ecclesiasticam personam, quæ potestatem habeat, condemnati, indilatè animadversione debitâ puniantur. 3. Ne quis Hæreticos receptare vel defensare quomodolibet, aut ipsis favere aut credere quomodolibet præsumat.* Qui fecerit, *nec ad testimonium, nec ad honorem aliquem de cætero admittatur: nec possit facere testamentum, nec successionem alicujus hereditatis habere. Omnia bona ipsius mobilia & immobilia, ipso facto publicata, ad ipsum, vel ad posteritatem ipsius nullatenus reversura.* Tam sanctum exemplum sequitur LUDOVICUS MAGNUS, cum Hæreticos Calvinistas, qui ab Albigensibus impia dogmata acceperunt, Edictis æquissimis coërcet. Quamvis pœnas ita graves nondum in ipsos tulerit ejus Majestas: quas si decernere ipsi aliquando placeat, quis ipsam, S. LUDOVICI exemplo præeunte, nimiæ severitatis audeat accusare? Quis ejus pro Fide Catholica zelum non prædicet? Quis ejus non commendet æquitatem? Quibus dotibus atque virtutibus, ut & bellica fortitudine rerúmque præclarè gestarum gloria, NON PLURIBUS IMPAR est. Statuit præterea *S. Ludovicus*, ut si qui per annum in excommunicatione contumaces perseverent, pœnis temporalibus ad parendum Ecclesiæ compellerentur: ut nimirum Regii Judices omnia ipsorum bona mobilia pariter & immobilia caperent, nec eis restituerent, donec Ecclesiæ fecissent satis, ac absolutionem recepissent, & Regio Mandato accedente. Decimas denique Ecclesiæ restitui jussit, à Laïcis detineri prohibuit. Urgente *Henrico à Colonia* Ordinis Dominicani Professore, verbi Dei Præcone illustri, libros Talmudicos, aliósque Judæorum Codices in Christum Dominum, Deiparámque Virginem ejus Matrem blasphemiis aspersos, comburi jussit.

Leges ad hæreseos Albigensis extirpationem, & libertatis Ecclesiasticæ restitutionem à S. Ludovico latæ.

Ludovici Magni Christianissimi Regis elogium.

Concordiam inter *Petrum* Rothomagensem Archiepiscopum, & Canonicos *S. Mellonis* Pontisarensis initam anno MCCXXXVII. confirmavit. Professi sunt Canonici se Archipræsuli tanquam Ordinario suo subesse; utpote in ejus Diœcesi constitutos, ipsi & ejus Successoribus obedientiam in perpetuum promisere in omnibus, ejusque Jurisdictioni & correctioni subditos se agnovere, hoc excepto duntaxat, quòd Archidiacono Pontisarensi non parerent. Hujus Concordiæ Literas à Clarissimo Viro Domino *d'Herouval* ex veteri membrana descriptas edidit *D. Lucas Dacherius* Tom. XI. *Spicilegii*, pag. 370.

Concordia inter Archiepiscopum Rotomagensem & Canonicos Pontisarenses Sancti Mellonis, à S. Ludovico confirmata.

Alfonso fratri Pictonum Provinciam Ducísque nomen attribuit jam rebus agendis maturus *Ludovicus*. Novum Ducem salutare, séque ejus clientem profiteri, renuit *Hugo* Marchiæ Comes. Parere recusantem, Rex armis compellere decernit ad officium. *Hugoni* suppetias venit *Henricus* Angliæ Rex. Ad *Talleburgum*,* quod Castrum est ad ripas *Carantoni* fluminis, acriter pugnatum. Rex *Ludovicus*, qui pontem angustissimum cum suis transierat, in acie imperterritus stetit contra Anglos numero longè superiores. Angli in fugam effusi. Cæsorum numeros captorúmque penè par. Hominum circiter quatuor millia in potestatem venere. *Henricus* Sanctones, atque inde Blaviam ex fuga se recepit. *Hugo* Regis Christianissimi fidei se permittens, veniâ donatus est. Aliquot oppida Regi concessa, cum annuo reddittu decem millium librarum Parisinatum, quas antea *Hugoni* solvere tenebatur. Comes in verba Ducis *Alfonsi* juravit. Pax Reges inter secuta *Blancha* Reginæ operâ, Angli amitinæ.

* Tailleborg La Charente.

S. Ludovici bellica fortitudo in ipsa juventute.

Annus Christi vertebatur millesimus ducentesimus quadragesimus secundus. Ætatis vigesimum septimum *Ludovicus* Rex sanctus agebat. *Margaretam* Comitis Provinciæ filiam, anno ætatis undevigesimo uxorem duxerat. Ejus sororem juniorem *Beatricem*, quam defuncto Patre Rex Aragonius filio suo destinaverat, missoque exercitu obsederat ut ejus consensum extorqueret, Rex Christianissimus militari manu in Aragonios immissâ in libertatem asseruit, volentémque *Carolo* fratri suo Cenomanorum & Andegavorum Comiti collocavit.

Anno

S. Ludovici pœna in Palæstinam expeditio.

Anno Christi MCCXLIV. Decembri mense, ex morbo periculosissimo convalescens, Crucem à Parisiensi Episcopo accepit, & sacro bello se devovit.

Anno MCCXLVI. fratri suo *Carolo* Andegaviam & Cenomaniam attribuit. *Regalia* dictarum civitatum, & Abbatiam Fontis-Ebraldi excipit Instrumentum Donationis; editum Tom. XI. *Spicilegii* pag. 372. Hæc sibi & Successoribus Franciæ Regibus *S. Ludovicus* retinet.

FF. Prædicatores & Minores missi ad inquirendum per totum Regnum.

Anno MCCXLVII. *Missis Fratribus Prædicatoribus & Minoribus per totum Regnum suum, ut diligenter inquireretur: fecit etiam per Baillivos perscrutari, quod si aliquis institor, vel injuriam passus aliquam quicumque alius, in aliqua accommodatione coactâ, vel extorsione pecuniæ, vel victualium, ut solet per Regios Exactores: proferret scriptum, vel taliam, vel testimonium, vel juraret, vel quomodolibet aliter legitimè probaret, quia paratus erat omnia restituere. Quod & ita factum est.* Refert *Matthæus Paris* pag. 493. col. 1.

Ad annum usque MCCXLVIII. Regii voti executionem domesticorum negotiorum necessitas retardavit. Parisiis discessit sexta feria post Pentecosten, Regni procuratione Matri relictâ. *Robertus* Comes Attrebatensis, *Carolus* Andegaviæ, & *Alphonsus* Pictaviæ, Regis fratres, cum Baronibus & Episcopis plurimis unà Sacræ Militiæ nomen dedere. Cùm Avenionenses à nostris Militibus conviciis lacessiti, quosdam spoliassent, nonnullos etiam trucidassent: Magnates Regi suggesserunt ut civitatem obsidione cingeret, ac data occasione, Patris sui, quem Avenione veneno potatum fama erat, mortem ulcisceretur, aut saltem id ipsis permitteret ejus Majestas, dum ipsa ulteriùs progrederetur. Respondit Rex Sanctus: *Nec patris, nec matris, nec meam vindicatum progredior à Francia injuriam, sed potius ipsius Domini mei Jesu Christi.* Ita refert Matthæus Paris. Dum Cypri versaretur, ab *Erchaltan* Tartarorum Principe Christiano Legationem accepit. Misit ille vicissim Oratores, cùm ad ipsum, tum ad Magnum Cham Tartarorum, quem Christiana Sacra suscepisse didicerat, magnificis cum muneribus. Legatio commissa F. *Andreæ de Lonciumel* viro linguarum Orientalium peritissimo, Ordinis Prædicatorum, cui duo ejusdem Ordinis Professores, totidem Clerici, duóque Regis domestici adjuncti sunt, ut scribit *Guillelmus Nangius*. *Jonvillaus* duos etiam ex Ordine FF. Minorum missos refert, qui Regem Tartarorum, ejusque Principes ac gentem in fide confirmarent, muneráque deferrent. Francica Classis in Ægyptum fœliciter delata. Damiatam inclytam urbem primùm oppugnare operæ pretium visum est. Saracenorum exercitus Francorum adventum opperiebatur, eos ut aditu litoris prohiberet. Verùm crucesignati Duces Militésque, Barbaros nihil veriti, è navibus in continentem desilierunt, eo ardore atque impetu, qui terrorem hostibus incuteret. Ut primùm *S. Dionysii* vexillum in litore explicatum est, *S. Ludovicus*, moræ impatiens, & divino fervore exæstuans; cùm ejus navis nondum terram contingeret, in mare se immisit, & ad humeros usque aquis immersus, gladium manu tenens, ad littus, cunctis magnitudinem animi suspicientibus, enatavit. Saraceni à Francis magna clade affecti, ac in fugam compulsi, Damiatam, injecto igne, dimiserunt. Quo extincto, Rex cum Legato, Hierosolymitano Patriarcha, Præsulibus, Clero, Proceribus, urbem munitissimam, quam Nilus fluvius alluit, sacro supplicantis ritu, nudis pedibus ingressus est. Templum à Mahometanæ superstitionis sordibus purgatum, quod olim Deo sub invocatione Virginis Deiparæ consecratum fuerat.

Tribus Ordinis Dominicani Professoribus Legatio ad Magnum Cham Tartarorum à S. Ludovico commissa.

Sancti Ludovici præclarè gesta in Syria.

Damiatæ expugnatio.

Ad undecimum Kalendas Novembres, anno MCCXLIX. ad *Massoram* progressi, fluvium Taneos vado transeunt, non absque periculo. Ubi evasere, ad Castra hostium contendunt. Pugnatum acriter. Magna Saracenorum duplici prælio edita strages. *Robertus S. Ludovici* frater, dum hostes *Massoram* usque persequeretur, cecidit. Rex Sanctus omnia Ducis simul Militisque munia tam egregiè, tam fortiter obiit, ut nihil in præliis omnibus, quibus adfuit, præclariùs unquam gestum, *Jonvillaus* testetur; ac ejus virtute factum ne Christianus exercitus ad internecionem deleretur. Ubi periculum majus, viréque hostium majores conspiciebat, illuc subitò convolabat, clavâ gladióque conterens, confodiénsque Barbaros. Sex Saracenis qui ejus equum jam fræno tenebant, eúmque captivum in Castra abducere conabantur, solus restitit, fortitudine tanta, ut ex eorum manibus evaserit. Cujus rei testes *Cortenacum* & *Joannem de Salenaco* Jonvillæus appellat. Saraceni commeatum omnem prohibuere. Victus inopiâ, & morbo, quem *Scorbutum* appellant, sensim deficiebat Francorum exercitus. Rex æger, cum duobus fratribus, magnóque Nobilium numero in Saracenorum potestatem venit. Ipsum inter Sultanúmque convenit, ut octo millia Byzantinorum Saracenorum, * id est, quadringenta millia librarum Gallicarum, pro suorum liberatione penderet, Damiatam pro sua redderet; (indignum enim asserebat invictus Princeps, Majestatem suam pecuniâ redimi) ut Christianus deduceretur exercitus, cum omnibus impedimentis; induciæ in decem annos fierent: quæcumque à Christianis in Syria tenebantur, sub eorum dominio manerent. Solutâ pecuniâ, Rex cum suis dimissus. Ipsum Eucharistiam Saracenis oppignerasse, mera fabula. Nullis Saracenorum minis flecti potuit *ut aliquid promitteret, concederet, aut juraret, quod in aliquod Christianitatis detrimentum, aut sua constantiæ læsionem cederet* (inquit *Guillelmus Carnotensis* ejus Capellanus & in sacra illa expeditione & captivitate comes) Ejus magnanimitas Barbaris ipsis admirationi fuit, cum quibus ita agebat, ac si eos ipse *in carcere tenuisset*. Babyloniæ Sultano à suis occiso, Ammirati de *S. Ludovico* in Regem eligendo deliberarunt: idque præstitissent, nisi Religionis dissimilitudo obstitisset, ut *Jonvillaus* testatur. Annos quinque in Syria commoratus, Christianæ rei victus, quàm victor magis profuit, captivos redemit innumeros, Sidonis, Cæsareæ, aliarúmque urbium muros refecit, Saracenos complures ad Christianam Fidem convertit. Continuo miraculo, vitâ scilicet omnibus sanctitatis numeris absolutissimâ, Infidelium animos ad Christum alliciebat. Cadavera Christianorum à Barbaris cæsorum permultis locis insepulta, & tabo fluentia, manu sua collegit, in sepulchrum extulit: quod facere famuli ac pauperes vix pretio locati horrebant. *Venite* (inquiebat) *sepeliamus Christi Martyres, qui majora quàm nos pro Domino sunt perpessi.* Nuntio de morte Reginæ Matris accepto, in Gallias rediit anno MCCLIV.

Prælium duplex contra Saracenos.

Rex Sanctus à Saracenis captus.

Pacta convenca cum Sultano.

* *Lege Dissertationem XX. Clarissimi & doctissimique viri Domini Du Cange in Histor. S. Ludovici.*

S. Ludovici Magnanimitas, & pietas Heroica.

Lutetiam reversus, publicæ utilitati religioníque studebat, nullum prætermittebat pietatis officium. Ut Prætores aliique Magistratus castè & integrè Jus dicerent, statuit 1. Ut munus à quacumque persona per se vel per alium non reciperent in pecunia, auro vel argento, aut rebus aliis quibuscumque mobilibus vel se moventibus, seu beneficiis personalibus sive perpetuis, præter esculenta vel poculenta, quorum valor in una hebdomada summam decem solidorum Parisiensium non excedat. Et pariter munera à suis uxoribus, liberis, fratribus, sororibus, consanguineis recipi prohibeant, accepta restitui curent. 2. Ut nihil dent vel mit-

S. Ludovici Leges pro recta Justitiæ administratione.

tant R gis Consiliariis, vel eorum uxoribus, vel iis qui rationes eorum recipient, vel qui ad visitandam terram, vel facta exquirenda à Rege mittentur. 3. Ut ab iis qui causam habent, aut proximè norunt habituros coram ipsis, mutuum non recipiant per se vel per alium, ultra summam viginti librarum, quas reddent à die contracti mutui, infra duos menses, licet etiam creditores velint solutionis terminum prorogare. 4. Ut abstineant ab omni verbo quod vergat in contemptum Dei, Deiparæ, vel Sanctorum. 5. Ne administratione sua durante possessiones aliquas in Provincia sua per se vel per alium coëmant, vel fraudulenter in alia, sine Regis licentia: alioqui emptio irrita sit; & possessiones sic emptæ fisco applicentur. 6. Ne in Provincia sua, quandiu Magistratum gesserint, matrimonio vel affinitate jungantur, aut Beneficia Ecclesiastica vel possessiones suis acquirant, sine Regis assensu. 7. Ne in Religiosis domibus hospitium aut procurationes seu cibaria recipiant, sine Regis licentiâ speciali. 8. Ut paucos lictores habeant, eósque in Conventu publico nominent. 9. Ne pro quocumque debito, præter Regium, capiant, vel captum detineant aliquem Regiorum subditorum. 10. Ne emendas nisi in foro & judiciario ordine exigant. 11. Ne aliis Officia vendant. Sed si plures emptores fuerint, unus tantùm Jurisdictiónem exerceat, & immunitate gaudeat ab oneribus publicis. Nusquam verò ipsorum fratribus, nepotibus, aut consanguineis vendantur. 12. Ne Regis subditos in causis & negotiis quibuscumque locorum mutatione sine causa legitima fatigent: sed singulos illis in locis audiant, ubi consueverunt audiri: ne gravati laboribus & expensis jure suo cedere cogantur. 13. Ne aliquem spolient aut possessione excludant sine causæ cognitione, vel Regio Mandato: nec Regiis subditis nova onera imponant. 14. Ne triticum, vinum, aliásve merces extrahi jubeant & exportari, absque maturo, nec suspecto consilio: cum consilio factum non dissolvant, nec eo durante gratiam faciant. 15. Ut Prætores finito Officio (non enim perpetui tunc erant Magistratus) remaneant in Provincia, vel Procuratorem relinquant per dies quadraginta, ut de se conquerentibus coram illis respondeant quibus committetur. 16. Ut Judæorum usuræ, blasphemiæ, sortilegia compescantur, Thalmud comburatur. Judæi ex laboribus manuum suarum vel justis negotiationibus vivant. 17. Ut nullus ad taxillos, sive aleia aut scacis ludat: ne deciorum scholæ teneantur; tenentes severè plectantur: deciorum fabrica ubique prohibeatur. 18. Ut nullus recipiatur ad moram in tabernis faciendam, præter viatores, vel qui in ipsa villa mansionem non habuerint. 19. Ut publicæ meretrices ex urbibus & pagis expellantur: bona ipsarum, etiam usque ad tunicam, præmissis monitionibus capiantur. 20. Qui publicæ meretrici domum locaverit, quantum valet pensio domûs uno anno, solvere Judici teneatur. 21. Ut Statuta Meloduni promulgata serventur. 22. Ne capiantur equi invitis dominis, nisi pro negotio aut servitio Regis, idque non personarum Ecclesiasticarum, non mercatorum, non pauperum, sed divitum. 23. Ut Prætores & Magistratus universi in solemni Conventu & Cleri & Populi harum Legum jurent observantiam. Hæc *S. Ludovici* Statuta in Galliam Narbonensem ejus jussu delata sunt à *Guidone Fulcodii*, & in Concilio Biterrensi relecta anno MCCLV. Ex editione *Baluzii* viri clarissimi transcripta sunt Tom. XI. P. I. Conciliorum pag. 754. Leguntur apud *Guillelmum Nangium* in Gestis *S. Ludovici*, & Gallicè apud *Jonvillam* pag. 122.

Ludi aleatorii prohibiti.

Tabernarum frequentatio vetita.

Meretrices expulsæ, & mulctatæ.

Belli materiam omnem inter Anglos Francósque tolli cupiens Rex Sanctus, ut societatem armorum contra Saracenos inirent, cum *Henrico* Anglorum Rege Parisios vocato, & honorificè excepto novum fœdus sanxit his legibus: Ut nullum jus Anglo posthac foret repetendi Normanniam, Cenomanos, Andes, Turones, Pictones, quæ majores *Henrici* possedissent, victique à Francis amisissent. Aquitania ulteriore potiretur; simul ex citeriore haberet Sanctonum fines, ad Carantonum usque amnem: et Lemovices, Petragoricum, Aginúmque parerent. Hæc beneficio Francorum obtineret, præstitoque Homagio, inter Franciæ Pares tanquam Dux Aquitaniæ conscriberetur. Hæc gesta anno MCCLIX. refert *Guillelmus Nangius*. Cùm ab ea pace facienda Sanctum Regem Barones deterrerent, quòd his omnibus ditionibus jure Anglus excidisset, id sibi persuasum respondit, sed pacem tamen consanguineos inter Principes firmare ac fovere optatius esse, ac præter bonum pacis quo nihil est optabilius, se effecturum ut se Regis Francorum Beneficiarium Homagio profiteretur. Ita refert *Jonvillaus*: additque nihil fuisse Regi Sancto antiquius, quàm ut pacem inter subditos, maximéque inter Principes Procerésque regni foveret, inter vicinos etiam conciliaret: id è re conscientiæ suæ & Regni esse sentiens; quamquam non deessent Politici, qui vicinorum Principum dissidia tanta sollicitudine extinguenda non esse dicerent, quò mutuis bellis occupati, nihil adversùs Francos molirentur.

S. Ludovici fœdus cum Henrico Anglorum Rege.

Jacobi Aragonum Regis filiam *Elizabetham* uxorem duxit *Philippus S. Ludovici* filius: fœderéque cautum ut Carcassonem, quæ urbs in controversia erat, Biterras, Tolosam, Albium, Narbonam, Cadurcum, &c. ad quæ jus aliquod habere se contendebat Aragonius, nunquam repeteret; Rex Francorum omni jure in Ruscinonensem Comitatum, Emporias, Tarraconem, in gratiam Aragonii pariter cederet.

S. Ludovici Fœdus cum Jacobo Rege Aragonum.

Aliquando cum Anglorum Rege collocutus de rebus adversis quas in transmarina expeditione passus fuerat, sententiam protulit divino Spiritu conceptam, & Heroë Christiano dignissimam: *Plus*, inquit, *gaudeo de patientia, quam mihi Dominus per gratiam suam concessit, quam si totus mihi mundus subderetur.* Refert Matthæus Paris, pag. 605.

Sententia Heroë Christiano digna.

Anno MCCLX. Dominica in Passione, Concilium Episcoporum & Principum Parisios congregavit Rex Sanctus, occasione literarum quas ad ejus Majestatem Romanus Pontifex perscripserat, quibus nuntiabat Tartaros in transmarinas regiones irrupisse, Saracenos Armenism. Antiochiam, Tripolim, Damascum, terras alias subegisse; Acconæ, totique Christiano nomini periculum imminere. Quamobrem communi consensu publicæ Supplicationes indictæ, statutúmque ut blasphemiæ punirentur, luxus in vestibus, conviviísque reprimeretur, à torneamentis, ludísque omnes temperarent. Ita refert *Guillelmus Nangius*. Quod blasphemiæ punitionem spectat, *S. Ludovicus* habitâ collatione cum *Simone* S. Cæciliæ Presbytero Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato, *Auctoritate ipsius Legati & sua*, Principes ac Præsules anno MCCLXIV. Parisios congregavit, ut de blasphemiis ac turpibus Juramentis extirpandis consilium iniretur. Ubi cum Legatus eo de argumento disertè perorasset, *Rex Catholicus Zelo sancto succensus ore proprio fecit super hoc exhortationem devotam, & rationibus validis & apertis subnixam. Igitur de communi consilio & assensu edidit Pius Rex generale Statutum, quod per totam Regnum servari & promulgari voluit.* Ita refert *Gaufredus de Belloloco* Ordinis Prædicatorum, in Vita *S. Ludovici*, cui à Confessionibus fuit, Cap. XXXIII. Edictum illud pœnam ferri candentis in blasphemantes decernebat. Cujus terminis cùm civis

S. Ludovici Lex adversùs blasphemos.

vis quidam Parisiensis convictus esset, ipsi labia ferro candenti ad aliorum exemplum inuri jussit Rex Sanctus. Cùmque nonnulli ob Edicti severitatem ejus Majestati obloquerentur, dixit: Se lubenter pœnam tam atrocem perpessurum, dummodo hujusmodi vitium è Regno penitus tolleretur. Nihilominus *Clementis IV.* Pontificis Maximi consiliis obsecutus, qui ejus Majestatem anno MCCLXVIII. per literas hortatus est ut pœnas alias *citra membri mutilationem aut mortem* decerneret, labiorum inustionem mulctis pecuniariis, aut aliis pœnis levioribus; si reus solvendo satis non esset, commutavit. Mitius illud Sancti Regis Edictum legere est in Observationibus eruditis Domini *Du Cange* in Historiam *S. Ludovici* à *Jenvillao* scriptam, pag. 104.

S. Ludovici justitia.

Justitiam castè administrari, sanctissimis conditis Legibus Judicibúsque integerrimis constitutis, non solùm curavit Rex optimus: sed subditis suis, maximè pauperibus, Jus ipse dicere solitus erat, ad nemus Vicennarum sub patulæ quercus umbra causas ipsorum audiens. *Ingerannum* Dominum *De Conciaco*, qui tres pueros nobiles ex Belgio, suis in nemoribus fortè venationi indulgentes suspendi jusserat, in Procerum Conventu sistere se jussit, ac judicium subire. Atque eò propendebat ut immane facinus capite lueret. Sed Baronum, quibuscum pene omnibus affinitas reo erat, precibus datum ut libris decies mille vitam redimeret, & duas Capellanias pro animabus puerorum ad Sacrosanctum Sacrificium in perpetuum celebrandum fundaret. Hanc porro pecuniam pios in usus totam impendit Rex Sanctus. Ex illa nempe Xenodochium Pontisaræ, Scholam & dormitorium FF. Prædicatorum Parisiis, & Ecclesiam FF. Minorum à fundamentis erexit, ut *Guillelmus Nangius* refert. Ad januas Palatii sui frequenter descendebat, subditorum suorum supplices libellos excepturus, querelas auditurus aut viris integerrimis ex Aula sua hanc provinciam committebat. Privatorum certaminum furorem coërcuit. Viros designavit integerrimos, qui Aulam, quacumque pergeret, sequerentur, eaque recedente tantisper in locis Regii transitûs manerent, inquisituri an alicui damnum aliquod illatum esset, quod absque mora Sanctissimus Princeps resarciebat: ut docent Regesta Cameræ Computorum Parisiensis.

S. Ludovici Pragmatica Sanctio vindicatur.

Pragmatica Sanctione sua Rex Sanctus edixit, ut Ecclesiarum Prælatis, Patronis, & Beneficiorum Collatoribus Ordinariis Jura sua serventur: ut liberæ sint Ecclesiarum electiones: Ut simonia à Regno eliminetur: Ut Promotiones & Collationes Beneficiorum & Dignitatum Ecclesiasticarum secundùm Juris communis dispositionem fiant: Ut libertates, & Privilegia, Ecclesiis, Monasteriis, aliísque locis piis à Regibus concessa rata firmáque maneant. Additur Articulus alter contra exactiones & onera pecuniarum per Curiam Romanam Ecclesiæ Regni imposita. Hunc viri quidam eruditi à *S. Ludovico* non esse conditum conjiciunt. 1. Quod nulla fuerit ratio cur illum conderet, si quidem nulla exactio à Romanis Pontificibus eo regnante imperata est, nisi ob Ecclesiæ bonum, ipso Rege consentiente, & sæpius rogante, ad expeditionis sacræ apparatum & sumptus. 2. Quòd Authores qui Gesta Sancti Regis scripserunt, non meminerint Edicti ad Romanæ Curiæ coërcendas exactiones ab ipso lati. Immo *Guillelmus Carnotensis* Ordinis FF. Prædicatorum ipsius Capellanus, in libro de illius Vita & Miraculis, ejus observantiam erga Sedem Apostolicam, & devotionem qua Romani Pontificis Decretis parebat, his verbis commendat: *Sanè quàm reverenter & humiliter erga sacrosanctam Romanam Ecclesiam semper se habuit, quàm devotè & obedienter Rescripta & Mandata Apostolica consuetus erat suscipere, quàm obedienter & efficaciter sicut verus filius obedientiæ adimplere; norunt illi, qui ei familiarius adhærebant. Ipse enim negotia Matris Ecclesiæ plus quàm propria reputans, ea totis affectibus promovere curabat.* Totam tamen Pragmaticam mox laudatam audaciùs Regi Sancto abjudicant aliqui, cùm illius pietati maximè conveniat & studio ad Ecclesiæ tuendam libertatem propensissimo: & à Senatu Parisiensi laudata sit in Articulis *Ludovico XI.* Regi Christianissimo oblatis anno MCCCCLXI. & in Regni Comitiis Turonensibus anno MCCCCLXXXIII. & ab Academia Parisiensi in Instrumento Appellationis editæ anno MCCCCXCI.

Ultimum etiam illius pragmaticæ caput à Sancto Rege editum.

Nec tamen viris illis eruditis, quos mox laudabam, concesserim, vel ultimum Pragmaticæ illius Sanctionis, contra Romanæ Curiæ exactiones, caput à Sancto Rege editum non fuisse. Hujus enim condendi Decreti rationem *S. Ludovico* non defuisse, docet *Matthæus Parisius* coævus Author in Historia Anglicana ad annum MCCXLVII. pag. 485. col. 1. *Eisdem diebus*, inquit, *Dominus Papa apices suos, authenticos nuntios Prædicatores & Minores: misit ad omnes Franciæ Prælatos sigillatim, supplicans ut unusquisque juxta suam possibilitatem, sibi unam quantitatem pecuniæ accommodaret. Et ipse proculdubio cùm respiraret, quod cuique competeret redderet indubitanter. Quod cùm Regi Francorum innotuisset, suspectam habens Romanæ Curiæ avaritiam, prohibuit ne quis Prælatus Regni sui, sub pœna amissionis omnium bonorum suorum, taliter terram suam depauperaret. Et sic cum sibilo & derisione omnium Papales Legati sophistici, quorum humeris hoc officium incumbebat, inanes & vacui à Regno recesserunt memorato.* Nec repugnant huic *Parisii* narrationi *Guillelmi Carnotensis* verba mox laudata. Licèt enim *S. Ludovicus* maxima reverentia, humilitate, devotione, obedientiâ, Rescripta & Mandata Apostolica suscipere solitus esset, quæ Religionem, quæ Ecclesiam, quæ animæ suæ statum & conscientiæ regimen spectabant; non tamen si quid Romani Pontifices, ut homines privati, suis rationibus servientes, contra Regni Jura, vel Ecclesiæ Gallicanæ Regníque Libertates fortè imperarent. Atque illius exemplo documentum datum posteris est, Regum magnanimitatem & constantiam in suis ac Ecclesiarum Regni sui, subditorúmque Juribus ac Libertatibus tuendis, cum exquisita pietate, & absoluta numeris omnibus sanctimonia cohærere posse.

S. Ludovici religio in Beneficiorum Ecclesiasticorum collatione.

In Beneficiis Ecclesiasticis conferendis, quæ ad Patronatum sive donationem ipsius pertinebant, Deum semper præ oculis habebat, & electis & probatis personis ea quantùm poterat conferebat: præcipuè autem in Ecclesiis Cathedralibus, ubi Sede vacante, RATIONE CUSTODIÆ REGALIS, EX CONSUETUDINE PERTINEBAT AD EUM COLLATIO PRÆBENDARUM. *Quas personas inquiri & eligi faciebat per Cancellarium Parisiensem, & alios viros bonos, specialiter autem per FF. Prædicatores & Minores. Atque Clericos in Memoriali suo scribi volebat, ut eisdem loco & tempore provideret. Hanc consuetudinem observabat, quòd nulli quantumcumque literato, vel famoso, aliquod Beneficium Ecclesiasticum possidenti conferret aliud, nisi prius Beneficium simpliciter resignaret.* Ita refert *Gaufridus de Belloloco* in ejus Vita.

S. Ludovici pietas, pœnitentia, eleemosynæ, studium salutis animarum.

Orationibus, jejuniis, disciplinis continentia, eleemosynis, aliísque pœnitentiæ & pietatis operibus, Deum promereri, carnem consecrare studebat Rex Sanctissimus. Omnes Horas Canonicas, & de Beata Virgine cum cantu quotidie audiebat,

Mortuorum

Mortuorum Officium cum Capellano suo recitabat, Missis duabus intererat. Lacrymarum donum enixè postulabat à Deo, Cilicio carnem affligebat. Continentiam servabat ex consensu castissimæ conjugis aliquot ante Sacram Communionem diebus, & toto Adventus & Quadragesimæ tempore. Sexta qualibet feria, peccata confitebatur, quorum nullum unquam mortale fuit; disciplinam cum quinque catenulis ferreis à Confessario suscipiebat. Feria quarta temperabat à carnibus & sanguine: Sextis feriis Quadragesimæ & Adventus etiam à fructibus & piscibus. In Parasceve, in Vigilia omnium Sanctorum, & quatuor Vigiliis præcipuarum Deiparæ Virginis Solemnitatum, nullus illi præter panem & aquam cibus & potus. Eleemosynas illius quis enumerare possit? Centum viginti pauperes quotidie reficere, in Quadragesima & Adventu numerum adaugere, ipsis ministrare, etsi leprosis, ac fœtidis, tres senes pauperes in prandio & cœna juxta se habere, in Cœna Domini pauperum pedes lavare, pio Regi consuetum erat. Ejus munificentiam testantur ac prædicant Compendiense, Pontisarense, & Vernonense Xenodochia; Leprosariæ plures; Abbatiæ Regalis-Montis, Lilii, Malodumi, Domus Hospitalis trecentorum Cæcorum Parisiensium; Conventus FF. Prædicatorum & Minorum Parisiis, & in aliis Regni civitatibus plurimi ejus sumptibus erecti, Monasteria, Sororum *S. Dominici* juxta Rothomagum; Filiarum Dei, & Beguinarum Parisiis, & Carthusiensium Cœnobium. De eleemosynis quas FF. Minoribus & Prædicatoribus annis singulis erogabat, sibi in Domino gratulabatur. *O Deus*, (inquiebat) *quàm bene reputo hanc eleemosynam esse erogatam tot & tantis Fratribus, qui de toto orbe ad istos Conventus Parisienses pro studio Sacræ Doctrinæ confluunt. Et exinde quod de Scripturis Divinis hauserunt, per totum Mundum ad Dei honorem, & animarum salutem effundunt?* Saracenos ad Christi fidem conversos in Franciam adduxit, ipsísque ac eorum familiis pensiones assignavit. Salutem animarum totis viribus procurabat. In itinere transmarino Nautas Concionibus & Catechismis ad pietatem institui curabat, & ad peccatorum Confessionem hortabatur: spondens, si navis alicujus operâ indigeret, dum Exomologesim faceret, se in illius locum & officium successurum, & ad opera Regias manus admoturum. Scripturæ Sacræ, & SS. Patrum lectione delectabatur plurimùm. Libros Sacros, & SS. Doctorum Opera eleganter describi jussit, Codicésque plurimos in Capellæ suæ thesauro Parisiis congregavit, quorum partem FF. Minoribus, partem Prædicatoribus, partem Monachis Cisterciensibus Regalis Montis, moriens legavit. Sacrum Sacellum Parisiis fundavit, in quo spineam Coronam Salvatoris, partem vivificæ Crucis, aliásque Reliquias deposuit, Canonicos & Capellanos instituit, copiosis reditibus assignatis. Coronam spineam Domini nostri Jesu Christi à *Balduino* Constantinopoli obtentam, à Venetis quibus oppignerata fuerat, redemptam; à FF. *Jacobo* & *Andrea* Ordinis Prædicatorum, quos ad sacrum thesaurum recipiendum Constantinopolim miserat, allatam, quâ pietate, quo apparatu, quo gaudio Rex Sanctus susceperit, anno MCCXXXIX. narrant *Galtherus Cornutus* tum Archiepiscopus Senonensis in libello ea de re edito, in Collectione Historicorum Francorum. Duchesniana Tom. V. pag. 407. & *Matthæus Parisius* in Historia Anglicana ad annum MCCXLI. pag. 373. Cùm secretas literas ad familiares suos interdum dabat, *Ludovicum de Poissiaco*, suppresso Regis nomine se inscribebat. Magis nempe gloriabatur Christiana Fide, & Baptismate quo illo in Castro fuerat initiatus, quàm Regia Unctione quâ Remis fuerat delibutus. Monasticam Vitam profiteri, deposito diademate, & Regni administratione filio suo primogenito relictâ, Rex Sanctus decreverat si castissima conjux consensisset, nec Religiosi Viri quorum consiliis utebatur, ipsum à proposito deterruissent; Deo gratius ac Ecclesiæ Regnóque utilius fore suadentes, ut servata Majestate in seculo absque seculi amore maneret. Cùm porrò illud consilium mente agitaret, Ordines FF. Minorum vel Prædicatorum cogitabat. *Hos enim specialissimè diligebat, dicens, Quòd si de corpore suo posset duas facere portiones, unam daret uni, reliquam alteri. Unde familiariter dicebat: Se in hoc non modicum gloriari, quod familiares sui, qui sibi quasi continuè assistebant, discernere non poterant quem Ordinem magis diligeret e duobus. In Testamento suo scribi voluit, Quod duo filii, qui sibi nati fuerant ultra Mare, cum ad annos discretionis venissent, infra septa Religionis nutrirentur, unus in Domo FF. Prædicatorum Parisius, & alius in Domo FF. Minorum, locis ad hoc competentibus ibidem Regis sumptibus præparatis: ut illic sacris institutis & literis instruerentur, ad amorem Religionis salubriter inducerentur: Desiderans toto corde, ut documentis salutaribus informati, Domino inspirante, loco & tempore ipsas Religiones intrarent.* Quod etsi, Deo aliter providente, impletum non fuerit, id tamen & *S. Ludovici* pietatem, & summam de Vita Religiosa existimationem, & præcipuam erga FF. Minorum & Prædicatorum Ordines propensionem demonstrat. Ita refert *Gaufridus de Belloloco*, in ejus Vita.

S. Ludovici in utrumque Religionum propensio, studiumque in Ordines FF. Minorum & Prædicatorum.

Spineæ Coronæ Domini translatio.

Ex his refellitur *Richerius* Senoniensis Monachus, qui scripsit in Chronico sui Cœnobii, lib. IV. cap. XXXVII. FF. Prædicatores *S. Ludovico* persuasisse ut sui Ordinis habitum susciperet, Regina, Regno, filiísque relictis: Comitem Andegavensem Sancti Regis Fratrem, ejus Majestatem objurgasse, & Prædicatoribus minas intentasse. Filium Regis primogenitum eosdem palam vituperasse: Regem conviciis eorum commotum, filio alapam impegisse: Filium vero dixisse Patri: *Juro per Beatum Dionysium Patronum nostrum, si aliquando contigerit Deo annuente gubernacula Regni obtinere, ego omnes istos Prædicatores à Regno expelli faciam. Cùmque Rex hoc juramentum audisset, ultra modum indoluit, quia sciebat eum animo ferum esse. Comes verò frater Regis præcepit, ne Prædicatores in toto Regno Franciæ de cætero prædicare præsumerent. Fertur etiam præcepisse ne quis Prædicatoribus aliquid conferre auderet.* Coævus quidem Author *Richerius*, sed in Vosago Diœcesis Tullensis, in solitudinis umbra latens, & rerum quæ in Aula *S. Ludovici* gerebantur, ignarus, nobiliorum Authorum, qui in Aula Sancti Regis versati sunt, silentio, vel testimonio refellitur, *Jonvillæi* Toparchæ, qui alia minutiora memoriæ prodidit, *Gaufridi de Belloloco*, & *Guillelmi Carnotensis*; *Guillelmi* etiam *Nangii* Sandionysiani Monachi, qui sub *Philippo Pulchro* floruit, eíque librum de Gestis *S. Ludovici* dicavit, quem collegit ex fidelissimis Commentariis & relationibus, imprimis ex Observationibus *Gilonis Remensis*, Commilitonis sui. Nullus, inquam, horum Scriptorum illa refert quæ Senoniensis Monachus scripturit. Quæ sanè & Sancti Regis eximiæ mansuetudini, & *Philippi* ejus primogeniti pietati, & Comitis Andegavensis prudentiæ & observantiæ in Regem, sunt maximè injuriosa. Quis credat Regem Sanctum alapam impegisse filio? Fratrem Regis prohibuisse ne FF. Prædicatores conciones haberent, quod ejus auctoritatem superabat; non potius acturum apud Summum Pontificem & Episcopos,

Senoniensis Chronographus refellitur. Ordo Prædicatorum à calumnia vindicatur.

Episcopos, ut ipsis hoc munere interdiceretur? Prohibuisse ne in toto Regno Franciæ prædicarent, in quo jubendi potestatem non habebat: nec Mandata ejus vim habuissent invito Rege? Præterea *Philippi III.* de hominibus nostris existimatio, præcipuè de *Gaufrido de Belloloco* & *Guillelmo Carnotensi*, publicis literis significata, nullum relinquit huic fabulæ Locum. Io literis (inquam) ad Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Priores, Decanos, Presbyteros & cæteros Ecclesiarum Rectores, & universos tam Regularium quàm Secularium Conventus, Collegia, & Capitula in Regno Franciæ constituta, quibus Sancti Regis obitum ipsis nunciavit, ita scripsit Rex *Philippus III. SANE juxta prædicti piissimi Patris nostri suprema voluntatis arbitrium, humiliter postulantis, ut post ejus obitum mitteretur ad personas & loca religiosa per Regnum pro suffragiis orationum, & gratis Deo caritatis subsidiis obtinendis, ecce ad diversa Regni loca, propter hoc dilectos nostros, Viros Religiosos, F. Gaufridum de Belloloco & Guillelmum Carnotensem, de Ordine Prædicatorum, ac F. Joannem de Montibus, Ordinis FF. Minorum, familiares & charos quondam memorati Domini Patris nostri, latores præsentium, cum aliis de Domo nostra & familia destinamus.* Datæ sunt in Castris juxta Carthaginem, die Veneris post Nativitatem B. Virginis, anno MCCLXX. Leguntur apud *Duchesnium*, Tom. V. pag. 440. Deniqua in novum Prædicatorum Ordinem iniquissimum se præbuit Senoniensis ille Chronographus, quem à primævo fervore jam defecisse scribit, ea tempestate quâ maximè florebat, & viros sanctimonia insignes, *Albertum Magnum*, *S. Thomam*, aliósque plurimos alebat, ac ob Regularis Disciplinæ puritatem, doctrinæ præstantiam, sacrósque pro Ecclesiæ ædificatione & animarum salute labores, à Summis Pontificibus, Episcopis, Regibus, præsertim à *S. Ludovico*, colebatur, diligebatur, fovebatur, commendabatur. *Quia* (inquit maledicus *Richerius* Cap. XVI. libri IV.) *Prophetia illius Venerabilis Sanctimonialis Hildegardis ne fieret prateriri non poterat, in primordio sui nostri Prædicatores in bono satis claruerunt: Multos quippe ab erroribus suis & à via sua mala averterunt, & Hæreticos quibus universa terra jam prope occupata erat, represserunt, & multos eorum dari igni fecerunt, & adeo in exercitatione sua valuerunt, ut etiam quidam eorum miraculis claruisse referantur. Sed quia, ut dicitur, nova placent, & usitata vilescunt, quia jam à proposito aliquantulùm declinabant, immo etiam de se præsumendo, quædam inepta sibi usurpabant, à populo jam non tanti pretii haberi cœperunt.*

Secunda S. Ludovici expeditio sacra.

Anno MCCLXIX. in Africam transmisit *S. Ludovicus*, Tunicium expugnaturus, ut inde in Terram Sanctam sive in Ægyptum transiret, utrobique Christianos à Saracenorum tyrannide vindicaturus. Ante discessum, potestatem dedit *Stephano* Parisiensi Episcopo in absentia sua conferendi Beneficia ad suum Patronatum, Collationem, seu Præsentationem pertinentia, tam RATIONE REGALIUM, QUAM ALIO QUOCUNQUE JURE, *personis idoneis, & nullum aliud Beneficium Ecclesiasticum habentibus, ac præsentandi ad vacantes Ecclesias vice sua; dum tamen de consilio Cancellarii Parisiensis Ecclesiæ, Prioris FF. Prædicatorum, & Guardiani FF. Minorum Parisiensium, vel duorum ex ipsis, in hujusmodi collatione vel præsentatione procedat; & in literis donationis vel præsentationis specialiter exprimatur quòd ex auctoritate & vice Regis sibi commissa, collatio vel præsentatio ipsa fiat.* Ea expeditione Tunicii Portus à nostris occupatus, Carthago capta.

Consilium conscientiæ pro beneficiorum Regii patronatus collatione seu nominatione à S. Rege institutum.

Siciliæ Rex *Carolus* expectabatur cum valida classe ut Christianus exercitus Barbaros urgeret, ac victoriam ulteriùs proferret. Verùm intemperies aëris, insalubres cibi, dulcis aquæ penuria, morbos peperere, quibus nostrorum plurimi sunt confecti. Obiit inter alios *Joannes* Comes Nivernensis, Regis filius: Rex ipse dysenteria & continua febre correptus, devotissimè susceptis Ecclesiæ Sacramentis, migravit in cœlum. In extremis de uno Deo & Fidei Christianæ propagatione cogitabat, solicitus erat. *Pro Deo* (inquiebat) *studeamus quomodo Fides Catholica possit apud Tunicium prædicari & plantari. O quis esset idoneus, ut mitteretur ibi ad prædicandum? Et nominabat quemdam Fratrem Ordinis Prædicatorum, qui aliàs illuc iverat, & Regi Tunicii notus erat.* Ita Referunt *Guillelmus Nangius* & *Gaufridus de Belloloco* in ejus Vita. Ante mortem sanctissima Documenta *Philippo* primogenito suo tradidit, quæ ante infirmitatem, quasi obitus sui præscius propria manu scripserat. Ipsa Gallicè, quo idiomate à Sancto Rege scripta erant, Historiæ suæ inseruit *Joinvillans*, Latinè verterunt *Gaufridus de Belloloco* & *Guillelmus Nangius*. Vitæ Christianæ, Regiíque Officii summam complectuntur. Unum & alterum ex iis quæ Justitiæ administrationem, & Ecclesiasticorum Jurium conservationem, Beneficiorum Collationem, reverentiam erga Romanam Ecclesiam & Summum Pontificem spectant, temperare mihi non possum quin describam: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram*; Sancto Regi auscultate.

S. Ludovici obitus.

S. Ludovici documenta Philippo filio data.

Sis semper ex parte causæ pauperis, donec sis certus de veritate.

Si quis contra te querelam habuerit, stes potius pro causa adversarii tui, donec constet tibi de veritate, & sic illi qui sunt de Consilio tuo, citiùs stabunt pro justitia.

Sis diligens quòd omnes subditi tui justitia & pace fruantur, maximè autem personæ Ecclesiasticæ ac Religiosæ. Dicitur de Rege Philippo avo nostro, quod quidam de Consiliariis suis dixit ei, quòd multa damna inferebant ei Ecclesiasticæ personæ, jura ipsius usurpando, & mirabantur multi quod ita tolerabat. Cui Rex respondit: Bene credo quòd dicitis, sed quando cogito beneficia quæ mihi Dominus contulit, MELIUS VOLO PATI, QUAM INTER ME ET ECCLESIAM SCANDALUM SUSCITARE. *Ama igitur, ô Fili, personas Ecclesiasticas, & serva pacem earum quantùm poteris.*

Libenter subveni pauperibus Religiosis in suis necessitatibus, & maximè per quos Deus magis honoratur in terra.

Beneficia Ecclesiastica personis idoneis dona de consilio spiritualium virorum, & EIS QUI NON HABENT ALIUD BENEFICIUM.

Sis sollicitus quòd habeas fideles Præpositos & Baillivos, & inquire diligenter quomodo se gerant. Similiter de illis de Hospitio tuo.

SIS DEVOTUS ET OBEDIENS MATRI NOSTRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ, ET SUMMO PONTIFICI TANQUAM PATRI SPIRITUALI.

Labora quòd omne peccatum de terra tua removeatur, maximè autem blasphemia & hæreses.

Obiit *S. Ludovicus* die XXV. Augusti, anno M. CCLXX. ætatis LVI. Regni XLIV. cujus sanctitatem multis miraculis Deus manifestam fecit. Undecim ex *Margarita* Regina liberos susceperat, ex quibus octo ad adultam ætatem pervenere, filii quatuor, & totidem filiæ. Filii erant, *Philippus*, cui cognomen *Audaci*, qui ipsi in Regnum successit, *Joannes Tristanus* Comes Nivernensis, qui ante ipsum

S. Ludovici Liberi.

ipsum obiit, *Petrus Alenconius*, *Robertus* Claromontanus Comes, qui *Beatricem*, filiam & heredem unicam Borboniæ Domus uxorem duxit. Quo ex matrimonio stirps Borbonia orta est, quæ per HENRICUM MAGNUM in Solium ascendit, & nunc per LUDOVICUM MAGNUM *S. Ludovici* in extirpanda hæresi, in Religione Catholica promovenda, in Ecclesia tuenda Gloriosum Imitatorem fœlicissimè regnat: Cujus utinam Majestati

Regia Stirps Borbonia.

E nostris Deus Optimus augeat annos.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 348. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Regalia sibi & Successoribus suis retinuit S. Ludovicus.*

R. S. *Ludovicum* Andegaviam & Cenomaniam fratri suo Carolo attribuisse dixi; Regalia dictarum civitatum & Abbatiam Fontis Ebroldi excepisse: Hæc Sibi & Successoribus Franciæ Regibus retinuisse. Instrumentum Donationis citavi Tom. 11. *Spicilegii* Acheriani editum, pag. 472. Facti Quæstio est. Si mihi non credant Religiosi Censores, Litteris Sancti Regis credant datis Aurelliæ anno millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, mense Augusto: *Retinemus etiam* (inquit) *quod nos Regalia dictarum Civitatum, & Abbatiam Fontis Ebraldi nobis & hæredibus nostris Regibus Franciæ retinemus.*

SCHOLION II.

In eodem Articulo sequentes Propositiones notant Religiosi Censores: Pag. 358. *S. Ludovicus fecit Edictum contra exactiones pecuniarum per Romanam Curiam impositas*

Pag. 360. *Utebatur Jure Regaliæ etiam in Collatione Beneficiorum* Et ad pag. 359. hanc notam apposuerunt: *Tuetur Pragmaticam Sanctionem S. Ludovici, etiam quoad Articulum de pecuniarum exactionibus.*

R. Hæ pariter meræ facti Quæstiones. Articulum contra Romanæ Curiæ exactiones a S. Rege conditum non infirmis argumentis probavi. Criticæ Quæstio est, non dogmatis. Hujus Decreti rationem S. *Ludovico* non defuisse, docet *Matthæus Parisius* coævus Author, cujus verba descripsi. De hac S. Ludovici Constitutione Doctissimus Archipræsul *Petrus De Marca* lib. 11. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, cap. 11. ita scripsit: *S. Ludovicus vix officio suo erga Ecclesiam satisfactum putavit, tot bellis labore maximo immanique dispendio adversus Muhammedanam perfidiam in Oriente gestis, nisi hac etiam Edicto suam pietatem cumulasset. Ea lege decrevit ut Episcopis & Patronis sua jura plenissimè serventur, & ut Beneficia atque Officia Ecclesiastica Regni, secundùm præscripta juris communis & Conciliorum, atque instituta veterum Patrum conferantur, nullusque Curiæ Romanæ supersit locus exigendæ pecuniæ ab Ecclesia Gallicana, Libertatesque & Privilegia à Regibus Francorum Ecclesiis collata intemerata maneant. Tum Magistratibus Regni dat in mandatis ut hujus Edicti executioni & custodiæ invigilent, pœnis à contumacibus exactis.* Cæterùm præfatio Edicti hic inserenda mihi videtur, quòd majestatem quamdam pietatemque Christianam simul præ se ferat, iisque verbis concepta sit, quibus antiqui Romani Imperatores in simili negotio utebantur. *LUDOVICUS Dei gratiâ Francorum Rex, ad perpetuam rei memoriam. Pro salubri ac tranquillo Statu Ecclesiæ Regni nostri, nec non pro divini cultûs augmento, & Christi fidelium animarum salute, atque gratiam & auxilium omnipotentis Dei, cujus soli ditioni atque protectione Regnum nostrum semper subjectum extitit, & nunc esse volumus, consequi valeamus, quæ sequuntur hoc Edicto consultissimo in perpetuum valituro statuimus & ordinamus.*

SCHOLION III.

Ad eumdem Articulum, pag. 360. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Cum pietate stat defensio jurium, si Papa ut persona privata suis rationibus servientes, contra Regem & privilegia subditorum aliquid tentent*

R. Licèt (inquam) *S. Ludovicus* maximâ reverentiâ, humilitate, devotione, obedientiâ, Rescripta & Mandata Apostolica suscipere solitus esset, quæ Religionem, Ecclesiam, statum animæ suæ, & conscientiæ regimen spectabant; non tamen si quid Romani Pontifices, ut homines privati, suis rationibus servientes, contra Regia jura, vel Ecclesiæ Regnique Libertates fortè imperarent. Atque illius exemplo documentum datum posteris est, Regum magnanimitatem & constantiam in suis ac Ecclesiarum Regni sui, subditorumque juribus ac Libertatibus tuendis, cum exquisita pietate & absolutâ numeris omnibus sanctimonia stare posse. Hæc ego eo loci. An Romanos Pontifices, ut homines privatos, impeccantiâ donatos esse, rationibus suis servire numquam posse contendunt Religiosi Censores? impios esse Reges, qui jura Ecclesiarum, Regni sui, subditorumque, adversus illos sic agentes defendunt? *S. Ludovicum* id umquè fecisse? Id certè nobis persuaderi non potest. A S. *Ludovico* nomen & rem ipsam Libertatis Ecclesiæ Gallicanæ restitutam fuisse, probat ejus Constitutio anno 1228. mense Aprili edita, qua immunitates Episcoporum Provinciæ Narbonensis, aliorumque confirmat & auget his verbis: *LUDOVICUS Dei gratiâ Rex Francorum, universis Baronibus, Vassalis fidelibus suis, Balivis & bonis villis, in Arelatensi, Narbonensi Provinciis, & Rutenensi, Caturcensi, Agennensi, & Albigensi Diœcesibus constitutis. De magnorum & prudentium virorum consilio statuimus quòd Ecclesiæ & Viri Ecclesiastici in terris illis constituti Libertatibus & immunitatibus utantur, quibus utitur Ecclesia Gallicana, & eis plenè gaudeant secundum consuetudinem Ecclesiæ memoratæ.* Libertates illæ in juris communis usu positæ sunt, & in observantia Canonum Spiritu Dei conditorum, & totius Mundi, specialique Gallicanæ Ecclesiæ reverentiâ consecratorum, ac Decretalium etiam Pontificiarum in Regno promulgatarum, usuque receptarum. Absit ut Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ suavissimum Romani Pontificis jugum excutiatur; aut canonica obedientia illi debita negetur: Immo eo præcipuè nituntur fundamento, ut ECCLESIÆ ROMANÆ, CÆTERORUM OMNIUM (adeòque & Gallicanæ) MATRIS ET MAGISTRÆ, POTENTIOR PRINCIPATUS, Primatusque Romani Pontificis à Christo immediatè institutus, Primatus (inquam) non solùm honoris, sed auctoritatis & jurisdictionis in tota quà latè patet Ecclesia, non solùm à vulgo fidelium, sed ab Episcopis universis, ab ipsisque Regibus credatur, & omnibus officiis colatur: omnésque Summo Pontifici ut Spirituali Patri obediant in iis quæ res spirituales & Ecclesiasticas spectant. Hæc certè mens *S. Ludovici* fuit; hæc Gallorum omnium Catholicè sentientium; sed tamen jura Regni, Ecclesiæque Gallicanæ, his Libertatibus munita, Constitutione sua seu Pragmatica Sanctione firmavit Rex Sanctissimus. Defensionem hujusmodi jurium cum pietate stare posse, si Romani Pontifices, ut homines privati suis rationibus fortè servirent, & contra Regia jura, Regnique Libertates, aliquid imperarent, rectè scripsi, nec id magis reprehendi debet à Religiosis Censoribus, quàm ista Authoris Anonymi Tractatûs *De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* anno 1684 Leodii editi, & Romæ magno plausu excepti observatio & doctrina Lib. II. Cap. III. *Verùm* (inquit) *lumen illud Spiritus Sancti, quod Summo Pontifici adest, cùm explicanda sunt Fidei Mysteria & tradenda Morum præcepta, non perpetuò illi hypocritarum fraudes, Aulicorum adulationes, improborum mendacia detegit, non adversùs ambitiosorum importunitatem, Magnatum preces, suspecta Officialium consilia, immotum servat. Quod si (quod tamen sine gravi fundamento suspicari nefas est) Summus Pontifex aliquo ulciscendæ injuriæ, congregandarum divitiarum, augendæ familiæ, aliove pravo affectu impelleretur ad præcipiendum aliquid suæ potestatis limites transcendens, aut justitiæ repugnans? Nec enim altitudo & sanctitas solii sanctum facit, & à peccato securum. Num si quid hujusmodi contingeret, ab exequendo Mandato non liceret abstinere? Quod autem in Mandatis singularibus, etiam in communibus Legibus liceret, quamvis longè difficilius legibus desit justitia quàm præceptis particularibus..... Usus antiquis moribus, præsertim non perversis, contrarii vix inducuntur sine scandalo, cujus causâ vitandi, Summi Pontifices præcepta sua, aliunde justa, suspendi velle censentur.* CONSULTIUS *ducimus* (inquit Celestinus III. Cap. *Quod dilectio*, Ext. De Consanguinit. & Affinit.) *observatæ consuetudini deferre, quàm aliud in dissensionem & scandalum populi statuere*, ADHIBITA QUADAM NOVITATE. *Eamdem Summis Pontificibus mentem tribuere convenit, quotiescumque injustum aliquid in lege aut præcepto continetur. Alexander III. Cap.* SI QUANDO Ext. DE RESCRIPTIS *eam his verbis prodit*: PATIENTER *sustinebimus, si non feceris quod nobis fuerit* PRAVA INSINUATIONE SUGGESTUM *Eam etiam indicat* Cap. *Cùm teneamur*, Ext. *De Præbendis*. Hæc Author ille, cujus Opus in Romana Curia magnâ cum approbatione exceptum est.

SCHOLION.

SCHOLION IV.

In eodem Articulo pag. 567. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *In secunda Expeditione S. Ludovicus collationem Beneficiorum, quæ illi competebat Jure Regaliæ vel alio titulo, Episcopo Parisiensi commisit, de consilio Cancellarii Parisiensis Ecclesiæ, Prioris FF. Prædicatorum, & Guardiani FF. Minorum.*

R. Id scripsi, & ex ipsis Sancti Regis literis probavi. Mirum est id à Religiosis Censoribus reprehendi, quod ab Authoribus coævis Vitæ S. Ludovici refertur, & ex ipsius Sancti Regis literis probatur, atque in mera facti Quæstione positum est.

SCHOLION V.

In eodem Articulo, pag. 570. Religiosi Censores hæc reprehendunt: LUDOVICUS MAGNUS S. LUDOVICI *in exstirpanda Hæresi, in Religione Catholica promovenda, in Ecclesia tuenda religiosus imitator.*

R. Regem Maximum legitimè partis laudibus frui sinant Religiosi Censores, nec suam prodant in illis ferendis impatientiam.

ARTICULUS IV.

De PHILIPPO III. Audace nuncupato.

PHilippus III. adjuvante *Carolo* patruo, Siciliæ Rege, Tunicû obsidionem promovit. Sed quamvis urbs expugnari facilè potuisset, ac Saracenorum magna strages edi, Gallicis ac Siculis rebus utilius visum est pacem roganti Tunicu Regi concedere his legibus: Ut ad decennium Induciæ servarentur. Ut belli sumptus Regi Christianissimo Tunetanus solveret. Ut commercium liberum esset, & Mercatores ad Tunetum Portum appellentes, vel illac transeuntes, à tributo immunes essent. Ut Rex Tunatum Siculo annuum vectigal solveret. Ut Fratres Prædicatores, & Christiani omnes, quos adveniente Francorum exercitu Barbari in carcerem detruserant, & servituti addixerant, libertate donarentur, & Christianæ Religionis ritus exercere permitterentur. Diutius illic morari prohibebat pestifera clades, quâ noster imminutus erat exercitus, Romanæ Legatus Ecclesiæ obiecrat, qui Cruce-signatos in Terram-Sanctam dirigeret, rerum Gallicarum necessitas, & Literæ à *Matthæo* Abbate Sandionysiano & *Simone de Nigella*, Regni Administris & Custodibus ad Regem datæ, ipsius Majestatem urgebant ut in Franciam remearet. Solvit igitur ex Africa, & per Siciliam, Italiámque transiens, Mediolanensium muneribus, urbisque dominatione, quam ejus Majestati lubenter offerebant, recusatâ, Parisios pervenit. Reduci nihil potius fuit, quàm ut sacra *Ludovici* Parentis ossa ad Sandionysianas Ædes propriis humeris deferret, totius Cleri cùm secularis tum Regularis agmine præeunte, Proceribus populisque prosequentibus. Sandionysiani Monachi Ecclesiæ janauas non priùs aperuere, quàm Senonensis Archipræsul & Episcopus Parisiensis, Ornamenta Pontificalia, & Jurisdictionis Insignia deposuissent, ne antiquæ Monasterii Immunitati derogatum esset, eóque velut titulo ad eam concutiendam posteri Præsules abuterentur. Eodem in Templo condita sunt corpora *Isabellæ* Reginæ, *Philippi* uxoris, *Joannis* fratris Comitis Nivernensis, *Alphonsi* Comitis Pictaviensis, & *Petri* Cambellani *S. Ludovici*, qui ipsi amicissimus fuerat: quæ eadem pompa funebri elata fuere. Hoc pietatis officio perfunctus *Philippus*, Remis inauguratus est ab Episcopo Suessionensi, vacante Sede, die Virgini Assumptæ sacra, anno MCCLXXI. Tolosani Comitatus, qui *Joanna* filiæ *Raymundi*, & uxoris *Alphonsi* patrui, morte vacabat, exinde possessionem iniit Rex Christianissimus: & aliquantò post duos Comites, Armeniacum & Fuxensem ausos rebellionem facere, ducto contra ipsos exercitu ad deditionem compulit. Mortuo *Henrico* Rege Navarræ, *Joannam* filiam ejus unicam, Regnique, & Comitatus Campaniæ heredem, in cunis adhuc vagientem, in tutelam suscepit, & *Eustachium Bellomarchium* ad Regni procurationem misit, anno MCCLXXIV. Quo etiam anno Lugdunense Concilium Oecumenicum celebratum est. Summum Pontificem *Gregorium X.* ante Concilium adiit Rex Christianissimus, eique milites ad suam & Patrum custodiam, Ministros ad officia dedit, & apud ejus Sanctitatem *de Negotiis Regni sui* habito tractatu, ejus accepta benedictione Parisios redut. Eodem anno *Mariam* filiam *Henrici*, & sororem *Joannis* Brabantiæ Ducum, uxorem duxit. Quam Parisiis ritu solemni coronari voluit die *S. Joanni Baptistæ* Sacra, annò MCCLXXV. Inaugurationis solemnia peregit Remensis Archiepiscopus. *Gilo* Senonensis Archipræsul, Jura sua violata conquestus est coram *Simone* S. Cæciliæ Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato. Quadam *Yvonis* Carnotensis Epistola maximè nitebatur, quâ Regum vel Reginarum inunctionem ad Remensem Archiepiscopum extra Provinciam suam non pertinere scripsit. Sed nullum ipsi esse querimoniæ locum responsum est, cùm in Regia Capella, quæ Immunitate gaudet, nullum Jus Archiepiscopus Senonensis haberet. Ita refert *Guillelmus Nangius* in Gestis *Philippi III.* Secundùm hæc, *Alphonso* Hispaniæ Regi bellum intulit *Philippus*, qui mortuo *Ferdinando* primogenito suo, ipsius ex *Blancha* Regis Christianissimi sorore filios *Alphonsum* & *Ferdinandum*, ab Hispanici Regni successione, contra Pacta conventa, & Matrimonialium Tabularum fidem excluserat, ipsámque Reginam absque dote in Gallias remiserat. Ad Salvamterram in Wasconia congregatus exercitus, Pyrenæos ob annonæ difficultatem non transmisit. Interim motibus in Regno Navarræ contra *Eustachium* Proregem excitatis, Attrebatensis Comes à Rege missus, Pompelone captâ, aliisque civitatibus & munitionibus expugnatis, rebelles fregit.

Anno MCCLXXXI. *Petrus* Aragoniæ Rex, urgente conjuge *Constantia*, quæ se Regni Siciliæ heredem jactabat, arcano cum Siculis contra *Carolum* Regem, Gallicanámque gentem inito fœdere, ipsis ad Gallos omnes Panormi, Messanæ, ac in aliis Siciliæ locis confodiendos, animos addidit. Promiscua omnium cædes absque ullo ætatis vel sexus respectu edita. Eò prorupit furor infidæ gentis, ut prægnantium mulierum, quas ex Gallis concepisse suspicabantur, aperto utero, eorum fœtus eruerent & ad saxa alliderent. Diem Sacram Paschatis tam immani facinore violarunt, cùm ad Vespertinum Officium signum daretur. Inde Siculaum Vesperarum famosum in Historia nomen. Aragonius sprem anathemate, quod *Martinus IV.* Pontifex Maximus cuivis Regnum Siciliæ Romanæ Ecclesiæ fiduciarium invadenti intentabat, Siciliam ingressus, Regium nomen usurpat: Messanam frustra oppugnat *Carolus*. Pontifex Aragonium Tyrannum diris devovet; *Omni honore, Regno, & Dignitate abjectum ostendit, & sententiando privat; Regnum Aragoniæ Carolo Comiti Valesio Philippi Regis Franciæ filio*, ejusdémque Petri ex sorore nepoti *concedit*. Anno MCCLXXXIII. Rex *Philippus circa Natale Domini, grande te-*

Pax cum Tunici Rege confecta.

Philippus Rex in Gallias redit.

S. Ludovici corpus ad Sandionysianas Ædes pompa funebri transfert.

Remis inauguratur.

Tolosani Comitatus possessionem adit.

Philippi Regis Nuptiæ.

Bellum Hispanicum.

Siculæ Vesperæ.

Petrus Aragoniæ Rex à Martino IV. Pontif. Max. excommunicatur.

Regnum Aragoniæ Carolo Philippi Regis filio à Pontifice datum.

nens Parisius Parlamentum, Regnum Aragoniæ oblatum sibi pro filio suo Carolo ab Ecclesia tunc recepit. Et concessa fuit sibi Ecclesiarum decima, ad expeditionem dicti Regni Aragoniæ conquirendi. Prædicavit etiam Cardinalis Joannes Coleti, de Cruce; ut irent homines super Petrum Aragoniæ condemnatum. Et tunc Rege Franciæ Cruce-signato, multi tam nobiles quàm ignobiles ad hujus expeditionem itineris consimiliter crucis signaculum assumpserunt. Ita refert *Guillelmus Nangius* in Gestis *Philippi III.*

Expeditio facta in Aragoniam.

Audacem Regem fultum Pontificia Donatione in Aragoniam duxisse, Cardinalis *Perronius* ait in Oratione ad Tertium Regni Ordinem; & ex hac Historia probat potestatem indirectam in temporalia Regum, Júsque ipsos exauctorandi certis in casibus Ecclesiæ & Romano Pontifici competere. Sed pace tanti viri dixerim, nullius esse ponderis quod inde petitur argumentum. Nam Regnum Aragonium Romanæ Ecclesiæ Beneficium videbatur *Martino IV.* ex quo illud *Petrus II.* S. Petro in manibus *Innocentii III.* obtulerat, & censuale Sedis Apostolicæ constituerat: Et eam ob causam exui posse Regio nomine & dignitate Aragonios Reges à Summis Pontificibus contendebat. Sed nihil inde præjudicari potest adversùs Reges & Principes Supremos, qui Romanæ Ecclesiæ Beneficiarii non sunt, ut explicui superiùs Articulo xi. Capitis primi. Nec etiam colligi hoc ex facto potest, Regem Christianissimum *Philippum*, & Gallicanam Ecclesiam sensisse Juris esse Pontificii potestatem in Regum temporalia extendere, & ipsis abrogare Majestatem: etiamsi fateremur Aragonium Regem non fuisse Romanæ Ecclesiæ Beneficiarium, & *Martinum* Papam persuasum habuisse idem sibi licere certis in casibus in Reges universos. Nam ex istiusmodi factis Jus colligi non potest, cùm Scripturæ Sacræ & Traditionis judicio damnari videantur. Nec verò Donationem Pontificiam Aragonii Regni pro filio suo *Philippus* acceptavit, quòd censeret Jus exauctorandi Reges & Principes Ecclesiæ nullatenus Beneficiarios, & conferendi Regna, Romano Pontifici convenire: sed quòd è re sua esset datâ occasione uti, ut nimirum nullus se ipsius consiliis & *Caroli* filii Juribus opponeret, ad quem, utpote filium sororis *Petri* Aragonii, Regnum illud hereditario Jure devolutum erat, si *Petrus* verè exauctoratus esset. Acceptabat (inquam) Donationem à Pontifice factam, ne alter ex recusatione sua proficeret, ac in Aragoniæ Regnum sibi Jus arrogaret ex Pontificia Donatione, quæ (Nisi Regnum Aragonium Ecclesiæ fiduciarium fuerit) mera usurpatio fuit, nec Jus nisi chimericum tribuens; sed *Philippo* Regi nihilominus utilis: quia justitiam belli, quod adversùs *Petrum* Aragonium gerere jam decreverat, confirmabat evidentiùs, ejúsque subditos Religionis specie, Pontificium nomen, dirarum metus, ab ipso alienare poterant, & in Gallorum partes trahere. Verùm nullo habito ad Pontificiam Donationem respectu, justum bellum inferebat Aragonio *Philippus III.* ob Gallorum stragem, ejus (ut credebatur) nutu in Siculis Vesperis editam; ob usurpatum Siciliæ Regnum, injuriámque illatam & Romanæ Ecclesiæ, & *Carolo* Regi patruo suo. Tam atroces injurias bello ulcisci æquum erat. Unde *Carolus Valesius*, Regni Aragonii, summoto *Petro*, legitimus heres, verè justéque Rex futurus erat Aragonum, si *Philippus* ejus Pater idem Regnum armis ipsi subegisset; nihilque Juris in illud sui (si Romanæ Ecclesiæ fiduciarium non fuit) Summo Pontifici debuisset.

Cardinalis Perronius refellitur, asserens Philippum III. Donatione pontificia fultum, in Aragonium Regem movisse. Ostenditur hanc Historiam indirectæ potestati Romani Pontificis in temporalia Regum, qui Ecclesiæ Beneficiarii non sunt, asserendæ non favere.

Anno MCCLXXXIV. ab Aragoniis captus est Salernitanus Princeps Regis *Caroli* Siciliæ filius. Cujus captivitati paucos dies Pater supervixit. *Philippus* Regis Christianissimi primogenitus, *Joannam* consanguineam suam, defuncti *Henrici* Regis Navarræ, Comitisque Campaniæ filiam unicam, & dicti Regni atque Comitatus heredem, * *dispensatione Romana Ecclesia* uxorem duxit. *Philippus* Rex in Aragoniam valido cum exercitu profectus, Januam, urbem, Petramlatam, Figeriam, Gerundam expugnavit. *Petrus Aragonius* in insidiis positus ut commeatum impediret, à Gallis detectus. Adversùs ipsum cum Equitibus quingentis processit Marchiæ Comes. Acriter pugnatum. Aragonii fugere compulsi, *Petrus* accepto vulnere paulòpost obiit. *Philippus* Rex Christianissimus in Galliam rediens, ex aëris intemperie, & itineris difficultate contracto morbo, Ecclesiæ Sacramentis piè susceptis, conditóque Testamento, quod Tom. ix. *Spicilegii* Dacheriani pag. 268. legere est, diem supremum obiit Perpiniani, die VI. Octobris MCCLXXXV. Annum ætatis XLV. attigerat, Regni XVI. numerabat. Tres filios & duas filias reliquit; *Philippum Pulchrum*, qui ipsi in Regnum successit, & *Carolum* Comitem *Valesium*, ex *Isabella* filia *Jacobi I.* Aragonum Regis, priori uxore: *Ludovicum* Ebroïcensem Comitem, *Margaritam*, & *Blancham*, ex *Maria* Brabantia. *Philippi III.* caro & viscera Narbonæ in Primaria Ecclesia condita sunt, ossa ad *S. Dionysium* translata, Cor in Sanjacobæo FF. Prædicatorum Conventu depositum *Philippi Pulchri* Successoris mandato, Sandionysianis Monachis frustra reclamantibus. Ipsum hoc Elogio *Nangius* exornat: *Super Sedem paternam Philippus Rex collocatus, Patris sui non immemor præceptorum, quibus illum in extremis laborans imbuerat, ambulavit cum Domino, Sapientum tractatibus corde ultroneo adhærendo. Et maximè tunc usus est consilio & disciplina Reverendi Patris Matthæi, Abbatis S. Dionysii in Francia, viri religiosi, & sapientia floribus adornati, cui super omnes Assessores Palatii Regii, causas & universa negotia Regni sui, sicut & Pater suus fecerat Ludovicus Rex, expedienda tradidit. Illo etiam tempore quo post mortem Isabellæ Reginæ sine uxore fuit, cilicio (ut aiunt) usus est, loricam desuper indutus. Domabat enim corpus suum jejuniis, & mirabili ciborum abstinentia se restringebat, ne vitiis humanæ fragilitatis fœdaretur. Ex illo verò tempore ita frugalitatem servavit usque ad mortem, quòd potius Monachus, quàm Rex vel Miles propter abstinentiam posset dici. Erat insuper omnibus blando eloquio affabilis, humilitatis gratiâ præclarus, & inter suos Barones & Milites mirabili mansuetudine residebat Dominus absque ullo fastu superbiæ. Unde his & aliis multis pollens virtutibus, toto tempore vitæ suæ pacem in Regno suo meruit obtinere.* Ejusdem Christianissimi Regis reverentiam & observantiam erga Ecclesiam Romanam, studiúmque ardentissimum pro ipsius defensione, prædicat *Martinus IV.* Pontifex Maximus in Epistola ad *Guidonem de Monteforti*, apud *Duchesnium* Tom. v. pag. 886. *Quàm sit*, inquit, *excelsa devotio, & affectio, quàm sublimis, quibus inter cæteros mundi Reges, immo inter cæteros Proceres, carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum Illustris, claris Progenitorum suorum inhærendo vestigiis, erga Romanam Ecclesiam Matrem suam fervere dignoscitur, crebris liquet indiciis, multimodis aperitur operibus, & frequentibus actibus declaratur*, &c.

Nuptiæ Philippi filii primogeniti Regis.

** Nangius.*

Bellum Aragonium.

Philippi III. obitus.

Liberi.

Cor ejus apud FF. Prædicatores Parisiis ad S. Jacobi sepultum.

Philippi III. elogium.

SCHOLION

SCHOLION I.

Ad hunc Articulum, pag. 374. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apposuerunt : *contendit contra Perronium, non probari potestatem indirectam Papæ super temporalia Regum, quia Rex Galliæ Aragoniam invasit, quia erat Regnum feudatarium Ecclesiæ.*

R. *Philippum III.* Regem Christianissimum bellum non intulisse *Petro* Aragonum Regi Pontificia Donatione fultum, contra Cardinalem Perronium probavi. Hanc Historiam assertoribus indirectæ potestatis Romanorum Pontificum in temporalia Regum, qui Ecclesiæ Beneficiarii non sunt, nullatenus favere ostendi. Regnum Aragonum Romanæ Ecclesiæ Beneficium visum esse *Martino Quarto* Pontifici Maximo. Sed Religiosi Censores argumenta omnia quæ ab Eminentissimis Cardinalibus *Bellarmino* & *Perronio*, ad eorum opinionem de indirecta potestate Romani Pontificis in temporalia Regum undequaque adhibita sunt, firma & inconcussa esse volunt, nec refelli posse aut debere.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 375. Religiosi Censores hanc Propositionem notant : *Ex factis Pontificum tradentium aliis Regna, non probatur hoc jus Papæ competere, cùm damnetur judicio Scripturæ Sacræ & Traditionis.*

„ R. Ex hujusmodi factis (inquam) jus colligi non „ potest, cùm Scripturæ Sacræ & Traditionis judicio dam„ nati videantur. Ita censent, ita loquuntur Sacra Facul„ tas Parisiensis & Ecclesia Gallicana. Municipales opiniones, in Quæstionibus Ecclesiæ judicio non finitis, sequi ac propugnare licet : Doctori Theologo cum F[illegible]sia nobilissima, Romanæ conjunctissima, viris doctissimis abundante, cum academia totius orbis Christiani florentissima, in qua institutus est, sentire ac loqui licet, salva in omnibus & per omnia *Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum Matris & Magistræ* reverentiâ.

ARTICULUS V.

De PHILIPPO PULCHRO.

Bellum Belgicum, & Anglicanum.

PHilippus IV. cui ob formæ præstantiam *Pulchro* cognomen, *Audaci* patri successit, Remisque VIII. Idus Januarii anno MCCLXXXVI. à *Petro Barbet* Archipræsule inauguratus est. Diuturnum ipsi cum Flandris bellum fuit, nunc in nostras, nunc in eorum partes inclinante victoriâ. Cum Anglis etiam bella gessit. His Normanniæ litora infestantibus, *Philippus* Rex *Eduardo* Angliæ Regi diem dixit, contumacem Parium Sententia damnari curavit, & quas ut Regiæ Gallicæ beneficia terras tenebat, occupari. Missus qui id exequeretur Stabuli Comes *Radulphus de Nigella*, Burdigalam, & alias Aquitaniæ urbes recepit. *Guidonem* Flandrensem Comitem in armorum societatem trahere conabatur, spe matrimonii filiæ ejus *Philippa* cum ipsius Angli filio. Rex *Pulcher*, blandis literis *Guidonem* cum uxore & filia Parisios invitatum anno solido detinuit, ac demum dimisit cum conjuge ; filiam in Aula servavit, ne matrimonio Gallicis rebus incommodo jungeretur. Tum Anglus & Belga cum Juliacensi, Lucemburgensi, & Geldrensi Comitibus fœderati, *Philippo* Regi bellum denuntiarunt. Ille contracto protinus exercitu in Belgium irrumpens, Insulam, Curtracum, & Duacum expugnavit, dum *Robertus* Attrebatum Comes fœderati partem exercitus ad Furnas profligaret, ubi Dux Juliacensis in prælio cecidit. Brugæ deditionem fecere. Induciis prima hæc expeditio finita anno MCCXCVII. Earum elapso tempore, *Carolus Valesius* à *Philippo* fratre cum ingenti exercitu in Flandriam missus, oppida omnia maritima præter Gandavum subegit. *Guido* Comes, qui Gandavum cum filiis se receperat, à Flandris derelictus, cum duobus filiis se *Carolo* permisit, pollicito conciliaturum Regi, ac pristinæ dignitati restituturum. Lutetiam abducti sunt, appositis custodibus servandi. Hæc anno XIII. Seculi postremo contigere. Triennio nondum elapso, cùm *Jacobus Castilionæus* Belgii Regio nomine Præfectus, tributorum gravitate Plebem vexaret, defectionis occasionem præbuit. Plebis homines, seditione factâ, Francos qui in præsidio erant immaniter necarunt. Mox aucto sensim tumultuoso agmine, Dammum, Aldiburgum, & Malam invadere, ubi simili Francorum strage factâ, *Guillelmum* Juliacensis Comitis filium, qui Dux ipsis esset, evocarunt. Rex *Pulcher* validum contraxit exercitum, quem *Roberto* Attrebatensi Duce in Belgas immisit. Commissæ ad Curtracum acies. Infœliciter à Francis pugnatum. Cæsa nostrorum viginti millia. Comes Attrebatensis cecidit. Insula, Gandavum, Duacum, Cassellum, cæteráque oppida, *Guidoni* triumphanti portas aperuere. Anno MCCCII. hæc gesta. Sed biennio post deleta est ignominia cladis acceptæ, ac pristinum belli decus reparatum, prælio ad Audomaropolim commisso, quo hostium quindecim millia cæsa. Pacem demum armati Belgæ à *Philippo Pulchro* impetrarunt his legibus, ut suis moribus ac institutis viverent, veteréque immunitate fruerentur : ut *Robertus* filiorum *Guidonis* maximus natu, & *Wido* ac *Willelmus* fratres, captivique cæteri dimitterentur, & millia aureorum ducenta Regi numerarent : ut Flandri parte Belgii cis Lisim amnem cederent, in qua sunt Insula, Duacum, Orciaix, Bethunia. Is Flandrici belli exitus fuit, anno MCCCIV. De quo legendi *Villanius* qui tum in Belgio versabatur, Continuator *Guillelmi Naugii*, *Paulus Æmilius*, *Nicolus Gillius*, *Papirius Massonus*, aliique Francorum Historici. Anno præcedente pacem cum Anglo fecerat Rex *Philippus*, Aquitaniæ ipsi concessa Investitura, quam veteri more ut Regiæ Francorum Beneficium teneret. Rebus tam faustè cedentibus, Rex *Pulcher* Numini gratias agens, in Parisiensem *B. Mariæ* Ecclesiam, in Sacram *B. Dionysii* Ædem, aliásque quamplures Ecclesias Regiam munificentiam explicuit ; ut *Naugii* Continuator testatur.

Navarrici Collegii Parisiis fundatio.

Joanna Franciæ Navarræque Regina *Philippi* conjux celeberrimum Navarræ Collegium fundavit. Fundationis Literas, aliáque ad eam spectantia, in ejusdem Collegii Historia à *Joanne Launoio* edita legere est. Cum *Bonifacio VIII.* Pontifice Maximo lugendum *Philippo Pulchro* dissidium fuit, de quo in Dissertationibus agemus.

Philippi Pulchri cum Bonifacio VIII. dissidium.

Templariorũ extinctionem promovet.

Templariorum extinctionem promovit apud *Clementem V.* obtinuitque in Concilio Viennensi. Ultione & avaritia ad id urgendum negotium incitatum, ut ditissimi Ordinis opes in fiscum inferret, exteri, & domestici quidam Scriptores tradunt. Ab ipsorum calumniis *Pulchrum* Regem vindicabimus in Dissertatione de Concilio Viennensi, & de Causa Templariorum.

Anno MCCCXIII. *Philippus* Rex cum tribus filiis suis *Ludovico* Navarræ Rege, *Philippo*, & *Carolo*, *Eduardo* Angliæ Rege, & plurimis utriusque Regni Proceribus sacram expeditionem contra Saracenos vovit, Cruce de manu Cardinalis *Nicolai*, Sedis Apostolicæ Legati acceptâ.

Bellum Belgicum.

Novâ interim ortâ Belgici belli causâ, Rex *Ingerramno Marinio* Longavillæo Comiti, Aulicorum intimo, Regiique Ærarii supremo Præfecto ac Moderatori jussit ut rei nummariæ prospiceret, exercitum conscriberet. Ingentes copiæ contractæ. Partem *Ludovicus* Rex Navarræ Duacum versùs, alteram *Philippus* Comes Pictavensis Audomaropolim, tertiam *Carolus*, junior *Philippi* Regis filius, cum *Carolo* Valesii Comite Tornacum ; quartam *Ludovicus* Comes Ebroïcensis Insulam, duxere. Rex ipse contra

Pax induciæ.

 hostem

hostem profectus, Lisa flumine transmisso, rogantibus Flandris pacem concessit, Gallico nomini indecoram, authore *Ingeramno*. Publicum dedecus domesticum excepit. Tres nurus adulterii accusatæ, *Margarita* Ludovici, *Blanda* Caroli uxor, flagitii convictæ. Adulteri *Philippus* & *Galterus de Alneto* Normanni Milites, violati nobilissimi thori crimen infandum, non minùs acerbo quàm pudendo supplicio, Pontisaræ luerunt. Principes fœminæ in custodiam conjectæ. *Margarita* Ludovici uxor in carcere periit: quâ defunctâ, *Clementiam* Roberti Siciliæ Regis sororem duxit. *Joanna* Philippi conjux in Parlamento absoluta est, & marito reconciliata. Referunt Continuator *Nangii*, *Æmilius*, aliique Rerum Francicarum Scriptores.

Domesticum dedecus.

Ob graves & inauditas exactiones, ac monetæ imminutionem durius visum est *Philippi Pulchri* Regnum. Invidia omnis, populique odia in *Marinium* derivata, ipsi post Regis obitum exitio fuere. Diem supremum obiit Rex *Philippus* apud Fontemblaudi, ubi natus erat, Sacramentis piè susceptis, condito testamento, exactione *Malesolta* (ita novum gravèque vectigal plebs appellavit) Edicto sublatâ; die xxx. Novembris, quæ feria sexta erat, anno Christi MCCCXIV. anno Regni tricesimo ineunte. Biennio ante obitum, debita à se contracta ad diem præfixum solvi jusserat, Testes sunt ejus Literæ Tomo IX. *Spicilegii*, pag. 281. editæ. Corpus ejus cum avis Regibus ad S. Dionysium sepultum, cor in Ecclesia Pissiacensi Sororum Sancti Dominici, quod Cœnobium Regali munificentia à fundamentis erexerat, dotaveratque, Ecclesiâ Deo sub invocatione *S. Ludovici* avi sui consecratâ, depositum est. Tres filios, *Ludovicum Hutinum*, *Philippum Longum*, & *Carolum Pulchrum*, qui post ipsum successivè regnarunt, totidémque filias reliquit.

Durior Philippi Pulcri dominatio. Ejus obitus. Liberi.

ARTICULUS VI.

De LUDOVICO X. PHILIPPO V. & CAROLO IV.

Ludovicus X.

I. LUdovicus X. *Hutinus* cognominatus, id est, rixosus & pervicax, annos viginti sex natus, Patri *Philippo Pulchro* successit, infausto prorsus omine. Ingens enim conjuratio facta est à Veromanduis, Bellovacis, Attrebatibus, Campanis, Burgundionibus, aliisque populis ob superioris Regni duritiem commotis & ad rebellionem propensis. Nascentes motus ægrè sedati *Caroli Valesii* Regis Patrui consiliis & industriâ. Hic *Ingerramnum Marinium*, reum peculatûs egit, effecitque ut furca suspenderetur. Odio magis quàm jure damnatum fama fuit. In cæteros Fisci procuratores, dispensatores, vel administros, quæstio de repetundis instituta. Remis Rex inauguratus, exercitum duxit in Flandros, Curtracum obsidione cinxit, quam ut brevî solveret, imbres immodici & commeatus inopia compulere. Rediit igitur inglorius, magna etiam impedimentorum parte amissâ. Senatum in Regio Palatio, quod *Marinius* jubente *Philippo Pulchro* ædificari curaverat, collocatum, Ordinarium instituit. Veneno sublatus est, incertâ manu, die quinta Junii, anno MCCCXVI. ætatis XXVII. Regni undevigesimo mense, *Clementia* uxore gravida.

Bellum Belgicum. Supremum Senatum in Regio Palatio Ludovicus X. collocat.

Philippus Longus.

II. *Philippus*, cui ob staturæ proceritatem *Longo* cognomen, procurationem Regni suscepit, donec Regina pareret. Ex ea natus *Joannes*, XV. Kalendas Decembris, obiit XIII. Kalendas ejusdem mensis. Tum *Philippus* rejectâ *Joanna* Ludovici Hutini filiâ, cui Regni successionem asserere *Odo* Burgundiæ Dux nitebatur, Rex Francorum ex Lege Salica salutatus est, Remisque die Epiphaniæ unà cum uxore *Joanna* inunctus. Orta inter Bellovacensem, & Lingonensem Episcopum contentione quia in Ordine Parium prior sederet, primas honoris obtinuit Bellovacensis. *Mathildis* Atrebatensis Comitissa, Reginæ Mater, *tanquam Par Regni* Coronam cum cæteris Paribus sustentavit. Circa Festum Purificationis Beatæ Virginis, Ordinum Conventus Parisiis habitus est, præsente *Petro de Arablaio*, olim *Philippi Pulchri* Cancellario, & S. R. E. Cardinali recèns creato. Antistites, Proceres, Nobiles, Populúsque laudatâ *Philippi* Coronatione, ipsi fidem suam & obsequium obstrinxere, interposita Jurisjurandi Religione, præterquam ab Academia Parisiensi, quæ in eamdem sententiam concedens, à Juramento abstinuit. Ab iisdem Ordinibus pronuntiatum est, Fœminas moribus Francorum Regno excludi. Ita refert *Nangii* Continuator. Correpta sæpe in Flandros arma, frequentes induciæ, pax tandem conciliata Summo Pontifice per Legatos agente. De Leprosis, Judæisque, propter suspicionem veneni in puteos immissi, habita quæstio, de reis sumptum supplicium est anno MCCCXXI. ut prolixè refert *Nangii* Continuator. Eadem tempestate, Rex *Philippus* decrevit ut toto Regno una esset vini & tritici, rerúmque omnium venalium mensura: sed executionem prohibuit infirmitas. Unum etiam in Gallia monetæ genus, valorémque constituere optabat. Arduum negotium sine magnis sumptibus non poterat impleri. Propterea quintam bonorum partem ab omnibus & singulis subditis exigere statuerat. Missi ad Ecclesiæ seculique Principes, quibus jus cudendæ monetæ erat, nuntii, qui consensum ipsorum extorquerent, sed ipsis, & urbium communitatibus dissentientibus, Regisque morbo, negotium suspensum est. Obiit die tertia Januarii anno MCCCXXI. nullâ ex se virili prole relictâ, ætatis XXXI. Regni VI. ineunte. Ipsum edixisse ne Supremæ Curiæ sive Parlamenti Senatores litigantibus vel eorum amicis privatam audientiam concederent, aut preces ullas admitterent, sed solos Advocatos de Juribus partium audirent, ne ullus esset in Judiciis favori locus, Commentarii Cameræ Computorum Parisiensis testantur. Hunc Regem ob probitatem ac mansuetudinem commendat *Villanius*. Corpus ejus ad *S. Dionysium*, cor apud FF. Minores, viscera in majori FF. Prædicatorum Conventu condita sunt.

Ordinum Conventus. Feminæ moribus Francorum à Regni successione exclusæ. Philippi V. optima animi studia. Obitus.

Carolus IV.

III. *Carolus IV.* ob egregiam formam *Pulcher* appellatus, *Philippo* fratri absque virili prole mortuo, nullo intercedente successit. Suum cum *Blanda* olim adulterii convicta matrimonium à Summo Pontifice dirimi obtinuit, non quidem adulterii ratione, sed spiritualis affinitatis. *Mathildis* enim *Blandæ* mater *Carolum* ex sacro fonte susceperat. Soluto matrimonio, Sororem *Joannis* Bohemiæ Regis, *Henrici Lucemburgensis* Imperatoris filiam, uxorem duxit. Qua defuncta, *Joanna* filiæ *Ludovici* Comitis Ebroicensis, patrui sui, Pontificia dispensatione conjunctus est. Bellum Aquitanicum gessit *Carolo Valesio* Duce, urbésque omnes redegit in potestatem, Burdegala, Sancti Severini fano, & Batona exceptis. *Elisabethæ* sorori, Angliæ Reginæ, cum *Eduardo* filio in Gallias venienti ac pacem roganti concessit, ut Regius Adolescens Aquitaniæ Ducatu, præstito clientelari sacramento, investiretur ac frueretur. *Gerardum Guettam* Ærarii Præfectum, & alios Quæstores de repetundis postulavit. Ille in equuleo tortus, ex tormentis decessit in custodia. Mensarios Italici generis apprehensos eò adduxit, ut multâ pecuniâ libertatem redimere

Ejus Nuptiæ. Bellum Aquitanicum.

mere cogerentur, ut *Villanius* libro IX. refert, ad annum MCCCXXIV. Argentei nummi bonitatem imminuit. Quò pertinet Constitutio illa *Joannis XXII.* Romani Pontificis, *Prodiens*, Tit. *De Crimine falsi*, inter Extravagantes, qua queritur sub vero signo *Caroli* Regis Francorum & Navarræ, monetam datâ operâ depravari, caderéque à recto pondere. Quæ spicula (inquit *Papirius Massonus*) obliquè in Regem ipsum; cujus autoritate nummi bonitas imminuta erat, jaculatus videtur.

Caroli Valesii obitus.

Anno MCCCXXV. *Carolus Valesius* excelsi animi Princeps diem supremum obiit. In extrema ægritudine conscientiæ stimulis agitatus, quod *Ingerramni Marinii*, licet aliàs non immeriti, exitium ex odio & ultionis libidine procurasset, Regem exoravit ut ejus propinquis redderetur illius corpus furca refixum, eique suis impensis magnificum funus fecit, justáque persolvit, ut refert *Paulus Æmilius*. Sed & generalem pecuniæ distributionem pauperibus factam, dicentibus, ex Principis Mandato Sacræ Largitionis Ministris, *Orate pro Domino Ingerramno & pro Domino Carolo*, Continuator Nangii testatur. *Caroli Valesii* Corpus in Conventu Parisiensi FF. Prædicatorum *S. Jacobi* sepultum est.

Obitus Caroli Pulchri Regis.

Anno MCCCXXVIII. die prima Februarii, obiit *Carolus Pulcher*, anno ætatis XXXIV. Regni septimo ineunte. *Carolus IV.* Bohemiæ Rex & Imperator, in Regia *Caroli Pulchri* Regis Christianissimi, ad quem septennis propterea missus à patre fuerat, educatus, in Historia rerum à se gestarum, hoc ipsum ornat Elogio: *Rex prædictus non erat avarus pecuniæ, & utebatur bono consilio, & Curia ejus resplendebat senum Principum tam spiritualium, quàm secularium frequentiâ.* Uxorem *Joannam* gravidam reliquit. Corpus ejus ad S. Dionysii, cor apud FF. Prædicatores Parisiis sepultum, ad S. Jacobi.

Apud Cochlæum lib. 1. Histor. Hussitarum, pag. 6.

ARTICULUS VII.

De PHILIPPO VALESIO.

JOanna Regina ventrem ferente, ejus custodiam, & Regni suscepit *Philippus Valesius*, defuncti Regis patruelis. Eduardi III. Anglorum Regis Oratores frustra intercessere. Is *Elisabethæ* sororis *Caroli Pulchri* filius erat. *Joanna* Pervigiliis Paschalibus filiam enixa est. Tum major de Jure Regni orta controversia. Agnato propinquiori postremi Regis Coronam deberi fatebantur omnes: quæstio erat, quis propinquior censendus esset, an *Eduardus* ejus nepos, ut Matrem repræsentans, an *Philippus* ejus Patruelis. Jurisconsultorum plures contendebant Angliæ Reginam non ideo à Regno & Regni regimine repelli, quia non esset genere propinquior, sed propter defectum sexus. Ubi igitur erat sexus genere propinquior absque defectu, scilicet masculus, illum in Regno & regimine jure succedere opponebant Galli, si jus aliquod ad Regnum Francorum *Eduardus* haberet, à matre id transmissum iri, porro ipsam nil habere juris: aliàs accessorium potius esset principali. Congregatis Ordinibus hæc probata sententia. *Philippus* Remis à *Guillelmo de Tria* Archiepiscopo inunctus, & cum uxore sua coronatus est: statimque in Belgas Comiti *Ludovico* rebelles arma convertit. Ad Cassellum commissa pugna. Hostium ampliùs duodecim millia cecidere, Cassellum, Poperingæ, Ipræ, Brugæ, deditionem fecere.

Controversia de Regni jure.

Nangii Continuator.

Bellum Belgicum.

Anno MCCCXXIX. die prima Septembris Conventum Cleri Gallicani Rex indixit Lutetiæ Parisiorum ad diem proximum *S. Andreæ* habendum: in quo de Jurisdictionis Ecclesiasticæ & Laïcæ finibus ageretur. Statum exitúmque Controversiæ quæ huicce Conventui occasionem dedit, eleganter exponit *Paulus Æmilius*. Prætores Regii conquerebantur omnem Jurisdictionem à Regiis Tribunalibus ad Sacra delapsam: multo plures causas profanas & inter profanos controversias cognosci dijudicarique ab Episcopis, reliquisque Sacerdotiis, quàm à Regiis Prætoribus. Quicumque, quacumque de re Sacerdotum Decreto non steterit, continuò templis arceri, piorúmque communicatione moveri: eóque deventum esse, ut qui solvendo non sit, ei aqua & igni interdicatur. Sacerdotium Ducibus Episcopis ad Regem conventi. Pro Jurisdictione Regis verba *Petrus Cunerius* fecit: ut Quæ Dei sunt, Deo, quæ Regis, Regi darentur. *Bertrandus* Æduorum Pontifex causam templorum Jurisdictionémque tutatus est. Prima actione nihil constitutum. Cùm ampliatur, die Divo *Thomæ Cantuariensi* festo, cum Patrum frequenti globo *Bertrandus* Regem adiit, admonuitque illum illuxisse diem, quem pro libertate Ecclesiæ *Thomas* sanguine suo consecrasset. Respondit Rex, Omnia sibi curæ futura. *Bertrandus* ut certius lætiúsque eliceret responsum, oravit ut qui divinitus vocatus fuisset ad sceptrum, ambiguo responso non dimitteret tristes ab se Sacerdotes, qui quotidie rem divinam pro eo facerent. Tunc Rex: *Jura*, inquit, *Ecclesiarum auxerim potius, quàm imminuta velim.* Gratias universi egere. Rex CATHOLICI cognomen promeruit. Antiquiorem & coævum Authorem secutus est *Æmilius*, scilicet *Nangiani* Chronici Continuatorem. *Rex*, inquit, *fecit eis responderi, quòd Jura & Libertates, quæ Ecclesia ab antiquo habuerat, & quæ Prædecessores sui ex sua liberalitate & magnificentia eidem contulerant, non intendebat quoquo modo minuere vel auferre, sed potius augmentare.* Ea de re ipsum ad *Joannem XXII.* Pontificem Maximum scripsisse, testantur Pontificis Literæ ad ejus Majestatem datæ III. Nonas Junii ejusdem anni, quibus in Literis ab *Odorico Raynaldo* descriptis sic ipsi gratulatur: *Literas Regias fervorem magnæ devotionis & fidei, quibus erga Deum & Ecclesiam præfulgere Regalis Serenitas noscitur, recensentes delectabiliter, & responsionem perversis detractoribus lædere sinceritatem Regiam circa præmissa molientibus factam, sicut Catholicum & Orthodoxum decebat Principem, describentes, recepimus læta manu.*

Conventus de Jurisdictionis Ecclesiasticæ & Laïcæ finibus regundis Parisiis habitus.

Philippus Valesius ob tuitionem jurium & libertatum Ecclesiæ Catholicus appellatus.

Qui *Benè Fortunatus* Rex appellabatur, malè fortunatum Regnum fecit, bello cum *Eduardo III.* Anglorum Rege infœliciter gesto, qui suum esse Jus Franci Regni contendebat, à quo ipsum impuberem & absentem *Valesius* exclusisset. Sacro bello contra Saracenos se Rex Christianissimus devoverat, sed votum implere non licuit, Anglico prohibente. Sæpe victi hoc bello Franci, primùm ad *Clusas* in Flandria, navali certamine, die XXIII. Junii, anno MCCCXL. deinde terrestri ad *Crossiacum*, die XXVI. Augusti, anno MCCCXLVI. quo in prælio *Joannes* Boëmiæ Rex, *Radulphus* Dux Lotharingius, *Carolus* Alenconius Comes Regis frater, *Ludovicus* Comes Flandrensis, duodecim quindecímve secundi Ordinis Comites, Equites mille ducenti, peditum triginta millia in Francorum exercitu cecidere, octoginta signa Angli abstulere. Caletum expugnavit Anglus, & cives universos, qui pro Rege Christianissimo Domino suo ad extremas usque angustias steterant, urbe expulit, Anglorum coloniâ introductâ.

Bellum cum Anglis infeliciter gestum.

De Joannis Boëmiæ Regis bellica virtute lege egregium Petrarchæ locum, lib. 2. De Remediis utriusque Fortunæ.

Plurimùm solatii *Philippo Valesio* attulit Delphinatûs ad Regias ditiones accessio, Donatione *Humberti* Delphinatum Principis: qui rerum secularium pertæsus,

pertæsus, & filii unici jacturâ ad se Deo devovendum incitatus, Ordinem FF. Prædicatorum professus est; sed antea certis Conventionibus & Pactis cum dicto Rege, & *Joanne* ejus Primogenito, Normanniæ & Aquitaniæ Duce factis, *Philippo* ipsius secundo filio, & in casu quo DONATIO in persona ipsius habere non posset effectum per mortem, vel aliud impedimentum legitimum; alteri ex filiis dicti Domini *Joannis* Primogeniti, quem ipse Dominus, vel Dux præfatus, seu eorum Successores Reges Franciæ ducerent eligendum, *dedit, cessit, & transtulit in perpetuum hereditario jure in possessione & proprietate* DONATIONE IRREVOCABILI FACTA SOLEMNITER INTER VIVOS Delphinatum de Viennesio, Ducatum Campisauri, Principatum Brienczonesii, Marchionatum Cesanæ, Comitatum Viennæ, Comitatum Albonis, Comitatum Grasivodani, Comitatum Ebredunesii, & Comitatum Vapincesii, ac Baroniam Turris, Baroniam Vallis-bonæ, Baroniam Focigniaci, Baroniam Medullionis, & Baroniam Montisalbani; & generaliter omnes terras, Comitatus, & Baronias ad se pertinentes & pertinere valentes, cum earum juribus, honoribus, & pertinentiis universis. Certæ conditiones appositæ fuere: Ut *Delphina* conjugi decem millia librarum nomine dotalitii, quandiu in vivis superstes esset, reservarentur: Debita sua Rex solveret: centum viginti millia florenorum aureorum infra triennium sibi daret: Decem millia librarum annui redditus sive pensionis ad vitam sibi assignaret. Qui Regum filii Delphinatu investirentur, DELPHINI nomen stemmaque assumerent: Rex Delphinúsque servarent Libertates, Privilegia, Consuetudines Prælatorum, Baronum, Castellanorum, aliorúmque subditorum, Nobilium, & ignobilium, Ecclesiarum, & totius Cleri, Communitatum, Civitatum, Castellorum, feudorum, & retrofeudorum Delphinatus. Ita conventum est anno MCCCXLIII. die XXXII. Aprilis, in Nemore Vincennarum. Pacta conventa legere est inter Probationes Genealogiæ Delphinorum Viennensium ab *Andrea Duchesnio* editas, Cap. XII. pag. 68. Cùm autem sacro FF. Prædicatorum Ordini nomen dedit *Humbertus* Princeps Delphinus, dictos Delphinatum, Ducatum, Principatum, Marchionatum, Comitatus, Baronias, & terras prædictas *pure & simpliciter* in *Karolum* Principem, *Joannis* Normanniæ Ducis primogenitum, *cessit & transtulit in perpetuum, hereditario jure, in possessione & proprietate*, salvis tam reservationibus ante factis: Ipsique Ensem Delphinatus, & Vexillum *S. Georgii*, Sceptrum & Annulum tradidit, voluitque *Delphinum* ex tunc salutari. Cessionis illius, Translationis, & Investituræ Literas legere est inter Probationes mox laudatas Genealogiæ Delphinorum Viennensium, pag. 96. Idemque docet Regestum vetus Cancellariæ Franciæ, cujus Excerptum ibidem habetur pag. 95. *Attendentes*, inquit, *translationem, cessionem, &* DONATIONEM *Delphinatus ac terrarum aliarum prædictarum, sicut præmittitur factas, melius & utilius cedere in personam dicti Domini Joannis Primogeniti, & heredum suorum*: DONATIONEM *& cessionem de omnibus prædictis factas, ut præfertur, & ipsum Delphinatum cum omnibus terris prædictis in eumdem Dominum Joannem & heredes suos transfert, & de illis eidem cessionem*, DONATIONEM, *& translationem fecit efficaces, sub certis modis & formis in prima* DONATIONE *contentis*.

Donatio Delphinatus ab Humberto Principe facta Joanni Philippi Regis filio.

Humbertus Princeps Delphinus Prædicatorum Ordinem Professus.

Papirius Massonus lib. XIII. Annalium, pag. 453. *Humbertum* Delphinum ditionem suam *Philippo* Regi vendidisse scribit; atque hujus rei tabulas brevitatis causa se omittere profitetur. Ad quas non satis attendit vir alias non indiligens. Conventionem enim illam, cui non aliud quam DONATIONIS, CESSIONIS, & TRANSLATIONIS nomen *Humbertus* ipse, & *Philippus Valesius* Rex Christianissimus dederunt, contra publicarum tabularum fidem venditionem non dixisset. In eumdem errorem impegit *Meyerus*, lib. XIII. Annalium Belgicorum, quem *Belleforestius* lib. V. cap. XV. refellit. Etsi verò centum viginti millia florenorum Humberto Principi promiserit *Philippus* Rex; etsi decem millium librarum reditum ille sibi retinuerit quandiu viveret, etsi debita ejus Rex solverit, non tamen hæc tanti censeri debent, ut venditus propterea Delphinatus censeatur: sed fructuum veluti loco haberi, quorum partem ad tempus, sibi servavit *Humbertus Princeps*, ditionibus terrisque in proprietatem Regis Christianissimi *purâ & simplici donatione & cessione translatis*. Eam Donationem translationémque laudavit, approbavitque *Clemens VI.* Pontifex Maximus Literis Apostolicis, quarum meminit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXLIV. Num. LXII. & ad annum MCCCXLV. Num. VIII. Sacris omnibus Ordinibus initiatus est à *Clemente VI.* Pontifice Maximo Princeps *Humbertus* in Natali Domini anno MCCCL. Subdiaconus scilicet in Missa mediæ noctis, Diaconus in Missa Auroræ, Sacerdos in Missa diei ordinatus, si *Rebdorfio* fides. Addit ipsum post dies octo Episcopum consecratum, & Antiochenum Patriarcham designatum. Sed multoties fallitur. Nam *Humbertum* Priorem fuisse Conventûs Parisiensis FF. Prædicatorum, docet ejus Epitaphium, quod ibidem extat ante majus Altare. Porrò tempus assignatis vix posset hujus Prioratus, si octava die à Presbyteratu suscepto Episcopus consecratus esset, atque Patriarcha creatus. Prætereà lapsus est in Patriarchatus appellatione. Alexandrinus enim Patriarcha fuit, ut docent Author Vitæ *Clementis VI.* à *D. Bosqueto* editus, & ejus Epitaphium, non Antiochenus, aut Aquilegiensis, ut *Papirius Massonus* scripsit. *Petrus* Dux Borbonius Comes Claromontis & Marchiæ *Humberto* donavit domos suas sitas in Nemore Vincennarum, de consensu & voluntate Regis, die XXII. Septemb. MCCCLII. In Literis Donationis *Patriarcha Alexandrinus, Administrator Perpetuus Remensis Ecclesiæ ac Delphinus Antiquior Viennensis* appellatur. Obiit anno MCCCLV. die XXII. Maii.

Papirius Massonus & Meyerus refelluntur.

Rebdorfius Historicus emendatur.

Bellorum tempestates, pestilentia secuta est, quæ Italiam Gallíamque omnem penè vacuam fecit & squallidam, immò universum ferè orbem gentibus spoliavit, annis MCCCXLVIII. & MCCCXLIX. ut scribunt *Nangii* Continuator, & *Petrarcha* Epistola ad *Socratem*, lib. VIII. Rerum Familiarium, & Epistola ad *Bocacium*, lib. III. Rerum Senilium. In Gallia imminutus hominum numerus, auctus urbium, non solùm ea de qua diximus, Delphinatus accessione, sed Ruscinonensis Comitatus oppigneratione & Montispessulani venditione Regi Christianissimo facta à *Jacobo Aragonio* Majoris Balearicæ Rege. Dura fuit *Philippi Valesii* dominatio, ob exactiones gravissimas, ob frequentem monetarum mutationem, ob salinarum vectigal tunc primùm impositum, ob decimas Viris Ecclesiasticis imperatas Summi Pontificis auctoritate. Nec tamen id ipsi vitio vertendum fuit; difficillima tempora, Anglico bello sustinendo necessarii sumptus, ærarii angustiæ, Regem ad nova exigenda vectigalia impulerunt. Constitutionem edidit de Jure *Regalia*, quæ *Philippina* vulgò dicitur, anno MCCCXXXIV. mense Octobri. Extat inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. Obiit *Philippus VI.* anno MCCCL. Augusti die XXII. Duas uxores

Regni Gallici incrementum.

Dura Philippi Valesii dominatio.

Salinarum vectigal.

Constitutio Philippina de jure Regalia.

res duxerat, *Joannam* filiam *Roberti II.* Burgundiæ Ducis, & *Blancham* filiam *Philippi Ebroicensis*, Regis Navarræ. Ex priori duos filios susceperat, *Joannem* Normanniæ Ducem, *Philippum* Ducem Aurelianensem, & filiam cui nomen *Maria*. ex altera filiam posthumam. Ad *S. Dionysii* sepultus est. Ipsi in Regnum successit *Joannes* Normanniæ Dux.

Philippi Valesii liberi.

SCHOLION

In hoc Articulo, pag. 394. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Rex Galliæ Constitutionem edidit de jure Regaliæ.*

R. *Philippi Valesii* Regis Christianissimi gesta percensens, scripsi illum Constitutionem edidisse de jure Regaliæ, quæ *Philippina* dicitur. Mera facti quæstio est. Ipsa Constitutio ab eo Rege edita est, cui ob jurium & Libertatum Ecclesiæ tuitionem, CATHOLICI cognomen non solùm ab Ecclesia Gallicana, verum etiam à Joanne XXII. Pontifice Maximo tributum est.

ARTICULUS VIII.

De JOANNE Rege.

JOannes, *Bonus* cognominatus, hereditarium cum Anglorum Rege *Eduardo III.* bellum infœliciore gessit exitu. *Eduardus* Walliæ Princeps, Angli Regis primogenitus, Aquitaniæ Ducatu investitus à patre, anno MCCCLVI. cum exercitu, in quo duodecim duntaxat hominum millia numerabantur, transfretavit; Petragoricorum, Lemovicum, Pictonum, Biturigúmque fines populatus est, Romarentinum expugnavit, captivósque multos abduxit. Rex *Joannes* adversùs hostem progressus, ipsi non procul ab urbe Pictavio, in campis Bellomontanis occurrit. Castra in conspectu posita. Gallorum exercitus numero longè superior. Cardinalis Petracoriensis Legatus Apostolicus studium omne ac operam adhibet ad pacem procurandam. Rex duriores conditiones Anglo Principi proponit, à pace alioqui non abhorrenti. Ipsum viis omnibus, quibus importari in castra ejus commeatus poterat, præclusis, fame fatigare, & incruentam de Anglis reportare victoriam facile fuisset: sed aleam tentare maluit Rex *Joannes*. Prælium commisit, magno quidem animo, sed consilio præcipiti. Quatuor ejus filii in acie erant. *Venantius* cui Regiorum adolescentum cura commissa erat, de eorum salute solicitus, ubi prælii exitum ancipitem vidit, jámque primam Francorum aciem fusam, ipsos è periculo abstraxit. Quorum discessus aliis ansam dedit excusandi fugam. Francorum sex millia cecidere; in úsque Dux Borbonius, Pontivi Comes ejus frater, Dux Athenarum Magister Equitum, *Robertus Dyrrachinus* Roberti Regis Siciliæ nepos, *Joannes* Claromontanus Mareschallus, unà cum *Reginaldo* Episcopo Catalaunensi, & *Eustachio Ribomontio*, aliísque ad octingentos & ampliùs primariæ Nobilitatis. Rex *Joannes*, cum *Philippo* filio, qui nusquam à patris latere divelli potuerat, *Imperterriti* nomen propterea promeritus, in hostis potestatem venit. Dies illuxerat XIX. Septembris anni millesimi trecentesimi quinquagesimi-sexti, Galliæ luctuosa, indecora, funesta. Rege enim Burdegalam, indéque in Angliam, cum filiis, cæterísque captivis abducto, Regnum factionibus exarsit, *Carolo* Navarræ Rege incentore. Lutetia Parisiorum omnibus seditionum, licentiæque procellis agitata est, *Stephano Marcelli* Præposito Mercatorum plebem commovente libertatis desiderio incitatam. Is primùm Regiam civitatem fossis, murísque ad Orientalem partem munivit;

Bellum cum Anglo infelix.

Gallorum clades.

Rex ab hoste captus.

tandem cùm Urbem Navarræ Regi prodere decrevisset, à Regiis trucidatus est. *Carolus Delfinus*, Regni Regens, sapientia quâ in juvenili ætate ad miraculum excellebat, Deique auxilio Regnum Francorum protegentis, factiones omnes dissipavit, pacéque cum Navarro confectâ, Parisius susceptus est. Convocatis Ordinibus de Regis liberatione agi cœptum. Duriores conditiones Anglus proposuit. Illas Regni Comitia rejecere. Terribili conscripto exercitu, in Galliam Rex *Eduardus* transmisit, Remos sex hebdomadum obsidione frustra tentavit, ad suburbana usque Parisiorum penetravit, omnia ferro flammáque miscens. *Carolus Delphinus* in Urbe consistens, è publica salute esse prudenter judicavit, nihil fortunæ committere, tueri regnum, hostem temerè non aggredi viribus longè superiorem. Quænam tunc esset Lutetiæ facies eleganter describit *Petrarcha* Epistola ad *Guidonem* Januensem Archiepiscopum lib. X. Rerum Senilium, ubi & *Joannis* Regis fortitudini id testimonium perhibet: *Quis hoc unquam quæso divinasset, quòd Francorum Rex, quamvis quod ad se unum attinet Invictissimus hominum, vinceretur, & in carcerem duceretur, ac ingenti pretio redimeretur?* Pax inter utramque Regiam anno MCCCLX. ad Britiniacum vicum prope Carnutum his legibus facta, ut Anglus cum Aquitania, Wascones, Pictones, Santones, Petrocorios, Lemovices, Cadurcos, Engolismenses, Rutbenos, Rupellam, Guinas, Pontivum, Caletum haberet eo jure quo quæ optimo. Rex Anglorum exueret se jure, si quod illi in Franciæ Regnum extitisset. Pro Regis Christianissimi redemptione tricies centena nummorum aureorum millia solverentur: darentúrque obsides duo filii, fratérque Regis, cum aliis Principibus ac Proceribus designatis. His conditionibus, quartò postquam captus fuerat anno, Parisios redit Rex *Joannes*. Filiam *Isabellam Joanni* Galeatii Vicecomitis filio in matrimonium dedit, assignato ei dotis nomine tenui Comitatu Virtutum, & acceptis ab eo sexcentis millibus florenorum auri, quibus Anglo satisfaceret. Tam imparibus nuptiis Regiæ Francorum multùm derogatum est: sed exhausti ærarii, Regnique angustiæ, & necessitas tanta quàm quæ maxima, Regem coëgere ut suum cum vilium Tyrannorum sanguine misceri consentiret. De his legendi *Villanius* & *Continuator Nangii* coævi Authores, *VValsinghamus*, in Eduardo III. *Paulus Æmilius*, *Froissardus*, *Gilius*, *Belleforestius*, & alii Francorum Historici.

Caroli Delphini Regni Regentis prudentia.

Pax, & redemtio Regis.

Villanius lib. 9.

Anno MCCCLXI. mortuo *Philippo* Burgundiæ Duce absque liberis, Rex illi in Ducatum, non propinquitatis duntaxat ratione, sed Regio Jure successit. Anno MCCCLXIII. Avenionem profectus est, Summum Pontificem *Urbanum V.* invisurus: ibique sacræ contra Turcas Expeditionis Dux ab ejus Sanctitate renunciatus, Cruce de manibus ejus accepta, cum Cypri Daniæque Regibus, Proceribúsque plurimis, ad transfretandum infra biennium se se obstrinxit. Anno MCCCLXIV. in Angliam trajecit, ut *Ludovici* Andium Comitis, filii sui, unius ex obsidibus fugam excusaret, fidémque liberaret: úsque Angliæ Regem pelliceret in societatem belli sacri; aut certè securitati pacis consuleret, ne quid se à Regno absente & sacrum bellum gerente moveretur. Martio mense morbo correptus, obiit Londini die octava Aprilis, ætatis anno LII. Regni XIV. Ejus exequias Regiâ magnificentiâ curavit *Eduardus* Angliæ Rex, corpúsque in Gallias remisit, quod ad S. Dionysii sepultum est. Quatuor ex *Joanna* Regis Boëmiæ filia, priori uxore, filios totidémque filias reliquit. *Carolus* ei successit in Regnum; *Joannes* Dux Biturigum, *Ludovicus* Andium & Cenomanorum Comes; *Philippus* Turo-

Burgundiæ ad Regnum accessio.

Rex Joannes sacram expeditionem meditatur.

Ejus obitus.

Liberi.

num primò, de inde Burgundiæ, Dux extitere. Literarum studia coluerat adolescens, viros literatos dilexit, fovitque. Se ab ejus Majestate magnis muneribus evocatum testatur *Petrarcha* Epistola ad *Simonidem*, lib. II. Rerum Senilium, Andegavensis Academiæ Privilegia confirmavit VII. Kalendas Maii, illo ipso anno quo bello victus captúsque est. Bella privata Edicto prohibuit. *Stellæ* Ordinem instituit anno 1351. vel renovavit, in memoriam illius Syderis quod Magos ab Oriente ad Christum recèns natum adorandum perduxit. Signum Stellæ torqui aureo appensum, necnon vestis conspicuo loco phrygio opere adtextum ferebant Equites, cum hoc Symbolo: *Monstrant Regibus Astra viam.* Diuturnus non fuit Ordinis illius splendor; gregariorum enim multitudine, qui ferventibus bellis in illum admissi sunt, adeo viluit, ut *Carolus V.* Joannis filius, illum Excubiarum Præfecto ejúsque Satellitibus dimiserit.

Ordo militaris Stellæ

ARTICULUS IX.

De CAROLO V. SAPIENTE cognominato.

CArolus V. cognomento *Sapiens*, Remis die nona Maii, MCCCLXIV. inauguratus, *Philippo* fratri Burgundiæ Ducatum iisdem legibus, quibus ipsi collatus fuerat à Patre, confirmavit, ut scilicet ipse & ejus heredes masculi ex legitimo matrimonio procreati uterentur & fruerentur perpetuò; supremum tamen dominium penes Regem maneret, cui fidem & homagium præstaret Burgundiæ Dux. Jus etiam Regaliæ aliáque Regia Jura ejus Majestati servarentur. *Salvis (inquit) & retentis Nobis & Successoribus nostris Franciæ Regibus superioritate & ressorto dictorum donatorum. Fide etiam ac Homagio Ducis præstandis Nobis & Successoribus nostris prædictis, modo debito & consueto fieri & præstari per Duces Burgundiæ temporibus anteactis*, REGALIBUSQUE ET JURIBUS ALIIS REGIIS, AD NOS PERTINENTIBUS AD CAUSAM NOSTRÆ CORONÆ, *& quæ habebamus vivente dicto ultimo Duce defuncto in Ducatu prædicto.* Donationis istius confirmationísque tabulas legere est apud *Papyrium Massonum* lib. IV. Annalium, pag. 473. Hispanicum, Anglicúmque bellum confecit Rex *Sapiens*. Hispanicum contra *Petrum Crudelem* Castellæ Regem, Duce *Joanne Borbonio*, vicariam exercitus Præfecturam gerente *Bertrando Guesklino* Armorico, Bronii Castelli Domino, quem Magistrum Equitum, seu Comitem Stabuli postea creavit ob merita omni prædicatione majora. Hâc expeditione à vagis ac prædatricibus copiis, quæ ipsam infestabant, Gallia liberata est: siquidem *Guesklinum* secutæ sunt. Adversùs *Crudelem* Regem arma corripuerat *Henricus* Trastamaræ Comes, ejus ex dispari matre frater. Partes ejus Rex *Carolus* suscepit, ac virtute tanta per *Guesklinum* tuitus est, ut occupatis Calaguri, Burgisque, Castellæ Rex proclamatus fuerit & coronatus anno MCCCLXVI. posteáque alternantis fortunæ vices expertus, tandem insigni ad *Montielem* reportatâ victoriâ, *Petrum Crudelem* ceciderit.

Bellum Hispanicum.

Doctissimus Cardinalis *Perronius* in Oratione ad Tertium Regni Ordinem ex hoc etiam bello à *Carolo Sapiente* adversùs Castellæ Regem suscepto argumentum accersit ad illam opinionem suam confirmandam, quòd Romanus Pontifex potestatem habeat indirectam in temporalia Regum, eósque exauctorare, & eorum subditos à Juramento fidelitatis, quo eorum obstricti sunt Majestati, absolvere possit. Ait scilicet, *Urbanus V.* eam exercuisse potestatem adversùs *Petrum* Castellæ Regem, cognomento *Crudelem*, quòd hæreticus esset, persecutor Ecclesiæ, Maurísque fœderatus. Pontificis autem sententiam armis propugnasse *Carolum V.* & *Guesclinum* misisse ut *Petrum* è Solio detruderet, in ejúsque locum *Henricum* Castellæ Nothum sufficeret. *Froisardum* testem laudat eminentissimus Cardinalis. Sed Viri Maximi pace dixerim, ipsum attentâ satis consideratione hanc Historiam non expendisse. *Petrum* enim *Crudelem* Castellæ Regem ab *Urbano V.* aut alio Pontifice exauctoratum nulla Historiæ Ecclesiasticæ, Hispanicæ, aut Gallicæ monumenta probant, neque id *Froissardus* expressè asserit, in cujus etiam narratione plurima convincuntur falsitatis. Docent quidem Annales Ecclesiastici, *Innocentium VI.* Bertrando Episcopo Scoecensi Nuntio Apostolico dedisse in mandatis, ut *Petrus* Regem ad *Blancham Borboniam* Reginam, uxorem suam, quam statim post celebratas nuptias deseruerat, in *Mariæ Padillia* concubinæ, & *Joannæ de Castro* superductæ amorem effusus, recipiendam, & affectu mari ali cultúque Regio tractandam, expellendásque Pellices compelleret. Nuntium præmissis monitionibus, adversùs Regem, Pellicésque Excommunicationis Sententiam pronuntiasse, in scriptis promulgasse, nisi infra constitutam diem Pontificiis mandatis parerent: Regnum Ecclesiastico Interdicto supposuisse. Regem, ac *Padilliam* concubinam Ecclesiæ fulmina contempsisse, censuras incurrisse. Id certum ex *Innocentii VI.* literis, apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCCLV. Num. XXIX. Castellæ Proceres ad sanandam *Petri* Regis vesaniam & matrimonii sacra humanáque Jura defendenda, arma corripuisse, *Mariana* lib. XV. de Rebus Hispaniæ Cap. XX. commemorat. Ad hosce motus componendos & sustentandam Christianam disciplinam, quæ in Castella prostrata erat (cultus quippe divinus neglectus, Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum Jura usurpabantur, & bona violentis prædationibus exponebantur) *Innocentius* Pontifex Maximus Legatum Apostolicum in Castellam & Legionem misit *Guillelmum* S. Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem, ut ejusdem Pontificis literæ, apud *Odoricum Raynaldum* Num. XXX. testantur. Potestatem factam esse Legato *Petrum* Regem absolvendi, si resipisceret, & Sacrorum usum in Regno restituendi, ex aliis, quas laudat, *Innocentii* literis, compertum est. *Petrum* suorum defectione compulsum, conversionem ad meliorem frugem præ se tulisse, Reginámque in Aulam revocasse, ac ea de re certiorem fecisse *Innocentium*, discimus ex aliis ejusdem literis ab *Odorico Raynaldo* descriptis Num. XXXI. cæterùm brevi rescissam hancce *Petri* cum Regia conjuge reconciliationem, mox que pristinis insani amoris laqueis devinctum, *Padillia* adhæsisse, & in eos qui Reginæ partes defenderant impotenti furore sævisse, utrique Annales cùm Ecclesiæ, tum Hispaniæ tradunt. Ipsum gravissimis literis iterum admonuit Pontifex, ut ex adulterii cœno emergeret, legi Dei obsequeretur, Reginam uxorem susciperet, diligeret; Patrem benignè monentem, suaviter oblectantem audiret: alioqui rigorem Judicis sævientis expertum iri. Pontificias hasce literas descripsit *Raynaldus* ad annum MCCCLVI. Num. XXXVIII. Ipsum aliis increpuit literis *Innocentius*, ob manus injectas in reditus Beneficiorum, quæ Cardinalis *Ægidius* in Hispania possidebat; & quòd Viros Ecclesiasticos opprimeret. Extant apud *Raynaldum*, Num. XL. Iterum Regem in crimine pertinacem monitis Apostolicis couvenit Summus Pontifex

Cardinalis Perronius refellitur, asserens Carolum V. bellum intulisse Petro Crudeli, Castellæ Regi, ut sententiam Pontificiam exequeretur, qua fuerat [illegible] olim [illegible] nihil ex supra bella historia & Caroli Sapientis gestis extundi posse ad debet bonæ illius opinionis de Romani Pontificis & Ecclesiæ potestate [illegible] in temporalia Regum, quam Dominus Cardinalis tuetur.

Pontifex ut Reginam uxorem ad se revocaret, amoréque conjugali complecteretur. *Guidoni* Portuensi Episcopo quem in Hispanias Legatum Apostolicum misit anno MCCCLIX. dedit in mandatis ut Regem ad parendum divinæ legi, monitísque Pontificiis urgeret. Literas *Innocentii* hac de causa scriptas partim laudat, partim describit *Raynaldus* Num. II. Nihil amplius in *Petrum Crudelem* egisse reperio *Innocentium VI.*

Anno MCCCLXIII. sedente in Cathedra *S. Petri* Urbano V. contra *Petrum* Castellæ Regem fuisse *Processus publicatos & portis Ecclesiarum affixos, quos Bononiensis Cardinalis fecerat, eò quod pacta per ipsum Cardinalem, cum esset Legatus, ordinata non servasset*: Id est, pacem cum Aragonio Rege initam anno superiori, Author Anonymus MS. Vaticani à *Raynaldo* laudati Num. XVIII. testatur. In Aragonium enim imparatum contra jura gentium irruerat, occupatáque Calatajuba, ad sex & eò amplius hominum inermium millia trucidaverat. At Cardinalem ultra excommunicationem, & fortè ultra minas progressum non innuit; nec sanè verisimile est, cùm *Urbanus V.* eodem anno ad ipsum literas dederit inscriptas: *Petro Regi Castellæ Illustri*: quibus ipsum rogabat pacem cum Aragonio faceret, ac Oratores mitteret in Curiam cum plena potestate, de suis Juribus ac intentione plenius informatos, concessis interim induciis congrui temporis, quod pro tractatu tanti momenti foret opportunum. Literas obtulit *Petrus* Abbas *S. Michaelis de Clusa*, Sedis Apostolicæ Nuntius. Ad *Petrum* quoque Aragonum Regem literas dedit eadem de causa, sed aliâ verborum formulâ inscriptas: *Magnifico Principi Regi Aragonum Illustri, spiritum consilii sanioris*: Quia censuras contraxerat ob intermissam annis decem annui census solutionem, nec præstitam ipsi *Urbano* clientelarem sponsionem, ratione Regni Sardiniæ & Corsicæ, quod à Summo Pontifice & Romana Ecclesia *in feudum* receperat. Has literas apud *Raynaldum* Num. XVIII. legere & conferre potes.

Anno MCCCLXV. cùm prædonum copiæ, quæ jam *Bertrando Gueselino* ad bellum Hispanicum addictæ erant, Curiæ Pontificiæ terrorem incussissent, ac honesto stipendiorum nomine ingentem auri vim extorsissent, quasi in Mauros Granatenses ituræ, *Petrus Castellæ* Rex officiosissimas literas ad Summum Pontificem dedit, ipsique obsequium omne ad ejus defensionem obtulit, misso ad ipsius Sanctitatem Oratore nobili viro *Alvaro Lupi*. Gratias ipsi egit *Urbanus* datis Literis, quas apud Odoricum Raynaldum legere est Num. VII. *Nos siquidem* (inquit) *cernentes in te dilectissimo filio sic erga Nos & Romanam Ecclesiam dilectionis & reverentiæ gratiam abundare, quòd præ cunctis orbis Principibus Magnificentiam tuam reperimus dispositam ad nostra & ejusdem Ecclesiæ honores & commoda ac beneplacita præparatam; ac considerantes quòd Regiæ Coronæ potentiam, tuum thesaurum, ac personam propriam, contra quoscumque iniquitatis filios, adversus statum & Jura ejusdem Ecclesiæ præsumentes aliquid attentare, etiam propriis tuis prætermissis negotiis (si urgeret necessitas) tam per mare, quàm per terram pro reverentia Dei & Apostolicæ Sedis, nobis & eidem Ecclesiæ ferventissimâ devotione duxeris offerendas: meritò debemus & possumus de tanti filii tam laudabili dispositione lætari, & in te nostræ spei ponere firmamentum. Proinde itaque non valentes tuæ largitati promptissimæ gratiarum condignas reddere actiones, quas possumus tamen tibi paternè referimus, Magnificentiam tuam, quam in fervida voluntate fundatam reputamus facto completam, Apostolicæ commendationis præconio commendantes.* Sanè ad Regem à se excommunicatum, vel exauctoratum, his verbis Pontifex non scripsisset.

Eodem anno Regem rogavit *Urbanus* ut Militum suorum crudelitatem, qui captos Aragonios manibus pedibúsque mutilabant, excæcabant, suspendebant, comburebant, eo jubente, aut permittente, coërceret. * *Rogamus & obsecramus in Domino*, inquit, *quatenus (si ita est) ob reverentiam Regis Regum & nostrarum cordialium precum intuitum, easdem gentes tuas taliter vel aliter sævientes, à tanta crudelitate compescas.*

Apud Odoricum Raynaldum Num. XIV.

Anno MCCCLXVI. idem Pontifex *Petrum* Castellæ Regem rogavit atque hortatus est ut pacem cum Aragonum Rege componeret: misit ad utrúmque *Guillelmum* Cicestrensem Episcopum, Sedis Apostolicæ Nuntium, qui pacis optatæ fœdera promoveret. Literas *Urbani V.* apud *Raynaldum* Num XXX. legere est. Hæc tantùm *Urbanus*, cum *Petro* Castellæ Rege. Tractatum quidem habitum ut *Petrus* à Regno expelleretur, tradit Author Anonymus Vitæ *Urbani V.* apud *D. Bosquetum*; sed nec in Curia Pontificia tractatus ille habitus est, sed in Hispania, ab ipsis Castellanis, nec illius participem fuisse Romanum Pontificem innuit. *Per eadem tempora*, inquit, *tùm Petrus Rex Castellæ in suos inhumaniter desæviret, nunc unum jugulando, & quemque suis bonis spoliando, & aliàs generaliter eos persequendo; ejusque furore perterriti quamplurimi a Regno suo exularent, essetque odium innatum, immo irradicatum inter eos saltem pro majori parte, fuit tractatus habitus ut expelleretur à Regno suo: in quo consentientibus multis tam Nobilibus quàm Ecclesiasticis, & particularibus, fuit vocatus, introductus, & admissus in Regem Henricus Comes de Trastamara, suus frater naturalis.* Denique ubi cædem *Petri Crudelis* ab *Henrico* factam narravit idem Author, subdit: *Et sic hereditas Isaac ad Ismaëlem est perducta: quod an justè vel injustè, est discernere cujus judicia sunt abyssus multa.*

Nangiani Chronici Continuator alter, Author coævus, narrat quæ *Henricus* Comes de Trastamara contra *Petrum Crudelem* objiciebat, & quomodo ipsum è solio deturbaverit, Regiámque Dignitatem consecutus fuerit. *Imponebat illi* (inquit) *quòd non erat verus Regis filius defuncti, sed potius mutatus, & quòd erat filius Judæorum subrogatus per Matrem Reginam secretè citò post partum ejus, loco filiæ quam pepererat, & quod hoc juraverunt Milites Secretarii dictæ Reginæ in morte, qui dictum filium loco filiæ rapuerant silenter à Judæis, & filiam absconderant, quia Rex juraverat se interfecturum Reginam, nisi filium illa vice procrearet. Item objiciebat dicto Petro, ipsum esse hæreticum: & quod pejus est, Legi Judæorum & eis adhærentem, & Legem Domini nostri Jesu Christi vilipendentem & spernentem, & ob hoc secundùm Regni antiqua Jura à Regno ejiciendum & penitus deponendum, & quòd alius institui debeat & eligi in loco ejus, quod & factum fuit. Nam populus Hispaniæ (ut dicebatur) elegerat istum Henricum, altero deposito atque spreto. Item dictus erat sanguinem suorum sitiens, atque vilis vitæ & inhonestæ, ut patuit, quia uxorem propriam de Regali Franciæ Prosapia progenitam, pudicam, castam, sanctam & honestam, propter unam aliam superinductam interfici fecit, & sine causa suffocari. De cujus morte indebita & injusta tota patria condolet & deplorat. Et nihilominus dictus Rex Petrus per Judæos, qui in maxima abundantia erant in Hispania, seipsum & domum suam regebat, & totum Regnum suum per eos gubernabat. Hæc & multa alia enormia de dicto Rege Petro à pluribus dicebantur; & ob hoc Henricus frater ejus, fultus auxilio multo-*

rum Baronum dicti Regni, & Burgensium, ac Militum, dictum Regnum Hispaniæ invaseras, & se Regem de jure & pro Rege, spreto Petro, præferebat. Sententiæ Pontificiæ quâ *Petrus Crudelis* exauctoratus fuerit, & *Henricus* in Castellæ Regnum subrogatus, & qua *Carolus V.* Rex Christianissimus impulsus fit ad copias in *Petrum* submittendas, non meminit Author ille qui tunc scribebat, non omissurus, si res ita se habuisset: siquidem nec rumores incertos, aut calumnias *Petro* impactas à Notho Fratre, scilicet quòd Judeæ fœminæ filius esset, à Reginâ loco filiæ suppositus, hæreticus, & Legi Judæorum adhærens, silentio præterit.

Vol. 1. pag. 270.

Froissardus Historicus refellitur.

Froissardus quidem Avenione in Consistorio publicè excommunicatum ait *Petrum Crudelem* pronuntiatúmque non esse dignum Regio nomine ac dignitate: & Infidelem declaratum: & *Henrico* notho veniam natalium factam ut Regnum obtinere posset, & Regem *Petrum* diris devotum & damnatum Sententiâ Pontificiâ. Sed unius *Froissardi* narratio, nullo fulta Instrumento quod fidem faciat, rejicienda est. Quamquam etsi Pontifex Regio nomine indignum *Petrum* dixisset, quod tot sceleribus contaminabat, licet omnibus execrationibus damnasset, non sequeretur quòd ipsum privasset Regno. Et licèt veniam fecisset natalium *Henrico*, non ideo ipsi Regnum tribuisset, sed declarasset dumtaxat ipsi non obfuturum natalium vitium, si justo bello quod contra Tyrannum suscipiebat, ut se, Regnúmque, Ecclesiam, ac Religionem in periculo constitutas defenderet, ipsum vicisset, atque exauctorasset. Verùm nec id factum à Pontifice, testantur summa ejus moderatio erga *Petrum* Castellæ Regem, quæ in ejus literis supra laudatis elucescit, & summam Historicorum omnium, excepto *Froissardo*, silentium. Quis etiam sibi persuadeat, dictum Regem absentem, inauditum, ab optimo Pontifice damnatum fuisse ut Infidelem? Ut ut est, non Pontificiâ aliquâ Sententiâ in *Petrum Crudelem* latâ excitatus est *Carolus V.* ut bellum ipsi inferret, nec intulit ut commentitiam illam Sententiam exequeretur, sed ut ulcisceretur injuriam *Blancæ* Reginæ, sorori uxoris suæ factam, quam *Petrus Crudelis* dimiserat, vexaverat, probris affecerat, in carcerem detruserat, tandem post injurias omnis generis toto decennio illatas, veneno necaverat. De qua *Mariana* cap. IV. lib. XVII. ita scribit: *Henricus & fratres semper servientes in Galliam concesserunt: quorum partes in Aragonia Castellâque prævalida formidabilésque, Gallorum favore & armis munienda erant. Blancæ Reginæ calamitas gentem permovebat ut arma virésque sociaret. Non latuere ii conatus Castellæ Regem. Iram in Blancam, quasi tantorum bellorum causam continuò vertit. Assidoniæ ubi in custodia tenebatur, ipsam adeundi, aut cum quoquam colloquendi sublatâ facultate, extincta est. Venenum à Medico Viri jussu temperatum. Detestandam vesaniam! Impium & crudele facinus! Puellam insontem, Regio sanguine nobilissimam, lectissimâ formâ, sanctissimis moribus prudentiâque, XXV. ætatis anno peremptam. Nulla ab omni memoria eo loco fœmina majori miseratione. Alias quidem à viris interfectas pulsásve meminimus, sed aliquâ suâ culpâ. Certè arridentem fortunam aliquando experta, præsentem dolorem melioris olim temporis recordatione lenire potuerunt. Blancæ primus nuptiarum dies funeris instar fuit, relicta, inclusa, deducta, ubi nihil præter calamitatem esset: pulsis domesticis, pellice validiore, auxilio suorum longinquo. Sed te, Rex truculente, fera verius immanis, divina ira manet: tuum caput hoc sanguine consecratur.* Ad ultionem itaque sumendam de *Blancæ* Reginæ affinis suæ cæde; ad ferendum auxilium Castellanis Principibus, ad succurrendum Religioni & Ecclesiæ quibus periculum imminebat, cùm Rex Crudelis Mauros in armorum societatem vocasset, pacto cum ipsis fœdere; ad ejus tyrannidem comprimendam, quâ in Proceres plebémque sæviebat, *Frederici* unius è suis fratribus, aliorúmque cum sacratorum hominum, tum secularum è primaria Nobilitate cædibus contaminatus, ut fera potius quam homo videretur: non ad exequendam Sententiam exauctorationis in ipsum à Pontifice latam, quæ revera nulla fuit, arma contra *Petrum Crudelem* movit *Carolus* Rex Christianissimus.

Pag. 181.

Scribit quidem *Walsinghamus* in Historia Anglicana ad annum MCCCLXVI. *Bertrandum Guesklinum cum magna comitiva processisse contra Petrum Regem Hispaniæ, ut illum deponeret, fretam auxilio & favore Papæ.* At licèt Pontifex Regi Christianissimo faverit justum bellum gerenti, & causæ æquitatem approbaverit, indéne colligi potest quòd Sententiam depositionis in *Petrum Crudelem* tulerit? Sanè non unus est favendi modus: nec sequitur Reges qui aliis bella gerentibus favent vel auxiliantur, in illos Principes, quos bello petunt, exauctorationis ferre Sententiam, vel in eorum temporalia potestatem habere. Cœterùm *Henricum* fratrem *Petri* nothum *assensu majoris partis Dominorum Hispaniæ, sive Communium, & auxilio comitivæ prædictæ, factum esse Regem* testatur, non Romani Pontificis auctoritate. Hæc observare contra doctissimum Cardinalem *Perronium* operæ pretium erat. Nunc ad *Carolum Sapientem* redeat oratio.

Bellum Anglicum à Carolo V. gloriosè ac feliciter gestum.

Bellum ille gessit alterum adversùs Anglos, quos mari terráque vicit, & Aquitaniam ac Novempopulaniam omnem, Burdegala & Baiona exceptis, in potestatem redegit, Ducibus Fratribus, nec non *Bertrandi Guesklini* Magistri Equitum, & *Clissonii* virtute. Sapientia, consiliis, pietate, decretis nimirum totâ Galliâ publicis precibus, Archiepiscopi Tolosani in Juribus Regiis prædicandis ardore & efficaciâ, non minùs quàm exercituum fortitudine, Rex Christianissimus de hoste triumphavit, & inustum olim Pictavensi prælio Gallico nomini dedecus abstersit. Bellum denique gessit Aremoricum adversùs *Montefortium* Ducem Anglis adhærentem. De hisce bellis legendi Continuator Guillelmi Nangii, Froissardus, Walsinghamus, Paulus Æmilius, aliique Historici.

Caroli V. Lex.

Regiæ Domûs Regnique tranquillitati prospiciens, edixit Lege latâ *Carolus V.* ut Regum Franciæ Primogeniti, quamprimùm annum ætatis XIV. attigissent, inaugurarentur, suique juris fierent, & subditorum Hominia Juramentáque fidelitatis reciperent. Lex condita est in Nemore Vincenarum anno MCCCLXXIV. Augusto mense, & in Senatu Parisiensi promulgata die XX. Maii anni sequentis. Vestes dissolutas, calceosque rostratos *Edicto prohibuit. Unicam duxit uxorem *Joannam* filiam *Petri* Borbonii Ducis, ex qua duos filios suscepit, *Carolum*, qui patri successit, & *Ludovicum* Aurelianensem Ducem, & sex filias, quæ nubilem ætatem non attigerunt. Obiit Rex *Sapiens* die XVI. Septemb. anno MCCCLXXX. ætatis XLIV. Regni XVII. Corpus ejus ad *Sancti Dionysii* sepultum, cor in Metropolitanam Ecclesiam Rothomagensem delatum, viscera Malodumi condita juxta sepulchrum Reginæ Matris. Viros eruditos, literásque dilexit. Ejus mandato libros *S. Augustini*

Liberi.

Obitus.

Caroli Sapientis elogium.

ni de Civitate Dei Gallicè reddidit *Rodolphus Pralens* Advocatus Parisiensis. Editus eodem regnante, ejusque Majestati dicatus liber de Regia & Pontificia Potestate, cujus Author ignorari nomen suum voluit. Opus inscripsit, *Somnium Viridarii*, cujus idcirco mentionem facio, quòd *Caroli Sapientis* Elogium absolutissimum paucis complectatur, cap. cxxxv. *Nemo*, inquit, *est argutior eo in Consiliis, in eloquio tersior, securior in periculis, in prosperis timidior, constantior in adversis. Quem semel dilexit, vix odit; quem verò semel exosum habuit, vix in gratiam familiaritatis admittit: vix tamen pœnitenti redeunti claudit gremium. Quoties potest à curis & solicitudinibus respirare, secretâ se occupat lectione aut in cuneo Clericorum aliquem modum quæstionis laborat evolvere. Nam apud eum est quotidiana Literatissimorum conversatio, & jugis discussio quæstionum. Nullus Rege nostro honestior, in loquendo urbanior, moderatior in bibendo; nullus magnificentior in donis. Ideòque quasi unguentum effusum est nomen ejus, & eleemosynas ipsius enarrat omnis Ecclesia Sanctorum. Rex noster pacificus, virtuosus in bellis, gloriosus in pace, super omnia hujus mundi desideria zelatur & procurat pacem populi sui: & ad pacem pertinet quicquid cogitat: ne quiescat populus suus, labores anxios & enormes incessanter assumit. Ad pacem populi spectat, quòd Consilia vocat, confirmat fœdera, quòd amicitias jungit, quòd prælia minatur, Principibus terrores incutit. Ad pacem populi spectat immensitas illa pecuniarum, quam donat, quam recipit, quam congregat, quam dispergit in muris, in propugnaculis, in munitionibus, in fossatis, in clausuris ferarum & piscium, in Palatiorum ædificiis, nullus subtilior, nullúsque magnificentior invenitur. Pater ejus potentissimus & nobilissimus; sed iste paternis facultatibus superaddens, in fortitudine manus ejus Ducatum Aquitaniæ, Britanniæ acquisivit. Nullus mansuetior est afflictis, nullus affabilior pauperibus, nullus importabilior est superbis.... Dominum Carolum Delphinum Viennensem filium suum primogenitum literis atque disciplinis solerter & prudentissimè fecit erudiri, ut sic cùm hominem Carolus V. egressus fuerit, surgat VI. nedum Regni, sed & prudentia Successor paternalis & hæres.*

Apud Goldast. tom. I. Monarchiæ.

Carolus V. à calumnia vindicatur.

Caroli V. nomen immeritò proscindit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCLXXVIII. Num. LX. & LXII. Sapientem piùmque Regem *maximum schismatis suasorem* appellans, qui *per tyrannidem invitos & reluctantes Gallos coegerit ad scelus*, & qui *vi Regia Doctorum Parisiensium libertatem oppresserit.* Constat enim ex *Caroli V.* Literis, ex Ecclesiæ Gallicanæ Deliberatione in Conventu habito ad saltum Vincennarum anno MCCCLXXVIII. ex Universitatis Parisiensis Responso & accessione ad obedientiam *Clementis VII.* post maturam causæ tam difficilis discussionem; ex coævis & probatæ fidei Historicis, Continuatore Guillelmi Nangii, Joanne Juvenali de Ursinis in Historia Caroli V. ex Chronico MS. Gestorum ejusdem Regis, Paulo Æmilio, &c. *Carolum V.* omnes humanæ & Christianæ prudentiæ leges hoc in negotio secutum; Cardinalium omnium qui *Urbani VI.* & *Clementis VII.* electionibus interfuerant, Protestationibus & testimoniis, Præsulum & Doctorum Regni, sui Consiliis ac Responsis adductum, *Clementi VII.* adhæsisse. Nec schismatici dici possunt, qui bona fide illum coluerunt, quem legitimum censebant Pontificem, gravissimis & verisimillimis rationibus persuasi quòd *Urbani VI.* electio per impressionem facta, adeòque irrita esset.

Adversus Raynaldus scribitur.

Falsò scribit idem *Raynaldus* ad annum M.CCCLXXX. Num. I. *Carolum V.* pœnituisse quòd *Clementis VII.* causam promovisset, *agnovisséque, quamvis serò, temerè se ab Urbano ad Antipapam defecisse.* Ad Obedientiam enim *Clementis* ipsum bona fide accessisse, in ea mansisse, ac defunctum esse, paratissimum tamen ad parendum universalis Ecclesiæ hac de causa Judicio, probat publicum Protestationis Instrumentum, quam ejus Majestas ante mortem edidit; quod idem Author secum ipso non minùs quàm cum veritate pugnans describit. Rex enim *proprio motu* declarat, *quòd cùm occasione schismatis, quod nunc est in Ecclesia sancta Dei, ipse per scripta Cardinalium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad quos, ipsa vacante, Summi Pontificis electio spectat, & quicquid in ea fit potest & debet veracius quàm per quoscumque alios apparere, attestantium Clementem VII. per ipsos fuisse & esse ritè & canonicè electum in Papam: habitâque postmodum per eum plurium Prælatorum ac Clericorum sui Regni, & ejus Consilii providâ & maturâ deliberatione, pro parte ejus*dem Clementis *se determinaverit, & dictorum Cardinalium adhæserit opinioni: Inde quia ex dictis aliquorum posset in futurum fama forsitan divulgari, eosdem Dominos Cardinales, Inimico humani generis permovente, aut aliàs ex invidia, odio vel favore super hoc minùs debitè processisse... Rex asseruit & confessus est, quòd ipse non ex cognatione carnali, seu alia inordinata affectione quacumque motus, sed solùm determinatione & declaratione dictorum Cardinalium, Prælatorumque, & aliorum Clericorum prædictorum, & Consilii sui deliberatione intervenientibus, credens bene & licitè facere; Partem præfati Domini nostri Papæ tenuit & tenet: In casu autem quòd sic se habendo dicerent eum aliqualiter errasse, quod propter prædicta non credidit, nec credebat, sua tamen erat intentionis, & ita suis protestatus expressè, ipsum velle semper tenere & sequi opinionem & declarationem Sanctæ Matris ac universalis Ecclesiæ, & quod fieret & determinaretur super hoc per Generale Concilium, vel aliud conveniens, ne de contrario, si quid inscienter egisset, à Deo posset redargui, vel culpari, cupiens in Protestatione & Confessione hujusmodi, ut verus Ecclesiæ filius stare perpetuò firmiter & manere.* Venenatum fuisse Scriptoris illius calamum evidens est, qui Christianam adeo & sinceram Sapientis Piique Regis Protestationem referens, in ejus Majestatem tam impotenter debacchatur.

Falsò denique scribit idem Author *Carolum V. cœlesti ira ob discissam Ecclesiam exarsisse*, quod testimonio *Roderici Ruizii* Hispani, Ordinis Fratrum Minorum confirmat, quem *Wadingus* aliique ejusdem Ordinis Scriptores Prophetiæ dono claruisse fingunt: & tamen idem *Raynaldus* coævum Autorem laudat, qui Sapientem Regem veneno epotum scribit. Et revera, quòd paulatim contabuerit, effectus naturalis veneni fuit, quod ipsi viginti ampliùs annis ante schisma propinatum fuerat à *Carolo* Navarræ Rege, cui *Malo* cognomen, paulò post Pictavensem Cladem, ut Historiæ Francorum Scriptores testantur, quos si secutus fuisset *Odoricus Raynaldus*, potiùs quàm visiones capitis sui, Sapienti Regi tam iniquus non fuisset, nec tam miserè in hoc Historiæ capite fuisset hallucinatus.

Nangii Continuator, Juvenalis de Ursinis, Froissart.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 400. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Jus Regaliæ sibi reservat Rex Galliæ in cessione Ducatûs Burgundiæ.*

R. *Carolus V.* Rex Christianissimus Burgundiæ Ducatum Philippo fratri confirmavit, ea inter alias conditione, ut jus Regaliæ, aliáque Jura Regia ejus Majestati servarentur. Id ex ipsis Regiæ Donationis & confirmationis tabulis verbísque probavi. Historiæ res est.

SCHOLION II.

Ad ejusdem Articuli paginam 401. hanc notam apposuerunt Religiosi Censores: *Impugnat sententiam de Pontificio jure exauctorandi Reges ut erroneam.*

R. Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ sententiam hac in re sequor, verba usurpo. Mihi succensere non debent Religiosi Censores, in Sacra Facultate Parisiensi Doctori, quod in ea Quæstione de qua disputare licet, cùm eam non finiverit Ecclesia, Theologorum Parisiensium sensu ac mente loquar.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 413. hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Caroli V. nomen immeritò proscindit Odoricus Raynaldus.*

R. *Caroli V.* Regi Christianissimi nomen à calumnia vindicare contra exterum Historicum, officii duxi, ipsámque vindicavi, ut ego quidem existimo, veritatem.

ARTICULUS X.

De CAROLI VI. Gestis Seculo XIV.

CArolus VI. ex Procerum & Optimatum consilio statim post obitum Patris inauguratus est, decretúmque, ut in ejus verba juraretur, ejus nomine res militares civilésque administrarentur, ejus sigillo Literarum & Diplomatum fides constaret: *Ludovicus* Dux Andium, Regis Patruus natu major, Regni Regens diceretur, *Philippus* Burgundiæ Dux, Patruus alter, & *Joannes* Dux Borbonius Avunculus, Regis, Fratrísque educationem curarent; domanii reditus ac vectigalia in Regium ærarium inferrentur, Regiæ suppellectilis Dux Andegavensis custos esset. Cardinalis Ambianensis *Joannes de Grangia* ex Ordine *S. Benedicti* assumptus, sub *Carolo V.* Ærarii Præfectus, author fuisse gravium tributorum, ac ex ea re ipse crevisse insimulabatur: & ab illo *Carolus VI.* se vivo Patre non satis officiosè, nec ea quâ par erat observantiâ habitum existimans, ad *Savosium* qui prope astabat conversus: *Ecce jam*, inquit, *Savosi, ab hoc Sacerdote liberi erimus.* Quo verbo territus, confestim Avenionem se recepit, exportato ingenti thesauro, quem sibi ex publico contraxerat. Ita post *Juvenalem de Ursinis* refert *Robertus Gaguinus*, qui & hac occasione non satis consultò addit: *Compertum esse inter Francos plus damni in Rempublicam invehi dum Sacerdotis consilio res agitur, quàm cùm Prudens aliquis ex seculi Nobilitate rebus gerendis præficitur: ille enim nescio quâ insatiabili ambitione omnia sibi vendicat: hic populi misertus, & communitatis detrimentum suum esse ratus, Reipublicæ, ut potest, bene consulit. Ille fastum & pompam ex dignitate metiens, eò audaciùs divitias congerit, quò minùs ultionem timet, Ecclesiastica libertate protectus: Hic autem opes suas cum Republica conjunctas esse non ignarus, ex publico incommodo privatum quoque auguratur.* Ante Inaugurationis Regiæ solemnia, *Oliverius Clissonius*, Aremoricus, Magister Equitum seu Stabuli Comes creatus. Plebi ad seditionem pronæ, quam *Miles de Dormanis* Episcopus Bellovacensis & Cancellarius prudentia, eloquentia, mansuetudine delinivit, concessa vectigalium subsidiorúmque remissio, quam *Carolus V.* moriens imperaverat. *Joannes Maresius* Regius Advocatus, Regis, Consiliique mandato ad populum Orationem habuit, hoc sumpto themate: *Novus Rex, nova Lex, novum gaudium.* Anno vix elapso, subsidiorum collatio iterum decreta, rerum venalium vigesima indicta est. Novis propterea seditionibus Lutetia Parisiorum & Rothomagus conflagrarunt. Insana plebs castigata. Rex tandem exoratus veniam Parisiensibus concessit, ea lege ut centum millia nummorum urbs contribueret.

Ludovicus Dux Andium Siciliæ Rex à Clemente VII. coronatus.

Ludovicus Dux Andium, Regni Regens, à *Clemente VII.* cui Gallia adhærebat, cujus ipse partes acriter promoverat, Siciliæ Hierosolymorúmque Rex Avenione coronatus, in Italiam transmisit, domitis Provincialibus, anno MCCC. LXXXII. sed ejus exercitus intercluso commeatu à *Carolo Dyrachino* pro Rege Siciliæ se gerente, pars hostium insidiantium armis, pars caloris æstivi intemperie, pars annonæ angustiâ periit. Frustra *Carolum* ad prælium excire conatus est. Tandem morbo ex ira & dolore contracto correptus, obiit die XXI. Septembris MCCCLXXXV. Dum inani spe Siculi Regni elatus, negotio quod ipsi exitiale fuit, intenderet, *Carolus* Rex Christianissimus Flandricum bellum gessit ad tuendum Comitem contra *Artevillum* perduellem. Rosebequensi prælio celeberrimam retulit victoriam. Cæsa rebellium circiter quadraginta millia, Dux ipse *Artevillus* occubuit. E Francorum exercitu tres dumtaxat & quadraginta cecidere. Rex victor Parisios, cum exercitu regressus, præteritarum seditionum memor, cives perdomare decrevit. Triplici acie, sub signísque urbem ingressus, catenas revelli, arma civibus auferri jussit, trecenti seditiosi scelus capite luerunt. Principum oppressus invidiâ *Joannes Maresius* Regius Advocatus, qui tribus Regibus ob præclarè in eorum Majestatem Regnúmque merita charus fuerat, omnémque adhibuerat operam ac industriam ut plebem in officio contineret. Qui cùm ad supplicium duceretur, cunctis ejus vicem dolentibus, intrepidus ipse Davidicum illud recitabat: *Judica me Deus, & discerne causam meam.* Secundùm hæc, Rex populo ad Regiam vocato, in Solio ad gradus posito Regio ornatu conspicuus, militibus circumfusis, Cancellarium jussit suæ Majestatis nomine verba facere. Is erat *Petrus de Ordeomonte*, qui acerba Oratione in plebem invectus est, infidelitatem, crudelitatem, seditionem, defectionem coarguens. Ubi peroravit, Regis Patrui pro Regia Urbe deprecati, fœminæ Principes crine sparso, perfusæ lachrymis, Regiam clementiam exorabant, plebs miserabili ejulatu misericordiam implorabat. Pœna capitis teis condonata, bonorum media pars addita fisco. Vetitum ne Præfectus Mercatorum, Ædiléſve crearentur. Pari severitatis exemplo edocti Rothomagenses, Edictis Principum non impunè resisti. Anno sequenti, cùm Angli in Belgium trajecissent, Rex habito delectu eam in Provinciam progressus, ipsos Borburgo & Gravelinga, quas in potestatem redegerant, expulit.

Bellum Belgicum.

Regia in cives Parisienses severitas.

Bellum Anglicum.

Anno MCCCLXXXV. bellum in Anglos à Rege decretum est. Instructa classis. *Joannes Vienneusis* bello mari gerendo Præfectus, in Scotiam transmissus, ut copiis cum amico fœderatóque Rege conjunctis inde Anglos premeret, impigrè res gessit, oppida aliquot de Anglis cœpit antea inexpugnabilia Scotis visa, ferrum ignémque circumtulit. Tandem Scotos inter & Francos ortâ dissensione, in Gallias rediit, statumque rerum Anglicarum Regi exposuit, Anglos domi facilè vinci asserens, foris ægrè. Eodem anno Rex *Elisabetham*

Isabetham Bavaram uxorem duxit. Nuptiæ maxima pompa Ambiani celebratæ. *Clemens VII.* quem Gallia ceu Pontificem Maximum venerabatur, Abbatem *S. Nicasii* Remensis miserat, ut redituum Ecclesiasticorum mediam partem à Clericis omnibus ad suam Cardinaliúmque sustentationem exigeret. Parisiensis Universitas Regem supplex exoravit, ut malo, quod Ecclesiam Gallicanam & Academiam premebat, auctoritate sua, ut Protector utriusque mederetur. Rex edixit ne aurum vel argentum extrà Regnum efferretur: ut fructus Beneficiorum sub manu Regia essent, pars tertia in Ecclesiarum atque ædificiorum restaurationem impenderetur, altera oneribus exolvendis, reliqua in victum Clericorum cederet, *Arnaldus Corbeiensis*, Senatus Princeps, ad Pontificem missus, qui moneret ipsum, Cardinalésque, ne iniquis exactionibus Gallicanam Ecclesiam, & Regem Christianissimum à se alienarent. Ita refert *Joannes Juvenalis de Ursinis* in Historia *Caroli VI.* Anno MCCCLXXXVI. Armeniæ Rex qui in Gallias confugerat, à Rege Christianissimo auxilia contra Turcas rogaturus, pacis inter Anglos Francósque sequestrem se obtulit. Rex uterque se à pace non abhorrere professus est. Caletum ac Boloniam Oratores missi; frustra fuit Armeni Regis opera, frustra collationes atque tractatus: Anglis propositiones æquas superbè respuentibus, re infectâ discessum. Rex majori quàm priùs ardore bellum Anglicum meditatur, classem instruit, copias conscribi jubet; subsidia populo imperantur, magna pecuniæ vis à Clero mutui nomine exigitur. Nongentarum navium classis, octo millia Equitum, pedites innumeri, Clusis ad transfretandum parati, Mandata Regia expectant. *Joannis* Biturigum Ducis, Regis Patrui cunctatione tandem dissipatur apparatus: Angli non secus ac de parta victoria solemni ritu grates Deo referunt.

Carolus VI. Regnum per se administrat.

Anno MCCCLXXXVIII. Rex *Carolus*, cùm annum primum & vigesimum prope attigisset, Patruis cum gratiarum actione dimissis, rerum administrationem suscepit. Hujus ipsi consilii author fuit *Petrus Aiscelinus*, ex Ordine *S. Benedicti* ad Laudunensem Episcopatum assumptus, deinde S. R. E. Cardinalis renuntiatus, & ad Remensem Archiepiscopatum translatus, quem paulò post Principum invidia (ut ferebatur) veneno extinxit. Rex Decessorum suorum Edicta recensuit, confirmavit, promulgavit, ad amussim observari jussit. *Joannem Juvenalem de Ursinis*, Advocatum, Historici Patrem, Præfecturæ Mercatorum Custodem instituit. Sic enim appellari placuit, ne Magistratus ob Plebis culpam abrogatus, planè restitutus videretur. Nullum ponebat largitionibus modum. Unde Auctores summarum, cùm rationes in fiscum referrentur, eas magna ex parte delebant, ac tabellis quibus nomina muneráque data continebantur, hæc verba subscribebant: *Nimis habuit. Recuperetur.* Dux Biturigum Occitanos, quibus Regis nomine præerat, exactionibus premebat immodicis. Hunc à Monacho Benedictino coram sua Majestate primùm accusatum, repetitis Provincialium clamoribus, quorum pars maxima in finitimas Provincias, vel in Hispaniam excedere ob onerum gravitatem cogebatur, plusquam satis convictum, Rex à Præfectura removit.

Ludovici II. Siciliæ Regis inauguratio.

Anno MCCCLXXXIX. *Ludovicus II.* Siciliæ Rex, Dux Andegavensis, & Provinciæ Comes, à *Clemente VII.* est inauguratus. Adfuit Inaugurationis Solemniis Rex Christianissimus. Ritum in ea observatum, ex Regesto Cameræ Computorum descriptum à D. *De Vion d'Herouval*, edidit *Dionysius Godefridus* in Annotationibus ad Historiam *Caroli VI.* pag. 566.

Bellum sacrum.

Anno MCCCXC. Genuenses missis ad *Carolum* Regem Oratoribus, auxilia contra Saracenos, oram Italiæ, Insulásque inferi maris infestantes, rogarunt. *Ludovicus* Dux Borbonius, Regis Avunculus sacro bello gerendo ultro se Imperatorem obtulit. In hanc militiam ingens multitudo Procerum certatim nomina dedit. Transitu in Angliam æmulatio virorum, in triennium induciæ confirmatæ. Primariæ Nobilitatis Juvenes, cum valida manu Sagittariorum, in Franciam transmisere, & vires utrimbique consociavere. Genuam appulsi, cum instructâ classe, & auxiliaribus Venetorum copiis, in Africam trajecere, ubi Tunetum urbem munitissimam frustra oppugnarunt; sed Saracenorum magnam stragem in acie fecere. Tandem Regi Tuneti has imposuere conditiones pacis, ut Afri finibus suis se continerent, abstinerent orâ maritimâ Italiæ Galliæque, ac Insulis Africæ Europæque interjectis, captivi Christiani nominis redderentur, decem millia aureorum illico numerarentur. Ita referunt *Joannes Juvenalis de Ursinis*, *Paulus Æmilius*, aliíque Historici.

Caroli VI. morbus.

Anno MCCCXCI. cùm in minores Britanniæ Docem progrederetur *Carolus VI.* in Cenomanis ardore Solis icto capite, in amentiam phreneticámque incidit, quâ ex intervallo redeunte, Regni Procuratio ex Ordinum Sententia Patruis Regis *Joanni* Biturigum, & *Philippo* Burgundionum, Ducibus demandata est, *Ludovico* Regis fratre, Aurelianorum Duce rejecto, quod implacabilis Burgundionem inter & Aurelianensem, & utriusque stirpem odii semen extitit. Quoties Rex in pristinam sanitatem restitutus est, ac sui compos fuit, ad Ecclesiæ pacem procurandam, & schisma, quod ipsam discerpebat, extinguendum, toto animo, studio, auctoritate incubuit, Ecclesiâ Gallicanâ & Universitate Parisiensi apud ejus Majestatem agentibus, eámque suis consiliis in Dei opere dirigentibus. Quæ negotium illud spectant, singulari Dissertatione de Schismate, & de Pisano Constantiensique Conciliis, in Historia Ecclesiastica XV. Seculi exponam.

Regni procuratio patruis Regis demandata.

Anno MCCCXCV. *Isabella* Caroli VI. filia septennis *Richardo II.* Angliæ Regi pacta est. Tractatum Matrimonii legere est in Annotationibus *Dionysii Godefridi* ad Historiam *Caroli VI.* pag. 578. Anno sequenti Angliæ Rex in Colloquium cum Rege Christianissimo descendit, qui Regiam Virginem *Isabellam* ipsi in manum tradidit. Oppida Brestum ab eo & Cæsaroburgum recepit, alterum Britanniæ, alterum Normanniæ contributa. *Joannes* Comes Nivernensis, *Philippi* Burgundiæ Ducis filius, *Sigismundo* Hungarorum Regi adversùs Turcas suppetias ivit cum fortissimis Ducibus *Bucicaldo* Polemarcho, *Joanne de Vienna* Bellorum Navalium Præfecto, aliísque ex prima Nobilitate Proceribus, & electa militum manu. Ea expeditio Juvenis Principis temeritate Gallis infausta fuit. Ad Nicopolim enim, à *Bajazethe* plerique omnes deleti sunt. Princeps in hostis potestatem venit, cum *Bucicaldo*, *Joanne Viennensi*, *Conciaco*, & trecentis circiter militibus. Proceres servati, milites jubente *Bajazethe* perempti; *Conciacus* obiit in carcere; Nivernensis Comes & *Bucicaldus* auro redempti. Hancce cladem prolixiùs describunt *I. Juvenalis de Ursinis*, & *Froissardus*. Eodem anno Genuenses se Regi Christianissimo dediderunt, qui civitatis, ac territorii possessionem anno sequenti per Oratores iniit, ut docet Instrumentum editum à D. Godefrido in Observationibus ad Historiam *Caroli VI.* pag. 586.

Affinitas Caroli VI. cum Richardo II. Angliæ Rege contracta.

Genuensium deditio Carolo VI.

Anno MCCCXCIX. *Bucicaldus* Polemarchus *Manueli* Græcorum Imperatori auxilio contra Turcas à Rege missus, cum lectissimorum mille & ducentorum

ducentorum manu, magnis cladibus Infideles affecit. Rex Edicto vetuit ne quis Romam proficisceretur, aut pecunias efferret, occasione Jubilæi in annum sequentem incidentis; quod *Bonifacius IX.* Romæ sedens Pseudopontifex à Gallicana Ecclesia haberetur. Frequentem nihilominus eò fuisse Gallorum concursum religionis causâ, *I. Juvenalis de Ursinis* testatur. Cùm in Ecclesiæ Gallicanæ Conventu anno superiori decretum fuisset, ut suis Libertatibus frueretur, utque Beneficiorum Collatio penes Ordinarios esset; hac potestate in suorum domesticorum gratiam abutebantur, Viris Academicis penitus neglectis. Qui Regem Privilegiorum suorum Conservatorem appellarunt, justitiúmque in Academia indixere, donec ipsis provisum esset. Ita refert *Juvenalis de Ursinis.*

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag 419 Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Mittitur Orator ad Papam, ne inquit exactionibus vexet Clerum Gallicanum.*

R. Mera facti quæstio, cujus testis est *Joannes Juvenalis de Ursinis* in Historia *Caroli Sexti.*

SCHOLION. II.

In eodem Articulo, pag 423. hanc propositionem notant Religiosi Censores: *Imperat Rex ne quis occasione Jubilæi Romam pergat, quia Bonifacius habebatur pro Pseudopapa.*

R. *Carolum Sextum* Regem Francorum Edicto prohibuisse ne quis Romam proficisceretur, aut pecunias efferret, occasione Jubilæi; quòd *Bonifacius Nonus* Romæ sedens Pseudopontifex à Gallicana Ecclesia haberetur: Frequentem nihilominus eò fuisse Gallorum concursum Religionis causâ, *Juvenalis de Ursinis* scripsit, ex quo id refero. Mera facti quæstio est.



CAPUT XI.

De Regibus Hispaniæ, Seculis XIII. & XIV.

ARTICULUS I.

De ALPHONSO VIII. Castellæ, aliis IX. ALPHONSO Legionis, PETRO II. Aragonum, & ALPHONSO II. Lusitaniæ, Regibus.

Alphonsus VIII Rex Castellæ.

I. ALPHONSUS VIII. Castellæ Rex annum Regni numerabat XLII. decimo tertio ineunte Seculo, cùm arma contra Vvasconas movit, junctis cum Aragonio Rege viribus. Victoriam, Alavámque universam suo subjecit Imperio, *Sanctio* Vvasconum Rege in Africam digresso, ut à Miramamolino *Abeninzepho*, proh nefas! auxilia postularet. Anno MCCX. Reges quatuor, Castellæ scilicet, Legionis, Aragonum, & Vvasconum, pace ex magnis diuturnisque dissidiis factâ, adversùs *Mahomadem* Maurorum Regem, qui Hispaniam universam occupare decreverat, junctis viribus progressi sunt. Ad Marianos Bæticæ montes, quos *Sierra Morena* vocant Hispani, saltúsque Castulonensis fauces, quibus *Loja* nomen erat, signo Crucis Dominicæ præeunte, & vexillo in quo Imago Deiparæ Virginis delineata erat, nobilissimam adepti sunt victoriam. Saraceni ad centum millia in prælio cecidere, Christiani viginti quinque, aut

Bellum Saracenicum.

Insignis victoria.

trigiota duntaxat. Legendus, qui hujus expeditionis pars magna fuit, *Rodericus* Toletanus Archiepiscopus, lib. VIII. de Rebus Hispaniæ, *Joannes Mariana* lib. x. cap. XXIII. & XXIV. sed maximè legenda ipsius *Alphonsi* Castellæ Regis Epist. I. ad *Innocentium III.* rerum gestarum relationem continens, apud eundem Autorem, cap. XXV. Secundùm hanc victoriam, oppida plurima Infidelibus erepta. Anno MCCXIII. cum de nova in Saracenos expeditione cogitaret, ab eo consilio ad inducias ipsis concedendas est abductus, tum publica famis calamitate, quæ hoc anno Hispaniam oppresserat, tum studio Anglis opitulandi, qui Francorum armis pene in, de Aquitaniæ Imperio periclitabantur. Obiit *Alphonsus* Castellæ Rex anno MCCXIV. pridie Nonas Octobris, factâ priùs peccatorum Confessione *Roderico* Toletano Archipræsuli, & sacro Corporis Christi percepto Viatico, non tantùm plenus dierum, sed virtutibus & honore: cum quo totam Castellæ gloriam sepultam scribit idem *Rodericus Ximenius.* Annis vixit LVII. è quibus annis tribus & quinquaginta regnavit. Corpus in Regali Monasterio prope Burgos sepultum. Toletano Archipræsuli Cancellarii Dignitatem Jure perpetuo confirmavit. Uxorem duxerat *Leonoram,* Henrici Regis Angliæ filiam, ex qua liberos utriusque sexus septem suscepit, *Sanctium* qui puerilibus annis, *Ferdinandum,* qui adultâ jam ætate, in fata concesserunt, *Henricum* qui patri successit, *Blancam* quæ nupsit *Ludovico VIII.* Regi Christianissimo, & *Ludovicum IX.* Regem Sanctissimum peperit, *Berengariam* quæ *Alphonso* Legionis Regi, *Wracam* quæ Regi Portugalliæ collocata est, & *Leonoram* quæ uxor fuit *Jacobi* Aragonum Regis.

Alphonsus Castellæ Rex obiit.

Liberi.

II. *Alphonsus* Rex Legionensis superiori seculo regnare cœperat. Magnas Mauris clades intulit. Alcantaram firmissimum oppidum de illis captum, Calatravæ Equitibus attribuit: unde tanquam ex arce munitissima in Barbarorum fines incurrerent, eorúmque impetus propulsarent. Anno MCCXXX. bello in Mauros redintegrato, Castra Cæcilia expugnavit. Commisso ad Emeritam prælio stragem hostium edidit tantam, ut præ metu pleráque eo tractu oppida deservêrint. Emeritam ac Pacem-Augustam ipsis eripuit. Dum Compostellam pergeret, pro victoria Deo gratias acturus, morbo correptus, atque oppressus est. Filios reliquit ex *Therasia* quidem *Sanctiam* & *Dulcem*, ex *Berengaria* verò *Ferdinandum* Castellæ Regem, & *Alphonsum*, cui Molina Principatus fuit. Eo regnante, *Marci Guterrii* viri nobilis & bello maximi fides non minùs quàm fortitudo celebrata est. Is cuidam Castro à *Didaco de Haro* Præfectus, adduci non potuit ut *Alphonso* Legionis Regi illud obsidenti dederet, annona licet penitus defecisset, nec spes esset ulla commeatus: sed inedia pene exanimis, appensis ad collum arcis clavibus, ad portam interiorem decubuit, ut arcem subituris hostibus sese obicem opponeret. Cujus virtutem Rex admiratus, cum adhibitis fomentis ac cibis vires paulatim recuperasset, magnis ipsum muneribus donare voluit, quæ magnâ respuit constantiâ. Absit, inquit, ô Rex, ut à te aliquid accipiam, qui gloriam, qui honorem arripuisti meum. Erat mihi sempiterna gloria in arce mori, quam tu ut viverem abstulisti. Ibo, si permittis, ad Dominum meum libens, ut vitam adimat, quam tu invito donasti. Refert *Rodericus Santius* Historiæ Hispanicæ P. III. Cap. XXXVII. Duobus & quadraginta annis regnavit *Alphonsus*, æqui justique tenacissimus Princeps: quo studio Magistratibus Juri dicundo de publico salaria constituit, ne accipiendis præ inopia muneribus Judicia corrumperentur (inquit *Mariana.*)

Alphonsus Rex Legionensis.

Victoriæ de Mauris reportatæ.

Ejus obitus.

Liberi.

Marci Guterrii fortitudo, fidésque.

III.

Petrus II. Rex Aragonum.

III. *Petrus II.* Rex Aragonum *Alphonso II.* patri successit. Victoriæ celebris de Mauris reportatæ, cujus supra meminimus, fuit particeps, gloriámque sibi hoc bello peperit singularem. Anno MCCIV. Romam profectus, à *Petro* Portuensi Episcopo inunctus est, & ab *Innocentio III.* Pontifice Maximo Regio diademate insignitus. Id ex azymo pane confectum ferunt: idque voluisse Regem, quòd cùm Romanos Pontifices intellexisset pedibus Coronam Regibus imponere consuevisse, sibi ob reverentiam panis, non pedibus, sed manibus imponendum sit arbitratus. Ita refert *Hieronymus Blanca*, idque ex *Ferdinandi* Cæsaraugustani Episcopi scriptis se didicisse profitetur. Quod sanè mihi fabulam olet, cùm nulla Historiæ Ecclesiasticæ Monumenta id testentur, id *Innocentii III.* Gesta non innuant, nec absque fundamento asserenda sit res tam inepta, & Summorum Pontificum non modò humilitate, sed urbanitate & honestate tam indigna. Ut ut est, *Petrus* Regnum tributarium Ecclesiæ constituit, & CCL. mabozematinorum aureorum nummorum tributum in singulos annos ab Aragoniæ Regibus conferendum indixit. Permisit Pontifex ut deinceps Regibus ab Archipræsule Tarraconensi Corona imponeretur. Regii Sacramenti, & Privilegii Pontificii exemplar descripsit *Zurita* in Indicibus Rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum. Subdit idem Author, quod nequaquam silentio prætereundum est: *Graviter Proceres mox, populique conqueruntur, quòd ex libero Regno, & ab omni munere soluto, Rex stipendiarium constitueris.* Divortium facere conatus est à *Maria* Montispessulani Comitatus herede, quam duxerat uxorem, & ex qua filium susceperat. Causâ coram *Innocentio III.* disceptatâ, Matrimonium ratum ac legitimum Pontifex dixit, jussitque Reginam in gratiam reciperet, affectúque conjugali tractaret. Pontificium Diploma exhibent Indices Rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum. *Raymundo* Tolosano Comiti in bello Albigensi cùm auxilio venisset, non ut Hæreticorum duci & fautori, sed uti affini, quippe cui sororem suam *Leonoram* collocaverat, in prælio ad Murellum occubuit III. Idus Septembris, anno MCCXIII. Ejus corpus in Xixenæ Monisterium delatum, juxta matrem *Sanctiam* tumulo compositum est.

Regnum Ecclesiæ Romanæ tributarium constituit.

Ejus obitus.

Alphonsus II. Rex Lusitaniæ.

IV. *Alphonsus II.* Lusitaniæ Rex *Sanctio* Patri successit. Animo fuit in fratres non satis fraterno aut liberali. Sororibus oppida testamento patris attributa eripere conatus, Legionensis Regis armis, & Pontificiis interminationibus atque sacrorum interdictione, ab earum patrimonio temperare coactus est. Eo regnante, cum Gallica classis in Syriam ad bellum sacrum contendens, Ulyssiponem appulisset, tempestate jactata, *Matthæus* illius urbis Episcopus Classis Præfectos hortatus est, ut Salaciam quondam populi Romani coloniam, nunc vulgò *Alcasserem Salis* dictam, à Saracenorum tyrannide eriperent. Se cum Lusitanis militibus & commeatu adfuturum. Qui cùm assensum præbuissent, generosus Antistes raptim collecto exercitu, munitissimum oppidum Gallis opem ferentibus expugnavit, anno MCCXVII. Obiit Conimbricæ Rex *Alphonsus*, anno MCCXXIV. ætatis XXXVIII. Regni XII. tribus relictis filiis, quorum Primogenitus *Sanctius* in Regnum successit, & *Leonora* filia, quæ Daciæ Regi collocata est. Legatur *Duardus Nonnius* in lib. de vera Regum Portugaliæ Genealogia.

Alphonsi II. obitus.

SCHOLION

In hoc Articulo, pag. 416 Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Quod Papa sub sit pedibus Coronam Regi Aragonum, fabula est, contra humilitatem, urbanitatem, & honestatem.*

R. Quod Aragoniæ Regibus coronam pedibus imponere Romani Pontifices soliti essent, id ceu fabulam meritò rejeci & explosi, cum nulla Historiæ Ecclesiasticæ monumenta id testentur, nec absque fundamento asserenda sit res tam inepta, & Summorum Pontificum non modò humilitate, sed urbanitate & honestate tam indigna. Mirum quod hujusmodi fabulæ Religiosis Censoribus placeant.

ARTICULUS II.

De HENRICO, & FERDINANDO Castellæ, JACOBO I. Aragonum, SANCTIO II. & ALPHONSO III. Lusitaniæ Regibus.

Henricus Castellæ Rex.

I. POst *Alphonsi* Patris obitum, Castellæ Rex salutatus est *Henricus* undecim annorum puer, sub *Berengariæ* Sororis Legionis Reginæ ab *Alphonso* repudiatæ tutela & institutione. Laræ Reguli malis artibus Regni Procurationem invaserunt, & peculiari Reginæ ditione occupatâ, ipsam è Regno abire jussere. *Malfadam* Alphonsi Lusitani sororem Regi adolescenti conjugem tradidere. Conjugium exceptione propinquitatis dissolvit *Innocentius III.* agente *Berengaria* Regina. Civili bello Castella conflagrabat: pars à Regina, pars ab *Alvaro* Comite Laræ stabat. *Henricus* Rex Palentiæ in ædibus Episcopi cum æqualibus ludens, tegulæ ictu vulnerato capite, undecimo post die defunctus est, octavo Idus Junias, anno MCCXVII. Regnavit annos duos, menses novem. Corpus Olgas delatum, juxta *Ferdinandum* fratrem tumulo conditum est.

Ferdinandus Rex Castellæ.

II. Castellæ Regnum ad *Berengariam* Legionensem Reginam *Henrici* Sororem primogenitam devolutum, quod illa *Ferdinando* filio detulit. *Alvari Laræ* factionibus, & *Alphonsi* Legionensis Regis motibus, turbatus est novus Principatus. Pactæ Reges inter patrem & filium induciæ. *Alvarus* Comes morbo extinctus, anno MCCXVIII. Castella exinde quieta esse cœpit. Rex *Beatricem* Philippi quondam Germaniæ Imperatoris filiam accepit uxorem, anno MCCXX. Bellum in Mauros instauravit, confecitque, *Roderico* Toletano Archipræsule incitante. Multa oppida castráque in Bœticæ Provinciæ tractu Barbaris erepta, millia hostium plurima cæsa sunt. *Alphonsus* Rex Legionensis contra jus omne exheredato filio *Ferdinando*, filias *Sanctiam* & *Dulcem* ex priori matrimonio natas, Regni heredes supremis testamenti tabulis scripserat. Rex *Ferdinandus*, matris hortatu, Procerum, Præsulúmque consilio, in Legionenses fines invectus, Tauri Regium insigne sumpsit, urbésque omnes ac oppida in ejus verba passim juravere. *Sanctia*, *Dulcísque* sorores Regni spem abjecerunt, cùm illis triginta aureorum millia annua frater pepigisset, unde vitam principalem sustentarent. Hoc pacto Castellæ ac Legionis Regna in unum coaluerunt Imperium. Anno MCCXXV. & sequentibus cœptum in Bœtica bellum *Ferdinandus* redintegravit. Ubedam, Cordubámque expugnavit, Murciæ Regnum in fidem accepit, fecitque tributarium. Hispalim ad deditionem compulit, magnâ ubique editâ Maurorum strage. *Beatrice* defunctâ, *Joannam* Simonis Pictaviensis Comitis filiam, *Ludovici* Regis Christianissimi neptim,

Bellum in Mauros.

Castellæ Legionis Regna in unum conjuncta.

Ferdinandi Regis Liberi. *Obitus.* *Sanctitas.*

neptim, uxorem duxit *Ferdinandus*, ex qua *Ludovicum* & *Leonoram* suscepit. Hispali diem supremum obiit Calendis Junii, anno MCCLII. cùm annos XXXV. Castellanis, Legionensibus verò annos circiter XXII. imperasset. Corpus in templo Hispalensi maximo sepultum. Vitæ integritate *Sancti* cognomen consecutus est. De quo legendi *Rodericus* Archipræsul lib. IX. de Rebus Hispaniæ, *Joannes Mariana* lib. XII. & XIII. per multa capita, *Rodericus Sanctius*, Historiæ Hispaniæ P. III. cap. XXXIX. & XL. & alii. Rogatus quale sepulchrum, aut statuam sibi apponi vellet, respondisse fertur: *Immaculata, ut potui, vita mea & gesta, sepulchrum & statua mihi sunt.* Ab hoc Rege supremum Castellæ Senatum institutum, Hispanicæ Historiæ memorant. Magnis præterea viris Legum condendarum potestatem datam: colligendarum curam injunctam, earum quas *Partitas* vulgò vocant. Quod opus ingentis laboris, *Alphonso* demum Rege perfectum est.

Jacobus I. Rex Aragonum.

III. *Jacobus I.* septimum ætatis annum agebat, cum patre orbatus est in obsidione Murelli interempto. Degebat apud *Simonem* Comitem *Monfortium*, cui, annuente matre *Maria* Regina, Romæ defuncta, ejus educationem ac institutionem *Honorius III.* Pontifex Maximus commendaverat. *Innocentii III.* jussu *Petro* Beneventano Cardinali Sedis Apostolicæ Legato traditus, Ilerdam delatus est, ibique à Regni Ordinibus Rex salutatus. Jurisjurandi religione fidem ipsi obstringere, quod antea non solebant Aragonii. Adversùs artes *Sanctii* Ruscinonensis Comitis, & *Ferdinandi*, Regis patruorum, à quibus res novæ metuebantur, hæc adhibita cautio. Baleares Insulas, Valentinúmque Regnum, ac Murciam subegit, glorioso *Expugnatoris* nomine propterea insignitus.

Ejus victoriæ.

Trigesies cum hostibus signa contulit, ac toties vicit. Sacra delubra ad bis mille in honorem Deiparæ Virginis, cui se sæpius devoverat, excitasse fertur.

Devotio Virgini Deiparæ.

Ordini B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum auctoritate sua est obstetricatus. Incomparabilis certè Princeps, nisi fœdis amoribus, & immani quodam erga Gerundensem Episcopum

Vitia.

facinore gloriam suam contaminasset, *B. Raymundi de Pennaforti*, quem Conscientiæ Moderatorem selegerat, sanctissimis admonitionibus posthabitis. *Eleonoram* primùm *Alphonsi* Castellæ Regis filiam uxorem duxit, ex qua filium unicum

Nuptiæ & Liberi.

suscepit *Alphonsum*. Verùm cùm absque venia Sedis Apostolicæ, cognatione licet conjuncti contraxissent, Matrimonium auctoritate Pontificia diremptum est. Anno MCCXXXV. legitimas nuptias celebravit cum *Iolante* seu *Violante* Regis Hungarorum filia, ex qua filios quatuor propagavit; *Petrum* Regnorum heredem; *Jacobum*, qui Balearibus Insulis à patre expugnatis, primus Rex constitutus est; *Ferdinandum* Ruscinonis Comitem; & *Sanctium* Toletanum Archiepiscopum. Filias verò sex, *Iolantem* seu *Violantem*, quæ *Alphonso* Castellæ Regi, Imperatori designato nupsit; *Constantiam*, quæ *Emanueli* Lusitaniæ Regi collocata est; *Mariam* & *Eleonoram*, quæ innuptæ obierunt; *Isabellam*, *Philippi* Francorum Regis uxorem, & *Sanctiam*, quæ mutatâ veste ad sacra loca religionis ergo profecta, alteram ibi *Eustochium* sanctitate & charitate in pauperes exhibuit.

A *Therasia Vidaura* nobili fœmina, cujus amoribus junior addictus fuerat, lege de conjugiis postulatus, quasi datam ipsi fidem injustis nuptiis violasset, causam apud Romanos Pontifices dixit. Lite contestata, victa *Therasia* est. Gerundensis Episcopus *Innocentio IV.* renuntiavit, Regem sibi arcanò confessum, se *Therasiæ* fidem dedisse, proinde æquitatis esse ut posterius conjugium rescinderetur. Id ad Re-

Jacobi Regis facinus in Gerundensem Episcopum.

A gis notitiam pervenit, aut certè ex Romani Pontificis in *Therasia* causam propensione suspicatus est. Episcopo in Curiam evocato linguam abscindi jussit. *Innocentius IV.* Regem Anathemate confixit, Aragoniâ totâ Sacrationis interdixit. Tandem Rex Valeotino Episcopo ad Summum Pontificem Legato, veniam rogavit. Legatos misit *Innocentius* Camerinum Episcopum, & *Desiderium* Pœnitentiarium Apostolicum, qui Conventu Episcoporum ac Procerum Ilerdæ habito, Regem gravissimis verbis castigatum, atque in genua procumbentem, Ecclesiæ communioni restituerunt, XIV. Calendas Novembris, anno MCCXLVI. Literas
B quibus ipsum ad pœnitentiam hortatus est *Innocentius*, apud *Odoricum Raynaldum* legere est ad eumdem annum Num. XLIV. Conditiones verò satisfactionis ipsi impositas referunt *Mariana* lib. XIII. cap. VI. & *Bernardinus Gomesius* lib. XIV. de Vita ipsius & rebus gestis, pag. 511. & 512.

Regni inter filios partitio, gravium dissidiorum causa.

Cùm Regiæ ditionis partes designasset, quæ post obitum suum filiis obvenirent, gravia hinc inter ipsos emersere dissidia, factiones variæ, quibus homines perditi ac prædones, impunitatis ac licentiæ spe se addicebant. Quorum ad comprimendam audaciam, Regnum Aragonum in quinque regiones, quas *Junctas* vocavere, ex Ordinum sententia
C distinxit, quibus quinque primarios Equestris Ordinis viros præfecerunt, quos *Paciarios*, quasi Pacis Conservatores dixere, tradit *Hieronymus Blanca* in Rerum Aragonensium Commentariis.

Alia Jacobi I. Regis Aragonum gesta.

Regnum optimis institutis ac legibus temperavit. In Comitiis ad Oscam urbem anno MCCXLVII. celebratis, Jus Aragoniæ gentis universum, quod *Vitalis Canelis* Oscensis Episcopi studio & industria in singula genera digestum fuerat, approbavit, decrevítque ut eo uno Magistratus in Judiciis uterentur. Susceptis à *Michaele Palæologo* Græcorum Imperatore, & à Magno Chamo Tartarorum Legationibus,
D ad bellum sacrum se comparavit, sed classe immani tempestate dissipatâ, rediit in Hispaniam nullo majori operæ pretio. Concubinæ consilio ipsum à sacra expeditione revocatum scripsit *Bernardus Guidonis* in Chronico Romanorum Pontificum. Hunc perstringit *Zurita* in Rerum Aragonensium Indicibus. *Permirum mihi visum est*, inquit, *quod à Bernardo Vidone in Pontificia Historia memoriæ proditur: Regem cum classem & insignem exercitum anno M. CCLXIX. comparasset, ut sacram Hierosolymitanam expeditionem obiret, & ejus classis pars cursum tenuisset, mulierculæ consilio à tanto gloriæ cursu de-*
E *stitisse.* Sed non erat cur miraretur Historiæ Aragonensis Illustrator egregius; cùm *Guillelmus de Podio Laurentii* coævus Author idem asserat in Chronico cap. L. *Anno*, inquit, MCCLXIX. *Jacobus Rex Aragonum cum Regio apparatu & multitudine pugnatorum Mare ingreditur in subsidium Terræ Sanctæ, & præmissa parte sociorum, ipse revertitur, ut dictum fuit, consilio mulieris, quem revera Dominus in suum noluit holocaustum. Sic fecit Jupiter, qui juxta fabulam, cœlum deseruit, sequendo vitulam, sic vera fuere quæ publicè dicebantur.*

Jacobi I. obitus.

Anno MCCLXXVI. lethali morbo expugnatus est
F *Jacobus Expugnator.* Mortem imminere sentiens, Regno se abdicavit, filióque tradidit, eo consilio ut ipse in Populetensi Cœnobio *S. Bernardi* Institutis initiaretur, ut *Zurita* refert. Eo regnante,

Dominici pueri Martyrium.

anno MCCL. *Dominicus* innocens puer à Judæis Cæsaraugustæ crucifixus martyrii coronam adeptus est Augusto mense. Cum corona in capite, & cruce in humero dextero natum, futuri martyrii præsagiis, Passionis ejus Historia testatur, ab *Hieronymo Blanca* ex Ecclesiæ Cæsaraugustanæ tabulario descripta, in Rerum Aragonensium Commentariis pag. 657. Diem verò supremum obiit

Jacobus

Jacobus Rex, Valentiæ, VI. Kalendas Augusti, anno ætatis suæ LXXII. Regnorum LXIII. De ipso qui plura scire avet, legat laudatos Authores, *Zuritam* in Rerum Aragonensium Indicibus, *Bernardinum Gomesium*, qui ejusdem Regis Gesta libris XXII. exposuit, *Hieronymum Blancam*, & alios.

Sanctius II. Rex Lusitaniæ.

IV. *Alphonso II.* in Lusitaniæ Regnum *Sanctius II.* ejus filius successit, Regno tamen ineptus Princeps, cucullóque dignior quàm diademate. Duxit *Mitiam Lopidem ab Hara* filiam *Diodoci Lupi* Cantabriæ Dynastæ. Matrimonium ob vinculum cognationis, auctoritate Pontificis diremptum est. Huic Regi ob socordiam & negligentiam in publicis rebus gerendis, *Innocentium IV.* Vicarium dedisse *Alphonsum* Comitem ejus fratrem & legitimum successorem, qui Regnum procuraret, Regio tamen nomine cultúque *Sanctio* servatis, tradit *Duardus Nonius* in lib. *De vera Regum Portugalliæ Genealogia*. Frustra sunt, qui ipsum ab *Innocentio IV.* scribunt abdicatum: & ipsis Pontificiæ Constitutionis verbis, quæ inserta est Sexto Decretalium Cap. *Grandi*, *De supplenda negligentia Prælatorum*, refelluntur: ex qua etiam intelligitur id præstitisse Pontificem à Regni Ordinibus exoratum, qui Comitem *Alphonsum* Rectorem ac Procuratorem Regni elegerant. *Mandamus*, inquit, *quatenus dilectum filium nobilem virum Comitem Boloniensem, præfati Regis Portugalliæ fratrem, de devotione, probitate, ac circumspectione multipliciter commendatum, qui eidem Regi, (si absque legitimo decederet filio) Jure Regni succederet: Quique examinata dilectionis affectu quo vos & prædictum Regnum prosequitur (magnanimitate ac potentiâ sibi plurimùm suffragantibus) Regnum ipsum maturius reformaturus firmâ credulitate speratur: præsertim cùm ad curam & administrationem generalem, & liberam Regni ejusdem, tam pro sæpe dicti Regis, ac ipsius Regni utilitate (si provide attendatur) ac ad defensionem Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorúmque piorum locorum Regni præfati, & personarum Ecclesiasticarum, tam religiosarum quàm secularium, necnon viduarum, orphanorum, & cæterorum ibidem degentium, ac deperditorum inibi recuperationem salubriter, ut in Domino confidimus, sit* ASSUMTUS: *Cùm ad vos accesserit (fidelitate, homagio, juramento, seu pacto, si aliquibus fortè præfato Regi vel cuicumque alii persona tenemini, aut etiam ipsius Regis prohibitione: dummodo personam ejus & vitam, ac legitimi sui filii, si aliquem ipsum habere contigerit, fideliter conservetis, debitum eit exhibentes honorem, nequaquam obstantibus) in civitatibus, castris, villis, & munitionibus Regni prædicti, cum omnibus suis recipere, ac ejus dispositioni, ordinationi, & mandatis universaliter singuli & singulariter universi, per omnia & in omnibus intendere absque difficultate qualibet procuretis: impendentes sibi contra quoslibet repugnantes ac etiam violentos, consilium, auxilium, & favorem: de reditibus, proventibus, omnibúsque præfati Regni juribus, sine diminutione aliqua, plenariè respondendo: ut de eis dicto Regi, secundum quòd suam decet Excellentiam, sibi, ac suis, & præfati Regni necessitatibus, pro tempore, ac negotiorum emergentium qualitate, valeat providere. Per hoc autem* NON INTENDIMUS MEMORATO REGI, VEL IPSIUS LEGITIMO FILIO, SI QUEM HABUERIT, PRÆDICTUM REGNUM ADIMERE: *Sed potius sibi, & eidem Regno destructioni exposito, ac vobis ipsis in vita ipsius Regis, per solicitudinem & providentiam Comitis consulere supradicti.* Innocentii IV. mentem attigit *Mariana*, eúmque satis à calumnia purgat his verbis lib. III. cap. IV. *Episcopi Bracarensis & Conimbricensis, ad Innocentium Pontificem, qui hoc tempore Lugduni Conventus Ecclesiasticos agitabat, à Lusitanis Proceribus amandati.... Ut Sanctius Regno pelleretur, impetrari non potuit. Id modo concessum est, ut Alphonsus ejus nomine, dum viveret, Rempublicam gubernaret. Extant de hac re ipsius Innocentii Litera ad Proceres Lusitaniæ data.* Id contigit anno MCCXLIV. *Sanctius* post tredecim annos Toleti decessit, cùm Regium nomen XXXIV. annis tenuisset, fluxa primùm, deinde nulla auctoritate.

Innocentius IV. Regem Lusitaniæ Sanctium non exauctoravit.

Alphonsus III. Rex Lusitaniæ.

V. *Alphonsus III.* Sanctio fratri successit in Regnum. *Mathildem* Boloniæ Comitissam, legitimam uxorem repudiavit, & *Beatricem* notham *Alphonsi* Castellæ Regis superduxit. Ecclesiasticam Immunitatem ac Jurisdictionem violavit. Quapropter Sacrorum justitium ab Archiepiscopo Bracarensi, cæterisque Præsulibus toto Regno indictum. Sed & à Summis Pontificibus *Clemente IV. Gregorio X. & Joanne XXI.* acerrimè correptus est. Algarbii Regnum à Socero Alphonso jure clientelæ concessum, cujus partem Saraceni occupabant, ab eorum jugo liberum effecit. E vivis sublatus est anno MCCLXXIX. Martio mense, actâ in suprema ægritudine pœnitentiâ. Nam se Romanæ Ecclesiæ mandatis simpliciter & sine restrictione prorsus ulla parere professus est; quæ occupaverat Ecclesiæ bona è vestigio restitui jussit, filiúmque *Dionysium* Lusitani Sceptri heredem ad sarciendas injurias Ecclesiis illatas obstrinxit, ut testantur publicæ literæ, quas ex Ulyssiponensis Ecclesiæ tabulario profert *Brandanus*, Monarchiæ Lusitanæ lib. XV. cap. XLVII. Filios ex *Beatrice* reliquit Rex *Alphonsus*, præter *Dionysium* mox nominatum, alterum cognomine *Blancam*, & *Constantiam*. Vixit annos LXX, Regnavit XXXII.

SCHOLION I.

In hoc Articulo pag. 436. hanc propositionem notant Religiosi Censores: *Sanctius II. Cucullo dignior, quàm Regno.*

R. *Sanctium II.* Lusitaniæ Regem Regno prorsus ineptum fuisse, & cucullo quam diademate digniorem, Historiæ Monumenta testantur, *Innocentii Quarti* Constitutio confirmat. Ut Regni administrationi ineptum fuisse Principem significarem, communem apud homines loquendi modum usurpavi. Id tamen non impedit quin viros maximos, & Republicæ gerendæ idoneos in Religiosis Ordinibus olim extitisse, & à Deo excitari posse agnoscam. Id non prohibet quin monasticum cucullum cum Græcis *Angelicum habitum* vocem, illumque gerere honori ducam. Id denique non prohibet quin Sanctos Monachos Regibus apud Deum feliciores & gloriosiores putem, si temporalem dumtaxat Regum dominationem & gloriam spectemus, ut ostendit *S. Joannes Chrysostomus*, in libro *De Comparatione Regis & Monachi*, cujus hæc sunt verba: *Rex urbium, regionum, imo multarum gentium præfecturam gerit, Magistros Militum, Præfectos, Exercitus, populos, Senatus suo unius nutu regens. At verò qui se ipse totum Deo dedit, solitariamque vitam elegit, ira, invidia, avaritia, voluptati, cæterisque animi morbis imperat... Hujusmodi igitur Imperium Rex, hujusmodi item principatum Monachus adeptus est: ut justiùs quidem hunc Regem voces, quàm eum qui purpurâ indutus ac coronâ ornatus splendescit, in throno aureo sedens*, &c.

Theodorus Studita in suo Testamento, Palladius cap 9. Joannes Moschus, cap 104. Euchologium in Officio Magni & Angelici Habitus.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 415. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Papa non abdicavit Sanctium II. sed exoratus à Principibus dedit illi tutorem.*

R. *Innocentium Quartum* non exauctorasse *Sanctium II.* Lusitaniæ Regem, sed à Regni Ordinibus exoratum illi ob socordiam & negligentiam in Republica gerenda Vicarium dedisse, Regnique Rectorem ac Procuratorem *Alfonsum* ejus fratrem, scripsi, & probavi ex *Innocentii Quarti* Decretali. Mera facti & Historiæ quæstio est.

ARTICULUS III.

De ALPHONSO X. Castellæ Rege, SANCTIO ejus filio, & Successore, PETRO III. & ALPHONSO II. Aragonum, & DIONYSIO Lusitaniæ, Regibus.

Alphonsus II. Castellæ Rex.

I. *ALphonsus* Castellæ Rex, *Ferdinandi* filius, Reges Mauros nonnullis cladibus affecit, B majoribus ab ipsis affectus est. Delatum à majori Electorum parte Imperium tueri non potuit; causâque sub *Alexandri IV. Urbani IV.* & *Clementis IV.* Pontificatu extractâ, demum sub *Gregorio X.* Jure cedere coactus est. *Ferdinando* filio primogenito extincto, qui duos ex *Blanca* S. Ludovici Regis Francorum filia liberos reliquerat, Regni successionem *Sanctio* secundo filiorum suorum, indicto Procerum Conventu asseruit, exclusis summâ injuriâ nepotibus, in quos Paternum Jus transfusum erat. Accedebat alius titulus ex Matrimonialibus tabulis. Filiam enim suam *Ferdinando* Alphonsi Primogenito *S. Ludovicus* ea lege pepigerat, C ut qui ex eo matrimonio liberi orirentur, Castellæ Regnum hereditario jure obtinerent. *Blancam* sine dote ac liberis in Gallias remisit *Alphonsus.* Ea injuria *Philippum III.* Regem Christianissimum, ejus fratrem impulit, ut *Alphonso* bellum inferret. Pacem Regibus imperavit *Nicolaus III.* Romanus Pontifex, nec ab ipsa *Philippus* alienus erat, modò nepotes in libertatem assererentur, & rescisso priori Edicto Regni heredes pronuntiarentur. Burdegalam utriusque Regis Oratores de pace acturi convenere, nullo operæ pretio. Orta deinde inter *Alphonsum* Regem D & *Sanctium* filium simultate, *Sanctius* Castellæ ac Legionis Proceribus in partes tractis, quorum animos *Alphonsi* avaritia, severitas, atque impotens dominatus alienarant, in Patrem rebellavit. Ad Procerum motus sanandas Comitia Toleti *Alphonsus* indixit. *Sanctius* Vallisoleti alia Comitia celebravit adversùs Patrem, longè frequentiora. *Emanuel* ejus Patruus suo & aliorum Procerum nomine latâ ac promulgatâ sententiâ, illum Regno privavit: eâ calamitate dignum (inquit *Mariana*) quòd divinæ providentiæ opera, & humani corporis fabricam insigni linguæ procacitate, ingeniíque confidentiâ accusare ausus fuerat: uti E vulgo hominum opinio est ab antiquo ducta per manus. *Sanctius* apud *Martinum IV.* Pontificem Maximum de impietate & ingrati animi noxa postulatus. Diris universos devovit Pontifex, qui relicto *Alphonso*, filii partes sequerentur. Sacrorum justitium urbibus & oppidis perduellibus indictum. Hæc anno MCCLXXXII. & MCCLXXXIII. agebantur. Haud diu calamitati superstes fuit *Alphonsus.* Obiit Hispali anno MCCLXXXIV. Ecclesiasticis Sacramentis procuratus. Condito testamento, *Alphonsum* & *Ferdinandum* nepotes inter se substitu- F tos Regni heredes nominavit, & utroque sine prole defuncto, *Philippum* Francorum Regem, ad priores Castellæ Reges maternum genus referentem. Philosophiæ, Astrologiæ, Historiæ peritissimus fuit *Alphonsus*, quod edita ab ipso volumina testantur. Hoc ipsi scripsit elogium *Mariana*, lib. XIII. cap. XX. *Erat Alphonso sublime ingenium, sed incautum, superba aures, lingua petulans, literis potius quàm civilibus artibus instructus, dumque cælum considerat, observátque astra, terram amisit.* Primus Hispaniæ Regum vulgari Hispanorum lingua Leges & Edicta condidit, cùm an- A tea Latina in publicis tabulis usurparetur. Sacros Bibliorum libros in vernaculam linguam vertendos curavit.

Sanctius Alphonsi Regis filius perduellis, illum è solio exturbat.

Alphonsi X. Testamentum.

Elogium.

Sanctius Castellæ Rex.

II. *Sanctius* undecim annis, diebus quatuor Regnum tenuit, spoliati ejectique patris odiâ ad posteritatem infamis. Mauros ab obsidione Tariffæ repulit, *Alphonsi Perosii Gusmani*, quem urbi præfecerat, virtute. *Alphonsi* filius unicus in Maurorum potestate erat: quem illi pro muro ostentantes, in Patris oculis, ni oppidum dederetur, sese jugulaturos minabantur. Jugulatus filius, nec motus Pater est ut urbem fidei suæ à Rege creditam de- B deret. Attoniti magis Barbari heroica viri fortitudine, nullis artibus nullísque viribus vinci posse rati, qui paterno amore non vinceretur, desperatâ victoriâ in Africam redierunt. Bellis civilibus agitata est Castella regnante *Sanctio*, *Alphonso Cerda* nepote ipsius *Sanctii* ex fratre *Ferdinando* primogenito *Alphonsi X.* Castellæ Regnum pro jure suo repetente, ac Regium nomen sumente. Tandem à Summi Pontificis Legato, & Christianissimi Regis Oratoribus fœdus his conditionibus procuratum est, ut *Alphonso* Murciæ Regnum tanquam Regis Castellæ beneficiario *Sanctius* traderet; substituto, etiamsi sine prole decederet, *Ferdinando* C minore fratre: *Alphonsus* verò Regis Castellæ appellatione cederet. *Mariam* filiam *Alphonsi* Infantis *de Molina*, neptem suam, uxorem duxit. Incestum matrimonium rescidit *Martinus IV.* Pontifex Maximus, & Episcopis Burgensi atque Asturicensi jussit, ut illos Ecclesiasticis Censuris ad fœderis malè cohærentis dissolutionem cogerent. Frustra id tentatum. In eo matrimonio vixit, & filios ex eo reliquit *Sanctius*, heredem scilicet Regni *Ferdinandum*, *Petrum*, *Philippum*, & *Henricum.* Obiit Toleti, Calendis Maii, anno MCCXCV. Regnavit annis undecim, *Magnis*, (inquit Maria- D na) *Principibus exæquatus fortitudinis, æquitatis, prudentiæque laudibus, sed egregiè callidus, sagax, neque uno loco crudelitatis impressa vestigia ad posteritatis invidiam relinquens.*

Alphonsi Perosii Gusmani heroica fortitudo

Petrus III. Rex Aragonum.

III. *Petrus III. Magnus* appellatus, *Jacobi I.* Regis Aragonum filius, Regium diadema suscepit, & sacro oleo à *Bernardo* Taraconensi Episcopo delibutus est, Cæsaraugustæ, Calendis Decembris, anno MCCLXXVI. Ante Inaugurationem contestatus est: *Se ea conditione Coronam non suscepturum, ut Ecclesia adesse cogeretur, aut illi obesset: ne se tamquam Ecclesiæ deditítium aut stipendiarium ultro profiteretur: quod à Petro Rege avo usurpatum & in-* E *ductum Regni Proceres conquesti fuerant.* Ita refert *Zurita* in Indicibus Rerum Aragonensium. Post Siculas Vesperas, quarum immanem exitum validâ instructâ classe expectabat, Sacræ Militiæ professione abusus, Siciliæ Regnum invasit. Quam ob causam à Summo Pontifice *Martino IV.* anathemate defixus, ac exauctoratus est. *Carolum* Regem ad certamen provocavit, quo centenis utrinque pugnantibus Equitibus, de Regno Siciliæ decerneretur. Locus pugnæ Burdegala assignatus; tempus, Calendæ Juliæ anni MCCLXXXIII. *Carolus* F condictis die & loco cum selectis Equitibus præsto fuit, ab ortu solis ad occasum hostem in campo expectans. Vespere, *Petrus* ut ignaviæ perjuríque notam elueret, privati hominis cultu, uno vel altero comite, coram Prætore Burdegalensi comparuit, cúmque illi arma velut præstitæ fidei pignora tradidisset, confestim velocissimo invectus equo aliò iter deflexit, ne ab ullo agnosceretur. Egregium illud Regis facinus, quem Hispani *Magnum* appellarunt! Majori fœlicitate quàm virtute adversùs *Philippi* Christianissimi Regis potentissimum exercitum Cataloniam tutatus est. Pellis graviorem Francorum copiis quàm Aragonum cladem intulit.

Ob Siculas Vesperas, & Siciliæ invasionē à Martino IV. excommunicatione percellitur & exauctoratur.

Carolum Siciliæ Regem ad privatum certamen provocat, quod tamen fugit.

intulit. Sanè quid Galli possent, Gerundæ urbis munitissimæ expugnatio, plurimque receptio oppidorum testata est. Cùm à *Martino IV.* vetitum nosset *Petrus*, ne quis sub dirarum omnium pœnâ ipsum Regem appellaret, se *Aragonensem Equitem, Patrem duorum Regum, & Dominum Maris*, facetè scribebat, ut *Villanius & Sanctus Antoninus* testantur. A *Martini IV.* Sententia ad futurum Summum Pontificem minimè suspectum, aut invisum infensúmve, ipsum appellasse *Zurita* refert. Obiit apud Villamfrancam iv. Idus Novembris, anno MCCLXXXV. Ex *Constantia* uxore quatuor filios reliquit, *Alphonsum*, *Jacobum*, *Fredericum*, ac *Petrum*, filias duas, *Isabellam* Ruperto Neapolitano Regi, & *Constantiam* Dionysio Lusitaniæ collocatam, quæ vitæ innocentia & miraculis conspicua, in Sanctarum numerum relata est.

Petri III. Regis Aragonum liberi.

IV. Patri in Aragoniæ Regnum successit primogenitus *Alphonsus*, eo vivente Rex Majoricarum renuntiatus, qui *Munifici* nomen eximiâ liberalitate prometitus est. In Comitiis post ejus Inaugurationem celebratis, magna inter ipsum Proceresque orta dissensio est, illis contendentibus ut Ordinum Consilio Regiam Domum disponeret ac moderaretur. Rex è Comitiis discessit. Proceres sub Collationis & Unionis nomine pro communis libertatis defensione conjurati, certas Leges sanxere, comminati se proventus omnes Regios intercepturos, & Beneficia Militaria & Honores eorum qui his Sanctionibus assensum non præberent. *Alphonsus* ut imminentia mala averteret, duo quæ *Unionis Privilegia* vocantur, in Comitiis Cæsaraugustanis anno MCCLXXXVIII. Aragoniis concessit, quæ postea à Rege *Petro IV.* rescissa sunt, quòd iis dignitas majestásque Regia imminuta esset. Altero enim cautum erat, si Rex ejúsve heredes Leges latas abrogassent, jus fásque Ordinibus esset alium Regem eligere, nullâ læsæ fidei notâ. Altero, ut Rex munita Castella XVI. primariis Unionis fautoribus traderet, ut tanquam præcipua pignora, si pactis non stetisset, retinerentur. Armis Christianissimi & Balearici Regum imminentibus, Rex Aragonius Oratores cum plena potestate Tarasconem Provinciæ urbem misit, cum Legatis Apostolicis, & Christianissimi Regis Oratoribus de pace deliberaturos. Pax iis conditionibus confecta. *Martini IV.* Donatio *Carolo* Francorum Regis fratri assignata rescinditor. Reges Aragoniæ quotannis uncias auri XXX. Romanæ Ecclesiæ pendunto. Baleares Insulæ Regio Aragoniæ Regum Juri addicuntor. Proceres Aragonii Catalanique ex Sicilia amandantor. Festo Nativitatis Domini proximo Rex Romam adito. Exercitum adversùs Ecclesiæ hostes conducito. *Constantiæ* Matri, fratrique *Jacobo* persuadeto ut Regnum Siculum occupare desinant, alioqui bellum illis indicito. Fide publica præstitâ Rex Aragonius, & *Carolus* Siculus, cum duodenis Proceribus, gladiis tantùm succinctis, ad collem Juncariæ ad Colloquium pervenerunt. Ratas pacis conditiones habuere. *Carolus* filiam *Clementiam* Regis Christianissimi fratri *Carolo Valesio* collocavit, assignato Andegavensi Comitatu, ut de suo in Aragoniæ Regnum jure decederet. Ne verò Aragonius Pacta impleret, mors prohibuit. Eodem namque anno MCCXCI. defunctus est Barcinone XIV. Kalendas Julii, anno ætatis XXVII. nulla relictâ prole.

Alphonsus II Rex Aragonum.

Regis Ordinúmque dissidium.

Unionis Privilegia duo Aragoniis à Rege concessa.

Pax Aragonum inter & Franciæ Siciliæque Reges sancita.

V. Ab *Alphonso III.* ad *Dionysium* ejus filium Lusitaniæ Regnum hereditario jure pervenit. *Alphonso* fratri haud satis æquus visus est Principatus exordio, quem paterna hereditate pellere conatus est, alias ex aliis simultatis causas nectens. *Elisabetham* filiam *Petri* Regis Aragonum, sanctissimam fœminam, duxit uxorem. Ob violatum Jus Ecclesiasticum anathemate devinctus, conditiones subiit à *Nicolao IV.* Pontifice Maximo præscriptas, ut publicæ tabulæ testantur ab *Oderico Raynaldo* ex Codice Vaticano descriptæ ad annum MCCLXXXIX. *Dionysium* inter & *Alphonsum* ejus filium grave dissidium ad arma usque erupit: Proceribus in partes abreptis, Conimbrica Portusque ab *Alphonso* occupatæ sunt. Pax tandem Patrem inter & filium *Elisabethæ* sanctissimæ Reginæ opera composita est, ut ejus Acta testantur. Ipsum justitiæ, liberalitate, ac veritatis studio inter omnes sui temporis Principes excelluisse, Lusitanæ Historiæ Scriptores testantur. Academiam Conimbricensem erexit, & honestissimis stipendiis eruditos homines undequaque accivit, qui docerent. Ordinem *Militiæ Jesu Christi* ex bonis Templariorum, Summo Pontifice approbante, instituit. Diem obiit supremum Sanctarenæ, magno suorum desiderio, VII. Januarii, anno MCCCXXV. ætatis LXIV. Regni XLVI. & in Monasterio Odivellarum, Ordinis *Sancti Benedicti*, quod ipse in agro Olyssiponensi, sexto ab Urbe lapide fundaverat, sepultus est.

Dionysius Rex Lusitaniæ.

Academiæ Conimbricensis erectio.

Institutio Ordinis *Militiæ Jesu Christi*

ARTICULUS IV.

De FERDINANDO IV. & ALPHONSO XI. Castellæ & Legionis; JACOBO II. & ALPHONSO IV. Aragonum, Regibus.

I. SAnctius Castellæ Rex & Legionis, *Ferdinandum* filium reliquit heredem, Regni procuratione *Mariæ* nondum justæ conjugi, propter impedimentum propinquitatis, relictâ. Regis adolescentior ætas, civilibus externísque bellis locum dedit. *Alphonsus Cerda* Regios titulos usurpabat. Aragonius, Lusitanus, Maurúsque Reges arma in Castellam ac Legionem inferebant. Pax primùm inter *Ferdinandum* Castellæ, & *Dionysium* Lusitaniæ Regem facta, gemináque affinitate firmata est. *Constantia* Dionysii filia juncto *Ferdinando* Regi, *Beatrix* Ferdinandi Soror *Alphonso* Dionysii filio & heredi pacta. Deinde inter Aragonium Castellæque Reges, pax arbitro *Dionysio* Lusitaniæ Rege fœliciter sancita. Demum Aragoniæ & Lusitaniæ Regibus arbitris Castellæ negotia composita sunt: Placuit ut *Alphonsus Cerda* Regio nomine abstineret, oppidáque & arces redderet, quæ in ejus erant potestate. Oppida nonnulla, prædiáque attributa, unde vitam principalem sustentaret. Anno MCCCIX. *Jacobus* Aragonum, & *Ferdinandus* Castellæ, Reges, communibus armis Mauros Granatenses invadere statuerunt. Algeziram Castellæ copiæ, Almeriam Aragoniæ oppugnarunt. Utriusque obsidio necessariò soluta. Heraclea Calpi Monti imposita, *Gilbratar* vulgò dicta, à *Ferdinando* Rege expugnata est. Cùm Carvajallios fratres viros nobiles cædis accusatos, præcipiti Sententia damnasset, neque judicio convictos, neque crimen fassos; illi ad supplicium rapti, Deum innocentiæ suæ testem appellarunt, Regíque diem dixere, ex eo die trigesimum. Eæ voces in præsenti pro vanis habitæ, casu fortasse, esto, at mirabili certè eventu confirmatæ sunt. Rex septimo Idus Septembris obiit, anno MCCCXII ætatis anno XXV. Regni XVIII. inchoato. Ob eum casum *Ferdinandus in jus vocatus* appellari cœpit.

Ferdinandus IV. Castellæ Rex.

Cur dictus sit *Ferdinandus in jus vocatus*

II. Filium reliquit unicum *Alphonsum*, Regni heredem, annum dumtaxat unum & dies sex natum. Dissidiis civilibus, quod Rege minore ferè

Alphonsi XI. Regis Castellæ bellica virtus.

 contingit,

contingit, fœdum in modum lacerata Respublica est. Rex anno ætatis decimo-quinto Regni administrationem capessivit. Insignem de Mauris victoriam ad Tarissam reportavit anno Christo MCCCXL. Algexiram post quadriennium expugnavit. Alcalam obtinuit. Heracleæ obsidionem invicto urgens animo, quamvis pestis lues in Castris grassaretur, glandulâ enatâ decessit, die XXVI. Martii, anno Christi MCCCL. ætatis XXXVIII. magnis Principibus comparandus rerum gestarum magnitudine, scientiâ militari, civili prudentiâ. Una domestica incontinentia cœterarum splendorem virtutum infuscavit. Ex *Maria* Lusitani Regis filia, justâ conjuge *Petrum* filium unicum reliquit, Regni heredem. Ex *Leonora Gusmania*, quam in deliciis habuit, *Henricum* & *Fredericum*, *Sanctium* & *Telium*, *Petrum* & *Didacum*. De *Ferdinando IV.* & Alphonso XI. Regibus legi possunt *Mariana* lib. XV. & XVI. de Rebus Hispaniæ: *Rodericus Santius* Historiæ Hispaniæ P. III. Cap. X. & tribus sequentibus, *Alphonsus à Carthagena* in Anacephalæosi Regum Hispaniæ Cap. LXXXVII. *Franciscus Tarapha* lib. de Regibus Hispaniæ, &c.

Ejus liberi.

Jacobus II. Rex Aragonum.

III. Aragoniæ Regnum *Alphonsi III.* obitu ad *Jacobum* ejus filium inter Aragonios Reges eo nomine secundum pervenit, qui ob æquitatis studium *Justus* cognominatus est. Is fœdere inito cum *Carolo* Neapolitano Rege, restitutionem Siciliæ, & matrimonium cum *Blanca* filia *Caroli* pepigit. Dux Præfectúsque Ecclesiasticæ Classis in Terræ Sanctæ subsidium à *Bonifacio VIII.* Insigni laudis testimonio creatus est anno MCCXCVI. Edixit ut Aragonii & Catalani Proceres, Primariique Viri Sicilia excederent. Murciense Regnum Imperio suo adjunxit. Ipsi Sardiniæ & Corsicæ Regnum, ad posteros hereditario jure transmittendum, fiduciario tamen nomine, & vi summæ potestatis sibi ac Successoribus servatâ, *Bonifacius VIII.* Pontifex Maximus attribuit. Cum instructissima classe transmisit in Italiam anno MCCXCIX. *Fredericum* fratrem ut Siculo Regno pelleret, quod contra jus fásque occupabat, Pontificiis execrationibus insuperhabitis. *Frederici* classem fudit dissipavitque. Scholas publicas Ilerdæ erexit, omniúmque disciplinarum celeberrimos ibi constituit Professores. Collectitius veteranorum Catalanæ & Aragoniæ gentis exercitus jam in Sicilia otiosus, *Rogerio Florio Brundisino* Duce Constantinopolim à *Friderico* transmissus est, *Andronici* Imperatoris stipendiis adversùs Turcas militaturus. Exercitus *Catalanorum Societas* appellatus est, cujus in bellis Turcicis, Græcísque celebre nomen. Almeriense bellum magna fortitudine gessit *Jacobus* Rex, haud pari fœlicitate. Nam Almeriæ obsidionem dimittere coactus est. Priori uxore defuncta, *Mariam* Cyprii Regis Sororem duxit anno MCCCXV. *Rocaberto* Taraconensi Præsule defuncto, *Joannes* Aragonii Regis filius substitutus est anno MCCCXVI. Electionem ut *Joannes XXII.* Summus Pontifex ratam haberet, impetrari non potuit. Caussæ memoriæ non sunt proditæ. Simoniaci fortè ambitûs vitium obtendebatur, aut minoris ætatis. *Nondum*, inquit Mariana, *solvendarum legum ad Principum gratiam usus percrebuerat. In Pontificibus ea erat animi magnitudo, ut maximorum sæpe Regum cupiditatibus obsistere non dubitarent.* Anno MCCCXIX. *Jacobus* Regis filius natu major paterni Regni hereditatem invito Patre abdicavit, & Ordinem *S. Joannis Hierosolymitani*, ut scribit *Zurita*, vel *Calatrava*, ut *Mariana* tradit, professus est, & post aliquot menses ad *Montesia* Militiam migravit. Ipsum non colendæ pietatis studio, sed ingenii levitate abdicasse, morum licentia vitæque turpitudo probavit. *Leonora* quæ ipsi desponsata fuerat, in Castellam ad suos intacta remissa est. Sardiniense bellum Rex *Jacobus* per *Alphonsum* filium confecit. Hostes duplici prælio profligati, Ecclesiensis & Calaritana urbes in potestatem redactæ. *Joannes* Regis filius Toletanus Episcopus creatus fuerat. Magna inter eum & Taraconensem Cæsaraugustanúmque contentio fuit ob Crucem insta eorum Provincias à Toletano prælatam. Ipsum Cæsaraugustanus Anathemate devovit, quo tempore Cæsaraugustæ Conventus à Rege habebantur. *Joannes XXII.* Pontifex Maximus Regis iram, filium sub oculis suis violari indignè ferentis, delinivit, datis ad ejus Majestatem literis. Causæ cognitionem Sedi Apostolicæ servavit. Archipræsulem Toletanum ad cautelam à censuris absolvit. Literas exhibet *Zurita* in Indicibus Rerum Aragonensium, lib. II. pag. 164. *Maria* altera uxore defuncta, Rex Jacobus *Elisendam Moncadam* tertiis nuptiis duxerat. Nullam ex utraque prolem suscepit. Obiit Barcinone, II. Idus Novembris, anno MCCCXXVII. ætatis LXVI.

Sardiniæ & Corsicæ Regno à Bonifacio VIII. auctus.

Fredericum fratrem Siculo Regno expellit.

Almeriense Bellum.

Lib. XV. Cap. 15.

Bellum Sardiniense.

Contentio Toletanum inter & Cæsaraugustanum Archipræsules.

IV. *Alphonsus IV.* ob mansuetudinem & clementiam eximiam *Benignus* & *Pius* appellatus, post obitum Patris Aragoniis Jura dedit. *Teresiam Entesam* nobilissimam fœminam duxerat, ex eâque liberos susceperat, *Petrum*, *Jacobum*, *Fredericum*, *Sanctium*, *Constantiam* & *Isabellam*. Uxore simul ac Patre orbatus est. Alteram duxit, *Eleonoram* Castellæ Regis filiam, quæ *Jacobo* fratri olim desponsa fuerat, ab eóque dimissa. Publico sanxit Edicto. Ne Patrimonium Regium aut vectigalia intra decem annos, vel à semetipso alienari possent aut disjungi. Verùm susceptis ex *Eleonora* filiis, *Ferdinando* & *Joanne*, solvit latam à se Legem, & amplissima quædam ipsis constituit Patrimonia. Hoc inter *Petrum* primogenitum, & Novercam, ejúsque filios, dissidii semen immortale. Bellum adversùs Genuenses, qui Sardiniæ dominationem affectabant, per *Raymundum Cardonam* fortissimum prudentissimúmque Ducem fœliciter gessit. *Guilielmum Costam*, Barcinonensis Conventûs FF. Prædicatorum Priorem, ad *Fredericum* Patruum, Siciliæ Regem, Oratorem misit, ut ipsum à fœdere quod cum *Ludovico Bavaro* Ecclesiæ inimico pepigerat, abduceret. Id refert *Zurita* in Indicibus pag. 172. Obiit Rex *Alphonsus* IX. Kal. Februarii, anno MCCCXXXVI.

Alphonsus IV. Rex Aragonum.

Ejus uxores & liberi.

Guilielmus Costa Dominicanus Alphonsi Aragonii ad Siciliæ Regem Orator.

ARTICULUS V.

De PETRO CRUDELI, HENRICO, & JOANNE I. Castellæ Regibus, PETRO IV. Aragonum; ALPHONSO IV. PETRO, & FERDINANDO Lusitaniæ.

1. *Alphonsum XI.* in Castellæ Regno *Petrus* filius excepit, cui à crudelitate cognomen. Ipsi è Gallia quæsita conjux, *Blanca* Joannis Ducis Borbonii filia. Nuptiarum vix peractâ celebritate, novam Nuptam fastidivit, *Maria Padillia* impudicis amoribus irretitus. Nec multò post *Joannam Castriam*, *Dieghe Haro* marito defuncto viduam, conjugii specie prætensâ, & *Blanca* nuptias se ex animo aversatum asserens, quod *Sanctius* Abulensis, & *Joannes Salmanticensis* assentatores Episcopi confirmabant, Cuellare duxit. *Joannes* filius ex his nuptiis procreatus est. Rex ipsâ pariter neglectâ, *Padilliæ* pellici penitus adhæsit. *Blancam* justam conjugem vexavit, captivámque detinuit, omni solatio destituam. Conjurati Proceres cum Regina Matre, ipsum ad officium redigere,

Petrus Crudelis Rex Castellæ.

&

& ad *Blancam* Regiæ thoróque restituendam cogere monitis armisque frustra tentarunt. Factus inde ferocior, multos Viros principes ferro totremit. *Fredericum*, *Petrum*, & *Didacum* sustulit nothos fratres, quorum matrem *Leonoram Gusmaniam*, patris olim amicam, Principatus initio occiderat. *Rufum* Granatæ Regem, qui ad eum supplex accesserat, interfecit, ut thesauris, quos attulerat, potiretur. *Blancam* denique Reginam, justam uxorem, Assidoniæ ubi in custodia tenebatur, ipsam adeundi, aut cum quoquam colloquendi sublatâ facultate, veneno extinxit. Fœdam tunc Hispaniæ faciem, bellis civilibus, externisque deformatæ, *Mariana* lib. XVII. aliique gentis Historici describunt. *Henricus* Trastamaræ Comes, matris, fratrúmque cædem ulcisci certus, cum validis Aragonii & Christianissimi Regis auxiliis, *Bertrando Guesklino* Duce, in Castellæ fines irrupit, Regium nomen sumpsit, & plerisque Legionis & Castellæ urbibus ultrò deditionem facientibus, *Petrum Crudelem* Hispania expulit. Nec tamen ideo despondit animos *Petrus* pro meritis infœlix. *Richardus* Valliæ Princeps, Aquitaniæ pro Anglo Præfectus, & *Carolus* Rex Vasconum operam tulere. *Henricus* ad Turium seu Anigarum victus, ad *Carolum V.* Regem Christianissimum confugit, à quo pecunia & milite adjutus rediit in Hispaniam, Calagurrim, Burgos, Legionem, alia oppida in potestatem recepit. Toletum castra promota sunt, Dum obsidione premitur, *Henricus* partem copiarum *Montielem* ducit. Ibi commissum prælium, dissipatæ *Crudelis* acies, atque in primis Mauricæ copiæ, quas ille in auxilium magno Christianæ Religionis probro ac periculo evocaverat: penes *Henricum* victoria stetit. *Petrus* Montiele inclusus de fuga cogitabat, si quo modo consulere saluti ac libertati suæ posset; cùm in *Bertrandi Guesklini* tentorium dolo invitatus, ab *Henrico* trucidatus est. *Tetrum spectaculum* (inquit Mariana) *Regem, Regúmque progeniem in suomet sanguine volutari, à notho fratre casum. Sed cujus funesta Hispania vita fuerat, mors extitit salutaris: gravique documento monstratum, nullis legionibus, opibus, potentiâ, tutam esse improbitatem. Exemplum editum, quod admirentur posteri, perpetuóque exhorreant.* Interfectus est die XXIII. Martii annos natus XXXIV. menses VII. Regnavit annis XIX.

Ab Henrico Trastamaræ Comite, notho fratre, Regno pellitur, & caditur.

Henricus Castellæ Rex.

II. *Petro* sublato, *Henricus* Montiele Tolero, Castella reliquâ brevi potitus est. Factis cum Mauro Rege induciis, Lusitanam Classem Bœtica littora obsidentem dissipavit. Carmonam diuturna obsidione in potestatem redegit. Auctore *Guidone* Cardinale Bononiensi, pacem cum Lusitano Rege, deinde cum Aragonio sanxit *Henricus*, affinitate confirmatam. Obiit anno MCCCLXXIX. ætatis XLVII. Regni XIV. *Joanni* Successori hæc mandata dedit. *In Pontificum dissidio, non temerè in alterutram partem inclinandum. Deum præ oculis & Ecclesiæ incolumitatem haberet. Gallicam amicitiam omnibus officiis tuendum; unde tantum præsidii rebus asperis extitisset. Captivos omnes Christiani nominis reddendos libertati. Nullum neque majus, neque magis pretiosum justi Imperii instrumentum, quàm bonos amicos.* Ita refert *Mariana* lib. XVII. Cap. II. Vestis Dominicani Ordinis morienti defunctóque induta. Id ejus voluntati, amoríque quo eum Ordinem complectebatur, ob *D. Dominici* sui gentilis memoriam datum est: *& Regibus solemne erat ex eo numero & Ordine Sacerdotes deligere, quibus conscientiæ vulnera detegerent, procurarentque.* Verba sunt *Marianæ*. Et in hæc usque tempora id Catholicis Regibus solemne est, maximo Dominicani Ordinis honore.

Mandata suprema Joanni filio ac successori data.

Dominicani Ordinis vestem moriens induit.

Dominicani Hispaniæ Regibus jam olim à Confessionibus erant.

III. *Joannes* Henrici filius, post ejus obitum Regni coronam suscepit. Uxorem duxerat *Eleonoram*, Regis Aragonum filiam. Quâ defunctâ, *Beatricem* Lusitani Regis filiam conjugem accepit. Bellum habuit cum Lusitanis Anglisque difficillimum. Clades à Lusitanis acceptas induciæ excepere. Pax cum Anglis facta: *Catharina*, quam unicam Lecestriæ Dux ex *Constantia* Petri Castellæ Regis filia prolem habebat, *Henrico* Joannis Regis filio collocata est. Anno MCCCXC. Regni Conventus Gataçæ habiti. Multis de rebus Rempublicam Ecclesiamque spectantibus deliberatum. Externis hominibus, inquit *Mariana* Cap. XIII. libri XVIII. Sacerdotia in Provincia dari, usu receptum erat, unde magna incommoda extare necesse erat: templorum cultum negligi Sacerdotum absentiâ: literarum studia Provinciales non curare, nullis virtuti præmiis. Communi consensu constitutum, *Clementem* Pontificem de ea re appellandum. Priorum temporum perturbatione Castellæ ulteriores Proceres in Jura Ecclesiarum invaserant, Patronorum occupato nomine Sacerdotes instituere soliti. Exiguo stipendio constituto, decimarum multò maximam partem pro se quisque domum avertere, Ecclesiarum Jura occupare, dare & auferre templis mercenarios Sacerdotes atque temporarios. Episcopis Burgensi & Calagurritano, ubi vis mali incubuerat maximè, agentibus, de ea re in Conventu est relatum. Rege ad æquitatem propenso, præclari ii conatus impediti Regulorum intercessione. Itaque Ecclesiarum libertas sanciri non potuit: & illi morem per multas ætates continuatum, majorum merita, priorum Pontificum veniam excusabant, ante Concilii Lateranensis tempora, *Alexandro III.* Pontifice scilicet, cùm novo Decreto est cautum, ne decimas profani invaderent, ne Pontificum quidem permissu. Ex equo præcipitatus obiit Rex *Joannes*, septimo Idus Octobris, anno Christi MCCCXC. ætatis XXXIII. Regni XII.

Joannes Castellæ Rex.

Regni Conventus.

IV. *Alphonso* Patri in Aragoniæ Regnum successit *Petrus IV.* ejus filius, ob studium eorum quæ ad Imperii decorem pertinerent, *Ceremoniosus* appellatus. Regem Balearem, affinem, confictis criminibus, ne causa deesse videretur, bello aggressus, Regno exuit, annuum vectigal constituit unde vitam sustentaret. *Jacobum* fratrem Regni procuratione, spéque hereditatis dejecit, *Constantia* filiarum trium, quas ex *Maria* uxore susceperat, natu maximâ, dictâ herede. Hac mutatione commoti Aragonii & Valentini Proceres cum plebibus tumultuari cœperunt, conspiratione factâ, libertatem Juráque Provinciæ, armis etiam, si opus foret, tutaturi. Rex conjurationem dissipavit ad tempus, Regni procuratione *Jacobo* fratri restitutâ, eóque Regni herede renuntiato. Verùm citus *Jacobi* interitus, quem veneno periisse suspicio fuit, novas addidit Unioni vires. *Ferdinandus* & *Joannes* fratres, duces se conjuratis populis præbuerunt. Rex annuit ut *Ferdinandus* se superstite Regni Procurator ac Vicarius, defuncto Successor exclusis filiabus esset. *Lupi Lunæ* virtute conjuratorum copiæ profligatæ, pax evestigio revocata est. Unio solemni ac perpetuo Edicto sublata & prohibita: Unionis Privilegiis rescissa: Justitiæ Aragonum auctoritas amplificata: Cautúmque ut universum Regum ac Regni Jus, non jam ferro & conspiratione, sed istius Magistratus Judicio defenderetur. Post mortem *Mariæ* prioris uxoris, *Eleonoram* duxit, *Alphonsi* Lusitaniæ Regis filiam, quæ nullos ipsi liberos peperit. Post ejus obitum, *Eleonoræ* alteri, *Ludovici* Siciliæ Regis sorori copulatus est. Hæc ipsum tribus filiis auxit, *Joanne*, *Martino*, *Alphonso*, & filia cognomine. Hac denique

Petrus Ceremoniosus Rex Aragonum.

Conjuratio ab illo dissipata.

Petri Regis Ceremoniosi uxores & liberi.

nique extinctâ, quartas nuptias iniit cum *Sybilla Forzia*, Bernardi Forziæ Catalani Equitis filia. *Joannes* Gerundæ Dux, Regis Primogenitus, Novercæ Reginæ insidiis circumventus, à Regni procuratione dejectus, Jus suum coram Justitia Aragonum contestatus est, causámque contra Patrem obtinuit. Obiit *Petrus* Rex Aragonius Nonis Januarii, anno Christi MCCCLXXXVII. annos natus LXXV. Regni LI. ardenti vir ingenio, ambitione maximâ, literarum literatorúmque cultor, Astrologiæ & Alchimiæ impensè deditus. Ultricibus furiis & recentis facinoris ac sceleris vindicibus mortem obiisse, memoriæ proditum est. Nam cùm superiore anno in Jura & Ditionem Tarraconensis Ecclesiæ invasisset, & Sacerdotes immissis copiis divexasset, neque ullo Juris præsidio humanove imperio Regia vis coërceri posset, sacrati viri *S. Theclæ* Tutelaris numen implorarunt, & Regi ad Dei tribunal diem dixerunt sexagesimum. Præstituta die, manu Divæ percussus, cùm erepta restitui jussisset, morte mulctatus est. Ita post *Gonzalvum Garciam S. Mariæ*, & *Gaubertum* Monachum, refert *Zurita* in Indicibus Regum ab Aragoniæ Regibus gestarum, pag. 250.

Obitus vendex Dei.

V. Post *Dionysium* Regem in Lusitania regnavit *Alphonsus IV.* ejus filius, à morum austeritate *Ferox* cognominatus. Multa domi forisque fortiter gessit, rebus omnibus laudatus, si juventutis tempus impietate in patrem fratremque, senectutis verò, sævitiâ in filii amicam non maculasset. Nam adversùs patrem, quòd *Alphonsum Sanctium* filium nothum plus æquo diligere videretur, arma corripuit, multáque machinatus est, quò *Alphonsum* aut odisset, aut è Regno exterminaret. *Agneti* etiam *Castria*, filii amicæ crudeliter vitam ademit. Optimas cæteroquin Leges tulit, subditósque rexit cum justitiæ laude. Obiit Olysipone anno MCCCLVII. ætatis LXVII. Regni XXXII. *Petrum* filium ex *Beatrice* Regina reliquit heredem.

Alphonsus Ferox Lusitaniæ Rex.

VI. Hic propter ingenitam ferociam, & in pœnis irrogandis severitatem, *Crudelis* appellatus, in eos tamen quos criminis puros existimabat, benignitatis & liberalitatis laudem affectavit. Unde illud sæpe jactabat: *Indignum sibi videri* [illegible] *nomine eo die quo nihil cuiquam præstitisset.* Post obitum patris, *Agnetem Castriam* justam sibi uxorem fuisse professus est, & susceptos ex ea filios legitimos haberi voluit. *Petro* verò *Cœlio*, & *Alvaro Gondisalvo*, qui necis *Agnetis* autores extiterant, corda vivis extrahi jussit, ipsáque comburi, ut hoc velut sacrificio Amicæ manibus parentaret. Obiit anno MCCCLXVIII. ætatis XLVIII. Regni XI.

Petrus Crudelis Rex Lusitaniæ.

VII. Ipsi successit *Ferdinandus* ex *Constantia* justa uxore filius: de Castellæ Regno cum *Henrico* Rege contendit, júsque suum armis persecutus est. Rebus non bene cedentibus, externum ex Anglia accivit militem, qui hoste infestior Lusitaniæ fuit. Diem obiit XIII. Kalendas Novemb. anno MCCCLXXXIII. ætatis XLIII. Regni XVII. Uxorem duxerat *Leonoram Telliam* superstite marito, eâ rationis specie, quòd matrimonium inter illos constare propter affinitatis impedimentum non poterat; cùm tamen vir ejus à Summo Pontifice legibus solutus fuisset. Ex eo contubernio nata est *Beatrix*, Joanni I. Castellæ Regi collocata, nati & filii duo, qui in cunis obiere. Legendus *Duardus Nonius* lib. De vera Regum Portugalliæ Genealogia: & alii Rerum Lusitanarum Scriptores.

Ferdinandus Rex Lusitaniæ.

ARTICULUS VI.

De HENRICO III. Castellæ; JOANNE I. & MARTINO Aragonum; & JOANNE I. Lusitaniæ, Regibus.

I. HEnricus inter Castellæ Reges hoc nomine *Tertius*, post *Joannis* patris obitum Rex proclamatus est. Undecim duntaxat annos natus erat, paucis adjectis diebus. Minori ejus ætati regendæ, ac Reipublicæ procurandæ Tutores ab Ordinibus selecti. Eorum æmulatione ac dissensionibus res turbatæ. Accessit Lusitanici belli metus: qui tamen pactis in annos quindecim induciis feliciter depulsus est. Interea Toletanus Archipræsul, Uxamensis Episcopus, & Fusilensis Abbas, ab æmulis capti sunt ac detenti. Sacrarum Personarum & Ecclesiasticæ Libertatis violationem *Clemens VII.* Anathemate in Regem Proceresque lato ultus est. Procurandæ Censuræ potestas *Dominico* Albiensi Episcopo, Sedis Apostolicæ Legato commissa. Crimen in Regis Consilium rejectum, quem impubes ætas excusabat. Pontificias literas *Mariana* exhibet libro XVIII. cap. XVIII. Quatuordecim annos natus, rerum administrationem cepit. *Catharinam* Lecestriæ Ducis filiam uxorem duxit. *Ferdinando* fratri *Eleonoram* collocavit *Albuquerquiam*. Bellum gessit cum Lusitanis non ingloriùm. A *Tamerlane* Turcarum Imperatore legationem honestissimam suscepit, ad eúmque vicissim misit Oratores, *Alphonsum Paez*, *Rodericum Gonsalvum*, & *Gometium Salazarium*, quorum extat *Itinerarium* ab ipsismet conscriptum. Obiit *Henricus III.* Castellæ Rex, ab adversâ quâ plurimùm usus est valetudine *Valetudinarius* appellatus, VIII. Kal. Januarias, anno MCCCCVII. ætatis XXVII. Regni XVI. Filios reliquit *Joannem* Regni heredem, *Mariam*, *Catharinam*. Fuit ingenio facili, miti, atque liberali. Proceres ad Regias arces tradendas, & auri pondus repræsentandum, quod Regiis vectigalibus occupatis debebatur, compulit, cùm primùm Regni administrationem suscepit, animi magnitudine, consilio, prudentiâ. Ejus illa vox fuit: *Populi se execrationes amplius quam hostium arma formidare.*

Henricus III. Castellæ Rex.

Censura in Regem Proceresque lata ob violatam Ecclesiæ libertatem.

Legationes.

Elogium.

II. Regnum Aragonum *Petri Caremoniosi* obitu ad *Joannem* ejus filium pervenit. Qui ab armorum usu negotiorúmque tractatione abhorrens, musicorum instrumentorum ac vocum symphonia, histrionum nugis, choreis, conviviis, venationibus ita deditus erat, ac si non ad laudis & gloriæ, sed ad omnia voluptatis studia natus fuisset. Vivente Patre uxorem duxerat *Matham* seu *Mathæam*, Joannis Armeniacensis Comitis Sororem, ex quâ filiam unicam suscepit. Secundis nuptiis *Violantem* duxit *Roberti* Barensis Ducis filiam, & *Joannis* Regis Christianissimi neptem. Porro *Violanti*, & *Carrociæ Villaraguta*, primariæ fœminæ, quæ ejusdem Reginæ gratiâ fruebatur, summam rerum permittebat Princeps uxorius. Regni Ordines de luxu Aulæ emendando deliberatum; & *Carrociam* Regiâ exigi, ab omnique publicorum negotiorum cognitione abstinere impetrarunt. Id in *Joanne* Aragonio laude dignum, quòd Sapientum monita lubenter audiret, & si quando à recta Legum via aberrasset, facillimè se ad rationem & æquitatem revocari pateretur. *Clementem VII.* & *Benedictum XIII.* Avenionenses Pontifices veneratus est. *Benedicti* recèns creati literas ad ipsum datas exhibet *Zurita* in Indicibus pag. 257. In Foxano nemore cùm venationi operam daret, portentosæ magnitudinis

Joannes I. Rex Aragonum.

dinis lupâ excitatâ, cùm eam insequeretur, equo deturbatus, repente oppressus est xiv. Kalendas Junii anno mcccxcv. Prole virili caruit.

Martinus Rex Aragonum.

III. *Martinus* Montblanci Dux, ejus frater, ad Regni successionem Lege, defuncti testamento, & voluntate gentis vocatus est, eo tempore Siciliæ motibus pacandis districtus. Fuxensis Comes, qui *Joannam* defuncti Regis filiam primogenitam duxerat, de Regno litem intendit. Regni Conventus Cæsaraugustæ habiti, eo repulso, communi voluntate *Martino* quamvis absenti Regium insigne, nomen, potestatémque decreverunt. Cæsaraugustæ anno mcccxcix Aprili mense, Regias infulas suscepit. Regnavit exinde annis undecim. Filii cognominis Siculi Regis sustinuit orbitatem anno mccccix. ab eóque Regni heres scriptus est. Obiit *Martinus* Rex Aragonius pridie Kalendas Junii, anno mccccx. De his Regibus qui plura nosse cupit, legat *Zuritam* in Indicibus, *Hieronymum Blancam*, & *Lucium Marineum Siculum*.

Joannes I. Rex Lusitaniæ.

IV. *Ferdinando* Lusitaniæ Regi absque prole mascula defuncto, successit *Joannes* ex impari matre frater, cùm *Joannem Andericum* Comitem, qui *Leonora* Reginæ gratiâ fretus, rerum summam ad se trahebat, in Aula obtruncasset. Adversùs Castellæ Regem cognominem Lusitaniæ Regnum defendit, collatisque signis inter Portum Molarum, & vicum Aljubarotam, Castellanos fudit. Anno mccclxxxvii. uxorem duxit *Philippam*, filiam *Joannis* Ducis Lencestrensis. Ex ea suscepit *Alphonsum*, qui anno ætatis x. obiit, *Eduardum* Regni Successorem, *Petrum* Ducem Conimbricensem, *Henricum* Ducem Viscensem, & Militiæ JESU CHRISTI Magistrum; *Joannem* Magistrum Militiæ S. *Jacobi*, & Portugalliæ Comestabilem; *Ferdinandum* Magistrum Militiæ Avisiensis, Cisterciensis Ordinis, & *Isabellam* quæ *Philippo* Burgundiæ Duci nupsit. Hic verò subsistimus, de gestis *Joannis* Lusitani Regis reliquis sermonem aliàs facturi, nempe in Seculi xv. Historia, ad cujus annum xxxiii. vitam Regnúmque produxit.

Ejus Liberi.

CAPUT XII.

De Regibus Angliæ, xiii. & xiv. Sæculi.

ARTICULUS I.

De JOANNE Rege, SINE TERRA nuncupato.

Controversia de Jure Regni.

POST *Richardi* Regis obitum, qui anno Seculi superioris postremo contigit, de Jure successionis in Angliæ Regnum ditionésque universas contentio fuit inter *Joannem* Moretoni Comitem *Richardi* fratrem, & *Arthurum* Comitem Britanniæ, ejus nepotem, in quem *Gaufridi* patris, qui Regni absque controversia heres fuisset, si superstes vixisset *Richardo*, utpote natu major *Joanne* frater, Jura transfusa videbantur. Andegaviæ, Cenomaniæ, & Turoniæ Proceres in *Arthuri* verba juravere. *Joannem* Normanni Ducem exceperunt, Regem venerati sunt Angli. Ab *Huberto* Cantuariensi Archiepiscopo, viii. Kalendas Junii Londini inauguratus est, præstito Sacramento, *Quòd Sanctam Ecclesiam & ejus Ordinatos diligeret, & eam ab incursione malignantium indemnem conservaret: perversis Legibus destructis, bonas substitueret, & rectam justitiam in Regno Angliæ*

Matthæus Paris.

exerceret. Arthuri Jura *Philippus Augustus* Rex Christianissimus protexit, copiasque dedit, quarum ope Pictaviam sub jugum mitteret. Eam in Provinciam progressus *Arthurus*, Mirabellum castrum obsidione cinxit, in quo *Alienora* Regina, *Joannis* Mater, tenui stipata præsidio versabatur. De Matris periculo certior factus *Joannes*, Mirabellum advolavit, hostem ab obsidione depulit, *Arthurum* Nepotem captum cum aliis plurimis Rothomagum abduxit. Ibi in Arce Nova inclusus, paulò post à *Joanne* trucidatus est. Ita fama tulit, minimè mendax. *Sed non multò post idem Arthurus subitò evanuit, modo fere omnibus ignorato, utinam non ut fama refert invida!* (inquit *Matthæus Parisius*) Henricus de *Knygthon* Leicestrensis Canonicus lib. ii. de Eventibus Angliæ, *Arturum* à *Joanne* occisum non dubitanter scribit. *Joannes*, inquit, *malè venit ad Regnum. Nam Arthurum de Britannia, filium Gotfridi fratris sui dolosè occidit, qui jure hereditario debuit habuisse Coronam Regni Angliæ, post mortem Richardi avunculi sui.* Hanc ob causam justum bellum intulit *Joanni* Philippus Augustus.

Joannes Rex Arthurum Nepotem occidit.

Orto postea gravissimo dissidio *Joannem* Regem inter & *Innocentium III.* occasione *Stephani* Cantuariensis Archiepiscopi, quem Rex recipere nolebat, ejus electioni obstinato animo repugnans, Pontifex sacrorum justitium Angliæ indixit. *Joannes* Ecclesiasticos omnes reditus invasit. Excommunicationis Sententiâ hanc injuriam ultus *Innocentius* est. Quin etiam Regem Christianissimum hortatus est ut Ecclesiæ injuriam armis ulcisceretur, & * *Rege Anglorum à Solio Regni expulso, ipse & Successores sui Regnum Angliæ jure perpetuo possiderent*. Gallici belli terribili apparatu, & *Pandulphi* Legati Apostolici suasione, *Joannes* Ecclesiæ facturum se satis juravit, & Cantuariensi Archiepiscopo, Episcopis & Monachis pacem concessit. Formulam pacis apud *Matthæum Parisium*, ad annum mccxiii. pag. 163. legere est. Regna etiam sua Angliæ & Hiberniæ Ecclesiæ Romanæ, & *Innocentio III.* ejúsque Successoribus resignavit & contulit, datis ea de re in domo Militum Templi juxta Doveram Literis, quas idem *Parisius* describit, sicut & Homagii formulam ab eodem Rege *Innocentio* præstiti in Legati manibus. Addit, *Pandulphum* Legatum pecuniam, quam in arrham subjectionis Rex contulerat, conculcasse, Archiepiscopo Dublinensi dolente & reclamante. Secundùm hæc, Episcopis in Angliam revocatis, ac in integrum restitutis, excommunicationis vinculo solutus est.

Dissidium inter Joannem Regem, & Innocentium III.

* Matthæus Paris.

Pax inita subjectione & resignatione Regni Innocentio III. & ejus successoribus.

Biennio post, Barones Angliæ conspiratione facta, Legum *Eduardi* Regis, & Libertatum sibi & Regno Angliæ, & Ecclesiæ Anglicanæ concessarum confirmationem à *Joanne* Rege armata manu exegerunt. Qui tempori ac necessitati serviendum atque cedendum ratus, ipsorum annuit postulatis. Chartam concessionis & confirmationis hujusmodi Libertatum Historiæ suæ inseruit *Matthæus Parisius* ad annum mccxv. pag. 177. & sequentibus. Mox verò ipsum pœnituit, datisque ad Summum Pontificem literis, concessionem illam suam irritam ab ipso dici obtinuit. *Innocentii III.* Diploma, Literásque commonitorias & comminatorias ad Barones legere est apud *Matthæum Parisium* pag. 184. & 185. Proceres conjuratos paulò post à piorum communione Pontifex summovit, primò generatim, deinde nominatim, eorúmque crimen ex eo capite exaggeravit, quod *Regnum ad Romanam Ecclesiam pertinens* perturbarent. Harum Censurarum tenorem *Matthæus Parisius* repræsentat pag. 187. & 192. Civitatem etiam Londinensem, & omnes Baronum terras Ecclesia-

Baronum Angliæ in Joannem Regem conjuratio.

ftico suppoſuit Interdicto. Illi Regis Chriſtianiſſimi auxilium imploratum, & *Ludovicum* Galliæ Juventutis Principem ad Coronam Angliæ capeſſendam, Tyrannumque depellendum ſummo conſenſu evocarunt. Qui opem ipſis laturus, in Angliam trajecit anno MCCXVI. Obiit Rex *Joannes Sine Terra*, in *S. Lucæ* Evangeliſtæ pervigilio, anno MCCXVI. Eccleſiaſticis Sacramentis procuratis, & animâ Chriſto commendatâ, ſi tamen in ipſum verè credidit.

Ejus obitus.

Ipſum certè de Reſurrectione corporum, ac de aliis Chriſtianæ fidei capitibus malè ſenſiſſe, & quædam impia ac blaſphema ſæpe evomuiſſe, refert *Matthæus Paris*. Qui pium ob Regni ſui Donationem Eccleſiæ Romanæ factam prædicaret, is oppidò falleretur. Non enim religionis ſenſu id præſtitit, ſed ut rationibus privatis conſuleret, nullâ Reipublicæ curâ. Nec pium eſſe potuit, quod nec juſtum erat, nec prudens. Juſtum autem prudénſque non fuit, Regnum cujus Dignitatem, Jura, Libertates tuendas ſuſceperat, ac juraverat Inaugurationis ſuæ tempore, alienare, & ſubjicere ſervituti. Laudabile fuiſſet Regiam munificentiam in Romanam Eccleſiam Matrem ſuam ſpiritualem explicare, ipſam muneribus ampliſſimis donare pium fuiſſet, ſed Regnum ipſi quoad temporale dominium addicere, abſque Ordinum conſenſu, levitatis & ſocordiæ fuit, non religionis. Ita pleriſque viſum eſt. Et quis id pietati tribuat, in eo præſertim Rege, qui Regnum Eccleſiæ Romanæ hoc pacto reſignatum atque donatum, nihilominus *Admiralio Murmelio*, ſeu Miramomelino Africæ, Marrochiæ, & Hiſpaniæ, tributarium reddere voluit, illúdque ipſi obtulit miſſis Oratoribus; ad Chriſtianam Religionem etiam ejurandam paratus? *Significans eidem* (inquit Matthæus Pariſius) *quòd ſe & Regnum ſuum libenter redderet eidem, & dederet, & deditum teneret ab ipſo, ſi placeret ei, ſub tributo. Necnon & Legem Chriſtianam, quam vanam cenſuit, relinquens, Legi Mahometi fideliter adhæreret.* Auditâ Legatione, Rex Barbarus librum, cujus ad lectionem attendebat, clauſit, & apud ſe paulisper quaſi deliberans, Anglicanis Oratoribus reſpondit: *Modò reſpexi librum cujuſdam Græci Sapientis, & Chriſtiani, nomine Pauli, cujus actus & verba mihi optimè complacent, & accepto. Unum tamen de ipſo mihi diſplicet, quòd in Lege ſub qua natus erat, non ſtetit, ſed ad alia tanquam transfuga & inconſtans avolavit. Et id dico de Domino veſtro Anglorum Rege, qui relictâ piiſſimâ & mundiſſimâ Lege Chriſtianorum, ſub qua naſcebatur, cereus & inſtabilis gliſcit transmeare.* Et addidit: *Novit qui nihil ignorat Deus omnipotens, ſi exlex eſſem, illam præ omnibus eligerem, & acceptam amplexarer.* Tum interrogatis Oratoribus de Angliæ ſtatu, ac de *Joannis* Regis moribus, ipſum ſprevit atque execratus eſt. *Nunquam*, inquit, *legi vel audivi, quòd aliquis Rex tam proſperum Regnum poſſidens ſubjectum & obediens, ſuum ſic vellet ſponte peſſundare Principatum, & de libero facere tributarium, de ſuo alienum, de fœlici miſerum; & ſe alterius, tanquam ſine vulnere victum, dedere voluntati. Quin imò de multis legi & audivi, quòd ſanguinis effuſione ſibi libertatem compararent: modò autem audio quòd Dominus veſter, miſer, deſes & imbellis, qui nullo nullior eſt, de libero ſervus fieri deſiderat.* Hæc fabulæ ſimillima videri poſſent, niſi *Matthæus Paris* eo ſe audiviſſe ſcriberet à *Roberto* Londinenſi Clerico, qui Oratorum à *Joanne* Rege ad Miramomelinum Africæ miſſorum unus fuerat, magniſque muneribus ab ipſo fuerat ob præcipuam ſinceritatem donatus.

Joannes Sine Terra Regnum Angliæ Eccleſiæ Romanæ ex pietate non ſubjecit.

SCHOLION

Ad hunc Articulum, pag. 466. Edit. primæ, Religioſi Cenſores hanc notam appoſuerunt: *Auctor reprehendit Regem Angliæ conſtituendo Regnum ſuum fiduciarium Eccleſiæ; quia id nec erat juſtum, nec pium; imò etiam Mahometanis ſubdere intendebat.*

R. *Joannem* Angliæ Regem Regnum ſuum Eccleſiæ Romanæ ex pietate non ſubjeciſſe quoad temporale dominium, ex aliorum Sententia refero. *Ita* (inquam) *pleriſque viſum eſt.* Joannem Regnum Eccleſiæ Romanæ hoc modo reſignatum atque donatum nihilominus Miramomelino Africæ & Marrochiæ tributarium reddere voluiſſe, refert *Matthæus Paris*. Hiſtoriæ res eſt. Id ſi ex pietate & reverentia erga Sedem Apoſtolicam, ſalvo jure alieno, factum eſſet à *Joanne* Rege, pietatem ejus commendaſſem, ſicut pietatem *Inæ* Occidentalium in Anglia Saxonum Regis commendavi, qui Monaſticæ Vitæ deſiderio flagrans, quamlibet Regni ſui domum tributo, S. Petri denario dicto, addixit: quemadmodum etiam laudavi devotionem *Offæ* Orientalium in Anglia Saxonum Regis, qui pœnitentiæ & religionis ergo Romam profectus, Romanæ Eccleſiæ Tributo Regni ſui partes ſubjecit.

ARTICULUS II.

De HENRICO III.

POſt obitum *Joannis*, Rex Angliæ proclamatus eſt filius ejus primogenitus *Henricus*, præſente *Galone* Sedis Apoſtolicæ Legato: *Fecitque homagium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Innocentio Papæ de Regno Angliæ & Hiberniæ; & juravit quod mille marcas, quas Pater ejus Romanæ contulerat Eccleſiæ, fideliter perſolveret, quamdiu prædicta Regna teneret.* Domitis Lincolnienſi prælio Baronibus, cum *Ludovico* Principe Chriſtianiſſimi Regis filio pacem iniit. Anno MCCXXV. Curiâ ad Weſtmonaſterium congregatâ, Libertates à Patre conceſſas Eccleſiæ ac Regno Anglicano confirmavit, ea lege ut quinta decima parte omnium rerum mobilium totius Angliæ tam à Viris Eccleſiaſticis quàm à Laïcis donaretur. Anno MCCXXXII. cùm *Hubertum* Magnum Juſtitiarium in Jus vocaſſet, & ex Capella, ad quam confugerat, abreptum, in carcerem detruſiſſet, *Rogerus* Londinenſis Antiſtes Eccleſiaſticam vindicaturus libertatem, Regem convenit, increpuit, omnibus hujus violentiæ auctoribus excommunicationem interminatus eſt, niſi quamprimùm à vinculis liberatum ad ſacrum aſylum remitteret. Tum juſtæ petitioni Rex aſſenſum præbuit. Anno MCCXXXII. *Richardus* Comes Mareſchallus ægrè ferens quòd Rex Pictavenſibus, quorum fidem expertus fuerat, Militiæ Aulæque Officia libentiùs quàm Anglis committeret, à Rege defecit, bellique civilis incendio Regnum deformavit; quod illius demum nece extinctum eſt. *Alienoram* filiam *Raymundi* Provinciæ Comitis Rex *Henricus* uxorem duxit anno MCCXXXVI.

Matth. Paris.

His temporibus frequentes Legationes à Romanis Pontificibus in Angliam mittebantur, quibus Epiſcoporum labefactabatur auctoritas: aliáque ex Reſervationibus Beneficiorum, & frequentibus exactionibus incommoda in indigenas redundabant, *Henrico* Rege ſeſe Papæ & Legatorum voluntati penitus accommodante. Quod Romanam Curiam ac Regem ipſum magnam in invidiam adduxit. Unde *Matthæus Pariſius* immodeſtus & maledicus Author * Regem magis ac magis *deliraſſe* inſolenter ſcribit, *& ſe voluntati Romanorum, præcipuè Legati, quem inconſultiùs advocaverat, mancipaſſe, adeo ut videretur quaſi veſtigia ſua adorare: affirmans ſe tam in publico quàm in ſecreto, ſine Domini ſui Papæ vel Legati conſenſu nihil poſſe de*

Romanorum Legationum & Reſervationum frequentia.

* Ad annum 1237.

Matthæus Pariſ. immodeſtus & maledicus Author.

regno

Regno disponere, transmutare, vel alienare, ut non Rex, sed Feudarius Papæ diceretur. His igitur & aliis deliramentis, Rex omium Nobilium suorum corda cruentavit. Legatum Apostolicum *Ottonem* à Rege convivio exceptum, *in eminentiori loco mensæ, scilicet in Regali Sede, quæ in medio mensæ est, non sine multorum obliquantibus oculis collocatum*, refert idem Author ad annum MCCXLI. pag. 376. Tantus honos Apostolicæ Legationi habebatur. Bellum adversùs Regem Christianissimum *Ludovicum IX.* infœlix gessit *Henricus III.* ad Talleburgum datus in fugam, ad Xantonas profligatus, obtentis induciis in Angliam redire compulsus est, anno MCCXLIII.

Honos legato Apostolico habitus.

Henricus III. cum Innocentio IV de Reservationibus Beneficiorum expostulat.

De Reservationibus & exactionibus Romanæ Curiæ cum Summo Pontifice *Innocentio IV.* expostulavit scriptis ad eum literis, quas refert *Matthæus Parisius* ad annum MCCXLIV. pag. 422. *Tot & tantis* (inquit) *Ecclesia Anglicana onerata sunt hujusmodi Provisionibus, quod non solùm Patroni, & hi quorum interest conferre Beneficia Ecclesiastica, Jure suo defraudantur, verum etiam multa deficiunt opera charitatis... Cum igitur Sedes Apostolica ita petentibus debeat esse favorabilis, quod Jus alterius non lædatur, Paternitatem vestram duximus exorandam, quatenus ab hujusmodi Provisionum concessione dissimulare, vel ad tempus desistere vestræ placeat Sanctitati. Interea Paternitati vestræ supplicamus, quatenus Jura nostra & Libertates, quæ non aliena, sed propria potestis meritò reputare, paterna solicitudine velitis tueri, & illæsa & integra conservare, nec aliquorum suggestionibus easdem velitis in vestra Curia aliquatenus perturbari. Nec contra nos vestra Sanctitas moveatur, si in aliquibus teneri Mandatorum vestrorum obviavimus, cùm ad hoc nos compulerit clamor conquerentium, qui nemini debemus in suo Jure deesse, sed ex concesso nobis à Deo Regia Dignitatis Officio, in civilibus plenam justitiam exhibere.* Constitutionem Anglicanæ Ecclesiæ Regnóque gravem ediderat *Innocentius IV.* cujus executionem FF. Minoribus commiserat, qua sancitum erat ut bona decedentium intestatorum in Romani Pontificis usum cederent. Hanc verò cogentibus Cardinalibus ante obitum revocavit, *Matthæo Parisio* teste, ad annum MCCXLVII. pag. 485. Eodem anno Rex *Henricus* de Jurisdictionis Ecclesiasticæ finibus regundis Edictum tulit, quo vetuit ne Judices Ecclesiastici Laïcorum causas cognoscerent, nisi de *matrimonio* vel *testamento* quæstio esset. Ita refert *Matthæus Paris.*

Generale Parlamentum.

Anno MCCXLVIII. Generale Parlamentum Londini celebratum est, in quo Episcopi ac Proceres Regem rogarunt ut subditis æquiorem se præberet, ne gravibus & enormibus exactionibus ipsos opprimere pergeret, ne alienigenis Regni beneficia, munera, bonáque distribueret; ne Justitiarium, Cancellarium, & Thesaurarium nisi communi Ordinum consensu eligeret; ne Episcopatus & Abbatias vacantes, quas ad destructionem usque depauperabat, in manu diutius teneret. Hæc verò se emendaturum pollicitus est; sed convocatos paulò post Proceres superbè excepit, séque leges ab eis negavit accepturum.

Matth. Paris.

Henricus III. à S. Ludovico Rege Parisiis exceptus.

Anno MCCLIV. in Franciam, cum licentia *S. Ludovici* Regis transfretavit, ab eóque Parisiis apparatu festivissimo susceptus est. Refert *Matthæus Parisius* Regem Christianissimum in convivio quo ipsum excepit, primum locum tenuisse. DOMINUS REX FRANCORUM, inquit, QUI TERRESTRIUM REX REGUM EST, *tum propter ejus cœlestem inunctionem, cùm propter sui potestatem, & militiæ eminentiam, in medio sedebat, & Dominus Rex Angliæ à dextris, Rex Navarræ à sinistris. Et cùm niteretur Dominus Rex Francorum aliter ordinare, ut videlicet Dominus Rex Anglorum in medio & eminentiori loco sederet, ait Dominus Rex Angliæ: Non, Domine mi Rex, decentius sedetis modò, scilicet in medio, & diguius. Dominus enim meus Rex es, & eris, & superest causa.*

Henricus III. Angliæ Rex Ecclesiæ libertati & Jurisdictioni infestus.

Longè dissimiles erant *Henri III.* Anglorum Regis, & *Ludovici IX.* Regis Christianissimi mores. Hic siquidem Ecclesiam ac Viros Ecclesiasticos tuebatur, fovebat, beneficiis augebat: ille verò Ecclesiæ libertatem opprimebat, & horrendis exactionibus Clerum affligebat, Jurisdictionem Ecclesiasticam evertebat. Id probant Articuli circiter quinquaginta gravaminum ab Anglicanis Præsulibus in scriptum redacti anno MCCLVII. ut congruo tempore de illis coram Rege & Magnatibus expostularent. Illos exhibet *Matthæus Parisius* in Additamentis, pag. 129. & sequentibus.

Cum Francorum Rege pacem init.

Supplem. Paris.

Anno MCCLIX. Rex *Henricus* pacem iniit cum *S. Ludovico* Francorum Rege, quâ pactis trecentis millibus librarum Turonensium, Juribus omnibus ad Ducatum Normanniæ & Andegaviæ Comitatum in perpetuum cessit, illáque nomina è suis titulis expunxit.

Henricum Regem Barones que deserunt.

Anno MCCLX. Barones conspiratione factâ Regem in Conventu Oxoniensi compulerunt, ut Statuta quædam pro Regni (ut aiebant) commodo, & Majestatis ipsius utilitate condita confirmaret ac juraret. Inprimis ut alienigenæ omnes sub pœna capitis ex Insula exirent. Verùm cum Rex coacti Juramenti vinculo ab *Alexandro IV.* Pontifice Maximo solutus esset, auctum dissidium est, *Eduardo* Anglicanæ Juventutis Principe, qui eadem Statuta juraverat, à Baronibus stante contra Patrem. Anglicani Gallicaníque Præsules pro pace & concordia satagentes effecerunt, ut Rex Angliæ Procerésque, Sancti Regis Galliarum *Ludovici* Judicio controversiam omnem permitterent.

S. Ludovicus Rex Galliarum controversiæ arbiter electus.

Is die XXIII. Januarii in frequenti Episcoporum Procerúmque Conventu Ambiani celebrato, cui Rex & Regina Anglorum interfuere, secundùm eumdem Regem contra Barones Sententiam tulit, & Oxoniensia Statuta irrita esse ac fore pronuntiavit: ita tamen ut Magnæ Chartæ Regis *Joannis* nihil propterea derogatum esset. In Sancti Regis Judicio non acquievere perduelles Angli, paucis è Procerum numero exceptis, qui ad Regem transierunt. Ad arma ventum est. Anglia tota bello civili conflagravit. Rex *Henricus*, ejúsque frater *Richardus*, & *Eduardus* primogenitus, in Conjuratorum potestatem venere, anno MCCLXIV. *Urbanus IV.* Pontifex Maximus *Guidoni* S. R. E. Cardinali Sabinensi Episcopo Legationem Apostolicam imposuit, ad revocandum Anglicanos Proceres ad pacem & Regis obedientiam. At ille in Angliam transfretare non valens, navigio Quinqueportuum Mare occupante, quosdam Episcopos ex Anglia ad se Ambianum primò, deinde Bononiam evocavit. Quibus Sententiam excommunicationis & Interdicti, auctoritate Pontificia latam in Barones, omnesque Regi Angliæ perduelles, & in civitatem Londinensem & Quinqueportus; publicandam & executioni mandandam commisit. Ita narrat *Parisii* Continuator, qui hæc perperam refert ad annum MCCLXV. Quæ tamen anno superiore contigisse hinc constat, quòd *Guido* Cardinalis successerit *Urbano IV.* qui anno MCCLXIV. obiit VI. Nonas Octobris. Eadem narrat *Matthæus Westmonasteriensis*. E custodia interim evasit *Eduardus* Princeps, & prælio cum *Simone* Leicestrensi Comite, conjuratorum capite commisso, perduellium exercitum fudit. In pugna cecidit *Simon* fax belli, quem *Parisii* Continuator laudibus extollit immeritum, & *B. Roberti* Lincolniensis Episcopi consi-

Bellum civile.

Matthæi Parisii Continuator refellitur.

lio ad arma contra Regem pro patriæ libertate fumenda, ipe remissionis peccatorum, & Martyrii palmâ propositis, incitatum: à post mortem etiam miraculis claruisse, quæ ob metum Regum publicata non fuerint, mentitur. Sanè hæc inepta esse, absurda, & ab homine imperito ac judicii experte scripta nemo non videt, qui Dei Lege imbutus est. Scilicet Vir Sanctus, qualem fuisse *Robertum* prædicant, author fuisset Comiti ut adversùs Regem rebellaret, funestúmque bellum Domino suo inferret, seditionibus, incendiis, cædibus, patriam miserum in modum fœdaret: ac *Simon* perduellis, excommunicatus, miraculis post mortem claruisset! Hæc à conjuratis conficta, & à nugaci illo Monacho imprudenter scriptis prodita, evidens est. Rex filii virtute liberatus, Regiæque potestati restitutus, convocato apud Vvintoniam Parlamento, conjuratorum duces in carcerem detrudi jussit, exheredavitque. Nondum tamen belli civilis incendium restinctum est. Conjuratorum partes sustinuit *Simon Junior*. Anno MCCLXV. *Ottobonus* Cardinalis à *Clemente IV.* in Angliam Legatus, congregatâ ad Vvestmonasterium Synodo, Anathematis fulmina in conjuratos jaculatus est; teste *Matthæo VVestmonasteriensi*. Anno sequenti, *Simon* Junior suam cum Rege reconciliationem Apostolici Legati & Regis Germaniæ permisit arbitrio: ejúsque pace conjuratorum vires imminutæ sunt: necdum tamen arma deposuere, exheredationis injuriam ulcisci constituentes. Anno MCCLXVII. *Ottobonus* Sedis Apostolicæ Legatus, Concilio apud Northamtonam celebrato, Episcopos omnes & Clericos, qui *Simoni* Comiti contra Regem adhæserant, anathemate confixit. Conjurati ejus monita sententiásque contempserunt, & appellarunt *Ad Sedem Apostolicam, & etiam ad Generale Concilium; vel si necesse foret, ad Summum Judicem.* Ita refert Paris Continuator.

Henrici III Regis obitus.

Anno MCCLXIX. *Eduardus* Regis Angliæ primogenitus, cum Patris licentiâ sacræ Militiæ nomen dedit, & *S. Ludovico* Francorum Regi impignoratâ Aquitaniâ, necessariam ad expeditionis sumptus pecuniam ab ipso accepit. Obiit *Henricus III.* Angliæ Rex Ecclesiæ Sacramentis procuratus, anno Christi MCCLXXII. Regni LVI. ætatis LXXV. decimosexto Kalendas Decembris. Miraculis post obitum celebrem *Matthæus VVestmonasteriensis* fabulatur.

Henrici III. pietas erga Sanctum Missæ Sacrificium.

Ejus erga Sacrosanctum Missæ Sacrificium pietas laude digna. Tres enim Missas solemnes quotidie audire, & pluribus privatim celebrantibus adesse solitum, & dexteram Sacerdotis, Christi Corpus elevantis osculari, *VValsinghamus* author est: cúmque *S. Ludovicus* ipsi suaderet ut interdum Conciones audiret potius quàm tot Missis interesset, respondisse: *Malle se Amicum suum sæpius videre, quàm de eo loquentem, licet bona dicentem audire.*

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 469. Edit primæ, hanc propositionem notant Religiosi Censores: *His temporibus frequentes erant Legationes Pontificia in Angliam, quibus Episcoporum labefactabatur auctoritas.*

R. Historica veritas est, coævorum & suppariium Anthorum testimoniis probata.

SCHOLION II.

Ad ejusdem Articuli paginam 470 hanc notam apposuerunt Religiosi Censores: *Multa de Reservationibus & exactionibus Romana Curia.*

R. Scripsi *Henricum III.* Angliæ Regem de Reservationibus & exactionibus Romanæ Curiæ cum *Innocentio Quarto* Pontifice Maximo expostulasse. Nihil amplius eo loci dixi. Hæc autem mera facti quæstio est.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 471. Religiosi Censores hanc narrationem notant: *Rex Henricus de Jurisdictionis Ecclesiasticæ finibus regundis Edictum tulit, quo vetuit ne Judices Ecclesiastici Laicorum causas cognoscerent, nisi de Matrimonio & testamenti quæstio esset.*

R. Ita refert *Matthæus Paris* à me citatus. Historicus est.

SCHOLION IV.

Ibidem hanc propositionem notant Religiosi Censores: DOMINUS REX FRANCORUM TERRESTRIUM REX REGUM EST.

R. Verba sunt *Matthæi Parisii* Anglicani Historici, ibidem explicantis quo sensu terrestrium Regem Regum Regem Francorum appellaverit, scilicet propter cœlestem unctionem, propter summam potentiam, propter militiæ eminentiam. Nemo nisi gloriæ Regum Christianissimorum æmulus id reprehendet vel impatienter & ægrè feret.

ARTICULUS III.

De EDUARDO I.

HEnrico Rege defuncto, *Robertus de Kylvvarby* Cantuariensis Archiepiscopus ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus, unà cum cæteris Episcopis & Proceribus Angliæ, *Eduardum* ejus Primogenitum, Regem Londinis proclamavit. In Angliam redux, Dominica infra Octavas Assumptæ Virginis inunctus in Regem est, & cum *Alienora* Conjuge coronatus. Walliæ Principi pacem roganti certis conditionibus concessit, anno MCCLXXVIII. Anno MCCXC. quæstione in Magistratus habitâ ad querimonias popularium, omnes pene exauctoravit. Anno MCCXCI. in Parlamento Northumbriæ habito, consultis Prælatis, & utriusque Juris peritis, revolutisque Annalibus, Antistites ac Proceres Regni Scotiæ vocavit, Jus suum superioris Domini in istud Regnum asseruit, illud ut agnoscerent postulavit, & usque ad effusionem sanguinis se defensurum professus est. Principes qui Jus successionis in Scotiæ Regnum sibi vendicabant, illum ceu Dominum Superiorem venerati sunt, ipsique custodiam sive (ut loquuntur) sasiņam dicti Regni contulerunt, donec contendentibus jus dixisset. Causâ discussâ, Rex *Eduardus* Regnum Scotiæ *Joanni de Balliolo* adjudicavit, & absque mora restituit, cùm Homagii officio perfunctus esset. Instrumenta hancce causam spectantia, apud *Thomam VValsinghamum* pag. 56. & sequentibus legere est.

Eduardus I. Jus suum superioris Domini in Scotiæ Regnum vendicat.

Pactum cum Rege Francorum confectum.

Bellum Aquitanicum à *Philippo Pulchro* Rege Christianissimo sustinuit. Pax Reges inter sancita, & duplici affinitate confirmata est, agente Summo Pontifice *Bonifacio VIII.* Convenit ut Angliæ Rex *Margaretam* Regis *Pulchri* Sororem, illiúsque filius ejusdem Christianissimi Regis filiam uxorem ducerent, certis dotibus definitis. Interim Aquitaniæ Ducatus Pontificiæ custodiæ traderetur, quousque discusso utriusque Regis jure, legitimo Domino redderetur. Angliæ Rex naves, mercésque superstites, quarum captio occasionem bello dederat, Gallis restitueret. Hæc anno MCCC. gesta narrat *VValsinghamus.*

Bellum Scoticum.

Scotos etiam insigni prælio profligavit *Eduardus.* Ad sexaginta millia cecidere. Rex Proceresque Scotorum nudè & purè se ac Regnum Regis voluntati permiserant. *Joannes de Balliolo* exauctoratus, & Londonias ad Turrim missus erat. Hâc pœnâ violatam fidem, & defectionem ad Regem Francorum luerat anno MCCXCVII. *Bonifacius VIII.* Pontifex Maximus Scotorum partes tuitus est: jussitque Regi ut Episcopos, Abbates,

Electos,

Regem ad suum Tribunal trahere nititur Bonifacius VIII.

Electos, & quoscunque Scotiæ gentis captivos detinebat, in libertatem assereret, Ministrósque suos è Regno Scotiæ revocaret. Si verò sibi ad Scoticum Regnum jus esse contenderet, Procuratores cum omnibus suæ causæ instrumentis ac munimentis ad Sedem Apostolicam mitteret, finitivam Sententiam audituros. Jus suum scriptis ad Summum Pontificem literis *Eduardus* Rex declaravit atque tuitus est, præmissa contestatione, quòd non in forma nec in figura Judicii, sed omnino extra Judicium rationes juris sui proferret. At Angliæ Proceres ad ejus Sanctitatem scripsere, de Regiis Juribus & temporalibus Angliæ Regem coram aliquo Judice Ecclesiastico vel seculari respondere non debere; nec Sedis etiam Apostolicæ Judicium subire. *Nec ullis temporibus* (inquit) *ipsum Regnum in temporalibus pertinuit, vel pertinet ad Ecclesiam supra dictam. Quin immo idem Regnum Scotia Progenitoribus dicti Regis, nostris Regibus Anglia, atque sibi, feodale extitit ab antiquo. Nec etiam Reges Scotorum & Regnum aliis quàm Regibus Anglia subfuerunt, vel subjici consueverunt: neque Reges Anglia super Juribus suis in Regno pradicto, aut aliis suis temporalibus coram aliquo Judice Ecclesiastico vel seculari, ex praeminentia status sui, Regia Dignitatis, & consuetudinis cunctis temporibus irrefragabiliter observata responderunt, aut respondere debebant. Unde habito tractatu & deliberatione diligenti super contentis in Literis vestris memoratis, communis, concors, & unanimis omnium nostrûm & singulorum consensus fuit, & erit inconcussè, Deo propitio, in futurum:* QUOD PRÆFATUS DOMINUS NOSTER REX, SUPER JURIBUS REGNI SCOTIÆ, AUT ALIIS TEMPORALIBUS, NULLATENUS RESPONDEAT JUDICIALITER CORAM VOBIS, *nec Judicium subeat quoquo modo, aut Jura sua pradicta in dubium quastionis deducat: nec ad vestram prasentiam Procuratores aut Nuntios ad hoc mittat: pracipuè cùm pradicta cederent manifestè in exheredationem Juris Corona Regni Anglia, & Regia Dignitatis, ac subversionem Status ejusdem Regni notoriam; necnon in prajudicium Libertatis, Consuetudinum, & Legum paternarum, in quarum observationem & defensionem ex debito prastiti Juramenti adstringimur, & qua manu tenebimus toto posse & totis viribus cum Dei auxilio defendemus. Nec etiam permittimus aut aliqualiter permittemus, sicut non possumus, nec debemus, pramissa tam insolita, indebita, prajudicialia, & aliàs inaudita, pralibatum Dominum nostrum Regem, etiamsi vellet, facere, seu modo quolibet attentare. Quocirca Sanctitati vestra reverenter & humiliter supplicamus, quatenus eumdem Dominum nostrum Regem, qui inter alios Principes orbis terra Catholicum se exhibet, & Romana Ecclesia devotum, Jura sua, Libertates, Consuetudines, & Leges pradictas, absque diminutione & inquietudine pacificè possidere, ac illibata persistere, benignius permittatis.* Regis *Eduardi* & Baronum Angliæ Literas ad *Bonifacium VIII.* in Historia Anglicana *VValsinghami*, ad annum MCCCI. legere est. Armis Jus suum persecutus *Eduardus*, Scotiam subegit anno MCCCIV. Verùm *Robertus de Brus*, usurpato Scotiæ Regno bellum adversùs Anglos brevi redintegravit.

Angliæ Proceres summo consensu ad Bonifacium VIII. Pontif. Max. scribunt, Regem de Regiis & temporalibus Juribus coram aliquo Judice Ecclesiastico respondere non debere, nec Sedis Apostolicæ subjacere Judicio.

Eduardi I. obitus, supremaque Mandata.

Anno MCCCVII. Rex *Eduardus* jam annis gravis, dyssenteria correptus, filium cognominem vocavit, suprema sua Monita excepturum: ipsíque jussit ne post obitum suum ad Coronam Angliæ suscipiendam festinaret, donec paternas injurias in Scotos honorificè ultus esset. Præcepit etiam ut ossa paterna in aliquo vase reclusa secum deportaret, donec totam Scotiam pervagatus, hostes omnes superasset. *Quoniam* (inquiebat superbus Princeps) *nullus te poterit superare, dum ossa mea tecum feceris deportari.* Bellum sacrum voverat, sed Scotico bello distentus, votum implere non potuit. Id tamen compensavit, triginta duarum millium librarum summam legans, ad exhibendum centum & quadraginta Equites in subsidium Terræ Sanctæ, in quam Cor suum ab ipsis deferri mandavit. Obiit pridie Nonas Junii, anno ætatis LXVIII. Regni XXXV.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 478. hanc propositionem notant Religiosi Censores: *Regnum Scotia in temporalibus non agnoscit Papam ut Superiorem, neque ab eo tan judice sententiam exspectare debet.*

R. Non ego, sed *Eduardus I.* Angliæ Rex, & Barones Angliæ ita scribunt ad *Bonifacium VIII.* me referente. Id compertum est ex ipsorum literis, quas Anglicanæ Historiæ suæ inseruit *Thomas VValsinghamus*. Illarum verba descripsi, Leges Historiæ secutus sum.

ARTICULUS IV.

De EDUARDO II.

EDuardo I. Angliæ Regi filius cognominis successit, *non tam jure hereditario, quàm unanimi assensu Procerum & Magnatum*: ut *VValsinghamus* observat. XII. Kalendas Martii, anni MCCCIX. cum *Isabella* conjuge Regis Christianissimi filiâ coronatus est. Gloriæ suæ maculam statim inussit, cùm Cestrensem Episcopum *VValterum de Langtona* Regni Thesaurarium, & Paterni Testamenti Executorem præcipuum, carceri mancipavit atque vexavit, executione hujusmodi impeditâ.

Parlamentum.

Anno MCCCXI. Parlamentum Londini celebratum est, in quo Rex Magnam Chartam *Joannis Regis*, aliásque Leges Ecclesiæ & Regno utiles confirmare, earúmque executionem jurare compulsus est. Communi Procerum consilio decretum fuit, ut alienigenæ Curia Regnóque pellerentur: Rex pravos Consiliarios à se removeret: omnia Regni negotia cum Cleri Procerúmque consilio deinceps tractaret: bellum non moveret, vel extra Regnum diverteret sine communi consensu: *Petrum de Gaverston* virum superbum & publicæ pacis perturbatorem, Regno excedere juberet. Hujus viri imprudens & obstinatus amor Procerum arma in Regem convertit, qui ipsum ab exilio honorificè revocaverat, ad ejúsque nutum Rempublicam administrabat. Rex cum amico fugit. Petrus in Procerum venit potestatem; nec Regis gratia prohibuit quo minùs capite truncaretur. Summus Pontifex pacis per Legatos sequester intercessit: Regnique Præsules operam navarunt omnem ut concordia Regem inter & Barones iniretur. Pontificios Legatos ne quidem audire, aut Pontificias literas legere Proceribus placuit, sed responderunt: *Se in Regno multos habere probos & literatos Episcopos, quorum consiliis uti volebant, & non extraneorum, quibus non esset causa cognita commotionis sua: praciseque dixerunt, se nullo modo permissuros, ut aliquis alienigena vel forensis intromitteret de factis suis, aut quibuscunque negotiis eos tangentibus infra Regnum.* Regni verò satagentibus Episcopis, pax Regem inter & Proceres conciliata est anno MCCCXIII. Scotos, *Bonifacius VIII.* protexerat, *Joannes XXII.* ob defectionem à Rege Anglorum Censuris Ecclesiasticis persecutus est. Sic

Bellum civile.

Romanus Pontifex sequester pacis intercedit.

Procerum superba responsio.

Pax confecta: Thomas VValsinghamus.

Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo

Novum dissidium.

Anno MCCCXXI. novum Regem inter & Barones ortum dissidium, quòd *Hugonem Spencerium* utrumque, patrem & filium, Rex gratiâ suâ præ cæteris ornaret

ornaret foverétque, ac eorum consiliis & ministerio Rempublicam regeret. Barones ad arma. Rex ut conjurationem dissolveret, eorum annuit voluntati. Sed paulò post ultionis avidus, ductis in ipsos copiis, bellum civile magis accendit. Thomas Lancastriæ Comes captus, illusus, capite plexus est.

Parlamentum.

Anno MCCCXXIV. cùm Rex in Parlamento Londini celebrato pecuniarium subsidium tam à Clero quàm à populo exigeret ad nobilis viri *Joannis de Britannia* Richmundiæ Comitis, qui captivus apud Scotos erat, redemptionem, responsum est; Pro Rege dumtaxat, Reginæ, & filiorum Regis Primogenito contributionem faciendam. In eodem Parlamento læsæ Majestatis accusatus est *Adamus* Episcopus Herefordiensis coram Rege & Proceribus universis. Ille se responsurum negavit *sine Cantuariensis Archiepiscopi auctoritate, & Coepiscoporum conniventia vel consensu.* Antistites singuli Regis clementiam pro Collega implorabant. Sed cùm Rex eorum precibus non flecteretur, Clerus universus dictum *Episcopum & membrum Ecclesiæ vindicavit.* Cantuariensis igitur Archiepiscopi custodiæ commendatus est. Post aliquot dies, cùm Rex Episcopum iterum convenisset, *Cantuariensis, Eboracensis, & Dublinensis Archiepiscopi, cum aliis decem Episcopis, erectis Crucibus ad locum Judicii cum omni celeritate venerunt, & Confratrem eorum, & Coepiscopum in suam custodiam susceperunt, & abduxerunt, injungentes firmiter ex parte Dei, & sub pœna anathematis, ne quis in eum manus præsumeret injicere violentas.* Rex nihilominus quæstionem de objectis haberi jussit. Adfuere testes, (neque enim volente Rege deesse poterant) qui Episcopum reum affirmarunt. Ejus reditus, terrásque omnes fisco Rex addixit, omnique supellectili & annona spoliari permisit. Episcopus verò sub tutela Cantuariensis Archiepiscopi remansit, gratiam Regis expectans. Ita refert *VValsinghamus.*

In Herefordensem Episcopum læsæ Majestatis accusatum nihil violentiæ Angli cœtus non patiunt.

Pax cum Rege Francorum confecta.

Eduardo II. diem dixerat *Carolus IV.* Rex Christianissimus, quòd homagium pro Aquitaniæ Ducatu non præstitisset. Non comparuit Anglus. Rex Francorum in Aquitaniam bellum intulit. Missæ ad Regem Christianissimum de pace Legationes cùm a Rege Anglorum, tum à Summo Pontifice, nihil impetrarunt. Missa tamen *Isabella* Angliæ Regina Regis Christianissimi Soror pacem confecit his conditionibus: Ut Rex Angliæ filio suo primogenito *Eduardo* Aquitaniæ Ducatum, & Comitatum Pontivi conferret: Ut Rex Franciæ à Juvene Principe Homagium reciperet, eique statim dicti Ducatus & Comitatus Investituram traderet. Conditiones impleræ. *Isabella Regina*, & Angliæ Juventutis Princeps *Eduardus*, anno integro in Francia mansere. Uxorem filiúmque tamquam Regni inimicos, & Regiorum inimicorum fautores Londini proclamari jussit Rex *Eduardus*; illósque cum omnibus clientibus exulare. *Isabella*, Comitis Hannoniæ, qui filiam suam *Philippam Eduardo* Principi desponderat, & Anglicanorum Præsulum auxiliis, cùm in Angliam trajecisset, ingentem conflavit exercitum: Castra plurima Reginæ se dediderunt. Cùm villa Castróque de Bristolliæ potita esset, *Hugo Spencerius* pater, ipsius inimicus, ad clamorem vulgi furca latronum suspensus est. Rex cum *Spencerio* Juniore, aliísque familiaribus paucissimis fugiens extra Regnum, quotidianis citationibus in exercitu Reginæ vocabatur ad Regnum resumendum, si optimis legibus consiliísque ipsum regere vellet. Quo non comparente, Regni Proceres initio Herefordiæ consilio *Eduardum* filium Regis communi sententia Regis Custodem proclamarunt, ipsíque fidelitatem juravere. Rex cum quibusdam è suis in Wallia captus, *Hugo Spencerius* Junior inimicus Reginæ, Regnique perturbator, capite plexus est, alii Proceres qui Regis familiaritate ad Regni perniciem abusi fuerant, è medio sublati.

Civile Bellum.

Eduardus II. Parlamenti sententia Regno abdicatur Eduardus junior ejus filius Rex salutatus.

Anno Christi MCCCXXVII. ante festum Epiphaniæ, Regina cum filio Londini incredibili gaudio suscepta est. Illuc Proceres ad Parlamentum celebrandum convenere. Cunctorum una fuit Sententia: *Regem indignum diademate, & propter plures articulos deponendum; & Eduardum filium ejus primogenitum unanimiter eligendum.* Quod quidem executioni mandatum est. Regina de viri abdicatione se graviter dolere simulavit. *Eduardus* Princeps juravit se invito patre Coronam nunquam suscepturum. Ideo communi Decreto missi sunt ad *Eduardum Seniorem* ex omnibus Ordinibus Oratores, qui totius Regni nomine ipsi filii electionem nuntiarent; & ad abdicationem compellerent. Ille filii electionem probavit, & Regiæ Dignitatis Insignia Oratoribus tradidit. Junior igitur *Eduardus* Regni possessionem adiit, ætatis suæ XIV. & ab Archipræsule Cantuariensi *VValtero* Kalendis Februarii coronatus est. Detinebatur interim *Eduardus Senior* in Castro de Berkley; cujus ad liberationem cùm plures ex veteribus amicis conspirarent, duorum Nobilium, quorum custodiæ commissus erat, mandato, Regina & novo Rege inconsultis, peremptus est inaudito crudelitatis genere. Veru scilicet candente per anum immisso confossus est, fistula ad partem illam pudendam aptata, ne adustionis vestigia apparerent. Ita referunt *VValsinghamus*, & *Henricus de Knygton.* Extinctus est anno ætatis XLIII. Regni XIX.

Eduardus II. crudeli nece sublatus.

SCHOLION I.

In hoc Articulo pag. 485. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Angli literas Papæ nolunt recipere, dicentes se nolle alienigenas rebus suis intromitti.*

R. Angliæ Proceres dissidio civili adversùs *Eduardum III* Regem commotos, Summi Pontificis, qui pacis sequester intercessit, Legatos ne quidem audire, aut Pontificias literas legere voluisse, *Thomas VValsinghamus* refert, sed respondisse, *Se nullo modo permissuros ut aliquis alienigena vel forensis intromitteret se de factis suis, aut quibuscumque negotiis eos tangentibus in Regnum.* Historiæ res est. Imputari non debent Historico facta aut verba aliena quæ refert: Alioquin sanctis Evangelistis nota inurenda esset ob relatas Judæorum in Christum blasphemias & persecutiones: cum quibus tamen Baronum Angliæ responsio minimè comparanda.

ARTICULUS V.

De EDUARDO III.

EDuardus III. pacem indecoram cum Scotis ipso Regni sui exordio confecit, Sorore sua *Davidi* Regi Scotorum collocatâ, omnique jure in Scotiæ Regnum abdicato. Anno MCCCXXVIII. *Simon* Cantuariensis Archiepiscopus in Provinciali Synodo sua *Festum Conceptionis Deiparæ Virginis* solemniter celebrari statuit. Anno MCCCXXX. & MCCCXXXII. Scoti ingentes ab Anglis clades accepere. Anno Christi MCCCXXXVI. Rex *Eduardus* Jus Successionis in Regnum Franciæ præ *Philippo Valesio* sibi arrogans, illud scriptis ad Summum Pontificem *Benedictum XII.* literis explicuit, Regi Christianissimo bellum indixit, se Regem Franciæ & Angliæ statuit appellari, ac utriusque Regni Stemmata & Insignia conjunxit. Cùm verò ad hoc bellum conficiendum à Clero subsidia exigeret insolita, *Joannes* Cantuariensis Archiepiscopus Ecclesiasticam Libertatem pro sua virili propugnavit, Censuris in Magnæ

Festum Conceptionis Beatæ Virginis.

Bellum Gallicum.

Chartæ

Charitæ violatores latis. Quod Regem in ipsum vehementer commovit.

Eduardi III. totiusque Nobilitatis Anglicanæ Litteræ ad Clementem VI. contra Reservationes summorum.

Anno MCCCXLIII. Cùm Romanus Pontifex *Clemens VI.* ex proximè vacaturis Beneficiis, præter Episcopatus & Abbatias, ad summam duarum millium marchatum duobus Cardinalibus in Anglia reservasset, Rex & tota Regni Nobilitas id pati noluit, sed istorum Cardinalium Procuratoribus, sub pœna carceris, ex Anglia statim abire jussit. Ad Summum verò Pontificem Epistolam illam celebrem scripsit pro Ecclesiæ Anglicanæ libertate tuenda; quam apud *VValsinghamum* pag. 161. legere est. E re Ecclesiæ esse ostendit ut alienigenis Beneficia non conferantur, qui plerumque sibi suspecti sunt, in illis non resident, linguam non intelligunt, sed animarum curâ neglectâ, temporalia tantùm lucra quærunt. Hinc hospitalitatem subtrahi, ædificia ruere, Jura Ecclesiarum perire, Clericos indigenas, abjecta spe promotionis, studium deserere, Jus Patronatus suæ Majestati, & Nobilibus competens violari, Curiam Anglicanam deludi, in qua dumtaxat causæ super Jure Patronatus agitari debent. CURIA NOSTRA, (inquit) IN QUA DUMTAXAT CAUSÆ SUPER JURE PATRONATUS DICTORUM BENEFICIORUM TRACTARI DEBENT, DELUDITUR, ET SIC JURA CORONÆ NOSTRÆ DEPEREUNT. *Nos autem Anglicana depressionem Ecclesia, & exheredationem Corona nostra ac mala prædicta, qua dissimulata diutius adjicerent verisimiliter graviora, patulo cernentes intuitu, ad vos Successores Apostolorum Principis, qui ad pascendum, non ad tondendum oves Dominicas, ac ad conservandum, non ad opprimendum fratres suos mandatum à Christo suscepit, ista deferimus votivis affectibus supplicantes, &c.* Rogat, (inquam) ut Patroni Patronatus sui solatium non amittant, Ecclesiæque Cathedrales, & aliæ dicti Regni, liberas electiones & earum effectum habeant. *Quas quidem Ecclesias,* inquit, *dicti Progenitores nostri dudum singulis vacationibus earumdem personis idoneis* JURE SUO REGIO LIBERE CONFEREBANT, *& postmodum ad rogatum & ad instantiam dicta Sedis sub certis modis & conditionibus concesserunt, quod electiones fierent in dictis Ecclesiis per Capitula earumdem; qua concessio fuit per Sedem Apostolicam ex certa scientia confirmata. Sed contra formam concessionis & confirmationis prædictarum, dicta Sedes per Reservationes & Provisiones suas Capitulis electiones adimit: & nobis jus & prærogativam, qua juxta formam dicta concessionis nobis competunt in hac parte. Propter quod* JUXTA LEGEM DICTI REGNI NOSTRI, *ex quo lex in concessione posita non observatur, concessio revolvitur, & rei status revertitur in primævum.* Summus Pontifex in gratiam Cardinalium Regi rescripsit, injuriásque eorum Procuratoribus illatas jussit resarciri. Pontificias Literas exhibet *VValsinghamus* pag. 162.

Causas super Jure Patronatûs Beneficiorum tractari debere in Curia sua: & Jus Latronatus, esse Jus Regium, Angliæ Rex, Proceresque contendebant.

Episcoporum & Abbatum nominationem Jus Regium olim asserit Eduardus III.

Causas hujusmodi juxta Legem Regni judicandas contendit.

Interea Procuratores ad Romanam Curiam misit Rex *Eduardus, dans eis plenam potestatem & Mandatum speciale ad tractandum coram Summo Pontifice de Jure suo in Regnum Francia, non ut Judice, sed ut privatâ personâ, & amico communi; non in forma nec figura Judicii.* Magnis cladibus Francos affecit *Eduardus III.* regnantibus *Philippo Valesio & Joanne* ut superiùs diximus, & *Joannem* Regem Christianissimum captivum habuit. Anno MCCCLVI. *Eduardus Baliolus* Scotiæ Rex Regnum Coronámque in Angliæ Regem transtulit. Is anno MCCCLXX. bellum rursus intulit Francis; sed non ita propitiam ac prius expertus fortunam est. *Carolus V.* Rex Christianissimus omnes ejus molitiones sapientiâ suâ fregit, apparuitque quàm verè scriptum sit: *Melior est sapientia quàm vires, & vir prudens, quàm fortis.* Aquitania tota præter Burdegalam & Baionam ab *Eduardo* defecit, & Regi Christianissimo se dedidit.

Inauditum subsidium à Clero populóque exactum.

Jam senex *Eduardus* Lancastriæ Ducem ad Rempublicam regendam assumpsit. Hic in Parlamento Londini celebrato anno MCCCLXXVII. Regis nomine inauditum hactenus subsidium à Clero populóque exegit, obtinuitque; nimirum: *Ut à qualibet laica persona sexus utriusque, annos excedente quatuordecim, reciperet unam grossam, vel quatuor denarios, exceptis notoriis pauperibus qui publicè mendicabant. Et de cunctis Religiosis utriusque sexus, & qualibet Ecclesiastica persona promota, duodecim denarios, & de singulis aliis non promotis, unam grossam, exceptis Fratribus quatuor Ordinum Mendicantium.* Ita refert *VValsinghamus.* Obiit *Eduardus III.* anno MCCCLXXVII. die XXI. Junii, anno Regni sui LI. laudandus in multis Princeps, sed ob impudicos amores, à quibus nec in senectute temperavit, æterno dignus vituperio. Ipsi dominata est *Alicia* pellex, quæ impudentiâ incredibili, nunc juxta Regios Magistratus sedendo, nunc in Foro Ecclesiastico juxta Doctores, pro defensione causarum suadere, ac etiam contra Jura postulare minimè verebatur. Ipsam rogantibus Proceribus ab Aula recedere jusserat *Eduardus*, sed mox ipsam revocavit, & ad obitum usque retinuit. Ægrotanti assedit semper inverecunda meretrix, nec de salute animæ suæ ipsum cogitare, & Ecclesiæ Sacramentis procurari permisit; nec ab infœlici Rege priùs discessit, quàm ipsum vox defecisset. Ita refert *VValsinghamus.*

Eduardi III. vitia.

ARTICULUS VI.

De RICHARDO II.

EDuardo III. defuncto, Regni Proceres habito ad Westmonasterium Consilio ad XVII. Kalendas Augusti, *Richardum* ejus filium, tunc undecim dumtaxat annos natum, Regem dixerunt, in ejúsque verba more majorum juraverunt. Regni Procurationem suscepere Lancastriæ Dux, & *Edmundus* Cantabrigiensis Comes, Regis Patrui. Tunc *Vicklefus* Hæresiarcha pestilentissimis erroribus Angliam infecit, Magnatum, quibus adulabatur, conniventiâ. Rex adultâ ætate sororem Buhemiæ Regis uxorem duxit. Angli *Urbani VI.* Romani Pontificis causam contra *Clemetis VII.* Avenionensis Pontificis fautores, armis defendendam suscepere. Cruce signati exercitus Dux fuit Episcopus Norvvicensis, Belgicúmque bellum gessit nullo pene operæ pretio.

Ecclesiæ libertas à Guillelmo Courteneyo Cantuariensi Archiepiscopo vindicata.

Armis etiam lacessivit *Carolum VI.* Regem Christianissimum, ab eóque vicissim lacessitus est. Pax inter eos coaluit anno MCCCXCVI. Anno MCCCLXXXV. cùm Laïci in Parlamento Londini congregato de certo subsidio Regi conferendo deliberassent, ea conditione ut Clerus certa quoque contributione fungeretur, *Guillelmus Courteneyus* Cantuariensis Archipræsul intercessit; Ecclesiam inquiens liberam esse debere, nec per laïcos ad contributiones hujusmodi cogi: séque potius caput expositurum, quàm hanc servitutem Anglicanæ Ecclesiæ imponi pateretur. Laïci Proceres Clericorum superbiam temporalium ablatione comprimendam

primendam aiebant, Wickleffiano veneno afflati. Rex verò Ecclesiæ Anglicanæ graviorem se nolle conditionem imponi respondit eâ, cui ante Regni sui tempus subjacuerat. Maximam inde laudem à Viris Ecclesiasticis consecutus est. Clerus unanimi consensu decimam Regi decrevit. Quam concessionem Rex tam læto, tam grato suscepit animo, ut malle se hanc ad præsens donationem liberam, quàm aliàs quamcumque quadrupli valoris coactam, profiteretur. Ita refert *Walsinghamus.*

Hoc vertente seculo, Richardus Rex omnes Regni Ordines gravissima tyrannide à se alienavit. Ipsum in Hiberniam profugum Lancastriæ Dux persecutus est. Ad angustias redactus, Regno se abdicavit. Renuntiationem Ordines admisere: atque nihilominus ipsum ut Regno ineptum, & ad Rempublicam gerendam penitus insufficientem, cùm ex propria confessione, cùm ex tribus & triginta Capitibus contra ipsum probatis, in quibus Regalis Juramenti violati, & tyrannidis reus convictus erat, latâ Sententiâ, ex abundanti & ad cautelam exauctorarunt. Sententiam depositionis apud *Walsinghamum* legere est, in Historia Anglicana ad annum MCCCXCIX. pag. 359. Confestim Regnum sibi vindicavit depositi Regis Avunculus

Richardus Regno se abdicat, & ab Ordinibus exauctoratur.

A *Henricus* Lancastriæ Dux, Réxque ab Ordinibus salutatus est. Acta Depositionis *Richardi II.* & Articuli adversùs ipsum objecti, legi possunt Tom. II. veterum Angliæ Historicorum, post Chronica *Henrici de Knigton*, pag. 2743. Illorum Articulorum decimus docet Regi vitio datum, quòd Summi Pontificis auctoritatem implorasset ad confirmationem temporalium suorum Statutorum in Parlamento conditorum; quod contra Regiam Dignitatem, Regnique Libertates attentatum dicebatur. Ipsum Articulum subjicio. *Quamvis Corona Regni Angliæ, & Jura ejusdem* B *Coronæ, ipsumque Regnum, fuerint ab omni tempore retroacto adeo libera, ut Dominus Summus Pontifex, nec aliquis alius extra Regnum se intromittere debeat de iisdem: tamen præfatus Rex ad roborationem Statutorum suorum erroneorum supplicavit Domino Papæ, quod Statuta in ultimo Parlamento suo ordinata confirmaret. Super quo Dominus Rex Literas Apostolicas impetravit, in quibus graves Censuræ proferuntur contra quoscumque qui dictis Statutis in aliquo contravenire præsumpserint. Quæ omnia contra Coronam & Dignitatem Regiam, ac contra Statuta & Libertates dicti Regni tendere dinoscuntur.*





IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM XIII. ET XIV. SÆCULI DISSERTATIONES SELECTÆ.

DISSERTATIO I.

De Concilio Lateranensi IV. Oecumenico XII.

ARTICULUS I.

De Causis Convocationis Concilii, Tempore, Loco, Præside, Numero Patrum Aliisque Præcipuis Istius Synodi.

I. NNO Christi millesimo ducentesimo decimo-tertio, XIII. Kalendas Maii, *Innocentius III.* annum agens Pontificatus XVI. Concilium convocavit, Romæ post duos annos & dimidium celebrandum, ad Kalendas Novembres, pro recuperatione Terræ sanctæ, Hæreseon damnatione, & reformatione universalis Ecclesiæ, ut constat ex convocationis Diplomate, quod incipit his verbis, *Vineam Domini Sabaoth*, cujus exemplaria ad Patriarchas, Archiepiscopos, Abbates & Priores totius orbis Christiani transmissa sunt. *Inter omnia desiderabilia cordis nostri* (inquit) *duo in hoc seculo principaliter affectamus, ut ad recuperationem videlicet Terræ Sanctæ, ac reformationem universalis Ecclesiæ, valeamus intendere cum effectu.... Quapropter habito super his cum Fratribus nostris & aliis viris prudentibus frequenti ac diligenti tractatu, hoc tandem ad exequendum prædicta de ipsorum consilio providimus faciendum: ut quia hæc universorum Fidelium communem statum respiciunt, Generale Concilium juxta priscam Sanctorum Patrum consuetudinem convocemus, propter lucra solummodo animarum opportuno tempore celebrandum: in quo ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes, corrigendos excessus, & reformandos mores, eliminandas hæreses, ad roborandam fidem, sopiendas discordias, & stabiliendam pacem, comprimendas oppressiones, & libertatem fovendam, inducendos Principes & populos Christianos ad succursum & subsidium Terræ Sanctæ, tam à Clericis quàm à Laicis impendendum, cum cæteris quæ longum esset per singula numerare, providè statuantur inviolabiliter observanda.*

Celebrandi Concilii causa.

II. Celebrata Synodus est Romæ, in Lateranensi Basilica, anno reparatæ salutis MCCXV. Novembri mense. Præfuit *Innocentius III.* Pontifex Maximus. Episcopi duodecim supra quadringentos adfuere; Patriarchæ duo, Constantinopolitanus & Hierosolymitanus, Antiocheni gravi infirmitate detenti præsentiam Antheradensis Episcopus supplevit. Alexandrinus sub Saracenorum tyrannide gemens, Diaconum *Germanum* vice sua misit. Primates & Metropolitani septuaginta septem. Abbates & Priores ultra octingentos numerabantur. Absentium Prælatorum & Capitulorum Procuratores innumeri. Regis Siciliæ in Romanorum Imperatorem electi, Imperatoris Constantinopolitani, Christianissimi Regis *Philippi Augusti*, Regum Angliæ, Hungariæ, Hierosolymorum, Cypri, & Aragoniæ Oratores. Ita referunt Abbas Urspergensis, & *Matthæus Parisius*. Concilium à Festo *S. Martini* ad Festum *S. Andreæ* continuatum est, teste *Godefrido* Monacho, in Annalibus. Concilio exordium dedit *Innocentius III.* egregio Sermone in hæc verba Christi, Lucæ 22. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Atque se triplicis Paschatis celebrationem desiderare: corporalis, spiritualis, & æterni: Corporalis, ut fieret transitus de loco ad locum pro miserabili Jerusalem liberanda: Spiritualis, ut fieret transitus de statu ad statum pro universali Ec-

Concilii Locus. Tempus. Præses. Numerus Patrum. Concilii exordium.

clesia reformanda: Æterni, ut fieret transitus de vita ad vitam pro cælesti gloria obtinenda. Alius ejusdem Pontificis Sermo legitur in Concilio Lateranensi habitus, in hunc versum Psalmi 67. *Si dormiatis inter medios cleros, penna columba deargentata, & posteriora dorsi ejus in specie auri.*

Acta Concilii.

Albigensium Hæresis damnata.

III. Hoc in Concilio, Albigensium Hæresis damnata est Capite 1. quo fidei dogmata ipsorum erroribus opposita stabiliuntur. Contra illum à veteribus Manichæis derivatum errorem, quo duo Principia suprema rerum admittebant, asserit unum solum esse verum Deum, unum universorum Principium, Creatorem omnium invisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium. Dæmones à Deo creatos naturâ bonos, per se factos esse malos: hominem verò diaboli suggestione peccasse. Contra ipsorum de Eucharistia errorem, docet *Corpus & Sanguinem Jesu Christi in Sacramento Altaris sub speciebus panis & vini veraciter contineri, pane in Corpus, & vino in Sanguinem potestate divina transsubstantiatis.* Contra ipsorum errorem de Baptismo infantium, tradit Sacramentum Baptismi tam parvulis quàm adultis prodesse ad salutem. Contra ipsorum errorem, quo nuptias damnabant, docet non solùm virgines & continentes, verùm etiam conjugatos, per rectam fidem & operationem bonam placentes Deo, & beatitudinem æternam mereri. Proscripta est etiam insana *Amarici* hæresis. Damnatus est præterea error Abbatis *Joachim*. Lege quæ de his Hæresibus, deque illius Abbatis errore, Cap. III. Synopseos diximus.

Almarici Hæresis proscripta.

Joachimi Abbatis error confutatus.

III. In hac etiam Synodo Expeditio in Terram Sanctam decreta est, concessæ Cruce signatis Indulgentiæ: Summus Pontifex triginta millia librarum ad hoc opus donavit. Statutum est *ex communi Concilii approbatione*, ut omnes omnino Clerici, tam subditi, quàm Prælati, vigesimam partem Ecclesiasticorum proventuum usque ad triennium conferrent in subsidium Terræ Sanctæ, quibusdam duntaxat Religiosis exceptis, necnon illis qui assumpto Crucis signaculo iter ipsi susciperent. Ea verò contributio sub pœna excommunicationis imperatur. Se quoque Summus Pontifex cum Dominis Cardinalibus ad decimæ collationem obstringit. Cruce-signatos ab oneribus publicis immunes esse jubet, & sub Sedis Apostolicæ protectione suscipit. Ipsorum creditores ad remittendas illis usuras, & præstitum de illis solvendis Juramentum, Ecclesiasticâ Censurâ cogi mandat. Piratas & eorum fautores; item Christianos qui Saracenis arma, naves, aut machinas bellicas suppeditant, vel in piraticis Infidelium navibus curam gubernationis exercent, excommunicatione percellit. Torneamenta, sub eadem pœna, ad triennium prohibet. Pacem per quadriennium toto orbe Christiano imperat.

Expeditio in Terram Sanctam decreta.

Ditio Comitis Tolosani adjudicata Simoni Comiti Montisfortis.

IV. Decretum insuper est ut ditio Comitis Tolosani, quam *Innocentius III.* custodiendam commiseras *Simoni* Comiti *Montisfortis*, in plena ejusdem potestate ac possessione in posterum esset, ut *Petrus de Valle Cernaii* testatur, Historiæ Albigensium cap. LXXXIII. Sententiam Concilii edidit Dom. *Lucas Dacherius* Tom. VII. *Spicilegii*, ex quo in novissima Conciliorum Collectione transcripta est. *Sacro consulto Concilio*, inquit Innocentius, *ita duximus providendum, ut Raymundus Tolosanus Comes, qui culpabilis repertus est in utroque, nec unquam sub ejus Regimine terra possit in fidei statu servari, sicut à longo tempore certis indiciis est compertum, ab ejus dominio quod utique grave gessit, perpetuò sit exclusus, extra terram illam in loco idoneo moraturus... Tota verò terra quam obtinuerunt Cruce-signati adversùs Hæreticos, credentes, fautores, ac receptores eorum, cum Montealbano atque Tolosa, dimittatur & concedatur (salvo per omnia Catholicorum Jure virorum, mulierum, & Ecclesiarum) Comiti Montisfortis viro strenuo & Catholico, qui plus cæteris in hoc negotio laboravit, ut eam teneat ab his, à quibus de Jure tenenda est. Residua autem terra, quæ non fuit à Cruce-signatis obtenta, custodiatur ad mandatum Ecclesiæ per viros idoneos, qui negotium pacis & fidei manuteneant & defendant, ut provideri possit unico adolescenti filio præfati Comitis Tolosæ, postquam ad legitimam ætatem pervenerit, si talem se studuerit exhibere, quòd in toto vel in parte ipsi meritò debeat provideri.*

V. *Stephani* Cantuariensis Archiepiscopi causa in eadem Synodo disceptata est. Is à Procuratoribus *Joannis* Angliæ Regis accusatus est, quòd Baronibus in eumdem Regem conjuratis favisset. Et reverâ cùm à Sede Apostolica ipsi jussum esset ut Censuris Ecclesiasticis ipsos ad pacem & obedientiam Regi exhibendam revocaret, Pontificii Mandati executionem negligens, illis connivere visus erat. Quamobrem Vvintoniensis Episcopus, aliique auctoritate Apostolica delegati Judices, ipsum à Divinorum celebratione, & Ecclesiæ ingressu suspenderunt. Sententiam Pontifex confirmavit, ut refert *Matthæus Parisius* pag. 589.

Stephani Cantuariensis Archiepiscopi causa.

V. De Toletano etiam Primatu agitata controversia est *Rodericum* inter Toletanum, & Bracarensem Archiepiscopos. Disceptationis Acta ex Codice MS. Toletanæ Ecclesiæ descripsit *Garsias Loaisa* in Notis ad Decretum Gundemari. *Rodericum* causam obtinuisse ait *Garsias*. At *Mariana* lib. XII. cap. XV. & *Zurita* lib. II. cap. LXVIII. lite integrâ discessum esse asserunt, neque Pontificem ac Synodum pronunciasse. Quibus suffragantur Epistolæ duæ *Honorii III.* altera ad *Rodericum* Toletanum Archipræsulem, altera ad Bracarensem Archiepiscopum: ex quibus constat, causam ab *Innocentio III.* ejus Decessore non fuisse judicatam.

Controversia de Toletano Primatu.

VI. De rebus Imperii actum esse, & *Frederici II.* confirmatam electionem, rejecto *Ottone*, Richardus à S. Germano coævus Author in Chronico MS. quod sæpe laudat *Odoricus Raynaldus*, testatur.

VII. Lata est insuper ab *Innocentio III.* in hac Synodo Excommunicationis Sententia in Anglos Proceres, qui *Joannem* Regem è Solio deturbare moliebantur: necnon omnes qui ad occupandum vel invadendum Regnum ipsius, aut impediendum auxilia ipsi destinata, operam vel opem impenderent. Terras etiam conjuratorum Procerum Pontifex Interdicto subjecit. Id constat ex Epistola *Innocentii III.* à *Matthæo Parisio* relata ad annum MCCXVI pag. 192.

VIII. Disciplina Ecclesiastica sexaginta novem Canonibus sancita est, quibus si caput *Firmiter, de Fide Catholica*, addideris, Canones sunt omnino LXX. Unde emendandus est error *Matthæi Parisii*, scribentis: *Recitata esse in pleno Concilio Capitula LX. quæ aliis placabilia, aliis videbantur onerosa.* Quanquam operis potius quam Authori tribuendum hoc mendum videatur.

ARTICULUS II.

De Canonibus Concilii Lateranensis IV.

I. SUnt qui ab ista Synodo nihil sancitum esse scribant; quod præter *Antonium de Dominis* Spalatensem Archiepiscopum, asserit Vir Clarissimus *Ludovicus Servinus* in Supremo Galliarum Senatu Regius Cognitor in Commonefactione & Postulatione facta in eodem Senatu adversùs librum Cardinalis *Bellarmini* de Potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus, anno MDCX. Idem asserit *Barclaius* in Vindiciis adversùs eumdem *Bellarmini* Tractatum, in examine Prolegomenorum ipsius, Num. LXXVI. Canones itaque Lateranensis Concilii nomine inscriptos, unius *Innocentii III.* opus esse sunt arbitrati. Verùm ea prorsus improbabilis est opinio. Quotquot enim à Concilii Lateranensis temporibus scripsere alicujus nominis Autores, & Decretorum illorum meminere, illa Concilio Oecumenico tribuunt, & velut totius orbis consensu condita laudant. Quis enim doctrinam *Transsubstantiationis* panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi à Concilio Lateranensi velut* fidei dogma propositam, illudque verbum ab ipso consecratum Canone I. non agnoscit? Quis *Joachimi* Abbatis errorem ab eadem Synodo damnatum negat? Quis celebrem illum Canonem, *Omnis utriusque sexus*, de annua Confessione *Proprio Sacerdoti* facienda, & de Communione Paschali, non laudat ut Concilii Oecumenici Lateranensis IV. Legem? Quotquot Synodi, Pontifices, Autores illum confirmarunt, explicuerunt, idem planè testantur, ut constabit legentibus Dissertationem nostram de illo Canone inferiùs edendam. Præterea, in Collectione Gregoriana Decretalium, Caput *Firmiter*, *De Summa Trinitate & Fide Catholica*, & Cap. *Damnamus*; Caput etiam *Excommunicamus*, *De Hæreticis*, Cap. *Omnis utriusque sexus*, *De Pœnitentiis & Remissionibus*, aliaque per totum corpus Decretalium sparsa, proferuntur sub hoc titulo, *Innocentius III. in Concilio Generali.* Tertiò, *Clemens V.* in Diplomate Pontificio quo abrogavit Decretalem *Bonifacii VIII. Clericis Laicos*, statuit ut omnia Concilii Lateranensis Decreta de vectigalibus & tributis, cæterisque subsidiis pecuniariis, quæ Laïci à Viris Ecclesiasticis exigunt, integra & inviolata serventur. Spectat Canonem XLVI. Concilii Lateranensis, quo sub anathemate prohibitum est Consulibus ac Rectoribus civitatum, ne Ecclesias & Viros Ecclesiasticos talliis seu collectis, aliisque exactionibus gravent. Decretalis illa *Clementis V.* extat lib. III. Clementinarum, Tit. *De Immunitate Eccles.* Cap. *Quoniam*. Quartò, Concilium Bituricense anno MCCLXXXVI. celebratum, Canone XXXVII. plures Constitutiones laudat *editas per Innocentium III. in Concilio Generali.* Quintò, Supremus Senatus Parisiensis in Defensione pro Libertate Ecclesiæ Gallicanæ adversùs Romanam Aulam, *Ludovico XI.* Francorum Regi quondam oblatâ, Articulo XXXIII. laudat Canones XXIII. & XXIV. istius Synodi. *Concilio* (inquit) *Lateranensi, quod ab Innocentio III. Romæ coactum est, anno MCCXV. certa forma eligendi præscripta fuit; additúmque est ut negligentibus electoribus, post tres menses, omne jus & potestas providendi Ecclesiæ ad superiorem Antistitem devolveretur. Cap.* Quia propter, *& Cap.* Ne pro defectu. *De Electione.* Hæc leguntur apud *L. Bochellum*, lib. IV. Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ. Sextò, Vetus Codex MS. qui fuit Eminentissimi Cardinalis *Mazarini*, Canones illos Græcè simul ac Latinè continet, ex quo illos edidit *P. Cossartius* P. 2. Tom. XI. Conciliorum. Græca porro Interpretatio eadem in Synodo facta videtur. Aderant siquidem Constantinopolitanus & Hierosolymitanus Patriarchæ: Miserant Legatos suos Alexandrinus & Antiochenus; ex eorum Diœcesibus Metropolitæ, aliique Episcopi multi convenerant. Qui ut secum Decreta Concilii referrent, Græcam in linguam translata sunt. Septimò, Omnes Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, quin etiam Centuriatores ipsi Magdeburgenses, * quibus ob doctrinam Transsubstantiationis, & Confessionis Sacramentalis, non invisa esse non potuit ista Synodus, nullum ex his LXX. Canonibus in dubium revocant.

II. *Matthæi Parisii* testimonium frustra sunt qui objiciunt, scribentis: *Facto prius ab ipso Papa exhortatorio Sermone, recitata sunt in pleno Concilio Capitula LXX. quæ aliis placabilia, aliis videbantur onerosa.* Capitula namque & Canones in Conciliis legere & promulgare, nisi qui sacro approbante Concilio conditi fuissent, in more Ecclesiæ positum nusquam fuit. Horum porro Capitulorum nonnulla quæ disciplinam ac Judiciorum ordinem spectant, etsi fortè omnibus non placuerint, qui illorum promulgationem audiere, potiori tamen parti Patrum placuerunt, quorum suffragiis fuere sancita, approbata, promulgata.

III. Frustra etiam *Godefridi*, & *Platinæ* testimonium objiciunt, qui nihil in ista Synodo decretum testantur. Ac *Platina* quidem in Vita *Innocentii III.* ita scribit: *Venere multa tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quicquam apertè potuit, quòd Pisani & Genuenses maritimo, & Cisalpini terrestri bello inter se certarent. Eò itaque proficiscens Pontifex tollendæ discordiæ causâ, Perusii moritur.* Nam de Sacræ Expeditionis apparatu *Platina* loquitur, non verò de Decretis dogmata vel Ecclesiasticam Disciplinam spectantibus. Expeditio quidem in Terram Sanctam apertè decerni non potuit quoad singula media ad sacri belli confectionem necessaria. (Licet generatim quoad substantiam decreta sit) præcipitato scilicet per insperatos motus Concilii exitu, & Summo Pontifice ad Ligurum & Etruscorum lites componendas avocato: sed LXX. illa Capitula fidem, & Ecclesiasticam disciplinam spectantia, decreta fuerunt ante dissolutionem Concilii.

IV. At (inquit *Barclaius*) hos Canones non in ipso Concilio, sed post Concilium, ab *Innocentio* III. editos clarum est ex ipsorum verbis: Cap. XI. *In Lateranensi Concilio pia fuit institutione provisum*, &c. Cap. XXXIII. *Evectionum & personarum mediocritatem observent in Lateranensi Concilio definitam.* Cap. XV. *In Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum.* Quæ omnia essent extra communem loquendi morem, si de se ipso Concilium loqueretur. Diceret potiùs, *Hæc sancta & Oecumenica Synodus Lateranensis statuit*, &c. Editi sunt itaque Canones illi ab *Innocentio* III. post Concilium. Id etiam confirmatur ex Cap. XXXIX. *De multa providentia fuit in Lateranensi Concilio prohibitum*, &c. *Quia verò propter suppressiones & cupiditates quorumdam nullus hactenus fructus aut rarus de prædicto Statuto pervenit, nos evidentiùs & expressiùs occurrere cupientes, præsenti Decreto statuimus*, &c. Cap. LXI. *In Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum*, &c. *Nos autem id fortiùs inhibentes*, &c.

Addit *Barclaius*; Hos Canones à Conciliorum

Rr ij Collectionibus

Canones LXX. sub nomine Lateranensis Concilii evulgati, non unius Innocentii III. sed totius Synodi Oecumenicæ opus.

* Centuria XIII. cap. IX. de Synodis.

Barclaii objectionibus respondetur.

Collectionibus multorum annorum spatio abfuisse, donec *Joannes Cochlaeus* anno MDXXXVI. eos orbi attulit, & *Joanni Rinco* Coloniensi transmisit, ut ex ejusdem *Cochlaei* constat Epistola, excusa in Editione Conciliorum *Petri Crabbe* Franciscani, Coloniæ anno MDXXXVIII.

Verum hallucinatus est *Barclaius*, non animadvertens ea quæ in hisce Lateranensis Concilii Capitulis laudantur velut in Concilio Lateranensi constituta, referri ad Concilium Lateranense III. sub *Alexandro* III. celebratum, cujus plurimas Sanctiones Concilium Lateranense IV. sub *Innocentio* III. in Christianæ rei commodum innovandas duxit & confirmandas. Non itaque Pontifex post Concilium hos Canones edidit, quasi Concilii Definitiones ac Decreta immutans; sed Concilium ipsum, præcedentis Oecumenici Concilii in eadem Lateranensi Basilica celebrati nonnullis Decretis novum robur addens, eorúmque imperans executionem. Et certè Canon XI. de Magistris Scholasticis qualibet in Ecclesia Cathedrali instituendis, respectum habet ad Canonem XVIII. Concilii Lateranensis III. sub *Alexandro* III. quo idem sancitum est, ut mirum non sit si dicat: *In Lateranensi Concilio piâ fuit Institutione provisum, ut per unamquamque Cathedralem Ecclesiam, Magistro qui Clericos ejusdem Ecclesiæ, aliósque Scholares pauperes gratis instrueret, aliquod competens Beneficium præberetur.* Caput XXXIII. de evectionum & personarum mediocritate in Visitationibus servanda, quæ in Lateranensi Concilio definita est, respicit Canonem IV. Concilii Lateranensis III. sub *Alexandro* III. quo statutum est ut *Archiepiscopi Parochias visitantes pro diversitate Provinciarum, & facultatibus Ecclesiarum, quadraginta vel quinquaginta evectionum numerum non excedant: Cardinales verò viginti quinque; Episcopi viginti vel triginta, Archidiaconi quinque aut septem; Decani constituti sub ipsis, duobus equis existant contenti.* Canon XV. de arcenda ebrietate Clericorum, & XXXIX. de restitutione danda contra possessorem, quæ non rapuit ipse, id non habent quod ait *Barclaius*. Equidem XXIX. id habet quod trigesimo nono tribuit, sed respicit Canonem XIII. Lateranensis Concilii sub *Alexandro* III. quo idem prohibetur, ne scilicet quis *diversas Dignitates Ecclesiasticas, & plures Ecclesias Parochiales contra Sacrorum Canonum Instituta acquirat.* Canon denique LXI. quo Regularibus prohibetur ne Ecclesias vel decimas sine consensu Episcoporum de manu recipiant laïcali, nec excommunicatos vel nominatim interdictos admittant aliquatenus ad Divina, confirmat Decretum à Concilio Lateranensi III. ea de re editum Canone IX. Unde meritò ait: *In Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum, &c.* Porro licet *Cochlaeum* procurasse concedamus, ut isti Canones in Conciliorum Collectionem transcriberentur, non sequitur quod non sint à Concilio Generali editi, siquidem & Antiquus Codex MS. Græcè & Latinè illos continet, & in Collectione Gregoriana Decretalium, & à *Clemente V.* in Clementina *Quoniam*, & à Synodo Bituricensi anno MCCLXXXVI. eo nomine laudantur.

Objiciunt: Constantiense Concilium in Professione Fidei, quam Pontifici mox eligendo præscribit, Concilia Oecumenica recensens, unum duntaxat Lateranense nominare ac profiteri.

Verùm nobis tantùm abest ne noceat illa Professio ut quàm maximè faveat. Nullum enim ex Lateranensibus Conciliis fuit isto celebrius, sive Patrum numerus spectetur, sive Decretorum cùm de Fide, tum de Disciplina editorum gravitas. Quamobrem istud intellexit Constantiensis Synodus, si his verbis, *Necnon Lateranensis*, unum tantùm Concilium designavit.

Sess. 39.

V. Hâc profligata difficultate (si tamen ita debet appellari) Canonum Synopsis subjicienda est. Primus & secundus fidei Catholicæ dogmata contra Albigenses, *Joachimum* Abbatem, & *Almaricum* constituunt. Inserti sunt libro I. Decretalium Cap. *Firmiter*, & Cap. *Damnamus*: *De Summa Trinitate & Fide Catholica.* De Orthodoxia porro *Joachimi* Abbatis agemus Dissertatione sequenti. Tertius, Excommunicationem & pœnas etiam temporales in Hæreticos decernit, quos secularibus Magistratibus post damnationem tradi jubet, eorúmque bona confiscari. Pœnas etiam statuit in Dominos temporales, qui ab Ecclesia moniti, terram suam ab hæreseos Albigensis fœditate purgare neglexerint. Illos excommunicatione plecti jubet, ac nisi Ecclesiæ intra annum paruerint, id Summo Pontifici nunciandum, qui vassallos eorum à debito fidelitatis absolvat, & terram exponat Catholicis occupandam. Circa hunc Canonem duplex moveri controversia potest. Prima, Utrum Ecclesia pœnas temporales in Hæreticos Albigenses rectè decreverit? Quâ etiam occasione quæri potest, utrum justum fuerit bellum adversùs eosdem à *Simone Montisfortis* Comite, & à Regibus Christianissimis confectum? Secunda, Utrum isto Canone Synodus Oecumenica tribuerit Summo Pontifici & Ecclesiæ potestatem saltem indirectam in temporalia Regum, & Principum Supremorum; ita ut propter hæresim, vel favorem impensum Hæreticis, exauctorari ab Ecclesia possint, vi Canonis istius? Has controversias Dissertatione propria expendemus. Eos etiam qui prohibiti vel non missi ab Apostolica Sede, vel Catholico loci Episcopo, publicè vel privatim Prædicationis Officium usurpant, excommunicationis vinculo adstringit: alisque pœnis, nisi resipuerint, decernit puniendos. Porro tertium illum Canonem habet Gregoriana Collectio lib. V. Tit. *De Hæreticis*, Cap. *Excommunicamus.*

Summa Canonum Concilii Lateranensis quarti.

Quarto Canoni condendo præbuit occasionem Græcorum superbia, quorum aliqui Latinos ita execrabantur Sacerdotes, ut in Altaribus in quibus Sacrificium obtulerant, ipsi offerre nollent, nisi priùs ea velut per hoc inquinata lavissent. Quin etiam baptizatos à Latinis aliqui rebaptizare ausi erant. Si qui in posterum id attentarint, excommunicatione, & depositione ab omni Officio ac Beneficio Ecclesiastico plectendos Sacra Synodus statuit.

Quintus Canon antiqua Patriarchalium Sedium Privilegia renovat; statuitque ut *post Romanam Ecclesiam, quæ* DISPONENTE DOMINO SUPER OMNES ALIAS ORDINARIÆ POTESTATIS OBTINET PRINCIPATUM, UTPOTE MATER UNIVERSORUM CHRISTI FIDELIUM, ET MAGISTRA, *Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant.* Jura verò Patriarcharum explicat in eo posita, ut postquam à Romano Pontifice Pallium susceperint, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ Sacramento, Pallium & ipsi suis Suffraganeis conferre possint, recipientes per se Professionem Canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab ei[illegible]dem. Ut Crucem ante se deferri faciant, nisi ubi Summus Pontifex vel ejus Legati præsentes fuerint. Ut in Provinciis omnibus eorum Jurisdictioni subjectis, ad eos, cùm necesse fuerit, appelletur: *Salvis appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum.* Insertus est lib. Decretalium, Tit. *De Privilegiis*, Cap. *Antiqua.*

Sedium Patriarchalium ordo & Privilegia.

Canon

Canon sextus, Concilia Provincialia singulis annis celebrari jubet, *Sicut olim à SS. Patribus noscitur.*

Correctio & reformatio Morum.

Canon septimus, statuit ut Ecclesiarum Prælati ad corrigendos subditorum excessus, maximè Clericorum, & reformandos mores, prudenter & diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur. Ut executionem correctionis & reformationis nulla consuetudo vel appellatio valeat impedire, nisi formam excesserint in talibus observandam. Ut Ecclesiæ Cathedralis Canonici qui per Capitulum corrigi consueverunt, per ipsum ad commonitionem Episcopi corrigantur, infra terminum competentem ab Episcopo præfigendum. Alioquin Episcopus ipsos corrigat. Si Canonici absque manifesta & legitima causa, maximè in contemptum Episcopi, cessent à Divinis, Episcopus justitium non servet. Insertus est Canon iste lib. I. Decretalium, Cap. *Irrefragabili. De Officio Judicis Ordinarii.*

Triplex procedendi modus in Foro Ecclesiastico.

Canon octavus, De Inquisitionibus inscribitur, sive, secundùm MS. Mazarinum, Quomodo & quando subditorum corrigantur excessus & Prælatorum? Triplicem procedendi modum explicat, per accusationem, denuntiationem, & inquisitionem: ita tamen ut accusationem præcedat inscriptio, denuntiationem fraterna admonitio & correctio, inquisitionem clamosa insinuatio, seu publica infamia. Præsentem esse debere contra quem inquiritur, nisi per contumaciam absit; non solùm dicta, sed etiam nomina ipsa testium cum ipso communicanda, & exceptiones admittendas. Non facilè audiendam accusationem Prælatorum, qui quasi signum sunt positi ad sagittam, & subditos compellendo ad Officium, frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur: cùm tamen clamor ascendit, in illorum excessus inquirendum esse, non ex odio, sed ex caritatis affectu: quatenus si gravis fuerit excessus, etsi non degradentur ab Ordine, ab Administratione tamen removeantur. Hanc Judiciorum formam circa Regulares personas non esse necessariò servandam, quæ, justa de causa, faciliùs & liberiùs à suis possunt Administrationibus amoveri. Extat Decretalium lib. V. Cap. *Qualiter. De Accusationibus.*

Canon nonus statuit ut cùm diversarum linguarum & rituum populi in eadem Diœcesi permixti sunt, non propterea plures Episcopi præficiantur, sed si necessitas postulet, Episcopus loci Catholicum Præsulem, qui vicario nomine illos doceat ac regat, illis designet. Habetur in Decretalibus, Cap. *Quoniam. De Officio Judicis Ordinarii.*

Episcoporum coadjutores & cooperatores in prædicationis officio & confessionibus audiendis.

Canon decimus statuit ut Episcopi viros idoneos ad Sanctæ Prædicationis Officium assumant, potentes opere & sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum, cùm per se id ipsi non potuerint, sollicitè visitantes, eas verbo ædificent & exemplo. Utque *in Cathedralibus & aliis Conventualibus Ecclesiis viri idonei ordinentur, quos Episcopi possint Coadjutores & Cooperatores habere, non solum in Prædicationis Officio, verùm etiam in audiendis Confessionibus, & Pœnitentiis injungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent.* Habetur Cap. *Inter cætera. De Officio Judicis Ordinarii.*

Theologi & Magistri in Ecclesiis instituendi.

Undecimus, Lateranensis Concilii tertii Canonem de Magistris in qualibet Ecclesia Cathedrali instituendis jubet observari: additque ut in aliis etiam Ecclesiis, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur Magister idoneus, qui Clericos gratis in Grammatica facultate instruat. In Metropolitana verò Ecclesia Theologus instituatur, qui Sacerdotes & alios in Sacra Pagina doceat, & in iis quæ ad curam animarum spectant. Porro Theologo, vel Magistro, unius Præbendæ proventus à Capitulo assignetur. Nec tamen propterea censeatur Canonicus, sed tandiu reditus percipiat, quandiu munere docendi functus fuerit. (Cap. *Quia nonnullis. De Magistris.*)

Capitula Generalia ad restaurationem observantiæ Regularis.

Canon duodecimus statuit, ut in singulis Provinciis sive Regnis fiat Capitulum commune Abbatum atque Priorum Abbates proprios non habentium, qui Capitulum hujusmodi celebrare non consueverunt, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione & observantia regulari. In eòque religiosi prudentèsque viri designentur, qui singulas Abbatias ejusdem Regni seu Provinciæ, non solùm Monachorum, sed etiam Monialium, auctoritate Apostolica visitare studeant & reformare. (Cap. *In singulis. De Statu Monachorum.*)

Canon XIII. Novorum Ordinum Institutionem prohibet: ac ne quis in diversis Monasteriis locum Monachi habeat, vel pluribus Monasteriis præsit unus Abbas. (Cap. *Ne nimia. De Religiosis Domibus.*)

Vita & honestas Clericorum.

Canon XIV. Clericos incontinentes plecti jubet, Si quis hac de causa suspensus Divina celebraverit, deponitor. Prælati qui ipsos commodi temporalis gratia impunitate donaverint, simili pœna plectuntor. (Cap. *Ut Clericorum. De vita & honestate Clericorum.*) Canon XV. à crapula & ebrietate Clericos abstinere præcipit: abusum damnat, quo ad potus æquales se obligant convivæ: A Beneficio vel Officio suspendendos statuit, qui in his deliquerint, nisi à Superiore commoniti congruè satisfaciant. Clericis etiam venationem, aucupiúmque, & canes, vel aves ad eum finem alere prohibet. (Cap. *A Crapula.* Ibidem.) XVI. De Clericorum indumentis decernit, ut in forma & colore modesta sint. Ut Episcopi in publico & in Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur, *nisi Monachi fuerint, quos oportet deferre habitum Monachalem.* Ut Ecclesiastici Viri Officia vel commercia secularia non exerceant; mimis, joculatoribus, & histrionibus non intendant; tabernas non ingrediantur, nisi causa necessitatis, in itinere constituti: ad aleas vel taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint: sed in Officiis Divinis & aliis bonis studiis se exerceant. (Cap. *Clerici.* Ibidem.) XVII. Prælatorum comessationes, confabulationes illicitas, negligentiam in Divinis Officiis & celebratione Missarum, suspensione plecti jubet: utque *Divinum Officium diurnum pariter & nocturnum quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & devotè.* Ex quibus verbis colligitur, eos Ecclesiastico præcepto de Officii Divini recitatione minimè satisfacere, qui illud absque animi attentione persolvunt: & frustra eos esse, qui actus internos ab Ecclesia nullo modo præcipi posse contendunt. Quamquam à Deo potius quàm ab Ecclesia præcepta sit attentio, qui nos in spiritu & veritate adorare jubet, clausóque ostio orare: Ex quo consequens est, ut quoties Ecclesiæ præcepto ad orandum tenemur, studiosè etiam & devotè orare vi divini mandati teneamur. Atque non solum in Ecclesiæ, sed in Dei præceptum peccent, qui Divinum Officium absque attentione persolvunt: immo verè non persolvunt, si attendere nolint vel non curent. (Cap. *Dolentes. De celebratione Missarum.*) Canon XVIII. vetat Clericis ne Judicio sanguinis intersint: nec illam Chirurgiæ partem Subdiaconus, Diaconus vel Sacerdos exerceant, quæ ad ustionem vel incisionem inducit. (Cap. *Sententiam. Ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se exerceant.*) XIX. Profanam supellectilem in Ecclesiis deponi prohibet, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes. Præcipit ut Oratoria, vasa, & vestimenta sacra, munda

Officii Divini recitatio, animique ad illud attentio præcepta.

& nitida conserventur. (Cap. *Relinqui. De custodia Eucharistiæ.*) xx. Ut in cunctis Ecclesiis Chrisma & Eucharistia sub fideli custodia, clavibus adhibitis conserventur. Si is ad quem spectat custodis, ea incautè reliquerit exposita, trimestri suspensione mulctetur. (Cap. *Statuimus.* Ibidem)

Annuæ Confessionis, & Communionis Paschalis præceptum.

Vigesimus primus præcipit ut *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, Proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi fortè de consilio Proprii Sacerdotis, ob rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab Ecclesia ingressu arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Commendat etiam Confessionis secretum: quod si violaverit Sacerdos, depositione & perpetua pœnitentia damnatur, in arcto Monasterio peragenda. (Cap. *Omnis utriusque sexus. De Pœnitentiis & Remissionibus.*) Divinum Confessionis Sacramentalis præceptum Synodus Lateranensis supponit; illius tempus determinat ac modum, ut nimirum semel in anno fiat Proprio Sacerdoti. Hanc à Christo Domino institutam, ad eamque Christianos omnes in lethale aliquod peccatum post Baptisma lapsos jure divino teneri, dogma fidei est ex Scriptura Sacra & Traditione probatum. Unde frustra sunt Calvinianæ Secessionis Ministri, qui *Confessionem Innocentianam* vocant; ut in Dissertatione eo de argumento edita contra libros IV. *Joannis Dallæi* Carentoniæ Ministri quondam ostendi. Quod etiam recèns demonstravit Vir Clarissimus *Jacobus Boileau*, Doctor & Socius Sorbonicus, Ecclesiæ Metropolitanæ Senonensis Decanus: cujus erudito labori gratulor. Utrum verò in illius meditatione consilii, quod à se uno executioni mandatum præfatur & prædicat in Admonitione ad Lectorem, substiterim, & viam quam inivit in explicandis Patrum locis, & enucleandis difficultatibus Antiquitatis Ecclesiasticæ diligenter declinaverim, quod in mei commendationem scripsit, docti quique judicabunt. Si *Dallæum* planè confoderit, quem ego levioris forsan armaturæ miles dumtaxat velitatione mea lacessivi, ejus applaudam victoriæ, quæ Ecclesiæ erit. Gloriam in his non quæro meam (absit) meipsum operáque mea non prædico, ne apis instar melli suo adhærentis alas animi quodam quasi visco implicem. Deum hominis non concupisco, nec (quod homuncionem non decet) ambulo in magnis & mirabilibus super me.

Paschalis Communionis præceptum Communione sacrilega non impletur.

Divinum quoque Eucharistiæ sumendæ præceptum impleri jussit sancta Synodus in Paschate. Communionem tamen ultra Paschalem quindenam differri justis de causis, de consilio Proprii Sacerdotis permisit. In Ecclesia verò Parochiali cui contributus quisque est, Communio Paschalis fieri debet ex Ecclesiæ Decretis & usu. Nec præceptum sacrilega Communione impleri censendum est; cùm Ecclesia Eucharistiam *reverenter* suscipi jubeat: & divino Spiritu afflatus Apostolus: *Probet autem*, inquit, *se ipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Unde qui indignè ad Eucharistiam accedit in Solemnitate Paschali, & contra divinum præceptum peccat, ut alio quovis tempore indignè sumens; & contra præceptum Ecclesiæ, cui fieri satis cùm sacrilegium committitur, & corpori sanguinique Domini vis infertur (ut *Cypriani* verbis utar) quis sibi persuadere possit? Immo quis assertionem adeo temerariam, erroneam, scandalosam, piarum aurium offensivam, prope dixerim hæreticam, non exhorreat? Unde meritò *Innocentius XI.* Pontifex Optimus Maximus, anno MDCLXXIX. Martio mense, alias inter Propositiones à Moralis Evangelicæ Interpolatoribus nonnullis assertas, hanc damnavit LV. *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Porro quis sit *Proprii Sacerdotis* nomine intelligendus, cui annua Confessio fieri debet, operosa quæstio est, singulari Dissertatione inferiùs explicanda.

Medicorum Officium.

Canon XXII. Præcipit Medicis ut cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant ut Medicos advocent animarum: alioqui ab Ecclesiæ ingressu arceantur. Ipsis etiam sub interminatione anathematis prohibet, ne pro corporis salute aliquid ægrotis suadeant, quod in perniciem animæ convertatur. (Cap. *Cum infirmitas. De Pœnitentiis & Remissionibus.*)

Electiones.

XXIII. Statuit ut ultra tres menses Cathedralis vel Regularis Ecclesia Prælato non vacet: infra quos, justo impedimento cessante, si electio celebrata non fuerit, eligendi jus ad Superiorem devolvatur. (Cap. *Ne pro defectu. De electione.*) XXIV. Electionem per scrutinium aut compromissum fieri statuit. Aliter facta, irrita esto: nisi fortè communiter esset ab omnibus quasi per inspirationem divinam absque vitio celebrata. (Cap. *Quia propter.* Ibidem.) XXV. Eos qui electioni de se factæ per impressionem secularis Potestatis consenserint, ab electionis commodo excludit, ineptos declarat qui ad quamcunque Dignitatem eligantur. Electores verò ab Officiis & Beneficiis per triennium suspensi sunto, & eligendi potestate privantor. (Cap. *Quisquis*, ibidem.) XXVI. Electionem confirmari vetat nisi diligenti habito examine ipsius actionis, & personæ electæ, de honestate vitæ, scientia, ætate: alioqui non solùm dejiciendus est indignè promotus, verùm etiam indignè promovens puniendus. Quia, *Nihil est quod Ecclesia Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur Prælati ad regimen animarum.* (Cap. *Nihil est. De electione.*)

Ordinandorum examen.

Canon XXVII. Episcopis præcipit ut ad Sacerdotium promovendos diligenter edoceri curent de Divinis Officiis & Ecclesiasticis Sacramentis: *Cum sit ars artium regimen animarum: & satius sit paucos bonos, quam multos malos habere Ministros.* Quia si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam dilabuntur. (Cap. *Cum sit ars artium. De ætate & qualitatibus Ordinandorum.*)

Prælatorum cessiones.

XXVIII. Prælatos qui licentiam cedendi postulaverunt, ad cedendum compelli jubet. Quia ob Ecclesiæ commodum, aut ob propriam salutem id postulant. Neutrum porro negligendum est. (Cap. *Quidam. De Renunciatione.*)

Beneficia incompatibilia.

Canon XXIX. statuit ut quicunque receperit aliquod Beneficium habens curam animarum annexam, altero simili, si quod prius habebat, sit ipso jure privatur. Si illud etiam retineat, utroque spolietur. Nullus etiam plures Dignitates aut Personatus in eadem habeat Ecclesia. Cum viris sublimibus & literatis, Sedem Apostolicam, ubi ratio postulaverit, dispensare posse declarat. (Cap. *De multa. De Præbendis & Dignitatibus.*)

Qui ad Beneficia promovendi.

Canon XXX. Prælatis jubet ut prætermissis indignis, idoneos ad Ecclesiastica Beneficia promoveant. Qui secus fecerit, à collatione Beneficiorum per Concilium Provinciale suspenditor. Metropolitani delictum Superioris Judicio relinquitor, à Concilio nunciandum. Suspensionis vinculum solius Romani Pontificis, aut proprii Patriarchæ auctoritate solvitor. (Cap. *Grave nimis.* Ibidem.) Canon XXXI. Filios Canonicorum, maximè spurios, institui vetat in Ecclesiis secularibus, in quibus instituti sunt patres. (Cap. *Ad abolendam. De filiis Presbyterorum.*)

XXXII. Statuit ut Presbyteris Parochialibus portio

sufficiens

Parochi.

sufficiens proventuum assignetur. Ut Parochus non per Vicarium, sed per se ipsum Ecclesiæ sibi commissæ curam gerat: nisi Præbendæ vel Dignitati Parochialis Ecclesia sit annexa. Prohibet demum ne quis in fraudem de proventibus Parochialis Ecclesiæ pensionem alteri quasi pro Beneficio conferat. (Cap. *Extirpandæ. De Præbendis & Dignitatibus.*)

Sacra Diœcesis Visitatio.

XXXIII. Procurationes ratione Visitationis debitas, ab Episcopis, Archidiaconis, aut quibuslibet aliis recipi vetat, nisi cùm fit Visitatio; in qua, non quæ sua, sed quæ Jesu Christi sunt, Prælati quærere debent, prædicationi, exhortationi, correctioni, & reformationi vacando, ut fructum referant qui non perit. (Cap. *Procurationes. De Censibus.*)

XXXIV. Cavet ne Prælati colligendo Procurationes Legatorum Apostolicorum, plus extorqueant à subditis quàm solvant: alioqui & sic extorta restituant, & tantumdem pauperibus largiri cogantur.

De Judiciis.

XXXV. Appellari prohibet à legitimo Judice ante Sententiam latam nisi justâ de causâ, quæ ipsi Judici significetur: *Salvis Constitutionibus de majoribus causis ad Sedem Apostolicam perferendis.* (Cap. *Ut debitus. De Appellationibus.*) XXXVI. Interlocutoriam vel Comminatoriam Sententiam à Judice revocari posse declarat lite pendente. (Cap. *Cùm cessante.* Ibidem) XXXVII. Statuit ne quis ultra duas diætas extra suam Diœcesim per Literas Apostolicas ad Judicium trahi possit, nisi de assensu partium impetratæ fuerint, vel hujus Constitutionis expressè meminerint. (Cap. *Nonnulli. De Rescriptis.*) XXXVIII. Statuit ut omnia Judiciorum Acta scribantur. XXXIX. Sancit ut si quis rem, quæ ab altero oblata est injustè, sciens acceperit; cùm spoliatori quasi succedat in vitium, eò quòd non multùm intersit, præsertim quoad periculum animæ, detinere injustè ac invadere alienum, contra possessorem hujusmodi spoliato per restitutionis Beneficium succurratur. (Cap. *Sæpe contingit. De restitutione spoliatorum.*)

Canon XL. Statuit ut cùm actori, ob contumaciam partis adversæ, adjudicatur possessio, & propter rei potentiam actor infra annum rem custodiendam nancisci non potest, vel nactam amittit; actor elapso anno verus ac legitimus possessor constituatur: ne contumax commodum de malitia sua reportet. Prohibet etiam ne de rebus spiritualibus compromittatur in laïcum: Quia non decet ut laïcus in ejusmodi causis arbiter constituatur. (Cap. *Contingit. De Arbitris.*)

Præscriptio.

XLI. Definit ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quàm civilis; *Cùm sit generaliter omni Constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali non potest observari peccato.* Porro *Omne quod non est ex fide* (id est, ex conscientia) *peccatum est.* Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ. (Cap. *Quoniam omne. De Præscriptionibus.*)

XLII. Vetat Clericis, ne prætextu libertatis Ecclesiasticæ suam Jurisdictionem in præjudicium secularium Magistratuum extendant. XLIII. Prohibet ne Clerici Laïcis, à quibus nihil temporale tenent, fidelitatis Juramentum præstare cogantur. (Cap. *Nimis. De Jurejurando.*)

Res Ecclesiæ non alienandæ.

XLIV. Ecclesiarum consulit indemnitati; & alienationes feudorum, & aliorum bonorum Ecclesiasticorum, sine legitimo personarum Ecclesiasticarum assensu, vi Constitutionum à Principibus conditarum factas, rescindit; Legésque ejusmodi irritas declarat: *Cùm Laïcis, quamvis Religiosis disponendi de rebus Ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* (Cap. *Cùm Laïcis. De Rebus Ecclesiæ non alienandis.*)

XLV. Prohibet ne Ecclesiarum Patroni, Advocati, Vicedomini, plus usurpent quàm ipsis à Jure sit permissum. Statuitque ut, qui Ecclesiæ Rectorem, aliúmve Clericum per se vel per alios occiderint, vel mutilaverint, Jure-Patronatus excidant, cùm ipsi, tum illorum heredes: eorúmque nepotes ad quartam usque generationem à Clero arceantur; nec in Regularibus Domibus alicujus Prælationis honorem consequi possint. (Cap. *In quibusdam. De Pœnis.*)

Ecclesiæ libertas & immunitas.

XLVI. Excommunicationis in Consules & Rectores civitatum, & alios, qui Ecclesias, & Viros Ecclesiasticos tallis seu collectis, & aliis exactionibus premere nituntur, à Concilio III. Lateranensi latam Sententiam confirmat. Subsidia tamen ab Ecclesia conferri decet, *absque ulla coactione, ad relevandas utilitates vel necessitates communes, ubi laïcorum facultates non suppetunt.* Priùs consulendum Romanum Pontificem, cujus est communibus utilitatibus providere, Synodus edicit. At conditio ista in Galliis locum non habet, ubi Clerus inconsulto Romano Pontifice *dona gratuita* Regi Christianissimo contribuit. Quem usum approbavit Gallis aliàs non satis æquus *Bonifacius VIII.* Hic porro Canon insertus est lib. III. Decretalium. Cap. *Adversus. De immunitate Ecclesiarum.*

Excommunicatio.

XLVII. Prohibet ne feratur excommunicatio nisi præmissa monitione, & manifesta justáque de causa. (Cap. *Sacro. De Sententia Excommunicationis.*)

Appellationes.

XLVIII. Statuit ut si quis Judicem velut sibi suspectum recusaverit, coram illo causam justæ recusationis assignet, ipséque cum adversario, vel si adversarium non habeat, cum Judice communiter arbitros eligat, qui de causa recusationis cognoscant; quæ si legitima non probetur, Jurisdictione sua Judex utatur. Si verò probata fuerit, causam alteri committat de recusatoris assensu, vel ad Superioris Judicium remittat. Statuit etiam ut si canonicè monitus appellaverit, & ejus crimen evidens fuerit, ipsius confessione, vel alio modo legitimo manifestum, ejusmodi appellationis nulla ratio habeatur: *Quia Appellationis remedium non ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum est.* His porro Constitutionibus Regulares non tenentur, qui suis legibus reguntur. (Cap. *Cùm speciali. De Appellationibus.*)

XLIX. Vetat ne causâ cupiditatis aliquis excommunicetur vel absolvatur.

Impedimenta Matrimonii.

L. Matrimonii inter consanguineos & affines contrahendi prohibitionem ad primum affinitatis, & quartum consanguinitatis gradum restringit. Eam verò sic restrictam ita sancit esse perpetuam, ut si qui contra illam præsumpserint copulari, nullâ longinquitate defendantur annorum: *Cùm diuturnitas temporum non minuat peccatum, sed augeat: tantóque graviora sint crimina, quantò diutius infælicem detinent animam alligatam.* (Cap. *Non debet. De consanguinitate & affinitate.*)

Clandestina Matrimonia.

LI. Clandestina Matrimonia prohibet: Prolem ex illis susceptam, censeri decernit illegitimam, Parochialem Sacerdotem qui nuptias in gradibus prohibitis non prohibuerit, & Regularem qui eis interfuerit, per triennium ab Officio suspendit. (Cap. *Cùm inhibitio. De clandestinâ desponsatione.*) LII. Testimonia de auditu in consanguinitatis & affinitatis gradibus probandis recipi vetat. (Cap. *Licet. De testibus & attestationibus.*)

Decimæ necessariò solvendæ.

LIII. Statuit ut Domini prædia sua illis excolenda committant; qui decimas Ecclesiis integrè persolvant; ad idque Censuris Ecclesiasticis compellantur.

Illa

Illæ quippe decimæ necessariò sunt solvendæ, quæ debentur ex lege divina vel loci consuetudine approbatâ. (Cap. *In aliquibus. De Decimis.*) LIV. Ut exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum: vel saltem hi ad quos census & tributa indecimata pervenerint, solvere decimas compellantur: *Quoniam res cum onere suo transit.* (Cap. *Cum non sit.* Ibidem) LV. Ut Cistercienses, aliique Regulares de alienis terris & deinceps acquirendis, etiamsi eas propriis manibus ac sumptibus excoluerint, decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum ante solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. (Cap. *Nuper. De decimis.*)

Pacta contra parochialium Ecclesiarum jura rescinduntur.

LVI. Pacta quorumdam Regularium, & Secularium etiam Clericorum reprobat, qui domos locabant, vel feuda concedebant, ea conditione ut conductores & feudatarii decimas eis solverent, & apud eosdem eligerent sepulturam: statuitque ut quicquid hujusmodi pacti occasione perceptum fuatit, Ecclesiæ Parochiali reddatur. (Cap. *Plerique. De Pactis.*)

Privilegia Regularium.

LVII. Quædam Privilegia Regularibus ab Apostolica Sede concessa exponit, ut inconvulsa permaneant; ne minùs sanè intellecta pertrahant ad abusum, propter quem meritò possint revocari: Quia *Privilegia meretur amittere, qui permissâ sibi abutitur potestate.* (Cap. *Privilegia. De Privilegiis & Excessibus Privilegiatorum.*)

Privilegium Episcoporum tempore interdicti.

LVIII. Statuit ut Episcopi tempore Interdicti, excommunicatis & interdictis exclusis, Officia Divina januis clausis celebrare possint: nisi hoc ipsum eis expressè prohibitum fuerit. (Cap. *Quod nonnullis.* Ibidem.)

Fidejussio, & mutui acceptio quatenus Viris Religiosis vetitur.

LIX. Prohibet ne Viri Religiosi absque Abbatis & majoris partis sui Capituli licentia, pro aliquo fidejubeant, vel pecuniam mutuò accipiant ultra summam communi providentia constitutam. Alioqui non teneatur Conventus pro his aliquatenus respondere, nisi fortè in utilitatem domus ipsius manifestè constiterit redundasse. (Cap. *Quod quibusdam. De Fidejussoribus.*)

Abbatibus & Monachis Episcopalium jurium usurpatio prohibetur.

LX. Vetat ne quis Abbatum ea quæ sunt Episcopalis auctoritatis usurpet, nimirum causarum Matrimonialium cognitionem, publicarum Pœnitentiarum injunctionem, concessionem Indulgentiarum, &c. (Cap. *Accedentibus. De Excessibus Prælatorum.*) LXI. Statuta duo Lateranensis Concilii sub *Alexandro III.* innovat & confirmat: Primum quo prohibitum Regularibus est, ne Ecclesias seu decimas sine consensu Episcoporum de manu laïca recipere præsumant, nec excommunicatos vel nominatim interdictos admittant ad Divina. Secundum, ut in Ecclesiis quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, Episcopis instituendos Presbyteros præsentent, ut illis de plebis cura respondeant, ipsis verò de rebus temporalibus rationem reddant. Nec Institutos removeant inconsultis Episcopis. Illos demum præsentent, quos vel conversatio reddit notos, vel commendat probabile testimonium Prælatorum. (Cap. *In Lateranensi. De Præbendis & Dignitatibus*)

Abusus circa Reliquiarum expositionem, & indulgentiarum concessionem emendantur.

LXII. Prohibet ne Reliquiæ Sanctorum extra capsam, venales, recèns inventæ fidelium venerationi exponantur, nisi Romani Pontificis auctoritate fuerint approbatæ. Ne Prælati permittant illos, qui ad eorum Ecclesias pietatis ergo accedunt, vanis figmentis, aut falsis decipi documentis, sicut plerisque in locis gratiâ quæstûs fieri consueverat. Ne eleemosinarum quæstores admittantur, nisi Apostolicas, vel Diœcesani Episcopi literas veras exhibeant. *Ad hæc, quia per indiscretas & superfluas Indulgentias & claves Ecclesiæ contemnuntur, & Pœnitentialis Satisfactio enervatur:* decernit ut cùm dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive à pluribus Episcopis dedicetur: ac deinde in anniversario Dedicationis die quadraginta dies de injunctis Pœnitentiis indulta remissio non excedat. Ad quem etiam dictum numerum Indulgentias, quæ pro quibuslibet causis conceduntur, jubet restringi: cùm Romanus Pontifex, qui *plenitudinem obtinet potestatis*, hanc in talibus moderationem observare consueverit. (Cap. *Cùm ex eo. De Reliquiis & Veneratione Sanctorum.* Et Cap. *Cum ex eo. De Pœnitentiis & Remissionibus.*)

Simoniacæ exactiones damnatæ in ordinationibus, in ingressu Monasterii, sepulturis, &c.

LXIII. Vetat ne pro consecrationibus Episcoporum, benedictionibus Abbatum, & ordinationibus Clericorum aliquid exigatur. (Cap. *Sicut. De Simonia.*) LXIV. Statuit ne Moniales pretio recipiantur: alioqui tam recipiens quàm recepta, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris Regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudatur. Idem circa Monachos & alios Regulares observatur. (Cap. *Quoniam.* Ibidem.) LXV. Exactiones quorumdam Præsulum damnat, qui decedentibus Ecclesiarum Rectoribus, ipsas Interdicto subjiciebant, nec patiebantur aliquos in eis institui, donec ipsis certa pecuniæ summa solveretur: Et cum Miles aut Clericus Domum Religiosam ingrediebatur, vel apud Religiosos eligebat sepulturam, difficultates ingerebant, donec munus aliquod perciperent. (Cap. *Audivimus.* Ibidem.) LXVI. Pravas exactiones pro exequiis mortuorum, benedictionibus nubentium, & aliis similibus fieri vetat, & pias consuetudines observari jubet: ita ut gratis conferantur Sacramenta, sed per Episcopum loci compescantur, veritate cognitâ, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare. (Cap. *Ad Apostolicam.* Ibidem.)

De Judæis.

LXVII. Statuit ut si quocumque prætextu Judæi à Christianis graves & immoderatas usuras extorserint, ipsis omni communicatione civili cum Christianis interdicatur, donec de gravamine satisfecerint: Christiani quoque, si opus sit, Ecclesiasticis Censuris compellantur ab eorum commerciis abstinere. LXVIII. Ut Judæi à Christianis habitu discernantur; Dominicæ Passionis tempore in publicum non prodeant; nec in contumeliam Redemptoris prosilire permittantur. (Cap. *In nonnullis. De Judæis & Saracenis.*) LXIX. Prohibet ne publica ipsis committantur Officia. (Cap. *Cùm sit nimis.* Ibidem.) LXX. Jubet ut Prælati invigilent ne Judæi ad Fidem Christianam conversi aliquid Veteris Ritus retineant.

SCHOLION

In hac Dissertatione, pag. 519. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Contra Canonem Lateranensem in Gallia est usus, quòd à Clero fiant dona gratuita Regi. quam consuetudinem approbavit Bonifacius VIII. Gallis aliàs non satis æquus.*

R. Subsidia ab Ecclesia conferri decere, absque ulla coactione, ad relevandas utilitates vel necessitates communes, ubi Laicorum facultates non suppetunt; Synodus Lateranensis sub *Innocentio III.* Canone XLVI. edixit. Prius tamen consulendum Romanum Pontificem, cujus est communibus utilitatibus providere. Conditionem istam in Galliis non habere locum observavi, ubi Clerus, inconsulto Romano Pontifice, dona gratuita Regi Christianissimo contribuit. Quem usum approbavit Gallis aliàs non satis æquus *Bonifacius VIII.* Mera facti quæstio est. Moris usúsque Cleri Gallicani testes sumus. Res est in omnium oculis posita. Movit fortè RR. Censores, quòd *Bonifacius VIII.* Gallis non satis æquus à me dictus sit. Ea est omnium, qui Bonifaciani cum *Philippo Pulcro* Rege Christianissimo dissidii Historiam absque præoccupatæ mentis affectu legerunt, persuasio.

DISSERTATIO II.

De Orthodoxia JOACHIMI ABBATIS. Ab Hæreseos Infamia Vindicatur.

I. QUAMVIS in errorem lapsus sit *Joachimus* Florensis Abbas, non tamen Hæreseos nota inurenda ipsi est, cùm pertinax in errore non fuerit, & Ecclesiæ Judicio suas omnes Assertiones & Scripta subjecerit, ut constat ex ejus Protestatione paulò ante obitum editâ, quæ sic habet: *Universis quibus Literæ istæ ostensæ fuerint, Frater* JOACHIM *dictus Abbas de Flore, æternam in Domino salutem. Sicut ex Literis Domini Papæ quondam Clementis, quæ apud nos sunt, percipi potest, ex mandato Domini Papæ Lucii, & Domini Papæ Urbani, visus sum aliqua scriptitasse, & huc usque & quod occurret ad gloriam Dei, & utilitatem legentium, scriptitare non desino: Denique librum Concordiæ quinque voluminibus incisum: Expositionem Apocalypsis octo partium titulis insignitam: Psalterium decem chordarum tribus voluminibus comprehensum, prout Deus inspiravit, & facultas adfuit ingenii, ad consummationem perduxi: Præter alia, quæ in parvis Libellis seu contra Judæos, seu contra Catholicæ Fidei adversarios comprehendi: Et si aliud, dum sum in hoc corpore, posse dabitur ad ædificationem Fidelium Christi, & maximè Monachorum, dare operam non postpono. Quia verò pro angustia temporum, non potui huc usque Opuscula ipsa, præter librum Concordiæ, Apostolico Culmini præsentare, ut ab eo corrigerentur; si quæ ibi (quod non abnuo, etsi mihi conscius non sim) occurrerint corrigenda: & incertus est homini numerus dierum suorum; si me contigerit prius egredi ex hac luce, quàm possim, secundum quod accepi in Mandatis: siquidem ea conditione suscepi dictanda, ut omnes quidem libros ei, cui datum est omnimodè Magisterium, præsentarem: Rogo ex parte Dei Omnipotentis Coabbates meos, & Priores, & cæteros Fratres metuentes Deum; & ea quà posse videtur, auctoritate præcipio, quatenus præsens Scriptum aut Exemplar habentes secum, ac si pro Testamento: Opuscula quæ hactenus confecisse videor. & si quid me de novo usque ad diem obitûs mei contigerit scriptitare, quamcitiùs poterint collecta omnia, relictis in salva custodia Exemplaribus, Apostolico Examini repræsentent; recipientes ab eadem Sede, vice mea, correctionem, & exponentes ei meam circa ipsam devotionem & fidem: & quòd ea semper paratus sim, quæ ipsa statuit, vel statuerit, observare. nullumque meam opinionem contra ejus defendere sanctam fidem, credens ad integrum quæ ipsa credit & tam in omnibus, quàm in doctrina, suscipiens correctionem, abjiciens quod ipsa abjicit, suscipiens quod suscipit ipsa; credens firmiter, non posse portas inferi prævalere adversùs eam, etsi ad horam turbari & procellis agitari contingat, non deficere fidem ejus usque ad consummationem sæculi. Hoc scriptum feci Ego* JOACHIM *Abbas, & propria manu roboravi, anno Dominicæ Incarnationis* MCC. *& sic me tenere confiteor, sicut in eo continetur.* Hæc Professio præfixa est Operibus *Joachimi* Abbatis, eámque refert *Franciscus Pegna* Commentario 1. in 2. P. Directorii Inquisitorum *Nicolai Eymerici.*

II. Cujus quidem Professionis rationem habuit Concilium Lateranense IV. quod ejusdem Abbatis damnatâ sententiâ seu doctrinâ, statim subdit: *In nullo tamen per hoc Florensi Monasterio, cujus ipse Joachim extitit Institutor, volumus derogari: quoniam ibi & Regularis Institutio est, & Observantia salutaris: maximè cùm idem Joachim omnia Scripta sua nobis assignari mandaverit, Apostolicæ Sedis Judicio approbanda, seu etiam corrigenda: dictans Epistolam cui propria manu suscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ cunctorum Fidelium, disponente Domino, Mater est & Magistra.*

III. Istud Synodi Lateranensis & *Innocentii III.* de *Joachimo* Abbate Judicium confirmavit *Honorius III.* ejus Successor in Epistola ad Cusentinum Archiepiscopum, & Episcopum Bisiniacensem. *Ex parte* (inquit) *dilectorum filiorum Abbatum & Conventuum de Ordine Floris, tam Capitis, quàm membrorum, fuit propositum coram nobis, quod is qui saluti hominum invidet & quieti, occasione assumptâ ex eo quod Libellus, quem Abbas Joachim contra bonæ memoriæ Magistrum Petrum Lombardum edidit, in Generali fuit Concilio condemnatus; contra eos nonnullos tam Clericos quàm Laicos, Prælatos & subditos concitavit, qui ut ipsos ab otio contemplationis avertant, & funes extendentes in laqueum pedibus eorumdem, ponant eis scandalum juxta iter, ipsis objiciunt exprobrando, quòd idem Abbas, qui Pater & Institutor fuit Ordinis eorumdem, Hæreticus ab Ecclesia Dei habetur; propter quod non solùm simplices lactis participes à consortio ejusdem Ordinis avertuntur, sed etiam fortes, qui uti cibo solido didicerunt, & ad discretionem boni & mali exercitatos pro consuetudine habent sensus, circa Institutum ejusdem Ordinis incipiunt fluctuare. Licet igitur prædictus Libellus sive Tractatus condemnatus fuerit in Concilio memorato, quia tamen idem Joachim omnia Scripta sua Romano Pontifici mandavit assignari, Apostolicæ Sedis Judicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans Epistolam cui propria manu subscripsit; in qua firmiter est confessus, se illam Fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ, disponente Domino, cunctorum Fidelium Mater est & Magistra. Fraternitati tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus per totam Calabriam faciatis publicè nuntiari, quòd eum Virum Catholicum reputamus, & Regularem Observantiam, quam instituit, salutarem. &c.* Hanc Epistolam ex *Honorii III.* Regesto Bibliothecæ Vaticanæ, & Bibliothecæ *Julii Antonii Sanctorii* Cardinalis *S. Severinæ* & Florensis Abbatis, edidit *Franciscus Pegna* loco supra laudato.

IV. *S. Thomas* Opusculo XXIV. ubi Abbatis *Joachim* errorem exposuit, ita colligit: *Unde manifestum est, quòd Joachim in errorem Arianorum incidit, licet non pertinaciter, quin ipse Scripta sua Apostolicæ Sedis Judicio subjecit.*

V. His tamen non assentior, qui *Joachimum* Abbatem absolvunt ab eo errore, quem in ipsius doctrina damnavit Synodus Oecumenica Lateranensis. *Franciscus Bivarius* Cisterciensis in Apologia pro *Lucio Dextro*, scribit calumniam passum *Joachimum* Abbatem ab iis qui novam Reformationem in Ordinem Cisterciensem ab eo introductam ægrè ferebant. *Gregorius de Laude* Sagittariensis Abbas, in Apologia pro *Joachimo* Abbate, ipsum ab errore purgare pariter conatur triplici momento. Primò quia in Præfatione sua in *Psalterium decem Chordarum*, se de Sanctissimæ Trinitatis Mysterio perfectissimam à Deo revelationem die Sacro Pentecostes obtinuisse asserit, cùm in Ecclesia Monasterii Casemarii, Cœnobio Floris à se jam instituto ferventiùs oraret. Porro errorem con-

Argumenta Apologetica *Jacobi de Laude* pro Joachimo Abbate.

fixum Decretali *Damnamus*; *De Summa Trinitate & Fide Catholica*, scriptis tradidit ante revelationem illam, vel post. Primum incredibile videtur: nam divino lumine sic perfusus, errorem emendasset, nec *Petrum Lombardum* Hæreticum & insanum appellasset. Nec secundum verisimile est. Quomodo enim Vir tam Sanctus & fidelis contra divinam revelationem scribere voluisset? Quomodo Deus, qui Mysterium Sanctissimæ Trinitatis tam liquidò ipsi revelaverat, ne aliquam circa illud hæsitationem pateretur, ipsum errare permisisset? Alterum momentum est, quòd in illo ipso Opere de Psalterio decem chordarum, dogma Catholicum asserat oppositum errori damnato in Concilio Lateranensi, nec unitatem duntaxat collectivam, aut affectûs, sed essentiæ, in tribus Personis luculenter adstruat: Similitudines omnes, quæ ex rerum creatarum unitate arcessuntur ad explicandum incomprehensam illam & adorandam unitatem, accuratas penitus non esse fateatur: *Arii & Sabellii* hæreses pariter exagitet. [a] *Si sic* (inquit) *existimasti simplicem divinam substantiam, ut seorsum à Personis cogitaveris illam, Sabellium sub Ario palliasti. Si seorsum à substantia tres personas, Arium sub Sabellii palliatione excusas. Non hoc Sancta Animalia clamant: Non hoc cantat David in decachordo Psalterio. Non utique Seraphim quem vidit Isaias: sed sensus animalis sibi ista composuit. Sancta verò Animalia quid cantent, audivimus: sed iterum atque iterum audire non pigeat, quod semper electos Dei dicere & audire delectat. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Hoc fidei testimonium plus est contemplari animo, quàm ore proferre. Sabellius enarrare voluit: allisa est navis ejus in siccum. Arius vitare quærens dejectus est in limum profundi. Sabellius dixit, Unam Deum esse personam. Arius tres personas fatetur esse, quod nefas est dicere, distinctas essentiâ & majestate.*

Distinct. 1.

Et Distinctione 12. *Quia* (inquit) *ipse in unitate trinus est, quæsivit semper & quæret, quomodo plures homines & diversi populi convenirent in unum: sciens quod nulla possit esse fælicitas, ubi scissio & diversitas est. Inde est quòd Filius orat pro Electis suis, ut sint unum ad sua & Patris sui similitudinem unitatis, dicens sic:* Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos.... *Certè audivimus ex verbo veritatis, quomodo nos velit Filius unum esse ad imaginem & similitudinem illius unitatis, quâ ipse & Pater unum sunt. Est autem unitas ista in Spiritu, secundum quod scriptum est:* Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una. *Secundum hunc modum unitatis accipiendum est quod Apostolus ait:* Qui adhæret Domino, unus spiritus est. *Hac similitudine usus est Augustinus in assignatione unitatis in-» ter Patrem & Filium, dicens:* Sic dicatur Deus » de Deo, ut singulis hoc nomen, Deus, conveniat. *Sed quare dicens illud Augustinus, addidit istud? Nisi quia sicut multùm differt inter divortium & conjunctionem, ita multùm interest inter conjunctionem diversarum naturarum, & naturalem unitatem illarum rerum, quæ nec naturam habent diversam, nec substantiam vel essentiam partium scissione divisam. Quocirca si de divisione ipsa agitur in primo loco, de conjunctione in secundo, de simplici unitate in tertio; liquet quòd scissio divisionem facit: conjunctio unitatem quidem, nec tamen ita simplicem in una re, quomodo in alia, nec ita in corporalibus rebus, quomodo in spiritualibus. Quis enim posset ita conjungere corpus alicujus hominis corpori alterius, quomodo conjungitur ignis igni, ut quandiu ita manet conjunctus, nulla ibi divisio vel scissio videatur? Quantò magis autem sic adhæret spiritus spiritui, ut unus spiritus sit? Quantò ineffabiliùs una substantia sunt, & unus spiritus (siquidem Deus spiritus est) tres Personæ Deitatis, quæ non ex tempore sunt conjunctæ, sed semper in ea unitate, in qua sunt, manent simul tota & indivisa? Ergo quia ineffabilis unitas in Trinitate est, ita ut in Patre sit Filius, & in Filio Pater, & in eis illorum compar Spiritus ab utroque procedens: ad ipsam beatitudinem pertinet unitatis, ut quicquid ibi dicitur secundum substantiam: id est, quidquid ibi dicitur quod substantiam alicujus Personæ demonstret, totum dicatur esse vel in Patre, vel in Filio, vel in Spiritu Sancto, dicente Augustino:* In Dei substantia quicquid » excogitari potest, substantia est: & nihil est in » Deo, quod non sit Deus.

Et lib. 11. de Concordia Veteris & Novi Testamenti, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, *non esse tria principia, sed unum principium, nec divisum esse Regnum unius Personæ à Regno aut operatione duarum*, profitetur.

Et in Expositione in Apocalypsim, cap. 1. *Tres Personas unum esse Deum, esse sibi ipsis coæternas & coæquales, Filium esse genitum a solo Patre: Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere* profitetur. *Si ergo credimus* (inquit) *Principium Patrem, Principium Filium, Principium Spiritum Sanctum: Perfectum Deum Patrem, perfectum Filium, perfectum Spiritum Sanctum, quod litera illa triangulata A. designare monstratur; quid restat nisi ut tres ipsos unum Deum esse intelligamus, quod scilicet Sacramentum fidei designatur in O rotundo. Quoniam quidem ut elemento triangulato Trinitas, ita elemento rotundo unitas designatur. Hæc est enim finis fidei ad salutem omni credenti. Si enim non prius intelligimus esse tres, quomodo tres ipsos simul intelligere possemus esse unum? Alioqui qui sic accipiunt unum quoad trium essentiam Personarum, ut aliquod unum distinctum & proprium esse dicant; sic, inquam, aliquod unum singulare, quomodo cùm credimus, Deus Pater unus est, Deus Filius unus est, Deus Spiritus Sanctus unus est, quasi quartum aliquod sit divina substantia; Idolum adorant, non Deum. Quoniam quidem quartum aliquod non recipit Fides nostra, sed tantum tres Personas, quæ significantur in A. Quod si ita est, quid pertinuit ad Mysterium Fidei, ut dicto, Ego sum A. adderetur & O, nisi quia non sufficit nobis credere veraciter esse Deum trinum, nisi eum credamus nihilominus esse unum, & summè unum? Non enim aliud est qui dicit: Ego sum A. & aliud qui dicit: Ego sum O. Sed ipse qui est unus Deus dicit, Ego sum A. Ipse qui est trinus, dicit, Ego sum O. Ipse, inquam, trinus & unus dicit simul utrumque. Ipse qui dicit: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob: Ipse dicit: Ego sum qui sum. Et hæc dices filiis Israel:* Qui est misit me ad vos. »

Præterea in Constitutionibus quas Florensibus Monachis præscripsit, à *Celestino III.* Pontifice Maximo confirmatis, totius Fidei summam circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis exposuit ac professus est. *A Kalendis ergo Octobris* (inquit) *usque ad Pascha, primam Synaxim persolvant à prima hora Vigiliarum usque ad Tertiam, secundam à Tertia usque ad Nonam, tertiam à Nona usque ad Completorium. Nam quia & principium operis refertur ad Patrem, & perseverantia passionum ad Filium, & otium sive requies ad Spiritum Sanctum: à Pascha usque ad Kalendas Octobris primam vespere, secundam mane, tertiam meridie: & hoc quidem ad reverentiam Trinitatis, ut singulis Personis offeratur ex æquo Sacrificium laudum. Cæterùm si primam & secundam voluerint dicere simul, licebit: Quia Pater & Filius unus Deus sunt, à*

quibus

quibus procedit Spiritus Sanctus. Si secundam & tertiam simul, licebit: Quia Filius & Spiritus Sanctus unus Deus sunt, & ambo ab uno Patre. Si simul tres, licebit: Quia ipsæ tres Personæ unus Deus sunt. Hæc ex Libello pro Ecclesiastico Officio persolvendo in Cœnobio Florensi, descripsit *Jacobus Græcus* Florensium Prior in Chronologia *Joachimi* Abbatis, Sectione XLVI.

Secundum momentum Apologiæ pro *Joachimo* Abbate petunt ex eo quòd quæ uno in loco scripsit obscuriùs, ex iis quæ alibi pleniùs & expressiùs dixit, explicari debeant, ut monuit ipse in fine Expositionis in Apocalypsim. *Cæterùm si in aliquibus locis aliqua minùs habent, ac per hoc trahi possunt ab æmulis ad illicitum intellectum, quærat diligenter defensor veri in aliis locis Opusculorum nostrorum, & inveniet sufficienter in alio loco lucidum, quod in alio forte loco fecit veritas tenebrosum. Si enim non defuerunt viri iniqui, qui depravarent, teste Petro, Epistolas Pauli, & si Jannes & Mambres homines impii restiterunt Moysi: quantò magis necesse est ut compleatur id quod futurum testatur Apostolus de subversoribus veritatis, maximè cùm videamus instare tempora periculosa, in quibus hæc ipse & multa alia futura esse præscripsit? Verùm in omnibus his fiduciam bonam habemus ad Deum, scientes quòd sicut verum est quod prædixit de impugnatione veritatis, ita verum esse necesse est quod subjunxit:* Sed ultra non proficient. *Insipientia enim illorum nota erit omnibus, sicut & illorum fuit.*

Tertium momentum ex eo desumitur, quòd *Joachimus* Abbas in Caput XI. *Jeremiæ*, libri sui depravationem ac damnationem sit vaticinatus.

Respondetur ad argumenta.

VI. Non videntur tamen hæc momenta gravia satis ad excusandum penitus ab errore *Joachimum* Abbatem. Tantùm enim abest ut ex revelatione quæ supponitur ipsi facta de Sanctissimæ Trinitatis Mysterio, colligi possit ipsum circa Mysterium illud adorandum in nullum errorem impegisse; ut potius certissimum sit ipsum nulla hujusmodi revelatione illustratum, quia lapsus in errorem est. Quicquid enim ipse afferat, firmius habemus Ecclesiæ testimonium ac judicium, hunc ipsi errorem, discusso ejus Libello, tribuentis, ac damnantis. Asserere enim quòd Oecumenica Synodus sensum ejus non intellexerit, nimis temerarium est. Quod verò Arii Sabelliique hæreses in aliis libris suis refellat, quòd tres Personas unius esse profiteatur essentiæ atque perfectionis, & Deum esse summè unum; probat ipsum in errorem non impegisse volentem, nec arbitratum esse ex suâ contra *Petrum Lombardum* sententiâ sequi aliquid contra summam fidei, immo ejusdem fidei studio ipsum impugnasse *Petri* sententiam; ipsum denique Hæreticum non fuisse, cùm Ecclesiæ Judicio Libellum hunc suum Scriptáque omnia subjecerit. Probant etiam allata ex ejus libris testimonia ipsum pugnantia scripsisse: at ab errore ipsum non absolvunt. Præterea Libellum contra *Petrum Lombardum* paulò ante ipsius obitum ab eo scriptum verisimile est, cùm nulla de ipso mota quæstio fuerit, quamdiu vixit. Unde ex prioribus lucubrationibus gravia satis momenta peti non possunt, quibus ab errore probetur immunis. Futile denique est quod ex ejus vaticiniis arcessunt argumentum. De libri namque sui depravatione & damnatione clarè non loquitur; nec illum indigitat contra *Petrum Lombardum* editum: nec hujusmodi vaticiniis ab Ecclesia non probatis fidem adhibere tenemur. Sanè si depravatus fuisset Libellus ille *Joachimi* ante Lateranense Concilium, Florenses Monachi reclamassent, cum à Sacro Concilio damnatus est, & sincerum Exemplar protulissent, cujus inspectione facilè probatum esset hunc ipsi errorem affictum fuisse. Aut certè coram *Honorio III.* hac usi fuissent exceptione, cùm apud ejus Sanctitatem conquesti sunt, quòd hæreseos infamiâ *Joachim* illorum quondam Abbas à nonnullis aspergeretur. Quod cùm non præstiterint, colligitur ipsos agnovisse, illum verè in eum errorem lapsum esse, quem ut ab ipso assertum damnavit Oecumenica Synodus Lateranensis IV.

DISSERTATIO III.

In Canonem III. Concilii Lateranensis IV.

ARTICULUS I.

Utrum Ecclesia Hæreticos Albigenses justè tradiderit seculari Potestati, Pœnis temporalibus puniendos?

CANONIS, cujus occasione Quæstio hæc movetur, prima pars his concepta verbis est: *Excommunicamus & anathematizamus omnem Hæresim extollentem se adversùs hanc Sanctam, Orthodoxam, & Catholicam Fidem, quam superiùs exposuimus: condemnantes Hæreticos universos, quibuscumque nominibus censeantur. . . . Damnati verò præsentibus secularibus Potestatibus, aut eorum Baillivis relinquantur animadversione debitâ puniendi: Clericis priùs à suis Ordinibus degradatis: Ita quòd bona hujusmodi damnatorum, si Laici fuerint, confiscentur; si verò Clerici, applicentur Ecclesiis à quibus stipendia receperunt.*

PROPOSITIO.

Ecclesia justè Albigenses Hæreticos tradidit seu reliquit seculari Potestati, pœnis temporalibus puniendos.

Justum enim esse quis negare potest ut Ecclesia sinat secularem Potestatem Officio suo fungi, vel id etiam decernat cum spiritualium interminatione pœnarum? Porro Potestas secularis ad flagitiosorum & facinorosorum punitionem & exterminationem à Deo constituta est. *Nam* (ut ait Apostolus ad Rom. 13.) *Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere Potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illâ: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Extremum autem supplicium merentur Hæretici, eòque maximè Albigenses digni erant, homines flagitiosissimi, ut ex eorum Historia in Synopsi exposita compertum est. Justè itaque ipsos Potestati seculari reliquit Ecclesia, ut è medio tollerentur.

Quod extremum supplicium Hæretici mereantur, Propositio est probatu non difficilis. Sanè supplicium quod minoribus delictis irrogatur, multò magis propter graviora crimina inferri potest: cùm itaque minora facinora, quæ proximum lædunt, pœna capitis justè plectantur: multò magis Hæresis, quæ divinum honorem directè petit, atque in divinam insurgit veritatem. Hinc *S. Augustinus* lib. 1. contra duas Epistolas *Gaudentii* Thamugadensis Donatistarum Episcopi, Cap. XIX. ita

S s ij Donatistas

Donatistas compellat: *Clamate, si audetis: Puniantur homicidia, puniantur adulteria, puniantur cætera quantalibet sceleris sive libidinis facinora, seu flagitia: sola sacrilegia volumus à Regnantium Legibus impunita. An verò aliud dicitis, cùm dicitis:* Magna » Dei injuria, si ab hominibus defendatur? Quid » de Deo æstimat, qui eum violentiâ vult defen- » dere, nisi quia non valet suas ipse injurias vin- » dicare! *Hæc dicentes, quid aliud dicitis, nisi, Nulla hominis potestas contradicat atque obstrepat nostro libero arbitrio, quando injuriam facimus Deo? O dolor! Fraudata sunt tali magisterio tempora antiqua, nondum erat natus, quando Sanctus Moyses injurias suas levissimè pertulit, Dei verò severissimè vindicavit. Tu autem doctior, hæretica præsumptio-* » *ne invidiosissimè clamas:* Fecit Deus hominem, » dimisit eum in manu arbitrii sui. Quid mihi » nunc humano imperio eripitur, quod largitus » est Deus? *Hoc videlicet flagitans, ut ad faciendas injurias Deo, qui cum libero arbitrio fecit hominem, liberum arbitrium tibi relinquatur ab homine. Sed illi etiam qui Decreto Nabuchodonosor Regis, propositâ pœnâ interitûs sui, & dispersionis domorum suarum, à blasphemando Deo Sidrach, Misac, & Abdenago terribiliter prohibebantur, & acriter, si contemnerent, plecterentur, dicere potuerunt quod ipse dixisti. . . . . . Datum est ergo homini, quando creatus est, liberum arbitrium; sed ut si esset malefaciens, fieret patiens. Denique illi primi homines, cùm peccassent, morte damnati sunt: & priùs quàm mors eis extrema etiam corporis suppleretur, in exilium de Paradiso missi sunt. Mitiora in vos constituit Imperator propter mansuetudinem Christianam. Exilium vobis voluit inferre, non mortem: sed vos homines docti considerantes quid debeatur merito, & quid minus sit in supplicio, non de Judicio illius, sed de vestro, additis mortem.* Quia nimirum in seipsos aquâ, igne, præcipitio sæviebant Circumcelliones.

II. Blasphemia justè punitur extremo supplicio: Quidni & hæresis, quæ species quædam blasphemiæ est? Hinc *S. Augustinus* Epistola CV. aliàs CLXVI. sic Donatistas alloquitur: *Imperatores, si in errore essent, quod absit, pro errore suo contra veritatem Leges darent, per quas Justi & probarentur, & coronarentur, non faciendo quod illi juberent, quia Deus prohibuit. Sicut jusserat Nabuchodonosor ut aurea statua adoraretur: quod qui facere noluerunt, Deo talia prohibenti placuerunt. Quando autem Imperatores veritatem tenent, pro ipsa veritate contra errorem jubent, quod quisquis contempserit, ipse sibi judicium acquirit. Nam & inter homines pœnas luit, & apud Deum frontem non habebit, qui hoc facere noluit, quod ei per cor Regis ipsa Veritas jussit. Sicut ipse Nabuchodonosor postea miraculo salutis trium Puerorum* Daniel. 3. *commotus atque mutatus, pro veritate contra errorem Edictum proposuit, ut quicumque blasphemarent Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, in interitum irent, & domus eorum in dispersionem: Et non vultis ut tale aliquid contra vos jubeant Imperatores Christiani, cùm sciant à vobis, in eis quos rebaptizatis, Christum exsufflari.*

III. Qui vitam corporis aliis auferunt, è medio tolluntur: multò magis ergo extremo supplicio digni sunt, qui vitam spiritualem aliis eripiunt; quod præstant Hæretici. *Talia facere volunt* (inquit *S. Augustinus* Tractatu XI. in Joannem) *& saltem talia pati nolunt. Nam video qualia faciunt, & qualia patiuntur: occidunt animas, affliguntur in corpore: sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur.* Fures qui temporalia tantùm bona diripiunt, morti addicuntur: quidni & Hæretici, qui spiritualia; qui cùm per ostium non ingrediantur in ovile, fures sunt & latrones; qui *Scriptura sensum suffurantur, plerosque ad partes suas trahunt ac veritatis viam turbant*, ut ait *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione XXXVI. Adulteratores monetæ, crimen capite luunt, ut constat ex Legibus Constantini, Valentiniani, Theodosii & Arcadii Impp. lib. IX. Cod. Tit. XXIV. &c. Justè ergo capite plectuntur Hæretici, qui verbum Dei, qui fidem, qui veritatem adulterant.

IV. *S. Augustinus* lib. I. contra Epistolam *Parmeniani*, Cap. VII. Donatistas à *Constantino* Imperatore capitali Sententia justè damnatos docet. *Audet,* (inquit) *conqueri Parmenianus, quod eos Constantinus ad campum, id est, ad supplicium duci jussit, qui victi apud Ecclesiasticos Judices, nec apud ipsum quæ dicebant, probare potuerunt, & adhuc in sanctâ Ecclesiæ præcisione sacrilego furore ferebantur: & hoc eum tanquam inhumaniter jussisse, Hispano Osio suggerente criminatur, suspicionibus videlicet suis, sicut semper, damnando inauditos. Quasi verò non humanius ac probabilius alius crediderit, Osio tanquam Episcopo suggerente potiùs factum, ut in leniorem coercitionem, quamvis immanissimi sceleris, id est, sacrilegi schismatis, Sententiam flecteret Imperator. Quid enim non isti justè patiuntur, cùm ex altissimo Dei præsentis, & ad cavendum ignem æternum flagellis talibus admonentis, judicio patiuntur, & merito criminum, & ordine Potestatum? Priùs enim probent se non esse Hæreticos vel Schismaticos, tum demum de iis dignis pœnis suis lividam emittant vocem, tum demum sese audeant, cùm mali aliquid patiuntur, veritatis Martyres dicere. Alioquin si quisquis ab Imperatore, vel à Judicibus ab eo missis pœnas luit, continuo Martyr est; omnes carceres Martyribus pleni sunt, omnes catena judiciaria Martyres trahunt, in omnibus Metallis Martyres ærumnosi sunt, in omnes Insulas Martyres deportantur, in omnibus pœnalibus locis juridico gladio Martyres feriuntur, ad omnes bestias Martyres surriguntur, aut jussionibus Judicum vivi ignibus concremantur. Si autem, sicut dicit Apostolus.* Non est Potestas nisi » à Deo, & Minister Dei est, vindex in iram ei qui » malè agit, nec sine causa gladium portat: Vis non » timere Potestatem? Bonum fac, & habebis lau- » dem ex illa: *Bonus quicquid passus fuerit, laus* » *illi provenit ex potestate faciendis: Malus verò qui merito patitur iniquitatis, non deputet sævitiæ Potestatis.* Et infra. *Si quid temporalis molestiæ passi fuerint per certissimum atque rectissimum ordinem Potestatum; cùm ipsi privatis furiosorum agminibus multa graviora passim atque quotidie, nullâ Regiâ, nullâ Ecclesiasticâ Lege committant: nos corporum persecutores vocant, se animarum interfectores non vocant: cùm privatâ licentiâ nec corporibus parcant.* Idem de Albigensibus meritò dici potuit.

Et lib. I. contra *Gaudentium* Cap. XXV. sic eosdem Hæreticos alloquitur: *Quod autem vobis videtur, invitos ad veritatem non esse cogendos, erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei, qui eos volentes facit, dum coguntur inviti. Numquid enim Pœnitentiam Ninivitæ invitiogerunt, quia hoc Rege suo compellente fecerunt? Jam enim Propheta iram Dei universæ civitati eam triduo perambulans prænuntiaverat. Quid igitur opus erat Regis imperio, ut humiliter supplicaretur Deo, qui non intuetur ora, sed corda: nisi quia erant in eis quidam, qui nec curarent, nec crederent prædicta divina, nisi territi Potestate terrena? Ista igitur Jussione Regia Potestatis, contra quam voluntarius fit vester occasus, multis ad salutem quæ in Christo est præstatur occasio, qui etsi violenter adducuntur ad cœnam tanti Patrisfamilias, & compelluntur intrare, intus tamen inveniunt unde se lætentur intrasse.*

Et Cap. XXXIV. *Quamdiu vos non tenetis Ecclesiam, quam prænuntiaverunt Piscatores, Apostoli plantaverunt:*

plantaverunt : tamdiu Reges qui eam tenent, rectissimè ad curam suam judicant pertinere, ne eos adversùs eam rebellesis impunè... Quibus dictum est. » Et nunc, Reges, intelligite, erudimini qui ju- » dicatis terram : Servite Domino in timore : *Sentiunt suam potestatem ita Domino servire debere, ut ea potestate plectantur, qui nolunt ejus voluntati servire.*

V. Idem probat Epistola XCIII. Aliàs XLVIII. ad *Vincentium*, in qua hæc habet: *Donatistæ nimiùm inquieti sunt, quos per ordinatas à Deo Potestates cohiberi atque corrigi, mihi non videtur inutile. Nam de multorum jam correctione gaudemus, qui tam veraciter unitatem Catholicam tenent atque defendunt, & à pristino errore se liberatos esse lætantur, ut eos cum magna gratulatione miremur. Qui tamen nescio qua vi consuetudinis nullo modo mutari in melius cogitarent, nisi hoc terrore perculsi, solicitam mentem ad considerationem veritatis intenderent; ne fortè si non pro Justitia, sed pro perversitate & præsumptione hominum ipsas temporales molestias infructuosâ tolerantiâ pateremur, apud Deum postea non invenirent nisi debitas pœnas impiorum, qui ejus tam lenem admonitionem, & paterna flagella contempserunt. Ac sit ista cogitatione dociles facti, non in calumniis & fabulis humanis, sed in divinis libris promissam per omnes gentes invenirent Ecclesiam.*

Et infra. *Si quisquam inimicum suum periculosis febribus phreneticum factum currere videret in præceps, nonne tunc potiùs malum pro malo redderet, si eum sic currere permitteret, quàm si corripiendum ligandùmque curaret, & tamen tunc ei molestissimus videretur, quando utilissimus & misericordissimus extitisset? Sed planè salute reparatâ tantò uberiùs ei gratias ageret, quantò sibi eum minùs pepercisse sensisset. O si possem tibi ostendere ex ipsis Circumcellionibus quàm multos jam Catholicos manifestos habeamus, damnantes suam pristinam vitam, & miserabilem errorem, quo se arbitrabantur pro Ecclesia Dei facere, quicquid inquieta temeritate faciebant: Qui tamen ad hanc sanitatem non perducerentur, nisi Legum istarum, quæ tibi displicent, vinculis quasi phrenetici ligarentur! Quid illud alterum genus morbi gravissimi eorum, qui turbulentam quidem audaciam non habebant, sed quadam vetusta socordiâ premebantur, dicentes nobis : Verum quidem dicitis, non est quod respondeatur : sed durum est nobis traditionem parentum relinquere : nonne salubriter regula temporali molestiarum excutiendi erant, ut tanquam somno lethargico emergerent, & in salutem unitatis evigilarent? Quàm multi ex ipsis nunc nobiscum gaudentes, pristinum pondus perniciosi sui operis accusant, & fatentur nos sibi molestos esse debuisse, ne tanquam mortifero somno, ita morbo veternosæ consuetudinis interirent. At enim quibusdam ista non prosunt : Nunquid ideò negligenda est medicina, quia nonnullorum est insanabilis pestilentia?*

Terror cum doctrina conjunctus utilis est conversioni Hæreticorum.

Addit, terrorem cum doctrina conjunctum esse debere, ut Hæretici ad fidem convertantur. *Si terrerentur, & non docerentur, improba quasi dominatio videretur. Sed rursus si docerentur, & non terrerentur, vetustate consuetudinis obdurati, ad capessendam viam salutis pigriùs moverentur : quandoquidem multos bene novimus, redditâ sibi ratione, & manifestatâ divinis testimoniis veritate, respondebant nobis : Cupere se in Ecclesiæ Catholicæ communionem transire, sed & violentas perditorum hominum inimicitias formidare. quas quidem pro Justitia & pro æterna vita utique contemnere debuerunt. Sed talium infirmitas, donec firmi efficiantur, sustinenda est, non desperanda. Nec obliviscendum quod ipse Dominus adhuc infirmo Petro ait :* Non potes me modò sequi, sequeris autem postea. *Cum verò terrori utili doctrina salutaris adjungitur, ut non solùm tenebras erroris lux veritatis expellat, verùm etiam malæ consuetudinis vincula vis timoris abrumpat, de multorum, sicut dixi, salute lætamur, benedicentium nobiscum & gratias agentium Deo, quòd sua pollicitatione completâ, quâ Reges terræ Christo servituros esse promisit, sic curavit morbidos, sic sanavit infirmos. Non omnis qui parcit, amicus est, nec omnis qui verberat, inimicus.* Meliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. *Melius est cum severitate diligere, quàm cum lenitate decipere... Et qui phreneticum ligat, & qui letargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat. Quis nos potest ampliùs amare quàm Deus? Et tamen nos non solùm docere suaviter, verùm etiam salubriter terrere non cessat.*

Proverb. 27.

Et infra, cogendos esse pœnarum terrore Hæreticos, ex Scripturis Sacris probat. *Putas*, inquit, *neminem cogi debere ad justitiam, cùm legas Patremfamiliàs dixisse servis :* Quoscumque inveneritis, cogite intrare? *Cùm legas etiam ipsum primò Saulum, postea Paulum, ad cognoscendam & tenendam veritatem, magnâ violentiâ Christi cogentis esse compulsum? Nisi fortè chariorem putas hominibus esse pecuniam, vel qualemlibet possessionem, quàm lucem istam quæ oculis carpitur. Hanc ille cœlesti prostratus voce subitò amissam non recuperavit, nisi cum sanctâ incorporaretur Ecclesia. Et putas nullam vim adhibendam esse homini, ut ab erroris pernicie liberetur? Cùm ipsum Deum, quo nemo utiliùs nos diligit, certissimis exemplis hoc facere videas, & Christum audias dicentem :* Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit : *Quod fit in cordibus omnium, qui se ad eum divinæ iracundiæ timore convertunt : & noveris aliquando furem avertendis pecoribus pabulum spargere, & aliquando Pastorem flagello ad gregem pecora errantia revocare. Nonne contumacem ancillam datâ sibi potestate Sara potiùs affligebat? Et utique non eam quam superiùs beneficio suo matrem fecerat, crudeliter oderat, sed in ea superbiam salubriter edomabat.* Tum Isaaci atque Ismaëlis exemplo, de quibus ait Apostolus, Quòd *sicut tunc ille qui erat secundùm carnem, persequebatur eum qui erat secundùm spiritum, ita & nunc*, colligit, *Magis Ecclesiam Catholicam persecutionem pati superbiâ & impietate carnalium, quos temporalibus molestiis atque terroribus emendare conatur. Quicquid ergo facit vera & legitima Mater etiamsi asperum amarùmque sentiatur, non malum pro malo reddit, sed bonum disciplinæ expellendo malum iniquitatis, apponit, non odio nocendi, sed dilectione sanandi.*

Mox Donatistarum objectioni respondet : *Non invenitur*, inquiebant, *exemplum in Evangelicis & Apostolicis Literis, aliquid petitum à Regibus terræ pro Ecclesia contra inimicos Ecclesiæ. Quis negat non inveniri?* (inquit ille). *Sed nondum implebatur illa Prophetia :* Et nunc Reges intelligite, erudimini qui « judicatis terram, servite Domino in timore. *Adhuc enim implebatur quod in eodem Psalmo superiùs dicitur :* Quare fremuerunt gentes, & populi « meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, « & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum & adversùs Christum ejus. *Verumtamen si facta præterita in Propheticis libris figuræ fuerunt futurorum, in Rege Nabuchodonozor utrumque tempus figuratum est, & quod sub Apostolis habuit, & quod nunc habet Ecclesia. Temporibus itaque Apostolorum & Martyrum illud implebatur quod figuratum est, quando Rex memoratus pios & justos cogebat adorare simulachra, & recusantes in flammas mittebat. Nunc autem illud impletur, quod paulò post in eodem Rege figuratum est, cùm conversus ad honorandum Deum verum, decrevit in Regno suo, ut quicumque blasphemaret Deum Sidrach, Misach,*

Leges Principum adversùs Hæreticos rectè implorantur.

& Abdenego, pœnis debitis subjaceret. Prius ergo tempus illius Regis significabat priora tempora Regum infidelium, quos passi sunt Christiani pro impiis. Posterius vero tempus illius Regis, significavit tempora posteriorum Regum jam fidelium, quos patiuntur impii pro Christianis. Sed planè in eis, qui sub nomine Christi erant seducti à perversis, ne forte oves Christi sint errantes, & ad gregem aliter revocandæ sint, temperata severitas, & magis mansuetudo servatur, ut coërcitione exiliorum atque damnorum tribulatione admoneantur considerare quid & quare patiantur; & discant præponere rumoribus & calumniis hominum Scripturas quas legunt. Quis enim nostrûm non laudat Leges ab Imperatoribus datas adversus Sacrificia Paganorum? Et certè longè ibi pœna severior constituta est: illius quippe impietatis capitale supplicium est. De vobis autem corripiendis atque coërcendis habita ratio est, quò potius admoneremini ab errore discedere, quam pro scelere puniremini.

Et infra. *Vides itaque non esse considerandum quod quisque cogitur, sed quale sit illud quò cogitur, utrum bonum an malum: non quo quisque bonus possit esse invitus; sed timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientem animositatem, vel ignoratam compellitur cognoscere veritatem, ut timens vel respuat falsum de quo contendebat, vel quærat verum quod nesciebat, & volens teneat jam quod nolebat. Superfluò hoc fortassè diceretur quibuslibet verbis, si non tam multis ostenderetur exemplis. Non illos aut illos homines, sed multas civitates videmus fuisse Donatistas, nunc esse Catholicas, detestari vehementer diabolicam separationem, diligere ardenter unitatem. Quæ tamen timoris hujus, qui tibi displicet, occasionibus Catholicæ factæ sunt per Leges Imperatorum, à Constantino, apud quem vestri ultro Cæcilianum accusaverunt, usque ad præsentes Imperatores, qui Judicium illius quem vestri elegerunt, quem Judicibus Episcopis prætulerunt, justissimè contra vos custodiendum esse decernunt. His ergo exemplis à Collegis meis mihi propositis cessi. Nam mea primitus sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos Hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primò mihi opponebatur civitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore Legum Imperialium conversa est; quam nunc videmus ita hujus vestræ animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur. Ita alia multa, quæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem etiam in hac causa rectè intelligi posse quod scriptum est:* Da Sapienti occasionem, & sapientior erit.

S. Augustino aliquando visum est, non vi cum Hæreticis, sed verbo Dei & ratione dumtaxat agendum; verum sententia Collegarum exemplisque superatus, mutavit sententiam.

Proverb. 9.

Legum pœnalium adversùs Hæreticos multiplicem fructum exponere pergit. *Quàm multi*, inquit, *propterea putabant veram Ecclesiam esse partem Donati, quia eos ad cognoscendam Catholicam veritatem securitas torpidos, fastidiosos, pigrósque faciebat? Quàm multis aditum intrandi obserabant rumores maledicorum, qui nescio quid aliud nos in Altari Dei ponere jactitabant! Quàm multi nihil interesse credentes in qua quisque parte Christianus sit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde discedere, atque ad Catholicam transire nemo cogebat? His omnibus harum Legum terror, quibus promulgandis Reges serviunt in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant: Jam hoc volebamus; sed Deo gratias, qui nobis occasionem præbuit jamque faciendi, & dilationum morulas amputavit. Alii dicant: Hoc esse verum jam sciebamus, sed nescio quâ consuetudine tenebamur. Gratias Domino qui vincula nostra dirupit, & nos ad pacis vinculum transtulit. Alii dicant: Nesciebamus hic esse veritatem, nec eam discere volebamus, sed nos ad eam cognoscendam metus fecit intentos, quo timuimus ne forte sine ullis rerum æternarum lucris damno rerum temporalium feriremur. Gratias Domino, qui negligentiam nostram stimulo terroris excussit, ut saltem solliciti quæreremus, quod securi nunquam nosse curavimus. Alii dicant: Nos falsis rumoribus terrebamur intrare, quos falsos nesciremus, nec intraremus, nisi cogeremur. Gratias Domino, qui trepidationem nostram flagello abstulit, expertos docuit quàm vana & inania de Ecclesia sua mendax fama jactaverit. Hinc jam credimus & illa falsa esse, quæ Auctores hujus Hæresis criminati sunt, quando posteri eorum tam falsa & pejora finxerunt. Alii dicant: Putabamus quidem nihil interesse ubi fidem Christi teneremus, sed gratias Domino, qui nos à divisione collegit, & hoc uni Deo congruere, ut in unitate colatur, ostendit.*

His ergo Dominicis lucris impediendis, ad contradicendum me opponerem Collegis meis, ne in montibus & collibus vestris, id est, in tumoribus superbiæ vestræ, Christi oves errantes in pacis ovile colligerentur, ubi est grex unus & unus Pastor? Ita sanè huic Provisioni contradicere debui, ne res quas dicitis vestras perderetis, & securi Christum proscriberetis: Ut Jure Romano testamenta conderetis, & Jure Divino Patribus conditum testamentum, ubi scriptum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes, *calumniosis criminationibus rumperetis: Ut in emptionibus & venditionibus liberos contractus haberetis; & vobis dividere, quod Christus emit venditus, auderetis: Ut quod quisque vestrûm cuiquam donasset, valeret; & quod donavit Deus Deorum à Solis ortu usque ad occasum vocatis filiis non valeret: Ut de terra corporis vestri in exilium non mitteremini, & de Regno Sanguinis sui, à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terræ, Christum exulem facere conaremini? Immo verò serviant Reges terræ, Christo, etiam Leges ferendo pro Christo.*

Idem S. Doctor Epistola CLXXXV. aliàs L. ad *Bonifacium* Comitem, quam inscripsit *librum De Correctione Donatistarum, propter eos qui volebant illos Legibus Imperialibus corrigi*, idem argumentum tractat. *Hoc*, inquit, *contigit Donatistis, quod accusatoribus Sancti Danielis. Sicut enim in illos leones, sic in istos conversæ sunt Leges, quibus innocentem opprimere voluerunt: nisi quòd propter misericordiam Christi, magis pro eis sunt istæ Leges, quæ illis videntur adversæ: quoniam multi per illas correcti sunt, & quotidie corriguntur, & se esse correctos, atque ab illâ furiosâ pernicie liberatos, gratias agunt. Et qui oderant, diligunt, molestásque sibi fuisse saluberrimas Leges, quantùm in insania detestabantur, tantùm receptâ sanitate gratulantur. Et in residuos cum quibus fuerant perituri, jam simili dilectione nobiscum, ut pariter instemus ne illi pereant, excitantur. Molestus est enim & Medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa, crudelis est.... Sicut ergo Apostolus dicit,* Infatigabiles cùm tempus habemus, operemur bonum ad omnes: *Qui possunt Catholicorum Præceptorum sermonibus, qui possunt Catholicorum Principum Legibus, partim per eos qui divinis admonitionibus, partim per eos qui Jussis Imperialibus parent, omnes ad salutem vocentur, omnes à pernicie revocentur. Quia & Imperatores, quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas Leges, probantur bene credentes, & coronantur perseverantes. Quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas Leges, terrentur sævientes, & corriguntur intelligentes. Quicumque*

ergo

Legum pœnalium adversùs Hæreticos multiplex fructus.

ergo Legibus Imperatorum quæ contra Dei veritatem feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium. Quicumque autem Legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium.

Et infra. *Quomodo ergo Reges Domino serviunt in timore, nisi ea quæ contra jussa Domini fiunt religiosâ severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit quia homo est, aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: Quia verò etiam Rex est, servit Leges justa præcipientes, & contraria prohibentes, convenienti vigore sanciendo. Sicut servivit Ezechias lucos & templa Idolorum, & illa Excelsa, quæ contra præcepta Dei fuerant constructa, destruendo: Sicut servivit Josias talia & ipse faciendo: Sicut servivit Rex Ninivitarum, universam civitatem ad placandum Dominum compellendo: Sicut servivit Darius, Idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos ejus leonibus ingerendo: Sicut servivit Nabuchodonosor, omnes in Regno suo positos à blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo serviunt Domino Reges, in quantum sunt Reges, cùm ea faciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges.*

Idem rursus confirmat inferiùs. *Postea quàm* „ *cœpit impleri quod scriptum est;* Et adorabunt eum „ omnes Reges terræ, omnes Gentes servient illi: *Quis mente sobrius Regibus dicat; Nolite curare in Regno vestro à quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri: Non ad vos pertineat in Regno vestro, quis velit esse sive religiosus sive sacrilegus; quibus dici non potest: Non ad vos pertineat in Regno vestro quis velit pudicus esse vel impudicus? Cur enim cùm datum sit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria Legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? An fidem non servare levius est animam Deo, quàm fœminam viro? Aut si ea quæ non contemptu, sed ignorantiâ Religionis committuntur, mitiùs vindicanda, nunquid ideo negligenda sunt? Melius est quidem, quis dubitaverit? ad Deum colendum doctrinâ homines duci, quàm pœnæ timore vel dolore compelli. Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit (quod experimentis probavimus, & probamus) priùs timore vel dolore cogi, ut postea possint doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere sectari.* Legatur ejusdem Epistola LXXXIX. alias CLXVII. ad *Festum*, De Donatistis coërcendis.

VII. *S. Leo* Epistola XCIII. seu XV. Editionis P. *Quenellii*, de Priscillianistis agens, docet, Hæresiarchas & eorum discipulos ense Principum meritò prosterni. *Meritò*, inquit, *Patres nostri, sub quorum temporibus Hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur: quando etiam mundi Principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut Autorem ejus cum plerisque Discipulis, Legum publicarum ense prosternerent. Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem conjugiorum copulam solvi, simulque Divinum Jus humanúmque subverti, si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali Professione licuisset. Profuit diu ista districtio Ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi Sacerdotali contenta Judicio, cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum Principum Constitutionibus adjuvatur, dum ad spiritale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium.*

Hæretici legum publicarum ense prostrati.

VIII. Legendus in eamdem sententiam *Lucas Tudensis* lib. III. contra Albigenses, Cap. XXII. ubi hæc habet inter alia: *Dominus similitudinariè de se loquens, dicit, Quòd homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi Regnum; & cives ejus qui oderant eum, miserunt legationem post ipsum, dicentes, Eum super se nolle regnare. At ipse cùm rediret accepto Regno, dixit suis: Inimicos illos meos, qui noluunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me. Item dicit Evangelium* [a] *quòd quidam servos ipsius Regis occiderunt. Rex autem cùm audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit. Homo ille Nobilis Dominus Jesus Christus, nobilior Regibus cunctis. Hunc super se nolunt regnare inimici ejus Hæretici, dicentes, non esse verum hominem, sed phantasma. Occidunt autem servos ejus tanto crudeliori morte, quantò qui decipitur ab eis, moritur in æternum. Quapropter qui ad exercitum Domini pertinent, homicidas animorum inimicos ejus Hæreticos, qui hunc super se regnare nolunt, interficere debent. Quamvis sint in hoc seculo Reges, illius Regis servi esse noscuntur. Ad ipsorum spectat officium Infidelium vitam extinguere, &c.*

Dan 19.

[a] Matth. 22.

IX. *Dioscorus* nondum à Patribus damnatus, in Concilio Chalcedonensi de *Eutychete* aiebat: *Si Eutyches præter Ecclesiæ dogmata sapit, non solum pœna dignus est, sed & igne.* Theodosius & Valentinianus Impp. L. *Ariani*, Manichæos è Civitatibus pelli, & *ultimo supplicio* tradi sanxerunt. Marcianus & Valentinianus Impp. L. *Quicumque. De Hæreticis & Manichæis* adversùs Eutychianistas vel Apollinaristas ita statuunt: *Ultimo etiam supplicio coerceantur, qui illicita docere tentaverint.* Theodosius & Honorius Impp. L. *Si quis. Ne Sanctum Baptisma iteretur*, pœnam etiam capitis in eos decrevere qui Baptismum à Catholicis collatum iterabant. Manichæos capite plectendos Justinianus edixit. L. *Manichæi.* Basilium Sectæ Bogomilorum Principem, ab *Alexio Comneno* Imperatore flammis addictum, *Euthymius* in Panoplia, *Anna Comnena* lib. XV. Alexiados, & *Zonaras* lib. III. Annalium testantur. *Robertum* Regem Christianissimum igne damnasse *Stephanum* & *Lisoium*, aliósque Hæreticos in urbe Aurelianensi anno millesimo decimo-septimo, referunt *Glaber Radulphus* lib. III. Historiæ Cap. VIII. *Ademarus*, & Chronicon *S. Petri Vivi* apud Senonas. *Petrum de Bruis* Hæresiarcham in Villa *S. Ægidii* combustum, *Petrus Cluniacensis* commemorat. *Arnaldum de Brixia* jussu *Frederici* Imperatoris captum, à *Petro* Urbis Præfecto ad rogum Romæ damnatum esse, Otto *Frisingensis* & *Guntherus* commemorant. *Ekbertus* Abbas *S. Florini*, frater *S. Elizabethæ* Schonaugiensis, Sermone VIII. adversùs Catharos, refert, *Arnoldum* quemdam ex eorum Secta, unà cum suis complicibus, Coloniæ igne damnatum fuisse. *Ut exinanirent (inquit) Baptismum aqua constitutum ab ipso Domino Salvatore, baptizandum esse in igne docuerunt: ideóque justissimo Dei judicio factum est, ut sic in igne baptizarentur, ut ab eo irrevocabiliter damnarentur.* Ex quibus omnibus compertum est, quàm falsò *Philippus Camerarius* Author Heterodoxus Centuria I. Operarum Subcisivarum, Cap. 58. de S. *Dominico* scripserit: *Dominicus autor unius ex quatuor Mendicantium Ordinibus, primus incendia & ustulationes inter Christianos Religionis ergo invexit: ideóque ejus Imitatores adhuc Inquisitionem tanquam peculiarem sibi vendicant, & multis in locis severè eam exercent. Tradunt autem matrem ejus jamjam enixuram, somniasse, ingentem canem se parere, qui ardentem torrem ore gestaret. Qui torris designavit fortasse rogos, quibus in cinerem redacta est infinita hominum multitudo.* Quibus non absimilia scribit *Joannes Paulus Perrinus*, Historiæ Vvaldensium, pag. 101.

Leges & judicia Principum contra Hæreticos.

X. *Joannes Calvinus* in Refutatione errorum *Michaëlis*

Calvinus probat Hæreticos jure gladii coërcendos.

Michaelis Serveti, fusè probat Hæreticos Jure gladii coërcendos. Objecerat *Servetus*, Christum capitaliter puniri nolle, nisi qui se desperatos ostendunt, quia Adulteræ dixit, *Vade & posthac ne pecces.* Respondet *Calvinus*: Atqui dum vindictam de adulterio non sumit, an sequitur adulteriis impunitatem ab eo dari? Certè nihilo magis pœnam lege sancitam abolet, quàm hereditates negat esse dividendas, cùm Judex vel arbiter esse renuit. *S. Hilarii* verbis abusus erat *Servetus*, Præfatione libri de Synodis contra Arianos. *Calvinus* respondet: *Hilarium* quidem longiùs provehi fateor. Queritur enim Ecclesiam carceribus & exiliis terrere, atque ita cogere ad credendum, quæ exiliis & carceribus est credita: nimis propensam esse ad dignitatem faventium, quæ persequentium terrore consecrata est: fugare Sacerdotes, quæ Sacerdotibus fugatis est propagata: gloriari mundi favore, quæ Christi esse non potuit, nisi eam mundus odisset. Sed illi *Auxentii* & similium ferocitas stomachum movit, ut præsentem magis indignitatem carperet (sicuti plausibile illi dabatur argumentum) quàm perpetuam tuendæ fidei rationem expenderet. Nam quòd inopem suæ virtutis Christum argui causatur, dum fidem terrena suffragia commendant: non debet in eam partem trahi, quasi Evangelii certitudini quicquam deroget credentium auctoritas, vel Religio vilescat, Regum patrocinio adjuta: sed in eos tantùm querimonia dirigitur, qui verbo Dei destituti, manu armata perversos errores sustinebant.

Objiciebant imperiti: Regnum suum manu & armis constitui Dominus noluit, sed spirituali Evangelii gladio; & suos hortatus est ut parati essent proprium sanguinem fundere: ut alienum funderent, nusquam præcepit: Apostolos tanquam agnos in medium luporum emisit, non instruxit carnis potentiâ. Respondet *Calvinus*; Atqui si contra excipiam, nusquam Dominum suis mandasse ut furta, rapinas, adulteria, cædes, veneficia puniant: ideóque impunè ferenda esse hæc omnia: quid dicturi sunt? Concedéntne laxandas esse habenas sceleratis, ac non potius dicent, non obstare, quæ singulis præcipitur, tolerantiam, quominus vigeant Legum Sanctiones?... Absurdum esse objiciunt, spirituale Christi Regnum carnis potentiâ fulciri. Nempe ut fidem absurdum est in humana eloquentia fundatam esse. Nunc si quis obmutescere jubeat quicumque diserti sunt, doctos omnes & liberalibus artibus politos à suggestu prohibeat, neminem acuto & fœlici ingenio præditum admittat ad docendi munus, ne fidem exinaniant eloquentia & paulò subtilior agendi dexteritas, nonne apertam Deo ejúsque donis injuriam faciet? Stultescere quidem jubet *Paulus* quicumque sapere videntur, ut Christi discipuli fiant: nempe ut sapientiâ carnis in ordinem coactâ, emineat sola fides. Quòd si nulla ratio impedit quò minùs Evangelii Prædicatio arcanâ tantùm Spiritûs virtute sit efficax, & pedissequas tamen habere possit humanas artes: ita nec Religio, tametsi solâ Dei manu continetur, & sub Cruce triumphat, à legitimis tamen subsidiis, ut ita visum est Deo, non abhorret. *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut Sapientes confunderet.* Verùm qui a Piscatoribus exordium fecit, postea alios sibi deligit Ministros neque ita rudes, & elegantiori doctrinâ tinctos. Quin etiam *Paulus* ipse, qui se facundiâ destitui fatetur, non omnis doctrinæ expers, ut alii ejus Collegæ, sed à puero in Lege erudiri fuerat. Et certè Christus non minùs stellæ radio Magos ad se deduxit, quàm Pastores Angeli voce. Quare nec rude obscurúmque vulgus ex quo sumpsit Christus Ecclesiæ Primitias, viam Regibus præclusit quin ipsi quoque & se, & sua omnia offerrent: & ipsa etiam gladii potestas quâ instructi sunt, sacra esset oblatio. Nunc videmus ut ad ferendam crucem, ad odia probráque mundi subeunda paratos esse oporteat Evangelii Ministros, sicuti non aliis quam patientiæ armis Dominua eos instruxit: & tamen jubeantur Reges pietatis doctrinam suo patrocinio tueri.

Objiciebant, Nihil minùs esse consentaneum quàm ut ad fidem quæ propensâ obedientiâ constat, violenter cogantur homines. Respondet *Calvinus*: Ego ut omittam quæ verè & scitè in hanc sententiam disputat *Augustinus*, Utiliter scilicet invitos trahi, qui Deo reluctantur, ut castigatione subacti, sponte accedant: Respondeo in tuendo Ecclesiæ statum alium esse gladii usum, quàm ut ad fidem quis cogatur. Nam ut demus in Principum manu & arbitrio non esse, Edictis suis penetrare in hominum corda, ut obedientes salutis doctrinam amplexi, Deo se subjiciant; hoc tamen postulat eorum vocatio, ne impuris ac petulantibus linguis lacerare permittant sacrum Dei nomen, ejúsque cultum pessumdari sinant. Privatus homo, qui vitæ & mortis potestatem non habet, si domum, cui præest, sacrilegiis pollui sinat, culpâ non vacabit: quantò fœdior erit Principis ignavia, si ad effrænem pietatis violationem conniveat? Sedebit scilicet Judex in sublimi ac magnifico Solio, & Christi gloriam probrosè dejici tacitus feret, & Imperium sibi pœnarum metu asserens, licentiam improbis dissipandæ Ecclesiæ concedet?

Objiciebant: Christi discipulis colendam esse mansuetudinem, quæ in Magistro apparuit; qui non armis præfractos compulit in suum obsequium, sed doctrinâ omnes blandè allicere tentavit, ut illud impleret *Isaiæ* vaticinium: *Ecce servus meus non vexabitur, neque contendet, neque in plateis audietur ejus clamor: calamum quassatum non confringet, & ellychnium fumigans non extinguet.* Respondet *Calvinus*: Quasi verò nobis contraria exceptio non sit in promptu, ut Doctoris officio functus est Christus, ita arreptum fuisse ab eo flagellum, quo templum Dei à profana nundinatione purgaret. Si impetu profligavit Filius Dei, qui divini cultûs prætextu hostias in atrio templi vendebant, tum gladium sibi divinitus commissum non exerent pii Magistratus ad coërcendos perfidos apostatas, qui totum Dei templum apertâ contumeliâ profanant ac violant? Ac unum quidem hujus sancti zeli specimen edidit Christus. In reliquo autem vocationis suæ cursu ab extremo correctionis genere abstinuit, ne spirituale Regnum sibi à Patre commissum terrenis Imperiis misceret. Nam qui hereditatis inter fratres herciscundæ arbiter esse renuit, suum tamen jus cuique servari vult à piis judicibus. Ad hæc, distinctè notat *Isaiæ* vaticinium, non ad omnes promiscuè spectare quam commendat in Christo mansuetudinem. Placida Christo mitísque suavitas tribuitur, quâ infirmos sustineat, non quâ robustam malitiam magis obduret. Mansuetus est Christus ut calamum quassatum non confringat: an ideo quoque ut eorum obstinationem foveat, qui debiles confringunt? Mansuetus est ut parcat ellychniis fumigantibus: an ideo ut tenebras non discutiat? Quin potius Sceptro ferreo armatur, quo inimicorum capita conterat. Scio equidem, ut non alio quàm verbi gladio maturè Christus, promptam illi esse vindictam in omnes impios: sed non dicemus

» dicemus alio quàm ejus Spiritu actum fuisse *Petrum*, cùm *Ananiam* & *Sapphiram* subita morte » percussit: nec *Paulum* dicemus fuisse Magistro » dissimilem, cùm *Elymam Magum* excitate ul- » tus est. Nec video quorsum pertineant potentiæ, » quas inter Spiritûs dona commemorat idem *Pau-* » *lus*, nisi ut ad incutiendum contemptoribus ter- » rorem vigeret Spiritûs severitas. Ergo verbi » Ministris licuit corporali pœna coërcere impios: » Principes quorum proprium est munus, gladio » tueri Sanctum Ordinem, in fidei dissipatione » cessabunt? Porro crudelis est ista quam laudant » clementia, oves exponere in prædam ut lupis pa- » scatur. Animas ipsi pravorum dogmatum veneno » intersiciunt, & legitima gladii potestas ab ipso- » rum corporibus arcebitur? Lacerabitur totum » Christi Corpus, ut putridi unius membri inta- » ctus maneat fœtor?

Act. 13.

Objiciebant verba Christi apud *S. Matthæum*, Cap. 13. *Ne fortè colligentes zizania, simul eradicetis & triticum, sinite utraque crescere usque ad* » *messem*. Respondet Calvinus. Si præcisè nobis » cum agunt ex verborum formula, non tantùm » prohibentur Magistratus ab usu gladii, sed om- » nem disciplinam è medio tolli oportet. Excom- C » municatio purgandæ Ecclesiæ optimum est re- » medium: atqui locum non habebit, si zizania » attingere fas non est. Adde quod non tantùm de » perversis dogmatibus illic Dominus agit, sed quas- » cumque corruptelas ad vitiandum bonum semen » spargit Satan, in genere designat. Facessant igi- » tur Leges & Judicia, si relinqui zizania oporter » usque ad messem: Atqui sanis lectoribus mini- » mè ambiguum est Christi consilium. Quemad- » modum enim alibi Ecclesiam areæ similem fa- » cit, in qua paleæ permixtum est triticum; & » sagenæ, in quam pariter boni & mali pisces ag- D » gregantur: ita nunc agro eam comparat, qui » lolium unà cum bona semente ferre & alere co- » gitur... Est quidem illud verum, simul ac cum » Evangelio suo prodit Christus; ventilabro paleas » à tritico discernere: sed hoc ita faciere incipit, » ut plena purgatio ad diem ultimum differatur, » quo segregabit agnos ab hœdis. Non igitur » quemlibet ngotem cessare Christus jubet, sed » toleranda mala esse admonet, quæ sine pernicie » corrigi nequeunt.

Certè si ad præsens argumentum adhibeatur laudata Christi Sententia, ex ea id unum sequitur, non esse evellenda zizania, cùm periculum subest, E ne simul cum eis eradicetur & triticum: non esse gladio finendos Hæreticos, cùm subest metus le- gitimus ne simul cum eis & Catholici permanant: cùm scilicet ita conjunctum & immixtum cum lolio triticum est, ita permixti cum Hæreticis Catholici, seu ita propagati Hæretici Catholicos inter, ut absque ipsorum periculo eradicari ex muni- di hujus agro non possint. At cùm nullum hujus- modi periculum subest, possunt gladio Principum coërceri, quia desinit ratio prohibitionis à Christo factæ: *Ne fortè simul eradicetis & triticum*. Atqui F interpretatio ista confirmatur gladii spiritualis exem- plo, qui tunc demum in flagitiosos distringendus est, qui zizaniorum etiam nomine significantur; cùm nulla est metuendi ratio; ne triticum simul evellatur, id est, ab Ecclesia separentur & ii qui ab ipsorum sceleribus alieni sunt. S. *Augustini* doctrina est lib. III. contra Epistolam *Parmeniani*, Cap. II. *In hac velut angustia quæstionis*, inquit, *non aliquid novum aut insolitum dicam, sed quod sanitas observat Ecclesia, ut cùm quisque fratrum, id est, Christianorum intus in Ecclesia societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum*

Christi Sententia de zizaniis ad messem usque non evellendis explicatur.

A *schismatis nullum est. atque id cum ea dilectione, de qua ipse alibi præcipit dicens*, Ut inimicum eum non existimetis, sed corripite ut fratrem. Non enim ibi est ad eradicandum, sed ad corrigendum. *Quod si se non agnoverit, neque pœnitendo correxerit, ipse foras exiet, & per propriam voluntatem ab Ecclesiæ unitate dirimetur. Nam & ipse Dominus cùm servis volentibus Zizania colligere, dixit*: Sinite utraque crescere usque ad messem: *præmisit causam, dicens*: Ne fortè cùm vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum. *Ubi satis ostendit, cùm metus iste non subest, sed omnino de frumentorum stabilitate certa securitas manet: id est, quando ita cujusque crimen notum est omnibus, & omnibus exe-* B *crabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ, in qua tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conservatio caritatis. Tunc autem hoc sine labe pacis & unitatis, & sine læsione frumentorum fieri potest, cùm congregationis Ecclesia multitudo ab eo crimine quod anathematizatur, aliena est. Tunc enim adjuvat Præpositum potius corripientem, quàm criminosum resistentem*. Et infra: *Misericorditer igitur corripiat homo quod potest; quod autem non potest, patienter ferat, & dilectione gemat atque lugeat, donec aut ille desuper emendet & corrigat, aut usque ad messem differat eradicare Zizania, & paleam ventilare; ut tamen securi de salute sua bona spei Christiani, inter desperatos quos corrigere non valent, in unitate versentur, auferant malum à se ipsis, id est, ut in ipsis non inveniatur quod in moribus aliorum displicet*. S. Hieronymus eo Christi oraculo significari ait; suspendendam esse Sententiam, cùm ambigua res est. *Si prohibetur eradicatio*, (inquit) *& usque ad messem tenenda est patientia, quomodo ejiciendi sunt quidam de medio nostrûm? Inter triticum & Zizania, quod nos appellamus lolium, quamdiu herba est, & nondum culmus venit ad spicam, grandis similitudo est, & in discernendo aut nulla aut perdifficilis distantia. Præmonet ergo Dominus ne ubi quid ambiguum est, citò sententiam proferamus, sed Deo Judici terminum reservemus, ut cùm dies Judicii advenerit, ille non suspicionem criminis, sed manifestum reatum de Sanctorum cœtu ejiciat.*

Objiciebant nonnulli verba *Gamalielis* Act. 5. suadentis ut quiescant Scribæ: Quia *Si ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur: si verò ex Deo est, non poterunt dissolvere*. Respondet Calvinus: *Gamalielem* ex vetis principiis malam « consequentiam ducere, nihil adhibendum esse « consilii, quia Deus quod suum est, tuebitur; « quod autem ab hominibus est, pessum ibit. At- « qui Dominus tametsi unicus sit agricola, mittit « tamen operarios in vineam suam: tametsi solus « det incrementum, vult tamen esse qui plantent « & rigent: tametsi templi sui sit architectus, mi- « nistros tamen & opifices sibi adjungit, qui in « hoc ædificium laborent. Denique tametsi defen- « sor sit optimum suorum & vindex, hominibus « tamen utitur ministris. «

1. *Timoth.* 5.

Objiciebant: Cùm jussus est *Petrus* gladium in vaginam recondere, Dominum satis clarè testatum esse, quàm sibi non placeat violenta & armata Evangelii defensio. Respondet *Calvinus*: Jus « stringendi gladii Christus Ministro suo non con- « cedit: temerè enim homo privatus cum artispice- « rat. Tumultuose tepelli non vult milites à qui- « bus vinciendus erat, nempe ne hanc infamiam « subiret, quasi alerct pro Evangelii Ministris si- « carios. Hinc colligi nulla ratio patitur, Prin- « cipum manus ligari, ne ordinarium munus suum « exerceant. In summa, *Petrum* grassari non id- « eo vetat, vel ut Magistratus exarmet, vel ut «

eos repellat à justa Evangelii propugnatione: sed quia illum ruere non vult præcipiti impetu extra vocationis suæ metas, nec motos suæ, quâ reconciliandi erant homines Deo, quicquam mutæ afferri.

Dilutis adversæ partis objectionibus, probat *Calvinus*, non modò liberum esse Magistratus pœnas sumere de cœlestis doctrinæ corruptoribus, sed quod illis nolunt licere imperiti, divinitus esse mandatum, ut pestiferis erroribus impunitatem dare nequeant, quin deficiscant ab officii sui fide. Ac primò quidem hoc dictare naturæ sensum, ut in omni Politia bene composita principium teneat Religio, & Legum præsidio integra servetur, testes sunt ipsi increduli. Legantur Philosophi quicumque hoc argumentum tractarunt. Certè incipiunt à divino cultu, & eo Religionis genere quod optimum esse putabant: ut secundùm eos barbarus sit & insipidus Legislator, cui pietatis erga Deos prima non est cura. Pudendum verò nobis erit, illos in tenebris vidisse, quod nos in luce fugiat... Quid absurdius est, cùm furta severè puniat Judex, sacrilegiis licentiam dare? Cùm suum cuique honorem salvum tueatur, lacerandam impiis exponere Dei gloriam? De perjuriis nemo litem movere audebit, quin graviter punienda sint. Cur hoc fatentur, qui Hæreticis exhibendam esse molestiam negant, nisi quia perjuriis læditur humana societas? Ergo Dei gloria hominum commodis implicita vindicabitur: ubi autem nemo de sua jactura queretur, inulta cum ludibrio jacebit? Supervacuum foret pluribus verbis hoc persequi. Nam cùm rectæ Politiæ finis est legitimi inter homines ordinis conservatio, neglectus autem pietatis ordinem hunc ita dissipet, ut extra ipsam bruta sit hominum vita, mutilam esse gubernationis formam constat, in qua negligitur Religio: & Magistratus nonnisi dimidios esse & umbratiles, qui forensibus tantùm negotiis intenti, de asserendo Dei cultu non cogitant. Hujus rei illustre nobis exemplum Spiritus Dei proponit in Nabuchodonozor. Nam ejus Edictum celebrat Daniel, quo capitalem pœnam denunciat, si quis in Deum Israël blasphemus fuerit. An Spiritus Sancti & Prophetæ elogio laudatur Nabuchodonosor qui veri Dei gloriam pro Imperio tuendam suscepit, ut ad impiam ejus profanationem conniveant Sancti Magistratus? Ac non potius eis Dominus sub profani Regis persona, quid ipsos agere deceat, præscribit? Et certè quid magis præposterum, quàm in Ecclesiæ sinu impunè foveri scelestas in Deum contumelias, quæ in Babylone pœna capitali sancitæ fuerant? Sed jam audiamus quid juris Dominus statuerit in sua Ecclesia. Postquam enim Prophetam & somniatorem, qui populum abducere tentaverit à recto pietatis cultu, jussit occidi, eamdem pœnam ad singulos extendit his verbis: *Si incitaverit te frater tuus filius matris tua, aut filius tuus, aut filia tua, aut uxor qua est in sinu tuo, aut proximus quem habes quasi animam tuam, secretò dicens, Eamus & serviamus Diis alienis, quos nec tu novisti, nec patres tui: Non acquiesces ei, nec audies eum, non parcet ei oculus tuus, nec ei propitius eris, ut occultes eum. Quin potius occidendo occides eum, & manus tua prima sit ut illum interficiat, deinde manus totius populi: Opprimes autem eum lapidibus donec moriatur.* Eant nunc & crudelitatis Deum accusent, quibus instar levis & venialis delicti est à pura fide & Dei cultu defectio. Non frustra humanos omnes affectus excutit, quibus molliri corda solent: Paternum amorem, quicquid est inter fratres, propinquos & amicos, benevolentiæ facessere jubet: Maritos revocat à thori blanditiis: Denique homines propemodum naturâ suâ exuit, ne quid obstaculi sanctum eorum zelum moretur. Cur tam implacabilis exigitur severitas, nisi ut sciamus non haberi suum Deo honorem, nisi quæ illi debetur pietas, humanis omnibus officiis præfertur: & quoties asserenda est ejus gloria, propemodum ex memoria nostra deleatur mutua inter nos humanitas? Adde quod eadem pœnæ paulò post integras urbes constringit: *Si audieris in una urbium tuarum, quas tibi Dominus ad habitandum dabit, egressos esse filios Belial è medio tui, & avertisse incolas urbis sua, dicendo: Eamus, & serviamus Diis alienis: quare solicitè, & diligenter rei veritate perspecta, si inveneris veram esse famam, statim percuties incolas urbis illius in ore gladii, & delebis eam, & quacumque in ea sunt usque ad pecora. Supellectilem ejus congregabis, [illegible] exuret, ut anathema sit.* Videant isti misericordes, quos tantopere impunita Hæreseon licentia delectat, quàm malè sibi conveniat cum Dei mandato. Ne Ecclesiam Dei immodicus rigor infamet, vellent in unius hominis gratiam impios errores impunè grassari: Deus autem ne totis quidem populis ignoscit: funditus deleri jubet urbes, & eorum aboleri memoriam, trophæa denique erigi in signum execrationis, ne totam terram occupet contagio, ac dissimulatio ipsa sceleris sit ac culpæ societas.

Deuteron. 13.

Ex his *Calvini* tam luculentis argumentis intelligant nostrates Hæretici quid mereantur: Mitioribus Christianissimi Regis Edictis excitati, in Catholicorum Doctorum disciplinam se tradant, & ad Matris Ecclesiæ gremium redeant absque morâ. Regiæ Mansuetudini gratias agant, quæ cùm eamdem in ipsos exercere severitatem jure posset, quâ in Albigenses eorum Patres ac Magistros est animadversum, ipsos non tam pœnis, quam subtractione quadam gratiarum, & incredibili clementiâ ad inquirendam excitat veritatem. Futile porrò est, quod à *Calvinus* defendit, in Sectæ suæ Professores gladium à Principibus & Magistratibus ob errores distringi non posse, in *Servetum* autem & Antitrinitarios potuisse. *Ita*, inquit, *tollitur offensio, qua multos imperitos fallit; dum metuunt ne hoc prætextu ad sæviendum armentur Papa carnifices. Nam si Dominus populo suo certam pietatis regulam ante patefecit, quàm pœnis subjiceret apostatas; quisnam mortalium sumere hoc sibi audebit, ut doctrina genus suo vel alterius arbitrio confictum, gladio & pœnis sanciat? Non vagâ & cæcâ potestate instruimus Magistratus, ut eorum præsidio, sine delectu recepta quævis Religio in statu suo maneat: sed tenendam esse contendimus legem divinitus præfixam, ut comperta veritati succedat demum pœnarum sanctio.* Cur enim pii Magistratus, quos Papæ carnifices insolentier ac impiè vocat petulans Hæresiarcha, Jure gladii Albigenses coërcere non potuerunt, & eorumdem errorum Patronos Calvinistas iisdem pœnis plectere non possent, sicut Genevensis Magistratus *Servetum* è medio sustulit, ne mortale venenum longiùs serperet? Enimvero non minùs ab Ecclesia universa damnata fuerunt ut hæretica Albigensium, & Calvinistarum dogmata, quàm *Serveti*, non minùs illorum quàm istorum defensores Hæretici judicati. Atqui Hæretici Jure gladii coërceri possunt, authore *Calvino*. Justè igitur Principes ac Magistratus Albigensium errores ac impietatem gladio ulti sunt; nec minùs justè pœnas de Lutheranis, Calvinistis, aliisque Hæreticis sumerent, si totâ, quæ sibi divinitus data est, Potestate uti vellent. Doctrinam quidem

Frustra contendit Calvinus, in Sectæ suæ Professores gladium à Principibus & Magistratibus ob errores distringi non posse, quemadmodum in Servetum & Antitrinitarios distringi potuit.

dem suam Dei verbo consentaneam esse *Calvinus* contendit : sed nunquid idem non obtendebat *Servetus* ? Nunquid *Sociniani*, secundùm verbum Dei se sentire ac credere non gloriantur ? Quis verò istarum controversiarum Judex ? Num ipsi qui pravæ doctrinæ ac hæreseos accusantur ? Num privatus ipsorum spiritus ? Si ita est, cum *Serveto* iniquè egit *Calvinus*. Num Ecclesia, à quâ hujusmodi Hæretici recesserunt, vel recedunt ? Sicut Arianorum dogmata Nicæna Synodus ut Hæretica damnavit, ipsósque ut Hæreticos execrata est ? Ita sanè. Albigenses igitur, & Lutheranos postea, Calvinistásque, cùm Ecclesia universa, cujus è gremio secesserunt, damnaverit ; nihil est quod adversùs Hæreseos infamiam illis ac sibi injustam excipiant. Ineptissimum enim esse quis non videat, asserere quòd *Calvinus* damnare *Servetum* hæreseos ac impietatis potuerit, *Lutherum* verò & *Calvinum* damnare non potuerit tota, cujus fidem violarunt, & impugnarunt, à cujus communione sacrilego schismate recesserunt, & tot homines in idem Schisma abduxerunt, Ecclesia. *Calvinum* jure potuisse *Servetum* hæreseos convictum, & insanabilem, seculari tradere Magistratui, cujus Sententiâ è medio tolleretur : Non potuisse Ecclesiam Albigenses Principum piorúmque Magistratuum potestati permittere, qui desperatos capite plecterent : eodémque Jure in Lutheranos, Calvinistas, aliósve Hæreticos uti non potuisse, aut iniquè facere Magistratus, qui ad Ecclesiæ nutum, iis in Regnis terrísque, ubi viget Inquisitio, ipsos capitali supplicio damnant. *Papæ Incendiarios* impius *Calvinus* appellet, subsque Martyrum nomine cohonestet : suis ipse verbis confundetur. *Trahetur* (inquit) *ad supplicium, qui figmentum esse contendit quicquid Sacris Oraculis proditum est. Quis tale monstrum honorifico Martyris titulo ausit ornare ? Nempe ut rectè idem Augustinus definit :* MARTYREM FACIT CAUSA, NON POENA. *Si non ille Martyr : cur severus Judex non censebitur, qui de eo pœnam sumit, potius quàm crudelis Persecutor ?* Hinc etiam refellitur malè feriatus ille nebulo, qui suppliciorum Calvinistis, aliisque Hæreticis eorum Antecessoribus, aut consœderatis Relationem, *Historiam Martyrum* inscribere ausus est. *Prius probent se non esse Hæreticos vel Schismaticos ; tum demum de indignis pœnis suis lividam emittant vocem : tum demum sese audeant, cum aliquid mali patiuntur, veritatis Martyres dicere. . . Non ergo quisquis in aliquâ Religionis quæstione fuerit ab Imperatore puniens, Martyr efficitur. Neque enim vident, qui talia sentiunt, in eum locum se pregredi, ut ipsos etiam dæmones Martyrum gloriam sibi vendicare posse contendant, quia istam patiuntur persecutionem per Imperatores Christianos, ut pene toto orbe terrarum eorum Templa evertantur, Idola comminuantur, Sacrificia subtrahantur ; qui eos honorant, si deprehensi fuerint, puniantur. Quod si dementissimum est dicere, non ergo ex passione certa justitia, sed ex justitia passio gloriosa est. Ideóque Dominus, ne quisquam in hac re nebulas offunderet imperitis, & in suorum damnatione meritorum, laudem quæreret Martyrum, non generaliter ait :* Beati qui persecutionem patiuntur : *Sed addidit magnam differentiam, quâ vera à sacrilegio pietas secernatur. Ait enim :* Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. *Nullo modo autem propter justitiam, qui Christi Ecclesiam diviserunt. . . Sed, inquiunt, Non hæc fecimus. Videant ergo ex hac quæstione se primitus liberari debere ; & tunc audere, si quid molestiarum sive pœnarum à Christianis Imperatoribus patiuntur, vel deponere in querimoniam, aut assumere in gloriam.* Verba sunt *S. Augustini* lib. I. contra Epistolam *Parmeniani*, Cap. XIX.

Theodorus Beza Librum *De Hæreticis à Civili Magistratu puniendis* edidit, quo non solùm propugnat Hæreticos à Civili Magistratu capitali supplicio plecti posse, sed hujus sententiæ suffragatores citat, *Lutherum* in Postillis minoribus, Dominica post Epiphaniam V. *Melanchthonem* lib. De officio Principis ; *Urbanum Reginum* ; Saxonicas (ut vocat) Ecclesias, in Confessione quam Tridentino Concilio obtulerunt ; *Brentium* in libello De Republica bene administranda ; *Bucerum*, Enarratione in Cap. XII. S. Matthæi ; *Capitonem*, lib. De jure Magistratus in Religionem ; *Bullingerum*, Decadis II. Sermone VII. & VIII. *Musculum*, Commentario in Psalmum LI. & *Calvinum* in libro quem de hoc argumento scripsit.

Theodorus Beza Hæreticos à Civili Magistratu capitali supplicio plecti posse propugnat.

XI. Objiciet quispiam *Tertulliani* verba libro ad *Scapulam* dicentis : *Sed nec Religionis est cogere Religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi : cum & hostiæ ab animo libenti expostulentur.*

At nimis probat ille *Septimii* locus. Non solùm enim Hæreticis, sed etiam Idololatris effrænem licentiam ac impunitatem concedendam ; & iniquè Christianos Imperatores adversùs Idololatras Leges constituisse sequeretur. Huic *Tertulliani* loco alterum opponerem, initio Scorpiaces : *Ad officium* (inquit) *Hæreticos compelli, non illici dignum est. Duritia vincenda est, non suadenda* : Nisi alium esse istius loci sensum intelligerem, quàm qui vulgò ipsi affingitur, & *Tertullianum* id unum velle, Hæreticos vi Scripturarum & auctoritatis divinæ subigendos, non subtilibus humani ingenii rationibus illiciendos. *Sed nondum*, inquit, *de bono Martyrii, nisi debito primùm ; nec ante de utilitate ejus, quàm de necessitate discendum. Auctoritas divina præcedit, an tale quid voluerit atque mandaverit Deus, ut qui negant bonum, non suadeantur accommodum, nisi cùm subacti fuerint. Ad officium Hæreticos compelli, non inlici dignum est. Duritia vincenda est, non suadenda. Et utique satis optimum præjudicabitur, quod probabitur à Deo constitutum atque præceptum.* Sed demus non esse cogendam Religionem cùm primùm prædicatur, nec vim illis inferendam, qui nusquam eam susceperunt, Ethnicis nimirum atque Judæis, ut Christianis Sacris initientur : Hæretici tamen, qui à Fide Catholica & ab Ecclesia defecerunt, Legum terrore, pœnísque corporalibus compelli possunt ut ad eam redeant. Nam sicut vovere est voluntatis, reddere autem necessitatis : ita accipere fidem est voluntatis ; sed tenere eam acceptam est necessitatis, ut scitè ait *S. Thomas*. *Et cur non cogeret Ecclesia perditos filios ut redirent, si perditi filii coëgerunt alios ut perirent ? . . . Annon pertinet ad diligentiam Pastoralem, etiam illas oves, quæ non violenter erepta, sed blandè leniterque seducta à grege aberraverint, & ab alienis cœperint possideri, inventas ad ovile dominicum, si resistere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus revocare : præsertim quoniam si apud fugitivos & prædones servos fœcunditate multiplicentur, plus habet juris quòd in eis dominicus character agnoscitur, qui in iis quos suscipimus, nec tamen rebaptizamus, minimè violatur ? . . . Imitatur itaque Ecclesia in istis cogendis Dominum suum, qui priùs ut neminem cogeret, expectavit ut de fide Regum atque gentium prædicatio prophetica compleretur. Etiam hinc enim non absurdè intelligitur illa Apostolica sententia, ubi Paulus Beatus dicit :* [a] Parati ulcisci omnem inobedientiam, cùm completa fuerit prior obedientia vestra. *Unde & ipse Dominus ad magnam Cœnam suam priùs adduci jubet convivas, postea cogi. Nam cùm ei servi sui respondissent :* Domine, fa-« ctum est quod jussisti, & adhuc est locus : Exite, «

[a] 2. Corinth. 10.

 inquit,

inquit in vias & sepes, & quoscumque inveneritis, cogite intrare. *In illis ergo qui leniter primò adducti sunt, completa est prior obedientia. In iis autem qui coguntur, inobedientia coërcetur. Nam quid est,* Cogite intrare, *cùm primò dictum esset*, Adducite: *& responsum esset*, Factum est quod jussisti; & adhuc est locus? *Si miraculorum terroribus cogendos voluisset intelligi, magis ad eos qui priùs vocati sunt, divina miracula multa facta sunt, maximè ad Judæos, de quibus dictum est:* Judæi signa petunt. *In ipsis quoque Gentilibus talia temporibus Apostolorum miracula Evangelium commendaverunt, ut si talibus cogi juberentur, priore potius convivio coacti esse meritò crederentur. Quapropter si potestate quam per Religionem ac fidem Regum, tempore quo debuit, divino munere accepit Ecclesia, hi qui inveniuntur in viis & sepibus, id est, in hæresibus & schismatibus, coguntur intrare, non quia coguntur reprehendant, sed quò cogantur, attendant. Convivium Domini, unitas est Corporis Christi, non solùm in Sacramento Altaris, sed etiam in vinculo pacis.* Hæc S. *Augustinus*.

XII. Objicies *S. Martini* factum, qui apud Treviros constitutus, non desinebat increpare *Ithacium*, ut ab accusatione Priscillianistarum cessaret; *Maximum* orare ut sanguine infœlicium abstineret. Satis superque sufficere, ut Episcopali Sententiâ Hæretici judicati, Ecclesiis pellerentur. Et quoad usque *Martinus* Treviris fuit, dilata cognitio est: & mox discessurus, egregia auctoritate à *Maximo* elicuit sponsionem, nihil cruentum in reos constituendum. Cùm verò Imperator *Priscillianum* postea capitis damnasset, *S. Martinus* ab *Ithacii*, aliorúmque Episcoporum communione abstinuit. Ita refert *Severus Sulpitius* lib. II. Historiæ Sacræ, & Dialogo III. Non probavit itaque *S. Martinus* quòd Hæretici capite plecterentur.

Respondetur, *S. Martinum* apud *Maximum* Imperatorem intercessisse ne Priscillianistæ capite plecterentur, & *Ithacii*, Collegarúmque ejus vitasse communionem, non quòd illicitum existimaret esse & iniquum, Hæreticos extremo supplicio afficere, sed aliam ob causam, eámque duplicem. Prima erat, quia absque accurato examine, & absque delectu, optimi quique Christiani, quorum in moribus gravitas quædam ac severior modestia extertiùs elucebat, velut Hæretici ad Judices deferebantur. Secunda, quia *Ithacii* & aliorum Antistitum accusatione morti addicti fuerant *Priscillianus*, aliique Hæretici, quod ab Episcopali mansuetudine alienum est, & Sacris Canonibus prohibitum: Quamvis nec *S. Martinus* hanc Principibus & Magistratibus Catholicis convenire negaverit potestatem, ut Hæreticos & impios gladio coërceant; nec prohibuerit Ecclesia ne officio suo in tuenda Religione fungerentur. Hanc Responsionem ex *Severo Sulpitio*, lib. II. Historiæ Sacræ eruimus. *Priscillianus verò*, inquit, *ne ab Episcopis audiretur, ad Principem provocavit, permissúmque id nostrorum inconstantiâ: quia aut sententiam in refragantem ferre debuerant, aut si hi ipsi suspecti habebantur, aliis Episcopis audientiam reservare, non causam Imperatori de tam manifestis criminibus permittere. Ita omnes, quos causa involverat, ad Regem deducti. Secuti etiam accusatores, Idacius & Ithacius Episcopi: quorum studium in expugnandis Hæreticis non reprehenderem, si non studio vincendi, plus quam oportuit, certassent. Ac mea quidem sententia est, mihi tam reos, quàm accusatores displicere. Certè Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse definio. Fuit enim audax, loquax, impudens, sumptuosus, ventri & gulæ plurimum impertiens. Hic stultitia eo usque processerat, ut omnes etiam Sanctos Viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare jejuniis, tanquam Priscilliani socios aut discipulos in crimen arcesseret. Ausus etiam miser est ea tempestate Martino Episcopo, viro plano Apostolis conferendo, palam objectare hæresis infamiam.* Et infra, postquam retulit *Priscilliani* & aliorum Hæreticorum damnationem à *Maximo* decretam: *Hoc ferè modo*, inquit, *homines luce indignissimi, pessimo exemplo necati, aut exiliis mulctati.*

XIII. *S. Bernardi* verba Sermone LXVI. in *Cantica*, frustra contra sententiam nostram detorquentur. De quibusdam sui temporis Hæreticis ait: *Quæsiti quidem, cùm de quibus suspecti videbantur jam negare non possent, impietatem professi sunt, palam pietatem asserentes, & pro ea mortem subire parati: Nec minus parati inferre qui adstabant. Itaque irruens in eos populus novos Hæreticis sua perfidia Martyres dedit. Approbamus zelum, sed non suademus factum, quia Fides suadenda est, non imponenda.* Frustra (inquam) hæc objiciuntur, cùm privatâ duntaxat auctoritate, & populari seditione è medio tolli Hæreticos vetent, non verò Principum & Magistratuum gladio coërceri. Unde continenter subdit: *Quamquam meliùs procul-dubio gladio coërcerentur, illius videlicet qui non sine causa gladium portat, quàm in suum errorem multos trajicere permittantur. Dei enim Minister ille est, vindex in iram ei qui malè agit.* Quod de illis est intelligendum, quorum desperata est conversio, ut ex eodem loco constat. *Quantum ad istos* (inquit) *nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt; nec auctoritatibus corriguntur, quia non recipiunt: nec flectuntur suasionibus, quia subversi sunt. Probatum est, mori magis eligunt, quàm converti. Eorum finis interitus, horum novissima incendium manet. Horum siquidem in facto Samson ex succensis vulpium caudis figura præcessit.*

Ex his patet quàm meritò Sacra Facultas Parisiensis inter *Lutheri* Articulos hunc etiam: *Hæreticos comburi, est contra voluntatem Spiritus*: confixerit his verbis: *Hæc Propositio est falsa, contra voluntatem Spiritus Divini asserta, & errori Catharorum & VValdensium consona.*

Lutheri propositio à Sacra Facultate Parisiensi damnata.

XIV. Quamquam verò justè gladio coërceantur Hæretici à Catholicis Principibus & Magistratibus, laudanda est Principum clementia, qui citra pœnam capitis in ipsos animadverterunt, vel ut eis relinqueretur pœnitentiæ tempus, vel ne ex eorum suppliciis gravius in Republica malum oriretur. Ita solam exilii pœnam adversùs Arianos *Constantinus* decrevit. Sic Hæreticos omnibus Privilegiis Religionis intuitu concessis privari, & variis oneribus subjici, *Constantinus*, *Constantius* & *Constans* Impp. edixerunt Lege latâ, cujus hæc sunt verba: *Privilegia quæ contemplatione Religionis indulta sunt, Catholicæ tantum Legis observatoribus prodesse oportet. Hæreticos non solùm ab his Privilegiis alienos esse volumus, sed etiam diversis muneribus constringi & subjici.* Honorius & Theodosius Augusti Manichæos & Donatistas bonorum proscriptione, condendi testamenti facultate, adeundæ jure hereditatis, omnium contractuum civilium privilegiis & commodis privari sanxerunt, L. *Manichæos*, cujus hæc sunt verba: *Manichæos seu Manichæas vel Donatistas, meritissimâ severitate persequimur. Huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune sit cum cæteris. Ac primùm quidem volumus esse publicum crimen: quia quod in Religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam: quos bonorum etiam omnium publicatione persequimur. Ipsos quoque volumus amoveri ab omni liberalitate & successione quolibet titulo veniente. Præterea non donandi, non emendi,*

Laudanda Principum clementia, qui citra pœnam capitis in Hæreticos animadverterunt.

emendi, non vendendi, non postremò contrahendi, cuiquam convicto relinquimus facultatem. In mortem quoque Inquisitio extendatur: Nam si in criminibus Majestatis memoriam licet accusare defuncti, non immerito & hic debet subire tale judicium. Ergo & suprema illius Scriptura irrita sit: sive Testamento, sive Codicillo, sive Epistolà, sive quolibet alio genere reliquerit voluntatem, qui Manichæus fuisse convincitur. Sed nec filios hæredes eis existere, aut adire permittimus, nisi à paterna pravitate discesserint. Theodosius & Valentinianus Impp. *Publicatione bonorum* coërcent *Nestorii* Sectatores & *Nestorianos* ad infamiam appellari, sicut olim Ariani *Constantini* Lege *Porphyriani* sunt appellati: omni insuper conventuum celebrandorum licentiâ privari voluerunt. *Theodosius & Marcianus* Eutychianistas *ad aliquam aspirare Militiam* prohibent L. *Quicunque*. Et si invenit *fuerint militari cingulo soluti, honestorum hominum & Palatii communione priventur*, & natali solo, atque *Sacratissimo Comitatu*, idest, Aula & familiaritate Imperatoris, & *omni per Provincias Metropolitana civitate pellantur*. Justinianus Hæreticos *ab hereditate, legato, vel fidei-commisso accipiendis* prohibuit, L. *Divinum*. Tit. *De Hæreticis*. Donatistas mulctis pecuniariis, & eorum Episcopos vel Ministros exilio plecti magis probavit *S. Augustinus*, quàm supplicio capitali, ut Christiana mansuetudo etiam circa indignos servaretur. *Jam enim Lex fuerat promulgata* (inquit Epistola CLXXXV. aliàs L. ad *Bonifacium* Comitem) *ac tanta immanitatis Hæresis Donatistarum, cui crudelius parci videbatur quàm ipsa sæviebat, non tantùm violenta esse, sed omnino esse non sineretur impunè: non tamen supplicio capitali propter servandam etiam circa indignos mansuetudinem Christianam, sed pecuniariis damnis propositis, & in Episcopos vel Ministros eorum exilio constituto.* Et Epistola C. aliàs CXXVII. ad *Donatum* Africæ Proconsulem, de coërcendis Donatistis scribens: *Corrigi* (inquit) *eos cupimus, non necari; nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec suppliciis, quibus digni sunt, exerceri. Sic igitur eorum peccata compesce, ut sint quos pœniteat peccasse. Quæsumus igitur ut cum Ecclesiæ causas audis, quamlibet nefariis injuriis appetitam vel afflictam esse cognoveris, potestatem occidendi te habere obliviscaris, & petitionem nostram non obliviscaris.* Rogat etiam ut Donatistas vel ad suum, vel ad minorum Judicum tribunal, manifestissimis documentis convinci atque instrui curet. *Onerosior est quippe quàm utilior diligentia, quamvis magnum deferatur malum, & magnum teneatur bonum, cogi tantùm homines, non doceri.* Et Epistola CXXXIII. aliàs CLIX. *Marcellinum* Tribunum rogat ut Circumcelliones & Clericos Donatistas, homicidii duorum Presbyterorum convictos, puniat citra supplicium capitis. *Nolumus* (inquit) *passiones servorum Dei, quasi vice talionis, paribus suppliciis vindicari. Non quo scelestis hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri, sed hoc magis sufficere volumus, ut vivi & nulla corporis parte truncati, vel ab inquietudine insanâ ad sanitatis otium Legum coercitione dirigantur, vel à malignis operibus alicui utili operi deputentur. Vocatur quidem & ista damnatio: sed quis non intelligat magis beneficium quàm supplicium nuncupandum, ubi nec sæviendi relaxatur audacia, nec pœnitendi medicina subtrahitur? Imple, Christiane Judex, pii Patris officium, sic succense iniquitati, ut consulere humanitati memineris. Nec in peccatorum atrocitatibus exerceas ulciscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem.... Passiones Catholicorum servorum Dei, quæ infirmis ad ædificationem spiritualem utiles esse debeat, haud reciproca inimicorum à quibus passi sunt pœna decoloretis, sed potius refractâ judiciariâ severitate, & vestram fidem, quia filii estis Ecclesiæ, & ipsius Matris mansuetudinem commendare minimè negligatis.* Et Epistola CXXXIV. aliàs CLX. ad *Apringium* Judicem: *De vobis quidem dixisse Apostolum legimus, Quod non sine causa gladium geratis, & Ministri Dei sitis, vindices in eos qui malè agunt. Sed alia causa est Provinciæ, alia Ecclesiæ. Illius terribiliter gerenda est administratio, hujus clementer commendanda est mansuetudo.* Et infra: *Si ergo nihil aliud constitueretur frænanda malitia perditorum, extrema fortasse necessitas ut tales occiderentur urgeret: quamquam quod ad nos attinet, si nihil mitius eis fieri posset, mallemus eos liberos relaxari, quàm passiones fratrum nostrorum fuso eorum sanguine vindicari. Nunc verò quoniam aliquid fieri potest, quo & mitis commendetur Ecclesia, & immitium cohibeatur audacia, cur non flectas in partem providentiorem leniorémque sententiam, quod licet Judicibus facere etiam non in causis Ecclesiæ? Time ergo nobiscum judicium Dei Patris, & commenda mansuetudinem Matris. Cùm enim tu facis, Ecclesia facit, propter quam facis, & cujus filius facis. Contende ergo bonitate cum malis.* Ex quibus patet, Catholicos Principes, qui severitatem in Hæreticos clementiâ temperant, laude maximâ dignos esse, ut qui mansuetudinem Ecclesiæ imitentur: & hoc nomine Christianissimi Regis LUDOVICI MAGNI in Calvinistas Edicta Sanctissima immortaliter esse commendanda: in quibus & Catholicæ Fidei studium incredibile, & divina quædam in Segreges clementia elucescunt; quos excitare ad inquirendam veritatem Majestatis ejus Pietas satis habet. Quamobrem iniquè ac seditiosè de Regis Edictis quererentur, quibus non coguntur, sed moventur ut ex errorum veterno emergant. Quamquam etsi severioribus Legibus coërcerentur, nulla ipsis esset de Religiosissimo & Æquissimo Principe, aut ejus Ministris conquerendi ratio.

Ludovici Magni Regis elogium.

SCHOLION I.

Ad hunc Articulum, pag. 356. & seq. Edit. primæ Religiosi Censores hanc notam apposuerunt: *Plura Calvini refert de verbo ad verbum.*

R. Quæ ex *Calvino* refero, Hæretica non sunt, immò probant Hæreticos jure gladii coërceri posse, capitisque pœnâ plecti hæresum authores ac pertinaces defensores. Adeoque sanctæ Inquisitionis Officium vindicant ipsorum inimicorum rationibus ac verbis. Sed etsi hæretica essent quæ ex *Calvino* refero, id mihi vitio vertere non debuissent Religiosi Censores, cùm & Historiæ gratiâ, & refellendarum hæresum necessitate, Hæreticorum verba referre liceat. Nonne, Celsi verba describit Origenes? Arii S. Athanasius, Eunomii S. Basilius & S. Gregorius Nyssenus? Fausti Manichæi, Pelagii, Cœlestii, & Juliani Pelagianorum, Parmeniani, Petiliani, & Cresconii Donatistarum S. Augustinus? Eutychianorum Theodoretus? Omnis generis Hæreticorum S. Epiphanius? Nonne in Actis Conciliorum quaterniones integri hæreticorum leguntur? Nestorii in Ephesino, Eutychetis in Chalcedonensi, Monothelitorum Sergii Cyri, Pyrrhi in sexta Synodo œcumenica, Iconomachorum in Septima? In *Bellarmino* Cardinali, & aliis controversiarum Tractatoribus nemo reprehendit, quòd plurima ex Luthero, Calvino, Zuinglio, Oecolampadio, Melancthone, Beza, Illyrico, Kemnitio, Petro Martyre, Bucero, aliisque hæreticis de verbo ad verbum referant; vel ut innotescant illorum errores, vel ut refellantur, vel ut ex ipsis ruet arma contra ipsos, aliosve hæreticos, pro Catholicæ veritatis defensione eruantur. Non alia ratione verba Calvini, vel aliorum hæreticorum refero.

SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum, pag. 380. Edit. primæ, hanc notam apposuerunt Religiosi Censores: *Ab his verbis*, Ex quibus patet Catholicos Principes, *usque ad finem Articuli, delendum.*

R. Justas laudes *Ludovici Magni* Regis Christianissimi expungi non jubet sacra Congregatio, non Summus Pontifex, sed duo Religiosi Censores. Hæc non deleri jussissent, sed in'æs pos [illegible] ndi permisissent Pontifex Optimus Maximus, Cardinales æquissimi, sacri Palatii Magister doctissimus Sancti Officii Reverendissimus Commissarius Generalis, aliique Theologi Romanæ Curiæ nullis præjudiciis occupati: *ex quibus patet (inquam) Catholicos Principes, qui severitatem in Hæreticos clementiâ temperant, laude maxima dignos esse, ne quæ in vastitudinem Ecclesiæ inserentur. & hoc nomine Christianissimi Regis Ludovici Magni in Calvinistas Edicta sanctissima immortaliter esse commendanda: in quibus & Catholica fidei studium incredibile, & divina quadam in segreges clementia elucescunt, quos excitare ad inquirendam veritatem Majestatis ejus pietas satis habet. Quamobrem itaque ac seditiosè de Regiis Edictis queruntur, quibus non coguntur, sed moventur ut ex errorum veterno emergant. Quanquam etsi severioribus Legibus constringerentur, nulla ipsis esset de Religiosissimo & Æquissimo Principe, aut ejus Ministris conquerendi ratio.* Quid in hac Magni Regis laudatione opportunè interjectâ, imò è re natâ, veritati aut justitiæ contrarium? Quid proinde reprehensione dignum est?

ARTICULUS II.

Utrum Bellum adversus Albigenses Hæreticos justum fuerit?

I. AFfirmatè respondeo. Tres enimvero conditiones ad justum bellum necessariæ vulgò à Theologis assignantur, scilicet auctoritas legitima in eo qui bellum gerit, æquitas causæ ob quam suscipitur; & consilii sive intentionis rectitudo. De prima conditione *S. Augustinus*, libro XXII. contra *Faustum*, Cap. LXXV. scribit: *Interest quibus causis, quibusque Autoribus homines gerenda bella suscipiant: ordo tamen ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli autoritas atque consilium penes Principem sit: exequendi autem jussa bellica ministerium Milites debeant paci salutique communi.* De altera conditione scribit idem S. Doctor Quæstione X. in Josue: *Justa bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est.* Porro bellum adversùs Albigenses legitima fuit auctoritate indictum. Illud enim suscepit Rex Christianissimus *Philippus Augustus*, cujus Regno Jure feudi Tolosanus Comitatus subditus erat, & ut Catholicæ Fidei Ecclesiæque defensor, Summo Pontifice *Innocentio III.* rogante; ut docet *Guillelmus Brito* coævus Historicus libro VIII. *Philippidos*, pag. 191. ubi de *Raymundo* Comite, & Albigensis belli initiis ita canit:

— — — — Quot annus
Fertur habere dies, tot villas ille celebris
Nominis & fama Francorum à Rege tenebat,
Cui subjectus erat feodaliter, inque secundo
Per vinclum carnale gradu conjunctus eidem.
Sed postquam Ecclesiæ cœpit contrarius esse,
Catholicæ fidei defensans improbus hostes,
Hæresiarcharum fautor, populique fidelis
Nequaquam & Cleri metuens inimicus haberi:
Nec consanguineum sibi Rex, nec habere fidelem
Dignatus, cœpit contra illum bella movere.
Utque illi liceat punire licentiùs illum:
Quamvis sciret idem proprio de jure licere,
Impetrare studet à Summo Præsule sacra
Scripta, quibus pariat indulta remissio cunctis
Spem veniæ, contra Hæreticos qui bella moverent,
Per quos temnebat Christi Provincia Legem,
Et se pestiferi fœdabat peste veneni.
Dehinc quia nec Papa monitis, nec Regis amico
Consilio Comes ille ferus parere volebat,
Ut saltem reprobos cuivis exponeret hosti,
Aut saltem puniret eos ut Jura jubebant:
Immo tuetur eos, & eorum prava per ipsum
Secta viget, dum non prohibendo fit auctor eorum:
Rex & Papa simul exponunt omnibus illum,
Et res & Patriam totam quæ spectat ad illum:
Ut qui prævaleat armis & viribus illi
Tollere quid, proprios licitè convertat in usus,
Et Dominus fiat rerum quas auferet illi.
Rex igitur primus zeli fervore superni
Corde pio motus, ter millia quinque virorum
Ad proprios sumptus instructos rebus & armis,
Dans exemplum aliis, in Christi prælia misit.
Ac reliqui Proceres, Equites, Comitésque, Ducésque,
Prælati Ecclesiæ, necnon & nobile vulgus,
Omnes penè viri gladios qui ferre valebant,
Spe ducti veniæ, Christi sua pectora signo
Consignant, ut quod calet intus, prodeat extra,
Illásque in partes iter aggrediuntur iturî.

II. Idem confirmatur testimonio *Petri* Monachi *Vallium Cernaii* Cap. X. Historiæ Albigensis, ubi narrat, M. *Milonem* Sedis Apostolicæ Legatum, cum Abbate Cisterciensi ad *Philippum Franciæ* Regem accessisse, *Qui apud Novam Villam in territorio Senonico, cum pluribus de Baronibus suis solemne Colloquium celebrabat. Dominus autem Papa mittebat Regi Literas speciales, monens & deprecans ut per se ipsum, saltem per filium suum Ludovicum periclitanti in Narbonensi Provincia Ecclesiæ auxilium impenderet opportunum. Rex autem Nuntio Domini Papæ tale dedit responsum. Quod duos magnos & graves habebat à lateribus leones, Othonem qui dicebatur Imperator, & Regem Angliæ Joannem, qui hinc & inde ad turbationem Regni Franciæ totis viribus laborabant. Ideóque nec ipse à Francia ullo modo exire vellet, nec filium mittere, immo satis ei videbatur ad præsens, si Barones suos ire permitteret, ad perturbandum in Narbonensi Provincia pacis & fidei perturbatores. Summus autem Pontifex, ut ad extirpandam pestem hæreticam, fideles populos efficeret promptiores, generales miserat Literas, ad omnes Prælatos, Comites, & Barones, & universum populum in Regno Franciæ constitutum, monens efficaciter & exhortans, ut festinarent ad vindicandam in Narbonensi Provincia injuriam Crucifixi, scientes remissionem omnium peccaminum à Deo, ejúsque Vicario universis indultam, qui orthodoxæ fidei zelo succensi, ad opus se accingerent hujus pietatis, dummodo contriti essent pariter & confessi. Quid plura? Publicatur ista Indulgentia in Francia, armat se multitudo magna Fidelium signo Crucis.*

Anno MCCXII. Regis Christianissimi filius *Ludovicus* sumptâ Crucis tesserâ, adversùs Hæreticos Albigenses progredi decrevit. Rex Aragonum misit Oratores, qui sacræ Expeditionis Gallicum apparatum dissiparent. *Rex Franciæ qui convocaverat Barones suos Parisiis, ordinavit de peregrinatione filii, & aliorum qui Cruce-signati erant, & motionis diem præfixit, in Octava videlicet Dominicæ Resurrectionis.* Ita refert *Petrus de Valle Cernaii*, Cap. LXVIII. Regis Christianissimi auctoritate bellum istud susceptum esse, docet etiam *Guillelmus de Podio Laurentii*, Cap. X. *Cùm jam* (inquit) *Hæresis excrevisset, Magnatibus terræ consentientibus, quòd non tam studiosos in se posset accendere, quàm armatam manum Militiæ exercere, destinatur in Franciam, quæ semper consuevit gerere bella dominica, ad Regem & Barones. Et Plebani viri idonei Indulgentiam autoritate Apostolica prædicare cœperunt contra Hæreticos, quæ*

concedi

mundi transfretantibus in Terræ Sanctæ subsidium consuevit.

III. Jam verò si causas belli spectemus, æquissimas fuisse quis negaverit? De injuria Deo illatâ agebatur, quam ulcisci justissimum erat. Hoc enim casu bellum esse justissimum, Deus ipse in Deuteronomio autor est, Cap. XIII. *Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: Egressi sunt filii Belial de medio tui, & averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt: Eamus, & serviamus Diis alienis quos ignoratis: quære sollicitè & diligenter, rei veritate perspectâ, si inveneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii; & delebis eam ac omnia quæ in illa sunt, usque ad pecora.* Sanè si injuria illata Principi belli justa causa est, cùm ille dignam satisfactionem renuit exhibere: sicut *David* Rex bellum justè movit adversùs *Hanon* Regem Ammonitarum, quòd servos ejus indignè excepisset rasâ dimidiâ parte barbæ, & vestibus ad fæmora usque præcisis, ut habetur II. Regum, Cap. X. Multò magis bellum justum est, quo injurias Deo illatas Christiani Principes ulciscuntur. At Hæretici publicam Deo injuriam irrogant, quod de Albigensibus præ aliis compertum fuit. Comes Tolosanus injuriam tam atrocem compensare, ipsos compescendo, & puniendo neglexit, contempsitque; imò favit manifestè Perduellibus in Deum & Ecclesiam; incredibilem impietatem in Sacratiora Catholicæ Religionis Mysteria, in Sacros Mystas crudelitatem inauditam exercentibus, ut constat ex Albigensium Historiâ coævis ab Authoribus conscriptâ. Bellum itaque adversùs Albigenses justissimum fuit, si merita causæ spectentur.

IV. Si verò consideretur quâ intentione gestum sit; quæ intentio sanctior quàm Hæreticorum emendatio, punitio rebellium, Religionis Ecclesiæque defensio? Tandem illius belli æquitatem Deus pro Catholicis pugnans frequentibus miraculis comprobavit. Miraculo partam celebrem illam ad Murellum victoriam compertum est, in qua viginti duo millia hostium fusa, octo duntaxat ex Catholico exercitu Milites cecidere, ut *Willelmus Brito* lib. VIII. *Philippidos*, & Authores Albigensis Historiæ testantur.

Inque die virtus Francorum claruit illo
Tanta, quòd adjunctis ter millia quina duobus
Millibus ad Stygiam lux miseris una Paludem,
Dextrâque texit eos tantò divina favore,
Quòd tantùm exciderent ex agmine Francigenarum,
Octo Peregrini, quos reperit Hostis inermes.

Confirmatur Justitia belli adversùs Albigenses suscepti ex paritate rationis. Bellum namque contra Donatistas legitimum fuit, ad illudque *Gennadium* Patritium & Exarchum Africæ adhortatus est *S. Gregorius Magnus*: Igitur pari ratione bellum adversùs Albigenses susceptum justum fuit; ad illudque gerendum meritò adhortatus est *Philippum Augustum* Regem Christianissimum, ac *Monfortium* Comitem, *Innocentius III.* Verba *S. Gregorii* subjicio, lib. I. Registri Epistola LXXII. *Sicut Excellentiam vestram hostilibus bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere; ita oportet etiam inimicis Ecclesiæ ejus omni vivacitate mentis & corporis obviare: quatenus ejus ex utraque triumpho magis ac magis enitescat opinio: cùm & forensibus bellis adversariis Catholicæ Ecclesiæ pro Christiano populo vehementer obsistitis, & Ecclesiastica prælia sicut bellatores Domini fortiter dimicatis. Notum est enim Hæreticæ Religionis viros, si eis, quod absit, suppetit nocendi licentia, contra Catholicam Fidem vehementer insurgere quatenus hæreseos suæ venena ad tabefacienda si valuerint, Christiani corporis membra transfundant. Cognovimus enim eos contra Ecclesiam Catholicam, Domino eis adversante, colla subrigere & Fidem velle Christiani nominis inclinare. Sed Eminentia vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum cervices jugo rectitudinis premat.* Et infra: *Dominum petimus, quod brachium vestrum ad comprimendos hostes fortè efficiat, & mentem vestram Zelo fidei velut mucronem gladii vibrantis exacuat.*

V. Bellum Albigense, inquit aliquis, eo consilio susceptum est ut Comes Tolosanus ditionibus suis exueretur, atque Hæretici vel eorum fautores suis spoliarentur bonis. Quis verò bellum ex cupiditate susceptum justum duxerit?

Respondeo, id citra calumniam dici non posse. Constat enim ex *Philippo Britone* supra laudato, & ex Authoribus Albigensis Historiæ, illatum fuisse *Raymundo* Tolosano Comiti bellum, ut ad comprimendos Hæreticos adigeretur, terrásque suas ab Albigensis Hæreseos peste purgaret. Id primùm recusavit, imò ipsis impensissimè favit, nec fœdus adversùs fidei & Ecclesiæ hostes jurare voluit, hostis ipse infensissimus, donec ad id præstandum Censuris Ecclesiasticis à *B. Petro de Castronovo* Legato Apostolico; & armis à Provinciæ Nobilibus compulsus est. Juramentum verò non semel violavit perfidus. Audire juvat *Petrum de Valle Cernaii*, Cap. III. Historiæ Albigensis; *F. Petrus de Castronovo ivit in Provinciam, & laboravit ut componeret Nobiles Provinciæ, hac autem intentione, ut auxilio eorum qui pacem juraverant, posset Hæreticos de Narbonensi Provincia extirpare. Sed Comes Tolosanus Raymundus, inimicus pacis, noluit acquiescere dictæ paci, donec tam per guerras quas movebant ei Nobiles Provinciæ, mediante industriâ Viri Dei; quàm per excommunicationem ab eodem in ipsum Comitem promulgatam, jurare compulsus est pacem illam. Sed qui fidem negaverat, & infideli deterior, nunquam deferens juramento, juravit, pluries pejeravit. Quem Vir Sanctissimus F. Petrus magna animi virtute corripuit, Tyrannum intrepidus aggrediens, eique in facie resistens, quia reprehensibilis, immo damnabilis erat valde, confundebatque eum vir magna constantia, vir conscientia illibata, adeò ut exprobraret ei quòd erat per omnia perjurus, & verè sic erat.*

Cap. IV. idem Author de Raymundi Comitis Tolosani in Hæresim & Hæreticos propensione multa tradit. *Quasi à primis cunabulis* (inquit) *semper Hæreticos dilexit & fovit, eos in terra sua habens, quibuscumque modis potuit, honoravit. Usque hodie etiam* (asseritur) *ubicumque pergit, Hæreticos sub communi habitu secum ducit, ut si ipsum mori contigerit, inter manus ipsorum moriatur. Credebat enim absque omni pœnitentia, quantumcunque peccator fuerit, se salvandum, si in ipso mortis articulo impositionem manuum eorum potuisset adipisci.... Dixit & dictus Comes quodam die Hæreticis, sicut pro certo scimus, quòd volebat facere nutriri filium suum apud Tolosam inter Hæreticos, ut addisceret fidem, immo infidelitatem illorum.... Quando Hæretici mittebant ei aliqua xenia vel cibaria, gratissimè suscipiebat, & faciebat optimè servari ea, nec patiebatur quòd aliqui comederent ex eis, nisi ipse & ejus familiares. Multoties etiam, sicut certissimè cognovimus, adorabat Hæreticos flexis in terra genibus, & osculabatur eos.* Hanc effudit olim blasphemiam: *Apparet quòd Diabolus fecit mundum istum, quia nihil nobis succedit ad votum. Dixit Episcopo Tolosano, sicut ab eodem Episcopo audivi, quòd Monachi*

Cistercienses

Cistercienses non poterant salvari, quia tenebant oves quæ luxuriam exercebant. Dixit eidem ut veniret de nocte in Palatium ejus. Histrioni jussit ut *Sacerdotem qui celebrabat Missam, derideret . . . Numquam ab aliquo Sedis Apostolicæ Legato potuit induci ut Hæreticos de terra sua depelleret: licet compulsus ab ipsis Legatis, multoties abjuravit . . . Adeo parvipendebat Matrimonii Sacramentum, quod quotiescumque ei displicuit uxor propria, ipsam dimittens, aliam duxit, ita quod quatuor uxores habuerit, quarum tres adhuc vivunt . . . .* Abbati Cisterciensi conquerenti de *Hugonis Fabri* Albigensis Hæretici impietate & sacrilegio, quo Altare violaverat, pallasque sacras ad fœdos usus adhibuerat, respondit: *Quod nullo modo puniret propter hoc civem suum. Abominationes prædictas narravit Abbas Cisterciensis, qui tunc erat Archiepiscopus Narbonensis, me præsente, in Concilio apud Vaurum . . . Sicut pro certo didicimus, sorore propriâ abutebatur in contemptum Religionis Christianæ,* necnon *concubinis patris sui . . . Ruptarios mirabili amplexus est affectu, per quos spoliabat Ecclesias, Monasteria destruebat, omnésque sibi vicinos, quos poterat, exheredabat. Ita semper se habuit membrum diaboli, filius perditionis, primogenitus Satanæ, inimicus Crucis, Ecclesiæ persecutor, Hæreticorum defensio, Catholicorum depressio, minister perditionis, fidei abjurator, plenus scelerum, peccatorum omnium apotheca.* Ad impietatis ac tyrannidis cumulum, *Petrum de Castronovo* virum sanctissimum, Legatum Apostolicum, sicariis immissis occidi jussit. Adversùs publicum fidei, Ecclesiæ, totiusque pietatis hostem, qui nec prædicatione flecti, nec censuris frangi potuerat, Potestatum secularium auxilium imploravit *Innocentius III.* vigilantissimus Pontifex, & præcipue Christianissimi Regis, qui Dominus ipsius Principalis erat, ut ad officium cogeretur, ac justum fore bellum in ipsum suscep.um declaravit: & cujuscumque fidelitatis, fœderis, societatis, ac juramenti vinculum, quo ipsi quilibet adstrictus teneretur, Apostolicâ solvit Auctoritate, ut omnis homo Catholicus adversùs ipsum Miles esset. Porrò non aliud in votis habuisse Pontificem, quàm ut ad satisfaciendum Ecclesiæ coërcendósque Hæreticos compelleretur, ejus Literæ probant ad Comites, Barones, cæterósque Viros Nobiles per Narbonensem, Arelatensem, Ebredunensem, Aquensem, & Viennensem Provincias constitutos. *Licèt autem,* inquit, *præfatus Comes pro multis & magnis flagitiis, quæ longum esset per omnia enarrare, jamdudum sit Anathematis mucrone percussus: quia tamen certis indiciis, mortis Sancti Viri præsumitur esse reus, non solum ex eo quòd publicè comminatus est ei mortem, & insidias paravit eidem: verùm etiam ex eo quòd occisorem ipsius in multam familiaritatem admisit, & magnis donis remuneravit eumdem, ut de cæteris præsumptionibus taceamus, quæ pleniùs innotescunt multis. Ob hanc quoque causam iidem Archiepiscopi & Episcopi publicè nuntient anathematizatum eumdem. Et cùm juxta SS. Patrum Canonicas Sanctiones, ei qui fidem Deo non servat, fides servanda non sit, à Communione fidelium segregato, utpote qui vitandus est potius quàm fovendus, omnes qui dicto Comiti fidelitatis seu societatis, aut fœderis hujusmodi Juramento tenentur adstricti, Auctoritate Apostolicâ denuntient interim absolutos, & cuilibet Catholico viro licere, salvo jure Domino Principali, non solum persequi personam ejusdem, verum etiam occupare & detinere terram ipsius, illius præsertim obtentu, quod ab hæresi per suam prudentiam fortiter expietur, quæ per illius nequitiam fuit hactenus turpiter sauciata, maculata. Quia dignum est, ut manus omnium contra ipsum consurgant, cujus manus extitit contra omnes. Quòd si nec vexatio dederit*

A *intellectum, manus nostras in eo curabimus aggravare. Si quo modo vero satisfactionem promiserit exhibere, ipsum pœnitentiæ suæ hæc signa præmittere oportebit, ut de toto posse suo depellat pravitatis hæreticæ sectatores, & se paci satagat conciliare fraternæ: cum principaliter propter culpam quam in utroque noscitur commisisse, in eum Ecclesiastica fuerit prolata Censura. Quamquam si in suas iniquitates Deus voluerit observare, vix posset congruè satisfacere, non tantummodo pro se ipso, sed pro aliâ multitudine, quam in laqueum damnationis induxit.*

Ingentem sacri belli apparatum formidans Tulosanus Comes, suos, simulatâ pœnitentiâ, Oratores
B misit ad *Innocentium III.* rogatutos ut de Latere suo aliquem mitteret, cui se obsequentissimum fore spondebat. Nam *Arnaldum* Cisterciensem Abbatem Legatum Apostolicum sibi ad illam diem severiorem fuisse. Sperabat mittendum aliquem faciliore virum ingenio, quem circumvenire posset. Misit autem Summus Pontifex *Milonem*, cui socium adjunxit *Theodosium* Genuensem Canonicum: Legatus Comiti diem dixit. Venit ille Valentiam, promisitque se in omnibus ejus voluntati pariturum. Septem Provinciæ Castra in pignus fidei tradidit: consensitque ut nisi promissa juramento firmata servaret, septem Castra caderent in
C commissum Romanæ Ecclesiæ: Melgoriensis Comitatus ad eamdem omnino reverteretur: Ipse Excommunicationi, terra ejus Ecclesiastico Interdicto subjaceret: Qui cum ipso jurabant, tam Consules, quàm alii, & Successores eorum, essent *absoluti à fidelitate, qua jure ipsi tenebantur.* Ab Apostolico Legato Ecclesiæ reconciliatus est: Signum Crucis Militiæ sacræ tesseram ab ipso accepit, ut ditionem suam à Cruce-signatorum infestatione tueretur. Verùm cùm Pontificia Mandata contempsisset, ac Juramentum violasset, à Fidelium Communione iterum segregatus est. *Monfortius Comes* Cruce-signati Dux exercitus, multas urbes castráque *Ray-*
D *mundo* Tolosano Comiti armis eripuit, necnon Fuxensi Comiti, aliisque ad Hæreticorum defensionem pariter conjuratis. His urbibus, castris, terrisque jure belli privatus est *Raymundus*; Quas eodem jure, electione insuper Episcoporum & Baronum Occitaniæ & Provinciæ, in Synodo Monspeliensi, Concilii Oecumenici Lateranensis Judicio, Christianissimi Regis, Domini Principalis, concessione & Investiturâ, Monfortius Comes sibi vendicavit. Quid in his omnibus contra Justitiam commissum dici potest? Sanè hostes publicos, &
E maximè Hæreticos, jure belli bonis exui suis posse, nemo diffitetur potest, qui concesserit ipsos Principum Legibus ipsa meritò amittere. At id *S. Augustinus* passim docet. Epistola XCIII. aliàs XLVIII. ad *Vincentium* Donatistam; *Quamvis,* inquit, *res quæcumque terrena, non rectè à quoquam possideri possit, nisi vel Jure divino, quo cuncta justorum sunt, vel Jure humano quod est in potestate Regum terræ: Ideóque falsò res appellatis vestras, quas nec justè possidetis, & secundum Leges terrenorum Regum amittere jussi estis: frustràque dicitis: Nos*
F *in eis congregandis laboravimus, cùm scriptum legatis: Labores impiorum Justi edent. Tamen quisquis ex occasione Legis hujus, quam Reges terræ Christo servientes ad emendandam impietatem vestram promulgaverunt, res proprias vestras cupidè appetit, displicet nobis &c.* Et libro II. *Contra Literas Petiliani Donatistæ,* Cap. LIX. *Quæ vobis ablata nobis Dominus dedit, non ideo concupiscimus aliena, quia illius imperio, cujus sunt omnia, facta sunt nostra, & justè nostra sunt: Vos enim his utebamini ad præcisionem, nos ad unitatem. Alioquin & primo Populo Dei possum illi objicere alienæ rei concupiscentiam, quia Ecclesia Dei possidet, ubi Persecutores Christi regnabant,*

bant. Hæc *S. Augustinus* : quæ non minùs convenientet in Albigenses Hæreticos torqueri possunt, quàm ab illo scripta sunt contra Donatistas.

VI. Objiciet quispiam ; Ecclesia exerendi gladii jus non habet. Unde *S. Petro* Christus ait : * *Converte gladium tuum in locum suum*. At bellum contra Albigenses auctoritate Ecclesiæ & Summi Pontificis *Innocentii III.* jussu indictum atque confectum est. Justum itaque non fuit, si spectetur indicentis autoritas.

* Matth. 26.

Respondetur, Ecclesiam jus quidem non habere gladii exerendi per se ipsam, sed tamen exerendi jus habere per seculi Principes, ut *S. Bernardus* lib. IV. *De Consideratione* ad *Eugenium*, Cap. III. docet. *Fac* (inquit) *opus Evangelistæ, & Pastoris munus implesti. Dracones* (inquit) *me mones pascere & scorpiones, non oves. Propter hoc* (inquam) *magis aggredere eos ; sed verbo, non ferro. Quid tu denuo usurpare gladium tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam? Tuus ergo & ipse : tuo forsitan nutu, etsi non tua manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis :* Ecce duo gladii hic : *non respondisset Dominus :* Satis est : *Sed*, Nimis est. *Uterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia : ille verò & ab Ecclesia exerendus est. Ille Sacerdotis : is Militis manu : sed sanè ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperatoris*. Porro non ab Ecclesia, sed pro Ecclesia pugnatum est contra Hæreticos Albigenses ; ad nutum quidem & adhortationem Summi Pontificis *Innocentii III.* Indulgentias Cruce-Signatis Ducibus Militibúsque concedentis ; ad jussum verò *Philippi Augusti* Regis Christianissimi exertus in illos gladius est.

VII. Objicies, Injustum esse bellum, quod ab iis geritur, quibus arma tractare nefas. Bellum porro Albigense ab Episcopis, Sacerdotibus, & Monachis gestum, quibus armorum usu Canones interdicunt. Nam plurimos illorum Crucis Militari tesserâ insignitos fuisse, *Petrus de Valle-Cernaii*, in Albigensium Historia, aliique Historici testantur.

Respondetur, Non ideo injustum esse bellum, quòd in Exercitu aliqui pugnent quibus non licet, modò justis de causis, legitimâque auctoritate indictum sit. Nec tamen Cruce-Signati adversùs Albigenses Exercitus pars fuerunt Episcopi, Presbyteri, Clerici, Viríque Religiosi, ut gladio materiali pugnarent ; sed ut consiliis, precibus, concionibus, ministerio, in iis quæ salutem spectabant, præsto essent ; necnon ut gladio Spiritûs Hæreticos debellare niterentur, postquam gladiis Militum fuissent subacti : tum etiam ut in Castrensibus operis Christi Pugiles adjuvarent. Testis est *Guillelmus Brito* libro VIII. *Philippidos*.

Intra Murellum cum Simone contulerant se
Persona primi multa, plurésque secundi
Ordinis, & Cleri quamplurima turba minoris,
Arma quibus tractare negat Lex Ecclesialis.
Qui sacra cœlestis doctrina verba pluentes,
Consilium præstant aliis qui belligerantur,
Et bello superant Inimicos spirituali,
Exemplo Moysi pugnante precantis Hebræo ;
Quo sursum tollente manus, vincebat Hebræus ;
Depressis autem manibus, Moyséque tacente,
Victorem victor Amalech vincebat Hebræum.
Et, ne plus omnes quàm commoditatis haberent ;
Néve gravis foret illorum præsentia Castris :
Exercebat eos vigor indefessus ad omne
Quod Castrensis opus sibi sollicitudo requirit ;
Plúsque laborabant populo manualiter omni ;

Sola hæc, quæ mortem poterant inferre, caventes.

VII. Adversùs belli istius æquitatem alios obstrepentes audio. Bellum (inquiunt) in quo promiscuè cum Hæreticis Fideles, cum rebellibus subditi, cùm grandævis reis insontes pueri, inermésque mulieres trucidantur, nemo justum rectè dixerit, sed crudele. Id autem à Cruce-signatorum Exercitû factum in Bitersensis urbis expugnatione, *Petrus de Valle-Cernaii*, & *Guillelmus Brito* testantur. Istud itaque bellum sævitiæ magis quàm justitiæ speciem præ se tulit.

Respondetur primò, Cives Biterrenses id promeritos, quibus cùm Duces Catholici permisissent, immo ipsos ursissent ut exirent de civitate, vel Hæreticos in manus eorum traderent, conjuratione factâ, conjunctísque cum Hæreticis viribus, urbem adversùs Catholicum Exercitum tueri decreverunt. Secundò, promiscuam illam cædem mandato vel assensu Ducum patratam non fuisse, sed cæco militum gregariorum furore : quod justitiæ belli nequaquam obest. Id Authores laudati testantur. *Petrus de Valle-Cernaii*, Cap. XV. Albigensis Historiæ : *Pervenientes igitur Biterim nostri, transmiserunt in civitatem ipsius civitatis Episcopum ; qui exierat obviàm eis, Magistrum videlicet Reginaldum de Montepessulano, virum ætate, vitâ, scientiâ venerandum. Dicebant siquidem nostri quòd causâ perdendorum Hæreticorum advenerant, mandaveruntque Civibus Catholicis, si qui erant, ut in manus ipsorum traderent Hæreticos, quos idem Venerabilis Episcopus qui eos plenè noverat, & etiam in scriptum redegerat, nominaret ; vel, si istud facere non possent, exeuntes de civitate, dimitterent Hæreticos, ne perirent pariter cum iisdem. Quod verbum cùm sæpedictus Episcopus ex parte nostrorum memoratis Civibus retulisset, noluerunt acquiescere, sed se advertùs Deum & Ecclesiam erigentes, inito cum morte fœdere, elegerunt potius mori Hæretici, quàm vivere Christiani. Priusquam enim nostri eos aliquatenus expugnarent, exierunt quidam de civitate, cœperúntque nostros sagittis acrius infestare : quod videntes servientes exercitûs, qui publicâ linguâ dicuntur Ribaldi, cum indignatione maximâ muros adeunt civitatis, Nobilibúsque exercitûs nescientibus & penitus inconsultis, facto insultu ipsâ horâ capiunt civitatem. Quid plura ? Statim intrantes, à minimo ad maximum omnes ferè necati, tradentes incendio civitatem.*

Guillelmus Brito lib. VII. *Philippidos* idem testatur.

Ergo Dei Pugiles aciebus multiplicatis,
Usque Biterrensem festinant ocyus urbem.
Ad quam turba frequens confluxerat Hæreticorum.
Fortis enim & nimiùm locuples, populosáque
Urbs erat, armatisque viris & Milite multo
Freta, sed Albigei maculis infecta veneni.
Quam virtus modico sub tempore Catholicorum
Frangit, & ingressi sexûs utriusque trucidant
Millia bis triplicata decem : quos, absque virorum
Majorum assensu, vulgi furor immoderatus,
Et Ribaldorum dedit indiscretio morti.
Interiment mixtim cum non Credente Fidelem ;
Nec curans esset quis vitâ, quis nece dignus.

IX. Objicient alii *S. Bernardi* locum insignem ex Sermone LXV. in Cantica, ubi verba illa Sponsi exponit : *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas* : atque : *Si juxta allegoriam, Ecclesias vineas, vulpes hæreses, vel potius Hæreticos ip-*

sos intelligamus, simplex est sensus, ut Haretici capiantur potius, quam effugentur: capiantur, dico, non armis, sed argumentis, quibus refellantur errores eorum, Ipsi verò, si fieri potest, reconcilientur Catholica, revocentur ad veram Fidem. Hac est enim voluntas ejus, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hoc denique velle se perhibet, qui non simpliciter, Capite vulpes; *sed,* Capite (*inquit*) nobis vulpes parvulas. *Sibi ergo & Sponsa sua, id est, Catholica, jubet acquiri has vulpes, cùm ait:* Capite eas nobis.

Respondetur, *S. Bernardum* de illis Hæreticis intelligendum esse, qui de suis erroribus nondum legitimè sunt admoniti, & quibus nondum proposita fuerunt argumenta, quibus à suis Hæresibus revocarentur; quos proinde non constat esse pertinaces. Hos enim fateor argumentis oppugnandos esse, non armis. At verò si post admonitionem legitimam doceri nolint, obstinatíque maneant in hæresi, Catholicos pervertant, in Ecclesiam, & quidquid in ea sacrum est, grassentur, sicut grassabantur Albigenses, non argumentis solùm urgendi, sed armis coërcendi sunt. Hanc fuisse *S. Bernardi* mentem ex verbis sequentibus colligitur. *Itaque*, inquit, *homo de Ecclesia exercitatus & doctus, si cum Haretico homine disputare aggreditur, illò intentionem suam dirigere debet, quatenus ita errorem convincat, ut & convertat . . . Quod si reverti noluerit, nec convictus; post primam jam & secundam admonitionem (utpote qui omnino subversus est) erit secundum Apostolum devitandus. Ex hoc jam melius (ut quidem ego arbitror) effugatur, aut etiam religatur, quàm sinitur vineas demoliri.*

ARTICULUS III.

Utrum Lateranensis Concilii Canon III. Ecclesiæ vel Romano Pontifici Potestatem tribuat saltem Indirectam in Temporalia Regum & Principum Supremorum?

[illegible] & [illegible] Cardinalis [illegible].

I. INficiatione respondeo, adversùs *Bellarminum* & *Perronium* doctissimos Cardinales. Opinionem enimvero falsam, erroneam, verbo Dei contrariam, ab Oecumenica Synodo, non solùm definitam ac traditam existimare fides prohibet, quâ Ecclesiam in dogmatibus judicandis à veritate deficere non posse credimus; sed Canones suos secundùm opinionem hujusmodi condidisse Synodum in Spiritu Sancto legitimè congregatam, censere vetant pietas & reverentia quàm Ecclesiæ debemus: maximè si commodum sensum Canones illi patiantur. At opinio illa, quæ Ecclesiæ vel Romano Pontifici Potestatem tribuit, etiam Indirectam, in Temporalia Regum & Principum Supremorum, falsa est, erronea, verbo Dei & doctrinæ Patrum contraria, ut probavimus Dissertatione 11. in Historiam Ecclesiasticam XI. & XII. Seculi, Articulo IX. atque docent Ecclesia Gallicana & Sacra Facultas Parisiensis. Aliunde Canon III. Lateranensis Concilii commodum sensum patitur, & ab illa opinione alienum. Asserendum ergo est hunece Canonem Ecclesiæ vel Romano Pontifici nullam Potestatem, etiam Indirectam, in Temporalia Regum & Principum Supremorum tribuere.

Quid de illo [illegible] opinione censeant Ecclesia Gallicana & sacra Facultas Parisiensis.

II. Ut autem Canonis istius sensus innotescat, verba ipsius, quæ difficultati sunt obnoxia, præmittere operæ pretium est. *Si vero*, inquit Concilium, *Dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate; per Metropolitanum, & cæteros Comprovinciales Episcopos, excommunicationis vinculo innodetur. Et, si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc Summo Pontifici: Ut ex tunc ipse Vassallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis Hæreticis sine ulla contradictione possideant, & in Fidei puritate conservent: Salvo Jure Domini Principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat: Eadem nihilominus lege servatâ quoad eos qui non habent Dominos Principales.*

III. Hunc itaque Canonem supremæ & à quovis præterquam a Deo independenti Regum auctoritati incommodum non esse contendo, quia de Feudatariis ipsum intelligendum verba illa probant, *Salvo Jure Domini Principalis*. Qui porro Dominos Principales habent, Reges non sunt, aut Supremi Principes. Sanè cùm *Ratio dicendorum ex causis sit assumenda dicendi*; & sensus Canonum ex causis propter quas conditi sunt colligendus; liquet Reges vel Principes Supremos isto Canone non percelli: siquidem occasione *Raymundi* Tolosani Comitis, *Raymundi Rogerii* Comitis Fuxensis, *Bernardi* Comitis Convenarum, & *Gastonis* Vicecomitis Bearnensis & Comitis Bigorræ, qui ad Hæreticorum Albigensium defensionem erant fœderati, Canonem tertium Lateranensis Concilii editum esse constat. Hos verò Supremos Principes non fuisse, sed Beneficiarios, certissimum est. Sed nec in illos quidem hanc auctoritatem Ecclesiæ vel Romano Pontifici tribuit Canon Lateranensis, ut eos ditionibus suis vel terris exuat, sive subditos ipsorum à fidelitatis vinculo denuntiet absolutos, ac terras illorum Catholicis exponat occupandas, auctoritate propriâ; sed de consensu Principum Supremorum, qui Concilio per Oratores aderant, scilicet *Friderici II.* Romanorum Imperatoris, *Henrici* Imperatoris Constantinopolitani, *Philippi Augusti* Regis Christianissimi, *Joannis* Hierosolymorum Regis, *Andreæ* Hungariæ, *Joannis* Angliæ, *Hugonis* Cypri, *Jacobi* Aragoniæ: Qui Canonem illum de quo agimus condi passi sunt, ut Albigensium hæresis Ecclesiam infestans faciliùs exterminaretur; atque Tolosani Comitis, aliorúmque Procerum Hæreticis faventium coërceretur pertinacia: cùm exploratum haberent iidem Oratores, tutam esse Dominorum suorum Majestatem, nec eo Canone ullatenus peti: adversùs quem alioqui reclamassent ac intercessissent. Non enim minores ipsis animos fuisse verisimile est, quàm Oratoribus à *Ludovico* Philippi Augusti filio, & *S. Ludovici* patre ad *Innocentium III.* missis anno sequenti ut Jura ejus in Angliæ Regnum contra *Joannem sine Terra* tuerentur, qui eidem Pontifici constanter dixere: NON CREDIT DOMINUS LUDOVICUS QUOD CONCILIUM POSSIT EI JUS SUUM AUFERRE. Ita refert *Matthæus Parisius* ad annum MCCXVI. pag. 198. Non minores ipsis erant animi, quàm Angliæ Proceribus, qui ad *Bonifacium VIII.* post annos septem & octoginta scripsere: *Communis, concors, & unanimis omnium nostrûm & singulorum consensus fuit, & erit inconcussè, Deo propitio, in futurum:* QUOD DOMINUS NOSTER REX SUPER JURIBUS REGNI SCOTIÆ, AUT ALIIS SUIS TEMPORALIBUS, NON RESPONDEAT JUDICIALITER CORAM VOBIS, NEC JUDICIUM SUBEAT QUOQUO MODO, *aut Jura sua prædicta in dubium quæstionis deducat, nec ad præsentiam vestram Procuratores aut Nuntios ad hoc mittat: præcipuè cùm præmissa cederent manifestè in exhæredationem Juris Coronæ Regni Angliæ, & Regiæ Dignitatis, ac in*

Canon iste de Supremis Principibus non loquitur, sed de Beneficiariis sive feudatariis.

S. Hilarius.

Refert Nic. [illegible] in [illegible] ad annum MCCCI.

in subversionem Status ejusdem Regni notoriam, nec non in præjudicium Libertatis, Consuetudinum, & Legum Paternarum, ad quarum observationem & defensionem ex debito præstiti Juramenti astringimur, & quas manu tenebimus toto posse. Pro certo nimirum habebant, Concilia, & Romanos Pontifices spiritualem duntaxat potestatem de Fidei controversiis judicandi, Christianam Disciplinam sanciendi, omnium Ecclesiæ ordinum mores emendandi, Canones eum in finem condendi, spiritales pœnas adversùs eorum infractores decernendi & eos qui Ecclesiæ rebelles fuerint & ipsam non audiesint, à Fidelium communione summovendi &c. Non verò disponendi de rebus temporalibus, Regna transferendi, Reges exauctorandi, Regia Jura imminuendi, auctoritatem à Christo accepisse.

Objectio.

IV. Verùm, inquies, Concilium eandem pœnam decernit in eos qui Dominos Principales non habent, ac proinde qui Beneficiarii non sunt sive Feudatarii: *Eadem nihilominus lege servatâ quoad eos qui non habent Dominos Principales.* Regum igitur ac Supremorum Principum, qui Hæreticis faverint, subditos ab illorum fidelitate absolvit, ipsorùmque terras Catholicis pariter exponit occupandas.

Respondeo.

Respondeo, Nomine eorum qui Dominos Principales non habent, Reges hic non significari. Ubi enim de pœnis agitur, quæ odiosæ sunt, non sunt illæ in Reges vel Supremos Principes extendendæ, nisi expressè nominentur; quia, ut habet Regula Juris in VI. *Odia restringi, favores convenit ampliari.* Unde sicut Interdicti communis pœna in Diœceses vel civitates lata non perstringit Episcopos, eòque non obstante Divina celebrare possunt Officia, *Nisi hoc ipsum eis expressè fuerit interdictum*, quemadmodum Lateranense idem Concilium Canone LVIII. *In favorem Pontificalis Officii* decrevit: Sic à Canone quolibet seu Lege pœnali ab Ecclesia lata Reges exceptos intelligere par est, nisi expressè nominentur. Illorum igitur, *Qui non habent Dominos Principales*, nomine commodè intelliguntur, qui ditiones suas ab Ecclesia solâ Beneficiario Jure obtinent, quibus propterea justis de causis ab eadem privari possunt. Quo sensu postea Tridentina Synodus Sessione XXV. in Decreto de Reformatione, Cap. XIX. ita statuit: *Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac Jurisdictione & Dominio civitatis, castri aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint,* QUOD AB ECCLESIA OBTINENT, *privati intelligantur; &* SI FEUDALIA SINT, *directis Dominis statim acquirantur.*

Nomine eorum qui non habent Dominos principales, commodè intelliguntur solius Ecclesiæ beneficiarii.

V. Non minùs commodè, *Qui non habent Dominos Principales*, intelliguntur illi qui terras possident ab omni functione liberas & immunes, ratione quarum nec fidem, nec hominium, nec censum, nec aliam servitutem debent; sed *Franci Allodii* à Pragmaticis appellantur. Francorum autem Allodiorum Domini, Principales quidem non habent Dominos ratione terræ ac prædiorum, superiorem tamen agnoscunt Dominum ratione Jurisdictionis. Ita explicat Vir Jurisconsultissimus M. C. M. Tit. de Feudis, § LXVIII. Num. I. Alaudium, inquit, secundùm Baldum & omnes in §. *Inter filiam. Si de feud. defunct. controv. Sit inter agnatum & agnatum*, est proprietas quæ à nullo recognoscitur. Et hæc proprietas propriè & plenè secundùm terminos Juris accipitur. Qui enim tenet feudum in alaudium, id est, in absolutam & plenam proprietatem, habet integrum & directum dominium,

Nomine eorum qui non habent Dominos principales, Francorum Allodiorum Domini etiam designari videntur.

quale à principio de Jure gentium fuit distributum & distinctum ex hoc Jure. *ff. De Iust. & Jur.* & nullum soli recognoscit, sive tanquam patronum, sive tanquam alium dominum directum. Nec possidet tanquam vassallus, nec tanquam censuarius, emphyteutes, aut superficiarius, vel alio utili aut inferiori dominio, sed Jure vero, liberi, directi & absoluti dominii. Unde, ut eleganter scripsit *Budæus* in L. *Herennius*, ff. *De Evict.* dicitur alaudium ex eo quòd qui prædia eo Jure habent, nullum habeant auctorem vel superiorem Dominum quem laudare possint, vel teneantur. (Sive, ut *Cujacio* placet, quod nullius sint leudes, sive leodes, id est, clientes aut homines legii, à voce Gallica veteri *leaux* vel *loiaux* derivato nomine.) Et hac ratione vocatur francum, id est, liberum: liberum, inquam, à juribus & servitutibus dominicalibus: non tamen excludit quin recognoscant superiorem Dominum habentem Jurisdictionem in loco, ratione Jurisdictionis. Nam cùm duplex sit Alaudium, unum Nobile, cui cohæret Jurisdictio, vel à quo feuda aut censualia prædia dependent; alterum Paganicum & ignobile: Jurisdictio tamen competens inferiori à Rege, in hoc Regno nunquam est alaudialis. Sed necesse est quòd recognoscatur à Rege tanquam à supremo directo Domino. Et sic quantumcunque sit unita castro vel latifundio alaudiali, tamen feudalis est, & in feudo recognoscenda à Rege, qui non potuit dominium directum, nec jus suprematum appellationum Jurisdictionis suæ in totum vel in minima parte addicere vel appropriare. Enimverò, ut idem Jurisconsultus fusiùs explicat §. I. Glossa v. Num. 53. In concessione Castri, vel Ducatûs, aut Comitatûs, factâ per Supremum Principem cum omni Imperio, etiam cum hac clausula, *Omni Jure quod habes*, nullo reservato, non veniunt nec transeunt Regalia, & alia reservata Regiæ Majestati in signum supremæ potestatis: sed solùm ea quæ possunt convenire illi, cui fit concessio, seu cuilibet inferiori, & domino particulari castri. Nam duplex Jus habet Rex in Castro vel re concessâ; unum tanquam dominus specialis & utilis ipsius castri, quod fortè emerat, & illud censetur transferre: aliud tanquam Rex, quia habet dominium directum & Jus Regium universaliter in toto Regno, & de isto Jure Regio nihil transfertur. Ita punctualiter decidit Alberic. in L. I. *in fin. ff. De Offic. ejus cui manda. est Jurisdic. & in L. fin. in fin. C. de Jurisdic. omnium Judic.* Luc. Penn. in *L. I. Col. 7. vers. vel dicas plenius*, de Privileg. Schola, *& L. I. Col 2. verbo, sed pone Rex. De Veteranis lib. 12. C. Laurent. Calca. in Consil.* 102. Ratio est duplex, prima quia hujusmodi Regalia sunt de Juribus Coronæ, & illi annexa & inseparabilia: nec sunt in commercio. *L. Apud Julianum §. Constat ff. De Legat. I. L. fin. ff. ut in possess. legat.* Ita quod non sunt alienabilia etiam per ipsum Principem ex certa scientia vel motu proprio, ut decidit *Andr. Isern.* in Cap. I. §. *Similiter potest, Col. 2. verbo, In his functionibus, De Capitan. qui Curiam vendidit.* Et latiùs Luc. Penn. in *L. 2. C. De Jure Reip. ad finem Lib. I. L. Contra publicam*, Col. 5. *De re Milit. lib. 12.* & copiosissimè in *L. Quicunque 2. per tot. col. 4. De omni agro deser. lib. 11.* Joann. Plat. in *L. Prædia, C. De divers. prædiis urban. lib. 11.* Omphalius *lib. I. Distin. Princ.* Et de facto alienata debent absque ullius assertionis obstaculo, ad Jus pristinum revocari, ita ut nulli penitus audiantur, qui aut Rescripto, aut annotatione dominium, vel emphyteusim, vel

 conductionem,

» conductionem, quolibet genere largitatis se me» ruisse causentur. Per textum *in L. Omnes fundi*, » *De fund. Patrimon. lib.* 11. & ib. Luc. Per argu» mentum à fortiori: quia si revocatur alienatio » patrimonialium, multò magis fiscalium, quæ » sunt in dominio Coronæ. Secunda ratio, quia » etiamsi aliquo modo possent concedi, tamen non » veniunt sub quibuscunque verbis generalibus, » sed demum si specialiter & expressè concedantur, » ut notant omnes Doctores in Cap. unico, *Quæ* » *sint Regalia.*

Ex his colligitur, Franci Allodii Dominos non habere quidem Dominos Principales ratione terrarum ac prædiorum, sed superiori nihilominus Domino, scilicet Regi subesse ratione Jurisdictionis. Unde quod aliqui Jurisconsulti dixerunt, & *Guillelmus Benedicti* in Reper. Cap. *Raynutius*, in verbo; *Et uxor nomine Adelas.* Num 465. *De Testam.* à Præfectis Ratiociniorum Regiorum Parisiis olim responsum refert, Non posse aliquem in hoc Regno terram tenere sine domino, falsum esse probat *Molinæus*, si intelligatur sine domino directo soli: sed verissimum, si intelligatur, in Regno esse posse neminem quin subsit dominationi & Jurisdictioni Regis, vel subalterni Domini sub eo. Hos itaque franci Allodii Dominos forte spectabat Synodus Lateranensis his verbis Canonis tertii: *Eadem nihilominus lege servatâ quoad eos qui non habent Dominos Principales.* Decrevit, inquam, eorum subditos absolutum iri ab eorum fidelitate, si Hæreticis faveant, & terram eorum expositum iri Catholicis occupandam. Cùm enim Dominus malè tractans subditos aut vassallos suos, jure suo privari possit, ita ut jus ad superiorem Dominum revertatur, ut Jurisconsulti probant ex *L. Federic.* §. *Quicumque advocatiam. De pace tenen. & ejus violat.* Ab eâque Lege soli Reges & Supremi Principes excipiantur: decernere potuit Synodus auctoritate & consensu Principum, ut franci etiam Allodii Domini Juribus terrisque suis privarentur, si forte Hæreticis faverent. Dixi, auctoritate & consensu Principum; quia quicquid de rebus temporalibus decernit Ecclesia extra Ecclesiasticas ditiones, Principum auctoritate & consensu decernit: Sicut Principes Ecclesiæ auctoritate spirituales quandoque pœnas decernunt, vel ab Ecclesia statutas promulgant, scilicet Excommunicationem, ut in Legibus quibusdam Christianorum Imperatorum, & Regum nostrorum Capitularibus legere est. Quanquam absolutio illa à debito fidelitatis fieri possit ab Ecclesia propriâ auctoritate, quatenus duntaxat declaratio est cum potestate facta, quòd subditi non teneantur Dominis in crimine obedire, nempe in eversione Religionis & Fidei, in defensione Hæreseos & Hæreticorum, in Ecclesiæ infestatione, superioris Domini cujus Jurisdictioni ipsi franci Allodii Domini subsunt, scilicet Regis, aut Imperatoris impugnatione. Non enim opem fert qui ad peccandum adjuvat, XIV. *Q. Si res.* XI. *Q.* III. *Non sant. & C. Si Dominus. & C. Qui resistit.* Nec etiam sacramentum ad hoc eos obligat: quia non est institutum ut sit vinculum iniquitatis, ut XXII. Q. IV. *Inter cæteras.* & rei turpis nulla est obligatio, *ff. De verb. oblig. generaliter. Ex. de Pac. Cap. fin.* & in Juramento Superioris auctoritas intelligitur excepta. *Ext. De Jurejur. C. Venientes.* Ita ratiocinatur *Guillelmus Durandi* Jurisconsultissimus Antistes, lib. IV. *Speculi* Part. III. Tit *De Feudis*, pag. 320. col. 2. Addiderim, Immunitatem hujusmodi allodiorum à functionibus fidelitatis, hominii, census, alteriusve servitutis, si res ab origine repetatur, Beneficium esse Regis, atque Privilegium: quo proinde justis de causis ab ipsius Majestate privari possunt: quia *Privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate.* Hac porro Immunitate abutebantur, qui Hæreticis favebant, & ab Ecclesia moniti, terram suam purgare nolebant ab hæretica pravitate, & Censuras Ecclesiasticas contemnebant. Jure itaque Reges consenserunt ut Decreto Synodi ad fiduciariam & clientelarem conditionem reverterentur: sive id sanxit Synodus sub Principum beneplacito, qui opem ad exterminandos Hæreticos necessariam ipsi per Oratores suos polliciti sunt. Hic verborum illorum sensus: *Eadem nihilominus lege servatâ quoad eos qui non habent Dominos Principales.*

Eorum nomine qui non habent Dominos principales, Synodum non intellexisse Reges & Principes supremos, Constitutio Frederici II. Imp. confirmat.

VI. Ut ut est, Reges ac Supremos Principes, eorum nomine qui Dominos Principales non habent, ab Oecumenica Synodo intellectos non fuisse, probat Constitutio *Friderici II.* Imperatoris adversùs Hæreticos data Paduæ die XXII. Februarii, anno Christi MCCXXV. in qua verba ipsa Canonis III. Lateranensis Concilii IV. transcripsit, sibique tribuit quod Concilium Ecclesiæ & Pontifici tribuerat. *Si verò* (inquit) *Dominus temporalis requisitus & admonitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hæretica pravitate, post annum à tempore monitionis elapsum, terram ipsius exponimus Catholicis occupandam: qui illam exterminatis Hæreticis absque ullâ contradictione possideant, & in fidei puritate conservent: salvo jure Domini Principalis, dummodo super hoc nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum apponat. Eadem nihilominus lege observatâ contra eos qui non habent Dominos Principales.* Porro *Fridericus* nomine eorum *qui non habent Dominos Principales*, intelligere non potuit Reges Principésque Supremos, qui ditiones suas fiduciario jure ab Imperatore non tenent, sed solùm Imperii Beneficiarios ac Feudatarios. Neminem enim præter illos terris suis privare poterat. Nec igitur Concilium eo nomine Reges & Supremos Principes intellexit, sed Beneficiarios duntaxat Ecclesiæ. Accedit ad hujus Responsionis robur momentum non leve ex altera ejusdem *Frederici* Constitutione, cui hæc inserta est mox à me laudata, & extat in Corpore Juris Civilis, ad finem, sub titulo *De Statutis & Consuetudinibus contra libertatem Ecclesiæ editis, &c.* & incipit: *In die.* Huic autem Legi, cujus verba protulimus eadem cum verbis Lateranensis Canonis, adeóque eodem sensu intelligenda, hæc immediatè præmittit: *Statuimus etiam hoc Edicto in perpetuum valituro, ut Potestates, Consules, seu Rectores, quibuscumque fungantur Officiis, pro defensione fidei præstent publicè Juramentum, quòd de terris suæ Jurisdictioni subjectis universos Hæreticos ab Ecclesia denotatos, bonâ fide pro viribus exterminare studebunt, ita quòd amodo, quandocumque fuerit quis in potestatem, sive perpetuam, vel temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum Juramento firmare: alioqui nec pro Potestatibus, nec pro Consulibus habeantur: & eorum Sententias irritas ex tunc decernimus & inanes.* Tum continenter subdit: *Si verò Dominus temporalis requisitus & admonitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab Hæretica Pravitate, post annum à tempore admonitionis elapsum, terram illius ipsis exponimus Catholicis occupandam, &c. Salvo Jure Domini Principalis . . . Eadem nihilominus Lege servatâ contra eos qui non habent Dominos Principales.* Ex quibus constat, *Fredericum II.* de Regibus & Principibus Supremis non loqui, sed de Consulibus, Rectoribus, seu aliis Potestatibus Imperii feudatariis.

Apud Goldastum Tom II. Constit. Imp. pag. 195.

Addiderim, *Honorium III. Innocentium IV. Alexandrum IV. & Clementem IV.* Pontifices Maximos, qui *Friderici II.* Constitutionem modò laudatam confirmarunt, prout concepta & edita est,

Tom: 1. Bullar. Rom. pag. 90. & 109.

est, cum ipso existimasse, Imperatoris esse agere in Dominos temporales Hæreticos, nec temporalem in eos animadversionem, si quam haberi necesse sit, à Romano Pontifice expectandam. Itaque de Beneficiariis tantùm Imperii ipsius Constitutionem esse intelligendam; adeóque & Canonem III. Concilii Lateranensis Feudatarios duntaxat Ecclesiæ spectare; cùm eadem verba sint, ut diximus, Imperatoris & Synodi.

Canonem Lateranensem de Principibus supremis non esse intelligendum, Innocentius III. confirmat.

VII. Denique Canonem de quo agimus, non esse de Regibus, vel Supremis Principibus intelligendum, constat ex *Innocentio III.* qui Concilio præfuit, condendisque Canonibus operam navavit. Is enim censebat Ecclesiam vel Romanum Pontificem nullam Jurisdictionem temporalem in Regno Galliæ exercere posse, nisi casualiter, id est, cùm ejus arbitrio Judicium de re temporali à Rege Christianissimo permittitur: Quia Rex Superiorem in rebus temporalibus nullum agnoscit. Atque eadem est Regum cæterorum, qui non sunt Ecclesiæ Beneficiarii, Principúmque Supremorum conditio. Unde multò minùs existimare potuit, auctoritatem deponendi Reges Romano Pontifici vel Ecclesiæ convenire. Patet porro *Innocentii III.* sententia ex Cap. *Per venerabilem. Qui filii sint legitimi.* lib. IV. Decretalium Tit. XVII. Cùm enim Comes Montispessulanus *Innocentium* ipsum rogasset, ut filios, quos ex adulterio susceperat, ingenuitate donaret, protulissétque ad hanc gratiam obtinendam exemplum *Philippi Augusti* Gallorum Regis, cujus filios ex *Maria Moravia* susceptos, post *Ingelburgis* repudium Pontifex legitimos declaraverat: respondit *Innocentius*, Causam esse longè dissimilem: Primò, quia Rex *Philippus* Sententiâ Remensis Archiepiscopi, Sedis Apostolicæ Legati, fuerat ab *Ingelburge* separatus: Comes verò Montispessulanus seipsum ab uxore temeritate propriâ separaverat. Secundò, quia Rex priusquam ad eum probibitio de non contrahendo cum altera pervenisset, aliam superduxit, ex qua prolem geminam suscepit: Montispessulanus autem Comes aliam superduxit in Ecclesiæ contemptum. Tertiò, quia Rex contra matrimonium affinitatis impedimentum objecerat: at Comes nihil objecerat uxori quod matrimonium dirimere posset. Unde non immeritò de filiis Regis dubitari poterat an legitimi vel illegitimi essent, quamdiu pendebat quæstio affinitatis objectæ: sed Comitis filios nothos ac spurios esse, res erat explorata; nec Ipse diffitebatur. Quartò, quæ ratio palmaris est, & ad rem nostram propiùs attinens; quòd Rex nullum agnoscat in temporalibus Superiorem, & se in hoc libenter Ecclesiæ Judicio subjecerit, quæ potestatem filios adulterinos aut spurios ingenuitate donandi non habet nisi intra Ditionem Ecclesiasticam. Posse verò Summum Pontificem Jurisdictionem temporalem exercere, etiam in locis jure Patrimonii Ecclesiæ non subditis, cùm ad ipsum causæ ambiguæ à Principibus deferuntur. Quod ex Allegoria Veteris Testamenti probat, in quo difficiles & ambiguæ causæ ad Sacerdotes Levitici generis referebantur, ut Deuteronomii XVII. cap. à Deo jussum est: quod in Novo etiam Testamento convenit observari, saltem cùm hujusmodi causæ civiles ad Ecclesiæ Judicium, ab iis quorum interest, referuntur. Alia autem ratio erat Montispessulani Comitis, quia dominio alterius subjacebat. En verba Innocentii III. *Insuper* CUM REX SUPERIOREM IN TEMPORALIBUS MINIME RECOGNOSCAT, *sine juris alterius læsione in eo se Jurisdictioni nostræ subjicere potuit, in quo videretur aliquibus, quod per seipsum, non tanquam pater cum filiis, sed tanquam Princeps cum subditis potuit dispensare. Tu autem nosceris*

Epist. 118. lib. V. Edit. Baluzii.

aliis subjacere. Unde sine ipsorum forsan injuria, nisi præstarent assensum, nobis in hoc subdere te non posses: nec ejus auctoritatis existis, ut dispensandi super his habeas potestatem. Rationibus igitur his inducti, Regi gratiam fecimus requisiti, causam tam ex Veteri, quàm ex Novo Testamento tenentes, quòd non solum in Ecclesiæ Patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verùm etiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, temporalem Jurisdictionem casualiter exercemus: NON QUOD ALIENO JURI PRÆJUDICARE VELIMUS, VEL POTESTATEM NOBIS INDEBITAM USURPARE: *Cùm non ignoremus Christum in Evangelio respondisse:* Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. *Propter quod postulatus ut hereditatem divideret inter duos,* Quis, *inquit*, constituit me Judicem super vos? *Sed quia sic in Deuteronomio continetur:* Si difficile & ambiguum apud te Judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram; & Judicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum quem elegit Dominus Deus tuus: veniésque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore, quærésque ab eis qui indicabunt tibi Judicii veritatem: & facies quæcumque dixerint qui præsunt loco quem elegit, & docuerint te juxta Legem ejus, sequerísque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram vel ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio qui eo tempore ministraverit Domino Deo tuo, Decreto Judicis morietur, & auferes malum de Israël. *Sanè cùm Deuteronomium Lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, ut quod ibi decernitur, in Novo Testamento debeat observari. Locus enim quem elegit Dominus, Apostolica Sedes esse cognoscitur. Sacerdotes Levitici generis, Fratres nostri, qui nobis Jure Levitico in executione Sacerdotalis Officii Coadjutores existunt. Is verò super eos Sacerdos sive Judex existit, cui Dominus inquit in Petro:* Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: *Ejus Vicarius, qui est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Et Cap. *Novit. De Judiciis*: declarat, ad se non pertinere Judicium *de feudo*, sed ad Regem, solam autem sibi tribuit *de peccato* decernendi potestatem.

VIII. Objiciet quispiam, *Raymundum* Tolosanum Comitem *Innocentii III.* ac Synodi Lateranensis Sententiâ ditionem suam amisisse, quæ *Simoni* Comiti *Montisfortis* ab iisdem collata est, ut refert *Petrus de Valls-Cernaii*, Cap. LXXXIII. Historiæ Albigensium, utque docet Sententia Tom. VI. Spicilegii Acheriani edita; cujus hic est tenor: *Quantùm Ecclesia laboravit per Prædicatores & Cruce-signatos ad exterminandum Hæreticos & Ruptarios de Provincia Narbonensi, & partibus sibi vicinis, totus penè orbis agnoscit. Et quidem per Dei gratiam & solicitudinem nostram valde profecit, cùm exterminatis utrisque, terra ipsa in Fide Catholica & pace fraterna nunc salubriter gubernatur. Quia verò novella plantatio adhuc indiget irrigari, sacro consulto Concilio ita duximus providendum: ut Raymundus Tolosanus Comes, qui culpabilis repertus est in utroque, nec unquam sub ejus regimine terra possit in fidei statu servari, sicut à longo tempore certis indiciis est compertum, ab ejus dominio, quod utique grave gessit, perpetuò sit exclusus, extra terram illam in loco idoneo moraturus, ut dignam agat pœnitentiam de peccatis ... Tota verò terra quam obtinuerunt Crucesignati adversùs Hæreticos, credentes, & fautores, ac receptores eorum, cum Monte-Albano atque To-*

losa, quæ magis hæreticâ labe corrupta, dimittatur & concedatur (salvo per omnia Catholicorum jure virorum, mulierum, & Ecclesiarum) Comiti Montisfortis viro strenuo & Catholico, qui plus cæteris in hoc negotio laboravit, ut eam teneat ab his à quibus de jure tenenda est. Residua autem terra, quæ non fuit à Cruce signatis obtenta, custodiatur ad mandatum Ecclesiæ per viros idoneos, qui negotium pacis & fidei manu teneant & defendant: ut provideri possit unico adolescenti filio præfati Comitis Tolosæ, postquam ad legitimam ætatem pervenerit, si talem se studuerit exhibere, quòd in toto vel in parte ipsi meritò debeat provideri, prout magis videbitur expedire. Quâ ex Sententia colligitur, *Innocentium III.* & Concilium Lateranense sibi tribuisse potestatem exauctorandi Principes: adeóque hunc esse Canonis tertii sensum.

Respondeo, *Raymundum* Tolosanum Comitem justo bello ditionem suam amisisse; *Simonem* Comitem Montisfortis illam armis pepetisse: electum insuper Terræ Dominum à Cruce signatis, ab Episcopis & Baronibus: Regem Christianissimum, penes quem erat dominium principale, hanc illi concessisse: Summum Pontificem & Concilium confirmasse, Jus ipsius declarando, non aliquid novi Juris conferendo. Gravissimis testimoniis hæc Responsio confirmatur. *I. Petri de Valle-Cernaii*, in Albigensium Historia, Cap. XVII. narrantis quomodo post Biterarum & Carcassonæ expugnationem, *Consilium habuerunt Barones ad invicem, quem deberent præficere terræ prædictæ. Et primum quidem oblatum fuit terræ dominium Comiti Nivernensi, postea Duci Burgundiæ, sed accipere noluerunt. Eliguntur igitur de toto Exercitu duo Episcopi, & quatuor Milites, & insuper Abbas Cisterciensis Apostolicæ Sedis Legatus ad terræ Dominum eligendum: qui firmiter promiserunt, quòd illum eligerent, quem secundum Deum & seculum scirent utiliorem. Hi septem, septiformis Spiritus Sancti gratiâ cooperante, totámque terram misericorditer respiciente, eligunt virum fidelem, Catholicum, moribus honestum, armis strenuum, Simonem Comitem Montisfortis. Statim Abbas Cisterciensis Apostolicæ Sedis Legatus, hujus sacri negotii pater & magister, & Dux Burgundiæ, Comes etiam Nivernensis ad ipsum veniunt, monent, rogant & consulunt, ut suscipiat onus pariter & honorem: quod cùm vir discretissimus instantissimè renueret, & se fateretur insufficientem & indignum, mox Abbas Cisterciensis & Dux, ejus pedibus se provolvunt, preces precibus inculcantes. Comite autem adhuc renuente, Abbas auctoritate suæ legationis utens, præcepit ei districtissimè virtute obedientiæ, ut faceret quod petebant. Suscepit igitur terræ gubernaculum ad laudem Dei, & honorem Ecclesiæ, depressionem hæreticæ pravitatis.*

Simon Comes Montisfortii Occupatarum Raymundi Tolosani Comitis Dominus à Cruce-signatis, ab Episcopis, & Baronibus electus.

Idem breviùs tradit *Guillelmus de Podio Laurentii*, in Chronico, Cap. XIV. *Fuit inter Prælatos & Barones tractatus habitus per Legatum, quis terram acquisitam mereretur, & insisteret acquirendæ: quod oblatum cùm qui majores erant in exercitu recusassent; inventus est Deo devotus & strenuus Simon Comes Montisfortis, qui multis devictus Prælatorum precibus & Baronum, quod cum cæteris primo recusaverat, acceptavit, dicens: Quod defectu unius Campionis nequaquam Dei negotium remaneret.*

Idem testatur *Philippi Augusti* Chronographus *Rigordus*, in ejus Vita, ad annum MCCXIII. *Barones repatriare volentes, omni Clero, & universitate Catholicorum assentiente, & invocatâ Sancti Spiritus gratiâ, electus fuit Simon Comes Montisfortis, ut præesset exercitui Christianorum, & universæ illi terræ. Qui bella Dei gratanter gerenda suscipiens, debellavit civitates & castella, & omnes Hæreticos & eorum fautores sævâ morte interire coëgit, & multa bella gessit, & multas victorias non sine miraculo consecutus est.*

Narrat præterea *Petrus de Valle-Cernaii* Cap. LXXXI. anno MCCXIV. Concilium apud Montem-pessulanum à *Petro* Beneventano Sedis Apostolicæ Legato celebratum, cui Archiepiscopi quinque, viginti & octo Episcopi, pluresque de Baronibus terræ adfuerunt. Legatum Prælatos allocutum in hæc verba: *Repeto & requiro à vobis sub obtestatione divini judicii, & obedientiæ debito, quo Romanæ Ecclesiæ tenemini, ut omni gratiâ, odio, livore postpositis, detis nobis fidele consilium secundum scientiam vestram, cui melius & utilius ad honorem Dei, & Sanctæ Matris Ecclesiæ, & pacem terræ, ad expugnandam vel expurgandam spurcitiam Hæreticorum, concedi & assignari debeat Tolosa, quam Comes Tolosanus tenuit, & aliæ terræ quas occupaverunt exercitus Cruce-signatorum. Omnes Archiepiscopi & Episcopi habuerunt longam & diligentem deliberationem, unusquisque cum Abbatibus suæ Diœcesis, & familiaribus Clericis suis, & quia bonum videbatur & rectum, redegerunt in scriptum, & in hoc tandem omnium & singulorum vota & consilia convenerunt, ut Nobilem Comitem Montisfortis eligerent in totius terræ illius Principem & Monarcham. Postquam ergo Archiepiscopi & Episcopi elegerant Prænobilem Comitem, instantissimè requisierunt à Legato, ut ipse statim traderet totam terram eidem Comiti, sed habito recursu ad litteras Domini Papæ, quas miserat Legato, inventum est quòd Legatus non poterat istud facere inconsulto Domino Papa: & hac de causa communi assensu tam Legatorum, quàm Prælatorum, Ebredunensis Archiepiscopus Girardus, vir multæ scientiæ & totius bonitatis, missus est Romam, & quidam Clerici cum eo, literas tam Legati quàm Prælatorum ferentes secum, in quibus supplicabant Prælati omnes Domino Papæ instantissimè, ut Nobilem Comitem Montisfortis, quem unanimiter elegerant, concederet eis in terræ Dominum & Monarcham.*

Summus Pontifex *totam terram, quam Comes tenuerat Tolosanus, terras etiam illas quas Cruce signati acquisierant, & quas Legatus tenebat per obsides & custodes, commendavit Comiti Montisfortis custodiendas, donec in Concilio Generali, quod in Kalendis Novembris illius anni Romæ convocaverat, de terris prædictis plenius ordinaret*: ut testatur Albigensis Historiæ Scriptor laudatus, qui & Literas *Innocentii* Papæ ad Comitem Montisfortis ea de re datas exhibet. Tandem Lateranense Concilium Generale anno MCCXV. celebratum narrat, in quo *Dominus Papa, approbante pro majori parte & saniori sacrosancto Concilio, statuit quod Tolosa civitas, & aliæ terræ à Cruce signatis obtentæ, concederentur Comiti Montisfortis, qui in prædicto negotio viriliter & fideliter laboravit supra omnes: Terram verò quam Comes Tolosanus habuerat in Provincia, custodiri voluit Summus Pontifex, ut de illa fieret provisio in parte vel in toto, filio dicti Comitis Tolosani, si tamen per certa fidelitatis & bonæ conversationis indicia ostenderet se misericordia dignum esse.*

Ratio porro multiplex afferri potest, cur Pontifex de Tolosani Comitis ditionibus, aliisque à Cruce-signatorum exercitu partis decreverit. Primò quia Rex Christianissimus *Philippus Augustus* bellis implicitus difficilimis, & *Ludovicus* Princeps ejus filius Primogenitus, necnon Cruce-signati Proceres, belli sacri directionem *Innocentio III.* quo susceptum fuerat autore, permiserant, & ideo terras à Cruce-signatis occupatas velut Ecclesiæ partas jure belli spectabat. Hujus rei testis est *Petrus*

Rationes cur summus Pontifex de Tolosani Comitis Ditionibus, aliisque à Cruce-signatorum exercitu partis decreverit.

Petrus de Valle-Cernaii, Cap. LXXXII. ubi primum adventum *Ludovici* Principis, filii Regis Franciæ, in partes Albigensium commemorat, ac *Petro* Beneventano Legato Apostolico metum incussisse scribit, ne Civitates & Castella Tolosano Comiti bello erepta, jure Domini Principalis occuparet, aut absque consilio suo destrueret. *Ludovicum* verò omnia Legati voluntati ac judicio permisisse. *Tolosanam*, inquit, *& Narbonensem civitates, & alia castra hostium Christi in partibus Albigensibus, in manu sua & protectione tenebat, timebátque ne Ludovicus, utpote Primogenitus Regis Franciæ, & totius terræ, quam Legatus tenebat, Dominus Principalis, aliquid potestativè vellet facere contra consilium & ordinationem Legati; aut occupando Civitates & Castella quæ Legatus tenebat, aut etiam destruendo · ideòque sicut dicebatur, & erat verisimile, non placebat Legato adventus & præsentia Ludovici.* Et infra; *Ideo cùm terra illa per Dominum Papam auxilio Signatorum fuisset acquisita, non videbatur Legato, quòd Ludovicus deberet aut posset contra Ordinationes ejus aliquid attentare . . . Ludovicus autem, utpote mitis & benignissimus, respondit Legato, Quod ad voluntatem ipsius & consilium se haberet.*

Raymundus Tolosanus Comes causam suam Ecclesiæ judicio permiserat.

Ratio altera cur Pontifex de terris Tolosani Comitis decernere se posse existimaverit, ea erat, quòd Sedis Apostolicæ Judicio se subjecisset. *Milonis* enim Apostolici Legati voluntati se *in omnibus* obtemperaturum juraverat. Septem Castra *pro securitate* ipsi tradiderat. Consenserat ut Consules Avenionenses, & Nemausenses, & Villæ S. Georgii, jurarent, *Quòd si mandata ipsius Legati venire præsumeret ex adverso, non tenerentur ei hominii seu fœderis fidelitate adstricti: & Comitatus Melgoriensis S. ROMANÆ ECCLESIÆ caderet in commissum.* Ita refert *Petrus de Valle-Cernaii*, Cap. XI. Crucis tesserâ ad fraudem sumptâ, Crucesignatorum Exercitui progressus obviàm est, pacem simulans, promittens *quod AD MANDATUM SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ, ad eorum etiam arbitrium se haberet: super quibus observandis dedit Castella quadam pro securitate. Voluit etiam dare filium suum in obsidem, vel se ipsum.* (Ex eodem Autore, Cap. XV.) Anno MCCX. *Accessit ad DOMINUM PAPAM, tentans si quo modo posset restitui terra sua, quam Legati Domini Papæ pro securitate occupaverant, & Summi Pontificis gratiam adipisci: omnem quippe humilitatem & subjectionem prætendebat vir dolosissimus, & omnia quæcunque DOMINUS PAPA præciperet, promittebat se solicitè adimplere.* (Ex eodem Autore, Cap. XXXIII.)

Anno MCCXIII. Rex Aragonum Narbonensi Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ Legato, & Patribus in Concilio Vaurensi congregatis, pro Tolosano Comite supplicavit, *Quatenus faciendo satisfactionem personalem pro excessibus quibúsque, prout ipsi Ecclesiæ videretur expedire, ac pro damnis & injuriis illatis diversis Ecclesiis & Prælatis satisfaciendo id quod CLEMENTIA MATRIS ECCLESIÆ ipsi duceret injungendum, restitueretur clementer & misericorditer ad possessiones suas, & alia quæ amiserat. Quòd si fortè in persona Comitis nollet Ecclesia ipsius Regis petitionem audire: Petiit & rogavit hoc idem pro filio.* Id responsi dedere Patres: *Tam Causa Comitis, quàm filii, quæ pendet ex facto Patris, auctoritate Superioris est à nobis exempta: cùm idem Comes Tolosæ Regiensi Episcopo & Magistro Theodisio, à DOMINO PAPA negotium fecerit sub certa forma committi. Unde sicut credimus, memoriter retinetis, quot & quantas gratias dicto Comiti post multos excessus ipsius, DOMINUS PAPA fecit: necnon & quam gratiam ad intercessionem vestram & preces, venerabilis Narbonensis Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Legatus, apud Narbonam & Montempessulanum eidem Comiti faciebat, biennio si bene meminimus jam transacto. Volebat siquidem idem Legatus omnes Dominicaturas & proprietates eidem Comiti remanere integras & illæsas: & ut illa Jura quæ habebat in castris aliorum Hæreticorum, quæ de feodo ejus erant, sive alberga, sive quista, sive cavalcata, eidem integra remanerent. De illis præterea castris, quæ erant aliorum Hæreticorum, quæ de feodo ejus non erant, quæ idem Comes dicebat esse quinquaginta, volebat præfatus Legatus, ut quartalis & tertia pars eorum caderet in proprietatem Comitis supradicti. Spretâ verò Comes illâ magnâ gratiâ Domini Papæ ac prædicti Legati Ecclesiæ Dei, veniens directè contra omnia Juramenta quæ olim præstiterat in manibus Legatorum, & addens iniquitatem iniquitati, crimina criminibus, mala malis, Ecclesiam Dei & Christianitatem, fidem & pacem, cum Hæreticis & Ruptariis impugnavit & damnificavit: adeo ut omni gratia & beneficio reddiderit se indignum.*

Vaurensis Concilii Patres ad *Innocentium III.* inter alia scripsere: *Cum autem ultione divinâ & Censurâ Ecclesiasticâ memoratus Athleta Fidei, Comes Christianissimus terras ipsorum tanquam hostium Dei & Ecclesiæ sanctè & justè occupavit prælio fere totas, ipsi adhuc in suâ persistentes malitiâ, & humiliari sub potenti manu Dei contemnentes, nuper ad Regem Aragonum recurrerunt, per quem fortè intendunt vestram circumveniri Clementiam, & Ecclesiam sugillare . . . Pro certo sciatis, quod si terra quæ dictis Tyrannis* (scilicet Comitibus Tolosano, Fuxensi, Convenarum, & Gastoni Bearnensi) *cum tantâ justitiâ, & multâ Christianorum effusione sanguinis est ablata, ipsis aut heredibus eorum restituatur, non solum fieret novissimus error pejor priore, sed exinde excidium Clero & Ecclesiæ inæstimabile immineret.* Hæc legimus in laudatâ Albigensium Historiâ, Cap. LXVI.

Ante Synodum Vaurensem, Tolosanus Comes interpositâ Jurisjurandi religione, se ditionésque omnes suas Regis Aragonum potestati tradiderat, ut si opus esset, cogi ab eo posset ad obediendum. Idémque fecerant Comites Fuxi & Convenarum, & *Gasto de Bearno*. Juramentorum instrumenta Rex ad *Innocentium III.* miserat, ut ejus gratiam captaret, séque Sedi Apostolicæ addictissimum persuaderet. In Tolosani Comitis Juramento hæc observanda. *Tradentes vobis etiam & in vos, císque qui locum vestrum tenuerint, transferentes corporalem possessionem locorum omnium, & Jura omnia, seu rationes, plena Jurisdictione ac potestate, tali modo quòd tam in personis nostris, quàm iis omnibus nominatis, VOLUNTATI DOMINI PAPÆ ET MANDATO possitis obtemperare, & satisfacere, & cogere cum effectu nos, si fortè proni & acclives ad mandatum ejus prosequendum, quod Deus avertat, noluerimus adesse: Promittens vobis bona fide, quod tam ea quæ Dominus Papa, vel vos pro eo, nobis mandaveritis, pro posse nostro faciemus, & adimplebimus sine dolo & fraude.* Hoc, aliáque Instrumenta ex Historia Tolosanorum Comitum Clarissimi *Catelli* descripta sunt in Labbeana Conciliorum Collectione, Tom. XI. P. I. pag. 91.

Anno MCCXV. *Raymundus* Tolosanus Comes, & filius ejus, & Comes Fuxi, ad Lateranense Concilium venerunt, *Supplicaturi Concilio, pro recuperatione terræ suæ, quam perdiderant, divinâ disponente censurâ, suffragante auxilio Signatorum. Comes verò Nobilis Montisfortis misit illuc fratrem suum germanum, Guidonem de Monteforti, aliósque fideles*

Nuncios

Nuncios & discretos. Verum quidem est, quòd fuerunt ibi aliqui, etiam, quod est gravius, de Prælatis, qui negotio fidei adversi, pro restitutione dictorum Comitum laborabant, sed non prævaluit consilium Achitophel, frustratum est desiderium malignorum. Verba sunt *Petri de Valle-Cernaii*, in Historia Albigensium, cap. Lxee. cum quo *Guillelmus de Podio Laurentii* concordat capp. exiv. xxv. & xxvi. Ex his omnibus liquet, *Raymundum Tolosanum* Comitem caussam suam Ecclesiæ Judicio permisisse, & *Innocentium III.* Synodúmque Lateranensem agnovisse negotii illius Judices, in quo de fortunæ suæ rerúmque summa agebatur.

Simon Comes Montisfortis Tolosanum Comitatum Regis Christianissimi concessione obtinuit.

Denique Regis Christianissimi, Principalis Domini concessione Monfortius Comes Tolosanum Comitetum obtinuit: nec *Innocentius III.* & Synodus Lateranensis aliquid hoc in negotio statuerunt, quod Regi non ellubuisset. Id constat ee *Rigordi* coævi Scriptoris testimonio in Vita *Philippi Augusti* Regis, *Ludovico VIII.* ejus filio dicata, pag. 66. apud *Duchesnium* Tom. V. Historiæ Franciæ Scriptorum. *Per hæc tempora*, inquit, *Simon Comes Montisfortis factus est Comes Tolosanus, Innocentio Papa procurante, & Rege Philippo concedente, propter hæreticam pravitatem Albigensium, & propter apostasiam Raymundi Comitis Tolosani.*

Idem testatur *Guillelmus Brito* coævus item Autor lib. VIII. *Philippidos*, pag. 192. apud *Duchesnium*, in eodem Tomo, ubi de *Raymundo* Tolosano Comite ita scribit:

Dehinc quia nec Papa monitis, nec Regis amico
Consilio Comes ille ferus parere volebat,
Ut saltem reprobos cuivis exponeret hosti,
Aut per se puniret eos, ut jura jubebant;
Imò tuetur eos, & eorum prava per ipsam
Secta viget, dum non prohibendo fit unus eorum:
Rex & Papa simul exponunt omnibus illum,
Et res & patriam totam quæ spectat ad illum,
Ut qui prævaleat armis & viribus illi
Tollere quid, proprios licitè convertat in usus,
Et Dominus fiat rerum quas auferet illi.

Idem colligitur ex *Petro de Valle-Cernaii*, in Albigensium Historia, Cap. Lxxxiii. *Post reditum*, inquit, Nunciorum suorum à Concilio, Comes Montisfortis, *de Prælatorum terræ Albigensis, & Baronum suorum consilio, perrexit in Franciam ad Dominum suum Regem, ut ab eo terram reciperet, quæ de feudo ejus erat. Quantus autem honor ei exhibitus in Francia, nec à nobis scribi, nec ab audiente de facili credi posset. In quamcunque enim civitatem, castellum, seu villam intrabat, exibant ei obviàm cum Processione Clerus & Populus, & clamantes & dicentes:* Benedictus qui venit in nomine Domini: *tantáque & talis erat pia & religiosa devotio populi, quòd beatum se esse dicebat, qui ejus poterat tangere fimbriam vestimenti. Veniens Comes ad Regem, ab eo benignissimè & honorificè est susceptus. Post jucunda verò grata familiaritatis colloquia, Rex investivit Comitem, & confirmavit Ducatum Narbonæ & Tholosæ ei & heredibus ejus: totam etiam terram quam in feudo ejus acquisierant Crucesignati, contra Hæreticos & Defensores eorum.* Idem testatur Chronicon inscriptum, *Præclara Francorum Facinora*, pag. 771. apud *Duchesnium*, Tom. V.

Bellarminus Cardinalis refellitur.

IX. Ex his quæ hucusque diximus, perspicuum est, doctissimos Cardinales *Bellarminum* & *Perronium*, Lateranensis Concilii sensum non fuisse assecutos, cùm ex eo rectè colligere sibi visi sunt, Romanum Pontificem potestatem habere in temporalia Regum. Modum certè *Bellarminus* excessit, cùm falsam illam opinionem velut dogma fidei tuitus est, & *Barclaium* virum inprimis Catholicum, sed Regii Juris, ut decebat vindicem, velut ethnicum & publicanum traducit, in Tractatu de Potestate temporali Papæ adversùs ipsum edito, ubi recensito Lateranensi Canone ait: *Quid hic Barclaius diceret? Si hæc non est Ecclesiæ Catholicæ vox, ubi obsecro eam inveniemus? Et si est, (ut verissimè est,) qui eam audire contemnit, ut Barclaius fecit, annon ut ethnicus & publicanus, & nullo modo Christianus & pius habendus erit? Si non habet Summus Pontifex potestatem in terris disponendi de temporalibus usque ad depositionem Principum eorum, qui vel ipsi Hæretici sunt, vel Hæreticis quoque modo favent, cur in editione hujus Canonis nullus ex tanto numero reclamavit?* Mirari subit quomodo vir alioqui doctissimus, Ecclesiæ Catholicæ vocem dicerit opinionem illam, quæ ante *Gregorium VII.* ignota erat, à qua velut ab origine dogmatis istius traditionem *Bellarminus* ipse derivet? Quæ Scripturæ Sacræ & Traditioni palam adversatur, ut Gallicana Ecclesia & totius orbis Christiani Academia Princeps Sacra Facultas Parisiensis sentiunt ac propugnant? Absit ut opinionem tetram & immanem, ad seditiones & parricidia Principum excitantem, Schismati occasionem præbentem, supremæ Regum autoritati à Deo solo dependenti derogantem, Regnorum, Statuum, Rerúmque Publicarum eversivam, Principum Infidelium & Hæreticorum conversionem impedientem, unicæ Columbæ, pacificæ Christi Sponsæ vocem dici feramus, quæ ut Præpositis etiam dyscolis, ita & Regibus etiam impiis, hæreticis, ethnicis, persecutoribus ac tyrannis, in iis quæ Legi Dei non adversantur, parendum esse docuit semper, à SS. Patribus, ab Apostolis, à Christo ipso hanc doctrinæ formam habens (ut Dissertatione II. in Historiam XI. & XII. Seculi à nobis demonstratum est) Absit ut velut Ethnicos & Publicanos patiamur sugillari, qui errorem adeo perniciosum rejiciunt, impugnant, damnant, execrantur. Ex Ecclesiæ sanè Romanæ ingenio id non scripsit *Bellarminus*, quæ Gallicanæ Ecclesiæ Præsules, secundi Ordinis Sacerdotes, Religiosos Viros, Theologos omnes, opinionem de indirecta Summi Pontificis & Ecclesiæ Potestate in temporalia Regum, ceu verbo Dei contrariam damnantes, & meritò damnatam propugnantes, ut filios complectitur; Quæ Regnorum aliorum eruditos viros plerosque idem nobiscum sentientes, ut verè Catholicos habet; Quæ Anglis Heterodoxis maternum sinum aperit, si Fidem Catholicam juxta formam in Diplomate Pii Quarti, *Injunctum*, profiteantur, etiamsi nullam vel indirectam potestatem in Regum temporalia Romano Pontifici competere constanter asserant, contrariámque opinionem verbo Dei repugnare contendant. *Bellarmini* Censurâ prudentiores sunt ec in lance veritatis accuratiùs libratæ Censuræ Sacræ Facultatis Parisiensis, quæ Ultramontanos Theologos, opinionem illam falsam, erroneam, verbo Dei contrariam, aliísque notis à se inustam, docentes & propugnantes, ut *Ethnicos & Publicanos* non habet, nec illam *Hæreticam* dicit, quia nondum ab Ecclesia ut hæretica damnata est. Ad interrogationem autem doctissimi Cardinalis facilè respondemus: In editione ac promulgatione Canonis tertii Lateranensis Patrum vel Oratorum reclamasse neminem, quia illis exploratum erat longè alium esse istius Canonis sensum ab eo quem ipsi affinxit, nec indirectæ potestatis Romanorum Pontificum vel Ecclesiæ in temporalia Regum ac Principum supremorum consento & errori ullatenus favere.

Author ex sententia Facultatis Theologicæ Parisiensis loquitur, ejusque Censuratum verba usurpat.

SCHOLION

SCHOLION

Tertio Articulo hanc notam inusserunt Religiosi Censores. *Dissertationis tertiæ Articulus tertius totus expungendus est, utpote scatens erroribus, insuper effreni & audaci stylo contra auctoritatem Ecclesiæ.*

R. Totus hic Articulus unum probat, scilicet Lateranensis Concilii Canonem tertium Ecclesiæ vel Romano Pontifici potestatem indirectam in temporalia Regum & Principum supremorum non tribuere. Propterea Articulum erroribus scatere clamant Religiosi Censores, quamvis nihil contineat quod dogma spectet, præter doctrinam sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ. Tantum abest ut effreni & audaci stylo contra auctoritatem Ecclesiæ scripserim; ut potiùs Ecclesiam, & Concilium generale ipsam repræsentans, ab errore vindicaverim. *Opinionem falsam* (inquam) *erroneam, verbo Dei contrariam, ab Oecumenica Synodo non solum definitam ac traditam existimare fides prohibet, quæ Ecclesiam in dogmatibus judicandis a veritate deficere non posse credimus: sed Canones suos secundum opinionem hujusmodi condidisse Synodum in Spiritu Sancto legitimè congregatam, non sine vetant pietas & reverentia quam Ecclesiæ debemus; maximè si commodam sensum Canones illi patiantur.* Hiccine stylus est effrenis & audax contra auctoritatem Ecclesiæ? Opinionem quidem de indirecta Romani Pontificis potestate in temporalia Regum, scripsi falsam esse, erroneam, verbo Dei & doctrinæ Patrum contrariam. Non mea propria, sed totius Facultatis Theologicæ Parisiensis verba sunt in sua Censuris. Sed doctrina quam his verbis notavit sacer Parisiensium Theologorum Ordo, non est doctrina Ecclesiæ, sed privatorum quorumdam Theologorum, quamobrem non mihi uni, sed sacræ Facultati Parisiensi & Ecclesiæ Gallicanæ injuriam faciunt Indiculi Censorii Authores, cùm hunc Articulum erroribus scatere, insuper effreni & audaci stylo contra auctoritatem Ecclesiæ, mihi improperant. Doctrinam Christianissimæ celeberrimæque Facultatis quæ tot in Ecclesiam & Sedem Apostolicam meritis insignis est, quæ OMNE STUDIUM D ET CURAM PRO FIDEI DEFENSIONE ET HÆRESUM EXTIRPATIONE INCESSANTER ADHIBUIT, ET ETIAMNUM ADHIBET, (ut Innocentius VIII. in Literis ad Theologos Parisienses datis testatur) hujus inquam doctrinam ne minimùm probabilem censere licet; adeoque probabile esse quòd sententia de indirecta potestate Pontificum in Regum temporalia sit falsa, erronea, verbo Dei contraria, &c. Ita enim censet sacra Facultas, ita pronuntiavit quæstione pluries examinatâ & discussâ, ut patet ex ejus Censuris, quas tamen Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ judicio subjicit, cujus auctoritati doctrinale quodcumque Theologorum judicium cedere debet, cùm Ecclesia & Sedes Apostolica fidelium omnium, ipsorumque Doctorum, Academiarum, & ECCLESIARUM MATER sit ET MAGISTRA. Qui sic loquimur, sic affecti sumus, contra Ecclesiæ auctoritatem stylo effreni & audaci non scribimus.

DISSERTATIO IV.

De Sensu Canonis, OMNIS UTRIUSQUE SEXUS.

I. PAROCHIALIBUS Ecclesiis cùm certi assignati limites essent, ultra quos Rectoribus illarum ad Sacramenta administranda excurrere nefas esset; ac nihilominus alienas oves ad se traherent, eorum temeritatem Decretis suis coërcuit Ecclesia. *Theodulphus* Aurelianensis Episcopus in suo Capitulari edito anno DCCXCVII. Cap. XV. hanc sanxerat disciplinam. *Nullus Presbyter Fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ de alterius Presbyteri Parochia persuadeat, ut ad suam Ecclesiam concurrant relictâ propriâ Ecclesiâ, & suas decimas sibi dent; sed unusquisque sua Ecclesia & populo contentus, quod sibi non vult fieri, alteri nequaquam faciat... Quisquis autem contra hæc Constituta venerit, aut his Monitis nostris reniti tentaverit, aut gradum se sciat amissurum, aut in carcere longo tempore retinendum.* Ejusdem observantiam disciplinæ Regum nostrorum Capitularia promoverunt. Lib. VII. Cap. XLVIII. hæc statuta leguntur. *Sit unusquisque Sacerdos concessis sibi contentus limitibus, nec in alterius Parochia quicquam præsumat, ne usurpatione locus alicujus in alterius concedatur injuriam.* Et Cap. LXVIII. *Nullus Sacerdos in alterius civitate vel Diœcesi Pœnitentem vel sub manu positum Sacerdotis, vel qui reconciliatum se esse dixerit, sine consensu & literis Episcopi vel Presbyteri in Parochia Presbyter aut Episcopus in civitate suscipiat.* Secunda parte Decreti, Dist. VI. *De Pœnitentia*, Causa XXXIII. Quæst. [illegible] Cap. *Placuit*, jubet, *Ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad Pœnitentiam suscipere, sine ejus consensu, cui prius se commisit, nisi pro ignorantia illius, cui Pœnitens priùs confessus est. Qui verò contra hæc Statuta facere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit.* Eodem spiritu ducti Concilii Oecumenici Lateranensis IV. Patres, ut pacem inter Parochialium Rectores Ecclesiarum foverent, ac Parochiatum perturbationem confusionémque prohiberent, Statutum, *Omnis utriusque sexus*, de Confessione *Proprio Sacerdoti* singulis annis facienda condiderunt, Can. XXI. cujus hæc sunt verba:

Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, Proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè, de consilio Proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ. Unde hoc salutare Statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat à Proprio Sacerdote, cum aliter ille ipsum (vel ut alii legunt) *cùm alter ille ipsum non possit solvere vel ligare.*

II. Quisnam sit Canonis istius sensus, diu multùmque disputatum est, & etiamnum disceptatur. Nonnulli nomine Proprii Sacerdotis solum Parochum intelligendum volunt: alii Summum Pontificem, Diœcesanum Episcopum, & Parochum, alii omnes Presbyteros à Romano Pontifice & Episcopo sine restrictione approbatos. M. *Joannes Launoius* in Libro qui inscribitur, *Explicata Ecclesiæ Traditio circa Canonem* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, prolixè hoc argumentum tractat, ac solum Parochum proprii Sacerdotis nomine designari probat. Ego pariter designari Parochum arbitror, salvâ tamen Summi Pontificis, in toto orbe Christiano, & Episcoporum in suis Diœcesibus auctoritate: ita ut qui peccata sua semel in anno ipsis, vel Presbyteris quos ad id muneris absque restrictione delegaverint, confessi fuerint, Canoni *Omnis utriusque sexus*, paruisse censendi sint.

Proprii Sacerdotis nomine Parochus designatur.

III. Sanè ante *Innocentii III.* tempora *Proprii Sacerdotis* nomine significatum Parochum, vel Presbyterum quemlibet ab Episcopo ad Sacramenta administranda institutum vel delegatum, verba *Alexandri III.* Cap. *Nuper*, *De Sententia Excommunicationis*, disertè probant. *Concedimus indulgendo* (inquit) *ut præstitâ juxta formam Ecclesiæ cautione, quod Excommunicatoris mandato parebit, à suo absolvatur Episcopo, vel Proprio Sacerdote.* Idem probat Lateranensis Concilii III. cui ipse præfuit, Canon XII. *Cùm dicat Apostolus Paulus abundantiorem honorem membris infirmioribus deferendum,*

vendum, contra quidam quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi quærentes, leprosos qui cum sanis habitare non possunt, Proprii non permittunt juvari ministerio Sacerdotis. Quod quia procul à pietate Christiana esse dinoscitur, de benignitate Apostolica constituimus, ut ubicumque tot simul sub commune vita fuerint congregati, quòd Ecclesiam cum Cœmeterio simul constituere, & proprio gaudere Presbytero, sine contradictione aliqua permittantur habere. Caveant tamen ne injuriosi sint veteribus Ecclesiis de Jure Parochiali. Quod enim pro pietate conceditur, ad aliorum injuriam nolumus redundare.

IV. Innocentius IV. *Proprii Sacerdotis* nomine designatum à Synodo Lateranensi Parochum intellexit, non exclusis tamen Summo Pontifice & Episcopis, & qui ab ipsis sine restrictione delegati fuerint. Iis scilicet universos cujuscumque Ordinis Religiosos Viros compellat editâ Neapoli Constitutione xi. Kalendas Decembris anno xii. Pontificatûs: *Nihil novum in vestrum inducendo gravamen, sed antiqua & moderna Jura in medium deducendo, Universitati vestræ per Apostolica Scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, quatenùs Parochianos alienos diebus Dominicis & festivis non recipiatis de cætero in vestris Ecclesiis, seu Oratoriis temerè ad Divina; nec ipsos, sine Sacerdotis sui licentiâ ad Pœnitentiam nullatenus admittatis: cùm si quis alieno Sacerdoti justâ de causa sua voluerit confiteri peccata, secundum Statuta Generalis Concilii, licentiam priùs postulare & obtinere debeat à Proprio Sacerdote, vel saltem sibi primò confiteri, & recipere beneficium absolutionis ab eodem. Aliter etenimque ab ipso solvi non poterit; cùm duplex in judicando funiculus, scilicet potestatis & scientiæ, requiratur, quorum alterum constat in alieno deficere Sacerdote.* Proprium Sacerdotem vocat, quem Parochianus habet continuò præsentem, & hunc opponit alieno, qui judicandi potestatem non habet. Parochum itaque intelligit, & à Concilio intellectum significat; sed non excludit, nec exclusum censet Episcopum vel Summum Pontificem. Quis enim ipsos dixerit alienos Sacerdotes, id est, potestatem ligandi & solvendi non habentes? Hanc tamen *Innocentii IV.* Constitutionem revocavit *Alexander IV.* fiduciario Decreto, ut constat ex ejus Diplomate dato Neapoli xi. Kalendas Januarii, Pontificatus anno primo, quod incipit: *Nec insolitum.*

V. *Martinus IV.* Constitutione quæ incipit: *Ad uberes*, datâ quarto Idus Januarii, Pontificatus anno primo, id est MCCLXXXI. Fratribus Minoribus permittit ut à Ministro suo Generali, vel Provinciali cum Diffinitoribus approbati, Fidelium Confessiones audire valeant: eâ tamen lege ut Parochiani apud suos Presbyteros Parochiales semel in anno peccata deponant, secundùm Concilii Generalis Decretum: proindéque nomine Proprii Sacerdotis Parochialem Presbyterum à Synodo Lateranensi intellectum existimavit. *Volumus autem* (inquit) *quod ii qui Fratribus confitebuntur eisdem, suis Presbyteris Parochialibus confiteri saltem semel in anno, prout Concilium Generale statuit, teneantur: Quodque iidem Fratres eosdem ad hoc diligenter & efficaciter, secundum datam sibi à Domino gratiam, exhortentur.*

Dubitatum fuit ac ultrò citróque disputatum, an ex *Martini IV.* Privilegio, & vi Constitutionis *Omnis utriusque sexus*, confessi Fratribus Minoribus & Prædicatoribus tenerentur eadem peccata Parochialibus Presbyteris iterum confiteri. Partem affirmantem *Henricus de Gandavo* Doctor Theologus Parisiensis, aliique propugnabant: negantem Regulares tuebantur. Magistri Parisienses id consilii dedere; ut *quandiu hæc quæstio esset dubia Parisiis, ubi magis quàm alibi in mundo est copia peritorum, tandem deberent confiteri suis Parochialibus Presbyteris, de quorum certâ auctoritate nulli Sacræ Scripturæ, vel Canonum Periti dubitaverunt hactenus, qui in locum* LXXII. *Discipulorum, sicut Episcopi in locum Apostolorum certissimè successerunt.* Ita refert *Eberardus* Ruisponensis Archidiaconus in Annalibus ad annum MCCLXXXVII. subditque: *Tandem super eadem quæstione omnes Archiepiscopi, Episcopi, & totus Clerus Regni Franciæ, solemnes Nuntios cum aliis viris sapientibus ad Sedem Apostolicam transmiserunt, & quilibet eorum centesimam partem omnium redituum & proventuum Ecclesiasticorum contribuit eisdem Nuntiis pro expensis. Sed Dominus Nicolaus, quamvis assumptus esset de Ordine Minorum Fratrum, eamdem quæstionem pro neutra parte voluit terminare. Unde remanet usque hodie suspensa.* Quæstio non erat de Viris Religiosis, quos Episcopi absolutè & absque restrictione nominatim approbassent; sed qui supposito generali Privilegio Summi Pontificis, à suis duntaxat Superioribus erant ad Confessiones audiendas destinati. Dubitabatur utrum Fideles, qui peccata apud ipsos deposuerant, eadem Parochis confiteri tenerentur. Non venerat in dubium an tenerentur, si apud ipsum Episcopum, Vicarium ejus Generalem, aut Pœnitentiarium, vel alios Presbyteros sive Seculares, sive Regulares ab Episcopo nominatim & absque restrictione approbatos, ipsa deposuissent: siquidem quod de Parochis scribit *Eberardus*, multò magis de Episcopis perspectum erat, quòd *De ipsorum certa auctoritate nulli Sacræ Scripturæ vel Canonum Periti dubitassent hactenus:* cùm non in locum duntaxat LXX. Discipulorum, sicut illi, sed *in locum Apostolorum certissimè successerint.* Nec Archiepiscopi & Episcopi hanc causam suscepissent, si à Proprii Sacerdotis notione se putassent exclusos.

VI. *Benedictus XI.* in Extravaganti quæ incipit, *Inter cunctas*, Proprii Sacerdotis nomine Parochum intellexit. *Cæterùm* (inquit) *licèt de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen propter erubescentiam, quæ magna est Pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre, districtè injungimus ut Fratres ipsi confitentes attentè moneant, & in suis Prædicationibus exhortentur, quòd suis Sacerdotibus semel confiteantur in anno, asserendo id ad animarum profectum procul dubio pertinere.* De iis loquitur, qui Fratribus, non qui Episcopis, vel ab iis nominatim & absque restrictione approbatis; & multò minùs de iis qui Romano Pontifici, vel ejus Pœnitentiariis confessi essent. Et iterationem illam Confessionis utilem duntaxat, non necessariam asserit.

VII. Sed quid sequentes Pontifices circa Proprii notionem Sacerdotis consulere opus est? cùm Lateranensem ipsam Synodum hoc nomine Parochum intellexisse, manifestum sit ex Canone XXII. cujus hæc sunt verba: *Qui verò Parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per se ipsum illi deserviat in Ordine quem ipsius Ecclesiæ cura requirit, nisi fortè Præbendæ vel Dignitati Parochialis Ecclesia sit annexa: In quo casu concedimus ut qui talem habet Præbendam vel Dignitatem; cùm oporteat eum in Majori Ecclesia deservire, in ipsa Parochiali Ecclesia idoneum & perpetuum studeat habere Vicarium canonicè institutum, qui congruentem habeat de ipsius proventibus portionem: alioquin illâ se sciat hujus Decreti auctoritate privatum, aliis liberè conferenda... Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus Ecclesiæ, quæ curam Proprii Sacerdotis debet habere,*

bere, pensionem alii, quasi pro Beneficio conferre præsumat.

VIII. Tolosana Synodus anno MCCXXVIII. celebrata, Canone XIII. eodem sensu Proprii Sacerdotis nomen accepit, pro Parochiali scilicet Presbytero. *Omnes autem utriusque sexus*, inquit, *postquam ad annos discretionis pervenerint, Confessionem peccatorum faciant ter in anno Proprio Sacerdoti, vel alii voluntate ipsius vel mandato, injunctam Pœnitentiam humiliter & pro viribus impleturi, & ter in anno, in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste, Sacramentum Eucharistiæ cum omni reverentia suscepturi: ita quòd Confessio Communionem præcedat: nisi fortè ob aliquam causam rationabilem, ad tempus ab ejus participatione abstinuerint, de consilio Proprii Sacerdotis. Soliciti sint itaque Presbyteri circa ista, ut ex nominum inspectione cognoscant, utrum sint aliqui qui communicare subterfugiant. Nam si quis à Communione, nisi de consilio Proprii Sacerdotis abstinuerit, suspectus de hæresi habebitur.*

IX. Concilium Biterrense anno MCCXLVI. celebratum, à *Guillelmo* Narbonensi Archiepiscopo & ejus Suffraganeis, Proprium Sacerdotem ad mentem Concilii Lateranensis, intelligit Proprium Capellanum seu Parochum, Canone XLVI. *Statuit etiam præsens Concilium, quòd nomina illorum omnium, qui peccata sua confessi fuerint, scribantur à Propriis Capellanis qui Confessiones audierint eorumdem, ut laudabile testimonium de Confessionibus eorum valeant perhibere. Illis verò qui confiteri Proprio Sacerdoti contempserint saltem semel in anno, à quatuordecim annis supra, vivis introitus Ecclesiæ, usque ad satisfactionem condignam, mortuis verò interdicatur Ecclesiastica sepultura... Qui verò Proprio Sacerdoti semel in anno confessi non fuerint, vel alii de ejusdem Capellani licentia speciali, ad Sacramenta Ecclesiastica minime admittantur.*

X. Concilium Arelatensis Provinciæ à *Florentino* Archiepiscopo anno MCCLX. celebratum, Canone XVI. Proprium Sacerdotem pro Curato accipit. *Quia*, inquit, *propter imbecilliam & impotentiam, & pauperum occupationes & penuriam, aliquando per villas & oppida consueverunt Pœnitentiarios suos in Quadragesima destinare, ut eos à Casibus, qui Majoribus reservantur, absolvant: frequenter accidit, ut magna pars Christianorum, occasione hujusmodi Pœnitentiariorum, Propriis Sacerdotibus super Confessionibus illudant, asserentes se dictis Pœnitentiariis fuisse confessos, cùm tamen per hujusmodi Confessores vix aut nunquam possit pars populi modica suorum peccatorum Confessionibus generaliter expediri. Ut ergo de cætero Populares, occasiones hujusmodi frivolas non prætendant: inhibemus ne Confessores hujusmodi, qui mittantur solummodo ad prædicta, super villas & Parochias Diœcesis discurrentes, generalibus Parochianorum Confessionibus audiendis se occupent, nisi de mandato Prælati, & licentia Curati: sed eos ad Proprios remittant Sacerdotes; & à casibus, pro quibus mittuntur, Pœnitentes absolvant: Ne ipsi Parochiani mandatum de confitendo saltem semel in anno Propriis Sacerdotibus simulatorie & dolosè se gaudeant evasisse.*

XI. Concilium Senonense anno MCCLXIX. Canone IV. eodem sensu Proprii Sacerdotis nomen usurpavit, & ab Oecumenica Synodo Lateranensi usurpatum intellexit. *Statutum*, inquit, *Concilii Generalis de viventibus arcendis ab ingressu Ecclesiæ, & morientibus qui Christianâ debent sepulturâ carere, nisi saltem semel in anno peccata sua confessi fuerint Proprio Sacerdoti, & ad minus in Pascha susceperint reverenter Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de Proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ab ejus perceptione ad tempus abstinendum duxerint, observetur firmiter, & frequenter in Ecclesiis publicetur. Caveant Sacerdotes, ne ad Communionem Altaris aliquem admittant, nisi sibi, vel alii idoneo de sua licentia, omnia peccata sua sit confessus.* Legem istam à Provinciali Synodo Episcopis non imponi, sed secundi Ordinis Sacerdotibus, sive Parochialibus Presbyteris, clarum est.

XII. Concilium Arelatense anno MCCLXXV. à *Bertrando de Sancto Martino*, Arelatensi Archiepiscopo celebratum, Canonibus XIX. XX. & XXI. Proprium Sacerdotem interpretatur Parochum. *Statuimus* (inquit Canone XIX.) *quòd omnes Sacerdotes curam animarum habentes, de bonis ipsarum Ecclesiarum emant chartularia, in quibus quolibet anno, saltem in Quadragesima, conscribant nomina Parochianorum, qui ad Pœnitentiam venerunt, & dicta chartularia teneant & custodiant diligenter, ipsa, quando ab Ecclesia recesserint, penes Ecclesiam dimittentes. Nomina autem illorum, qui in Quadragesima non fuerint ad Confessionem faciendam Proprio Sacerdoti, vel alii de licentia ipsius, in Synodo post Pascha, per Proprios Sacerdotes in scriptis, ad Diœcesanum Episcopum deferantur. Et si contigerit quòd Religiosi, aut alii Confessiones audiant, præsertim in Quadragesima, de Parochia alicujus, nomina sibi confitentium, infra octavam Paschæ, in scriptis tradant Proprio Sacerdoti, ut sic Parochialis Sacerdos certitudinem habeat de Confessionibus subditorum, ad fraudulentas quorumdam Parochianorum versutias evitandas, & animarum pericula evitanda.*

Canone XX. *Adjicimus etiam huic Statuto, quòd si Parochianum alicujus mori contingat, de cujus Confessione factâ infra annum non constat Proprio Sacerdoti, non tradatur Ecclesiastica sepulturæ absque Diœcesani Episcopi licentia speciali.*

Canone XXI. *Et quoniam Parochialibus Presbyteris curam animarum habentibus specialiter & principaliter cura commissa est animarum: Statuimus inhibentes, quòd infirmantium Confessiones, nonnisi per ipsos Parochiales Presbyteros, si haberi poterint, vel per alios Presbyteros Seculares vel Religiosos, de ipsorum licentia, audiantur: quam licentiam dari volumus & præcipimus ab eisdem liberaliter & libenter, cùm fuerint requisiti.*

XIII. Parochialem Presbyterum Proprii Sacerdotis nomine pariter intellexit Concilium apud *Pontem Audomari* à *Guillelmo de Flavacuria* Rothomagensi Archiepiscopo, & Suffraganeis celebratum anno MCCLXXIX. Canone V. *Præterea præcipimus, ut secundum Statuta Concilii Generalis, quilibet Christianus singulis annis ad minus semel confiteatur Proprio Sacerdoti, vel alii potestatem habenti audiendi Confessionem ejusdem, & salutarem simul Pœnitentiam injungendi: atque quòd Viaticum recipiat in Paschate, nisi rationabilis causa subsit, quare à recipiendo Viatico debeat abstinere. Alioqui contra talem, tanquam suspectum de hæresi procedatur. Adjicientes, quòd nomina talium per suos Presbyteros Ordinario eorum insinuentur.* Ordinarius est Episcopus, cujuslibet Christiani Proprius Presbyter est Curatus, ut magis adhuc liquet ex Canone præcedenti ejusdem Concilii: *Statuimus etiam & ordinamus, quod excommunicati à Canone propter violentam manuum injectionem in Clericum, cùm de hoc legitimè constiterit, per Parochiales Presbyteros ad mandatum Ordinariorum suorum, excommunicati publicè nuntientur, &c.*

XIV. Eamdem Proprii Sacerdotis notionem tradit Synodus Coloniensis à *Siffrido* Archiepiscopo

celebrata anno MCCLXXX. Cap. VIII. *Præcipimus*, inquit, *ut omnes Sacerdotes Parochialium Ecclesiarum frequenter & diligenter subditos suos utriusque sexus admoneant, ut postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia peccata sua integrè, & ad minus semel in anno, confiteantur Proprio Sacerdoti Parochiali, & injunctam sibi Pœnitentiam studeant adimplere, suscipiendo ad minus reverenter in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi consilio Proprii Sacerdotis, ob aliquam causam rationabilem duxerint abstinendum. Alioqui viventes ab Ecclesia ingressu arceantur; morientes Christianâ careant sepulturâ. Si quis autem Proprio Sacerdoti Parochiali ad minus semel in anno plenè & integrè confessus non fuerit, præcipimus quòd Sacerdos in Pascha ei Sacramentum minimè administret.*

Item Sacerdotes diligenter attendant, qui Parochiani eorum, saltem in anno semel ad Confessionem non veniant: & nomina illorum ad Nos, vel ad Officialem nostrum, seu ad Ordinarium loci referant, ut debitè puniantur, ne ab ipsis Sacerdotibus notam negligentiæ requiramus.

Si quis tamen alieno Sacerdoti, vel alicui Religioso, justa de causa, voluerit confiteri, licentiam primò postulet & obtineat à Proprio Sacerdote: ita tamen quod semel ad minus in anno Proprio Sacerdoti plenè & integrè (ut dictum est) confiteatur.

XV. Concilium Provinciale Rothomagense in Ecclesia *B. Mariæ de Prato* juxta Rothomagum, celebratum anno MCCXCIX. Proprium Sacerdotem alium intelligit à Prælato sive Episcopo, qui certos casus sibi reservat. Sic enim habet Canone VI. *Animarum saluti consulere, ac earum periculis obviare volentes, statuimus quòd Prælati FF. Prædicatoribus, aut Minoribus, aliisve Religiosis quibuslibet, potestatem absolvendi subditos à peccatis suis de cætero non committant in casibus, qui de Jure vel Consuetudine reservantur eisdem, nisi certis personis & notis duntaxat, quarum Prælati industriam duxerint eligendam in certis casibus, qui in concessione vel commissione eis factâ specialiter inferantur: quodque ipsa commissio ad casus, in quibus tenetur Catholicus quilibet confiteri semel in anno peccata sua Proprio Sacerdoti, nullatenus extendatur, nisi ipsius Sacerdotis habita super hoc voluntate.*

XVI. Diœcesanam Synodum Nemausensem anno MCCLXXXIV. à *Bertrando* Episcopo habitam, superiùs omisi, quæ titulo de Pœnitentia, Proprium Sacerdotem pariter intelligit Presbyterum Parochialem. *Statutum est*, inquit, *quòd omnis utriusque sexûs Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia peccata sua solus confiteatur fideliter saltem in anno semel Proprio Sacerdoti..... Quod & de Clericis, scilicet quod confiteantur Proprio Sacerdoti, in cujus Parochia commorantur. Si quis autem Clericus vel Laicus alieno Sacerdoti justa de causa voluerit sua peccata confiteri, licentiam præsens postulet & obtineat ab ipso Sacerdote. Præcipientes districtè ne aliquis Presbyter super hoc requisitus, præsumat alicui malitiosè licentiam ejusmodi denegare.* Quinque deinde casus exponit, in quibus *sine licentia Proprii Sacerdotis potest aliquis alieno Presbytero confiteri. Primus est, cùm Episcopus hoc alicui specialiter delegavit. Secundus, cùm quis peccat in aliena Parochia, & de illo peccato Sacerdoti illius Parochiæ confitetur. Tertius, si causâ domicilii se duxerit ad aliam Parochiam transferendum. Quartus est, cùm vagabundus circumit. Quintus, cùm imminet sibi mortis periculum, & non potest habere Proprium Sacerdotem. Verùm quoniam periculosum est valde manere in peccato, præcipimus quòd Parochiales Presbyteri frequenter moneant plebes suas, ut ad Confessionem veniant quàm citò potuerint post commissum peccatum.*

XVII. Synodus Lingonensis anno MCCCCLII. à *Philippo* Episcopo habita, Proprii Sacerdotis nomine in Canone *Omnis utriusque sexus*, Parochum à Patribus Lateranensis Concilii designatum pariter docet, quamvis non solum, ut postea dicemus. *Mandamus*, inquit, *singulis Ecclesiarum Rectoribus, quòd singulis diebus Quadragesimæ Dominicis habeant illud Statutum salutare suis Parochianis*, OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, *in Concilio Generali editum, publicare & exponere, sobriè tamen loquendo quod vult effectu: Quòd omnis utriusque sexus Fidelis semel in anno à suo Proprio Curato Sacerdote Pœnitentiam debet recipere, & Sacramentum Eucharistiæ ad minimum in Paschate.*

XVIII. Idem intellexit Narbonense Concilium anno MDLI. Canone L. *Quia*, inquit, *omnibus Christianis præceptum est, ut semel in anno Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum percipiant, & Parocho suo peccata confiteantur, voluit & decrevit Concilium, ut posthac nemo audeat sanctissimo die Paschæ peccata sua confiteri, aut sanctificum Eucharistiæ Sacramentum ab alio accipere, quàm ab eo ipso Parocho, vel in ejus locum suffecto, nisi exoratâ à Parocho veniâ.*

XIX. Synodus Cameracensis eodem anno celebrata, Tit. IV. de Pœnitentia, eamdem tradit Proprii Sacerdotis notionem. *Sacerdotes*, inquit, *moneant subditos suos, ut omnes à quatuordecim annis & supra, & præsertim in Quadragesimali tempore, & ante Dominicam in Ramis Palmarum, ad Confessionem frequenter accedant, seu veniant, & saltem semel in anno confiteantur Proprio Sacerdoti, id est, Presbytero Parochiali: Qui ideo magis propriè Proprius dicitur Sacerdos, quia non solum Confessiones audit & absolvit, sed etiam ministrat alia Ecclesiastica Sacramenta.*

XX. Eodem sensu Proprii Sacerdotis nomen usurpat Mediolanense Concilium à *S. Carolo Borromæo* anno MDLXV. celebratum, parte Secunda, Tit. VI. *Innocentii III. Constitutionem*, inquit, *in Generali Concilio editam, quâ sancitum est ut Fideles saltem semel in anno Proprio Parocho peccata sua confiteantur, inviolatè omnes servent.*

XXI. Remense Concilium anno MDLXXXIII. celebratum, & à *Gregorio XIII.* confirmatum rogante *Ludovico* Cardinali à *Guisia*, Remensi Archiepiscopo, eodem sensu Proprium Sacerdotem accepit Cap. de Pœnitentia, §. V. *Nemo*, inquit, *existimet sibi licere cuicumque volet Sacerdoti confiteri, sed Proprio tantum Parocho. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justâ de causâ sua confiteri peccata, licentiam postulet & obtineat à Proprio Sacerdote, cùm aliter ipse non possit illum absolvere vel ligare.*

XXII. Concilium Aquense anno MDLXXXV. celebratum, eamdem tradit Proprii Sacerdotis notionem, quam *S. Carolus* in Concilio Mediolanensi. *Innocentii III. Constitutionem in Generali Concilio editam, qua sancitum est ut Fideles saltem semel in anno Proprio Parocho peccata sua confiteantur, inviolatè omnes servent.*

* XXIII. Eodem sensu nomen istud usurpavit Concilium Burdigalense anno MDCXXIV. celebratum, Canone III. *Sæpissimè*, inquit, *Fideles ad Sacratissimæ Eucharistiæ sumptionem cum omni devotione, & compunctis cordibus accedere perceptamus. Sed ne omittant tempore Paschatis id in propria Parochia præstare: sacris Canonibus insistentes, statuimus eo tempore omnes Christi Fideles, cum ad Confessionem peccatorum Proprio Parocho, aut alii de ejus licentiâ faciendam, tum ad Sacram Eucharistiam in eadem Ecclesia percipiendam teneri*

ri & obligari, nullósque aliàs præcepto Ecclesiæ satisfecisse; ac proinde in eos, nisi resipiscant, ab Ordinario censuris agendum esse declaramus.

XXIV. At quamvis Proprii Sacerdotis nomine in Concilio Lateranensi Parochus designetur, Summus tamen Pontifex, Episcopi, & ab iis Delegati, sive ab iis absque ulla temporum aut locorum restrictione approbati non excluduntur. Unde qui apud ipsos peccata deposuerunt, Canoni, *Omnis utriusque sexus*, satisfecisse sunt censendi: quod ex ipso Lateranensi Concilio, ex Romanis Pontificibus qui post *Innocentium III.* Ecclesiam rexerunt, & ex celeberrimorum Theologorum placitis ita semper ab Ecclesia intellectum facilè probamus. Ab ipso Lateranensi Concilio ducamus exordium. Id Canone x. præcipit, *Tam in Cathedralibus, quàm in aliis Conventualibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint Coadjutores & Cooperatores habere, non solùm in Prædicationis officio verùm etiam in audiendis Confessionibus, & Pœnitentiis injungendis, ac cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere, districtæ subjaceat ultioni.* In eo qui Coadjutores ad audiendas Confessiones & Pœnitentias injungendas in Cathedralibus & Conventualibus Ecclesiis instituere potest, residet Jurisdictio superior eâ quæ Parochis convenit in hoc audiendarum Confessionum officio: cùm igitur Fidelium Confessiones audire possint Presbyteri alieni cum licentia Parochorum, modò sint ab Episcopis approbati: idem possunt Summus Pontifex, & Episcopi, quovis tempore; & quos ipsi ad sacrum istud munus obeundum destinaverint, & in Cathedralibus & Conventualibus Ecclesiis instituerint; quos denique absque ulla temporum restrictione approbaverint. Quæ enim inferiori conceditur potestas, multò magis Superiori concessa intelligenda est. Exemplum esto de potestate administrandi Extremæ-Unctionis Sacramentum, quam *Innocentius I.* Episcopis convenire colligit in Epistola ad *Decentium* Eugubinum Episcopum, quamvis Presbyterorum duntaxat meminerit *S. Jacobus* istius Sacramenti divinam institutionem promulgans his verbis: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, &c.* Quia nulla ratio permittit ut Episcopis concessum ambigatur, quod Presbyteris convenit. *Cæterum*, inquit, *illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem à se visitandum & benedicere, & tangere Chrismate, sine cunctatione potest.* Exemplum sit alterum de Matrimonio, quod à *proprio contrahentium Parocho* celebrari debet, qui dicat, *Ego vos in Matrimonium conjungo, &c. vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* Nec tamen excluditur Episcopus, qui & ipse Matrimonii benedictionem facere, & ad eam faciendam alii Sacerdoti licentiam concedere potest, ut ex Concilio Tridentino constat Sessione XXIV. de Reformatione Matrimonii. Sic à pari, etsi nomine Proprii Sacerdotis, cui semel in anno facienda peccatorum Confessio est, intelligatur Parochus juxta Lateranense Concilium, non excluduntur tamen Summus Pontifex, & Episcopi, & ab iis Delegati, atque ad audiendas Confessiones absque restrictione temporum approbati.

Accedit momentum alterum ex his verbis Canonis Lateranensis petitum: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet & obtineat à Proprio*

A *Sacerdote, cum aliter ille ipso solvere non possit, vel ligare.* Quis autem adeo desipiat, ut dicat Summum Pontificem, Episcopos, eorum Pœnitentiarios, & Presbyteros quoslibet, sive Seculares, sive Regulares, ad Confessiones Fidelium audiendas absque restrictione approbatos, non posse ipsos ligare vel solvere? Meridiana igitur luce clarius est, Proprii Sacerdotis nomine in Concilii Lateranensis Canone ita designari Parochum, ut Episcopus, Summus Pontifex & ab iis approbati, nequaquam exclusi censeantur. Incredibile sanè est quòd prudentissimus ac doctissimus Pontifex *Innocentius* B *III.* & Episcopi CCCC. qui ipsi in Concilio Judices assidebant, hac se auctoritate exuerint, Fidelium Confessiones quovis anni tempore per se audiendi, vel aliis hanc provinciam, invitis etiam Parochis, cùm subest causa, committendi.

XXV. Summam certè Romani Pontificis in toto orbe Christiano, & Episcoporum in suis Diœcesibus potestatem, in Sacramenti Pœnitentiæ administratione, secundùm Canones, probat collata ipsis à Christo immediatè auctoritas ac Jurisdictio, quæ & in Parochos, & in Parochianos ipsorum ex- C tenditur; Summi quidem Pontificis in Parochos & Parochianos totius Ecclesiæ, cum plenitudine potestatis; Episcoporum verò in Parochos & Parochianos omnes suarum Diœceseon. Idem probat graviorum quorumdam casuum ipsis reservata absolutio, ex antiquo Ecclesiæ usu. Nam quandiu viguit Pœnitentiæ publicæ disciplina, Reconciliatio Pœnitentium Episcopis reservata fuit: eadémque obsolescente, Summi Pontifices, & Episcopi Potestatem absolvendi à gravioribus quibusdam criminibus, extra mortis periculum, sibi reservarunt. Præterea Confessarios in urbibus & oppidis, singu- D lísque Archidiaconatibus, instituerunt, quibus ipsi Parochi, Decani Rurales, Presbyterique cæteri, peccata confiteri possent. Ita statuit Oxoniense Concilium à *Stephano* Cantuariensi Archiepiscopo anno MCCXXII. celebratum, Canone XVIII. *Quoniam*, inquit, *nonnunquam ob defectum Confessorum, vel quia Decani Rurales & Personæ erubescunt fortè confiteri suo Prælato, certum imminet periculum animarum: volentes huic morbo mederi, statuimus ut certi Confessores prudentes & discreti per singulos Archidiaconatus ab Episcopo loci constituantur, qui Confessiones audiant Decanorum* E *Ruralium, Presbyterorum, & Personarum. In Cathedralibus autem Ecclesiis ubi sunt Canonici Seculares confiteantur ipsi Canonici Episcopo, vel Decano, vel certis Personis ad hoc per Episcopum, Decanum & Capitulum constitutis.*

Præcepta Antiqua *Petri de Collemedio* Archiepiscopi Rothomagensis, anno MCCXXXVI. creati, jubent *Ut Sacerdotes Archiepiscopo, vel Pœnitentiariis suis, saltem semel in anno confiteantur.* Permittit autem Archiepiscopus *quòd possint interim, quoties opus fuerit, etiam aliis Sacerdotibus confiteri.* Londinense Concilium anno MCCXXXVII. ce- F lebratum, Canone V. & Wigorniense anno MCCXL. Canone XVII. idem statuunt quod Oxoniense. Synodus Diœcesana Pictavensis anno MCCLXXX. celebrata, eamdem disciplinam observari jubet in Pictavensi Diœcesi, Cap. IV. cujus hæc sunt verba: *Cum cura & solicitudo totius Diœcesis nobis incumbere dignoscatur: præcipimus quòd Abbates, Abbatissæ, Priores, & alii Prælati, qui pro suis Conventibus vel Capitulis, tam secularibus quàm Regularibus immediatè nobis subjectis; Archipresbyteri, Decani, & Sacerdotes Curati, nobis vel Pœnitentiariis nostris confiteantur, vel illis quos specialiter dederimus Confessores: & inhibemus ne aliquis eos absolvat, nisi super hoc à Sede Apostolica, vel Le-*

gatis ejusdem, vel à nobis habueris potestatem. Item inhibemus ne Canonici in locis Collegiatis constituti, vel alia persona in Conventualibus Ecclesiis, vel Congregationibus Ecclesiasticis, Secularibus vel Regularibus non exemptis constituta, quibus non præest à nobis Superior curam habens ipsorum specialiter animarum, aliquem eligant Confessorem, nec ab eo recipiant Ecclesiastica Sacramenta, nec ea aliqui sibi ministrent; vel ipsorum Confessiones audiant in foro Pœnitentiali absolvendo, quibus hoc non fuerit specialiter à nobis injunctum; vel quibus ab Episcopo Pictavensi cura ipsarum commissa non fuerit animarum.

Concilium Provinciæ Cantuariensis apud *Lambeth* celebratum à *Joanne de Peckam* Archiepiscopo Cantuariensi ex Ordine FF. Minorum assumpto, anno MCCLXXXII. Cap. VII. eos coërcet, *Qui prætextu quorumdam Privilegiorum Generalium à Sede Apostolica obtentorum, spretâ contra intentionem Apostolicam Pontificali auctoritate, ipsorum Pontificum irrequisito beneplacito & assensu, ingerunt se subditorum eorum Confessionibus audiendis:* Prohibétque *sub pœna excommunicationis, ne quis de cætero absque Episcopi licentia expressa, vel probabiliter præsumpta, Confessiones suorum audiat subditorum, nisi in audiendis Confessionibus à Jurisdictione ordinaria Diœcesana & Metropolitica, expresso tenore sui Privilegii sit exemptus. Et si qui contrarium fecerint, procedatur contra eos, sicut contra temerarios Privilegiorum abusores.* Cap. IX. Jubet observari quod à *Sanctis Patribus jampridem fuit ordinatum, ut in quolibet Decanatu unus sit Rector aut Vicarius literaturæ sufficientis, gratia, famaque laudabilis, ad Confessionem Rectorum, Vicariorum, aliorumque Sacerdotum, ac Ministrorum Ecclesiæ audiendam, injungendásque Pœnitentias.* Quod minimè tamen prohibeat *quin possint, si voluerint, ad alios communes Pœnitentiarios convolare.*

Synodus Exoniensis Diœcesana anno MCCLXXXVII. habita, Cap. v. de Pœnitentia idem statuit. *Locorum*, inquit, *Archidiaconi, qui de Sacerdotum prudentia & moribus pleniorem habent notitiam, de quolibet Decanatu unum vel duos eligant Confessores, quos ad hæc scientia & meritis crediderint magis idoneos, qui vice nostra, Decanorum Ruralium, Rectorum, Vicariorum, & Parochialium Sacerdotum audiant Confessiones: Pœnitentiarii nostri Generalis auctoritate in omnibus salvâ, ad cujus arbitrium in dubiis & gravioribus recurratur, nisi fortè talis emergat articulus, qui nobis inconsultis nequeat expediri.*

Synodus Diœcesana Bajocensis anno MCCC. celebrata, Cap. CVIII. ejusdem observationem disciplinæ curat. *Districtè*, inquit, *præcipimus, quòd quilibet Sacerdos maximè curam animarum habens, Capellanus, seu Vicarius Perpetuus, vel temporalis, nobis vel Pœnitentiariis nostris, saltem semel in anno sua fideliter confiteatur peccata: Cùm ab alieno Sacerdote, qui curam animarum non habet, absolvi non possint; & Confessio alii facta quàm suo Prælato, nullius noscatur esse momenti. In necessitate tamen aliis literatis Sacerdotibus poterunt confiteri: sed propter hoc non omittant, quin ad Nos vel Pœnitentiarios nostros veniant saltem semel in anno.*

Nicosiensis Ecclesiæ Constitutiones Cap. XI. penè idem sanciunt. *Volumus etiam ut omnes Clerici tam Civitatis quàm Diœcesis Nicosiensis, exceptis Personis, Canonicis, & aliis Clericis Majoris Ecclesiæ, Confessori uni vel pluribus, quos ad hoc deputabimus, sua confiteantur peccata: & ut cura diligens adhibeatur circa illos, qui saltem semel in anno sua neglexerint confiteri peccata, & ut circa eos servetur pœna Constitutionis prædictæ,* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS.

Guillemus, Parisiensis Episcopus, in Additionibus ad Constitutiones *Galonis*, Cap. VI. & VII. Præcipit *Sacerdotibus* ut *bis in anno ad minus, videlicet in Adventu Domini & in Quadragesima, peccata sua confiteantur Confessoribus per singulos Decanatus constitutis.* Utque *Confessores nomina confitentium scribant, & ad Episcopum ad Synodum deferant.* Ne quis verò hunc morem adeo recentem putet, hunc in Ecclesia Metensi octavo seculo institutum à *S. Chrodegango* videre est, qui illius Sacris præfuit ab anno DCCXLIV. ad annum DCC. LXVII. Is enim Cap. XIV. Regulæ quam Clero suo præscripsit, de Confessione ita statuit. *De Confessione constituimus, ut in anno vel binas vices Clerus noster Confessiones suas ad Episcopum suum purè faciat; una vice initio Quadragesimæ ante Pascha: alia vice à medio mense Augusto usque ad Kalendas Novembris. Inter hos dies, cùm Episcopi licentiam habuerit, & cui necesse fuerit, alio tempore suam Confessionem ad Episcopum, vel alium Sacerdotem, cui Episcopus decreverit facere, quandocumque voluerit, & opus habet, faciat. Et si ullus de Clero, quod absit, quando suam Confessionem suo Episcopo facit, sic repletus sit spiritu diabolico, quòd ausus sit de suis peccatis aliqua suum Episcopum celare; & vadit quasi per alios Sacerdotes suas Confessiones donando, & vult suum Episcopum abscondere scelera sua, quia timet ut removeat eum Episcopus de gradu, & si adhuc in gradu non est, non accedat ad gradum, vel à Corpore Domini removeat eum, aut illa vitia debeat persequi: Si Episcopus hoc per quodlibet ingenium investigare potuerit, & approbatum ei fuerit, corporalem disciplinam, vel carcerem patiatur, vel aliud quod Episcopo visum fuerit, juxta modum culpæ, ut alii metum habeant, & in tale scelus non cadant. Quia nimis improbus est qui ante Dei oculos peccat, & homini confiteri erubescit, ubi, Deo miserante, de ipso peccato debet accipere consilium sanitatis.*

XXVI. Proprii Sacerdotis nomine in Lateranensi Canone ita designari Parochum, ut Summus Pontifex, Episcopi, eorum Pœnitentiarii, & quivis Sacerdotes cùm Seculares, tum Regulares absque restrictione ad audiendas Confessiones approbari, nequaquam excludantur, nec incurrant pœnas Canonis qui apud ipsos peccata semel in anno deposuerint, immo satisfaciant Ecclesiæ præcepto; ex Pontificiis Constitutionibus & Conciliis Compertum est. A *Gregorio IX.* ad nostra usque tempora, quæ hoc argumentum spectant, singula strictim percenseo. *Gregorius IX.* anno MCCXXVII. Fratribus Prædicatoribus Privilegium concessit audiendi Confessiones Fidelium, jussitque Prælatis ut eos ad id munus obeundum benignè susciperent. Canonis Lateranensis non meminit, nec tempus Quadragesimale, Paschale, aut aliud quodvis excipit. *Quoniam*, inquit, *abundavit iniquitas & refriguit charitas plurimorum, ecce Ordinem dilectorum filiorum FF. Prædicatorum Dominus suscitavit, qui non quæ sua sunt, sed quæ sunt Christi quærentes, tam contra profligandas hæreses, quàm contra pestes alias mortiferas extirpandas se dedicaverunt evangelizationi verbi Dei, in abjectione voluntariæ paupertatis: Nos igitur eorum sanctum propositum, & necessarium ministerium favore benevolo prosequentes, universitati vestræ ipsos affectuose duximus commendandos: Caritatem vestram rogantes & exhortantes in Domino, ac per Apostolica vobis Scripta mandantes, ut dilectos filios Fratres Ordinis memorati pro reverentia divina ad officium prædicandi, ad quod deputati sunt, recipiatis benignè, ac populos vobis commissos, ut in ore ipsorum verbi Dei semen devotè suscipiant, & confiteantur iisdem, cum ipsis* auctoritate

auctoritate nostra liceat Confessiones audire, ac Pœnitentias injungere. Diploma datum est Anagniæ III. Kalendas Octobris. Molestias à nonnullis Rectoribus Ecclesiarum in Anglia passi sunt Prædicatores nostri, impedientibus ne Privilegio in commodum spirituale Fidelium concesso uterentur. Quocirca *Innocentius IV.* Diplomate dato Laterani, XVI. Calendas Junii, anno MCCXLIV. quod incipit, *Quia nonnulli*, Wigornensi, & Norwicensi Episcopis in mandatis dedit, ut *memoratis Fratribus contra perversorum audaciam efficaciter favoris præsidio assistentes, non permitterent ipsos contra Indulta Privilegiorum Apostolicæ Sedis ab aliquibus indebitè molestari, molestatores ejusmodi per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.*

Matthæus Parisius, Scriptor maledicentissimus, narrat eo anno FF. Prædicatores Privilegia sua ostentasse, in Presbyterorum Secularium caput & mores insultasse, Confessiones iis factas vituperasse, effecisse ut Fideles, Nobiles præsertim & Nobilium uxores, spretis propriis Sacerdotibus, & Prælatis, apud ipsos peccata deponerent. Archidiaconum Ecclesiæ *S. Albani* ipsis opposuisse Canonem, *Omnis utriusque sexus.* At *Parisium* Ordinis præcipuè Dominicani æmulum, in ejus Professores, occasione contentionis de ipsorum Privilegiis in Anglia exortæ, fuisse impotenter debacchatum, nemo non conjiciet, qui ejus ingenium noverit, & cum ejus relatione seu potius declamatione comparaverit ea quæ post annos XLIII. Diœcesana Synodus Exoniensis Cap. V. sanxit his verbis: *Quia de rebus transitoriis nihil superest quod animarum saluti debeat anteponi: Præcipimus quod cum FF. Prædicatores & Minores, tam in Quadragesima, quàm extra, cùm transitum fecerint per Parochias, Confessiones Fidelium liberè audiunt, & Pœnitentias injungant: Qui, si voluerint confiteri, Proprii Sacerdotis licentiâ requisitâ, & Ecclesiæ Parochiali oblationibus consuetis & debitis prius solutis: Et si Sedes Apostolica eis ampliùs indulserit, vel indulxerit indulgendum, hoc ab omnibus observetur. Et quoniam ipsorum Fratrum prædicatio & sancta conversatio in Ecclesia Dei produxisse fructum non modicum dignoscitur: ubicumque per nostram Diœcesim transitum fecerint per Parochias, honorificè admittantur, procurentur honestè.*

FF. Prædicatorum & Minorum commendatio.

XXVII. *Alexander IV.* Diplomate dato Anagniæ, XII. Calendas Novembris anno MCCLVI. quod incipit, *Non sine multa*, inter alias *Guillelmi de Sancto Amore*, & quorumdam aliorum Doctorum Parisiensis Academiæ propositiones, hanc damnat, & publicè ab ipsis revocari jubet: *Quòd FF. Prædicatores & Minores de licentia vel commissione Romani Pontificis, seu Diœcesanorum Episcoporum, Prædicationis exercere officium, & Confessiones audire liberè non valebant, tanquam per hoc Sacerdotalibus Parochialibus præjudicium inferretur.* Ambos Ordines velut *Duo magna luminaria in Ecclesia Dei lucere* Pontifex prædicat, ab ipsorum Fratribus *Sanctæ Doctrinæ lumen diffundi, per orbem Christianum ardenter & efficaciter prædicari, ac recta & sana consilia, & exempla salutaria præberi.* Denique declarat quòd *De licentia vel confessione aut concessione Romani Pontificis, seu Legatorum ejus, vel Ordinariorum locorum, licitè possint prædicare populis, & Confessiones audire, ac Pœnitentias injungere salutares.*

Anno sequenti idem Pontifex misit ad Parisiensem Episcopum quarumdam Propositionum Indiculum, à selectis Cardinalibus conscriptum, quas *Odo Duacensis*, & *Christianus* Bellovacensis Canonicus, Parisiis è sacro suggestu pronuntiare debe-rent. Quarum una hæc erat: *Summus Pontifex potest Prædicatores & Confessores mittere ubique per mundum, juxta suæ beneplacitum voluntatis, sine consensu inferiorum Prælatorum quorumcumque, seu Sacerdotum Parochialium.* Altera. *Archiepiscopi, & Episcopi in suis Diœcesibus licentiam dare possunt prædicandi, & Confessiones audiendi, sine consensu inferiorum Sacerdotum, vel Rectorum Ecclesiarum, cum viderint expedire.* Tertia: *Prædicatores & Confessores sic missi, possunt liberè prædicare, & licitè Confessiones audire, & absolvere Pœnitentes.*

XXVIII. Anno Christi MCCLXV *Clemens IV.* idem declarat in Literis ad Generalem Ministrum & Fratres universos Ordinis Minorum, * quæ incipiunt his verbis, *Quidam temerè*: in quibus hæc observanda: *Deliberatione prævia declaramus, quòd si vobis detur licentia, committatur, seu concedatur à Legato prædictæ Sedis, aut Ordinariis locorum (necnon à Romano Pontifice, de quo proculdubio esset erroneum dubitare) vos in omnes, sine alicujus consensu, immo invitis quibuslibet hujusmodi possit concedere potestatem) populis Legatis & Ordinariis subjectis eisdem liberè prædicare potestis, audire Confessiones, absolvere vobis confitentes, ac Pœnitentias vobis confitentibus injungere salutares, aliorum inferiorum Prælatorum & Rectorum Ecclesiarum, ac Sacerdotum Parochialium assensu nullatenus requisito; illis casibus exceptis, qui de jure, consuetudine, seu retentione ab eis specialiter facta, Sedi, Legatis, & Ordinariis prædictis specialiter relinquuntur; ad quos non licet vos manus extendere, nisi vobis specialiter committatur.* Horum verborum sensum non est assecutus *Joannes Launoius*, cùm ita ex illis colligit: *Clemens IV.* casus quosdam excipit, qui « jure & consuetudine caventur, ad quos ne Fratres « manus extendant, acriter prohibet. Casus autem « præcipuus qui Jure cavetur, Lateranensi Concilio « adscribendus est. Nam casus duntaxat Sedi Apo- « stolicæ vel ejus Legatis, & Episcopis, à Jure, consuetudine, seu retentione reservatos excipit Pontifex; Confessionem igitur annuam exceptam non vult, si Pœnitens in nullos hujusmodi casus inciderit. Præterea ab his etiam casibus Fratres absolvere posse declarat, si eis specialiter committatur: ergo etiamsi annuam Confessionem à *Clemente IV.* exceptam *Launoio* daremus, Fideles ea defungi possent apud Fratres, quibus Summus Pontifex vel ejus Legati, & Episcopi, munus audiendarum Confessionum per totum annum, specialiter, & absque restrictione commisissent.

Epistolam ... ad Magistrum & FF. ... Benedictus ... sub hac inscriptione ...

Launoius emendatur.

XXIX. Claromontana Synodus Diœcesana, quam *Guido* Episcopus anno MCCLXIII. celebravit, adæquatum hujus nominis, *Proprius Sacerdos*, significatum exponit. *Proprium autem Sacerdotem dicimus duobus modis (loquimur) ex officio, utpote Papam, Episcopum, Curatos: vel ex commissione, sicut FF. Prædicatores, & Minores, & quibus Episcopus commiserit vices suas.*

XXX. Concilium Bituricense, anno MCCLXXXVI. celebratum, Canone XIV. sub pœna excommunicationis præcipit universis Ecclesiarum *Capellanis Curatis*, ut apud se habeant, diligenter intelligant, & populo exponant Constitutionem *Innocentii III.* editam in Concilio Generali, quæ incipit, *Omnis utriusque sexus*: Constitutionem *Clementis III.* quæ dirigitur FF. Prædicatoribus, & incipit; *Quidam temerè sentientes*; & Constitutionem *Martini IV.* quæ dirigitur FF. Minoribus, quæ incipit; *Ad fructus uberes*: tum Constitutiones illas recensens, planè significat Religiosis istorum Ordinum Sacerdotibus licere, non obstante Constitutione *Omnis utriusque sexus*, audire Fidelium Confessiones, si à Romano Pontifice & Episcopis fuerint

rint ad id munus destinati, *Sacerdotum Parochialium assensu nullatenus requisito.* Observandum porro est, clausulam illam de Confessione nihilominus *Presbyteris Parochialibus* semel in anno facienda, non haberi in *Martini IV.* Constitutione, prout à Concilio Bituricensi refertur: quod argumento est vel *Martinum IV.* clausulam illam Diplomati suo non inseruisse, vel Concilii Bituricensis Patres existimasse, illa lege non teneri, secundùm istius Pontificis mentem, qui Religiosis ex FF. Mendicantium Sodalitiis Sacerdotibus, ab Episcopis approbatis, & Sedis Apostolicæ Privilegio munitis, confessi essent.

Cicestrensis in Anglia Synodus anno MCCLXXXIX. celebrata, Cap. XL. statuit ut nullus Presbyterorum alienum Parochianum ad Confessionem, vel Communionem Corporis Christi, præsumat admittere, *Sine licentiâ Proprii Sacerdotis, nisi Privilegio audiendi Confessiones à Summo Pontifice sit munitus.*

XXXI. *Bonifacius VIII.* in Decretali, *Super Cathedram*, quæ habetur libro III. Extravagantium Communium, tit. *De Sepulturis*, statuit ut in singulis civitatibus, & Diœcesibus, in quibus FF. Prædicatores & Minores Conventus habent, vel in civitatibus & Diœcesibus locis ipsis vicinis, in quibus loca hujusmodi non habentur, Magistri, Priores Provinciales Prædicatorum, aut eorum Vicarii; & Generales Ministri & Custodes Minorum, ad præsentiam Prælatorum se conferant, per se, vel per Fratres quos ad hoc idoneos putaverint, humiliter petituri, ut Fratres qui ad hoc electi fuerint, in eorum Civitatibus & Diœcesibus Confessiones subditorum suorum, confiteri sibi volentium, audire liberè valeant, & hujusmodi confitentibus Pœnitentias imponere salutares, atque eisdem absolutionis beneficium impendere, de licentia, gratia, & beneplacito eorumdem. Et si Prælati petitam licentiam Confessionum hujusmodi audiendarum concesserint, illam cum gratiarum actione accipiant, & personæ sic electæ commissum sibi officium exequantur. Quòd si fortè dicti Prælati quemdam ex Fratribus præsentatis eisdem ad hujusmodi officium nolint admittere, loco illius alter ipsis præsentetur. Si verò iidem Prælati Fratribus ad Confessiones audiendas electis hujusmodi exhibere licentiam recusarint, *Ipsis, ut Confessiones sibi confiteri volentium liberè licitéque audire valeant, & eisdem Pœnitentias imponere salutares, atque eisdem beneficium absolutionis impertiri,* concedit Pontifex, *de plenitudine Apostolicæ Potestatis. Per hujusmodi autem concessionem*, inquit, *nequaquam intendimus personis, seu Fratribus ipsis ad id taliter deputatis potestatem in hoc impendere ampliorem, quàm in eo Curatis vel Parochialibus Sacerdotibus est à Jure concessa, nisi forsan eis Ecclesiarum Prælati uberiorem in hac parte gratiam duxerint faciendam.* Æqualem potestatem ex Apostolico Privilegio Fratribus ad audiendas Confessiones deputatis facit *Bonifacius VIII.* illi quæ Parochis à Jure concessa est, non ampliorem: sicut ergo Parochis semel in anno confessi, Lateranensis Concilii Canoni de Confessione facienda Proprio Sacerdoti satisfaciunt: ita qui Fratribus potestatem à Sede Apostolica habentibus, & Episcopis præsentatis, peccata semel in anno sunt confessi, Constitutioni, *Omnis utriusque sexus*, censendi sunt satisfecisse, secundùm *Bonifacii VIII.* declarationem. Cæterùm uberiorem ipsis gratiam Episcopi impartiri possent, concedendo nimirum facultatem absolvendi à casibus sibi reservatis, quæ potestas Curatis à Jure minimè concessa est. Hic genuinus Bonifacianæ Constitutionis sensus.

XXXII. Synodu[s] Exoniensis Diœcesana, Cap. v. statuit ut Prælati Ecclesiarum, quibus animarum Cura incumbit, moneant Parochianos suos, & crebris Prædicationibus inducant, ut quilibet eorum ter in anno, scilicet ante Natale Domini, Pascha & Pentecosten, vel ad minus in Quadragesima, in ipsius initio, confiteantur peccata sua integrè *Proprio Sacerdoti, vel alteri de ipsius licentia. Quæ petita, & assignata à rationabili causâ, non denegetur: alioqui Pœnitentes frustra se detegerent alieno, cùm ipse absque licentia eos absolvere non possit, vel ligare nisi de mandato Superioris.* Cùm itaque Pontifex & Episcopi, licentiam alienis Sacerdotibus, sive secularibus, sive Regularibus concedunt Confessiones quovis tempore audiendi, illi absolvere possunt vel ligare, & qui apud ipsos Exomologesim peccatorum semel in anno fecere, Canoni *Omnis utriusque sexus*, paruisse censendi sunt.

XXXIII. *Benedictus XI.* qui *Bonifacio VIII.* proximè successit, Constitutionem edidit anno M. CCIV. quæ incipit; *Inter cunctas*, quæ habetur lib. v. Extravagantium Communium, titulo *De Privilegiis*, quâ statuit ut FF. Prædicatores & Minores ad audiendas Confessiones à Superioribus suis electi, *liberè, Auctoritate Apostolica, absque licentiâ Diœcesanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum, exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audiant eis peccata sua confiteri volentes, ipsisque Pœnitentias salutares injungant intra sibi designatos terminos ad hujusmodi officium exercendum.* Irritas & inanes declarat excommunicationes, aliásque Sententias à Prælatis latas contra eos qui hanc sequuntur disciplinam: Declarat insuper Confessos Fratribus non teneri ad confitendum iterum *Sacerdotibus Propriis* peccata quæ apud ipsos deposuerunt, & à quibus sunt absoluti Pœnitentes: *non obstante Constitutione Generalis Concilii, quæ sano intellectu (Ne sequatur absurdum, quòd per Pœnitentiam dimissa peccata quis confiteri debeat, & quòd liberatus debito adhuc ad solvendum remaneat obligatus) intelligenda est (ut ex ea patet) de illis qui peccata confiteri aliis neglexerunt.* Tertiò, quòd Sacerdotes ipsis ita confessis & absolutis Eucharistiæ & Extremæ-Unctionis Sacramenta ministrare tenentur. Quartò, standum simplici verbo illius, qui Sacramenta illa postulat, & se Fratribus confessum asserit, nisi sit excommunicatus, aut notoriè peccator. Quintò, ut debitus Episcopis servetur honos, præcipit ut Priores Provinciales Prædicatorum, & Ministri Minorum, per se vel alios, verbo vel scripto, eis significent, se Fratres ad munus hujusmodi Confessionum audiendarum elegisse, & nominando, aut coram ipsis sistendo eos, vel illorum numerum exprimendo, petant humiliter à Diœcesanis eisdem, ut iidem electi Fratres, ipsorum beneplacito & licentia in eorum civitatibus & Diœcesibus sacrum illud munus obire possint. Sextò, statuit ut si hanc licentiam denegent, vel intra triduum non concedant, *iidem Fratres nihilominus Auctoritate eadem hujusmodi officium exequantur.* Septimò, datam licentiam non vult per Diœcesanorum obitum terminari. Octavò, non intendit ut Fratres, qui ad hoc eliguntur Ministerium, *Plus habeant in audiendis Confessionibus, & Pœnitentiis injungendis, quam Parochiales Sacerdotes noscuntur habere.* Nonò, jubet ut Fratres suadeant Fidelibus qui apud se peccata deposuerunt, *ut suis Sacerdotibus saltem semel in anno confiteantur, asserendo id ad animarum profectum procul dubio pertinere:* Quia *licet de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata: tamen propter erubescentiam, quæ magna est Pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confessio, salubre est.* Ita *Bonifacii VIII.* Constitutionem, quæ

quæ incipit, *Super Cathedram*, revocavit *Benedictus V.*

XXXIV. Verùm ut incertæ sunt hominum providentiæ, *Benedicti XI.* Constitutio nedum pacis ab Autore ipsius speratæ fructum non attulit, quinimo discordiæ, pro qua sedanda edita fuerat, fomentum ministravit; quamobrem ipsam rescidit *Clemens V.* in Concilio Viennensi, & Bonifacianam, quæ incipit his verbis, SUPER CATHEDRAM, *Sacro instante & approbante Concilio* innovavit, ut videre est in Clementina, *Dudum*, Tit. *De Sepulturis*. Viennense autem Concilium septennio post datam *Benedicti XI.* Constitutionem celebratum est.

XXXV. Anno MCCCXXI. *Joannes XXII.* Constitutionem edidit contra errores *Joannis de Poliaco*, Doctoris Parisiensis, quæ incipit, *Vas electionis*, & habetur lib. V. Extravagantium Communium, tit. *De Hæreticis*. Asserebat Magister *Joannes de Poliaco* I. *Quod confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi Confessiones, tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri Proprio Sacerdoti.* II. *Quòd stante* Omnis utriusque sexus *Edicto in Concilio Generali, Romanus Pontifex non possit facere quòd Parochiani non teneantur peccata sua semel in anno Proprio Sacerdoti confiteri, quem dicebat esse Parochialem Curatum: Immo nec Deus posset hoc facere, quia (ut dicebat) implicat contradictionem.* III. *Quòd Papa non potest dare potestatem generalem audiendi Confessiones, immo nec Deus, quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri Proprio Sacerdoti.* Has Propositiones Avenione in Consistorio revocavit, rationibus objectis victus, quibus respondere non potuit. Summus verò Pontifex Articulos Magistri *Joannis de Poliaco* damnavit tamquam *falsos, & erroneos, & à doctrina sacra devios: Doctrinam contrariam veram & Catholicam* asserens, scilicet *Quòd illi qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quàm si ea aliàs confessi fuissent eorum Proprio Sacerdoti, juxta Concilium Generale.*

XXXVI. Concilium Palentinum anno MCCCXXII. celebratum, Canone XVII. universis Ecclesiarum Rectoribus præcipit, ut Constitutionem quæ incipit, *Omnis utriusque sexus*, singulis Dominicis diebus à Septuagesima saltem usque ad Pascha, in suis Ecclesiis publicent, & in aliis locis ubi hoc viderint expedire. Quod huicce Constitutioni occasionem dedit malum, scilicet Parochiarum confusio, nonnullis adhuc in locis perseverabat: Parochianos alienos Curati ad se trahebant, avaritiæ impulsu, ut eorum augerentur decimæ. Illis enim Ecclesiis decimas solvebant, in quibus Eucharistiam in Paschate susceperant. Hunc abusum emendare curavit *Guillelmus* Sabinensis Episcopus Cardinalis, Sedis Apostolicæ in Hispania Legatus, in Palentina Synodo Canone X. *Parochiarum divisio*, inquit, *à SS. Patribus instituta, certitudinem Parochianorum, & decimarum debitam solutionem inducit. Cum verò libertas mutandi Parochiam per abusum qui in quibusdam partibus inolevit, Parochianis indifferenter conceditur, Parochianis ipsis subtrahendi decimas præstatur occasio, & Ecclesiis injuria in decimarum, primitiarum, oblationum, & aliorum Jurium subtractione damnabili irrogatur. Sed quia in plerisque locis nostræ Legationis, talis (ut accepimus) inolevit abusus, quòd si Parochianus unius Ecclesiæ, die Resurrectionis, seu alio solemni, in alia Parochia Sacram Communionem accipiat; vel quia alterius Ecclesiæ Parochianum velle se esse asserat, extunc, quoad decimas reales & personales, & alia Jura Parochialia, Parochianus illius in qua communicaverit, vel Parochianum se velle esse dixerit, censeatur: Volentes abusus prædictos Juris remediis exstirpare, statuimus ut in civitatibus, castris, municipiis, in quibus Parochiæ limitatæ non sunt, per Episcopos, vel alios prudentes viros, quibus hoc Episcopi commiserint, infra annum à die publicationis Constitutionis hujusmodi, per certos terminos limitentur. Postquam verò sic Parochiæ fuerint limitatæ, nec Parochianis de una Parochia modis præmissis ad aliam se mutare, nec alteri Parochiali Rectori ipsos sic recipere liceat; alioquin & sic se transferentes, & recipiens, Sententiam Excommunicationis incurrant: Et nihilominus prima Ecclesia decimis & aliis obventionibus sibi debitis non privetur.* Legatus Apostolicus, & Palentini Concilii Patres, hoc malum corrigendum esse censuerunt, promovendo executionem Canonis, *Omnis utriusque sexus*; qui constitutis Parochiarum finibus, ad simile malum avertendum conditus ab *Innocentio III.* & Lateranensi Concilio fuerat, ne Curati alienos Parochianos suis Ecclesiis alligarent.

XXXVII. Concilium Cantuariensis Provinciæ apud *Lambeth* celebratum anno MCCCXXX. Canone II. statuit, ut *Nullus Sacerdos alterius Parochianum recipiat ad Pœnitentiam, nisi de licentia sui Presbyteri, vel Episcopi.*

XXXVIII. Concilium Rothomagense anno MCCCXXXV. à *Petro* Archiepiscopo & ejus Suffraganeis celebratum, Viris Religiosis id unum prohibet, ne à casibus Sedi Apostolicæ, & Diœcesanis specialiter reservatis absolvant, *præterquam in casibus à Jure permissis, vel per Privilegia eisdem concessa. Et si qui Religiosi vel Seculares asserant sibi potestatem in dictis casibus per Diœcesanum fuisse concessam: de ipsa, antequam ea utantur in aliqua Parochia, teneantur Curato illius Parochiæ, per literas potestatem hujusmodi continentes, facere promptam fidem. Ceterùm eosdem Parochialium Ecclesiarum Rectores, aliosque Personas Ecclesiasticas* exhortatur in Domino, ut *FF. Prædicatores, Minores, & aliorum Mendicantium Ordinum, cùm ad eorum loca accesserint, ipsis se exhibeant favorabiles & benignos.*

XXXIX. Concilium Toletanum anno MCCCXXXIX. celebratum, Canone V. Constitutionem, *Omnis utriusque sexus*, à singulis Ecclesiarum Rectoribus, & eorum Vicariis observari jubet sub pœna excommunicationis: & ut *Quilibet eorum in sua Parochia nomina suorum Parochianorum, qui ad annos discretionis pervenerint, annuatim in scriptis redigat: & illos qui sibi vel alteri potestatem habenti, de quo constet ei, confessi fuerint, consignet, eosque ad recipiendum Eucharistiam excitet, &c.* Itaque, secundùm Toletani Concilii Patres, Canoni, *Omnis utriusque sexus*, satisfacit, qui Parocho semel in anno confitetur, vel alteri potestatem habenti à Summo Pontifice, & Episcopo. Quis enim ita delirabit, ut dicat eum qui Romano Pontifici, Episcopo suo, eorum Pœnitentiariis, vel aliis ab ipsis approbatis confiteretur, non confiteri alicui potestatem habenti?

XL. Concilium Biterrense anno MCCCLI. à *Petro* Narbonensi Archiepiscopo, & Suffraganeis celebratum, Canonem, *Omnis utriusque sexus*, quoad Communionem Paschalem in Propria Parochia, & à Proprio Sacerdote, sub pœna excommunicationis observari jubet. Confessionem in Parochia non imperat. (Canone VI.)

XLI. Anno MCCCLVII. inter *Richardum* Armacanum Archiepiscopum, & Religiosos Mendicantes, gravis orta est contentio. Archipræsul coram Summo Pontifice *Innocentio VI.* & Cardinalibus, Orationem habuit Avenione scholastico modo, quæ *Defensio Curatorum* inscribitur. In qua inter alias Propositiones hanc, non quidem asseruit, sed

dixit, Principium quo nitebatur, diluere se non posse: *Quisquis Parochianus confessus Fratribus, Curatis suis Ordinariis neglectis, juxta potestatem quam habent, post Confessionem hujusmodi remanet in peccato mortali, & à nullo peccato mortali absolvitur.* Principium quod ad hujus assertionis probationem assumebat, erat istud: *Quòd simul possint stare, & nullatenus repugnat, quod quisque Parochianus Fratribus sit confessus, & quod idem Parochianus teneatur sub præcepto Ecclesiæ omnia sua semel in anno suo Sacerdoti Proprio sive Ordinario confiteri.* Dicebat præterea, habita ratione loci, *eligibiliorem* esse pro Confessione Parochianorum *Parochialem Ecclesiam*, quàm *Fratrum Oratorium* seu ipsorum Ecclesiam. Habita verò ratione personæ, *eligibiliorem ac utiliorem* esse personam *Ordinarii* personis *Fratrum*. Summus Pontifex *Innocentius VI.* causæ Judicium suspendit, omnia in eodem statu manere decrevit, Virósque Religiosos suis interim frui Privilegiis, ut constat ex Diplomate quod incipit, *Gravem*, dato Avenione Kalendis Octobris, anno MCCCLVIII. *Nos igitur*, inquit, *æquum & congruum reputantes, quod hujusmodi lite pendente nihil per alterutram partium in ipsarum partium & litis præjudicium debeat innovari, universitatem vestram monemus & hortamur attentè, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus Fratres ipsos in dictis Confessionibus, Prædicationibus & Sepulturis, ac eleemosynis non impediatis, nec per vestros subditos impediri etiam permittatis. Per prædicta autem non intendimus liti prædictæ aliquod præjudicium generari; nec ea pendente quicquam volumus innovari.*

XLII. Concilium Vaurense à trium Provinciarum Episcopis celebratum, Narbonensis, Tolosanæ, & Auxitanæ, anno MCCCLXVIII. Decretalem *Bonifacii VIII.* quæ incipit, *Super Cathedram*, à *Clemente V.* in Concilio Viennensi confirmatam, à Viris Religiosis observari jussit, pœnis in transgressores constitutis, Canone LXVI. *Volentes inter Prælatos & Rectores Ecclesiarum, quæstionis & scandali materiam amputare: ut inter eosdem pacis tranquillitas vigeat, & fervor charitatis existat, præcipimus observari Constitutionem editam per bonæ memoriæ Dominum Bonifacium Papam VIII. quæ incipit:* SUPER CATHEDRAM PRÆEMINENTIÆ PASTORALIS: *Innovatam per felicis recordationis Dominum Clementem Papam V. in Concilio Viennensi. Si qui verò Religiosi contra dictam Constitutionem malitiosè venerint, & eidem in omnibus & per omnia non obtemperaverint, eo ipso ab auditione Confessionum in omnibus nostris Provinciis ac Diœcesibus propriis, & publica propositione verbi Dei, perpetuò sint exclusi; donec, satisfactione præhabita, ab altero nostrûm Archiepiscoporum, in cujus civitate vel Diœcesi transgressores dictæ Constitutionis moram traxerint, vel à Suffraganeis, in quorum civitate vel Diœcesi transgressiones prædictas fecerint, de consilio tamen sui Metropolitani, vel Diœcesani, relaxationem super præmissis meruerint obtinere.*

XLIII. Synodicum Nicosiense, quod ad calcem Tomi XI. Conciliorum editionis Labbeanæ editum est, Cap. X. Canonem, *Omnis utriusque sexus*, observari jubet. Sic enim statuit Nicosiensis Archiepiscopus: *Quia sententia à non suo Judice lata non tenet, prohibemus districtè ne quis Sacerdos non Curatus, aut nostram non obtinens licentiam, in civitate Nicosiensi, aut Diœcesi, Confessiones audiat, solvat, aut liget, nisi necessitatis inevitabilis articulus hoc exposcat. Ex hoc enim decipi contingit Fideles, præsumptiones crescere atque scandala, & clavium provenire contemptum. Itaque Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno confiteatur fideliter Proprio Sacerdoti, &c.* Qui Sacerdoti Curato, aut licentiam ab Episcopo habenti peccata semel in anno confitetur, Canoni, *Omnis utriusque sexus*, obtemperat, secundùm Archipræsulis Nicosiensis & Coëpiscoporum sententiam.

Alter Archiepiscopus in eodem Synodico, cum Suffraganeis suis decrevisse pariter legitur observantiam Innocentianæ Constitutionis, quam ubi recensuit, hæc subdit: *Adjicientes, quòd nullus Sacerdos alicui infirmo det Eucharistiam, & alia Ecclesiastica Sacramenta, nisi ei constiterit quòd confessus fuerit alicui Sacerdoti, qui ad hoc potestatem habuerit. Qui autem contra fecerit, nostro arbitrio acriùs punietur. Inhibentes sub eadem pœna omnibus Monachis & Presbyteris Græcis, ac Syris, ne aliquo modo Confessiones audiant, & tam Clericis, quàm Laicis, ut aliquibus confiteantur, nisi iis, Qui à Nobis in nostra civitate & Diœcesi ad audiendas Confessiones fuerint deputati. Si quis verò contra hoc fecerit, vel semel in anno ad hoc Deputato Sacerdoti confessus non fuerit: & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ.* Qui apud Sacerdotem ad Confessiones audiendas ab Episcopo deputatum, peccata deponit, secundùm Nicosienses Constitutiones, satisfacit Canoni, *Omnis utriusque sexus.*

XLIV. Anno Christi millesimo quadringentesimo nono, *Alexander V.* vindicatas à nonnullis *Joannis de Poliaco* Assertiones & alias recèns adjectas, confixit Diplomate quod incipit: *Regnans in excelsis.* Novæ illæ Assertiones erant: I. *Confessus Fratri admisso in forma*, DUDUM, *tenetur eadem peccata in numero iterum Curato confiteri.* II. *Conclusiones Joannis de Poliaco damnatæ per Joannem XXII. sunt satis vera, & à quocumque literato sufficienter possent teneri.* III. *Statutum Joannis XXII. editum*, VAS ELECTIONIS, *est irritum & inane, quia cùm illud fecit, erat hæreticus.* IV. *Stante Statuto*, OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, *nec Deus, nec Papa de potentia sua potest facere, quin confessus Fratri Mendicanti admisso, iterum teneatur confiteri suo Curato.* V. *Confessio Fratribus admissis facta, est dubitabilis & incerta. Quapropter omnes tenentur dimittere incertum, & sic solùm confiteri suis Sacerdotibus curam animarum habentibus, sub pœna peccati mortalis.* VI. *Quamvis Fratres admissi habeant auctoritatem absolvendi & audiendi Confessiones; tamen populus subjectus non habet potestatem accedendi ad Mendicantes admissos, sine licentia Proprii Sacerdotis, & Fratres petentes Privilegia pro Confessionibus audiendis, & Sepulturis habendis, sunt in peccato mortali, & excommunicati: Et Romani Pontifices talia Privilegia concedentes Mendicantibus, aut iisdem confirmantes, sunt in peccato mortali, & excommunicati.* VII. *Fratres non sunt aut fuerunt Pastores, sed fures, latrones, & lupi.* VIII. *Sacerdos Curatus, dans licentiam Mendicantibus audiendi Confessiones, magis dispensat cum Statuto*, OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, *quàm Papa Fratribus dans licentiam, juxta formam Decretalis*, DUDUM. Hos Articulos, novos, erroneos, Canonibus contrarios, damnat *Alexander V.* statuítque ut *Si quis deinceps illos asserere, aut in Scholis vel alibi glossare, defendere, seu tenere aut prædicare præsumpserit, tanquam Hæreticus sit censendus, & Excommunicationis Sententiam incurrat ipso facto, à qua, nisi per Summum Pontificem, præter quàm in mortis articulo, non possit absolvi.* Et *Bonifacii VIII.* Constitutioni vires novas addit.

Alexandri V. Diploma Episcopo & Academiæ Parisiensi non placuit, nec susceptum ab ipsis est. Venerabilis *Gersonius* Ecclesiæ & Universitatis Parisiensis Cancellarius, in Ecclesia Cathedrali Concionem

[illegible]

Pontificum Romanorum [illegible] *Eugen[ius] IV.* [illegible]

[illegible]

ficat de [illegible] re pos[s]it de [illegible] m[...] eidem [illegible] M[...] fcl[...] lis [illegible] ch[...] lium E[...] in R[...] lo [illegible] bus sub pœna exc[ommunicationis] [illegible] ne [...] on [illegible] con[...]t.

XLVIII. D[...] [illegible] [...]nensi à *Philippo* Ep[isco]po [illegible] C[...] [...]tione: *Omni utrius[que] [sexus] [illegible]* D[...] Q[ua]dra[gesimæ] [illegible] R[...] E[...] [illegible] R[...]g[...] forum [illegible] rum querelis [illegible] *[vo]lumus, quod in fine publicationis Constitut[ionis] [illegible] feratur & pr[...] quod [illegible] hoc non [illegible] præjudicare Privi[legi]is [s]uper an[...] C[...] nibus, eisdem [illegible] Fra[tribu]s nobi[s] p[ræ]sentati [illegible] ssunt [illegible] nes li[b]erè, & [illegible] ta[...] aperti de omni[illegible] Item [illegible] quæ hæsitatio quis Pro[p]rius [illegible] [illegible] Do[...] & [illegible] Pr[o]p[r]ius Sacerdos est Papa, [illegible] pus, Pœnitentiarius [illegible] rius G[ener]alis, [illegible] cui cura P[...] Ecclesia est commissa [illegible] R[...] V[...]*

XLIX. An[no] mille[si]mo [quadrin]g[entesimo quadra]gesimo tertio, [illegible] Se[...] [Euge]nius IV. Constitut[ionem] edidit [illegible] M[...] [illegible] conti[n]entem, [q]uæ *M[illegible] M[illegible]rum* [illegible] [illegible] [illegible] Me[...] [...]tibu[s] [illegible] [illegible] *[illegible] de ha[illegible] [illegible] ab E[...] [illegible]* Fr[...] [illegible] R[...] *sine rationabili c[aus]a [illegible] malitiose distulerint [illegible] [illegible] omnis Sacramenta illa peti[illegible] exhibere*

[illegible] An[no] [illegible] [illegible] octav[o] [illegible] [illegible]es, Her[...] [illegible] Episcopi [illegible] B[...] Dux, controver[sias] [illegible] & Fratr[es] Mend[icantes] [illegible] ad eumdem P[...] [illegible] remit edi[tam] [Co]nstitut[ionem] [illegible]

[illegible]

[illegible] quæ h[illegible] [illegible] T[illegible]. *De Treuga & Pace* [illegible] p[illegible] Parochiani [illegible] à M[illegible] hæ [illegible] *ate fides nostra fi*[illegible] *& l*[illegible] *a exa tata per eosdem, & præ ertim per* [illegible] *rum & Minorum, ut Jura* [illegible] secund[illegible], [illegible] Fr[illegible] Mendican[illegible] P[illegible] chi[illegible] non [illegible] dic[illegible] Domini[illegible] & Fe[illegible] audiendam. *Cum fu re sit cantum*[illegible] *diebus Paroc*[illegible] *ianos teneri* [illegible] *re M*[illegible] *am* [illegible] *eorum Pa*[illegible] *Ecclesia* [illegible] *ex* [illegible] *a causa ab ipsa Ecclesia se absentarent* [illegible] Curati, in [illegible] ad [illegible] ultura [illegible] dam. *Et bere* [illegible] *propter p*[illegible] *nt Canones, cum* [illegible] *libera.* [illegible] prædicare [illegible] P[illegible] schate, Propt[illegible] Sacerdoti. *Quia* [illegible] *ure tenetur Pa*[illegible] *Paschate Proprio confiteri Sac*[illegible] *Per* [illegible] *tamen* [illegible] *tres Mendicantes non censeantur exclusi* [illegible] *nu*[illegible] *C* [illegible] *dem* [illegible] *possunt* [illegible] *audire, & l*[illegible] *valeant* [illegible] Juris com- [illegible] hujus [illegible] confessiones aud[illegible] etiam in P[illegible] Sixti IV. *fit apparens pro Curatis. Non est tam a da* [illegible] *ut* [illegible] *Major in* IV Sen[illegible] xvII. Quæst. [illegible]

LI[illegible]. Anno [illegible]. Synodus A[illegible]batensis Con[illegible] præ[illegible] ex Lateranensi Canone Proprio Sacerdoti faciendæ promulgavit. Tit. De S[illegible] Pœnitentiæ, sed P[illegible] Sedis Apostolicæ [illegible] audi[illegible] Fidelium Confessionibus V[illegible] R[illegible] necessa, reverenda est, eàque illæsa esse voluit. P[illegible] *hoc tamen*, inquit, *prædicare non intendimus illis*, *quibus a* SEDE APOSTOLICA *est indultum* [illegible] *Confessiones audiant, vel audire valeant, sibi confiteri volentium* [illegible] *ea potestate uti valeant*, *non obstante hujusmodi Propositione, secundum quod antea de Jure poterant vel valebant.*

LI[illegible]. Anno millesimo quingentesimo secundo Dioc[illegible] Synodus Suessionensis [illegible] ad audi[illegible] Confessiones recipi [illegible] sine Parochi[illegible] a Summo Pontifice, vel ab Epi[illegible] habeat. *Nullus*, inquit, *ad au dienda*[illegible] *Confessiones, præter voluntatem Rectorum Ecclesiarum Parochialium recipiatur* [illegible] *a Summo Pontifice, vel a Nobis, licentiam obtinuerit.*

LIII. *Leo X.* C[illegible] quæ i[illegible] *Dum intra mentis arcana*, quæ in Concilio L[illegible] V. Sess[illegible] & a[illegible] [illegible] Episcopis [illegible] Mend[illegible], Can[illegible] *sexus* [illegible] *e. Possint illi*, inquit, *per eosdem Episcopos* [illegible] *Prælatos* [illegible] *sufficiens* [illegible] *Sacramenti* [illegible] *duntaxat* [illegible] *libusque* [illegible] NI[illegible] UTI[illegible] SEXUS [illegible] *nem duntaxat* [illegible]

LI[illegible]. *Steph*[illegible] *Poncherius* [illegible] pi[illegible] Synod[illegible] [illegible]

[illegible] p[illegible] Summo P[illegible] a N[illegible]

L[illegible] A[illegible] Pœnitentiæ [illegible] D[illegible] p[illegible] xx [illegible] Pœniten[illegible] *animarum per*[illegible] *tum cum Deo* [illegible] *consulere* [illegible] *& quòd* [illegible] *soli Me*[illegible] *vendo, qui præsumpserit* [illegible] P[illegible] *fratres Mendicantium* [illegible] *sufficiente* [illegible] *atque p*[illegible] *cessibus* [illegible] *prædictos* [illegible] *Prælatos* [illegible] F[illegible] *fessiones sint commiss*[illegible] *deputati, seu* [illegible] *& Romani* [illegible] P[illegible] *bus confiteri volentium libere a*[illegible] *more* [illegible] *tionis impen*[illegible] *Declaramus* [illegible] *ab* [illegible] *potestatem* [illegible] *Curatos Parochial*[illegible] *est a*[illegible] *pa*[illegible] *specialiter duxerint facie*[illegible]

L[illegible] S[illegible] T[illegible] sis ab [illegible] Edoardo He[illegible] quos ipso P[illegible] fieri po[illegible] *autem* [illegible] *Presbyteri, qui in die Paschæ* [illegible] *Parochianis suis sub pœna excommunicat*[illegible] *recipiant nisi* [illegible] *vel potestatem ab eis habentibus confessi. Quæ quidem* [illegible] *temeraria videtur, quia quamplurimi S*[illegible] *& Rel*[illegible] *potestatem à Domino n*[illegible] *Papa*, *seu Domino Episcopo* [illegible] *audien*[illegible] *sibi confiteri volentium* [illegible] *injungendi, & a*[illegible] *vendi. Quare præcipimus omnibus Presbyteris, ut de* [illegible] *tales* [illegible] *ista verba* [illegible] *Vel alteri qui super hoc potestatem habeat.*

LVII. Dioc[illegible] Synodus Tolosana *a Ludovico Aurelianensi*, Arch[illegible] I[illegible] Sacerdoti[illegible] Pont[illegible] Episcoporum, & [illegible] ab ipsis habentes [illegible] *Injungimus* [illegible] *fiteantur. Proprium Sacerdotem dicimus Summum Pontificem, Episcopum*, [illegible] *rem* [illegible] *& generaliter omnes* [illegible] *cessores a prædictis legitime deputatos.* I[illegible] C[illegible] S[illegible] dus an[illegible] M XXXI[illegible] lebrata. [illegible] *Ludovicus* [illegible] F[illegible] in Constitut[illegible] Synodi[illegible] quæ [illegible] millesimo q[illegible]

LVIII. P[illegible] *II.* in C[illegible] nus [illegible] Gen[illegible] Soci[illegible] J[illegible] P[illegible] possint [illegible] qui [illegible] *ut* [illegible] *Rectoris* [illegible] *tia minime* [illegible] *&* [illegible] *confiteri* [illegible] *Christi fide*[illegible] *bus* [illegible] *quibus Soci*[illegible]

[illegible]

Omnis utriusque [illegible] ... de co[illegible] ... quotanni[illegible] ... fitentium in [illegible] ... nomina [illegible] à Regularib[illegible] ... tradant in R[illegible] ... P[illegible] fores eorum omnium qui [illegible] communic[illegible] unt, [illegible] ad [illegible]

[illegible] potestas [illegible] ab Ap[illegible] ... promul[illegible] ... Præfatis Decreta [illegible] sæcularibus Christi fidelibus univer[illegible] ... Et [illegible] societatis, quam aliis [illegible] quibus [illegible] Sede Apostolica indultum est [illegible] tamen [illegible] ab Ordinario approbatis peccata [illegible] etiam Quadragesima & Paschalis, & [illegible] tempore [illegible] dummodo tamen [illegible] seculares [illegible] Sacramentum Eucharistiæ [illegible] in propria Parochia ab eorum Parochis [illegible]

LXV. [illegible] Episcopum & R[illegible] ... Innocentius X [illegible] ... Sacra [illegible] Cardinalium In[illegible] tum Con[illegible] Regularibus [illegible] Apostolica Privilegia [illegible] lium Confessiones audire a Dominica Palmarum usque ad [illegible] ... Idus Fe[illegible] ... Expone nobis [illegible] Christi [illegible] Sua Jussione da[illegible] executioni mandari jussit.

LXVII. A[illegible] MDC[illegible] Kalend. Februarii Alexander VII [illegible] quarumdam Propositionum ab [illegible] Andegavensi [illegible] Apostolo [illegible] exa[illegible] in quæ Fratres ad annuam Confessionem Paschalem [illegible] tenetur [illegible] censura [illegible] Privilegiis Apostolicis. His verbis [illegible] ... tenetur nec ad annuam Confessionem [illegible] Parochiæ, nec ad audiendum verbum Dei [illegible] ... Et quoad tertiam partem de auditione verbi Dei, servetur dispositio [illegible] Tridentini [illegible]

Quanta [illegible] ... legem in [illegible] materia nec [illegible]

LXXI. *S. Bonaventura*, in Tractatu, qui inscribitur: *Quare Fratres Minores prædicent & Confessiones audiant*: Proprii Sacerdotis notionem eamdem assignat quam *S. Thomas*; & Fideles, qui Sacerdotibus quibuslibet à Summo Pontifice, vel ab Episcopo approbatis peccata confitentur, Canoni, *Omnis utriusque sexus*, satisfacere asserit. *Proprius*, inquit, *Sacerdos dicitur, cui quisque spiritualiter gubernandus commissus est ab Ecclesia vice Dei. Prætermissis igitur diversis distinctionibus, quatuor sunt cujusque plebis Parochialis Proprii Sacerdotes. Primus & præcipuus, est Summus Pontifex, cui tota Ecclesiastici gregis cura singularissimè commissa est... Secundus, Diœcesanus Episcopus, qui est Ordinarius Pastor omnium Ecclesiarum sub ipso constitutarum: & sui inferiores Prælati curam animarum & auctoritatem regendi habent ab ipso. Tertius, est specialis Pastor cujusque Ecclesiæ, ibi canonicè institutus. Quartus est, cui quisque prædictorum pro tempore vicem suam super commissos sibi ad ligandum vel solvendum ex causa rationabili committit, cui tamen committere potest. Superiores autem liberiùs & largiùs possunt vices suas committere, ut vice sua plebi suæ prædicent, & eorum Confessiones audiant, & absolvant, & Pœnitentias injungant: Ita quòd sic absolutos non oporteat illo anno Plebanis suis iterum confiteri, nisi velint: Multo magis potest hoc Episcopus, & maximè Summus Pontifex, qui ubique habet potestatis plenitudinem, ita & commissam sibi gerit omnium Ecclesiarum solicitudinem, ut ea quæ singulis necessaria probantur, ipsius providentiâ suppleantur.*

LXXII. *Henricus Gandavensis*, Quodlibeto, VII. ubi sibi objecit, quòd si Statutum illud, *Omnis utriusque sexus*, semper in suo robore permaneret, confessus Episcopo vel Pœnitentiario ejus, iteratò deberet confiteri eadem peccata Proprio Sacerdoti: Respondet: *Quòd omnes habentes Jurisdictionem ordinariam per ordinem, secundùm sub & supra, una persona reputantur, & unus Sacerdos, & quilibet illorum est immediatus Curatus, Papa omnium totius mundi; Episcopus omnium suæ Diœcesis; & Sacerdos Parochialis, omnium de sua Parochia: Et ideo confessus alicui talium, implet Statutum: & confessus Superiori, non tenetur eadem confiteri Inferiori, nec è converso. Habentes autem Jurisdictionem delegatam, si absolutè eis fiat delegatio, quia simpliciter gerunt, quoad potestatem delegatam sibi, vicem personæ delegantis, confessi talibus ea de quibus habent potestatem, servant Statutum, nec tenentur illa alteri confiteri.... Cùm ergo Papa, Legati, aut Episcopi, committunt simpliciter & absolutè prædicta officia exerceri sine licentia Sacerdotum Parochialium, ut propterea confessi illis, quibus committunt, non teneantur eadem confiteri Proprio Sacerdoti, non infringunt Statutum, sed potius utuntur Jure communi eis reservato secundùm illud Statutum.*

LXXIII. *Durandus à S. Porciano*, Aniciensis & postea Meldensis Episcopus, in IV. Sententiarum, Distinctione XVII. Quæst. XII. probandum sibi sumit primò, *Quòd Episcopus potest audire Confessiones omnium de sua Diœcesi, sine licentia Propriorum Curatorum.* Secundò, *Quod hanc potestatem potest aliis committere.* Tertiò, *Quòd non solùm potest eam committere Sacerdotibus Secularibus, sed Monachis & Religiosis.* Hisque luculenter probatis, colligit: *Quòd sicut Episcopus potest per se vel per alium excommunicare subditos Sacerdotum Parœcialium, eis invitis; sic potest audire Confessiones eorum per se vel per alium, Curatis invitis.* Quod ex Alexandri IV. Clemens IV. & Joanois XXII. Cônstitutionibus confirmat. Ex generali demum Ecclesiæ consuetudine, quæ circa Sacramenta & eorum usum maximæ auctoritatis est, præsidium accessit. *Papa enim*, inquit, *habet Pœnitentiarios, qui pro nunc sunt omnes Religiosi. Episcopi verò habent Pœnitentiarios tam Seculares quam Religiosos, qui absolvunt omnes ad se venientes, sine licentia Sacerdotum Parœcialium, non solùm de majoribus retentis à Papa vel ab Episcopis, sed de omnibus quæcumque voluerint confiteri. Dicere autem quòd hæc generalis consuetudo per universum mundum obtenta, & per Papam & Prælatos Ecclesiæ approbata, sit perniciosa, & vergens in periculum animarum, est quasi sacrilegium.* In responsione verò ad secundam Objectionem, ait: *Absoluti ab illis qui habent Privilegium, vel commissionem, sunt verè absoluti: nec tenentur iteratò eadem confiteri Proprio Sacerdoti, non obstante Constitutione*, OMNIS UTRIUSQUE, *cui præjudicari potest per speciale Privilegium, quod derogat Juri communi. & per specialem commissionem Episcopi, qui est magis Proprius Sacerdos quàm Curatus. Et ideo, sicut de licentia Curati potest absolvi subditus: sic à fortiori ratione, de licentia Episcopi, sine licentia Curati.*

LXXIV *Marsilius ab Ingen*, in IV. Sententiarum, Quæst. XII. Articulo I. Proprium Sacerdotem dupliciter dici posse observat. Primò ut proprium distinguitur contra commune; Secundò ut distinguitur contra alienum. Quo sensu *Proprii Sacerdotes* sunt duplicis generis: Quidam *ordinario Jure Ecclesiæ*, qui sunt triplices, vel ut in quibusdam quadruplices, scilicet, *Curatus, Episcopus, & Papa, vel etiam in quibusdam post Episcopum, Archiepiscopus: quorum nullus est alienus respectu sibi commissorum. Alii dicuntur Proprii Sacerdotes Jure delegato, ut si aliquis istorum simpliciter, vel ad tempus, alteri Sacerdotum, respectu sui subditi, suas vices committat.* His positis, respondet, *Quòd Religiosi super hoc Privilegiati, juxta formam traditam in dicto Cap.* DUDUM, *sunt Proprii Sacerdotes, eò quòd Papa qui est omnibus Proprius Sacerdos, eos vice sua instituit, & eam, quam habent Curati, eis dedit facultatem absolvendi..... Unde sicut Sacerdos non debet nec valet impedire, ne confiteantur Episcopo vel Papæ, seu alicujus ipsorum Pœnitentiario deputato; ita non potest impedire, quin ipsi, quibus Papa sic concessit potestatem, servatis formulis Capitis,* DUDUM, *& Constitutionis,* SUPER CATHEDRAM, *possint confitentes audire & absolvere: & ideo non habet subditos suos de hoc prohibere. Nec sequitur quòd non sint ei subditi, quamvis etiam sint subditi aliorum: sed non quia ei subditi sunt, per eum cohiberi possunt de his, qui super eum sunt, & disponere volunt.* Addit in Responsione ad secundum: *Non plus teneri iterum confiteri peccata, qui talibus confessi sunt, quàm si suo vero Curato essent confessi, vel quam si Papæ vel Episcopo.*

LXXV. Venerabilis *Gersonius*, Ecclesiæ & Academiæ Parisiensis Cancellarius, lib. *De Statibus Ecclesiasticis*, De Statu Privilegiatorum, Consideratione I. Privilegia Viris Religiosis ad Confessiones audiendas sapienter collata fatetur. *Status Privilegiatorum*, inquit, *ad prædicandum, & Confessiones audiendum, statutus est post primariam Ecclesiæ institutionem, rationabiliter ordinatus ad sublevamen eorum, qui Hierarchicos in Ecclesia Status habent, præsertim post talem & tantam in temporalibus ditationem, quæ secum attulit multam occupationem.*

Et Consideratione V. Eamdem potestatem Viris Religiosis ab Episcopo approbatis ad Confessiones Diœcesanorum audiendas, ac ipsis Curatis convenire docet. *Status*, inquit, *Privilegiatorum hoc habet, ut idonei præsentati sufficienter per Superiores*

res

res suos ad Prælatum Diœcesanum, valeant in locis suis Confessiones audire Diœcesanorum, & eos absolvere, cum tali potestate, & in casibus talibus, quemadmodum Curati Parochiales ordinariè funguntur, & non ampliori: nisi de speciali gratia Prælati major eis fuerit elargita potestas.

Consideratione VI. *Status Privilegiatorum habet hoc, ut quamvis Sacramentum Pœnitentiæ possit pluries super eadem peccata suum effectum sortiri, saltem quoad augmentum gratiæ..... Nihilominus confessi Privilegiatis non tenentur inviti eadem peccata ampliùs confiteri, plusquam si suis Curatis eadem confessi fuerint, quantùm est ex parte efficaciæ Sacramenti. Hoc enim per Joannem XXII. fuit declaratum, & usus communis hoc obtinuit.*

Consideratione VII. *Status Privilegiatorum, ut à confessis sibi non debeant Curati novam extorquere Confessionem de iisdem peccatis, præsertim si secreta sint: nec debent prohibere Parochianos, cùm talia voluerint eis confiteri.*

Et inter Regulas Morales, Cap. *De Pœnitentia*, hanc tradit: *Episcopus non minùs habet auctoritatem constituendi coadjutores Confessores in sua Diœcesi, quàm Curatus in sua Parochia.*

LXXVI. *Ægidius Carlerius*, Parisiensis Theologus, & Cameracensis Decanus, in IV. Sententiarum, Distinctione XVII. duas Propositiones probandas sibi sumit. I. *Privilegiati & à Papa, & ab Episcopo Diœcesano commissi, possunt sine licentia Curati Parochialis audire Confessiones.* II. *Hujusmodi Privilegiati debent toto posse inducere Parochianos ad amorem, reverentiam, & honorem Curati: & quòd se ostendant Curato suo tanquam absolutos à culpa, & idoneos ad perceptionem Hostiæ Salutaris.* Addit, Petitionem licentiæ à Curato non esse necessariam. *Aut enim Parochianus licentiam petet ut servet Ordinem Hierarchicum inter populum & Curatum Parochialem, & hoc sufficienter faciet per hoc, quòd postquam confessus fuerit, veniet reverenter ad eum, ostendendo se illi confessum, qui habuit Privilegium vel commissionem: aut hoc faciet, ut sic vultum pecorum Pastor agnoscat, & sciat nominatim oves singulas vocare; & hoc fieri non potest per petitionem licentiæ. Non enim potest Pastor agnoscere conscientias per hujusmodi petitionem. Præterea, si necessaria est petitio & obtentio licentiæ, multis præcluditur via salutis, putà si Sacerdos Parochialis invidus esset contra Mendicantes, & nemini Parochianorum vellet dare licentiam.* Tum Decretalem, *Omnis utriusque sexus*, expendens ait: *Ibi Proprius Sacerdos dicitur vel Ordinarius, qui est triplex, scilicet Papa, Episcopus Diœcesanus, & Sacerdos Parochialis, vel commissus ab aliquo horum, aut Privilegiatus. Manifestum enim est, quòd commissus per Curatum Parochialem potest audire Confessiones. Cur ergo non poterit commissus per Papam, vel Episcopum, & qui habent à Papa privilegium?* MS. *Carlerii* Codex in Bibliotheca Navarrici Collegii Parisiis asservatur. Florebat ad annum MCCCCXV.

LXXVII. Sacra Facultas Parisiensis anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo quarto, III. Calendas Augusti congregata, Propositiones duas à *Joanne Lallerio* in Sorbonica Disputatione positas damnavit; quæ his erant conceptæ verbis; I. *Confessi Religiosis Mendicantibus, præsentatis & acceptatis secundùm formam Decretalis,* DUDUM, *non sunt absoluti, & tenentur eadem peccata confiteri Curato.* II. *Summus Pontifex Joannes XXII. non potuit condemnare de Polliaco, nec facere Decretalem:* VAS ELECTIONIS.

LXXVIII. *Hadrianus* Cancellarius Lovaniensis, postea Summus Pontifex hujus nominis VI. in IV. Sententiarum, Quæst. V. de Confessione, obligationem ex Canone, *Omnis utriusque sexus*, resultantem explicans, docet: *Quemadmodum Proprii licentia Sacerdotis sufficit, quominus juxta præceptum Concilii Generalis teneatur confiteri Proprio Sacerdoti: ita sufficere licentiam Episcopi, Summi Pontificis, aut eorum, quibus ad hujusmodi negotia commiserunt suam Potestatem, ut est Vicarius Episcopi, & Pœnitentiarius Papæ, &c.* Secundam partem istius Propositionis probat ex Cap. *Si Episcopus: De Pœnitentiis & Remissionibus* in VI. ubi dicitur: *Si Episcopus subdito licentiam dederit ut sibi possit idoneum eligere Confessorem: electus ab eo in casibus specialiter Episcopo reservatis nullam habet facultatem absolvendi: cum in generali Confessione, &c. Ergo in aliis habet. Et hoc determinat Glossa procedere tam in Laicis quàm Spiritualibus. Ergo. Etiam non minùs est subditorum suorum Proprius Sacerdos Episcopus vel Papa, quàm Parochialis Sacerdos. Ergo non minùs videtur licentia cujuslibet eorum eximere ut non teneatur, juxta præceptum Concilii Generalis, omnia peccata sua confiteri Proprio Sacerdoti, quàm licentia ipsius Curati, vel Parochialis Sacerdotis.*

Ad primam Objectionem respondet: *Quòd Holkot, de Palude, & plures arbitrantur, appellatione Proprii Sacerdotis venire omnes Privilegiatos ad audiendas Confessiones, vel ad hoc sufficienter licentiatos, vel delegatos: dicentes, quòd Proprium illic excludit alienum, & non communem: cujusmodi sunt isti Privilegiati. Admisso tamen & non concesso, quod per Proprium Sacerdotem intelligi debeat Curatus seu Parochialis Sacerdos: nego consequentiam, Quòd ergo confessi Fratribus teneantur, &c. Quia Constitutio excipit, quando de licentia Proprii Sacerdotis alieno confessus fuerit Sacerdoti: ubi à minori etiam excipitur licentia Episcopi, vel Papæ: & certè quibus ad hoc commiserint vices suas seu Potestatem. Secundo dico, quòd per Proprium Sacerdotem textus ibi intelligit Curatum, Episcopum, Papam, & hujusmodi Ordinarios Superiores. Nec obstat Extravagans Martini IV. quia intelligit, cùm ad Superiores neglexerint habere recursum, quod tunc eos arctet Generalis Concilii Statutum, semel in anno confiteri Parochiali Sacerdoti. Vel nomine Parochialis Sacerdotis, intelligit Sacerdotem cui commissa est cura Parochiæ seu animarum: & sic comprehenditur Episcopus, Papa, &c. A Glossa,* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS *recedo: quia ut rectè dicit Joannes Andreas, hodie determinatum est contrarium per Constitutionem Joannis XXII.* VAS ELECTIONIS. *Et certè probabilior est opinio, quòd sufficit subditum licentiam habere à Superiore ad Confessorem eligendum, ut quicumque Sacerdos eum audire possit, ut vult Hostiensis in Summa, de Pœnit. & Remiss. in §. Cui confitendum.*

LXXIX. *Jacobus Almainus*, Parisiensis Theologus, in IV. Sententiarum, Distinctione XVII. Quæstione unica de Confessione, Articulo III. Proprium Sacerdotem eum omnem interpretatur, qui ordinariam auctoritatem habet, & confessos Viris Religiosis approbatis, ad confitendum Proprio Curato non teneri docet. *Sed videtur mihi melius dicendum*, inquit, *quòd in qualibet istarum partium* (Canonis scilicet, *Omnis utriusque sexus*, quem expendit) *capitur Proprius Sacerdos pro habente ordinariam potestatem, & non delegatam.* Deinde latiùs etiam hujus nominis significationem extendit. *Doctores dicunt, quòd Proprius Sacerdos tripliciter capitur, uno modo pro Ordinario, sive mediato sive immediato: & sic Episcopus, Papa, & Curatus sunt Proprii Sacerdotes. Secundo modo, pro Ordinario immediato, & sic Curatus dicitur proprius. Tertio modo, pro quocumque habente potestatem absolvendi, sive sit Ordinarius, sive Commissus,*

Fol. LXX. verso

aut

aut Delegatus. Istud præceptum ergo specificat quantum ad cui, id est, habente, secundum omnes, potestatem absolvendi. Et infra: Quantum ad secundam difficultatem, utrum confessus Privilegiato, teneatur Proprio Curato confiteri? Fuit magna altercatio de hac quæstione inter Seculares & Religiosos. Seculares, ut Armachanus, De Gandavo, dixerunt quod sic. Religiosi verò, excepto Occham, defendendo Privilegia eorum, dixerunt quod non: & credo quòd non tenentur confiteri iterum Curato. Et est prohibitum per Arrestum ne Seculares & Religiosi ampliùs altercentur circa illam quæstionem.

Fol. LXXXIII. verso.

LXXX. Joannes Major, Parisiensis Theologus, in IV. Sententiarum, Distinctione XVII. Quæst. VII. cui titulus est: An confessus Fratribus Mendicantibus sine facultate Plebani, teneatur illa peccata iteratò Proprio Sacerdoti confiteri, ut satisfaciat præcepto, OMNIS UTRIUSQUE SEXUS? Primam Conclusionem statuit hunc in modum: Romanus Pontifex potest dare facultatem alicui Sacerdoti audiendi Confessiones in Cura alicujus Plebani, non requisitâ facultate Plebani. Conclusionem hoc pacto probat. Plebanus facultatem impertitur aliis Sacerdotibus audiendi Confessionem (ut communiter in praxi videmus) non quæsita alicujus Superioris facultate. Ergo Superior illius Plebani potest dare facultatem audiendi Confessionem, sine facultate inferioris. Quidquid enim potest inferior, potest Superior, & non contra. Modò Romanus Pontifex dat Religiosis facultatem, ut patet ex Clementina, DUDUM: igitur &c.

Secundò; Episcopus potest aliquibus dare facultatem audiendi Confessiones in tota sua Diœcesi: Ergo Romanus Pontifex idem potest in tota sua Diœcesi, quæ est tota Christianitas. Consequentia sano capiti probatione non indiget. Antecedens patet de Episcopo Parisiensi, & idem est judicium de quolibet alio Episcopo: per Innocentium III. in Generali Concilio, prout recitatur Cap. Inter cætera: De Officio Judicis Ordinarii: ubi præcipitur Episcopis ut habeant viros potentes in opere & sermone, ad concionandum, & ad visitandam plebem, dicens: Unde præcipimus tam in Cathedralibus, quàm in aliis Conventualibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadjutores & cooperatores habere, non solum in Prædicationis officio, verùm etiam in Confessionibus audiendis, & Pœnitentiis injungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum. Et ratio est, quia Episcopus est Ordinarius singulorum in tota sua Diœcesi. X. Quæst. I. Regenda: XVI. Quæst. VII. Omnes Basilicæ: Et Quilibet in Diœcesi est Parochianus Episcopi. De Archipresbytero C. III. De Officio Ordinarii, Cap. Significavit.

Tertiò, Aliqui casus reservantur tam per Maximum Pontificem, quàm per Episcopos inferiores, à quibus Plebani non possunt absolvere, etiamsi attentaverint; à quibus Episcopi ex longa & honesta consuetudine jam absolvunt. Ergo eodem modo poterunt absolvere omnes sibi subjectos in suis Diœcesibus.

IV. Lex vel Privilegium Maximi Pontificis rationabile sufficit subditis, ut ea vel eo uti possint: sed hoc Privilegium à Maximis Pontificibus concessum est: & approbatum in Clementina, DUDUM: De Sepulturis. Quod sit rationabile, probatur sic: In eo quod est ad salutem necessarium, non sunt homines arctandi, ne à via salutis impediantur: sed arctatio videtur fore onerosa, si homines arctarentur ad confitendum Proprio Plebano: præsertim ubi solus Confessiones audit: vel etiam ubi ipse aliis vicem suam committit: tum propter verecundos, qui notis non libenter confitentur: Tum stat quod sunt omnes inerudìti, & non bona fama apud suos: & confitens

A varios habeat casus ancipites confitendos: & superveniat probus & eruditus Religiosus. Tunc enim congruum est ut subditus possit adire quem velit: quia melius est habere duo refugia quàm unum: sic ut ille possit Curato vel Religioso confiteri, suo Curato relicto, quem stat esse ad peccatum sollicitatorem, vel ineruditum. Iniquum autem foret, quod peccator tali obligaretur confiteri. Quod enim institutum est pro charitate, non debet contra charitatem militare, secundùm Bernardum.

V. In dicta Clementina, DUDUM, dicitur, Fratribus liberè possunt confiteri volentes: Quod nihil esset, si requireretur facultas Plebani. Non enim est libertas in actu, cujus dispositio pendet in alieno arbitrio: ut dicitur in C. De multa. De Præbendis.
B Super quo verbo, liberè, communes Expositores ita interpretantur, quòd confitentes possunt liberè vel Curatum, vel Fratres legitimè præsentatos adire. Insuper his diebus plerique habent facultatem à Romano Pontifice ut possint confiteri quibus voluerint, non petitâ facultate Curati. Ergo eodem modo dare potest facultatem Pontifex Sacerdoti alios audiendi.

Conclusionem statuit alteram Major his verbis conceptam: Parochiani possunt sine facultate Plebani Fratres legitimè ab Episcopo admissos adire, &
C eis confiteri. Propositionem probat hoc momento: Alioquin, inquit, Papale Privilegium Religiosorum esset eis inutile, si possent per Plebanos impediri, & requireretur eorum facultas: ut habet expressè Cap. In his. De Privilegiis: ubi dicitur quòd FF. Prædicatores & Minores habent Privilegium, quo possunt in Altari portatili celebrare, quocumque locorum venerint. Quod cùm quidam Episcopi impedire volentes dicerent, quod poterant facere, facultate tamen priùs ab Episcopis obtentâ: respondit Innocentius III. in Cap. præfato, §. Cùm autem eis: Quòd
D non tenentur facultatem Episcoporum requirere: alioqui nihil eis conduceret indulgentia Papæ: cùm possint hoc sine licentia Papæ, annuentibus Episcopis. Eodem modo omnino est in proposito. Cùm enim facultatem à Papa hi Fratres habeant audiendi Confessiones; nullius inferioris à Papa facultatem requirere tenentur. Per hoc enim quòd præsentantur à Superioribus suis, Provincialibus, Guardianis, vel Prioribus, ipsis Episcopis: non capiunt facultatem ab eis, si reperti fuerint ad hoc idonei: Quia contradicentibus Episcopis possunt Confessiones audire. Loquor de jure, & non de facto. Hæc Conclusio etiam probatur auctoritate Alexandri Papæ, in quadam
E Extravaganti, quæ incipit: Regnans in excelsis: ubi reputat eos Hæreticos, qui adstruunt & tenent oppositam. Tertiò: Omnium connexorum est idem judicium. I. Qu. III. Si quis objecerit. Sed audiri & audire sunt connexa: Ergo si dicti Fratres, ex priori Conclusione, possunt Parochianos sine facultate Curatorum audire: Parochiani possunt eos sine Plebanorum facultate adire. Quod ait Major, Religiosos contradicentibus Episcopis Confessiones audire posse, nec ab eis potestatem habere, post Tridentinum Concilium falsum est, antiquis illis Privilegiis
F quoad hoc abrogatis.

Ultimam Conclusionem statuit Major his verbis: Confessi legitimè Fratribus prædictis, non tenentur eadem peccata confiteri Proprio Sacerdoti, quem Curatum vocant. Propositionem sic probat: Nullus laicus rite confessus tenetur eadem peccata iteratò confiteri: sed confessus Fratribus Episcopo præsentatis, est hujusmodi. Igitur. Item, dato opposito, inane esset eorum Privilegium: & nemo confiteretur illis, si sciret se debere iteratò confiteri suo Proprio Curato sua peccata confessa. Tertiò hoc idem probatur ex Extravaganti Joannis XXII. quæ incipit, Vas electionis, ubi contrariam opinionem damnat tanquam à Catholicis respuendam. Sicut enim stultum est dicere,

quòd Papa confessus, Episcopo teneatur eadem peccata iteratò confiteri: Sic stultum est dicere, quòd confessus Fratribus, de quibus loquimur, teneatur eadem peccata Proprio Sacerdoti confiteri: sed debent hujusmodi in Pascha petendo Eucharistiam, dicere se Religiosis confessos. Ulteriùs, sunt in possessione & usu, adeo ut eis confessi, non confiteantur iteratò eadem peccata.

Ex his, inquit, *Conclusionibus, patet responsio ad titulum quæstionis. Nec respiciendum est ad verba Glossæ in Decretali præfata,* Omnis utriusque sexus: *quia cujus est condere, ejus est interpretari. Sed Romani Pontifices declararunt Privilegiis à se concessis, quòd non est necesse petere facultatem à Curatis, ad hoc ut Confessio valeat: igitur.*

Secundò, patet quòd per Proprium Sacerdotem non oportet intelligere Plebanum: sed sufficit Sacerdos specialis, generalis, vel generalissimus, vel ab eis auctoritatem habens. Nec oportet contra illud allegare aliquod Jus antiquum, Clementinam, Dudum, *præcedens: quia vetustate temporis Jura corruunt.*

Tertiò, sequitur quòd confitens illi Religiosis, non confitetur alieno Sacerdoti, ut alienum distinguitur contra omnes acceptiones Proprii, scilicet communissimi, communis, & specialis.

Quartò sequitur quòd ejusdem subditi sunt plures Judices in spiritualibus, sed non æquè principales. Nam Papa est principalissimus: Curatus infimus in Ordinariis: & dum præcipiunt opposita, Superiori obediendum est, ex Regula Augustini, quam Magister in fine secundi adducit.

Quintò, sequitur quòd si Curatus præcipiat confesso Religioso, de quo loquimur, sibi sua peccata confiteri: confessus non tenetur ei parere.

Et infrà sibi proponit objectionem hoc modo: *In* Cap. Omnis utriusque sexus, *dicitur: Quicumque vult justâ causâ alieno confiteri Sacerdoti, à Proprio petat licentiam, & obtineat. Aliter ille eum ligare non potest, nec absolvere.* Ad quam objectionem respondet: *Subaudiendum est, nisi sit Privilegiatus à Sede Apostolica, vel à Jure. Nam antiqua Jura per posteriora exponuntur & revocantur. Privilegium autem hoc in Clementina,* Dudum, *derogat Constitutioni in* C. Omnis. *Etiam Fratres Privilegiati sunt in aliquâ acceptione largâ Proprii Sacerdotes.*

Tandem in Epilogo Quæstionis ait: *Jura humana sunt mutabilia. Et si Pontifices ordinarent contrarium iis quæ dicimus: Sententiæ eorum, antiquioribus Statutis relictis, acquiesceremus: & cum regula Lesbia flecteremur.* Absolvit quæstionem totam hac Propositione: *Bonus Curatus bonos Religiosos, quos novit, debet ad se in suum auxilium vocare, neglectis his parvis fortunæ munusculis: gregis sibi commissi quærendo salutem. Et contra si Curatum seditiosum & discolum Religiosus videat, cum quo non possit fructum seu ædificationem facere in populo: à loco illo ad alium secedat: vel in cellulam, unde exiit, se recipiat.* Paulò uberiùs *Joannis Majoris* Pronuntiata retuli, quòd suspectus hac in causa nemini esse debeat.

LXXXI. *Martinus Azpilcueta, Navarrus*, in Cap. *Placuit. De Pœnitentia* Dist. vi. Num. cxxxvi. Proprii Sacerdotis nomine intelligendum esse ait, *habentem ordinariam potestatem, Jure communi.* Et præceptum illius Cap. *Omnis*, esse disjunctivum. Nam hæc pars; *Cùm ad annos discretionis pervenerit, solus sua peccata Proprio Sacerdoti confiteatur*: non sola est præceptum, sed sub disjunctione, conjuncta secundæ, scilicet quòd *si voluerit alieno confiteri, petat licentiam à Proprio.* Ergo illud præceptum in illo capite est disjunctivum; ita ut sufficiat adimplere primam partem vel secundam. Nam confitendo Ordinario, adimplet primam partem; & confitendo Commissario, adimplet secundam. *Papa enim, & Episcopus, & Parochus, sunt tres Ordinarii respectu Pœnitentis. Et ita proprius in quavis illarum partium tantùm valet sicut Ordinarius.* Et Num. cxxiv. *Secundùm Hostiensem, & omnes, quilibet Christianus habet tantùm tres Proprios Sacerdotes, Parochum de cujus est Parochia; Episcopum de cujus est Diœcesi; & Papam ubicumque ille sit: quia est Pontifex non solùm Urbis, sed etiam Orbis.*

Alios prætermitto, scilicet *Georgium Gemmigenum* Spirensis Ecclesiæ Præpositum, in Annotatiuncula pro Confessoribus Spiræ; *Arturum Fillonium*, Theologum Parisiensem, Silvanectensem Episcopum, in Speculo Curatorum, Tract. de Pœnitentia; *Joannem Cosaia* Hispanum, Parisiensem Theologum, in iv Sententiarum Dist. xvii. Quæst. iv. *Sylvium*, Doctorem & Professorem Duacenum, in Supplementum S. Thomæ, Quæst. viii. Art. v. Quæsito iii. *Philippum Gamachæum*, Doctorem & Professorem Sorbonicum in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ, Cap. xviii. *Nicolaum Ysambertum* ejusdem Scholæ Professorem, in eodem Tractatu Disput. xx. Art. I. qui in eo consentiunt omnes, Proprii Sacerdotis nomine ita Curatum intelligi, ut Episcopus, & Summus Pontifex minimè excludantur, imò *Silvius* Proprium Sacerdotem interpretatur omnem qui ordinariam auctoritatem habet. Sed illustrius est quod ad istius Dissertationis coronidem subjicio testimonium.

LXXXII. Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis FRANCISCUS HARLEUS, sacra eruditione, non minùs quàm aliis dotibus admirandis, totâ celeberrimus Europâ; LUDOVICI MAGNI Regis Christianissimi & Sapientissimi existimatione & gratiâ, omnium Ordinum veneratione dignissimus; Cleri Gallicani Os Ingeniúmque, in Collationibus publicis ac solemnibus, in quibus Morales Christianæ & Evangelicæ Regulas hoc anno MDCLXXXIII. mirum quantâ doctrinæ ubertate, quanta eloquentiæ vi exposuit, nihil omnino prætermittens quod ex Scriptura Sacra, ex SS. Patribus, ex Conciliis, ex Historia Ecclesiastica, ex S. Thoma, aliisque magni nominis Theologis, ad illud, quod in singulis Collationibus tractabatur, illustrandum argumentum conduceret, die xxvi. Aprilis, hancce Quæstionem juxta illud systema diremit, quod in præsenti Dissertatione constituo. Illustrissimi ac doctissimi Archipræsulis discipulum esse, magno duco honori, cum viris, quibus hæc Regia civitas abundat, eruditis, qui ex ejus Collationibus semper se redire doctiores profitentur. Cùm ergo Clarissimus ex Sacra Facultate Parisiensi Doctor de propositâ controversiâ multa eruditè & disertè prolocutus esset, Reverendissimus Archipræsul hanc duplici viâ expendi posse dixit; secundùm scientiæ nimirum, & secundùm prudentiæ Regulas. Si scientiæ lumina ductúmque sequamur, non adeo facilè dirimi. Ecclesiam, Summósque Pontifices à *Gregorio IX.* ad *Leonem X.* quamvis Religiosis Mendicantibus prædicandi & Fidelium Confessiones audiendi Privilegia concesserint, vel confirmaverint, difficultatem tamen omnem ex Canone, *Omnis utriusque sexus*, omnino non diluisse, nec adeo perspicuè declarasse an Ecclesiæ præceptum de annua Confessione, hoc Œcumenici Concilii Canone expressum, implevissent, qui Viris Religiosis Apostolico Privilegio donatis confessi essent, ut res extra omnem dubitationis ac disceptationis aleam posita esset. *Leonem X.* in Concilio Lateranensi v. quæstionem finivisse, ac sacro approbante Concilio, (nulla enim septem aut octo dissentientium Episcoporum habita ratio est) declarasse,

Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Francisci Harlæi Sententia de sensu Canonis Omnis utriusque sexus in collatione publica explicata.

clarasse, confessos Fratribus Mendicantibus ab Episcopo admissis &c. *Constitutioni quæ incipit: Omnis utriusque sexus, quoad Confessionem dumtaxat, satisfecisse censendos.* Ita Concilii Oecumenici Canonem cùm Synodus altera, quam Ecclesia universa legitimam agnoscit, fuerit interpretata, omnem discussam esse caliginem. Sacrosanctam Synodum Tridentinam Regularium Privilegiis modum adhibuisse, intacto nihilominus *Leonis X.* Diplomate; *Dum intra mentis arcana*; quod Synodus Lateranensis approbaverat. Fesulanum Episcopum fervida Oratione Patres permovere conatum ad abroganda Regularium Privilegia: *Thomam Caselium*, Brittinoriensem Episcopum ex Ordine FF. Prædicatorum assumptum, & *Seripandum* Augustiniani Ordinis Summum Præsidem, qui Cardinalitiis postmodum Infulis ob singularia merita exornatus est, Regularium causam efficaciter egisse, ostendisse quàm utilem hucusque operam in functionibus Apostolicis Religiosi Viri Ecclesiæ navassent, Fesulani Antistitis declamationem displicuisse Patribus, ipsúmque à Legatis Pontificiis increpitum fuisse, ut refert Cardinalis *Palavicinus* lib. VII. Historiæ Concilii Tridentini, Cap. IV. Verùm cùm Tridentina Synodus de annuæ Confessionis Ministro, & de Canonis, *Omnis utriusque sexus*, legitimo ac vero sensu nihil pronuntiasset, nonnullas postea Parochos inter & Regulares rursus ortas esse circa istius executionem Statuti contentiones. At Summos Pontifices secundùm Religiosos semper tulisse Sententiam, ut ex *Clementis VIII.* contra Belgii Curatos, & *Innocentii X.* contra Burdigalensem Archipræsulem, Diplomatibus compertum est. Etsi Constitutionum hujusmodi pondus elevare conentur nonnulli, quòd singulares Provincias spectent, adeòque ad omnes non debeant extendi: has nihilominus Summorum Pontificum voluntatem ad conservanda Regularium Privilegia propensissimam demonstrare: Ac præterea locum hic habere Axioma illud Juris: *Quæ in certis causis statuta sunt, similium causarum fata compenunt.* Addidit Illustrissimus Archipræsul, Summos Pontifices laudata dedisse Diplomata, ut sensum Canonis, *Omnis utriusque* aperirent, ac Fidelibus omnibus palàm facerent, Proprii Sacerdotis nomine ita designari Parochum, ut Episcopus quoque in tota Diœcesi sua, & ubique Christianarum gentium Romanus Pontifex, Proprii Sacerdotes ad mentem Oecumenici Concilii intelligendi sint. Id Canone X. *perspicuè* ac luculenter confirmari, quo sancitum est, ut *In Cathedralibus, & aliis Conventualibus Ecclesiis* viri idonei ordinentur, *quos Episcopi possint Coadjutores & Cooperatores habere, non solùm in Prædicationis officio, verùm etiam in audiendis Confessionibus, & Pœnitentiis injungendis.* Quod argumento est, Oecumenicam Synodum Proprii Sacerdotis nomine Episcopum etiam intellexisse, qui omnium suæ Diœceseos Fidelium Ordinarius Pastor est: quo nomine alios à Curatis Sacerdotes, cùm Seculares, tum Regulares ad sacras functiones *Coadjutores & Cooperatores* Jure assumere potest. Quamobrem Episcopi plurimi, post & ante Synodum Lateranensem, sibi vel deputatis à se Confessariis, omnium suæ Diœceseos Clericorum Confessiones audiendas reservarunt, ut ex Regula *Chrodegangi* Metensis Episcopi, ex Synodis * Pictavensi, Bajocensi, Oxoniensi, Londinensi, Wigorniensi, & Lambethensi constat. Quod certè statuere minimè potuissent, si annuæ Confessionis excipiendæ potestas penes solos Curatos esset, nec absque ipsorum licentiâ Parochiani peccata sua apud Episcopum, aut destinatos ab eo ad id muneris Sacerdotes, deponere possent. Frustra verò objici, quòd obligatio confitendi Episcopo

* Harum Synodorum Decreta superius protulimus.

A non destruat obligationem confitendi Parocho: siquidem nemo debiti solutione perfunctus, ad solutionem iteratam tenetur. Ab omni veri specie alienum esse, quòd *Innocentius III.* & quadringenti ampliùs Episcopi, qui Lateranenses Canones condiderunt & approbarunt, Sacramenti Pœnitentiæ administrationem ita Parochis addixerint, ut Romano Pontifici & Episcopis, quibus Fideles & Parochi ipsi subditi sunt, istius Ministerii auctoritatem abrogarint. Cœtum Cleri Gallicani anno MDCLV. Autoris cujusdam Anonymi Sententiam *erroris* damnasse, quatenus scripserat, *Fideles à* B *solis Curatis Sacramenta legitimè recipere posse: Quos inter & Parochianos mutua obligatio Jure divino intercedit, secundum quam Fideles a solis Curatis Sacramenta & verbum Dei postulare possint.* Ad hunc *errorem* fulciendum, ejus Autorem quodam Concilii Tridentini loco *abusum esse*, qui à Sacramentorum administratione *alienos dumtaxat Parochos, non Sacerdotes qui Episcoporum auctoritate sacras illas obeunt functiones, excludit.* Sessione XXIV. Cap. XIII. de Reformatione, *In iis quoque civitatibus ac locis, ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum quem regant; sed promiscuè petentibus Sa-* C *cramenta administrant, mandat Sancta Synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriásque Parochias, unicuique suum perpetuum peculiarémque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licitè Sacramenta suscipiant.* Falsò asseri quòd *solus Curatus sit Proprius Sacerdos*, juxta Lateranensis Concilii Canonem, *Jusque omne administrandi Sacramentum Pœnitentiæ in Officio Parochi contineatur: Ad Summum si quidem Pontificem & ad Episcopos nobiliori & eminentiori quadam ratione spectat.* Anonymum Autorem ex falso illo princi-D pio *in hanc opinionem adeo absurdam præcipitatum; quod Romanus Pontifex & Episcopi Proprii non sint Fidelium Sacerdotes, nisi quoad Sacramenta Confirmationis & Ordinis, & quoad Casus quos sibi reservant.* Non minùs Scriptorem illum errasse, cùm asseruit, *Securum non esse Regularibus confiteri*: Et cùm innuit, *Parochos Jurisdictionem ordinariam, inferiorem, quam habent ad absolvendum Parochianos sibi confessos à peccatis, ex quo ab Episcopis instituti sunt, ab eisdem Episcopis non recipere. & eam nihilominus cum Presbyteris Parochiarum suarum communicare.* Qui unam animarum salutem intendunt, Fidelibus suggesturos, *Quòd etsi Cura-* E *tis suis peccata confiteri debeant, hoc tamen Christianæ Religionis officio apud omnes Sacerdotes, etiam Regulares, fungi possint, modo sint ab Episcopis approbati. Annuæ Confessionis editum à Concilio Lateranensi Præceptum implere, qui apud Regulares ab Episcopis approbatos, iisdem permittentibus, tempore Paschatis peccata deponunt. Parochos esse Proprios Sacerdotes, apud quos Concilium Lateranense annuam Confessionem fieri jubet: sed Proprii Sacerdotis Officium in Proprii Episcopi Dignitate contineri, adeóque Fideles, qui Paschalis Communionis gratiâ confitentur, non solùm suis Episcopis, eorum Vica-* F *riis Generalibus, & Pœnitentiariis, verùm etiam quibuslibet Sacerdotibus Secularibus vel Regularibus, ab Episcopis ad hanc functionem approbatis, ejusdem Concilii Præceptum de annua Confessione implere.* Quæ omnia totidem verbis in Litteris Encyclicis Cleri Gallicani XXV. Aprilis ejusdem anni, datis, & in Sententia ejusdem Illustrissimi Cœtus de libro Anonymi Curatorum Parisiensium, & altero P. *Bagotii* S. J. Presbyteri pro Regularibus, legere est. Quæ Instrumenta ejusdem Cleri Conventus anno MDCLXXXII. iterum promulgavit, ac typis edi jussit. Hæc percensens Illustrissimus Archipræsul

 Parisiensis

Parisiensis in solemni, de qua loquimur, Collatione, addidit : Hujusce Regiæ Urbis Parochos Declaratione suâ palam professos, Episcopos in toto Diœceseon suarum tractu Proprios Sacerdotes esse, Ju- »re superiori, immediato, & divino, omnium Fi- »delium ad illas pertinentium : ita ut & ipsi per se »Confessiones audire, & administrandæ quovis anni »tempore Pœnitentiæ provinciam selectis & à se »probatis Sacerdotibus, sive Regularibus, sive Se- »cularibus committere possint. Et hæc quidem de »proposita Quæstione secundùm scientiæ Regulas »dici posse observavit Archipræsul Illustrissimus.

At secundùm Christianæ Regulas prudentiæ ipsam expendi, satius esse dixit, & secundùm Regulam Charitatis, quæ *omnis Præcepti divini*, omnis *consilii spiritualis*, omnium humanarum actionum finis est, quæ tunc demum rectè fiunt, cùm *referuntur ad diligendum Deum & proximum propter Deum.* Quo fit ut *Scriptura Sacra non præcipiat nisi Charitatem, non damnet nisi cupiditatem, & ita informet mores hominum. Charitatis porro venenum cupiditas, quæ minuitur Charitate crescente.* Quod principium non semel *S. Augustinus* * inculcat. Secundùm hanc regulam facilè finiendam controversiam, quæ tam diu, tantâque animorum contentione disceptata est. Si enim Domini Curati sola charitate ducantur, Viros Religiosos ab Episcopis approbatos, zelo salutis animarum ferventes, sibi in Sacramenti Pœnitentiæ administratione in adjutorium datos gratulabuntur, & de suo etiam Jure nonnihil remittent in gratiam ipsius charitatis, & salutis animarum ipsis ut Ordinariis Pastoribus inferioribus commissarum. Si Regulares Privilegia, sibi à Summis Pontificibus, Conciliisque in Fidelium spirituale commodum concessa, eorumque usum ad unius Charitatis finem referant, iis modestè utentur : nec graviter ferent si eorum Ministeria pii Curati ac Pastores prævenerint, quibus ad animarum salutem velut cooperatores coadjutorésque à Summis Pontificibus & Episcopis sunt adjuncti. Si secus fiat, contra charitatem hominum vitio militaturum, quod pro charitate institutum est : in scandalum cessura, quæ concessa sunt ad ædificationem. Auscultanda esse utrique statui, Dominorum Curatorum, & Regularium, aurea illa Venerabilis *Gersonii* verba lib. de Statibus Ecclesiæ Consideratione 11. de utroque Statu. *Status uterque*, inquit, *studeat alter alterius onera portare sine contentione & æmulatione . . . ne si invicem more cornicum se mordeant, consumantur. Ne præterea surgat fœda opinio Ecclesiasticorum apud Laicos, & vituperetur ministerium verbi Dei. Nonne Deus, quæso, abundè dives est pro omnibus? Nonne pacis est Deus, non divisionis? Denique quid prodest Pharisaica contentio de status præeminentia? Quid sanctius est dare operam ut quis perfectus inveniatur, quam si jacens in imis, de perfectione status glorietur?* Secundùm hæc, Deo gratias agendas dixit Religiosissimus Archipræsul, quòd in Parisiensi Diœcesi sua charitas regnet, pax constituta sit atque firmata. Multos operarios, messem ampliorem, & Ordinis utriusque charitati ac zelo sufficientem esse : Optare se ut omnes ob unam Dei gloriam & animarum salutem summa semper consensione collaborent : ut pax & concordia inter omnes servetur, quam REX MAXIMUS in Ecclesia regni sui non minùs quàm in Politico Statu sartam tectam esse jubet : sibique in votis esse ut Religiosissimi ac Reverendissimi Collegæ sui, Gallicanæ Ecclesiæ Præsules universi, eamdem formam sequantur. Quæ Illustrissimi Archipræsulis Oratio summo frequentissimi ac celeberrimi Cœtus applausu excepta est, cui plures Episcopi, Regis Christianissimi Confessarius, Abbates, Ecclesiæ Metropolitanæ Canonici, è Sacra Facultate Parisiensi Doctores ac Professores, Ecclesiastici ac Religiosi omnium Ordinum Viri magno numero aderant. Hæc in publicam utilitatem scriptis commendare volui, ne Incomparabilis Archipræsulis sensa & pronuntiata, æternâ memoriâ digna, oblivione deleantur.

* In Enchir. c. 121. lib. 1. de Doct. Christ. & alibi.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 670. Religiosi Censores hanc propositionem notant : *Alexandri V. Diploma Episcopo & Academiæ Parisiensi non placuit, nec susceptum ab ipsis est, contra illud prædicavit Gersonius.*

R. Historiæ res est, meraque facti quæstio, sicut & illa quæ Religiosis Censoribus displicens pag. 671. ad Historiam Canonis, *Omnis utriusque sexûs*, pertinentia, necnon illud pag. 672. *FF. Prædicatores in integrum restituit Academia, cùm pollicitis essent, se Privilegiis ab Eugenio IV. Nicolao V. & Callisto III. concessis non usuros.* Hæ, inquam, meræ sunt facti & Historiæ quæstiones.

DISSERTATIO V.

De Concilio Lugdunensi I. Oecumenico XIII.

ARTICULUS I.

De Concilii convocandi causa, scilicet FREDERICI II. Imperatoris cum Romanis Pontificibus Dissidio.

I. *FRIDERICI II.* Imperatoris crimina, & illatæ ab eo Ecclesiæ Romanæ injuriæ, huic celebrando Concilio dederunt occasionem. Ille scilicet parente *Henrico V.* Imperatore orbatus, tutorem habuit *Innocentium III.* Romanum Pontificem, eumdémque ad fastigium Imperii promotorem. Apostolicæ sed tantis Sedi beneficiis devinctus, non modò gratias non habuit, verùm Romanam Ecclesiam multos annos divexavit. Et cùm ad arma contra Saracenos capessenda, ut primùm Imperium iniit, voto ac Juramento se obstrinxisset, ipsa ad infestandam Ecclesiam impiè convertit. A *Gregorio IX.* Anathemate confixus est in Romana Synodo, anno millesimo ducentesimo vigesimo-octavo : & cùm turpe ac rei Christianæ exitiosum fœdus cum Sultano Babyloniæ iniisset, Hierosolymitana peregrinatione ad solam ostentationem perfunctus, ipsius subditos à Sacramento fidelitatis, quo ipsi adstricti erant, absolvit. His fulminibus territus, pacem rogavit, juratâque satisfactione facilè obtinuit à Pontifice pacis amantissimo. Lege quæ in Synopsi de hujus dissidii exordiis diximus Cap. 1. Articulis 11. & 111. neque enim eadem repetere opus est. Lege & Epistolam XVII. Gregorii IX. ad *Fridericum*, Tom. XI. P. 1. Conciliorum Editionis *P. Labbe.*

Fridericum II anathemate confixit Gregorius IX.

II. Anno millesimo ducentesimo trigesimo-nono, *Fridericum* frustra monitum ut patrata scelera emendaret, Anathemate rursus percussit *Gregorius IX.* & subditos ipsius à Juramento fidelitatis absolvit, ac loca omnia, in quibus ageret, Interdicto subjecit, ut Gestorum ipsius Autor testatur. Pontificiam Sententiam *Gregorii* Regestum, *Albertus Stadensis*, & *Matthæus Parisius* referunt, & post ipsos *Odericus Raynaldus* in Annalibus. Causæ in Sententia expressæ istæ sunt. I. *Quod contra Romanam Ecclesiam seditionem movit in Urbe, Pontificem*

Subditos ipsius à juramento fidelitatis absolvit.

Friderici II crimina.

cum & Fratres à sua Sede repellere intenderet. II. *Quòd Prænestinum Episcopum Sedis Apostolicæ Legatum, ne in sua Legatione procederet, quam in Albigensium partibus pro corroboratione Catholicæ Fidei* ipsi Pontifex commiserat, *per quosdam fideles suos impediri mandavit.* III. *Quòd quasdam Cathedrales, & alias vacantes Ecclesias, in Regno* Siciliæ *reparari non permiserit.* Ac ibidem *Clerici capiantur, incarcerentur, proscribantur*, occidantur. Quod de impedita vacantium Ecclesiarum reparatione *Gregorius* ait, clariùs exprimit Vitæ ipsius Anonymus Autor. *Proventus*, inquit, *Ecclesiarum vacantium, & earum quas subtili procurat ingenio Pastorum carere præsentia, quosdam in proprios convertit abusus, alios in ædificiis castrorum expendit... Regnum quærens & Sacerdotium vendicare, vacantibus ipsius Regni Ecclesiis Pastorum non patitur præsidia subveniri.* IV. *Quod Ecclesias in Regno destrui ac profanari* sineret: nec *Soranas permitteret reparari.* V. *Quòd nepotem Regis Tunisi venientem ad Romanam Ecclesiam pro suscipiendo Baptismatis Sacramento detineret: ac Petrum Saracenum civem Romanum ex parte Regis Angliæ ad Sedem Apostolicam venientem, carceri mancipasset.* VI. *Quod Terras, Ecclesiæ occupasset, contra Juramentum*; & inter alias Ferrariam, Sardiniam, ac Massam, ut idem Pontifex queritur in Apologia sua contra perfidum Imperatorem; libro XIII. R. gesti. VII. *Quòd Terras quorumdam Nobilium de Regno, quas Ecclesia tenebat, occupaverit ac devastarit: &* *Ecclesias* quasdam *ac Monasteria ferè bonis omnibus spoliarit.* VIII. *Quod Templarios & Hospitalarios in Regno mobilibus & immobilibus spoliatos, juxta tenorem pacis integrè non restituerit. Quod exactiones ab Ecclesiis & Monasteriis extorserit. Quòd Prælatos Ecclesiarum, & Abbates Cistercienses, & aliorum Ordinum, compulerit dare summam pecuniæ per singulos menses pro constructione castrorum.* IX. *Quòd contra tenorem pacis, eos qui adhæserant Ecclesiæ, bonis omnibus spoliatos exulare cogeret.* X. *Quod negotium Terræ Sanctæ impedivisset.* Hæc *Friderici* crimina Autor Anonymus in Vita *Gregorii IX.* fusiùs commemorat. Absolutos porro à Juramento fidelitatis ipsius subditos simpliciter non denuntiavit Pontifex, sed *quandiu fuerit vinculo excommunicationis astrictus.* Lata die Palmarum Sententia est in Basilica Lateranensi, & die Cœnæ Domini renovata, & post aliquot dies universis orbis Christiani Præsulibus significata; jussitque Pontifex encyclicis Literis, ut eam singulis diebus Dominicis & Festivis in suarum Diœceseon Ecclesiis ritu solemni promulgari curarent.

Objecta crimina diluere, suamque summo tueri Majestatem Fredericus II. conatur.

III. His fulminibus petitus Imperator, immanes iras adversùs *Gregorium IX.* concepit, litteras calumniis, probris, minis refertas scripsit, objectáque diluere crimina conatus est. Has apud *Petrum de Vineis*, qui ipsi à Secretis & Epistolis erat, legere est. Nonnullas etiam descripsit *Matthæus Parisius* in Historia Anglicana. Hos etiam impios versiculos sparsisse Imperatorem, & in cubiculum Pontificis immitti curasse testatur:

Fata docent, stellæque monent, aviúmque volatus,
Totius mundi malleus unus erit.
Roma diu titubans, variis erroribus acta,
Totius mundi desinet esse caput.

Pontificem verò reposuisse:

Fama refert, Scriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tua vita brevis, pœna perennis erit.

IV. Apologeticas pro Imperatore Literas ad *Gregorium IX.* scripsere Herbipolensis, Wormatiensis, Vercellensis, & Pannensis Episcopi, quas apud *Matthæum Parisium* legere est. At illas ceu meris commentis & frivolis excusationibus, atque mendaciis scatentes sprevit Pontifex, & Encyclicas ad Prælatos & Principes totius orbis Christiani dedit, quibus Sententiæ suæ probavit æquitatem, publicatis ipsius criminibus, & hæreticis blasphemiis, quas certis probatas documentis sibi esse significavit. *Per dictas Literas*, inquit, *suarum producit in lucem opera tenebrarum, in eis constanter proponens, quòd per nos tanquam Christi Vicarium vinculo excommunicationis adstringi non potuit. Sicque affirmans, non esse apud Ecclesiam, à Domino, B. Petro, & ejus Successoribus, ligandi atque solvendi traditam potestatem.... Iste Rex pestilentiæ, à tribus Baratatoribus, ut ejus verbis utamur, scilicet Christo Jesu, Moyse, & Mahometo, totum mundum fuisse deceptum: & duobus eorum in gloria mortuis, ipsum Jesum in ligno suspensum manifestè proponens: Insuper dilucida voce affirmare, vel potius mentiri præsumpsit, quòd omnes fatui sunt, qui credunt nasci de Virgine Deum, qui creavit naturam, & omnia potuisse. Hanc hæresim illo errore confirmans, quod nullus nasci potuit, cujus conceptum viri & mulieris conjunctio non præcessit: & homo debet nihil aliud credere, nisi quod potest vi & ratione naturæ probare. Hæc & alia multa, quibus verbis & factis Catholicam Fidem impugnavit, & impugnat, suo loco & tempore, sicut decet & expedit, manifestè poterunt comprobari.* Extant hæ literæ in *Gregorii* Regesto lib. XIII. & Tom. XI. Conciliorum P. I. Editionis *P. Labbe*, pag. 339. & apud *Parisium* pag. 342. Eadem refert Autor Anonymus sed coævus Vitæ *Gregorii IX.* Exinde *Fridericus* in Pontificem bellum gessit acerbissimum. Ille Prænestinum Episcopum ad Principes Occidentis, & præcipuè ad *S. Ludovicum* Francorum Regem, Legatum misit, ut ipsos ad arma contra *Fridericum* capessenda provocaret. Quin etiam *Roberto* Comiti Attrebatensi Sancti Regis Fratri Imperium obtulit, auxiliúmque ad frangendum *Fredericum*.

Gregorius IX. Imperium offert Roberto Comiti S. Ludovici Regis Francorum Fratri.

V. Hujus erat tenoris *Gregorii* Epistola, quæ lecta est coram Rege, & toto Franciæ Baronagio (ut loquitur *Matthæus Parisius*, qui illam refert ad annum MCCXXXIX. pag. 356.) *Noverit dilectus filius Ecclesiæ spiritualis, Illustris Rex, & totum Francorum Baronagium, Nos deliberatione & tractatu diligenti omnium Fratrum nostrorum condemnasse, & à Culmine Imperiali abjudicasse Fredericum dictum Imperatorem: & Robertum Comitem fratrem Regis Francorum loco ipsius elegisse substituendum: quem etiam omnibus nisibus Ecclesia non tantum Romana, sed universalis duxit non segniter adjuvandum, & efficaciter promovendum. Nullo igitur modo tantam sponte oblatam Dignitatem apertis brachiis suscipere ne pigritemini: ad quam opes, & operam, & opem abundanter effundemus consequendam. Scelera enim prædicti Frederici multiplicia, sicut jam novit mundus, eundem irrestaurabiliter condemnarunt.* At eo bello se implicare noluit *S. Ludovicus*, tum quòd nec ipsi, nec Gallicanis Principibus illius justitia perspecta & explorata esset: tum quòd fœderatum Imperatorem aggredi, perfidum; illius ruinâ crescere velle ambitiosum & ignavum esse videretur. Et ea de re habito Consilio, Francorum Proceres responderunt: *Quo spiritu vel ausu temerario Papa tantum Principem, quo nec est major, imò nec par inter Christianos, non convictum vel confessum de objectis sibi criminibus, exhereda-*

S. Ludovicus Imperium pro fratre suo recusat.

Francorum Principum responsum.

vit,

vit, & ab Apice Imperiali præcipitavit? Qui si meritis suis exigentibus deponendus esset, nonnisi per Generale Concilium cassandus judicaretur..... Nolumus nosmetipsos in tanta pericula præcipitare, ut ipsum Fredericum tam potentem impugnemus, quem tot Regna contra nos juvabunt, & causa justa præstabit adminiculum.... Sed ne in vacuum Papale Mandatum vidamur suscepisse... Mittemus Nuntios prudentes ex nobis ad Imperatorem, qui, quomodo de Fide Catholica sentiat, diligenter inquirant, nos super hoc certificaturos. Et si nil nisi sanum invenerint, cur infestandus est? Sin autem, & ipsum, imò etiam ipsum Papam, si malè de Deo senserit, vel quemlibet mortalium, usque ad internecionem persequemur. Missi ad *Fridericum* Oratores à *S. Ludovico*: Quibus se Christianum Catholicum esse, & sanè de omnibus Fidei Orthodoxæ capitibus sentientem asseruit, obortisque lachrymis, & sublatis ad cœlum manibus, Deum ultionum contra calumniatores suos invocavit. Ipsi facilè credidere Christianissimi Regis Oratores, eòque gratias egere amplissimas ob *Ludovici* & Francorum amicitiam, dixere: *Nolit Deus ut unquam ascendat in cor nostrum, ut aliquem Christianum sine manifesta causa impugnemus. Nec nos pulsat ambitio: Credimus enim Dominum nostrum Regem Galliæ, quem linea Regii sanguinis provexit ad Sceptra Francorum regenda, excellentiorem esse aliquo Imperatore, quem sola electio provehit voluntaria. Sufficit Domino Comiti Roberto fratrem esse tanti Regis.* Refert *Matthæus Parisius* p. 350. *Parisium* carpendi Pontificis occasionem nactum, Francis, quos tunc maximè Sedis Apostolicæ studiosissimos sub Rege Sancto fuisse constat, contumeliosa in Pontificem verba affinxisse conjicit *Odoricus Raynaldus*; Nec probabile esse, ipsos Imperii honore cumulatos injurias rependisse. Injurias & verba duriora velim & ego à *Parisio* afficta: sed certissimum est *S. Ludovicum*, *Robertum* Comitem, cæterosque Franciæ Principes ac Barones, *Gregorio IX.* adversùs *Fredericum* Imperatorem favere noluisse, nec vana spe Imperii ad arma contra ipsum sumenda potuisse provocari. Id colligitur ex *S. Ludovici* Literis ad eumdem *Fredericum*, qui Gallicanos Præsules ad Sedem Apostolicam pergentes interceperat, ac in carcere detinebat, anno MCCXLI. datis, quas refert *Guillelmus de Nangiaco*, in Gestis *S. Ludovici*. Sic porro habent: *Admirari cogimur vehementer, quòd nullâ offensionis causâ vel materia præcedente, Prælati Regni nostri ad Sedem Apostolicam accedentes, cui tam ex fide quàm obedientia tenebantur, nec ejus poterant recusare Mandata, in mari capi fecistis, & eos sub custodia detinetis: quod magis molestè ferimus, quàm Majestatis vestræ credulitas fortè credat. Nam sicut eorum literis manifestè didicimus, nihil contra Imperialem Celsitudinem excogitaverant; etsi Summus Pontifex fuisset ad aliqua minùs debita processurus. Unde cùm in eis nulla detentionis causa inveniatur, deceret Celsitudinem vestram Prælatos Regni nostri debita restituere libertati: in quo nos vobis pacatos reddetis, qui detentionem ipsam injuriam reputamus; & Regi sublimi multa fieret detractio, si super talibus taceremus. Quòd si prædictum ad vestra mentis oculos nolitis reflectere, Prænestinum Episcopum, & alios Legatos Ecclesiæ, in præjudicium vestrum volentes subsidium implorare, manifestissimè repulimus, nec in Regno nostro contra Majestatem vestram petuerunt aliquid obtinere. Provideat igitur Imperialis Providentia, & ponat in statera judicii ea qua dicimus, nec velit trahere locum à potentia & voluntate. Nam Regnum Franciæ non est adeo debilitatum viribus, quòd se vestris permittat calcaribus perurgeri.* Ex quibus constat, *S. Ludovicum* Gregorii IX. Lega-

Missi ad Sciderici um II. à S. Ludovico Oratores, qui in illius fidè inquirerent.

S. Ludovicus Gregorio IX. adversùs Fredericum II. favere noluit, ipsumque pro Imperatore habiturus agnovit.

A tis contra *Fridericum* nihil omnino concessisse, & ipsum, tametsi à Pontifice exauctoratum, pro Imperatore agnovisse.

VI. Nihil ad Regum, Regnique Francorum commendationem & gloriam illustrius ac magnificentius dici potest iis quæ *Gregorius IX.* ad *S. Ludovicum* scripsit eâ Epistolâ, qua auxilium adversùs *Fridericum* ab ejus Majestate rogavit. *Dei Filius*, inquit, *in signum divinæ potentiæ diversa Regna constituit, inter quæ, sicut Tribus Juda inter cæteros filios Patriarchæ ad specialis benedictionis dona suscipitur, sic Regnum Franciæ præ cæteris te-*
B *rarum populis à Domino prærogativa honoris & gratiæ insignitur. Nam velut prædicta Tribus Regni præfigurativa prædicti undique fugabat hostium cuneos, terrebat & conterebat undique, ac suis subjugabat pedibus per circuitum inimicos: Non aliter idem Regnum, pro exaltatione Catholicæ Fidei Dominica prælia dimicans, & in Orientis & Occidentis partibus, pro defensione Ecclesiasticæ libertatis Ecclesiæ hostes expugnans, sub vexillo claræ memoriæ Prædecessorum tuorum: Quandoque Terram Sanctam superna dispositione de manibus Paganorum eripuit: Quandoque Constantinopolitanum Imperium ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ reducens, dictorum*
C *Prædecessorum studio Ecclesiam ipsam à multis periculis liberavit. Pravitatem Hæreticam, quæ in partibus Albigensium fere fidem exstirpaverat Christianam, totis viribus expugnare non destitit, donec eâ quasi penitus confutatâ, fidem ipsam ad pristini status solium revocavit. Sicut præfata Tribus, velut reliqua, à cultu Dominico nunquam declinasse legitur, sed Idololatras & Infideles multis expugnasse præliis perhibetur: sic & in eodem Regno, quod à devotione Dei & Ecclesiæ nullo casu avelli potuit, nunquam Libertas Ecclesiastica periit, nullo unquam tempore vigorem proprium Christiana Fides amisit:*
D *Quin immo pro earum conservatione Reges & homines dicti Regni sanguinem proprium fundere, & se periculis multis exponere minimè dubitaverunt.* Caroli Magni, & aliorum Franciæ Regum, & præsertim *Ludovici VIII.* parentis ipsius exempla ejus Majestati ponit ob oculos; subditque: *Ex quibus evidenti ratione perpendimus, quòd Regnum Franciæ prædictum, benedictum à Domino, Redemptor noster quasi specialem divinarum voluntatum executorem eligens, & ipsum sibi sicut pharetram circa femur accingens, ex ipsa sæpius sagittas electas extrahit, & eas in tuitionem Ecclesiasticæ Libertatis &*
E *Fidei, in contritionem impiorum, & defensionem Justitiæ, in arcu brachii potentis emittit. Propter quod Prædecessores nostri Romani Pontifices à progenie in progenies tam laudabilia dictorum Progenitorum opera recensentes, ad ipsos continuum in necessitatibus suis habuere recursum: illique credentes quòd non potentium, sed causa Dei potius agebatur, petitum nunquam negavere subsidium: quin potius nonnunquam non postulatum, Ecclesiæ opportunitatibus in manu forti indulsere succursum.* Et infra, S. Regis auxilium contra *Fridericum* postulans, propter quod Prænestinum Episcopum in Gallias Legatum
F mittebat, ait: *Ad te præcipuum, te carissimum Ecclesiæ filium, te speciale subsidium, te refugium singulare, Venerabilem Fratrem nostrum Prænestinum Episcopum, virum approbatæ bonitatis, & sanctitatis expertæ, magnum Ecclesiæ Dei membrum, officio sibi Legationis commisso pro defensione fidei, ... dirigimus, & per eum in tanta necessitatis articulo, tui brachii auxilium invocamus.* &c. S. *Ludovicus* (ut diximus) noluit armis aggredi fœderatum Principem, qui fidem Catholicam profitebatur, quamvis Summus Pontifex & sinistris rumoribus occupatus, & ejus in spernendis Ecclesiæ Censuris contumaciam, quæ nota est hæreseos, attendens,

Regni Francorum commendatio.

eum

eum ut Hæreticum traduceret. Officio tamen suo erga Sedem Apostolicam, & *Gregorium IX.* non defuit, misit siquidem Gallicanos Præsules ad Synodum Oecumenicam, quam in tantæ rei difficultate Romæ indixerat, Ecclesiæ Judicio de *Friderico* stare paratus; interimque ejus communionem respuens, cujus excommunicatio in Gallicanis Ecclesiis fuerat promulgata.

Pecuniæ contributio ad bellum contra Fridericum Imp. gerendum à Clero Anglicano per Legatum Apostolicum exacta.

VII. In Anglia pariter promulgata in *Fridericum* Sententia est & immensa pecuniæ vis ad sacrum bellum contra ipsum gerendum exacta, qua de re graviter conquestus est Imperator datis ad *Henricum III.* Angliæ Regem literis, quas apud *Matthæum Parisium*, ad annum MCCXL. legere est. Anglicani Præsules Pontificis & Legati Apostolici postulata modestis exceptionibus elusere, fœliciores Abbatibus, quos ad insolitam contributionem Legatus, favente Rege, compulerat. Cleri Anglicani Responsionem ad posteros transmisit Matthæus Parisius. *Dicunt, quòd contribuere non debent: tum quia contributio fieret contra eum qui contraxit cum Principe suo; tum quia fieret ad effusionem sanguinis Christiani: quod patet ex forma Scripti Apostolici, in quo continetur:* Ad debellandum Imperatorem. *Tum quia fieret contra Libertatem Ecclesiæ, quod patet ex forma ejusdem scripti, ubi dicitur:* Contradicentes Ecclesiasticâ Censurâ compescentes. *Ecce servitus & compulsio. Tum quia aliàs dederunt decimas Domino Papæ, sub hac protestatione, ne de cætero consimilis fieret exactio: multò fortiùs nec nunc quinta pars est exigenda. Tum quia timeri posset, ne ad consuetudinem traherentur, cùm binus actus inducat consuetudinem, ut est in Cod.* De Episcop. Audient. L. Nemo. *Tum quia cùm necesse habeant continuè diversa negotia in Curia Romana, ad quam nisi per terram Imperatoris non patet accessus; timendum esset ne Imperator eorum captionem procuraret, ac ipsos certos de pœna graviori, carcerali custodiæ manciparet. Tum quia cùm Rex multos habet Inimicos, contra quos onus belli expectat sustinere, timens graviora, non esset tutum terram magis depauperare: præsertim cùm vacuetur pro magna parte, Nobilibus in negotium Crucis proficiscentibus, & multam pecuniam ad viatica secum asportantibus. Tum quia hoc verteretur in Patronorum Ecclesiarum præjudicium: maximè cùm non constet ipsos dictæ contributioni consentire. Tum quia generalis status Ecclesiæ, ut dicitur, periclitabatur: propter quod generalis debet fieri consultatio, ut sic si esset necesse, generalis fieret contributio: quod non est in casu isto. Fama enim percrebuit, quod convocabitur Concilium ubi talia sunt determinanda. Necesse enim est sic fieri, ut tollatur scandalum generale.*

Rectores Ecclesiarum *de Berchshyre* ad contribuendum frustra etiam hortatus est Legatus Apostolicus. Responderunt enim, *Contra Imperatorem non esse contribuendum, ut contra hæreticum; cum non sit damnatus Judicio Ecclesiæ vel convictus, licet excommunicatus: nec pro eo quod occupat vel impugnat Patrimonium Ecclesiæ Romanæ. Ecclesia enim non utitur brachio sæculari, nisi contra Hæreticos. Item sicut Ecclesia Romana suum habet proprium Patrimonium, cujus administratio pertinet ad Dominum Papam, similiter & aliæ Ecclesiæ suum, ex largitione & concessione Regum, Principum, & aliorum Magnatum fidelium, quod in nullo est censuale vel tributarium Ecclesiæ Romanæ. Unde non debent Prælati compelli de Patrimonio suarum Ecclesiarum contribuere. Item licèt argumento legis omnia dicantur esse Principis: non tamen dominio & proprietate, sed curâ & solicitudine. Similiter Ecclesiæ spectant ad Dominum Papam curâ & solicitudine, non dominio & proprietate. Unde dicunt quod non debent ad contribuendum compelli. Item cùm dicat Veritas:* Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, *reservavit sibi proprietatem, committendo curam, sicut patet ex verbis Evangelii sequentibus:* Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris, &c. *Non* Quodcumque exegeris super terram, erit exactum & in cœlis. *Unde dicunt, quòd ad contributionem non possunt secundùm Dominum & justitiam compelli. Item cùm ex auctoritatibus Patrum Sanctorum, fructus Ecclesiarum in certos usus, puta Ecclesiæ Ministrorum & pauperum sint deputati: non debent in alios usus converti, nisi auctoritate Ecclesiæ universalis. Unde de bonis Ecclesiæ non est contribuendum ad pugnandum, maximè contra Christianos.* &c. Rege tamen & Episcopis faventibus, ad contributionem sunt compulsi. Ita refert *Matthæus Parisius.*

Ferdinandus Castellæ Rex pro Frederico Imperatore apud Summum Pontificem intercedit.

VIII. *Ferdinandus* Castellæ Rex à copiis Pontifici adversùs *Fridericum* subministrandis se excusavit, quòd bello adversùs Saracenos implicitus esset. At sequestrem se interposuit pro redintegranda inter ejus Sanctitatem & Imperatorem concordia, misso ad Sedem Apostolicam Oratore Abbate *S. Facundi.* (Lib. IV. Regesti Gregorii Epist. XXXVIII.) *Sanè* (inquit) *multorum relatione didicimus, quod nobis postmodum Papalis Literæ demonstravit, Imperatorem in Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, quæ eum curiosè nutrivit, & mirabiliter exaltavit, multipliciter deliquisse; & eam adeo ad iracundiam provocasse, quòd opus fuit ut à manu Domini tangeretur. Nunquid pati potest pia mater, & non compatitur filius? Nunquid dolet Sedes Apostolica, & exultare potest fidelis? Nunquid turbato capite membra vigere noscuntur? Attamen quia non obliviscitur misereri Dominus, nec in ira misericordiam continebit, ex quo semel cœpimus, loquemur parum ad Dominum, de dubiis negotiorum eventibus magis anxii, quàm de facto Imperatoris, quem, (quantum cum Domino possumus) multipliciter tenemur diligere, obtentâ priùs veniâ, & concessâ licentiâ, ut mansuetudo Patris pœnitentem recuperet filium, & Ecclesia suo non careret Athleta, partes nostras interponere curavimus, &c.*

Germaniæ Præsules latam à Gregorio IX. in Fridericum II. sententiam promulgare renuunt.

IX. Germani Præsules latam à *Gregorio IX.* in *Fridericum* Sententiam promulgare detrectarunt, Pontificémque rogarunt, ut ad pacem cum illo ineundam descenderet. Pontifex, scriptis ad Electores literis, jussit ut alium Imperatorem eligerent. Illi verò rescripsere: Non esse Pontificiatum partium Imperatorem exuere Dignitate, sed tantummodo electum à Principibus coronare. Ita refert Stadensis Abbas in Chronico. Interea Viterbienses, aliique Pontificiæ ditionis populi ad *Fridericum* defecere, qui in Pontificios subditos horrenda crudelitate grassabatur, adeo ut Sacerdotes contra ipsum Cruce signatos flammis addixerit. Imperator, conflato ex diversis nationibus exercitu, in Campaniam, Picenum, Marchiam, Romaniolam populabundus excurrit, Beneventum ac Faventiam longa obsidione fatigatas expugnavit: Januensium classem, qua Sedis Apostolicæ Legati, & Præsules ad Synodum pergentes vehebantur, *Entii* filii Nothi operâ dissipavit: captos in carcerem conjecit, vexavit: ut constat ex literis Præsulum, qui è clade evaserant, ad *Gregorium IX.* & ex Consolatoriis *Gregorii* ad ipsos, quas ex ejus Regesti lib. XV. descripsit *Odoricus Raynaldus*, & ex *Matthæo Parisio* in Historia Anglicana. Legatur & *Gregorii* Epistola ad Venetos XVII. Tom. XI. P. I. Conciliorum Editionis *P. Labbe.* Hâc victoriâ elatus *Fridericus*, Romam versùs copias promovet, Spoletum opprimit, Interamnam occupat, Faventium, Assisinatum, Narniensium, Reatinorum agros populatur; Tybur in potestatem redigit,

flammis

flammis Albam delet, Burgum Novum vastat, Cryptam Ferratam subigit, ut *Richardus à S. Germano* in Chronico commemorat.

Innocentius Quartus de concordia Sacerdotii & Imperii serio cogitat.

X. Defunctis interim *Gregorio IX.* & *Celestino IV.* qui diebus dumtaxat septemdecim Pontifex fuit *Innocentius IV.* illorum in Sede Apostolica Successor à *Friderico* per Oratores & literas honorificas delinitus, de concordia Sacerdotii & Imperii seriò cogitat, mittitque ad ipsum Legatos, qui captivos Præsules libertati restitui Apostolicâ auctoritate jubeant, rogéntque qua ratione Ecclesiæ satisfacere velit: Synodi demum celebrationem offerant, quam ipse postulaverat; in qua de Regum & Præsulum consilio, Ecclesia, si quam ejus Majestati irrogavit injuriam, ipsi satisfaciat; si quam tulit injustam sententiam, eam rescindat. Id constat ex Commonitorio Legatis dato, seu ex Epistola LXXXIV. libri I. *Item offerant* (inquit) *quòd Ecclesia, si in aliquo contra debitum læsit eum, quod non credit, parata est corrigere, & in statum debitum reformare. Et si Princeps dicat, quòd in nullo læsit Ecclesiam contra justitiam: vel si dicat, quòd nos læsimus eum contra justitiam, parati sumus vocare Reges, Prælatos, & Principes, tam Seculares quàm Ecclesiasticos, ad aliquem locum tutum, ut per se vel solemnes Nuntios illuc veniant: & de consilio Concilii parata est satisfacere Principi, si in aliquo eum læsit; & revocare Sententiam, si quam injustam contra eum tulit; & cum omni mansuetudine & misericordia, quantum cum Domino & honore Ecclesiæ fieri potest, recipere ab eo satisfactionem de injuriis & offensis sibi & suis irrogatis.*

Fridericus II ad Summum Pontificem Oratores mittit de pace tractaturos.

Quædam querelarum capita contra Pontificem Legatis Apostolicis *Fridericus* proposuit, quæ diluit *Innocentius* Epistola LXXXIX. ad Legatos data, quam apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCXLIII. Num. XVII. legere est. Secundùm hæc, missi à *Friderico* ad Sedem Apostolicam Oratores de pace tractaturi, Tolosanus Comes, *Petrus de Vinea*, & *Thadæus de Suessa*, Imperialis Curiæ Judices, qui in die Cœnæ Domini, anno MCCXLIV. Obedientiam Pontificiis Mandatis ejus nomine jurarunt, circa capita propter quæ fuerat à *Gregorio IX.* excommunicatus, & satisfactionem pro damnis Ecclesiæ Personisque Ecclesiasticis illatis. Has concordiæ leges propositas *Matthæus Parisius* commemorat. I. Ut *Fridericus* terras omnes restitueret, quæ ante dissidium Pontificiæ ditionis fuerant, tum etiam quas Ecclesiæ fœderatis eripuerat. II. Ad Principes Christianos scriberet, se Ecclesiæ auctoritatem & Sententiam à *Gregorio IX.* in se latam non sprevisse; sed cùm sibi denuntiata non fuisset, consilio Prælatorum, & Principum Germaniæ & Italiæ censuisse, ad eam servandam se non teneri, donec significata esset. Cæterùm Summum Pontificem tam in se, quàm in omnes Christianos, Reges & Principes Clericos & Laïcos, *in spiritualibus plenitudinem potestatis habere* profiteretur. III. Eleemosynis, Jejuniis, aliisque pietatis operibus crimina expiaret; Sententiam excommunicationis, ad absolutionis usque diem, nihilominus humiliter servaret. IV. Captis Præsulibus, aliisque, erepta restitueret omnia, Ecclesias & Xenodochia excitaret; Pontificiisque se pariturum juraret Mandatis, salvis Imperii, Regnorúmque Juribus & honoribus. V. Omnia Edicta in fœderatos Ecclesiæ lata revocaret: de injuriis autem ante dissidium Sacerdotii & Imperii acceptis, in Pontificis & Cardinalium Sententia acquiesceret. Captivis omnibus libertatem, exulibus patriam, spoliatis ob Pontificiatum partium defensionem, bona restitueret. Superbum, infidum, versipellem, inconstantémque Principem, promissorum pactorúmque brevì pœnituit. Pontifex Tifernum cum Cardinalibus se contulit, ut pacis Tractatus ad optatum exitum faciliùs perduceretur. Imperator, depositâ Pœnitentiæ larvâ, se conventa servaturum negavit, nisi priùs Anathemate solveretur. Tum vetus recrudruit discordia. Structis à *Friderico* insidiis fugiens Pontifex, annuente Sanctissimo Rege *Ludovico IX.* in Gallias se recepit, illoque Romanorum Pontificum tutissimo receptus azylo, Synodum Oecumenicam Lugduni celebrandam indixit, anno MCCXLV. ad *S. Joannis Baptistæ* Solemnitatem. Ac ea de re *Balduinum* Imperatorem Constantinopolitanum, Reges Galliæ, Hispaniarum, Angliæ, &c. certiores fecit, simúlque universos & singulos obsecravit, ut vel coram interessent, vel Oratores mitterent ad Synodum. In Encyclicis pro Concilii convocatione Literis hæc inter alia habentur, quæ ejus causas celebrationis exprimunt. *Hinc est quod Nos, ut ipsa Ecclesia, per Fidelium salubre consilium & auxilium fructuosum, status debiti possit habere decorem, & deplorando Terræ Sanctæ discrimini & afflicto Romano Imperio propere valeat subveniri, ac inveniri remedium contra Tartaros, & alios contemptores Fidei, ac persecutores Populi Christiani: Necnon pro negotio quod inter Ecclesiam, & Principem vertitur, Reges terræ, Prælatos Ecclesiarum, ac alios Mundi Principes duximus advocandos.* Literæ convocationis incipiunt his verbis: *Dei virtus & Dei Sapientia.*

Pontifex Concilium Lugduni celebrandum indicit.

ARTICULUS II.

Concilium statò tempore celebratur.

ANno MCCXLV. die Lunæ proxima post Festum Nativitatis *S. Joannis Baptistæ*, Concilium Lugduni cœptum est in Ædibus Monachorum *S. Justi* Præsuli *Innocentius IV.* Pontifex Maximus. Adfuere præter Cardinales, quorum Dignitati ex Rubri Pilei Insigni novus tunc splendor accessit, Patriarchæ tres, Constantinopolitanus, Anthiochenus, & Aquileiensis; Archiepiscopi centum circiter & quadraginta, *Balduinus* Constantinopolitanus Imperator, Tolosanus Comes, *Thadæus de Suessa* Imperialis Cameræ Judex, Friderici Imperatoris Procurator. Christianissimi Regis *Ludovici IX.* Regis Angliæ, aliorúmque Principum Oratores. Nulli ex Palæstina, præter Berytensem Episcopum, nulli ex Hungaria; pauci admodum ex Germania Præsules adfuere. Summus Pontifex peractis Solemnibus in Sacro Consessu peroravit in hæc verba: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus*: & conceptos de calamitatibus Ecclesiæ dolores cum quinque Christi Crucifixi vulneribus comparavit. 1. De Tartarorum in Christianorum terras irruptione. 2. De Græcæ Ecclesiæ Schismate. 3. De Hæresibus pullulantibus. 4. De clade Hierosolymis à Chorasminis illata. 5. De *Friderici* Imperatoris criminibus & hostilibus in Ecclesiam Actis. Ista constant ex *Sterone* in Annalibus, apud *Henricum Canisium*, Tom. I. *Antiquæ Lectionis*, ex *Alberto Stadensi*, & ex *Matthæo Parisio*, qui cœteris fusiùs & diligentiùs Acta Concilii exponit, in Historia Anglicana ad hunc Annum.

ARTICULUS

ARTICULUS III.

FRIDERICUS Imperator ab INNOCENTIO IV. in Synodo excommunicatus et ob gravissima, de quibus convictus est Crimina. Et ab eodem proprio, non Concilii Oecumenici nomine, exauctoratus. An justa fuerit Sententia, discutitur.

I. MUlta statim in ipso Concilii limine Summo Pontifici spondit *Friderici* Imperatoris nomine ejus Orator *Thadæus*, vir Belli Jurisque peritissimus, & eloquentiæ vehementis, ut Ecclesiæ gratiam magnificis promissis ipsi conciliaret. scilicet ipsum Græcorum Imperium ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam revocaturum: Tartaros, Chorasminos, Saracenos, adornatâ propriis sumptibus Expeditione petiturum: Profligatas Terræ Sanctæ res pristino splendori restituturum: Ereptas Ecclesiæ Romanæ ditiones redditurum, & pro illatis damnis, irrogatisque injuriis facturum satis. Tam splendida promissa fieri à *Friderico* ut Ecclesiæ illuderet subodoratus Pontifex, unam superesse viam pœnas à Synodo infligendas evadendi, respondit, si nimirum juratæ jam olim Pacis capita religiose adimpleret. *Pacem*, inquit, *nuper in anima sua juratam, secundum formam præstiti Sacramenti teneat, & acquiesco.* Ejus promissis, qui toties fefellerat, stare se non posse. Reges Francorum & Anglorum obsides pro Domino suo *Thadæus* obtulit. Conditionem respuit *Innocentius*, tum quia *Thadæus* id in Mandatis non habebat: tum ne Fidejussio imprudenter accepta Ecclesiam cum duobus potentissimis Principibus committeret. *Nolumus*, inquit, *quia si pacta commutasset, vel penitus infirmasset, oporteret nos animadvertere in eosdem: & tunc haberet Ecclesia tres, quibus non sunt in seculari potentia majores, immo nec pares, Inimicos.* Atque hæc priori Sessione gesta. Ita refert *Matthæus Parisius*.

Objecta Friderico [illegible] diluere conatur Thadæus ejus Orator.

II. Feria iv. sequenti, Sessio celebrata est altera, in qua Summus Pontifex secundùm Orationem ad Patres habitam, *Friderici* Imperatoris facinora palam exposuit, scilicet Hæresim, Sacrilegium, munitissimam in terris Christianorum civitatem Saracenis incolis datam, Ritus & Superstitiones ipsorum usurpatas; contractam cum Soldano Babyloniæ, aliisque Saracenorum Principibus familiaritatem, impudici cum Saracenis mulieribus amoris commercia; perjuria certis documentis probata, ipsius nimirum Epistulis ac Diplomatibus; Denique de violata in Prælatorum captione & incarceratione Ecclesiastica Majestate postulatus est. Objecta Imperatori crimina *Thadæus* ipsius Orator diluere utcumque conatus est, perjurii crimen amoliri, prolatis Pontificis Literis in speciem pugnantibus. In speciem dico: quia *Papales Epistolas conditionales fuisse, Imperatorias vero absolutas, & apparuisse læsionem fidei manifeste ex parte Imperatoris, qui omnia absolute promiserat, nec inde aliquid secundùm promissa compleverat.* Matthæus Parisius testatur. Accusationem de Hæresi infirma defensione repulit, quòd nullo in ditionibus suis Usurarios pateretur. Cæterùm necessariam esse ad hujus Accusationis discussionem *Friderici* præsentiam, ut Fidem suam profiteretur. Saracenos in Civitatem ad præsidium admissos, & ad subditorum insolentiam reprimendam, seditionesque coërcendas, respondit. Mulierum Saracenarum lenociniis & jocis

A delectatum Imperatorem, non fœdo concubitu pollutum. Inducias demum rogavit *Thadæus*, ut Dominum suum de his quæ in Concilio gerebantur certiorem faceret, ut vel ad Sacrum Consessum accederet ejus Majestas per se responsurus, vel potestatem hac in causa sibi concederet ampliorem. Regis Christianissimi & Regis Anglorum Oratoribus *Thadæi* preces commendatione sua sustentantibus, ipsi concessæ duarum Hebdomadum induciæ. Monitus Imperator, Pontificem ac Synodum ceu hostile agmen execratus est, Judicemque recusavit, illatâ de inimicitiis calumnia. *Nec Sacrum*, inquit, *decet Imperium maxime adstantis Judicio sisti Sy-* B *nodali.* Perlato ad Concilium responsi contumacis nuncio, multi qui hactenus *Friderico* favebant, ab ejus partibus recessere. Adversùs ipsum accusationes auditæ, præsertimque de detentione Prælatorum ad Synodum a *Gregorio IX.* convocatam euntium disceptatum est, *Thadæo* Domini sui partes agente. Qui cùm eloquentia, quâ plurimum pollerat, nihil in mala causa promoveret, *Appellavit pro eo ad Concilium proxime futurum Generale.* Cui Pontifex *Satis est Concilium Generale multorum, qui Domini sui humilitatem inutiliter non sine gravamine expectarunt, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum de diversis mun-* C *di partibus Nobilium, vel eorum Procuratorum. Et qui absunt, laqueis Domini tui impediuntur irretiti. Unde propter hoc indignum est ut Sententia Depositionis in ipsum ferenda retardetur, ne ex malitia sua commodum videatur reportare; cùm non debeat alicui fraus patrocinari.* Ita refert *Matthæus Parisius*. Sessione iii. id gestum. *Thadæi* petitionem Papa non eo nomine repulit, quòd inepta esset provocatio ad Concilium; sed eo quòd Concilium istud Lugdunense Generale esset, ubi quamplurimi Episcopi & Nobiles aderant, aut eorum Procuratores, iis solùm absentibus, quos *Fredericus* aucto- D ritate sua continebat: ideòque ne ex malitia sua commodum reportaret, neve fraus illi sua patrocinaretur, Sententiam depositionis non esse differendam respondit, quemadmodum *Matthæus Paris.* retulit.

Thadæus Friderici [illegible] Concilium generale appellat.

Sententia depositionis in Fridericum Imp. lata.

III. Sententiam itaque in *Fredericum* Imperatorem tulit *Innocentius IV.* xvi. Kalendas Augusti, *Sacro præsente Concilio*, quæ incipit: *Ad Apostolicæ Dignitatis apicem.* * In ea quatuor maximè criminum reus pronuntiatur: primùm perjurii multiplicis, & violatæ pacis Ecclesiam inter & Imperium quondam sancitæ. Secundò vehementis ac pe- E ne evidentis de Hæresi suspicionis. Tertiò, sacrilegii in captione & violenta detentione Cardinalium, & aliorum Antistitum perpetrati, qui ad Concilium sub *Gregorio IX.* proficiscebantur. Quartò læsæ Pontificiæ Majestatis, siquidem famosas & petulantes Epistolas contra *Gregorium IX.* scripserat, Ecclesiasticarum ditionum Populos contra ipsum commoverat, Urbes & Castra Patrimonii *S. Petri* invaserat. Hæresis suspicio ex contemptu Censurarum Ecclesiasticarum, & ex inito cum Saracenis fœdere probata est. Accessit accusatio de Ecclesiæ libertate in sacris præsertim Electionibus F oppressa, quò factum erat ut undecim Archiepiscopatus, & Episcopatus plurimi, ejus culpâ, in ipsius ditionibus etiam unum vacarent: De Clericorum gravamine, quos non solum inimanibus exactionibus affligebat, non solùm ad secularia Tribunalia trahi permittebat, sed etiam duella subire, & in carceres publicos detrudi jubebat. De Tyrannide tandem in Siculos Romanæ Vassallos Ecclesiæ postulatus est: & de mille squiffatorum annua pensione, pro Regno Siciliæ quod a Romana Ecclesia Beneficiario Jure tenebat, eidem Ecclesiæ

* Inserta est Sexto Decretal. [illegible] de Sententia & Re judicata, Cap. Ad Apostolicæ.

non soluta. Has ob causas Summus Pontifex Sententiam in Fridericum tulit, hoc tenore: *Nos itaque super præmissis, & compluribus aliis ejus nefandis excessibus, cum Fratribus nostris & Sacro Concilio deliberatione præhabita diligenti, cum Jesu Christi vices, licèt immeriti, teneamus in terris, nobisque in B. Petri Apostoli persona sit dictum:* Quodcumque ligaveris super terram &c. *Memoratum Principem, qui se Imperio & Regnis, omnique honore & dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates, à Deo, ne regnet, vel imperet, est abjectus, suis ligatum peccatis, & abjectum, omnique honore & dignitate privatum à Domino ostendimus, denuntiamus, ac nihilominus sententiando privamus. Omnes qui ei Juramento Fidelitatis tenentur adstricti, à Juramento hujusmodi perpetuò absolventes Auctoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tanquam Imperatori vel Regi pareat, vel intendat. Et decernendo quoslibet, qui deinceps ei velut Imperatori aut Regi consilium vel auxilium præstiterint, aut favorem, ipso facto Excommunicationis vinculo subjacere. Illi autem ad quos in eodem Imperio Imperatoris spectat Electio, eligant liberè successorem. De præfato verò Siciliæ Regno providere curabimus cum eorumdem Fratrum nostrorum consilio, sicut viderimus expedire.*

IV. *Fridericum* Imperatorem tot criminum reum justè excommunicavit *Innocentius IV.* jure & Regno Siciliæ privavit, quod beneficii [illegible] ab Ecclesia Romana tenebat, præsertim cùm potestate suâ contra eamdem Ecclesiam abuteretur, nec debitam Sedi Apostolicæ ratione illius Regni pensionem solveret. Verùm alia de Imperio ratio erat, quod Romanæ Ecclesiæ non ita obnoxium est. At quia illud *Friderico* Innocentius III. contulerat exauctorato *Ottone*, ex præjudicata quorumdam opinione, maximè *Gregorii VII.* ad Jura etiam Imperii ipsi abroganda abreptus est *Innocentius IV.* Nonnullis enim videbatur, aut initium *Friderici* nequaquam legitimum fuisse, cui vis ex *Ottonis* depositione; aut ejus exauctorationem esse legitimam, quæ pari Sententiâ Pontificis, ob causas etiam graviores, fieret. Quamquam de cæteris Principibus ratio esset diversa, qui vel nascendi sorte, vel Ordinum electione, ad Summi Principatûs fastigium provehuntur. Certè Juribus quibusdam mixtis, quæ in augusto Protectoris Ecclesiæ titulo fundantur, qualia sunt Jus conferendi Beneficia quædam, nominandi ad alia, mittendi Oratores ad Oecumenicam Synodum, Nationalia Concilia convocandi, Clericos, Monachos, Christianos omnes ad Canonum observantiam cogendi, Leges externam Ecclesiæ Politiam spectantes condendi: quorum Jurium ratione Imperator, aliique Principes Christiani & Catholici, *Episcopi ad extra* dici possunt, quemadmodum de se ipso aiebat *Constantinus*; his, inquam, Juribus *Fridericus* privatus erat, hoc ipso quòd excommunicatus. At Juribus merè temporalibus in ditionibus quas beneficiario nomine ab Ecclesia non tenebat, Pontificis Romani vel Synodi Sententiâ spoliari non poterat.

Infelicibus sanè auspiciis *Friderici II.* exauctorationem decrevit *Innocentius IV.* Ex hac enim Sententiâ clades innumeræ in Christianam Rempublicam redundarunt, quas illius temporis Historiæ commemorant. Neque enim se pro exauctorato habuit *Fridericus*; sed de Sententia certior factus, coronam capiti imposuit, & Pontifici insultans; *Non adhuc*, inquit, *coronam meam perdidi vel Papali impugnatione, vel Synodali Concilio, nec sine cruento peracta certamine.* Et revera post furibundas voces arma arripuit, gravissimaque damna Pontifici & Ecclesiæ intulit, ut refert *Matthæus Parisius.* Principes commovere cæteros contra Summum Pontificem conatus est, datis ad eos Encyclicis Litteris quæ inter Epistolas *Petri de Vineis*, & apud *Matthæum Parisium* leguntur. Metuendum esse plurimum [illegible] quod permittatur Pontifici [illegible] tribuit. Nullam ipsi in temporalia Regum Potestatem convenire declarat, etiamsi [illegible] lapsi. *Contra nos*, inquit, *ausus est sententiam depositionis statuere, quam præter omnium Regum etiam ruæ præjudicium non poterat stabilire. Quid enim vobis singulis Regibus singulorum Regnorum a facie talis Principis Sacerdotum timendum non superest, si nos & Principum electione solemni & approbatione totius Ecclesiæ, dum Cleri fide ac religione vigebat Imperiali Diademate divinitus insignitos, & alia Regna nobilia magnifice gubernantes ille deponendo aggreditur. Cujus quoad temporalium detrimenta, non interest in nos aliquid exercere rigoris, etiamsi causæ legitima probarentur.*

VI. Germaniæ & Italiæ Principes plebésque varias in factiones discessere, his novum Imperatorem de mandato Romani Pontificis *Henricum Lantgravium* eligentibus, aliis reclamantibus, irritámque exauctorationis Sententiam in *Fridericum* latam asserentibus, defectu potestatis, quæ ad instituendos vel destituendos Romanos Imperatores Pontifici non convenit. Quâ de re Stadensis Abbas *Albertus* in Chronico. *Quâ*, inquit, *Sententiâ per mundum volante, quidam Principum cum multis aliis, reclamabant dicentes* AD PAPAM NON PERTINERE IMPERATOREM VEL INSTITUERE VEL DESTITUERE, SED ELECTUM A PRINCIPIBUS CORONARE... *Papa sollicitare fecit Principes, quos ad Imperium regendum credidit idoneos, ut aliquis eorum onus Imperii sumeret & laborem; promittens ei quicumque Imperium assumeret, consilium & auxilium pariter & favorem. Tandem Henricus Lantgravius, multis victus precibus, Imperium accepit.*

Variæ in Imp. electione [illegible]

VII. Idem testatur *Trithemius* Abbas in Chronico Hirsaugiensi, ad annum MCCXL. ac *Innocentium* Sententiæ latæ pœnituisse, cum tantam malorum tempestatem ex ea cerneret excitatam. *Fridericus Imperator Secundus in Concilio Lugdunensi à Papa Innocentio citatus & non comparens, à Cæsarea Majestate deponitur, & omni dignitate privatur. Vacavitque deinceps, ut quidam volunt, Romanum Imperium per annos viginti & octo usque ad Rudolphum de Hasburg: quamvis tres interea successivè per Principes fuerint electi, plures autem in [illegible] Principibus non concordantibus. Et primo quidem post depositionem Friderici Papa mandavit Principibus ut Imperatorem, quem vellent, eligerent; quorum aliqui Fridericum sequentes, Mandatum Papæ non curaverant. cæteri in unum convenientes, Henricum Provincialem, Comitem Hassiæ in Regem contra Fredericum eligentes, partes ejus quantum potuerunt, defendebant. Annis igitur quinque nomen gerens Regium, nihil memoriâ dignum patravit, sed obiit Imperii Coronam minimè consecutus. Quamdiu enim vixit Imperator Fridericus, per annos fermè sex, prævalere contra eum nec Papa, nec aliquis Principum potuit, sed non adveriens Sententiam Papæ, quam injustam & frivolam dicebat, se Imperatorem gessit, magnámque Principum, Nobilium, & civitatum adhærentiam habuit usque ad mortem. Intravit post depositionem suam in Italiam & tantis malis Papam subjecit que [illegible] populos affixit, ut Pontificem vivere tæderet.* V[illegible]QUE DEPOSITIONEM ILLIUS SE NUNQUAM

NUNQUAM COGITAVISSE. *Maxima enim partialitas populorum in Italia subsecuta est, qua in præsentem ferme diem per annos ducentos & sexaginta, non sine multorum effusione sanguinis duravit. Enimvero qui Romani Pontificis sequebantur partes, quorum votis inditum erat nomen Guelforum, fautores Imperatoris, qui Gibellini dicebantur, omni studio, omnique virtute persequi, & delere penitus satagebant. Nec minore studio Guelfos Gibellini persequebantur.*

Lata non est ab Oecumenica Synodo exauctorationis in Fridericum Sententia.

VIII. A Synodo latam non fuisse exauctorationis in *Fridericum* Imperatorem Sententiam, ex eo colligitur, quòd *Innocentius IV*. illam à se ferri dicat, *Sacro præsente Concilio*. At si Patribus suffragantibus lata fuisset, non tantùm *Sacro præsente*, sed *approbante Concilio* ista diceretur, sicut Octava Nativitatis Deiparæ Virginis *Sacro approbante Concilio* dicitur instituta, in Notitia veteri eorum quæ hac in Synodo gesta sunt. Et Canone XIIs. de Usuris: *Præsentis Concilii approbatione sancimus* &c. *Porro ejusdem Concilii auctoritate firmiter inhibemus* &c. Et Cap. XIV. de Subsidio Imperii Constantinopolitani: *Ex communi Concilii approbatione statuimus*. Cap. XVI. de Tartarorum incursibus prohibendis: *Sacro suadente Concilio, universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur*. Cap. XVII. de Subsidio Terræ Sanctæ: *Diffinientes sacro approbante Concilio* &c. *De communis Concilii approbatione statuimus* &c. Secundò, hanc Sententiam uni Pontifici, non Synodo tribuit Stadensis Abbas. *Papa*, inquit, *in jam dicto Concilio contra Imperatorem Excommunicationis Sententiam renovavit*, ET EUM AB IMPERIALI CULMINE AUCTORITATE PROPRIA DEPOSUIT; *& hanc Depositionem per totam Ecclesiam promulgavit: præcipiens sub interminatione excommunicationis, ut nullus eum Imperatorem de cætero nominaret.* Tertiò, hanc Sententiam Patres non absque stupore & horrore quodam audiere, ut refert *Matthæus Parisius*, pag. 451. *Altiori igitur*, inquit, *insistens negotio Dominus Papa, licèt in contrarium eleganter Magister Thadæus Procurator Imperialis allegasset, in Imperatorem Fredericum, sine aliquâ palpatione, vel dissimulatione, vel dilationis indulto, talem Sententiam Excommunicationis in pleno Concilio, non sine omnium audientium & circumstantium stupore & horrore, terribiliter fulguravit. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei... Sacro præsente Concilio, ad rei memoriam sempiternam*, &c. Uni quoque Pontifici, non Concilio Sententiam tribuit *Parisius*, quæ si Patribus suffragantibus lata fuisset, ad ejus auditum non obstupuissent, nec inhorruissent. Quartò, idem innuit *Guillelmus de Podio Laurentii* in Chronico, Cap. XLVII. *Sequenti anno Domini* MCCXLV. *Dominus Papa suum Concilium celebravit ibidem*, scilicet Lugduni, *cum Prælatis Cisalpinis, & cæteris de Regno Franciæ, & Hispaniis, & ibi deposuit Dominum Federicum ab Imperio per Sententiam definitivam.* Uni quoque Pontifici in loco Concilii, non Patribus, exauctorationem Imperatoris tribuit hic Autor. Quintò, *Nicolaus Trivettus* in Chronico, ad annum MCCXLV. ab uno etiam Pontifice exauctoratum *Fridericum II.* significat. *Innocentius Papa*, inquit, *post magnum tractatum cum Imperatore de pace habitum, cùm ipsius contra Ecclesiam contumaciam perpendisset, venit in Gallias, & celebrans Concilium in Lugduno, ipsum velut hostem Ecclesiæ privando Imperio condemnavit.*

IX. Nec est quod in verbis illis vim aliquis faciat, quæ in Sententia *Innocentii IV*. leguntur: *Cum Fratribus nostris & Sacro Concilio deliberatione præhabita diligenti*, Non enim illa significant, Concilium exauctorationem *Friderici II.* decrevisse, sed à Concilio & Pontifice quæstionem de illius criminibus habitam, ut Excommunicatione plecti posset. *Nos itaque*, inquit, *super præmissis, & compluribus aliis ejus nefandis excessibus, cum Fratribus nostris & Sacro Concilio deliberatione præhabita diligenti; cùm Jesu Christi vices, licet immeriti, teneamus in terris*, &c. Atque id tradit *Matthæus Parisius* his verbis: *Hæc cùm ad notitiam Domini Papæ, & totius universitatis pervenerunt, quòd scilicet sic dicens, noluit juri pariturus accedere, recesserunt à favore ejus multi, qui hactenus certatim cum eo steterunt, Anglis pro eo maximè redargutis. Constanter igitur & acerrimè in pleno & jam plenissimo Concilio Imperator Fredericus, quasi toti Ecclesiæ contumax & rebellis, à quatuor mundi partes inhabitantibus accusatur.*

X. Prælati tamen aliqui io studia *Innocentii IV*. abrepti, Sententiam unà cum ipso fulgurarunt, *Parisio* teste. *Hac igitur*, inquit, *in medio Concilio prolata, cunctis audientibus, ad instar coruscantis fulguris, non mediocriter timorem omnibus incusserunt. Magistri igitur Thadæus de Suessa, & Walterus de Ocra, & alii Procuratores Imperatoris, & qui cum ipsis erant, emisso ejulatu flebili, hic femur, hic pectus, in indicium doloris percutientes, vix à profluvio lachrymarum sese continuerunt. Et ait Magister Thadæus: Dies ista, dies iræ, calamitatis & miseriæ. Dominus igitur Papa, & Prælati assistentes Concilio, candelis accensis, in dictum Imperatorem Fredericum, qui jamjam Imperator non est nominandus, terribiliter, recedentibus & confusis ejus Procuratoribus, fulgurarunt.*

XI. Quòd de consilio Cardinalium, & quorumdam Episcoporum, atque Jurisperitorum, Sententiam tulerit *Innocentius IV*. non consilio & assensu Patrum omnium in Synodo considentium, colligitur ex ipsius Literis eodem anno datis ad Cisterciensis Ordinis Abbates in Comitiis Generalibus congregatos, & à *Matthæo Parisio* descriptis. *Non vos moveant*, (inquit) *imperitorum, & veritatis ignarorum, precamur, obloquia, ut à Nobis quasi præcipitanter putetis, & absque deliberato Fratrum nostrorum, & multorum peritorum moroso Consilio, contra ipsum Fredericum fuerit sententiatum: non enim meminimus unquam causam cum tanta deliberatione, & diligenti examinatione fuisse excussam, & peritorum atque sanctorum mentibus libratam extitisse: adeò quòd in secretis aliqui Fratrum nostrorum induerunt personam Advocati pro ipso, aliqui autem è contra personam adversantis: ut ex objectionibus & responsionibus inquirentium & disputantium (ut solet in scholis) causæ veritas hinc indèque discuteretur. Nec aliquam viam invenimus, sine Dei injuria & gravi ejus offensa, & Ecclesiæ ejusdem læsione, & nostrarum conscientiarum vulnere, aliter procedendi, quàm ut processimus, licèt inviti, & ejusdem Læsoris miseriæ condolentes. Parati igitur sumus in hac causa, & pro illa, usque ad mortem stare; & pro ea, & in ea, tam omnes Fratres nostri, quàm Nos mori, immutabiliter pro causa Dei & ejus Ecclesiæ dimicantes.*

XII. Cùm igitur Prælatos omnes *Fredericum* deposuisse, & Sententiæ in eum latæ subscripsisse docet *Matthæus Parisius*, vel ipsius Sententiæ tenori, & sibi ipsi contradicit, vel de omnibus Curiæ Romanæ Prælatis, non de Patribus omnibus Concilii intelligendus est. *Affirmavit* (inquit) *Dominus Papa, Hæc omnia, maximè autem quæ de Principe statuit, se irrevocabiliter observaturum. Hæc autem cùm intellexisset Magister Thadæus, ab imo trahens suspiria, ait: Intelligo nullum remedium patere discrimini. Ejulânsque & flens subintulit: Verè*

dies ista dies iræ: sicut antea dixerat, cùm ad Concilium plenum omnes Prælati candelas suas accensas inclinarent, & extinguerent; excommunicatum Imperatorem Fredericum deponentes.

Apud Dodechinum. Tom. vi.

Si qui verò alii Præsules à Curialibus Sententiæ *Innocentii* subscripsere, de qua rogata non fuerant eorum suffragia, id conciliariter (si ita loqui liceat) factum non fuit, quæstione scilicet in deliberationem missa, utrum exauctorare Imperatorem Ecclesia posset, quod ante omnia erat expendendum secundùm Scripturas Sacras & Traditionem; & Patribus singulis ordine suo suffragium summa libertate ferentibus: sed *Innocentii IV.* vehementes preces, timor ipsi displicendi, & gratiæ ejus captandæ desiderium, subscriptiones ab ipsis extorserunt. Id ex eodem *Parisio* colligitur, narrante quomodo Angliæ Episcopi Chartæ Regis Angliæ *Joannis*, qua Regnum quondam suum Romanæ Ecclesiæ tributarium fecerat subscripserint. *Misit igitur ad singulos Episcopos Angliæ* (Innocentius) *præcipiens districtissime, ut quilibet eorum illi Chartæ detestabili, quam lachrymabilis memoriæ Rex Anglorum Joannes, reclamante Archiepiscopo Cantuariensi Stephano, infeliciter confecit de tributo, signum suum appenderet, ut magis roborata perpetuaretur. Quod ipsi Episcopi, timore inexcusabiliter effeminati, non sine enormi Regis & Regni, proh dolor! fecerunt præjudicio.... Porro Episcopus Londinensis Fulco ultimus & invitus, in arcum pravum versus, signum suum dictæ Chartæ apponens, minùs aliis meruit reprehendi. Simili quoque modo* (id est, pariter inviti) *cuidam ampla Chartæ transscripta de verbo ad verbum, secundum Chartam Bullæ Papalis communitam, de Sententia Depositionis in Imperatorem Fredericum latâ, apposuerunt omnes Prælati signa sua, tam ad majorem roborationem, quam memoriam rei sempiternam. Et sic soluto Concilio, qui convenerant, cum benedictione ad propria remearunt.*

XIII. Falsus est *Monachus Paduanus* lib. III. Chronicorum, pag. 591. Editionis *Urstisii* scribens, prolatam ab *Innocentio IV.* de totius Concilii assensu Depositionis Sententiam. *Propter contumaciam suas* (inquit) *& innumerabilia mala quæ fecerat contra Ecclesiam, Innocentius Papa residens in Concilio, de assensu Prælatorum & totius Concilii, protulit contra Fredericum Depositionis Sententiam, justè pariter & constanter.*

XIV. Falsus est *Guillelmus Nangius* in Gestis *Philippi III.* pag. 538. scribens: *Freder cum Imperatorem Romanum & Regem Siciliæ Innocentius Papa IV. propter suos excessus & culpas innumeras indignum Imperio & Regno, omnique honore & dignitate, in Concilio Lugduni, eodem sacro approbante Concilio, reddidit.*

XV. Falsus est *Henricus de Knygthon* Canonicus Leycestrensis, lib. II. de Eventibus Angliæ, pag. 241. *Quibus*, inquit, *provocatus injuriis Innocentius Papa prædictus, de communi consilio totius Concilii, ipsum Fredericum terribili Anathemate condemnavit, & exigentibus culpis suis, ab Imperii Dignitate deposuit.* His Auctoribus *Albertus* Stadensis Abbas, *Matthæus Parisius, Guilelmus de Podio Laurentii, Trithemius, Trivettus*, & Sententiæ ipsius in *Fredericum* latæ tenor, refragantur, ut superiùs ostendimus. Accedit, quòd ipse *Fredericus* in Epistola ad Regem, Prælatos, & Barones Angliæ, quæ legitur apud *Matthæum Parisium*, ad annum MCCXLVI. pag. 471. & in similibus Literis ad Regem Franciæ, quæ apud *Goldastum* Tomo II. Constitutionum Imperialium leguntur, de solo conqueritur Pontifice, illi uni Sententiam tribuit in se latam, non Concilio. *Ipsam puram* (inquit) *& nudam veritatem Processûs, quem contra nos Summi Pontifices hactenus habuerunt, vestræ conspectibus præsentamus.... Attentè consilia vestra considerent, si fuerit in Pontificibus nostris Pontificalis rectitudinis Zelus: si nobis tot & tantis injuriis lacessitis, justa debeat defensio denegari: si demum Christi Vicarii Christi vices impleverunt: & si Petri Successores ejusdem imitentur exemplum. Considerent etiam quo jure censeri debeat Processus hujusmodi contra nos habitus, vel quo nomine nuncupari: si dici valeat Sententia, quam Judex incompetens promulgavit. Nam etsi nos nostra Catholica Fidei debito suggerente, manifestissimè fateamur, collatam à Domino Sacrosanctæ Romanæ Sedis Antistiti plenariam in spiritualibus potestatem, quantumcumque, (quod absit) sit ipse peccator, ut quod in terra ligaverit sit ligatum in cœlis; quod solverit, sit solutum: nusquam tamen verum legitur divinâ vel humanâ sibi lege concessum, quod transferre pro libito possit Imperia, aut de puniendis temporaliter in privatione Regnorum Regibus aut terræ Principibus judicare: cum licèt ad eum, à jure & more majorum, Consecratio nostra pertineat; non magis ad ipsum privatio seu remotio pertinet, quam ad quoslibet Regnorum Prælatos, qui Reges suos, prout assolet, consecrant & inungunt. Esto, sit præjudicio nostro, quod habeat hujusmodi potestatem: est ne istud a plenitudine potestatis ipsius, quod nullo prorsus ordine juris aut ordinis jure servato, animadvertere possit in quoslibet, quos asserit suæ ditioni subjectos? Processit enim contra nos nuper (ut dicitur) non per accusationis ordinem, cum non accusator apparuisset idoneus, nec inscriptio præcessisset; nec per denuntiationem, legitimo denuntiatore cessante, nec per inquisitionis modum, quam clamosa insinuatio non præcessit. Cùm etiam nullorum Inquisitorum facta nobis exstiterit copia, si qui forsan occultè, cùm nulli fuerint, per hujusmodi Judicem ad Inquisitionem addicti. Asserit omnia fore notoria, quæ nos esse notoria manifestè negamus, & esse notoria per legitimum testium numerum non probantur.... Insurrexerunt in nos in Concilio (sicut dicitur) aliqui testes iniqui, & valde perpauci; quorum aliquos, velut Clamensem Episcopum; quem propter suos, fratrem videlicet & nepotem, per nos ex causa proditionis ad suspendium legitimè condemnatos, offensa rationabilis nobis reddidit odiosum, & justè propterea repellendum. Aliquos tanquam ex ultimis Hispaniæ partibus prodeuntes, Tarraconensem scilicet & Compostellanum Antistites, quos negotiorum Italiæ natalis Zonæ longinquitas inscios, & eosdem venenosa subornationis inductio nostra justitia fecit infestos. Sed esto, sine præjudicio nostro, quod legitimi fuerint, subsistentibus testibus, Actor & Judex: sed defuit tertius, Reus, qui vel præsens, vel contumaciter absens, secundùm justitiam debuit condemnari. Citati namque in prædicatione sua Lugdunensi, (sicut audivimus) licèt prorsus informiter fuimus: cùm præter id quod nulla fuerit citatio, peremptorium terminum, prout ordo juris expostulat, citatio non haberet. Contumaciam nostram præterea Magister Thadæus de Suessa Magnæ Curiæ nostræ Judex, fidelis noster, & plena Procurationis mandatum excusat: cujus auctoritas, pro eo quòd fuerit criminale Judicium, ad quod frustra Procurator intervenit, nullatenus enervatur; cùm ipsius citationis tenor, qua Nos aut Procuratores nostros exegit, manifestè contrarium dedisset intelligi, videlicet quòd contra nos non criminaliter, sed civiliter tantùm fuisset agendum. Prædictis etiam omnibus absque nostro præjudicio circumscriptis, dato quod manifestè fuerimus contumaces, non est ista legitima contumaciæ pœna, quod delatus, aut accusatus, aut contumax. per definitivam*

Apologetica Frederici II. litera.

De uno Pontifice, non de Concilio conquestus.

finitivam Sententiam, ante ceptum rite Judicium, debeat condemnari. Sunt enim alia contumacium pœna, Civilibus Legibus & Canonicis introducta. Denique ubi nonnulla crimina sibi falsò objecti esse contestatus est, sèque ab ipsis incorruptibili veritate, & Monumentorum tenore, immunem ac insontem probari, subdit: *Apparet animosa nimis & ampullosa non minùs, ex ipsius inflicta pœna severitate Sententia, per quam Imperator Romanus, in læsa Majestatis crimine dicitur condemnatus, per quam ridiculosè Legi subjicitur, qui Legibus omnibus Imperialiter est solutus:* DE QUO TEMPORALES POENÆ SUMENDÆ, CUM TEMPORALEM HOMINEM SUPERIOREM NON HABEAT, NON SUNT IN HOMINE, SED IN DEO. *Spirituales autem pœnas, per Sacerdotales nobis Pœnitentias injungendas, tam pro contemptu Clavium, quàm pro aliis transgressionis humana peccatis, nedum à Summo Pontifice, quem in Spiritualibus Patrem nostrum & Dominum profitemur (si tamen nos filium debita relatione cognoscat) sed per quemlibet Sacerdotem, reverenter accipimus, & devotè servamus. Ex quibus omnibus. manifestè liquet, quòd potius ignominiosè quàm justè habendos nos dixerit à Catholica Fide suspectos, quam Nos, teste Supremo Judice, in omnibus ejusdem articulis, secundum universalem Ecclesiæ disciplinam, & approbationem per Romanam Ecclesiam, Symbolum firmiter credimus, & profitemur simpliciter. Advertas igitur Industria vestra, si prædicta nulla Sententia ipso jure, nullus ipso jure Processus, non magis in nostram, quàm in omnium Regum & Principum, ac quarumlibet temporalium Dignitatum perniciem debeat observari, quam nulla nostrorum Germania Principum, à quibus assumptio, status, & depressio nostra dependent, præsentia vel consilia confirmaverunt.* Et in aliis ad Regem Angliæ Literis, quas idem *Parisius* refert pag. 459. de unius *Innocentii IV. præsumptione* conqueritur. *Qui* (inquit) *vocatâ Synodo, ut asserit, Generali, contra Nos nec citatos, nec super aliqua fraude vel pravitate convictos, ausus est Depositionis Sententiam statuere... Nos Principum electione solemni & approbatione totius Ecclesiæ, Imperiali Diademate divinitus insignitos, ille deponendos aggreditur: cujus, quoad temporalium detrimenta, non interest in nos aliquid exercere rigoris, etiamsi causa legitima probarentur.*

Fredericus [illegible] Summum Pontificem fassum in Spiritualibus Patrem ac Dominum profitetur.

Ex his compertum est, *Fredericum* de solo Pontifice, non de Concilio conquestum, latámque ab illo, non à Patribus Sententiam, ob multos defectus impugnasse; incompetentiam Judicis, inimicitias, violatum Juris atque Judiciorum ordinem objecisse. Itaque *Monachus Paduanus*, *Guillelmus Nungius*, & *Henricus de Knygthon*, silentium Patrum, qui *Innocentio IV.* Fredericum exauctoranti non restiterunt, consensum & approbationem falsò sunt interpretati, quamvis Patrum suffragia rogata non fuissent, nec de Imperatoris exauctoratione deliberassent, expendendo (quod ante omnia fieri oportebat) utrum Ecclesia potestatem exauctorandi Principes haberet. Nec mirum quòd in eo lapsi sint Autores laudati, cùm Innocentius ipse in familiari colloquio quod cum *S. Ludovico* in Syriam eunte habuit anno MCCXLVIII. toti Concilio tribuerit, quod ex consilio Cardinalium, & audaciorum quorumdam Jurisconsultorum attentaverat. *Ego*, inquit, *quoad vixero, stabo cum Francia contra Schismaticum Fredericum, quem damnavit Ecclesia, & à culmine Imperii Generale Concilium præcipitavit.* Ita loquentem inducit *Matthæus Parisius*, pag. 501.

XVI. Sed etsi maxima pars Episcoporum, qui Lugdunensi aderant Concilio, *Frederici* exauctorationi subscripsisset, non ideo tamen Concilii Oecumenici nomine latam Sententiam diceremos: Tùm quia dubitari potuit an Ecclesiam universam sufficienter illi repræsentarent, cùm de Regno Hungariæ, quæ pro maxima sui parte à Tartaris vastata erat, nulli venerint Episcopi, nulli ex Germania bello Imperiali perturbata, nullus ex Terra Sancta, præter Berytensem Episcopum, qui ex occasione adfuit, ut testatur *Matthæus Parisius*: Unde Constantiensis Synodus Sessione XXXIX. in Formula Professionis Fidei, quæ à Summo Pontifice mox eligendo fieret, Generalia Concilia enumerans, unius tantùm LUGDUNENSIS meminit, quod sanè *Lugdunense II.* intellexit: Tum quia *Conciliariter* lata hæc Sententia non fuit; id est, maturâ & diligenti discussione factâ, & Patribus liberè suffragantibus, *secundum Scripturas, secundum Traditionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas Regulas*; ut loquitur *Gelasius I.* in Epistola ad Episcopos Dardaniæ, benè gestæ Synodi notionem tradens. Tum quia illud duntaxat Synodi Oecumenicæ auctoritate factum dicendum est, quod *cuncta recipit Ecclesia*, ut ex eodem *Gelasio* colligitur. At Sententiam in *Fredericum* latam Ecclesia universa non recepit: non Germania tota, cùm Fredericus *magnam Principum, Nobilium, & civitatum adhærentiam* habuerit, ut loquitur *Trithemius* Abbas; non Italia tota, quæ *Guelforum & Gibellinorum* factionibus scissa est, ipsis etiam Episcopis in partes abreptis: non Gallia, non Anglia, quorum Reges exauctorationem illam non probarunt. De quibus *Matthæus Parisius* scribit, pag. 459. *Hæc* (Gesta nimirum Lugduni ab *Innocentio* contra Fredericum II.) *cùm ad Christianissimos Francorum & Anglorum Reges nuntiata pervenissent, patuit luce clariùs ipsis & eorum Magnatibus quod Fredericus libertatem ac nobilitatem Ecclesiæ toto conamine studuit annullare; & de hæresi per id ipsum se reddens suspectum, meritò omnem quem hactenus habebat in omni populo igniculum famæ propriæ, prudentiæ, & sapientiæ, imprudenter extinxit atque delevit. Reges tamen memorati, quia muliebre videretur & inhonestum, statim infestare quem priùs protexerant, non sine murmure siluerunt adhuc dissimulantes. Unum insuper omnes agebat tam Principes quàm Prælatos vulnus angustiæ, futura pericula ratione prævia ponderantes: Eò quod etsi dignus multipliciter Fredericus deprimi & omni honore privari; tamen si eum Auctoritas Papalis irrestaurabiliter deponeret, Romana Ecclesia in posterum Principes Catholicos insontes & justos, & præcipue Prælatos, quavis levi causa vel deponeret, vel deponere probrosè comminaretur: gloriandóque dicerent Romani, licet in plebeia stirpe procreati: Nos Fredericum Imperatorem conculcavimus: Et quis es tu, qui nobis credis resistere?* Adhæc, magnam Germaniæ & Italiæ partem *Frederico* adhæsisse, cæteros Principes dissimulasse, ex eo probatur quòd per annos ferme sex *prævalere contra eum nec Papa, nec aliquis Principum potuerit*, ut testatur *Trithemius* Abbas loco superiùs laudato. Denique suo ipse Judicio latam à se Sententiam infirmavit *Innocentius IV.* cujus ipsum pœnituit, *Voluissétque se numquam Depositionem Frederici cogitavisse*, ut idem *Trithemius* narrat.

Sententiam ab Innocentio IV. in Fredericum latam universa Ecclesia non recepit.

XVII. At, inquies, *Fridericus* Concilii auctoritatem agnovit, ejúsque Judicio se subjecit, & ad illud misit Procuratores pro se responsuros.

Respondeo, Concilio se subjecisse quoad criminum cognitionem, & punitionem per Censuras Ecclesiasticas, & Pœnitentiæ salutaris impositionem. Excommunicatus enim à Pontificibus cùm

 esset,

esset, maximè ipsius intererat absolutionem à Concilio obtinere: præsertim cùm filia Ducis Austriæ, quam uxorem ambibat, ab ejus amplexibus propter excommunicationem abhorreret. Id constat ex *Matthæo Parisio* pag. 450. *In tertia verò* (inquit) *Sessione, Thadæus nimis timens & dolens de Domini sui periculo, maximè pro eo quod filia Ducis Austriæ, vel ipsi Imperatori copulata, vel in proximo copulanda matrimonio, amplexus ejus abhorrens evitabat, eò quòd Excommunicationi subjaceret, depositionis periculum imminebat: apparuit in Concilio pro Domino suo responsurus, & appellaturus. Et cùm cœpisset eum multiformiter excusare, nec exaudiretur, appellavit pro eo ad Concilium proximò futurum Generalius: Nec enim nunc omnes Prælati, vel coram, vel Principum Procuratores apparent hìc inpræsentiarum.*

Contra Sententiam Excommunicationis ab Oecumenica Synodo in se latam nihil objicere legitimè potuit Fridericus II.

XVIII. Contra Sententiam Excommunicationis ab Oecumenica Synodo latam nihil objicere legitimè potuit *Fridericus*. Synodum namque ipse postulaverat Actorum suorum Judicem, in ejúsque Judicio se acquieturum juraverat: dicta ipsi dies fuerat, datæ induciæ, probata crimina, contumacia evidens; auditæ nihilominus Procuratorum ipsius excusationes & exceptiones; Sententia solemni ritu lata. Ab ipsa itaque appellare non poterat: Tum quia Synodo, cui Romanus Pontifex præsidet, nullum est tribunal in Ecclesia superius: Tum quia vetus est Axioma Sacris Canonibus firmatum, & Ecclesiasticis Moribus consecratum, Ab electis Judicibus appellare non licere. Quòd autem Concilium Generale *Fridericus* appellasset, ex ipsios Literis compertum est ad plures Principes datis, quas refert *Matthæus Parisius* ad annum M. CCXXXIX. *Nos*, inquit, *qui Processum hujusmodi temeritate plenum, & justitiâ vacuum habebamus, ad Fratres suos Legatos & Literas transmisimus, Generale petentes Concilium convocari, in quo Judicis corrupti nequitiam, ac Imperii nostri justitiam, argumentis arguere luce clarioribus spondebamus. Super quo nedum justitia nostra delata ratio fuit.* Accedit, quòd professus fuerat Imperator se deliquisse, non parendo Sententiæ Excommunicationis ab *Innocentii IV.* Decessore *Gregorio* latæ: *Cùm bene sciret, & crederet fideliter, quòd tam super eum, quam super omnes Christianos, Reges & Principes, Clericos & Laicos, habet Summus Pontifex, etiamsi peccator existat, (quod Deus avertat) in Spiritualibus plenitudinem potestatis. Et satisfactionem promiserat pro injuriis, damnisque Ecclesiis & Personis Ecclesiasticis illatis.* Id constat ex Articulis conditis anno MCCXLIV. quos Juramento ut nomine suo confirmarent, Comiti Tolosano, *Petro de Vinea, & Thadæo de Suessa* fecerat potestatem. Horum Instrumentorum exemplaria legere est apud *Matthæum Parisium* ad hunc annum, pag. 426. *Verum à forma jurata & humilitate satisfactionis compromissa superbiendo pœniteas, infeliciter resilivit*: ut idem Autor testatur. Justa itaque fuit Excommunicatio à Concilio, sive à Romano Pontifice cum assensu Concilii in *Fridericum* lata, nec adversùs ipsam excipere aliquid legitimè potuit. Sed contra Sententiam exauctorationis à solo *Innocentio* latam objecit plurima, atque inprimis

Contra Sententiam exauctorationis à solo Innocentio latam plurima objecit.

Judicis incompetentiam objecit, dicens: *Romano quidem Pontifici collatam à Domino plenariam in Spiritualibus potestatem: nusquam tamen legi divina sibi vel humana lege concessum quòd transferre possit pro libito Imperium aut de puniendis temporaliter in privatione Regnorum Regibus & Principibus judicare.* Ita scribit in Literis ad Reges Angliæ & Franciæ superiùs laudatis. Dogma istud à *Friderico* Imperatore tàm verè quàm

A constanter assertum, ex ipsa Synodo Lugdunensi Canone XVII. de Subsidio Terræ Sanctæ, sive *Super Cruciata* (ut inscribitur) confirmari potest; quo statuit ad Sacram Expeditionem promovendam, *Ut per quadriennium in toto orbe Christiano pax generaliter observetur; ita quòd per Ecclesiarum Prælatos discordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treugam inviolabiliter observandam: Et qui acquiescere fortasse contempserint, per Excommunicationem in personas, & Interdictum in terras, arctissimè compellantur.* Quid verò si Censuras Ecclesiasticas parvipendant? Sanè locus erat B ac tempus pœnas temporales, sive bonorum ac terrarum, Dignitatúmque privationem in ipsos decernendi, si hinc sibi potestatem Synodus vindicasset. Nihil verò hujusmodi decernit, sed ipsis metuendum ait esse dumtaxat, ne Secularis Potestas in ipsos ab Ecclesia concitetur: Quæ scilicet ipsos ad parendum Concilii Decreto, Principum etiam, quorum aderant Oratores, consensu recepto, compellat. *Quod si fortè Censuram Ecclesiasticam vilipenderint, poterunt non immeritò formidare, ne per auctoritatem Ecclesiæ contra eos, tanquam perturbatores negotii Crucifixi, secularis Potentia inducatur.*

C XIX. Non est quod objiciat aliquis, Regni istius Christianissimi Barones *Gregorii IX.* Legatis respondisse, *Fridericum* Imperatorem a solo Concilio deponi posse; adeóque communem fuisse Gallorum Sententiam, quòd Ecclesia saltem in Concilio Generali congregata potestatem habeat in temporalia Regum, ipsósque in criminum pœnam exauctorare possit. Nam præterquàm quòd Gallicanæ Ecclesiæ Sententia non ex laïcorum hominum Responso, sed ex Episcoporum doctrina colligenda est, Responsum Baronum hypotheticum, non absolutum fuit: asseveranter non dixere, Imperatorem à D Concilio deponi posse; sed, *Si meritis suis exigentibus deponendus esset, nonnisi per Generale Concilium cassandus judicaretur*: (ut superiùs ex *Matthæo Parisio* retuli.) Denique alia ipsis esse ratio de Imperatore videri potuit, *quem electio provehit voluntaria*, & cujus electio à Summo Pontifice confirmatur, & de Regibus *quos linea Regii Sanguinis ad Sceptra provehit*, ut ipsi loquuntur apud eumdem *Parisium*. Ut ut est, Galli post Concilium Lugdunense *Fridericum* pro deposito non habuerunt, latámque in eum exauctorationis Sententiam *S. Ludovicus* improbavit, ut *Richerius* coævus E Autor, Ordinis Benedictini Monachus, in Chronico Senoniensis Abbatiæ testatur, libro IV. Cap. IX. *Tertia citatione factâ* (inquit) *Papa Innocentius IV. Concilium Archiepiscoporum & Episcoporum circumadjacentium convocavit, ad quod Fridericus vocatus, noluit venire, sed suos Nuntios misit. Præsidente igitur Innocentio Papa, in facie ipsius Concilii, de commissis ipsius & hæresibus, quibus implicatus esse dicebatur, per sexdecim Capitula hinc inde disputatum est. Tandem per Sententiam ipsum anathematizavit, & à dignitate & honore Imperii alienavit: & ipsum vel heredes suos ad Di*F*gnitatem Imperii Romani nunquam venire posse judicavit, & sub interminatione Anathematis districtè inhibuit, ne quis de cætero eum pro Imperatore haberet... Et hoc Mandatum per universas Imperii Romani regiones Papa divulgare fecit: Sed hoc Rex Franciæ approbare noluit, quia idem Fridericus quondam Juratus suus extiterat.* Tria docet Chronographus Senoniensis, primùm in Concilio de criminibus *Friderici* fuisse disputatum. Secundò, latam ab *Innocentio IV.* Pontifice, non ab ipsa Synodo exauctorationis Sententiam. Tertiò, Regem Franciæ *S. Ludovicum* hanc approbare noluisse,

S. Ludovicus Rex Franciæ latam in Fridericum II. exauctorationis Sententiam improbavit.

[illegible] *Fridericus* olim [illegible] fœderatus fuerat. [illegible] Sententiæ in *Fridericum* hujus pub[illegible] nem Fratribus Prædicatoribus commisit *Innocentius IV.* & [illegible] ha[illegible] ipsi dema[illegible] Litteras ad [illegible] E[illegible] Prælatos dedit Lugduni, xii. Kalendas Januarii, anno M. [illegible] quibus Sententiam a[illegible] latam in Concilio testatur, [illegible] Concilio aut facto approbante Concilio non ait. Ex quo loquendi modo rursus colligere est, exauctorationem *Friderici* in deliberationem missam non fuisse, nec de illa rogata fuisse Patrum suffragia. H[illegible] porro ten[illegible] est hujusmodi L[illegible], quas ex Vaticanis Regestis edidit [illegible] in Annalibus *Malvenda* noster: *Humiles habitu & affectu dilecti filii Fratres de Ordine Prædicatorum, se cœlestis amore patriæ sic indissolubiliter adstrinxerunt, ut hoc solum pro del[illegible] habeant, quod per sanctitatis operum grati oculis Divinæ Majestatis accurrant. De hujusmodi quidem vinculi virtute procedit, ut ipsi circa ea in quibus divini gloria nominis & honor continetur Ecclesiæ, ac robur Ecclesiasticæ Libertatis, ita prompto & indefesso ducantur spiritu, quod eis nulla formido possit obsistere quin libere facienda subeant, quæ de Apostolicæ Sedis circumspecta prodeunt voluntate. Nos itaque gloriantes in Domino, quòd ipsis viris talibus suam munivit Ecclesiam, qui mori pro Christo diligunt, & pati pro Justitia delectantur, Fratribus eis[illegible], prævia deliberatione solemni commisimus ut Processum contra Fredericum quondam Imperatorem, per Nos in Concilio nuper celebrato Lugduni sententialiter habitum, in locis publicent opportunis.* Fuerunt laude digni Homines isti ob zelum pro gloria divini nominis, pro honore Ecclesiæ, pro robore Ecclesiasticæ Libertatis, pro contemptu mortis, ubi de Justitiæ defensione agebatur: At eorum zelus secundùm scientiam non fuit, cùm Sententiam exauctorationis in Imperatorem susceperè publicandam. Quamquam venia digni sint, quia variis opinionibus obnubilatam veritatem, & *Innocentii IV. Gregorii IX. Gregorii VII.* ac Jurisconsultorum quorundam audaciorum præjudiciis concussam non cognoverint, nec Romani Pontificis factum ad Juris Regulas, ejúsque opinionem ad Scripturam Sacram & Traditionem expenderint, quod eo se labore levatos ab ipso Pontifice censerent. Nec ita perspicua tenerat & explorata, quòd Imperator ab Ecclesia exauctorari non posset, ex quo immutatus erat antiquus Imperii status, & Summi Pontifices, recepto jure, Imperatorum electionem confirmabant. Præterea juribus plurimis (ut diximus) in dignitate Protectoris Ecclesiæ Romanæ fundatis, nec merè temporalibus, quæ Imperatoriam ornabant Majestatem, excidebat Imperator excommunicatus. Id namque Protectoris Ecclesiæ munus tam magnificum gerere non poterat, qui Ecclesiæ Censuras contemnebat, Jura invadebat, Libertatem opprimebat. Denique ob Siciliæ Regnum feudatarius erat Ecclesiæ Romanæ *Fridericus II.* Quæ omnia plurimorum præstrinxerunt oculos, & quorundam etiam Religiosorum Virorum ex FF. Prædicatorum ac Minorum Ordine, ut *Innocentii IV.* Sententiam adversùs *Fridericum*, non solùm Excommunicationis, quæ justa erat, [illegible] Exauctorationis, quæ ab æquitate aliena, & propter Juris incompetentiam irrita, publicarent atque tuerentur. Quamobrem plurimorum invidiam [illegible] & [illegible] jus temporis Scriptorum, præsertim *Alberti Argentinensis* & *Matthæi Parisii* [illegible] pessimè [illegible] cepti. Non existimatum tamen Prædicat[illegible] nostri, Romanum Pontificem potestatem al[illegible] in temporalia Christianorum R[illegible] haberi, aut similem Sententiam in ejus Majestatem, etiam in pari [illegible] posse. Aut si quis [illegible] fuerit, is certè Gallus, a[illegible] D[illegible] tate Parisiensi non fuit. Hanc enim [illegible] trum nostrorum doctrinam, [illegible] in causa *Philippi Pulchri* cum [illegible] *VIII.* invasiones fidelissimè & constanter [illegible] hæserunt, [illegible] in Dissertatione de hoc D[illegible] fusiùs ostendam. Si quid ab aliquibus minùs attentà consideratione scriptum aliàs de Potestate Ecclesiastica & Regia proferatur, dicere non verebor, illos rationem Studiorum à Sanctissimo Parente Dominico traditam non secutos, de qua diximus in Synopsi, Cap. VII. Art. V. Num. V. & illa reformatione indiguisse, quam Doctissimus Præsul *Durandus Mimatensis* in Tractatu *De modo Generalis Concilii celebrandi*, P. II. Rubrica XV. *Clementi V.* Concilii Viennensis tempore proposuit. *Cùm dicti Religiosi* (inquit) *dimisso Biblia, & vera Theologia studio, & his quæ ædificare possent Ecclesiam Dei Dialecticorum cendiculis & phantasmatibus Theologiæ studium destruentibus abutantur*.. *videretur super hoc esse providendum*. Nos verò qui hasce quæstiones de finibus Ecclesiasticæ & Regiæ Potestatis, ad Scripturam Sacram & Traditionem, Deo juvante, pro virili nostra expendimus, [illegible] nionem illam *Verbo Dei & Traditioni certam* constanter asserimus, quæ vel R[illegible] P[illegible] tum, vel Conciliis, potestatem [illegible] indirectam in temporalia R[illegible] & Principum, quæ Ecclesiæ Beneficiaria non sunt, ve[illegible]. Et cum Illustrissimo Doctissimóque Præsule M[illegible] bensi *Nicolao Coeffeteau*, Theologo Parisiensi, Ordinis FF. Prædicatorum, & hujus Co[illegible] S[illegible] cobæi Ornamento, in Responsione ad Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis *Jacobi I.* Monitionem, ab ejus Majestate ad omnes orbis Christiani Principes directam pag. 318. sentimus, scribimus, prædicamus: *C'est chose certaine que si le Pape vouloit envahir les Royaumes, & les donner en proye à qui il luy plairoit, en depouillant les vrais Possesseurs, il meriteroit que les Princes se roidissans contre sa violence, luy courussent sus, pour défendre leurs heritages... Mais les Princes Catholiques n'apprehendent rien moins que cela, sçachant bien que les Papes ne pretendent rien sur leur temporel, & qu'ils se contentent de faire reluire leur autorité sur les crimes des hommes qu'ils lient & delient, sans l'étendre sur leurs possessions, qui ne leur sont pas échues pour en disposer tyranniquement.* Quæ sic Latinè reddo. *Certum est, si Summus Pontifex Regna vellet invadere, & quibus luberet, occupanda tradere, legitimis Possessoribus spoliatis, æquum fore ut Principes conjunctis viribus ad ejus violentiam propulsandum armarentur, ac in ipsum copias immitterent ad suarum defensionem hæreditatum... At nihil minus duxunt metuendum Catholici Principes, quibus est exploratum Romanos Pontifices nihil sibi juris in eorum temporalia tribuere. [illegible] ut in hominum crimina sua splendescat auctoritas, quos ligant & solvunt; quam nefas sit in eorum possessiones extendere, in quas nullum jus habent, ut ipsas Tyrannorum instar legitimis Dominis eripiant.* Et pag. 321. *Les Papes reconnoissent ingenuement qu'ils n'ont point cette puissance temporelle pour disposer à leur plaisir des biens des Couronnes des Princes. Tout ainsi que les mêmes Astres ne président pas au jour & à la nuit, aussi les Puissances qui gouvernent le spirituel & le temporel sont divisées. Les Empereurs & les Rois sont Souverains en leurs Empires, & en leurs Royaumes, sans que leurs Couronnes, pour le temporel, relevent d'autres que de Dieu. Aussi lisons nous bien que Jesus-Christ a baillé les clefs du Ciel à Saint Pierre; mais nous* ne

ne disent point qu'il luy ait baillé celles de la terre. Il pouvoit bien entant que Dieu, & comme Monarque absolu du monde renverser l'ordre du gouvernement de tous les Estats. Mais sa sage Providence au lieu d'int oduire ce changement a affermi l'autorité des Rois, commandant de rendre à Cesar, ce qui est à Cesar, … faisant paroistre par toutes ses actions, qu'il n'estoit point venu pour ravir aux Princes les Royaumes de la terre, mais pour donner aux Fideles celui des Cieux. Les plus grandes Planetes ne font point éclypser les moindres, & le Soleil ne fit jamais ombre à la Lune. De mesme la puissance de Jesus Christ n'éteint pas l'autorité des Rois, ains elle la fait reluire en l'administration souveraine du temporel de leur Empire, ne souffrant pas que les Prélats de son Eglise les traversent dans cette paisible possession. Plustost une Autorité doit veiller pour l'autre, & par une bonne intelligence faire reluire l'esprit de concorde en la conduite de leurs affaires, le tout à la gloire de Dieu auteur de l'une & de l'autre Puissance. Quæ sic Latinè eadd. *Fatentur ingenuè Romani Pontifices, sibi non convenire temporalem illam potestatem, qua pro libito de bonis & Coronis Principum disponant. Ut eadem Astra diei noctisque non præsunt, ita distincta sunt Potestates quæ spiritualia, & quæ temporalia regunt ac moderantur. Imperatores ac Reges suprema in Imperiis Regnisque suis fruuntur potestate, ita ut, quoad temporalia, mortalium subsint nemini, sed soli Deo subdantur. Sane legimus Christum Jesum, cœli, non terræ claves S. Petro tradidisse. Poterat quidem ut Deus, & supremus orbis terrarum Dominus, Regnorum omnium ordinem ac politiam evertere. Sed tantùm abest ut sapiens ipsius Providentia id effecerit, ut potius Regum firmaverit auctoritatem, Cæsari, quæ sunt Cæsaris, reddi jubens: omnibúsque gestis probans se non venisse ut Principibus Regna terrena eriperet, sed ut cœlestia Fidelibus daret. Majora sydera minorum lucem non imminuunt vel obscurant: nec Luna ex aspectu Solis passa unquam deliquium est. Ita Christi Potestas Regum autoritatem non extinguit: immò efficit ut splendescat magis in suprema temporalium Regni sui administratione. nec Ecclesia suæ Prælatos tranquillam hujusmodi possessionem perturbare patitur. Immò Autoritatem unam, pro alterius defensione invigilare par est. mutuámque concordiam in omnibus negotiis utraque Potestas præferre debet, ad Dei gloriam utriusque Autoris.* Hæc sincera Fratrum Prædicatorum, qui rationem Studiorum à *S. Dominico* traditam sequuntur, id est, qui Scripturam Sacram & Traditionem, posthabitis Philosophorum figmentis, consulunt, & eorum maximè qui Doctorales Infulas in S… Facultate Parisiensi sunt consecuti, de Ecclesiæ ac Regum Potestate Doctrina.

ARTICULUS IV.

De Subsidio Imperii Constantinopolitani; De Tartarorum in Christianas Regiones impetu comprimendo; De Expeditione in Terram Sanctam, Constitutiones in Concilio Lugdunensi sunt editæ.

I. CONstantinopolitani Imperii rebus pene profligatis à *Vatacio* … Imperatore, *Innocentio IV.* … cilíque Lugdunensis Patribus è re Ecclesiæ … est Subsid… *Balduino II.* Constantinopolitano Imperatori decernere, ne Græc… … Latinos pen… obtuerent. Ea de re edita … stitutio incipit his verbis: *Arduis mens nostra occupata* … Subve…onis ex commun… Concilii app… d…nimit, ut … ietas … um provent… Dig…tum & … natuum, quam Præbe…, aliorumq… Beneficiorum Ecclesiasticorum, … bus per … ad …mus Beneficiarii … den: … unum habeant, sive plura, in Su… Imperii Constantinopolitani conferatur. Ab hoc onere absolvuntur … Romani Pontificis, … minorum Cardinalium, & suorum Prælatorum obsequiis deputati. tum etiam q… tione peregrinationis legitimæ, vel st…, vel procurat… nis negotiorum suæ Ecclesiæ specialiter sibi demandatæ, à Residentia excusa… Excipiuntur etiam Cruce-Signati, & qui … dicti succursum Imperii proficiscuntur. S… q… verò ex his quos ab hujusmodi contributione Synodus excipit, præter Cruce-Signatos, & ad succurrendum nutanti Imperio convolantes, de reditibus Ecclesiasticis … valorem … entum marcarum argenti percipiunt annuatim; tertiam partem residui ejusdem Imperii subsidio Pontifex & Patres ad triennium deputant, per eos colligendam, quos ad id munus Apostolica Sedes destinaverit. In Beneficiarios, qui fraudem fecerint, Excommunicatio distringitur. De obventionibus autem Ecclesiæ Romanæ, deductâ priùs Decimâ in Subsidium Terræ Sanctæ conferendâ, Decimam alteram pro subventione nutantis Imperii Summus Pontifex pollicetur. Omnes denique illi succurrentes iisdem donat Indulgentiis, ac Privilegiis, quibus succurrentes Terræ Sanctæ donati sunt. Qui Concilio aderat, *Balduinus II.* Imperator, multis precibus hoc Decretum à Pontifice ac Patribus impetravit.

II. Secundùm hæc, de Tartarorum comprimendo in Christianos impetu consilium initum est, ac decretum ut ad illorum cohibendos incursus Christianorum terræ diligenter munirentur, ac de illorum motibus Sedes Apostolica certior fieret, quæ subsidium adversùs ipsos procurare, imperare, ac destinare posset. Ipsam quippe in tam necessariis & utilibus expensis magnificè contributuram. Constitutio de Tartaris incipit his verbis: *Christianæ Religionis cultum.*

III. De Subsidio Terræ Sanctæ potissimùm deliberatum est. Qua de re edita Constitutio incipiens his verbis, *Afflicti corde pro deplorandis Terræ Sanctæ periculis*, statuit ut Sacerdotes & alii Clerici, qui fuerint in Exercitu Christiano, orationi & exhortationi diligenter insistant, & Cruce-signatos ad Pœnitentiam, modestiam, mutuam caritatem verbo & exemplo excitent, ut non materialibus duntaxat, sed spiritualibus armis hostes Fidei conterant. His porro Clericis Pontifex indulget de sententia Patrum, ut Beneficia sua integrè percipiant per triennium, ac si in Ecclesiis residerent, atque, si necesse foret, ea per id tempus pignori possint obligare. Secundò, ut omnes Clerici, tam subditi, quàm Prælati, Vigesimam Ecclesiasticorum proventuum, usque ad triennium, conferant in Subsidium Terræ Sanctæ, sub pœna excommunicationis: Pontifex verò & Cardinales Decimam. Tertiò, Cruce-signatos à collectis, talliis aliisque gravaminibus immunes declarat, eorúmque Personas & bona, post Crucem assumptam, sub Sedis Apostolicæ protectione suscipit. Quartò, jubet ut si ad præstandas usuras Juramento teneantur adstricti, creditores ipsis remittant præstitum Juramentum, & ab usurarum exactione desistant: Judæi verò ad remittendas usuras per secularem Potestatem compellantur. Quin … Piratas & eorum fautores Anathemate ferit, … émque ab Ecclesiarum Prælatis distringi mandat in Rectores civitatum & locorum, qui ipsos auctori-

tate

tate sua à Piratica non prohibent : *Quia nolle perturbare perversos, nihil est aliud quàm favere : nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.* Sextò, diris omnibus Ecclesiastico Ritu devovet Christianos, qui naves Saracenis subministrannt, vel ad ipsos arma seu quasvis muninones detulerint; aut ipsis impenderint auxilium vel consilium in dispendium Terræ Sanctæ : prohibétque ne absolvantur, nisi pecuniam quam impio commercio lucrati sunt, in ejusdem Terræ subsidium conferant. Septimò, statuit ut per quadriennium toto orbe Christiano pax generaliter observetur; ita ut Ecclesiarum Prælati dissidentibus pacem aut inducias imperent sub pœna Excommunicationis in ipsos, & Interdicti in eorum terras ferendi. Sub eadem pœna Torneamenta usque ad triennium prohibet exerceri. Octavò, Cruce Signatis, & eis omnibus qui Sacram Expeditionem suis expensis juverint, plenam peccatorum Indulgentiam tribuit, *de quibus fuerint corde contriti, & ore confessi* : eisque orationum suarum & bonorum operum suffragium Sacra Synodus impartitur.

ARTICULUS V.

De Cæteris Lugdunensis Concilii Actis ac Decretis.

Anglorum querelæ de gravaminibus à Martino Legato Apostolico illatis.

HEnricus III. Angliæ Rex Oratores miserat ad Concilium Lugdunense, qui suo totiúsque Regni nomine conquererentur de gravaminibus à *Martino* Legato Apostolico illatis, cùm ingentis extorsione pecuniæ, tum collatione Beneficiorum passim Italis facta, aliorúmque Reservatione Sedi Apostolicæ, violatis Patronorum Juribus, Clericisque Regnicolis insuperhabitis. Anglorum Literas in Synodo lectas exhibet *Matthæus Parisius*. Incipiunt his verbis : *Matrem nostram Romanam Ecclesiam totis visceribus diligimus.* Gravissimè queruntur de Beneficiis Ecclesiasticis à Legato Extraneis collatis, qui nec Ecclesiis personaliter deserviunt, nec hospitalitatem & alia misericordiæ opera exercent, sed reditus duntaxat percipere norunt, & extra Regnum exportare. *Italici* (inquiunt) *percipientes in Anglia sexaginta millia marcarum, & eò ampliùs, annuatim? aliis perceptionibus diversis exceptis, plus emolumenti meri reditus de Regno reportant, quàm ipse Rex qui est Tutor Ecclesiæ, & Regni gubernacula moderatur.* Martinum Legatum abuti potestate, tum in collatione Beneficiorum, fraudatis Patronorum Juribus, cùm in pensionum à Viris Religiosis immodica exactione, Excommunicationis & Interdicti Sententiis in eos, qui solvendo satis non sunt, cum magno animarum periculo prolatis. Illum quotidie nova Mandata & planè inaudita exhibere, *Privilegio Regis derogando, per quod ei à Sede Apostolica specialiter indulgetur, ne quis in Anglia Legationis fungatur Officio, nisi à Rege specialiter postulatus.* Regem, utpote *Principem Catholicum, velle Sedem Apostolicam revereri, & Ecclesiæ Romanæ, sicut Filium ejus carissimum, commodi & honoris desiderare incrementum, Jure tamen Regio, Dignitatéque Regia pleniùs conservatis.* Regni Proceres & Magnates, *quibus cum Rege intendere conservationi Regni diligenter* incumbit, dicta gravamina æquo animo ferre non posse. Quamobrem Pontificem precantur, his malis remedium adhibeat. Addiderunt Oratores querimoniam de Formula, *Non obstante*, quæ Pontificiis Diplomatibus frequenter inserta, gravaminibus insolitis viam aperiebat. Rem deliberatione indigere Pontifex respondit, séque ipsis factuum satis, ut primùm graviora finita negotia fuissent. Ita refert *Matthæus Parisius* in Historia Anglicana in *Henrico III.* ad annum MCCXLV. pag. 450. Addit idem Author pag. 460. *Innocentium IV.* industria sua effecisse ut Episcopi Anglicani Chartæ Regis Joannis subscriberent. Quod cùm Rex *Henricus III.* audisset, *juravit quòd etsi etiam Episcopi turpiter sint incurvati, ipse firmiter staret pro Regni libertate : nec unquam, dum vitales carperet auras, censum sub nomine tributi Curiæ Romanæ persolveret.*

De his Anglorum motibus *Thomas Walsinghamus* in *Ypodigmate Neustriæ* ad annum MCCXLV. ita scribit : *Innocentius Papa celebravit Concilium apud Lugdunum. Ad quod missi sunt per Regem Angliæ de Consilio Prælatorum, Comitum & Baronum, Viri Nobiles quatuor, dato eis Advocato Magistro Guillelmo de Porvyko, ut concessioni Regis Joannis de censu annuo pro Anglia & Hibernia contradicerent, eò quòd de Regni assensu non processerat. Sed & per Cantuariensem Archiepiscopum fuerat reclamatum vice totius Regni. Sed Papa hoc indigere morosa deliberatione respondens, negotium posuit in suspenso. Prælati Angliæ hoc anno conquesti sunt Regi de oppressione Ecclesiæ Anglicanæ, cujus proventus omnes & redditus Italici occupabant. Propter quod Magistro Martino, Domini Papæ consanguineo, qui major inter cæteros, aliorúmque tutor in hujusmodi negotiis videbatur & defensor, ut Regnum indilatè evacuet, Regio mandatur Edicto.* Magnificis promissis Anglos delinivit Summus Pontifex. Quæ cùm inania esse Rex Angliæ omnésque Regni Ordines exploratum haberent, anno sequenti novis querimoniis aures pectúsque Pontificium pulsarunt; quas apud *Matthæum Parisium* pag. 469. legere est. Easdem querelas in altero Parlamento Londini habito anno MCCXLVII. ingeminare sunt compulsi. Literas ab ipsis datas ad Papam & Cardinales, exhibet *Matthæus Parisius* pag. 483. & 484.

Octava Nativitatis Deiparæ Virginis.

In eadem Synodo Octava Nativitati Deiparæ Virginis decreta est. Multæ etiam Constitutiones editæ, quæ Judicia spectant, De Rescriptis, De Officio & Potestate Judicis delegati, De litis contestatione, De dolo & contumacia. De eo qui mittitur in possessionem causa rei servandæ, De confessis, De appellationibus & recusationibus, De pœna deficientium in probatione, De restitutione spoliatorum, De Sententia & Re Judicata, &c. quæ passim Sexto Decretalium sub nomine *Innocentii IV.* in Concilio Lugdunensi laudantur.

Episcopi interdictum aut suspensionem non incurrunt, nisi in Sententia exprimantur.

Inter quas observandum illud Episcoporum Privilegium, quòd Interdictum & Suspensionem non incurrant, nisi in Sententia sint expressi. *Quia periculosum est Episcopis, & eorum Superioribus, propter executionem Pontificalis Officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu, Interdicti vel Suspensionis incurrant Sententiam ipso facto : Nos deliberatione provida duximus statuendum, ut Episcopi, & alii superiores Prælati, nullius Constitutionis occasione, Sententiæ, sive Mandati, prædictam incurrant Sententiam ullatenus ipso Jure, nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur.*

Bonorum Ecclesiasticorum conservationi Sacra Synodus providet.

Denique bonorum Ecclesiasticorum conservationi consulens Sacra Synodus, statuit ut Episcopi, Abbates, Decani, &c. infra mensem ab administratione suscepta, præsentibus Capitulo vel Conventu, rerum ad illam administrationem suam pertinentium breve describi curent, nec non debita & credita, ut Ecclesiarum status cognoscatur. Secundò, ut comperta debita de mobilibus Ecclesiæ solvantur : Si verò mobilia celerem ad solutionem non sufficiant, omnes proventus in solutionem debitorum convertantur, quæ usuraria fuerint, vel

etiam onerosa, deductis de ipsis proventibus expensis duntaxat necessariis; quæ in Prælati, Collegiique usus cedere debent. Si autem debita non fuerint onerosa, tertiam partem eorumdem proventuum, vel majorem, pro illorum solutione seponi jubet. Prohibet etiam ne personas suas vel Ecclesias sibi commissas pro aliis obligent, nec pro se, vel ipsis Ecclesiis contrahant debita, quibus possit imminere gravamen. Si verò evidens urgeat necessitas, vel Ecclesiarum rationabilis suadeat utilitas, Episcopi cum Metropolitani, Archiepiscopi cum unius è suis Suffraganeis, Abbates exempti cum unius è vicinis Episcopis, & Collegiorum suorum consilio & consensu, debita non usuraria, si fieri potest, contrahant: Et contractuum Literis debitorum & creditorum nomina, & causas quare debitum contrahatur, inserant. Privilegia Ecclesiarum impignerari vetat. Abbates, Priores, Decanos, &c. quotannis semel saltem Collegiis suis administrationis rationem suæ accuratè reddere jubet. Archiepiscopos verò & Episcopos singulis annis statum administrationis bonorum ad mensam suam pertinentium Capitulis suis, & nihilominus Episcopos Metropolitanis, Metropolitanos verò Sedis Apostolicæ Legatis, vel aliis quibus hæc provincia ab eadem Sancta Sede fuerit demandata, exponere, eisque debita fideliter insinuare. Computationes verò conscriptas in Thesauro Ecclesiæ ad memoriam servari, ut collatione rationum præsentium cum prætentis, Superior Administrantis diligentiam vel negligentiam compertam habeat. Constitutionem istam necessariam fecere usurarum vorago, quæ multas Ecclesias pessumdederat, & quorumdam Prælatorum circa solutionem debitorum, præsertim à suis Prædecessoribus contractorum, negligentia, & ad nova contrahenda, résque Ecclesiæ obligandas propensio. Malebant scilicet ad faciendum sibi nomen quid novi facere vel modicum, quàm bona custodire, dimissa recuperare, deperdita restaurare, & resarcire ruinas (inquit Synodus)

Cùm autem, inquit Matthæus Parisius, *hæc Statuta ad notitiam audientium pervenissent, in conspectu omnium Sapientium placuerunt. Et in hoc tam favorem quàm gratiam Dominus Papa promeruit universorum. Verumtamen quædam eorum ante Concilium, quædam durante Concilio, quædam verò post Concilium fuit statuta. De Crucis verò negotio nonnulla sunt in Concilio salubriter & prudenter constituta: sed cùm de contributione pecuniæ facta fuit mentio, contradictum fuit Domino Papæ in facie, maximè propter hanc adjectionem omnibus invisam; Conferant subsidium per manus eorum, qui ad hoc Apostolica fuerint Providentiâ ordinati.*

ARTICULUS VI.

Fridericus Imperator exauctoratus Causam suam S. LUDOVICI Regis Francorum, & Parium Regni arbitrio permisit. Frustra pro ipso gratiam ab Innocentio IV. Rex Sanctus rogavit.

ID probant Imperatoris istius Literæ, quas ex Regio Chartulario eruit, suísque in Historiam *S. Ludovici* Observationibus inseruit Vir Clarissimus & Doctissimus *Carolus du Fresne* Cangii Dominus, pag. 56. quas ad Regum nostrorum Regnique honorem hîc integras repræsento. *Fredericus D. G. Romanorum Imperator semper Augustus, Jerusalem & Siciliæ Rex, universis præsentes*

A *Literas inspecturis per Regnum Franciæ constitutis dilectis sibi, salutem & omne bonum. Cùm per aliquos retroactos Romanæ Sedis Antistites, & præsentem, Nos & alios Reges, Principes orbis, & Nobiles, Regna, Principatus, Honores quoslibet & Jurisdictiones habentes, gravatos meritò censeamus, ex eo quod ipsi contra Deum & Justitiam posse, sibi Jurisdictionem & Auctoritatem usurpant instituendi & destituendi, seu removendi ab Imperio, Regnis, Principatibus & Honoribus suis, Imperatores, Reges, & Principes, seu quoscumque Magnates, temporalem auctoritatem in eos temporaliter exercendo: absolvendo etiam à Sacramentis, quibus Dominis suis* B *Vassalli tenentur, contra Dominos Excommunicationis tantummodo Sententiâ promulgatâ. Quodque quæstione, sive dissensione inter Dominos & Vassallos, seu inter duos Nobiles & vicinos invicem contendentes, prout assolet, emergente, prædicti Summi Pontifices ad petitionem unius partis tantummodo partes suas interponunt, volendo ipsos invitos in se compromittere, vel aliter ad concordiam coërcere, & alligando se fidelibus contra Dominos, aut uni de partibus supra dictis, quod non priùs pacem cum aliis faciant, quàm alligatos sibi ponant in pace: recipiendo* C *similiter promissionem de non faciendo pacem cum Dominis à Vassallis. Item ex eo quòd prædicti Summi Pontifices in præjudicium Jurisdictionis & Honoris Regum & Principum prædictorum, ad petitionem Clericorum seu Laicorum, cognitiones causarum de rebus temporalibus, possessionibus feodalibus seu Burgesaticis in Ecclesiastico Foro tractandas recipiunt & committunt. Ecce quòd Nos ad prædictam injuriam documentis evidentibus ostendendam, & ipsam à nobis & eis rationabiliter removendam, Magistrum Petrum de Vinea Magnæ Curiæ nostræ Judicem, & G. de Ocra Clericum, dilectos & fideles nostros ad* D *LUDOVICUM Illustrem Regem Francorum Carissimum Amicum nostrum providimus destinandos: affectuosè rogantes, ac ob tuitionem & conservationem Jurium nostrorum & Imperii, Regum aliorum & Principum, seu quorumcunque Nobilium, efficaciter requirentes eumdem ut congregatis coram se LAICIS PARIBUS Regni sui, aliísque Nobilibus tanto negotio opportunis, per se cum eis super omnibus prædictis & singulis audiat Jura nostra. Cæterùm si ipsa prædicta non duxerit assumenda, cùm Nos, qui auctore Domino, Romani Imperii, Regnorum Jerusalem & Siciliæ moderamur habenas, tam enormem injuriam, & tam informem usurpationem die-* E *bus nostris tolerare nolimus, Regem eumdem justa precum intercessione rogamus, quatenus nobis causam nostram, suam, & aliorum Principum viriliter prosequentibus, se contrarium non opponat: nec de suo Regno aliquos Laicos, seu Clericos temporaliter nobis opponi permittat: nullúmque præsenti Summo Pontifici, seu Successoribus suis, contra Nos, discrimine præsenti durante, in Regno suo præsidium, seu receptaculum tribuat, aut tribui patiatur. Porro si forsitan Rex prædictus cum PARIBUS & Nobilibus Regni sui, prout tantùm Regem & Regnum condecet, partes suas interponendas viderit in prædictis, Sum-* F *múmque Pontificem, sive per justitiæ debitum, vel modo quolibet ad istud induxerit, ut velit prædicta gravamina Nobis & aliis Christianis Primatibus irrogata, & id specialiter, quod contra Nos nuper in Lugdunensi Concilio statuit, quatenus de facto processit, cùm prorsus de jure non valeat, revocare: Nos ob honorem & reverentiam Dei & Redemptoris nostri, necnon ob amorem, quem ad Regem & Regnum Franciæ præ cæteris, singularem habemus, causam quæ inter Nos & Summum Pontificem vertitur supra dictum, quatenus contingit eumdem, in manibus ponimus Regis ejusdem, parati omnia quæcumque per Nos idem Rex de Consilio PARIUM, Nobiliumque*

que suorum, visis & diligenter auditis nostris Juribus, Ecclesia viderit emendanda, corrigere, & in statum debitum integrè reformare. Ac deinde pace per hoc inter Nos & Ecclesiam procedente, & reliquis Longobardorum, prout tenentur & debent, vel ad Mandatum nostrum & Imperii redeuntibus, vel prorsus ab Ecclesia defensione seclusis, promptos nos offerimus & paratos, vel prædicto Rege ad defensionem Christianitatis & statum pacificum conservandum in Cismarinis partibus remanente, vel unà cum eo, si hoc melius viderit eligendum, ad transmarinas partes per Nos, aut Conradum charissimum filium nostrum, Romanorum in Regem electum, & Regni Hierosolymitani heredem, omine prospero transfretare. Ad hoc nos obligantes specialiter & expressim, quod vel cum Rege Franciæ, sive sine eo, terram totam Jerosolymitanam, & quicquid unquam à diebus antiquis Regno Jerosolymitano pertinuit, ad proprietatem & ditionem Regni ipsius, & Christianitatis cultum, nostris Imperii, & Regnorum nostrorum viribus, laboribus, & sumptibus, curabimus revocare. Nihilominus tamen, si fortè, quod absit, discrimen præsentis discordiæ inter Nos, Ecclesiam, & Lombardos durare contigerit, prædicto Regi ac omnibus Cruce-Signatis cum eo, quatenus præsentium negotiorum & temporum qualitas patitur & tempestas, præsidia nostra terra marique, tam in navibus, quam victualibus, promptis affectibus offerimus per præsentes. Superque omnibus & singulis supra dictis quæ præsentium series continet Literarum, auctoritatem & mandatum plenum prædictis Magistro Petro de Vinea, & G. de Ocra duximus conferendum: Ratum habentes & firmum quicquid per eosdem in iis pro parte nostri Culminis extiterit ordinatum. Datum Cremonæ, XXIV. Septembris, quarta Indictionis.

S. *Ludovicus* Pontificem adiit adhuc Lugduni agentem. Ejus Majestati Cluniacum usque obviam venit *Innocentius*, Pacem pro *Frederico* Rex Sanctus rogavit, conditiones ejus nomine obtulit nequaquam spernendas; ut nimirum *In Terram Sanctam irrediturus abiret, quoad viveret Christo ibidem militaturus, & totum Regnum integraliter proposse restituturus cultui Christiano, ita scilicet ut filio suo loco ipsius in Imperiali Dignitate substituto, piè dispensaretur cum eo, & benignè absolveretur, concessâ ei plenâ peccatorum suorum veniâ.* Pontifex obfirmato pectore preces Christianissimi Regis repulit, his verbis ejus Majestatem compellans: *Domine Francorum Rex, Fili Carissime, non tantum mea, sed totius Christianitatis agitur causa. Consideret & prudenter attendat Serena Dominatio vestra, quoties & quam humiliter vocabatur, expectante totius Concilii universitate reconciliandus, nec vocatus venit ut staret saluberrimo Concilio potius quam Judicio pariturus, & quæ prius promiserat, & in periculo animæ suæ juraverat, & per Nobiles Mediatores, qui in anima sua juraverunt, unde multum verecundantur, certissimè promiserat, & in scriptis redacta topazio suæ Majestatis signaverat, adimplere contempsit. In omnibus se reddidit incredibilem.* Reposuit Rex Sanctus: *Domine nonne legitur in Evangelio, quòd usque septuagies septies pandendus est sinus misericordiæ veniam postulanti: Considera dies quam mali sunt. Terra Sancta periclitatur, nec patet liberatio ejus, nisi eo post Deum propitio, qui Portubus præest & Insulis, & spatiosis terris Mari conterminis, & qui novit omnia nobis peregre profecturis profutura. Magna pollicetur. Ecce, & petens consulo, tam pro me quàm multis aliis millium milibus peregrinaturis, prosperum transitum expectantibus; immo potius pro statu universalis Ecclesiæ & Christianitatis, accipite & acceptate tanti Principis humiliationem, Christi sequentes vestigia, cujus Vicarius estis in terris, qui se usque ad Crucis patibulum legitur humiliasse.* Hæc *Parisius*, qui petulanti calamo id veneni continenter effundit: *Quod cùm Dominus Papa erectâ & rejectâ cervice refutasset, Dominus Rex Francorum recessit iratus & indignans, eo quod humilitatem, quam speraverat, in Servo Servorum Dei minimè reperisset.*

ARTICULUS VII.

Quamvis FRIDERICI Exauctorationem non probaverit Sanctissimus Rex Francorum LUDOVICUS, Innocentio tamen auxilium ad comprimendam ejus tyrannidem obtulit.

F*Ridericum* in impietate contumacem, vitæ Summi Pontificis insidias struxisse, ac sicarios qui ipsum è medio tollerent immisisse (ut *Matthæus Parisius* refert ad annum 1247. pag. 486.) cùm *Ludovicus* Rex Sanctus accepisset: illùmque in Gallias ad Christi Vicarium, qui Lugduni degebat, opprimendum irruptionem decrevisse, nisi consiliis ipsius obstitisset Parmensium defectio in Italiam ipsum revocans: cùm (inquam) ea de re certior factus esset Sanctus *Ludovicus*, valido cum Exercitu Ecclesiæ hostem aggredi decrevit, & in Italiam adversùs ipsum ducere, suáque ad eum finem obsequia *Innocentio IV.* devovit, quod & Atrebatensis, Pictavensis & Andegavensis Comites, ejusdem Sancti Regis germani præstitere. Quin & *Blanca* Regina Mater virilis animi fœmina se stipatam filiis Alpes superaturam, ducturámque in Italiam copias ad succurendum Ecclesiæ, & Tyrannum comprimendum, Pontifici significavit. Gratias Regi, Reginæ, ac Principibus immortales egit *Innocentius*, rogavítque ne rem aggrederentur, donec Sedis Apostolicæ desiderium per Nuntium vel Literas agnoscerent. Id testantur Pontificis Literæ, ex ejus Regesto partim descriptæ, partim laudatæ ab *Odorico Raynaldo* ad annum M. CCXLVII. Quas ad Sanctum *Ludovicum* dedit, sic habent: *Lætentur cœli, & exultet terra, quòd sic Deus super Ecclesiam in Filii sui unigeniti Sanguine pretioso fundatam suam de novo illustravit faciem, ut quæ sub insurgentium turbine tempestatum credebatur extremum quasi passura periculum, videatur subitò consequi cum honoris plenitudine securæ libertatis effectum, Te Filio Charissimo præ terræ Principibus in conspectu Dei & hominum glorioso, qui duxisti originem de Stirpe Regia fructum & honoris & gratiæ semper Ecclesiæ producere consueta, sine interpositione spatii fervore concepto Sancti Spiritus, cum Charissima in Christo Filia nostra Illustri Regina Franciæ Matre, ac Dilectis Filiis Nobilibus Viris Fratribus tuis Comitibus; unanimiter decernente, quòd in nostri, quem pro divina reverentia tibi recognoscis in Patrem, ac ipsius defensionem Ecclesiæ, cum victorioso venires Exercitu, omni postposita tarditate. De hujus autem operis divina gloria Nos unà cum Fratribus nostris incredibili jucunditate perfusi, glorificamus mente humili Regis Æterni clementiam, qui Tibi suo Regi tam pium, tam laudabilem infudit affectum, ut dignè sit in nostra & aliorum mente mirabilis, & in cujusquam perpetuam deduci debeat notitiam Nationis. Nec mirum, cùm ad ipsius Ecclesiæ gemitum & frequentes angustias, quibus affligitur dum filiorum Ecclesiæ vexationes continuas illatas per Turbatorem sæculi meditatur, quasi tacentibus aliis, Tu solus in medio Regum terra*

ra præfulgidus elegisti ad succursum Matris Ecclesiæ non solum exponere substantiam, sed deputare Personam.

Literæ verò ad *Blancam* Reginam Matrem Augustissimam sic habent: *Vocibus gementis Ecclesiæ, sicut confidimus, cælorum intercedente Regina, sic Regis Æterni Benignitas suum inclinavit auditum, ut Charissimo in Christo Filio nostro Rege, ac Dilectis filiis Nobilibus Viris Comitibus natis suis disponentibus magnificum Ecclesiæ personaliter præstare succursum, Tu inflammata igne Sancti Spiritus, de Regio corde protuleris, quòd Te ipsam velles cum Exercitu ad iter accingere, ut posses Ecclesiæ magnificè subvenire. Ex hoc enim, Filia Charissima, non solùm Nos & Fratres nostros, plena jucunditate perfusos, Tibi & Filiis tuis ad favorem perpetuum obligasti: sed acquisito apud homines laudis stabilis & immensa praconio, sic benignum reddidisti Conditorem omnium, ut anima tua compensandam ab ipso credamus in posterum gloriam supernorum.* Addit, Ecclesiæ Persecutorem *Fridericum* incredibili verecundia affectum iri, dum compertum habuerit *Quòd Aula Regni Franciæ, quæ virtutibus semper emicuit, ad hoc robur converteris sua Potentia, ut per eam Fides, quam ille suffocare nititur, in statu decoris & gloriæ conservetur.*

Excommunicatio in Fredericum lata in Valentino Galliæ Concilio.

Anno millesimo duceotesimo quadragesimo-octavo, Valentiæ in Gallia Synodus à Legatis Apostolicis *Petro* Albanensi Episcopo, & *Hugone* Sanctæ Sabinæ Presbytero Cardinali celebrata est, cui adfuere Archiepiscopi Narbonensis, Vieonensis, Arelatensis, & Aquensis: & Episcopi Biterrensis, Agathensis, Uzetiensis, Nemausensis, Lodovensis, Agioneosis, Vivariensis, Massiliensis, Forojuliensis, Cavallicensis, Carpentoratensis, Avenionensis, Vasionensis, Diensis, & Tricastrensis: Ex quorum sententiâ Excommunicatio in *Fridericum* quondam Imperatorem, & in ejus fautores, & in eos qui ipsum has in partes vocatent, lata est Cap. XXII. & XXIII. hoc tenore: *Item in præsenti Concilio tulimus Excommunicationem contra Fridericum, quondam Imperatorem, hoc modo: Auctoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Domini Papa, quâ fungimur, & Concilii congregati, denunciamus Fridericum quondam Imperatorem, fautores, adjutores, & consiliatores suos, excommunicatos. Et anathematizamus, & excommunicamus omnes illos, qui dictum Fridericum vocaverunt ad partes istas, vel vocaverint ad aliquem habentem potestatem suo nomine, & omnes illos qui ipsum receperint, vel aliquem Nuncium suum, & terras quæ ipsum recipiunt, supponimus Interdicto. Et nisi ad mandatum Ecclesiæ venerint illi qui vocaverint eum vel Nuncios suos ad potestatem exercendam in partibus istis, denunciamus insuper, quod nec ad Potestariam, nec ad Consulatum, nec ad Rectoriam, Judicatum, Tabellionatum, nec ad testimonium, nec ad alios actus legitimos admittantur: & si de facto admissi fuerint, Sententia per eos lata, & quicquid per eos factum fuerit, nullam habeat firmitatem.*

Item denunciamus excommunicatos Clericos, Prælatos, qui eidem Friderico dederint auxilium vel favorem. Et si tales ipsum vocaverint, denunciamus eos privandos suis Beneficiis, & Prælatos à Dignitatibus suis deponendos; nec ab istis Sententiis aliquis absolvi possit nisi per Dominum Papam, vel alium de suo speciali Mandato. Non mirum quòd Valentina Synodus, in Sententia Excommunicationis quam in *Fridericum* tulit, ipsum QUONDAM IMPERATOREM dicat, atque ita ejus exauctorationem legitimam ac Jure factam, & à Judice competenti agnoscere videatur; cùm duo Cardinales *Innocentii IV.* Legati huic Synodo præfuerint, & Canones condiderint: at Gallicani Episcopi ipsis assidentes id unum decrevere; Excommunicationem in *Fridericum*, & ejus fautores esse promulgandam. Quod autem Legati *Innocentii Quarti* duntaxat, non verò Gallicani Præsules ita loquantur, Sententiæ tenor ostendit: *Auctoritate BB. Apostolorum Petri & Pauli, & Domini Papa quâ fungimur, & Concilii congregati, &c.* Deinque si Valentinæ Synodi Patribus placuit hic loquendi modus, in reverentiam & gratiam Summi Pontificis qui *Fridericum* exauctoraverat id factum, ejusdem *Friderici* causâ non discussâ, nec Juris Quæstione ad examen vocata, utrum Summus Pontifex vel Ecclesia Imperatorem vel Reges exauctorare possint.

SCHOLION I.

Dissertationis hujus Articulo I. pag. 718. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Quo spiritu & ausu temerario Papa Imperatorem exauctoravit? Qui si deponendus esset, nonnisi per Concilium cassandus videretur.*

R. Non mea hæc, sed Procerum Francorum verba sunt, historicè relata, & ex *Matthæo Parisio* fideliter descripta. De Romanis Pontificibus nunquam ita locutus sum, etiam cùm eorum facta improbare coactus sum vi studioque veritatis.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 721. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *S. Ludovicus Legatis Papa contra Fridericum nihil concessit, & ipsum pro Imperatore agnovit, non obstante depositione.*

R. Historiæ res est, & mera facti quæstio, cujus veritas à me probata.

SCHOLION III.

Pag. 723. ejusdem Articuli, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Papa falsis rumoribus occupatus, Fridericum ut Hæreticum proclamabat. Galli tamen noluerunt Imperatorem armis aggredi.*

R. Rectè scripsi, S. *Ludovicum* noluisse armis aggredi confœderatum Principem, qui Fidem Catholicam profitebatur; quamvis Summus Pontifex & sinistris rumoribus occupatus, & ejus in spernendis Ecclesiæ Censuris contumaciam, quæ nota est hæreseos, attendens, eum ut hæreticum traduceret, &c. Mera facti & historiæ quæstio est.

SCHOLION IV.

In eodem Articulo, pag. 726. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Electores Imperii scribunt ad Papam, non pertinere ad ipsum exuere Imperatorem Dignitate Imperiali, sed electum coronare.*

R. Ita refert Stadensis Abbas in Chronico, cujus verba descripsi.

SCHOLION V.

In eodem Articulo, pag. 729. notant illa verba: *Summum Pontificem nonnisi in spiritualibus plenitudinem potestatis habere.*

R. Hæc Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ Sententia. Nec tamen de ista quæstione ago eo loci, sed historicè narro ex *Matthæo Parisio*, concordiæ leges *Friderico* Imperatori ab Ecclesia propositas, quarum una hæc erat, ut profiteretur Summum Pontificem tam in se, quàm in omnes Christianos, Reges & Principes, Clericos & Laicos, *in spiritualibus plenitudinem potestatis habere.* Exceptio illa, *nonnisi*, tametsi vera, eo loci apud me non legitur.

SCHOLION VI.

Dissertationis ejusdem Articulo III. pag. 735. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Non repulit Papa appellationem ad Concilium, quia erat inepta, sed quia jam erat actu Concilium Generale.*

R. Utrum inepta fuerit, necne, Thadæi Oratoris Friderici Imperatoris appellatio ad Concilium Generalius, non expendo, nec ex de re pronuntio, sed tantùm eo nomine à Summo Pontifice non repulsam, quia id unum reposuit;

Concilium

Concilium istud Lugdunense Generale esse, & sufficere ad causam *Frederici* judicandam. Mera hæc facti quæstio.

SCHOLION VII.

In eodem Articulo, pag. 737. Religiosi Censores hæc notant : *De Imperio quoad temporalia est alia ratio, de quo non apparet Papam posse judicare.*

» R. *Fredericum II.* justè ab Innocentio Quarto excom- » municatum dixi, justè & Regno Siciliæ privatum, quod » beneficiario jure ab Ecclesia Romana tenebat, præsertim » cùm potestate sua contra eamdem Ecclesiam abuteretur, » nec debitam Sedi Apostolicæ ratione illius Regni pen- » sionem solveret. Verùm (inquam) alia de Imperio ra- tio erat, quod Romanæ Ecclesiæ non ita obnoxium est. Secundùm Sacræ Facultatis Parisiensis, Ecclesiæque Gallicanæ Sententiam sum locutus. Plura non dicam.

SCHOLION VIII.

In eodem Articulo, pag. 739. Religiosi Censores hanc propositionem notant : *Multi Germani dicebant, Ad Papam non pertinere exauctorare Reges.*

R. Germaniæ & Italiæ Principes plerosque, cum multis aliis dixisse, postquam ab *Innocentio Quarto* decreta est *Frederici II.* exauctoratio : *Ad Papam non pertinere Imperatorem vel instituere vel destituere, sed electum à Principibus coronare* refert Albertus Stadensis Abbas in Chronico. Facti quæstio est.

SCHOLION IX.

In eodem Articulo, pag 741 hanc propositionem notant Religiosi Censores : *Non Concilium, sed Papa exauctoravit Imperatorem.*

R. Et hæc mera facti quæstio, cujus veritas ex ipsis Actis Concilii, & probatis Historicis, à me ostensa est.

SCHOLION X.

In eodem Articulo, pag. 743. Religiosi Censores hanc propositionem notant : *Prælati aliqui in studia Innocentii abrepti.*

Historiæ res est, ex ipsius *Innocentii Quarti* literis confirmata. Cætera non moror, quæ in hac Dissertatione Religiosi Censores reprehendunt. Hæc enim omnia Summam religionis & fidei non spectant, sed ad facti quæstiones maximè ex parte pertinent, vel ad Sententiam Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ, asserentium » Reges & Principes supremos in temporalibus nulli Ec- » clesiasticæ Potestati Dei ordinatione subjici, neque aucto- » ritate clavium Ecclesiæ, directè vel indirectè deponi, » aut illorum subditos eximi à fide atque obedientiâ, ac » præstito fidelitatis Sacramento solvi posse : Eam Senten- » tiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minùs Ec- » clesiæ quàm Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum Tra- » ditioni & Sanctorum exemplis consonam, omnino reti- » nendam. Denique de Frederici II. exauctorationis Sententia ab Innocentio Quarto, non à Concilio Lugdunensi; à quibusdam cum ipso Episcopis, non ab omnibus Concilii Patribus lata, non singularis est opinio mea. Legi possunt quæ de hoc argumento scripsit vir doctissimus *Franciscus Fen* Doctor Sorbonicus, & Parochiæ SS. Gervasii & Protasii in hac Regia Urbe Pastor, in Tractatu *de Legibus*, anno 1695. in lucem edito, Quæst. iv. Art. iv. pag 157. *Multùm*, inquit, *abfuit Concilium à ferenda in Imperatorem depositionis Sententia : tum quia juris forma in Inquisitionibus servanda prætermissa fuerant : tum quia Imperatorem mirabiliter purgare videbatur Thaddæus, tum denique quia provocatio Thaddæi à gravamine imminenti certo erat Legibus consonanea. Hinc non nomine Concilii lata fuit Sententia in Fredericum, sed nomine Pontificis solius. .. Igitur Concilii Patribus tribuenda non est Frederici II abdicatio, sed Innocentio Quarto. Adeo constat à Frederici abdicatione alienissimos fuisse Episcopos, ut referente Matthæo Parisio ab eo Pontificis latâ Sententiâ penitus abhorruerint, quamquam non diffitetur hic Author, ex Episcopis quosdam, ut credere est, Hispanos, cum Papa Sententiam Excommunicationis simul & depositionis fulgurasse. Nec tantùm in Concilio, sed & extra Concilium, latam à Summo Pontifice Sententiam improbarunt Episcopi & Principes plurimi, qui contenderunt non esse Pontificis Imperatorem deponere vel instituere, sed electo dumtaxat imponere coronam : propterea Fredericum per annos sex quibus superstes fuit, pro Imperatore salutare & venerari non destiterunt. Ex his fuit cum Regni Proceribus S. Ludovicus Rex Francorum, qui Dignitatem Imperatoriam pro suo Fratre à Pontifice oblatam constanter recusavit. Ex hoc Innocentii facto tot & tam graves secutæ sunt calamitates, ut ipsum Innocentium Sententia lata postea vehementer pœnituerit, reliquumque vitæ curriculum egerit tædio confectus. Hæc extra unico conspectu animadvertet, qui per annos plures inter Guelphos qui partes Pontificis, & Gibellinos qui partes Imperatoris tuebantur, exarsisse bellum omnium calamitosissimum expenderit, consultis illorum temporum Authoribus. Unde colligendum superest à Christo traditam non fuisse Summis Pontificibus potestatem, quæ adeo abest à procurandis Reipublicæ Christianæ commodis, & quæ tantopere in destructionem cedat.* Hæc Doctor clarissimus. Non aliter de Frederici II. abdicatione, & de tota isto controversia censent Doctores omnes & Professores Sorbonici, Navarrici, aliique Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis.

SCHOLION XI.

Dissertationis ejusdem Articulo quinto, pag. 768. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam appinxerunt : *Multo malè dicit de iniquis exactionibus Italorum circa fructus & collationes Beneficiorum. Hinc motus graves in Anglia, & Rex supplicat pro emendatione.*

R. Historicè refero Henrici III. Regis Angliæ querimoniæ de gravaminibus à *Martino* Legato Apostolico illatis, tum ingentis extorsione pecuniæ, tum collatione Beneficiorum passim Italis facta, aliorumque reservatione Sedi Apostolicæ, violatis Patronorum juribus, Clericisque Regnicolis insuper habitis. Regis Anglorum literas in Concilio Lugdunensi eadem re lectas Historiæ suæ inseruit *Matthæus Parisius.* Mera hæc facti quæstio.

DISSERTATIO VI.

De SUMMA, Scriptisque cæteris S. THOMÆ AQUINATIS. Summa Tripartita S. THOMÆ vindicatur : Eidémque asseritur OFFICIUM DE SANCTISSIMO CORPORE CHRISTI.

DE Autore Summæ Theologicæ Tripartitæ, quæ *S. Thomæ Aquinatis* Doctoris Angelici nomen præfert, mortalium primus dubium excitavit Magister *Joannes Launoius*, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, eo in Opere quod inscribitur : *Veneranda Romanæ Ecclesiæ circa Simoniam Traditio*, Observatione viii. *Clementis VI.* Pontificis Maximi auctoritate nitebatur, qui in Sermone de *S. Thoma*, quem exhibet Codex MS. Illustrissimi Archiepiscopi Ducis Remensis *Mauritii Tellerii*, Opera Angelici Doctoris recensens, Summæ Theologicæ tripartitæ non meminit. Pollicebatur tamen Vir Eruditus, se communi opinioni assensurum, si Autores *Clemente VI.* antiquiores proferrentur, qui Summam Sancto Thomæ tribuerint. Senioris Magistri, cui apud Deum bene sit, precor, dubium discutiendum, conjecturámque diruendam suscepi novus tunc Doctor, edito Opusculo quod inscribitur : SUMMA S. THOMÆ VINDICATA, mense Junio anni millesimi sexcentesimi septuagesimi-quinti. Hæc mearum lucubrationum prima fuit, Angelici Doctoris nostri gloriæ faustis omnibus consecrata. Cujus quidem Opusculi Exemplaria omnia cùm à longo tempore distracta sint, & à plurimis, in exteris præsertim regionibus desiderentur, operæ pretium existimavi illud in novam formam redactum, emendatum, novis etiam auctum Observationibus, Selectis Dissertationibus in Historiam Ecclesiasticam xiii. Se-

culi quo floruit, & XIV. quo in Sanctorum numerum a *Joanne XXII.* relatus est *S. Thomas*, inserere, ut ad posteros faciliùs transmittatur.

ARTICULUS I.

Summa S. THOMÆ ipsi asseritur testimonio GUILLELMI DE THOCO, qui & aliorum ipsius Operum Indicem texuit.

GUillelmus de Thoco Scriptor *S. Thomæ* coævus, & Canonizationis ejus Promotor, in ipsius Vita, apud *Bollandum* ad diem VII. Martii, de Angelici Doctoris Operibus agit Cap. IV. & Summam Theologicam inter ea recenset. Antiquiorem suæ dubitationis Autorem si proferret Magister *Launoius*, ipsum non absque ratione dubitasse fateremur. Scriptoris istius verba de doctrina & libris *S. Thomæ* subjicio. *Qui Doctor*, inquit, *visus est quasi campum scientiarum secularium ingrediens, flosculos excepisse de sentibus, & plenam manum habere de Apostolicis cophinis fragmentorum Sacræ Scripturæ, quæ Deus mandavit Apostolis, ne perirent, colligere, & futuris Doctoribus componenda servare. Qui de Sacrorum Doctorum horreis plenis frumento; de utriusque Testamenti excussis segetibus, uberiora collegit in libris, & nulla Scripturæ veritas remansit sibi abscondita, nec Doctoris cujuscumque Scriptura inaccessibilis involuta. De quo ut sciretur quantum donum scientiæ hujus Doctoris lateret in corde, concessum est ei divinitus ut manifestaret in opere multiplici Scripturarum.*

Summa Tripartita. *Nam præter Opus quod fecit super quatuor libros Sententiarum,* SUMMAM *fecit, quam distinxit libris, materias quatuor librorum aliter ordinans: quam cum pluribus Articulis ampliavit subtilioribus rationibus. Scripsit etiam librum qui intitulatur* CONTRA GENTILES, *stylo disertum, & rationum novitate & subtilitate profundum.... Cum præfatum librum scriberet, frequenter visus est quasi totaliter à sensibus alienus, qui divinis revelationibus semper erat intentus.* *(Summa contra Gentiles.)*

Catena Aurea. *Scripsit Opus* SUPER IV. EVANGELIA, *Sanctorum auctoritatibus miro modo contextum, ex quibus sic Evangeliorum continuavit Historiam, quasi unius Doctoris videatur Postilla. In quo Opere mirandum creditur Deus ostendisse miraculum, quia discurrens per diversa Monasteria, & diversorum legens volumina, pro majori parte ipsorum auctoritates mente retinuit, quas in exponendo notavit. Nam eodem agebatur spiritu, quo legendo Doctor colligeret, quæ scribendo servaret.* Quod Opus *Catena Aurea* inscribitur, & *Urbano IV.* Pontifici Maximo dicatum est.

Commentaria S. Thomæ in Scripturam Sacrã. *Præter quod Opus fecit Postillam super Evangelium S. Joannis, in qua ostendit quam altè de suo ingenio, adjutus per gratiam, ad profunda Mysteria libri pervenerit, quæ Sanctorum Auctoritatibus declaravit.* Hic in *S. Joannem*, aliúsque in *S. Matthæum* Commentarius, *S. Thomæ* rectè tribuuntur, quia licet ab ipso scripti non sint, ejus tamen doctrinam continent, & sunt ab ore exponentis excepta, & à discipulis collecti, ut *Nicolaus Trivettus*, & *S. Antoninus* in Chronicis testantur.

Scripsit super Epistolas Pauli omnes, quarum Scripturam, præter Evangelicam, super omnes commendabat: in quarum expositione Parisiis visionem præfati Apostoli dicitur habuisse. In Epistolam duntaxat ad Romanos, & decem Capita Epistolæ ad Corinthios, *S. Thomam* scripsisse, *Nicolaus Trivettus* coævus Author testatur: cætera verò ex ejus Lectionibus fuisse collecta. Qua ratione *Guillelmus de Thoco* exponendus est.

Scripsit super Isaiam, in cujus quodam textu difficili, post orationes frequentes & lachrymas, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, qui ipsum instruerent, habuisse dicitur visionem. Scripsit super magnam partem Psalterii. Scripsit super Job ad literam, quem nullus Doctor tentavit litteraliter exponere, propter profunditatem sensus litteræ, ad quem nullus potuit pervenire. In quo Opere, quasi inter eum & amicos suos arbiter fuisset de communi concordia positus, sic respondit ex utraque parte ad singula, velut si quilibet quod proponebat arguere, potuisset ei ore tenus revelare.

Commentaria verò in *Genesim* & *Ecclesiasten* ex numero Scriptorum *S. Thomæ* expunxit *S. Antoninus*. Postillæ etiam in *Apocalypsim*, indignæ sunt *S. Thomæ* ingenio, nec inter ejus Opera ab Antiquioribus recensentur. Commentarii in *Epistolas Canonicas* pariter non meminere, quamvis eo non indigni.

Quæstiones Disputatæ, Quodlibeta, Opuscula. *Scripsit insuper Quæstiones de Potentia, de Veritate, & Malo, magna volumina. Scripsit librum quem nominavit Compendium Theologiæ: Quæstiones de Quolibet: De Perfectione vitæ spiritualis: De substantiis separatis: Quæstiones de Anima: Super Dionysium de Divinis Nominibus: de Trinitate: De Hebdomadibus Boetii; & alia multa Opuscula Theologicæ Veritatis plusquam viginti, diversis Dominis & Religiosis Personis, quibus sicut mittebant dubia, dabat illuminatus de veritate responsa.*

Officium de Corpore Christi S. Thomæ vindicatur. *Scripsit Officium* DE CORPORE CHRISTI, *de mandato Urbani Papæ, in quo omnes, quæ de hoc sunt Sacramento veteres figuræ, exposuit, & veritates quæ de nova sunt gratia compilavit.* Hoc testimonio refelluntur PP. *Henschenius* & *Papebrochius* Societatis Jesu, qui Officium Venerabilis Sacramenti, quale inter Opuscula *S. Thomæ* habetur, & in Ecclesia Latina canitur universa, ejus Opus esse negant in Actis Sanctorum mensis Aprilis, in Appendice ad diem V. voluntque à *F. Joanne* Leodiensi Clerico ex directione *S. Julianæ* Virginis compositum. *Guillelmo de Toco* suffragantur *Ptolomæus Lucensis*, Torcellanus Episcopus, *S. Thomæ* discipulus in Chronico, & *S. Antoninus* III. P. Chronicorum Tit. XVIII. Cap. X §. II. & Tit. XIX. Cap. XIII. §. I. ubi *S. Thomam* jussu *Urbani IV.* asserit *composuisse totum Officium tam diurnum, quàm nocturnum Festi Corporis Christi, ac etiam Missæ, & eo solo Ecclesiam omnem uti.* *(PP. Henschenius & Papebrochius refelluntur.)* Qui totum Officium diurnum & nocturnum, & Missæ composuit, is non unum duntaxat Hymnum *Sacris Solemniis*, qui ad Laudes canitur, edidit, aut Officium à *Joanne* Leodiensi Clerico ex directione *S. Julianæ* compositum reformavit, secundùm ritum Romanæ Curiæ, ut RR. Patres divinarunt. Sanè si ad genuina *S. Augustini* Opera dignoscenda certissima regula est *Possidii* in Indice, & *S. Prosperi*, aut etiam *Venerabilis Bedæ*, quanquam post tria Secula ipsa laudantis auctoritas, quòd ille *S. Augustino* familiariter usus sit, hi verò singulare studium in Operum ipsius examine & lectione collocarint; maximi momenti apud æquos rerum æstimatores esse debet *Ptolomæi Lucensis*, qui *S. Thomæ* auditor fuit, & *S. Antonini*, in ejus Operibus disquirendis diligentissimi auctoritas.

Idem constat ex Literis *Urbani IV.* ad Evam Religiosam Virginem Leodiensem datis sexto Idus Septembris, Pontificatus anno quarto, quibus ipsi nuntians institutionem Festi Corporis Christi in Ecclesia universa, quam votis expetierat ardentissimis, misit Officium in eadem Solemnitate recitandum

tandum, quod cum Leodiensi Clero communicaret. *Et quia* (inquit) *quaternum in quo ipsius Festi habetur Officium tibi sub Bulla nostra per latorem præsentium destinamus, volumus, & per Apostolica Scripta tibi mandamus, quatenus quaternum ipsum cum devotione recipias, & ejus copiam personis illam petentibus exhibeas liberaliter & libenter.* Officium non misit Pontifex, à *Joanne* Clerico ex directione *S. Julianæ* compositum, cùm illud haberi Leodii in Ecclesia *S. Martini*, ubi primùm celebrata fuerat hæc Festivitas, non ignoraret, sed quod recèns erat à *S. Thoma* editum. Porro nisi totum quantum est S. Doctor composuisset, non misisset Pontifex nisi quæ ab ipso addita vel subtracta essent; & maximè Hymnum, *Sacris Solemniis*: Et hæc in Epistola describi potuissent, non implessent quaternionem.

Id confirmatur ex iis quæ gesta sunt coram *Urbano Quinto*, cùm de Translatione Corporis *S. Thomæ* actum est. Frater scilicet *Helias Raymundi* Ordinis Prædicatorum Generalis Magister Festo die Corporis Christi Sacri Pignoris possessionem Ordini vindicans, ait: *S. Thomas ad mandatum D. Urbani Papæ IV. ordinavit Officium hodiernum.* Quod ex *Legenda* seu Vita ejusdem S. Doctoris à *F. Guillelmo de Toco* scripta, & ex *communi hominum opinione* confirmavit. Dicenti Cardinales applauserunt, conclamantes, *S. Thomam Festi Corporis Christi Officium veraciter & excellenter, subtiliter & mirabiliter ordinasse.* Ita refert Historia ejusdem Translationis oculari fide scripta, Num. XII. Nec est quòd vim faciant RR. Patres in verbo, *ordinasse*, quasi Officium illud in meliorem duntaxat ordinem redegerit, ac reformaverit, non totum composuerit *S. Thomas*: siquidem non nesciunt verbum, *ordinare*, interdum pro eodem usurpari ac Opus ordine componere, quo sensu *Tullius* partes Orationis ab Oratore dixit ordinari: & *Tertullianus* Orationem Dominicam à Christo scripsit ordinatam, lib. de Oratione: *Ab illo* (inquit) *ordinata religio orationis*, &c. quâ phrasi idem significavit quod istis verbis in eodem libro: *Discipulis Novi Testamenti, novam Orationis formam determinavit.*

Idem confirmant illustrium Autorum testimonia, *Dionysii Carthusiani*, in Expositione Hymnorum, quæ ipsius in Actus Apostolorum Commentariis subnexa est, *Jacobi Bergomatis*, in Supplemento Chronicorum, ad annum MCCLXII. & MCCLXVIII. cui RR. Patres perperam affingunt quòd scripserit, *S. Thomam* Officium Corporis Christi, quod *Joannes* ex Ecclesiæ Leodiensis ritu composuerat, secundùm morem Romanæ Curiæ reformasse; *Platina* in Vita *Urbani IV.* & *Onuphrii Panuini* in Annotationibus ad *Platinam*: *Diestemii Blari* Monasterii Leodeinsis *S. Jacobi*, Ordinis Benedicti Prioris, in Commentario de Institutione Festi Corporis Christi edito anno MCCCCXCVI. *Joannis Majoris* Societatis Jesu Professoris, in Speculo Magno Exemplorum: *Joannis Chapeavillei*, Canonici & Vicarii Generalis Ecclesiæ Leodiensis, in Tractatu Historico de vera Origine Festi Corporis Christi: *Bartholomæi Fisen* ex Societate Jesu, in libro eleganti qui inscribitur, Origo prima Festi Corporis Christi ex Viso Sanctæ Julianæ Virgini divinitus oblato, Cap. LXIII. *Possevini*, *Bellarmini*, *Labbei*, in Commentariis de Scriptoribus Ecclesiasticis; *Azorii*, Tom. II. Institutionum Moralium; *Spondani* & *Oderici Raynaldi* ad annum MCCLXIV. *Jacobi Bourgeois* Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, in libro de Exordio Festi Corporis Christi; *Antonii Waiete* Abbatis Camberonensis O. C. P. II. Historiæ sui Monasterii, in Joanne de Marbaix Abbate VIII. *P. Valgravii* O. B. in Observationibus Apologeticis, quibus Libellum Piissimum *de Imitatione Christi* Joanni Gersen ejusdem Ordinis Abbati vindicat: Illustrissimi quondam Rotomagensium Archipræsulis *Francisci Harlei* in Apologia Evangelii ad Serenissimum Magnæ Britanniæ Regem Jacobum, ubi & *S. Thomam Divinum Eucharistiæ Doctorem & Illustratorem* appellat: Addo Breviarium Parisiensis Ecclesiæ à Selectis Sacræ Facultatis Parisiensis Doctoribus è Sorbonica Domo, eximiæ doctrinæ & accuratissimi criterii viris recognitum, & ab Illustrissimo Parisiensis Ecclesiæ Principe *Francisco Harleo* nunc sedente, perspicacissimi ingenii, summi judicii, exquisitæ eruditionis Archipræsule, post frequentes Collationes coram ejus Celsitudine habitas approbatum, & ejus auctoritate editum, quod in v. Lectione pro Festo S. *Thomæ* præscriptâ hæc habet: *De Sacrosancto potissimùm Eucharistiæ Sacramento multa & præclara conscripsit: ac præter cætera, Admirandum illud Officium, quod jussu Urbani IV. elaboravit.* Denique ante RR. Patres id in dubium nemo revocavit, ne ipsi quidem Hæretici, ut Centuriatores Magdeburgenses & *Hospinianus*. Summa hæc tot Autorum ex omni Natione, Religione, Ordine consensio in Officio Corporis Christi *S. Thomæ Aquinati* tribuendo, prohibere vel sola debebat RR. Patres ne illud Angelico Doctori tam præcipiti judicio abjudicarent. *Quod enim apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum* (inquit Tertullianus.)

Objiciunt: Lectiones quæ in antiquo Romano Breviario Venetiis impresso anno MDXXII. & Leodiensi S. Lamberti anni MDXX. pro Feria VI. infra Octavas Corporis Christi notantur, & sic incipiunt: *Hujus Sacramenti figura præcessit quando pluit Deus Manna Patribus in deserto*, &c. Necnon quæ pro Sabbatho & Dominica præscribuntur, sufficere ut stylum attendens, conferénsque cum Opusculo LVIII. S. Thomæ de Sacramento Altaris, comperiat eum esse diversissimum, adeóque Legendæ hujus Autorem alium omnino fuisse à Sancto Doctore: quem autem potius quàm Joannem Clericum Leodiensem, de quo constat, *composuisse Officium in Hymnis, Antiphonis, Responsoriis, Lectionibus, Capitulis, Collectis, & aliis omnibus propriis*? Ut habet Vita *S. Julianæ* Virginis.

Respondeo: Lectiones illas, quas inutili studio RR. Patres descripserunt, esse revera stylo *S. Thomæ* dissimiles: Nec mirum, cùm ex lib. IV. S. Ambrosii de Sacramentis, ut ipsi agnoscunt, earum materia, ac sæpe etiam verba sumpta sint; suas verò *S. Thomas* proprio stylo elaboraverit. A *Joanne* Clerico (ut asserunt, nec probant) vel ab alio sint interpolatæ, quid refert? cùm pars non sint Officii quod pro Festo Corporis Christi à *S. Thoma* editum est, sed pro Feria VI. Sabbatho, & Dominica sint præscriptæ, pro quibus diebus *S. Thomas* nullas præscripserat.

Objectionem alteram instituunt ex Directorio veteri Ecclesiæ *S. Martini Leodiensis*, in quo ea præscribuntur omnia, quæ in hodierno Officio, cujus Autor dicitur *S. Thomas*, legimus, præter Hymnum ad Matutinum, & alia bene multa, quæ Officii à *F. Joanne* conscripti propria esse dubium non est. Directorium illud ibidem describunt. Proferunt & antiquum ejusdem Ecclesiæ *S. Martini* Antiphonarium: in quo Hymni proprii de Venerabili Sacramento ad Completorium, Primam ac cæteras parvas Horas habentur; tum Antiphonæ ad *Magnificat* & *Benedictus*, pro Feria Sexta, Sabbatho, Dominica, Feria Secunda, Tertia, & Quarta infra Octavam.

Respondeo: Ut ex Directorio & Antiphonario

mox

mox laudatis rectè colligerent RR. Patres Officium Venerabilis Sacramenti, quod nunc ubique in Ecclesia canitur, illud ipsum esse quod à *F. Joanne* ex directione *S. Julianæ* compositum est, & à *S. Thoma* ad Romanæ ritum Ecclesiæ, quibusdam additis & detractis accommodatum, probandum ipsis fuisse Directorium illud & Antiphonarium esse antiquiora Officio à *S. Thoma* (ut ipsi loquuntur) ordinato, aut certè antè scripta, quàm illud Ecclesia Leodiensis susciperet. Quod cùm probare non valuerint, nec membranatum illarum notaverint ætatem, nihil ex his possunt extundere, quo *S. Thomas* ab Officii, quod in tota nunc celebratur Ecclesia, possessione deturbetur. Probabilius longè est Leodiensem Ecclesiam cum Urbani IV. Diplomate missum ab ipso ad Virginem Evam Officium gratulabundam suscepisse, & deinceps recitasse, detractis vel additis, quæ detrahi vel addi Ritus ipsius postulabat. Hymnos autem & Antiphonas minorum Horarum, necnon illas quæ pro singulis Octavæ diebus ad *Benedictus* & ad *Magnificat* præscriptæ sunt, Ecclesia *S. Martini* ex Officio à *F. Joanne* ex directione *S. Julianæ* Virginis composito servavit, ut argumento esset apud posteros, Officium Corporis Christi priùs fuisse hac in Basilica celebratum, quam solemne Festum *Urbanus IV* ubique Christianarum gentium Apostolico Diplomate sanxisset, ut scitè observat *P. Bartholomeus Fisen* in libro inscripto, *Origo Prima Festi Corporis Christi.*

Addo ex Vita *S. Julianæ* à RR. Patribus edita ad diem v. Aprilis, ex eorúmque ad eamdem Vitam Notis demonstrari, Officium quod in veteri illo Martinianæ Ecclesiæ Directorio præscriptum est, aliud prorsus ab eo esse, quod *F. Joannes* ex ejusdem Virginis directione composuit. Id verò sic ostendo. Frater *Joannes* multorum Sanctorum libris pervolutis, ex eorum Sententiis Officium Venerabilis Sacramenti composuit, ut testatur Autor Vitæ *S. Julianæ* lib. II. Cap. II. Num. IX. his verbis: *Percurrens igitur ille multorum Sanctorum libros, sicut apis prudentissima Divinarum Sententiarum flores legebat. Sacramenti Corporis & Sanguinis Christi dulcedinem sapientes; ex quibus intra semetipsum, Antiphonarum, Responsoriorum, Hymnorum, & aliorum quæ ad ipsum Officium pertinent, mella conficiens, ea in tabularum alveario recondebat; ceris sua mella restituens, profectò prioribus dulciora.* At *S. Thomas* non ex SS. Patrum Sententiis, sed ex Veteris Novique Testamenti figuris suum composuit Officium. Palam itaque est Officium quod *S. Thomæ* tribuitur, non esse à Fratre *Joanne* scriptum, & ad Romanæ Ecclesiæ morem accommodatum. Accedit, quòd Officium à *P. Joanne* ex *S. Julianæ* directione compositum, incipiebat ab hac Antiphona, *Animarum cibus*, ut ex Codice MS. Rubeæ Vallis RR. Patres annotarunt. Officium verò in Martinianæ Ecclesiæ Directorio præscriptum incipit ab hac Antiphona, *Sacerdos in æternum*, quæ initium est Officii à *S. Thoma* editi, hodiéque ab Ecclesia universa frequentari. Secum ipsis igitur pugnant RR. Patres, cùm Officium in Leodiensi Directorio præscriptum illud ipsum esse aiunt, quod *F. Joannes* ex directione *S. Julianæ* composuerat. Illud enimvero Directorium Antiphonam, *Animarum cibus*, ad *Benedictus* pro Feria VI. infra Octavas præscribit, non ad primas Vesperas, ut in Officio à *F. Joanne* composito prima inter omnes legebatur. Tertiò, in MS. Rubeæ Vallis mox laudato hæc habentur, ut observant RR. Patres: *Deinde Urbanus IV. Officium quod ubique cantatur, instituit.* Quæ verba non obscurè significant, illud Officium quod à *S. Thoma* jussu *Urbani IV.* compositum, ejusdem Pontificis auctoritate universæ Ecclesiæ propositum est, diversum omnino fuisse ab eo, quod *F. Joannes*, curante *Juliana* Virgine composuerat. Denique Codex MS. Rubeæ Vallis fidem facit, Officium quod incipit his verbis: *Animarum cibus*, reperiri *plenum in Ecclesia Tungrensi & aliis locis.* Illud verò in Ecclesia Collegiata *S. Martini*, & Parochiali *S. Joannis Baptistæ* Leodii, & pluribus Ecclesiis Diœcesis Leodiensis haberi testatur *Chapeavillaus.* Quidni potius viri prudentes observarunt, illud ab omnibus frequentari, ex quo ad Romanæ ritum à *S. Thoma* accommodatum est? Id non dixere, quia utriusque discrimen Officii noverant, convenientiam planè nullam.

Objiciunt, Vim poëticam, & masculi vigoris majestatem in Hymno, *Sacris Solemniis*, majorem emicare, quàm in Hymnis, *Pange lingua*, &, *Verbum supernum*: indéque conjiciunt, istos à *F. Joanne* editos, illum à *S. Thoma.*

Respondeo; & istos Hymnos Angelici Doctoris ingenium stylúmque referre, qui simplicitatem elocutionis cum proprietate verborum, & sententiarum sublimitate conjunxit. Conferantur cum illis quos ad Horas ex *F. Joannis* Officio Martiniana servavit Ecclesia, compertum erit illis qui aliquem Sacræ Hymnodiæ gustum habent, nihil in illis reperiri, quod vim hujus strophes auro contra æstimandæ & omnia Christi Mysteria magnificè exprimentis adæquet:

Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

Hæc uberiùs tractata in Expostulatione quam ad Reverendissimum Patrem *Joannem Paulum Olivam* Societatis Jesu Præpositum Generalem anno MDCLXXX. allegavi, pressiori stylo hîc inserere visum est, ut ad plurium manus ac notitiam perveniant, distractis illius Opusculi Exemplaribus. Cui cùm Expostulationis titulum inscripsi, nemini invisum fore sum arbitratus, nec ipsis RR. Patribus, contra quos agebam, quos alioqui plurimi facio, ac multùm illis Ecclesiam debere profiteor. Est enim & amica Expostulatio. Atque ita illam accepit Reverendissimus Societatis Illustris ac Piæ Moderator, in Literis ad me datis Romæ die XXI. Maii ejusdem anni. *Nos autem* (inquit) *magnas agimus Reverentiæ vestræ gratias, quòd tam ingenuè, tam honestè, ac tam temperato animo nobis eam controversiam exposuerit. Unde nolim unquam nostram de mutua amicitia contentionem cum vestra Reverentia, & cum toto Sacro vestro Ordine dirimi. Sum etenim, Admodum Reverende Pater, Addictissimus tuus* JOANNES PAULUS OLIVA.

ARTICULUS II.

Summa Theologica asseritur S. THOMÆ AQUINATI, testimonio GUILLELMI LAMARENSIS.

Vix in lucem emissa sunt Scripta *Sancti Thomæ*, cùm ejus doctrina hostes experta est infensissimos, qui vel eam adulterarent, vel pravos in sensus detorquerent, eam ut faciliori negotio possent impugnare. Unde impletum in ipsa est, quod *Tertullianus* lib. de Præscriptionibus Cap. 17. de Scripturæ Sacræ impugnatione ac depravatione ab Hæreticis scribit: *Veritati tantùm obstrepit adulter sensus, quantùm & corruptor stylus.* Anti-Thomistarum

starum antesignanus fuit *Guillelmus Lamarensis*, Ordinis Fratrum Minorum, Oxoniensis Professor, qui togæ suæ nimiùm amans, alienæ impotenter æmulus, doctrinam *Sancti Thomæ* lacessivit, edito adversùs eam libro, quem inscripsit, *Correctorium Operum Fratris Thomæ*. Eo in libro quadraginta novem Articulos ex Prima Parte Summæ Theologicæ *Sancti Thomæ*, duodecim ex Prima Secundæ, sexdecim ex Secunda Secundæ reprehendit ac refellit. An porrò doctrinam Fratris *Thomæ* in Summa Theologica impugnasset paucis post ejus obitum annis *Guillelmus Lamarensis*, nisi res fuisset explorata, Summam laudatam esse *Sancti Thomæ* germanum Opus? Vixit verò ante *Clementem VI.* Anglus ille Minorita: nam eum anno 1208. secundùm quosdam, anno 1340. secundùm alios floruisse scribit *Possevinus* in Apparatu Sacro; at *Clemens* anno duntaxat 1342. Summum Pontificatum iniit. Verùm prudenter animadvertit Autor ille, mendum esse in numeris quibus *Guillelmi Lamarensis* epocha consignatur: nam etsi ad annum 1340. superstes forsan fuerit, anno tamen 1208. nedum ortus erat, nec si ortus fuisset, celebre tunc in Ordine FF. Minorum extitisset ejus nomen: siquidem *Sanctus Franciscus* anno tantùm 1209. Romam profectus est, Ordinis sui confirmationem ab Apostolica Sede impetraturus. Verisimile est hunc Guillelmum floruisse an. 1280. aut 1304. qui annorum numerus in 1208. aut 1340. facili numeralium notarum inversione mutatus est. Nam *Ægidius Romanus* Correctorium Operum *S. Thomæ* à *Lamarensi* editum confutavit ante annum 1317. quo migravit è vita. Annis igitur ante Pontificatum *Clementis VI.* viginti sex Summa Theologica *Sancti Thomæ* agnita est ut genuinum ejus Opus à primis Doctrinæ Thomisticæ Oppugnatoribus, à Dominicani Ordinis æmulis. Agnoscat Magister Launoius vim hujus probationis, & assentiatur Autori *Clemente VI.* antiquiori, seque victum fateatur hac in caussa, in qua *inimici* etiam *nostri sunt judices*.

ARTICULUS III.

Summa Theologica asseritur S. THOMÆ, testimonio ÆGIDII ROMANI ejusdem S. Thomæ Discipuli.

Libros de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono Perseverantiæ, *Sancti Augustini* esse nemo nisi temerè negaret; an sint ipsius nemo nisi imprudenter dubitaret, quamvis eos nec *Possidius* Calamensis Episcopus disertè & nominatim in Indiculo recenseat, nec *Augustinus* ipse eorum in Retractationibus meminerit: satis enim ponderis habet *S. Prosperi* autoritas ad eos Doctori Sanctissimo vindicandos. Cùm enim ille Discipulus fuerit *S. Augustini*, & doctrinam his libris adversùs Pelagianos assertam propugnet contra eos, *Qui aliena instigatione commoti, Scriptorem celeberrimi nominis promptiùs habebant culpare, quàm nosse*, ut ipse profitetur in Præfatione Responsionis ad Capitula Gallorum: cúmque ea, quæ minùs clara his in libris videbantur, exponat in Responsionibus ad Excerpta Genuensium; ex solo ipsius *Prosperi* testimonio evidenter colligitur hos libros esse *S. Augustini* genuinum Opus, quamvis nulla alia id argumenta probarent. Non minùs luculentum profecto pro Summa Theologica *Sancto Thomæ* asserenda testimonium.

Ægidius Romanus, ex gente *Columna* apud Ita-

A los illustrissima oriundus, Ordinis Eremitarum *Sancti Augustini* alumnus, ac Prior posteà Generalis, necnon Bituricensis Archiepiscopus, quem Academia Parisiensis tanti fecit, ut *Doctoris Fundatissimi* honorificum nomen ei detulerit, *S. Thomam Aquinatem* audivit Parisiis Theologiam edocentem, & inter ejus discipulos primarius, illiusque doctrinæ studiosissimus semper fuit. Is igitur nosse facilè potuit an Summa Theologica germanum *S. Thomæ* esset Opus. Fidem ipsi, ut opinor, *D. Launoius* detrahere non audebit. At *Ægidius Romanus* Summam, & Secundam Secundæ vindicat disertè B Angelico Doctori. Quod miror vel ignorasse *Launoium* tantarum literarum virum, vel ipsi succenseo, si dissimulaverit.

Prodierat recèns *Guillelmi Lamarensis* liber, *Correctorium Operum Fratris Thomæ*, inscriptus. Hunc confutavit *Ægidius Romanus* edito libro, qui MS. extat in Bibliotheca Regalis Abbatiæ S. Victoris Parisiensis, quique typis editus est ex MS. in Italia reperto, Coloniæ Agrippinæ. Inscribitur, *Correctorium Corruptorii Fratris Thomæ*, sive *Defensorium Fratris Thomæ*. Porrò eo in Opere *Ægidius* tot defendit loca Doctoris Angelici, quot impugnasse C præmonuimus *Guillelmum Lamarensem*: nempe 49. Articulos ex prima parte, duodecim ex Prima Secundæ, sexdecim ex Secunda Secundæ, nonnullos ex Quæstionibus Disputatis, ex Quodlibetis, & ex primo Sententiarum. Hanc observat methodum Fundatissimus Doctor. Primò repræsentat verba *S. Thomæ*, de quibus ipsi cum *Guillelmo* controversia est, his verbis, exempli gratiâ: *De eo quod dicit Frater Thomas Q. 24. Art. 5. Utrùm charitas augeatur per additionem*, &c. Postmodùm textum Corruptorii subjicit, id est rationes & ipsa verba *Guillelmi Lamarensis* in Correctorio operum *S. Thomæ*, quod *Ægidius Corruptorium* potiùs appel- D landum existimavit. Denique impugnat rationes Adversarii, earumque confutationem subjicit ex ipsa *S. Thomæ* doctrina petitam, his verbis adscriptis: *Responsio ad hæc secundùm Fratrem Thomam*. De Tertia Parte Summæ nihil habet, quia eam non impugnaverat *Lamarensis*, utpote quæ nondum absoluta, recluderetur adhuc in FF. Prædicatorum Cœnobiis, nec publicam adhuc lucem aspexisset.

Summam igitur Theologicam *S. Thomæ* genuinum esse Opus *Ægidius Romanus* agnovit, nec de ejus Autore dubitabat tunc Parisiensis Academia, cujus inter Magistros erat celeberrimus *Ægidius*. E Floruit porrò ante *Clementem Sextum* Fundatissimus Doctor. Creatus enim est Prior Generalis Eremitarum S. Augustini in æde S. Mariæ de Populo, anno 1292. ut testantur *Cornelius Curtius* & *Josephus Pamphilus* ejusdem Ordinis Historiographi; ad Bituricensem Archiepiscopatum provectus est anno 1294. creatus à Bonifacio VIII. Pontifice Maximo, Bullâ Pontificatus sui primâ, qua eum Regi Christianissimo commendavit adversus *Joannem de Savigneio*, à *Cœlestino V.* Archiepiscopum designatum, ut ex Regio Chartulario referunt Clarissimi Sammarthani Fratres Tom. 1. Galliæ Christianæ. *Philippum Pulchrum*, cujus Præceptor fue- F rat, Lutetiam à Rhemensi Unctione advenientem, nomine Universitatis Parisiensis, solemni pompa ingredientem, Sermone luculento salutavit, *Paulo Æmilio* teste lib. 1. de Gestis Francorum. Adfuit Concilio Oecumenico Viennensi adversus Templarios celebrato sub *Clemente V.* Pontifice Maximo anno 1311. Obiit anno 1316. die 22. Decembris, ut constat ex ejus Epitaphio, quod apud Augustinianos Majoris Conventus Parisiensis, quorum in Ecclesiam corpus ejus translatum est, legitur. Cùm itaque *Clemens Sextus* creatus fuerit Pontifex anno duntaxat 1342. constat *Ægidium Romanum* annis

quinquaginta & ampliùs ante Pontificatum *Clementis* floruisse, & Defensorium *S. Thomæ*, in quo Summam Theologicam ipsi asserit, & nominatim Primam Secundæ, & Secundam Secundæ scribere potuisse. En Autorem *Clemente VI.* antiquiorem, *Launoi*, cui præbere debes assensum, nisi datæ palam fidei publicus infractor esse velis.

Verùm antequam *Ægidium Romanum* dimittam, operæ pretium facturum me existimo, si ostendam quanta ejus esset de *Thoma Aquinatis* doctrina opinio, quanta esset Angelicæ doctrinæ in Ecclesia celebritas, nondum licèt inter Cœlites ritu solemni *Thomas* conscriptus esset. Præfationem *Ægidii* in Correctorium Corruptorii legant Operum *S. Thomæ* contemptores malè feriati, ab eoque discant quanta veneratione debeant prosequi Theologorum Principem, Scholarum Angelum, Ecclesiæ Salomonem.

Sed enim sic habet *Ægidii* Præfatio. *Quare detraxistis sermonibus veritatis, cùm è vobis nullus sit qui possit arguere me? Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis. Super pupillum irruitis, & subvertere nitimini amicum vestrum. Respondete, obsecro, absque contentione: & loquentes id quod justum est, judicate. Et non invenietis in ligua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.* Job 6. *Quæstio proposita optimè in persona Fratris Thomæ Doctoris eximii, cujus doctrinâ fulget Ecclesia, potest preponi quibusdam qui ejus doctrinam, immò veritatem quam docuit, depravare nituntur, ipsius sermonibus veritate plenis, & Spiritu veritatis instigante conscriptis, detrahentes. Et hæc ex eorum sententiâ de verbo ad verbum per singulos articulos digestâ, & convenienter ex dictis ejusdem Doctoris exterminatâ, Deo juvante patebit.*

ARTICULUS IV.

Summa S. THOMÆ eidem asseritur, testimonio JOANNIS TEUTONICI Ordinis FF. Prædicatorum.

CElebertimum fuit in Prædicatorum Ordine *Joannis Teutonici* nomen, cujus honorificè meminit *S. Antoninus* Tom. 3. Chronicorum Tit. 23. Cap. 11. §. 2. Hunc alium fuisse necesse est à *Joanne Teutonico*, quem inter Magistros Generales Ordinis nostri idem *S. Antoninus* quartum recenset, qui ante supremam Dominicani Sodalitii susceptam Præfecturam Bossunensis in Ungaria Episcopus fuerat, & dimisso Episcopatu redierat ad Monasterium. Is enim ante *S. Thomam* obiit: quippe Diplomate Pontificio *Gregorii IX.* ad suscipiendum Ordinis regimen compulsus est, anno 1241. ut *S. Antoninus* testatur. *Sanctum Thomam* adolescentem, è Castro in quo à matre & fratribus captivus detinebatur, dimissum Parisios duxit. Duodecim annis & dimidio cùm Ordinem rexisset, ad vitam migravit feliciorem, anno 1254. (*ex S. Antonino.*) Sanctus autem *Thomas* vixit ad annum usque 1274. quo Lugdunense Concilium sub *Gregorio X.* celebratum est. At *Joannes* alter Teutonicus, quem inter Scriptores Ecclesiasticos Ordinis Prædicatorum *S. Antoninus* numerat, *S. Thomâ* posterior fuit. Unde utrumque incautè confudit Possevinus in Apparatu Sacro Tom. 1. Posterior ille *Joannes* eximiæ vir eruditionis, insigne Opus edidit, inscriptum, *Summa Confessorum Joannis Lectoris*: cujus habeo præ manibus Manuscriptum exemplar, quadringentorum annorum ætate venerabile, in quo Summam Theologicam, & nominatim Secundam Secundæ Sancto Thomæ asserit. In Prologo, Operis suscepti rationem affert, scopumque demonstrat, his verbis: *Quoniam dubiorum nova quotidie difficultas emergit casuum; Doctores moderni, tam Theologi, quàm Juristæ, plures casus & legendo, & scribendo determinaverunt, qui in antiquioribus compilationibus non habentur. Ea in quæ priores Scripta reliquerunt, à posterioribus sunt in pluribus emendata, & perfectiùs declarata. Cùm igitur quàm plurimæ quæstiones ad consilia animarum perutiles, diversorum Doctorum per volumina sint dispersæ: Ego Frater Joannes Lector de Ordine Prædicatorum minimus, aliquas ex illis, quas magis utiles judicavi, in unum decrevi colligere, ad meum & aliorum Fratrum profectum.*

Indicat subinde quorum Autorum libros defloraverit hoc ad Opus concinnandum. *Sunt autem*, inquit, *hæc collecta maximè de libris horum Doctorum memorati Ordinis, videlicet Fratris Alberti quondam Ratisponensis Episcopi, Fratris Thomæ de Aquino, & Fratris Petri de Tarentasia, postmodum Summi Pontificis Innocentii V. Magistrorum solemnium in Theologia; item Fratris Udalrici quondam Lectoris Argentinensis. Item ponuntur hic aliqua de Summa Gaufredi, & plura de Summa Domini Ebredunensis, qui postmodum fuit Cardinalis Ostiensis.*

Quod spectat verò *S. Thomam*, cujus doctrinam secutus est, cujusque verba nullâ ferè in sui Operis quæstione non laudavit, hæc observanda lectoribus præmonet: *Sed & hoc considerandum est, quod cùm Secunda pars Secundæ de Summa Fratris Thomæ prædicti quasi pro majori parte sit moralis & casualis,* * *plurima de illa sumpga in hoc Opusculo posui: & ideò ubicumque solùm dicitur: Responsio senndùm Thomam in Summa, vel simile, nullo addito, semper intelligendum est de Secunda Secundæ, nisi alia Pars specialiter exprimatur.*

* Id est, de Conscientiæ casibus.

Quæstione prima libri primi, ubi expendit quid sit Simonia, postquàm præmisit definitionem istius criminis, nimirum esse studiosam voluntatem emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel annexum spirituali, citat Thomam in Summa Q. c. Articulo 1. & infrà: *Thomas*, inquit, *in Summa*, *Articulo* 1. *Argumento* 1. *se expedit de hoc dicens; Quod sicut anima vivit secundùm seipsam, corpus autem vivit ex unione animæ, ita quædam sunt spiritualia secundùm seipsa, ut Sacramenta, & alia hujusmodi; quædam autem spiritualia ex hoc quòd spiritualibus adhærent.* Quod si legisset Magister *Launoius*, non dubitasset utrum Summa, & Secunda Secundæ, sit S. Thomæ; nec verba ejusdem S. Doctoris in illo Articulo, in responsione ad 6. argumentum referens, *ironias* suam sic enunciasset: *Sanctus Thomas, vel quis alius sub ejus nomine.* Cessisset autoritati Scriptoris *Clemente VI.* antiquioris, imò & *Joanne XXII.* Hujus enim ante Pontificatum floruisse in Ordine FF. Prædicatorum *Joannem* Lectorem, ex eo compertum est, quod nedum *Thomas* inter Cœlites ritu solemni Canonizationis adscriptus esset, cùm Summam Confessorum scriberet: unde simpliciter ab ipso vocatur *Frater Thomas de Aquino.* Idem constat ex Autoribus quos laudat *Joannes* noster, qui omnes ante annum 1300. vita functi sunt, adeòque annis 42. ante *Clementis VI.* Pontificatum, sexdecim ante *Joannis XXII.* creationem: Sanctus enim Raymundus obiit anno 1275. *Innocentius V.* successit *Gregorio X.* anno 1276. & obiit quinto mense Pontificatus. Hostiensis obiit anno 1271. *Albertus Magnus & Udalricus* ejus discipulus anno 1280. Cùm igitur nullos Autores antiquiores laudet Lector *Joannes*, verisimile est ipsum scripsisse paulò post annum 1300. adeòque annis 42. circiter

ter ante Clementis VI. Pontificatum. Quæ cùm ita sint, Launoi, cede *testimonio veritatis ubique obtinentis principatum.*

Tertull. lib. de Præscript.

ARTICULUS V.

Summam Sancti THOMÆ ejusdem esse germanum Opus, evincitur testimonio NICOLAI TRIVETTI.

ADeamus *divisos toto orbe Britannos*, ut Nicolaum Trivettum audiamus, Londinensis Prædicatorum Conventus alumnum, splendore natalium illustrem, vitæ sanctimonia conspicuum, eruditionis varietate clarum, Poëtam, Rhetorem, Historicum, Mathematicum, Philosophum, & Theologum insignem, ut testatur Joannes Pitseus libro de Illustribus Angliæ Scriptoribus. Nec ideò parvifacienda est *Trivetei* hac in caussa autoritas, quia de re domestica scribit: alioqui & detrahenda fides esset S. Gregorio Nazianzeno, Gregorii patris, Cæsarii fratris, & sororis Gorgoniæ præclarè gesta commendanti, & multis aliis Patribus domesticas suorum virtutes prædicantibus. Scrupulo tam injusto Græcorum Theologus respondet Oratione II. in Funere sororis Gorgoniæ habita. *Sororem laudans*, inquit, *domestica prædicabo, non tamen quia domestica, ideò falsò, sed quia vera, ideò laudabiliter. Vera autem non modo quia justa, verùm etiam quia nota, &c.*

Trivettus porrò noster Scriptor *S. Thomæ* coævus, in Chronico quod in lucem edidit ex Bibliotheca Viri Clarissimi Emerici Bigotii *D. Lucas Acherius* Tom. 8. Spicilegii, ad ann. 1274. ubi de primo Concilio Lugdunensi Oecumenico sermonem fecit, meminit obitûs S. *Thomæ*, indicem texit ejus Operum, & germanos à spuriis partus accuratè discernit. *In via*, inquit, *versus istud Concilium Venerabilis Doctor Frater Thomas de Aquino, de Ordine Prædicatorum, in quadam Abbatia Monachorum Cisterciensium, quæ dicitur Fossa-Nova, diem clausit extremum, cujus acutissimum ingenium, excellentemque scientiam laudibus extollere privatis supervacuum judicamus, cùm sapientia ejus tam publica sint monumenta, ut DOCTOR communiter à Viris Scholasticis nuncupetur. Hic natione Apulus, filius Comitis de Aquino, invitis parentibus qui eum monachari nolebant, Prædicatorum Ordinem est ingressus, in quo tantum profecit, ut missus ad Parisiense Studium, Doctoris fungeretur officio, quo inter alios, velut Luna plena inter stellas clariùs noscitur effulsisse; qui non tantum verbo præsentes, sed etiam absentes Scriptis laboriosè & perutiliter editis, studuit informare.*

Deinde Indicem Operum ipsius conscribit hoc modò. *In primis super libros Sententiarum quatuor Scriptum fecit, scripsit & primam partem de Quæstionibus Disputatis de Veritate, & ultrà, quas Parisius disputavit. Item secundam partem de Quæstionibus Disputatis de Populo Dei, & ultrà, quas in Italia disputavit. Item & tertiam partem de Quæstionibus Disputatis, quarum initium est de Virtutibus, quas disputavit cùm secundò Parisius legeret. Item disputationes undecim de Quolibet, quarum sex Parisius, & quinque determinavit in Italia. Item contra Gentiles quatuor libros scripsit. Item Summam Theologiæ, quam in tres partes divisit, & Secundam in duas partes. Morte autem præventus, Tertiam totius & ultimam non complevit. Quatuor Evangelia continuata expositione de dictis Sanctorum glossavit: literalis etiam expositionis in Job edidit librum unum; super Epistolam verò ad*

Quæ germana Opera S. Thomæ. Opera Theologica.

Quæstiones illæ de Populo Dei inscribuntur De spiritualibus creaturis, nisi forsè restituendum esset De Potentia Dei, quod verisimilius est.

Summa S. Thomæ.

Catena Aurea.

A *Romanos, & super decem Capitula Epistola ad Corinthios. Item super Isaiam, Jeremiam, & Threnos Postillas conscripsit. Libros Dionysii de Divinis Nominibus, & Boetii de Hebdomadibus exposuit; sed super librum ejusdem de Trinitate expositionem inchoatam nequaquam perfecit. Exposuit etiam libros Philosophia plurimos, putà Physicorum libros octo completè, Cæli & Mundi primum, secundum & tertium Meteororum, primum & secundum de Anima, secundum & tertium de Generatione & Corruptione, libros duos de Sensu & Sensato, de Memoria & Reminiscentia. Ethicorum libros, decem Metaphysica, duos libros Posteriorum, &* B *primum Periermenias, principiumque secundi edidit, & Tractatus diversos, putà de fide, spe, & charitate, ad Fratrem Reginaldum socium suum. Item ad eundem de substantiis separatis. Item contra Magistrum Willelmum de Sancto Amore, & impugnantes Religionem tempore Alexandri Papæ. Item de occultis operibus naturæ. Item in quibus licitè potest homo uti astrorum judiciis. Item de principiis naturæ, ad Fratrem Silvestrum. Item de Regno, ad Regem Cypri. Item de rationibus fidei, ad Cantorem Antiochenum. Item de perfectione vitæ spiritualis, contra* C *Magistrum Geroldum. Item contra doctrinam Geroldinorum & Retrahentium à Religione. Item de Sortibus, ad Dominum Jacobum de Bonoso. Item de forma Absolutionis Sacramentalis, ad Magistrum Ordinis. Item ad Urbanum* [b] *Papam contra errores Græcorum. Item declarationem triginta sex quæstionum, ad Lectorem Venetorum. Item declarationem quatuor quæstionum, ad Magistrum Ordinis. Item declarationum sex, ad Lectorem Bisuntinum. Item de Ente & Essentia, ad Fratres & Socios suos. Item de mixtione elementorum. Item de motu cordis, ad Magistrum Philippum de Castro Cæli. Item de unitate intellectus contra Averroistas. Item de æternitate Mundi contra murmurantes exposuit, & primam Decretalem de Fide Catholica, & secundam,* D Damnamus, *ad instantiam Archidiaconi Tridentini. Fecit & Tractatum de Articulis Fidei, & de Sacramentis Ecclesiæ, ad Archiepiscopum Panormitanum.*

Hæc inter Opuscula duo saltem libri posteriores *De Regimine Principum*, non sunt *S. Thomæ*. Nam *Rodolphi, Adolphi*, & *Alberti* Imperatorum Autor meminit lib. III. Cap. XX. a. S. Petrum Christi Successorem vocat: Cap. X. *Dominus*, inquit, *utitur in Joanne quadam importuna interrogatione, ter quærens à suo Successore B. Petro, quòd si ipsum diligit, gregem pascat.* Porro id non dixisset E Princeps Theologorum, quo nemo locutus est accuratiùs. Noverat enim *Christum, eò quòd manet in æternum, sempiternum habere Sacerdotium*; ut ait Apostolus ad Hebreos scribens: adeòque Successorem non habere, sed Vicarium duntaxat in terris. 3. Summo Pontifici tribuit ea quæ soli Christo conveniunt, quòd nimirum habeat plenitudinem gratiarum, ac de ejus plenitudine omnes accipiant: ab eoque temporalis etiam potestas Principum derivetur. *Oportet dicere*, inquit, *in Summo Pontifice esse plenitudinem omnium gratia-* F *rum, quia ipse solus confert plenam Indulgentiam omnium peccatorum, ut competat sibi quod de primo Principe Domino dicimus, quia De plenitudine ejus omnes nos accepimus. Quod si dicatur ad solam referri spiritualem potestatem, hoc esse non potest. Quia corporale & temporale ex spirituali & perpetuo dependet, sicut corporis operatio ex virtute animæ. Sicut ergo corpus per animam habet esse, virtutem, & operationem: ita & temporalis Jurisdictio Principum per spiritualem Petri & Successorum ejus... Meritò Summus Pontifex Romanus Episcopus dici potest Rex & Sacerdos. Si enim Dominus noster Je-*

Quæ genuina S. Thomæ in Aristotelem Commentaria.

Opuscula S. Thomæ, quæ germana?

Alexand. IV.

Opusculum de Regno ad Regem Cypri, seu de Regimine Principum: cujus tamen duos tantum priores libros ex illium esse S. Thomæ.

[b] Urbani IV.

est, *Beati Thomæ Ordinis dicti apud Latinos Fratrum Prædicatorum, de Fidei Catholicæ veritate contra Gentes; liber primus, translatus ex lingua Latina in Græcam à Demetrio Cydonio.* Quatuor libri integri extant. Fuit autem *Demetrius Cydonius* patriâ Thessalonicensis, vel Byzantinus, ut alii volunt, vir doctus æquè ac sanctus, Græca Latináque facundia præditus, qui in Italiam se contulit, *ut literas quasi toto orbe fugientes persequeretur*, quod de *Platone* scripsit *Sanctus Hieronymus*. Ipsum vita functum fuisse ab annis ferè ducentis scribit *Raphael Volaterranus* lib. 15. Commentariorum Urbanorum. Hos porrò Commentarios *Julio II.* Pontifici Maximo nuncupavit, qui Papa creatus est anno Domini 1503. Ab hoc autem anno retrogradiendo ad annos abhinc ducentos, invenitur annus 1303. Hoc igitur circiter tempore floruit *Demetrius Cydonius*. En proinde adhuc Authorem Clemente VI. antiquiorem, quo teste Summa Theologica, & in primis ejusdem Summæ Secunda Pars *Sancto Thomæ* asseritur. *Demetrii Cydonii* sua in Historia honorificè meminit *Cantacuzenus*, ut sanctissimi doctissimique viri, ejusque amicitiâ gloriatur. Vixit autem & ante *Clementis VI.* inaugurationem multis annis, & sub *Clementis* ipsius Pontificatu *Cantacuzenus*, postquam deposuit Imperium, quod summâ perfidiâ invaserat adversùs Imperatorem *Calo-Joannem Palæologum*, & purpuram cum veste Monastica commutavit. Unde necesse est *Demetrium Cydonium* vel antiquiorem fuisse *Clemente VI.* & ante ipsius Pontificatum versionem Secundæ Partis Summæ Sancti Thomæ in Græcam linguam adornasse, quod est verisimilius; vel saltem *Clementi* fuisse coævum. Tunc igitur Summa *S. Thomæ* inscripta, & Secunda Pars Summæ, Angelici Doctoris genuinum Opus apud Italos habebatur, & à Græcorum peritissimis legebatur, agnoscebaturque ut partus *S. Thomæ* dignissimus.

ARTICULUS VII.

Theologiæ Summam, S. THOMÆ esse germanum Opus, testantur DURANDUS, DURANDELLUS, & HERVÆUS NATALIS.

Durandus Aniciensium Episcopus factus est anno 1318 quo tempore adhuc in minoribus erat constitutus Petrus Rogerius, qui postea fuit Summus Pontifex Clemens VI. Translatus est verò ad Episcopatum Meldensem an. 1327 quo tempore necdum Episcopus erat Petrus Rogerius, sed tantum Fiscanensis Abbas.

D*Urandus* à S. *Portiano*, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, Sacri Palatii Magister, tum Aniciensium & Meldensium tandem Episcopus, doctrinam S. *Thomæ* à se primum propugnatam, acerrimè postea impugnavit. Extat ejus in Sententiarum libros MS. duplex in Bibliotheca Regalis Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis. In illorum Codicum altero Præfatio extat, quæ Summam Theologicam S. *Thomæ* tribuit. Hanc vidit Magister *Launoius*; & tanti ponderis oppressus testimonio, Authoris scilicet *Clementi VI.* supparis, utpote qui anno 1318. floruerit, celebrisque fuerit Theologos inter Parisienses; illam fortè Præfationem adtitiam esse respondit; nec à *Durando* ipso conscriptam. O nimiùm audacem Conjectorem! Si ita divinare liceat: quidni & similibus suspicionibus ductus, confidenter dicam; Fortè oscitantiâ Exscriptoris Sermonum *Clementis VI.* in Operum S. *Thomæ* enumeratione ab eo Pontifice facta, omissa est Summa Theologica. Fortè *Launoius* ariolatur, cùm Præfationem forsan affictam *Durando* asserit: Fortè senilis ætatis propriæ suspiciones, validarum ipsi loco sunt rationum.

Verùm in re tam seria jocari nolim, licèt *Launoii* plura sint *sic digna revinci, ne gravitate adorentur. Vanitati enim propriè festivitas cedit: congruit & veritati ridere, quia lætans; de æmulis suis ludere, quia secura est*, ut ait *Tertullianus* lib. adversus Valentinianos. Cap. 6.

Durandi ætate Summam Theologicam agnitam fuisse ut germanum *Sancti Thomæ* partum, constat ex *Durandello* ipsius nepote, qui communem Ordinis Dominicani Magistrum adversùs avunculi sui impugnationem defendit, acris viri ingenii & singularis eruditionis. Extat ejus Opus MS. in Bibliotheca Victorina, cujus Præfatio sic incipit: *Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti, & tacui. Existimasti inique quòd ero tui similis. Arguam te, & statuam contra te faciem tuam.*

Extat in eodem Codice MS. aliud Opus ejusdem Authoris contra corrumpentes doctrinam S. Thomæ, in quo Anti-Thomistæ frequentibus testimoniis ex Prima Parte, ex Prima Secundæ, & ex Secunda Secundæ desumptis revincuntur. Hujus Operis titulus in prima Codicis pagina sic se habet: *Responsiones contra corrumpentes doctrinam Thomæ scriptam in diversis partibus Summarum Thomæ, & Quæstionibus Disputatis, & in Quodlibetis ab eodem: & sunt istæ responsiones elicitæ ex dictis ejusdem Thomæ in eisdem libris, scilicet in Prima Parte Summæ*, 187. *in Prima Secunda*, 226. *in Secunda Secunda*, 235. Quæ notæ numerales indicant paginas istius Codicis, in quibus incipit doctrinæ S. Thomæ in illis Summæ Theologicæ partibus traditæ defensio.

His adjungendus est *Hervæus Brito*, Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, qui circa annum 1307. floruit inter Theologos Parisienses. Is in 1. Sententiarum Dist. 17. Quæst. 4. recensens quorumdam Theologorum opinionem, qui qualitates intendi secundùm essentiam negabant, de ipsa sic pronuntiat: *Si sic intelligatur, quòd in essentia talium formarum non sit realiter loquendo aliqua latitudo graduum, sic quòd albedo intensa essentialiter non sit perfectior quàm remissa; credo esse falsum, nec sic intellexit S. Thomas, cùm ipse in Secunda Secundæ, Quæstione vigesima quarta, Articulo quo quærit utrùm charitas augeatur, dicat quòd dicere charitatem augeri secundùm radicationem in subjecto, & non augeri seipsâ secundùm essentiam, est ignorare propriam vocem.*

Et Quæstione 1. Dist. 42. ubi quærit utrùm Deus possit dispensare in Præceptis Decalogi, ait: *Venerabilis Doctor Sanctus Thomas de Aquino videtur secundùm verba exteriora tenere in tertio Sententiarum, & in Prima Secunda oppositum ejus quod dicit in isto loco.*

Et in IV. Distinct. 11. Quæst. 2. laudat S. *Thomam* Tertia Parte. Igitur *Hervæus* Summam Theologicam existimavit esse Sancti Thomæ; eaque tunc erat Parisiensis Academiæ, & totius Ordinis Dominicani sententia. Nondum porrò in album Sanctorum relatus erat Doctor Angelicus, cùm *Hervæus* scribebat: unde ipsum vocat tantùm Reverendum & Venerabilem Doctorem; & nomen Sancti proculdubio additum est ab iis qui istius Authoris Opera in lucem edi curaverunt. Vivere namque desiit *Hervæus Natalis* anno Christi 1323. paulò ante solemnem Beati *Thomæ* Canonizationem.

En tres ante *Clementis VI.* Pontificatum, imò ante *Sancti Thomæ* solemnem inter Cœlites relationem, testes omni exceptione majores, doctrinæ singularis famâ conspicuos, vel Episcopalibus Infulis, vel suprema sui Ordinis Præfectura, vel Laurea Doctorali spectatissimos, qui Summam Theologicam, & Secundam Secundæ *Sancto Thomæ*

Aquinati asserunt ceu legitimo parenti. Unum duntaxat postulabat D. Launoius *Clemente VI.* antiquiorem, ipsi ultra vota fecimus satis. Nobis itaque de nostra in ipsum liberalitate gratuletur, & compertam impugnare desinat veritatem.

ARTICULUS VIII.

Summa Theologica asseritur S. THOMÆ, testimonio JOANNIS DE TAMBACO.

QUò magis hoc in Opere progredior, eò magis doleo Launoiani ingenii indolem, & insanabile contradicendi cacoëthes, quo impulsus est ad tam inanem dubitationem de Summa Theologica S. *Thomæ* proponendam. Enimverò tres adhuc, si non antiquiores *Clemente VI.* ipsi certè suppares, Authores proferam, qui ipsius tam indigno scrupulo mederi debuissent. Hos inter primus occurrit *Joannes de Tambaco*, Ordinis Prædicatorum Theologus, Provinciæ Teutonicæ, nationis Alsaciæ, Conventus Argentinensis, Collegii Pragensis ejusdem Ordinis in Provincia Boëmiæ Primarius Regens, qui vivebat anno Christi 1320. ac proinde antequam S. Thomas inter Sanctos ritu solemni relatus esset. Is inter alia eximiæ eruditionis Opera conscripsit librum *De Culpa & Gratia*, cujus optimæ notæ MS. Codicem haben præ manibus in Bibliotheca Majoris hujusce Conventus Parisiensis. Hoc porrò in libro Quæstione 2. in qua expendit utrùm aliqua operatio hominis facta propter finem alium à Deo possit esse bona moraliter, laudat S. Thomam Prima Secundæ Quæstione 65. Artic. 2. dicentem, *Quòd virtutes morales operativa boni in ordine ad finem ultimum supernaturalem perfectè, & verè, ac simpliciter habent rationem virtutis; & quòd sola virtutes infusa sunt hujusmodi dicenda, scilicet perfectè & simpliciter, quia bene ordinant homines ad finem ultimum simpliciter, & quòd alia virtutes, scilicet acquisita, quia ordinant homines non in finem ultimum simpliciter, sed in finem ultimum in aliquo genere, sunt secundùm quid virtutes, & non simpliciter. Quod*, ut notat Joannes de Tambaco, *Thomas dicit indistinctè de virtutibus acquisitis, sive sint Gentilium, sive Christianorum.*

Ibidem laudat S. Thomam in Secunda Secundæ, Quæstione 23. Artic. 7. dicentem quòd virtus vera simpliciter *est illa qua ordinat ad principale bonum hominis, sicut Philosophus in 8. Ethicorum dicit, quòd virtus est dispositio perfecti ad optimum. Unde si accipiatur virtus secundùm quòd ordinatur ad aliquem finem particularem; si id bonum particulare sit verum bonum, putà conservatio civitatis, vel aliquid hujusmodi, est quidem vera virtus, sed imperfecta, non relata ad finale & perfectum bonum.* Plura alia ejusdem Autoris testimonia proferre possem, quibus ea ætate, scilicet viginti duobus ante Clementis VI. Pontificatum annis, agnitam fuisse constat ab omnibus Summam Theologicam, quæ nomen S. *Thomæ* præfert ut ejusdem Angelici Doctoris germanum Opus: sed hæc sufficiunt ad *Launoii* dubitationem explodendam.

ARTICULUS IX.

Summa Theologica asseritur S. THOMÆ, testimonio ASTESANI ASTENSIS.

ASTESANUS *Astensis*, (quæ civitas in Subalpinis, Asta sive Hasta olim colonia dicta, sesquidiei, aut bidui itinere Mediolano distat) Ordinis FF. Minorum insignis Theologus, floruit anno Christi 1330. duodecim ante *Clementis VI.* creationem annis, ut scribit *Possevinus*. Ipsum verò anno millesimo trecentesimo decimo septimo absolvisse *Summam de Casibus*, constat ex ipsius Epistola ad Eminentissimum Cardinalem *Joannem Gaietanum*. Eo in Opere, quod octo in libros distributum est, quodque præ manibus habeo, Venetiis excusum anno 1478. Summam Theologicam, & nominatim Secundam Secundæ agnoscit ceu S. *Thomæ* germanum Opus, & ex ea multa laudat sub Thomæ nomine.

Adhuc in minoribus constitutus erat Petrus Rogerius, qui postea Clemens VI. cùm Astesanus Summam absolvit.

In Proœmio Operis recenset Doctores venerabiles, ex quorum Scriptis collectionem suam se adornasse profitetur, scilicet ex Ordine Minorum Fratrem [a] Alexandrum de Anglia, Fratrem [b] Bonaventuram, Fratrem Guillelmum Anglicum de Mara, F. Gualterum, Episcopum Pictaviensem, F. Richardum de Mediavilla, F. Joannem Scotum, F. Alexandrum de Alexandria: tum exteros, quos desloravit, Authores indicat his verbis: *De alio autem Ordine fuerunt duo, scilicet de Ordine Prædicatorum, Frater Thomas de Aquino, etiam famosissimus, & Frater Petrus de Tarentasia, qui fuit etiam Papa.* In Operis verò corpore identidem S. Thomam laudat *Secunda Secundæ*. Sic lib. 5. Quæst. 8. *Contigit quandoque*, inquit, *quòd venditor credit rem suam esse minus speciosam quoad speciem, ut si vendat aurum loco auricalci, emptor hoc sciens injustè emit, & ad restitutionem tenetur. Et similiter est de defectu quantitatis & qualitatis. Hæc Thomas Secunda Secundæ Quæst. 77. Art. 2.* Et Quæst. 11. ejusdem libri, cùm sibi objecisset quòd pecuniam dans mutuò alteri pignus accipere potest pro pecunia, ut domum, vel agrum; respondet, quòd *tunc mutuans, usum illius pignoris in sortem computare tenetur; aliter usuram committit, nisi fortè esset talis res cujus usus inter amicos sine pretio concedi solet, ut patet de libro commodato, secundùm Thomam Secunda Secundæ, Quæst. 78. Art. 2.* Et lib. 6. Quæst. 47. agens de ingressu Religionis, quinquies *Thomam* citat *Secunda Secundæ*.

[a] Alexander Alensis.
[b] S. Bonaventura.

Sed in primis notandum est quòd Quæstione 55. ejusdem libri, verba ipsa quorum occasione *Launoius* dubitationem suam sic proposuit, *Beatus Thomas, vel alius quis sub illius nomine, in Secunda Secundæ, Quæstione c. Artic. 5. ubi ad septimum ità respondet*, &c. Verba, inquam, illius responsionis *Beato Thomæ*, non verò alteri qui sub illius nomine delitescat, tribuit Astesanus. *Unde*, inquit, *Papa non liceret accipere pecuniam pro aliqua re spirituali, sicut nec alteri homini, immò tantò peccaret graviùs, quantò locum majorem obtinet. Licèt enim res Ecclesiæ sint ipsius ut Dispensatoris principalis: non tamen sunt ipsius ut Domini & possessoris. Et ideo dicit Thomas, quòd si reciperet pecuniam pro aliqua re spirituali, sive de bonis Ecclesiæ, sive de bonis aliis, non careret vitio Simoniæ.*

His *Astesani* testimoniis non tantùm *Launoius* hæsitans, verùm etiam Hispanus quidam Minorita, *Petrus de Alva* nuncupatus, revincitur, qui Summam

A mam Theologicam non esse *S. Thomæ* confidentiùs asseruit. Revincitur & alter ejusdem Ordinis Scriptor æquè audax, qui *Joannis Duns Scoti* Apologiam contra *Bzovium* edidit, illius in IV. Sententiarum libros Commentariis præfixam, in qua *S. Thomam* Secundam Secundæ maxima ex parte ab *Alexandro Alensi* piè furatum esse effutiit. Auscultent inverecundi illi Scriptores Minoritas doctissimos, & *Sancti Thomæ* temporibus proximos, qui Summam Theologicam, & imprimis Secundam Secundæ ipsi tribuunt, & præcipuè Astesanum, qui cùm *Alexandrum Alensem*, & *S. Tho-* B *mam* laudet frequentiùs, eorumque in Quæstionibus Moralibus verba referat, nusquam *Alexandro* tribuit, quæ asserit *Thomas*; imò Secundam Secundæ laudat ut ipsius Beati Thomæ germanum Opus. Næ igitur sugillanda meritò illorum tenebrionum temeritas, qui *S. Thomam* plagii accusare non verentur, æmulationis æstu in transversum acti. Aliud longè sentiet de Angelico Doctore, qui Summam ejus legerit, qui Secundæ Secundæ cum aliis partibus consensionem connexionemque animadverterit mirificam, qui humillimum Doctorem aliorum dicta nusquam usurpasse notaverit, C (quod cuique ejus Opera legenti facillimum est) nisi laudatis Authoribus.

ARTICULUS X.

Summa Theologica vindicatur S. THOMÆ, testimonio BARTHOLOMÆI PISANI.

Bartholomæus Pisanus, Ordinis Prædicatorum Professor, Summam Casuum Conscien- D tiæ edidit, quæ *Magistrutia*, seu *Pisanella* nuncupari solet, circa annum 1335. aut 1338. ut *Possevinus* ex Trithemio notat, adeóque quatuor aut septem annis ante *Clementis VI.* Pontificatum. Laudat in omnibus fermè Articulis *S. Thomam*, ejus verba refert, sententiam sequitur, centies ejus testimoniis ex Secunda Secundæ petitis autoritatem suis assertionibus conciliat. Titulo 2. de Simonia, hanc inter alias Quæstionem proponit, *Utrùm Papa possit committere Simoniam?* quam sic solvit. *Respondeo secundùm Thomam Secunda Secunda, Quæstione centesima, Papa potest, sicut & quilibet alius,* E *& tantò graviùs, quantò in altiori gradu consistit. Res enim Ecclesiæ non sunt ejus ut Domini, sed ut Dispensatoris. Unde si pro aliqua re spirituali reciperet pecuniam aliquam de redditibus alicujus Ecclesiæ, Simoniacus esset. Similiter si pro re spirituali reciperet pecuniam ab aliquo Laico, non de rebus Ecclesiæ.* Verba ipsa sunt à *Launoio* prolata in lib. De Romanæ Ecclesiæ circa Simoniam Traditione, Observatione 8. ubi dubium suum de Autore Summæ Theologicæ *Sancto Thomæ* inscriptæ sic exponit: *Beatus Thomas, vel alius quis sub illius nomine, in* F *Secunda Secunda Quæst.* c. *Artic.* 1. *ubi ad septimum ita respondet*, &c. Constat itaque ex *Bartholomæo Pisano*, Summam Theologicam, & Secundam Secundæ, germanum esse Angelici Doctoris Opus. Cùm igitur *Primam Instrumentis auctoritatem antiquitas vindicet*, (ut ait *Tertullianus* Apologetici Cap. 19.) & *Pisanus*, aliique omnes huc usque à me laudati, Clemente VI. antiquiores sint, vel ipsi coævi, illique disertè asserant Summam Theologicam *Sancto Thomæ*, quam nec ipsi laudatus Pontifex abjudicat, majoris est autoritatis ipsorum ad id asserendum conspiratio tanta, quàm *Clementis VI.* silentium.

ARTICULUS XI.

Summa Theologica S. THOMÆ asseritur Testimonio S. ANTONINI, ex quo Index Operum Ipsius texitur.

Etsi integro pene sæculo à *Clemente VI.* distet *S. Antoninus*, Florentinus Archiepiscopus, traditionis tamen de Summa *S. Thomæ* in Ordine Dominicano conservatæ congruus testis accedet III. P. Chronicorum, Tit. XVIII. Cap. 2. §. 1. ubi Operum ipsius Indicem texit. *Scripsit*, inquit, *Summam Theologiæ Doctor Angelicus, quam tripartivit in Naturalem, Moralem, & Sacramentalem ... Secundam Partem Summæ distinguit in duo Volumina, & primum dicitur Prima Secunda, id est prima pars secundæ partis: Aliud allegatur, Secunda Secunda ... Ipsa Summa majoris est auctoritatis, & magis allegatur.*

Et §. 11. *Idem Doctor fecit super IV. libros Sententiarum Scripta IV. ... Cúmque post tres annos sui Magisterii rediisset in Italiam, tempore Urbani Papæ existens Romæ scripsit iterum super Primum Sententiarum, sicut testatur in Chronico suo D. F. Ptolomæus Episcopus Torsellanus, qui ex discipulis ejus fuit, & auditor, asserens se vidisse illud in Conventu Lucano. Quod nunc non invenitur. Scripsit & librum qui intitulatur, Summa contra Gentes: quem in IV. libros distinxit, in uno tamen Volumine. Est autem Opus hoc stylo disertum, & rationum novitate & subtilitate profundum .... Scripsit insuper ad mandatum Urbani Papæ IV. Opus insigne super IV. Evangelia, miro contextum ordine, ex dictis & auctoritatibus SS. Doctorum ... Fertur quoque fecisse Expositionem super Evangelia Dominicalia totius anni, quæ vix aut rarissimè invenitur. Ego credo me vidisse, sed talem, quòd (ut mihi videtur) est excerpta ex prædicto Opere super Evangelia quatuor. Mandante quoque eodem Urbano, composuit totum Officium tam diurnum quàm nocturnum Festi Corporis Christi, ac etiam Missæ. Scripsit quoque Postillam super Evangelium Joannis, maxime super V. Capita, stylo proprio. Residuum dicitur reportasse Frater Reginaldus Socius ejus, ipso legente, quod postmodum idem Doctor correxit, & approbavit. Scripsit etiam Postillam super Epistolas Pauli ad Romanos, ad Corinthios, ad Hebræos, usque XI. Capitulum. Et super alias Epistolas Pauli reportata sunt per prædictum Reginaldum Socium ejus post ipsum legentem: quas idem Doctor fertur postea correxisse. Scripsit Postillam super Isaiam, quæ raro invenitur ... Scripsit super Job ad literam, quod nullus Doctor priùs attentaverat. Nam Gregorius Magnus Expositionem fecerat moralem potiùs quàm literalem pulcherrimam. Nicolaus de Lyra post eum exposuit, ab ipso multa furatus: & aliter contra eum impingens, sed sine ratione. Scripsit etiam super Jeremiam & Threnos, & super Cantica Canticorum, multùm tamen breviter & ad literam. Circa finem vitæ scripsit super tres Nocturnos Psalterii. Frater Reginaldus dicitur reportasse ipso legente Postillam quæ incipit:* In omni opere dedit Confessionem. *Lecturam quoque super Matthæum, quæ defectiva est, dicitur reportasse F. Petrus de Hadria. Item super librum de Anima primum F. Reginaldus reportavit.*

Scripsit etiam Doctor non parva Volumina Quæstionum, quæ intitulantur, Quæstiones de Veritate. Item Quæstiones de Potentia Dei. Item Quæstiones de Anima. Item Quæstiones de Virtutibus. Item Quæstiones de Malo. Item Quæstiones de Spiritalibus

bus Creaturis. Item scripsit duodecim Quodlibeta disputata.

Scripsit etiam super Philasophiam Aristotelis, super libros Physicorum, super Metaphysicam, super libros de Cælo & Mundo, super librum de Generatione & Corruptione, super libros duos Meteororum, super secundum & tertium de Anima, super librum de Sensu & Sensato, super librum de Memoria & Reminiscentia, super librum Ethicorum, super quatuor libros Politicorum, super librum de Causis & Propositionibus Procli, super librum primum & secundum Posteriorum, & super librum Perihermenias.

Scripsit etiam diversos Tractatus & Libellos ad instantiam diversarum personarum, qua ei mittebant dubia, & ipse eis de veritate dabat responsa: Qui Tractatus recollecti in unius Voluminis corpus, efficiunt ipsum satis magnum, & intitulantur communiter: Opuscula Beati Thoma. Sunt autem numero circiter quadraginta ... Sunt ergo hi Tractatus: De Principiis natura, ad Fratrem Silvestrum. De quatuor Oppositis. De Principio Individuationis. De natura Instantis, seu de Instantibus. De Verbo seu natura Verbi. De Natura Verbi Intellectûs. De Motibus naturalibus corporis, seu de operationibus & actionibus occultis natura. De Motu Cordis. De Quidditate Entium, seu de Ente & Essentia. De Fallaciis. De Angelis. Contra errores Averroistarum de unitate Intellectûs. De Sortibus. De Judiciis Astrorum. De Regimine Judaorum, ad Ducissam Brabantia. Tractatus Responsionum ad quadraginta duos Articulos, ad Magistrum Ordinis. Tractatus in quo continetur Responsio ad multos Articulos, ad Fratrem Gerardum Lectorem Bisuntinum. Tractatus in quo continetur responsio ad triginta sex Articulos, ad Lectorem Venetum. Tractatus ad Urbanum Papam contra errores Gracorum. Tractatus de Regimine Principum, ad Regem Cypri. De Propositionibus Modalibus. De Æternitate mundi. Expositionem Symboli. Expositionem Salutationis Angelica. Expositionem Orationis Dominica. De Articulis Fidei, & Ecclesia Sacramentis. Brevis Declaratio quorumdam Articulorum, quos impugnant Graci, Armeni, & Saraceni, ad Cantorem Antiochenum. Expositio prima Decretalis De Summa Trinitate & Fide Catholica. De Perfectione Vita Spiritualis. De forma Absolutionis Sacramentalis. De mixtione elementorum. Expositio libri Boetii de Hebdomadibus. Tractatus super librum Boetii de Trinitate. Tractatus continens Expositionem librorum Dionysii de Divinis Nominibus. Tractatus contra Impugnantes Religionem, pracipuè Mendicantium. De Perfectione Christiana Religionis. Compendium Theologia, ad Fratrem Reginaldum. De Praceptis. De Fato.

Subdit S. Antoninus: *Et ex his patet quòd Postilla super Genesim, & super Ecclesiastem, quas vidi sibi intitulatas, & Compendium quoddam Theologia, quod incipit:* Theologicæ Facultatis, *quod etiam B. Thoma aliqui intitulant, non sunt ejus: cum non connumerentur inter supra dictos. Compendium enim quod B. Thomas edidit, de quo supra facta est mentio, aliter incipit, & est multò brevius, & de paucis tractat. Sed illud quod incipit:* Theologicæ: *de omnibus penè brevissimè tractat materiis Theologia. Sed nec Alberti Magni est, ut alii quidam dicunt; sed cujusdam alterius doctissimi viri, qui dictus est Frater Thomas.*

ARTICULUS XII.

Summam Theologicam germanum esse S. THOMÆ partum probatur ex fide Manuscriptorum omnium, & ex tatius Ordinis Prædicatorum perpetua, & à nullo unquam impugnata Traditione.

Consulendos in primis esse vetustissimos Codices Manuscriptos, ubi judicium de alicujus Operis Autore ferendum est, res est ab omnibus Criticis confessa. Cùm itaque omnes Codices MSS. alicujus Operis illud alicui Autori adscribunt, ejusque nomen præferunt summo consensu, jure colligitur illius partum esse legitimum Autoris. Porrò nullum MS. *Launoius* proferre potest Summæ Theologicæ *Sancte Thoma* inscriptæ, quod alterius nomen præferat.

Extat Avarici Biturigum in Bibliotheca insignis Ecclesiæ *S. Stephani* Codex MS. in folio, Gothicis characteribus exaratus, qui Primam Secundæ complectitur, adscripto nomine *Sancti Thoma* in fine, his verbis: *Explicit Prima Pars secundi libri Summe edite à Fratre Thoma de Aquino, Ordinis Fratrum Pradicatorum.* Post hæc sequitur Index his verbis inscriptus: *Incipiunt Capitula Prime Partis secundi libri Summe edite à Fratre Thoma de Aquino, Ordinis FF. Pradicatorum.* Ad finem verò istius Indicis hæc leguntur: *Expliciunt Capitula Prime Partis secundi libri Summe edite à Fratre Thoma de Aquino Ord. Fratrum Pradicat. Deo gratias.* Istum Codicem antè scriptum esse quàm S. Thomas in album Cœlitum ritu solemni referretur, inde colligo, quòd Angelicus Doctor in eo vocetur simpliciter *Frater Thomas de Aquino*, Beati vel Sancti non adjuncto nomine; quod alii MSS. Codices recentiores ipsi deferunt, & inter alios Codex MS. Regii Sacelli Bituricensis.

Alterius Codicis Primæ Partis *S. Thoma*, qui Gothicis characteribus in membranis exquisitis descriptus, in Conventu Claromontano FF. Prædicatorum asservatur, fidem appello. Summam enim Theologicam Opus esse Angelici Doctoris ita evidenter probat, illud ut qui negaverint, Solem in meridie lucere eodem jure negare possint. Titulus Codicis sic habet: *Incipit Summa de Theologia edita à Fratre Thoma de Aquino, Ordinis FF. Pradicat. Liber primus.* Ad finem Codicis hæc leguntur: *Explicit Liber primus Summa Fratris Thoma de Aquino.* Sequitur Index cujus istud est initium: *Incipiunt Rubrica Summa de Theologia Fratris Thoma de Aquino Ordinis FF. Pradicatorum.* Ad finem autem Indicis hæc leguntur: *Expliciunt Capitula Prima Partis Summa Fratris Thoma de Aquino Ordinis Fratrum Pradicatorum.* In istius Codicis operculo interiori sequentia verba descripta sunt: *Prima Pars Sancti Thoma; de dono Reverendi in Christo Patris ac Domini, Domini Fratris Hugonis de Billiome, quondam Cardinalis Hostiensis.* Ex quibus colligitur hujus Manuscripti epocha. Nam Cardinalis ille fuit Hugo Seguinus, patriâ Arvernus, urbe Billonensis, Diœcesi Claromontanus, Ordinis FF. Prædicatorum, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, Romæ in Conventu nostro Sanctæ Sabinæ Regens, ubi Commentaria in quatuor Sententiarum libros conscripsit, Sacri deinde Palatii Magister sub Martini IV. Pontificatu, Cardinalitiis Infulis decoratus à Nicolao IV. Pontifice Maximo, ad Ostiensem denique promotus Episcopatum à Cœlestino V. vivere desiit anno 1298. 3. Calendas Januarii, ut notant

Clarissimi

Clarissimi Sammarthani Tom. 1. Galliæ Christianæ, in serie Lugdunensium Archiepiscoporum, Num. 49. Claromontano FF. Prædicatorum Conventui, cujus erat alumnus, & in quem suum corpus post mortem deferri jussit sepulchro mandandum, libros suos testamento legavit, quod in tabulario ejusdem Conventus etiamnum servatur: quorum in numero librorum dictus Codex MS. Primæ Partis S. Thomæ reperitur. Annis igitur viginti quatuor post felicem obitum S. Thomæ, & fortè ipso S. Thoma adhuc in vivis agente, Codex ille exaratus est. Summa ergo Theologica annis saltem quadraginta quatuor ante Clementis VI. Pontificatum agnoscebatur ut germanum Opus S. Thomæ.

Habemus etiam in Bibliotheca nostra FF. Prædicatorum Parisiensium, ad S. *Jacobi*, quædam MSS. quadringentorum fermè annorum, in quorum nonnullis nec Autoris nomen, nec libri ulla inscriptio est. Unum extat optimæ notæ, quo Prima Pars exarata est, cum hoc titulo: *Summa de Theologia edita à Fratre Thoma de Aquino, de Ordine Fratrum Prædicatorum.* In fine verò Codicis legitur hæc epigraphe: *Explicit liber primus Summæ Fratris Thomæ de Aquino, Ordinis Fratrum Prædicatorum Magistri in Theologia.* Aliquis imprudente zelo abreptus delevit nomen *Fratris*, ut adderet *Sancti*, quod probat recentioris manus character, & litura ibi conspicua. Videtur itaque ante *Clementem VI.* conscriptus iste Codex.

Extat in Massiliensi nostro FF. Prædicatorum Conventu Codex MS. Opusculorum *S. Thomæ* antiquissimus, & ante ipsius Canonizationem exaratus, qui ejusdem veritatis fidem facit. Appellatur ubique in Opusculorum titulis *Frater Thomas*, nullo *Beati* vel *Sancti* addito. Indicem habet Operum Angelici Doctoris sic inscriptum: *Hæc sunt Opera edita à Fratre Thoma de Aquino.* Sic incipit: *Sciendum quòd tot Opera edidit Venerabilis Frater Thomas de Aquino, Ordinis FF. Prædicatorum. Scilicet super primum Sententiarum. Item super secundum. Item super tertium. Item super quartum.* Et aliis quibusdam Operibus recensitis, subdit: *Item Primam Partem* SUMMÆ. *Item Secundam ejusdem. Item Tertiam ejusdem*, &c. Quid Codices alios MSS. commemorem, Vaticanos, ad quorum fidem Beatissimus Pontifex *Pius V.* Summam *S. Thomæ* Romanis typis edi curavit, Anglicanos, Germanicos, aliarum gentium, qui *S. Thomæ de Aquino* ceu veri Autoris nomen præ se ferunt? Denique omnia exemplaria Romæ, Parisiis, Coloniæ Agrippinæ, Antuerpiæ, Lugduni & alibi excusa, à viris doctissimis recognita, omnium eruditorum tractata manibus, lustrata oculis, *Sancti Thomæ Aquinatis* nomine exornata sunt; nec aliquis ita desipuit unquam, ut laudato Operi hunc præfigeret titulum, *Summa Sancti Thomæ*, *vel alterius sub ejus nomine.* Nemo scilicet præteritis seculis *Launoio* tam sagax; nemo cui inficialis hujus argumenti vis perspecta esset: *Illud Opus non est Sancti Thomæ, cujus Clemens VI. Opera Sancti Thomæ in Concione recensens non meminit: Atqui Clemens VI. Opera Sancti Thomæ in Concione recensens, non meminit Summæ Theologicæ: ergo Summa Theologica non est germanum Opus Sancti Thomæ.* Est quod seculo nostro gratulemur, quòd tam peritum Conjectorem, tam subtilem Disputatorem, quod Criticorum Phœnicem *Launoium* pepererit, cujus summa eruditio & incredibilis perspicacia fecit ut contra MSS. omnium, & exemplarium excusorum fidem, contra testium *Clemente VI.* antiquiorum nubem, contra orbis consensum, dubitare solus posset utrùm Summa Theologica esset Opus S. Thomæ.

Manuscriptorum Codicum & Exemplarium omnium fidem confirmat Ordinis Fratrum Prædicatorum, à Sancti Thomæ felici obitu perennis, & à nemine unquam impugnata Traditio. Enimverò si ad germana Scripta Apostolorum discernenda ab apocryphis, & ad eorum doctrinam certò dignoscendam, veteres Patres, & præcipuè *Tertullianus*, Ecclesias Apostolicas adire & consulere nos jubent, *A quibus traducem fidei & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur ut Ecclesiæ fiant: ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum:* Ad discernenda germana S. Thomæ Opera à suppositititis, consulendum esse Prædicatorum Ordinem ratio docet, cui S. Thomas libros doctrinamque suam assignavit, in quo primi Angelici Doctoris Discipuli vixerunt atque floruerunt, qui Scholas in omnibus Provinciis Thomisticas condidere, à quibus Thomisticæ doctrinæ semina non alii tantùm ejusdem Ordinis Professores, verùm etiam & Ordines reliqui, & Academiæ nobilissimæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur ut Thomistæ fiant. Porrò constans fuit ab obitu *S. Thomæ* Ordinis Prædicatorum traditio, Summam Theologicam esse germanum ipsius Opus, cujus testes sunt locupletissimi, quotquot laudavimus, Autores antiquiores *Clemente* VI. testes item quotquot laudari possunt suppares *Clementi*, ut *Joannes de Neapoli*, *S. Antoninus*, *Capreolus*, & alii qui sæculo decimo-quarto ineunte florebant, quique adeò cum Fratribus *Clementi* VI. coævis vixerant: testes denique quotquot ab his in Schola Thomistica fuerunt instituti, qui Summam *S. Thomæ* Commentariis eruditissimis identidem illustrarunt. Asserendum igitur est Summam Theologicam germanum esse partum *S. Thomæ*. Meritò itaque ad Launoium *Tertulliani* verba dirigam: *Quo jure silvam meam cædis? Qua licentia fontes meos transvertis? Qua potestate limites meos commoves? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis Autoribus quorum fuit res.*

Tertull. lib. de Præscript. Cap. 20.

Lib. de Præscript. Cap. 37.

Denique nullus hanc Dominicani Ordinis traditionem ante Petrum de *Alva* & *Launoium* impugnavit, vel de ea dubitavit unquam. Magna fuit inter Fratres Minores, ex quo Doctoris Subtilis doctrinam professi sunt, & Prædicatores studiorum æmulatio, utriusque Scholæ contentiones pertinacissimæ. Acriter inter illos fuit olim disputatum de Conceptione Immaculata Deiparæ Virginis. Scotistæ doctissimi piæ & vulgatæ jam opinionis patrocinium susceperunt, omni momentorum genere adversùs Thomistas pugnantes, & ipsius *Sancti Thomæ* adversùs illos urgentes autoritatem in 1. Sententiarum Dist. 44. Quæst. 1. Artic. 3. ad 3. dicentis Beatam Virginem *immunem fuisse à peccato originali & actuali*. Thomistæ ejusdem *S. Thomæ* doctrinam III. Parte Quæst. 27. Artic. 2. opponebant. Nemo Scotistarum respondit Tertiam Partem, totamque Summam Theologicam non esse *S. Thomæ* germanum Opus: quod certè fecissent, nisi fuisset omnibus exploratum illam Angelico Doctori ut parenti legitimo esse tribuendam.

Quid dicam de florentissimæ Societatis Jesu Patribus, quos inter & Dominicanos gravis controversia mota est de Divinæ Gratiæ Auxiliis sub *Clemente* VIII. Pontifice Maximo. In celeberrima Congregatione utrinque disputatum est incredibili ardore & contentione: caussa disceptata est à viris Societatis, Ordinisque nostri eruditissimis, quamvis Pontificis Decreto judicata & finita quæstio non fuerit. Prolatæ sunt à Patre *Lemos* testimonia Sancti Thomæ ex Summa Theologica petita; adducta sunt alia à Patre *Vasteda* Societatis Theologo. Nemo Patrum ejusdem Societatis vel levissimam injecit de

de Summa laudata dubitationem : constans quippe erat omnium utriusque partis, immò totius orbis Theologorum Sententia, cujus de veritate nusquam à viris cordatis ambigi posse sentiebant, Summam Theologicam Opus esse genuinum *S. Thomæ.*

Certè Societatis Jesu in *S. Thomam* veneratio, Theologos quos habuit eruditissimos, Criticósque sagacissimos & gravissimos impulit ut in Opera *Sancti Thomæ* inquirerent, cujus doctrinæ studium lege lata ipsis injunxerat. Totius igitur laudatissimæ Societatis consensus ad Summam Theologicam *Sancto Thomæ* vindicandam, plurimùm ponderis apud omnes sinceri & æqui judicii viros habere debet.

Societatis autem Jesu adversùs *Sanctum Thomam* pietas & veneratio constat ex ipsius Constitutionibus, & Congregationum Generalium Decretis. Et Constitutiones quidem illius decernunt Parte 4. Cap. 14. §. 1. in Scholis legendum esse *Vetus & Novum Testamentum, & Scholasticam Theologiam Sancti Thomæ.* Quinta verò Congregatio Decreto 41. hanc legem tulit : *Primo loco, unanimi omnium consensu statuit* (Congregatio) *doctrinam Sancti Thomæ in Theologia Scholastica, tanquam solidiorem, securiorem, magis approbatam, & consentaneam nostris Constitutionibus, sequendam esse à Professoribus nostris.* Et infrà : *Sequantur nostri Doctores in Scholastica Theologia doctrinam Sancti Thomæ ; neque deinceps ad Cathedras Theologicas promoveantur, nisi qui Sancto Thomæ bene affecti fuerint.*

Et Decreto 56. de delectu opinionum : *Nostri,* inquit, *omnino Sanctum Thomam ut proprium Doctorem habeant, eumque in Scholastica Theologia sequi teneantur ; tum quia Constitutiones eum nobis commendant P. 4 Cap 14. § 1. & Summus Pontifex Clemens VIII. id se cupere significavit : tum quia cùm unius Scriptoris doctrinam in Societate eligendam Constitutiones moneant P. 8. C. 1. nullius hoc tempore doctrina potest occurrere, quæ sit eâ solidior aut securior ; ut non immeritò S. Thomas Theologorum Princeps ab omnibus habeatur.*

Et post nonnulla : *Nullus ad docendum Theologiam assumatur, qui non sit verè S. Thomæ doctrinæ studiosus : qui verò ab eo alieni sunt, omnino removeantur.*

Denique Canone 41. Congregationis v. inter Regulas Professoris Philosophiæ hæc habetur sexto loco : *Contra verò de Sancto Thoma nunquam non loquatur nisi honorificè, libentibus illum animis, quoties oporteat sequendo ; aut reverenter & graviter, si quando minùs placeat, deserendo.*

ARTICULUS XIII.

Summa Theologica Sancto Thomæ asseritur, Parisiensis Academiæ, & Salmanticensis, omniumque Eruditorum suffragio.

QUanto fuerit in pretio apud Parisienses Theologos *Sancti Thomæ* doctrina, ex quo assumptus in cœlum est, constat ex Epistola Parisiensis Academiæ ad Fratres Prædicatores Lugduni in Comitiis Generalibus Ordinis sui congregatos, data die Mercurii ante Inventionem Sanctæ Crucis anno Domini 1274. *Singultuoso clamore,* inquit, *totius Ecclesiæ universale dispendium, necnon & Parisiensis Studii manifestam desolationem, lachrymabiliter deplangimus, & his diebus proclegimus in communi non immeritò deplorare . . . Fatemur, vix valemus exprimere, amor enim retrahit, sed dolor & vehemens angustia dicere nos compellit, ex communi relatu & certo rumore multorum, nos scire Doctorem Venerabilem Fratrem Thomam de Aquino ab hoc sæculo fuisse vocatum. Quis posset æstimare, divinam Providentiam permisisse Stellam matutinam, præeminentem in mundo, jubar in lucem sæculi, immò ut veriùs dicamus, Luminare majus quod præerat diei, suos retraxisse radios ?*

Et infrà : *Tanti Patris, tanti Doctoris ossa à vobis pro maximo munere postulamus. Quoniam omnino est indecens & indignum, ut altera natio aut locus quàm omnium Studiorum nobilissima Parisiensis civitas, quæ ipsum priùs educavit, nutrivit, & fovit, & postmodum ab eodem doctrinæ documenta, & ineffabilia fomenta suscepit, ossa inhumata habeat & sepulta. Si enim meritò Ecclesia ossa & reliquias Sanctorum honorat, nobis non sine causa videtur honestum & sanctum, tanti Doctoris corpus in perpetuum penes nos haberi in honore, ut cujus famam apud nos Scripta perpetuant, ejusdem perseverans memoria sepultura ipsam in cordibus Successorum nostrorum stabiliat sine fine. Cæterùm sperantes quod obtemperetis nobis cum effectu in hac petitione devota, humiliter supplicamus, ut cùm quædam Scripta ad Philosophiam spectantia, Parisiis inchoata, ab eo relicta sint imperfecta, & ipsum credamus, ubi translatus fuerat, complevisse, nobis benevolentiâ vestrâ citò communicari procuretis,* &c. Edita est hæc Epistola apud *Stephanum de Sampayo* in lib. de Sanctis Ordinis Lusitanis pag. 264. & apud *P. Antonium Mallet* Theologum Parisiensem Tom. 1. de Viris Illustribus Conventus S. *Jacobi* Parisiensis, sed in utroque temporis nota emendanda est, & pro anno 1273. restituendus annus 1274. quo Generale Ordinis nostri Capitulum Lugduni celebratum est, quo tempore & Concilium Oecumenicum ibidem celebrabatur. Tunc fama obitum S. *Thomæ* ubique vulgavit. Tunc Parisiensis Academia suam de ipsius sanctitate, doctrina, & Scriptis existimationem, Sacratúmque Reliquiarum desiderium his Literis explicuit.

Ejusdem Academiæ venerationem erga *Sancti Thomæ* doctrinam probat Epistola *Stephani* Parisiensis Episcopi, & Magistrorum Parisiensium nomine scripta die Jovis ante Cineres anno 1324. in qua hæc leguntur quorundam Articulorum ab Academia damnatorum occasione : *Nos attendentes quòd Sacrosancta Romana Ecclesia, Mater omnium fidelium, & Magistra fidei & veritatis, in firmissima Petri Christi Vicarii confessione fundata, ad quam velut ad universalem Regulam Catholicæ veritatis, pertinet approbatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum, præfatum Doctorem eximium & venerabilem, cujus doctrinâ fulget Ecclesia, ut Sole Luna, nuper Sanctorum Confessorum Catalogo adscribendum decrevit, diligenti discussione & examinatione habita super vita sancta, & doctrina clara ipsius, ipsumque quoad vitam puram, & doctrinam salubrem, orbi terræ dignum & commendabilem prædicavit ; cupientes gloriosum Deum in Sanctis suis, apud fidelium devotionem in terris gloriosiùs exaltari, ac Sacratissimæ Matris nostræ prædicta desiderantes vestigia sancta imitari, dictumque Confessorem, & Doctorem gloriosum, feliciter in cœlis regnantem, apud terrigenas devotiùs & celebriùs honorari, & præsertim cùm fuerit & sit universalis Ecclesiæ Lumen præfulgidum, Gemma radians Clericorum, Fons Doctorum, Universitatis nostræ Parisiensis Speculum clarissimum, & insigne claritate vitæ, famæ, & doctrinæ, velut stella splendida & matutina refulgens : per venerabiles & dilectos Consiliarios nostros fideles M. Hugonem de Bisuntio Cantorem*

Cantorem Parisiensem, M. Stephanum de Novavilla, & D. Odonem de Senonis, Canonicos Parisienses inquisitione facta super dictis Articulis apud Doctores Theologicæ Facultatis in eorum Congregatione generali, Regentium & non Regentium, Secularium & Regularium ad hoc specialiter convocata: comperto per Dei gratiam dictum Confessorem B. Thomam nihil unquam sensisse, docuisse, seu scripsisse, quod sanæ fidei, vel bonis moribus adversetur; de Consilio venerabilium virorum Decani & Capituli Parisiensis, & Venerabilis Patris Domini Guillelmi Dei gratia Archiepiscopi Viennensis, Sacræ Theologiæ Professoris, & aliorum XXIII. Magistrorum in Theologia, una cum Reverendo Patre prædicto, in Literis sub eorum sigillis per præfatos Commissarios nobis missis, necnon & XXX. Baccalariorum in Theologia super hoc per Literam eorum propriis subscriptionibus & sigillis munitam, nobis super hoc consulentium & rogantium humiliter & devotè, & aliorum Discretorum solemni ac maturo consilio super hoc habito: Articulorum condemnationem supra dictam, & Excommunicationis Sententiam, quoniam tangunt vel tangere asseruntur doctrinam B. Thomæ prædicti, ex certa scientia, tenore præsentium totaliter annullamus. Ipsos Articulos non propter hoc approbando, seu etiam reprobando, sed eosdem discussioni Scholasticæ liberè relinquendo. Instrumentum istud editum est in Historia Universitatis Parisiensis, Seculo VI. pag. 204. & 205.

Ex hac porrò Academiæ nostræ erga *Sancti Thomæ* doctrinam veneratione, ejusdemque examine, colligitur ipsam accuratè & diligenter inquisivisse in ejus Opera, & novisse qui germani ipsius partus essent, qui supposititi. Cùm itaque nullus unquam Parisiensium Theologorum Summam Theologicam *Sancto Thomæ* abjudicaverit, aut alteri assignaverit, imò plerique ante *Clementem VI.* vel ipsius temporibus, hoc Opus sub ejus nomine laudaverint; à *Clementis* verò tempore, quotquot Summæ ejusdem meminerunt, aut eam Commentariis illustrarunt, aut ejus testimonia atque rationes in Scholis usurpavere, illam S. Thomæ summo consensu adscripserint, argumento est Summam ab Academia nostra semper habitam fuisse ut germanum Opus S. *Thomæ*.

De Salmanticensi Academia eodem planè modo ratiocinari possumus, quæ solemni sacramento suos adstringit ad sequendam *Sancti Thomæ* doctrinam in Summa Theologica traditam. En formulam Academici Juramenti laudatæ Universitatis: *Juro in quotidianis lectionibus quas Academia, vel Cathedræ Moderator, vel voluntarius Professor legero, me docturum, atque lecturum in Theologia Scholastica Doctrinam S. Augustini, & Conclusiones Sancti Thomæ quas in Summa Theologia docet, ubi horum Sanctorum mens aperta fuerit: ubi verò anceps & dubia, nihil docturum atque lecturum quod eorum doctrinæ adversari senserim; sed quod vel juxta meum sensum, vel eorum qui Discipuli Sanctorum Augustini & Thomæ communiter censentur, tantorum Patrum doctrinæ magis conforme judicaverim.* Ita refert *Basilius Pontius* in Opusculo de Juramento Salmanticensi. Quid Lovaniensem, Duacensem, Complutensem, Ulyssiponensem, Patavinam, aliásque Catholici orbis celeberrimas Academias commemorem, quæ Summam *S. Thomæ* ceu genuinum ipsius Opus summa consensione agnoscunt & laudant?

Tandem neminem proferre potest *Launoius* ex toto eruditorum hominum cœtu, quos ab obitu *Sancti Thomæ* Christianus orbis peperit, qui Summam Theologicam *Sancto Thomæ* abjudicaverit, aut alteri ab ipso tribuerit, vel dubitaverit an germanus Angelici Doctoris partus esset. Nos contra, Scriptores omnes, omnium Sectarum, omniumque Ordinum Theologos, omnium Academiarum Magistros proferimus, qui Summam tripartitam *Sancto Thomæ* summo consensu tribuunt. Prætermus & Religiosa Sodalitia, quæ suos Professores Angelici Doctoris discipulos esse jubent, eisque Summam velut proprium germanumque *S. Thomæ* Opus legendum tradunt & exponendum, scilicet, Prædicatorum Ordinem, Pium Societatis Jesu Institutum, Religiosissimos *Theresiæ* filios Carmelitas Excalceatos, Reverendos Patres Minimos, Canonicos Regulares Congregationis Gallicanæ, Doctrinæ Christianæ Clericos Regulares &c. Tantus autem omnium Eruditorum consensus evincit Summam Theologicam esse *Sancti Thomæ* proprium Opus. Nam *Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum*, inquit *Tertullianus* lib. De Præscriptionibus c. 28.

Hic verò addiderim, in Judicio de doctrina *S. Thomæ* nullam prorsus habendam rationem Synodi Londinensis à *Joanne Peckam* Archiepiscopo Cantuariensi habitæ anno MCCLXXXVI. postrema die Aprilis, quatenus Archipræsul ille, ex Ordine FF. Minorum assumptus, ex præconceptis opinionibus, & æmulatione in FF. Prædicatorum Ordinem, & Scholam, quæ tum florere incipiebat, Thomisticam, Theoremata quædam Thomisticæ Philosophiæ, cum tribus Episcopis, & quibusdam secundi Ordinis Ecclesiasticis Viris, velut hæreses & blasphemias damnavit; & eorum defensores pertinaces anathemate confixit. I. Articulus erat, *Quòd Corpus Christi mortuum nullam habuit formam substantialem eamdem quam habuit vivum.* II. *Quod in morte fuit introducta nova forma substantialis, quamvis non nova assumptione vel unione Verbo copulata.* III. *Quòd in illam formam vel naturam de novo introductam per mortem, facta fuisset transsubstantiatio panis virtute verborum Sacramentalium, scilicet,* Hoc est Corpus meum, *si in triduo mortis facta fuisset consecratio.* IV. *Quod post Resurrectionem Christi, virtute verborum Sacramentalium convertitur totus panis in totum Corpus Christi vivum, ita quòd materia panis convertitur in materiam Corporis Christi, & forma panis convertitur in formam Corporis, scilicet in id quod est Anima intellectiva, secundum quod forma corporis est, & dat esse corporeum; & hoc virtute verborum Sacramentalium.* V. *Identitatem fuisse numeralem Corporis Christi mortui cum ejus Corpore vivo, tantummodo propter identitatem materiæ, & dimensionum interminatarum, & habitudinis ipsarum ad Animam intellectivam, quæ immortalis est. Esse insuper identitatem numeralem Corporis vivi & mortui, ratione existentiæ utriusque in eadem hypostasi Verbi.* VI. *Corpus cujuscumque Sancti vel hominis mortuum, antequam sit per putrefactionem mutatum in auras vel elementa, non esse idem numero cum corpore ejus vivo, nisi secundum quid, scilicet ratione materiæ communis, sicut sunt unum, quæ invicem transmutantur, ut caro & vermis, & ratione accidentis communis, scilicet quantitatis: simpliciter autem esse diversum corpus mortuum à vivo, specie & numero.* VII. *Quod qui vult ista docere, non tenetur in talibus fidem adhibere autoritati Papæ, vel Gregorii, vel Augustini, aut cujuscumque Magistri; sed tantum autoritati Bibliæ, & necessariæ rationi.* VIII. *Quòd in homine est tantùm una forma, scilicet Anima rationalis, & nulla alia forma substantialis: ex qua opinione sequi videntur omnes hæreses supra dictæ.*

Tom. 11. Concil. Angl. & Tom. 11. P. 11. Concil. P. Labbe.

Ipsos igitur octo Articulos, (inquit *Peckamus* Archipræsul) *Hæreses esse damnatas in se vel suis similibus, & blasphemias, pertinaciter agnoscentes; omnes.*

omnes eorum Affirmatores pertinaces, publicè vel occultè, sub quocumque verborum pallio, excommunicatos esse & anathematizatos denunciamus: & præcipimus, tam in Actibus Scholasticis, quam in aliis, ab omnibus artius evitari, sub interminatione Anathematis.

Persecutionem propterea passi sunt in Anglia Dominicani, qui Peckami Archiepiscopi in doctrinam *S. Thomæ* pessimè affecti Decretis non paruerunt. Sed sedata postmodum tempestate, opinionem illam suam de resolutione compositi substantialis usque ad materiam primam (quemadmodum in Scholis loquuntur) & omnia ejus consectaria, liberè docuerunt & propugnarunt, ut etiamnum propugnant & docent. Verùm si post solemnem *S. Thomæ* Canonizationem, & publicam doctrinæ ipsius à Sede Apostolica approbationem vixisset *Peckamus* Archipræsul, nullus dubito, quin Parisiensis Episcopi, & Sacræ Facultatis Parisiensis pietatem & æquitatem æmulatus, præcipitem nec satis attenta consideratione latam Censuram atque Sententiam revocasset.

ARTICULUS XIV.

Summa Theologica S. THOMÆ asseritur Ecclesiæ in Concilio Tridentino congregatæ testimonio.

SAncti Thomæ doctrinam quo loco habuerint, quantique fecerint Tridentini Patres, constat ex Oratione *Joannis Gallio* Catholici Regis Theologi in laudem Angelici Doctoris habita in ea Synodo, anno Christi 1563. in qua hæc inter alia leguntur: *Nulla proinde ab ejus felici transitu Concilia sine Sacro Doctore celebrata sunt: Ut enim de cæteris sileam, quod audimus, quod videmus, quod manibus nostris contrectamus, quidni aperta voce ad ejus laudem testemur? Vestra Comitia perpendito. Ex plurimo atque honorabili Doctorum cœtu, quotusquisque Consultor accedit, qui Divi Thomæ autoritate veluti splendente gemma suam sententiam non exornet? At in consultissimo Patrum consessu, Doctor hic sententiam rogatus frequentissimè censet, ad quem ut ad Lydium lapidem, si quid ambiguitatis aut controversiæ fuerit exortum, communibus votis referendum existimatis, & qui eum sui placiti Patronum obtinuerit, incertam judiciorum aleam non sit habiturus, quia secundum eum sententia ferenda sit. Atque adeo hujus Religionis nomine, gravissima vestra Autoritati gratias agere libeat, quod Doctoris Thomæ nomen ubique celeberrimum, vestrâ in eum observantiâ celebrius posteritati reliqueritis, & quidem justè, ut qui etiam cum Summis Ecclesiæ Principibus divina voce audire meruerit: Vos estis lux mundi.*

Tom. 14. Concil. Edit. Patris Labbe.

Magnificis Oratoris hujusce verbis fidem adstruit Oecumenici Concilii Tridentini Historia, simulque demonstrat Summam Theologicam ab universa Synodo agnitam fuisse ut germanum Opus *Sancti Thomæ*. In ea enim memoriæ proditum est *S. Thomam* in Summa sæpe fuisse à Theologis & à Patribus appellatum. Sed hujus rei clarissimum argumentum est, quod *Didacus de Payva* Concilii Tridentini Theologus, à Rege Lusitaniæ missus, contigisse refert Sessione XXII. Visum est Legatis, inseri debere Decreto de Sacrificio Missæ, Christum in ultima Cœna Apostolos Sacerdotes instituisse his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæstio jam ferè discussa erat, paucorumque decerant Episcoporum suffragia, ut in rem judicatam abiret, cùm aliquis Patrum, quem Granatensem Archiepiscopum fuisse colligo ex *Palavicino* Cardinali, Decreto refragatus est, Propositionem illam esse *Beato Thomæ* contrariam inclamans III. P. Quæst. VII. Art. III. ad III. dicentis: *Sacramentum Eucharistiæ fuisse institutum in Cœna, ut in futurum esset memoria Dominicæ Passionis ea perfecta. Unde dicit:* Hæc quotiescumque feceritis; *de futuro loquens.* Audito *S. Thomæ* nomine, visa res est ad examen iterum revocanda. Suspensum itaque Decretum est, donec discusso Doctoris Angelici loco, notum omnibus Patribus fuit, non pugnare cum doctrina *Sancti Thomæ*; tuncque Canon editus est, qui in illa Sessione secundus legitur, hoc tenore: *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum. Anathema sit.* Quo ex facto colligitur, Summam Theologicam, de qua agimus, à Concilio quod erat *Repræsentatio totius nominis Christiani*, sive ab Ecclesia universa fuisse agnitam ut germanum Opus *Sancti Thomæ*. Neque enim tanta veneratione ignotum Auctorem prosecuti essent Sapientissimi Patres.

Didac. de Payva Tom. 1. Sermon. de Sanctis, Sermone 2. de S. Thoma.

Adhucne dubitas, Magister *Launoi*? Illi-ne assensum præbere detrectas veritati, quæ tot oraculis firmata est, tam frequentibus, tam antiquis, tam perspicuis testimoniis comprobata? Nescis quod omnes Eruditi, *Uno eodemque sensu manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi Magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habendum?* Quanto magis, quod Ecclesiæ videtur universæ, quamvis fidem non spectet? Quicquid verò privatus aliquis, quantumvis eruditus, *Præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias & occultas & privatas opiniunculas, à communis, publicæ, & generalis sententiæ autoritate secretum esse?* ut scribit *Vincentius Lirinensis* in Commonitorio I. Adversus Hæreses Cap. 28. Tua hoc loco & ordine habenda est opinio, *M. Launoi*; quamobrem diligenter sibi cavebunt sinceri veritatis amatores, ne universalis sententiæ antiqua veritate dimissa, unius hominis novitium sectentur errorem.

ARTICULUS XV.

Ipsa Summa Theologica S. THOMÆ adscripta probat se germanum esse Angelici Doctoris Opus.

OMnium invictissimum argumentum quo Summa Theologica *S. Thomæ* asseritur, hunc in locum reservavi, quod scilicet non externum est ut cætera quæ hucusque adversùs *Launoium* prolata sunt, sed insitum atque intimum. Desumptum namque est ex Summa ipsa Theologica de qua agimus, in qua tantam styli atque methodi tractandis in rebus unitatem cum aliorum *S. Thomæ* Operum stylo atque methodo, tantam principiorum conocationem cernere licet, ut nemini qui vel extremis labris Angelici Præceptoris doctrinam degustaverit, possit esse dubium quin ejusdem sint Authoris Summa, Commentaria in libros Sententiarum, Quæstiones Disputatæ, &c. Quid quod seipsum in Sententiarum libris citat Summæ Parens, & opiniones quas eo in Opere junior propugnaverat, interdum corrigit. Duo exempla præsto sunt. Primum petitur ex Tertia Parte, Quæst. IX. Artic. IV. ubi revocat quod scripserat in III. Sententiarum Dist. XIV. Quæst. III. Art. III. in Christo

ſto non fuiſſe ſcientiam acquiſitam. *Et ideo*, inquit, *quamvis aliter alibi ſcripſerim, dicendum eſt in Chriſto fuiſſe ſcientiam acquiſitam*, &c. Alterum ſubminiſtrat Articulus quartus Quæſtionis ſeptuageſimæ, Tertiæ Partis, ubi retractat quod ſcripſerat in IV. Sententiarum Diſt. I. Quæſt. II. Art. IV. *Alii dixerunt*, inquit, *quod in Circumciſione conferebatur etiam gratia quantum ad aliquem effectum poſitivum, qui eſt facere dignum vitâ æternâ; ſed non quantum ad omnes effectus: quia non ſufficiebat reprimere concupiſcentiam fomitis, nec ad implendum mandata Legis. Quod etiam aliquando mihi viſum eſt. Sed diligenter conſideranti apparet non eſſe verum: quia minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne mortale, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum Legis. Minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti.* Ex quibus colligitur ejuſdem Authoris eſſe Summam Theologicam de qua agimus, & Commentaria in IV. Sententiarum libros, in quibus defenduntur opiniones his in locis emendatæ. Cùm itaque ſit omnibus exploratiſſimè perſpectum Commentaria in Sententiarum libros eſſe *Sancti Thomæ* germanum Opus, idque conſtet ex *Clemente VI.* idem de Summa Theologica judicium ferendum eſt, eaque *S. Thomæ* vindicanda.

ARTICULUS XVI.

Solvitur argumentum LAUNOII, ex Autoritate CLEMENTIS VI. petitum.

Lib. 3. contra Academicos Cap. 13.

QUod dixit S. Auguſtinus, *Nihil quamlibet copioſiſſimis argumentis poſſe ſuaderi, cui ex parte contraria, ſi adſit ingenium, non reſiſtatur*, ſuo Launoius exemplo comprobavit. Quantumvis enim invictiſſimis momentis non tam probetur, quàm demonſtretur Summam Theologicam germanum eſſe Opus *Sancti Thomæ*, eaque ipſis Solis radiis deſcripta videatur veritas, eam tamen jure ſe impugnare putat Vir Doctiſſimus. Nititur argumento negativo, petito ex Autoritate *Clementis VI.* Pontificis Maximi in Sermone quem de *B. Thoma* recèns numero Cœlitum adſcripto habuit. E multis laudationis piæ capitibus, unum eſt multitudo librorum quos Sanctus Doctor compoſuit. Quorum Catalogum cùm ſumma diligentia maximoque ſtudio conſcripſerit Pontifex: in eo tamen Summa tripartita deſideratur. Quomodo, inquit Launoius, Opus tam grande, ſi Beati Thomæ fœtus eſt, fugere potuit *Clementis* diligentiam, qui ſibi ſumpſit Doctorem Sanctum à librorum quos edidit multitudine, laudare? Quomodo tam inſigne Opus prætermiſiſſet, qui tot minuta Opuſcula recenſuit? Quis, quæſo, ſibi ſumeret Auguſtinum à librorum quos ſcripſit multitudine commendare, & libros de Civitate Dei omitteret in illorum Catalogo? Quis ſibi conſtitueret B. Bernardum ab excellentia librorum quos exaravit, prædicare, & iis recenſitis, libros de Conſideratione ad Eugenium ſilentio convolveret? En porrò Clementis VI. verba, quæ ex ipſius Sermonum Codice MS. quem habet Bibliotheca Illuſtriſſimi Eccleſiæ Principis *Mauritii Tellerii*, refert Magiſter Launoius. *Dico quartò quod eſt valde fertilis*, &c. *Non enim ſcripſit unum librum ſolum: imò mirabile fuit, quomodo in tam parvo tempore quo vixit tot Opera componere potuit. Scripſit enim tam ſuper Sententias, quàm alias Quæſtiones, ſexdecim volumina: ſcilicet quatuor Scripta ſuper Sententias,* * *quatuor libros in Summa contra Gentiles. Quæſtiones de Veritate. Item Quæſtiones de potentia Dei. Item Quæſtiones de Anima. Item Quæſtiones de Virtutibus. Item Quæſtiones de Malo. Item Quæſtiones de Spiritualibus Creaturis. Item undecim Quodlibeta diſputata. Scripſit etiam ſuper Bibliam, ſuper quatuor Evangelia, ex puris Sanctorum autoritatibus mirabile Opus connexum, ac ſi per unum hominem omnia eſſent dicta. Item Poſtillas ſuper Evangelium Joannis. Item ſuper Epiſtolas ad Romanos, ad Corinthios, & ad Hebræos. Item ſuper Iſaiam. Item ſuper Job. Item ſuper Jeremiam. Item ſuper Threnos. Item ſuper Cantica, & ſuper Philoſophiam, ſuper libros Phyſicorum, Metaphyſicæ, ſuper quartum librum de Cœlo, ſuper librum de Generatione, & ſuper duos Meteororum, ſuper ſecundum & tertium de Anima, ſuper aliquos parvos Naturales, ſuper librum Ethicorum, ſuper quartum Politicæ, ſuper librum de Cauſis, ſuper Logicam, ſuper librum Poſteriorum, ſuper librum Perihermenias. Item ſunt parva Opuſcula circiter quadraginta.* Hæc Clemens VI.

* Id eſt, ord. Commentariorum in quatuor libros Sententiarum: unde [illegible] ad Annibaldum, du[illegible] Sancti Thomæ [illegible] nec S. Antoninus memorarunt.

Reſponſio.

En palmare & unicum *Launoii* argumentum, nullius planè roboris. Negativas enim vetuſtiorum probationes in quæſtionibus facti nemo eruditus non exſufflat & ſugillat, ubi argumenta poſitiva ex adverſo militant ab Autorum coævorum aut ſupparium teſtimoniis petita. At Autores *S. Thomæ* ſynchroni vel ſuppares Summam Theologicam ipſi aſſerunt, ſcilicet Guillelmus de Toco, Guillelmus Lamarenſis, Ægidius Romanus, Joannes Teutonicus, Nicolaus Trivettus, Demetrius Cydonius, Durandus, Durandellus, Hervæus Natalis, Joannes de Tambaco, Aſteſanus Aſtenſis, Bartholomæus Piſanus, S. Antoninus. Idem Opus ipſi vindicant MSS. *Clemente VI.* antiquiora. Denique Autor ipſe Summæ manifeſtè indicat ſe non alium eſſe à Doctore Angelico. Quid contra tam luculenta tamque invicta teſtimonia, unius Pontificis ſilentium? Si hoc argumentum alicujus ponderis eſt, ſequitur aliquos Scripturæ Sacræ libros, quos multi ex Antiquis in Canonicorum numero non cenſuerunt, non fuiſſe habitos ut reverà Canonicos, quamvis alii vel coævi vel ſuppares Patres, Pontifices, aut Concilia, eos in Canonem retulerint. Sequitur libros de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Dono Perſeverantiæ, non eſſe Sancti Auguſtini, quia Poſſidius Calamenſis Epiſcopus, qui cum Sanctiſſimo Doctore quadraginta fermè annis familiariter & dulciter vixit, eos diſertè & nominatim non recenſet, ſed ſolùm confusè indicat his verbis, *Reſponſio Objectis Hilarii liber unus.* Quem librum, alium eſſe à duobus illis quos Sanctus Auguſtinus ſub vitæ fine ad *Hilarium* & *Proſperum* ſcripſit, *Launoius* aliquis ſuſpicaretur. Sequitur librum de Fide contra Manichæos, quem nemo Auguſtino abjudicavit, quia nullus exiſtit quem argumentum Launoiano ſimile ad dubitandum de re evidenti & ab omnibus confeſſa impelleret, non eſſe *S. Auguſtini*, quia hunc librum in Indiculo non recenſet *Poſſidius*. Sequitur Epiſtolas novem, quas nec *Poſſidius* in Indiculo, nec *S. Auguſtinus* in Retractationibus recenſent, & Homilias plurimas quæ à *Poſſidio* non ſunt memoratæ, *Auguſtini* non eſſe, quantumvis ſtylus eas *Auguſtini* eſſe clamet, omneſque *S. Auguſtini* eſſe fateantur. Sequitur non eſſe *Auguſtini* libros contra *Julianum*, qui ad complementum Operis Imperfecti contra iſtum Hæreſiarcham nuper ex Codice MS. Claræ-vallenſis Bibliothecæ in lucem editi ſunt, quamvis ab eruditis omnibus ut germani illius fœtus agnoſcantur & ſuſcipiantur, eoſque Auguſtini eſſe ſtylus, doctrina & connexio cum aliis ejuſdem argumenti libris evincant: quia *Poſſidius* Opus illud contra *Julianum* Imperfectum vocat.

Perperam itaque infertur, Summam Theologicam non esse *S. Thomæ* quia ejus *Clemens* non meminit. Nec mirum quòd *Clemens VI.* Opera *S. Thomæ* recensens, Summæ non meminerit; nam hujus silentii caussa potuit esse multiplex. Prima, quòd ipsam spectaverit ut compendium totius Theologiæ Scholasticæ *S. Thomæ*; ipsi porrò visum fuerit minimè necessarium cæteris Operibus recensitis meminisse compendii quod ex illis adornaverat Catholicæ Veritatis Doctor, ut incipientes erudiret. Secunda, quòd Summæ ultimam non imposuisset manum *S. Thomas*, nec Opus omnibus suis partibus & numeris non absolutum *Clemens VI.* ad Sancti Doctoris commendationem proferre se debere existimaverit. Tertia, quòd Summa Theologica notissimum esset Angelici Doctoris Opus, quod proinde in Catalogo librorum ipsius recensere necesse non esset, cùm sub omnium eruditorum oculis, & in omnium ore versaretur.

Adde quod fieri potuit, ut in enumeratione satis prolixa memoriæ lapsum *Clemens VI.* pateretur, quòd Concionatoribus interdum accidit; unde qui Concionem ejus excepit, Summam Theologicam *S. Thomæ*, quæ ejus non diligentiam in scribendo, sed in concionando memoriam fugerat, Catalogo hujusmodi non adscripsit. Quis nescit quàm fallax sit quandoque & infidelis in viris etiam eruditis memoria? Quia de se *S. Augustinus* lib. 4. de Animæ & ejus Origine, Cap. 7. hæc habet: *Sæpe nos præsumimus aliquid memoriâ retenturos, & cùm id putamus, non scribimus; nec nobis postea cùm volumus venit in mentem, nosque pœnitet credidisse venturum, vel literis non illigasse ne fugeret; & subitò rursùs, cùm id non quærimus, occurit*, &c. Quis nescit quàm sæpè viri doctissimi sua in Operibus ea prætermiserint, quæ argumentum, quo de agebant, ut scriberent postulabat. Id animadvertit Vir hujus sæculi Doctissimus Tom. III. Perpetuitatis Fidei Ecclesiæ circa Eucharistiam lib. 7. cap. 5. hujusque rei duo protulit in *S. Augustino* exempla. Expendendum sibi sumpserat *S. Augustinus* in sua Epistola ad Honoratum, utrùm fugere posset Episcopus persecutione sæviente: responderat posse, si in ipsum singulariter sæviret persecutio, nec Ministri Ecclesiæ deessent: non posse, si generatim in Christianos omnes grassaretur, & ejus opera esset Ecclesiæ necessaria. Aptiùs hanc ad doctrinam confirmandam proferre non poterat exemplum, quàm *S. Cypriani*, qui fervente Decii persecutione has ob rationes secessit. Nullum exemplum Africani Episcopi, qualis erat *Honoratus*, animum poterat movere magis, quàm sanctissimi & doctissimi Africanæ Ecclesiæ Antistitis: nullum *S. Augustini* memoriæ citiùs occurrere debebat, qui *Cyprianum* singulari veneratione prosequebatur, resque ipsius gestis apprimè noverat. Excidit tamen illud *S. Augustino*, qui Sancti duntaxat Athanasii exemplum urget.

Alterum similis oblivionis specimen apud *S. Augustinum* videre est. Agit sæpissimè in suis de Baptismo contra Donatistas libris de effectu Baptismi ab Hæreticis & Schismaticis collati, & his omnibus in locis asserit illos Sacramentum quidem & characterem Baptismi dare posse, quia Christus est qui baptizat, sed Spiritum Sanctum, & remissionem peccatorum, quæ in sola Ecclesia accipitur, dare non posse. Hæc tam generalis assertio ansam dare videbatur colligendi, infantes ipsos ab hæreticis baptizatos remissionem peccatorum non consequi: unde necessarium fuisset ut *S. Augustinus* illam restringeret ad adultos, qui Baptismum ab Hæreticis & Schismaticis sponte recipientes, eorum hæresi & schismati communicabant. Id tamen nullibi præstitit *Augustinus*, parvulos nullibi excepit. Eccur? nisi quod ea est humani ingenii & memoriæ conditio, ut sæpe ipsis non occurrat, quod in argumenti alicujus tractatione dictu necessarium videtur. Sapientum igitur nemini erit incredibile, quod *Clemens VI. Opera S. Thomæ* in Concione recensens, Summam Theologicam prætermiserit; & illa nihilominus germanum Angelici Doctoris Opus censeri debeat.

Fieri etiam potuit ut Pontifex suam Concionem componens, aut dictans, Summæ Theologicæ inter Opera *S. Thomæ* meminisset, sed scribarum incuria & oscitantiâ omissa sit. Non enim constat MS. Codicem Illustrissimi Ecclesiæ Principis *Mauritii Tellerii* αὐτόχειρον esse. Non constat etiam num in aliis *Clementis VI.* Concionum Codicibus MSS. si qui in orbe extent, nulla fiat mentio Summæ Tripartitæ.

Instat Launoius. *Clemens* Parisiensis erat Theologus, *Beato Thomæ* ætate suppar, & eam ob caussam facilè nosse potuit quæ Opera *Thomas* conscripserat, & cumprimis Summam Tripartitam, quæ ab eo sub extremo vitæ tempore edita fuisset.

Nosse potuit *Clemens VI.* quæ *S. Thomas* scripserat; & verò novit, & cumprimis Summam Tripartitam, sed ejus non meminit ob dictas rationes. Sed nunquid Parisiensis Theologus non erat *Ægidius Romanus*, & *S. Thomæ* non solùm suppar, sed coævus, ejusque discipulus? Nunquid *Nicolaus Trivettus* non erat eidem synchronus? Nonne & in Parisiensi Academia literis dederat operam? Nonne *Durandus*, & *Hervæus Natalis* non erant Theologi Parisienses, & Sancto etiam *Thomæ* suppares? Nonne proinde omnes nosse poterant quæ Opera S. Thomas conscripserat? Cùm itaque ipsi assignent Summam Tripartitam, colligitur ipsam esse germanum Angelici Doctoris Opus. Responsio.

Adde quòd Theologi Parisienses *Clementi VI.* suppares, & qui forsan Doctoralibus Infulis jam inaugurati erant, saltem plurimi, cùm adhuc sederet in S. Petri Cathedra *Clemens VI.* Summam Tripartitam germanum esse *S. Thomæ* partum agnoverunt. Id probatur evidentissimè ex damnatione propositionum Fratris *Joannis de Montesono* Dominicani Ordinis Professoris, & Parisiensis Theologi, anno 1387. post obitum *Clementis VI.* annis 35. Quatuordecim propositiones publicè in Scholis docuerat ille Frater, quæ ad examen Sacræ Facultatis delatæ sunt, & disquisitione facta, censorio stigmate ab Academia sigillatim inustæ, ut *Erronea, temeraria, piarum aurium offensiva, præsumptuosè asserta*. Harum propositionum decima, undecima, duodecima & decima-tertia, probabilem & piam opinionem de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, quam Academia nostra jam tum propugnabat, contra Sacram Scripturam & fidem asserebant militare. Post maturum examen, & Censuram Sacræ Facultatis, cùm palinodiam recantare nollet *Joannes de Montesono*, delata res est ab Academiæ Magistris ad Episcopum Parisiensem Petrum de Ordeomonte, qui propositiones illas jure meritòque damnavit. Summum Pontificem appellavit *Montesonus*, in Parisiensis Episcopi Judicio non acquiescens: tantâque pertinaciâ pravas opiniones defendit, etiam confirmatâ per Summum Pontificem Parisiensis Episcopi Sententiâ, ut maximam sibi, universoque Prædicatorum Ordini invidiam creaverit; fueritque in caussa, ut nostri, qui illius temeritati & pertinaciæ imprudenter connivere visi fuerant, ex Academiæ gremio pellerentur. Porrò *Montesonus* in libello supplici quem Summo Pontifici

tifici porrexit, propositiones suas injuriâ damnatas fuisse à Theologis Parisiensibus, & ab Episcopo, conquestus est. Ratione multiplici dictam Censuram & damnationem irritas esse contendebat.

Primùm, quòd eorum nonnullæ ex doctrina Sancti Thomæ exceptæ essent, quam *Stephanus* Episcopus Parisiensis approbaverat literis ea de re datis. Secundò, quod *Urbanus V.* in Diplomate ad Tolosanam Academiam, S. Thomæ doctrinam tanquam benedictam & catholicam teneri à Christicolis & studiosis, eamque pro viribus ampliari præceperat. Tertiò, quod solius Sedis Apostolicæ esset declarare, damnare, & approbare quæ fidem spectarent, quia inter majores Ecclesiæ causas censebantur. Quo ex principio planè erroneo, & in divinam Episcoporum autoritatem injurioso, perperam colligebat, Parisiensem Episcopum, qui propositiones suas *falsas* esse, *erroneas*, & *hæreticas* pronuntiaverat & decreverat, in messem Summi Pontificis falcem injecisse.

Tractatum eruditum adversùs errores dicti *Joannis de Montesono Petrus de Alliaco* Parisiensis Theologus statim composuit, ejusque defensionis rationes exsufflavit. Extat ille ad calcem Magistri Sententiarum. Ad primum caput querimoniarum dicti Fratris respondere ait Universitatem Parisiensem suis Literis ita scribentem: *Nec millesies diximus, & ut videmus, non sufficit, qualiter S. Thomæ doctrinam in dicta nostra condemnatione nequaquam reprobamus: sed hunc, ejusque fautores, doctrinam ejus ad distortum, fideique absonum sensum adoptantes, aut ultra quàm fieri debet, ejusdem Doctoris documentum dilatantes, condemnamus. Et hæc*, inquit Petrus de Alliaco, *clarè patebunt ex dicendis in secundo & tertio Capitulis, ubi manifestè probabitur quòd prædicta erronea conclusiones non trahuntur ex doctrina S. Thomæ, sed magis contrariantur eidem.* Ad cætera deinde capita respondet.

Et infra, probandum sibi sumit doctrinam *S. Thomæ* non esse usquequaque probandam, quia in ea *multa contrarietates & repugnantia continentur*: quod multis exemplis probare satagit. *Primum est, quod* I. *Sententiarum Dist.* II. *Art.* IV. *tenet S. Thomas quod Pater & Filius possunt dici duo spiratores, sicut spirantes. In Prima verò Parte Summa sua, Quæst.* 36. *Art. ultimo, dicit quòd sunt unus spirator, & non duo.*

Secundum exemplum est, *Quia in* II. *Sententiarum Distinct.* I. *Quæst.* I. *Artic.* III. *dicit quòd creatio instrumentaliter communicari potuit creaturæ. In Prima verò Parte Summa Quæst.* 45. *Art* 5. *dicit quod non.*

Tertium exemplum, *Quòd in* II. *Sententiarum Distinct.* 31. *Quæst.* I. *Art.* II *& similiter in* IV. *tenet quòd omnis homo præter Christum, concipitur in peccato originali: & in* I. *Dist.* 44. *Art.* II. *ad* III. *tenet quòd Beata Virgo non fuit concepta in peccato originali.*

Quartum exemplum, *Quia in* III. *Sententiarum, Dist.* 6. *Quæst.* I. *Artic.* II. *dicit quòd prima opinio ibi posita a Magistro non est hæretica, licèt sit falsa: scilicet, Filius Dei assumpsit hominem ex humana carne, & anima rationali constitutum, & ille homo cœpit esse Deus, & Deus cœpit esse homo ille. In* III. *verò Parte Summa, Quæst.* IV. *Art.* III. *dicit, quòd est hæretica.*

Quintum exemplum est, *Quia in* IV. *Sententiarum Dist* 38. *Artic.* IV. *in solutione tertii argumenti, dicit quòd Papa potest dispensare in voto continentiæ: & in Secunda Secunda Quæst.* 88. *Art.* II. *dicit quòd non, allegans Decretalem, CUM AD MONASTERIUM, Extrà de Statu Monachor.* Ex quibus colligitur, Academiam nostram agnovisse Summam tripartitam ut germanum Opus Sancti Thomæ, quo tempore *Joannes de Montesono* damnatus est; nempe 35. annis post *Clementis VI.* obitum. Cùm igitur Clemens Theologus Parisiensis esset, plurimosque nosse potuisset illorum, qui *Montesonum* damnaverunt, verisimillimum est Pontificem ab Academia matre didicisse, Summam tripartitam esse Sancti Thomæ genuinum Opus, quamvis ob illarum fortè rationum aliquam, quas innuimus, illam in Concione sua prætermiserit.

Instat *Launoius*. Credibile non est, *Clementem* usque adeò accuratum librorum *Thomæ* texuisse catalogum inconsultis Dominicanis, à quibus quin adjutus fuerit, vix dubitari potest. Omisissent-ne Summam, inquit, si hæc inter Opera illius tunc extitisset?

Responsio. *Clementem* Dominicanos consuluisse non constat, ut Operum Sancti Thomæ indicem conficeret. Ut ut est, constat ipsos omittere non potuisse Summam tripartitam, si illis de Operibus interrogati fuerint: siquidem illam Angelico Doctori constantissimè semper assignarunt, etiam ante *Clementis VI.* Pontificatum, ut fidem faciunt prolata superiùs *Guillelmi de Toco*, *Nicolai Triveti*, *Joannis Teutonici*, *Durandi*, *Durandelli*, *Hervæi*, *Joannis de Tambaco*, *Bartholomæi Pisani*, & *S. Antonini* testimonia.

Addit *Launoius*, fuisse neminem qui tunc *Clementem* de imperfecto librorum *Sancti Thomæ* catalogo accusaverit. Accusatus esset sine dubio, quia intoleranda fuisset *Clementis* negligentia.

Responsio. Mirum sanè fuisset quòd Pontifici, seu potius Abbati Fiscanensi, (nam in minoribus adhuc erat constitutus, cùm hunc Sermonem habuit: quod dissimulare *Launoius* non debuit:) mirum, (inquam) fuisset, quod ipsi litem movisset aliquis ob Summæ Theologicæ prætermissam in Concione memoriam; cùm Operum S. Thomæ indicem conficiendum non suscepisset, sed eorum duntaxat meminisset occasione data, ut doctrinæ ipsius copiam ubertatemque demonstraret. Inurbanum certè fuisset incusare Abbatem negligentiæ, qui personam Historici non sustinebat, sed Christiani Oratoris, quòd Summam prætermisisset in enumeratione Operum *S. Thomæ*, cujus ad commendationem tot præclara congesserat, cujusque doctrinæ fertilitatem, aliis Operibus recensitis, satis superque probaverat.

Objicit rursus Launoius: *Joannem XXII.* qui *Sanctum Thomam Aquinatem* inter Cœlites retulit, in Diplomate Canonizationis ipsius Summæ Theologicæ non meminisse.

Responsio. Dormitare Launoium oportuit, cùm hæc ipsi objectio venit in mentem, quæ Sapienti nusquam inter vigilandum occurreret. *Joannes XXII.* laudato in Diplomate nullum *S. Thomæ* Opus nominatim commemorat: sed ejus generatim commendat doctrinam: cur igitur Summam Theologicam celebrasset? Si colligere liceret ex *Joannis XXII.* silentio Summam non esse *S. Thomæ* germanum Opus: ex eodem silentio liceret inferre Commentarium in Sententias, Quæstiones Disputatas, Summam contra Gentes, Opuscula, Quodlibeta, non esse Opera S. Thomæ, quia idem Pontifex ipsa sigillatim non recensei. De Sanctissimi enim Viri doctrina ista duntaxat in *Joannis XXII.* Diplomate leguntur: *Ad Theologiæ Magisterium Parisiis assumptus, magno inibi sui, suique Ordinis, ac Parisiensis Studii favore, per multorum annorum curricula Cathedram rexit Magistralem. Quippe cùm illi vita existentiam, conversatio famam, doctrina pararet opinionem, Opera divulgationem, eademque tam brevi confecta tempore admirationem meritò exhiberent; ut illud Psalmi:* Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum.

Perperam itaque infertur, Summam Theologicam non esse *S. Thomæ* quia ejus *Clemens* non meminit. Nec mirum quòd *Clemens VI.* Opera *S. Thomæ* recensens, Summæ non meminerit; nam hujus silentii caussa potuit esse multiplex. Prima, quòd ipsam spectaverit ut compendium totius Theologiæ Scholasticæ *S. Thomæ*; ipsi porrò visum fuerit minimè necessarium cæteris Operibus recensitis meminisse compendii quod ex illis adornaverat Catholicæ Veritatis Doctor, ut incipientes erudiret. Secunda, quòd Summæ ultimam non imposuisset manum *S. Thomas*, nec Opus omnibus suis partibus & numeris non absolutum *Clemens VI.* ad Sancti Doctoris commendationem proferre se debere existimaverit. Tertia, quòd Summa Theologica novissimum esset Angelici Doctoris Opus, quod proinde in Catalogo librorum ipsius recensere necesse non esset, cùm sub omnium eruditorum oculis, & in omnium ore versaretur.

Adde quod fieri potuit, ut in enumeratione satis prolixa memoriæ lapsum *Clemens VI.* pateretur, quòd Concionatoribus interdum accidit; inde qui Concionem ejus excepit, Summam Theologicam *S. Thomæ*, quæ ejus non diligentiam in scribendo, sed in concionando memoriam fugerat, Catalogo hujusmodi non adscripsit. Quis nescit quàm fallax sit quandoque & infidelis in viris etiam eruditis memoria? Qua de re *S. Augustinus* lib. 4. de Anima & ejus Origine, Cap. 7. hæc habet: *Sæpe nos præsumimus aliquid memoria retenturos, & cùm id putamus, non scribimus; nec nobis postea cùm volumus venit in mentem, nosque pœnitet credidisse venturum, vel literis non illigasse ne fugeret; & subitò rursùs, cùm id non quærimus, occurit*, &c. Quis nescit quàm sæpè viri doctissimi suis in Operibus ea prætermiserint, quæ argumentum, quo de agebant, ut scriberent postulabat. Id animadvertit Vir hujus sæculi Doctissimus Tom. III. Perpetuitatis Fidei Ecclesiæ circa Eucharistiam lib. 7. cap. 5. hujusque rei duo protulit in *S. Augustino* exempla. Expendendum sibi sumpserat *S. Augustinus* in sua Epistola ad Honoratum, utrùm fugere posset Episcopus persecutione sæviente: responderat posse, si in ipsum singulariter sæviret persecutio, nec Ministri Ecclesiæ deessent: non posse, si generatim in Christianos omnes grassaretur, & ejus opera esset Ecclesiæ necessaria. Aptiùs hanc ad doctrinam confirmandam proferre non poterat exemplum, quàm *S. Cypriani*, qui fervente Decii persecutione has ob rationes secessit. Nullum exemplum Africani Episcopi, qualis erat *Honoratus*, animum poterat movere magis, quàm sanctissimi & doctissimi Africanæ Ecclesiæ Antistitis: nullum *S. Augustini* memoriæ citiùs occurrere debebat, qui *Cyprianum* singulari veneratione prosequebatur, ejusque ipsius gestis apprimè noverat. Excidit tamen illud *S. Augustino*, qui Sancti duntaxat Athanasii exemplum urget.

Alterum similis oblivionis specimen apud *S. Augustinum* videre est. Agit sæpissimè in suis de Baptismo contra Donatistas libris de effectu Baptismi ab Hæreticis & Schismaticis collati, & his omnibus in locis asserit illos Sacramentum quidem & characterem Baptismi dare posse, quia Christus est qui baptizat, sed Spiritum Sanctum, & remissionem peccatorum, quæ in sola Ecclesia accipitur, dare non posse. Hæc jam generalis assertio ansam dare videbatur colligendi, infantes ipsos ab hæreticis baptizatos remissionem peccatorum non consequi: unde necessarium fuisset ut *S. Augustinus* illam restringeret ad adultos, qui Baptismum ab Hæreticis & Schismaticis sponte recipientes, eorum hæresi & schismati communicabant. Id tamen nullibi præstitit *Augustinus*, parvulos nullibi excepit. Eccur? nisi quòd ea est humani ingenii & memoriæ conditio, ut sæpè ipsis non occurrat, quod in argumenti alicujus tractatione dictu necessarium videtur. Sapientum igitur nemini erit incredibile, quòd *Clemens VI. Opera S. Thomæ* in Concione recensens, Summam Theologicam prætermiserit; & illa nihilominus germanum Angelici Doctoris Opus censeri debeat.

Fieri etiam potuit ut Pontifex suam Concionem componens, aut dictans, Summæ Theologicæ inter Opera *S. Thomæ* meminisset, sed scribarum incuriâ & oscitantiâ omissa sit. Non enim constat MS. Codicem Illustrissimi Ecclesiæ Principis *Mauritii Tellerii* αὐτόγραφον esse. Non constat etiam num in aliis *Clementis VI.* Concionum Codicibus MSS. si qui in orbe extent, nulla fiat mentio Summæ Tripartitæ.

Instat Launoius. *Clemens* Parisiensis erat Theologus, *Beato Thomæ* ætate suppar, & eam ob caussam facilè nosse potuit quæ Opera *Thomas* conscripserat, & cumprimis Summam Tripartitam, quæ ab eo sub extremo vitæ tempore edita fuisset.

Nosse potuit *Clemens VI.* quæ *S. Thomas* scripserat; & verò novit, & cumprimis Summam Tripartitam, sed ejus non meminit ob dictas rationes. Sed numquid Parisiensis Theologus non erat *Ægidius Romanus*, & *S. Thomæ* non solùm suppar, sed coævus, ejusque discipulus? Numquid *Nicolaus Trivetus* non erat eidem synchronus? Nonne & in Parisiensi Academia literis dederat operam? Nonne *Durandus*, & *Hervæus Natalis* non erant Theologi Parisienses; & Sancto etiam *Thomæ* suppares? Nonne proinde omnes nosse poterant quæ Opera S. Thomas conscripserat? Cùm itaque ipsi assignent Summam Tripartitam, colligitur ipsam esse germanum Angelici Doctoris Opus. Responsio.

Adde quòd Theologi Parisienses *Clementi VI.* suppares, & qui forsan Doctoralibus Infulis jam inaugurati erant, saltem plurimi, cùm adhuc sederet in S. Petri Cathedra *Clemens VI.* Summam Tripartitam germanum esse *S. Thomæ* partum agnoverunt. Id probatur evidentissimè ex damnatione propositionum Fratris *Joannis de Montesono* Dominicani Ordinis Professoris, & Parisiensis Theologi, anno 1387. post obitum *Clementis VI.* annis 35. Quatuordecim propositiones publicè in Scholis docuerat ille Frater, quæ ad examen Sacræ Facultatis delatæ sunt, & disquisitione facta, censorio stigmate ab Academia sigillatim inustæ, ut *Erronea, temeraria, piarum aurium offensiva, præsumptuosè asserta*. Harum propositionum decima, undecima, duodecima & decima-tertia, probabilem & piam opinionem de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, quam Academia nostra jam tum propugnabat, contra Sacram Scripturam & fidem asserebant militare. Post maturum examen, & Censuram Sacræ Facultatis, cùm palinodiam recantare nollet *Joannes de Montesono*, delata res est ab Academiæ Magistris ad Episcopum Parisiensem Petrum de Ordeomonte, qui propositiones illis jure meritòque damnavit. Summum Pontificem appellavit *Montesonus*, in Parisiensis Episcopi Judicio non acquiescens: tantâque pertinaciâ pravas opiniones defendit, etiam confirmatâ per Summum Pontificem Parisiensis Episcopi Sententiâ, ut maximam sibi, universoque Prædicatorum Ordini invidiam crearet; fueritque in caussa, ut nostri, qui illius temeritati & pertinaciæ imprudenter connivere visi fuerant, ex Academiæ gremio pellerentur. Porrò *Montesonus* in libello supplici quem Summo Pontifici

tifici porrexit, propositiones suas injuriâ damnatas fuisse à Theologis Parisiensibus, & ab Episcopo, conquestus est. Ratione multiplici dictam Censuram & damnationem irritas esse contendebat.

Primùm, quòd eorum nonnullæ ex doctrina Sancti Thomæ excerptæ essent, quam *Stephanus* Episcopus Parisiensis approbaverat literis ea de re datis. Secundò, quod *Urbanus V.* in Diplomate ad Tolosanam Academiam, S. Thomæ doctrinam tanquam benedictam & catholicam teneri à Christicolis & studiosis, eamque pro viribus ampliari præceperat. Tertiò, quòd solius Sedis Apostolicæ esset declarare, damnare, & approbare quæ fidem spectarent, quia inter majores Ecclesiæ causas censebantur. Quo ex principio planè erroneo, & in divinam Episcoporum autoritatem injurioso, perperam colligebat, Parisiensem Episcopum, qui propositiones suas *falsas* esse, *erroneas*, & *hæreticas* pronuntiaverat & decreverat, in messem Summi Pontificis falcem injecisse.

Tractatum eruditum adversùs errores dicti *Joannis de Montesono Petrus de Alliaco* Parisiensis Theologus statim composuit, ejusque defensionis rationes exsufflavit. Extat ille ad calcem Magistri Sententiarum. Ad primum caput querimoniarum dicti Fratris respondere ait Universitatem Parisiensem suis Literis ita scribentem: *Nos millesies diximus, & ut videmus, non sufficit, qualiter S. Thomæ doctrinam in dicta nostra condemnatione nequaquam reprobamus: sed hunc, ejusque fautores, doctrinam ejus ad distortum, fidei que absonum sensum adoptantes, aut ultra quàm fieri debet, ejusdem Doctoris documentum dilatantes, condemnamus.* Et hæc, inquit Petrus de Alliaco, *clarè patebunt ex dicendis in secundo & tertio Capitulis, ubi manifestè probabitur quòd prædicta erronea conclusiones non trahuntur ex doctrina S. Thomæ, sed magis contrariantur eidem.* Ad cætera deinde capita respondet.

Et infra, probandum sibi sumit doctrinam *S. Thomæ* non esse usquequaque probandam, quia in ea *multa contrarietates & repugnantia continentur*: quod multis exemplis probare satagit. *Primum est, quod I. Sententiarum Dist. 11. Art. IV. tenet S. Thomas quod Pater & Filius possunt dici duo spiratores, sicut spirantes. In Prima verò Parte Summa sua, Quæst. 36. Art. ultimo, dicit quòd sunt unus spirator, & non duo.*

Secundum exemplum est, *Quia in II. Sententiarum Distinct. I. Quæst. I. Artic. III. dicit quòd creatio instrumentaliter communicari potuit creaturæ. In Prima verò Parte Summa Quæst. 45. Art 5. dicit quod non.*

Tertium exemplum, *Quòd in II. Sententiarum Distinct. 31. Quæst. I. Art. II & similiter in IV. tenet quòd omnis homo præter Christum, concipitur in peccato originali: & in I. Dist. 44. Art. II. ad III. tenet quòd Beata Virgo non fuit concepta in peccato originali.*

Quartum exemplum, *Quia in III. Sententiarum, Dist. 6. Quæst. I. Artic. II. dicit quòd prima opinio ibi posita a Magistro non est hæretica, licèt sit falsa: scilicet, Filius Dei assumpsit hominem ex humana carne, & anima rationali constitutum, & ille homo cœpit esse Deus, & Deus cœpit esse homo ille. In III. verò Parte Summa, Quæst. IV. Art. III. dicit, quod est hæretica.*

Quintum exemplum est, *Quia in IV. Sententiarum Dist 38. Artic. IV. in solutione tertii argumenti, dicit quòd Papa potest dispensare in voto continentiæ: & in Secunda Secunda Quæst. 88. Art. II. dicit quòd non, allegans Decretalem, CUM AD MONASTERIUM, Extrà de Statu Monachor.* Ex quibus colligitur, Academiam nostram agnovisse Summam tripartitam ut germanum Opus Sancti Thomæ, quo tempore *Joannes de Montesono* damnatus est; nempe 35. annis post *Clementis VI.* obitum. Cùm igitur Clemens Theologus Parisiensis esset, plurimosque nosse potuisset illorum, qui *Montesonum* damnaverunt, verisimillimum est Pontificem ab Academia matre didicisse, Summam tripartitam esse Sancti Thomæ genuinum Opus, quamvis ob illarum fortè rationum aliquam, quas innuimus, illam in Concione sua prætermiserit.

Instat *Launoius*. Credibile non est, *Clementem* usque adeò accuratum librorum *Thomæ* texuisse catalogum inconsultis Dominicanis, à quibus quin adjutus fuerit, vix dubitari potest. Omisissent ne Summam, inquit, si hæc inter Opera illius tunc extitisset?

Responsio. *Clementem* Dominicanos consuluisse non constat, ut Operum Sancti Thomæ indicem conficeret. Ut ut est, constat ipsos omittere non potuisse Summam tripartitam, si illis de Operibus interrogati fuerint: siquidem illam Angelico Doctori constantissimè semper assignarunt, etiam ante *Clementis VI.* Pontificatum, ut fidem faciunt prolata superiùs *Guillelmi de Toco*, *Nicolai Triveti*, *Joannis Teutonici*, *Durandi*, *Durandelli*, *Hervei*, *Joannis de Tambaco*, *Bartholomæi Pisani*, & *S. Antonini* testimonia.

Addit *Launoius*, fuisse neminem qui tunc *Clementem* de imperfecto librorum *Sancti Thomæ* catalogo accusaverit. Accusatus esset sine dubio, quia intoleranda fuisset *Clementis* negligentia.

Responsio. Mirum sanè fuisset quòd Pontifici, seu potius Abbati Fiscanensi, (tunc enim in minoribus adhuc erat constitutus, cùm hunc Sermonem habuit: quod dissimulare *Launoius* non debuit:) mirum, (inquam) fuisset, quod ipsi litem movisset aliquis ob Summæ Theologicæ prætermissam in Concione memoriam; cùm Operum S. Thomæ indicem conficiendum non suscepisset, sed eorum duntaxat meminisset occasione data, ut doctrinæ ipsius copiam ubertatemque demonstraret. Inurbanum certè fuisset incusare Abbatem negligentiæ, qui personam Historici non sustinebat, sed Christiani Oratoris, quòd Summam prætermisisset in enumeratione Operum *S. Thomæ*, cujus ad commendationem tot præclara congesserat, cujusque doctrinæ fertilitatem, aliis Operibus recensitis, satis superque probaverat.

Objicit rursus Launoius: *Joannem XXII.* qui *Sanctum Thomam Aquinatem* inter Cœlites retulit, in Diplomate Canonizationis ipsius Summæ Theologicæ non meminisse.

Responsio. Dormitare Launoium oportuit, cùm hæc ipsi objectio venit in mentem, quæ Sapienti nusquam inter vigilandum occurreret. *Joannes XXII.* laudato in Diplomate nullum *S. Thomæ* Opus nominatim commemorat: sed ejus generatim commendat doctrinam: cur igitur Summam Theologicam celebrasset? Si colligere liceret ex *Joannis XXII.* silentio Summam non esse *S. Thomæ* germanum Opus: ex eodem silentio liceret inferre Commentarium in Sententias, Quæstiones Disputatas, Summam contra Gentes, Opuscula, Quodlibeta, non esse Opera S. Thomæ, quia idem Pontifex ipsa sigillatim non recenset. De Sanctissimi enim Viri doctrina ista duntaxat in *Joannis XXII.* Diplomate leguntur: *Ad Theologiæ Magisterium Parisiis assumptus, magno inibi sui, suique Ordinis, ac Parisiensis Studii favore, per multorum annorum curricula Cathedram rexit Magistralem. Quippe cùm illi vita existentiam, conversatio famam, doctrina pararet opinionem, Opera divulgationem, eademque tam brevi confecta tempore admirationem meritò exhiberent; ut illud Psalmi:* Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum.

rum tuorum satiabitur terra: *in eo verissime implebitur.*

Et infra. *Nam & in primitiis scientiis, & diversis Philosophiæ partibus, ut non esset otiosus, sed operaretur terram, necnon in Sacra Scriptura paginam, tam super Novum, quam Vetus Testamentum Scripta plurimaque alia Dei Opera, in Dei laudem, fideique dilatationem, eruditionemque Studentium, (clara, cum [illegible] esset, famosa, cum cognitus) non absque spe[illegible] Dei infusione perfecit. Doctrina quippe prudenti[illegible] faciiis, & omnino scientis signum est posse docere.*

Et infra. *Fidelis servus & prudens, non pertinax, non proprio sensui aut prudentia innitens, & nulla de se scientia opinione superbus; nam Qui scrutator est Majestatis, opprimetur a gloria. Unde sapienter Doctor iste in atque humiliter omnem suam verbo vel scripto doctrinam ad ejusdem Ecclesiæ fidei normam fideis devotione reduxit: quam Petri ore diffusam, stabilem noverat, & nullis concussionum flatibus agitandam.* Vides nullum *S. Thomæ* Opus à *Joanne XXII.* fuisse nominatim laudatum: quid mirum igitur si Summæ Theologicæ non meminerit?

Sed quænam fuerit *Joannis XXII.* de Autore Summæ Theologicæ, quæ *S. Thomæ* nomen præfert, sententia, demonstrat Monumentum insigne quod Avenionensis Fratrum Prædicatorum Conventûs in Bibliotheca servatur. In ea scilicet extat MS. Codex Primæ Partis, quem laudatus Pontifex Patribus nostris dono dedit; cujus ad finem habentur hæc verba: *Explicit liber primus Summæ Fratris Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum.* Initio verò Codicis * hæc leguntur adscripta. *Anno à nativitate Domini 1314. die 15. mensis Maii, Pontificatus Sanctissimi Patris & Domini nostri Domini Joannis divinâ Dei gratiâ Papæ XXII. anno 8. præfatus Dominus noster Papa dedit Conventui Avenionensi Ordinis FF. Prædicatorum istum Librum, quem idem Dominus Papa voluit penes dictum Conventum perpetuò remanere, & ipsum non posse per dictum Conventum vel personas alias transferri, permutari, donari, pignori obligari, nec extra Conventum commodari, vel alio quovis colore alienari, sed in Libraria communi prædictorum Fratrum incatenari. Quòd si contrarium facerent Conventus vel Fratres prædicti, aut Superiores Ordinis eorumdem, voluit & ordinavit, quod statim ad Cameram Sedis Apostolicæ revertatur, districtè prohibens ne quis præsentem titulum audeat removere. Et tu, Lector, ora pro eo.* Certè Codex iste ante Joannis XXII. Pontificatum exaratus erat; *S. Thomæ* igitur genuinum Opus his temporibus habebatur Summa Theologica, eamque ut germanum S. Thomæ fœtum agnoscebat laudatus Pontifex.

* In interiori parte cooperturæ.

Objicit *Launoius*, Unum & eumdem Articulum bis esse in Summa repetitum: quod in vitium, inquit, *S. Thomas* non incidisset.

Responsio. Novi in Summa Theologica quæ *S. Thomæ* nomen præfert, bis eamdem Quæstionem agitari, scilicet Secunda Secundæ, Quæst. 10. Art. 12. & Tertia Parte Quæst. 68. Art. 10. idem utrobique Articuli titulus & argumentum est: *Utrum pueri Judæorum, & aliorum Infidelium sint invitis parentibus baptizandi?* Verùm non eadem omnino est utrobique tractandi ratio. Secunda Secundæ hæc materia tractatur uberiùs, pluribus probationibus propositio negans firmatur; plura adversùs hanc doctrinam objiciuntur argumenta: tertia Parte presliùs & breviùs explanatur. Sed quis nisi nugacissimæ cavillationi assuetus ex hoc inferat Summam Theologicam non esse germanum Opus Angelici Doctoris? Cur idem Autor eamdem in variis ejusdem Operis partibus tractare materiam non possit, si partes illæ de quæstionibus agant singulæ, quarum ad complementum illius argumenti tractatio sit opus? Maximè si contingere facilè possit diversas ejusdem Operis partes ut peræ manibus non habeant, quibus illarum lectio & studium incumbit. Utraque ratio movere potuit *S. Thomam* ut eamdem Quæstionem bis agitaret. Hanc enimverò ut Secunda Secundæ tractaret, postulabat materia qua de agebat, scilicet infidelitas; postulabat Quæstionis plenitudo, cui defuisse aliquid visum esset, si hoc Articulo fuisset mutilata. Cùm enim Articulo octavo de coactione adducendorum ad fidem amplectendam egisset, quærendo, *Utrum infideles compellendi sint ad fidem?* Super erat ut de vi quæ Infidelibus inferri potest in filiorum baptismo disputaret, quærendo, *Utrum pueri Judæorum & aliorum Infidelium sint invitis parentibus baptizandi?* Tertia verò Parte pro re nata idem argumentum rursus tractare debuit, ut Quæstio de suscipientibus baptismum plena esset, ac suis omnibus numeris absoluta. Id autem eò lubent ùs præstitit S. Thomas, quòd omnes Summæ suæ Partes penes se habituri facilè non essent, qui Theologicum Stadium percurrebant, illis temporibus quibus nondum studiorum bono inventa erat Typographia: unde ut incipientium commodo serviret, quorum erudition Summam suam destinavit, ut in ejus Prologo profitetur, idem argumentum III. Parte tractavit, quod jam Secunda Secundæ discusserat. Quidni porrò ea ratio movisset *S. Thomam* ad hujusmodi Quæstionem retractandam, siquidem insignes aliquos ejus Interpretes non dissimilem ad repetitionem impulit? Illustrissimus & Eruditissimus Antistes *Dominicus de Marinis*, Avenionensis Archiepiscopus, eamdem de baptismo puerorum infidelium invitis parentibus controversiam bis in suis Commentariis expendit, scilicet ad Quæstionem decimam Secundæ Secundæ Cap. 5. & ad Quæstionem 68. III. P. Cap. 2. quo posteriori loco hæc habet, quæ meæ responsioni suffragantur; *Hanc disputationem bis Autor ex professo introducit. Primò Secunda Secundæ Quæst. 10. Art. 12. secundò hic. Et licet prædicto loco quæ nobis occurrebant, non inutiliter forsitan perstrinxerimus: quia tamen non omnes Commentaria nostra in Secundam Partem habebunt, post adductam doctrinam Autheris hic, ibi dicta in Novitiorum Theologorum commodum repetemus.*

Accedit, quòd nullum ferme eorum Operum quæ Sancto Thomæ inscripta sunt, germanum illius fœtum esse consequens esset, si Launoiana vim aliquam haberet illatio: siquidem nullum est in quo plurima ex illis quæ alibi scripserat, data occasione non repetat, aut eadem argumenta non tractet, alia licèt ratione. Nec Angelico solùm Doctori id accidit, sed Sanctis Patribus, & Sancto maximè Augustino, apud quem eamdem doctrinam sæpius inculcatam, eadem sæpiùs repetita principia notunt, qui ejus Opera non perfunctoriè legerunt. Unde Concione 2. in Psalmum XC. rogat eos qui celeriori sunt ingenio memoriaque feliciore præditi, nè ipsum eadem repetentem gravatè audiant, tardiotibus ingenuis ut se accommodet. *Sed si celeriores sunt,* inquit, *imitantur quia cum tardioribus ambulant viam. Quando autem duo comites unam viam ambulant, quorum est unus celerior, alter tardior, in potestate celerioris est ut cum illo ambulet tardior, non in potestate tardioris: quia si velit celerior tantum facere quantum potest, tardior illum non sequitur. Opus est ergo ut celerior refrenet celeritatem suam, & non relinquat comitem tardiorem. Hoc est ergo quod dixi me sæpe dixisse, & nunc iterum dico, sicut dicit Apostolus: Eadem scribere vobis mihi quidem non pigrum, vobis autem tutum.* Quid igitur mirum si S.

Philipp. 3. Ephes. 5.

S. Thomas, *Augustinus Contractus*, * eamdem in A Summa sua materiam bis tractaverit?

* Secundo loco Epistola ... vocat, lib. Tractat. de Ratione & Auctoritate in rebus Theolog.

Quid de *Sancto Gregorio Nazianzeno* dicam, apud quem insigne repetitionis exemplum videre est? Oratione scilicet 38. quæ in Christi Nativitatem Panegyrica, & Oratione 42. quæ est secunda in Pascha, sex paginæ leguntur omnino eædem, nequidem apice immutato. Nemo tamen illarum Orationum alterutram S. Gregorio Nazianzeno abjudicat: aut indignam censet illam repetitionem Græcorum Theologo. Cur itaque Summa tripartita, vel Secunda Secundæ, ob ejusdem repetitionem Articuli germanum esse negaretur Angelici Doctoris B Opus? Aut cur Latinorum Theologorum Principe indigna hujusmodi repetitio censeretur? Quid de Sancto Gregorio Magno dicam, apud quem Caput 16. lib. 34. Moralium, & Cap. 44. lib. 4. Dialogorum, sunt omnino eadem paucülis duntaxat verbis immutatis? Nec tamen alterutrum illorum Operum Sanctissimo Pontifici & Doctori quispiam abjudicat: aut illam repetitionem indignam esse tanto viro arbitratur. Summam igitur *S. Thomæ*, ob unius Articuli repetitionem in diversis illius partibus, non esse genuinum quoad singulas partes Angelici Doctoris Opus, nemo Sapientum asseret.

Præterea, negare *Launoius* non potest eumdem C falsum esse Autorem Secundæ Partis Summæ Theologicæ. At ille sub finem Primæ Secundæ, in eodem tractatu bis eamdem materiam tractat, nimirùm Quæst. 109. Art. 5. cujus titulus est: *Utrum homo possit mereri vitam æternam sine gratia*; & Quæst. 114. Art. 2. cui titulus est: *Utrum aliquis sine gratia possit mereri vitam æternam*? Quamvis utrobique non sit idem tractationis modus, quia priori loco ad gratiæ necessitatem ostendendam, posteriori verò ad ejus effectum explicandum, eo de argumento egit. Quâ de re Cardinalis *Caietanus* in suis Commentariis hæc habet: *Non inconvenit* D *diversis rationibus in diversis locis eamdem Quæstionem movere, ut unusquisque Tractatus integer fiat. Hæc ergo Quæstio de merito vitæ æternæ per gratiam, potest dupliciter occurrere. Primò de merito hujusmodi ut habet rationem finis respectu gratiæ. Et sic spectat ad Quæstionem de necessitate gratiæ, quæ est necessitas ex suppositione, scilicet ad habendum tale quid, quæ vocatur necessitas finis. Et hoc modo superius hæc Quæstio integravit Tractatum de necessitate gratiæ. Secundo de merito hujusmodi, ut habet rationem effectus respectu gratiæ, & sic hic tractatur ad integritatem Tractatus de secundo effectu gratiæ, quod est meritum.* Porrò si idem Autor bis idem argumen- E tum tractavit; nugacissimus est qui propterea negat Secundam Secundæ, & III. Partem esse ejusdem Autoris Opus, nempe S. Thomæ, quia bis in illis partibus Quæstio de baptismo puerorum invitis parentibus agitata est.

En dissipatam omnino *Launoii* conjecturam, ejusque discussam, ut existimo, dubitationem. Assensum præbebit veritati, cujus se cultorem profitetur, quæque mei non indigebat patrocinii, cùm sit ejus tanta vis, ut contra hominum quantumvis criticorum ingenia, calliditatem, audaciam, solertiam, facilè se per se ipsa defendat. Deponet errorem MSS. Codicum testimonio, Au- F torum *Clemente VI.* antiquiorum, ipsique coævorum & suppartium suffragio, Ecclesiæ, Academiæ, Eruditorum omnium judicio, & ipsa inimicorum *S. Thomæ* confessione convictum, atque damnatum. Centuriatoribus Magdeburgensibus non erit in *S. Thomam* iniquior, qui Summam tripartitam ejus Opus esse non inficiantur, imò illam ut proprium ejus germanumque Opus frequentissimè laudant. Fatebitur denique non invitus Summam tripartitam esse genuinum Angelici Doctoris partum,

Centuria 13. cap. 4.

non alterius qui ipsam ex variis ejus Commentariis confecerit, statim atque in numerum Sanctorum relatus est. Quòd si pergat inficiari, indignæ prorsus & intolerandæ pertinaciæ arguetur. *Duo enim sunt quæ in errore hominum difficillimè tolerantur*, S. Augustino teste, *præsumptio, priusquàm veritas pareat: & cùm jam paruerit, præsumpta defensio falsitatis.*

In Proœmio lib. 2 de Trin.

ARTICULUS XVII.

Respondetur Objectioni quæ ex Speculo Morali VINCENTII BELLOVACENSIS fieri potest.

Licèt quæ hucusque diximus, ad victoriam sufficere videantur, non tamen ad ipsam victoriæ satietatem. Occupandum est alterum adversariorum præsidium, ne ad illud confugiat rebus desperatis *Launoius*, & ne aliquid ejus scripturiendi libidini hoc in argumento reliquisse videar. Opponere namque posset quod ab aliis Thomisticæ Doctrinæ æmulis jam ad fastidium objectum est, ea, quæ in Secunda Secundæ sub nomine *Sancti Thomæ* leguntur, totidem verbis haberi apud *Vincentium Bellovacensem* in Speculo Morali. Porrò *Vincentius* illa sumpsisse ab Angelico Doctore non potest, quia mortuus esse debuit antequam *S. Thomas* Summam scriberet, (si unquam scripsit) cùm illius mors ad annum 1256. consignetur, quo tempore triginta circiter tantùm annos Angelicus Doctor attigerat. Non composuit igitur Secundam Secundæ *Sanctus Thomas*; nec proinde totius Summæ tripartitæ Autor asseri debet.

Dilui facilè hæc Objectio potest. Qui enim *S. Thomam* legerit, non minùs hanc ipsi Partem Summæ, quàm cæteras asseret, cùm Secunda Secundæ citet interdùm, quæ Prima, Secundæ, vel alibi scripserat. Præsto exemplum est Quæst. 8. Art. 6. ubi retractat emundatque quod Prima Secundæ Quæst. 68. Art. 4. dixerat, donum intellectus speculativam animæ partem perficere, ac ob eam rationem à dono scientiæ & consilii distingui. *Videtur quibusdam*, inquit, *quòd donum intellectus distinguatur à dono scientiæ & consilii per hoc, quòd illa duo pertineant ad practicam cognitionem; donum autem intellectus ad speculativam..... & secundùm hoc supra numerum donorum assignavimus. Sed diligenter intuenti donum intellectus non solùm se habet circa speculanda, sed etiam circa operanda.*

Responsio.

Prima Secunda Q. 68. Art. 4.

Aliud exemplum est Quæstione 161. Art. 7. ubi citat quod scripserat de superbia, Prima Secundæ Q. 84. Art. 2. *Superbia*, inquit, *habet rationem primi peccati, & est etiam principium omnium peccatorum, ut supra dictum est cùm de caussis peccati ageretur, ex parte aversionis, quæ principalior est in peccato.*

Prima Secunda Q. 84. Art. 2.

Tertiò Quæst. 8. Art. 8. citat quod Prima Secundæ, Quæstione septuagesima, Art. 1. de fructibus Spiritus Sancti dixerat. *Respondeo dicendum, quod sicut suprà dictum est cùm de fructibus ageretur, fructus Spiritus dicuntur ultima & delectabilia, quæ in nobis proveniunt ex virtute Spiritus Sancti.*

Prima Secunda Q. 70. Art. 1.

Quartò. Quæstione 9. Artic. 1. ad primum, citat quæ scripsit Prima Parte, Quæst. 14. Art. 7. *In Deo*, inquit, *certum est judicium veritatis absque omni discursu, per simplicem intuitum, ut in primo dictum est, & ideo divina scientia non est discursiva.*

1. p. Q. 14. Art. 7.

1. P. Q. 96. Art. 1. & Q. 97. Art. 1.

Et Quæstione centesima sexagesima quarta, Articulo primo, citat quod de homine in statu innocentiæ constituto, Prima Parte dixerat. *Sicut autem in primo dictum est, homini in prima sui institutione hoc beneficium fuit collatum divinitus, ut quandiu mens ejus esset Deo subjecta, inferiores vires animæ subjicerentur rationali menti, & corpus animæ subjiceretur*, &c.

Secunda Secundæ Quæst. 1. Art. 4.

Quintò. Tertia Parte, Quæst. 7. Art. 3. citat quod de fidei objecto scripsit Secunda Secundæ, Quæstione prima, Articulo quarto. *Respondeo dicendum*, inquit, *quod sicut in Secunda Parte dictum est, objectum fidei est res divina non visa.*

Secunda Secundæ Q. 174 Art. 4.

Et Articulo 8. in argumento tertio, citat quod de Moyse scripsit in Secunda Secundæ. *Propheta*, inquit, *est inferioris Ordinis quam Angelus: unde & de Moyse qui fuit supremus Prophetarum (ut in Secundâ Parte dictum est) dicitur Act. 7. quòd locutus est cum Angelo in solitudine.*

Prima Secundæ Q. 110. Art. 2. & 1.

Et in eadem quæstione frequenter citat ea quæ scripsit Prima Secundæ. Sic enim ait Art. 2. *Respondeo dicendum, quòd sicut in Secunda Parte dictum est, sicut gratia respicit essentiam animæ, ita virtus respicit potentiam ejus.*

Prima Secundæ Q. 68 Art. 1.

Et Articulo quinto: *Respondeo dicendum, quòd sicut in Secunda Parte dictum est, dona propria sunt perfectiones quædam potentiarum animæ, secundum quòd sunt natæ moveri à Spiritu Sancto.*

Prima Secundæ Q. 42. Art. 1.

Et Articulo sexto: *Respondeo dicendum, quòd sicut in Secunda Parte dictum est, timor respicit duo objecta: quorum unum est malum terribile; aliud est illud cujus potestate malum potest inferri.*

1. P. Q. 12. Art. 2.

Denique frequenter etiam citat Primam Partem, ut patet cùm ex aliis, tum ex Articulo 3. Quæstionis nonæ, in Responsione ad 3. *Cognitio beata*, inquit, *non fit per speciem quæ sit similitudo divinæ essentiæ, ut patet ex his quæ in Prima Parte dicta sunt.*

Porrò ex his omnibus evidenter colligitur, omnes Summæ Theologicæ Partes ejusdem esse Autoris. At Primam Partem, Primam Secundæ, & Tertiam Partem *Vincentio Bellovacensi* nemo assignavit. Nec igitur Secunda Secundæ ipsi assignanda est.

Adde quòd *Vincentius* in suo Speculo Naturali, lib. 26. multa citat nominatim ex *Thoma de Aquino*. Et inter alia Cap. 101. definitionem raptûs à S. Thoma traditam Secunda Secundæ Quæst. 175. Art. 1. in 1. Argumento citat his verbis: THOMAS DE AQUINO. *Est autem raptus, prout describitur à Doctoribus, ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam, vi naturæ superioris elevatio.*

Secunda igitur Secundæ Partis Summæ Theologicæ *S. Thomæ* à *Vincentio Bellovacensi* in Speculum suum Morale conversa ferè tota est. Nam etsi ante *S. Thomam* obiisse supponatur laudatus Autor: tamen Secundam Secundæ absolvere potuit dum adhuc in vivis ageret *Vincentius Bellovacensis*, quem anno 1256. obiisse minimè certum est. Quamvis enim id Antonius Senensis & Massæus testentur, tamen ejus mortem in annum 1261. alii differunt, ut Autor Historiæ Pontificalis Hispaniæ, in *Urbano IV.* alii in annum 1263. ut *Ferdinandus Castillus* I. P. Historiæ Ordinis Prædicatorum lib. 2. Cap. 36. & *Albertus Castellanus* in Chronico Cap. 96. Quidni autem *S. Thomas* duodecim annis ante mortem suam parasse potuit Quæstiones ad rem moralem spectantes, licèt nondum eas digessisset eximio illo ordine & singulari methodo, quæ cum aliarum Partium, Operumque Theologicorum methodo & ordine adeò mirificè conveniunt? Quidni verò si Quæstiones illas paraverat, eas cum *Vincentio Bellovacensi* commu-

A nicare potuit? Certè in Speculo Morali *Vincentii* non inveniuntur ea methodo tractatæ, quæ *S. Thomæ* propria est: nec enim proponuntur argumenta, nec solutiones argumentorum subjiciuntur: quod evidens indicium est *Vincentium* à *S. Thoma* hæc accepisse, non *S. Thomam* ex *Vincentio*; vel quempiam alium, Secundam Secundæ deflorasse, quam *S. Thomæ* nomine honestaret.

Alii conjiciunt, quòd *Vincentius Bellovacensis*, qui Speculum quadruplex pollicitus fuerat, Naturale scilicet, Doctrinale, Historiale, & Mo-
B rale, tres tantùm priores Operis partes conscripserit; morte præventus non composuerit ultimam. Studiosum porrò aliquem post ejus obitum, velut ad perfectionem Operis, cui Morale Speculum deerat, supplementum quoddam addidisse ex iis quæ ad mores pertinentia S. Thomas in Secunda Secundæ tradiderat; quod etiam ex ipsa diversitate styli in eo Speculo, & aliis prædictis manifestum esse volunt. Cùm autem in iisdem Codicibus illud ex Secunda Secundæ Vincentii supplementum descriptum esset, vel cum aliis præcedentibus Speculis conjunctum, ipsique præfixum esset nomen Speculi Moralis, quod ille pollicitus
C fuerat, ea invaluit opinio quòd etiam à *Vincentio Bellovacensi* scriptum esset. Quod multis aliis Operibus interdum accidisse Antiquarii norunt, quæ cùm in eodem Codice exarata essent cum aliorum Autorum lucubrationibus, ipsis adscripta sunt olim, nec nisi sagacissimorum Criticorum diligentiâ pro suppositiis agnita sunt; Autoribusque propriis vel nondum, vel ægrè admodum restituta. At hæc Sententia quoad illud caput falsa est, quo asserit *Vincentium Bellovacensem* Morale Speculum non perfecisse. Contrarium enim constat ex ipsomet Autore in Prologo Operis.

D Alii denique censent Sancto Thomæ superstitem vixisse Vincentium Bellovacensem: quam in sententiam inclinant Theologi Collegii Vedastini Duacensis, qui quadruplicis editionem Speculi curarunt anno 1624. & secundùm hos dicendum est, Autores qui *Vincentii* mortem iis annis consignarunt, quos notavimus, aliud fortè notasse tempus, quod inversis notis numeralibus mutatum sit. In hac autem opinione nulla omnino difficultas remanet, quin *Vincentius* Secundam Secundæ *S. Thomæ* in Speculum suum Morale transfuderit: verisimilius autem esse, quod à *Sancto Thoma* Vincen-
E tius Bellovacensis mutuatus fuerit Moralis Speculi doctrinam, quàm quòd *Sanctus Thomas* Secundam Secundæ ex *Vincentii* Speculo hauserit, colligo ex eo quòd Angelicus Doctor, ubicumque sententiam seu verba profert alterius Autoris, ejus nomen laudat, nec ipsi solemne est Operum suorum opes ex aliorum scriptis corrogare. At *Vincentius Bellovacensis* ingenuè profitetur, se Speculum illud quadruplex variis ex Autoribus deflorasse, pauca ex suo penu protulisse. Ita quippe scribit in Prologo totius Operis Cap. 4. *Quanto minùs ergo nunc arguendus videor, quia multo-*
F *rum librorum florem quemdam atque medullam in unum volumen compegi, iterumque sub certis titulis ordine congruo redegi? Non autem hoc dico, Sanctorum Patrum, vel etiam cæterorum Auctorum Scriptis præsumptuosè derogando, meumque jactanter & inaniter extollendo; præsertim cùm hoc ipsum Opus utique meum simpliciter non sit, sed illorum potiùs, ex quorum dictis ferè totum illud contexui: nam ex meo ingenio pauca & quasi nulla addidi.*

Postremam hancce sententiam juvaret *Sixti Senensis* testimonium lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ, ubi scribit, *Vincentium Bellovacensem* sub *Philippo*

Valesio

Valesio Francorum Rege floruisse. Regnare autem cœpit *Philippus Valesius* anno 1328. Sed nullius revera ponderis est hæc in re *Sixti Senensis* Auctoritas; primò quia non ait unde id acceperit, & pugnat cum cæteris Auctoribus: secundò quia secum ipse pugnat eodem in loco; ait enim claruisse *Vincentium Bellovacensem* sub *Frederico* Imperatore, hujus nominis secundo, anno Domini 1240. Porrò etsi trigesimo ætatis suæ anno jam aliquam nominis claritatem ipsi eruditio peperisset, incredibile est quòd sub *Philippo Valesio* illud Opus conscripserit. Tunc enim decimum-octavum supra centesimum annum egisset.

Ut autem, quod sentio, ingenuè dicam, secunda opinio ex aliqua parte verisimilior mihi videtur: nam & styli diversitas, & omissio Procemii quod in aliarum partium fronte legitur, & distributio Speculi Moralis per distinctiones, non per capita, ut in aliis partibus, & nullius Authoris, immo nec *S. Thomæ* laudatum nomen, contra morem *Vincentii*, probant illud à *Vincentio Bellovacensi* non fuisse conscriptum, sed ab alio post obitum ipsius ex Secunda Secundæ S. Thomæ magna ex parte contextum. Quod tamen non ita intelligi velim, quasi Morale Speculum non composuerit ac perfecerit *Vincentius Bellovacensis*, sed quòd illud excidisse verisimile sit, & in ejus supplementum substituta ac supposita Excerpta ex Prima & Secunda Secundæ *S. Thomæ*.

Eo assertam invictissimis momentis Angelico Doctori Summam Tripartitam. Hæc cùm iis quæ vir doctissimus M. *Joannes Launoius* opposuit, cordatus Lector conferat, deque tota ista Dissertatione ferat judicium. Hanc legant ii qui sunt post *Launoium* hæsitantes, ac opinandi ambigendique de rebus certissimis libertatem veritatis vinculis coërceant, ne de illis meritò dicatur quod *S. Gregorius* lib. 5. Moralium Cap. 18. de quibusdam scribit: *Communem scientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æstimentur: occulta vel nova semper exquirunt, quædam aliis nesciunt, apud imperitorum mentes ipsi de scientia singularitate gloriantur. . . . . Ipsi sibi testes sunt, quia quæ proferunt, vera non sunt. In nocturna quippe visione dubiè cernitur. . . . . Sed hinc colligendum est, quomodo audientibus certa esse poterunt, quæ ipsi dubie viderunt.*

Explicat ibi S. Gregorius hæc verba Job c. 4. *Succe quasi furtivè ... jus, in horrore visionis nocturnæ.*

SCHOLION I.

Dissertationis hujus Articulo V. pag. 811. Religiosi Censores hæc notant: *Papa adoravit Imperatorem. S. Thomas non fuit in illo errore quòd Papa habeat aliquam potestatem in temporalia Regum.*

R. *Leo III.* Carolum Magnum *more antiquorum Principum adoravit.* Non mea, sed *Anastasii Bibliothecarii*, & *Eginhardi* verba sunt.

Quod *S. Thomam* spectat, Angelicum Doctorem in illa opinione non fuisse censeo. Errorem vocavi, cum Sacra Facultate Parisiensi & Ecclesia Gallicana locutus.

SCHOLION II.

Dissertationis ejusdem Articulo IX. pag. 811. Religiosi Censores hanc notam appinxerunt: *Immodestè loquitur de quorumdam impugnatoribus Summæ S. Thomæ.*

R. Scriptores quosdam Ordinis FF. Minorum, qui Summam Theologicam non esse *S. Thomæ* asserere non dubitarunt, aut Angelicum Doctorem Secundam Secundæ ab *Alexandro Alensi* furatum, *audaces & inverecundos* appellavi. Quòd his verbis obscuros homines *S. Thomam* plagii accusantes castigaverim, meæ in Magistrum & Angelum Scholæ reverentiæ, amori ac zelo condonari poterat.

SCHOLION III.

Dissertationis ejusdem Articulo XII. pag. 835. & 836. Religiosi Censores hanc notam appinxerunt: *Agit de Conceptione Beatæ Virginis contra Decreta Pontificum.*

R. Quæstionem de Conceptione Deiparæ Virginis eo loci non attingo, sed aio inter FF. Minores & Prædicatores disputatum olim fuisse scribo de Conceptione immaculata Deiparæ Virginis. Scotistas doctissimos piæ & jam vulgatæ jam opinionis patrocinium suscepisse, omni momentorum genere adversus Thomistas pugnantes, & ipsius S. *Thomæ* adversus illos urgentes auctoritatem Thomistæ ejusdem *S. Thomæ* doctrinam III. p. Quæst. XXVII. A. III. opponebant. Nemo Scotistarum respondit III. Partem, totamque Summam Theologicam non esse *S. Thomæ* germanum Opus. Hæc tantùm scripsi eo loci, quæ certè ad metam factæ quæstionem pertinent, quod commemorare non vetant Pontificum Decreta. Cæterùm quod spectat ipsum dogma, censeo Beatissimam Virginem Mariam Dei Matrem, Dei beneficio Christique Redemptoris gratiâ, & singulari privilegio immunem fuisse à peccato originali servatam, quæ Sacræ Facultatis Parisiensis doctrina est, quam Ecclesia laudat, ipsique favet: tantùm abest ut de illa sic agere prohibeant Summi Pontifices.

SCHOLION IV.

Dissertationis ejusdem Articulo XVI. pag. 859. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Quod solius Sedis Apostolicæ sit determinare quæ sunt fidei, est principium erroneum, & in divinam Episcoporum auctoritatem injuriosum.*

R. Ita censet Sacra Facultas Parisiensis, ut ex ejus Censuris patet. Principium (inquam) illud erroneum esse censet, quatenus voce ista, *solius*, à cognitione & judicio causarum fidei Episcopos & Concilia, præsertim generalia, excludit. Cæterùm verbum istud *determinare*, eo loci non usurpavi, sed *declarare*, *damnare*, vel *approbare*: quia summam auctoritatem judicandi & determinandi sive finiendi controversias fidei Summo Pontifici præ omnibus & supra omnes Episcopos jure divino convenire propugno, secundùm illam *S. Gregorii Magni* sententiam Epistola 111 libri 1. ad Gallicanos Episcopos de Virgilio Arelatensi Archiepiscopo, cui Sedis Apostolicæ vices in Galliis commiserat. *Si quam verò contentionem, quod longè faciat de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sua magnitudine judicio Sedis Apostolicæ indigeat: Examinata diligentius veritate, Relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat CONGRUA SINE DUBIO SENTENTIA TERMINARI.*

SCHOLION V.

Ad eumdem Articulum, pag. 860. objiciunt Religiosi Censores, me *Notare quasdam contradictiones S. Thomæ.*

R. Non ego, sed *Petrus de Alliaco* in Tractatu contra *Joannem de Montesono*, contradictiones illas apparentes notat. Id unum hinc colligo, Parisiensem Academiam agnovisse Summam Tripartitam ut germanum Opus *S. Thomæ*, quo tempore *Joannes de Montesono* ab Academia damnatus est. Ut *Petrum de Alliaco* refellerem, nullamque in S. *Thomæ* doctrina antilogiam esse ostenderem, institutum meum, susceptique Operis ratio non patiebatur.



DISSERTATIO VII.

De Concilio Lugdunensi II.

ARTICULUS I.

De Concilii convocandi causa, & indictione.

COEPTUM jam *Photii* temporibus Schisma, sub Imperio *Constantini Monomachi* latiùs fuerat propagatum, *Michaele Cerulario* Constantinopolitano Patriarcha, & *Leone* Acridano Archiepiscopo autoribus, qui Præsules plerósque omnes, Clericos, Monachos, Populúmque in partes traxerant, Latinorum Ritum Missæ Sacrificium in Azymo celebrandi, Sabbathi Jejunium, plurimasque

másque alias Romanæ Ecclesiæ Consuetudines damnare ausi erant. Negabant præterea Spiritum Sanctum à Filio procedere: Latinos Anathematis vinculo devinctos effutiebant ob additionem vocis, *Filióque*, Symbolo Constantinopolitano factam. Romani Pontificis institutum Jure Divino Primatum impugnabant. Nihil tunc temporis neglexerat *Leo IX.* Pontifex Optimus Maximus, ut nascentis Schismatis incendium extingueret. Nihil ejus Successores omiserant. Schismatis vires Latinorum Imperium Constantinopoli fregerat: sed eo cadente, Schisma invaluerat pertinaciùs. De Ecclesiarum Unione cum *Michaele Palaeologo* Græcorum Imperatore agere cœperant *Urbanus IV.* & *Clemens IV.* In quam se propensissimum *Palaeologus* demonstrabat. Unde & ad *Gregorium X.* qui *Clementi IV.* proximè successit, Nuntium misit, *Joannem* Ordinis FF. Minorum Professorem, Literásque scripsit affectus sui & zeli ad pacem & unionem populi Christiani, & reverentiæ erga Sedem Apostolicam testes. Quin etiam *Ludovicum IX.* Francorum Regem Sanctissimum idem Imperator oraverat, ut Ecclesiasticæ pacis sequester esset: eique dissidii totius arbitrium detulerat: sed Rex Sanctus in causa Fidei & Schismatis judicandi auctoritatem usurpare nolens, pro hujusmodi tamen consummatione negotii curam omnem se apud Sedem Apostolicam adhibiturum promiserat, ut *Gregorius X.* testatur in Literis ad eumdem Imperatorem datis nono Calendas Novembris MCCLXXIV. *Adjicis quoque*, inquit, *non modicum ad conceptam ex præmissis cordis nostri lætitiam, quòd hujusmodi laudabilem Zelum tuum ad ejusdem Populi unionem, claræ memoriæ Ludovico Regi Francorum Illustri, sicut intelleximus, apertiùs revelasti: & eidem patenter insinuans, quod Tu, Clerus, & Populus tuæ ditioni subjecti, desiderantes ad obedientiam ejusdem Ecclesiæ Romanæ redire, ipsique in ejusdem Fidei Professione uniri, ac varias super hoc ad eamdem Sedem Literas & Nuntios destinantes, quorum etiam aliqui in via detenti, non pervenerunt ad eamdem, frequenter & humiliter ad id vos postulastis admitti, nec adhuc tuæ & ipsorum fuerat instantiæ satisfactum, apud eumdem Regem, multiplicatis super hoc Literis & Nuntiis institisti; petens instanter, ut ipse in tam pio & utili negotio Arbitri partes assumens, ad ipsius consummationem solicitâ intenderet pietate: ac insuper, (ut tuis verbis, prout nobis referuntur, utamur) Te velle Regem eumdem Arbitrum in hoc constituere asserens, promittebas, quicquid idem Rex super hoc diceret, te plenè ac inviolabiliter servaturum. Et ut pleniùs circa hoc tuum manifestares affectum, adjurasse diceris Regem eumdem per aspersionem Sanguinis Jesu Christi, ne assumere onus hujusmodi recusaret: & ne secus faceret, ad Summum Judicem, ut ipse Rex in extremo Judicio coram eo de hoc rationem redderet, appellasse. Et licet idem Rex prudenter attendens, & humiliter recognoscens, quòd suum non erat, tale in eodem negotio, quod specialiter pertinere dignoscitur ad ejusdem Sedis examen, officium usurpare, consultè responderit, Quòd in ipso nequaquam hujusmodi partes assumeret, sed pro ipsius consummatione apud Sedem ipsam libenter instaret; ac propterea Literas, & suos ad eamdem Sedem Nuntios destinaret. Qui hæc omnia, ipsa tunc Sede vacante, coram prædictis nostris Fratribus retulerunt. Ad quorum etiam pro parte ipsius Regis instantiam, bonæ memoriæ Albanensi Episcopo tunc in partibus illis ejusdem Sedis Legato, super hoc plena commissio facta fuit. Tamen ipsis Rege ac Legato humanæ de hac luce subtractis, processus aliquis haberi non potuit per eamdem.*

Michaël Palæologus Græcorum Imperator S. Ludovicum Francorum Regem pacis & concordiæ inter Ecclesiam Græcam & Romanam sequestrem & arbitrum eligit.

S. Ludovicus spopondit se pro istius negotii consummatione apud Sedem Apostolicam acturum.

Urbano IV. & *Clementi IV.* placuerat, ut priùs de fidei veræ dogmatibus, quàm de concordia Græcos inter ac Latinos ageretur. Quamobrem *Clemens IV.* datis ad Imperatorem Literis Fidei Professionem ab ejus Majestate, Clero & Populo emittendam instruxerat; ea quæ circa Romanæ Ecclesiæ Primatum ab iis recipi volebat, sacris apicibus pleniùs explicans. Ipsâque Fidei Professione Imperatoris Oratoribus traditâ, se ipsis satisfacturum spoponderat, si aliquis circa illam scrupulus in ipsorum mentibus oriretur. Ubi verò Græci Professionem illam Fidei recepissent, & ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam redussent, si Concilium Generale ad factum fœdus inter utramque Ecclesiam confirmandum celebrari *Palaeologus* postularet, Romana Ecclesia ejus votis annueret: non ad prædictæ Fidei discussionem, vel novam Diffinitionem; *quam tanquam innumeris Sacræ Paginæ auctoritatibus, numerosis SS. Patrum Sententiis, & Romanorum Pontificum stabili Diffinitione firmatam*, nolebat, sicut nec expediebat, in dubium revocari, novóque examini subjici. Is erat rerum status, cùm *Gregorius X.* Cathedram *S. Petri* conscendit. Qui statim de Ecclesiæ Græcæ cum Latina conciliatione cogitans, Legatos ad hoc promovendum negotium ad *Michaelem Palaeologum* misit; ad illúdque consummandum, Synodum Oecumenicam indixit. Anno MCCLXXII. convocata est, post biennium celebranda; ut constat ex ipsius *Gregorii X.* Diplomate, quod incipit: *Salvator noster*: quod ad Hierosolymitanum Patriarcham, & Episcopos, ac cæteros Palæstinæ Prælatos datum est. Et eodem exemplo datæ sunt ad omnes Ecclesiæ Catholicæ Præsules Encyclicæ Literæ. Quo in Diplomate & Literis hæc habentur: *Lugendum siquidem occurrit, quòd per subtractionem prædictam, à Sedis ejusdem unitate subtractos, & in devio positos grandis culpæ mors afficit: quod Sanctæ universalis Ecclesiæ membra tam nobilia, eadem gravis admodum & dispendiosa subtractio tanto tempore mutilavit. Lugendum iterum ac amarè dolendum, quod sicut in partibus transmarinis non tantùm audivimus, sed & oculis nostris vidimus, & manus nostræ contrectaverunt, detestabiliùs solito blasphematur in gentibus nomen Christi: cùm jam non tam verbis, quàm rebus ipsis & factis, Christianis insultetur ab Infidelibus & dicatur:* Ubi est Deus eorum? *Dum funiculus hereditatis Domini, eadem Terra Sancta, per nefandissimos Saracenos sic audacter invaditur, &c. Lugendum & ampliùs, pariter & horrendum, quod cùm ille Summus Agricola, Sator bonorum omnium & plantator, agrum mundi hujus diligenter excolens, in eo seminaverit semen bonum: inimicus homo tanta in ipso invenitur superseminasse vitiorum zizania, & errorum, ut ea deflere magis liceat, quàm narrare... Hæc dum ministerio considerationis debita, mentis nostræ præsentantur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit: & ad tanta discrimina relevanda suspirat affectus, cor ut accenditur, & spiritus anxiatur. Ad quod cùm Nos sufficere non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium & humiliter petimus, & devotè speramus. Et quia salubre in his adhiberi remedium, interest generaliter omnium: Nos cum Fratribus nostris, aliisque viris prudentibus, exactè & frequenti tractatu prahabito, prout tanta necessitatis instantia exigebat, de ipsorum consilio, Generale Concilium, sicut imitatione digna SS. Patrum consuetudo laudabilis, longaque observationis exemplum Nos instruit, opportuno tempore decrevimus congregandum, &c.* Tres itaque causæ congregandi Concilii fuere: 1. Ecclesiæ Græcæ cum Latina c[illegible] & Catholicorum Dogmatum adversùs Græcorum

Causæ congregandi Concilii.

Schismaticorum errores confirmatio: 2. Subsidium Terræ Sanctæ: 3. Ecclesiasticæ Disciplinæ, morúmque tum Cleri, cùm plebis Christianæ reformatio: de qua scribit idem Pontifex: *Interim per vos, & alios prudentes viros Deum timentes & habentes præ oculis, omnia quæ correctionis & reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter, & conscribentes fideliter, eadem ad ipsius Concilii notitiam deferatis. Et nos nihilominus variis modis & viis solers studium & efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examen ejusdem deducta Concilii, correctionem & directionem recipiant opportunam.*

Literas etiam dedit *Gregorius X.* ad *Michaëlem Palæologum*, Græcorum Imperatorem, quæ incipiunt: *Qui miseratione ineffabili.* Misit Apocrisiarios quatuor Religiosos Viros ex Ordine FF. Minorum, cum Formula Fidei, quam ipse, cum Patriarcha, Episcopis, & Clero Ecclesiæ Græcæ profiteri deberet. Hortatus est ut ad Synodum veniret, vel Oratores mitteret. *Josephum* etiam Constantinopolitanum Patriarcham, & Prælatos Græcos ad Concilium vocavit Literis, quæ incipiunt: *Multo, sicut nosse te credimus.* Nuntios Apostolicos, quo par erat honore & benignitate suscepit *Palæologus*, duósque ex ipsis ad Summum Pontificem remisit, qui Majestatis ipsius constantem in Sanctæ Unionis desiderio voluntatem Sanctitati suæ significarent. Ejus acceptis literis, gratulatus ipsi est *Gregorius*, ad perseverantiam, & saluberrimique Operis consummationem, & ad mittendos quam primùm plena cum potestate Oratores adhortatus est, qui ejus nomine Concilio interessent. Id constat ex ejusdem Pontificis Literis, quæ incipiunt: *Literarum series.*

Ad hoc Concilium, præter Patriarchas, Episcopos, & Abbates, vocavit Summus Pontifex viros duos doctrina & sanctitate celeberrimos, *Thomam Aquinatem*, & *Bonaventuram.* Quorum prior, scilicet *S. Thomas*, cùm ad Concilium pergeret, in Monasterio Fossæ Novæ lethali ægritudine correptus, ad vitam migravit immortalem. Sanctus verò *Bonaventura* in ipso Concilio Cardinalis & Episcopus Albanensis creatus est.

ARTICULUS II.

De celebratione, & Actis Concilii circa Fidem, Unionem Ecclesiarum, & Subsidium Terræ Sanctæ.

Concilium Lugduni in Galliis celebratum est, in Basilica Principe *S. Joannis*; cœptúmque die VII. Maii, anno MCCLXXIV. triduano jejunio, precibúsque solemnibus præmissis. Præfuit *Gregorius X.* Pontifex Maximus. Nam quòd *S. Bonaventuram* præsedisse aiunt *Sixti* duo Summi Pontifices: Quartus nimirum in Bulla Canonizationis, Quintus in ea qua *S. Bonaventuram* Ecclesiæ Doctoribus annumerandum decernit: ita *Galesinus* intellexit in ejus Vita, ut *dirigendi Concilii* curam ei Pontifex commiserit, providendi scilicet quæ proponenda essent. Nam primas in Concilio tenere, præsente Pontifice, non poterat. Præter Latinos Patriarchas, *Pantaleonem* Constantinopolitanum, & *Opizonem* Antiochenum, adfuere quingenti Episcopi, Abbates septuaginta, Prælati inferiores mille, ut *Ptolemæus Lucensis* coævus Autor, Historiæ Ecclesiasticæ lib. XXIII. Cap. III. & *Eberardus* in Annalibus testantur. Aderant etiam Oratores Regum, Franciæ, *Philippi III.* Germaniæ, Angliæ, & Siciliæ. Adfuit etiam initio *Jacobus* Rex Aragonum, homo extrema ætate decoris avidus, sed post secundam Sessionem discessit, non obscurè iratus Pontifici quòd ipsius capiti Regni coronam imponere recusasset, nisi vectigali persoluto, quod *Petrus* ipsius pater, quo tempore Romæ coronam susceperat, pendere quotannis pactus erat. *Jacobo Regi indignum videbatur, Regnum Majorum virtute partum, cuiquam externo Principi esse vectigale*: (inquit *Mariana*) idémque testatur *Surita* in Rerum Aragonensium Indicibus. *Michaëlem Palæologum*, Imperatorem Græcorum ad Concilium venisse, falsò scripsere, *Blondus*, Decade II. lib. VIII. ab eóque in similem errorem tracti, Trithemius, in Chronico Hirsaugiensi, Platina, Sabellicus, Nauclerus, Robertus Gaguinus lib. VII. Sigonius, Vignerius, Petrus Galesinus in Vita S. Bonaventuræ, Cap. XIV. Vossius lib. De tribus Symbolis, & *Robertus Creigtonus* in Præfatione ad Historiam Concilii Florentini à *Sguropulo* scriptam. Sed momentis gravissimis refelluntur. Primò, quia lectæ sunt Imperatoris Literæ in Concilio, páxque Ecclesiæ Græcæ cum Latina ab ejus Oratoribus, Majestatis ipsius nomine jurata est. Oratores autem cum Literis ad Concilium non misisset, si ipse Concilio adfuisset. Secundò, quia *Gregorius X.* statim ad ipsum scripsit post Concilium Lugdunense, tanquam ad hominem eorum omnium ignarum, quæ in Sacro illo Cœtu gesta erant. *Occurentes itaque Tibi de regione dissimilitudinis redeunti* (inquit) *tollo suo brachiis paternæ affectionis incumbimus, & te solida charitatis osculo pressius osculamur. O utinam tibi, Fili, pateret ad plenum, cum quanto in his occurris tripudio eadem Ecclesia nuper in Lugdunensi Concilio congregata! O si voces psallentium inibi, Deúmque flexis genibus, & nudatis capitibus laudantium, præcipuè Prælatorum, in tuis sonuissent auribus, & revelata facie ipsorum oculos deducentes quasi aquarum exitus inspexisses: profectò prudenter adverteres, quòd erant eorum lachrymæ tam excussi doloris indices, quàm adeptæ lætitiæ proditrices. Nec minùs intelligeres, quàm grati tui advenerint Nuntii, quàm fuerint gratanter accepti, cum quanto etiam jubilo tua Professio sit acceptata.* Et infrà: *Super his autem, & aliis habitis circa præmissa Processibus, præfati tua Celsitudinis Nuntii, quorum tibi notior est virtus & probitas, ad te plenius revertuntur instructi: quibus te non dubitamus fidem indubiam adhibere.* Idem probant ejusdem Pontificis Literæ ad Episcopos Græcos. *Charissimi*, inquit, *in Christo Filii nostri Palæologi Græcorum Imperatoris Illustris, & vestros Nuntios & Literas tanto recepimus gratius, quanto proculdubio gratiora, & nostris acceptiora desideriis retulerunt.* Tertiò, totum Concinnationis Ecclesiæ Græcæ cum Latina negotium, per Legatos Imperatoris, unà cum Pontificiis, actum esse, testatur *Nicephorus Gregoras* lib. V. Historiæ. Ex quo sequitur Imperatorem Concilio non adfuisse. *Proinde*, inquit, *tot difficultatibus circumventus Imperator, pene ad desperationem compulsus, Legatos ad Papam mittit de ineunda Veteris & Novæ Romæ Ecclesiarum concordia, modò Caroli expeditionem averteret. Ea Legatio à Pontifice benignè audita est. Ea se facilè, quæ Imperator petivisset, confecturum esse pollicetur, statimque suos Legatos illis adjungit, qui concordiam conciliarent atque amplecterentur. Cujus hæc tria capita fuerunt. Primùm ut in Sacrorum Hymnodiis, Papa cum Patriarchis mentio fieret. Alterum, ut liceret cuivis Romam Veterem, qua Curia major & perfectior esset, appellare. Tertium, ut illi Principatus in omnibus deferretur. De appendice verò Sacri Symboli, quam illi novarunt, aut alio quovis argumento, tum nulla acrior contentio incidit. Sed, quod ad eas quidem*

Michaël Palæologus Concilio non adfuit.

dem res attinebat, pacata & tranquilla fuerunt omnia. Idem constat ex *Eberhardo* Ratisponensis Ecclesiæ Archidiacono, in Annalibus, & ex *Matthæo Westmonasteriensi*.

Acta Synodi.

II. Infra tres menses absoluta Synodus est sex Sessionibus. Primam inter & secundam Sessionem, Summus Pontifex de consensu Episcoporum & Abbatum, decimas omnium redituum Ecclesiasticorum in subsidium belli Hierosolymitani in sexennium imperavit. Post Sessionem tertiam, Imperatoris Græcorum Oratores ad Concilium advenere, atque à Summo Pontifice & à Synodo universi, honorificentissimè sunt excepti. In solemni Missa, quam Dominus Papa celebravit, Symbolum Græcè & Latinè decantatum est, illaque verba ter à Græcis repetita: *Qui ex Patre Filióque procedit.* Cum Patriarcha Constantinop. & Episcopis Græcis Symbolum Græcè cantarunt F. *Willelmus de Morbeka* Ordinis Prædicatorum, & F. Joannes de Constantinopoli Ordinis Minorum, Pœnitentiarii Summi Pontificis, linguæ Græcæ peritissimi. Id factum die 29. Junii SS. Apostolis Petro & Paulo Sacra. Ille porro cujus hîc obiter meminimus, Willelmus Marbeka, ad Corinthiacum Archiepiscopatum postea promotus est à Gregorio X. Quarta Sessione, lectæ sunt Imperatoris Literæ ad *Gregorium X.* Romanum Pontificem, quæ ita inscribuntur: *Sanctissimo & Beatissimo, Primo & Summo Pontifici, Apostolicæ Sedis Venerabili Papæ, & communi Patri omnium Christianorum, & Venerabili Patri Imperii nostri, &c.* Hic in Epistola Catholicam Fidem profitetur, secundùm Formulam ab Apostolica Sede sibi præscriptam: atque inter alia, Processionem Spiritus Sancti ex Patre Filióque, Purgatorii pœnas, & Romani Pontificis Primatum, de quo hæc habet: *Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum & plenum Primatum & Principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet: quem se ab ipso Domino, in B. Petro Apostolorum Principe sive Vertice, cujus Romanus Pontifex est Successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter & humiliter recognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere: sic & si quæ de fide subortæ fuerint Quæstiones, suo debent Judicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad Ecclesiasticum Forum pertinentibus appellare: & in omnibus causis ad Examen Ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest Judicium recurri: & eidem omnes Ecclesiæ subjectæ, ipsarum Prælati obedientiam & reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic plenitudo potestatis consistit, quòd Ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit: quarum multas, & Patriarchales præcipuè, diversis privilegiis eadem Ecclesia Romana honoravit, suâ tamen observatâ prærogativâ, tum in Generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salvâ.* Et infra: *Primatum quoque ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Sanctæ Ecclesiæ obedientiam spontaneam venientes, confitemur & recognoscimus, acceptamus, & sponte suscipimus.* Denique Pontificem rogat Imperator, ut liceat Ecclesiæ Græcæ Symbolum recitare, prout recitabat illud ante Schisma, & Ritus servare eosdem, qui non sunt contra Fidem, nec contra divina Præcepta, nec contra Vetus & Novum Testamentum, nec contra doctrinam SS. Generalium Conciliorum, & Sanctorum Patrum receptorum per Sancta Concilia, quæ celebrata sunt à spirituali dominatione Romanæ Ecclesiæ.

Imperatoris Palæologi Literæ ad Gregorium X. Pontificem, Fidei quâ Professio.

Prælatorum Græcorum Literæ.

III. Lectæ sunt deinde Literæ Prælatorum Græcorum, qui se cum Imperatore in omnibus convenire, & Romani Pontificis Primatum colere profitebantur: & *Josephum* Patriarcham, cui jussferant ut in Monasterio maneret, donec Oratores Imperatoris, & Ecclesiæ Græcæ Legati, cum Apocrisiariis Apostolicis reversi essent, nisi Unioni subscriberet, se è sacra Dignitate omninò dejecturus, & alium Patriarcham, qui Romanæ Ecclesiæ revereretur Principatum, creaturos. *Hoc scilicet*, inquiunt, *Dei gratia cooperata est, ut habeat ex nobis Apostolica Magnitudo vestra Sanctitatis, Sententiam agnoscere: qualitèrque Magnifico Imperatori nostro simul communicaverimus in Sententia. . . Scitote quid nos volumus: quòd Pontificalis Sedis tota plenitudo, cum toto venerabili Clero, convenit in unum, ut attribuat prompte vestræ Sanctitati & Apostolicæ Sedi, quod ad honorem pertinet, nec alium Primum & Summum Pontificem Ecclesiarum omnium nominaturi. Sed antiquam Internuntiorum confectionem agnovimus, quam & Patres nostri attenderunt toto præterito tempore, usque ad tempus hoc. Unde nostrum Patriarcham, & subsequenter omnes alios, quotquot convenerunt, ut in unum haberent, & Sedis ponerent concordiam, obsecravimus. Ipse verò cum magna instantia tenet, quod agnosci debet Primus: & postea, ut indicat, non decidet ab ista voluntate: nec adhuc a prima sententia, quam tenet, cum aliqua intentione mutatus est. Unde & pluries nos Prælati correximus ipsum: Ipse ne quidquam ad præsens acquievit. Nos autem & nobiscum Potentissimus Imperator, injunximus illi à Patriarchali Sede recedenti, omnino in una forma solitudinis manere, quæ sunt Constantinopoli Monasteriorum, donec Nuntii ad vestram Sanctitatem accedant, & audiant sermonem vestrum, & si Magnitudo vestra ita recipiat, deleget certos Delegatos cum nostris reversis Legatis Et nos hunc finem obtinentes, communiter & interim convenientes, attrahemus Patriarcham nostrum, ut si recedere ipsum ab intentione contingat, nobisque inclinaverit, & nos reddat benevolos esse, quòd præteritis temporibus Throno Apostolicæ Sedis excellens honor attributus est: sic habebimus ipsum Pontificem, etiam spiritualiter, sicut prius Præsidentem. Si verò immutabiliter se habeat in sententia, tunc dependebit omnis necessitas, & ipsum dejicere, & Patriarchali Principatu privare. Nos autem constituemus & promovebimus alium, qui utique consentiat nobiscum ejusdem voluntatis esse, & reddere convenientem Primatum Summitati Sanctitatis vestræ. Hoc igitur proponimus, à Deo honorate Domine, nos quos Patriarchalis Constantinopolitanæ Sedis Pontifices, cum omnibus qui circa nos venerabilibus Clericis, per hoc Scriptum nostrum vobis conjungi habemus: & nos inclinamus promptè & vestræ Altitudini submittimus; & valde gratanter ea quæ sunt spiritualis totius subjectionis asserimus, & nihil eorum denegamus, quæ ante Schisma præstabant Patres nostri his, qui Apostolicam regebant Sedem, sed statim & nos attribuimus.*

IV. His perlectis Literis, *Georgius Acropolita* & *Magnus Logotheta*, Imperatoris Orator, ejus nomine Schisma ejuravit, Romanæ Ecclesiæ fidem professus est, Romani Pontificis Primatum agnovit; ab ea fide & obedientia nusquam discessuram ejus Majestatem, interposita Jurisjurandi religione confirmavit. Idemque Græcorum Præsulum Legati præstitere. Catholica Fides de Processione Spiritus Sancti à Patre Filióque, Constitutione Synodica asserta est ad perpetuam rei memoriam: *Fideli ac devota Professione fatemur, quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, prædicavit, & docuit: Hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur, & docet Sacrosancta Romana Ecclesia, Mater omnium Fidelium & Magistra: Hoc habet Orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis*

Dogmatis Catholici de Processione Spiritus Sancti à Patre & Filio declaratio.

communicabilis & vera sententia. Sed quia nonnulli, A *propter irrefragabilis præmissa ignorantiam veritatis, in errores varios sunt prolapsi: Nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, sacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere; sive etiam temerario ausu asserere, quòd Spiritus Sanctus ex Patre & Filio, tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedat.*

V. Non tam refutanda, quàm irridenda, imò potius dolenda Græculorum quorumdam temeritas, qui dicere non sunt veriti, Concilium Lugdunense sub *Michaele* Imperatore celebratum, in B partes Græcorum abiisse, condemnasseque sententiam Latinorum. Hoc ipsorum figmentum refert ac refellit *Joannes Plusiadenus*, Dialogo de Synodo Florentina, apud *Leonem Allatium*, lib. II. de Perpetuo Consensu utriusque Ecclesiæ, Cap. XV. Num. VI. Non minùs falsus est *Josephus Bryennius*, Oratione VIII. *De Divina Triade*, asserens, post *Christophorum* Romanum Pontificem, & *Sergium* Patriarcham, nullam inter utramque Ecclesiam factam esse Unionem.

Acta post Synodum ad factæ Unionis confirmationem.

VI. Post Synodum *Gregorius* Græcos muneribus donatos ad sua remisit, addito eis comite B. Abbate Cassinensi, Sedis Apostolicæ Apocrisiario: C Literásque dedit gratulatorias ad *Michaëlem* Imperatorem, *Andronicum* ejus filium, & Græcos Præsules. Imperator *Josephum* Patriarcham Unionis hostem infensissimum, ad cedendum sicta Dignitate compulit, & ad secedendum in Monasterium: in ejus locum *Joannem Veccum*, magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Chartophylacem eligi curavit. Quotquot verò, seu ex Clero, seu ex Optimatibus Unioni obsisterent, partem exilio, partem carcere, partem oculorum effossione, partem ultimo supplicio mulctavit. Quæ omnia prolixè narrat *Pachymeres*, libro V. Idémque testantur *Nicephorus Gregoras* lib. V. & Autor Vitæ *Athanasii Patriarchæ* D à *Leone Allatio* laudatus.

VII. *Gregorio X.* & *Innocentio V.* necnon *Hadriano V.* qui ipsi in *S. Petri* Cathedra successerunt, brevi defunctis, *Joannes XXI.* anno MCCLXXVI. creatus Pontifex, Legatos ab *Innocentio V.* ad *Michaëlem Palæologum* destinatos proficisci jussit, *Jacobum* Ferrentinum, & *Ganfredum* Taurinensem, Episcopos, & FF. *Raynardum*, Priorem Conventus Viterbiensis, & *Salvum* Lectorem Lucanum, Ordinis FF. Prædicatorum, ad exigendam confirmationem eorum, quæ ipsius Imperatoris & E Græcorum Præsulum Legati in Lugdunensi Concilio, eorum nominibus juraverant. Celebrata Constantinopoli ea tempestate Synodus duplex, una universalis totius Ecclesiæ Græcæ, altera ab illa generaliore relicta. In posteriore illa, *Joannes Veccus* Patriarcha, & Græci Præsules, Fidei Professionem, secundùm normam à Sede Apostolica traditam edidere; & *Romana Ecclesia summum & perfectum Primatum, & Principatum super universam Catholicam Ecclesiam, quem in se ipsa ab ipso Domino, in Beato Petro Apostolorum Principe sive* F *Vertice, cujus Romanus Pontifex est Successor, cum plenitudine potestatis, recepit:* se agnoscere ac revereri, sanctissimè contestati sunt. Et quòd, *Quemadmodum præ aliis tenetur Fidei veritatem defendere: sic & si quæ de fide subortæ fuerint Quæstiones, suo debent Judicio definiri* &c. Et plenitudinem potestatis apud eam consistere, *Quod ea quæ cæteræ Ecclesiæ, & Patriarchales specialiter, diversis temporibus Privilegia obtinuerunt, Sanctionibus Imperatorum, & divinorum Conciliorum, eadem Ecclesia Romana confirmavit, & roboravit: & non aliter obtinuerunt confirmationem Ecclesiarum hujusmodi*

Duplex Græcorum Synodus Constantinopoli celebrata.

Romanæ Ecclesiæ & summi Pontificis Primatum Græci profitentur.

prærogativa, nisi eadem Ecclesia Romana suum super iis Judicium & Sententiam prætulisset: SUA TAMEN PRÆROGATIVA, TAM IN GENERALIBUS CONCILIIS, QUAM IN QUIBUSCUNQUE ALIIS SEMPER SALVA. Synodales istas Græcorum ad *Joannem XXI.* Literas apud *Leonem Allatium*, *Odoricum Raynaldum*, & in postrema Conciliorum Collectione, Tom. XI. P. I. legere est.

Nec Synodus tantùm, sed Imperator & *Andronicus* ejus filius, ad Summum Pontificem Literas dedere de Unione gratulatorias, & lætitiæ suæ testes. *Nunc*, (inquit Imperator) *disponente Altissimo, multa solertia & sollicitudine, ipsius veræ Fidei totalis identitatis integritas ad Matrem Catholicam & Apostolicam, Sacrosanctam Romanorum Ecclesiam, omnium Christianorum Dominam & Magistram, & ad Patrem verum ipsius Ecclesiæ, Summum Pontificem, Universalem omnium Christianorum Rectorem, & Doctorem Catholicæ Veritatis, Christi Dei nostri in terris Vicarium, Beatorum Apostolorum Principum Petri & Pauli Successorem, residens opulenta dignitate, benignitate nominis, virtutis gratiá, & honoris gloriá coronata. Et licèt, pie Pater, Prædecessoris vestri tempore, Sanctitatis illius, videlicet bonæmemoriæ Domini Papæ Gregorii Reverendissimi Patris mei, quem propterea specialiter præ aliis bonis in Domino firmiter vivere credo, tantùm cum Zelus reunienda Dei Ecclesia, ac Christianorum pacis, continuè comedebat, hujusce operis laudanda primordia fuissent inadulta, in Generali Concilio apud Lugdunum prosperè hactenus celebrato: tamen gloriosa solemnitas totalis perfectionis ipsius vestræ Sanctitatis pio patrocinio extitit hactenus divinitus conservata; inposterum moderamine vestri gloriosi Apostolatus, qui præ cæteris praeexcellit, indissolubili charitatis vinculo in perpetuum roboranda.* Narrat quanta cum veneratione & lætitia Nuntios & Literas Apostolicas exceperit, & quomodo ipse, & *Andronicus* ejus filius, *omnia & singula, quæ de Catholica Fide Sacrosancta Romana Ecclesia tenet, docet, & prædicat*, confirmaverint.

VIII. *Joanni XXI.* successit *Nicolaus III.* qui novos Apocrisiarios misit Constantinopolim anno MCCLXXVIII. *Bartholomæum* Grossetanum Episcopum, & FF. *Bartholomæum de Senis*, Ministrum Syriæ; *Philippum* Perusinum, & *Angelum* Urbevetanum, Lectores Ordinis Minorum. Commonitorium ipsis datum ex MS. Barberinæ Bibliothecæ edidit *Allatius* lib. II. *De Perpetuo Consensu*, Cap. XV. Num. II. idémque apud *Odoricum Raynaldum*, ad hunc annum, Num. VII. legere est. Professionem Fidei ab Episcopis præstito Juramento edendam Pontifex præscripsit. Symbolum cum additione vocis, *Filióque*, tam à Latinis quàm à Græcis cani jussit: *Quia de additione illa specialiter actum est, & recognitio veræ fidei occultari non debet, sed revelari potius, & publicè prædicari.* Ecclesiam Romanam Græcis Ritus cæteros permissuram, *de quibus Sedi Apostolicæ visum fuerit, quòd per eos Catholicæ Fidei non lædatur integritas, nec Sacrorum Statutis Canonum derogetur.* Pontificem certiorem fecit Imperator per *Ogerium* Protonotarium, quòd toto virium conatu ad promovendam Unionem incubuisset; verùm tumultus gravissimos, conjurationésque in suam Majestatem propterea excitatas, adeò ut sibi periculum exauctorationis immineret, si negotium istud urgeret vehementiùs. Ne itaque ægrè ferret Pontifex, si ille œconomia quadam uteretur.

IX. *Martinus IV.* qui *Nicolao III.* successit, anno Pontificatus I. qui fuit Christi MCCLXXXI. *Michaëlem Palæologum* tanquam Schismatis & hæreseos Græcorum fautorem, Anathemate confixit, omnibúsque

Michaël Palæologus à Martino Quarto tanquam Schismatis fautor Anathemate confixus.

dem res attinebat, pacata & tranquilla fuerunt omnia. Idem constat ex *Eberhardo* Ratisponensis Ecclesiæ Archidiacono, in Annalibus, & ex *Matthæo Westmonasteriensi.*

Acta Synodi.

II. Infra tres menses absoluta Synodus est sex Sessionibus. Primam inter & secundam Sessionem, Summus Pontifex de consensu Episcoporum & Abbatum, decimas omnium redituum Ecclesiasticorum in subsidium belli Hierosolymitani in sexennium imperavit. Post Sessionem tertiam, Imperatoris Græcorum Oratores ad Concilium advenere, atque à Summo Pontifice & à Synodo universa, honorificentissimè sunt excepti. In solemni Missa, quam Dominus Papa celebravit, Symbolum Græcè & Latinè decantatum est, illáque verba ter à Græcis repetita: *Qui ex Patre Filióque procedit.* Cum Patriarcha Constantinop. & Episcopis Græcis Symbolum Græcè cantarunt F. *Wilhelmus de Morbeka* Ordinis Prædicatorum, & F. Joannes de Constantinopoli Ordinis Minorum, Pœnitentiarii Summi Pontificis, linguæ Græcæ peritissimi. Id factum die 29. Junii SS. Apostolis Petro & Paulo Sacra. Ille porro cujus hîc obiter meminimus, Willelmus Morbeka, ad Corinthiacum Archiepiscopatum postea promotus est à Gregorio X. Quarta Sessione, lectæ sunt Imperatoris Literæ ad *Gregorium X.* Romanum Pontificem, quæ ita inscribuntur: *Sanctissimo & Beatissimo, Primo & Summo Pontifici, Apostolicæ Sedis Venerabili Papæ, & communi Patri omnium Christianorum, & Venerabili Patri Imperii nostri, &c.*

Imperatoris Palæologi Literæ ad Gregorium X. Pontificem, Fidei quæ professio.

Hic in Epistola Catholicam Fidem profitetur, secundùm Formulam ab Apostolica Sede sibi præscriptam: atque inter alia, Processionem Spiritus Sancti ex Patre Filióque, Purgatorii pœnas, & Romani Pontificis Primatum, de quo hæc habet: *Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum & plenum Primatum & Principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet: quem se ab ipso Domino, in B. Petro Apostolorum Principe sive Vertice, cujus Romanus Pontifex est Successor, cùm potestatis plenitudine recepisse, veraciter & humiliter recognoscit. Et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere: sic & si quæ de fide subortæ fuerint Quæstiones, suo debet Judicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad Ecclesiasticum Forum pertinentibus appellare: & in omnibus causis ad Examen Ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest judicium recurri: & eidem omnes Ecclesiæ subjectæ, ipsarum Prælati obedientiam & reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic plenitudo potestatis consistit, quòd Ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit: quarum multas, & Patriarchales præcipuè, diversis privilegiis eadem Ecclesia Romana honoravit, suâ tamen observatâ prærogativâ, tum in Generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salvâ.* Et infra: *Primatum quoque ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Sanctæ Ecclesiæ obedientiam spontaneam venientes, confitemur & recognoscimus, acceptamus, & sponte suscipimus.* Denique Pontificem rogat Imperator, ut liceat Ecclesiæ Græcæ Symbolum recitare, prout recitabat illud ante Schisma, & Ritus servare eosdem, qui non sunt contra Fidem, nec contra divina Præcepta, nec contra Vetus & Novum Testamentum, nec contra doctrinam SS. Generalium Conciliorum, & Sanctorum Patrum receptorum per Sancta Concilia, quæ celebrata sunt à spirituali dominatione Romanæ Ecclesiæ.

Prælatorum Græcorum Literæ.

III. Lectæ sunt deinde Literæ Prælatorum Græcorum, qui se cum Imperatore in omnibus convenire, & Romani Pontificis Primatum colere profitebantur: & *Josephum* Patriarcham, cui jusserant ut in Monasterio maneret, donec Oratores Imperatoris, & Ecclesiæ Græcæ Legati, cum Apocrisiariis Apostolicis reversi essent, nisi Unioni subscriberet, se è sacra Dignitate omnino dejecturos, & alium Patriarcham, qui Romanæ Ecclesiæ revereretur Principatum, creaturos. *Hoc scilicet*, inquiunt, *Dei gratia cooperata est, ut habeat ex nobis Apostolica Magnitudo vestra Sanctitatis, Sententiam agnoscere: qualitérque Magnifico Imperatori nostro simul communicaverimus in Sententia... Scitote quòd nos volumus: quod Pontificalis Sedis tota plenitudo, cum toto venerabili Clero, convenit in unum, ut attribuat promptè vestræ Sanctitati & Apostolicæ Sedi, quod ad honorem pertinet, nec alium Primum & Summum Pontificem Ecclesiarum omnium nominaturi. Sed antiquam Internuntiorum confectionem agnovimus, quam & Patres nostri attenderunt toto præterito tempore, usque ad tempus hoc. Unde nostrum Patriarcham, & subsequenter omnes alios, quotquot convenerunt, ut in unum hæreant, & Sedis ponerent concordiam, obsecravimus. Ipse verò cum magna instantia tenet, quòd agnosci debet Primus: & postea, ut indicat, non deciaet ab ista voluntate: nec adhuc a prima sententia, quam tenet, cum aliqua intentione mutatus est. Unde & pluries nos Prælati correximus ipsum: Ipse nequidquam ad præsens acquievit. Nos autem & nobiscum Potentissimus Imperator, injunximus illi à Patriarchali Sede recedentem, omnino in una forma solitudinis manere, quæ sunt Constantinopoli Monasteriorum, donec Nuntii ad vestram Sanctitatem accedant, & audiant sermonem vestrum, & si Magnitudo vestra ita recipiat, deleget certos Delegatos cum nostris reversis Legatis. Et nos hunc finem obtinentes, communiter & interim convenientes, attrahemus Patriarcham nostrum, ut si recedere ipsum ab intentione contingat, nobisque inclinaverit, & nos reddet benevolos esse, quòd præteritis temporibus Throno Apostolicæ Sedis excellens honor attributus est: sic habebimus ipsum Pontificem, etiam spiritualiter, sicut prius Præsidentem. Si verò immutabiliter se habeat in sententia, tunc dependebit omnis necessitas, & ipsum dejicere, & Patriarchali Principatu privare. Nos autem constituemus & promovebimus alium, qui utique consentiat nobiscum ejusdem voluntatis esse, & reddere convenientem Primatum Summitati Sanctitatis vestræ. Hoc igitur proponimus, à Deo honorate Domine, nos quot Patriarchalis Constantinopolitanæ Sedis Pontifices, cum omnibus qui circa nos venerabilibus Clericis, per hoc Scriptum nostrum vobis conjungi habemus: & nos inclinamus promptè & vestræ Altitudini submittimus, & valde gratanter ea quæ sunt spiritualis totius subjectionis asserimus, & nihil eorum denegamus, quæ ante Schisma præstabant Patres nostri his, qui Apostolicam regebant Sedem, sed statim & nos attribuimus.*

IV. His perlectis Literis, *Georgius Acropolita* & *Magnus Logotheta*, Imperatoris Orator, ejus nomine Schisma ejuravit, Romanæ Ecclesiæ fidem professus est, Romani Pontificis Primatum agnovit; ab ea fide & obedientia nusquam discessuram ejus Majestatem, interposita Jurisjurandi religione confirmavit. Idemque Græcorum Præsulum Legati præstitere. Catholica Fides de Processione Spiritus Sancti à Patre Filióque, Constitutione Synodica asserta est ad perpetuam rei memoriam: *Fideli ac devota Professione fatemur, quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, prædicavit, & docuit: Hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur, & docet Sacrosancta Romana Ecclesia, Mater omnium Fidelium & Magistra: Hoc habet Orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis*

Dogmatis Catholici de Processione Spiritus Sancti à Patre & Filio declaratio.

commutabilis & vera sententia. Sed quia nonnulli, propter irrefragabilis præmissæ ignorantiam veritatis, in errores varios sunt prolapsi : Nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, sacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere ; sive etiam temerario ausu asserere, quòd Spiritus Sanctus ex Patre & Filio, tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedat.

V. Non tam refutanda, quàm ridenda, imò potius dolenda Græculorum quorumdam temeritas, qui dicere non sunt veriti, Concilium Lugdunense sub *Michaële* Imperatore celebratum, in partes Græcorum abiisse, condemnasséque sententiam Latinorum. Hoc ipsorum figmentum refert ac refellit *Joannes Plusiadenus*, Dialogo de Synodo Florentina, apud *Leonem Allatium*, lib. II. de Perpetuo Consensu utriusque Ecclesiæ, Cap. XV. Num. VI. Non minùs falsus est *Josephus Bryennius*, Oratione VIII. *De Divina Triade*, asserens, post *Christophorum* Romanum Pontificem, & *Sergium* Patriarcham, nullam inter utramque Ecclesiam factam esse Unionem.

Acta post Synodum ad sanctæ Unionis confirmationem.

VI. Post Synodum *Gregorius* Græcos muneribus donatos ad sua remisit, addito eis comite B. Abbate Cassinensi, Sedis Apostolicæ Apocrisiario : Literásque dedit gratulatorias ad *Michaëlem* Imperatorem, *Andronicum* ejus filium, & Græcos Præsules. Imperator *Josephum* Patriarcham Unionis hostem infensissimum, ad cedendum sacra Dignitate compulit, & ad secedendum in Monasterium: in ejus locum *Joannem Veccum*, magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Chartophylacem eligi curavit. Quotquot verò, seu ex Clero, seu ex Optimatibus Unioni obsisterent, partem exilio, partem carcere, partem oculorum effossione, partem ultimo supplicio mulctavit. Quæ omnia prolixè narrat *Pachymeres*, libro V. Idemque testantur *Nicephorus Gregoras* lib. V. & Autor Vitæ *Athanasii Patriarchæ* à *Leone Allatio* laudatus.

VII. *Gregorio X.* & *Innocentio V.* necnon *Hadriano V.* qui ipsi in *S. Petri* Cathedra successerunt, brevi defunctis, *Joannes XXI.* anno MCCLXXVI. creatus Pontifex, Legatos ab *Innocentio V.* ad *Michaëlem Palæologum* destinatos proficisci jussit, *Jacobum* Ferentinum, & *Gaufredum* Taurinensem, Episcopos, & FF. *Raynardum*, Priorem Conventus Viterbiensis, & *Salvum* Lectorem Lucanum, Ordinis FF. Prædicatorum, ad urgendam confirmationem eorum, quæ ipsius Imperatoris & Græcorum Præsulum Legati in Lugdunensi Concilio, eorum nominibus juraverant. Celebrata Constantinopoli ea tempestate Synodus duplex, una universalis totius Ecclesiæ Græcæ, altera ab illa generaliore relicta. In posteriore illa, *Joannes Veccus* Patriarcha, & Græci Præsules, Fidei Professionem, secundùm normam à Sede Apostolica traditam edidere ; & *Romana Ecclesia summum & perfectum Primatum, & Principatum super universam Catholicam Ecclesiam, quem in se ipsa ab ipso Domino, in Beato Petro Apostolorum Principe seu Vertice, cujus Romanus Pontifex est Successor, cum plenitudine potestatis, recepit* : se agnoscere ac revereri, sanctissimè comestati sunt. Et quòd, *Quemadmodum præ aliis tenetur Fidei veritatem defendere : sic & si quæ de fide subortæ fuerint Quæstiones, suo debent judicio definiri* &c. Et plenitudinem potestatis apud eam consistere, *Quod ea quæ cæteræ Ecclesiæ, & Patriarchales specialiter, diversis temporibus Privilegia obtinuerant, Sanctionibus Imperatorum, & divinorum Conciliorum, eadem Ecclesia Romana confirmavit, & roboravit : & non aliter obtinuerunt confirmationem Ecclesiarum hujusmodi prærogativa, nisi eadem Ecclesia Romana suum super iis judicium & Sententiam protulisset.* SUA TAMEN PRÆROGATIVA, TAM IN GENERALIBUS CONCILIIS, QUAM IN QUIBUSCUNQUE ALIIS SEMPER SALVA. Synodales illas Græcorum ad *Joannem XXI.* Literas apud *Leonem Allatium*, *Odoricum Raynaldum*, & in postrema Conciliorum Collectione, Tom. XI. P. I. legere est.

Duplex Græcorum Synodus Constantinopoli celebrata.

Romanæ Ecclesiæ & summi Pontificis Primatum Græci profitentur.

Nec Synodus tantùm, sed Imperator & *Andronicus* ejus filius, ad Summum Pontificem Literas dedere de Unione gratulatorias, & Legati suæ testes. *Nunc*, (inquit Imperator) *disponente Altissimo, multa solertiâ & sollicitudine, ipsius veræ Fidei totalis identitatis integritas ad Matrem Catholicam & Apostolicam, Sacrosanctam Romanorum Ecclesiam, omnium Christianorum Dominam & Magistram, & ad Patrem verum ipsius Ecclesiæ, Summum Pontificem, Universalem omnium Christianorum Rectorem, & Doctorem Catholicæ Veritatis, Christi Dei nostri in terris Vicarium, Beatorum Apostolorum Principum Petri & Pauli Successorem, residentem opulenta dignitate, benignitate nominis, virtutis gratia, & honoris gloriâ coronata. Et licèt, pie Pater, Prædecessoris vestri tempore, Sanctitatis illius, videlicet bonæ memoriæ Domini Papæ Gregorii Reverendissimi Patris mei, quem propterea specialiter præ aliis bonis in Domino firmiter vivere credo, tantum cum Zelus reunienda Dei Ecclesia, ac Christianorum pacis, continuè comedebat, hujusce operis laudanda primordia fuissent inchoata, in Generali Concilio apud Lugdunum prosperè hactenus celebrato: tamen gloriosa solemnitas totalis perfectionis ipsius vestræ Sanctitatis pio patrocinio extitit hactenus divinitus conservata ; in posterum moderamine vestri gloriosi Apostolatus, qui præ cæteris præexcellis, in indissolubili charitatis vinculo in perpetuum roboranda.* Narrat quanta cum veneratione & lætitia Nuntios & Literas Apostolicas acceperit, & quomodo ipse, & *Andronicus* ejus filius, *omnia & singula, quæ de Catholica Fide Sacrosancta Romana Ecclesia tenet, docet, & prædicat*, confirmaverint.

VIII. *Joanni XXI.* successit *Nicolaus III.* qui novos Apocrisiarios misit Constantinopolim anno MCCLXXVIII. *Bartholomæum* Grossetanum Episcopum, & FF. *Bartholomæum de Senis*, Ministrum Syriæ ; *Philippum* Perusinum, & *Angelum* Urbevetanum, Lectores Ordinis Minorum. Commonitorium ipsis datum ex MS. Barberinæ Bibliothecæ edidit *Allatius* lib. II. *De Perpetuo Consensu*, Cap. XV. Num. II. idémque apud *Odoricum Raynaldum*, ad hunc annum, Num. VII. legere est. Professionem Fidei ab Episcopis præstito Juramento edendam Pontifex præscripsit. Symbolum cum additione vocis, *Filióque*, tam à Latinis quàm à Græcis cani jussit : *Quia de additione illa specialiter actum est, & recognitio veræ fidei occultari non debet, sed revelari potius, & publicè prædicari.* Ecclesiam Romanam Græcis Ritus cæteros permissuram, *de quibus Sedi Apostolicæ visum fuerit, quòd per eos Catholicæ Fidei non lædatur integritas, nec Sacrorum Statutis Canonum derogetur.* Pontificem certiorem fecit Imperator per *Ogerium* Protonotarium, quòd toto virium conatu ad promovendam Unionem incubuisset ; verùm tumultus gravissimos, conjurationésque in suam Majestatem propterea excitatas, adeò ut sibi periculum exauctorationis immineret, si negotium istud urgeret vehementiùs. Ne itaque ægrè ferret Pontifex, si ille œconomia quadam uteretur.

IX. *Martinus IV.* qui *Nicolao III.* successit, anno Pontificatus I. qui fuit Christi MCCLXXXI. *Michaëlem Palæologum* tanquam Schismatis & hæreseos Græcorum fautorem, Anathemate confixit, omnibúsque

Michaël Palæologus à Martino Quarto tanquam Schismaticus Anathemate confixus.

omnibúsque Regibus, Principibus, Dominis, universitatibus civitatum, castrorum, & locorum inhibuit, ne cum eo in Excommunicatione hujusmodi manente fœdus aliquod contraherent, sub pœna Excommunicationis in personas, & Interdicti in terras, intentata etiam privatione bonorum, *quæ à quibuslibet Ecclesiis tenerent*. Sententiæ exemplar apud *Odoricum Raynaldum*, ad eum annum, Num. XXVI. legitur. Cæterùm obreptum fuisse Pontifici, qui ad illud fulmen displodendum à *Carolo* Siciliæ Rege, cui cum *Palæologo* Imperatore bellum erat, incitatus est, *Jordanus* & *Ptolomæus Lucensis* testantur. Sanè per ipsum non stetisse, quin Unionem amplecterentur universi, & Romanæ Ecclesiæ Primatum colerent, *Pachymeres* asserit lib. VI. Cap. XXX. *Contigit autem*, inquit, *tunc apud Prusam Imperatori commoranti afferri nuntium de statu rerum suarum apud Papam. Martinus hic erat, qui Nicolao successerat. Ad hunc maturaverat mittere Heracleensem Episcopum Leonem, & Nicænum Theophanem. Verum hi appulsi quò mittebantur, haud secundum expectationem ipsorum isthic sunt excepti. Ni nirum edocti ad verum Romani de rebus nostris, & quod res erat suspicati, istam, quæ magnoperè jactabatur, pacem, nihil aliud demum nisi fucum & ludibrium esse: præter quippe Imperatorem solum & Patriarcham, quosdamque cum his assiduos, cæteros omnes tædere concordiæ: Insuper etiam illas ab Imperatore ad fidem pacis sincerè initæ faciendam affectatas pœnarum ab Ecclesiæ mansuetudine alienarum atrocitates improbantes, frigidè Legatos ac contemptim habuere: nec eos nisi serò vix tandem & ægrè ad Papam introduxerunt. Et demum successu Legationis, ut Imperator cum suis, tanquam illusores, & ostentationibus suppliciorum ad simulandam, quam verè non inierant, concordiam abusi, Anathemati subjicerentur. Quo facto Legatos nulla dignatos benevolentia aut honoris significatione dimiserunt. Hæc ubi renunciata Imperatori per Nicænum sunt (Nam Heracleota eo itinere obierat) indignissimè tulit: adeo ut cùm inter Sacra de more, Imperatore præsente, Diaconus consuetam Papæ commemorationem pronuntiaturus esset, Princeps, ne faceret prohibuerit. Palam autem ad familiares conquerens, aiebat: Præclarum enimverò sibi fructum constare charitatis in Latinos suæ: se nempe causa eorum cum necessariis etiam suis certamine suscepto, ne pœnis quidem acribus dubitasse ipsos comprimere. Ipsos autem pro gratiis suæ tanta in fide ipsorum constantia debitis, diras & execrationes referre. Tunc igitur revocare omnia priùs sancita, & totum concordiæ tractatum rescindere voluit. Fecissètque continuò, ni ab hoc eum consilio quadam revocassent.* Tandem *Michaelem Palæologum* ad obitum usque pro Unione stetisse, nec in Schisma & errores Græcorum fuisse relapsum, adeo certum fuit Græcis, ut eum jam demortuum, tanquam Novatorem, & impiorum dogmatum Propagatorem, nullâ sepulturâ Ecclesiasticâ, nec filius ejus *Andronicus* Imperii hæres, cohonestarint, ut testatur *Andronicus* ipse apud *Pachymerem* lib. XII. Historiæ, quem laudat *Allatius*.

Obreptum est Pontifici.

X. Ut ut est, Græci ab Unione jurata cum Ecclesia Romana, præter paucos admodum, statim recessere, quod *Martino IV*. facilè persuasit, *Palæologum* Imperatorem hujus tam subitæ defectionis autorem esse, ut *Eberhardus* Ratisponensis Ecclesiæ Archidiaconus in Annalibus testatur. Idem ex *Pachymeris* Historia compertum est, & ex *Gennadio* lib. pro Concilio Florentino, Cap. V. Sessione XVI. *Post Nicolaum, Summi Pontifices per temporum vices non destiterunt scribere, & hortari Græcos ad Ecclesiæ conversionem & obedientiam, quousque coacta est Synodus apud Lugdunum, quam Græci Octavam vocant, cujus autor extitit Gregorius Papa X. & Unio est subsecuta: sed iterum defecerunt, & iterum Legatos Ecclesiæ receperunt. Cogitur Synodus Constantinopolitana cum Papæ Legatis, Joannis Vecci temporibus, Constantinopolitani Patriarchæ, & Unionem amplexi sunt ad breve, obedientiam ostendentes & pacem, sed postea rursus ad suum & proprium vomitum reverterunt.*

XI. Unionem in Concilio Lugdunensi initam invicto animo propugnarunt *Joannes Veccus*, *Georgius Metochita*, & *Constantinus Meliteniota*. De *Joanne Vecco* lege *Gregoram* lib. V. & *Pachymerem* libro etiam V. Processionem Spiritus Sancti ex Patre per Filium non Scriptis solùm propugnavit, sed Testamento suo præfixit, cujus hæc postrema verba: *Ob verum autem Patrum dogma, ex Patre scilicet per Filium processionem Spiritus Sancti, exilio carcerèque mactatus, hoc meum Testamentum propria manu scripsi, subscripsique.* Et hoc Testamento condito diem clausit extremum, sub *Andronico Seniore*. Gessit Patriarchatum annos octo. Scripsit plura pro Latinorum dogmate adversùs Græcos, de quibus *Allatius* lib. II. *De Perpetuo Consensu*, Cap. XV. Num. VIII. nonnulláque edidit in *Græcia Orthodoxa*.

Græci [illegible]

Georgius Metochita, Magnæ Ecclesiæ Diaconus, *Vecci* in omnibus Symmista & Socius, multa sub *Andronico* passus est: tandem exilio mulctatus & carceribus, vitam finivit, Unionem cum Latinis initam Scripto & opere ad extremum usque spiritum defendens. De quo *Pachymeres* lib. VII. Cap. 32. lib. IX. & lib. XIII. Pro Latinorum dogmate multa scripsit, de quibus legendus *Allatius* lib. II. de perpetuo Consensu, Cap. XV. Num. IX. P. *Gretserus* Georgium hunc cum alio *Metochita Theodoro* Magno Logotheta confundit, de quo *Nicephorus Gregoras* in Historia. Summa namque totius Philosophiæ, quam *Georgio* adscribit, *Theodori* est. Errorem *P. Gretseri* secuti sunt alii Viri Eruditi, asserentes, *Theodorum Metochitam* ab *Andronico Seniore* unà cum *Vecco* & *Meliteniota* relegatum fuisse. *Georgius* enim hic fuit *Vecci* & *Meliteniotæ* in dogmate contra Græcos de Processione Spiritus Sancti defendendo socius, & cum ipsis in exilium missus. *Theodorus* Gregoræ alius est, ut *Allatius* observat.

Tertius Commilito, qui *Vecco* Patriarchæ fuit loco filii, ut ipse in Testamento asserit, est *Meliteniota*: de quo *Gregoras* libro VI. & *Pachymeres* lib. XII. Cap. XXIII. Scripsit *De Ecclesiastica Unione Latinorum & Græcorum*, & alium Tractatum *De Processione Spiritus Sancti*.

Non longè ab his temporibus *Simon* Constantinopolitanus, Ordinis FF. Prædicatorum Professor, *De Processione Spiritus Sancti etiam ex Filio*, tribus Tractatibus cum Græcis strenuè conflixit. Qui fortè (inquit *Allatius*) non alius fuerit à *Jacumæo*, Episcopo primùm Gyraui, & mox Thebarum Archiepiscopo, Græcè, & Latinè, & Hebraïcè docto, & in Divinis Scripturis continua lectione exercitato, qui claruit anno circiter MCCCC. ut post *Sixtum Senensem* tradit *Possevinus* in Apparatu Sacro. Illius etiam videtur meminisse *Georgius Trapezuntius*, in Epistola ad Monachos Cretenses, de Processione Spiritus Sancti. *Simon Hieromonachus ex Ordine Prædicatorum, cùm impensius zelo diviñorum dogmatum exardesceret, Romam appulit, ut pro viribus in Domino Cretenses Cretensis ipsi adjuvaret. Et primùm quidem Inquisitionem & Judicium Hæreticorum, qui in Græcia sunt, à Summo Pontifice obtinuit. Accepit deinde literas ab eodem Summo Pontifice, quibus præcipiebatur ut Græci omnes tam Antistites quam Sacerdotes, commemorationem Papæ inter Missarum Solemnia facerent*

rent omnino, & Sacrum Symbolum, uti in Romana Ecclesia pers[o]nabat, hunc in modum recitarent: Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem: Qui ex Patre Filioque procedit. Cretensem fuisse, & ut hominus Constantinopolitanum dici conjicit *Allatius*, quòd in Creta Insula natus, genus Constantinopolim retulisset.

Schismatici illius ætatis scriptores contra Latinos.

Contra Latinos ea ætate scripsit *Georgius Cyprius*; plura contra *Veccum* Patriarcham: quem ille graviori rationum pondere, ut pro veritate pugnans, confutavit. De ipso *Pachymeres* lib. VIII. Capp. I. IX. & XVI.

Georgius Moschampar, Magnæ Ecclesiæ Cartophylax, multa in Latinam Ecclesiam, ejúsque dogmata, monumentis editis oblatravit: Quibus *Joannes Veccus* doctè respondens, Schismatici Autoris impetum fallúmque compressit. Meminit suarum contra *Moschamparem* lucubrationum *Veccus* ipse in libro cui titulum fecit: *Adnotatio de suarum omnium Librorum & Scripturarum, concordia.*

Constantinus Acropolita, Magnus Logotheta, plures *De Processione Spiritus Sancti* Tractatus contra Latinos reliquit. Acropolitæ Commentarios igni traditos à *Theodoro Muzalone*, quemadmodum & suum quoque eumdem *Theodorum* combussisse, quòd de Dogmatibus solùm agerent, *Pachymeres* libro VII. Cap. VIII. narrat.

Georgius Pachymeres, qui Historiam & alia scripsit, non tantùm *Job Jasitæ* ad Tomum contra Latinos componendum auxilio fuit, ut ipse testatur lib. V. Historiæ, sed etiam Tractatum composuit, *Ad eos qui dicunt, ideo dici Spiritum Filii, quòd consubstantialis sit, vel quòd traducatur ab ipso dignus.* Non bene affectum fuisse erga Romanam Ecclesiam, ideòque circumspectè legendum, rectè monet *Possevinus.*

Concilium Lugdunense II. verè Oecumenicum est.

XII. Lugdunense II. Concilium verè Oecumenicum est, totius enim Christiani nominis repræsentatio fuit. Legitimè convocatum est, à Romano scilicet Pontifice, qui & ipse præfuit. Tanto numero adfuere Episcopi ex omnibus Latini orbis Ecclesiis, ut prioribus octo Conciliis Generalibus majori numero non adfuerint. Græci verò Antistites per Legatos. De causis fidei & unitatis Ecclesiasticæ actum est, quæ universalem Ecclesiam spectant. Ecclesiastico ritu celebratum fuit, summa libertate simul ùque consensu Patrum fidei dogma constitutum est, Ecclesiarum conjunctio pixque confirmata. Denique Sacra Synodus Constantiensis Sessione XXXIX. in Professione Fidei, quam deinceps quilibet in Romanum Pontificem eligendus edere debet, antequam sua publicetur electio, Lugdunense illud Concilium (Neque enim de alio loqui versimile est, in quo de Fide actum non fuit) inter Concilia Generalia recenset. *Ego electus in Papam, omnipotenti Deo, cujus Ecclesiam suo præsidio regendam suscipio, & B. Petro Apostolorum Principi corde & ore profiteor, quandiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter tenere & credere Sanctam Fidem Catholicam, secundùm Traditiones Apostolorum, Generalium Conciliorum, & aliorum Sanctorum Patrum, maximè autem Sanctorum octo Conciliorum Universalium, videlicet Primi Nicæni, Secundi Constantinopolitani, Tertii Ephesini, Quarti Chalcedonensis, Quinti & Sexti Constantinopolitanorum, Septimi item Nicæni, Octavi quoque Constantinopolitani, necnon Lateranensis*, LUGDUNENSIS, *& Viennensis, Generalium etiam Conciliorum.*

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 19. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Papa excommunicat Imperatorem Græcum: qua in re deceptus est a Rege Siciliæ.*

R. *Martinus Quartus* Græcorum imperatorem *Michaelem Palæologum* tanquam Schismatis & hæreseos fautorem anathemate condixit. Observavi hac in causa summo Pontifici obrepentis fuisse, qui ad illud fulmen displodendum à Carolo Siciliæ Rege, cui cum Palæologo bellum erat, incitatus est. Mera hæc facti quæstio: cujus testes sunt *Jordanus & Ptolomæus Lucensis.* An Summos Pontifices in facto numquam decipi posse contendunt Religiosi Censores, reclamantibus doctissimis Cardinalibus à *Turrecremata, Bellarmino, Baronio*, eruditis omnibus, Summis ipsis Pontificibus?

SCHOLION II.

Religiosi Censores mihi vitio vertunt quòd in hoc Articulo. pag. 25 Edit. Primæ, retulerim *Professionem Fidei edendam à Papa jussu Concilii Constantiensis.*

R. In Collectione Conciliorum Romanæ Editionis hæc Fidei Professio refertur.

ARTICULUS III.

De Canonibus Concilii Lugdunensis II. Sive Constitutionibus Ecclesiæ Disciplinam, Morumque Reformationem spectantibus.

CAnones seu Constitutiones XXX. Disciplinam spectantes (Primam enim quæ est de Summa Trinitate & Fide Catholica, jam attigimus) sub *Gregorii X.* nomine in Concilio Lugdunensi habentur; quæ tamen in ipso Concilio conditæ & promulgatæ omnes non fuerunt, ut ex ipsius Pontificis Præfatione patet: *Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, &c. Infra scriptas Constitutiones nuper in Generali Concilio Lugdunensi & post, super certis Articulis duximus promulgandas: quibus universos uti volumus & mandamus in Judiciis, & in Scholis.*

Constitutio de Romani Pontificis electione.

Prima, quæ *De electione & electi potestate* inscribitur, Statuta *Alexandri III.* in Concilio Lateranensi, circa Romani Pontificis electionem renovat, ac insuper *Sacro approbante Concilio* decernit, ut defuncto Pontifice, Cardinales qui in ipsa civitate præsentes fuerint, in qua diem clausit extremum, absentes expectare decem diebus tantummodo teneantur. Quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, extunc omnes conveniant in Pontificis Palatium, contenti singuli singulis tantummodo servientibus Clericis, vel Laicis: vel duobus, si id ipsis indulgeri necessitas postulet. Eo in Palatio, omnes in uno Conclavi, nullo intermedio pariete, seu alio velamine, resideant. Quod (servato libero ad secretam cameram aditu) ita claudatur undique, ut nullus illuc intrare valeat, vel exire; nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat, vel facultas secretò loquendi cum eis: nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos qui de voluntate omnium, pro iis tantùm quæ ad electionis imminentis negotium pertinent, vocarentur. Vetat etiam ne ad ipsos Cardinales, vel eorum aliquem, nuntium aliquis mittat, vel literas, aut secretò cum ipsis colloquatur, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Si infra tres dies Pontifex electus non fuerit, unum duntaxat ferculum, tam in prandio, quàm in cœna, quinque diebus sequentibus, illis ministrare jubet. Quibus elapsis, nihil ipsis obsonii, præter panem, vinum, & aquam ministretur, donec electio consummetur. Statuit præ-

terea ut Cardinales, electionis pendente negotio, A nihil omnino de Camera Apostolica, aut aliis Ecclesiæ Romanæ, tempore vacationis, obvenientibus recipiant, sed ea futuri Pontificis dispositioni reserventur. Ut uni electioni intendant, nec se de aliis negotiis intromittant, nisi tam grave & evidens periculum immineret, ut omnibus & singulis Cardinalibus præsentibus concorditer videretur illi absque dilatione occurrendum. Qui Conclave ingressus non fuerit, vel ex eo absque manifesta causa infirmitatis exierit, ad ejusdem electionis negotium ulteriùs non admittitor. Si adveniente infirmitate exierit, ipso absente, & suffragio ejus minimè re- B quisito, ad electionem procedito. Si redire voluerit, vel convalescens, vel sanus, ad suffragandum recipitor. Idem esto de absentibus, qui re integra advenerint, & Conclave ingressi fuerint, judicium. Si Romanus Pontifex extrà civitatem in qua cum sua Curia residebat, obierit, Cardinales in civitatem cujus in territorio defunctus est, convenire teneantur, nisi subjaceat Interdicto, vel Ecclesiæ Romanæ sit rebellis. Quo casu in viciniori congregentur. Ut porro ista executioni mandentur, Domino, aliisque Rectoribus & Officialibus civitatis illius, in qua celebranda fuerit electio, Constitutionis C istius executionem committit, solemni Juramento coram Clero & Populo civitatis devinctis. Qui si fraudem circa præscripta capita commiserint, aut ea diligenter non observaverint: cujuscunque sint præeminentiæ, conditionis, aut status, omni cessante Privilegio, eo ipso vinculo excommunicationis constricti sint, perpetuò sint infames, omni ad dignitates aditu prohibeantur: *Feudis & bonis, cæterisque, quæ ab eadem Romana, vel quibuslibet aliis Ecclesiis obtinent, ipso facto sint privati: ita quòd ad Ecclesias ipsas plenè ac liberè revertantur.* Ipsa verò civitas non solùm sit Interdicto supposita, sed & Pontificali Dignitate privata. Ad hæc, D Cardinales per aspersionem Sanguinis Jesu Christi Pontifex obtestat, ut omni privato affectu, partiúmque studiis depositis, & cujuslibet pactionis, conventionis, obligationis vinculo soluti, publicam duntaxat Ecclesiæ utilitatem in Summi Pontificis electione præ oculis habeant, & pro viribus procurent. Pacta quælibet conventa & Juramenta in hujusmodi negotio irrita declarat. Denique preces in Ecclesia universâ, immo & jejunia, prout circumstantiæ pensandæ suaserint, à Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & Prælatis indici jubet. Cardinalibus non placuit ista Constitutio, ut Acta E Concilii testantur, omnémque lapidem moverunt, ut Episcopis illius approbationem dissuaderent: sed *Gregorius X.* seorsim vocatis Præsulibus, ab illis obtinuit ut Constitutioni subscriberent, illámque sigillis suis munirent. Relata est à *Bonifacio VIII.* in Sextum, Tit. *De electione & electi Potestate,* » Cap. *Ubi.* Et observat Glossa, illam potius sumere vigorem ex renovatione *Cælestini V.* & hac » approbatione & conservatione *Bonifacii*, quàm » ex primæva Constitutione *Gregorii*, ex eo quia » revocata fuerat per *Hadrianum V.* & per *Joan-* » *nem XXI.* & pro revocata habebatur, nec olim F » inter Gregorianas legebatur. Et certè cùm Con- » stitutio ista tam utilis approbatione tanti Con- » cilii fuerit edita, non æquum fuit, quòd absque » requisitione Concilii revocata fuerat. Quia, ut habet Regula Juris lib. v. Decretal. Tit. xii. *Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.*

Modus præscribitur appellantibus contra Sacras Electiones & Provisiones.

Secunda Constitutio disciplinam spectans, seu tertius Concilii Canon, viam malitiis hominum in Sacrarum Electionum vel Provisionum impugnatione præcludit, decernens, ut appellantes contra Electiones, Postulationes, & Provisiones Ecclesiasticas, omnia quæ objicere intendunt contra electionis, postulationis, seu provisionis formam aut Personas eligentium, vel electi, sive illius cui erat provisio facienda, sive facta, in Appellationis Instrumento exprimere teneantur, & jurare quòd illa credunt vera esse, & se posse probare. Super non expressis, ipsi vel adhærentes eis non audiantur, nisi aliquid postea forsan emerserit, vel super antiquis supervenerit probandi facultas; aut aliqua antiqua in opponentium notitiam de novo pervenerint, quæ appellantes, appellationis emissæ tempore, verisimiliter ignorarint. Super quibus pariter jurabunt, quòd ad ea probanda sufficientia documenta se credunt habere. Statutum nihilominus *Innocentii IV.* contra deficientes in probatione eorum, quæ in formam vel personam objecerint, in suo robore manere, & executioni mandari jubet. In ipso etiam Concilio hæc edita Constitutio est, ut ex Actis patet, extátque in Sexto, Tit. *De electione & electi Potestate*, Cap. *Ut circa.*

Electi ad Ecclesiasticas Dignitates ab [illegible] ante confirmationem arceantur.

Canon iv. Statuit ut nullus deinceps *Administrationem Dignitatis*, ad quam electus est, priusquam ipsius electio confirmetur, *sub œconomatus vel procurationis* nomine, aut alio de novo quæsito colore, *in spiritualibus vel temporalibus, per se, vel per alium, in parte vel in totum, gerere, vel recipere, aut illis se immiscere præsumat:* Alioqui omni Jure excidat, si quod ei per electionem quæsitum est. Promulgata est etiam in Concilio hæcce constitutio, & habetur in Sexto, eodem Titulo quo superiores, Cap. *Avaritia.* Electi ab administratione ante confirmationem arcentur; qui alias de confirmatione non curarent, maximè quibus non est necessaria Consecratio: & confirmatio nihil operaretur: & si rescinderetur electio, facilè removeri non possent.

Confirmatio Electionis intra tres menses postulanda.

Canon v. Diuturnis Ecclesiarum vacationibus it obviàm, decernitque ut Electores, quàm citiùs commodè poterunt, electionem Electo præsentent: Ille verò intra mensem consentiat; alioquin Jure, si quod ipsi ex electione quæsitum est, privetur: nisi forsan ea sit electæ personæ conditio, ut electioni absque Superioris sui licentiâ consentire non possit. Quo casu idem Electus vel Electores ipsius, consentiendi licentiam à Superiore postulent & obtineant cum ea celeritate, quam ipsius præsentia vel absentia permiserit. Alioquin si lapso tempore, pro ejusdem Superioris præsentia vel absentia moderando, licentiam hujusmodi non obtineant, Electores ad aliam procedere possint electionem. Porro Electus infra tres menses ab assensu electioni præstito confirmationem petat: quod si absque justo impedimento omiserit, electio irrita esto. Et hæc Constitutio in Concilio promulgata est, & habetur in Sexto, Cap. *Quam sit*, eodem Tit. quo superiores.

Alia de Electionibus statuta.

Canon vi. Declarat, eos qui scientes volentes indignum eligunt, propter suffragium in scrutinium immissum eligendi Jure non privari, nisi ex votis eorum communis electio fuerit subsecuta. In Concilio conditus est, & legitur in Sexto, Cap. *Perpetua*, sub eodem Titulo.

Canon vii. Decernit, eligentium nemini licere, electione consummatâ adversùs Electum intercedere, vel aliquid opponere, nisi ex causis postea emergentibus, vel nisi ei morum ipsius antea celata pandatur improbitas, seu alicujus alterius latentis vitii vel defectus, quæ verisimiliter ignorare potuerit, veritas reveletur. De qua ignorantia fidem faciat proprio Juramento. In Concilio promulgatus est, & habetur in Sexto, Cap. *Nulli*, sub eodem Titulo.

Canon viii. Statuit contra Electum à duplo majori parte, vel contra Electores ipsius, nihil opponi posse

posse ad extenuationem zeli, meriti, vel auctoritatis ipsorum: Non prohibet tamen quin aliquid opponatur, quod votum nullum redderet. Lectus est in Concilio, & habetur in Sexto, Cap. *Si quando*, sub eodem Tit. quo superiores.

Appellationes.

Canon IX. Temerarium appellandi usum refrænat ac moderatur, statuens, ut appellatio in Judicio vel extra Judicium facta, causis Electionum Episcopalium, quæ Majoribus ab *Alexandro IV.* annumerantur, ad Sedem Apostolicam non devolvat, nisi in scriptis, & ex causa probabili, quæ probata legitima censeretur, interjecta fuerit. Partibus fas esse declarat, ab hujusmodi appellationibus recedere, antequam ad Sedem Apostolicam delatæ fuerint, modò nulla pravitas, id est, simoniaca pactio, violentia vel metus intercesserint: cujus rei Ordinarius Judex esto: qui cognita pravitate partibus diem dicat, quo Sedi Apostolicæ cum omnibus causæ Instrumentis se sistant. Promulgatus est in Concilio, & habetur in Sexto, Cap. *Quamvis*, sub eodem Titulo.

Oppositionum contra personas promovendas examen.

Canon X. Statuit ut si inter cætera quæ promovendo ad Dignitatem objiciuntur, evidentem scientiæ, vel alium personæ defectum opponi contingat, promovendus super hujusmodi defectu ante omnia examinetur: & si oppositionem veritate destitui comprobaverit exitus, opponens à prosecutione causæ omnino repellatur, & perinde puniatur, ac si in probatione omnium, quæ objecerat, penitus defecisset. In Concilio etiam promulgatus est Canon iste, & legitur in Sexto, Cap. *Si forte*, sub eodem Titulo.

Canon XI. Excommunicatione ferit eos, qui vexaverint Personam aliquam Ecclesiasticam, vel ejus consanguineos, aut ipsas Ecclesias, Monasteria, seu loca cætera, Beneficiis, sive aliis bonis suis, per se vel per alios spoliando, seu aliàs injustè persequendo, pro eo quòd rogati, seu aliàs inducti, eum pro quo rogabantur, eligere noluerint. Editus est in Concilio, & legitur in Sexto, sub eodem Titulo, Cap. *Sciant*.

Constitutio de Regalia.

Canon XII. Statuit ut universi & singuli, qui *Regalia, custodiam, sive guardiam, advocationis vel defensionis titulum, in Ecclesiis, Monasteriis, seu quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare conati, bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantacunque dignitatis honore præfulgeant: Clerici etiam ac Monachi, qui id fieri procurant*, Excommunicationem incurrant ipso facto. Clerici verò qui hujusmodi invasionibus se non opponunt, fructibus Ecclesiæ, pro tempore quo ista permittunt, privantor. *Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine Jura hujusmodi sibi vendicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos Ministros faciant abstinere, ut ea quæ non pertinent ad fructus, sive redditus provenientes vacationis tempore, non usurpent, nec bona cætera dilabi permittant.* Jus Regaliæ Regibus Christianissimis in Ecclesiis Regni sui competens Canone isto nequaquam imminutum, circumscriptum, aut restrictum est, sed Regia Jura in eo planè mansere statu, quo erant ante Concilium, ut sequenti Dissertatione probabo; in qua de Regaliæ Jure, usûque, ac de Canonis istius sensu uberiùs edisseram. In Concilio promulgatam Constitutionem istam Acta docent, & habetur in Sexto, Cap *Generali*, sub eodem Titulo quo superiores. De ipsa scribit *Guilelmus Durandus*, cognomento *Speculator*, Commentario in Concilium Lugdunense cui interfuit, Cap. XI pag. 40. versâ: *Præsens Constitutio fuit ad clamorem Prælatorum Franciæ & Angliæ promulgata. Modicam tamen ex ea adhuc illic sequi videmus utilitatem.*

Ecclesiarum Parochialium collationes.

Canon XIII. Ecclesiarum Parochialium collationes iis qui idonei scientia, moribus, & ætate non fuerint, & qui vigesimum-quintum annum non attigerint, deinceps faciendas, irritas declarat. Ecclesiarum hujusmodi Rectoribus personalem imperat Residentiamutque infra annum ad Sacerdotium se promoveri curent: alioqui Ecclesiâ sibi commissâ sint privati. Super Residentia verò possit Ordinarius gratiam dispensationis ad tempus indulgere, si causa legitima id exposcat. In Concilio promulgatus non est Canon iste, ut patet ex Actis. Extat in Sexto sub eodem Titulo quo superiores, Cap. *Licet*.

Canon XIV. Parochialem Ecclesiam commendari vetat, nisi constituto in ætate legitima & Sacerdotio, nec nisi unam uni, ad sex duntaxat menses, propter evidentem ipsius Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem. Alioqui commendatio ipso Jure irrita esto. Nec iste Canon promulgatus est in Concilio. Habetur in Sexto, sub eodem Titulo quo superiores, Cap. *Nemo*.

Suspenduntur qui Clericum alienum ordinaverint.

Canon XV. Eos qui Clericum alienum scientes ordinaverint, seu affectatâ ignorantiâ, vel quocumque alio figmento quæsito, per annum à collatione Ordinum suspensos decernit. Et postquam Suspensio fuerit manifesta, permittit harum Diœceseon Clericis ut absque ipsorum licentia interim à vicinis Episcopis ordinentur. Promulgatus est in Concilio: & habetur in Sexto, Cap. *Eos. De temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.*

Bigami omni Privilegio Clericali excidunt.

Canon XVI. Bigamos omni Privilegio Clericali nudatos, & coercitioni fori secularis addictos declarat, consuetudine contraria non obstante: ipsisque sub Anathematis interminatione prohibet, ne Tonsuram & habitum Clericalem deferant. Promulgatus est in Concilio: & habetur in Sexto, Cap. *Altercationis: De Bigamis.*

Cessatio Canonica à divinis.

Canon XVII. Statuit ut Canonici qui à Divinis cessare voluerint, prout in Ecclesiis quibusdam ex consuetudine vel alio Jure sibi vendicant, causam suæ cessationis exprimant in Instrumento publico, vel Patentibus Literis suo vel alio authentico sigillo munitis, & illud vel illas exhibeant ei contra quem & cujus occasione cessant. Quod si prætermiserint, vel causa non fuerit inventa canonica, omnia quæ cessationis tempore ab Ecclesia perceperint, restituant; debita stipendia non percipiant; illi contra quem cessaverant, de injuriis & damnis satisfacere teneantur. Si verò causa cessationis judicata fuerit canonica, is qui occasionem cessationi dedit, ad omne damnum Canonicis resarciendum compellatur, & ad mulctam Ecclesiæ solvendam condempnetur. Pravam consuetudinem reprobat, qua hujusmodi cessationis tempore Sacras Imagines è suis locis deponebant, & inter spinas vel urticas prosternebant. In Concilio promulgatus est: & habetur in Sexto, Cap. *Si Canonici. De Officio Ordinarii.* Cessationem hujusmodi vim Interdicti non habuisse, Juris Canonici Interpretes observant; quâ durante, Episcopus, & alii sine Irregularitatis pœna celebrare possent; ut colligitur ex Cap. *Irrefragabili. De Officio Ordinarii.* Lib. I. Decretal. Nec de jure communi Canonici absque Episcopo Ecclesiam Interdicto subjicere possent: ut habet Cap. *Quæsivit. De his quæ fiunt à majori parte Capituli.* Lib. III. Decretalium.

Cessatio illa à divinis vim non habuit Interdicti.

Beneficia incompatibilia.

Canon XVIII. Statuit ut Ordinarii locorum subditos suos, plures Dignitates vel Beneficia, quibus animarum cura imminet, habentes; seu Personatum aut Dignitatem cum alio Beneficio cui cura similis est annexa, ad dispensationem, vi cujus illa obtinent, exhibendam intra certum tempus compellant. Si nullam dispensationem exhibeant, Be-

neficia

neficia quæ sine dispensatione obtinere non possunt, à Collatoribus personis idoneis conferuntur. Si de sufficientia dispensationis dubitetur, Sedes Apostolica consulatur. Plura similia Beneficia obtinentibus aliud non conferatur, nisi dispensationem sufficientem exhibuerint. Alioquin irrita esto collatio. Canon iste in Lugdunensi Concilio non est conditus. Habetur in Sexto, Cap. *Ordinarii*, eodem Tit. quo superior.

Constitutio de Advocatis & Procuratoribus.

Canon xix. decernit ut omnes & singuli Advocati in Foro Ecclesiastico, Juramentum præstent quòd in omnibus causis quarum Patrocinium susceperunt vel suscipient, omni virtute sua omnique ope, id quod verum & justum existimaverint, suis clientibus procurent. Cùm verò ipsis innotuerit improbam esse causam, quam in sua fide receperant, ejus Patrocinium deserant. Procuratores simili Juramento adstringantur. Illud singulis annis iterent: alioqui ab hujusmodi Officiorum executione repellantur. Si Juramentum violaverint, *Duplum ejus restituant, quod pro tam iniquis advocatione, procuratione, vel consilio receperunt: ac nihilominus de damnis, quæ per iniqua hujusmodi ministeria partibus irrogarunt, illis satisfacere teneantur*. Promulgatum hunc Canonem in Concilio, Acta docent. Et Regem Franciæ aliam Constitutionem adinstar præsentis edidisse, & in Regno suo servari jussisse, tradit *Guillelmus Durandus*, in Commentariis.

Absolutio à Censuris vi aut metu extorta.

Canon xx. Absolutionem ab Excommunicatione, Suspensione, vel Interdicto, vi aut metu extortam, irritam pronuntiat. Eos qui sic extorserint, excommunicatione ferit. In Concilio promulgatus est: & habetur in Sexto. Cap. *Absolutionis. De his quæ vi metúsve causa fiunt.*

Dignitatum & Beneficiorum in Curia vacantium collatio.

Canon xxi. Statutum *Clementis IV.* de Dignitatibus & Beneficiis in Curia Romana vacantibus per alium à Romano Pontifice non conferendis ita moderatur; ut si Summus Pontifex ea non contulerit intra mensem à die vacationis, illi ad quos eorum collatio pertinet, ea conferre valeant per se ipsos, aut per suos Vicarios Generales, quibus id canonicè commiserint. Promulgatus est in Concilio: & habetur in Sexto. Cap. *Statutum. De Præbendis & Dignitatibus.*

Subjectio Ecclesiarum seu bonorum aut jurium Ecclesiasticorum Laicis prohibita.

Canon xxii. Prohibet ne Prælati Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu Jura ipsarum, Laicis submittere, subjicere seu supponere, *absque Capituli sui consensu, & Apostolicæ Sedis licentia speciali*, præsumant: Non concedendo bona ipsa vel jura in emphyteusim, seu aliàs alienando in forma & casibus à Jure permissis: *Sed constituendo, vel recognoscendo, seu profitendo ab illis ea tanquam à Superioribus se tenere, seu ab ipsis eadem advocando, prout in quibusdam partibus* (in Galliis scilicet) *vulgariter dicitur*, Avoüer: *vel ipsos Patronos vel Advocatos Ecclesiarum, seu bonorum ipsarum, perpetuo aut ad tempus non modicum statuendo*. Contractus omnes contra Canonis istius dispositionem faciendos, rescindit. Prælatos qui secus fecerint, ipso facto ab Officio & administratione; Clericos qui id Superiori denuntiare neglexerint, à perceptione Beneficiorum, quæ in Ecclesia obtinent sic gravata, ad triennium suspendit. Laïcos horum gravaminum autores excommunicatione percellit, nisi Ecclesiis hujusmodi novas servitutes remiserint. Occasionem tandem contractuum cum debitis conditionibus hac in materia initorum, vel quos in futurum iniri contigerit, Laïcos aliquid usurpare vetat, præter id quod ex natura contractuum ipsorum, aut adhibita in illis lege permittitur, sub pœna Excommunicationis, nisi moniti restituant, quæ ita usurparunt. Hoc Decretum in Concilio editum est, occasione Toparcharum, seu

Edendæ Constitutionis occasio.

Castellanorum quorumdam, qui Viros Ecclesiasticos opprimebant, missis ad eorum prædia Militibus. Qui ut ab ea vexatione liberarentur, possessiones Ecclesiasticas ipsis Toparchis, aut aliis Personis Laïcis potentioribus subjiciebant, & se ab illis eas tenere profitebantur, vel ipsos Patronos aut Advocatos Ecclesiarum constituebant. Huic malo, quod in Galliis invaluerat, ex Concilii Sententia remedium attulit *Gregorius X.* hoc edito Canone. Quem cum duodecimo si contuleris, compertum habebis utrumque easdem personas spectare, scilicet hujusmodi Toparchas sive Castellanos, qui Viros Ecclesiasticos opprimendo, ipsos compellebant ut, ad redimendam vexationem, ipsis Ecclesiarum advocationem vel custodiam in perpetuum vel ad tempus committerent, ut observat Glossa posterioris istius Canonis: & ratione advocationis aut custodiæ hoc modo sibi commissæ, immo potius usurpatæ, bona Ecclesiarum vacantium occupare præsumebant: Reges verò Christianissimos non spectare, exploratum erit, qui Regaliæ Jus in Ecclesiis Regni sui legitimè exercebant: ut sequenti Dissertatione pleniùs demonstrabo.

Decretum contra nimiâ Religiosorum Ordinum multitudinem.

Canon xxiii. Lateranensis Concilii contra nimiam Religiosorum Ordinum multitudinem Decretum renovat: Prohibet ne quis deinceps novum Ordinem instituat, vel habitum novæ Religionis assumat. Ordines Mendicantium post Concilium illud institutos, & nondum confirmatos abrogat. A Sede Apostolica confirmatos, post idem tamen Concilium institutos, quibus ad congruam sustentationem redditus aut possessiones habere Professio, sive Regula, aut Constitutiones quælibet interdicunt, sed per quæstum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas, ita subsistere permittit, ut nullum deinceps ad Professionem admittant, novas domos non acquirant; quas possident domos aut loca, sine Sedis Apostolicæ licentia alienare non valeant. Ipsorum Ordinum Professoribus Prædicationis, & audiendæ Confessionis officio, aut etiam Sepulturis, quoad extraneos, interdicit. *Prædicatorum & Minorum Ordines* excipit, *quos evidens ex eis utilitas Ecclesiæ universali proveniens perhibet approbatos. Carmelitarum verò & Eremitarum S. Augustini Ordines, quorum institutio dictum Generale Concilium præcessit, in suo statu manere concedit, donec de ipsis fuerit aliter ordinatum.* In Concilio Lugdunensi conditum non esse hunc Canonem, ex Actis constat. Habetur in Sexto. Cap. *Religionum. De Religiosis Domibus.*

Procurationes Prælatorum Ecclesias visitantium.

Canon xxiv. Decretalem *Innocentii IV.* confirmat, quâ Procurationes Prælatis Ecclesias visitantibus debitas in pecunia solvi, & ab eorum familiaribus munera recipi prohibuerat, pœnásque in transgressores decernit. Victualia etiam procurationis nomine ab illis, quas non visitaverint, Ecclesiis recipi vetat. Promulgatus est in Concilio: & habetur in Sexto. Cap. *Exigit. De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.*

Reverentia Templis debita.

Canon xxv. Ecclesiarum venerationem sancit: Profanas Societates & Conventus, secularia Consilia, & publica Parlamenta, & multò magis vana, fœda & profana colloquia, confabulationes quascumque, & quicquid Divinum turbare potest Officium, in iis prohibet: ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi. In Ecclesiis etiam & Cœmeteriis nundinas & negotiationes, & quarumlibet causarum, maximè verò criminalium actiones cognitionésque vetat. Ordinariis locorum jubet, hujus Canonis executioni invigilent. Judicum secularium Processus in iisdem locis factos, latásque Sententias, irritas declarat. Promulgatus

in

in Concilio, & in Sextum relatus est. Cap. *Decet. De Immunitate Ecclesiarum.*

Domus fœneratoribus locare siob gravibus pœnis vetatum.

Canon xxvi. Concilii Lateranensis III. Constitutionem in fœneratores latam renovat & confirmat: Domos ipsis locari vetat, ab Episcopis, sub pœna Suspensionis; à Minoribus personis singularibus, sub pœna Excommunicationis; à Collegiis aut aliis universitatibus, sub pœna Interdicti. Laïcos ab hujusmodi excessu per Censuram Ecclesiasticam à suis Ordinariis compesci præcipit. Conditus est in Concilio: & habetur in Sexto. Cap. *Usurarum.* Tit. *De Usuris.*

Usurariorum pœnæ.

Restitutio necessaria ut absolvantur, & Ecclesiasticâ donentur sepulturâ.

Canon xxvii. Fœneratores Ecclesiasticâ sepulturâ privari jubet, etiamsi restitutionem ultima voluntate mandaverint, donec plenariè factum fuerit satis, aut iis quibus facienda est, si præsto sint; aut eis absentibus, loci Ordinario, ejus Vicario, aut Parocho, coram testibus fide dignis; vel fidejussorem dederint idoneum. Si receptarum usurarum quantitas sit manifesta, in cautione exprimitor: sin minus, eam Episcopus, ejus Vicarius, aut Parochus prædicti cautionem recipientes, pro sua prudentia moderantor. Religiosi, & alii, qui manifestos usurarios contra præsentis Sanctionis formam ad Ecclesiasticam Sepulturam admiserint, pœnis in Lateranensi Concilio promulgatis plectuntor. Nullus manifestorum usurariorum Testamentis interesto, aut eos ad Confessionem admittito, sive ipsis Absolutionem dato, nisi usuras restituerint, aut de restituendo cautionem præstiterint. Testamenta denique ipsorum aliter facta, irrita sunto. Canon iste in Concilio conditus est: & habetur in Sexto. Cap. *Quanquam. De Usuris.*

Illorum testamenta irrita.

Represaliæ contra personas Ecclesiasticas non concedendæ vel extendendæ.

Canon xxviii. Pignorationes, quæ vulgò Represalia vocantur, in quibus alius pro alio prægravatur, tanquam Legibus & æquitati naturali contrarias, Civili etiam Jure, prohibitas, meritóque damnandas, contra Personas Ecclesiasticas, prætextu cujusvis consuetudinis, concedi, aut extendi prohibet; concedentibus, vel extendentibus, Ecclesiasticas Censuras interminatur. Hoc malum in Italia grassabatur, teste *Gulielmo Durando*, in Commentario. Invaluit etiam in hoc Regno tempore bellorum inter Regem Christianissimum & Regem Angliæ, Glossa observat. Quamvis autem æquitati naturali repugnent Represaliæ, quia iniquum est quòd alter alterius odio gravetur, & quòd quis locupletetur cum alterius damno; & alteri fiat quod sibi fieri non vult, ut habent Regulæ Juris: & quia sanctius est nocentem impunitum relinquere, quàm innocentem condemnare. *ff. de Pœnis, L. Absentem.* Nihilominus concurrentibus belli justi conditionibus, publica scilicet auctoritate, justa causa, intentione rectâ, licitæ sunt: *Si gens* nimirum *vel civitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est; vel reddere quod per injuriam ablatum est*, ut ait *S. Augustinus* lib. LXXXI 1. Quæstionum, Quæst. x. in *Josue*, à *S. Thoma* laudatus Secunda Secundæ, Q. xl. Art. 1. Ad Clericos tamen tunc extendi Jure non possunt. Canon iste in Concilio conditus est: & habetur in Sexto. Cap. *Etsi Pignorationes. De injuriis & damno dato.*

Laudatur etiam in P. Decreti, Causa xxiii. Q. ii. C. Dominus.

De Sententia Excommunicationis.

Canon xxix. Excommunicationem in participantes Excommunicatis sive cum illis communicantes latam non valere declarat, nisi moniti nominatim fuerint, secundùm formam Canonicam. Statuit etiam ut Ecclesiastici Judices, sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus, aliquot dierum competentia observent intervalla: nisi facti necessitas aliud suaserit. Promulgatus est in Concilio, & habetur in Sexto. Cap. *Constitutionem. De Sententia Excommunicationis.*

Canon xxx. Relaxationem ad cautelam in generali Interdicto locum non habere declarat. Cur autem Excommunicatis absolutio ad cautelam interdum concedatur, non Interdictis: rationem affert *Guillelmus Durandus*, in Commentario: Quia Excommunicatione fit mortis æternæ damnatio, & anima traditur Satanæ, & ideo festinandum est ut mortuus & à Christi corpore separatus, eidem redintegretur absolutionis beneficio. Majoribus enim malis sincera charitas subvenire debet. In Interdicto autem minus periculum est, cùm Sacramenta simpliciter necessaria ministrentur; unde minùs festinandum est. Accedit, quòd Excommunicationis Sententia suspendi non potest, nisi penitus relaxetur: interdictum autem suspendi potest. Canon iste promulgatus est in Concilio: & habetur in Sexto. Cap. *Præsenti. De Sententia excommunicationis.*

Relaxatio ad cautelam in interdicto generali locum non habet.

Canon xxxi. Sententiam Excommunicationis ipso facto incurrendæ fert in eos, qui ob Censuras in Reges, Principes, Barones, Nobiles, Baillivos, eorum Ministros, aut alios quoscunque latas, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, seu aliàs in personis aut bonis suis, vel suorum, gravandi eos qui tales Sententias tulere, vel quorum occasione latæ sunt; vel easdem Sententias observantes, aut cum Excommunicatis communicare nolentes: nisi licentiam ipsam, re integrâ, revocaverint: vel, si ad bonorum captionem occasione istius licentiæ processum sit, nisi bona ipsa infra octo dies restituta fuerint. Eadem Sententiâ percelluntur omnes, qui hujusmodi licentiâ usi fuerint, vel aliquod præmissorum suo motu commiserint. Qui verò in eadem Sententia duorum mensium spatio permanserint, ab ea non possint nisi per Sedem Apostolicam absolutionis beneficium obtinere. In Concilio etiam promulgatus est Canon iste: & habetur in Sexto. Cap. *Quicumque*; sub eodem Titulo quo duo superiores.

SCHOLION I.

In hunc Articulo, pag. 29. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Constitutio de electione Papæ facta à Concilio, non poterat nisi à Concilio revocari.*

R. Non mea, sed Glossæ in to illam Constitutionem editæ in textu Decretalium, verba sunt. Sententiam porro si rogatus fuero, respondebo Romanum Pontificem Legum pro universis Ecclesiæ partibus condendarum potestatem habere, & Canonum temperandorum supremam auctoritatem, ratione primatûs à Christo accepti, secundùm illam *Gelasii* I. Sententiam in Epistola ad Episcopos per Lucaniam & Bruttios & Siciliam constitutos: *Nos etiam rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ sedis moderamine convenimur, sic Canonum paternorum Decreta librare, & retro Præsulum Decessorúmque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit. ADHIBITA CONSIDERATIONE DILIGENTI QUANTUM FIERI POTEST, TEMPEREMUS; quo nec in totum formam veterum videamur excedere Regularum, & repa nodis Militia Clericales Officiis consulamus.*

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 33. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Canon duodecimus Concilii Lugdunensis non lædit jus Regaliæ Regum Christianissimorum.*

R. Quid Nomine Regaliæ in isto Canone intelligatur, non omnino certum & exploratum est, ut constat ex Glossa capitis, *Generali*, in Sexto. Eo Canone non lædi jus Regis Christianissimi, docet *Guillelmus Durandus* Commentario in Lugdunense Concilium, cujus è Patribus unus fuit, Cap. 12.

A

DISSERTATIO VIII.

De JURE REGALIÆ. Ad Canonem XII. Concilii Lugdunensis II.

Auctor de Regalia dogmaticè non tractat, sed historicè, & aliorum Sententias, Argumenta, & Responsa duntaxat referendo.

QUæstionem cum primis difficilem ac delicatam tractaturus, hanc mihi præstituo legem, ut de Regaliæ extensione historicè tantùm agam, Gallorum Jurisconsultorum seu veterum seu hodiernorum sententiam, pronuntiata, rationes, praximque Regni Christianissimi referens, quantùm ad illustrandum hoc argumentum, ad aperiendum Lugdunensis Concilii II. sensum, ad Regem Christianissimum, prout ex officio teneor, à calumnia vindicandum, opus erit. Nec Ecclesiæ, nec Regiis Juribus detrahere me velle profiteor, aut cuiquam adulari; sed *Paschalis II.* verba lubens usurpo, animumque & affectum induo, ad *Basilium* Hierosolymitanum Regem scribentis, Epistola XXIX. *Nec enim volumus aut pro Principum Potentia Ecclesiasticam minui Dignitatem, aut pro Ecclesiastica Dignitate Principum Potentiam mutilari, ne apud nos occasione alterutra pax turbetur Ecclesiæ.* Summam potestatem Romano Pontifici in spiritualibus, convenire, Primatum Jure Divino institutum, seu à Christo immediatè collatum, non honoris solùm ac dignitatis, sed & potestatis ac jurisdictionis, cui Christiani omnes, Regesque ipsi obnoxii sunt, ac parere tenentur, credo ac propugno, ut Doctorem Catholicum decet. Supremam, Jure pariter Divino institutam, à Deo immediatè collatam, ab Ecclesia vel Romano Pontifice prorsus independentem in temporalibus Christianissimi Regis auctoritatem profiteor ac veneror: Nec spiritualia Jura in Ecclesiis exercere posse Reges quoslibet Christianos absque concessione Ecclesiæ, nec Jura temporalia in quibusvis Regnis Ecclesiæ ipsius minimè Beneficiariis exercere Pontifices, aut de illis judicare, absque concessione Regum. His positis Principiis, octo in hacce Dissertatione expendam. Primò quid sit Jus Regaliæ? Quæ ejus origo? Quibusve fundamentis nitatur ac titulis? Secundò, utrum custodiæ seu defensionis titulus, quod primum est Juris Regaliæ fundamentum, Regibus nostris Primæ & Secundæ Dynastiæ in Ecclesiis Regni sui conveniret, ac hujusmodi custodiam & defensionem exercerent? Tertiò, utrum Ecclesiæ Feuda Regi obnoxia sub prima & secunda Regum nostrorum Dynastia possiderent, qui Juris Regaliæ titulus est alter: & debitas ob hujusmodi Feuda servitutes iidem Reges reciperent? Quartò, utrum Jus Regaliæ in tota amplitudine sua, quatenus scilicet usumfructum redituum Ecclesiæ vacantis, & collationem Præbendarum complectitur, Reges tertiæ Dynastiæ Christianissimi ante Concilium Lugdunense II. exercuerint, illúdque agnoverit, & approbarit Ecclesia? Quintò, utrum Lugdunense Concilium II. Canone XII. Jus Regaliæ Christianissimis Regibus conveniens imminuerit, vel coarctaverit, an potius confirmaverit? Sextò, An Regaliæ usus æquitati ac libertati Ecclesiarum repugnet? Septimò, Utrum Regalia *Jus Regium* rectè nuncupetur? Octavò, Ad quem spectet de Regalia, ejus extensione, appendicibus vel adnexis judicare? Jurisne sit Ecclesiæ, vel Regis?

ARTICULUS I.

Quid sit Jus Regaliæ? Quæ eius origo? Quibus fundamentis nitatur ac titulis?

Regaliæ definitio.

I. R*Egalia*, inquit, *Ruzæus*, Græcorum more neutro genere & plurali numero in antiquis monumentis nuncupabantur; quam Regaliam numero singulari nunc appellamus, verbo ab errore usurpato, sicuti Evangelia Græci vocant. Definitur

B *Jus Regium fruendi reditibus Ecclesiæ vacantis, & conferendi Beneficia curam animarum non habentia, quæ ab Episcopo conferri solent, donec novus Episcopus Juramentum Fidelitatis Regi præstiterit, Investituram bonorum Ecclesiasticorum ab ejus Majestate acceperit, ac Regias Literas Sacramenti sui testes in Rationum Principalium Commentarios referri, sive in Camera Computorum Regesto conscribi curaverit, & Mandatum ab ipsa impetraverit, quo Manum Regiam temporalibus bonis injectam auferri jubeat.* Jus dicitur, tum quia legitimis titulis quæsitum est, tum quia Regibus nostris ex mero Privilegio non convenit. Falsò illud ex Cap. *Hadrianus*. LXIII. Dist.

C Pragmatici quidam repetunt, quo *Hadrianus I.* Carolo Magno jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem; Archiepiscopos etiam & Episcopos per singulas Provincias investiendi, dedisse supponitur; ita ut *nisi à Rege laudetur & investiatur Episcopus, à nemine consecretur.* Enimvero Canonem istum supposititium esse, & à *Sigeberto* confictam historiam, ut *Henrici* Imperatoris partes, cui favebat adversùs *Paschalem II.* hac auctoritate muniret, Viri Eruditi consentiunt; & *Gratianum* à *Sigeberto* deceptum. Falsi rationes apud *Baronium* ad annum DCCLXXIII. & apud D.

D *De Marca*, lib. VIII. de Concordia Sacerdotii & Imp. Cap. XIX. legere est. *Jus Regium* Regalia dicitur, quod inter nobiliores Regiæ Dignitatis partes recensendum sit (inquiunt Pragmatici nostri) adeò ut soli Regi competat, cum nemine alio communicetur, exclusis etiam ab eo Jure iis penes quos sub Rege puero administrandæ Reipublicæ cura est, quos *Regentes Regni* nominamus. Et licèt olim Duces & Comites Jus Regaliæ exercuerint, nihilosecius Jus illud Regium dicitur, quia Regio nomine Regalibus fruebantur, pro quibus Hominium & Juramentum Fidelitatis Regi præstabant, quòd ea portio quædam & membrum es-

E sent feudorum ab ipsis possessorum, ut constat ex Articulis *Clementi V.* à *Guillelmo de Nogareto* oblatis, quorum XIV. sic habet: *Item certum, notorium, & indubitatum existit, quòd Jura Regalia aliquarum Ecclesiarum, quæ habet in Ecclesiis prædictis Dominus Rex, Progenitores ipsius Domini Regis, & Prædecessores ejus in Regno, dederunt in feudum aliquibus Baronibus suis tam Ecclesiasticis quàm secularibus. Qui Barones Regalibus illis utuntur & fruuntur, Sedibus ipsarum Ecclesiarum vacantibus, Jure suo feudali, & Regio à quo Jus suum*

F *movet, & ideo Jus Regale vocatur. Quo Jure dicti Barones utuntur nominibus suis, & nomine Regio, & usi sunt tanto tempore de cujus initio memoria non existit.* Dicitur *Jus fruendi reditibus Ecclesiæ vacantis*, non iis tantùm qui ex feudis proveniunt, sed universis. Cùm enim patrimonia Episcopatuum velut bona nobilia ab Episcopis possideantur, evecta sunt per consequentiam ad feudorum dignitatem; & ipsæ decimæ feudorum conditionem sequuntur, quia ut habet Regula Juris: *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Ecclesia autem vacante, Regalia aperta est, sive per obitum,

sive

sive per cessionem, resignationem, vel translationem, sive per depositionem Episcopi vacaverit, sive per ipsius ad Cardinalitias Infulas Promotionem. Hæc enim vi Regaliam etiam aperiri, Gallicani Juris prudentia docet, ac Supremi Senatus Arresta probant, edita inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Cap. xv. Num. xxxi. & sequentibus, & *Ruzæus* in Tractatu de Regalibus, Privilegio xiii. aliique hujus Regni Jurisconsulti. Dicitur *Jus conferendi Beneficia*, quia collatio Beneficiorum ad fructus pertinet, secundùm Abbatem Panormitanum, & alios Interpretes in Cap. *Ista devotionis*. Tit. *Ne sede vacante aliquid innovetur*; & Glossam in Cap. *Cum olim*. Tit. *De Majoritate & Obedientia*: Necnon in Cap. *Generali Constitutione*. *De electione & electi potestate*, *in Sexto*, quæ in editione Romana recisa est. Unde apud nos illud velut Axioma Juris invaluit, constanterque retinetur: *Collatio Beneficiorum computatur in fructu*. Dicitur Jus conferendi Beneficia *curam animarum non habentia*. Quæ enim curam animarum habent, à solis Episcopis conferri possunt, cùm eorum functiones absque Missione non possint exerceri. Quamobrem Regaliæ non subjicent, nec in eorum collationem Christianissimi Reges manus injicere voluerunt, sed eorum plenam dispositionem Ecclesiasticis & Ordinariis Collatoribus reservarunt. Eorum itaque Collatio fit à Capitulo Sede vacante, si ad Capitulum & Episcopum conjunctim pertineat, aut futuro servatur Episcopo; ut observat *Ægidius Magister* Senatus Princeps, Tract. De Regalibus. *Molinæus*, in Regulam *De Infirmis Resignantibus*, Num. ccccxx. Curata etiam Beneficia Regaliorum Juri subjici asserit, cujus audaciam cæteri non probant. Vide *Ruzæum*, Privilegio xxxix. Tract. De Regal. & *Probum*, Quæst. ix. Num. iii. & Quæst. x. Num. x. Additur in definitione, *Quæ ab Episcopo conferri solent*: Quia Rex Episcopi Juribus vacante Sede quoad collationes Beneficiorum simplicium subrogatur: adeòque nihil ampliùs potest quàm Episcopus. Unde *Gregorius IX*. ad *Fredericum II*. Imperatorem anno mccxxxvi. de Regaliorum usu scribebat: *Esto quòd aliqua Beneficia vacantia conferas, ut curam tamen animarum illis annexam committere valeas, Jus spirituale, quod non cadit in Laicum, non permittit. Esto quòd in collatione Beneficiorum morientibus succedas (ut dicis) Episcopis. Majorem in hoc ipsis non adipisceris potestatem.* (Apud *Odoricum Raynaldum*, ad eum annum, Num. xxi.) Nihil autem refert an Beneficium illud Episcopi collationi attributum, Sede Episcopali vacante, an antea vacaverit, modò vacatione occurrente, vacuum permanserit, nemine de jure vel de facto occupante. Quovis enim modo vacet, Regaliæ subest, ejúsque collatio ad Regem pertinet. Cujus juri, etsi conferre distulerit, etsi neglexerit, nulla ab Ordinario facta collatio præscribit, ut Pragmatici nostri docent; nec possessio quælibet, nisi triginta annorum præscriptione firmata, juxta *Ludovici XII*. Edictum, ut *Ruzæus*, aliíque Regalistæ probant. Vacare autem Beneficia triplici ratione observat. 1. de facto, cùm is qui canonicè institutus est, corporalem adire neglexit possessionem, vel eam quidem adiit, sed Procuratoris ministerio: de jure, cùm realem quidem Beneficii possessionem & per seipsum adiit, sed ex titulo vitioso & caduco, quod Jure Canonico stare non potest: de facto simul & de jure; cùm nec realem & personalem possessionem adeptus est, nec ipsi canonicus titulus suffragatur. Id ex *Philippi Valesii* Constitutione, quæ Philippina vulgò dicitur, edita anno m. cccxxxiv. compertum est; & latiùs explicant *Ruzæus* Privilegio ii. & *Probus* Quæst. xxvii. Subdit

Carolus Molinæus refellitur.

definitio: *Donec novus Episcopus Juramentum fidelitatis Regi præstiterit*: Quia sola patientia sive tolerantia Regis, sive fidei clientelaris induciæ, non possunt Episcopo quoad collationem Beneficiorum in Regalia vacantium, licèt sufficiant ad usumfructum redituum, ut probant *Ruzæus* Privilegio xxxviii. *Probus* Quæst. liv. & *Magister* Protopræses Cap. vi. Reliquæ Definitionis partes, Solemnia Juris ad Regaliæ clausuram necessaria explicant, quæ Constitutio, *Dum Episcopus*, Regesto Cameræ Computorum Parisiensis inserta, & inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ edita, Cap. xv. Num. xxxv. his verbis præscribit: *Dum Episcopus alicujus Episcopatus, ubi Dominus Rex habet Regaliam, ab humanis decedit, immediatè per obitum seu mortem ipsius, Regalia in dicto Episcopatu est aperta, & succedit Rex loco boni & legitimi Administratoris in omni temporalitate dicti Episcopatus, conferìtque Beneficia non Curata, & hoc durante tempore ipsius Regaliæ. Quæ quidem Regalia dicitur vigere & habere locum in dicto Episcopatu, donec & quousque futurus Successor Episcopus legitimè intrans, suum debitum fidelitatis Juramentum dicto Domino nostro Regi (prout tenetur) fecerit, Quodque Literæ Regiæ attestantes dictum Juramentum sic fuisse factum, præsentatæ, registratæ, & expeditæ fuerint in Camera Computorum. Et quòd Receptor seu Commissus ad receptam ipsius Regaliæ, receperit Mandatum à dicta Camera emanatum, per quod mandetur ut levet manum Regis, & permittat dictum Episcopum uti & gaudere, ponendo ipsam temporalitatem ad plenam deliberantiam.* * *Nec ante receptionem hujusmodi Mandati à dicto Receptore seu Commisso, reputatur dicta Regalia clausa, sed usque in diem ipsius receptionis tenetur reddere compotum & rationem de fructibus hujusmodi temporalitatis; & confert Rex Beneficia tanquam in Regalia vacantia; & hoc de Jure & Consuetudine Regni & suæ Coronæ Franciæ.*

* Deliberamentum, ou Main-levée.

II. Juris Regaliorum naturam explicare facilius est, quàm originem indigitare. Illam enim verò antiquam quidem, sed obscuram plerique nostratium Jurisconsultorum significarunt. *Pasquierius* lib. iii. *Disquisitionum*, Cap. xxxv. pag. 184. ait, « neminem adhuc se vidisse, qui ejus originem « indicaverit; nec immeritò: *Si quid enim*, inquit, « *in Historia nostra obscurum est, id in primis de hac materia prædicandum*. Alii ad Aurelianense Con- « cilium sub *Clodoveo*, in quo id Privilegii Clerus « ipsi concesserit, ejus exordia referunt. Sed Con- « cilium illud præ manibus habemus, in quo « nulla penitus de Regaliæ Jure extat memoria. « Alii ad Romanam sub *Hadriano I*. Synodum, « in qua Pontifex, *Carolo Magno* ut gratificare- « tur, potestatem conferendi omnium Investituras « Episcopatuum ejus Majestati concesserit: At u- « nius *Gratiani* fulta testimonio, vel *Sigeberti* po- « tius commento, ruit fictitiæ istius Synodi histo- « ria. Ideo nonnulli Regalia cum Regia Lege « Romanorum Imperatorum temporibus compa- « randa censent. Enimverò ut hujusmodi Legem « Romani Jurisconsulti maximè celebrabant, per « eam veteris Reipublicæ Majestatem, à Populo « Romano in unius hominis potestatem translatam « esse prædicantes; nec tamen cessionis hujus ac « translationis epocham designabant: ita quamvis « Regalia nostra Gallorum Patronorum ac Juris- « consultorum ore celebretur, ut Lex qua Episco- « pi Jus istud collationis Beneficiorum Regibus « cesserunt; ejus tamen natalia planè comperta « habere non possumus. Illi certè Regaliæ nomen « haud temerè datum, quippe quod *cum nostra* « *Monarchia natum sit, saltem ex quo Reges nostri Sanctum Baptismatis Sacramentum susceperunt*.

Juris Regaliæ obscuram originem Pragmatici fatentur.

Ante

Ante *Pasquierum*, obscuram Juris Regaliæ originem *Renatus Choppinus* asserit lib. 1. De Sacra Politia, Tit. vii. Num. ix. *Novum putet quispiam*, inquit, *ex Regiis tabulis solùm patriísque Senatus Consultis peti hanc à nobis Regaliorum tractationem, nullà subjunctà priscarum rerum memorià, externáque disciplinâ. Sed meminerimus Regalia esse hæc nostratiúmque Regum, Senatoriaque Placita veriùs, quàm descriptis initio certæ artis præceptis constituta. Qualis Hebræorum Cabala, qui doctrina sua rationem quærentibus, unum hoc respondebant: Dixerunt Sapientes. Paria item Pythagoreorum Instituta probavit Gregorius Nazianzenus, cùm Juliani Cæsaris occurreret convitio in Christiana Philosophia dictatum hoc: Crede. Nam in dicta cedente isto, ipse dixit, Et apud nos crede, licèt aliis syllabis & verbis. Ita Nazianzenus. Ac velut Procopii τὰ ἀνέκδοτα memoravit Suidas, quasi nondum vulgatum Opus, nec apertè scriptâ Methodo constans: sic Regaliorum cognitio vix patuerit antiquarum duntaxat lectionum studiosis, sed Praxiarchis, assiduísque forensium causarum Auditoribus.*

Tract. de Benef. pag. 514. Duobus illis recentior *Franciscus Pinsonius* in Senatu Parisiensi Advocatus, Ægyptiaco Nilo similem ait esse Regaliam, cujus origo hucusque incognita. *Sed enim*, inquit, *illud Jus, ex more antiquo Regibus nostris competere, rectè ait Hugo Abbas S. Dionysii. Namque Regalia, omni Jure Canonico antiquior, Legi Regiæ, necnon ipsi Coronæ coæva dicitur, cujus auctoritas eo firmiores radices egit, quod origo incognita, omnem hominum memoriam excedens, in posteriora tempora & hodierna continuâ observatione sese effudit, Ægyptiaco Nilo similis, cujus eo nobilior est cursus quod origo latet, & usque hodie incognita permansit. Hæc est enim temporum auctoritas, ut legitima quæque reddat, maximè dum palam & publicè possessio processit, scientibus, imò etiam approbantibus his, quorum intererat, & quos gravare poterat possessio, ut patet ex* L. 1. §. 23. Dig. de aqua quotid. & æst. *ex qua concludunt Interpretes tum Juris Civilis tum Canonici, cum Jureconsulto, vetustatem vim legis obtinere; quod contingit in ipso Regaliæ nostræ usu & observatione.* Frustra verò nuperus Regaliæ Impugnator ejus novitatem ex eo colligit, quod Autores laudati de illa non secus ac de mysterio quodam locuti sint: obscuritas enim ipsa originis illius probat antiquitatem. Rerum enim novarum origines facilè cognoscimus. Sicut ergo quod à nullis Conciliis institutum legimus, & tamen in Ecclesia semper servatum est, ab Apostolis acceptum certissimè creditur, ut *S. Augustinus* tradit: ita pari quodam modo & servatâ proportione, mores ab antiquo in Republica servati, quorum exordia incognita sunt, ab ipsis Reipublicæ initiis sunt arcessendi. Quamobrem Regaliæ obscurior origo eam esse Monarchiæ pene coævam potius suadet, quàm fundamentum præbeat ipsam velut novum inventum sugillandi.

Tituli ac fundamenta juris Regaliæ. III. Duobus titulis ac fundamentis Regaliæ Jus augustum nititur. Primus titulus est, Ecclesiarum custodia & defensio, ratione cujus honorarium quoddam Custodibus, Advocatis, ac Defensoribus attributum est: quod in ususfructu redituum Ecclesiæ vacantis; & Præbendarum collatione, quæ inter fructus optimo jure computatur, Regum nostrorum respectu positum Gallicana Ecclesia esse voluit, Romana probavit, præscripta consuetudo firmavit. *Primus titulus, Ecclesiarum custodia & defensio.* Porro Jus Custodiæ ac Defensionis, & Jus Regaliæ idem esse, sive potius custodiam & defensionem Ecclesiarum legitimum esse Regaliæ titulum, constat ex Canone xii. Lugdunensis Concilii ii. sub *Gregorio X.* cujus illustrandi gratia hanc Dissertationem adornamus. *Generali*, inquit, *Constitutione sancimus, universos & singulos, qui Regalia, custodiam, sive gardiam, advocationis seu defensionis titulum in Ecclesiis, Monasteriis, seu quibuslibet piis locis de novo usurpare conantes, bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantæcumque Dignitatis honore præfulgeant, ... Eo ipso excommunicationis Sententiæ decernimus subjacere..... Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum cæterorúmque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine Jura sibi hujusmodi vendicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos Ministros in eis solicitè faciant abstinere, quòd ea quæ non pertinent ad fructus sive reditus provenientes vacationis tempore non usurpent, nec bona cætera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent.*

Ratione porro hujusmodi Custodiæ Regalis ac defensionis Ecclesiis adeo necessariæ, collationem Præbendarum Regibus Christianissimis jure merito attributam, comparatione ductâ ex Veteri Testamento, probat *Arnulphus Ruzæus*, in Supremo Senatu Parisiensi Senator Jurisconsultissimus in Tractatu de Jure Regaliorum, 1. P. Præfat. Num. v. Legimus enim in Veteri Testamento, (inquit) quod Rex Israël electus à Domino & inunctus, deficiente Sacerdote surgebatur plerúmque ministerio Pontificis, etiam ad præficiendos Ministros, ut scriptum est de *Davide*, 1. Paralipom. Cap. 24. ubi *David* Rex 24. Ministros præposuit. Idem de *Salomone* iii. Regum Cap. 2. & de *Juda Macabæo*, in lib Macabæorum, & est textus *Isidori* in Cap. *Cleros*. xxi. Distinct. Unde si in Lege antiqua hoc fiebat, à fortiori in Lege gratiæ, in qua Reges Francorum Christianissimi Ecclesias Cathedrales tot annuis proventibus locupletarunt, & ornamentis decorarunt: & propterea appellantur *Protectores & Defensores Ecclesiarum Cathedralium*, ut egregiè dicit *Archidiaconus* in Cap. *Lectis*, lxiii. Dist. quòd Reges sunt Patroni Ecclesiarum Cathedralium. Sequitur *Baldus* in Cap. *Quanto. Extra. De Judiciis.* Idem Auctor qui hoc argumentum accurate tractavit, ratione fundationis Jus illud Custodiæ, perceptionem fructuum & Beneficiorum simplicium collationem includens, Regibus Christianissimis convenire probat. Quia in traditione rei suæ quilibet potest apponere pactum quod vult, etiam in Spiritualibus. text. & Glos. in Cap. *Eleutherius*. xviii. Q. ii. & ibi colligit Dom. *Abbas* in Cap. *Quanto. Extra. De censibus.* Fortiùs dicit *Dominicus* in Cap. *Cum ex eo*, in ultimo notab. *De electione* in Sexto, quòd Rex fundans Ecclesiam potest in creatione apponere onus, quòd occurrente vacatione non spectet collatio nisi ad posteros gentis & familiæ suæ. Pro cujus confirmatione affero, quod eleganter voluit Glossa in dicto Cap. *Generali*, in verbo, *fundatione*, De electione, in Sexto, dicens: Quòd Patronus tempore fundationis potest disponere ut fructus Ecclesiæ, quando contigerit illam vacare, sibi spectent. Et istud tenet *Innocentius* in Cap. *Quoniam. Ne Prælati vices Suas.* Sed *Collationes sunt in fructu.* Glos. in Cap. *Cùm olim. De Majoritate & Obedientia.* Et sic potest Rex qui est fundator Ecclesiarum Cathedralium Regni sui, apponere illud onus, quòd Sede vacante fructus temporalitatis ad eum spectent, donec fuerit plenè provisum de Successore. Istam rationem videtur assignare tex. in dicto Cap. *Generali.* §. *Si verò*. ibi, *Rationis*. & Glos. in dicto §. Item, *Quòd dicta quinta pars*, in verbo, *Regalia*, in titulo *de Annatis*,

in

in *Pragmatica Sanctione*. Addit *Ruzaus*; Opus non esse ut Reges in erigenda Ecclesiam, vel illam fundanda, expressè reservent istud Jus conferendi in vim Regaliorum: quia sufficit ostendere quòd Rex fuit dotator Ecclesiæ Cathedralis, ad consequendum tale Jus. tex. in Cap. *Significavit*. & ibi *Cardinalis*, & *Panormitanus*. Extra. *De Testibus*. Et est Glossa notabilis in Cap. *Si quis Basilicam*. *De Consecratione*. Dist. 1. Allegatur Cap. *Dilectus*. in. *De Præbendis*, ubi Rex est fundatus in Jure conferendi Præbendas & alia Beneficia non habentia curam animarum, ratione dotationis, sine alia reservatione. Quod ita expressè & in individuo intelligit *Panormitanus* in Cap. *Postulasti*. colum. fina. *De Jure Patronatus*. Et ratio est, ut Reges & Principes vi lentes Jura sibi benignè favere, adducantur ferventiùs & animosiùs ad dotationes Ecclesiarum, & ædificationes. Ita *Felinus*. *Sandens* in eleganti Tractatu, *Quando Litera Apostolica noceant Patronis Ecclesiarum*: in versiculo, *corroborari potest*.

Eumdem Juris Regaliæ titulum nitidè exponit *Philippus Probus*, Bituricus, Juris utriusque Professor, & in Senatu Parisiensi Patronus, in Opere de Jure Regaliorum, Quæst. 1. ubi triplicem Regaliæ speciem distinguit, seu potiùs triplicem titulum augusti illius Juris. *Prima*, inquit, *est propter custodiam Ecclesia vacantis introducta, quam Rex in omnibus Ecclesiis sui Francia Regni habet, & quas defendere ex debitóque sua suprema dignitatis custodire & tueri debet, ne illa & earum Ministri ab aliis indebitè opprimantur, atque bona & jura futuris Successoribus conserventur: & ratione speciei hujus Rex aliquos non facit fructus suos, imò illos ipsis Successoribus conservat. Sic succedit Juris doctrina: Qui custodiam habet, non consumere, sed custodire debet. Cap.* Cùm vos. *De Officio Ordinarii* Quod intelligendum de fructibus qui vacationis tempore non proveniunt. Unde custodes Regaliorum durante Regalia non possunt incidere arbores cæduas, neque piscari vivaria Prælaturæ ante tempus, neque alia agere per quæ deterioraretur reditus annuus Prælaturæ; ex Constitutione *Philippi Pulchri* anno MCCCII. mense Martio edita, quæ conformis est Juri communi: Quia fructus non debent recolligi nisi suo tempore. L. *Si merces*. §. *Conductor*. ff. *Loca*. L. *Qui servus servum*. §. *Si olivam immaturam*. ff. *Ad Legem Aquiliam*. Ita *Ruzaus* explicat *Privilegio* LVI. quem cùm *Probus* laudet, eodem modo intelligendus est. Cæterùm *fructus sive reditus provenientes vacationis tempore* Rex Christianissimus suos jure facit, ut agnovit Concilium Lugdunense Canone XII. Quos inter Beneficiorum simplicium collatio censeri debet, quam idem *Probus* tertiam Regaliæ speciem appellat, *quam Rex in Ecclesiis Cathedralibus & Metropolitanis sui Regni, Sede vacante* habet, *à tempore immemoriali*.

Ægidius Magister Senatus Parisiensis Princeps in Tract. De Regaliis Cap. 1. eumdem Juris Regaliæ titulum agnoscit: *Secundo*, inquit, *Jus illud pertinet ad Regem ratione custodia Ecclesia vacantis, qua Regi competit Jure communi, Cap.* Generali. De electione, in Sexto. *His de causis cum aliqua Ecclesia Cathedralis hoc in Regno vacat, mos invaluit ut Commissarii ad temporalium administrationem deputentur, qui fructus sub Manu Regia percipiant, quousque novus Antistes fidem & hominium Regi præstiterit, quod honoris causa Sacramentum fidelitatis appellatur*. Hæc ex Gallico Sermone, quo scripsit Auctor, fideliter reddita.

Secundus Juris Regaliæ titulus, vacatio feudorum Regalium.

IV. Juris Regaliæ titulus alter, est vacatio feudorum Regalium, quæ cùm iisdem legibus & conditionibus ab Ecclesiasticis Personis ac à reliquis hominibus possideantur, consequens est ut iis per obitum Episcoporum, qui Regi fidelitatem obstrinxerant, vacantibus, Rex ea ad se recipere possit ac retinere, donec novus Episcopus Investituram acceperit, Regíque Clientelare Sacramentum præstiterit. Interímque Rex usumfructum redituum habet, adeóque & Jus collationis Beneficiorum, quæ in fructibus censetur. Ita docent Jurisconsulti nostrates. *Ruzaus*, secunda Parte Præfationis, Num. 1. Istud, *inquit*, illustre Jus Regaliorum reperio competere Regibus Francorum, ratione feudi vacantis: quia mortuo Episcopo, ex quo feudum revertitur ad Principem ratione homagii & Juramenti fidelitatis quæ præstantur à succedente in dignitatem, ex consequenti omnia Beneficia, quæ ex feudo dependent & erecta fuerunt, redeunt ad Regem. Pro ista opinione facit egregia decisio Cardinalis Florentini in Consilio 122. incipiente: *Quidam habens feudum*: ubi absolutè censet, quòd si de feudo dotetur Beneficium, tunc Jus Patronatus quæritur feudo, & non personæ. Igitur in quem transit feudum, transeunt & collationes Beneficiorum. Hanc sententiam secutus est *Felinus*. *Sandens* in Cap. *Cùm venerabilis*. in ta. Colum. *Extra*. *De Exceptionibus*. Pro hoc est textus junctâ glossâ in Cap. *In Sacris* XVI. Q. 1. Hoc deducit latè Cardinalis in præallegato loco. Unde dicendum est in consequentiam feudi vacantis, quòd transit in Regem Jus conferendi Beneficia data de suo patrimonio & feudo Sede vacante, sicut transit feudum, cui illud Jus adhærere videtur. Argumento L. *In rem*. §. *Si quis rei sua*. ff. *De rei vendicatione*. Secundò facit; quia ex quo est fundatus in Jure dictorum Regaliorum in certa parte, videlicet in perceptione temporalitatis Sede vacante, reputatur fundatus in universo, quoad collationes Beneficiorum, quæ sunt in fructu, & connumerantur inter majores fructus Prælaturæ. Gloss. in Cap. *Cùm olim*. *De Majoritate & Obedientia*. Ita formaliter *Joannes Andreas* in Regula *Quod alicui*, De Regulis Juris, in Sexto; ubi dicit: sufficere quòd quis sit fundatus in certa specie Juris, ad fundandum jus suum in universo: & Dominus Abbas in C. primo *Extra*. *De Religiosis domibus*.

Idem docet *Probus* Quæst. 1. Secunda Regaliæ species (inquit) dicitur illa, quæ provenit ratione castrorum, terrarum, & domorum à Rege moventium, Ecclesiisque Cathedralibus & Metropolitanis spectantium, & nunc Sede vacante, Rex ratione hujus Regaliæ facit fructus suos ex temporalitate provenientes, quousque novus Episcopus Regi homagium fecerit: quod tenetur facere ipse Episcopus, nisi aliàs ei per Regem illud fuerit remissum. Quod quidem homagium fit seu præstatur pro sola temporalitate.

Primpræses *Magister* Cap. 1. Tract. *De Regalia*, Regaliam quatenus spectat bona temporalia Ecclesiæ, ad Regem pertinere asserit *in omnibus Ecclesiis Regni sui*; *primò ratione feudi*: Siquidem omnis Episcopus possessiones temporales Ecclesiæ suæ ab ejus Majestate recognoscere tenetur, fidémque & hominium illi præstare, quamvis morticinii Jure donata sit. Nam morticinii codicilli manus mortuæ viros, quales sunt Ecclesiastici, ab hominii officio non absolvunt. Mirum autem est quòd Illustrissimus Præses tam subtiliter temporalem & spiritualem Regaliam distinxerit: cùm illa quam spiritualem vocat, in partem veniat temporalis, utpote inter fructus computata, qui in manus Regias jure veniunt, quosque

que suos Rex facit vacante feudo, & durante custodia, ut inferiùs demonstrabimus.

Illustrissimus Archipræsul *Petrus de Marca*, libro VIII. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, Cap. XIX. Num. I. iisdem principiis insistit. *Itaque* (inquit) *permissus est deinceps Principibus usus fructus redituum Ecclesiæ vacantis, contra quam prisca Regula statuerant. Si quis verò inquirat in causas tam magnæ immutationis, is reperiet eum esse profectum ex immutatione quæ facta est in conditione & qualitate bonorum ab Ecclesiis possessorum. Quemadmodum enim in Republica quoddam bonorum genus extat, quod vulgò feudum vocant, incognitum Romano Juri, ideoque novis Constitutionibus & antiquarum Legum dispositioni contrariis inductum; sic, cum Ecclesia Regum beneficio donata fuisset bonis hujuscemodi, necessarium prorsus fuit ut illa possiderent feuda iis conditionibus, quas in prima feudorum origine invexit publica utilitas. Ergo Personæ Ecclesiasticæ quæ feuda possidebant, per consequentiam fiebant vassalli Regum, illisque præstare tenebantur Homagium & Juramentum fidelitatis, itémque certum Militum numerum, juxta valorem feudorum. Præterea Regi tradere tenentur arces & castra, quoties id Regis utilitas postulabit. Unde sequitur necessariò Regem post obitum Episcopi, quod eo casu feudum vacet, illud ad se recipere posse ac retinere, donec novus Episcopus Investituram feudi receperit, Homagiúmque ac Juramentum fidelitatis præstiterit. Interim tamen Regi competit Jus quoddam fruendi reditibus, dum custodia durat.*

ARTICULUS II.

Utrum Custodiæ seu Defensionis Titulus, quod primum est Juris Regaliæ fundamentum, Regibus Christianissimis Primæ & Secundæ Dynastiæ in Ecclesiis Regni sui competeret; ac hujusmodi Custodiam & Defensionem exercuerint?

Primum custodiæ seu defensionis Ecclesiæ à Regibus præstitæ argumentum, Regum in sacris electionibus auctoritas ex Ecclesiæ concessione.

I. ILlustre Custodis ac Defensoris Ecclesiarum nomen ac munus Reges nostri consecuti sunt, ex quo Christianis Sacris initiati fuere. Hoc nomine multùm ipsis tribuit in Episcoporum electionibus Ecclesia Gallicana: Statuitque ut eorum voluntas, assensus, & approbatio requireretur ad electionem Episcopi. Eam auctoritatem Regibus tribuit Concilium Aurelianense V. anno DXLIX. celebratum Canone X. *Ut nulli Episcopatum præmiis aut comparatione liceat adipisci, sed* CUM VOLUNTATE REGIS *juxta electionem Cleri ac Plebis, &c.* Id Regibus ratione defensionis & tuitionis Ecclesiarum datum, & in grati animi significationem, ob munificentiam quam in easdem exercebant, scitè observat Illustrissimus Archipræsul *Petrus de Marca*, lib. VIII. *De Concordia Sacerdotii & Imperii.* Cap. IX. Num. IV. Illud quoque, inquit, Episcoporum libertati in administratione Ecclesiæ profuturum putarunt, cùm Regis consensu promotus expectare debeat faciliorem & procliviorem publicam tuitionem. Imo verò ipsius quoque electionis negotium, quod *Potentium Patrocinia* perturbabant (ut docet Concilium Arvernense Can. II. anno DXXXV.) liberius futurum videbatur. Adde quod ipsa quoque Regum munificentia in dandis Ecclesiæ agris, ut factum à *Clodoveo* testatur Synodus Aurelianensis I. Canone V. & concedendis immunitatibus, istam ab Episcopis exigebat grati animi significationem. Neque dissimulanda est potior ratio, tum apud Reges ut illud beneficium per Canonum interpretationem exposcerent, tum apud Episcopos ut illud sponte largirentur. Adhibitis quippe in Regum Consilia, & Regni cum reliquis Proceribus Administrationem Episcopis, juxta monitum quod S. *Remigius* Remensis Episcopus dederat *Clodoveo* Regi in Epistola ad ejus Majestatem scripta: *Sacerdotibus tuis honorem debebis deferre, & ad eorum consilia semper recurrere:* æquum erat ut invito & repugnante Principe non assumerentur ad eam dignitatem aut incogniti, aut suspecti; sed potius qui essent illi vitæ meritis, prudentia, ac fide, undequaque probati.

Secundùm hanc disciplinam *S. Medardus* anno DXX. ut *Fortunatus* Pictaviensis in ejus Vita testatur, *Regis & Optimatum assensu* Veromandensis Episcopus electus fuerat. *Nicetius* Treverensis Episcopus anno DXXVI. ordinatus *dato consensu populi &* DECRETO REGIS: *ut Gregorius Turonensis in Vita Patrum* scribit Cap. XVII. Unde Aurelianensis Concilii Patres morem ab ipsis Christianæ Monarchiæ exordiis introductum confirmarunt edito Canone, novam consuetudinem non invexerunt. Anno DL. qui Synodum Aurelianensem V. proximè secutus est, *Nicetius plebis* REGIS *& Populi* SUFFRAGIO, Episcopus Lugdunensis creatus est, teste Gregorio Turonensi in Vit. Patrum. *Euphronius* Regis *Clotarii* PRÆCEPTIONE Turonensium factus est Episcopus, ut refert idem Auctor lib. IV. Historiæ Cap. XV. *Waldo* à Burdegalensibus electus, repulsam passus à Rege est. *Tunc* REX DATA PRÆCEPTIONE *jussit Gundegisilum Santonicum Comitem, cognomine Dodonem, Episcopum ordinari. Gestùmque est ita.* (Ex *Gregorio Turonensi* lib. VIII. Cap. XXIII.) *Sulpitius in ipsa urbe Biturigum ad Sacerdotium* GUNTRAMNO REGE FAVENTE electus est, ut refert idem Auctor. *Emerius* Ecclesiæ Santonicæ à *Clotario* præfectus est, qui jussit *ut absque Metropolitani consilio benediceretur, qui non erat præsens.* (Ex eodem, lib. IV. Cap. XXVI.) *Heraclium*, postquam *Emerius* à *Leontio* Burdegalensi Metropolitano in Concilio depulsus esset, quasi canonicè non electus, ab Episcopis substitutum, & ad se missum ut ejus electionem judicio suo probaret, repudiavit, *Emerium* Sedi suæ restituit, mulctam ab Episcopis exegit anno DLXIII. ut refert idem Auctor. *Clotarius II.* in Edicto dato in Concilii Parisiensis V. Confirmationem anno DCXIV. ex Consilio Pontificum & Optimatum, de Episcoporum electionibus statuens, jubet *Ut si Persona condigna fuerit,* PER ORDINATIONEM PRINCIPIS *ordinetur.* Anno DCLXX. *Projectus* urbis Arvernæ factus est Episcopus DECRETO REGIS, *Populi petitionibus annuente*; ut Vitæ ejus Auctor testatur. Anno DCLXXVI. Rothomagenses. *B. Ansbertum* Episcopum elegerunt, MISSA PETITIONE AD REGEM, CUM EJUS PERMISSU ET AUCTORITATE. Idipsum constat ex Formulis *Marculfi*, quarum una, scilicet quinta libri primi, inscribitur, *Præceptum de Episcopatu*: in qua Rex ita scribit: *Et quia cognovimus sanctæ recordationis Domnum illum, urbis illius Antistitem, evocatione divina ab hac luce migrasse, de cujus Successore sollicitudine congrua, una cum Pontificibus vel Proceribus nostris plenius tractantes, decrevimus Inlustri Viro aut Venerabili Illi, in ipsa urbe Pontificalem in Dei nomine committere Dignitatem.* Et Formula VI. quæ inscribitur: *Indiculus Regis ad Episcopum, ut alium benedicat*: ita Rex loquitur: *Inlustri Viro Illi, aut Venerabili Viro Illi, ad præfatam urbem Pontificalem regulariter Christo auspice committere decrevimus Dignitatem. Et ideo petimus, ut cùm ad vos pervenerit, ipsum, ut ordo postulat, benedici vestra Sanctitas non moretur; &*

junctis

junctis vobis cum vestris Provincialibus, ipsum in supra scripta urbe consecrare Christo auspice debeatis. Agat ergo Almitas vestra ut nostra voluntatem Devotionis incunctanter debeatis implere. Regiam illam Nominationem fieri *regulariter*, id est, juxta Regulas Canonicas & Ecclesiæ disciplinam, persuasum habebant. Hæc verò Regiæ Custodiæ ac Defensionis, quam Reges Christianissimi in omnibus Regni sui Ecclesiis exercebant, illustria esse vestigia ac monumenta quis inficiari potest?

Antistites Sanctissimi Regiæ auctoritati in inferiorum Sacerdotum collatione plurimum tribuerunt, ob præstitam ab eorum Majestate Ecclesiis defensionem.

II. Ob eamdem Custodiam ac Defensionem, Antistites Sanctissimi in inferiorum Sacerdotiorum collationibus Regiæ auctoritati plurimùm tribuerunt, ipséque inprimis *S. Remigius*, qui nonnullis obmurmurantibus, quod Clericum quemdam volente *Clodoveo* Presbyterum ordinâsset, illique Beneficium, sine quo nemo tunc ordinabatur, contulisset, respondit: *Ego Claudium Presbyterum feci, non corruptus præmio, sed Præcellentissimi Regis testimonio, qui erat non solum Prædicator Fidei Catholicæ, sed* DEFENSOR. *Scribitis Canonicum non fuisse quod jussit. Summo fungamini Sacerdotio.* REGIONUM PRÆSUL, CUSTOS PATRIÆ, GENTIUM TRIUMPHATOR INJUNXIT. (Apud *Duchesnium*, Tom. 1. Histor. Francor. pag. 850.)

Conciliorum Galliæ convocatio & confirmatio, splendidum Regiæ tuitionis Ecclesiæ Gallicanam impensæ argumentum.

III. Regiæ tuitionis munus Ecclesiis impensum confirmat Conciliorum convocatio & confirmatio à Christianissimis Principibus facta. Cujus rei cùm plurima proferri possint exempla ex Conciliis sub prima & secunda Regum nostrorum Dynastia celebratis, duo sufficient: unum Concilii Aurelianensis I. anno DXI. alterum Parisiensis V. anno DCXIV. Et Aurelianense quidem in ipsa suorum Decretorum Præfatione se à *Clodoveo* congregatum profitetur, & Christianissimum Regem rerum decernendarum capita Patribus proposuisse. *Sacerdotes quos ad Concilium venire jussistis, &c. Secundum voluntatis vestræ consultationem, & titulos quos dedistis, ea quæ nobis visum est, definitione respondimus.* Suorum etiam Confirmationem Decretorum Gallicani Patres ab ejus Majestate rogarunt: *Ita ut* (inquiunt) *si ea quæ nos statuimus, etiam vestro recta esse Judicio comprobantur, tanti consensus Regis ac Domini majori auctoritate servandam tantorum firmet Sententiam Sacerdotum.* Concilium verò Parisiense V. à *Clotario II.* se congregatum pariter testatur. *Cùm in Dei nomine secundùm Priscorum Sanctorum Patrum Constitutionem in urbe Parisius, ex evocatione gloriosi Principis Domini Clotachari Regis in Synodali Concilio convenissimus*, &c. Concilium pariter Edicto suo Rex Christianissimus confirmavit. *Quicumque verò* (inquit) *hanc Deliberationem, quam cum Pontificibus, vel tam magnis viris Optimatibus, aut fidelibus nostris in Synodali Concilio instituimus, temerare præsumpserit, in ipsum capitali sententia judicetur.* Uno Patrocinii Jure ac tuitionis Ecclesiæ, quam simul cum Religione Christiana susceperant, id præstitisse Reges Christianissimos constat, ut Regia Auctoritate cum Sacerdotali concurrente, faciliùs disciplina sanciretur, & Canones executioni mandarentur. Ad Ecclesiæ possessiones & bona temporalia, quæ Reges contulerant, hujus Custodiæ ac Defensionis Regiæ pertinuisse beneficium, seu vivente, seu moriente Episcopo, & Sede vacante, perperam quis negaret?

Concilia confirmasse Reges Christianissimi dicuntur, quatenus Canonum executionem Edictis suis imperarunt, & pœnas adversus eorum violatores sanxerunt.

Objectio Anonymi Jurisconsulti.

IV. Anonymus Regii Juris Oppugnator in Tractatu *De Regalia* edito Coloniæ anno MDCLXXX. Cap. VI. pag. 34. frustra opponit Canonem VII. Parisiensis Concilii V. quo sancitum est, ut defuncti Episcopi, aut Clerici cujuscumque res ante cognitum testamentum nemo contingat, sub pœna Excommunicationis. *Defuncto*, inquit, *Episcopo, Presbytero, vel Diacono, vel quoquam Junioris Ordinis Clerico, non per Præceptum* (Regium scilicet) *neque per Judicem, nec per qualemcumque personam, res Ecclesiæ vel eorum propria, quousque aut testamentum, aut qualemcunque obligationem fecerit, cognoscatur, à nullo penitus suprascripta res contingantur: sed ab Archidiacono vel Clero in omnibus defensentur & conserventur. Quòd si quis immemor definitionis hujus temerè aliquid exinde auferre præsumpserit, aut ausu temerario in res ipsas ingressus fuerit, & de dominatione Ecclesiæ abstulerit, ut Necator Pauperum communione privetur.*

Gallicani Jurisperitorum Responsio.

Perperam (inquam) ex isto Canone colligit larvatus Auctor, Christianissimos Reges bonorum Ecclesiasticorum Custodiam non habuisse, nec fructus vacationis tempore provenientes suos facere potuisse. Nam de fructibus vacante Sede colligendis Concilium non statuit, sed de bonis ab Episcopo, Presbytero, aut alio Clerico relictis, qualia erant supellex sive sacra sive profana, annona, greges, servi, pecuniæ, & quæcumque à sacratis viris legari poterant. Quæ ne dissiperentur, & suprema morientium voluntas fraudaretur; vel expoliarentur Ecclesiæ, à Concilio cautum est, ut hujusmodi bona mobilia conservarentur & defenderentur in omnibus ab Archidiacono vel Clero. Mos enim pravus jam inolere cœperat, ut Abbatibus, Presbyteris Parochialibus, aliisque Clericis obeuntibus, Episcopi ipsi, vel Archidiaconi bona ab ipsis derelicta prehenderent, specie procurandi Ecclesiæ compendia & utilitatem; cui malo medetur Canon VIII. Similiter Episcopis ab hac luce migrantibus, bona ab ipsis relicta Clerici aut Laïci occupabant; quod ne fiat, illa custodiæ ac defensioni Archidiaconi vel Cleri Patres credita esse volunt Canone VII. ut si quod à Præsule testamentum conditum sit, aut qualiscumque obligatio facta, executioni accuratè mandetur. Sed de fructibus vel reditibus vacationis tempore provenientibus nihil statuit Synodus quod Regali Custodiæ repugnet, aut Juri percipiendi fructus Regibus Christianissimis ratione hujusmodi Custodiæ vel Defensionis competenti per modum honorarii cujusdam, aut Beneficiorum collationi, quam Sede vacante fortè faciebant, aut facere poterant. Quis enim id factitantes Principes *necatores pauperum* jure dixisset, & communione privandos, cùm nihil Ecclesiæ dominationi auferrent? Sanè Gallicanos Patres, qui tantâ cum Rege œconomiâ agebant, quanta hoc in Concilio elucet, id facturos nemo Sapientum sibi persuaserit. Præterea, Præcepta dari à Regibus solita, sive de reditibus vacante Sede provenientibus, donec Episcopus eorum assensu & mandato consecratus esset, sive de Beneficiorum collatione, non absurdè conjecero tam ex illo Canone, qui supponit Reges Præcepto sive Sacra Jussione recepisse ad se possessiones Ecclesiæ vacantis pro suo Jure custodiendas; quod Concilium absolutè non prohibet, sed tantùm ne id fiat ante reserationem testamenti; tum ex exceptione quam *Clotarius* Edicto suo inseruit: *Præceptiones nostræ per omnia impleantur*, &c. quæ desunt. Metuens scilicet ne verba illa Canonis laudati, *Non per Præceptum*, &c. adversùs Jura Regia traherentur, Auctoritati suæ Successorúmque Regum his verbis consultum esse voluit. Addiditque: *Quicquid Parentes nostri, anteriores Principes, & Nos per justitiam visi sumus concessisse & confirmasse, in omnibus debeat confirmari.* Clotarii verò Edictum Synodus incerti loci paulò post celebrata Canone 1. & Remensis anno DCXXV. Canone 3. comprobavit, & postrema communione privari statuit eos qui Edictum illud violaverint vel contempserint. Eodem explicandi sensu Canon sextus Concilii Aurelianensis II. anno DXXXVI. &

Concilii Reiensis in Provincia anno CDXXXIX. Canon etiam sextus, ab eodem Anonymo Regii Juris Oppugnatore prolati, quibus sancitum est, ut defuncto Episcopo, vicinus Antistes ad ejus exequias celebrandas accedat, bona ab ipso relicta inspiciat, describat, recenseat, *Domumque Ecclesiæ descriptam, idoneis personis custodiendam sub integra diligentia derelinquat.* Hæc enim descriptio necessaria prorsus erat, ne bonis patrimonialibus Episcopi, si quæ habuerat, cum bonis Ecclesiæ permixtis, res Ecclesiæ ab heredibus ipsius, aut iis quibus propria bona obligasset, pariter occuparentur, aut vi, aut Sententia Judicis; aut à Regiis Ministris Regaliorum receptoribus. Ideo Parisiense Concilium hæc duo apposite distinxit, per *Præceptum,* & per *Judicem*: quia Sententiâ Judicis prehendi poterant propria Episcopi defuncti bona in favorem heredum aut creditorum: sed solo *Præcepto*, id est, Regia Jussione & Auctoritate (Id namque significare *Præcepti* nomen per se sumptum Formulæ *Marculphi* probant, ubi *Præceptum de Episcopatu*, *Præceptum de Clericatu* legimus inter Diplomatum Formulas Regiorum) Solo (inquam) *Præcepto*, Possessiones Ecclesiæ vacantis prehendi poterant ac detineri, quousque novus Episcopus inauguratus esset de consensu Regis, easque ab ejus Majestate recepisset.

Infirma argumenta ex quibusdam factis & exemplis ab Anonymo petita.

Quis autem, amabo, ex facto *Injuriosi* Turonensis Episcopi, qui *Clotario* jubenti ut omnes Regni suæ Ecclesiæ tertiam partem redituum fisco solverent, apostolica libertate restitit: ex facto *S. Germani* Parisiensis Episcopi qui *Sigebertum* Regem ob quædam Ecclesiæ bona, in modica licèt quantitate occupata excommunicavit: ex infausta morte *Chilperici* Regis, qui bona Ecclesiæ diripiebat: ex *Clodovei II.* exemplo, qui aliquibus Sandionysianæ Basilicæ bonis direptis in amentiam incidit: quis (inquam) ex hujusmodi factis & exemplis colligat, Regaliam sub prima Regum nostrorum Dynastia in usu non fuisse? Sic tamen ratiocinatur Auctor Anonymus. Sed quamvis Reges nostros primæ stirpis Jus Regaliæ non exercuisse daremus, prout illud Reges tertiæ Dynastiæ ante & post Lugdunensis Concilii tempora exercuerunt, non sequeretur, quod Jus idem non habuerint; cùm illius titulum ac fundamentum Juris, scilicet Custodiam ac Defensionem Ecclesiarum, Merovingianis Regibus firmissima vindicent documenta.

Formulæ Marculfi, Regiæ tuitionis Ecclesiarum testes.

V. Quibus addendæ Formulæ *Marculfi*, Regiæ tuitionis Ecclesiarum testes, scilicet III. quæ inscribitur: *Emunitas Regia*: qua Rex Ecclesiæ villas à suorum Officialium Justitia, aliisque oneribus liberat. *Ad petitionem Apostolici viri Domini illius, illius urbis Episcopi, tale pro æterna retributione beneficium visi fuimus indulsisse, ut in villabus Ecclesiæ, quas moderno tempore, aut nostro, aut cujuslibet munere habere videtur, vel quas deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas ampliare, nullus Judex publicus, ad causas audiendas, aut freda undique exigendum, quocunque tempore non præsumat ingredi. Sed hoc ipse Pontifex, vel Successores ejus, propter nomen Dei, sub integro emunitatis nomine valeant dominari jubemus.* . . . . *Nec mansiones, nec paratas, vel fidejussores tollere præsumatis, sed quicquid exinde aut de ingenuis, aut de servientibus, cæterisque nationibus quæ sunt infra agros, vel fines, seu supra terras prædictæ Ecclesiæ commanentes, fiscus aut de fredis, aut undecunque poterat sperare, ex nostra indulgentia pro futura salute in luminaribus ipsius Ecclesiæ, per manum Agentium eorum proficiat in perpetuum.*

Et XIV. *De Mundeburde Regis & Principis*, inscripta, in qua Rex ita loquitur: *Nos Apostolicum & Venerabilem illum Episcopum, aut Abbatem Ecclesiæ, vel Monasterii in honore illius Sancti constructi, cum omnibus rebus vel hominibus aut gasindis, vel amicis, seu undecunque ipse legitimo reddibit mittio, juxta ejus petitionem, propter malorum hominum inlicitas infestationes, sub sermonem* TUITIONIS NOSTRÆ *visi fuimus recepisse, ut sub Mundeburde vel* DEFENSIONE *inlustris viri illius Majoris Domus nostri, cum omnibus rebus præfatæ Ecclesiæ aut Monasterii, quietus debeat residere, & sub ipso viro illo, inlustris vir ille, causas ipsius Pontificis, aut Abbatis, vel Ecclesiæ aut Monasterii, vel qui per eum sperare videntur, vel undecunque legitimo reddibit mittio, tantùm in Palatio nostro sequi deberet, &c.* Mundeburdium Germanis Scriptoribus tutela est seu defensio ac tuitio. Unde *Charta de Mundeburde* vocabatur, quâ Princeps Episcopo aut Abbati tuitionem & defensionem suam impertiebatur, ne à quibuslibet infestarentur, atque etiam ut eorum causæ in Palatio tantùm judicarentur, concedebat. Porro cùm ingentia commoda & plurimos honos Ecclesiis ex Augusta Defensione & Custodia accederent, sese ei certatim committebant. *Sermo Regis* tuitio ista dicebatur, quo documento Regii sermonis auctoritas, & fiducia quam in illo subditi omnes habebant, liquidò demonstratur. Ex antiquis illis Mundeburdis Chartis originem traxerunt Literæ quas etiamnum quibusdam Regni sui Ecclesiis Reges Christianissimi concedunt, quæ vernaculè dicuntur: *Lettres de Garde Gardienne.*

Jus custodiæ ac defensionis bonorum Ecclesiæ, Sede præsertim vacante, secundæ Dynastiæ Reges exercuisse, colligitur ex Hincmaro.

VI. Jus Custodiæ ac Defensionis bonorum Ecclesiasticorum, Sede præsertim vacante, Reges Christianissimos secundæ Dynastiæ exercuisse docet *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis Epistola XII. ad *Ludovicum III.* Francorum Regem, totius Synodi apud *Sanctam Macram* celebratæ nomine scriptâ: *Ut*, inquit, *sicut Sacræ Leges & Regulæ præcipiunt, Archiepiscopis & Episcopis comprovincialium Diœceseon electionem concedere dignemini, ut undecunque secundùm formam regularem electionis talem eligant Episcopum, qui & Sanctæ Ecclesiæ utilis, & Regno proficuus, & vobis devotus ac fidelis cooperator existat: & consentientibus Clero ac Plebe eum vobis adducant, ut secundùm Ministerium vestrum* RES ET FACULTATES ECCLESIÆ QUAS AD DEFENDENDUM ET TUENDUM VOBIS DOMINUS COMMENDAVIT, SUÆ DISPOSITIONI COMMITTATIS; *& eum consensu ac Literis vestris eum ad Metropolitanum Episcopum ac Coëpiscopos ipsius Diœceseos, qui eum ordinare debent, transmittatis.* Hanc fuisse Gallicanæ Ecclesiæ Disciplinam, ut Rex Jure Custodiæ ac Defensionis, (quod idem est ac Regaliæ Jus, secundùm Concilium Lugdunense II.) vacantis Ecclesiæ bona ad se reciperet, eáque electi Episcopi dispositioni committeret, eúmque cum suæ Majestatis assensu ac Literis ad Metropolitanum consecrandum remitteret, ex isto *Hincmari* loco evidens est. Jus illud Custodiæ ac Defensionis profectitium non esse, sed insitum & Coronæ Regum Christianissimorum adhærens, constat ex illis verbis, *secundùm Ministerium vestrum*: Nec ab hominibus, sed à Deo ipsis commissum, hæc verba probant: *Quas ad defendendum & tuendum vobis Dominus commendavit.*

Jus illud augustum Custodiæ Regibus Christianissimis competere, *Hadrianus II.* agnovit Epistola XVI. ad *Hincmarum* Archiepiscopum Remensem datâ, quâ Laudunensis Episcopi Romam ituri Ecclesiam ipsi commendat, & illius Custodem secundùm Regem constituit: *Episcopatum ejus*, inquit, *Sanctitati tuæ specialiter*, POST REGEM, *servandum committimus.*

VII. Ex eo Jure profectum est, ut Reges, secundùm

dùm illius ævi disciplinam Episcopum designarent, qui Visitatoris nomine vacantis Ecclesiæ curam gereret: aut certè Metropolitano eum indicarent, quem velut Majestati suæ gratum in eo munere instrueret. Id constat ex Epistola *Hincmari* Metropolitani ad *Carolum Calvum* Regem, ut Clero & Plebi Silvanectensi novi Episcopi electionem permittat, & Visitatorem designet, qui præsit electioni. *Dignetur mihi Dominatio vestra*, inquit, *Literis suis significare, quem vultis de Coëpiscopis nostris, ut ei ex more Literas Canonicas dirigam, & Visitatoris officio fungens in eadem Ecclesia Electionem Canonicam faciat: & aut per se, aut per literas suas, Vicario suo deferente, eamdem Electionem cum Decreto Canonico singulorum manibus roborato ad me referat, ut per me ipsa Electio ad Dominationis vestræ discretionem perveniat.*

Tom. VIII. Concil. Edit. Labbeanæ pag. 1846.

Idem probat ejusdem *Hincmari* Epistola ad *Hadebertum* Silvanectensem Episcopum, ut Visitatoris officio fungatur in Ecclesia Bellovacensi post obitum *Odonis* Præsulis: *Officio*, inquit, *Visitatoris, consensu Domini nostri Ludovici Regis, nostræ Humilitatis Metropolitana delegatione suscepto, ad eamdem Ecclesiam quantocyus studeas properare, &c.*

Ibidem pag. 1568.

Idem probat Excusatio Remensium, qui ante Visitatoris adventum, post obitum *Hincmari* Episcopum elegisse dicebantur, ad *Hideboldum* Suessionensem, & cæteros Provinciæ Remensis Episcopos: *Et sicut hactenus abstinimus ab illius certæ personæ electione, ita deinceps, donec Pietas Divina, & Regia Clementia nobis concesserit Visitatorem, abstinere pro certo noveritis.*

Ibidem pag. 571.

Idem testatur *Flodoardus* in Remensis Ecclesiæ Historia, lib. III. Cap. XXIII. ubi Literas ad *Ragenelmum* seu *Ragenolinum* Episcopum Noviomensem ab *Hincmaro* datas commemorat *Pro Visitatione Morinensis Ecclesiæ, post obitum Hunfridi Episcopi, juxta dispositionem Regis.*

Tom. II. Capitul. Edit. Baluzii, pag. 261.

VIII. Vacantium Ecclesiarum Custodia, Defensio, & Administratio quoad temporalia, adeo Regii Juris erat, ut *Carolo Calvo* profectionem in Italiam adornante anno DCCCLXXVII. necesse fuerit statuere qua ratione hujusmodi Custodia & Provisio absente Rege suppleretur. Episcopis & Metropolitanis hæc demandata provincia est, qui unà cum Comite Ecclesiam custodirent, dum Episcopi obitus ad Regis notitiam deferretur; ut discimus ex Capitulari Carisiacensi Cap. VIII. ubi Rex ad Episcopos & Optimates: *Si antequam redeamus, aliqui Honores aperti fuerint, considerandum quid exinde agatur.* Ipsi verò respondent: *Si antequam javante Domino revertamini, aliquis Archiepiscopus defunctus fuerit, vicinus Episcopus ipsius Diœcesios cum Comite ipsam Sedem provideat, usque dum obitus ipsius Archiepiscopi ad vestram notitiam perveniat. Si aliquis Episcopus interim obierit, Archiepiscopus ipsi Sedi Visitatorem secundum Sacros Canones deputet, qui unà cum Comite* (seu Provinciæ Præfecto) *ipsam Ecclesiam, ne prædetur, custodiat, usque dum ipsius Episcopi obitus ad vestram notitiam perveniat. Si Abbas vel Abbatissa obierit, Episcopus in cujus Parochia Monasterium illud est, unà cum Comite illud Monasterium custodiat, usque dum vestra jussio inde fiat.* His Legibus Gallicana Ecclesia tunc temporis regebatur; quæ Jus Custodiæ, seu Regaliæ in Ecclesiis vacantibus Regibus Christianissimis convenire supponebant.

Jus idem ex Capitulari Carisiacensi Caroli Calvi confirmatur.

IX. Jus Custodiæ ac Defensionis Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum Regni sui, Christianissimi Reges non minori cura & ardore quam ipsam Coronam cui adnexum est, conservarunt; adeo ut extremis Carolinæ Stirpis temporibus, & initio tertiæ Regum familiæ, Jure Regio civilibus bellis imminuto, omnibus occupatis, Episcopatus tamen in tutela & protectione Regum manserunt. Chronicon Andegavense de Neustria *Hagoni* Abbati concessa sub *Carolo Simplici* Rege ita loquitur: *Iste itaque tractus cùm ei datus esset ad integrum cum civitatibus & Comitatibus & Abbatiis, castellisque, præter Episcopatus solos, qui in Regia Dominicatura retenti sunt.* Rigordus in *Philippi Augusti* Vita: *Igitur Reges Francorum prædictas Ecclesias in sua libertate semper custodiri cupientes, quibuscumque Principibus terras custodiendas tradidissent, tamen Ecclesias sub Potestate sua & Protectione retinere decreverunt, ac Principes quibus terra custodienda delegabatur, Ecclesias vel Clericos ibidem Domino servientes aliquibus angariis, talliis, vel aliis exactionibus gravare præsumerent.*

Jus Regiæ custodiæ ac defensionis tempore Caroli simplicis.

X. Cùm Reges Christianissimi Custodiæ Jus in Ecclesiis Regni sui haberent, & hujusmodi Custodiæ ac Defensionis titulo earum bona vacante Sede ad se reciperent, servarentque, donec electus Episcopus eorum Majestati se sisteret, concessionem possessionum ad ipsas pertinentium ab illa impetraturus, credere par est ipsos fructus vacationis tempore provenientes suos fecisse, vel ex iis aliquid delibasse ad custodiæ impensas, & honorarii nomine: cùm suis sumptibus eam curare non tenerentur. Id autem facilè colligitur ex Epistola *Hincmari* ad *Leonem IV.* Pontificem Maximum, quâ apud ejus Sanctitatem querebatur, quòd Principes Ecclesiarum vacationem in diuturnum tempus ex industria protraherent, ut diutius Ecclesiasticis reditibus fruerentur: & propterea Chorepiscopos mittebant, qui functiones Episcopales interim obirent, ne novi Episcopi electio & consecratio urgeretur, quâ peractâ, possessiones omnes Episcopatûs Electo concedebant. Hujus Epistolæ, quæ excidit, argumentum recenset *Flodoardus* lib. III. Historiæ Remensis Cap. X. *Scripsit autem*, inquit, *ad Leonem Papam sexies vel septies. In hac verò Epistola de his quos temeritas Chorepiscopalis ordinare, vel quòd Spiritum Sanctum consignando tradere præsumebat, requisivit. Et quòd terrena Potestas hâc materiâ sæpe offenderet, ut videlicet Episcopo quolibet defuncto, per Chorepiscopum solis Pontificibus debitum Ministerium perageretur, & res ac facultates Ecclesiæ secularium usibus expenderentur, sicut & in nostra Ecclesia jam secundo actum fuisset.* Ideo tot Decreta in Synodis istius seculi contra Chorepiscopos edita sunt. Porro vacationem Ecclesiarum ex industria Principes ita non protraxissent, nisi jus habuissent ratione Custodiæ percipiendi reditus ac fructus ea durante provenientes.

Reges vacationem Ecclesiarum interdum protrahebant, ut diutius Ecclesiasticis reditibus fruerentur. Quem abusum Hincmarus perstrinxit.

XI. Jus istud non convellunt, quæ ex libro sexto Capitularium, Cap. 321. sive 427. Editionis Baluzii, quod ex Concilio Trosleiano, C. 4. desumptum est, objicit nuperus Regii Juris Oppugnator Cap. 7. sui de Regalia Tractatûs. Nam id unum edicit: *Ut nullus Laicus homo, vel Imperator, vel Rex, & aliquis Præfectorum, vel Comitum, seculari potestate fultus sibi per violentiam rapiat, aut à Rege competere audeat, vel quocumque modo invadere præsumat Monasterium, aut prædia, vel quascumque res de potestate Episcopi, vel Abbatis, vel Abbatissæ, & incipiat vice Abbatis regere & habere sub se Monachos, & pecuniam possidere quæ fuit Christi sanguine comparata.* Et Cap. 392. *Iniquum est & sacrilegii instar, quæ pro salute vel requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit, ab his, quibus maximè servari convenerat, auferri & in aliud transferri.* Et Cap. 393. *Laicis quamvis Religiosis, nulla de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas.* Invasionem, direptionem, violentam occupationem, subrepticiam impetrationem

Objectio Anonymi Auctoris ex Capitularium & Concilio Trosleiani auctoritate.

Jurisperitorum Responsio.

nem

nem prædiorum, aut aliarum facultatum Ecclesiasticarum, sive fiduciariam Monasteriorum possessionem Laïcis quibuscunque, etiam Regibus, Christianissimi Principes prohibuerunt, ac sacrilegii damnarunt; non fructuum durante vacatione provenientium perceptionem ac dispensationem, quæ ratione Custodiæ ac Defensionis eorum debita erat Majestati, ut colligitur ex Canone *Tributum*, Causa XXIII. Q. VIII. *De exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum antiquitus est pro pace, & quiete, quæ nos tueri & defensare debent, Imperatoribus persolvendum est.*

Cap. IV. pag. 44.

Objectio olorta ex Caroli Calvi Regis exemplo petita.

XII. Objicit nuperus Regiorum Jurium Oppugnator *Caroli Calvi* Regis exemplum, qui redditus ex Ecclesia Remensi vacante perceptos *Hincmaro* Archiepiscopo restituit, stimulis conscientiæ compulsus, ut *Flodoardus* testatur lib. III. Cap. IV.

Virorum Studiosorum Responsio.

Verùm *Hincmari* Præceptum de fructibus vacationis tempore perceptis ne verbum quidem habet, nec eos restituit Rex *Carolus*, cùm persuasum haberet se in eorum delibatione perceptis jure suo usum, & eos ad Regni defensionem & conservationem difficillimis temporibus impendisset: Sed quia decem fere annis Episcopatum vacantem tenuerat, & Ecclesiæ villas in Beneficia Militaria converterat, earúmque usum fructum suis fidelibus concesserat ad tempus, officii sui ac religionis esse meritò existimavit, sedatâ bellorum tempestate, & necessitate sublatâ, possessiones illas Ecclesiæ Remensi restituere; omnesque conscriptiones, quibus villas in Præcepto suo nominatas obligaverat, rescidit. Verba ejus responsionem nostram confirmant. *Si illa quæ quacumque necessitate corrupta sunt, Regia nostra Auctoritate corrigimus & in melius commutamus, saluti nostræ consulimus, & Regium Ministerium susceptum à Domino exercemus. Proinde noverit omnium fidelium Dei ac nostrorum solertia, quia res ex Episcopatu Remensi, quas magna necessitate & per omnia inviti, dum à Pastore Sedes illa sancta vacaret, fidelibus nostris ad tempus, unde quoddam temporale solatium à nostro haberent servitio, commendavimus electo & ordinato munere Spiritus Sancti, per Dei & nostram dispositionem, in eadem Sancta Sede Hincmaro Archiepiscopo, hoc nostræ Auctoritatis Præcepto cum integritate quicquid exinde nos fidelibus nostris beneficiavimus, præsentialiter restituimus, tum Sparnacum & Juliacum, vel quicquid ex eodem Episcopatu Richuinus habuit, vel quicquid exinde Odo Comes habuit, & villam Culmisciacum &c. Sive etiam illa omnia quæ tam Clerici quam Laïci, qui in nostra dominatione aliquandiu fuerant, quæ, que jam dicto Episcopo commendavimus, habebant. Et ut in calce omnia concludamus, quicquid ex eodem Episcopatu, quando de manu Fulconis illum recepimus, alicui præstito beneficio concessimus, per hanc nostræ Confirmationis Auctoritatem, inspecto coram cœtu fidelium nostrorum tam Ecclesiastici quàm Laïcalis Ordinis Testamento S. Remigii, præsentialiter Casæ Sanctæ Mariæ, & Sancti Remigii, atque Hincmaro Archiepiscopo, cum omni integritate reddimus, vel restituimus, ut absque ulla refragatione, cassatis quibuscunque aliis conscriptionibus, easdem res per hanc nostram Auctoritatem recipiat: ut sicut res Ecclesiæ disponendæ sunt, ad utilitatem ipsius Ecclesiæ Dei tam ipse quàm Successores ipsius dispenant.* Tantùm verò abest quin redditus vacante Ecclesia perceptos reddiderit, ut nec possessiones omnes tunc restituerit, *sed de cæteris rebus, quæ tunc reddita non fuerunt*, ab iis qui usum fructum illarum habebant, *nonas & decimas* Ecclesiæ solvi jusserit, ut constat ex alio Præcepto ejusdem Regis, quod ibidem refert Flodoardus: *Jubemus*, inquit, *ut quisquis fidelium Dei omnipotentis, nostrorúmque ex eisdem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, vel Sancti Confessoris Christi Remigii, Remorum Ecclesiæ rebus, sive Episcopatus Religiosissimi & dilectissimi nobis Hincmari Venerabilis Archiepiscopi, aliquid habere dignoscitur, sive per largitionis nostræ concessionem, sive per quorumcunque affectationem vel machinationem, seu etiam & deprecationem, aliquid tenore aliquo ex prædictis rebus tenere vel possidere cernitur, nonam & decimam in Missorum nostrorum præsentia, Missæ Ecclesiæ sanctæ Mariæ, vel S. Remigii Remorum, sive Hincmari Venerabilis Archiepiscopi revadiet: & annis singulis ad eamdem Ecclesiam persolvere, absque ullius occasionis contradictione, cum omni vigilantia studeat.* Hæc omnia dissimulavit Regiorum Jurium nuperus Oppugnator.

Objectio Anonymi Auctoris ex Capitularibus Caroli Calvi.

XIII. Objicit rursus ille pag. 41. *Carolum Calvum* Regem Christianissimum in Synodo Pontigonensi ad Suggestionem Episcoporum & Optimatum Capitulare edidisse anno DCCCLXXVI. quo inter alia de conservatione bonorum Ecclesiasticorum, vacantibus præsertim Ecclesiis, ita statuit Cap. XIV. *Ut quotiens divinum judicium aliquem Ecclesiæ Præsulem è seculo vocaverit, nullus ad suimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat, & ad jus suum transferat; sed Erogatariis & Eleemosynariis Ecclesiasticis, cum ipsius Ecclesiæ constituto Œconomo, liberum sit, canonico more justè rationabilitérque deputata Successori futuro reservare, vel quibuscunque sicut expedit, pro ejus spiritu distribuere.* Et in Capitulari Carisiacensi, anno DCCCLXXVII. Cap. IX. *Tam de Episcopatibus quàm & de Abbatiis vicinus Episcopus & Comes prævideant ne aliquis res Ecclesiasticas vel facultates diripiat, & nullus ad eorum eleemosynam faciendam impediat.* Ex quibus colligit Auctor Anonymus, Regem penes se non habuisse, nec alteri concedere potuisse administrationem & usumfructum bonorum Ecclesiæ vacantis.

Juris peremtoria Responsio.

Verùm Regio Juri suo his Capitularibus non derogavit *Carolus Calvus*; imò illud firmavit, custodiam & defensionem bonorum Ecclesiasticorum, quæ Regaliæ fundamentum ac legitimus titulus est, exercens. Inepta porro est hæc argumentandi ratio: Qui prohibuit ne bona Ecclesiæ quis invaderet, ac diriperet, non habuit nec concedere potuit illorum usumfructum vacationis tempore: sed *Carolus Calvus* prohibuit ne quis vacantis Ecclesiæ bona diriperet ac invaderet: ergo non habuit, nec alteri dare potuit eorum usumfructum tempore vacationis. Hoc tamen Auctoris Anonymi ratiocinium est, si ad formam Scholæ revocetur.

At, inquit, jubet Rex vacantis Ecclesiæ bona ab Eleemosynariis Ecclesiasticis & Œconomo, futuro reservari Successori.

Responden primò, id intelligi posse de bonis ab Episcopo relictis, de pecunia, annona, supellectili tam sacra quàm profana. Nam annona & pecuniæ ab Eleemosynariis & Œconomo ad pauperum sustentationem erogabantur, aut futuro servabantur Successori, cum supellectili Ecclesiæ & Domus Episcopalis. Nec tamen id prohibebat quin fructus vacationis tempore provenientes Rex suos faceret ratione custodiæ ac defensionis, quam Ecclesiis earúmque bonis hoc maximè tempore impendebat.

Responderi secundò potest, Regem suo Jure uti, prout ejus Majestati placet; *Carolum Calvum* noluisse fructus Ecclesiarum vacantium in suos aut suorum usus convertere, nisi gravis urgeret necessitas, qualis ipsum olim impulerat ut vacantis Ecclesiæ Remensis bona suis fidelibus in beneficium

daret:

daret; edixisse ut futuro servarentur Successori; illúdque pietatis ipsius argumentum Successoribus Regibus legem non imposuisse, sed exemplum præbuisse; quod etiamnum Rex Christianissimus *Ludovicus Magnus* imitatur, Oeconomatuum, administrationem, usumfructum bonorum Ecclesiarum vacantium designatis concedens Episcopis, exiguâ portione exceptâ, quæ ad Novorum Catholicorum subsidium destinatur.

Objectio Anonymi Auctoris ex Concilio Chalcedonensi.

XIV. Objicit idem Auctor lib. II. Cap. V. Concilii Chalcedonensis Canone vigesimo-quinto cautum esse ut vacantium Ecclesiarum reditus apud Oeconomos deponantur, futuro servandi Successori: *Reditus vero viduatæ Ecclesiæ*, inquit, *integros reservari apud Oeconomum ejusdem Ecclesiæ placuit.* Hunc Canonem insertum fuisse Codici Canonum quo Gallicana utebatur Ecclesia. Hanc disciplinam in Concilio Aurelianensi II. & in Conciliis Hispaniensibus Valentino & Ilerdensi confirmatam. *Hincmarum* testem esse locupletissimum quòd in Galliis observata fuerit, vel observari debuerit.

Tom. 2. Operum Hincmari, pag. 178.

Epistola quippe IX. ad Episcopos & Proceres Provinciæ Remensis, Cap. XLI. scribere: *Et sicut Episcopus & suas & Ecclesiasticas facultates sub debita discretione in vita sua dispensandi habet potestatem, ita facultates Ecclesiæ viduatæ post mortem Episcopi penes Oeconomum integræ conservari jubentur futuro Successori ejus Episcopo; quoniam res & facultates Ecclesiasticæ, non in Imperatorum atque Regum potestate sunt ad dispensandum, vel invadendum, sive diripiendum, sed ad defensandum atque tuendum.* Et Epistola vigesima nona ad *Carolum Calvum* Regem, pag. 330. *Adeo res & facultates Ecclesiæ potestati Episcopi Sancto Spiritu decernente committuntur, ut à magna Synodo Chalcedonensi, etiam post mortem Episcopi, reditus Ecclesiæ viduatæ futuro Episcopo penes Oeconomum ejusdem Ecclesiæ integra conservari jubeatur.* His addi possunt, quæ scribit ad Episcopos Synodi Suessionensis Epistola XXI. de Vulfado: *Lingonensem Ecclesiam Pastore viduatam, ut ibi ordinaretur Episcopus; sub nomine vocati Episcopi usurpare præsumpsit, ejúsque facultates, quæ secundum Chalcedonense Concilium penes Oeconomum futuro debuerant reservari Episcopo, suis suorúmque usibus arrogavit.* Denique Epistola XLV. de Translationibus Episcoporum, contra *Actardum* Nannetensem, pag. 758. *Nisi viri & uxoris legalis conjunctio ad Episcopi & Ecclesiæ sibi conjunctæ mysterium pertineret, magnum Chalcedonense Concilium defuncto Episcopo viduatam Ecclesiam non vocaret, cujus reditus penes Oeconomum futuro reservari jubet Episcopo, nec ab illis quibusque, vel vivente vel defuncto cujuscunque civitatis Episcopo usurpari vel pessumdari.*

Apud Duchesnium Tom. III. pag. 162.

Addi potest, Annales Bertinianos ad annum DCCCLXXXII. ejusdem disciplinæ testes esse, cùm *Carolo Crasso* Imperatori vitio vertunt, quod *Hugoni* Junioris Lotharii filio *facultates Ecclesiasticas Metensis Episcopii, quas sacri Canones futuro Episcopo reservari præcipiunt, ad consumendum remiserit.*

Cap. 8. pag. 48.

Gerbertum denique Remensem Archiepiscopum, qui postea fuit Summus Pontifex *Silvester II.* Epistola CXVIII. Clero & Populo inscripta, laudat nuperus Author Tractatus de Regalia, dicentem: *Sit interim vestra pervigil cura ut secundum divinas & humanas leges, res defuncti Episcopi tam mobiles quàm immobiles futuro reserventur Episcopo.* Ex quo eamdem disciplinam initio tertiæ Regum nostrorum Dynastiæ viguisse colligit.

Virorum Eruditorum Responsio.

XV. Respondeo, Canonem Concilii Chalcedonensis, etsi Codici Canonum Ecclesiæ Gallicanæ insertum, non ideo in Gallicana Ecclesia statim receptum & constanter observatum videri, sicut nec vi- A gesimum sextum, qui Episcopis vetat ne per se absque Oeconomo de Clero proprio electo res Ecclesiæ tractent & dispensent. Quamvis enim in Codice Canonum, quo Gallicana Ecclesia utebatur, existeret, Episcopi tamen Gallicani supremam in bonorum Ecclesiarum suarum dispensatione & administratione potestatem habuerunt, sub prima Regum nostrorum Dynastia, ut constat ex Concilio Agathensi Canone 22. Aurelianensi I. Canone 14. & 15. Aurelianensi tertio, Canone 5. Tunc nullos Oeconomos in Galliis vetusta monumenta produnt. Primùm apparent lib. II. Capitularium B *Caroli Magni & Ludovici Pii*, Cap. XXIX. ipsorúmque meminit Concilium Pontigonense anno 876. Canone XIV. & frequenter *Hincmarus*. Sicut ergo Nicænis, aliisúmque Synodorum Canonibus in Romanæ & Gallicanæ Ecclesiæ Codice descriptis, Episcoporum electiones Comprovincialibus Episcopis, aut vacantis Ecclesiæ Clero permittebantur, nec tamen ea disciplina in Galliis constanter & uniformiter servata est, sed Regibus patrocinii ac præsidii jure Episcopatus conferentibus annuit Ecclesia, constituítque in suis Synodis ut eorum assensus ante Consecrationem Episcoporum exquireretur: ita circa bonorum Ecclesiæ vacantis C dispensationem & administrationem alia fuit Ecclesiæ Gallicanæ disciplina ab ea quam Synodus Chalcedonensis constituerat. Præter Oeconomos enim, qui sub tertia Regum nostrorum familia bona hujusmodi servabant, Christianissimi Reges Custodiæ ac Defensionis Jure illa sub manu sua tenebant, donec Episcopus electus esset, cui illa concederent; & Oeconomos, quorum non erat auctoritas tanta ut invasores bonorum Ecclesiæ cohiberent, sua fulciebant potestate ac tuitione: & hoc nomine fructus vacationis tempore provenientes percipiebant, aut certè percipere poterant. Enimvero vacantis Ecclesiæ bona ideo Oeconomis commendabantur, D ut eorum distractionem vacante Sede prohiberent, ac invigilarent ne à Viris Potentibus occuparentur, è quorum manibus ea vindicare Episcopis postea facile non fuisset. Præterea Chartas, Documentáque Donationum, Comparationum, &c. diligenter conservare eo tempore opus erat, ne quis malis artibus eas interverteret. Ad hæc greges, servos, supellectilem omnem cùm sacram, tum profanam, Ecclesiæ thesaurum, annonam ad Clericorum, viduarum, pauperum alimenta congregatam custodire necessum erat. Hæc autem cura incumbebat Oe- E conomis; non verò de Custodia fructuum vacationis tempore provenientium intelligi potest Canon Chalcedonensis: Hi enim *integri reservari apud Oeconomum* non poterant futuro Successori, cùm ex iis stipendia Clericis dispensanda essent, aliáque impendia necessaria præstanda, & onera Episcopatus sustinenda. Nec est quòd in voce *reditus* quis vim faciat, quæ de bonis fructuosis non minùs commodè, quàm de fructibus ex illis provenientibus intelligi potest. Adde, reditus viduatæ Ecclesiæ servari integros Successori, cùm nihil ex Ecclesiæ bonis alienatur, sed tantùm habet ac percipit novus F Episcopus, quantum ejus Prædecessor habuit ac percepit. At fructus vacationis tempore provenientes Reges Christianissimi percipiebant jure suo, vel certè percipere poterant, quamvis eo jure non semper uterentur, & illa pietatis deposita in usus Ecclesiæ ab Oeconomis etiam servari sæpe permitterent, non in propria commoda converterent. Regalis tandem Custodia Oeconomorum custodiam non excludebat, sed cumulabat ac fulciebat, ut probat prior *Hincmari* locus, in quo asserit *Facultates Ecclesiæ viduatæ penes Oeconomum integras conservari* debere *futuro Successori*: & nihilominus esse *in Regum potestate ad defensandum atque tuendum.*

Ex

Ex eodem *Hincmari* loco liquidò constat, eò tantùm pertinuisse curam Oeconomorum Ecclesia vacante, ne res Ecclesiæ cum rebus Episcopi permixtæ, quarum heredes ex asse constituere poterat quos volebat, ab ejus heredibus aut aliis pervaderentur, vel res ab Episcopo relictæ in detrimentum heredum aut propinquiorum ipsius distraherentur, quod Synodus Chalcedonensis Canone XXII. prohibuerat. *Manifesta verò sunt*, inquit Hincmarus, *quæ sunt Ecclesiæ, cum notitia Presbyterorum & Diaconorum, qui circa ipsum Episcopum sunt, ita ut cognoscant, nec ignorent quæ sint Ecclesiæ propria, nec eos aliquid lateat: ut si contigerit Episcopum migrare de seculo certis existentibus rebus, quæ sunt Ecclesiæ, nec ipsa collapsa depereant, nec quæ propria probantur Episcopi sub occasione rerum pervadantur Ecclesiæ. Justum namque & acceptum est coram Deo & hominibus, ut sua Episcopus quibus voluerit derelinquat, & quæ Ecclesiæ sunt, eidem conserventur Ecclesiæ, ut nec Ecclesia aliquod patiatur incommodum, nec Episcopus sub occasione prescribatur Ecclesiæ.*

Secundo verò loco, Regium Custodiæ sive Regaliæ Jus non convellit, sed eos duntaxat perstringit qui res Ecclesiæ violenter diripiebant, aut per angarias vel indebitas pensiones aliquid exigebant quo gravaretur Ecclesia. Subdit enim proximè post verba laudata: *De quibus, sive vivente, sive defuncto Episcopo, quicunque quocunque ingenio, unde gravetur Ecclesia, per angarias vel indebitas pensiones exigunt, sine timore ne sacrilegium admittant, esse non possunt: etiamsi violenter non rapiant, sed quasi prudenter ingenio injustè accipiant; cum eos conscientia quacunque sinistra intentione in conspectu Domini cor intuentis accuset.*

Nec verò occasione detentionis bonorum Ecclesiæ vacantis sub Regia manu titulo Custodiæ seu (quod idem est) Regaliæ, ad *Carolum Calvum* hæc scribebat *Hincmarus*, sed occasione captionis & confiscationis bonorum Episcopi viventis, scilicet *Hincmari Laudunensis*, nepotis sui, ut constat ex initio Epistolæ. *Jussistis*, inquit, *præfatum Episcopum, ut die & loco denominato veniret ad causas vestras, id est, ad Judicia secularia, & suum Advocatum de suo capite, videlicet de suo quod ipse agit actu, idem non conscio quocunque Coepiscopo suo donaret. Qui mittens ad Dominationem vestram, excusationem impossibilitatis suæ illuc veniendi mandavit. Requisita est quam patriotica lingua nominamus ozoniam, quia venire nequiverit, quod hactenus est inauditum. Et requisito & non invento Advocato illius, qui de ejus capite ex prædicta causa redderet rationem, exceptâ Ecclesiâ & Episcopii domo, ac Clericorum claustro, quicquid de rebus & facultatibus Ecclesiasticis, sibi in Episcopali Ordinatione munere Spiritus Sancti ad gubernandum & dispensandum commissis acceperat, Jussione vestra per Vicecomitem ipsius pagi in bannum, quod Jus lingua Latina Præscriptio confiscandi vocatur, est missum. Et postea, sicut audivi, per Cancellarium Palatii vestri mandastis Vicedomino & Præposito istius Ecclesiæ, cum non modica interminatione, ut providerent, quatenus nullum obsequium ab Ecclesia ipsius hominibus, nullùmque subsidium de facultatibus Ecclesiasticis, per Clericum vel Laicum, ipse Episcopus posset habere.* Quæ omnia dissimulavit Regii Juris nuperus Oppugnator, ut fucum lectoribus faceret.

Tertius *Hincmari* locus confirmat prolatam à nobis Canonis Chalcedonensis explicationem. *Wlfadus* enim ad Lingonensem Episcopatum (ut ipse contendebat) canonicè non electus adrepserat, & *Ecclesiæ facultates*, id est, bona omnia, tum mobilia, tum immobilia, quæ *secundùm Chalcedonense Concilium penes Oeconomum futuro debuerant reservari Episcopo, suis suorùmque usibus arrogaverat.* Idem quarti loci sensus est, ubi de *Actardo* Nannetensi Episcopo agit, qui ad Turonensem Metropolim translatus, priorem adhuc retinebat Ecclesiam. Ejus porro Translationem præter Canones factam contendebat *Hincmarus*, adeóque reum esse invasionis Ecclesiæ & bonorum ipsius, quorum reditus absque legitimo titulo (illius judicio) percipiebat, & bona administrabat quæ ab Oeconomo conservari futuro Successori debuissent. Unde subdit: *Hæc idcirco de rebus & facultatibus Ecclesiæ viduatæ sub Oeconomo futuro reservandis Episcopo hic interposuimus, ut attendas de quo agitur Episcopus, quia si nemini Christiano eas licet præsumere, multo minùs item Episcopus, sine sui status periculo ac animæ detrimento, Ecclesiæ invasæ res & facultates prævalet usurpare.*

Annales Bertiniani de solo Oeconomatu & usufructu bonorum Episcopatus Metensis, vacationis tempore *Hugoni* collato, non loquuntur, sed de collatione in Commendam Militarem, vel in alodem & proprietatem, ut ipsis ad voluntatem abuteretur, ac pro libito disponeret. Eodem enim modo & ita absolutè hæc ipsi bona concessit *Carolus Crassus*, quo direptas ex Thesauro S. Stephani Metensis opes *Sigefrido & Wrmoni* dederat. *Sigefrido etiam & Wrmoni* (inquiunt Annales Bertiniani) *illorùmque complicibus, plura millia argenti & auri, quæ de Thesauro Sancti Stephani Metensis, aliorùmque Sanctorum locis arripuit, eis dedit: & ad devastandam Regni sui atque consobrini sui partem, sicut antea fecerant, residere permisit. Hugoni autem junioris Lotharii filio facultates Ecclesiasticas Metensis Episcopii, quas Sacri Canones futuro Episcopo reservari præcipiunt, ad consumendum remisit.*

Gerbertus denique Regalis Custodiæ testis est, nam verbis supra laudatis subdit: *Ne si, quod absit, malè cautum fuerit, in negligentes cùm Regalis Censura, tum etiam gravior adhibeatur Divina Sententia.* Quæ verba suppressit nuperus Regiorum Jurium Oppugnator, ut incautos deciperet.

XVI. Objicit idem Autor [a] Concilii Trosleiani anno nongentesimo nono celebrati Canonem XIV. qui ad rem nullatenus pertinet, cùm de fructibus vacationis tempore provenientibus non loquatur, sed de spoliis Episcoporum defunctorum, quæ à Potentibus passim & impunè diripiebantur. Morem pessimum qui in Galliis etiam invaluerat, Patres execrati sunt, & sacrilegii damnarunt. *Quia*, inquiunt, *inter nostrates hic pessimus inolevit mos, ut defuncto Ecclesiæ Episcopo, mox à quibuscunque Potentioribus pervadantur res Ecclesiasticæ quasi Episcopi fuerint propriæ, cùm etiamsi ejus essent, contra omne jus id fieret: hoc tam immane sacrilegii facinus, & jam sæpiùs factum scientes dolemus, & ne ulteriùs à quolibet præsumatur, auctoritate Dei & Sanctorum ejus qui cum illo regnant in cœlo, nostro etiam Episcopali Ministerio, quibus Dominus licèt indignis, potestatem dedit in suis Apostolis dicens:* Quodcunque alligaveritis super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveritis super terram, erit solutum & in cœlis, *interdicimus.* Tum varios recenset Canones hæc Synodus, ex quibus patet quibus de bonis statuat. *Unde*, inquit, *inter cæteras de hac re Canonum constitutiones, in Concilio Valentino Canone 11. ita scribitur:* Hoc etiam placuit ut Episcopi ab hoc seculo jubente Domino accersito, Clerici ab omni omnino suppellectili, vel quæcunque sunt in Domo Ecclesiæ, vel Episcopi, in libris, in speciebus, utensilibus, vasculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omnino re, rapaces manus abstineant,

[a] Lib. 1 Cap. 7. pag. 41. & lib. 2 Cap. 5. pag. 111.

Objectio Anonymi Auctoris ex Concilio Trosleiano.

stineant, & nihil latronum more diripiant. Qui nisi Canonum auctoritate cohibiti fuerint, omnia quæ pervaserint, Metropolitani, vel omnium Comprovincialium Sacerdotum districtione coacti, in pristinum statum redintegrare cogantur: ut nihil Antistitis vel Dispensationi futuro necessariorum ob hac justa constitutione depereat. *Quod ut confidentius justitia manente servetur, secundum Regensis Synodi constituta*, Episcopo è corpore recedente vicinior illi accedat Episcopus, qui ex more exequiis celebratis, statim Ecclesiæ illius curam districtissimè gerat, ne quid ante Ordinationem Pontificis futuri, rerum mentium Clericorum subversioni vel direptioni jam liceat. Ita ut de repertis omnibus inspectio certior, descriptioque fidelissima, si fieri potest, intra Octavas defuncti, sub diligentia præsentis Episcopi peragatur. Dehinc ad Metropolitani notitiam habita ordinatè descriptio deferatur; ut ejus electione talis Persona ordinandæ Domui Ecclesiasticæ procuretur, quæ vel consueta Clericis stipendia dispenset, & creditarum sibi rerum, si forsitan tarditas in ordinando Episcopo successerit, Metropolitano congruis temporibus reddere possit rationem, ut sub hac salubri constitutione Clerici stipendiis suis omnino contenti, labores non diripiant Episcopi decedentis, & in vacuam Ecclesiæ Domum futurus Pontifex non sine dolore succedat: sed magis de Prædecessoris sui dimisso possit ipse gaudere, & aliis ministrare. *Item Cap.* III. Simili quoque modo parentibus & propinquis decedentis Episcopi, si intestatus obierit, denuntient ut sine Metropolitani vel Comprovincialium Sacerdotum conscientia nihil de rebus defuncti occupare pertentent: ne fortè hæreditariis rebus etiam aliqua ad Ecclesiam pertinentia vel permixta usurpent: sed usque ad Ordinationem futuri expectent Antistitis; aut certè, si longum fuerit, ad Metropolitani (ut dictum est) admonitionem recurrant. Si quis autem immemor divini timoris contra hæc Sancta Synodica Clericus quisque vel Laïcus venire improba mente tentaverit, & communione & consortio privetur Ecclesiæ: quia durum est ut ad illam conveniat, quam exspoliare non metuit..... Si autem rationabiliter modestèque unusquisque repetit quod sibi Jure debetur, et absque aliqua animadversione à Metropolitano, vel cui injunxerit, aut res aut ratio non negetur. Hos etiam omnes Canones constringunt, qui tam in præteritum quàm in futurum res Ecclesiæ vel Episcopi usu partes diripuerunt.

Trosleianæ Synodi Canon contra illos datus, qui bona decedentium Episcoporum rapiebant, non contra Reges, qui ratione Custodiæ Regalis, fructus vacantis Sedis provenientes percipiebant.

Hanc Trosleiani Concilii locum integrum referre operæ pretium fuit, ut nuperi Authoris qui Tractatum *De Regalia* contra Regia Jura edidit, mala fides comprobetur, qui verum hujus Canonis sensum dissimulat, ideòque verba illius non refert, ne fraus ejus pateat omnibus, qui Canonem ipsum attentè legerint, animadverterintque, quod facillimum est, Trosleianæ Synodi Patres illum condidisse contra illos qui spolia Episcoporum decedentium diripiebant; non contra Reges, qui ratione Custodiæ Regalis fructus vacante Sede provenientes Jure suo percipiebant, aut percipere poterant. Cùm enim sequentium temporum Pontifices plurimi, & Concilium Oecumenicum Lugdunense II. fructus & ea omnia quæ ad fructus pertinent, vacante Sede ab iis qui Jus Custodiæ sive Regaliæ in Ecclesiis habent, Jure percipi agnoverint; Gallicani Trosleiani Concilii Episcopi, qui illis satis fieri jubent qui repetunt *quod sibi jure debetur*, non prohibuissent, ne Reges Christianissimi fructus sibi vacante Sede debitos perciperent, nec eos velut prædones & sacrilegos fuissent execrati. Ipsos longè abfuisse à lite inferenda Regi ob perceptionem fructuum Ecclesiarum vacantium, ad quos ratione Custodiæ Regalis jus habebat, ex eo constat, quòd parati essent ad parendum Regi & in iis quæ Politiam externam Ecclesiæ spectarent, quæ ad Reipublicæ pacificum statum relationem habet, & in iis omnibus quæ de Juribus temporalibus Regni sui statueret; ad idque Jure Divino se adstrictos noverant. Eorum verba in secundo Canone subjicio, ex quibus facilè refelluntur, quæ nuperus idem Regii Juris Oppugnator Cap. II. & IV. libri II. probanda sibi sumit, Regaliam naturali aut divino Jure non niti, immo cum utroque pugnare. *Pontificalem* (inquiunt) *sic extrinus Auctoritatem, ut non obliviscamur Regiam à Deo constitutam esse Sublimitatem, dicente Apostolo:* Subjecti estote Regi quasi præcellenti. *Sicut enim Regalis Potestas Sacerdotali Religione se devotè submittit: sic & Sacerdotalis Auctoritas cum omni pietatis officio se Regali Dignitati subdere debet, sicut Sanctus ostendit Papa Gelasius ad Anastasium scribens Imperatorem.* Duo sunt, *inquit*, quibus principaliter mundus hic regitur, Auctoritas Sacra Pontificum, & Regalis Potestas: in quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus in divino reddituri sunt examine rationem, &c. *Ergo quia & Rex pro æterna vita indiget Pontificibus, & Pontifices pro temporalium rerum cursu Regali indigent dispositione: à Rege obediendum est Pontificibus, recta, sancta, & justa suadentibus; & vicissim à Pontificibus obediendum est Regi pietatis cultui religione, jure, & solatio servienti.. Ipse debet primò* DEFENSOR *esse* ECCLESIARUM..... *Scire autem oportet, quia si de otioso sermone Deo rationem redditurus est; multò magis* DE MINISTERIO SIBI DIVINITUS COMMISSO... *Sed & nobis, & omnibus, qui in Regno vestro consistimus, oportet ut justam fidelitatem vobis conservemus, & honorificentiam Regiam exhibeamus, & de utilitate Regni aliquid quærenti, secundum scire & posse verum & utile consilium suggeramus.*

Formosi Papæ Privilegium jus Regaliæ non attingit.

XVII. Frustra quis objiceret Privilegium quod Papa *Formosus* Ecclesiæ Remensi concessit anno DCCCXCIII. precibus *Fulconis* Archiepiscopi annuens; cujus Privilegii meminit *Flodoardus* lib. IV. Historiæ Remensis Cap. II. *Sanciens insuper auctoritate B. Petri* (inquit) *ut nemo Regum, nullus Antistitum, nemo quilibet Christianus, decedente Remorum Episcopo, ipsum Episcopatum vel res ipsius Ecclesiæ suis compendiis applicet, neque sub suo dominio teneat, præter ipsius civitatis Episcopum, & eamdem Metropolim non ultra Constitutionem Canonicam sine Regulis conveniente Pastore manere cogat, neque aliter Episcopum ibidem, nisi ut Sacri Canones jubent, constitui faciat.* Frustra, inquam, id opponitur, cùm eam Objectionem occupaverit ac diluerit doctissimus Archipræsul *Petrus de Marca* libro VIII. de Concordia Sacerdotii & Imperii, Cap. XXII. Num. IV. *Abusus ille*, inquit, *quem hoc loco damnat Formosus, confundi non debet cum Jure Regaliæ de quo nunc agimus. Nam Regalia desinit post præstitum fidelitatis Juramentum. Rescriptum verò Papæ Formosi traducit pravam quamdam consuetudinem quæ in Galliis invaluerat, ubi laicis non solum Monasteria concedebantur*, propter imminentem Reipublicæ necessitatem (*ut habetur in Canone quinto Synodi apud Theodonis Villam habita anno* DCCCXLIV. *& in Canone duodecimo Concilii Vernensis*) *sed etiam interdum reditus Episcopatuum vacantium. Quò alludit Canon* XXI. *Concilii Meldensis anno* DCCCXLV. *congregati, dùm loquitur* de precariis factis ab his qui loca Episcoporum

» porum occupaverunt. *Hinc autem fiebat ut Episcoporum electiones retardarentur. Cui incommodo occurrit Privilegium Papa Formosi.* Addiderim, omnino constare ex verbis *Flodoardi*, sive ex verbis Privilegii ab ipso descriptis, illud Jus Regaliæ non attigisse: *Nullus Antistitum, nemo quilibet Christianus*, &c. Jus enim Regaliæ solis Regibus, non Episcopis aut Christianorum vulgo convenit. Tandem cùm Privilegium legem communem, immunitas obligationem supponat, si Privilegium immunitatis à Regalia Ecclesiæ Remensi à *Formoso* Papa concessum esset, sequeretur ipsam sub secunda Regum nostrorum Stirpe Regaliæ fuisse obnoxiam. Quanquam hujusmodi Privilegii concessio ad Pontifices non spectet, sed ad Reges, quorum est de Juribus suis aliquid interdum remittere, cum eorum lubet Majestati.

ARTICULUS III.

Utrum Ecclesiæ Feuda Regi obnoxia sub prima & secunda Regum nostrorum Dynastia possiderent; qui Juris Regaliæ titulus esset alter: & debita ob hujusmodi Feudorum possessionem Servitia Regibus præstarent?

I. A Veteribus Francis feudorum originem arcessunt, qui de hac materia scripsere, *Luca à Penna*, & *Udalrico Zajio* exceptis. Hi scilicet terras marte suo occupatas in feudum concedebant ad onus recognitionis, Juramenti fidelitatis, & cæterorum onerum militarium, pro modo redituum feudi, & ad onus renovationis Investituræ, certorúmque commodorum, mutatione vassalli contingente, cum exceptione mutationis in linea directa, & quandoque sine ea exceptione. Varias feudi definitiones Jurisconsulti tradunt. Accuratior ista est: *Feudum est benevola, libera, & perpetua concessio rei immobilis vel æquipollentis, cum translatione utilis dominii, proprietate retenta, sub fidelitate & exhibitione servitiorum.* Alodia eo modo & iis conditionibus concessa, *Beneficia* vocabantur. Mortuo Beneficiario, defectu hominis qui debita servitia præstaret, præsertímque militiam, bona hujusmodi in Principis manum veniebant, qui ipsa novâ Investiturâ novis vassallis conferebat. Sub *Clodoveo* primùm Beneficii nomen in Galliis auditum, quem agrus *Aureliano* cuidam in Beneficium dedisse, testatur *Aimoinus* lib. I. Cap. XIV. *Unde*, inquit, *cùm Clodoveus Regnum suum usque Sequanam, atque postmodum usque Ligerim fluvios ampliasset: Milidunum Castrum eidem Aureliano cum totius Ducatu regionis, jure Beneficii concessit.* In Formulis *Marculfi* Beneficium à Fisco acceptum distinguitur à proprietate, Formulâ II. XII. & XXXIII. libri. I. Omnia namque prædia tunc temporis aut propria erant, aut fiscalia. Propria seu proprietates & alodia dicebantur, quæ nullius juri obnoxia erant, sed optimo maximo jure possidebantur, ideoque ad heredes transibant. Fiscalia verò Beneficia sive fisci vocabantur, quæ à Rege ut plurimùm, postraque ab aliis ita concedebantur, ut certis legibus servitiisque obnoxia, cum vita accipientis finirentur. *Gregorius Turonensis* lib. IX. Cap. XXXVIII. *Sunnegisillus & Gallomagnus, privati a rebus quas à fisco meruerant, in exilium retruduntur*, &c. *Quibus nihil aliud est relictum, nisi quod habere proprium videbantur.* Beneficium usufructuario duntaxat jure & ad vitam concedebatur; Fidelitatis præterea Sacramento, quod in manibus Regis præstabatur, ut constat ex Formula *Marculfi* XVIII. libri I. subditos qui *Leudes* & *Antrustiones* dicebantur, sicut & militiæ oneri adstringebat: quos Edicto convocari solitos, ostendit Appendix *Gregorii Turonensis*, Cap. LXXXVII. *Jussu*, inquit, *Sigeberti omnes Leudes Austrasiorum in exercitu gradiendum banniti sunt.* Capitularia *Caroli Magni* lib. III. Cap. XIX. *Auditum habemus, qualiter & Comites & alii homines, qui nostra Beneficia habere videntur, comparant sibi proprietates de ipso nostro Beneficio.* Beneficia Militaria usufructuario duntaxat jure concessa fuisse, non ad heredes transisse, probat vetus Præceptum *Ludovici Pii* ab *Andrea Duchesnio* editum in Notis ad Petrum Venerabilem, quo Dodiniacum Curtem, quam *Hesimbertus* Regia largitione hactenus *in Beneficium* habuerat, Monasterio *Dors* nuncupato cum omni integritate attribuit. Idem probat Instrumentum Donationis *Caroli Calvi*, in Historia Bellovacensi relatum, quâ ad petitionem *Odonis* Bellovacensis Episcopi, medietatem villæ, quæ *Luciatus* vocabatur, quam tunc temporis *Rodingus* Regius Capellanus *in Beneficium tenebat*, Monasterio SS. Martyrum *Luciani*, *Maxiani*, atque *Juliani* concessit, & perpetuò possidendam delegavit. Alteram verò ejusdem villæ medietatem, quam *Sigefridus* Regius *Vassallus tunc in Beneficium retinebat, decedente eo, atque humanis rebus valefaciente*, in ejusdem Monasterii proprietatem transtulit. Militaria hujusmodi Beneficia sub finem secundæ Regum nostrorum Dynastiæ hereditaria esse cœperunt, & *feudorum* appellationem tum primùm sortita sunt, ut probat *M. Antonius Dominicy*, lib. *De Prærogativa Allodiorum*, Cap. XV. Feudorum obsequia Constitutione sua definivit *Carolus Crassus*, sub quo nondum hereditario jure feuda possidebantur. *Qui autem hominum*, inquit, *sive liberi, sive famuli, Dominis suis adhæserint quot decem mansos in Beneficio possideant, tot brunias cum duobus scutariis ducant.* Fidelibus verò vel domesticis Ecclesiarum hanc legem præscripsit: *Ut quicunque quinque mansos in Beneficio possideant, Domino suo ad quem pertinent, bruniam cum uno Scutario ducant.* Ex hac Constitutione *Caroli Crassi*, qua jubetur ut pro unoquoque manso in Beneficium possesso, Miles cum brunia inserviat, nata origo *Feudorum Loricæ*, de quibus apud *Sigebertum*, ad annum M. CLX. Brunia enim idem quod lorica. Inde etiam quòd Miles duos Scutarios secum ducere teneretur, *Feuda Scutiferorum*. Quia verò scutis & baculis quædam Militum turmæ se exercebant, ut ex antiquis Actis probat idem *Dominicy*, prædia illis in feudum data *Baccalaria Indominicata* vocabantur, quasi Baccalariis Militibus attributa, ut constat ex Testamento Beati *Geraldi*, & ex Donatione facta à *Godefrido* Comite Cadurcensi circa tempora *Caroli Calvi*, Abbatiæ Bellilocensi, in Pago Lemovicino.

Natura & origo feudorum.

II. Non solùm secularibus, sed sacratis hominibus & Ecclesiis, Beneficia sive Feuda Reges Christianissimi contulerunt. *Clodoveus* pene omnes Regni sui Ecclesias agris fiscalibus dotavit. Ejus munificentiæ locupletissimum testimonium extat Canone V. Concilii Aurelianensis I. *De oblationibus vel agris, quos Domnus noster Rex Ecclesiis suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non habentibus Deo inspirante contulerit, ipsorum agrorum vel Clericorum immunitate concessa, id esse justissimum diffinimus, ut in reparationibus Ecclesiarum, alimoniis Sacerdotum & pauperum, vel redemptionibus Captivorum, quicquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur.* Aquitania & Narbonensis Provinciæ pars, quam superiorem diximus, in quibus Burdegala & Tolosa, Rutheni, Cadurci, Arverni, cùm Imperio *Clodovei* profligato

Feuda Ecclesiis à Regibus Christianissimis concessa.

gato *Alarico* Gothorum Rege cessissent, illarum etiam regionum Ecclesiæ ab ipso dotatæ sunt, ut earum Patronus uti cæterarum Regni sui Ecclesiarum jure merito haberetur, omniáque Jura Patronis debita ipsi in illis & universis suorum suarum Ecclesiis quæsita essent, & alia præterea, quæ vel ipse sibi reservavit, vel quæ Episcopi in grati animi significationem ejus Majestati contulerunt, quæ ad ejus Successores Reges Christianissimos cum eodem Patronatus titulo sunt translata. Unum ex augustis illis Juribus Jus est Investituræ, ad quod & Jus Regaliæ, quod ab Investituris diversum non esse, scite scripsit doctissimus Præsul *Petrus de Marca* lib. VIII. de Concordia Sacerdotii & Imperii, Cap. XVIII. Quo Jure, vacantibus Ecclesiis Christianissimi Principes bona ipsarum ad se recipiebant, fructus percipiebant, aut percipere poterant, Episcopo electo qui eorum Majestati gratus esset ac Juramentum fidelitatis præstitisset, illa concedebant. Hinc inter Formulas *Marculfi*, quæ disciplinam & politiam Ecclesiæ & Regni Francorum sub prima Regum Dynastia repræsentant, Clerus ac Populus Principem orant ut eum qui electus est instituere dignetur in Episcopatu: *Instituere dignemini Inlustrem Virum illum*: & Rex præcepto suo Episcopalem Dignitatem ei qui electus est committit: *Pontificalem in Dei nomine vobis commisimus Dignitatem*: Quod saniori sensu & magis canonico intelligi non potest, quàm de Regiorum Jurium & feudorum Investitura & Concessione, quæ *Clodoveus* Rex Ecclesiis manu liberali contulerat; cujus exemplum alii primæ Stirpis Reges fuerant imitati. Hinc antiquus Scriptor Vitæ *S. Romani* Rotomagensis Episcopi docet eum anno circiter DCXXIII. Baculum Pastoralem à *Clodoveo II.* Rege accepisse, statimque in Sede Pontificali institutum fuisse: qui solemnis Investituræ ritus erat. *Rex*, inquit, *convocatis tam Episcopis quàm Abbatibus, Baculum illi contulit Pastoralem. Inthronizatur ergo Pontificali Apice.*

Gregorius Turonensis lib. III. Cap. II. *Cùm hæc Theoderico nuntiata fuissent, jussit inibi*, (scilicet in urbe Turonica) *S. Quintianum constitui, & omnem ei potestatem tradi Ecclesiæ.* Idem lib. IV. Cap. VII. de *Cautino* Arvernorum Episcopo post obitum *S. Galli* Regia Jussione consecrato: *Tunc ex jussu Regis traditis ei Clericis, & omnibus quæ hi de rebus Ecclesiæ exhibuerant*, &c.

Regum Christianissimorum Jura in externam Ecclesiæ Politiam, ex feudis & immunitatibus Ecclesiis collatis quæsita sunt eorum Majestati.

III. Regum Christianissimorum Jura in externam Ecclesiæ Gallicanæ Politiam, quæ in ipsis Monarchiæ Christianissimæ exordiis apparent, & à Concilio Aurelianensi primo magnificè explicantur, ex earumdem Ecclesiarum dotatione, & Feudis ac Immunitatibus à *Clodoveo*, aliisque primæ Dynastiæ Regibus eisdem collatis, eorum Majestati quæsita sunt, Ecclesia ipsa hujus Regni in Synodis consentiente & approbante. Concilium Aurelianense I. editos à se Canones secundùm *Clodovei* consultationem, & titulos quos ejus Majestas dederat, ad eam mittens, eorum confirmationem ab illo rogat. *Quia* (inquit) *ad Religionis Catholicæ cultum gloriosæ fidei cura vos excitat, ut Sacerdotalis mentis affectu Sacerdotes de rebus necessariis tractaturos in unum colligi jusseritis secundùm voluntatis vestræ Consultationem, & titulos quos dedistis, ea quæ nobis visum est definitione respondimus: ita ut si ea quæ nos statuimus etiam* VESTRO RECTA ESSE JUDICIO COMPROBANTUR, TANTI CONSENSUS REGIS AC DOMINI *majori auctoritate servandam tantorum* FIRMET SENTENTIA SACERDOTUM. Inscribitur: *Domino suo Catholicæ Ecclesiæ Filio, Chlothovecho Gloriosissimo Regi: Omnes Sacerdotes quos ad Concilium venire jussistis.*

Absque Jussione Regis aliquem ad Clerum admitti vetant Gallicanæ Ecclesiæ Patres Canone III. *De Ordinationibus Clericorum*, inquiunt, *id observandum esse decrevimus, ut nullus secularium ad Clericatus officium præsumatur, nisi aut* CUM REGIS JUSSIONE, *aut cum Judicis voluntate.* Quæ disciplina sub reliquis primæ familiæ, & secundæ etiam Regibus observata est. Inter Formulas *Marculfi* XIX. inscribitur: *Præceptum de Clericatu*: cujus hæc sunt verba: *Ille ad nostram veniens præsentiam, petiit Serenitati nostræ, ut ei licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis sui ad onus Clericatus deponere deberet, & ad Basilicam illam aut Monasterium deservire deberet. Quod nos propter nomen Domini hoc eidem gratante animo præstitisse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut si memoratus ille de capite suo bene ingenuus videtur, & in puletico publico censitus non est, licentiam habeat comam capitis sui tonsurare, & ad supra scriptam Basilicam vel Monasterium deservire.* Nemini licentiam Clericatum profitendi Reges nostri concedebant, qui servus publicus aut colonus, sive adscriptitius esset, & in publicis rationibus sive polyptychis censitus. Ejus rei rationem reddit *Carolus Magnus* lib. I. Capitularium, Cap. CXV. ubi eamdem prohibitionem renovat: *De liberis hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quàm a nobis licentiam postulent. Hoc ideo quia audivimus aliquos ex illis non tam causâ devotionis hoc fecisse, quàm pro Exercitu seu alia functione Regali fugienda. Quosdam verò cupiditatis causâ ab his qui res illorum concupiscunt, circumventos audivimus, & hoc ideo fieri prohibemus.* Idem testatur *Adalberonis* Remensis Archiepiscopi Epistola, quæ LVII. est inter *Gerberti* Epistolas. *Perfidiæ*, inquit, *ac infidelitatis crimine in Regiam Majestatem arguor detineri, eo quòd Nepotem meum Clericum videlicet meæ Ecclesiæ licentia donaverim, quia & Palatium adierit, & dono alterius Regis Episcopatum acceperit ejus regni, quod Senior Lotharius in proprium jus revocaverat, Quodque Gradus Ecclesiasticos ei postmodum contulerim absque licentia & auctoritate Senioris mei.* Cùm nemo absolutè ordinaretur, sed ad aliquam Ecclesiam, aut Monasterium; locus in Ecclesia vel Monasterio, titulus erat ac Beneficium Clerici. Cùm igitur ex Ecclesiæ Gallicanæ disciplina opus esset licentia Regis ut quis ad hanc Ecclesiam aut Monasterium ordinaretur, collatio quædam hæc erat Beneficiorum, aut certè nominatio ratione Juris Patronatus; & gradus ad eorum collationem vacante Sede Jure Regaliæ, ob conditionem agrorum fiscalium sive feudorum, quæ tunc sub manu Regis erant, donec eos novo Episcopo, in cujus erant potestate, ut constat ex Canonibus V. & XV. contulisset. Fructus interim percepisse Regem verisimile est, sed eos *in reparationibus Ecclesiarum, alimoniis Sacerdotum & pauperum, vel redemptionibus Captivorum* expendisse, prout ad Majestatis ejus Suggestionem eadem Synodus Aurelianensis Canone V. decreverat.

Regia licentia profitendi Clericatum.

Jus conferendi Beneficia quædam Ecclesiastica, titulo fundationis Regibus quæsitum.

Ejusdem Concilii Canon VII. docet Jus conferendi Beneficia Regi fuisse quæsitum, titulo utique fundationis, tam Secularibus, quàm Regularibus Clericis: Id unum prohibet, ne absque examine & commendatione Episcoporum ad ejus Majestatem veniant illa impetraturi. *Abbatibus*, inquit, *Presbyteris, omnique Clero, vel in Religionis Professione viventibus, sine discussione vel commendatione Episcoporum, pro petendis Beneficiis ad Domnos venire non liceat. Quod si quisquam præsumpserit, tamdiu loci sui honore & communione privetur, donec per pœnitentiam plenam ejus satisfactionem Sacerdos accipiat.* Id verò de *Beneficiis* quæ Rex de suo fisco

fisco Viris Ecclesiasticis conferre voluisset, intelligendum nemo dicat; siquidem Concilium Parisiense III. *Childeberto* filio ejus regnante celebratum anno Christi DLVII. Canone I. eos perstringit, qui res Ecclesiæ à *Clodoveo* in Beneficium concessas ad heredes transmiserant. *Accidit etiam*, inquit, *ut temporibus discordiæ, sub permissione bonæ memoriæ Domini Clodovei Regis, res Ecclesiarum aliqui competiissent, ipsásque res, improvisâ morte collapsi, heredibus reliquissent.* Quod igitur *Symmachus* Pontifex Maximus anno Christi DII. annis novem ante Concilium Aurelianense I. ad *Cæsarium* Arelatensem Episcopum scribens permiserat, ut possessiones Ecclesiasticæ *Clericis bonorum meritis, aut Monachis religionis intuitu, aut peregrinis* necessitate suadente concederentur, usufructuario tantùm jure, & *temporaliter*, quandiu viverent, *non perpetuè*: quæ prima Beneficiorum Ecclesiasticorum origo est; quam dispositionem Concilium Agathense anno DVI. Canone XXII. confirmaverat: id approbante Ecclesia Gallicana factitabat Rex *Clodoveus*, agros ac prædiola, aut villas, quas Regia munificentia ac pietate Ecclesiis concesserat, Abbatibus, Presbyteris, aliisve Clericis usufructuario jure possidenda concedens. Hæc Beneficiorum collatio de qua loquitur Canon VII. Concilii Aurelianensis I. Idem verò cæteros primæ Dynastiæ Reges *Clodovei* Successores præstitisse, colligitur ex Edicto *Clotarii II.* in Concilio Parisiensi V. de quo Articulo superiori diximus. Porro non vivente duntaxat Episcopo, sed post ejus obitum id ipsos factitasse verisimile est, cùm Ecclesiæ possessiones sub manu sua tenerent, eas novo Episcopo tradituri. Ut ut est, Regibus id Juris exercentibus repugnaturos non fore illis temporibus Gallicanos Episcopos, facilè sibi persuaserit, quisquis de eorum animis ac affectu judicium tulerit ex Epistola *S. Aviti* Viennensis Archiepiscopi ad *Gundobadum* Burgundionum Regem XXXIX. sic ejus Majestatem compellantis: *In omnibus locis sanctis, sicut Ministerio nostro eadem charitas, ita Imperio vestro æqua potestas est. . . . . Ego Præceptum vestræ Pietatis opperior. Quicquid habet Ecclesiola mea, immo omnes Ecclesiæ nostræ, vestrum est, de substantia quam vel servastis hactenus, vel donastis. Quod inspirante Deo præceperitis, in quantùm vires habuero, parare conabor.* Ad quæ verba Doctissimus *Sirmondus* in Notis: *Libera*, inquit, *& ingenua professio. Principibus accepta feruntur bona Ecclesiæ, quæ vel donarunt ipsi, vel ut donare liceret, concesserunt.* Supremi illius in feuda Ecclesiis collata dominii ratione *Sigismundus* Rex Burgundionum sanctissimus absolutâ auctoritate res Ecclesiæ in Beneficium concessit, ut constat ex Synodo Epaonensi anno DXVII. celebrata, Canone XVIII. *Clerici*, inquit, *quod etiam sine Precatoriis qualibet diuturnitate temporis de Ecclesiæ remuneratione possederint cum auctoritate Domini Gloriosissimi Principis nostri, in jus proprietarium præscriptione temporis non vocetur, dummodo pateat Ecclesiæ rem fuisse.* Huic Synodo præerat *S. Avitus* Viennensis Archiepiscopus; aderant *SS. Apollinaris* Valentinus, *Claudius* Vesontiensis, *Gregorius* Lingonensis, *Pragmatius* Augustodunensis, *Viventiolus* Lugdunensis, qui hanc *Sigismundi* Regis dispositionem non improbarunt.

Onera Ecclesiis imposita ratione Feudorum ipsis à Regibus collatorum.

IV. Dispositioni bonorum Ecclesiasticorum à Principibus factæ sub finem primæ & sub initia secundæ Regum nostrorum Dynastiæ, locum dedit Feudorum, quæ ab Ecclesiis possidebantur conditio, quæ servitia Regibus debebant, maximè cùm de Regni conservatione & propulsandis hostibus agebatur. Hac ratione *Carolus Martellus* Major Domus & Dux Francorum, Episcopatuum, Abbatiarum, aliorúmve Beneficiorum Ecclesiasticorum reditus Nobilibus concessit, qui suas facultates in bello contra Saracenos difficillimo exhauserant. Unde in Chronico Episcoporum Albigensium & Abbatum Castrensium, Tom. VII. *Spicilegii Dacheriani*, legimus:

Nobilium ut reparet Martellus damna virorum,
Injecit dominas in Sacra Feuda manus.

Carolomannus & Pippinus, cùm bona Laïcis à *Carolo* Patre concessa restituere omnino non possent, nutante Monarchiâ bellísque concussâ, ab Episcopis impetrarunt, ut sub precaria & censu à Comitibus, aliísque Laïcis ex Nobilium & Militarium Virorum ordine tenerentur. Precariæ illæ aut Militaria Beneficia instituta & ad tempus concessa ob gravissimam Reipublicæ necessitatem, in subsidium exercitus, ad vitam duntaxat Beneficiariorum; illis morientibus extinguebantur. Si necessitas cogeret, renovabatur Precaria jussu Principis, ut docet Synodus Liptinensis anno DCCXLIV. celebrata Canone II. & Synodus Suessionensis anno sequenti habita Canone III. ex qua insuper constat, Feuda Ecclesiis sub onere Militiæ Regali munificentiâ collata fuisse: *Abbates*, inquit, *legitimi hostem non faciant, nisi tantùm homines eorum transmittant.* Hujus Concilii Decretis vim publicæ Legis additam à *Pippino*, Canon ultimus testatur.

V. Anno DCCLXXVII. Carolus Magnus *Rex Sapientissimus atque perspicacissimus, sciens Regnum esse veluti corpus quoddam, & nunc isto, nunc illo incommode jactari, nisi consilio & fortitudine, velut quibusdam medicis, sanitas accepta tueatur: Episcopos quidem, modo quo decuit, sibi devinxit. Ordinavit autem per totam Aquitaniam Comites Abbatesque, necnon alios plurimos, quos Vassos vulgò vocant, ex gente Francorum; quorum prudentiæ & fortitudini nulla calliditate, nulla vi obviare fuerit tutum, eisque commisit curam Regni, prout utile judicavit, finium tutamen, villarúmque Regiarum totalem Provisionem.* Ita refert Author Vitæ *Ludovici Pii*, apud *Duchesnium*, Tom. II. pag. 287. Ecclesiis etiam plurima Feuda concessisse *Carolum Magnum*, ad eámque munificentiam exercendam, præter causas pietatis, motum etiam fuisse utilitate Reipublicæ, observat *Willelmus Malmesburiensis* lib. V. de Gestis Regum Anglorum. Existimavit scilicet Rex Maximus, Episcopos sanctiùs observaturos fidem promissam, ac præterea, si res ita postularet, Majestati suæ subsidia laturos adversùs hostes & rebelles, cùm potestate sibi ratione Feudorum competente, tum vibratis Excommunicationum fulminibus. *Carolus Magnus* (inquit) *pro contundenda gentium illarum, (id est Germanorum) ferocia, omnes pene terras Ecclesiis contulerat, consiliosissimè perpendens, nolle Sacri Ordinis homines tam facilè quàm Laicos fidelitatem Domini rejicere. Præterea si Laici rebellarent, illos posse Excommunicationis auctoritate & potentiæ severitate compescere.*

Feuda illustria Ecclesiis à *Carolo Magno* & Decessoribus Regibus sub onere militiæ collata, idque servitii exhibuisse Episcopos & Abbates ratione feudorum, constat ex Edicto *Caroli Magni* de Episcoporum immunitate ab expeditionibus bellicis, non tamen ab obligatione suppeditandi copias, quod in Capitulari anni DCCCII. promulgatum est, cujus hæc sunt verba: *Volumus ut nullus Sacerdos in hostem pergat, nisi duo vel tres tantùm Episcopi, electione cæterorum, propter benedictionem & prædicationem, populique reconciliationem &c. Reliqui verò qui ad Ecclesias suas remanent, suos homines*

bine

bene armatos nobiscum, aut cum quibus jusserimus, dirigant. Idem probat Notitia in Conventu Aquisgranensi anno DCCCXVII. jussu *Ludovici Pii* Imperatoris edita de Monasteriis quæ in Regno vel Imperio ipsius *Dona & Militiam, quæ sola Dona sine Militia, quæ nec Dona nec Militiam, sed solas orationes pro salute Imperatoris vel filiorum ejus, & stabilitate Imperii facere possent.* Idem probant *Hetti* Archiepiscopi Trevirensis ad *Fretarium* Tullensem Episcopum Epistola, apud *Duchesnium* Tom. II. Historiæ Francorum pag. 721. Concilium Vernense II. Canone VIII. Meldense Canone XLVII. Episcopi Remensis & Rothomagensis Provinciarum in Epistola ad *Ludovicum* Germaniæ Regem, Cap. VII. cujus hæc ponderanda verba: *Quapropter sicut & illa res ac facultates, de quibus vivunt Clerici, ita & illa sub consecratione immunitatis sunt, de quibus debent militare Vassali, & pari tuitione à Regia Potestate in Ecclesiarum usibus debent muniri.* Hincmarus Opusculo XLVI. cui titulus est: *Quæ exequi debeat Episcopus*; inter Episcoporum officia illud commemorat: *Militiam ad Defensionem Sanctæ Ecclesiæ, secundum possibilitatis quantitatem, juxta antiquam consuetudinem, Regiæ dispositioni exhibere, & secundùm Domini jussionem, quæ Cæsaris sunt Cæsari, & Deo quæ Dei sunt reddere.* Episcopis prædia Militibus, qui Ecclesiam ipsam & Rempublicam ab hostibus defendebant, in beneficium dare, Gallicanæ Ecclesiæ disciplina illis temporibus permittebat, ut docet Epistola *Hincmari* XXIX. ad *Carolum Calvum*, cujus verba descripsi in Synopsi Historiæ seculi IX. & X. Cap. V. Art. VII. Num. VII. Chronicon Cameracense lib. I. Cap. CXVII. refert quòd *Walterius Castellanus Episcopum precatus est ut filio suo Walterio terram suam beneficiaret, eique sicut falco nunc paternæ hæreditatis militaret.* Vetus Charta sub *Lothario* Rege conscripta, quam laudat *Dominicy*, lib. de Prærogativa Allodiorum, Cap. XI. Num. XII. docet, *Rodulphum* Abbatem Figiacensem Militi cuidam nepoti *Begonis* Episcopi Ruthenensis sexaginta Ecclesias dedisse, cum quingentis mansis; ea conditione ut de his fidem exhiberet, suisque sumptibus, si opus foret, cum trecentis hominibus pro ejus causa militaret.

Ex his compertum est, Ecclesias Gallicanas sub secunda Regum nostrorum Dynastia Feuda possedisse omnibus legibus & oneribus obnoxia, quibus illa ex conditione sua subjacent; & ratione hujusmodi feudorum Episcopos consueta servitia Regibus præstitisse. Cùm itaque lex feudorum sit, ut deficiente Vassallo Dominus feudum vacans ad se recipere possit, & retinere cum reditibus donec Vassallus alter substitutus sit, cui post hominium ac Juramentum fidelitatis præstitum ejus Investitura concedatur; consequens est Reges nostros secundæ Stirpis, morientibus Episcopis, qui Vassalli ipsorum erant ob feuda Ecclesiis addicta, possessiones hujusmodi occupasse, detinuisse, ac fructus suos fecisse, donec novus Episcopus Investituram feudorum ab iis recepisset, ac Juramentum fidelitatis hominiúmque eorum præstitisset Majestati. Usufructus feudorum ab quæ controversia pertinebat ad Regem, adeò ut ab eorum perceptione illi arceri non possent, quibus ipsum concesserat, etiamsi vitiosa esset ipsorum electio. Unde *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis *Guntberto*, cui *Lotharius* Imperator Cameracensem Episcopatum contulerat, restituit, cunctísque ipsius Ecclesiæ Clericis ac Militibus sub anathemate interdixit, ne quis eorum adulterum Pastorem susciperet, vel cum ipso familiaritatem iniret; *Usumfructum verò terræ, quod Imperatoris erat, tantummodo commodarent.* Refert *Baldericus* Noviomensis Episcopus lib. I. Cap. XLVIII. Collatio porro Beneficiorum inter fructus censetur, ut Canonici Juris Interpretes docent. Jus itaque conferendi Beneficia, vacante Sede, ad Reges Christianissimos Dynastiæ secundæ pertinebat. Jus ergo Regaliæ in suarum ditionum Ecclesiis exercebant.

Beneficia militaria ex Ecclesiæ bonis à Regibus Christianissimis secundæ Stirpis creata.

VI. Id confirmatur ex eo quòd secundæ Stirpis Reges Christianissimi, Beneficia Militaria ex Ecclesiæ bonis crearent, Fidelibúsque suis ac de Republica bene meritis concederent, ut constat ex Notitia de Villa Novilliaco edita in Appendice ad Flodoardum. *Rex Carlomannus per Præceptum Regiæ suæ Auctoritatis, tempore Tilpini Archiepiscopi, tradidit villam Novilliacum cum omnibus ad se pertinentibus, ad Ecclesiam Remensem Sanctæ Mariæ, & Basilicam S. Remigii.... Defuncto Tilpino Archiepiscopo, tenuit D. Rex Carolus Remensem Episcopium in suo dominatu, & dedit Villam Novilliacum in Beneficio Anschero Saxoni.... Post obitum Caroli, & defuncto ipso Anschero, Domnus Lodovicus Imperator donavit ipsam Villam Novilliacum Donato in Beneficio &c.*

Carolo Calvo supplicarunt Concilii Meldensis Patres, ut Regia præcepta de hujusmodi beneficiorum creatione & concessione rescinderet.

VII. Non est dissimulandum, Concilium Meldense anno DCCCXLV. Canone VIII. *Carolo Calvo* Regi supplicasse ut concessiones hujusmodi rerum Ecclesiasticarum in Beneficia à se factas Majestas ejus rescinderet. *Ut Præcepta illicita sive Beneficiario de rebus Ecclesiasticis facta à Vobis sine dilatione rescindantur, & ut de cætero ne fiant, à dignitate vestri Nominis Regis caveatur.* Verùm omnia hujusmodi Præcepta rescindi Synodus non postulavit, sed *illicita* duntaxat, & quæ in grave detrimentum Ecclesiarum, nulla publicæ rei necessitate fiebant, quæ iis legibus quæ à *Carolo Magno & Ludovico Pio* erant positæ. Nam ejusdem Synodi Patres Canone LXXVIII. Regem obsecrant: *Ut Capitula Ecclesiastica à Domno Carolo Magno Imperatore, necnon & à Domno Ludovico Pio Augusto promulgata, obnixè observari præcipiantur, sicut & Legalia observanda esse noscuntur.* At lib. I Capitularium, Cap. CXXVI. Regalia Beneficia de rebus Ecclesiasticis instituta legimus, & à Principibus collata. *Consideravimus itaque, quia per plurima loca fames valida esse videtur, ut omnes Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Optimates, & Comites, seu domestici & cuncti fideles,* QUI BENEFICIA REGALIA TAM DE BONIS ECCLESIASTICIS, *quamque & de reliquis* HABERE VIDENTUR, *ut unusquisque de suo Beneficio suam familiam nutricare faciat.*

Jus Regium circa rerum Ecclesiasticarum custodiam nihilominus agnoverunt.

VIII. Cæterùm Gallicani Præsules in Synodo Meldensi agnoverunt Jus Custodiæ, Defensionis, & gubernationis Possessionum Ecclesiasticarum ad *Carolum Calvum* Regem à Progenitoribus Regibus transmissum, adeóque & Jus Regaliæ, quod idem est secundùm Concilium Lugdunense II. Sic autem Regem alloquuntur Canone XI. *Ante oculos reducentes tunicam Christi, qui vos elegit & exaltavit, quam nec milites ausi fuerunt scindere, tempore vestro quantocyus reconsuite & resarcite: & nec violenta ablatione, nec illicitorum Præceptorum confirmatione* RES AB ECCLESIIS VOBIS AD TUENDUM ET DEFENSANDUM AC PROPAGANDUM COMMISSIS *auferre tentate: sed ut Sanctæ memoriæ Avus & Pater vester* EAS GUBERNANDAS VOBIS *fautore Deo* DIMISERUNT, *redintegrate, Præcepta Regalia earumdem Ecclesiarum conservate & confirmate.*

Clericis etiam Ecclesiæ prædia in beneficium à Regibus data.

IX. Clericis æquè ac Laïcis Ecclesiæ prædia in Beneficium data à Regibus verisimile est, maximè vacantibus Ecclesiis, cùm feuda Regiâ munificentiâ ipsis collata ad se recipiebant, Regalem Custodiam exercebant, fructus percipiebant, Inve-

 stituram

stituram novo Antistiti concessuri: Hujusmodi A autem Beneficiorum concessio rem Synodus Meldensis non ægrè tulit, sed eam duntaxat, quâ passim laïcis hominibus, nullâ necessitate concedebantur, & in allodium seu proprietatem vertebantur, & ad eorum heredes transmittebantur, de quibus Canon XLII. ejusdem Synodi: *Monenda est Solertia Regia, ut strenuos & fideles Missos per Regnum sibi commissum dirigat, & investigent ac diligenter imbrevient res Ecclesiasticas, quas per subreptionem atque ignorantiam quorumcunque in allodium Ipse aut Pater suus donavit, & consulens periculo animarum, sua videlicet ac Patris sui, hoc ad tempus corrigere studeat, ne fortè cùm voluerit, minimè possit.* B Nec solùm prædia quælibet Ecclesiastica, sed & Monasteria, *quæ Prodecessores illius* CAUSA DEFENSIONIS ET MUNDEBURDI *susceperant*, in *alodium* dederat *Carolus Calvus*, & quasi hereditario jure possidenda; Unde „contra omnem auctoritatem, contra Patrum De„creta, & totius Christianæ Religionis consue„tudinem, in Monasteriis Regularibus Laïci in „medio Sacerdotum & Levitarum, ac cætero„rum Religiosorum Virorum, *ut Domini & Magistri* residebant, *& velut Abbates de illorum vita & conversatione decernebant, eosque dijudicabant, & regimina animarum, ac divina eis secun-* C *dum Regulam, non solum sine præsentia, sed etiam sine conscientia Episcopi, committebant Sacraria:* ut constat ex Canonibus X. & XLII. ejusdem Concilii Meldensis. Quamobrem Regia Præcepta, quibus de Beneficiis ac rebus Ecclesiasticis hoc modo disposuerat *Carolus Calvus*, ab ejus Majestate velut *illicita* rescindi, Gallicani Præsules meritò postularunt.

Jus investituræ Christianissimis Regibus ratione feudorum competere Synodus Meldensis agnovit.

X. Regibus Christianissimis Jus Investituræ ratione feudorum competere, adeòque & Jus Regaliæ, quod idem est Investituræ Juri, Synodus Meldensis agnovit, Regem admonens ut vacantibus Ecclesiis Episcopos & Abbates designaret, D quod saltem ad Regalium Investituram pertinere, nemo negaverit his in studiis mediocriter versatus. Canon VIII. *Dei legatione fungentes monemus, ut quandocunque, Deo dispensante, quilibet Episcopus ad Dominum migraverit, sine dilatione, juxta Auctoritatem Canonicam, Sedes vacans* EPISCOPUM A VOBIS REGULARITER DESIGNATUM, *& gratia Sancti Spiritus consecratum accipiat.* Canon IX. LOCA VENERABILIA, *& habitum ac Ordinem Sacrum, eis, qui ad hoc vocati sunt, viris scilicet ex Clericali & Ecclesiastico* E *vel Monastico Ordine religiosis, seu & in suo sexu fœminis Deo dicatis atque devotis, & in Schola Christi eruditis, ad custodiendum & providendum* COMMITTATIS: QUI ET QUÆ DEI SUNT DEO, ET QUÆ SUNT CÆSARIS CESARI REDDANT. *Qui si minus perfectè, & in divina Religione, & in Republica utilitate profecerint, aut corripiantur, aut meliores & utiliores in locis eorum substituantur.*

XI. Denique justis Regum dispositionibus ac Præceptis de Regalium Investitura, perceptione F fructuum Ecclesiæ vacantis ratione feudorum, collatione Beneficiorum quæ ad fructus pertinet, paredum esse Jure Divino, Ecclesiastico, & Civili, colligitur ex eodem Concilio Canone XV. *Si quis*, inquit, POTESTATI REGIÆ QUÆ NON EST, *juxta Apostolum*, NISI A DEO, *contumaci ac inflato spiritu, contra auctoritatem & rationem pertinaciter contradicere præsumpserit, & ejus justis & rationalibus Imperiis*, SECUNDUM DEUM, ET AUCTORITATEM ECCLESIASTICAM, AC JUS CIVILE, *obtemperare irrefragabiliter voluerit, anathematizetur.*

Objectio ex Præcepto Ludovici ... diluitur.

XII. Præceptum *Ludovici Pii* Imperatoris, A apud *Flodoardum* lib. II. Historiæ Remensis, Cap. XIX. quispiam objiciet, quo ad renovandam & amplificandam *S. Mariæ* in urbe Remensi Basilicam, muros, & portas civitatis, *Ebone* Archiepiscopo rogante, concessit, *cum cunctis impendiis quæ ex rebus & facultatibus ipsius Ecclesiæ & Episcopatus Remensis Aquis Palatio Regio peragi & exolvi solitum fuerat. In eleemosyna nostra* (inquit) *& pro remedio animæ Domni ac Genitoris nostri, atque cæterorum Prædecessorum nostrorum, qui eumdem Episcopatum contra salutem suam aliquamdiu tenuerant, & in suos usus contra Ecclesiasticas Regulas res ac fa-* B *cultates Ecclesiæ ipsius expenderant.* Ex quibus verbis colligi posse videtur, secundæ Dynastiæ Reges Christianissimos usumfructum Ecclesiasticarum possessionum Sede vacante sibi jure non vendicasse.

XIII. At operosa non erit Objectionis hujus solutio. Solum namque abusum, non legitimum usumfructum improbavit Religiosissimus Princeps. Episcopatus vacationem protrahere ut diutius aperta sit Regalia, & fructus vacationis diuturnæ tempore provenientes in suos usus convertere absque urgenti necessitate, abusus est: cùm enim Ecclesiæ bona deposita sint pietatis, oblationes fide- C lium, patrimonia pauperum, pretia peccatorum, debent in ejusdem Ecclesiæ usus, pauperúmque ac solatium impendi. Quam re suos Decessores peccasse, delicatissimæ conscientiæ Princeps facilè sibi persuasit. Sed legitimum possessionum Ecclesiasticarum usumfructum vacante Episcopatu, ratione feudorum, seu Juris Regaliæ, Prædecessoribus suis vitio non vertit. Nam feuda Ecclesiis à Regibus collata, consuetis erga ipsorum Majestatem servitiis obnoxia esse, hoc ipso Diplomate *Ludovicus Pius* declaravit: & Beneficia ex rebus Ecclesiasticis concedi à Regibus gravissimis de causis, ob Reipublicæ ac Ecclesiæ, quæ in ipsa est, necessariam D defensionem, vel utilitatem, potuisse. *Cum cunctis impendiis*, inquit, *quæ ex rebus & facultatibus ipsius Ecclesiæ & Episcopatus Remensis Aquis Palatio nostro Regio peragi & exsolvi solitum fuerat*, &c. Et infra: *Volumus etiam ut Vassalli, & quicumque Fideles nostri ex rebus ejusdem Episcopatus aliquid habent, eidem operi inserviant, sicut constitutum est à bona memoria Domno & Genitore nostro, & sicut decretum est à piæ recordationis Domno & Avo nostro Pipino, decimas & nonas eidem Ecclesiæ Sanctæ, ex rebus quos exinde habent, persolvant.* Idem E ex Diplomatis initio confirmatur. *Si locis venerabilibus*, inquit, *ea quæ exinde à Prædecessoribus nostris Regibus vel Imperatoribus ad Reipublicæ usus exigebantur, religiosa liberalitate in utilitatibus & necessitatibus eorumdem Sanctorum Locorum expendendis remittimus... maximum & animæ nostræ, & Regi ac Regno providemus consultum.*

Accedit, quòd Episcopatuum Investituras *Ludovicus Pius* concederet, & Episcopis electis vel à se designatis bona Ecclesiastica traderet. Porro tradere illa non poterat, nisi in sua potestate, & sub ma- F nu sua illa haberet. Neque novi Episcopi jus ac facultatem percipiendi & administrandi reditus Ecclesiasticos habebant, antequam Investituram à Regibus accepissent. Fruebantur enim vi traditionis sibi factæ à supremo feudorum Domino, scilicet Rege. Quod verò Jus Investituræ exerceret *Ludovicus Pius*, & Episcopos ac Abbates vacantibus Ecclesiis daret, cooperando electionibus, constat ex Concilii Parisiensis VI. Parte III. Cap. XXII. ubi Gallicani Præsules sic ejus Majestatem admonent: *Magnitudini vestræ suppliciter suggerimus, ut deinceps in bonis Pastoribus Rectoribúsque in Ecclesiis Dei constituendis magnum studium atque solertissimam*

mam adhibeatis curam, &c. Ipse Ludovicus Pius Imperator in Capitulari II. C. VIII. *Abbatibus quoque & Laicis specialiter jubemus, ut in Monasteriis, quæ ex nostra largitate habent, Episcoporum consilio & documento ea quæ ad Religionem Canonicorum, Monachorum, Sanctimonialium pertinent, peragant.* Jus Investituræ à *Carolo Magno* ad *Ludovicum* ejus filium ac successorem transmissum, constat ex Cap. *Hadrianus*, & ex Cap. *In Synodo*. Dist. LXIII. quamvis falsum sit, quòd *Hadrianus I.* id Juris *Carolo Magno* concesserit, & fictitia sit Romana illa Synodus in qua concessum supponitur. Jus enim est Monarchiæ Christianissimæ coævum, Coronæ Regum nostrorum flos pulcherrimus & numquam marcescens, quo à *Clodovei* temporibus exornata splendescit. Idem confirmitur ex Cap. *Reatina*, eadem Distinctione, quo *Leo IV. Lotharium* & *Ludovicum* Imperatores orat ut Reatinam Ecclesiam *Colono* Diacono ad regendum concedant. *Vestram*, inquit, *Mansuetudinem deprecamur, quatenus Colono humili Diacono eamdem Ecclesiam ad regendum concedere dignemini, ut vestrâ licentiâ accepta, ibidem eum, Deo adjuvante, consecrare valeamus Episcopum. Sin autem in prædicta Ecclesia nolueritis ut præficiatur Episcopus, Tusculanam Ecclesiam, quæ viduata existit, illi vestra Serenitas dignetur concedere.* Alii etiam Pontifices à Regibus Christianissimis secundæ Stirpis Episcopatus postularunt. *Joannes VIII.* Episcopatum Vercellensem à *Carolomanno* Rege Italiæ petiit pro *Gosperto* Diacono, ejúsque petitioni annuisse *Carolomannum* constat ex Epistola CCXXI. ejusdem Pontificis data ad *Carolum* Regem. Sed ex Epistola præcipuè sequenti colligitur Principum auctoritas in dandis per ea tempora Episcopatuum Investituris, adeóque & Regaliæ Jus, ne tunc quidem novum, sed à Prædecessoribus Regibus acceptum. Sic enim scribit Pontifex ad Clerum & Populum Vercellensem: *Omnium vestrûm cognoscat sagacitas & laudanda fidelitas, quoniam dilectus ac spiritualis filius noster Carolomannus gloriosus Rex istius Italici Regni ipsum Vercellensem Episcopatum* MORE PRÆDECESSORUM SUORUM REGUM ET IMPERATORUM, *concessit huic Gosperto Viro Nobilissimo.* Cùm itaque Investitura sit eadem Juri Regaliæ; cúmque Jus Regaliæ in feudorum conditione sit fundatum; sequitur Christianissimos secundæ Dynastiæ Reges, Regaliæ Jus exercuisse in Ecclesiis omnibus ditionum suarum, quæ feuda possidebant Ipsorum aut Prædecessorum Regum munificentiâ, & quarum Investituram concedebant.

ARTICULUS IV.

Utrum Jus Regaliæ in tota amplitudine sua, quatenus scilicet usumfructum redituum Ecclesiæ vacantis, & Beneficiorum Collationem complectitur, Reges Tertiæ Dynastiæ Christianissimi ante Concilium Lugdunense exercuerint, illúdque agnoverit & approbaverit Ecclesia?

Auctoris Anonymi rationes, quibus probare conatur jus Regaliæ ab investituris differre.

I. JUS Regaliæ ab Investituris, aliisque feudorum Juribus longè differre nuperus Regiorum Jurium Impugnator, Tractatu *De Regalia*, lib. I. Cap. II. tribus ratiunculis probare conatur, ita levibus, ut responsione pene sint indignæ. 1. Quod Principes Investituram conferentes *nihil Spirituale se dare* intenderent: Nunc autem Rex pleno jure Beneficia & Dignitates Ecclesiasticas, quarum functiones omnes spirituales sunt, conferat. 2. Quòd Principes novis Episcopis Investituram duntaxat concederent: Nunc autem Rex hujusmodi fructus ac reditus velut suos donet. 3. Quòd Investituræ fierent duntaxat ratione feudorum: Rex autem vi Regaliæ cæterorum etiam redituum Ecclesiasticorum fructus, imò & decimarum sibi vendicet, omniáque Beneficia & Dignitates Ecclesiasticas, curam animarum annexam non habentes, quæ apertâ Regaliâ vacaverint, conferat. Has autem ratiunculas facilè exsufflamus.

His argumentis respondetur.

Ad primam respondemus, quòd Reges Christianissimi Beneficia conferentes Jure Regaliæ, nihil spirituale dare intendunt, sed solùm aliquid quod rebus spiritualibus connexum est per *antecedentiam*, ut *Joannes Parisiensis* ait, quod Articulo VI. explicabimus. Nam Beneficia duntaxat simplicia conferunt, quæ in prima sui institutione nihil aliud erant, quàm portiones quædam ex bonorum Ecclesiis à Regibus aliisve Fidelibus collatorum corpore delibatæ, & Clericis ad usumfructum concessæ. Quod ergo de Investitura dixit *Goffridus Vindocinensis*, aliam esse Investituram *quæ Episcopum perficit*, aliam *quæ Episcopum pascit*: idem de Collatione Beneficiorum dixerim. Collatio Beneficiorum quibus Jurisdictio Spiritualis annexa est & animarum Cura, Clericum perficit: ideo ad Principes Regaliæ Jure non spectat; quia *divino Jure habetur*. Missio enim ad functiones hujusmodi obeundas necessaria est, quam soli Ecclesiæ majores Prælati, scilicet Summus Pontifex & Episcopi concedere possunt. Collatio Beneficiorum quibus nulla Jurisdictio, nulla animarum cura annexa est, Clericum pascit, & ex *Jure humano* habetur: unde non repugnat quòd Regii sit Juris. *Non enim possessiones haberet Ecclesia, nisi à Regibus donarentur, & ab ipsis, non quidem divinis Sacramentis, sed possessionibus terrenis investirentur.* Denique potestatem functiones spirituales exercendi, nimirum operandi Sacris, Reges dare non intendunt, quam ab Episcopo in Ordinatione sua Presbyteri, cæterique Clerici accipiunt: sed deputationem duntaxat ad functiones Ordinum suorum in hac Ecclesia obeundas recipiunt à Regibus ipsis Beneficia conferentibus, non per se, sed consequenter. Quia ex eo quòd ipsis stipendia ex istius Ecclesiæ bonis præbeantur, unde & *Præbenda* nomen, resultat obligatio in illa Ecclesia Deo militandi, & Sacris operandi.

In Opusc. ad Calixtum II.

Ad secundam respondeo, Reges novis Episcopis bonorum Ecclesiasticorum Investituram dare non potuisse, nisi ea in sua potestate & in manibus suis haberent. Quis enim dat quod non habet? Fructus etiam Ecclesiarum vacantium percepisse, cùm ut honorarium ratione Custodiæ & Defensionis; tum ut servitium ratione Feudorum; quorum ea conditio est, ut mortuo Vassallo, ususfructus supremum ad Dominum redeat, donec novus Vassallus fidem & hominium præstiterit, ac Investituram ab ipso receperit. Has Feudorum Leges cùm agnoscat nuperus Autor quem refellimus, agnoscere etiam debuit, si rectè & consequenter ratiocinatus esset, usumfructum Feudorum, quæ ex Regum munificentiâ possident Ecclesiæ, ad eorum pertinere Majestatem post Episcoporum obitum, donec Præsul novus clientelaribus officiis perfunctus fuerit, & Investituram acceperit. Id verò & ex iis quæ huc usque dicta sunt compertum est, & iis quæ postea dicemus ampliùs confirmabitur.

Ad tertiam respondeo, Investituras & Regaliam, non in Feudorum duntaxat Legibus, verùm etiam in Jure Custodiæ & Defensionis Ecclesiarum, præsertim vacationis tempore, quo his præsidiis magis indigent, esse fundatas. Porro non sola Feuda,

da, sed bona etiam reliqua, ipsásque decimas Custodia & Defensione Regali munitas esse oportet, ne usurpentur ac dissipentur. Præterea cùm Patrimonia Episcopatûs velut bona nobilia possiderentur ab Episcopo, ut probat Carisiacense Capitulare Caroli Calvi anno DCCCLXX. conditum, Cap. VIII. *In libro*, inquit, *Capitulorum Avi & Patris nostri conjunctè ponitur ut res & mancipia Ecclesiarum eo modo contineantur, sicut res ad Fiscum Dominicum pertinentes contineri solent*: hujusmodi bona evecta sunt per consequentiam ad dignitatem feudorum. Denique Ecclesiæ cum decimis & oblationibus, laïcis in feudum datæ fuerant à Pipino, Carolo Magno, & Ludovico Pio, cum Ecclesiæ Gallicanæ consensu, quæ deinde Ecclesiasticis Viris concessæ sunt ex permissu Regum. Ideo servitia & debita feudorum hujuscemodi reditibus imposita, non esse omnino extincta vi consensus Regii adhibiti liberalitati seu æquitati laïcorum, qui ea Ecclesiis reddiderant, nostrates Jurisconsulti existimarunt; adeóque decimas, non secùs ac alios reditus, sub Regis esse manu Sede vacante: Qui ipsis uti suo jure optimo potest: & Beneficia conferre simplicia, quorum Provisio ad Episcopum pertinebat: Quia Collatio ad fructus pertinet. Firmum itaque sit ac ratum Jus Regaliæ non esse diversum ab Investituris.

Christianissimi tertiæ Dynastiæ Reges jus investiturarum ante concilium Lugdunense exercuerunt.

II. Jus autem Investiturarum Christianissimi tertiæ Dynastiæ Reges ante Lugdunense Concilium II. contradicente nemine exercuerunt. *Franco* Parisiensis Ecclesiæ Decanus, & *Roberti* Regis Cancellarius, *Azelino* sponte abdicanti in Parisiensi Episcopatu suffectus est, *eligente Clero, suffragante Populo*, DONO REGIS, *&c.* ut scribit *Fulbertus* Carnotensis Episcopus, Epistola VIII. *Philippus I.* eo Jure utebatur, nec id *Gregorius VII.* improbavit, modò gratis donum Episcopatus ejus Majestas concederet; ut constat ex illius Pontificis Epistola ad *Roclenum* Cabilonensem Episcopum, XXXV. libri primi. *Hujus*, inquit, *promissionis fidem in Matisconensi Ecclesia Pastoris regimine diu desolata volumus experiri, ut scilicet Augustodunensem Archidiaconum, unanimi Cleri & Populi consensu, ipsius etiam (ut audivimus) Regis assensu electum*, EPISCOPATUS DONO *gratis, ut decet, concesso, Ecclesiæ præfici patiatur.* Fervente controversia de Investituris, earúmque solemnitate per baculum & annulum Sedis Apostolicæ ac frequentium Synodorum Decretis damnatâ, hominiorum etiam ab Episcopis, cæterisque sacratis viris præstatione pro Ecclesiasticis Honoribus sub pœna excommunicationis prohibitâ, cùm *Henricus* Imperator, & *Henricus* alter Angliæ Rex, & solemnis Investituræ morem pertinaciter retinerent, & hominia exigerent, *Philippus I.* Rex Christianissimus Sedis Apostolicæ ac Synodorum Decretis morem gerens, damnatam Investituræ solemnitatem, hominiique exactionem dimisit, sed à Regalium, seu feudorum Investiturâ absque annuli & Baculi Pastoralis traditione concedendâ non destitit, eorúmque ratione bona vacantis Episcopatus sub manu sua tenere & administrare, donec novus Episcopus Juramentum fidelitatis præstitisset. Nec id Summi Pontifices improbarunt, quia ipsum Jure suo uti noverant. Id constat ex *Ivone* Carnotensi Episcopo Epistola LX. ad *Hugonem* Lugdunensem Archiepiscopum, & Sedis Apostolicæ Legatum datâ, de Consecratione *Daimberti* Senonensis Archiepiscopi. *Post canonicam* (inquit) *electionem, Reges ipsos Apostolica Auctoritate à concessione Episcopatuum prohibitos minimè videmus. Legimus enim sanctæ recordationis Summos Pontifices aliquando apud Reges pro Electis Ecclesiarum, ut eis ab ipsis Regibus concederentur Episcopatus ad quos electi erant, intercessisse: Aliquorum, quia concessiones Regum nondum consecuti fuerant, Consecrationes distulisse... Quæ concessio sive fiat manu, sive nutu, sive lingua, sive virga, quid refert? Cum Reges nihil spirituale se dare intendant, sed tantùm aut votis petentium annuere, aut Villas Ecclesiasticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Ecclesiæ, ipsis Electis concedere.* Tum Regium illud Jus insigni *S. Augustini* testimonio confirmat ex Tractatu VI. in Joannem. *Quo Jure* (inquit) *defendis Villas Ecclesiæ, divino, an humano? Divinum Jus in Scripturis habemus, humanum in Legibus Regum. Unde quisque possidet quod possidet, nonne Jure humano? Nam Jure divino*, Domini est terra & plenitudo ejus. *Jure humano dicitur, Hæc villa mea est, hæc domus mea est, hic servus meus est. Tolle Jura Imperatorum, quis audet dicere, Hæc villa mea est, meus iste servus, mea est ista domus?* Item: *Noli dicere, Quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? Per Jura Regum possidentur possessiones. Dixisti, Quid mihi & Regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ad ipsa Jura renuntiasti humana, quibus possessiones possidentur.* Addit ibidem *S. Ivo Carnotensis*, Urbanum II. Pontificum Maximum *Reges à corporali duntaxat Investitura exclusisse, non ab Electione, in quantum sunt Caput populi, vel Concessione.* Itaque Regalium Investitura, & Bonorum Ecclesiæ vacantis, quæ sub manu Regum erant, tum ratione Custodiæ, cùm ex Legibus Feudorum, concessio, ab Ecclesia solemnitatem Investiturarum damnante improbata non fuit. *Philippum I.* Regem Christianissimum eo Jure usum confirmat Epistola centesima quarta *Ivonis Carnotensis* ad *Paschalem II.* in gratiam *Galonis* Episcopi Bellovacensis electi scripta: *Rex* (inquit) *non vult Electioni assensum præbere, nec Electo bona Episcopalia dimittere.*

Augusto illo Jure fruebantur etiam Angliæ Reges; & nihil aliud ab *Henrico I.* Paschalis II. postulavit, nisi ut solemnitatem Investituræ per annulum & baculum dimitteret, indulgens etiam ut hominia ratione feudorum exigeret, ut probavi Dissertatione IV. in Historiam Ecclesiasticam XI. & XII. Seculi Articulo VII.

III. Argumento ex Legibus Feudorum sumpto convictus ac persuasus in causa Investiturarum *Paschalis II.* anno MCX. cum *Henrico* Germaniæ Rege Pactionem iniit ut Episcopi Regalia dimitterent ejus Majestati; Ipse verò Investituris renuntiaret, ut refert *Petrus Diaconus* in Chronico Cassinensi lib. IV. Cap. XXXVII. Scripsit autem ad Regem in hæc verba: *Ministri Altaris Ministri Curiæ facti sunt, quia Civitates, Ducatus, Marchionatus, monetas, curtes, & cætera ad Regni servitium pertinentia, à Regibus acceperunt. Unde etiam mos Ecclesiæ intolerabilis inolevit, ut electi Episcopi nullo modo Consecrationem acciperent, nisi prius per manum Regiam investirentur..... Tibi itaque & Regno Regalia illa dimittenda præcepimus quæ ad Regnum manifestè pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Ottonis, & cæterorum Prædecessorum tuorum. Interdicimus etiam, & sub Anathematis districtione prohibemus, ne qui Episcoporum seu Abbatum eadem* REGALIA *invadant, id est, Civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, Teloneum, Advocatias, Jura Centurionum, & Curtes quæ Regni erant, cum pertinentiis suis, Militiam & Castra, & ne se deinceps nisi per gratiam Regis de ipsis* REGALIBUS *intromittant.* Intelligebat nimirum *Paschalis II.* Episcopos, quamdiu Feuda Regum munificentiâ Ecclesiis concessa possiderent, omnibus officiis ergà ipsos perfungi debere, quæ Feudorum Legibus invecta sunt.

IV. Ejusdem argumenti vim sensit *Goffridus* Vindocinensis

Vindocinensis Abbas, S. R. E. Cardinalis, solemnis Investituræ impugnator acerrimus, Opusculo III. ad Calistum II. *Ex Jure Divino*, inquit, *Regibus quidem & Imperatoribus dominamur: ipsis tamen ex eodem Jure, quia Christi Domini sunt, honorem debemus & reverentiam, sicut dicit Apostolus:* Regem reverimini. *Ex Jure autem humano tantum illis debemus, quantùm possessiones diligimus, quibus ab ipsis, vel à parentibus suis Ecclesia ditata & investita dinoscitur. Unde B. Augustinus super Joannem sic loquitur:* Noli dicere, Quid mihi & Regi? Quid tibi & possessioni? Nam per Jura Regum possessiones habentur, &c. *Possunt itaque sine offensione Reges, post Electionem Canonicam & Consecrationem*, PER INVESTITURAM REGALEM, IN ECCLESIASTICIS POSSESSIONIBUS CONCESSIONEM, AUXILIUM ET DEFENSIONEM EPISCOPO DARE, *quod quolibet signo factum exstiterit, Regi vel Pontifici, seu Catholicæ fidei non nocebit.*

V. Jus illud Regium non læsit vel imminuit *Callistus II.* in Concilio Lateranensi, in quo controversia de Investituris finita est; cui Concilio adfuit *Sugerius* Sandionysianus Abbas, Ludovici VI. Regis Christianissimi Orator, ut constat ex *Callisti* Rescripto Concilii sententiâ comprobato: *Ego Callistus Servus Servorum Dei dilecto filio Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni, qua ad Regnum pertinent, in præsentia tua fieri..... Electus autem* REGALIA *per Sceptrum à te recipiat..... Et quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperii consecratus, infra sex menses* REGALIA *per Sceptrum à te recipiat.*

Lu[...]cus Sextus jus Regaliæ in tota sua amplitudine exercuit, præbendas ac dignitates eo jure contulit.

VI. Regaliæ Jus deinceps magis explicatum visuri sumus. *Ludovicus Sextus* vulgò *Crassus* nuncupatus, Jus illud in tota amplitudine sua exercebat, Præbendas ac Dignitates quæ Ecclesiis viduatis vacaverant, conferebat. Jus illud frustra turbare conatus est *Hildebertus* Turonensis Archiepiscopus, anno millesimo centesimo vigesimo-quinto creatus; ut discimus ex ejus Epistola ad amicum Episcopum, Tomo XIII. *Spicilegii* edita, pag. 265. *Cum*, inquit, *ex Præcepto Romani Pontificis de Episcopatu ad Turonicam Metropolim transiissem, Archidiaconatum in ea neque Decaniam Personis vacantes inveni. Deinde peracto fere in eadem Metropoli anno, Regis literas accepi continentes*, REGEM PRÆSCRIPTAS DEDISSE DIGNITATES, *atque mihi præcipere, quod Personas quibus eas ipse dederat, in sedibus earum Dignitatum mittere non differrem. Quo audito, nolui in causa Dei contra Dominum parere Potestati.* Quam ob causam Regias Provisiones admittere, & Sacram Jussionem exequi recusaverit *Hildebertus*, an ob rationes personas ipsas spectantes, an quòd intra annum vacantes Dignitates Rex non contulisset, incertum est. Ut ut est, non Pontificem Maximum, non Synodum appellavit Archipræsul, sed Regem, quem unum causarum Jus Regaliæ spectantium Judicem esse noverat: in ejus Curia causam dixit, rationes protulit, causâ cecidit. *Attendens*, inquit, *oportere conveniri Regem..... agendi cum eo diem suscepi, affui statuto die & loco in Audientia eorum qui convenerant, paratus respondere objectis, & Canonicum subire Judicium. Dehinc auditâ utrinsque partis causâ, cùm ego adhuc debitum exspectarem judicium, Rex mihi per seipsum prohibuit, ne quidquam de prædictarum redditibus Dignitatum aut præsumerem, aut ordinarem. Frustra preces attuli, frustra protuli plurima, &c. Denique sic regressum in Rege secutus est nuntius, qui diceret dixisse Regem, ne fructus possessionum Turonensis Ecclesiæ, quas Regis potestas attingit, ad præfatam deferretur Ecclesiam, sed Fisco deinceps adscriptus, Regiis usibus deserviret; quod ita factum est. Terra quoque ipsius ita mihi suspecta est, ut eam ingredi non audeam. Nec tamen hæc loquor tanquam vobis clamorem super Christo Domini deponens, &c.* Regem in Ecclesiæ commoda propensissimum, Sedi Apostolicæ addictissimum, qui Romanos Pontifices tantâ pietate suscepit, tantâ observantiâ coluit, tantâ generositate adversùs Germaniæ Reges tutatus est, qui Investiturarum solemnitatem per annulum & baculum ultrò dimisit, qui hominiis etiam renuntiavit ut Ecclesiæ morem gereret: de quo scribebat *S. Yvo* Carnotensis Episcopus ad *Paschalem II.* Epistola CCXXXVIII. *Rex Francorum utpote homo simplicis naturæ, erga Ecclesiam Dei est devotus, & Sedi Apostolicæ benevolus:* Hunc (inquam) Regem Ecclesiæ Jura usurpasse, sibi aliquid in Regaliæ negotio tribuisse quod sibi Jure non competeret; nequaquam verisimile est. Quis præterea Gallicanos Præsules universos, *S. Bernardum*, & *Sugerium* Abbates, Ecclesiasticæ Disciplinæ ac Libertatis studiosissimos, qui aliàs Episcoporum patrocinium apud Regem libertate incredibili susceperunt, in causâ *Hildeberti* Archipræsulis silentium servaturos crediderit, nisi persuasum habuissent causam ipsius malam esse, ipsum imprudenti consilio Jus Regium turbasse, Regiæ collationi Dignitatum in Ecclesia Turonensi Jure Regaliæ vacantium præter fas & æquum restitisse. Ipsos verò causam *Hildeberti* deseruisse, probat illius Epistola LXXV. *Silent amici*, (inquit) *silent Sacerdotes Jesu Christi, denique silent & illi, quorum suffragia credidi Regem meum in gratiam redditurum. Credidi quidem, sed super dolorem vulnerum meorum Rex illis silentibus adjecit.*

Ludovicus Sextus, & Ludovicus Septimus Regaliã Ecclesiis Aquitaniæ remiserunt.

VII. Rex idem *Ludovicus Crassus* Regaliam Episcopis [...]uitaniæ remisit; quod Privilegium *Ludovicus VII.* ejus filius ac successor confirmavit. Extat in Regestis Parlamenti Parisiensis, itémque in Regestis Cameræ Computorum, sub titulo *De Remissione Regaliæ Burdegalensis, ac totius Provinciæ, & concessione Canonicæ Libertatis.* Editum est Tom. I. Galliæ Christianæ, in Archiepiscopis Burdegalensibus, in *Gaufrido de Oratorio*, pag. 211. Verba Privilegii hæc sunt: *Ea propter petitionibus vestris, communicato prius Episcoporum, Abbatum, & Procerum nostrorum consilio, assentiente Ludovico filio nostro jam in Regem sublimato, duximus annuendum, & in Sede Burdegalensi, & in prædictis Episcopalibus Sedibus & Abbatiis ejusdem Provinciæ, qua defuncto Illustri Aquitanorum Duce Comite Pictaviensi Guillelmo, per filiam ipsius Alienorum jamdudum filio nostro Ludovico forte matrimonii cedit, in Episcoporum & Abbatum suorum electionibus Canonicam omnino concedimus Libertatem, absque hominii, juramenti, seu fidei per manum data obligatione. Porro decedentis Archiepiscopi, & Suffraganeorum ipsius Episcoporum, sive Abbatum decedentium res universas Successoribus Regia Auctoritate servari volumus & concedenda præcipimus illæsas. Hoc quoque adjicientes, ut omnes Ecclesiæ infra denominatam Provinciam constitutæ prædia, possessiones, & universa ad ipsas jure pertinentia, secundùm Privilegia, justitias, & bonas consuetudines suas habeant & possideant illibata. Quin imò Ecclesiis ipsis universis, & earum Ministris, cum possessionibus suis, Canonicam in omnibus concedimus Libertatem.* Cùm itaque Privilegium legem communem obligationémque supponat, qua solvuntur qui illo donati sunt, consequens est Aquitaniæ Ecclesias Regaliæ Juri obnoxias fuisse antequam Privilegium illud à *Ludovico VI.* & *Ludovico VII.* obtinerent.

D. Petrus de Marca [...]

VIII. Dissimulandum non est Domino *de Mar*ca

ea libro VIII. de Concordia Sacerdotii & Imperii, Cap. XXVII. Num. II. & III. visum esse, nequaquam hîc agi de Regalia, quam nondum eo ævo introductam contendit, præsertim in Aquitania, ubi pietas *Guillelmi* Ducis, ac nupera Conciliorum Pictaviensium Edicta obstiterant ne consuetudo illa irreperet. Nam (inquit) anno millesimo centesimo Synodus Pictaviensis à *Paschali II.* Papa cum consensu *Guillelmi* Aquitaniæ Ducis coacta prohibuerat, ne quis Episcoporum, Abbatum, aliúsve è Clero, donum Episcopatus aut Abbatiæ à Rege, Comite, aut quovis Laïco accipiat. Hæc sunt verba Canonis primi: *Decrevit Sancta Synodus, ut nullus Episcopus, Abbas, Presbyter, vel qualibet persona de Clero, accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cujuslibet laica persona, donum Episcopatus, Abbatia, vel Ecclesia... Si vero laici Canonicis Decretis resistentes, Ecclesias violenter retinere præsumpserint, ipsi excommunicentur.* Aliud dein Concilium in urbe Pictaviensi habitum est à Legatis ejusdem Papæ anno millesimo centesimo nono, in quo prohibitum est ne Clerici Laïcis præstarent homagium. Hæc sunt verba Canonis: *Ut Clerici nunquam alicui laico hominium facere præsumant.*

Verùm Illustrissimo Archipræsuli assentiri non possum, nec me movent ejus rationes. Nam de Regalia hîc agi, constat ex ipso Privilegii titulo in Regestis Supremi Senatus & Cameræ Computorum. Secundò, id probatur ex Arresto Supremi Senatus Parisiensis lato anno MCCLXXVII. quo, secundùm Literas *Eduardi* Angliæ Regis, pronuntiatum est, Regem Angliæ tunc Aquitaniæ Ducem REGALIA in Ecclesia Burdegalensi non habere, & inspectis quibusdam ejusdem Ecclesiæ Privilegiis, custodia bonorum Archiepiscopalium, Sede vacante, Capitulo adjudicata est. Verba Arresti hæc sunt: *Visis quibusdam Privilegiis Ecclesia Burdegalensis, pronuntiatum fuit per Curia nostra Judicium, custodiam bonorum Archiepiscopalium, Sede Burdegalensi vacante, ad dictum Capitulum pertinere.* Privilegia illa sunt Literæ *Ludovici VI.* & *Ludovici VII.* Regum Christianissimorum: de Regaliæ itaque remissione in iis agebatur. Tertiò, Pictaviensia Concilia solemnitatem duntaxat Investiturarum, seu donum Episcopatus per traditionem annuli & baculi à laïcis accipi prohibent, & hominii præstationem: at bonorum temporalium concessionem feudorúmque Investituram post assensum electioni præstitum non damnant. Sicut ergo Reges Christianissimi, postquam solemnitas Investiturarum & hominii exactio à Romanis Pontificibus, & à Synodis, etiam in Galliis habitis, Claromontana, Trecensi, Remensi damnatæ sunt, nihilominus Jus concessionis bonorum temporalium Episcopatus vacantis, & Investituræ feudorum conferendæ novo Episcopo, cujus electio ipsis grata esset, & qui Juramentum fidelitatis eorum Majestati præstitisset, conservarunt, approbante & æquum judicante Ecclesia ut suo illo Regio Jure fruerentur: ita *Guillelmus* Aquitaniæ Dux, cùm Investiturarum solemnitatem per annulum & baculum & hominii exactionem, secundùm Pictaviensium Conciliorum Decreta dimisisset, Regalium Investituram servavit. Quartò, cùm Jus Regaliæ diversum non esse ab Investituris, quinimo ipsas esse Investituras, prout cum Regum nostrorum consensu modificatæ fuerunt in Conciliis Claromontano & Remensi, & à *Callisto II.* asserat Illustrissimus Archipræsul, mirum est qua ratione contendat nondum eo ævo introductam fuisse Regaliam, quo Investituras obtinuisse extra controversiam est. Quintò, Regaliæ Jus sub prima & secunda Regum nostrorum Dynastia viguit, & Christianæ Monarchiæ coævum est, ut demonstravimus Articulo superiori: falsum igitur est quòd ea lex nondum bene recepta esset in Regno, prout scripsit doctissimus Archipræsul. Sextò, facilè conciliari non possunt duæ illæ Summi Viri Propositiones: Ex eo *Ludovici Crassi* & *Ludovici Junioris* Privilegio sequi, usum Regaliæ non esse introducendum in futurum in Provinciam Burdegalensem, & nihilominus in eo nequaquam agi de Regalia. Si enim de Regalia in eo Privilegio non agitur, nihil obstat quo minus in futurum Jus illud in Provinciam Burdegalensem introducatur. Septimò, etsi Privilegium illud valuerit ut à lege Regaliæ immunes essent Burdegalensis Provincia, & Auscitana, seu Vasconia, quæ Aquitaniæ Ducibus parebat, Regnantibus *Ludovico Sexto* & *Ludovico Septimo*, qui illud concesserant, & quandiu revocatum à Regibus Christianissimis non esset: non tamen (inquiunt Pragmatici) ut perpetua esset ac irrevocabilis hujusmodi Immunitas. Ea enim est Privilegii conditio, ut à simili Potestate revocari possit: neque Reges, cùm de Regio Jure aliquid remittunt indultis Privilegiis, Successoribus suis legem statuunt: cùm Regia Jura nec alienari possint, nec præscribi. Non obstantibus itaque Illustrissimi Archipræsulis conjecturis, constat Privilegium à *Ludovico Sexto* Ecclesiis Aquitaniæ indultum, Regaliam spectare; ac proinde Provincias Burdegalensem & Auscitanam Regaliæ legi fuisse obnoxias antequam illo Privilegio donatæ fuissent. Ex his omnibus confutatum manet Authoris nuperi, qui de Regalia contra Regis Christianissimi Jura scripsit, Caput octavum libri primi, quo probandum sibi sumpserat, Jus Regaliæ sub prioribus tertiæ Dynastiæ Regibus receptum non fuisse.

Ludovicus junior Regaliæ jure fruebatur.

IX. *Ludovicus Junior* Juribus à Patre cum Regio nomine ac dignitate ad se devolutis fruebatur, & inter alia augusto Regaliæ Jure. Ipsum anno millesimo centesimo quadragesimo, cùm bona omnia Parisiensis Episcopatus vacantis in ejus essent potestate Jure Regaliæ, piâ munificentiâ eleemosynam perpetuam constituisse pro Cathedralis Ecclesiæ luminaribus, docet ejusdem Ecclesiæ tabularium. *Rex Ludovicus, Ludovici Grossi filius, vacante Episcopatu, dum universa ad statum Episcopalem pertinentia in ipsius essent potestate,* &c. Anno millesimo centesimo quadragesimo septimo, cùm profectionem in Palæstinam adornaret, Episcopatus Catalaunensis supellectilem Regaliæ Jure fisco tradi solitam, *Bartholomæo* Episcopo & ejus Successoribus liberam dimisit, auro, argento, & annona sibi servatis. Privilegium istud editum est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Cap. XVI. Num. I. pag. 365. *Dilectissimi nostri Bartholomæi Catalaunensis Episcopi precibus annuentes, sibi & Successoribus suis Episcopis in perpetuum condonamus, ne post decessum Catalaunensis Episcopi, sicut antiqua consuetudinis hucusque tenor habuerat, in Domibus Episcopalibus quicquid ligneum aut ferreum, sive per Nos sive per Ministeriales nostros, de cætero capiamus; animalia quoque Episcopi, & cætera omnia quæcunque ad supellectilem Domorum Episcopalium pertinere dignoscuntur, sub eadem Immunitate concludimus, præter annonam, vinum, aurum & argentum, quæ omnia juxta vetustam consuetudinem, & manu & Potestate Regia retinemus.* Idem Princeps simile Privilegium concessit *Galterio* Episcopo Laudunensi, anno millesimo centesimo quinquagesimo-octavo, cujus hæc sunt verba: *Decedente Episcopo, in manum Regiam ex consuetudine res Episcopatus deveniunt... Decedens Episcopus sicut testatus fuerit, ratum erit: & si decesserit intestatus, quod absit, Juris erit Regii*

aurum

aurum & argentum ejus totum, annona tota, &c. Si vacaverit Sedes messium tempore, custodes grangiarum retinebunt quod sufficiat seminandis agris. Cæterum Regii Juris erit, cætera quæ omnes reditus, præter ea quæ superius diximus, Juris Regii erunt.

Jus Regaliæ in Ecclesia Parisiensi.

X. Idem Rex in Diplomate dato anno millesimo centesimo sexagesimo primo ait, Parisiensem Episcopatum & Regalia post mortem Episcopi *Theobaldi* in manum suam venisse, sed nolle se in proprios usus convertere oblationes & reditus Altaris Capiceriæ, quas *Hedera* * donat Monasterio. Diploma istud quod incipit, *Ego Ludovicus*, editum est Tom. X. Spicilegii Dacheriani, pag. 648. inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, pag. 562. & Tom. 1. Galliæ Christianæ, in Episcopis Parisiensibus, in *Theobaldo*. Cujus Diplomatis hæc sunt verba: *Post obitum Parisiensis Episcopi bonæ memoriæ Theobaldi*, EPISCOPATUS ET REGALE IN MANUM NOSTRAM VENIT, *& similiter Capiceria reditus. Sed cùm oblationes & reditus Altaris nollemus assumere in usus Regios, Monasterium Virginale de Hedera conspeximus multis indigere, & Sacrarum Virginum indigentiæ succurrere dignum duximus. Notum itaque facimus quod pro nostra, & Antecessorum nostrorum Regum Franciæ animabus, quicquid capiebamus in Capiceria Ecclesiæ Parisiensis Sede vacante*, & EPISCOPATU EXISTENTE IN MANU REGIA, *Conventui Sororum de Hedera, quoties vacaverit Episcopatus, donavimus habendum, usque ad ipsam diem qua facta fuerit electio.*

* Hieres.

XI. Anno millesimo centesimo quinquagesimo nono, Rex idem *Ludovicus Junior* remisit Archiepiscopis Bituricensibus veterem consuetudinem, qua omnia mobilia in Ædibus Archiepiscopalibus reperta, vi Juris Regaliæ capiebantur. Verba Privilegii hæc sunt: *Noverint universi præsentes atque futuri, Nos amore Dei, & pro reverenda prece jam dicti amici nostri Archipræsulis Petri, Ecclesiæ Bituricensi domos Archiepiscopales quittasse, & in eisdem domibus librasse quicquid de ligno est & ferro, ære quoque & vitro, plumbo & stanno, pluma & corio, lana, cannabe, & lino, maresmos, & omnia domorum utensilia. Liberas eidem Ecclesiæ concessimus grangias, & in eisdem grangiis bergerias, boverias, & porcarias, & quamcunque nutrituram, ubicunque eam habuerit, salvam esse, quantum ad Regiam spectat potestatem. De fructibus verò omnium terrarum & vinearum suarum, anno obitus sui, Archiepiscopo concessimus plenariam potestatem faciendi Testamenti sui, & legandi vinum & annonam, & legumina, secundùm quod voluerit.* Refertur in Patriarchio Bituricensi, Tom. II. Bibliothecæ Novæ MSS. librorum *P. Philippi Labbe* S. I. Quàm latè Regia manus apertâ Regaliâ extenderetur, ex hoc aliisque superiùs relatis Privilegiis compertum est.

Jus Regaliæ in Ecclesia Bituricensi.

XII. *Ludovicus Junior*, Princeps si quis unquam erga Ecclesiam & Sedem Apostolicam devotissimus, qui Summos Pontifices *Innocentium II. Eugenium III.* & *Alexandrum III.* in Galliis honorificentissimè & amantissimè suscepit, qui Pontificiam Majestatem contra *Fredericum Ænobardum* tuitus est, qui *S. Thomæ Cantuariensis* & Ecclesiasticæ libertatis causam tam acriter defendit, quem idem S. Archipræsul & Martyr Epistola LXXIX. libri III. *Virum Deo plenum* prædicavit; de quo scripsit Epistola LXXXVI. libri II. *Ecclesiam veneratur & protegit, in Ministris suis suscipit Christum, & universorum gratiam benignitate provocat, & beneficiis obligat affectiones. Non sævit in subditos, nec occasiones Justitiæ prætextu quærit, quibus cruciet pauperes, exhauriat & spoliet copiosos.* Ad quem scribebat *Alexander III. Epistola* XXV. Append. II. *Tu verò Progenitorum tuorum laudabilis imitator existens, ut ita paternarum virtutum sicus & Regni heredem te veraciter exhiberes, ad eorum exemplum singularem & unicam Matrem tuam Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, ex quo Excellentiæ tuæ Regnum à Deo commissum est gubernandum, propensius dilexisti, in pressuris & necessitatibus suis ei fideliter adstitisti, & nihil unquam fuit quod à devotione & subventione ipsius Regium potueris animum revocare.. Nullum in toto terrarum orbe Principem esse credimus, quem Antecessores nostri & Nos ipsi ampliori affectu diligere teneamur, & cui magis à Nobis quàm tuæ Celsitudini sit deferendum.* Cui ab Expeditione Sacra reduci *cùm quidam Clericus Papale Privilegium attulisset, quod in omni Cathedrali Regni sui primam vacaturam haberet cum fructibus medio tempore provenientibus, Ille confestim combussit literas, dicens, Se malle tales comburere literas; quàm Animam suam in inferno torqueri*; ut refert *Thomas Walsinghamus* in Ypodigmate Neustriæ. Princeps (inquam) adeo religiosus Regaliam non exercuisset, nec sibi Jus illud tribuisset, nisi fuisset legitimè quæsitum: & si quid hac in re usurpasset, *Alexander III.* Pontifex vigilantissimus, *S. Bernardus* vir Apostolicæ libertatis, *Sugerius* Abbas piissimus & prudentissimus, cujus consiliis & operâ in Regni administratione plurimùm utebatur, ipsum admonuissent arguissentque, quòd novum Jus sibi tribueret, novum inventum superioribus Regibus incognitum, Ecclesiæ grave, invexisset. At non solùm siluerunt, sed *S. Bernardus* & *Sugerius* hunc morem ceu legitimum approbavere. *Alexander III.* à reprehensione Regaliæ, quam exercebat Rex Christianissimus, procul aberat, qui hanc Angliæ Regi competere agnoscebat: cùm tamen ante *Willelmi I.* tempora Jus istud sibi non tribuissent Anglorum Reges, & è Gallia in Angliam à Normanniæ Ducibus iisdémque Angliæ Regibus invectum esset.

Tom. X Conc. col. pag. 1310.

XIII. Jus, inquam, Regaliæ, ac illius usum prout illis temporibus exercebatur, approbavit *S. Bernardus*. Scribens enim ad *Ludovicum Septimum* Regem Christianissimum in gratiam Monachi ad Episcopatum Lingonensem electi, Epist. CLXX. his verbis Majestatem ejus alloquebatur; *Electio rite celebrata est, Electus fidelis est. Non autem esset fidelis, si vestra & non per vos habere vellet. Necdum prorsus se intromisit de aliquo; quanquam invitatio Cleri & Populi, oppressorum afflictio, & vota bonorum id ab eo vehementissimè flagitarent.* Et Epistola CLXIV. de altero loquens qui ad Episcopatum electus erat, ait: *Festinavit ad Regem*, REGALIUM INVESTITURAM ACCEPIT. Idem, vel alius Autor Sermonis ad Pastores, qui inter ipsius Opera legitur: *Duplex est dominium* Prælatorum. *Habent enim claves Ecclesiæ... Habent, &* REGALIA, *quia domini sunt urbium, oppidorum. Nec solum Episcopatus, sed & Consulatus* (id est Comitatus) *habent. Ut meritò eis dicatur: Quid ultra debui facere, & non feci?*

Jus Regaliæ à S. Bernardo approbatum.

XIV. Non est dissimulandum, *S. Bernardum* Epistolis CXXII. & CXXIV. *Ludovicum Juniorem*, quem *Puerum Regem* vocat, durioribus verbis perstringere ob Ecclesiarum vacantium bona direpta & dissipata; sed Regaliæ Jus, legitimúmque usum Abbati Sanctissimo fuisse probatum confirmat uterque locus, unum abusum insectatur ac damnat, quòd scilicet Episcopatuum vacationem protraheret, ut diutius reditibus frueretur, quos in seculares usus, nulla publicæ rei necessitate postulante convertebat, & Comitibus usumfructum & Oeconomatum Episcopalium bo-

Regaliæ Abusus improbatus.

norum concedebat, qui fructibus non contenti, terras Ecclesiæ vastabant, & colonos, hominésque Ecclesiæ vexabant. Epistola cxxii. ad *Jostenum* Suessionensem Episcopum, & *Sugerium* Abbatem: *Habeat Rex adversùs Comitem jus: sed de quo jure præsumit ut Ecclesiarum possessiones & terras devastet, ut Christi ovibus Pastores præfici non permittat, ut his quidem Electorum Promotionem prohibeat: aliis verò (quod hactenus inauditum est) dilationem Electionis inducat, donec universa consumpserit, donec diripuerit pauperum facultates, donec penitus desoletur terra?* Epistola ccxxiv. ad *Stephanum* Prænestinum Episcopum: *Conculcantur apud nos Sancta, Ecclesia turpiter ancillatur. Nam & Electiones Episcoporum prohibentur fieri, & sicubi id præsumptum a Clericis fuerit, Electus Episcopari non sinitur. Denique sedet in tristitia Ecclesia Parisiensis proprio destituta Pastore, & nemo est qui de substituendo alio mutire audeat. Non sufficit spoliari bonis præsentibus Domos Episcopales: etiam in terras & in homines manus sacrilega circumquaque desævit, totius anni ex eis reditus sibi vendicando. Vestra Catalaunensis fecit quidem electionem, sed qui electus est, ecce jam diebus multis debito honore frustratur, & scitis quàm non absque gravi gregis dominici detrimento. Commisit Rex germano suo Roberto vices Episcopi; & ille in cunctis terris rebúsque Ecclesiæ potestativè versans, & pro vice sua ubique haud segniter agens, infert cœlis quotidianas hostias, non pacificas, clamores pauperum, lachrymas viduarum, planctus orphanorum, gemitus compeditorum, & sanguinem interfectorum. Verùm angustus est malitiæ ejus ille Episcopatus. Remensem invadit, atque in terra Sanctorum iniqua gerit, non Clericis, non Monachis, non Sanctimonialibus parcens. Denique S. Mariæ, S. Remigii, S. Nicasii, S. Theoderici terras fructiferas, & villas populosas ita in ore gladii devastavit, ut pene in solitudinem redegerit universas. Frequens omnium auribus vox: Hereditate possideamus sanctuarium Dei.* Et Epistola xxii. ad ipsum Regem: *Non silebo, quod illicitum illud maledictúmque Juramentum inconsultissimè usurpatum à Vobis contra Bituricensem Ecclesiam (pro quo, heu! tot & tanta mala jam nunc meritò provenerunt) non ita tandem corrigitis, ut Christi ovibus apud Catalaunum Pastorem præfici non sinatis: insuper & Fratri vestro, ejúsque Militibus sagittariis balistariisque Domos Episcopales contra jus & fas inhabitandas, & res Ecclesiæ in hujusmodi nefarios usus profligandas, audacter nimium exponitis. Dico vobis, non erit diu inultum, si hæc ita facere pergitis.* Certè nisi Rex usumfructum bonorum Ecclesiasticorum vacante Sede jure sibi vendicasset, diu vacantes Episcopatus ex industria non reliquisset, ut reditibus diu frueretur. Unde *S. Bernardus* rem inauditam esse non ait, ut Rex vacantis Episcopatus bona sub manu sua teneat, fructúsque suos faciat, donec novus Episcopus Juramentum fidelitatis præstiterit, & ab ejus Majestate missus in possessionem hujusmodi bonorum fuerit, sed inauditum esse ut differatur electio, ut retardetur consecratio, eo consiliò ut diutius percipiantur fructus; inauditum esse quòd in nefarios usus profligandi exponantur. Videtur denique *S. Bernardus* paulò duriùs ad *Ludovicum* Regem scripsisse, quòd à bello gerendo cum *Theobaldo* Campaniæ Comite deterrere non posset ejus Majestatem. *Theobaldo* amicissimus erat *S. Bernardus*, ut ipse *S. Bernardo* addictissimus. Pacem, quam optabat Comes, Sanctus Abbas promovere & conciliare satagebat. Rex ob publicas rationes, quæ *S. Bernardum* fortè latebant, pacem concedere nolebat conditionibus, ut credere par est, non satis æquis, & quibus Majestatis suæ juribus & honori non satis consultum videretur. Theatrum belli Campania erat, Belgiúmque. Vacabant Catalaunensis & Remensis Episcopatus. Durante bello commodè illis Ecclesiis provideri non poterat. Regis intererat Episcopos ibi designari, quorum de fidelitate certus esset. Interim Princeps *Robertus* Regis frater cum copiis Catalaunum Remósque fatigabat. Ipsi reditus vacantium Episcopatuum in subsidium belli Rex concessit. Nimiâ licentiâ copias suas in illis civitatibus agrísque grassari permisit Regis Frater. Hæc *S. Bernardo* conquerendi ratio, si tamen falsis relationibus circumventus non fuit: quod ut suspicemur efficiunt verba illa quibus Epistolam exorditur: *Scripseram Regi, arguens eum super malis quæ fiunt in Regno ejus, ipsius (sicut dicitur) assensu. Et quod rescripsit, dignum duxi vobis, qui de Consilio ejus estis, insinuandum.* Data est Epistola ad *Jostenum* Suessionensem Episcopum, & *Sugerium* Abbatem. Hi Regi à Consiliis erant Sanctioribus, & rationes ejus magis forsan ipsis erant perspectæ quàm *S. Bernardo*, qui ipsos alioqui sibi amicissimos zelo severissimo coarguit. *Nam & vos ipsi* (inquit) *si pacem desideratis Ecclesiæ, sicut oportet filios pacis: quomodo non dicam tractatis ea, sed vel interestis Consiliis tam malignis? Quicquid enim mali fecerit, mortuò non Regi Juveni, sed Consiliariis Senibus imputatur.* Ut ut est, si quid in his peccavit *Ludovicus Junior*, & suo Regaliæ Jure verè abusus est; quin id emendaverit nullus est dubitandi locus, cùm ejus pietas tam illustribus testimoniis celebrata sit.

Epist. ccxxiv.

XV. *Sugerium* Juris Regaliæ sub *Ludovico Juniore* testem & approbatorem alterum profero, Epistola xiv. ad Capitulum Carnotense. *Novit Discretio vestra* (inquit) *quod gloriosus Rex Francorum Ludovicus carissimus Dominus noster ferventem peregrinationem amore Dei suscipiens, Archiepiscoporum & Episcoporum, ac Regni Optimatum consilio, nec sine Domini Papæ assensu, curam Administrationis Regni sui nobis commisit. Et quoniam ex debito officii ea quæ ad Regnum spectant diligenter perquirere & fideliter nos oportet conservare: præsentium latores Nuncios nostros ex parte Domini Regis* AD RECIPIENDA ET CONSERVANDA REGALIA, *Dilectioni vestræ delegamus: rogantes ut in quibus oportuerit, tanquam Regni fideles, donec Ecclesiam vestram tanto & tam glorioso Pastore viduatam, divina misericordia idoneo Successore consueto ordine consoletur, fideliter adjuvetis. Quantò siquidem Regni æterni amplificationi operosiùs innititur, tantò suum sibi integrè conservari potissimum meretur.* Regaliam partem esse Regii Juris, quâ sine Regnum integrè non conservetur, docet *Sugerius* Abbas.

Sugerius Abbas jus Regaliæ sub Ludovico Juniore testis & approbator.

Decanus & Capitulum Carnotensis Ecclesiæ ad eumdem Abbatem tunc Regni Administrum, dum Rex *Ludovicus Junior* in Transmarina Expeditione versabatur, de *Gosleni* electione ita scribunt: *Acceptâ à vobis Regiâ licentiâ loco Domini Regis, die statutâ convenimus in Capitulum nostrum, & invocatâ Sancti Spiritûs gratiâ, pari voto unanimique consensu elegimus nobis & Ecclesiæ nostræ in Episcopum Dominum Goslenum Archidiaconum nostrum, virum utique liberalem, idoneum, & literatum: idipsum approbantibus viris religiosis Abbatibus qui præsentes erant, omníque applaudente populo, & Deo gratias referente super electione talis personæ, quæ utilis esse creditur Ecclesiæ, & Regno fidelis. Rogamus igitur ut huic nostræ electioni assensum præbere &* ELECTO NOSTRO REGALIA REDDERE VICE DOMINI REGIS DIGNEMINI.

Inter Epistolas Sugerii. XXI.

Ad illos rescripsit *Sugerius* Epistola xx. *Nos, quantùm ex parte Domini Regis, cujus vices agimus, facere habemus, huic electioni libenter assensum præbemus.* DE REGALIBUS *verò, sicut in Curia Dominorum*

minorum Regum Francorum MOS ANTIQUUS *fuisse dinoscitur, cum Episcopus consecratus, & in Palatium more canonico fuerit introductus, tunc ei redduntur omnia. Hic est enim redditionis ordo & consuetudo, ut, sicut diximus, in Palatio statutus* REGI ET REGNO FIDELITATEM FACIAT, ET SIC DEMUM REGALIA RECIPIAT.

Collatio Præb. jure Regaliæ.

Collatio Præbendarum fiebat à Rege apertâ Regaliâ, ut constat ex Epistolâ *Theobaldi* Blesensis Comitis ad eumdem *Sugerium*, quæ est inter illius Abbatis Epistolas xxxviii. *Relatum est nobis*, inquit, *quod exegistis ab Episcopo Carnotensi Capiceriam Carnotensis Ecclesiæ, quia eam* DE REGALI *esse asseritis, quam Gaufredus bonæ memoriæ Episcopus in manu sua tenebat, quando a seculo migravit. Unde vobis notum fieri volo, quod* REGALE *Carnotensis Episcopatus de Rege in feo teneo cum alio feodo meo, ita quod decedente Episcopo,* REGALE *Episcopatus meum proprium est, quousque alius substituatur. Et ideo vos rogo, ut pro* REGALI, *quod meum est, Capiceriam ab Episcopo non requiratis; sed si eam pretibus ab Episcopo quæsieritis, inde me non intromitto.*

Capiceriam M. pro Beneficio non tenui, sed pro bonis unde percipiebantur ea quæ necessaria erant ad emendam ceram, frustra respondere Auctor Anonymus libri cui titulus est, Causa Regaliæ exposita. Vide Glossarium Cangii, verbo, Capitiarius, sive, Capicerius, & Capiceria.

Viromandensis Comes ad eumdem Abbatem Regni Administrum scribit: *Belvacenses Clerici pro electione Domini Henrici Romam properant ad Apostolicum, & ad perficiendum hoc opus pecunia est eis necessaria. Rogat autem Domina Regina & vos & me, ut de reditibus Episcopatus ex aliqua parte eis indulgeamus.* Reditus itaque vacantis Episcopatus sub manu Regia fuisse, non ut eos reservaret Successori, sed ut eis pro beneplacito suo, servatis æquitatis & pietatis legibus uteretur, certissimum est. *Sugerius*, quem S. Bernardus *Magna Domus Magni Regis Vas in honorem apud Ecclesiam Gallicanam haberi* prædicat; quem *In temporalibus fidelem & prudentem, & in spiritualibus ferventem & humilem, in utrisque sine reprehensione versari* scribit; quem *Apud Cæsarem tanquam unum de Curia Romana, apud Deum tanquam unum de Curia Cœli* esse ait, talis, inquam, ac tantus vir Jus Regaliæ vice Regis exercuit, morémque antiquum esse testatus est in Curia Regum Francorum, ut Regia manus à reditibus Ecclesiæ vacantis non amoveretur, donec electus Episcopus in Palatio per se Regi & Regno Sacramentum Fidelitatis præstitisset: nec solùm quoad usumfructum redituum, sed etiam quoad Collationem Præbendarum, Regalium Jus esse Regium professus est, quod ut Regni Administer ac Regnis Regi integrum conservare tenebatur. Facessat igitur nuperus Regii Juris Impugnator, qui in Tractatu suo de Regalia, Cap. ix. Jus Regaliæ tempore *Ludovici Junioris* introductum imperitè asserit; exemplo Ducum & Comitum qui illud usurpaverant, id sibi Regem Christianissimum tribuisse: Nec ullum esse antiquius Instrumentum in quo de Regalia mentio fiat, quantùm ad perceptionem fructuum Ecclesiæ vacantis, Literis *Ludovici Junioris* anni MCLXI. quantum ad collationem verò Præbendarum, Testamento *Philippi Augusti*, anni MCXC. Sanè Duces & Comites usurpasse Regaliæ Jura ad exemplum Regum à quibus Provincias & Urbes Episcopales in feudum acceperant, non verò Reges ad exemplum Ducum & Comitum, meruditus est qui non agnoverit, idque evidenter probat Epistola *Theobaldi* Blesensis Comitis ad *Sugerium* Abbatem superiùs laudata, quâ Regalia Carnotensis Episcopatus & Collationem Præbendarum vacante Sede, ad se pertinere contendit, ratione feudi quod à Rege tenebat.

Regaliæ usus in Anglia ab Alexandro III. approbatus.

XVI. *Alexander III.* Pontifex Maximus hunc usum in Galliis vidit, nec improbavit. Et quomodo illum in Galliis improbasset, quem in Anglia legitimum esse professus est Rescripto ad Decanum, Præcentorem, & Capitulum Vellense, quod antiquæ Collectioni primæ Decretalium ab *Antonio Augustino* editæ, libro III. Cap. *Ex diligenti, Extra, De Jure Patronatus*, insertum est? *Episcopo*, inquit, *de medio sublato, & reditibus Episcopatus ad fiscum devolutis, cum quadam Prabenda in jam dicta Ecclesia vacaret, carissimus in Christo filius noster Henricus Illustris Rex Anglorum, eam Thoma Clerico suo contulit: cui etiam aliam postmodum in eadem Ecclesia vacantem, cum Archidiaconatu ad quem dicitur pertinere, concessit: quas insimul non debet habere, cum nulli sit licitum in eadem Ecclesia duas Prabendas obtinere.* Collationem Præbendæ, imò & Archidiaconatus à Rege Angliæ *Henrico II.* jure factam non negat, non mirum in arctium *Alexander III.* Juris Canonici peritissimus Pontifex, & Libertatis Ecclesiæ vindex acerrimus, quia Regaliâ apertâ facta erat, Sede nimirum vacante, & reditibus Episcopatus ad fiscum devolutis. Unam improbat damnatque Beneficiorum Pluralitatem. Ejus Rescriptum ad Vellense Capitulum dirigitur. Fuit olim Episcopatus apud Vellas, villam in Somersetensi pago, in Westsaxonia. Cathedralis Ecclesia Deo Sacra erat sub invocatione *S. Andreæ*. Sedes Bathonam translata est *Willelmo II.* regnante, *Joanne* Episcopo agente, qui natione Teutonicus, professione Medicus erat, ut testatur *Willelmus Malmesburiensis* libro II. De Gestis Pontificum Anglorum, pag. 254. Porro vel Capitulum apud Vellas mansit, cujus Præbendæ ac Dignitates Regaliæ obnoxiæ erant Sede Bathoniensi vacante, vel Bathonam translatum, priscum nihilominus nomen retinuit, quo ab *Alexandro III.* nuncupatum est.

Una ex Anglicanis Consuetudinibus Clarendunæ ab *Henrico II.* confirmatis & promulgatis Regaliam spectabat, quæ his verbis exprimitur Cap. XII. *Cum vacaverit Archiepiscopatus vel Episcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de Dominio Regis, debet esse in manu Regis, & inde percipiet omnes reditus & exitus, sicut Dominicos.* &c. Hunc Articulum quatenus Regaliam spectabat, usumfructum scilicet redituum Episcopalium, & Collationem Præbendarum vacante Sede, donec Episcopus cum assensu Regis electus Sacramentum fidelitatis præstitisset, ab *Alexandro III.* damnatum non fuisse, quod inerudite effutiit Author Indicis in Epistolas *S. Thomæ Cantuariensis* à *P. Lupo Christiano* collectas, & post ejus mortem editas, probat tum Rescriptum ejus mox laudatum, cùm Regaliæ usus in Anglia perseverans postquam Rex *Henricus II.* pravas Consuetudines ejuravit, Ecclesiæ secundum Mandata Apostolica satisfecit, absolutionem ab excommunicatione impetravit. Lege quæ hac de re dixi Dissertatione x. in Historiam Ecclesiasticam Seculorum XI. & XII. *De Causa S. Thomæ Cantuariensis*, Articulo I. *Richardum II. Henrici II.* filium Jus Regaliæ exercuisse ibidem observavi, Regiique Diplomatis verba ex *Rogerio de Hoveden* posteriori parte Annalium, ad annum MCXCIV. retuli, quæ hic repetere absque lectoris fastidio possum: *Didicimus*, inquit, *quòd in morte Patris nostri, sine Præcepto suo & conscientia habuerunt Literas de sigillo suo* Gaufredus de Muscamp, *de habendo Archidiaconatu de Sliveland*, & Vuillelmus de Stigandebi; & *Magister* Hetardus, *de Prabendis habendis in Ecclesia Eboracensi, qua tunc vacabat, & erat* IN MANU NOSTRA. *Et ideo præcipimus*

Regaliæ usus in Anglia perseveravit, postquam Henricus II. pravas Consuetudines Clarendunæ promulgatas ejuravit.

quod præfatos ab ARCHIDIACONATU ET PRÆBENDIS *dictis dissaisietis, repetentes quicquid exinde perceperunt, postquam illos reditus ita fraude enter & per surreptionem sunt adepti.*

Rex *Joannes* in Diplomate dato anno MCCXV. *In universis & singulis Ecclesiis, & Monasteriis, Cathedralibus & Conventualibus totius Regni Angliæ, liberæ sint in perpetuum electiones quorumcunque Prælatorum: salvâ nobis & heredibus nostris Custodiâ Ecclesiarum & Monasteriorum vacantium, quæ ad nos pertinent.* Apud Matthæum Paris. pag. 182.

Henricus III. Jus idem exercuit. Unde *Richardus* Cornubiæ Comes ejus frater inter querimonias adversùs ipsius Majestatem sparsas invidiam ipsi ex eo capite creabat, *Quòd infinitos proventus & innumerabilem pecuniam in suo tempore collegerat, nec erat in Anglia Archiepiscopatus vel Episcopatus, præter Eboracensem, Bathoniensem, & Wintoniensem, qui non vacaverit suo tempore... Nec tamen Thesaurus Regius, qui deberet esse Regni robur & confidentia, senserat incrementum.* Refert *Matthæus Paris* ad annum MCCXXXVII. pag. 301. Col. 1. Quòd autem Ecclesia Romana probante, quæ Jus illud ipsi legitimè quæsitum noverat, vacantium Episcopatuum reditus perciperet, ac Præbendas conferret *Henricus III.* ex eo constat quòd se Romani Pontificis & Legatorum Apostolicorum voluntati totum accommodaret, ut ibidem refert Matthæus Parisius: *Se voluntati Romanorum*, inquit, *præcipuè Legati, quem inconsultiùs advocaverat, mancipavit adeo, ut videretur quasi vestigia sua adorare: affirmans se tam in publico quàm secreto, sine Domini sui Papæ vel Legati consensu nil posse de Regno disponere, transmutare, vel alienare: ut non Rex, sed feudatarius Papæ diceretur.* Cantuariensem Archiepiscopum *Edmundum* apud *Gregorium Nonum* conquestum esse, quòd idem Rex *Henricus* occasione Regaliæ vacationem Episcopatuum prottaheret, sed nihil obtinuisse, quia *Rex hoc asserebat esse contra suam Regiam Dignitatem*, refert idem *Parisius* ad annum MCCXL. pag. 556. Col. 2. Idem Historicus loquens de Parlamento Londini habito anno MCCXLVIII. pag. 298 *Reprehensus est* (inquit) *insuper Dominus Rex, quod Episcopatus & Abbatias, sicut & Gardas vacantes, à sanctis & magnificis Patribus nostris fundatos, quos in manu sua diu tenet, & teneretur tutor esse & defensor, & proinde dicuntur esse in manu ejus, hoc est, sub ejus protectione, contra Juramentum quod fecit in Coronatione sua primum & præcipuum, usque ad destructionem depauperat.* Cùm idem Rex fratrem suum in Episcopum Dunelmensem eligi vellet, Capitulo Canonicam libertatem roganti, quòd scientiâ & ætate esset insufficiens, respondit: *Et ego potens sum, & bene mihi complacet ut ipsum Episcopatum in manu mea teneam octo vel novem annis vel ampliùs, ut saltem tunc maturus ætate vobis acceptetur.* Refert *Matthæus Parisius* ad annum MCCXLIX. pag. 508. Col. 2.

Idem Rex in Privilegio dato Abbatiæ Vvestmonasteriensi, anno MCCLII. *Cùm bona* (inquit) *Abbatis Westmonasteriensis, & ejusdem loci Prioris & Conventus discreta sint ab invicem & separata, volentes indemnitati & tranquillitati eorundem Prioris & Conventus providere, concedimus eis pro nobis & heredibus nostris, quòd quotiescunque Abbatiam vacare contigerit per cessionem vel decessum Abbatum suorum, habeant ipsi Prior & Conventus liberam administrationem de bonis suis separatis, salvâ Nobis & Heredibus nostris tempore vacationis prædictæ Domus Custodiâ de bonis ad prædictos Abbates pertinentibus.* Apud *Matthæum Parisium*, pag. 563.

XVII. Anno MCCLVII. Anglicani Præsules Articulos circiter quinquaginta conscripserunt pro Ecclesiastica Libertate Regi offerendos, quorum nonnulli Jus Regaliæ spectant, quo Regii Ministri ad Ecclesiæ possessiones pessumdandas abutebantur; quod etiam ad Beneficia curam animarum habentia contra fas extendebat. *Imprimis quòd vacantibus Ecclesiis Cathedralibus seu Conventualibus, Conventus talliantur, terræ relinquuntur incultæ, vastantur nemora, parci & vivaria, corruunt ædificia, diripiuntur bona, depauperantur villani & malè tractantur: ita quod mendicare coguntur Prælati succedentes, per tempora diuturna. Quod est contra Domini Regis Chartam, & etiam Ecclesiasticam Libertatem. Et in tantum jam crevit malitia, quod Escaetores non ad bona Abbatum & Priorum tantùm decedentium deputata manus extendunt, verùm etiam ad blada instaurata, & alia quibus Conventus sustentari debet: ita quòd occasione talis Custodiæ quandoque Religiosi debitis gravibus onerati, & aliàs multipliciter depauperati, resurgere non possunt, nec ad statum debitum pervenire temporibus diuturnis.*

Item, cùm Ecclesiæ Cathedrali vel Monasterio Ecclesiasticum Beneficium sit annexum, si curam habeat animarum, illud occupant Custodes Gardarum, decimas & obventiones, & alios proventus inde percipientes contra Deum & omnia Jura: cùm talia Beneficia non pertineant ad Baroniam, & ratione temporalium bonorum tantum ad Dominum Regem Custodem devolvantur. Refert *Matthæus Parisius*, in Additamentis, pag. 129. Col. 2. & 130. Col. 1.

Regalia Angliæ abusus.

Escaetor, Magister [illegible] Angliæ, cujus munus erat [illegible] in Principis [illegible] Provinciis diligenter exquirere & colligere. Vide Cangium in Glossario.

XVIII. Concilium Lambethense in Anglia celebratum à *Bartholomæo* Cantuariensi Archiepiscopo, anno MCCLXI. abusus qui in exercendo Regaliæ Jure à Regiis Ministris committebantur, dum emendat, legitimum Regaliæ usum confirmat. *Accidit etiam aliquando* (inquit) *quòd Domino Rege, vel alio Magnate, Ecclesiarum Cathedralium vel Conventualium, de Regni consuetudine Custodiam exercente, cùm secundùm Chartam Libertatum ab eodem Domino Rege & suis Prædecessoribus Ecclesiæ concessarum, tantummodo rationabiles exitus capere debeat, & rationabiles consuetudines, ac rationabilia servitia talis Custos, & hoc sine destructione, dissipatione, & vasto rerum & hominum: Ballivi tamen Regis vel Magnatis Tutelam sive Custodiam exercentes, præter talliagia immoderata quæ imponunt hominibus & tenentibus Ecclesiarum vacantium minùs justè, bona mobilia & immobilia plerumque hominum & tenentium prædictorum sic vacantis Ecclesiæ, in tali Custodia seu cruciatu potiùs constitutæ, consumunt prodigaliter & diripiunt violenter: parcos, nemora, & vivaria destruentes; & domos, habitationes, & grangias, cæteráque ædificia, quæ sustineri deberent in bono statu, ex negligentia vel malitia quandoque dissipari & ruere permittentes, bona dilapidant, pauperes ac alios malè tractant; non solum ad ea quæ ratione Custodiæ obtinere consueverunt, manus extendunt: sed etiam ad bona superstitum, & ad ea de quibus Conventus Ecclesiarum ipsarum sustentari deberet; & ad ea etiam quæ ratione Baroniæ ad Dominum Regem vel Magnates alios, vel ad eorum administrationem seu dispositionem, cùm sint spiritualia vel annexa spiritualibus, pertinere non possunt, ut pote ad decimas, oblationes Altaris, Episcopatibus seu Monasteriis appropriatas, & ad similia quæ profanis usibus applicari non debent. Ut igitur tali morbo salubris medicina remedio succurratur, quia talis Custodiæ ratio quæ in favorem*

Concilium Lambethense [illegible] Regaliæ abusus, non legitimum usum improbavit.

favorem Ecclesiæ dinoscitur introducta, non debeat in ejus læsionem retorqueri: præsenti Statuto præcipimus, quod statim cum Escaëtores vel Ballivi Domini Regis, vel aliorum Magnatum, hujusmodi Custodias ingressi fuerint, Prælati qui Jurisdictioni præsunt, publice & solemniter interdicant, & sub pœna excommunicationis districtè inhibeant, ne talia attentare præsumant. (Tom. xi. P. 1. Concil. Edit. Labbeanæ, pag. 811.) Jus itaque Regaliæ exercebant Angliæ Reges, Ecclesia solum abusum, non legitimum usum improbante. Id verò Regum Anglorum exemplo in Gallias introductum, somnium est nuperi Scriptoris, qui de Regalia Tractatum edidit adversùs Jura Christianissimi Regis, seu potius *Paponis* Arrestorum Collectoris, quem hac in re delirantem laudat, Cap. ix. libri 1. pag. 59. sed relictis Britannis, ad Reges nostros revertamur.

Regaliæ usus ex usu Regum Angliæ non est in Gallias introductus.

XIX. *Philippus Augustus* Jus Regaliæ pacificè exercebat, tum quoad usumfructum reditumm Ecclesiæ vacantis, cùm etiam quoad Præbendarum collationem. Quin & defunctorum Præsulum spolia sibi ex consuetudine vendicabat. Anno millesimo centesimo octogesimo nono, cùm post obitum *Stephani* Æduensis Episcopi Regalia ad se recepisset, certior factus de Jure Lugdunensis Archiepiscopi, ad quem [illegible] Æduensi vacante perceptio fructuum & coll[illegible] Præbendarum Jure Regaliæ pertinet, quod Jus etiam Æduensibus competit Episcopis in Ecclesia Lugdunensi vacante, Regalia restitui jussit Archiepiscopo Lugdunensi, & Regio Diplomate utriusque Ecclesiæ Juribus consultum esse voluit; cujus hæc sunt verba: *Noverint universi præsentes pariter & futuri, quòd legitimo hominum testimonio Lugdunensis Ecclesiæ Jus esse didicimus, ut quoties Æduensis Sedes vacaverit, toties Archiepiscopus Lugdunensis Regalia nostra & alia, quæ ad Episcopatum Æduensem pertinent, in manu sua habeat, & versa vice, quoties Lugdunensem Sedem vacare contigerit, toties Episcopus Æduensis in sua manu habeat universa ad Lugdunensem Archiepiscopatum pertinentia. Quocirca quoniam Jura ipsarum Ecclesiarum volumus & debemus inviolabilia conservare, decernimus & præcipimus, quatenus utraque Ecclesia Jus suum integre habeat: ita quod neutri cedat ad præjudicium, id quod* REGALIA *Æduensia ex ignorantia occupavimus post decessum Stephani Æduensis Episcopi. Unde fideli nostro Archiepiscopo Lugdunensi* REGALIA *ipsa restituimus, & ipsa Successoribus suis, ipso Episcopatu vacante, in perpetuum habenda concessimus.* Diploma istud editum est Tomo 11. Galliæ Christianæ, pag. 47. probátque *Augustum* Regem bona fide in cæteris omnibus Regni sui Ecclesiis Regaliæ Jus exercuisse: alioqui Jus illud in Ecclesia Æduensi nullâ fultum possessione, consuetudine nullâ confirmatum, sibi non vendicasset.

Regaliæ jus exercuit Philippus Augustus.

Lugdunensis & Æduensis Ecclesiarum jura confirmavit.

XX. Idem *Augustus* in Testamento condito anno MCXC. antequam in Palæstinam trajiceret: *Si fortè* (inquit) *contigerit Sedem Episcopalem, vel aliquam Abbatiam Regalem vacare, volumus ut Canonici Ecclesiæ, vel Monachi Monasterii vacantis veniant ad Reginam & Archiepiscopum, sicut ante Nos venirent, & liberam electionem ab eis petant: & Nos volumus quod sine contradictione eis concedant. Nos vero tam Canonicos quàm Monachos monemus, ut talem Pastorem eligant qui Deo placeat, & utilis sit Regno. Regina autem & Archiepiscopus tandiu* REGALIA IN MANU SUA TENEANT, *donec Electus consecratus sit, vel benedictus, & tunc* REGALIA *sine contradictione ei reddantur. Præterea præcipimus, quòd* SI PRÆBENDA VEL BENEFICIUM ALIQUOD ECCLESIAST CUM VACAVERIT QUANDO REGALIA IN MANU NOSTRA VENIENT, *secundum quod melius & honestiùs poterunt Regina & Archiepiscopus, viris honestis & litteratis, consilio Fratris Bernardi conferant: Salvis tamen Donationibus nostris, quas per Literas nostras Patentes quibusdam fecimus.*

Regaliæ legitimus usus ex Philippi Augusti Testamento confirmatur.

XXI. Anno millesimo [illegible] centesimo primo P. Matisconensis Episcopus electus, fructus omnes apertâ Regaliâ provenientes, insuper & spolia Episcopi defuncti, si intestatus obiisset, ad Regem Augustum, ejúsque Successores pertinere professus est, his verbis: *Notum quòd ego P. Electus Matisconensis, veniens ad Dominum nostrum Philippum Illustrem Regem Franciæ, potestatem habens a Decano & universo Capitulo Matisconensi… Cognovi Jus Domini Regis Franciæ, quod habet in* REGALIBUS *Matisconensibus, scilicet quòd mortuo Episcopo Matisconensi, vel quotiescunque Sedes Matisconensis vacaverit, omnia* REGALIA, *& omnes proventus* REGALIUM *existentes in Regno Franciæ, liberè sunt Domini Regis Franciæ, sicut & ea Episcopus liberè possidebat. Et si Episcopus Matisconensis decesserit intestatus,* TAM MOBILIA OMNIA, QUAM PROVENTUS OMNES *sunt Domini Regis Franciæ integrè & absolutè.* Instrumentum istud editum est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Cap. xv. Num. iv. pag. 365.

Jus Regaliæ in Ecclesia Matisconensi.

XXII. Anno millesimo ducentesimo-sexto *Philippus Augustus* Ecclesiæ Autissiodorensi Regalia in perpetuum remisit, onerosis conditionibus, ut docet Historia Episcoporum Autissiodorensium, in *Guillelmo de Seligniaco*, Tom. 1. Biblioth. Novæ MSS. Librorum *P. Labbe* S. I. pag. 483. *Ipso*, inquit, *Consecrationis die, ad Dominum Regem properat, qui per solemnes Ecclesiæ suæ Nuncios à tempore electionis facta requisitus, quæ decedente Hugone occupaverat* REGALIA, *ei restituere detrectabat, immo & servientes ipsius ab eo* REGALIUM CUSTODIÆ *deputati, circa Episcopalia valde perperam se habebant. Nam tanto vacationis tempore & usque tunc, facta fuerat per ipsos Episcopalium dissipatio miseranda, hominum emunctio violenta, sylvarum à longis intactarum temporibus damnosa valde distractio, dabanturque hostili more omnia in direptionem & prædam, ita quòd brevi in tempore fuissent in exterminium, nisi divina dispensatio de Pastore maturius providisset Ecclesiæ. Susceptus igitur benignè satis Serenitate Regali, ab ea recipit sine difficultate* REGALIA, *& de interceptionibus a tempore vacationis factis apud Regiam Magnificentiam interpellat, ac tandem quorumdam de Primoribus Regalis Palatii interventu controversia amicabili compositione sopitur: datáque non modica pecuniæ quantitate ab [illegible] cepo super concessione Regali facta Ecclesiæ de [illegible] alibus Sede vacante Privilegium obtinetur, cujus tenorem præsenti duximus inferre lectioni.*

Ecclesia Autissiodorensis a Regalia, conditionibus onerosis liberatur.

TENOR PRIVILEGII DE REGALIBUS.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Philipus Dei gratia Francorum Rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quòd nos intuitu divinæ pietatis, & ob remedium animæ nostræ & parentum nostrorum, damus & concedimus in perpetuum Ecclesiæ Autissiodorensi quicquid Juris habebamus in REGALIBUS *Sede vacante. Itaque Decanus & Capitulum ejusdem Ecclesiæ custodiens* REGALIA *Sede vacante, & omnes proventus qui exinde procedent, & Præbendas, si quas interim vacare contigerit, ad opus Episcop[illegible] salvo servitio nostro, equitationis nostræ, exercitus, & submonitionis,*

monitionis, sicut Episcopi Amisiodorenses nobis fecerunt. Jus Procurationis eidem Episcopo remisit Rex Augustus ratione permutationis Giemi, cujus feudum & homagium ad Episcopum pertinens, in ejus Majestatem transscriptum est. Unde & Regesta Cameræ Computorum totam Provinciam Senonensem & ejus Suffraganeos Regaliæ Juri subjacere testantur, *excepta Diœcesi Autisiodorensi, in qua Decanus & Capitulum dicuntur fecisse permutationem cum Rege.* Philippi Augusti Privilegium Sammarthani fratres Tom. II. Galliæ Christianæ, pag. 286. ab *Hugone de Nuceriis* Prædecessore *Guillelmi de Seliniaco* impetratum scripsere: at non solùm ea, quam laudavimus Episcoporum Autisiodorensium Historia, sed & *Robertus à Sancto Mariano*, in Chronico, ad *Guillelmum* id referunt. Postremus tamen Autor annum MCCVII. perperam adscribit, & ex *Philippi Augusti* Literis corrigendus est.

Ecclesiæ Matisconensi Regaliam remisit Philippus Augustus.

XXIII. Anno millesimo ducentesimo nono *Pontius de Thoire* Matisconensis Episcopus ab eodem Rege perpetuam remissionem Regaliæ pro se suisque Successoribus obtinuit, sub onere tamen Militiæ certis in casibus suppeditandæ. Regii Diplomatis, Tom. III. Galliæ Christianæ, pag. 683. editi, hæc sunt verba: *Dilecto & fideli nostro Pontio Matisconensi Episcopo, & Successoribus ejus, in perpetuum quittamus quicquid Juris in Regalibus Sedis Matisconensis habebamus: Ita quod vacante Sede nihil de mobilibus vel immobilibus per nos vel per alium capiemus in domibus Episcopi, nec in castellis, aut in villis ejusdem, neque in hominibus Regalium, neque in prædictis Regalibus aliquid prorsus retinebimus. Et debent habere Exercitum in prædictis Regalibus, non simpliciter, sed tantum hoc modo: Si Nos, vel Filius noster, vel Mareschallus, vel Seneschallus, vel Constabularius Franciæ de mandato nostro versùs partes illas Exercitum duceret, in hoc casu dictus Matisconensis Episcopus usque Divionem & non ultra in nostrum exercitum cum Militibus & armis venire teneretur, &c. Concedimus etiam vacante eadem Sede, quòd* REGALIA *sint in manu Decani & Capituli Matisconensis, ut ea salva & integra ad opus futuri Episcopi reserventur. Ne autem propter locorum distantiam Matisconensi Ecclesiæ damnum aliquod vel periculum immineret, si Canonici mortuo Episcopo suo eligere non possent, nisi priùs à Nobis peterent eligendi licentiam: volumus & concedimus ut dicti Canonici eligant non petitâ à Nobis licentiâ eligendi. Electus verò quando confirmatus fuerit, ad Nos venire debet, factâ Nobis fidelitate ex manu nostra* REGALIA *recepturus.*

Regaliæ jus Philippo Augusto ex antiqua & probata Regni sui consuetudine competere agnoscit Innocentius III.

XXIV. Anno millesimo ducentesimo decimo, *Innocentius III.* Pontifex Maximus Apostolicis Literis ad *Philippum Augustum* datis, Regaliæ Jus ipsius Majestati ex antiquâ & approbatâ consuetudine in Ecclesiis Regni sui competere agnovit. *Ecclesia Laudunensi vacante*, inquit, *Præbendam R. Canonici ejusdem Ecclesiæ, ut vacantem*, SECUNDUM ANTIQUAM ET APPROBATAM CONSUETUDINEM REGNI TUI, *M. Thomæ de Argentolio tuo Clerico concessisti.* Quod autem Rex collationis hujus suæ confirmationem à Summo Pontifice postulavit, ut patet ex his verbis: *Petens ut quod super hoc feceras, Auctoritate dignaremur Apostolica confirmare:* Jus conferendi non spectat, quod antiquum & approbatum cùm esset, Pontificia confirmatione non egebat, sed difficultatis aut controversiæ vacationem Beneficii spectantis præcidendæ causâ, confirmationem Apostolicam Rex *Augustus* rogavit. Id verba ipsa Pontificii Diplomatis probant: *Præbendam ejusdem Ecclesiæ, ut vacantem, concessisti:* & sequentia quibus Pontificis responsum continetur: *Nos super ipso negotio pro quo Adversarius præfati Magistri Thomæ ad Sedem Apostolicam jam accesserat, illud duximus disponendum, per quod nec Regalis Dignitas læditur, nec alicujus justitia derogatur, sicut tua Prudentia innotescet, si Literas quas super hoc Laudunensi Capitulo destinamus, tibi feceris diligenter exponi, & a Viris Prudentibus in Jure Peritis fidele consilium requisieris super eo. Quocirca Celsitudinem tuam rogamus attentiùs & monemus, quatinus si ab iisdem Viris Prudentibus fuerit tibi responsum, quod dilectus filius Odo Clericus præfatam Præbendam de Jure debeat obtinere, ob reverentiam Sedis Apostolicæ & nostram, divinæ quoque retributionis intuitu unanimiter toleres, ut jam dictus Odo speratâ minime Provisione frustretur.* Jurisperitorum Gallorum Judicio causas Regaliæ dirimi probavit *Innocentius III.* quod interim observari velim.

XXV. Cùm Rex idem *Philippus Augustus* in Regalia Episcoporum Aurelianensis & Antisiodorensis manum injecisset, quòd condicta die Milites suos ad Regium Exercitum non misissent, *Innocentius III.* Regem rogavit ut eis feuda, cæteràque bona restitueret, donec res in Curia sua fuisset judicata secundùm consuetudinem Regni. Regem non sola feuda, sed ipsas Domos Episcopales, & supellectilem occupasse falsò quidam suggesserat Pontifici, & quòd Antistites non convictos, nec confessos, ob crimen alienum mulctasset. Id Pontifex improbavit. Rex alia bona se occupasse negavit quàm Regalia; sed id sibi Juris esse, dixit, ut Regalibus sub manu sua positis, Domos etiam & cætera occuparet. Id quidem vacante Sede legitimum esse fassus est *Innocentius*, quòd tunc usumfructum bonorum Ecclesiæ haberet, ac Præbendas vacantes Jure suo conferret; sed viventibus Episcopis ipsius Majestatem non posse manus injicere nisi in Regalia sive feuda, etiamsi Episcopi deliquissent. Legendæ Epistolæ *Innocentii* centesima nonagesima libri XIII. quinquagesima secunda libri XIV. trigesima-nona & quadragesima libri XV. datâ III. Nonas Maii, anno millesimo ducentesimo duodecimo. Posterioris istius Epistolæ verba nostrum institutum spectantia subjicio: *Super eo autem*, inquit, *quòd te nisus es excusare, quod non aliud saisieris quàm Regalia, dicens quòdcumque cito* REGALIA *ad manus tuas deveniunt, domos & omnia facis saisiri; illud fortè cùm Sedem Episcopalem vacare contingit, fieri tantummodo consuevit, & tunc non solummodo domos, verùm etiam decimas & oblationes, necnon & quæque alia quæ invenis, facis omnino saisiri, &* IN QUIBUSDAM ECCLESIIS CONFERS PRÆBENDAS VACANTES. *Quæ quidem* * *constat non debere Regalium nomine nuncupari; ad quæ, etiamsi constaret Episcopos deliquisse, Sede nequaquam vacante manus non debueras extendisse.* Innocentius III. doctissimus, integerrimus, constantissimúsque Pontifex, qui *Philippum Augustum* aliàs etiam arguit, increpuit, cùm Dei causa postulabat (ut illius Gesta & Epistolæ testantur) non tulisset quòd ejus Majestas, Ecclesiis Cathedralibus Regni sui vacantibus, bonorum Episcopalium usumfructum, necnon Præbendarum collationem sibi vendicaret, nisi Jus illud ipsi legitimis titulis quæsitum fuisset: nec ipsum hoc ornasset elogio Epistola CXC. libri XIII. *Cùm alii Reges & Principes rationes & Libertates Ecclesiasticas persequuntur, Nos fili carissime, te illis objicimus in exemplum, quòd eas in Regno tuo custodis illæsas. propter quod & Dominus justus Judex te ac Regnum tuum hactenus custodivit illæsum, quin etiam magnificè augmentavit.*

* Domum scilicet, al aqua ad fructus non spectantia.

XXVI. *Ludovicus VIII.* Jus Regaliæ pariter

exercebat

Ludovicus VIII. Regaliæ jus in ecclesiis Regni sui exercebat.

exercebat in Ecclesiis Regni sui, ut probat declaratio *Mauritii* Cenomanensis Episcopi, cujus hæc sunt verba: *Noverit universitas vestra, quod nos carissimo Domino nostro Ludovico Dei gratia Francorum Regi fecimus Sacramentum Fidelitatis, sicut alii Episcopi Regni Franciæ ipsi faciunt: & ipse recognovit nobis quòd non tenemur ire in exercitum vel equitatum ejus in propria persona nostra, vel mittere aliquem sumptibus nostris: neque occasione istius Sacramenti Fidelitatis ullum onus novum aut gravamen imponetur nobis aut Ecclesiæ nostræ, sed nos & Ecclesia nostra manebimus in illis libertatibus, quas habuimus tempore fœlicis memoriæ Philippi quondam Regis Francorum Patris sui, & Regum Angliæ Henrici & Richardi. Item recognovit nobis: quòd quando Electus Cenomanensis erit confirmatus à Metropolitano, vel ab eo qui potestatem habebit confirmandi, ipse reddet ei* REGALIA *sua per nuncios deferentes literas patentes de confirmatione ejus. Ipse tamen Electus tenebitur bona fide adire Dominum Regem, si fuerit in Regno, infra quadraginta dies post susceptionem* REGALIUM, *& eidem Sacramentum Fidelitatis præstare: & si infra quadraginta dies ad Dominum Regem non venerit, Dominus Rex poterit saisire* REGALIA *sua, & ea tamdiu tenere, quousque Domino Regi Fidelitatem suam fecerit.* Instrumentum istud editum est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Cap. xv. Num. vii. pag. 366.

Regaliæ usus in Ecclesia Cenomanensi.

S. Ludovicus jus Regaliæ exercuit.

XXVII. *Ludovicus Nonus* Rex Sanctissimus, quem usurpationis reum, & Jurium Ecclesiasticorum pervasorem dicere vel cogitare nefas, Regaliæ Jus tum quoad redituum Ecclesiæ vacantis perceptionem, tum quoad Præbendarum collationem retinuit, & sanctissimè exercuit, ut testatur *Guillelmus Nangius* in ejus Vita, apud *Duchesnium*, Tom. v. pag. 369. *Sanè*, inquit, *in Beneficiis Ecclesiasticis conferendis, quæ ad Patronatum, sive Donationem ipsius pertinebant, Deum semper præ oculis habebat, & electis & probatis personis ea, quantùm poterat, conferebat. Præcipuè autem in Ecclesiis Cathedralibus; ubi Sede vacante,* RATIONE CUSTODIÆ REGALIUM, EX CONSUETUDINE PERTINEBAT AD EUM COLLATIO PRÆBENDARUM.

XXVIII. Rex Sanctus exercendæ Regaliæ potestatem *Blancæ* Reginæ Matri prudentissimæ concessit Regiis Literis quibus ipsam Regni Regentem constituit, quamdiu sacræ expeditionis causâ à Regno absens esset, datis Junio mense anni MCCXLVIII. *Plenariam*, inquit, *habeat potestatem... Dignitates etiam & Beneficia Ecclesiastica vacantia conferre. Fidelitates Episcoporum & Abbatum recipere, & eis* REGALIA *restituere, & eligendi licentiam dare Capitulis & Conventibus vice nostra.* Has Sancti Regis Literas legere est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Cap. xv. Num. xxi. pag. 367.

Controversia de Regaliæ ut in Ecclesi. Suessionensi excitata S. Ludovico regnante, in Regis Consistorio judicata est.

XXIX. *Anno millesimo ducentesimo quadragesimo nono septima die intrante Aprili, Radulphus de Castro Suessionensis Episcopus ultra Mare viam universæ carnis ingressus est. A quo tempore Sedes Beati Gervasii Suessionensis dicitur vacasse. Et eodem anno in Divisione Apostolorum saisita fuerunt Regalia. Item in Crastino B. Mariæ Magdalenæ vacavit Præbenda in dicta Ecclesia de morte Magistri Roberti de Silvaneto: quæ fuit collata dicta Sede vacante, à Blanca tunc Regina Franciæ, Ludovici carissimi filii nomine, Domino Bartholomæo Remensi Capellano Regis. Item dicta Sede tunc vacante, vacavit Præbenda in dicta Ecclesia de morte Philippi Presbyteri de Castro Theodorici: quæ fuit collata à Domina Regina, dicti Regis nomine, Magistro Joanni de Suessionis, dicto Cerario,* &c.

Item anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, die Martis post Festum B. Hilarii, dicti Canonici ad Mandatum speciale dictæ Reginæ per Literas Patentes ejusdem, Decano & Capitulo dictæ Ecclesiæ se præsentaverunt, ut eosdem in dicta Ecclesia in Canonicos & in Fratres reciperent: sed dictis Canonicis contemptis, die Jovis proxima sequenti præfati Decanus & Capitulum ad electionem processerunt, & dicta die Dominum Nevelonem Archidiaconum in Bria in Episcopum elegerunt.

Item eodem anno die Lunæ post Octavas Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, coram dicta Regina dictus Electus pro se, & Jacobus tunc temporis Archidiaconus Suessionensis, Thesaurarius verò Belvacensis, Magister P. de Soutona Pœnitentiarius Belvacensis, ex parte dicti Capituli & nomine procuratorio Parisius personaliter comparuerunt, proponentes ex parte dicti Capituli, quod Collatio Præbendarum Sede vacante in prædicta Ecclesia ad Regem nullatenus pertinebat, hanc solam rationem prætendentes, quod Rex nunquam contulerat. Quibus factis & dictis, extitit eisdem responsum ex parte dictæ Reginæ, & ex parte illorum qui tunc erant ad Consilium Regis, videlicet Archiepiscopi Bituricensis, Episcopi Aurelianensis, Episcopi Belvacensis, Episcopi Ebroicensis, Fratris Reginaldi dicti Cardinalis, Fratris Guidonis de Antissiodoro, Magistri Odonis de Lorriaco, Magistri Petri de Aurivalle, Archidiaconi Parisiensis, Decani S. Aniani Aurelianensis, Domini Gaufridi de Capella Militis, & Domini R. de Caprosia, Quod de consuetudine Regni Franciæ Collatio Præbendarum Sede vacante in dicta Ecclesia debebat ad Regem pertinere. Et hanc responsionem dictus electus & Procuratores antedicti Capituli nomine approbarunt & laudaverunt, & dictos Canonicos nomine dicti Capituli in Canonicos & in Fratres receperunt... Dicti verò Canonici pro bono pacis dictam electionem ratam & firmam habuerunt. Hæc habentur in veteri Instrumento de Vacatione Ecclesiæ Suessionensis, & de Collatione Præbendarum tempore Regalium, quod ex MS. Codice Bibliothecæ Colbertinæ edidit Vir Clarissimus *Stephanus Baluzius*, Tom. iv. Miscellaneorum, pag. 493. Ex quo tria colliguntur. 1. *S. Ludovicum* Præbendas Jure Regaliæ in Ecclesiis vacantibus Regni sui contulisse. 2. Controversiam sive litem excitatam de Jure Regaliæ, an scilicet Ecclesia Suessionensis illi Juri obnoxia esset, Præbendarúmque Collatio ad Regem Sede vacante in illa pertineret, in Regis Consistorio fuisse judicatam. 3. Capitulum Suessionense, quod solâ consuetudine fretum Collationes ab Augusta Regente nomine Regis factas vacante Sede impugnabat, allegans quòd *Rex nunquam contulerat*, causâ cecidisse. 4. Pronuntiatum esse à Consistorianis Patribus, quòd *de consuetudine Regni Franciæ*, seu Regio Jure, *Collatio Præbendarum Sede vacante in dicta Ecclesia debebat ad Regem pertinere.* Non ad usum duntaxat, sed ad Juris fundamenta & rationes; non tantùm quid factum esset, sed quid fieri deberet, ipsos attendisse.

XXX. Eodem anno MCCLI. Regina Sancti Regis Mater ac Regni Procuratrix, Regalia Jura condonavit *Petro de Lambale* Turonensi Archiepiscopo electo: Sed ejus duntaxat personæ, non Ecclesiæ Privilegium istud indultum est. *Regina dixit, quòd libenter eidem Magistro faceret gratiam, & ei reddidit de gratia* REGALIA *supra dicta.* Sic testatur vetus Instrumentum ea de re confectum nomine Episcoporum Ebroïcensis, Aurelianensis, Silvanectensis & Parisiensis, quod editum est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Cap. xv. Num. xiii. pag. 367.

S. Ludovici Constitutio in gratiam Ecclesiæ Aniciensis.

XXXI. Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo-nono, causa de Regalia Ecclesiæ Aniciensis apud Velaunos, inter Capitulum & Regem *Sanctum Ludovicum* suborta, in Parlamento Parisiensi examinata est, & Regis Constitutione finita, quâ suæ Majestati Jurisdictionem temporalem, JURE REGALIUM, in civitate, suburbiis, & territorio ad Episcopum pertinentem, pedagium etiam civitatis, & alios reditus in eadem civitate & territorio ad Episcopum pertinentes, *exceptis reditibus Altarium*, sibi suisque Successoribus Regibus Franciæ in perpetuum retinuit. Cùm autem Inquisitione factâ probatum esset Regem nunquam ad manum suam revocasse Domum Episcopalem, neque Arcem civitatis, castra etiam, aut villas, & pedagia extra civitatem, nisi à duabus postremis vacationibus; nec ipsum aut ejus Prædecessores unquam vacante Ecclesia Aniciensi *Dignitatem aliquam in ea contulisse, seu Præbendam*; vel Ipsi, aut ejus Prædecessoribus annuntiatas fuisse mortes Episcoporum, vel petitam à Capitulo eligendi licentiam; immunitatem ab his oneribus illi Ecclesiæ confirmavit. *Super his*, inquit, *ex nunc in perpetuum dictam Ecclesiam nolumus molestari*. Sibi tamen reservavit Jus occupandi Arces & Castra Jure Supremi Dominii, secundùm quòd fieri solebat antiquitus. *Sanè*, inquit, *licet ratione vacationis fortalicia civitatis peti nolumus in posterum, Jus tamen ea petendi ratione Dominii, & recuperandi, Nobis & nostris Successoribus retinemus in illis casibus, in quibus Nobis competit ab antiquo.*

Gallorum Pragmaticorum circa illam Constitutionem observationes.

Rex Sanctus summo jure cum Aniciensi Ecclesia agere noluit, sed ipsi favere. Quamobrem inquisitione facta, cùm non appareret Prædecessores suos Dignitates vel Præbendas Ecclesia vacante contulisse, Jus illud exercere noluit, sed illud sibi non competere non est professus. Litem duntaxat ea de re moveri vetuit. Sed cùm *ratione Dominii* Arcem & Castra civitatis occupandi Jus sibi suisque Successoribus reservaverit, quoties Principis utilitas ita postularet, illorum ratione feudalia servitia universa, adeóque & Regaliam, quatenus usumfructum feudorum vacantium involvit, & collationem Præbendarum, quæ inter fructus censetur, sibi vendicare potuisse videtur, si summo jure agere voluisset. Unde nec in iis quæ vulgò laudantur Principalium Rationum documentis sive Regestis Cameræ Computorum, Aniciensis Episcopatus inter eos conscribitur, in quibus Rex olim Regaliam capere non consueverat. Denique illam *Sancti Ludovici* Constitutionem, quæ in unius Ecclesiæ Aniciensis gratiam edita est, in consequentiam non esse trahendam Pragmatici nostri contendunt; ex eáque colligunt, ad Supremum Senatum & ad Regem, Judicium de hujusmodi causis pertinere. Illam ex veteri Regesto, quod extat in Camera Computorum Parisiensium, descripsit, edidítque Dominus *De Marca*, libro viii. De Concordia Sacerdotii & Imperii, Cap. xxiv. Num. iii. pag. 444. Adde, pleraque Aniciensis Ecclesiæ Beneficia ad collationem Capituli pertinere, quæ ratio esse potest cur *S. Ludovicus* & Reges ejus Prædecessores Præbendas in ea vacante Sede non contulerint.

Jus Regaliæ Clementis Quarti Diplomate confirmatum.

XXXII. Cùm *Clemens IV.* Pontifex Maximus quamdam Remensis Ecclesiæ Præbendam vacante Sede contulisset, *S. Ludovicus* conquestus est quòd adversùs Jura Regia id ab ejus fuisset Sanctitate tentatum. Cui ut faceret satis æquissimus Pontifex, Provisionem à se factam revocavit Diplomate dato Idibus Septembris anno millesimo ducentesimo sexagesimo-septimo; cujus hæc sunt verba: *Verùm quia Tu eâ ratione, videlicet quod vacantes confers in Ecclesia ipsa Præbendas, à tempore quo eamdem Ecclesiam Pastoris regimine contingit destitui, donec substitutus illi Archiepiscopus* REGALIA *recipit à Te, hujusmodi Collationem in præjudicium tuum asseris esse factam: Nos qui a cujuscunque de pusillis quantumcunque minimis scandalo abstinere intendimus, Te, quem pro suis clarissimis meritis internè complectimur brachio caritatis, super hoc scandalizare nolentes, dilecto filio Dionysio Canonico ejusdem Ecclesiæ damus sub certa forma nostris literis in mandatis, ut à dicto Magistro Joanne consignationem ipsius Præbendæ liberam Auctoritate nostrâ recipere non omittat.* Et infra: *Nos per præmissa usui quo in præfata Ecclesia circa Collationem Præbendarum ipsarum uteris, præjudicare nolumus, nec etiam intendimus.* Istud *Clementis IV.* Diploma editum est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Cap. xv. Num. xvi. pag. 368. Ex quo, sicut ex *Innocentii III.* & *Alexandri III.* Rescriptis superiùs laudatis refellitur Scripti cujusdam nuper Italo idiomate de Regalia adversùs Regia Jura conscripti Anonymus Auctor, qui *Gregorium X.* primum omnium Pontificum fuisse asserit, qui Reges Christianissimos Regalia frui toleraverit.

Regalia in Ecclesia Andegavensi.

XXXIII. Anno millesimo ducentesimo sexagesimo, Rex idem Sanctus Diploma *Ludovici VIII.* Patris sui confirmavit, quod ipsos Jus Regaliæ in Ecclesia Andegavensi exercuisse probat. Literas illas *S. Ludovici* legere est in Gestis *Guilelmi Majoris* Andegavensis Episcopi, Tom. x. Spicilegii Dacheriani, pag. 284. *Ludovicus Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus universis tam præsentibus quàm futuris, Nos inclytæ recordationis Regis Ludovici Genitoris nostri inspexisse Literas in hæc verba:*

Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, universis Literas inspecturis, salutem. Noveritis quòd fidelis & dilectus noster Guillelmus Andegavensis Episcopus præstitit nobis Sacramentum Fidelitatis, sicut alii Episcopi Regni nostri nobis faciunt, & Nos recognovimus ei quòd non tenetur ire in exercitum vel equitatum nostrum in propria persona, vel aliquem mittere sumptibus suis: neque occasione hujusmodi Juramenti ullum onus novum vel gravamen imponetur ei vel Ecclesiæ suæ, sed ipse & Ecclesia ejus manebunt in illis Libertatibus quas habuerunt tempore bonæ memoriæ Philippi quondam Regis Franciæ Genitoris nostri, & Henrici & Richardi quondam Regum Angliæ. Item recognovimus ei, quòd quando Electus Andegavensis Ecclesiæ erit confirmatus à Metropolitano, vel ab eo qui potestatem habebit confirmandi, Nos reddemus ei* REGALIA *sua per Nuncios deferentes Literas Patentes Confirmationis ejus: Ipse tamen Electus tenebitur bonâ fide Nos adire, si fuerimus in Regno, infra quadraginta dies post susceptionem* REGALIUM, *& Nobis Juramentum Fidelitatis præstare. Et si infra quadraginta dies ad Nos, sicut dictum est, non venerit, Nos poterimus saisire* REGALIA *sua, & ea tandiu tenere, quousque nobis fecerit dictam Juramenti Fidelitatem. Sciendum est etiam, quòd si futuris temporibus Comitatus Andegavensis separaretur à Regno, Episcopus Andegavensis non teneretur facere Comiti Andegavensi hujusmodi Juramentum. Actum Parisiis anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo-tertio, mense Novembri.*

* Philippe-Auguste.

Nos autem ea, quæ superiùs continentur, rata & accepta habentes, & à nostris Successoribus ea volentes in posterum inviolabiliter observari, ad petitionem dilecti & fidelis nostri Nicolai Andegavensis Electi in hujus rei testimonium Literis præsentibus nostrum fecimus apponi Sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo-sexagesimo, mense Februario. Has Literas Sancti Regis parentis sui, & avi Ludovici VIII. confirmavit *Philippus III.*

XXXIV.

XXXIV. Rex idem Sanctus Literis quibus Andegavum & Cenomaniam *Carolo* Fratri suo dedit, anno millesimo ducentesimo-quadragesimo Regalia sibi reservavit. *Sciendum*, inquit, *quod* NOS REGALIA *dictarum civitatum, & Abbatiam Fontis-Ebrandi nobis & heredibus nostris Regibus Franciæ retinemus*. Hæ *Sancti Ludovici* Literæ editæ sunt Tom. XI. Spicilegii Dacheriani, pag. 372.

Potestatem conferendi Beneficia à Regalia pendentia S. Ludovicus Stephano Parisiensi Episcopo committit.

XXXV. Anno millesimo ducentesimo sexagesimo-nono, mense Martio, potestatem dedit *Stephano* Parisiensi Episcopo Ecclesiastica conferendi Beneficia, tam ratione Regalium, quàm alio quocunque Jure ad suam Collationem aut Præsentationem pertinentia. Ejus ea de re Literæ editæ sunt apud *Duchesnium* Tom. V. pag. 413. quarum hæc sunt verba: *Notum facimus quòd Nos existentes in procinctu itineris nostri proficiscendi in subsidium Terræ Sanctæ, Personatus, Præbendas, Ecclesias, Capellanias, & cætera Ecclesiastica Beneficia, quæcunque vacare contigerit citra Mare, in hac nostra peregrinationis absentia, ad nostrum Patronatum, Collationem seu Præsentationem nostram*, TAM RATIONE REGALIUM, *quàm alio quocunque Jure pertinentia, conferendi personis idoneis, & nullum aliud Beneficium Ecclesiasticum habentibus, ac præsentandi ad vacantes Ecclesias vice nostrâ, dilecto & fideli nostro Stephano Parisiensi Episcopo, plenam & liberam commisimus potestatem; dum tamen de consilio discretorum virorum Cancellarii Parisiensis Ecclesiæ, Prioris FF. Prædicatorum, & Gardiani FF. Minorum Parisiensium, vel duorum ex ipsis, in hujusmodi Collatione, vel Præsentatione procedat, & in Literis Donationis vel Præsentationis specialiter exprimatur, quod ex Auctoritate & vice nostra sibi commissa, Collatio vel Præsentatio ipsa fiat.*

Raymundus Comes Tolosanus Ecclesias Provinciæ, & Occitaniæ, à plerisque oneribus, & à Regalia liberat.

XXXVI. Regnante *Philippo Augusto*, anno M. CCIX. RAYMUNDUS Comes Tolosanus, Dux Narbonæ, Marchio Provinciæ, omnibus Ecclesiis Provinciarum Viennensis, Arelatensis, Narbonensis, Burdigalensis, & Bituricensis immunitatem concessit non solùm ab albergariis, procurationibus, vel exactionibus & vectigalibus quibuscunque, sed etiam à Regalia. *Defunctis etiam eorum Episcopis*, inquit, *vel Rectoribus aliis, ipsos vel domos eorum per me vel per alium nullomodo spoliabo. Nec administrationi earum seu* CUSTODIÆ, *occasione alicujus consuetudinis, vel aliquâ aliâ, me ullatenus immiscebo. sed omnia sine aliquâ diminutione defunctorum Successoribus serventur. Electioni etiam Episcopi, vel alterius Rectoris Ecclesiæ, facienda per me, vel per quamcunque personam, me nullatenus immiscebo: nec aliquam violentiam faciam vel impedimentum præstabo, quominus electio canonicè fiat ac liberè celebretur* (Tom. XI. P. I. Concil. Edit. *P. Labbe*, pag. 40.)

Ildephonsus Comes Tolosanus remittit pravam consuetudinem occupandi spolia Episcopi Tolosani defuncti.

XXXVII. *Ildephonsus* Comes Tolosanus anno millesimo centesimo trigesimo octavo consuetudinem occupandi spolia Tolosani Episcopi defuncti, à suis Antecessoribus usurpatam remiserat, ut constat ex Charta Donationis edita à Clarissimo Viro *G. Catello*, in Historia Comitum Tolosanorum, pag. 195. cujus hæc sunt verba: *Derelinquo & absolvo coram populo Tolosano illam pessimam consuetudinem, quam Antecessores mei, in rebus Tolosani Episcopi defuncti per violentiam exigebant ... Et nec Ego, nec ullus ex Heredibus meis de cætero potestatem habeas, nec per se, nec per nuncios suos, vel vicarios suos rapiendi vel capiendi res Episcopi post mortem ejus.*

Ermengardis Vicecomitissa Narbonensis renuntiat pravo[...]

XXXVIII. Eidem usui nuntium remiserat *Ermengardis* Narbonensis Vicecomitissa, anno millesimo centesimo quinquagesimo quinto. Cessionis ejus Chartam ex Chartulario Archiepiscopi Narbonensis edidit V. C. *Stephanus Baluzius*, in Additione ad Cap. XVIII libri VIII. *D. De Marca*, De Concordia Sacerdotii & Imperii, pag. 422. Religiosissimæ Vicecomitissæ verba subjicio: *Ego Ermengardis Narbonensis Vicecomitissa, recognoscens injuriam quam Parentes mei & Ego in possidendis honoribus & bonis diripiendis decedentium Archiepiscoporum Narbonensis Ecclesiæ hucusque perperam fecimus, justitiæ instinctu & pietatis intuitu, pro remedio animæ meæ & parentum meorum, per bonam fidem & sine malo ingenio, solvo, guirpisco, derelinquo, & cum hac Charta omnino desamparo Domino Deo & Beatis Martyribus Justo & Pastori, & tibi Petro Narbonensi Archiepiscopo & Successoribus suis in perpetuum quicquid videlicet rapere vel aliquâ occasione accipere solebam Ego seu aliquis pro me Narbona, sive in alio aliquo loco, in honore aut in bonis decedentium Archiepiscoporum perceptis vel percipiendis.* Hanc sponsionem *Hadrianus IV.* Pontifex Maximus confirmaverat, Diplomate quod ibidem edidit *Baluzius*, cujus hæc sunt verba: *Dilecta in Christo filia nostra nobilis mulier Ermengardis Narbonæ Domina pravam quamdam consuetudinem, quæ contra Deum & Ecclesiam vestram antiquitus inoleverat, divinæ legis amore, ac tuo, frater Archiepiscope, dilectionis intuitu abolere desiderans, ad remissionem peccatorum suorum instituit, ut te vel tuorum Successorum quolibet obeunte, nullus Castellanus, nulla omnino secularis persona Episcopalia bona invadere, diminuere, aut perturbare præsumat, sed omnia futuro Antistiti inconcussa & integra conserventur. Ejus itaque Nos pium comprobantes affectum, & renuntiationem ipsius ratam habentes, eam Auctoritate Apostolica confirmamus. .. Archiepiscopo itaque decedente, nec terræ Princeps, nec Castellanus aliquis, sive Miles, nec secularis aliqua laicave persona, sub obtentu alicujus consuetudinis, Narbonensis Ecclesiæ bona diripere, vel direpta audeat retinere.*

Jus occupandi spolia defunctorum Episcoporum.

Fredericus II. Ecclesiis remittit fructus Episcopatuum vacantium.

XXXIX. *Fredericus II.* Jus occupandi spolia Episcoporum morientium, & fructus Episcopatuum vacantium Ecclesiis remisit Constitutione data anno millesimo ducentesimo decimo-tertio, quam deinde Bullâ Aureâ confirmavit anno millesimo ducentesimo undevigesimo datâ ad *Honorium III.* Papam, cujus hæc sunt verba: *Illum quoque dimittimus & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium, nostri consueverunt Antecessores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia Nos Spiritualia vobis & aliis Ecclesiarum Prælatis relinquimus liberè disponenda; ut quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo, recta distributione reddantur.*

Jurisperitorum Gallorum questiones circa Cessiones Frederici II. Raymundi & Ildephonsi Comitum, & Ermengardis Vicecomitissæ.

XL. Utrum hujusmodi cessionibus, remissionibus, ac Privilegiis, Ecclesiæ quæ in ditionibus *Frederici II. Ildephonsi* Comitis, *Ermengardis* Vicecomitissæ, & *Raymundi* Comitis, ita fuerint à Regalia absolutæ, ut illi deinceps à Christianissimis Regibus subjici non potuerint, Quæstio est Gallorum Jurisconsultorum, Senatus Parisiensis Conscriptorum Patrum, Sacri Consistorii Judicio, Regisque Declaratione dirempta. *Ildephonsi* Comitis, & *Ermengardis* Vicecomitissæ Diplomata Regaliam non spectant, sed Jus duntaxat occupandi spolia defunctorum Episcoporum, quod Tolosani Comites, & Vicecomites Narbonenses usurpaverant. Quod absque prædiorum & Jurium temporalium ad Ecclesias pertinentium usurpatione & direptione factum non fuisse, ipsius *Ermengardis* & *Hadriani IV.* verba testantur. Immunitatem ab onere Regaliæ suarum ditionum Ecclesiis *Fredericus II.* & *Raymundus* Tolosanus Comes concesserunt. Aut

Summos Pontifices promererentur, & rerum suarum necessitate compulsi: *Raymundus* quidem ut Crucesignatum Exercitum terris suis imminentem averteret: *Fridericus* ut *Ottonem* æmulum auctoritate & auxilio Romani Pontificis & Episcoporum penitus contereret, & Coronam Imperii ipsis faventibus obtineret. Sed circa hujusmodi Concessiones & Immunitates Viri harum partium Eruditi multa observant, quibus fraudari lectores nolim; quos tamen meminisse cupio me historicè tantùm, non dogmaticè loqui, ubi de Regaliæ extensione sermo est.

Has observationes Auctor historicè tantum refert, non ut suum in causa extensionis Regaliæ judicium interponat.

Observant primò, ex *Raymundi* Tolosani Comitis Diplomate, & *Friderici II.* Constitutionibus certissimum esse, Jus usúmque Regaliæ in Provinciis Narbonensi, Auxitana, Burdigalensi, Bituricensi, Arelatensi, Viennensi, & in Ecclesiis Delphinatus, quæ ad Tolosani Comitis aut Imperatoris Ditionem pertinebant, ante *Raymundi* & *Friderici II.* tempora invaluisse. Uterque enim Progenitorum seu Antecessorum suorum meminit, qui eo Jure potiti sunt.

Observant secundò, *Fredericum II.* abusum Juris Regaliæ, potius quàm usum legitimum ejurasse dici posse, aut certè non existimasse ligari se Constitutionibus à se editis quoad hoc caput, quas rerum suarum necessitas extorserat. Siquidem *Gregorius IX.* qui *Honorio III.* successit, ad ipsum scribebat, anno millesimo ducentesimo-trigesimo-sexto, de usu Regaliæ: *Esto quod aliqua Beneficia vacantia conferas; ut curam tamen animarum illis annexam committere valeas, Jus Spirituale, quod non cadit in Laicum, non permittis. Esto quod in Collatione Beneficiorum morientibus succedas (ut dicis) Episcopis, majorem in hoc ipsis non adipisceris potestatem.*

Observant tertiò, Jus Regaliæ antiquo usu, & cujus initii memoria non extat, firmatum, & ab Ecclesia in Pactis conventis quibus controversiam de Investituris cum Principibus composuit, solemniter approbatum, Jus Sacri Patrimonii seu Regii Domanii evasisse, & Summi Principatus titulis sic affixum censeri, ut sit incessibile, & à Regali Dignitate inseparabile. Ideóque non transferri ad fiduciarios Ducatuum aut Comitatuum possessores, nisi Regio nomine & auspiciis exercendum. Si forte sit ab aliquo Regum alienatum, posse à Successoribus, non secus ac reliqua Jura Dominica repeti, revocari, vindicari. Tolosanum Comitem, cùm Regaliæ Jus Ecclesiæ Ditionum suarum remisit, de re non sua munificum fuisse, siquidem Jus illud ad Reges Francorum in Tolosano Comitatu pertinebat ratione Supremi Dominii, & à Comitibus Regio tantùm nomine poterat exerceri. *S. Ludovicum* Cessionem illam Regalium seu Immunitatem à *Raymundo* Comite concessam non approbasse. Siquidem in Statutis ab Ipso editis pro Libertate Ecclesiarum Provinciæ Narbonensis anno millesimo ducentesimo vigesimo-octavo, eas tantùm Libertates ipsis concessit, quibus Ecclesia Gallicana fruebatur. Cùm ergo Ecclesia Gallicana Regaliæ lege soluta non esset, Provinciæ Narbonensis Ecclesias ab ea liberas esse noluit *S. Ludovicus*. Hæc autem sunt ejus verba: *Cupientes in primis ætatis & Regni nostri primordiis, illi servire à quo Regnum recognoscimus: desideramus ad honorem ipsius qui nobis culmen dedit honoris, quòd Ecclesia Dei, quæ in partibus vestris longo tempore fuit afflicta, & tribulationibus innumeris conquassata, in nostro Dominio honoretur, & fæliciter gubernetur. Unde de Magnorum & Prudentum Consilio statuimus, quòd Ecclesia & Viri Ecclesiastici in terris constituti prædictis Libertatibus & Immunitatibus utantur, quibus utitur* ECCLESIA GALLICANA, *& eis plenè gaudeant secundum consuetudinem Ecclesiæ memoratæ.* Edita sunt hæc Statuta apud *Duchesnium* Tom. v. & Tom. xi. P. 1. Conciliorum Editionis Labbeanæ, pag. 423.

Observant quartò, *S. Ludovicum* Jus Regaliæ in Provincia Narbonensi exercuisse, idque probari ex Diplomate *Gregorii Noni* dato xvii. Kalendas Aprilis anno millesimo ducentesimo-trigesimo-septimo ad Archiepiscopum Narbonensem, & ad Episcopos Magalonensem & Helenensem, quibus morem illum acerbè exagitat, quo Ballivi & Seneschalli Regis bona Ecclesiarum vacantium, occasione Regalium, invadebant & usurpabant. Hujusmodi autem excessus occasione Regalium commissus non fuisset, nisi Rex Sanctus Jus Regaliæ in Provincia Narbonensi exercuisset. Verba Pontificii Diplomatis subjicio. *Ad audientiam nostram famâ referente pervenit, quòd Seneschalli & Ballivi Carissimi in Christo Filii nostri Illustris Regis Franciæ in Narbonensi Provincia constituti, decedentibus Ecclesiarum Prælatis in eadem Provincia, castra, villas, & alia bona Ecclesiarum vacantium contra Juris debitum usurpare, ac id de novo in Ecclesiarum Juribus attentare præsumunt, quod nullo tempore à Prædecessoribus ipsius Regis, vel aliis,* OCCASIONE REGALIUM, *vel aliâ, extitit attentatum. Unde ipsis nostris Literis dedimus in mandatis, ut à prædictorum excessuum præsumptione omnino desistant. Ideoque Fraternitati vestræ per Apostolica Scripta mandamus, quatinus si dicti Seneschalli & Ballivi Mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos eos ab ejusmodi præsumptione cessare, monitione præmissa, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota cogatis. Proviso ne in terram dicti Regis Excommunicationis vel Interdicti Sententiam proferatis, &c.* Edidit *Baluzius* V. C. in Additionibus ad Cap. xviii. libri viii. *D. De Marca*, De Concordia Sacerdotii & Imperii, pag. 423.

Observant quintò, *Alphonsum* Comitem Pictaviensem & Tolosæ, *S. Ludovici* fratrem, Jus Regaliæ in Episcopatu Tolosano exercuisse, non obstante cessione *Raymundi*; & *Clementem Quartum* Pontificem Maximum Episcopo Biterrensi dedisse in mandatis, ut in dicti Comitis Vicarium latam ab Officiali Tulosano Excommunicationis Sententiam, usque ad satisfactionem condignam observari curaret: Qua excommunicatione propterea fuerat confixus, quòd domos, bona, cameras Episcopales, supellectilem omnem, Episcopo vivente occupasset, prætextu Regalium, quæ indebito modo Principi ac Domino suo vendicabat. Dico, indebito modo, quia τὸ *indebitè*, quod in *Clementis* Diplomate legitur, substantiam Juris Regaliæ non spectat, quod Literis Apostolicis ad *S. Ludovicum* datis idem Pontifex approbavit, ut superiùs ostendi, sed modum Jus illud exigendi. *Clementis IV.* Diploma datum est xiii. Kalendas Novembris, anno millesimo ducentesimo sexagesimo-tertio. Illud edidit Clarissimus *Baluzius* loco supra laudato, pag. 424. cujus quidem Diplomatis hæc sunt verba: *Significavit nobis venerabilis frater noster Episcopus Tolosanensis, quòd cùm fama volante in illis partibus mendaciter diceretur quòd ipse viam fuerat universæ carnis ingressus, Vicarius in Tolosa dilecti filii nobilis viri Comitis Tolosæ, prætextu* REGALIUM, *quæ in bonis Episcopatus Tolosanensis eidem Comiti indebitè vendicare contendit, domos, bona, & cameras Episcopales temerario ausu intrare, ac bona ipsius Episcopi ibidem inventa nequiter occupare præsumpsit, certis tandem custodibus ad præmissorum domorum, bonorum, & camerarum custodiam deputatis. Verùm cùm hujusmodi præsumptionis excessus adeo esset notorius, quòd nulla posset tergiversatione celari, Officialis Tolosanensis in dictum*

tum Vicarium, & omnes dantes ei super hoc auxilium & favorem, canonicâ monitione præmissa, Excommunicationis Sententiam, exigente justitiâ promulgavit. Quare dictus Episcopus nobis humiliter supplicavit, ut Sententiam ipsam robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus Sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, facias Auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam, appellatione remotâ, inviolabiliter observari.

Observant sextò, Jus Regaliæ ad eas omnes Ecclesias extendi, quæ feuda ex Regum Christianissimorum seu munificentia seu permissione possident, quod Jus etsi fuerit olim interruptum, cùm urbes vel Provinciæ quædam Ducibus aut Comitibus parebant, recuperatur tamen, reviviscit, & optimo titulo exercetur, cùm ad Sacrum Patrimonium seu Domanium Regium revocatur. Id in Urbe *S. Antonini*, quæ Episcopali Sede à *Bonifacio VIII.* aucta est, contigisse asserunt. *Rogerius* Comes Carcassonensis, secundùm monita *S. Antonini* Martyris sibi in somnis conspicui, terram omnem quæ inter duo litora, scilicet Aregiæ & Hyrcis, & usque ad rivum cui Exiticæ nomen, interjacet, simul cum sylvis & pascuariis, & nemore quod *Bolbonam* vocant, *Sulpitio* Fredelscensi Abbati, & Monachis sub eo Christo servientibus concesserat anno DCCLXXXVIII. ut ibi Ecclesia in S. Martyris memoriam extrueretur, ac sacrum ejus corpus illuc transferretur, ut refert *Nicolaus Bertrandi*, in libro qui inscribitur, *Gesta Tolosanorum.* Jus Custodiæ in nova Ecclesia, & Monasterio, sibi servavit *Rogerius* Comes, ut docet *Guiscardus* Abbas, *Sulpitii* Successor in veteri Charta, cujus exiguum hoc fragmentum superest: *Ego Guiscardus Abbas moderno tempore in Ecclesia Beati Antonini, ex Precepto Nobilissimi Comitis Carcassonæ* ROGERII DEFENSORIS *Loci, omnia hæc Precepta quæ vidimus, scripsimus, & testificati sumus.* Jus illud Custodiæ ad *S. Ludovicum* Regem cum urbis dominio transmissum est cessione & donatione *Hugonis Bernardi* Vicecomitis, qui illam in feudum ab ejus tenebat Majestate. Chartam Donationis ex Regesto Cameræ Computorum subjicio: *Noverint omnes ad quos præsentes Literæ pervenerint, quòd Ego Hugo Bernardus, filius quondam Frotardi Vicecomitis villæ S. Antonini, merâ & spontaneâ voluntate dono & concedo stabili & irrevocabili inter vivos, Excellentissimo Domino* LUDOVICO *Regi Francorum, & suis Heredibus, totum jus, dominium, possessionem, proprietatem, quam olim tenui & habui, vel habere potui ex successione prædicti Patris nostri defuncti, in villa S. Antonini & pertinentiis omnibus, & finibus & terminis ejusdem villæ, ubicumque sint. Insuper Ego Hugo Bernardus superius nominatus promitto legitimâ stipulatione interveniente..... Senescallo Excellentissimi Regis prædicti tenente pro ipso villam Sancti Antonini & recipiente prædictam Donationem nomine ipsius Domini Regis, quòd contra Donationem prædictam in totum vel in parte aliquo casu in posterum non veniam, nec aliquis per me vel nomine meo. Et in omnibus præmissis renuntio tactis Sacrosanctis Evangeliis corporaliter, ex certâ scientiâ, omni beneficio & auxilio Juris Canonici & Civilis, & omni foro & usui & consuetudini edita, vel edenda, & omni exceptioni rei vel personæ cohærenti, & specialiter omnibus per quæ posset a Me vel à meis Prædecessoribus Donatio in posterum impugnari. Nos Prior & Consules sigilla nostra præsentibus apposuimus in testimonium veritatis. Acta fuerunt præmissa in præsentia nostra in Aula Sancti Antonini mense Octobri, anno Domini millesimo ducentesimo qua-*

A *dragesimo-nono. Et Ego Bernardus Hugo recognosco quod omnia ista quæ contuli Domino Regi, tenebam ab Ipso* IN FEUDUM. *Datum apud S. Antoninum VIII. Idus Maii.*

Prior Ecclesiæ, & Consules villæ *S. Antonini* seu Appamiarum, eidem Sancto Regi *Ludovico* Sacramentum Fidelitatis non solùm ut subditi, sed ut vassalli præstiterunt, cujus Documentum ex Regesto Cameræ Computorum exscriptum hic subjicio. LUDOVICO *Dei gratia Regi Francorum mitissimo & semper Augusto, Domino suo carissimo & dilecto, & semper diligendo G. Prior* B *Ecclesiæ S. Antonini, & Communia totius villæ Consilium, Salutem in Domino, & ad omnia prosperam adventum, & de inimicis suis triumphum. Quoniam gratiam totius bonitatis Auctor consuluit nobis invenire in conspectu Majestatis vestræ, ut Ecclesiam nostram, & Nos, & Villam, & omnia nostra in jus & proprietatem vestram & vestrorum in perpetuum transferretis, gratiam referimus ipsi Actori totius boni & Vobis, in quantum possumus, & in quantum sufficimus: Notificantes Benignitati vestræ, quòd ad dictum Fratris Ebrardi Templarii & latoris præsentium fecimus Fidelitatem vobis & vestris in manu Prioris Ecclesiæ nostræ tactis Sacrosanctis, nos duodecim Consules prædictæ Villæ.* Jura C itaque Dominica & servitia ratione feudorum debita in Ecclesia & Villa *S. Antonini*, seu Appamiensi, *S. Ludovico*, & Christianissimis Regibus ejus Successoribus legitimè quæsita sunt (inquiunt nostri Jurisconsulti) Ex quibus facilè dilui possunt quæ nuperus Auctor Tractatus de Regalia contra Regis Christianissimi Jura, libro III. Cap. sexto objicit ex Privilegiis ab *Ildephonso* & *Raymundo* Comitibus Tolosanis, ab *Ermengarde* Vicecomitissa, & à *Frederico II.* Ecclesiis suarum Ditionum concessis: necnon ad ea quæ Capite octavo D ejusdem libri proferuntur. Has autem Gallorum Jurisconsultorum Observationes illustrandæ duntaxat Historiæ causa me protulisse profiteor, non ut meum ipse Judicium interponam.

XLI. Ante Concilium Lugdunense *Philippus III. S. Ludovici* filius Regaliæ Jus exercebat, non solùm quoad perceptionem fructuum, verùm etiam quoad Collationem Præbendarum, in Ecclesiis Metropolitanis & Cathedralibus Regni sui vacantibus ac augusto illo Jure ipsum legitimè frui agnovit *Gregorius X.* Pontifex Maximus, Diplomate dato V. Idus Junii an. millesimo ducentesimo septuagesimo-primo. E *Petro* Senonensi Archidiacono in Archiepiscopum ejusdem urbis electo, & apud Sedem Apostolicam consecrato, *S. Ludovicus* Archidiaconatum vacantem *M. Girardo de Rampellione* duxit, PROUT AD IPSUM SPECTABAT RATIONE REGALIUM QUÆ HABEBAT IBIDEM, LIBERALITATE REGIA CONFERENDUM, jussitque Decano & Capitulo Senonensi ut ipsum ad eumdem Archidiaconatum admitterent. Verùm circa hanc Provisionem aliqua orta difficultas est. *Clemente IV.* contendente quòd idem Archidiaconatus Senonensis, post Constitutionem suam de Dignitatibus & Beneficiis apud F Sedem Apostolicam vacantibus per alium à Romano Pontifice minimè conferendis, apud Sedem vacaret eamdem, & Proviso in Regalia inhibente ne se pro Archidiacono Senonensi gereret, Possessionem Regalista non adiretur. Res suspensa mansit ad annum usque MCCLXXI. quo *Philippus III. S. Ludovici* filius & Successor *Gregorium X.* per Nuntios rogavit ut Decessoris sui inhibitionem revocaret; quod ultrò præstitit Pontifex. *Nos*, inquit, *qui eidem Philippo Regi, quantùm cum Deo possumus in suis petitionibus gratificari disponimus suis super hoc beneplacitis annuentes, ut G per inhibitio-*

Philippus III. ante Concilium Lugdunense Regaliæ jus exercebat, approbante Gregorio X.

nem & Constitutionem prædictas, nullum JURI *quod in eodem Archidiaconatu est* PER COLLATIONEM REGIAM *assecutus, præjudicium generetur, quin & ipsius Archidiaconatus possessionem nancisci, ac etiam de ipsius juribus & redditibus disponere valeat, tanquam non processisset prædicta inhibitio, & ipsa Constitutio edita non fuisset, ei per nostras duximus concedendum.*

XLII. Idem Pontifex Diplomate dato x. Kalendas Januarii ejusdem anni *Philippum III.* Regem Christianissimum rogavit ut Electo Noviomensi Regalia redderet. *Excellentiam Regiam rogamus* (inquit) *quatenus Electo eidem ob reverentiam Apostolicæ Sedis & nostram,* REGALIA *sine qualibet difficultate concedens, Te sibi reddas in Regio favore munificum, & in cunctis opportunitatibus gloriosum.*

ARTICULUS V.

Utrum Concilium Lugdunense II. Jus Regaliæ Christianissimis Regibus competens imminuerit, circumscripserit, coarctaverit?

Pugnantes Auctoris Anonymi Propositiones.

I. Regem Christianissimum *Philippum III* stimulis conscientiæ urgentibus per Oratores suos effecisse ut Regaliæ usus tum quoad usumfructum redituum Episcopatus, tum quoad Præbendarum collationem, adversùs Canones introductus in Concilio Generali Lugdunensi II. confirmaretur, scripsit Dominus *de Marca* in Commentario de Regalia edito, quem habemus inter Acta Cleri Gallicani, Tom. II. pag. 102. Eam ob rem editum esse eo in Concilio Canonem XII. præsentibus Francorum Legatis, quo Jus recipiendi Regalia confirmatum est in Ecclesia ubi recepta erat illa consuetudo: cujus introductio vetita est quoad Ecclesias quæ ei non erant obnoxiæ. Magni Archipræsulis nomini licet plurimùm tribuam, ejus thesim nullo monumento fultam admittere non possum. Multò minùs probare valeo absonas & pugnantes Autoris nuperi Tractatus de Regalia contra Jura Christianissimi Regis Propositiones. Ubi enim præmisit Capitibus III. IV. V. & IX. libri secundi, Regaliam omni Juri, Naturali, Divino, Canonico, & Civili adversari, asseruitque Cap. X. nullo ipsam fulciri Privilegio, Caput XI. sic exorditur: *Cum Regalia nec Jure communi, nec ullo Privilegio nitatur, imò Juribus contraria sit universis, ut vidimus; hinc colligi meritò videtur, ipsam esse meram usurpationem: siquidem consuetudo omnibus contraria Legibus, nonnisi abusus esse potest.* Tum pagina sequenti subdit: *Nihilominus cùm Lugdunense Concilium innuat antiquam possessionem instar legitimi tituli hac in materia esse posse, nostri consilii non est simpliciter damnare Regaliam quoad ea loca in quibus erat usu firmata ante istius Decretum Synodi.* 3. Hanc Propositionem passim inculcat, quam in ipso libri III. limine protulit: *Regaliam absque Ecclesiæ concessione justam esse non posse.* IV. Asserit Cap. VI. libri IV. Concilium Lugdunense Regaliam duntaxat tolerasse. Sic enim Caput istud inscribit: *Quod nullum Concilium ante Lugdunense Regaliam toleraverit.* Quibus Propositionibus quid quæso, absurdius, & secum ipso magis pugnans? Quomodo enim Ecclesiæ concessione legitimum esse potest, quod Juri Naturali & Divino adversatur? Quomodo consuetudinem omnibus contrariam Legibus, & quæ merus abusus est, Synodus Oecumenica toleravit? Quomodo sacrilegium (Hanc enim infamiam nominis Regaliæ etiam inu-rit) antiqua possessione velut justo titulo niti potest? Sed ut Lugdunensis Canonis sensum aperiamus, ejus verba sunt priùs subjicienda:

Canon XII. Concilii Lugdunensis II.

Generali Constitutione sancimus, universos & singulos, qui REGALIA, *Custodiam sive Guardiam, Advocationis vel Defensionis titulum, in Ecclesiis, Monasteriis, sive quibuslibet aliis piis locis, de novo usurpare conantes, bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantacunque dignitatis honore præfulgeant, Clericos etiam Ecclesiarum, Monachos Monasteriorum, & personas cæteras locorum eorumdem qui hæc fieri procurant, eo ipso Excommunicationis Sententiæ subjacere. Illos verò Clericos qui se, ut debent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Ecclesiarum seu locorum ipsorum, pro tempore quo præmissa sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere districtius inhibemus. Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum cæterorùmque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine, Jura sibi hujusmodi vindicant: ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos Ministros in eis sollicitè faciant abstinere, quod ea quæ non pertinent ad fructus sive reditus provenientes vacationis tempore non usurpent; nec bona cætera, quorum se asserunt habere Custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent.*

Variæ Canonis istius interpretationes, à variis Jurisconsultis traditæ.

II. Hoc Canone Jus Regaliæ Christianissimis Regibus competens non imminutum, non circumscriptum, aut coarctatum ad certas duntaxat Ecclesias, quatenus usumfructum bonorum Ecclesiæ vacantis, & collationem Præbendarum complectitur, Galli quotquot sunt hodie Jurisconsulti, supremi Senatus Parisiensis, aliorùmque totius Regni, & Regii Consistorii Patres, Rex ipse Maximus, Sapientissimus, Æquissimus, post accuratam sui Juris discussionem, certissimum habent: in eámque sententiam post Declarationem ejusdem Christianissimi Regis datam x. Februarii anno MDCLXXIII. Clerus etiam Gallicanus descendit, ita ut in Galliis contrariam opinionem propugnare non liceat. Variis autem Responsionibus Objectionem ex Canone Lugdunensi petitam diluunt. Singulas referam, & Historici duntaxat munus exequar, ut in ipso Dissertationis hujus limine sum professus.

Historici duntaxat munus in iis referendis Auctor exequitur.

Glossa Capit. Generali, in Sexto.

Quidam aiunt, Non esse certum quid in isto Canone REGALIÆ nomine intelligatur. Glossam Cap. *Generali*, in Sexto, duplicem illius indicare sensum, & discrepantes Doctorum, circa significationem quâ à Concilio acceptum est, sententias. *Pro intellectu* (inquit) *hujus capitis, præsupponendum est secundum veriorem intellectum ipsius, quid propriè iste textus appellet* REGALIA. *Quidam volebant dicere, quòd Regalia accipiuntur pro Juribus Imperialibus, de quibus in lib. Feudorum, Cap.* Quæ sint Regalia: *ut si Rex donaverit Regalia Ecclesiæ, & aliquis illa usurpet, ipso facto est excommunicatus. Alii dicunt, quòd Regalia accipiuntur pro Juribus quæ habet Princeps in aliquibus Ecclesiis: videlicet quòd vacante aliqua Ecclesia Rex percipiat fructus, & Ecclesiam conferat.* Et infra: REGALIA, *Id est, collectam quæ fit Regis ratione vel Imperatoris, vel tributum quod debetur Regi.* XI. Q. I. C. Si tributum: *Sic solet exponi*, De Jure Patronat. C. Præterea. 2. *Vel, id est, Jura quæ ad Imperatorem pertinere consueverunt, ut portus & vectigalia. Sed illa erant Ecclesiis concessa, & modò volebat ea de novo aliquis occupare: ut in lib. Feudor. Tit.* Quæ sint Regalia: *alias est sub L. Imperialem.* Quo modo si Regaliæ nomen usurpetur, evidens est Lugdunensis Concilii Canonem, quem expendimus, non spectare Jus Regaliæ quatenus perceptionem fructuum Ecclesiæ vacantis, & Præbendarum

rum collationem complectitur; adeóque ex eo colligi non posse Juris istius Regii circumscriptionem aut restrictionem ad certas Ecclesias.

Interpretatio Guillelmi Durandi, Mimatensis Episcopi.

III. Alii sentiunt, de Regalia, secundo sensu accepta intelligendum Canonem Concilii Lugdunensis; nec tamen restrictionem à Concilio adhibitam spectare Regem Christianissimum, sed Duces, aut alios Viros Nobiles, qui Jus illud usurpabant, ut colligitur ex *Guillelmo Durando*, Commentatio in Lugdunense Concilium, cujus è Patribus unus fuit, Cap. xi. pag. 40. versâ: *Regalia*, inquit, *hîc vocantur Jura Regi in quibusdam Ecclesiis & Monasteriis competentia; quia videlicet illis vacantibus Rex sub prætextu Custodiæ facit fructus suos, & etiam in quibusdam Præbendas confert, sicut patet in quibusdam Ecclesiis Franciæ. Quod Jus sibi vel ex fundatione, vel ex bonorum temporalium concessione vendicant etiam alii Principes, Barones, & Communitates aliquæ, quæ Jus simile sibi vendicant, seu* USURPANT, *& diversimodè secundùm locorum diversitatem illud appellant, ut* De Simonia, *Cap.* In tantum. xiv. Quæst. iii. C. Plerique. *Quandoque tamen aliter accipitur hoc nomen*, Regalia, *dicuntur via publica, flumina navigabilia, portus, ripatica, vectigalia, quæ vulgò telonea dicuntur; & alia plura quæ numerantur in libro Feudorum, in Constit. Frederici, quæ incipit,* Imperialem, *in* §. REGALIA. Et infra, subdit idem Auctor: *Ex eo autem quòd hic prohibetur abusus, videtur per consequens concedi bonus usus.* De Præsumpt. C. Nonne. *Quod verum est in prædictis duobus casibus, scilicet in his quæ competunt ex fundatione, vel consuetudine.* Porro (inquiunt Jurisconsulti nostri) his duobus titulis fulcitur Jus Regaliæ quod Rex in Ecclesiis Regni sui exercet. Nulla enim est quæ Reges, aut Principes quorum in Jura successerunt, fundatores non agnoscat: nulla quæ Regiæ munificentiæ vel permissioni acceptum non ferat quicquid bonorum temporalium possidet. Nulla est quæ olim sub prima vel secunda Regum nostrorum Dynastia Regaliæ Juri obnoxia non fuerit. Et licet interrupta fuerit hujusmodi consuetudo, sive ob Privilegia quibusdam Ecclesiis à Regibus indulta, sive quòd Provinciæ quædam serius ad GallicamDitionem revocatæ sint, nihilominùs (inquiunt) manentibus in iis Regaliæ titulis ex Custodia & Legibus Feudorum, supremóque Regum Domino petitis, integrum fuit eorum Majestati Legem Regaliæ non minùs quàm Leges Regni reliquas ad eas universim extendere.

Auctoris Anonymi Objectio.

IV. At (inquit nuperus Regiorum Jurium Impugnator, lib. iii. sui de Regalia Tractatus, Cap. 11.) Concilium Lugdunense vetat Jus illud ad eas Ecclesias extendi, in quibus tunc institutum non erat, & Anathemate ferit omnes *de novo illud usurpare conantes*, & Clericos qui se talia facientibus non opponunt. Cujus Concilii eò major auctoritas apud Gallos esse debet, quòd in Ecclesia universa receptum, atque etiam in Galliis executioni mandatum est, & postulantibus *Philippi III.* Legatis addita fuit clausula restringens Excommunicationis pœnam ad eos duntaxat, qui Regaliæ Jus de novo usurparent.

Responsio Gallicorum Jurisconsultorum.

V. Prohibitionem illam Reges Christianissimos spectare negant Regiorum Jurium Vindices. Negant secundò, de Regalia hîc agi quatenus collationem Præbendarum amplectitur. Negant tertiò, Canonem xii. Lugdunensis Concilii quatenus ad Regii Juris restrictionem ac circumscriptionem flecti posset, in Galliis receptum fuisse ac executioni mandatum. Primam propositionem ex eo probant, quòd Legibus odiosis, quales sunt quæ pœnas Excommunicationis vel Interdicti in transgressores decernunt, Reges comprehensi non censeantur, si cut nec Episcopi, nisi nominatim exprimantur, secundùm omnium Jurisperitorum sententiam, fundatam in Cap. *Quod nonnullis. Extra. De Privilegiis*: & in Regula Juris, quòd *Odia restringi, favores ampliari* conveniat. Cùm itaque Reges in Canone xii. Lugdunensis Concilii non nominentur, consequens esse quòd eorum non spectet Majestatem. Addunt, latum Canonem occasione usurpationis Regaliæ, Custodiæ, Advocationis seu Defensionis quam aliqui de novo usurpare conabantur. Sed *Philippum III.* Regem Christianissimum nihil usurpasse in hac materiâ: Jus Regaliæ in omnibus Ecclesiis Regni sui exercuisse, exceptis illis quas *Philippus Augustus* Immunitate donaverat. Nullam fuisse de Ecclesiis Delphinatus, Provinciæ, Aquitaniæ, & Occitaniæ quæstionem, nec prohibuisse Patres Concilii Lugdunensis Christianissimo Regi ne Jus Regaliæ ad illas Provincias extenderet, quæ nondum erant ad ejus Ditionem plenè revocatæ. *Philippum III.* ab usurpandis Ecclesiarum Juribus alienissimum fuisse, qui Sanctissimi Parentis *Ludovici* documenta animo penitus impressa habuit, illius amorem erga Ecclesiam æmulatus est, *Matthæi* Sandionysiani Abbatis Religiosissimi consiliis in Regni administratione plurimùm usus, & Christianis virtutibus decus addens Majestati, ut *Guillelmus de Nangiaco* in ejus Vita testatur. *Super Sedem*, inquit, *paternam Philippus Rex collocatus, Patris sui non immemor præceptorum, quibus illum in extremis laborans imbuerat, ambulavit cum Domino, Sapientum tractatibus corde ultroneo adhærendo. Et maximè tunc usus est consilio & disciplina Reverendi Patris Matthæi, Abbatis S. Dionysii in Francia, viri religiosi & sapientiæ floribus adornati, cui super omnes Assessores Palatii Regii, causas & universa negotia Regni sui, sicut & Pater suus fecerat* LUDOVICUS REX, *expedienda tradidit. Illo etiam tempore, quo post mortem Ysabellæ Reginæ sine uxore fuit, cilicio (ut aiunt) usus est, loricam desuper indutus. Domabat enim corpus suum jejuniis, & mirabili ciborum abstinentia se restringebat, ne vitiis humanæ fragilitatis fœdaretur. Ex illo verò tempore frugalitatem ita servavit usque ad mortem, quod potiùs Monachus, quàm Rex vel Miles propter abstinentiam dici posset, &c. Totus in fide Catholicus, & erga Dei cultores extitit benevolus ac devotus.* Præterea inter fœlicem obitum *S. Ludovici*, & Lugdunensis Concilii celebrationem quatuor duntaxat anni intercesserunt; quibus Regaliæ Jus à *Philippo III.* ampliatum, nec Gesta ipsius à *Guillelmo de Nangiaco* scripta, nec alia monumenta produnt. Quod verò scrupulum passus sit Rex *Audax* circa usum Regaliæ, & ideo Jus illud confirmari à Concilio postulaverit, ea conditione ut ad Ecclesias in quas illius usus introductus non fuerat, non porrigeretur, figmentum est. Quis enim credat ipsum conscientiæ suæ timuisse Jus illud exercendò, quod exercuerat *Ludovicus* ejus Pater, cujus sanctitas novis miraculis in dies celebrabatur?

Apud Duchesnium Tom. v. pag. 1.6. & 157.

Duces & Comites, non Reges spectare Lugdunensis Concilii Canonem. Viri Eruditi probant ex illius collatione cum O. ceteris Conciliorum ipsum & Pontificum antecedentium & consequentium.

VI. Duces itaque, & Comites, qui inclinante secunda Regum nostrorum Dynastia Regalia usurpaverant, sicut & ipsos Ducatus atque Comitatus transmiserant ad heredes, cùm illos antea possiderent ad vitam, & solo administrationis titulo, spectat Canon xii. Lugdunensis Concilii. Spectat etiam Barones, aliósque Nobiles, Vicedominos, Ballivos, alios quoslibet, qui vel Patronatum, Guardiam, Advocationem Ecclesiarum de novo usurpabant, vel legitimo titulo & Jure Patronatus abusi, nova Ecclesiis imponebant onera, & bona Ecclesiarum vacantium, Monasteriorum, & quorumvis piorum locorum occupabant, in proprios usus convertebant, ac distrahebant, in supellectilem

lem etiam Domorum Ecclesiasticarum, & spolia defunctorum Episcoporum, Abbatum, Curatorum, aliorúmque Virorum Ecclesiasticorum, manus injicientes: non verò Reges Christianissimos, qui ad Parochiales Ecclesias & alia quævis pia loca Regaliæ usum non extenderunt. Hunc Lugdunensis Canonis legitimum verúmque sensum esse probant Conciliorum & Pontificum antecedentium & consequentium, & eumdem abusum damnantium Decreta (loquuntur Jurisconsulti & Theologi plerique Gallicani, qui hoc argumentum diligentiùs & accuratiùs expenderunt.) Illos scilicet spectat, de quibus decernit Concilium Lateranense IV. sub *Innocentio III.* anno MCCXV. celebratum, Canone XLV. cujus hæc sunt verba: *In quibusdam Provinciis Ecclesiarum Patroni, seu Vicedomini, & Advocati, se in tantam insolentiam erexerunt, quòd non solùm, cùm vacantibus debet Ecclesiis de Pastoribus idoneis provideri, difficultates ingerunt & malitias: verùm etiam de possessionibus & aliis bonis Ecclesiasticis pro sua voluntate ordinare præsumunt, & (quod horrendum est dicere) in necem Prælatorum prorumpere non formidant. Cùm igitur quod ad defensionis subsidium est inventum, ad depressionis dispendium non debeat retorqueri: prohibemus expressè ne Patroni, vel Advocati, seu Vicedomini, super præmissis de cætero plus usurpent, quàm reperiatur in Jure permissum: &, si contra præsumpserint, districtissimè per severitatem Canonicam compescantur.*

VII. Illos perstringit Canon XII. Concilii Lugdunensis, quos Concilium Coloniense anno M.CCLXVI. celebratum, Canone VII. cujus hæc sunt verba: *Statuimus ut nullus Laicus, cujuscunque dignitatis vel conditionis existat, de bonis Clericorum, sive in vita, sive in morte se intromittat. Et illos qui contra hoc Statutum de bonis & rebus Clericorum decedentium ausu sacrilego se injecerint, nisi sint ipsorum Clericorum manufideles, seu ultimarum executores voluntatum, ex nunc Sententia Excommunicationis innodamus: & per locorum Ordinarios præcipimus excommunicatos publicè nuntiari, donec ablata restituerint, & aliàs satisfecerint competenter. In qua excommunicatione si per mensem perstiterint: ex tunc contra eos tanquam invasores bonorum Ecclesiarum procedatur.*

VIII. Illos perstringit Canon XII. Concilii Lugdunensis, contra quos *Innocentius IV.* Pontifex Maximus anno MCCLII. VIII. Kalendas Augusti, ad Narbonensem Archiepiscopum & Episcopum Elnensem scripserat in hæc verba: *Ad aures nostras Ecclesia Gallicana querela perferente pervenit, quòd nonnulli Regni Francorum Barones, Ballivi, Præpositi, ac eorum & aliorum Nobilium ejusdem Regni Officiales, eamdem Ecclesiam contra libertatem ipsius graviter comprimentes, aliquando per se, aliquando ad mandatum Dominorum seu Majorum suorum, & interdum motu proprio, res & bona Ecclesiarum, hominum earumdem, & Ecclesiasticarum Personarum capiunt, & interdum capi faciunt per eos qui suas contra ipsas Ecclesias vel Personas exercent actiones, ut per adversarios graviùs infestentur, & capta, ut sic ab ipsis aliquid extorqueant, detinent pro suæ arbitrio voluntatis. Eorum autem aliqui Jus talia faciendi sibi ex eo vendicare nituntur, quòd cùm Ecclesia vel Persona Ecclesiastica sub eorum Custodia sive Advocatione consistant, ex frequenti exercitio ejusmodi captionis se fore in possessione Jurisdictionis hujusmodi exercendæ per ipsos in Ecclesias vel Personas Ecclesiasticas, homines & res ipsarum, licèt peccandi diuturnitas non Jus eis, sed damnationem afferat, & in subversionem Privilegii Ordinis Clericorum talis actùs frequentia in consuetudinem convalescere nequeat, asseverant. Habebat insuper Ecclesia præfata querela, quòd vacantibus interdum Ecclesiis seu Monasteriis Regni præ[illegible] si super Provisione ipsorum duratura discordia oriatur, iidem Barones & alii prætextu Guardiæ seu Advocationis ad bonorum temporalium eorumdem custodiam dissipatores & consumptores deputant, non custodes, in enormem Ecclesiarum & Monasteriorum sæpius læsionem. Feruntur etiam quidam esse Ballivi, Præpositi, & Officiales eorum, qui multa cariùs solito sua emunt Officia, spem damnabilis lucri ponentes in servitiis seu exactionibus, quæ ab Ecclesiis, hominibus earum, & Personis Ecclesiasticis extorquent quodammodo violenter, dum ratione Guardiæ seu Advocationis hujusmodi, eorum nomine, à quibus hujusmodi emunt Officia, Ecclesiastica bona capiunt, vel capi mandant aliquando eo tempore, agricultura videlicet, messium, ac vindemiarum, quo eisdem majora damna noscuntur, etsi vexationem suam ab eis redimant, imminere. Quocirca Fraternitati vestræ per Apostolica Scripta mandamus, quatinus præfatos Barones, Ballivos, Præpositos, Officiales, & alios Narbonensis Provinciæ, quoties opus fuerit, ut ab hujusmodi Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum Personarum gravaminibus conquiescant, attentè monere ac efficaciter inducere studeatis: & si ad monita fuerint pertinaces, ipsos super iis per Excommunicationem in personas & Interdictum in terras eorum, appellatione remotâ, veritate per vos vel per alios cognita, compescatis.* Istud Diploma edidit *Baluzius* Vir Clarissimus in Additione ad Caput XVIII. lib. VIII. D. *De Marca*, De Concordia Sacerdotii & Imperii, pag. 423.

IX. Illos perstringit Canon XII. Concilii Lugdunensis, quos Viennense in Austria Concilium à *Guidone* S. R. E. Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato anno MCCLXVII. celebratum, Canone X. cujus hæc sunt verba: *Ad aures nostras per clamosam insinuationem multorum devenit, quod Patroni Ecclesiarum tam Clerici quàm Laici, Advocati, & Judices, & Pracones, bona decedentium Clericorum occupant, volentes sibi ab intestato succedere, pro suæ voluntatis arbitrio, non judicio rationis. Quare providè duximus statuendum, ut Patroni Ecclesiarum, & alii supradicti, à talibus de cætero abstineant: & nisi abstinere voluerint, quousque sic ablata restituant, Excommunicationis vinculo innodentur.*

X. Illos Ecclesiarum Advocatos, sive Advocationis Officium, Regaliam, aut Custodiam usurpantes, perstringit Lugdunensis Concilii Canon XII. quibus Canon XXII. ejusdem Synodi bona immobilia seu Jura Ecclesiarum subjici vetat his verbis: *Hoc consultissimo prohibemus Edicto, universos & singulos Prælatos Ecclesias sibi commissas bona immobilia seu Jura ipsarum, Laicis submittere, subjicere seu supponere, absque Capituli sui consensu, & Sedis Apostolicæ licentiâ speciali, non concedendo bona ipsa vel in Jura in emphyteosim, seu aliàs alienando in forma & casibus à Jure permissis, sed constituendo vel recognoscendo, seu profitendo ab illis ea tanquam à Superioribus se tenere, seu ab ipsis eadem advocando (prout in quibusdam partibus vulgariter dicitur, Avouer) Vel ipsos Patronos, sive Advocatos Ecclesiarum, seu bonorum ipsarum, perpetuò aut ad tempus non modicum statuendo.*

XI. De illis intelligitur Canon XII. Lugdunensis Concilii, de quibus Saltzburgense Concilium proximè post illud celebratum eodem anno M.CCLXXIV. pro recipiendis illius Statutis, Canone XXIV cujus hæc sunt verba: *Præsentis auctoritate Concilii, Ecclesiarum Advocatos, qui Ecclesias onerant ultra consuetam & debitam servitutem, ac per hoc Ecclesiarum Libertates violant & infringunt, publicè*

publicè commoneamus ab indebitis vexationibus Ecclesiarum, & bonis ipsarum abstineant, & Juribus debitis sint contenti : alioquin adversus eorum injuriam mediante Justitia refrænandam, ad concessa nobis Juris Beneficia recurremus.

XII. De illis intelligitur Canon XII. Concilii Lugdunensis de quibus Synodus Coloniensis à Sifrido Archiepiscopo habita anno MCCLXXIX. Cap. XII. cujus hæc sunt verba : *Excommunicamus omnes Advocatos Ecclesiarum, & alios quoscunque, & quocunque nomine censeantur, qui exactiones vel servitia indebita Ecclesiæ vel Ecclesiasticis Personis imponunt. Item excommunicamus in his scriptis omnes illos, cujuscunque sint dignitatis vel status, qui Ecclesiæ nostræ Majoris, vel aliarum Ecclesiarum nostræ Diœcesis homines, censum capitalem ipsis Ecclesiis solventes, prætextu Advocationis, vel alterius coloris, exactionibus vel captionibus opprimunt, vel molestant, aut bona eorum mobilia vel immobilia, post mortem ipsorum, invadunt vel accipiunt violenter.*

XIII. De illis intelligitur Concilii Lugdunensis Canon XII. de quibus Concilium alterum Salzburgense anno MCCLXXXI. celebratum, quod ipsum laudat, Canone item XII. cujus hæc sunt verba : *Item, sub velamento Advocationis nonnunquam gravantur Monasteria, Conventualium, Parochialium, & aliarum Ecclesiarum libertas & immunitas perturbantur : Decrevimus ut omnes qui occasione hujusmodi, aliquod Jus sibi vendicant in Ecclesiis, nisi de Jure suo Ordinarium loci certum fecerint, ante Festum S. Joannis Baptistæ, quem eis ad hoc terminum peremptorium assignamus ; ex tunc super hoc de cætero nullatenus audiantur ; & Clericus qui se non opposuit taliter usurpanti, pœnam sustineat nuper in Lugdunensi Concilio statutam.* Et Canone XV. *Statum bonæ memoriæ Guidonis contra Patronos, Judices, & Præcones aditum, qui bona invadunt decedentium Clericorum, pro necessitate temporis aggravantes, statuimus ut raptores rerum hujusmodi vacantium Ecclesiarum ipso Jure Excommunicationem incurrant.*

XIV. De illis intelligitur Concilii Lugdunensis Canon XII. de quibus Concilium Herbipolensis anno MCCLXXXVII. celebrati Canon XXVI. cujus hæc sunt verba : *Nonnulli afflictis Ecclesiis, quæ vacationis laborant incommodo, non verentes afflictionem addere, bona earumdem Ecclesiarum diripere ac occupare nituntur. Ex quo grave ipsis Ecclesiis in rebus earum provenit detrimentum. Nos super hoc vacantibus Ecclesiis providere volentes, eos qui vacantium Ecclesiarum, & decedentium Clericorum bona immobilia seu mobilia de cætero usurpabunt, aut usibus propriis deputabunt, excommunicatos esse volumus ipso facto.* Et Canone XX. in quo à Sententia Excommunicationis in bonorum & Jurium Ecclesiasticorum Invasores lata, excipiuntur Rex, Regina, & eorum filii : *Dignum arbitrantes & consentaneum æquitati, ut quos jugo legis forsitan premimus, ab oppressorum illicitis ausibus defendamus, & consultissima Constitutione in posterum valitura sanciamus, quòd nulla secularis vel Ecclesiastica Persona, quantacunque nobilitate vel præeminentiâ status præfulgeat (Christianissimo Domino Romanorum Rege semper Augusto, ejusdémque Divina consorte, eorúmque Filiis duntaxat exceptis) Ecclesias & Ecclesiastica bona, Jura, & Jurisdictiones, & vassallos eorum, violenter & auctoritate propriâ publicè usurpare, aut occupando invadere, vel scienter usurpare, aut occupatoribus, invasoribus, & scienter usurpantibus Ecclesias & bona prædicta, præstare præsumant quomodolibet per se vel per alium aut alios, consilium, auxilium, vel favorem : vel quod si aliquis contra hujusmodi nostræ Constitutionis tenorem facere vel venire præsumpserit... Ipso facto Anathematis vinculo sit innodatus, & terræ ipsius Ecclesiastico subjaceant Interdicto.*

XV. De illis intelligitur Concilii Lugdunensis Canon XII. de quibus Synodus Coloniensis anno MCCC. à Wichboldo Archiepiscopo celebrata, Canone XI. cujus hæc sunt verba : *Quia nonnulli terrarum Domini, Judices, & alii Offitiarii Laici, bona Clericorum nostræ Diœcesis decedentium ex testamento, vel ab intestato, auctoritate propriâ violenter rapiunt, occupant & arrestant in præjudicium Ecclesiasticæ Libertatis, quo minùs decedentium ultima voluntas pro salute animarum eorumdem valeat adimpleri : Nos tam præsumptuosos excessus corrigere volentes, monemus omnes Nobiles, Judices terræ, Advocatos, terrarum Dominos & Laïcos quoscunque, ne deinceps talia attentare præsumant. Contrarium facientes, (quos ipso facto ex tunc in his scriptis excommunicamus) excommunicatos in Ecclesiis vestris, & præcipuè in Parochiis in quibus talia perpetrantur, & in quibus tales morantur, vos universi Rectores Ecclesiarum publicè nunciatis.*

XVI. De illis intelligitur Canon XII. Concilii Lugdunensis, de quibus Concilii Coloniensis anno MCCCX. celebrati Canon XIII. cujus hæc sunt verba : *Monemus omnes Nobiles terrarum Dominos, Scabinos, Consules, Judices seculares, & universitates, ac alios Laicos, cujuscunque status existant, ne de cætero occasione Advocatiarum, quas quidam ex eis super bona Ecclesiastica habent, vel quocunque alio nomine vel colore ad hoc quæsito, tallias, collectas, exactiones, petitiones, assisias, contributiones, servitia indebita, & ultra quàm Jus Advocatiæ, juxta Scabinorum Sententiam, ubi Advocati sunt, permittit ipsis Ecclesiis, Ecclesiasticisve Personis, hominibus, mancipiis, & bonis earumdem imponant, vel imponere, exigere, aut recipere præsumant, &c. Aliàs contra ipsos volumus procedi per Sententiam Excommunicationis, quousque satisfaciant de commissis.*

XVII. De illis intelligitur Canon XII. Concilii Lugdunensis, de quibus Concilium Avenionense anno MCCCXXVI. celebratum, Canone XXIV. cujus hæc sunt verba : *Nullus omnino Prælatus, Abbas, Prior, vel Patronus Clericus, vel Laicus, cujuscunque status, vel dignitatis, Ordinis, vel Religionis existat, bona Ecclesiarum vacantium, Metropolitanæ, vel Suffraganeæ, Prioratus, Abbatiæ, vel alterius cujuscunque Monasterii vel Ecclesiæ, per promotionem, aut mortem, vel resignationem, vel mutationem, vel absolutionem, vel alio quocunque modo vacantium, capere vel per se vel per alium, aut occupare vel usurpare præsumat, nisi sibi per Privilegium vel consuetudinem hoc liceret. Quod si fecerit, tam ipse, quàm gratis obedientes et aliqualiter in hac parte, Excommunicationis incurrant Sententiam ipso facto.* Hunc Canonem recensuit & confirmavit Synodus Avenionensis altera anno M. CCCXXXVII. habita, Canone XXIX. Eumdem inter sua transcripsit Decreta Synodus Vaurensis anno MCCCLXVIII. Canone XIII. Certè cum illa Pontificum & Conciliorum ante vel post Concilium Lugdunense II. edita Decreta, in eadem materia versentur, eumdémque abusum emendent, prohibeant, damnent sub eadem pœna, quem Canon XII. ejusdem Concilii damnat, & evidentissimum sit illa Reges non spectare, nec de Regaliæ Jure prout à Regibus Christianissimis exercebatur, decernere, sed de Juribus quæ à Comitibus, Baronibus, Vicedominis, Advocatis, Judicibus, titulo Patronatus, Advocationis, Guardiæ, seu Custodiæ usurpabantur in Ecclesiis vacantibus : evidenter colligitur (inquiunt nostrates Magistratus & Ju-

r.(consulti) Lugdunensis Concilii xii. Canonem his Decretis simillimum, Reges Christianissimos non spectare, quos ne quidem nominat; nec de Regaliæ Jure prout ab ipsis exercetur, quatenus scilicet perceptionem fructuum Ecclesiæ vacantis, & Collationem Præbendarum complectitur, intelligendum esse.

XVIII. Sed enim quomodo Jus conferendi Beneficia simplicia vacantibus Ecclesiis Metropolitanis vel Cathedralibus Regibus Christianissimis competens, circumscriptum, & ad certas Ecclesias coarctatum censeri potest eo Canone, qui nec de Beneficiorum Collatione, nec de Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis verbum ullum habet? Non ita obscurè Concilia & Pontifices loqui solent suis in Decretis, nec silentio involvunt id quod præcipiunt aut prohibent sub pœna Excommunicationis, sed illud conceptis verbis exprimunt & inculcant. Sciunt enim se hujusmodi Leges Prophetis non dicere, sed iis hominibus qui ex verbis legis mentem legislatoris intelligant. Relege Canonem xii. Concilii Lugdunensis, attentâ consideratione illum expende, nihil ibi invenies de Collatione Præbendarum Sede vacante, quæ tamen in Regalia Regum Christianissimorum præcipua res est. Id pridem observavit *Guimerius* Præses in Pragmaticam Sanctionem, ad Cap. de Annatis: *Rex Francia & Anglia* (inquit) *vendicant sibi in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus suorum Regnorum Collationem Prabendarum, aut aliorum Beneficiorum Sede vacante, & illo etiam tempore ipsarum Ecclesiarum temporalia recipiunt, & sibi applicant, & circa hoc ultimum providit Gregorius X. in Concilio Generali contra hæc de novo usurpantes, & contra abutentes quibus competit ab antiquo. De hoc autem Jure conferendi nihil providit.*

In dissidio Bonifacii VIII. & Philippi Pulcri, Lugdunensis Concilii Canonem pro Regalia vel contra Regaliam neuter protulit.

Accedit, quòd fervente Dissidio inter *Bonifacium VIII.* & *Philippum Pulcbrum* Regem Christianissimum, Rex Jus suum Regaliæ à *Bonifacio* injustè impugnatum auctoritate Lugdunensis Concilii nullatenus tuitus est. At si Lugdunensis Concilii Canon xii. de Regaliæ Jure Christianissimis Regibus competente intelligendus esset, non est verisimile quòd Rex, & qui ipsius Jura tunc temporis adversùs Bonifacianas invasiones defenderunt, momentum illud neglexissent; nec respondissent Summo Pontifici, ipsum absque ratione Regi negotium facessere ob Collationem Præbendarum Ecclesiis vacantibus, quæ à Concilio Oecumenico approbata esset. Neque *Bonifacius VIII.* hujusmodi collationem & Regaliæ usum vitio vertisset Regi, si res certa & explorata fuisset, Canonem xii. Concilii Lugdunensis ipsum confirmasse in Ecclesiis omnibus in quibus ea tempestate institutum erat, vetuisse duntaxat ne de novo usurparetur. Sed in illa dissensione nulla Concilii Lugdunensis facta mentio. *Bonifacius* in brevi Epistola ad *Philippum* Regem: *Beneficiorum & Prabendarum ad te Collatio nulla spectat: & si aliquorum vacantium Custodiam habeas, fructus eorum Successoribus reserves: & si qua contulisti, Collationem hujusmodi irritam decernimus, & quantùm de facto processerit, revocamus. Aliud autem credentes, Hæreticos reputamus.* Ad quam Epistolam Rex *Philippus* respondit: *Ecclesiarum ac Prabendarum vacantium Collationem ad Nos* JURE REGIO *pertinere, fructus earum nostros facere; Collationes à Nobis factas & faciendas fore validas in præteritum & futurum; & earum possessores contra omnes viriliter nos tueri: secus autem credentes, fatuos & dementes reputamus.*

Inter Probationes Histor. Dissidii, pag. 44.

Inter Articulos à *Bonifacio VIII.* objectos eidem Christianissimo Regi, secundus est: *In quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis conferendis vacantibus in Curia, vel extra Curiam, Romanus Pontifex summum & potiorem obtinet potestatem: & per Collationem cujusvis Laici in ipsis vel eorum aliquo, non potest alicui jus acquiri sine auctoritate vel consensu Sedis Apostolica tacitis vel expressis.* vii. *Item, quod Guardia & Custodia Ecclesiarum Cathedralium vacantium, quas vocant Regalia per abusum, non abutatur, &c.*

Ibidem pag. 90. & 91.

Ad quos Rex Christianissimus respondet: Ad secundum, *Quòd Collatione Beneficiorum usus est & utitur sicut ad eum pertinet de Jure & bona Consuetudine, sicut & Ludovicus & alii Prædecessores sui usi fuerunt, à tempore cujus memoria non existit, nec circa hoc fecit nec intendit facere aliquam novitatem, nec credit quòd Papa sibi facere velit, quin longum usum suum, & Prædecessorum suorum in Collatione hujusmodi novit plenissimè ab experto.* Ad vii. respondet, *Quòd nunquam fuit, nec est intentionis vel voluntatis suæ in hujusmodi perceptione Regalium præjudicialem vel noxiam facere novitatem, sed intendit eis uti quemadmodum S. Ludovicus, & alii Prædecessores sui uti consueverunt, &c.*

Ibidem pag. 93. & 94.

In Scripto quod *Guillelmus de Nogareto*, & *Guillelmus de Plasiano* Clementi V. Pontifici Maximo tradiderunt, hi leguntur Articuli ix. *Item certum, notorium, & indubitatum existit, quòd Dominus Rex habet Jura Regalia universa in Regno suo: sed inter cætera Jura Regalia, habet jus percipiendi fructus omnes, reditus & proventus Ecclesiarum Cathedralium vacantium, & suos faciendi, qui de sua Regalia existunt quamdiu vacant: Et cùm præficitur novus Prælatus illis Ecclesiis, Prælati hujusmodi ab ipso Rege temporalitatem recipiunt, post Fidelitatem sibi præstitam, vel Homagium: quo Jure Regalium dictus Dominus Rex usus est, tam ipse, quam ejus Prædecessores Reges Franciæ, tantis temporibus, de quorum contrario memoria non existit.*

Ibidem pag. 118. & 119.

XIX. *Item certum, notorium, & indubitatum existit, quòd quamdiu vacant dictæ Ecclesiæ, in quibus dictus Dominus Rex habet Regalia, idem Dominus Rex donat & donare consuevit Dignitates, & Præbendas, & Beneficia, quorum Collatio modo quocunque pertinere potest ad Prælatum illius Ecclesiæ, eo tempore quo existant ibidem, sive ibidem vacent prædicta Beneficia, Præbenda, vel Dignitates, vel in Curia Romana, vel alibi ubicunque.*

XX. *Item, certum, notorium, & indubitatum existit, quòd Jura Regalia aliquarum Ecclesiarum, quæ habet in Ecclesiis prædictis Dominus Rex prædictus, Progenitores ipsius Domini Regis, & Prædecessores ejus in Regno, dederunt in Feudum aliquibus Baronibus suis, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus: qui Barones Regalibus illis utuntur & fruuntur, Sedibus Ecclesiarum ipsarum vacantibus, Jure suo Feudali, & Jure Regio, à quo suum Jus movet; & ideo Jus Regale vocatur, quo Jure dicti Barones utuntur nominibus suis, & nomine Regio, & usi sunt tanto tempore, de cujus contrario memoria non existit.*

Usumfructum Regaliorum in Ecclesiis vacantibus Duces quidam, Comites & Barones pene soliti ante Lugdunensis Concilii tempora.

XXI. Ex postremo illo Articulo compertum est, *Bonifacii VIII.* temporibus Comites & Barones quosdam usumfructum Regalium Sedibus Ecclesiarum Cathedralium vacantibus habuisse, nec id recens tum fuisse, sed antiquo usu firmatum, ad eòque ante Lugdunensis Concilii tempora. Quod & plures Episcoporum, Abbatum, & aliorum Epistolæ à *Duchesnio* editæ Tom. v. Historiæ Francorum confirmant xxxv. *Fulberti* Carnotensis Episcopi, pag. 148. *Ivonis Carnotensis* xxi. pag. 228. qui testatur Carnotensem Comitem *Pravas Consuetudines, quas habuerant Antecessores sui, & ipse, in domibus & rebus Carnotensis Episcopi defuncti vel depositi, multo suo labore & sumptu, Ecclesiæ dimisisse.* Autisidorensis Episcopi ccxiii. pag. 642.

642. Decani & Capituli Matisconensis ccccLXXXII. ad Regem scripta, pag. 735. *Quantis infestationibus Comitis Girardi & suorum vestra Matisconensis Ecclesia post decessum venerabilis nostri Domini Pontii sit afflicta, Literis nostris, Sublimitati vestræ satis esse intimatum credimus. Post acceptas siquidem treugas Comitis, per manus scilicet Nunciorum vestrorum, Episcopus noster præsentiam vestram adire disposuit.* Comitis *Theobaldi*, quæ est inter Epistolas *Sugerii* Abbatis XXXVIII. *Regale Carnotensis Episcopatus de Rege in feodum teneo cum alio feodo meo; ita quod decedente Episcopo, Regale Episcopatus meum proprium est, quousque alius substituatur. Et ideo vos rogo, ut pro Regali quod meum est, Capiceriam ab Episcopo non requiratis.* Idem probant Epistola *Arnulphi* Lexoviensis Episcopi ad *Lucium* Papam, edita Tom II. Spicilegii, & Epistola *S. Bernardi* Tom. III. Spicilegii, pag. 167. quæ Comitis Andegavensis meminerunt, qui bona Ecclesiæ Lexoviensis per biennium & amplius occupaverat. Acta Vetera ex Chartulario Monasterii *S. Albini* Andegavensis exscripta, & à Clarissimo *Baluzio* edita in Additione ad Cap. XXVI. libri VIII. D. *De Marca*, De Concordia Sacerdotii & Imperii, pag. 448. Pactiones initæ anno MCCXXXI. inter *S. Ludovicum* Regem, & *Petrum* Ducem Britanniæ, quibus Jus Regaliæ ipsi in Episcopatibus illius Provinciæ conservatum est. *Jus Regalia quod in suis Ecclesiis Cathedralibus habere dicitur.* Ducum, Comitum, Baronum nonnulli jure, alii injuriâ, Regaliam, temporalem quidem, quæ in usufructu redituum Ecclesiæ vacantis, non spiritualem, quæ in Præbendarum Collatione posita est, exercebant (ut observat D. De Marca) quidam illam plus justo extendebant, ad Ecclesias etiam Collegiatas, & Parochiales, & ad quævis pia loca. Eorum exemplo, Vicedomini, Advocati, Patroni hujusmodi Ecclesiarum, aut piorum locorum, iisdem vacantibus, in eorum bona manus injiciebant, spolia defunctorum Sacerdotum occupabant, fructus suos faciebant. Sic *Theodulphus* Comes Parochialis cujusdam Ecclesiæ bona invaserat post obitum Presbyteri, quem propterea gravissimis Literis commonuit *Hincmarus*, ut ea restitueret Ecclesiæ & Presbyteris, quibus commendata fuerant, *juxta Sacras Auctoritates & Regum Præcepta*, ut refert *Flodoardus* lib. III. Historiæ Ecclesiæ Remensis Cap. XXVI. Eumdem abusum damnavit Canon Triburiensis Concilii à Reginone descriptus lib. II. Cap. XXXIX. Similes abusus Lugdunensis Concilii II. tempore frequentes erant, in Ecclesia etiam Gallicana. Et ad eorum emendationem Canon XII. conditus est. Is est omnino ipsius sensus, nec Regaliæ Jus Christianissimis Regibus competens ullatenus attingit (inquiunt nostrates Jurisconsulti, & Regii Magistratus, necnon Theologi qui hancce Quæstionem accuratè expenderunt.)

De Canonis Concilii Lugdunensis executione, Durandi Speculatoris & Glossæ Capi. tis, Generali, observatio.

XXII. Quanquam si attingeret, nullum ex eo præjudicium Regaliæ Regum Christianissimorum factum esse, aut Jus illorum eo Canone circumscriptum fuisse atque ad certas Ecclesias definitum responderent, quod receptus in Galliis ab omnibus Regni Ordinibus ac executioni mandatus non fuerit, ut colligitur ex *Durandi Speculatoris* Commentario. *Præsens*, inquit, *Constitutio fuit ad clamorem Prælatorum Franciæ & Angliæ promulgata: modicam tamen ex eo illic adhuc sequi videmus utilitatem.* Et ex Glossa Capitis, *Generali Constitutione, De electione & electi potestate*, in VI. quam Editionis Romanæ Procuratores hac parte resciderunt, cujus hæc sunt verba: *Alii dicunt, quòd Regalia accipiantur pro Juribus, quæ habet Princeps in aliquibus Ecclesiis, videlicet, quod vacante aliquâ Ecclesia Rex percipiat fructus, & Ecclesiam conferat. Nam* COLLATIO BENEFICIORUM COMPUTATUR IN FRUCTU. *Et ista fuit controversia aliàs mota inter Philippum Regem Francorum & Bonifacium VIII. conditorem hujus Compilationis. Qui Bonifacius dicto Philippo Regi scripsit quandam Epistolam, in qua continebantur ista verba:* « Collatio Beneficiorum est spiritualis. Secus autem credentes Hæreticos reputamus. » *Quam Epistolam cùm perlegisset ipse Philippus, eidem Bonifacio scripsit aliam Epistolam, in qua posita erant ista verba:* « Collatio Beneficiorum ad Nos spectat & pertinet: Secus credentes fatuos & dementes reputamus. » *Ideo secundùm aliquos*, CONSTITUTIONES ISTIUS COMPILLATIONIS NON FUERUNT RECEPTÆ IN HOC REGNO, PROPTER ISTAM CONTROVERSIAM.

Ex his quæ hucusque de Lugdunensis Concilii Canone dicta sunt, eversum manere quicquid nuperus Regiorum Jurium Impugnator ex eo objecit in suo de Regalia Tractatu, lib. III. Cap. II. certum habent laudati Jurisconsulti & Theologi.

Auctoris Anonymi argumenta ex quibusdam Regum Constitutionibus, & Senatusconsultis petita.

XXIII. Objicit idem Auctor Capite sequenti, Reges Christianissimos professos fuisse Jus illud Regaliæ suæ Majestati in aliquibus duntaxat Ecclesiis convenire, in quibus receptum erat Regem eo Jure uti. Ita scilicet edixisse *Philippum Pulchrum*, anno MCCCII. *Item quantùm ad Regalias, quas Nos & nostri Prædecessores percipere assuevimus & habere in* ALIQUIBUS ECCLESIIS REGNI NOSTRI, *quando eas vacare contingit.* Ita *Philippum Valesium* in Constitutione anni MCCCXXXIV. quæ vulgò *Philippina* vocatur, cujus hæc sunt verba: *Comme il ait esté mis en doute par aucuns, si nous avions droit, & à nous appartenoit donner les Provendes, Dignitez, Benefices, quand ils avoient esté ou estoient trouvez non occupez, & vacants, de fait tant seulement, ou temps de nostre Regale*, ES EGLISES DE NOSTRE ROYAUME ESQUELLES NOUS AVONS DROIT DE REGALE. Quæ verba sic Latinè reddo: *Cùm à nonnullis revocatum fuerit in dubium utrum jus haberemus, & ad Nos spectaret conferre Præbendas, Dignitates, Beneficia, quæ inventa fuerant aut inveniebantur non occupata, vacantia, vel nuda, reipsa & de facto duntaxat, tempore Regaliæ nostræ, in Ecclesiis Regni nostri, in quibus Regaliæ Jus habemus.* Verba illa, *de fait tant seulement*, resecuit nuperus ille Regiorum Jurium Impugnator, ut significaret dubitatum fuisse regnante *Philippo Valesio*, utrum Rex conferre posset Præbendas Jure Regaliæ in Ecclesiis vacantibus: cùm tamen is Quæstionis status non fuerit, sed utrum eas conferre posset, quæ de facto tantùm vacabant, & quarum nemo possessionem adierat apertâ Regaliâ, quamvis Rex illas jam contulisset.

Inter Probationes Libertatum Eccl. Gallic. pag. 373.

Laudat idem Auctor Constitutiones *Caroli VI.* anno MCCCCVIII. & *Caroli VII.* anno MCCCCLI. eodem modo loquentium: *Ez Evêchez ou nous avons droit de Regale.* Item, Constitutionem *Ludovici XII.* anno MCCCCXCIX. editam, cujus hæc sunt verba: *Defendons à tous nos Officiers, qu'ez Archeveschez, Eveschez, Abbayes, & autres Benefices de nostre Royaume èsquels n'avons Droit de Regale ou de Garde, ils ne se mettent dedans, sur peine d'estre punis comme Sacrileges.* Id est: *Inhibemus universis Officiariis nostris, ne in Archiepiscopatus, Abbatias, & alia Beneficia Regni nostri, in quibus Jus Regaliæ aut Custodiæ non habemus, se intromittant: Alioquin ut sacrilegi plectuntur.* Edictum *Henrici Magni* anno MDCVI. promulgatum, cujus hæc sunt verba: *Nous n'entendons jouir du Droit de Regale, sinon en la forme que Nous & nos Predeces-*

 seurs

seurs avons fait, sans l'étendre davantage au préjudice des Eglises qui en sont exemptes. Id est: *Non intendimus frui Jure Regaliæ nisi eâ formâ & modo quo Nos & Prædecessores nostri usi sumus, ab ejus extensione in detrimentum Ecclesiarum exemptarum abstinentes.* Quod Edictum *Ludovicus XIII.* confirmavit Articulo VI. Constitutionis editæ anno MDCXXXIX.

Laudat præterea idem Auctor vetus Regestum Cameræ Computorum, quod à *Ruzæo*, *Pasquierio*, Protopræside *Magistro*, & aliis qui de Regalia tractarunt, profertur, in quo enumerantur Ecclesiæ subjectæ huic Juri Regaliæ, itemque Ecclesiæ in quibus Reges eo Jure non utebantur. Hujus Regesti Excerptum sic habet: *Dominus Rex, prout constat per antiqua scripta Cameræ, consuevit capere Regaliam cùm vacaverit, in Provinciis & Diœcesibus quæ sequuntur. In tota Provincia Senonensi & ejus Suffraganeis, excepta Diœcesi Autissiodorensi, in qua Decanus & Capitulum dicuntur fecisse permutationem cum Rege, prout est inferiùs. In tota Provincia Remensi, exceptâ Diœcesi Cameracensi. In tota Provincia Bituricensi, exceptis Lemovicensi, Cadurcensi, Ruthenensi, Albiensi, Mimatensi. In tota Provincia Turonensi, exceptis Macloviensi, Trecorensi, &c. In Provincia Burdegalensi solùm, veruntamen de Pictavensi fuit computatum anno* MCCCVI. *In tota Normannia habet Regale. In Provincia Auxitanensi & Arelatensi, & per consequens in lingua Occitana nihil habet.* Laudat idem Auctor Cap. VI. in favorem Provinciæ Narbonensis Literas *Philippi Pulchri* datas anno MCCCIII. quarum hæc sunt verba: *Nolumus quod gentes nostræ occupent Regalia Ecclesiarum vacantium Provinciæ Narbonensis.*

> Cap. 4. & 5.

Profert idem Auctor nonnulla Senatus Parisiensis Arresta, quibus secundùm eas Ecclesias in quibus Rex antiquam Regaliæ possessionem non habebat, Patres Conscripti judicarunt, Jus illud ad eas non esse porrigendum. Laudat denique Auctores, qui Jus Regaliæ in omnibus Regni Ecclesiis non vigere senserunt, Guillelmum Durandum, Rebuffum, Ruzæum, Ægidium Magistrum, Pasquierium, qui opinionem contrariam dignam potius esse dixit adulatore Aulæ, quàm Jurisconsulto Gallo, Carolum Degrassalio, &c.

> Gallorum Jurisconsultorum & Pragmaticorum Responsio historicè refertur ab Auctore.

XXIV. Ad hæc respondent nostrates Jurisconsulti: Reges nostros istis Constitutionibus Literisque nullum respectum ad Concilium Lugdunense habuisse, quod ne quidem indicant; nec Regaliæ extensioni ad universas Regni Ecclesias præjudicasse: sed ideo hunc loquendi modum usurpasse, *in aliquibus Ecclesiis Regni nostri*: vel, *in Ecclesiis in quibus Regaliæ Jus habemus*: tum quia in Ecclesiis Collegiatis & Parochialibus Jus illud se non habere, nec unquam Prædecessores suos exercuisse noverant: tum quia Ecclesias nonnullas exemptas, non quidem exemptione Juris & præscriptione, sed exemptione à Principe concessâ, sive gratuitò, sive titulo oneroso, suâ frui volebant libertate: tum quia Jus illud quoad Præbendarum Collationem in iis Ecclesiis se non habere profitebantur, in quibus Jus conferendi ad Episcopum non pertinet, sed ad Capitulum. Præterea, hoc loquendi modo, *Nolumus*, *Non intendimus &c.* significant quidem Christianissimi Reges se Regaliæ Jus in iis Ecclesiis exercere nolle, quibus ipsi aut eorum Prædecessores Immunitatem ab eo Jure gratuitò concesserant, sed Juris illius exercendi legitimum titulum & auctoritatem se habere non negant. Regestum vetus Cameræ Computorum, illius quo hæc scripta sunt temporis consuetudinem probat, Reges nimirum Jure suo uti noluisse in quibusdam Ecclesiis, sed non probat Jus Regaliæ ipsos exercere in illis non potuisse. Unde verba illa *In tota lingua Occitana nihil habet*; Id solùm de illa Provincia negant, quod de aliis Provinciis assertum est his verbis: *Consuevit capere Regaliam, cùm vacaverit, &c.* Regem scilicet tunc non consuevisse Jus Regaliæ in Ecclesiis Septimaniæ exercere. Addiderim, Indicem illum ex Regesto veteri Cameræ Computorum excerptum, vitiosum esse, nec Supremum Senatum illius rationem habuisse in ferendis de Quæstionibus Regaliæ Judiciis, ut observat *Pasquierius* libro III. Disquisitionum Francicarum, Cap. XXXVII. pag. 296. & 297. Senatus Arresta vel rationibus singularibus nitebantur; vel consuetudini tunc vigenti, & Regnantis voluntati illis Ecclesiis faventi se accommodaverunt Conscripti Patres; sed non judicavere quòd Rex Jus Regaliæ in illis non haberet, nisi fortè exemptæ essent oneroso titulo. Quæ exemptio vim contractus cùm habeat, salvâ justitiâ rescindi non potest. Cæterùm idem Supremus Senatus Arresto lato anno MDCVIII. perorante *Servino* Advocato Catholico, edixit Regem in Diœcesi Bellicensi, quæ recèns ad Gallicam Ditionem revocata erat, & in cæteris Regni sui Ecclesiis, Jus Regaliæ habere: & Advocatis prohibuit ne id in dubium revocarent, aut contrariam opinionem in publicis actionibus tuerentur. Adversùs hoc Senatusconsultum querelam movit Clerus Gallicanus apud Regiam Majestatem. Arrestis Regii Consistorii VI. Octobris MDCXXXVII. & XIX Jun. MDCXXXVIII. & XII. Aprilis MDCLI. item II. Junii ejusdem anni, XXII. Aprilis MDCLIII. & VI. Junii MDCLIV. & XII. Aprilis MDCLVII. Rex edixit, ut Archiepiscopi & Episcopi qui Ecclesias suas à Regalia immunes contendebant, omnes Titulos, Instrumenta, & Documenta proferrent universa, quibus Immunitatem illam suam probabant. Regiis Mandatis paruerunt Septimaniæ, Aquitaniæ, Provinciæ, ac Delphinatus Præsules. Caufâ maturè & accuratè à Consistorianis Comitibus utriusque Juris peritissimis, & æquissimis, discussâ, & ad Regium Consilium relatâ, judicatum est: *Jus Regaliæ alienari & præscribi non posse, ac Regi in omnibus Archiepiscopatibus & Episcopatibus Regni Ditionumque suarum competere.* Unde Rex Christianissimus LUDOVICUS MAGNUS Declaratione data apud Sanctum Germanum in Laya, die X. Februarii anni MDCLXXIII. ex certa scientia, plena potestate, & Regia Auctoritate edixit, *Jus Regaliæ universim ad suam Majestatem perimere in omnibus Archiepiscopatibus & Episcopatibus Regni Ditionumque suarum, iis duntaxat exceptis, qui oneroso titulo sunt exempti. A ces causes, de l'avis de nostre Conseil, & de nostre certaine science, pleine Puissance & Autorité Royale, Nous avons dit & declaré, & par ces Presentes signées de nostre main disons & declarons* LE DROIT DE REGALE NOUS APPARTENIR UNIVERSELLEMENT DANS TOUS LES ARCHEVESCHEZ, ET EVESCHEZ DE NOSTRE ROYAUME, TERRES ET PAYS DE NOSTRE OBEISSANCE: *à la reserve seulement de ceux qui en sont exempts à titre onereux.* Quæ Regis Maximi Declaratio ex Senatusconsulto in tabulas Curiæ relata est die XVIII. Aprilis ejufdem anni. Sic peremptoriâ Sententiâ causa de Regaliæ extensione ad universas Regni Ecclesias finita est. Frustra ergo vetera quædam Senatusconsulta, aut Regum Edicta proferuntur, quæ nec LUDOVICI MAGNI Declarationi contraria sunt, & si contraria sint, per eam sunt rescissa & revocata. Legem namque posteriorem prioribus derogare notum est. Et sicut *Ipsa Plenaria Concilia sæpe priora à posterioribus emendantur, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat*, ut

doces

docet *S. Augustinus* libro III. de Baptismo contra Donatistas, Cap. III. sic Edicta priorum Regum, & antiqua Senatusconsulta possunt à posterioribus rescindi vel emendari, cùm omnia causæ alicujus momenta & documenta accuratissima consideratione discussa sunt, quæ antea examinata non fuerunt. Id porro in Regaliæ causâ factum est. Quamobrem Regia Declaratio hac in materia Suprema Lex esto (inquiunt Regii Magistratus & Jurisconsulti Galli.)

Nec verò Privilegia quibusdam olim Ecclesiis à Regibus concessa, Successores ipsorum ligant, vel illorum Jura præscribunt. Si enim Summi Pontifices, pro tradita sibi divinitus plenitudine potestatis, cùm subest causa, Decreta suorum Prædecessorum rescindunt, concessa ab ipsis Privilegia revocant, maximè si in Ecclesiasticæ rei detrimentum cedere videantur: Quidni Reges, qui supremam in temporalibus potestatem à Deo immediatè acceperunt, potestatem habeant Privilegia à suis Prædecessoribus concessa revocandi, si contra Jura Coronæ, & in detrimentum Supremi Dominii quod in omnia subditorum suorum, & ipsarum Ecclesiarum temporalia bona sibi legitimè vindicant, concessa judicantur?

Nec etiam Regio Juri ex antiquissimis receptissimisque Regni Francici Legibus nocere potuisse possessionem intermissam, nostrates Jurisconsulti propugnant, quam & per Duces Comitésque sibi subditos diu Reges retinuisse, nec ipsos unquam animo dimisisse certum sit. De Principum Juribus judicandum ex sola consuetudine non esse, sed ex titulis ac fundamentis quibus nituntur: Perperam colligi ea ipsos Jura non habere quibus usi semper non fuerunt, aut potestatem quam semper non exercuerint. Summos ipsos Pontifices non semper ea Jura in universa Ecclesia exercuisse, quæ nunc exercent. Appellationum ad Sedem Apostolicam prioribus quatuor seculis usum admodum infrequentem fuisse: multorum Theologorum judicio nullam in illorum seculorum Historiis apparere; ex quo tamen perperam quis inferret, *S. Petri* Successores Jus non habuisse semper de majoribus causis judicandi, si ad ipsorum Sedem per appellationem deferrentur. Constat item Romanos Pontifices Concilia Oecumenica non semper convocasse; sed Imperatores Sacros illos Ecclesiæ Coeventus indixisse & congregasse, priorum Conciliorum Acta & Historiæ probant: An ex eo quis rectè colliget potestatem jùsque convocandi Concilia octo primis Ecclesiæ Seculis Pontifices non habuisse, sed Imperatores? Jus Episcopos confirmandi & ordinandi Metropolitanos in toto passim Occidente non exercuit Romanus Pontifex primis Ecclesiæ seculis, quemadmodum in Suburbicariis Provinciis exercebat; Episcoporum translationes, dispensationes omnes, absolutiones à peccatis quibuslibet quamvis gravissimis, inconsulto Romano Pontifice à Synodis Provincialibus, ab Episcopis fiebant, permittebantur, concedebantur: An ideo sequitur Summum Pontificem Jus non habuisse totius Occidentis Metropolitanos ordinandi, Episcopos confirmandi, absolutionem à gravissimis criminibus sibi reservandi, translationes Episcoporum permittendi in cæteris Occidentis Ecclesiis, quemadmodum in Suburbicariis? Id certè non sequitur, quia eodem Jure Patriarchicæ ipsius & Pontificiæ auctoritati omnes illæ Ecclesiæ subdebantur, adeóque nihil prohibebat quominus eamdem Auctoritatem in illis omnibus exerceret. Annatas Romani Pontifices ante *Bonifacium IX.* aut certè ante *Joannem XXII.* non exegerunt. Illas eodem modo non imperarunt: Episcopatus & Abbatias ab eo onere, quod temporarium esse voluit, nec ultra triennium exigi, exceperat *Joannes XXII.* ad Episcopatus illud extendit *Bonifacius IX.* In aliquibus primùm Ecclesiis usus Annatarum invaluit, reclamarunt aliæ, Gallicana præsertim & Anglicana. Quæ in Conciliis Constantiensi & Basileensi hac de re habitæ sint concertationes, Eruditi norunt. Doctores plerique conclamabant Annatas Juri Naturali, Divino, Canonico, Civili repugnare: an idem consequens est Romanum Pontificem Jus illud ad omnes Ecclesias porrigere non potuisse? Non igitur ex consuetudine dumtaxat de Summi Pontificis Juribus ferendum judicium est: Non ex sola pariter consuetudine Regia Jura expendenda sunt & asserenda. Regalia Regium Jus est. De ipsa ubi agitur, ubi de illius extensione Quæstio est, ad unam consuetudinem non est attendendum, sed ad titulos fundamentales & inconcussos Juris illius, scilicet ad titulum Custodiæ ac Defensionis Ecclesiarum & bonorum Ecclesiasticorum, ab earum fundatione Regibus competentem; ad Leges Gallicas Feudorum, quæ cùm temporales sint & civiles, a solius Regis Auctoritate pendet earum extensio ad omnes Ditionum suarum Provincias; ad Supremum Regis Dominium in bona omnia temporalia suorum subditorum, & ipsarum Ecclesiarum. Quæ bona iis subjacent Legibus, quas Reges tulerint, & in toto Regno servari voluerint. Porro Jus Custodiæ ac Defensionis omnium Ecclesiarum, & bonorum temporalium quæ Regum munificentiâ vel permissione possident, Regibus ab ipsarum Ecclesiarum fundatione competit. Supremum Dominium in ipsarum bona æquè ac cæterorum subditorum suorum sibi Jure vendicant; Feuda cùm possideant, subjaceor Legibus Feudorum: cur itaque diverso Jure habeantur? cur, cùm ad idem Regni corpus pertineant, ejusdem reverentiâ Majestatis ac potestate contineantur, iisdem Legibus quoad temporalia & externam Politiam non regantur, sicut iisdem quoad Sacram Politiam administrantur? Rerum similitudo, párque subjectorum conditio, legis aut consuetudinis, quæ vim legis habet, ac legem in omnibus imitatur (ut Theologi & Jurisperiti docent) extendendæ sufficiens ac legitima ratio est. *Consuetudo* (inquit *S. Antoninus* I. P. Summæ Tit. XVI. § II.) *est similium attractiva, ut in iis idem Jus inducat. Extra.* De Consuetudine. Cùm olim. *Et Dist.* XI. Quis nesciat. *Et* §. De Legibus. L. De quibus.... *Sicut in Jure scripto proceditur de similibus ad similia, ita & in Jure Consuetudinario* (inquit idem Sanctus §. III.) Hoc principio freti Christianissimi Reges, Jus Consuetudine & Gallicanis Canonibus suæ Majestati quæsitum, ut absque eorum assensu nullus ordinaretur Episcopus, utque ab ipsis Donum Episcopatus, & temporalium Ecclesiæ bonorum Investituram ac possessionem acciperet, ad omnes Ecclesias porrigebant, quæ ipsorum Ditioni seu armis seu aliis titulis subjiciebantur. Hoc principio freti, Regaliam ad eas extenderunt Provincias ac Diœceses, quæ ad Monarchiam sunt revocatæ, sive ante Lugdunensis Concilii II. celebrationem, sive post. Ad Ecclesias Aquitaniæ ante Lugdunensis Concilii tempus extensa erat, ut testatur *Durandus Speculator* Commentario in Lugdunensis Concilii Canones, Cap. XI. ad verbum, *usurpare*. Ad Ecclesias Britanniæ extensa fuit, postquam Reges eam Provinciam ad suam Ditionem revocarunt, quod anno 1532. factum. Cardinalis *Ossatus* Epistola CXXXIII. data Romæ die V. Decembris anni MDCI. etsi Regaliam in Britannia locum non habere primùm contendat, in eámque rem & Regestum Cameræ Computorum, & consuetudinem, & Gallos Jurisconsultos appellet, fatetur nihilominùs Regem *novis occasionibus* statuere posse ut Regalia in iis etiam Ecclesiis lo-

cum habeat, sicut contra Nannetensem Episcopum præjudicatum fuerat à Senatu Parisiensi anno M. DXCVIII. Jure id facturum Regem: Extensionem illam Regaliæ contra consuetudinem quidem fore, non tamen contra Jus & æquitatem. At eo casu vacantium Episcopatuum reditus ad Canonicos Sanctæ Capellæ Parisiensis pertinere negat vi antiquæ concessionis ipsis factæ. Fatetur etiam Vir Maximus, Regaliam pari jure ad omnes Ecclesias Gallicanas à Rege Christianissimo extendi posse. Verba ejus subjicio: *Les fruits des Evefchez vacans, ausquels contre la coûtume ancienne on étendroit le Droit de Regale, à laquelle ils n'étoient sujets aucunement, n'appartiendroit point à ladite Sainte Chapelle en vertu de l'ancienne Concession qui leur fut faite par nos Rois, n'étant & ne devant estre compris en ladite Concession les Evefchez ausquels on a depuis étendu, ou étendra t'on cy-aprés le Droit de Regale: ce qui est tout clair & certain de droit. Et de fait, si on étendoit la Regale à tous les Evefchez de France*, COMME ON LE POURROIT FAIRE DE DROIT, AUSSI BIEN QU'ON LE VEUT FAIRE A CEUX DE BRETAGNE, *la Sainte Chapelle auroit plus de revenu, que n'auroient deux ou trois des meilleurs Evefchez ou Archevefchez de France.* Eadem ratione ad omnes Regni Ditionúmque suarum Ecclesias, quæ oneroso titulo non sunt exemptæ, Regaliam extendere se posse LUDOVICUS MAGNUS judicavit, causâ per Consistorianos Comites Juris utriusque peritissimos, & æquitatis laude celeberrimos maturè & accuratè discussâ: quod iidem tituli ad Regaliæ Jus exercendum in omnibus Ecclesiis ejus Majestati suffragentur, scilicet Jus Custodiæ ac Defensionis, ac Feudorum similis conditio, in qua Jus Regaliæ *Philippus Pulcher* fundatum meritò propugnabat in Literis ad Archiepiscopum Senonensem & Episcopum Autisiodorensem datis, quarum hæc sunt verba: *Sicut Feodus vassallo vacans, interim cum suis redditibus à Domino licitè occupatur, & propter defectum hominis, ut vulgari patria nostra verbo utamur.* DE JURE ET GENERALI CONSUETUDINE REGNI NOSTRI, *per Dominum, quousque superveniat persona quæ illi serviat, licitè detinetur; sic Nos & nostri Antecessores, vacante Ecclesia Carnotensi, & temporalem Jurisdictionem, & bona temporalia accipimus, & nostros facimus omnes fructus qui proveniunt ex eisdem. Non solum autem nostram potestatem in bonis Episcopatibus exercemus; imò bona temporalia Prebendarum & Dignitatum, sive sit Jurisdictio temporalis, sive alia bona temporalia quæ possint ad aliquem pertinere, cum vacante Prebenda vel Dignitate concedimus, & de eis, prædicto tamen modo, disponimus nostro Jure.*

Denique privatorum quorumdam Jurisconsultorum opiniones contra Jus Regium frustra proferuntur (inquiunt Regii Magistratus.) Scripserunt Ruzæus, Probus, Pasquerius, Protopræses Magister, Chopinus, privato nomine & ingenio, non ex sententiâ Senatus: Scripserunt quæstione de Regaliæ Jure nondum plene discussâ, nondum eliquatâ veritate: Consuetudinem magis quàm Regii Juris fundamenta examinarunt. Cæterùm & ante Declarationem Christianissimi Regis anno M. DCLXXIII. editam, Jurisconsulti Magistratúsque doctissimi, Guido Faber Pibracius, Servinus, Bignonius, in Supremo Senatu Advocati Catholici, Senatus universus, Magni Consilii Patres, Consistoriani Comites; & post Declarationem quotquot de re Beneficiaria scripsere, vel in Senatu dixere, Jus Regaliæ Regium esse, ad Coronam pertinere; ad omnes Ecclesias, quæ oneroso titulo non sunt exemptæ, absque discrimine porrigi propugnarunt. Id propugnant omnes quotquot Jus Gallicum noverunt. Sicut ergo de quibusdam Quæstionibus gravissimis vel Ecclesiæ Disciplinam, vel Fidem spectantibus, privati quidam Doctores, ac Theologi, aliter scripsere quàm postea definitum sit ab Ecclesia, nondum eliquatâ veritate, nec tamen eorum opiniones adversùs Conciliorum & Summorum Pontificum Decreta vim ullam habent, sed Theologi omnes, Fidelésque in sententiam Ecclesiæ concedunt, postquam Spiritus Sanctus per eam locutus est: ita proportione servatâ, Jurisconsulti Galli de Juris Regaliæ extensione variè opinati sunt, antequam Regii Juris fundamenta, titulíque Ecclesiarum, quæ se exemptas contendebant, plenè discuterentur: at iis examinatis, disceptatâ Quæstione, causâ contradicto Judicio finitâ: postquam Jus Regaliæ universale, & ad omnes Regni Ditionúmque suarum Ecclesias porrigi Rex Christianissimus Declaratione seu Lege latâ edixit, in eam sententiam non solùm Galli quotquot sunt Jurisconsulti, sed fideles omnes Majestatis ejus subditi summo consensu conspirant. Sic Regii Magistratus & Jurisconsulti nostri disserunt ac respondent.

ARTICULUS VI.

An Regaliæ usus Æquitati & Libertati Ecclesiarum repugnet?

I. GRave esse Ecclesiæ quòd Reges Christianissimi Jure suo utantur: Æquitati repugnare, quòd legitimis titulis quæsitum ac fundatum est, quod à Romanis Pontificibus, & ab Ecclesia approbatum, quod à Religiosis Sanctisque Principibus frequentatum est: Ecclesiæ libertati adversari quod Ecclesiæ Protectoribus ac Benefactoribus in grati animi significationem, & ad ampliorem protectionem promerendam tributum est, nemo sanæ mentis dixerit. Porro Jus Regaliæ legitimis fundamentis titulisque niti, ac Regibus Christianissimis quæsitum esse; ab Ecclesia & Summis Pontificibus approbatum; à Piissimis Sanctissimisque Principibus executioni mandatum; à Christianæ Monarchiæ exordiis Regiæ Majestati congenitum; duodecim seculorum consuetudine usúque firmatum, superioribus Articulis ostendimus. Nunc tamen speciatim demonstraturi sumus, quòd æquitati ac Ecclesiæ libertati non repugnet, nihilque grave aut odiosum in se habeat. Porro cùm duobus constet augustum illud Jus, perceptione fructuum, & Collatione Beneficiorum in Ecclesiis vacantibus, de utraque breviter dicendum est.

II. Et quidem quod spectat usumfructum bonorum Ecclesiæ vacantis, nihil ab æquitate alienum continet. Episcopis Visitatoribus antiqui Canones honorarium ratione laboris decreverunt, ut constat ex Concilio Toletano IX. Canone IX. Portionem fructuum quam superstes Episcopus habuisset, ipsis tribui voluit *S. Gregorius Magnus*, ut probant ejus Epistolæ ad *Petrum* Tricalitanum Episcopum, Agrigentinæ Ecclesiæ Visitatorem institutum, quæ est XII. libri IV. ad *Leontium* Episcopum Ariminensis Ecclesiæ Visitatorem, quæ est XLII. ejusdem libri, ad *Constantium* Episcopum Panormitanum, Tarracinensis Ecclesiæ Visitatorem, quæ est LXXV. libri septimi. Porro si portio illa fructuum Ecclesiæ vacantis Episcopis Visitatoribus, qui possessionum Ecclesiasticarum custodiæ invigilabant, justè attributa est; quis Reges Christianissimos ratione Custodiæ ac Defensionis quam Ecclesiis vacantibus earúmque

Regaliam, quoad usumfructum [illegible] bonorum Ecclesiæ vacantis, [illegible] ab æquitate al[illegible] continere, quomodo probent Galli Jurisconsulti?

Jura Visitatorum Episcoporum. De portione [illegible] eo.

bonis impendunt, Jus fruendi reditibus earumdem Ecclesiarum vacationis tempore habere inficiabitur? Æquum esse ut qui vacantium Ecclesiarum curam gerunt, earum reditibus interim fruantur, Commendatarum & Deportuum origo confirmat. Vacantes Ecclesiæ aut Abbatiæ, Episcopis, aliisve Prælatis ad tempus commendatæ. Cupiditas perpetui redituum usufructûs perpetuas Beneficiorum commendationes effecit. Et ne idem fortè in Parochialibus Ecclesiis contingeret, variis in locis annuus reditus vacantium Parochiarum Episcopis aut Archidiaconis attributus est. Porro si Commendatariis & Archidiaconis ob vacantium Ecclesiarum custodiam fructus vacationis tempore provenientes sunt attributi; æquum erat ut Regibus ratione potentissimæ Custodiæ, & Ecclesiis utilissimæ concederentur.

Advocatis & Defensoribus Ecclesiarum olim cõstituta honoraria.

III. Advocatis ac Defensoribus Ecclesiarum olim constituta stipendia, ex Lucii III. Decretali constat, *Extra, De Jure Patronatus C. Præterea*: cujus hæc sunt verba: *Præsenti Decreto statuimus, eos, sive Advocati, sive Patroni, vel Vicedomini, sive Custodes vel Guardias habentes, seu quocunque alio nomine censeantur, à gravaminibus Ecclesiarum cessare, nihilque in ipsis præter antiquos & moderatos reditus à locorum Episcopis institutos exigere.* Idem probant Literæ *Othonis I.* Imperatoris à *Miræo* editæ, quibus *Lambertum* Lovaniensem Comitem vice suâ Gemblacensis Monasterii Advocatum ac Defensorem instituit. *Sic autem*, inquit, *dedimus ei Advocatiam istam, ut nunquam ipse Comes vel Successores sui in Abbatia vel in villis ad eam pertinentibus aliquid accipere, aut per potentiam exigere debeant, præter Jus & Beneficium sibi constitutum. Advocati enim debent esse, non prædatores, sed Defensores Ecclesiarum.* Quis ergo Christianissimis Regibus ob Custodiam ac Defensionem Ecclesiarum, vacationis præsertim tempore, honorarium aliquod debitum esse negare potest? Suis enim sumptibus Ecclesiarum vacantium bona custodire ac tueri Principes non tenentur, ut fateri coactus est evidentiâ veritatis Author nuperus, qui Tractatum de Regalia contra Jura Christianissimi Regis scripsit, libro 1. Cap. x. Honorarii porrò rationem habet ususfructus bonorum allodialium quæ possident Ecclesiæ: nam cùm duplicis generis bona sint, allodialia quædam, alia feodalia; ususfructus bonorum primi generis Regi debitus est ratione Custodiæ: ususfructus verò bonorum secundi generis suæ Majestati debetur Jure Relevii, * quo Domino Feudi fructus addicti sunt, quandiu per mortem vassalli aut alio modo vacat. Ea enim feudorum natura est, ut ait *Baldus* §. *Ad hoc. De Allodiis*, Col. 3. verbo, *Ex præmissis*, quem cæteri Jurisconsulti sequuntur: *Omnia feuda à Principe procedunt, & ad Principem redeunt, sicut omnia flumina per meatus terræ procedunt à mari, & ad mare redeunt.* Jus illud explicant *Philippi Pulchri* Literæ ad Archiepiscopum Senonensem & Autissiodorensem Episcopum directæ, quæ incipiunt his verbis: *Sicut Feodus vassallo vacans, &c.*

** Droit de Relief.*

Ecclesia per Jura Regum possessiones habet.

IV. Addunt Jurisconsulti nostrates: Cùm Ecclesia *per Jura Regum* possessiones habeat, ut *S. Augustinus* docet; cùm agri Ecclesiæ tributum debeant, nisi sint munificentiâ Principum immunitate donati; & Rex, si agros desiderat, *potestatem habeat vindicandorum*, ut docet *S. Ambrosius*: cùm quidquid habent omnes Ecclesiæ Regni, à Rege sit, quia Regum liberalitate ditatæ, tuitione conservatæ sunt, adeò ut nullus sit in Galliis Episcopus, qui *S. Avisi* Viennensis Archipræsulis verbis Regem alloqui non possit: *Quicquid habet Ecclesiola mea, imò omnes Ecclesiæ nostræ, vestrum est, de substantia quam vel servastis hactenus vel donastis. Quod inspirante Deo præceperitis, in quantum vires habuero, parare conabor.* Ex his, inquiunt, sequitur iis Legibus vacantium Ecclesiarum bona subjacere, quæ à Regibus constitutæ sunt. Hoc posito principio sic ratiocinantur: Secundùm Leges, bona defectu heredum vacantia ad Regem pertinent, & ad Fiscum devolvuntur. Porro fructus Episcopatuum vel Abbatiarum, vacationis tempore provenientes, istius generis sunt. Nec enim ipsos alicui legare potuit Episcopus vel Abbas, cùm possessionum Ecclesiasticarum administrationem, dispensationem & usumfructum ad vitam duntaxat haberet. Unde sanè *Gregorius Tolosanus*, in Syntagmate Juris universi, lib. XVII. Cap. II. Beneficii definitionem explicans ait: *Verba ista definitionis*, Per Clericum ad vitam utenda, *docent Clericum non posse ultra vitam fructibus gaudere, vel de illis ultimâ voluntate disponere.... Nam Sanctuarium Dei jure hereditario obtineri non potest.* Sed nec Ecclesiæ sunt, aut futuri Episcopi, nisi Rex illis donaverit: quia Ecclesia nihil possidere potest absque permissione Regis, & literis morticinii, quas Reges non dederunt nec valere voluerunt pro fructibus Episcopatuum & Abbatiarum tempore vacationis provenientibus. Fisci namque sui indemnitati consulere hujusmodi fructuum perceptione, quoad bona allodialia, aut comparata. Regio sanè Fisco multæ utilitates depereunt, quæ ex mutatione possessorum accederent, si ad alios Dominos quàm ad Ecclesiam hujusmodi bona pertinerent. Unde *Guillelmus Benedicti*, in Cap. *Raynutius*, pag. 94. ait: *Interest Domini quòd res non transeant ad Ecclesiam, de cujus manibus exire non possunt, nec ad Ecclesiam reverti, cùm Ecclesia nunquam moriatur... Ecclesia tenetur manum suam evacuare de bonis allodialibus sibi relictis, vel aliunde acquisitis quàm à Rege, quia in allodiis interest Regis, propter Jus confiscationis quod perdit si in Ecclesiam transirent.* Et *Barbosa* lib. II. de Pensionibus, Vot. XL. Num. 19. *Regnorum* (inquit) *utilitas postulat, ut bona stabilia sint in commercio hominum non Privilegiatorum, vel Exemptorum.* Ad Fisci damna compensanda, nonne Reges Literas morticinii seu amortizationis, (ut vulgari vocabulo utamur) Ecclesiis concedentes retinere potuerunt usumfructum bonorum allodialium ad easdem pertinentium tempore vacationis?

Canones nõ prohibent quin Reges fructus Ecclesiarum vacantium titulo custodiæ, defensionis, ac Regaliæ sibi debitos percipiant.

V. Nec verò Canones prohibent quin Reges fructus Ecclesiarum vacantium tam justis titulis Majestati suæ debitos percipiant. Vel enim indefinitè loquuntur & iis verbis quæ non magis ad vacationis tempus, quàm ad aliud quodcunque flecti queant; vel cum iis modificationibus, quæ Reges non spectent; vel solam direptionem, usurpationem, & injustam detentionem rerum bonorum Ecclesiæ, cùm Episcoporum aut Clericorum defunctorum, non legitimum usumfructum prohibent. Concilium Parisiense V. Canone VII. *Res Ecclesiæ, quousque aut testamentum, aut qualemcunque obligationem fecerit, cognoscatur, à nullo penitus contingantur.* Canone VIII. *Neque Episcopus aut Archidiaconus exinde aliquid auferre præsumat.* Concilium Valentinum Canone II. *Clerici suis stipendiis contenti, labores non diripiant Episcopi decedentis.* Concilium Ilerdense: *Nullus Clericorum quidquam de domo præsumat, vel quod de utilitate domus esse cognoscitur, id est, mobilis & immobilis rei Ecclesiasticæ tentet invadere, nihil furto, nihil dolo supprimens, auferens, atque abscondens.* Concilium Arvernense Canone VIII. *Nullus Episcopus quidquam de rebus Ecclesiæ præter humanitatem audeat auferre.* Concilium in Trullo, Canone XXXV. *Nulli omnium Metropolitanorum liceat mortuo Episcopo, qui ejus Throno subest, res ipsius vel Ecclesiæ ejus auferre,*

auferre, vel sibi vendicare. Concilium Pontigonense Canone XIV. *Quoties divinum judicium Ecclesiæ Præsulem à seculo vocaverit, nullus ad suimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat, & ad suos usus transferat.* Concilium Trosleianum Canone XIV. *Quia inter nostrates hic pessimus inolevit mos, ut defuncto Ecclesiæ Episcopo, mox à quibuscunque Potentioribus pervadantur res Ecclesiasticæ, quasi Episcopi fuerint propria, &c.* Canon verò Concilii Chalcedonensis, & alii qui reditus integros reservari futuro Successori jubent, eas patiuntur explicationes, quas Articulo II. hujus Dissertationis protulimus, & salvo semper alieno Jure intelliguntur. Addunt Jurisconsulti nostri, quòd sicut Summus Pontifex, Canonistarum judicio, non peccat in Canones Chalcedonenses, cùm bona Prælatorum defunctorum (quod Jus Spolii vocatur) in quibusdam Ecclesiis occupat, licet ea futuro non reservet Successori: ita Rex Christianissimus in eosdem Canones non peccaret, si reditus Ecclesiarum vacantium perciperet, sed Jure suo uteretur. Ex his facilè diluuntur Objectiones Auctoris nuperi lib. II. de Regalia, Cap. V. Sed his responsionibus non est opus, nisi ut appareat, quantùm Regiæ liberalitati ac pietati Ecclesia debeat, cùm vacantium Ecclesiarum fructus, in pios usus pridem conversi, & Sanctæ Capellæ Parisiensi à *Carolo VII.* & ejus Successoribus addicti, futuro Præsuli vindicati sint ac reservati juxta Canonum auctoritatem, Edicto *Ludovici XIII.* augustæ memoriæ, dato mense Decembri anno MDCXLI. nihilque ex iis jam fisco cedat, nihil in Regios usus convertatur, sed totum dimittatur Episcopis à Rege designatis: exigua tantùm portio ad pium opus & fidei propagationi conducibile, scilicet ad subsidium novorum Catholicorum *Ludovici Magni* Religiosissima Regis providentia destinetur.

Beneficiorum simplicium collatio jure Regaliæ non repugnat æquitati.

VI. Quod verò spectat Beneficiorum simplicium D Collationem, quæ solus contulisset Episcopus, nihil etiam habet æquitati repugnans. Cùm enim Præbendæ nihil aliud sint nativo sensu quàm stipendia Clericorum, pars Ecclesiasticæ possessionis ac proventûs, olim à toto non discretæ, cùm Canonici ex communi cellario alebantur, ex communi vestiario induebantur, aut sportulas & distributiones manuales duntaxat percipiebant: eodem Jure ad Principes illarum Collatio pertinet Ecclesia vacante, quo proventuum perceptio, quippe quæ & antiquo Jure à solida massa decidi non posset, & recentioribus quoque Juris Pontificii Institutis in fructu habeatur. Id asserit Glossa in Cap. *Cùm olim. De Majoritate & Obedientia*: cujus hæc sunt verba: *Collatio Beneficiorum inter bona Episcopalia & fructus computatur.* Et Glossa in Cap. *Generali Constitutione: De electione & electi potestate*, in Sexto: *Regalia accipiuntur pro Juribus quæ habet Princeps in aliquibus Ecclesiis, videlicet quòd vacante aliqua Ecclesia Rex percipiat fructus & Ecclesiam conferat. Nam Collatio Beneficiorum computatur in fructu.* Quod effatum nullo nisi Canone, inscitè scripsit Autor nuperus in Tractatu de Regalia, lib. IV. Cap. X. pag. 342. Nititur enim Rescripto Alexandri, quod habetur Cap. *Ex diligenti: De Jure Patronatus*: in antiqua Collectione Decretalium ab *Antonio Augustino* editâ: *Innocentii III.* Literis ad *Philippum Augustum*, Articulo III. etiam laudatis: *Clementis IV.* Rescripto ad *S. Ludovicum*, cujus verba ibidem protuli: *Gregorii X.* Diplomate ad Abbatem & Priorem Monasterii *S. Dionysii* in Francia directo, cujus verba ibidem descripsi: *Nicolai III.* auctoritate, qui, referentibus *Joanne Monacho*, ad Cap. II. *De Præbendis*, in Sexto, & *Joanne Andrea*, Regaliæ usum prout à Regibus Christianissimis exercetur,

Collatio computatur in fructu.

Glossa in Editione Romana.

A approbavit, & nihil Ecclesiasticæ Disciplinæ contrarium habere judicavit. Neque tamen ..., ut ejus Auctor, cùm illud Juris perti... tamen cavillis quibusdam impingat: scilicet quòd fructus temporales sint, collatio spiritualis: fructus vendi possint, non collatio: quòd tandem fructus absque collationibus Reges Sanctæ Capellæ olim concesserint, & nunc Episcopis designatis dimittant. Non enim collationem in fructu computant Jurisconsulti docent, quasi fructuum utilium, & qui in humanos usus distrahi possunt, humanique commercii subjacent, naturam sequatur: sed quòd B fructus sit honorificus, ad eum pertinens, ad quem proventuum temporalium perceptio spectat. Unde Rex fructus utiles donans, collationes nihilominus retinet: quia suis honoribus exuere se Majestas non intendit, nec in alios transfundere. Præterea, collatio Præbendarum non est absolutè & simpliciter spiritualis, sed antecedenter duntaxat, quia est aliquid ad spirituales Canonici functiones prævium: nec Reges aliquid spirituale conferunt, sed Ecclesiasticas possessiones, seu portionem redituum Ecclesiasticorum, quos qui percipiunt, Deo militare & spiritualia etiam munia in illa Ecclesia obire tenentur.

Auctoris Anonymi objectiones contra collationem Regiam Beneficiorum.

C VII. Objicit nuperus Auctor: Beneficiorum collatio laïco competere non potest, cum sit actio spiritualis auctoritatis. Cùm enim Beneficia spiritualia sint, & pleraque ex his etiam quæ simplicia vocantur, Jurisdictionem aliquam aut functiones spirituales annexas habeant, quæ sine missione non possunt exerceri, ut Decanatus, Archidiaconatus, Theologales Præbendæ, Pœnitentiariæ; à Laïcis conferri non possunt, etiam Regibus; qui missionem dare non valent, cùm Regia Dignitas eos supra laïcorum ordinem non evehat, nec Pastores efficiat. Nota est illa Juris Canonici Regula in Sexto: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Institutione Canonicâ obtineri.* Collationes Beneficiorum à laïcis factas execrata semper Ecclesia est, ut constat ex Canone XXX. inter eos qui Apostolici dicuntur, ex Concilio Antiocheno Excommunicationem in eos decernente qui *per laicos Ecclesias obtinent*: ex Nicæna Synodo Canone III. irritam dicente electionem Presbyteri vel Diaconi *à Principibus* factam: ex Octava Synodo Oecumenica Canone XX. declarante, nullam in talibus potestatem quemquam laïcorum habere: ex Conciliis omnibus in controversia Investiturarum habitis, quibus decretum est, ut *Nullus Clericorum Investituram Episcopatûs vel Abbatiæ, vel Ecclesiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicujus personæ laicæ recipiat.* Hanc doctrinam Patres docuere. *Osius* Imperatorem *Constantium* his verbis compellans: *Tibi Deus Imperium commisit, nobis ea quæ sunt Ecclesiæ concredidit: & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahas, & magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est,* quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. *Neque enim fas est nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum & Sacrorum potestatem habes, Imperator.*

E

F

S. Ambrosius ad Valentinianum: *Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea quæ divina sunt Imperiale jus aliquod habere... Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum.*

Gregorius II. Pontifex Maximus ad Leonem Isaurum: *Quemadmodum Pontifex introspiciendi in Palatia Potestatem non habet, ac Dignitates Regias deferendi: sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi, & Electiones in Clero peragendi, neque consecrandi, vel symbola Sanctorum Sacramentorum administrandi.*

Theodosius

Theodosius & *Valentinianus* Imperatores : *Nefas est illum qui Sanctissimorum Episcoporum Catalogo adscriptus non est, Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se immiscere.*

Theodoricus Rex in Synodo Romana anni DII. professus est : *Nihil ad se præter reverentiam de Ecclesiasticis Negotiis pertinere.*

Inter Probat. Histor. Dissid. Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri, pag. 78.

Meritò itaque *Bonifacius VIII.* Collationem Præbendarum ad Regem pertinere negabat : jure prohibebat *Philippo Pulchro*, ne hanc usurparet : prudenter Nuntius Regius dixerat : *Volumus quòd Rex faciat licitè, quod facit illicitè. Volumus super hoc sibi facere omnem gratiam quam poterimus : quia certum est, & omnia Jura clamant, quòd Collatio Beneficiorum non potest cadere in Laicum : ita quòd habeat jus seu auctoritatem spiritualem & potestatem conferendi. Nolumus quòd decipiantur animæ, neć illi qui tenent vel recipiunt, quia constat quòd retinere vel recipere non possunt, nisi consensu nostro tacito vel expresso.*

His pene Argumentis adversùs Jus Regium pugnat nuperus Auctor Tractatus de Regalia, lib. II. Capitibus primo, tertio, sexto, & septimo, & Cap. undecimo libri primi : quæ Regii Juris Defensores hoc pacto propulsant.

His objectionibus quid respondeant Galli Jurisconsulti?

Responsio prima.

Collatio Beneficiorum, pleno etiam jure, competere Laico potest ex Ecclesiæ consensu.

VIII. Respondent scilicet, nemini dubium esse, quin Beneficiorum collatio, pleno etiam jure, competere laico possit, *Ecclesia consensu tacito vel expresso*, ut *Bonifacius VIII.* etsi *Philippo Pulchro* minùs æquus, professus est. Non solùm Reges istius potestatis capaces esse accedente Ecclesiæ consensu, ut ex *Alexandri III.* Rescripto ad Vellense in Anglia Capitulum compertum est, sed etiam fœminas Principes, ut de Flandrensi Comitissa constat ex Cap. *Cum dilecta*, *De Concessione Præbendarum*, & ex Abbate Panormitano ad illud Caput. Porro Christianissimis Regibus de se bene meritis Ecclesiam concessisse ut Præbendas & Dignitates curam animarum non habentes, vacantibus Ecclesiis, apertâque Regaliâ conferrent, saltem consensisse, ex Summorum Pontificum Innocentii III. Clementis IV. Gregorii X. Nicolai III. Gregorii XI. Rescriptis vel Responsis constat, & ex cæteris Pontificibus, quorum aliqui Galli fuerunt, vel in Gallia sederunt, Gallicanæ Ecclesiæ, Regiæque, disciplinam ac mores noverant, modum quo Regalia à Regibus nostris exercebatur perspectum habebant, nec tamen improbavere collationes Præbendarum ab ipsis pleno jure fieri solitas. Quid de Conciliis Oecumenicis dicam, in Galliis etiam celebratis, Lugdunensi II. & Viennensi : Quid de ipsis Conciliis Gallicanis, quæ cùm Ecclesiasticam Libertatem & Jurisdictionem strenuè propugnaverint, Episcopalia Jura vindicarint ; Regaliæ Jus, & Præbendarum Collationem à Regibus Christianissimis eo Jure factam nusquam improbarunt : nusquam eorum Majestati supplicaverunt Antistites ut ab hujusmodi collationibus temperaret ?

Consuetudo antiqua ab Ecclesiarum fundatione, vel à tempore immemoriali, Privilegii vim habet.

Addunt, Consuetudinem antiquam ab Ecclesiarum fundatione, vel à tempore cujus non extat memoria, Privilegii vim habere, ut colligitur ex Cap. *Super quibusdam. Extra. De verborum significatione* : Et ex Glossa in idem Caput, cujus hæc sunt verba : *Nota diligenter, quòd illa consuetudo, cujus non extat memoria, Jus sive Privilegium inducit.* §. de aqua quotid. & æstiva. L. *Hoc Jure.* §. Ductus. ff. de aqua pluvia. arceo. L. 1. §. ult. 11. Q. 6. C. *Hoc quippe*, IX. Q. III. C. *Conquestus.* & XXV. C. *Mos antiquus* Et C. De Testam. L. *Testamenta.* Et *per hoc videtur, quòd cùm talis consuetudo Jus inducat, non sit necesse titulum allegare, licèt hoc requiratur quandoque in consuetudine triginta annorum.* Idémque Jurisconsulti & Theologi vulgò docent. De hac Jurisconsultorum doctrina Illustrissimus Archipræsul *Petrus de Marca* lib. III. De Concordia Sacerdotii & Imperii, Cap. IX. Num. VI. ait : *Fatentur ex possessione immemoriali, nec præscriptione, nec consuetudinis titulo rerum spiritualium administrationem laicis acquiri posse : Attamen ex consuetudine præscripta per possessionem illam immemorialem instrui probationem Privilegii à Summo Pontifice concessi. Itaque aiunt in hac specie sufficere ut allegetur titulus, id est, Privilegium à Superiore indultum. Ejus enim probatio solâ possessione centenaria vel immemoriali conficitur, etiamsi nulla exhibeantur Privilegii tabulæ. Morosiores requirunt ad summum probationem famæ, quæ doceat Privilegium illud concessum fuisse : quamvis hæc conditio à multis necessaria non esse dicatur. In eum autem finem requiritur Privilegii allegatio, ut constet vel saltem censeatur Laico idoneitatem seu capacitatem rei Ecclesiasticæ tractandæ indultam fuisse à Summo Pontifice.* Laudat ad marginem *Peregrinum*, de Jure Fisci, L. 1. Tit. 2. §. 61. *Mascardum*, de Probat. T. 3. Cons. 1372. *Menochium* lib. 3. Præs. 131. §. 46. 47. 48. *Carolum Molin.* in Cons. Parit. §. 7. Num. 12. *Petrum Barbosa*, ad L. *Omnes.* C. de Præs. 30. vel 40. annorum, qui loquuntur in genere de præscriptione, quando obstat incapacitas præscribentis. Addit Archipræsul utriusque Juris peritissimus, Gallicanos Auctores *Aufrerium* & *Benedictum*, aliósque Pragmaticos, hunc loquendi modum secutos esse ; *Qui ex Privilegio Sedis Apostolicæ Principibus nostris in plerisque Ecclesiasticis Negotiis Jurisdictionem vindicant, & Privilegii probationem è vetustissima possessione petunt in iis capitibus, in quibus desunt Privilegiorum tabulæ.* Laudat ad marginem *Joannem Fabrum*, *Aufrerium*, in Tract. de Potest. Secul. super Eccles. Fallentia 1. & 12. Regulæ 1. *Benedictum*, in verbo, *Et uxorem.* Decis. 2. Num. 143. & 144. 161. & seq. *Chassaneum*, in Consuet. Burgund. *T. Des Justices.* & *Carolum de Grassalio* lib. II. Regal. Franc. Cap. 17. Refert ibidem Illustrissimus Archipræsul, approbátque Virorum Jurisconsultissimorum sententiam, qui *ex tolerantia Papæ legitimum oriri titulum* asserunt, *qui perficitur præscriptione : quòd maximè locum habet, cùm ad vitandum scandalum & contentiones cum Principibus, Ecclesiasticis Juribus connivere videtur. Quia valde interest Reipublicæ scandala vitari* : Cùm nonnulla pro utilitate communi contra Juris asperitatem, ex æquitatis mansuetudine tolerari noscuntur : ut verbis Decretalium utar. Cùm itaque certissimum sit, Laïcos ex Ecclesiæ Privilegio Beneficia, etiam pleno jure, conferre posse, & consuetudo antiquissima quâ Reges nostri Præbendas & Dignitates in Ecclesiis Metropolitanis & Cathedralibus Regni sui vacantibus conferunt, secundùm principia mox posita, & à Canonici Juris Doctoribus admissa, vim habeat Privilegii : cùm insuper Summi Pontifices illam non modò toleraverint, sed etiam approbaverint : Cùm Ecclesia non solùm Gallicana, sed universa in Conciliis congregata conniventiâ suâ legitimam causam illam præscribendi Regibus præstiterit, sequitur auctoritatem conferendi Præbendas & Dignitates Ecclesia vacante, quæ ad Episcopi collationem pertinebant, eorum legitimè quæsitam esse Majestati.

Responsio secunda.

Collationem Beneficiorum non esse rem propriè spiritualem, sed tantum spiritualibus per antecedentiam connexam, Jurisconsulti Parisienses censent.

IX. Respondent secundò, Collationem Beneficiorum sicut Præsentationem, non esse res propriè spirituales, sed tantùm spiritualibus connexas per antecedentiam. Spirituale nimirum aliquid dicitur ex ordine ad Spiritum Divinum, 1. Per causationem seu concomitantiam, quo modo Sacramenta spiritualia sunt, quia gratiam causant & operantur ; & Sacramentorum administratio spiritualis actio est. 2. Quia spirituali est annexum, vel per consequentiam,

quentiam, & per modum appendicis, ut Jus percipiendi decimas, quod ratione spiritualium officiorum alicui competit: vel per antecedentiam, ut Jus Patronatus, & Collatio Præbendarum. Quod primo vel secundo modo spirituale est, Laicis non competit, nec ullo Privilegio aut consuetudine eorum ad hoc incapacitas tolli potest. Sed quod tertio duntaxat modo spirituale est, ut spiritualibus Officiis per antecedentiam annexum, quia exercitium spirituale & officium quod Beneficiatus Ecclesiæ præstat, antecedit, ut Præsentatio, vel Collatio, competere Laïco potest ex concessione Ecclesiæ, vel ex præscripta consuetudine. Hanc & superiorem Responsionem tradit & præclarè explicat *Joannes de Parisiis* Ordinis FF. Prædicatorum insignis Theologus, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor celebris, in egregio Opere de Potestate Regia & Papali, quod tempore *Bonifacii VIII.* & *Philippi Pulchri* scripsit, Cap. XXI. ad XXXVIII. adversariorum objectionem respondens. *Quod verò* (inquit) *dicitur* XXXVIII. *de Collatione Beneficiorum: Dicendum quòd Collatio ista competere potest Laico ex consuetudine, sicut Præsentatio de jure scripto. Nam non plus repugnat Laico unum quam aliud, & potest competere de Jure Patronatus, si hoc fuerit in consuetudine habitum, vel concessum ab Ecclesiis. Sicut enim dicitur* VIII. *Ethicor.* Benefacienti, etsi non ex debito justitiæ, ex quo actiones nascuntur apud homines; tamen ex debito honestatis, debetur superabundanti honor, indigenti verò retributio lucri: *Et inde est quòd Fundatoribus Ecclesiarum & Patronis, ratione beneficii accepti, Ecclesia à principio ex debito justitia non erant obligata, tamen ex debito honestatis eis voluerunt concedere aliquid honoris, & aliquid utilitatis. Honoris quidem, præsentando ad Beneficia, quod invenitur concessum Patronis in Jure scripto expressè & generaliter: Tamen quibusdam Excellentioribus Patronis, ut magis foveretur eorum devotio ad Ecclesias fundandas, est per dissimulationem concessum rationabiliter. Et quia illud quod rationabiliter est concessum, licèt ex gratia, & non ex debito justitia, in longam & præscriptam consuetudinem tractum convertitur in jus commune, eo quod* (*ut dicit Plato in Timæo*) Quod semel rationabiliter est institutum, non est divinæ voluntatis immutari debere: *Ideo dicta Præsentatio ad Beneficia Ecclesiastica omnibus Patronis debetur generaliter: & Collatio quibusdam Excellentibus, qui hoc ex consuetudine habuerunt, debetur specialiter & de jure, ut eis auferri non possit sine injuria. Imò si quis auferre vellet eis sine causa evidenti & rationabili, indubitanter non posset, sed semper teneret Patroni Collatio, quicquid ageretur contra hoc à quocunque. Nam* (*ut dictum est supra*) *Deus non dedit potestatem Petro vel Ministris Ecclesiasticis in bonis Ecclesia ad ordinandum pro libito, sed pro bona fide, & ad ædificationem, non ad destructionem, ut dicitur* II. *Corinth. Deus enim non vult, quod rite alicui est collatum ei auferri, nisi culpa interveniente: Nam, secundum Apostolum, ad Rom.* XI. Sine pœnitentia sunt dona Dei. *Et Job* XXXIII. *dicitur:* Non aufert à viro justo oculos suos, & Reges in solio suo constituit in sempiternum. *Et ideo ex quo fuit principio Patronis concessum expressè vel interpretativè per longam dissimulationem, & ex causa rationabili: quia ex debito quo benefacienti excellenti honor debetur, etiam ut Potentes promtiores efficerentur ad dotandas Ecclesias: non est dubium non esse propriè à Christo commissum quod talia revocari possint sine evidenti & magna culpa: super quam Princeps monitus, inveniretur incorrigibilis: & præcipuè cùm ex hoc Ecclesia sumpserunt magnum emolumentum.*

Quod ergo arguitur, Quòd Collatio non cadit in laicum, cum sit idem quod spirituale: Respondeo dicendum, quòd spirituale propriè non dicitur, nisi in habitudine ad Spiritum Divinum, per causalitatem seu concomitantiam: Unde Sacramenta Ecclesiastica sic spiritualia sunt, ut administratio Sacramentorum: quia gratiam spiritualem contingunt & causant. Spirituali verò annexum dicitur, quod habet ordinem ad dictum spirituale, vel per consequentiam, ut Jus decimarum; vel per antecedentiam, ut Jus Patronatus, & Collatio Præbendarum. Primum ergo quod est spirituale, propriè non cadit in laicum aliquo modo, nec secundum quod est annexum ei per consequentiam, quia tale dependet ex spirituali Officio. Nam ratione spiritualium Officiorum competit alicui Jus decimarum, & ideo sicut spirituale Officium non competit laico, ita nec Jus prædictum: licet fructus corporales, qui nomine decimarum appellantur, laico competere possint de concessione Ecclesia. Sed tertium, quod est annexum spiritualibus officiis per antecedentiam, ut Præsentatio, vel Collatio, seu Jus conferendi, quia non sic dependet à spirituali, sed è converso, potest competere laico præcipuè, & ex concessione Ecclesia, vel ex permissione, & longa consuetudini præscripta, potest Rex sibi Jus acquirere, cùm sibi non repugnet: quia si ei repugnaret, ei non posset convenire ex concessione cujuscunque, sicut nec administratio Sacramentorum, vel Jus decimarum potest competere laico auctoritate cujuscunque. Addit, Illam consuetudinem conferendi Præbendas non esse Ecclesiæ gravem & incommodam, quia majore utilitate compensatur. *Et quod dicitur, quòd Consuetudo non præjudicat Juri: Respondeo, Dicta consuetudo cùm non sit damnosa in Ministris Ecclesia, sed in pluribus fructuosa, non præjudicat Juri publico in genere, licet videatur præjudicare in specie. Nam licèt videatur præjudicare Episcopis qui privantur Collatione Beneficiorum, quæ de Jure communi eis debetur: tamen Ecclesia aliud ex hoc emolumentum accipiunt præponderans, ratione defensionis, & donationis, & fundationis; & ideo non præjudicat simpliciter.*

X. Respondent tertiò, non esse confundendam Ordinationem sive ad Ecclesiasticos Ordines Promotionem, cum Beneficiorum Collatione: illam merè spiritualem esse; hanc, quoad Beneficia curam animarum non habentia, aliquid temporale redolere; prioris Reges incapaces esse, cùm sint laïci; posterioris capaces, cùm sint Domini & Patroni. Enimvero, dum ex Canonum Concilii Chalcedonensis, aliorúmque auctoritate nemo absolutè ordinabatur, sed relativè ad Ecclesiam aliquam aut Monasterium, tunc una eadémque functione Ordo Beneficiúmque conferri videbantur; utraque Collatio spiritualem conditionem induebat; difficiliùs capi poterat quomodo Collatio Beneficii competere laïco posset. Sed veteri illâ disciplinâ contrario jam usu antiquatâ, cùm ipsa Ordinatio & Beneficii Collatio separatim & distinctis actionibus peragantur, & portio redituum Ecclesiasticorum quæ Beneficiatis confertur non sit ita cum functione spirituali connexa ut ab ea non possit separari, magis temporale quid sapere videtur Collatio Beneficiorum simplicium, quam spirituale.

Responsio tertia.

Ordinationem merè spiritualem esse. Benef. verò curam animarum non habentium Collationem temporale quid sapere alii respondent, quam Responsionem Theologus non probat.

Quod autem portio illa Ecclesiasticorum redituum, quæ Beneficiatis confertur, non sit ita cum functione spirituali connexa, ut ab ea non possit separari, multis momentis probant. Primò ex Præbendarum extinctione, de qua *Barbosa* lib. De Officio & Potestate Episcopi, Allegatione LXVII. Cùm enim supprimuntur Beneficia, reditus temporales à functione spirituali separantur. Secundò, ex Precariis & Præstariis, quibus usufructus rerum Ecclesiasticarum ad vitam olim concedebatur, non

Reditus Ecclesiastici non sunt ita connexi cum spirituali functione, ut ab ea separari non possint.

solùm

solùm Clericis, sed etiam Laïcis de Ecclesia benè meritis. Tertiò, ex decimarum infeudatione. Quartò ex Præbendarum Collatione laïcis olim facta, & Conciliorum Decretis vetitâ: De qua Concilium Monspeliense anno MCCXIV. celebratum, Canone VIII. *Districtè mandamus, quòd in nullâ Ecclesiâ Laici recipiantur in Canonicos & in Fratres, nec etiam ad Præbendam Canonicalem quæ consistit in pane & vino & quibusdam aliis.* Et Biterrense anno MCCXXXIII. Canone XXIV. *Districtiùs quoque mandamus, quòd in nullâ Ecclesiâ Laici recipiantur in Donatos ad Præbendam panis & vini.* Et *Benedictus XII.* Pontifex Maximus in Constitutionibus editis anno MCCCXXXIX. Cap. XII. *Prohibemus insuper ne in Ecclesia Cathedrali seu Monasterio, quivis Clericus secularis vel* LAICUS *recipiatur ad Præbendam seu etiam portionem, nisi eidem Ecclesiæ seu Monasterio dederit primitùs se & sua: nec hujusmodi Præbenda seu portio ad vitam vel ad tempus vendatur, detur, seu aliàs concedatur eidem.* Provinciæ Turonensis Episcopi *Ingelgerio* Comiti Andegavensi & Heredibus ejus *Præbendam* in Ecclesia *S. Martini* in perpetuum *possidendam dederunt. Quin verò Ecclesia ejusdem Sancti tunc carebat Thesaurario & Æditno, Consulem Ingelgerium inthronizaverunt, & Thesaurarium constituerunt, & Defensorem Ecclesiæ fecerunt, & Tutorem omnium possessionum ejus, ubicunque essent, delegaverunt. Qui Sedem Thesaurarii, & domos cum reditibus, quandiu advixit, obtinuit.* Ita referunt Gesta Consulum Andegavensium, Tom. X. *Spicilegii*, pag. 431. Quintò, separationem redituûs temporalia Beneficiorum à spiritualibus Ministeriis probant Abbatiarum & Prioratuum Commendationes, non modò Clericis, sed Laïcis olim factæ. *Ottoni* Burgundiæ Duci Prioratum quemdam in Diœcesi Bisuntina anno MCCLXXXI. collatum, in Collectione Monumentorum ad Historiam Burgundiæ spectantium pag. 481. legimus. Consulatur eruditum Opus R. P. *Ludovici Thomassini* de Disciplina Ecclesiæ circa Beneficia, Tom. II. P. IV. Lib. I. Cap. LXXIV. Sextò, idem probatur ex Glossâ Capitis, *Si super gratia. Tit. de Officio & potestate Judicis Delegati*: in Sexto: cujus hæc sunt verba: *Nota primò quod Papa potest alicui conferre Canonicatum sine Præbenda, & sic Canonia potest esse sine Præbenda: tamen non debet esse diu: & tamen Præbenda potest esse sine Canonia; ut in notabilibus Ecclesiis parvuli habent unam Præbendam, non tamen per hoc sunt Canonici; & Laïcus potest esse Præbendatus in Ecclesia, non tamen per hoc est Canonicus.* Idemque docet *Prosper Fagnanus*, in Cap. *Cum pridem, De Pactis*: cujus hæc sunt verba: *Præbenda potest consistere in mera temporalitate, & cadere in Laicum: Et de hac intelligenda est Glossa in Cap. Cùm M. de Constitutionibus.* Ex his omnibus evidens est, necessariam connexionem non esse redituum temporalium, qui Præbendæ nomine intelliguntur, cum spirituali Ministerio, adeòque Præbendarum & cæterorum Beneficiorum simplicium Collationem aliquid temporale redolere.

Responsio quarta.

Quicquid spirituale est in Dignitatibus & Præbendis, ab Ecclesia confertur, non à Principe.

Respondent quartò, Quicquid spirituale est in Dignitatibus & Præbendis ab Ecclesia conferri, non à Principe, imò totum Beneficium Ecclesia confert ministerio Principis, ut *Joannes de Parisiis* loco supra laudato observat; *Vel (ut dicit Philosophus 8. Ethicorum) Hoc facimus, quod per amicos facimus: & ideo Ecclesiasticus conferre dicitur, licèt non per se, sed per Patronum Laicum, cui ab eo concessum est rationabiliter.* Sicut ergo in Natura homo dispositiones quidem prævias, quarum postremam sequitur animæ rationalis infusio, in materiam inducit, veréque hominem generat, quamvis animam rationalem quæ substantialis est, non producat, sed ea creetur à Deo, & creando in corpus infundatur; & sicut in Moralibus Matrimonium quatenus Contractus Civilis est, subditur Auctoritati Legibúsque Principum, quatenus verò Sacramentum est, à solo Christo est institutum: ita licet Rex, aliúsve Patronus Laïcus, quod temporalitatis est in Beneficio conferat, non tamen quod spirituale, quamvis utrumque ex Ecclesiæ disciplina connexum sit: sed ab Ecclesia confertur quicquid spirituale est, cùm in Præbendæ vel Dignitatis possessionem mittitur & installatur (ut hoc verbo utar) Beneficiatus. Et sicut olim aiebat *Waleramus* Episcopus Naumburgensis in Tractatu *De Investituris*, Episcopos designatos, quamvis donum Episcopatus à Regibus accepissent, spiritualem tamen auctoritatem ab ipsis non accipere, sed *A Stola & Auctoritate S. Petri*, cùm inaugurabantur: ita Clerici cùm ad Præbendas vel Dignitates Ecclesiasticas à Rege nominantur, seu Patronatus, seu Regaliæ Jure, ab ejus Majestate non accipiunt quod spirituale est, sed ab Ecclesia.

Responsio quinta.

Respondent quintò, Beneficiorum duntaxat curam animarum annexam habentium Collationem Laïcis repugnare, & laudatos in Objectione Canones id unum probare; non verò Collationem Beneficiorum simplicium. Discrimen istud agnovisse ac docuisse *Gregorium IX.* Pontificem Maximum, recentioris Juris Canonici Parentem, in Epistola ad *Fredericum II.* Imperatorem: *Esto*, inquit, *quòd aliqua Beneficia vacantia conferas, ut Curam tamen Animarum illis annexam committere valeas, Jus spirituale, quod non cadit in Laicum, non permittit.* Addunt, Præbendas quasdam & Dignitates, quæ nunc spirituales functiones, aut Jurisdictionem spiritualem, annexas habent, non semper ejusmodi fuisse. Archidiaconos, verbi gratia, Curam animarum non semper habuisse, nec Jurisdictionem Ordinariam, Hispaniæ Archidiaconos penè omnes istius etiamnum conditionis esse. Jurisdictionis ad Præbendas & Dignitates quasdam additionem esse ex institutione Juris Canonici, quo Jus Regaliæ Christianissimis Regibus competens antiquius est. Ut ut est, si quid in usu Regaliæ quoad Præbendarum & Dignitatum hujusmodi Collationem durius videbatur, totum id mollitum fuisse Auctoritate & Pietate Christianissimi Regis LUDOVICI MAGNI, qui pro sua in Ecclesiam & Episcopalem Ordinem propensione, de ipsis Juribus quæ *S. Ludovicus* exercuit, aliquid remittere dignatus, perpetuo & irrevocabili Edicto dato apud S. Germanum in Laya mense Januario anni millesimi sexcentesimi octogesimi secundi, statuit ut ii quibus sua Majestas vel Successores Reges, Decanatus & similia Beneficia Curam Animarum aliquam habentia, Archidiaconatus, Theologales Præbendas, Pœnitentiarias, & alia Beneficia, quorum Titulares Jurisdictionem aliquam & functionem spiritualem & Ecclesiasticam privatim & suo nomine exercendi Jus habent, Jure Regaliæ contulerint, coram Vicariis Generalibus Capituli Sede vacante, aut coram novo Episcopo se sistant, ad obtinendas ab ipsis approbationem & missionem Canonicas, requisitas ut spirituales functiones eidem Dignitati aut Præbendæ annexas, obire validè possint & adimplere.

Collationis Beneficiorum simplicium laici sunt capaces ex Ecclesiæ concessione.

Spiritualem Jurisdictionem & Missionem ab Ecclesia recipiendâ edixit Ludovicus Magnus.

Responsio sexta.

Reges Christianissimi aliquid supra communem laicorum sortem obtinent, non tamen spiritualem & Hierarchicâ Auctoritate.

Respondent sextò, Reges Christianissimos aliquid supra communem Laïcorum sortem obtinere, Ex Unctione olei divinitus adlapsi quo delibuti sunt; ex Primogenitorum Ecclesiæ Filiorum & Christianissimorum, ac Ecclesiæ Defensorum augustis titulis, qui à *Clodovei* baptismate eorum Majestati adhæsere, ex dignitate Abbatis, quam in Ecclesiis *S. Martini* Turonensis & *S. Hilarii* Pictaviensis,

ctaviensis, & Præbendis quas in Ecclesiis Lugdunensi, Cenomanensi, Andegavensi, aliisque obtinent; ex Privilegio ipsis cum Imperatoribus communi, ut Diaconi habitu Evangelium in Ecclesia solemni ritu legere possint, id abundè probari; Joannem Monachum, ad Cap. 11. de Præbendis in vi. id fateri; Proindéque non esse mirum quod Jus habeant exequendi aliqua ad Politiam externam Ecclesiæ spectantia, ut Ecclesiæ *adjutores & defensores*, quibus nominibus *Carolus* M. gloriabatur: quamvis nec de rebus fidei controversiis decernere, nec de Ritibus & Sacrorum Ministerio statuere, nec Judicia Canonica exercere possint: siquidem ligandi & solvendi, pascendique potestatem, aut spiritualem auctoritatem omnino nullam à Christo acceperunt. Quod unum probant Patrum & Imperatorum verba in Objectione laudata. Potuerunt (inquam) etsi Clerici non essent, Concilia Nationalia & Provincialia congregare, editos in iis Canones confirmare, titulo tuitionis & patrocinii duntaxat, non Jurè merè Regio. Reges enim Christiani *Ecclesiam a Christo tuendam susceperunt. Eorum potestati suam Ecclesiam concredidit*: ut post *S. Isidorum Hispalensem* lib. *De Summo Bono*, loquitur Concilium Parisiense vi. P. 11. Cap. 11. Hinc Episcopi Gallicani in Synodo Arvernensi anno DXXXV. congregati ad *Theodebertum* Regem scribebant: *Cultores vestri, Ecclesiarum vestrarum Episcopi, &c.* Et *Vigilius* Pontifex Maximus anno DLVI. ad *Childebertum* Regem pro *Sapaudo* Arelatensi Episcopo scribebat: *Pro quibus, Christianitatis vestræ confidentiâ freti, paterno studio postulamus, ut si quid tale factum est, congrua satisfactione celeriter amputetur, nec ullum sui exemplum in perturbatione* ECCLESIARUM, QUAS VOBIS DEUS CREDIDIT, *relinquere concedatur.* Clerum itaque proximè contingunt Reges Christianissimi, externam Ecclesiæ Politiam ut ejus Defensores & Adjutores ex officio curant, & his nominibus magis idonei sunt ad Jura quædam relativè & per antecedentiam spiritualia (ut loquitur *Joannes Parisiensis*) exercenda, verbi gratia ad Beneficia pleno Jure conferenda, Ecclesiæ consensu accedente.

Tandem quod *Bonifacium VIII.* spectat, respondetur, ejus Decreta gestáque contra Jus Regiarum Collationum, aliáque Regum nostrorum Jura à Summis Pontificibus *Benedicto XI.* & *Clemente V.* rescissa fuisse. *Bonifacium* errore facti deceptum, eúmque finxisse quòd Juri Regio Præbendas vacante Sede apertáque Regalia conferendi Ecclesiæ consensus accessisset: nec tamen existimasse Jus illud Regi repugnare, cùm scripserit: *Volumus ut Rex faciat licitè, quod facit illicitè: Volumus super hoc sibi facere gratiam omnem quam poterimus.*

ARTICULUS VII.

Utrum Regalia JUS REGIUM *rectè nuncupetur? Et quo sensu?*

REgalia, quatenus Beneficia conferendi Jus involvit, Jus Regium esse eo sensu, quòd ratione supremæ potestatis temporalis Principibus conveniat, nemo dixerit, cùm suprema potestate præditi essent, qui *Clodovæum* antecesserunt Francorum Reges, nec tamen Jus illud haberent: & alii Reges Christiani supremam pariter habeant suis in Regnis Potestatem, nec tamen augusto illo Jure fruantur. Sed Jus Regium eo sensu vocatur, quòd antiqua consuetudine, possessione præscripta, & ipsius Ecclesiæ seu concessione seu consensione firmatum, Coronæ Regiæ coaluerit: sicut Patronatus, quos vocant Laïcos, ipsis quoque terris atque dominiis ex possessione inhærent, & quasi temporalis Juris loco habentur: cùm tamen ad Juris ex Ecclesiasticæ potestatis fonte profluxerit. Porro non hâc primùm ætate usurpatus est hic loquendi modus, ut sequentia momenta probant.

I. *Sugeris* Abbatis verba, Epistola xx. *De Regalibus, sicut in Curia Dominorum Regum Francorum Mos Antiquus fuisse dinoscitur &c.*

II. *Innocentii III.* in Literis ad *Philippum Augustum* anno MCCX. datis, de Collatione Præbendæ ab ipso facta Sede Laudunensi vacante scribentis: *Præbendam ejusdem Ecclesiæ ut vacantem, secundum Antiquam & Approbatam Consuetudinem Regni tui, M. Thomæ de Argentolio concessisti.*

III. *Guillelmi Nangis* in Vita *S. Ludovici* Regis: *Ratione Custodiæ Regalium, ex Consuetudine pertinebat ad eum Collatio Præbendarum.*

IV. *Clementis IV.* in Literis ad *S. Ludovicum* Regem: *Ea ratione quòd vacantes confers in Ecclesia ipsa* (Remensi) *Præbendas, à tempore quo eamdem Ecclesiam Pastoris regimine contingit destitui, donec substitutus illi Archiepiscopus Regalia recipit à te, hujusmodi Collationem in præjudicium tuum asseris esse factam &c. Usui quo circa Collationem Præbendarum ipsarum uteris, præjudicare nolumus, nec etiam intendimus.*

V. *S. Ludovici* in Literis anno MCCLXIX. scriptis: *Personatus, Præbendas, & cætera Ecclesiastica Beneficia, ad nostrum Patronatum, Collationem, seu Præsentationem nostram, tam ratione Regalium, quàm alio quocunque Jure pertinentia &c.*

VI. *Philippi Pulchri* Regis Christianissimi in Epistola ad *Bonifacium VIII.* scribentis: *Ecclesiarum ac Præbendarum vacantium Collationem ad Nos* JURE REGIO *pertinere.*

VII. Verba ejusdem in Edicto anni MCCCII. *Quantùm ad Regalias, quas Nos & nostri Prædecessores percipere consuevimus & habere in aliquibus Ecclesiis Regni nostri, quando eas vacare contingit; de quibus plures ad Nos querimoniæ devenerunt.* Et in Literis quæ incipiunt, *Sicut Feodus*, suprà laudatis: *De jure & generali Consuetudine Regni nostri &c. bona temporalia cum vacante Præbenda vel Dignitate concedimus, & de eis disponimus* NOSTRO JURE.

VIII. *Philippi Valesii*, in Constitutione quæ *Philippina* nomen ad hæc tempora retinuit, data mense Octobri anno MCCCXXXIV. *Nous nous tenons & sommes suffisamment & deuement informés, que nos Devanciers Roys de France, pour cause de Regale & de la Noblesse de la Couronne de France, ont accoûtumé & ont esté en possession & saisine de donner les Prebendes, Dignitez, & Benefices, quand ils ont esté vacans de droit & de fait, ou de droit tant seulement, ou trouvez non occupez & vacans de fait tant seulement: Et que nous de ce en avons usé, usons, & entendons user* COMME DE NOSTRE DROIT ROYAL. *Et avons devié toute Audience de Plaid à ceux qui à nosdits usages accoûtumez par nos Devanciers Roys de France, & par nous continuez, & aux Droits Royaux qui en tel cas nous appartiennent pour Cause de Nostre Couronne, & aux Collations par Nous, nos Devanciers ou Successeurs, faites ou à faire ès cas susdits, ou en aucun d'iceux se voudroient opposer.*

IX. *Joannis* Regis Christianissimi in Senatusconsulto die xx. Novembris anni MCCCLXI. pronuntiato: *Fuit ex parte Procuratoris nostri propositum, quòd Nos & Prædecessores nostri Reges Franciæ fuerant, eramus, & sumus in possessione & saisina pacificis, soli & in solidum,* DE JURE ET DIGNITATE

Preuv. Probationes Libertatum Eccles. Gallic. Cap. xv. N. xxxi. pag. 182.

DIGNITATE REGIA ET CORONÆ FRANCIÆ, ATQUE JURE NOSTRÆ REGALIÆ; *etiam de jure, usu, stylo, & consuetudine notoriis & notoriè observatis a tanto tempore quòd de contrariis memoria non extabat, seu quod sufficiebat ad bonam possessionem acquirendam & retinendam, conferendi Canonicatus & Prabendas Canonicales in Ecclesia Morinensi, quoties ipsas Prabendas vacasse ac vacare, ac vacantes seu vacuas aut non occupatas fuisse aut esse, de jure solùm, aut de facto solùm contingebat & contingit, in Regalia nostra, videlicet ipsa Ecclesia Pastore vacante, absque eo quòd alius quicunque prater Nos de ipsis valeat ordinare inter alias Ecclesias Regni nostri, & alia Beneficia Ecclesiastica, in & de quibus Jure nostra Regalia consuevimus uti, & utimur modo pradicto.*

X. Ejusdem Regis, in Literis quibus Ducatum Burgundiæ *Philippo* Filio donavit, quas laudavit & confirmavit *Carolus V.* die II. Junii anno M. CCCLXIV. *Salvis insuper & retentis Nobis & Successoribus nostris Francia Regibus superioritate & ressorto dictorum donatorum. Fide etiam ac homagio Ducis prastandis Nobis & Successoribus nostris pradictis,* REGALIBUSQUE ET JURIBUS ALIIS REGIIS AD NOS PERTINENTIBUS AD CAUSAM NOSTRÆ CORONÆ. Has Literas in Annalibus *Papirii Massoni*, lib. IV. pag. 475. legere est.

XI. *Gregorii Undecimi* in Diplomate dato V. Kalendas Septembris anno MCCCLXXV. de Remissione Regalium *Petro* Rothomagensi Archiepiscopo facta à *Carolo V.* Christianissimo Rege: *Volumus*, inquit, *& Auctoritate Apostolica, tenore prasentium concedimus, quòd per hujusmodi Remissionem Regalia, eidem* REGALIÆ, *& ejus* JURIBUS, *in quibuscunque consistant*, REGI *& ejus Successoribus, seu etiam* CORONÆ REGIÆ, *nullum in posterum prajudicium generetur, nec ad consequentiam trahi valeant in futurum.* Editum est in Probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Cap. XV. Num. XXXIV. pag. 385. Refert etiam *Chopinus* lib, 1. *De Sacra Politia*, Tit. VII. N. XIV.

XII. Idem probant, Ordinatio Regia in Scriniis Cameræ Computorum Parisiensis descripta, quæ incipit: *Dum Episcopus*, cujus hæc sunt verba: *Et confert Rex Beneficia, tanquam in Regalia vacantia, & hoc* DE JURE ET CONSUETUDINE REGNI, ET SUÆ CORONÆ FRANCIÆ.

In Probat. Libert. Eccl. Gallic. Cap. XV n. XXXIX. pag. 390.

XIII. Literæ *Caroli VII.* anno MCCCCXXII. datæ: *Cujus quidem Canonicatus & Prabenda, & omnium singulorum Canonicatuum, Prabendarum, & Dignitatum, Personatuum, & aliorum Beneficiorum ipsius Ecclesia vacantium dictâ Regalia vigente, Collatio atque omnimoda dispositio* JURE REGALIÆ ET REGIÆ DIGNITATIS RATIONE, *pleno Jure noscatur pertinere ad Nos.*

XIV. *Ludovici Undecimi* Edictum, anno M. CCCCLXIII. datum: *Comme entre nos autres Droits à Nous appartenans*, NOUS AYONS DROIT A CAUSE DE NOSTRE COURONNE, SOUVERAINETE', ET TEMPORALITE', *& soyons en possession & saisine, tant par Nous que par nos Predecesseurs, de tel & si long-temps qu'il n'est memoire du contraire, de conferer les Benefices Ecclesiastiques vacans en* REGALE *en nostredit Royaume.*

XV. *Ludovici XIII.* in Edicto anni MDCXXIX. Art. XVI. *Nous entendons jouir* DU DROIT DE REGALE, QUI NOUS APPARTIENT A CAUSE DE NOSTRE COURONNE, *ainsi que par le passé.*

XVI. Eumdem loquendi modum usurparunt Jureconsulti Galli. *Petrus de Bosco* Advocatus Regius in Prætono Constantiensi, in Deliberatione super agendis à *Philippo Pulchro* Rege Christianissimo contra Bullam *Bonifacii VIII.* qua potestatem in spiritualibus & temporalibus sibi vendicabat, de Jure Regaliæ hæc habet: *Item idem Rex à tempore Caroli Magni de cujus genere descendit, possedit & prascripsit Collationem Prabendarum, & fructus Custodiarum Ecclesiarum, non sint titulo, & occupando, sed ex dono Hadriani Papa, qui de assensu Concilii Generalis eidem Carolo hoc & quasi sine comparatione majora concessit, videlicet quòd Ipse & ejus Heredes perpetuo possint Romanos Pontifices, Cardinales, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, ac Episcopos omnes Catholicos quos vellent nominare... Qua, quantum ad electionem Pralatorum, Ludovicus heres dicti Caroli remisit, Collationem Prabendarum, & dominium fructuum Custodia Ecclesiarum retinendo, prout singuli Reges Francorum hactenus usi fuerunt.*

XVII. *Guillelmus Benedicti* Præses Tolosanus in Repetitiooe Cap. *Raynutius*: Super verbo, *Uxorem*, Num. 369 ait quòd Franci cootendunt oihil ipsis peculiarius esse INTER JURA CORONÆ, quàm istud illustre & excellens Jus Regaliorum.

XVIII. *Arnulphus Ruzaus*, in Præfatione Tractatus de Jure Regaliorum: *Jus*, inquit, *Regaliorum est species excellentior quàm Juris Patronatus... Illud est Jus inter pracipua Jura Corona, quod censetur dignissimum, quod Reges Francorum hactenus sibi vindicaverunt, &c.*

XIX. *Philippus Probus*, Quæst. II. de Jure Regaliæ: *Ex quibus omnibus*, inquit, *inferunt prafati Regalista, dictum Jus Regalia ad Regem Francia ratione sua Corona pertinere, non solùm in una Ecclesia Cathedrali vel pluribus, sed etiam in omnibus Regni*, &c. Et Quæst. XLIX. *Quis tempore aperta Regalia fructus Dignitatis Episcopalis vel Archiepiscopalis suos faciat? Breviter dic, quòd Rex. cui* inquit, *quòd* AD CAUSAM CORONÆ REGIÆ, *ab omni avo, seu tempore, quo primò fuerunt fundata Ecclesia Cathedrales & Metropolitana, tanquam Fundatori & Domino Feudali, cui debetur fidelitas, dicti fructus Sede vacante debentur, illósque suos facit eo ipso... Beneficiáque ad plenam dispositionem Dignitatis Episcopalis spectantia confert Jure Regalia. Qua Collatio seu dispositio de Jure communi est in fructu, seu computatur inter fructus.*

XX. *Ægidius Magister* Senatus Parisiensis Princeps; Tractatu de Regalibus Cap. II. *La Regale est un Droit appartenant au Roy à cause de sa Couronne, acquis par ses Predecesseurs par longissime possession, Coûtume inveterée & prescrite par temps immemorial.*

XXI. *Renatus Chopinus*, lib. 1. *De Sacra Politia*, Tit. VII. Num. XIII. *Atque ego quidem enixè optassem, Regalia hac Sacerdotalia astribui Sancta Sedis Privilegio posse, si quod fide digna chartula proderetur. Sed minimè interim Jure destitui Regalia existimo, nec rei Beneficiaria distributionem, de qua agitur, nimirum à Principe quasi Patrono sibi reservatam, ac immemorabili simul possessione stabilitam...* Num. XIV. *Quocirca Gregorius XI. ingenuè declaravit Rescripto* (eo nimirum quod supra laudavi) *Gallici Sceptri profectitium esse potius hoc Regaliorum Jus, quàm adventitium, aut alieno partum beneficio: quo nempe alioquin Princeps in donatorem ipsum Pontificem ejusve propinquos ac familiares uti nequivisset; nec opus habuisset Pontifex commendatitio isto in Regem Diplomate.* Et lib. II. *De Domanio Gallico*, Tit. IX. *Summus Dominatus*

consistit in duobus potissimùm, in Fide Clientelari: Tum in Lege Regaliorum Sacerdotalium: cui novo Jure Leonini Concordati, accessit Regia Nominatio ad Ecclesiasticas Præfecturas. Hæ namque supremi honoris nota, Principatûs titulis sic affixa sunt, quasique innati characteres summæ Potestati, ut incessibiles haud dubiè censeantur, & à Regali Dignitate inseparabiles.

XXII. *Pasquierius* lib. III. Disquisitionum Francicarum, Cap. XXXV. *La Regale est un Droit annexé à la Couronne de France, comme l'un de ses plus beaux fleurons.... Tout ainsi que nous nommons ce Droit Regale, aussi est il né avec nostre Royaume, au moins dés lors que nos Rois eurent reçû le Saint Sacrement de Baptesme. Droit qui est tant specialement affecté à la Royauté, que combien qu'un Prince Regent ait toute Puissance Souveraine, si ne peut-il conferer les Benefices vacans en Regale.*

XXIII. *Carolus Degrassalio*, Regalium Franciæ lib. II. Jure primo: *Primum* Jus (inquit) *quod habet Illustrissimus Francorum Rex in Ecclesia Sancta per gratiam Dei, est facultas conferendi Dignitates & Beneficia Ecclesiastica in Regno suo Jure Regalia: Quod sic appellatum est, quia Regibus ita peculiare esse Franci contendunt, ut nihil magis ad* JUS REGIUM *pertinere possit, secundùm Gaguinum, lib.* VII. *Cap.* III.

XXIV. *Antonius Bengeus* Antecessor Bituricensis, & *Franciscus Pinsonius* in Senatu Parisiensi Advocatus, in Tractatu de Beneficiis, pag. 327. *Animadvertendum est*, inquiunt, REGALIAM VERE ESSE JUS REGIUM, *Regibus nostris præcipuum & peculiare.. Cùm autem ipsam Regaliam ex sacro & augusto Jure Coronæ originem mutuari diximus, ipsique cohærere, ex eo inferre licet generalem esse illius usum, & in omnes hujus Gallici Imperii Episcopatus, Archiepiscopatus & Primatias sese diffundere, nec aliquas esse quæ se abscondant vel subripiant ab observatione, sicut nec à Dominatione vel Imperio.*

XXV. Novum itaque loquendi modum non usurpavit Rex Christianissimus LUDOVICUS MAGNUS, in Declaratione anno MDCLXXIII. datâ, cùm Jus Regaliæ unum ex antiquioribus Coronæ Juribus appellavit. *Encore que* LE DROIT DE REGALE *que Nous avons sur toutes les Eglises de nostre Royaume*. SOIT L'UN DES PLUS ANCIENS DE NOSTRE COURONNE, *&c.* Et infra: *Et sur le rapport qui Nous en auroit esté fait par les Commissaires de nôtre Conseil à ce Deputez*, LE DROIT DE REGALE *auroit esté jugé* INALIENABLE, IMPRESCRIPTIBLE, *& Nous appartenir dans tous les Archeveschez & Eveschez de nostre Royaume, terres & pais de nostre Obeïssance: & nostre intention estant que* NOSTRE DROIT *soit universellement reconnu, &c.* Ubi de Regiis Juribus agitur, post Regis Sapientiâ & Justitiâ non minùs quam Fortitudine Maximi, qui hæc Judicibus doctrinæ & æquitatis laude florentissimis disquirenda & examinanda commisit, Declarationem, ea in dubium revocare fidelibus Majestatis ejus subditis non licet: sed una ipsis manet obsequii religio & gloria (inquiunt Gallicani Jurisconsulti & Theologi.) Idque obsequium naturalis, divini, canonici, ac civilis Juris est: quod uno Concilii Sexti Parisiensis Canone VIII. demonstratum velim adversùs neotericum Regii Juris Impugnatorem in Tractatu de Regalia, Lib. I. Capitibus I. IV. V. & IX. & libro IV. Cap. II. *Constat* (inquiunt Gallicanæ Ecclesiæ Patres in Synodo Parisiensi VI. anno DCCCXXIX. congregati,) *Potestatem Regalem omnibus sibi subjectis secundùm æquitatis ordinem consultum ferre debere, & idcirco oportet ut omnes subjecti fideliter & utiliter atque obedienter eidem pareant Potestati: Quoniam* Qui Potestati à Deo ordinatæ resistit, Dei utique ordinationi, *juxta Apostoli documentum*, resistit. *Sicut enim subjecti à Rege sibi volunt piè & justè opitulari, ita specialiter eì primùm ad salutem animæ suæ procurandam, deinde generaliter ad honestatem & utilitatem Regni secundùm Dei voluntatem disponendam, atque ministrandam, indissimulanter atque irretractabiliter solatium opportunum debent exhibere. Quod cùm faciunt, & divinum præceptum adimplere, & fidem Regi debitam evidenter probantur conservare. Hujuscemodi ergo obsequium à subjectis Regiæ Potestati impendi debere, & Legalia Præcepta apertè testantur, & Dominus in Evangelio admonet dicens:* « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt « Dei Deo. *Petrus quoque ait*: Subjecti estote om- « ni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi « quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo « missis, &c. *Et non post multa*: Deum timete, « Regem honorificate. *Paulus etiam Apostolus in idipsum concordans ait*: Omnis anima Potestati- « bus sublimioribus subdita sit: Non est enim Po- « testas nisi à Deo: Quæ autem sunt à Deo, ordi- « nata sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordi- « nationi resistit. *Idem etiam scribens ad Titum*: « Admone illos Principibus & Potestatibus subdi- « tos esse. *Item ad Thimotheum, quanti pendat causam, imò salutem Regis, demonstrat ita scribendo*: Obsecro primò omnium fieri obsecrationes, ora « tiones, postulationes, gratiarum actiones pro « omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus « qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam & « tranquillam vitam agamus in omni pietate & ca- « stitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram « Salvatore nostro Deo. *Qualiter igitur Regiæ Potestati parendum, qualiterque ejus saluti consulendum est, breviter ex Auctoritatibus Divinis dictum sit. Quapropter necesse est ut unusquisque Fidelis tantæ Potestati ad salutem & honorem Regni, secundùm Dei voluntatem, ut membrum capiti opem congruam ferat, plusque in illo generalem profectum & utilitatem atque honorem Regni, quàm lucra quærat mundi.*

Matth. 22. — 1. Pet. 2. — Roman. 13. — Tit. 3. — 1. Tim. 2.

ARTICULUS VIII.

Ad quem spectet de Regalia, ejus Extensione, Appendicibus, vel Annexis judicare? Jurisne sit Ecclesiæ, vel Regis?

I. AD Regem Christianissimum, & Judices quibus causarum hujusmodi cognitionem attribuit, ac præcipuè ad Augustissimum Senatum Parisiensem, non verò ad Ecclesiam pertinere Judicium de Regalia, ejus extensione, appendicibus, & annexis, Regii Magistratus & Jurisconsulti omnes hujus Regni semper censuerunt, Clerus agnovit, Reges solemnibus Edictis declararunt, utique continuo id comprobatum & confirmatum, Romanis Pontificibus approbantibus vel conniventibus. Primam istius rei probationem subministrat *Ivo Carnotensis*, Epistola CXC. ad *Paschalem II.* Pontificem Maximum. *Radulfus Viridis* Remensis Archiepiscopus à gratia Regis Christianissimi *Ludovici Sexti* exciderat, quòd ejus invitâ Majestate ad eum Archiepiscopatum electus fuisset. *Ivo Carnotensis & Theobaldus* Prior Monasterii Parisiensis *S. Martini à Campis*, sequestres pro ipso ad Regem accesserunt, rogantes ut expulso Invasore *Gervasio* eum in Sedem restitueret. Annuit Rex, modò Clientelare Sacramentum eo ritu ac solemni-

Gallicana Jurisprudentia Yvonis Carnotensis testimonio vindicata.

tate

tate præstaret, quo solebant Remenses Archipræsules. Ea de re actum est in Curia Aurelianis in *Natali* Domini congregatâ. Eò enim à Rege vocatus fuerat *Radulphus*. Carnotensis Præsul, & Domnus *Theobaldus* nullum non moverunt lapidem ut Hominii remissionem à Rege in *Radulphi* gratiam impetrarent. At nihil effecere. Quoniam de Regaliæ annexo vel appendice agebatur, Curiæ ac Regis standum Judicio fuit. Suasit *Ivo*, Præsul sanctissimus & doctissimus, ut officio clientelari secundùm mores Regni, secundùm Curiæ Sententiam & Regis voluntatem fungeretur. Et quoniam Canonibus contraria erat Hominii præstatio, & recentibus Sedis Apostolicæ Decretis, factum Archipræsulis apud Summum Pontificem excusavit, ea quam laudavi Epistolâ. *Factum est* (loquit) *ut condictum erat; & convenientes in Curiam, multiplicatis Intercessoribus petitionem nostram semel & sæpius replicavimus. Sed reclamante Curia, plenariam pacem impetrare nequivimus, nisi prædictus Metropolitanus per manum & Sacramentum eam Fidelitatem Regi faceret, quam Prædecessoribus suis Regibus Francorum antea fecerant omnes Remenses Archiepiscopi, & cæteri Regni Francorum quamlibet Religiosi & Sancti Episcopi. Quod persuadentibus & compellentibus totius Curiæ Optimatibus, etsi propter mandatorum rigorem minùs licebat, factum est tamen, quia Ecclesiasticæ paci & fraternæ dilectioni sic expediebat. Cùm enim plenitudo legis sit caritas, in hoc Legibus obtemperatum esse credimus, in quo caritatis opus impletum esse cognovimus. Petimus ergo flexis genibus cordis, ut hoc eodem intuitu caritatis & pacis veniale habeat Paterna Moderatio.*

Gallicana jurisprudentia exemplo Hildeberti probata.

II. Idem probat causa *Hildeberti* Archiepiscopi Turonensis cum eodem Rege, occasione Collationis duarum Dignitatum in Regalia vacantium ab ejus Majestate factæ, quam admittere nolebat. Convenit Regem, inexorabilem invenit. A fuit die & loco statutis *in Audientia eorum qui convenerant. Auditâ utrinsque partis causâ*, Rex Sententiam dixit, & *per seipsum prohibuit* Hildeberto *ne de prædictarum reditibus Dignitatum aut præsumeret, aut ordinaret. Fructus etiam possessionum Turonensis Ecclesiæ, quas Regis potestas attingebat, fisco deinceps adscribi, & Regiis usibus deservire* edixit: *Quod ita factum.* Causarum Juris Regaliæ, ejúsque extensionem, ac usum spectantium Regem ac Regios Magistratus *Hildebertus* Judices agnovit, ad aliud tribunal causam non detulit, nec deferre se posse arbitratus est. Ita refert ipse in Epistola ad Amicum Tom. XIII. *Spicilegii* edita; & superiùs laudata. Nec verò contrarium colligi potest ex his illius verbis: *Arguar mendacii, nisi Venerabilis Andegavorum Episcopus, necnon plures cum eo Sacerdotes, mihi testimonium perhibuerint, quòd paratus fuerim Justitiam exequi, quod eorum subdidi Judicio, qui de me non habebant judicare.* Non enim significat quòd potestatem de hujusmodi causa judicandi Rex & Proceres vel Magistratus, quibus ejus cognitionem commiserat, non haberent; sed quòd de ejus persona & statu judicare non possent. Et si quid aliud voluit *Hildebertus*, nihil obtinuit, nullos in Ecclesia Gallicana, quæ Viris Sanctissimis, & Libertatis Ecclesiasticæ vindicibus egregiis destituta non erat, Suffragatores, Patronos vel Adjutores habuit, ut ipse conqueritur. Regem scilicet hujusmodi causæ supremum Judicem agnoscebant.

III. Idem compertum est ex causa Aurelianensis & Autisiodorensis Episcoporum cum *Philippo Augusto* Rege Christianissimo. His à Rege accusatis quòd illius injussu Milites abduxissent, eorum Regalia manu Regiâ confestim invaduntur, nullâ Judicii formâ; nec tantùm Regalia, sed etiam alia bona quæcunque possiderent; id enim Juris Regii esse Rex contendebat. Episcopi id negare, tum factum excusare, vim illatam conqueri, gravissimasque expostulationes deferre ad *Innocentium III.* Quid Pontifex Maximus? Susceptâ Episcoporum causâ, gravissimas ad Regem literas dedit, monuit, rogavit, jussit ut Regalia & universa his Episcopis subtracta restitueret. Causam autem suscepit *Innocentius*, non quòd ejus Judicium ad Regem pertinere non agnosceret, sed quòd nullo Juris ordine servato Episcopi spoliati essent, quamvis parati ad subeundum Regiæ Curiæ Judicium. Quamobrem Regem oravit, ut bonis ipsis restitutis, quod Legibus, & Regni etiam moribus consentaneum erat, causa in Regis Curia disceptaretur ac judicaretur, secundùm approbatam consuetudinem: nisi ejus Majestas in Pontificis gratiam totum reis Præsulibus condonare vellet. Epistolâ CXC. lib. XIII. *Eorum saisiri fecisti Regalia, immo etiam quædam alia præter illa; cùm nedum de aliquo forisfacto confessi fuerint vel convicti, nec etiam ad satisfaciendum commoniti vel inducti; levi occasione prætensa quod quidam eorum Milites in tuo exercitu constituti ad locum quem eos adire præceperas ire cum aliis noluerunt, absentibus eisdem Episcopis per licentiam à Te liberaliter impetratam. Et cùm tam per se ipsos quàm etiam per venerabiles fratres nostros Senonensem Archiepiscopum & Coepiscopos suos tibi humiliter supplicaverint ut faceres eis reddi Regalia sic subtracta, paratis postmodum Curiæ tuæ subire Judicium, sicut in talibus fieri consuevit, tu supplicationes eorum admittere noluisti, sed cogis eos miserabiliter exulare.*

Gallicana jurisprudentia Innocentii III testimonio & auctoritate confirmata.

Epistola XL. libri XV. *Cùm ergo taliter processeris contra eos, & iidem tam per se ipsos, quam per Secretarios suos, necnon venerabiles fratres nostros Senonensem Archiepiscopum, & Coepiscopos suos te monuerint diligenter, humiliter supplicantes ut faceres eis reddi Regalia sic subtracta, paratis postmodum Curiæ tuæ subire Judicium sicut in talibus fieri consuevit, & Tu supplicationes eorum noluisses admittere, ad Sententiam Interdicti, quam ad terram tuam in eorum Diœcesibus constitutam tulerunt, videntur non immeritò processisse, cùm Jura & Libertates Ecclesiarum suarum teneantur Juramento præstito defensare. Pro cujus relaxatione non satis videris offerre, cùm tantummodo Judicium in Curia tua offeras ipsis remanentibus spoliatis, quod utique spoliati non debent de Jure subire, cùm etiam ex generali Consuetudine Regni tui fidelis à Domino sine Judicio spoliatus nec diem ab ipso super spoliatione sua teneatur recipere, nec in ipsius Curia experiri. Nos ergo Serenitatem tuam rogandam duximus, & monendam, pro magno dono petentes quatenus pacem Ecclesiæ in Regno tuo conserves; ita quòd Episcopis restitutis, & Interdicti Sententiâ relaxatâ, nisi hoc nobis velis ex toto donare,* IN CURIA TUA DE IPSO NEGOTIO, SECUNDUM APPROBATAM CONSUETUDINEM, COGNOSCATUR.

IV. Idem Pontifex in causa Præbendæ vacantis in Regalia, quam Rex Clerico suo contulerat, alius autem sibi deberi contendebat, Majestatem ejus monuit ut *à Viris Prudentibus & in Jure Peritis fidele consilium* super hoc negotio requireret: illumque rogavit, *quatenus si ab eisdem Viris Prudentibus* illi responderetur *quod Odo Clericus præfatam Præbendam de Jure deberet obtinere, ob reverentiam Sedis Apostolicæ id æquanimiter toleraret.* Regem scilicet causarum Regaliæ Judicem agnoscebat doctissimus & prudentissimus Pontifex, & ratam fore Sententiam, quam ex Consilio Magistratuum ac Jurisconsultorum suorum ejus Majestas

jestas tulisset. Nec hujus negotii cognitionem sibi vendicavit, quamvis Rex Christianissimus ejus Sanctitatem rogasset ut Collationem Præbendæ *secundum antiquam & approbatam Consuetudinem Regni sui* à se factam, ad cumulum Juris confirmaret.

V. Idem Pontifex professus est in Epistola ad Gallicanos Præsules, cognitionem ac Judicium de feudo ad Sedem Apostolicam non pertinere, sed ad Regem. *Non enim* (inquit) *intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum spectat Judicium.* Porro Judicium de Jure Regaliæ, & ejus appendicibus vel annexis, est Judicium de feudo: cum in feudorum conditione ac legibus fundatum sit, ut superiùs ostendimus, nec diffitetur nuperus Regiorum Jurium Impugnator in Tractatu de Regalia: Judicium itaque de Regalia, & ejus extentione, appendicibus, vel annexis ad Regem, & ad ejus Consilium, sive ad Senatum cui illud attribuit, omnino pertinet. Sic nostrates Jurisconsulti ratiocinantur.

VI. Concilium Oecumenicum Lateranense IV. Canone XLII. Clericis interdicit: *Ne quis prætextu Ecclesiasticæ Libertatis suam de cætero Jurisdictionem extendat in præjudicium Justitiæ Secularis, sed contentus existat Constitutionibus scriptis, & Consuetudinibus hactenus approbatis: ut quæ sunt Cæsaris, reddantur Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo rectâ distributione reddantur.* At prætextu Ecclesiasticæ Libertatis suam Jurisdictionem Ecclesiastica Potestas extenderet in Secularis Potestatis detrimentum, nec contenta esset Constitutionibus scriptis & Consuetudinibus approbatis, si cognitionem causarum Jus Regaliæ spectantium sibi vendicaret, nec redderet Cæsari quæ sunt Cæsaris: usurparet siquidem Judicium de feudo, quod ad ipsam non pertinet, ut professus est *Innocentius III.* Ita fusius disserunt nostri Jurisconsulti & Theologi.

Gallicanam jurisprudentiam Senatusconsulta probant & roborant.

VII. Orta Quæstione de Jure Regaliæ & ejus extensione inter *S. Ludovicum* Regem & Ecclesiam Aniciensem anno MCCLVIII causa Judicio Senatus finita est. Senatusconsultum refert *Chopinus*, lib. II. *De Domanio Gallico*, Tit. IX. Num. VI.

VIII. De Regalia Ecclesiæ Albigensis judicavit Senatus Parisiensis anno MCCLXXI. Arrestum ex veteri ejusdem Parlamenti Regesto refert Illustrissimus Archipræsul *Petrus de Marca* lib. VIII. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, Cap. XXVI. Num. III.

IX. De Regalia Ecclesiæ Bituricensis eodem in Senatu actum est, lataque Sententia, anno M. CCLXXVII. Arrestum exhibet *Chopinus*, lib. II. *De Domanio Gallico*, Tit. IX. Num. V. Eodem anno Senatusconsultum de Regalia Ecclesiæ Burdegalensis latum est, cujus verba laudat idem Autor. Rex Anglorum, qui Dux Aquitanorum erat, Judicio succubuit. Lege D. *De Marca* lib. VIII. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, Cap. XXVII. N. I.

X. *Eduardus* Angliæ Rex, qui Aquitaniæ quoque Dux erat, Jus Regaliæ in Ecclesia Cathedrali Aquensi in Provincia Auscitana sibi vendicabat. Capitulum repugnabat, idque fieri contra Libertatem Ecclesiasticam contendebat. Verùm cùm nihil promovere potuisset, jámque per triennium Ecclesia Aquensis ex ea occasione vacaret, & Ministri Regis Angliæ bona Episcopalia diriperent & consumerent, Capitulum appellavit Regem Franciæ tanquam supremum causarum Jus Regaliæ spectantium Judicem. Is erat *Philippus III.* Epistolam Capituli Aquensis ad ejus Majestatem edidit Vir Clarissimus *Stephanus Baluzius* in Additione ad Cap. XXVIII. libri VIII. Domini *De Marca*, De Concordia Sacerdotii & Imperii, pag. 445. Inscribitur: *Excellentissimo suo Domino, & Ecclesiæ brachio seculari, Domino Philippo Dei gratia Regi Francorum, Capitulum Aquensis Ecclesiæ Cathedralis in Vasconia, salutem cum debita reverentia & honore.* Ubi autem Ecclesiæ suæ causam exposuere, hæc habent: *Cum igitur Dominus Amanevus de Pomeriis Vicarius ejusdem Ecclesiæ Sede vacante, & Nos ex dictis gravaminibus ad vestram duxerimus Audientiam appellandum, & bona ipsa vestræ Dominationis Præsidio submittendum, Majestati vestræ Regiæ humiliter supplicamus, quatinùs eumdem Vicarium, quem ad prosequendum prædicta coram vestra Regia Majestate Procuratorem nostrum constituimus, favorabiliter in suis petitionibus audiatis, & eas justè in exauditionis gratiam admittatis.* Data est hæc Epistola die Sabbathi post festum S. Lucæ, anno Domini MCCLXXV.

XI. Causarum Regalia spectantium cognitionem ac Judicium ad Regem, ejúsque Parlamentum pertinere, probant Literæ *Petri* Archiepiscopi Narbonensis de rebus gestis in Concilio Biterrensi, anno MCCLXXIX. ex quibus discimus, Provinciæ Narbonensis Episcopos in ea Synodo Procuratores constituisse, qui in Parlamento pro Narbonensi Provincia comparerent, super causis Feudorum, & Militiæ, aliisque oneribus, quæ Ecclesiis & Monasteriis imponebantur, & istarum Ecclesiarum ac Monasteriorum Libertates & Privilegia coram Regiis Magistratibus proferrent. *Cum* (inquiunt) *in Concilio apud Biterrim, per Nos ac venerabiles fratres nostros Episcopos Provinciæ Narbonensis, ordinatum extiterit, ut Nos cum venerabili fratre nostro Episcopo Tolosano ad instans Parlamentum debeamus in Franciam personaliter proficisci, constitutique sint in ipso Concilio Procuratores, qui in ipso Parlamento comparere debeant pro Provincia Narbonensi, super antiquis & de novo novitatibus emergentibus, feudis videlicet & retrofeudis, alodiis & exercitu, & gravaminibus illatis, & quæ quotidie inferuntur, quæ communem tangunt statum Ecclesiarum & Monasteriorum ejusdem Provinciæ, Libertates, Immunitates, & Privilegia ostensuri, prout in ipso Procuratorio videbitis plenius contineri: Universitatem vestram requirendam tenore præsentium ducimus & rogandam, quatenus in Procuratorio quod vobis per latorem præsentium mittimus, vestrûm quilibet sigillum suum apponat.*

Tom. XI. P. I. Concil. Edit. P. Labbe pag. 1062.

XII. Idem alius ex *Philippi Valesii* Regis Christianissimi Constitutione anno MCCCXXXIV. data, quæ *Philippina* in hanc usque diem vocata est, confirmatur. Orta enim Quæstione, utrum Rex Beneficia de facto duntaxat vacantia Jure Regaliæ conferre posset, hanc illa Constitutione diremit, illorum Collationem Juris esse Regii declarans, & in contrarium à Senatu vel Regiis Commissariis judicari prohibens. Anno MCCCXXIX. de Ecclesiasticæ & Laïcæ Jurisdictionis finibus coram *Philippo Valesio* disceptatum fuerat, *Petro de Cunerüs* Regiorum Magistratuum partes agente, & Ecclesiasticæ Jurisdictionis extensionem impugnante, *Bertrando* Æduensi Episcopo Ecclesiæ Jurisdictionem & Libertates defendente. Protestatus fuerat *Bertrandus* Cleri Gallicani nomine, antequam causam diceret, se de Ecclesiæ Libertate coram ejus Majestate dicturum, *Non ad finem subeundi quodcunque Judicium, sed solùm ad Domini Regis & ei Assistentium conscientiam informandam.* De Judicio causarum Jus Regaliæ spectantium controversia nulla fuit, ut istius Disputationis Acta probant: Nec quinquennio post cùm *Philippina* condita & promulgata est, Gallicani Præsules & ipse imprimis *Bertrandus*, jam ob defensam egregiè Ecclesiasticam Jurisdictionem

Philippi Valesii Constitutione Gallicana jurisprudentia confirmatur.

ctionem ac Libertatem Cardinalitiis Infulis ornatis, reclamarunt, aut supplicarunt Regi, ne tam indebitam sibi tribueret, ne Judicium usurparet quod ad ejus non pertinebat Majestatem. Quos certè silentium servaturos, aut non intercessuros, verisimile non est, si ex Jure & Consuetudine causarum hujusmodi cognitio ad Regem non spectasset. Nec Rex in Ecclesiæ utilitates propensissimus, qui ob servata Ecclesiæ Jura CATHOLICI gloriosum nomen ab Ecclesia Gallicana & Romana consecutus fuerat, cujus *Devotionem erga Deum & Ecclesiam* ea in causa commendaverat *Joannes XXII.* Judicium de Regalia, & ejus extensione vel appendicibus sibi tribuisset, nisi diligenti examine Jurium suorum habito, certis documentis compertum habuisset, id Regii esse Juris, & antiquæ Consuetudinis, sicut ipse in dicta Constitutione profitetur: *Informez à plein de nos Droits & usages susdits*, &c. Porro, ut ait *Guillelmus Benedicti*, in Cap. *Raynutius*, pag. 63. Num. 264. *Si Doctori Consuetudinem aliquam narranti creditur, ut tenet Bartolus, multò meliùs credendum est Regi dictam Consuetudinem dispositivè, & non ad alterius suggestionem talem esse asserenti.*

Occurritur objectioni ex Benedicti XII. literis ad Philippum Valesium petitæ.

XII. Non dissimulandum, *Benedictum XII.* Pontificem Maximum gravissimis Monitis *Philippum Valesium* ab extensione Regaliæ, & Judicio causarum omnium Jus illud spectantium deterruisse. Cujus rei testes sunt ejus Literæ ad *Petrum* Titulo *S. Praxedis* Presbyterum, & *Bertrandum* Titulo *S. Mariæ in Aquiro* Diaconum, Cardinales, Sedis Apostolicæ in Galliis Legatos, anno MCCCXXXVII. datæ, quas ad eumdem annum exhibet *Odoricus Raynaldus* Num. XVII. Sic autem habent: *Rex quoque præfatus, vacantibus Cathedralibus Ecclesiis Regni sui, in quibus* REGALIA *asserit se habere, Beneficia Ecclesiastica etiam per Romanum Pontificem, vel per alias Personas Ecclesiasticas, ad quas Collatio pertinet eorumdem, ante vacationem dictarum Cathedralium Ecclesiarum collata, si ante hujusmodi vacationem non fuerit eorum possessio apprehensa; & quod gravius est, & omni contrarium rationi, Beneficia etiam ex Collatione eorum, ad quos Provisio fuerat longo tempore possessa pacificè, quæ similiter tempore* REGALIÆ *non vacarunt; si tamen de jure tempore* REGALIÆ *dicta Beneficia obtinentes propter crimen vel aliam causam illis potuissent privari, quamvis nulla privationis vel declarationis Sententia super tali vacatione per Judicem Ecclesiasticum processisset, nititur conferre de facto, & possessione ipsorum absque aliquo Judicio Ecclesiastico spoliare, & destituere Possessores, compellens eosdem ad dimittendum illa personis, quibus de facto illa contulit per bonorum temporalium captionem: & si inter dictos Possessores & eos, quibus illa præfatus Rex confert, controversia oriatur*, AD SE SEU AD CURIAM SUAM NITITUR COGNITIONEM TRAHERE, ET SUPER IIS ETIAM JUDICARE. *In multis insuper Ecclesiis, in quibus Prædecessores Regis ejusdem præteritarum vacationum dictarum Ecclesiarum tempore usi non fuerunt Beneficiorum Ecclesiasticorum Collatione*, IDEM REX DE NOVO COLLATIONEM BENEFICIORUM TEMPORE REGALIÆ SIBI VENDICARE CONATUR, *ut in Turonensi, & in multis aliis Regni Ecclesiis dicitur attentasse, quamvis Prædecessores ipsius erga Deum & Ecclesias sinceritati fidei & devotionis integritate pollentes, nunquam talia vel similia, utpote juri divino & humano contraria, & redundantia plurimùm in oppressionem & conculcationem Ecclesiasticæ Libertatis, attentasse noscantur.* Et infra: *Nihilominus Rex asserens præscriptionem sibi non currere, Beneficium quod Archiepiscopali vel Episcopali Sede vacante, Apostolica vel Ordinaria, ipsum eodem Rege tunc non conferente, Auctoritate confertur, etiam si is cui hujusmodi Beneficium collatum existit illud per plures annos possederit pacificè & quietè, alii confert, ac si tunc Archiepiscopatus vel Episcopatus ipse vacaret*, &c. *Cum itaque Vos ad Regnum Franciæ pro magnis & arduis negotiis destinemus, Discretioni vestræ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus præfato Regi diligenter exposito quòd singularis ad Personam suam Nos urget affectio, specialis afficit charitas* &c. *Eumdem Regem quod Officiales, Ministros, familiares ac Nobiles, ac gentes prædictas, à præmissis, pro divinâ & ipsius Apostolicæ Sedis ac nostrâ reverentiâ cessare facias & penitus abstinere, & ipse similiter cesset & abstineat ab iisdem.*

At *Benedictus XII.* integerrimus, prudentissimúsque Pontifex, de Regiis Juribus certior factus, Negotium illud urgendum ampliùs non existimavit, ab eòque penitus destitit; atque in id totus incubuit, ut pacem inter Anglorum Gallorúmque Reges conciliaret, ut eorum arma contra Saracenos converteret. Philippinam Rex Christianissimus non revocavit, quæ etiamnum stat incolumis, de suo Regaliæ Jure, usibúsque nihil remisit, quibus silentio suo non connivere tantùm, sed planè consensisse *Benedictus XII.* & ejus Successores visi sunt. Et ejusdem Pontificis amantissimas literas ad ipsum Regem triennio post, id est anno MCCCXL. datas legimus, absolutissimæ concordiæ inter ejus Sanctitatem & illius Majestatem Christianissimam testes, apud *Odoricum Raynaldum* N. XVII. quibus inter alia scribit: *Cæterùm cum Te, Fili Amantissime, portemus in visceribus charitatis, ad tuum & Regni tui prædicti honorem promovendum & commodum, quantum cum Deo possumus aspirantes, & tuo devoto proposito in dictis Literis Regiis delectabiliter recensito, super quo tibi gratiarum actiones referimus, concurrentes:* ILLAM AMORIS ET DEVOTIONIS UNITATEM, QUÆ INTER DICTAM ROMANAM ECCLESIAM ET DOMUM FRANCIÆ VIGUIT HACTENUS ET VIGERE CONTINUE NOSCITUR, TECUM FILI CARISSIME, CONFOVERE VOLUMUS ET AUGERE.

XIII. In Anglia causæ Jus Patronatus spectantes in Parlamento duntaxat judicabantur, consequenter & quæ de Regaliæ Jure, & ejus appendicibus vel annexis oriebantur controversiæ. Testis est *Eduardus III.* Angliæ Rex in Literis ad *Clementem VI.* Pontificem Maximum pro Ecclesiæ Anglicanæ Libertate directis, quas refert *Walsinghamus* pag. 161. *Curia nostra*, inquit, *in qua duntaxat causæ super Jure Patronatus dictorum Beneficiorum tractari debent, deluditur, & sic Jura Coronæ nostræ tam probrosè quàm damnosè depereunt.*

Regni Anglicani Mos.

XIV. *Ludovicus XI.* Rex Christianissimus, Edicto die XIV. Junii anni MCCCCLXIII. dato declaravit Regaliæ causas, & controversias circa Jus illud de novo emergentes, ad suæ Majestatis, & Supremi Senatus Parisiensis duntaxat cognitionem ac Judicium *Pleno Jure* pertinere, aliis Judicibus quibuscunque exclusis: ac Viris Ecclesiasticis sub pœna captionis bonorum, Laïcis sub pœna etiam carceris prohibuit, ne ad Curiam Romanam, aut ad alios quosvis Ecclesiasticos Judices, causas Jus Regaliæ spectantes deferrent. Hoc Edictum legere est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Cap. XV. Num. XLIII. Ejusdémque Auctoritate nituntur *Stephanus Aufrerii* in Tractatu de Potestate seculari super Ecclesiasticas Personas in secunda Regula, & in vigesima quinta Fallentia, *Guillelmus*

Ludovici XI. Christianissimi Regis Edictum.

lelmus Benedicti in Repetitione Capitis *Raynutius*, super verbo, *Et uxorem*, in secunda Decisione, Num. 366. *Henricus Bohic* in Cap. *Nobis*: De Jure Patronatus; *Ruzeus* in Tractatu de Jure Regaliorum, Privilegio XXVI. *Ægidius Magister* Senatus Princeps, Tractatu de Regalibus. Cap. XII. *Joannes Feraldus*, de Privilegiis & Juribus Regni Francorum, Privilegio XI. *Carolus Degrassalio* lib. II. Regalium Franciæ, Jure V. Nec de possessorio tantùm, sed etiam de petitorio, respectu Beneficiorum in Regalia vacantium, & eorum omnium quæ ad Regis Collationem pertinent, Jurisdictionem & cognitionem ad Regem ac Senatum pertinere, Jurisconsulti nostrates docent, moréſque Galliarum & usus Fori probant.

XV. De Regaliæ Jure in Aremoricis Ecclesiis disceptatum est in Senatu, causáque ad pleniorem Deliberationem Decreto Patrum remissa est die XVII. Maii anno MDLXXVI. Tandem Jus Regaliæ ad illas etiam Ecclesias porrigi debere, Senatusconsulto declaratum est. De Regalia Bellicensis Ecclesiæ actum in eodem Senatu anno MDCVIII. De Regalia demum Ecclesiarum Provinciæ, Delphinatus, Aquitaniæ, & Occitaniæ, & in Senatu & in Regio Consistorio actum non semel; tandémque Rex Christianissimus Declaratione celebri causam finivit anno MDCLXXIII. Quo in Judicio sanè peremptorio, quatuor Provinciarum Præsules, totúsque Clerus Gallicanus, acquieverunt.

Auctoris Anonymi objectio.

XVI. Inclamat nuperus Regii Juris Impugnator, Tractatus de Regalia lib. III. Cap. XI. Regaliam rem spiritualem esse, adeóque Judicium de controversiis circa Jus Regaliæ emergentibus, ad Regem, aut Parlamentum non pertinere: Regem quippe ac Laïcos Judices præesse duntaxat in causis seculi; Pontifices in causis Dei: & quemadmodum isti à negotiis secularibus judicandis abstinent, sic illos à causis Ecclesiasticis abstinere debere. Addet aliquis, Bullam in Cœna Domini Romæ promulgari solitam, Anathemati addicere omnes & singulos, qui rerum Ecclesiasticarum Jurisdictionem ad se trahunt, etiam prætextu gratiarum illis concessarum.

Responsio Jurisperitorum Gallicorum.

Respondent Jurisconsulti nostrates, immo & Theologi gravissimi, post *Joannem de Parisiis*, Jus Regaliæ merè spirituale non esse: quid temporale potius redolere, cùm in Jure Feudorum fundetur. At causarum omnium feudalium cognitio ac Judicium ad Dominum Feudi pertinet, ut confirmat vetus Transactio inita inter *Alphonsum* Comitem Tolosanum & Abbatem Moysiacensem, cujus hæc sunt verba: *Item fuit actum quòd Feodatarii nostri & Monasterii nostri, si Quæstio sit feudalis proprie sumpto vocabulo*, CUM AD DOMINUM FEODI QUÆSTIO PERTINEAT, *non compellantur coram alio Judice litigare: si autem sit de rebus emphiteuticis seu censualibus, quæ ab aliquibus abusivè feoda dicuntur, servetur consuetudo loci.* Refert *M. Antonius Dominicy*, lib. *De Prærogativa Allodiorum*, Cap. XVI. Num. IX. pag. 159.

Omnium causarum feudalium judicium pertinet ad Dominum feudi.

Antiquissima consuetudinis usus vim habet privilegii.

Respondent secundò, Consuetudinis antiquissimæ usum vim Privilegii sortiri: porro antiquissima consuetudine Jus cognoscendi & judicandi de causis Jus Regaliæ, ejusque extensionem & annexa spectantibus, Regibus Christianissimis & iis qui vice sacrâ judicant, quæsitum esse, non solùm ratione possessorii, sed etiam petitorii: sicut causarum quarumcunque Beneficialium cognitio ratione possessorii ad Regem & Conscriptos Parlamentorum Patres pertinet ex antiqua Regni Consuetudine, *Martini V.* Pontificis Maximi Diplomate confirmata, quod incipit his verbis: *Romani Pontificis providentia*, dato XII. Kalendas Septembris, anni MCCCCXIII. & altero quod incipit: *Apostolica Sedis*, dato Kalendis Maii MCCCCXXVIII. item *Eugenii IV.* quod incipit: *Dudum felicis*, secundo Kalendis Aprilis, anno MCCCCXXXIX. necnon Literis *Leonis X.* die IV. Februarii in forma Brevis sub annulo Piscatoris ad Tolosani Senatus Judices datis, quibus testatur controversiam super possessorio Monasterii S. Petri de Salino, & Prioratus S. Saturnini de Portu in Ponte Sancti Spiritus, Ordinis Cluniacensis, coram ipsis Judicibus legitimè pendere, ipsósque hortatur ut pro Sedis Apostolicæ ac sui reverentia, cuidam *Joanni* mediante justitia assistant ac faveant. Hæc Diplomata, Literásque legere est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, Cap. XXVI. Certè principium est apud Jurisconsultos receptissimum, quòd Consuetudo Jurisdictionem tribuit, vel tribuere potest. Ita docet Glossa in L. I. & fin Cod. *De Emancipatione liberorum*, per textum, & ibi Doctores, necnon in Cap *Cùm contingat. De Foro competenti.* Et Glossa in Cap. *Conquestus.* IX. Quæst. III. & in Cap. fin. XVIII. Quæst. II. in Cap. *Dilecti. De Arbitris.* Cap. *Novit. De Judiciis*: & in Cap. *Cùm dilectus. De Fide Instrumentorum.* Cùm aliunde Consuetudo antiquissima vim Privilegii sortiatur, ut constat ex Cap. *Super quibusdam. De verborum significatione. L. Hoc jure*: §. *Ductus aquæ. De aqua quotid. & æst.* sequitur cognitionem ac Judicium causarum Jus Regaliæ, ejusque extensionem, & annexa spectantium, ad Regem Christianissimum, & ad Judices quibus id ipsius Majestas tribuerit, maximè verò ad Principem Galliarum Senatum pertinere.

Consuetudo Jurisdictionem tribuit.

Addit Archipræsul doctissimus *D. De Marca* lib. III. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, Cap. X. Jurisconsultorum neminem dubitare, quin Privilegia, quæ propter merita conceduntur, in contractûs naturam transeant, ideoque revocari nullo modo possint. Tot autem tantáque esse in Romanam Sedem Regum nostrorum merita, ut Privilegia consuetudine firmata per Bullam in Cœna Domini (cui & hæc exceptio apud nos objici solet, quòd in Galliis recepta & promulgata non fuerit) Regibus nostris non adimi profiteantur *Bellarminus* Cap. XXXV. contra Barclaium, *Suares* lib. IV. Defens. Cap. XXXIV. Num. XXIX. *Navarrus* Cap. XXVII. Enchiridii, Num. LXX. *Sanè dubitandum non est*, (inquit Archipræsul Eruditus) *quin eximia quædam Jura in Rebus Ecclesiasticis nostri Reges obtineant, quæ cæteris Principibus hodie non competunt. Quod nulli mirum videri debet, qui Privilegiorum multitudinem ex officiorum magnitudine metietur. Conturbaret profectò Ecclesia Romana, nec suppeterent illi facultates quibus cum Gallorum Regibus decideret, nisi liberalitatis & perfectæ donationis titulo immensam beneficiorum suorum molem in eam contulissent. Si ergo liberalitate Summi Pontifices rependere volunt, quod ex mera donantium liberalitate consecuti sunt, non est cur cæteri Principes nobis invideant benigniorem erga Reges nostros Romanæ Sedis remissionem. Certent nobiscum liberalitate; tunc integrum illis erit de Privilegiis quoque nobiscum certare.* Tum Regum nostrorum in Romanam Sedem beneficia cum beneficiis à Constantino Ecclesiæ collatis meritò confert. *Constantinus enim ab Infidelium tyrannide Ecclesiam Christianam liberavit: Reges Francorum ab Ecclesia Romana servitutem, quâ ab Imperatoribus premebatur, armis suis depulerunt. Constantinus Christianos libertati restituit: Reges Francorum durum Græcorum & Longobardorum jugum perfregerunt, quo cervices Summorum Pontificum deprimebantur. Constantinus infamiâ damnatum quondam Christianum nomen splendore adjecto commendatum reddidit, Romanámque Ecclesiam aliquot latifundiis & reditibus auxit:*

Privilegia quæ propter merita conceduntur, in contractus naturam transeunt.

Regum Christianissimorum in Romanam Ecclesiam merita.

Reges

Reges Francorum primi soli que, merum mixtúmque, imò & Summum Imperium in aliquot Provincias eidem contulerunt, eique tranquillitatem procurarunt contra infestas Græcorum hæresi infectorum quotidianas minas, & adversùs impetus Longobardorum. Quidni ergo cùm *Stephano Tornacensi*, seu potius cum *Philippo Augusto* in Epistola ad *Lucium* Romanum Pontificem, inter *Stephani Tornacensis* Epistolas CVII. dixerimus? *Si oblivisci poterit mater filiorum uteri sui, & Ecclesia Romana Regni Francorum oblivionem assumet, cùm utrumque de jure sit impossibile, de natura difficile, de facto enorme.* In tot remunerationem beneficiorum, Ecclesiæ Gallicanæ Jura, Libertates, Privilegia, Mores, Usúsque Sedes Apostolica conservabit, ut Sanctissimi quique Pontifices fecere: Quibus pietate, magnanimitate, prudentiâ, priscæ disciplinæ æmulatione, studio & curâ pacis Christianos Principes inter conciliandæ, opum Ecclesiasticarum in Ecclesiæ tantùm commoda, & ad Christiani nominis Hostes ab Imperii finibus arcendos, ac propulsandos profusione laudatissima, cùm impar non sit Sanctissimus Pontifex *Innocentius Undecimus*: ita cum illis de amore ac beneficentia in Regnum & Ecclesiam Gallicanam, & in Regem Maximum, Invictissimú, Religiosissimam, Hæreseos Debellatorem, Fidei Defensorem, Sedi Apostolicæ devotissimum, suæ Sanctitatis observantissimum, pia semper & generosâ æmulatione certabit. Id cùm sentiam, ac incredibili cum lætitia semper futurum augurer, nemo mihi, ut existimo, succensebit, quòd in hac de Regaliæ Jure Dissertatione ea non commemoraverim, quæ tribus ab hinc annis in Regaliæ Negotio gesta sunt, ne vel levem dissidii umbram inter Maximum Sanctissimúmque Pontificem & Magnum Regem; Quorum nihilominus conjunctissimi fuerunt, sunt & erunt in perpetuum animi ad Ecclesiæ commoda procuranda, repræsentem. Faxit Deus Optimus, ut *Quatenus ab uno Mediatore Dei & hominum hæc duo, Regnum scilicet & Sacerdotium divino sunt conflata mysterio, ita Sublimes istæ duæ Personæ tanta sibimet unanimitate jungantur, ut Rex in Romano Pontifice, & Romanus Pontifex inveniatur in Rege.*

Verba B. Petri Damiani, Opusc. Advers. R. Disceptatio Eccles. Romana.

SCHOLION I.

Huic Dissertationi hanc notam inurunt Religiosi Censores: *Tota hæc Dissertatio est stigmatizanda: pugnat enim apertè contra potestatem & jura Romanæ Ecclesiæ; & Regiam auctoritatem, præcipuè in Galliis, nimia libertate dicendi amplificat usque ad fastidium & ostentationem. Quidquid autem hic Author scribit, jam legimus impugnatum in libris præ'e mandatis.*

R. Absit ut contra potestatem & jura Sanctæ Romanæ Ecclesiæ scripserim: pro juribus ejus & privilegiis quæ *Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & à Sanctis universalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus;* ut loquitur Nicolaus I. Epistola VIII. Pro his (inquam) juribus & privilegiis *Ecclesiæ Romanæ omnium Ecclesiarum Matris & Magistræ*, ad mortem usque, adjuvante Deo, certarem, si opus esset. Ad criminationem Religiosorum Censorum diluendam sufficiunt ea quæ in ipso Dissertationis limine sincerè sum professus. *Hanc (inquam) mihi præscribo legem, ut de Regaliæ extensione historicè tantùm agam, Gallorum Jurisconsultorum seu veterum seu hodiernorum sententiam, pronuntiata, rationes, praximque Regni Christianissimi referens, quantùm ad illustrandum hoc argumentum, ad aperiendum Lugdunensis Concilii II. sensum, ad Regem Christianissimum, prout ex officio teneor, à calumnia vindicandum, opus erit. Nec Ecclesiæ, nec Regiis juribus detrahere me velle profiteor, aut unquam adulari; sed Paschalis II. verba lubens usurpo, animumque & affectum induo, ad Balduinum Hierosolymorum* Regem scribentis Epistola XXIX. NEC ENIM VOLUMUS AUT PRO PRINCIPUM POTENTIA ECCLESIASTICAM MINUI DIGNITATEM; AUT PRO ECCLESIASTICA DIGNITATE PRINCIPUM POTENTIAM MUTILARI, NE APUD NOS OCCASIONE ALTERUTRA PAX PERTURBETUR ECCLESIÆ. *Summam potestatem Romano Pontifici in spiritualibus convenire, primatum jure Divino institutum, seu à Christo immediatè collatum, non honoris solùm ac dignitatis, sed potestatis ac jurisdictionis, cui Christiani omnes, Regesque ipsi obnoxii sunt ac parere tenentur, credo ac propugno, ut Doctorum Catholicorum docet. Supremam, jure pariter divino institutam, à Deo immediatè collatam, ab Ecclesia vel Romano Pontifice prorsus independentem in temporalibus Christianissimi Regis auctoritatem profiteor ac veneror: Nec spiritualia jura in Ecclesiis exercere posse Reges quoslibet Christianos absque concessione Ecclesiæ; nec jura temporalia in quibusvis Regnis Ecclesiæ minimè beneficiarius exercere Pontifices, aut de illis judicare absque concessione Regum.* Pag. 186. iterum sum professus me Historici dumtaxat munus exequi, varias Canonis XII. Concilii Lugdunensis explicationes, seu Responsiones singulas à Jureconsultis Gallis adhibitas referendo. An qui hæc scribit, eoque animo tractat quæstionem, pugnat apertè contra potestatem & jura Ecclesiæ Romanæ, & Regiam Auctoritatem nimiâ libertate dicendi amplificat?

SCHOLION II.

Nonnulla sunt tamen in Tractatu Anonymi Authoris *de causa Regaliæ* adversùs me scripto, à quibus purgare me debeo. Primò enim objicit me dogmaticè, non historicè tantùm hanc de Regaliæ extensione quæstionem tractasse, & hac Rhetoricæ (ut ait) figurâ deludere voluisse lectores.

R. Jus Dei sibi usurpat Anonymus, cùm de animo meo fert judicium contra expressa protestationis meæ verba, contra scribendi rationem, quâ identidem significo me referre quid Jureconsulti & Pragmatici Galli respondeant. Quod diffidentiæ tribuit de æquitate causæ, (quam expendere mei non erat instituti) æqui censores prudentiæ & modestiæ tribuerent; méque historicè, non dogmaticè hoc argumentum tractasse faterentur, ne mihi judicis vel arbitri partes in hac controversia sumerem.

Secundò scripsit Anonymus ille Auctor, *Pinsonium* Advocatum & alios Jurisconsultos illa mihi subministrasse, quibus hæc Dissertatio constat.

R. Ex libris & usu didici sententiam, pronuntiata, argumenta, Responsiones Jurisconsultorum & Pragmaticorum Galliæ quas historicè retuli: nullus eorum qui vivebant, cùm ad illam scribendam sum aggressus, mihi suas observationes subministravit: nullum mihi cum clarissimo *Pinsonio* literarium commercium fuit, ut ejus filii norunt. Divinationem Anonymi Authoris pluribus refellere non est opus.

Tertiò, me convitiis lacessit Auctor Anonymus, & *Aulicum adulatorem* passim appellat.

R. Excusandus est, quia me non novit. Si nosset quàm sim in publico, nedum in Aula infrequens, quàm secessûs & claustri religiosi amans, quàm musæolo meo ac libris assiduus, quo solo nomine veniam mihi indulgent illustres patroni amicique mei, quod tàm rarò ad ipsos adeam reverentiæ & officii causâ, si me (inquam) moresque meos ac vivendi rationem novisset, me *Adulatorem aulicum* non vocasset. Hac Dissertatione Magno REGI non magis adulatus sum, quàm Summo beatæ memoriæ Pontifici INNOCENTIO UNDECIMO, quem *Sanctissimis Pontificibus pietate, magnanimitate, prudentiâ, priscæ Disciplinæ æmulatione, studio & curâ pacis inter Christianos Principes conciliandæ, opum Ecclesiasticarum in Ecclesiæ tantùm commoda, & ad Christiani nominis hostes ab Imperii finibus arcendos ac propulsandos, profusione laudatissima non imparem*, pag. 474. Dissertationis hujus prædicavi.

Quartò, arguit me Anonymus Auctor, quòd Canonem, *Hadrianus*, repudiem. 63. *Dist.*

R. Canonem illum supposititium esse octo rationibus luculenter probavi, Historiæ Ecclesiasticæ Sæculo VIII. Cap. I. Art. IX. Hunc Canonem Eruditi quique repudiant, Cardinalis Baronius, Petrus de Marca, lib. VIII. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, Cap. XII. Ludovicus Tumassinus p. 181. lib. II. cap. XXIV. *De Disciplina Ecclesiastica*, pag. 242. Tom. II.

Quintò mihi improperat Auctor Anonymus, quòd *Caroli Martelli* factum excusem.

R. Non excuso, nisi quantùm excusare potuit necessitas extrema & Reipublicæ, & Ecclesiæ, quæ in Republica est. Id unum assero, dispositioni bonorum Ecclesiasticorum à Principibus factæ sub finem primæ, & sub initia secundæ Regum nostrorum Dynastiæ, locum dedisse feudorum, quæ ab Ecclesiis possidebantur, conditionem. Cæterùm fabulam esse, quod de *Caroli Martelli* damnatione refertur, probavi Sæculo VIII. Historiæ Ecclesiasticæ, Volum. XIV. Editionis primæ, pag. 443.

Sextò, reprehendit quod dixi, Canonem XXV. Concilii Chalcedonensis in Ecclesia Gallicana receptum non fuisse.

R. Receptum fuisse non negavi, sed statim & constanter receptum. Canones plurimos Conciliorum Generalium, Disciplinam duntaxat spectantes, statim in omnibus Christiani orbis Ecclesiis receptos non fuisse, multis exemplis probari potest. Rationem affert Anonymus Auctor Tractatus *De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, editi Leodii apud *Matthiam Hovium*, anno 1684. lib. II. cap. III. *Canones Ecclesiæ*, inquit, *qui ad fidem & mores spectant, infallibili Dei revelantis auctoritate nituntur, ideoque obedientiam sibi quasi cæcam debent; leges autem quæ in Disciplina versantur, hominum conditionibus, ut fructum optatum referant, aptandæ sunt, cùm nisi rationabile obsequium desiderant. Solemne est Ecclesiæ ut in gubernandis fidelibus divinum Regimen imitetur, nec solùm attingat à fine usque ad finem fortiter, sed etiam disponat omnia suaviter. Itaque honoris Principibus debiti memoriæ, illorum jura servans illæsa; ordinem & dignitatem Episcoporum veneratur, populorum studia & animi attendit, omniáque ita ponderat ut consensum & obedientiam potiùs obtineat, quàm extorqueat, suadeat, quam præcipiat; amore ad sacra quàm timore impellat: nec infirmitati solùm parcit, sed interdum etiam malitiæ cedit in iis, quæ cum Religionis periculo non sunt conjuncta. In Ecclesiastica Hierarchia, sicut in Cælesti, illuminantur & perficiuntur à superioribus media, & à mediis infimi. Quamobrem Decreta Ecclesiastica primùm quidem Episcopis, ab istis deinde inferioribus Sacerdotibus, & à Sacerdotibus plebi sunt intimanda; adeo ut si aliâ viâ perferantur, in suspicionem meritò veniant, nec satis sit ut fidelibus quoquo modo innotescant, nisi consueto more promulgentur, si nempe patiatur solitus ordo commodè servari... cùm Ecclesia, sicut & Christi ejus sponsi, jugum suave sit, & onus leve. Christusque ipse illos reprehenderit, qui hominum humeris onera importabilia imponunt, quand. Lex impossibilis est, aut incommodum aliquod maximum secum trahit, præsertim à superiore ignoratum, non videtur ei fieri injuria, si non statim ejus juge supponatur.*

Quod verò spectat ipsam de Regalia quæstionem, de hac & cæteris Potestatis Ecclesiasticæ & Regiæ fines spectantibus, mihi deinceps imperavi silentium, quas nullatenus attigissem nisi in Historiæ Ecclesiasticæ Dissertationibus illustrandæ operæ sponte veluti occurrissent. Ideo respondendum non duxi Libris quibus hanc Dissertationem meam Auctores Anonymi impugnarunt. Ut autem à Responsione temperarem, prudentiæ Christianæ leges jusserunt, magisque etiamnum jubent: idque silentium religiosæ venerationis & observantiæ meæ erga Sedem Apostolicam & sedentem in ea Sanctissimum Pontificem, pacisque inter Sacerdotium & Imperium, non minùs quàm Disciplinæ conservandæ studiosissimum, argumentum ac tesseram esse velim.

SCHOLION III.

Eædem, quas superiùs exposui, rationes me continent, ne alterius Auctoris Anonymi libro, cui titulus est, GALLIA VINDICATA, respondeam, qui Dissertationis I. paragraphum VII. sic inscripsit: *Respondetur ad ea quæ à P. Alexandro Natali in favorem Regaliæ producta sunt.* Quæ tamen sibi videtur refellere, mea non sunt, sed Jurisconsultorum & Pragmaticorum Gallorum Responsa, à me historicè tantùm relata, ut statim à limine Dissertationis meæ sum professus; interdum nullius sunt, sed ab Auctore conficta & adornata. Ermengardis Vicecomitissæ Narbonensis, quæ juri Regaliæ renuntiavit, & consequenter illud habuit, exemplum pro basi Regaliæ me ponere ait Articulo IV. §. 38. Dissertationis meæ. At nec ipsam juris quæstionem attingere volui, sed exponere historico stylo aliorum sententiam: nec Ermengardis Vicecomitissæ exemplum retuli ut ostendam illam Regaliæ jus habuisse, aut meritò exercuisse, sed eam renuntiasse pravo usui occupandi spolia defunctorum Episcoporum. pag. 171. § 37. *Ildefonsus Comes Tolosanus anno millesimo centesimo trigesimo octavo consuetudinem occupandi spolia Tolosani Episcopi defuncti, à suis Antecessoribus usurpatam remiserat.* §. 38. *Eidem usui renuntiavit remiseruntque Ermengardis Narbonensis Vicecomitissa &c.* Cessionis ejus verba ibi subjicio, pag. 171. §. 40. *Ildefonsi Comitis & Ermengardis Vicecomitissæ Diplomata Regaliam non spectant, sed jus duntaxat occupandi spolia defunctorum Episcoporum, quod Tolosani Comites, & Vicecomites Narbonenses usurpaverant. Quod absque prædiorum & jurium temporalium ad Ecclesias pertinentium usurpatione & direptione factum non fuisse, ipsius Ermengardis & Hadriani Quarti verba testantur.* Hæc verba mea.

2. Conviciis nos lacessit Anonymus ille Auctor. *Omnia*, inquit, *pervertit ardor Regem demerendi: huic veritas, pietas, Religio, omnia cessere: & dum omnes in flore Majestatis veri aliquid mellisque delibare certant, aranearum & crabronum more peruntur ut impleantur.* Convicia hujusmodi sperno: Hæc in me eoque contorta norunt omnes qui me, utcumque vivendi rationem norunt. Veritatis, pietatis, Religionis strenuum Defensorem ac Protectorem Ludovicum Magnum reddi devinciri potest, nisi veritatis, & Religionis amator & cultor. Cæterum conviciis hujus Auctoris nec lacessi non minor, cùm & Gallicanis Episcopis, & Christianissimo Regi insultare non vereatur pag. 170. & alibi.

3. Pag. 173. sic de me loquitur: *Quod dicit Alexander, Reges supremum dominium in bona temporalia Ecclesiarum habere, voces profanæ sunt, & hactenus inauditæ, & ex Alcorano exscriptæ: unde nec Responsum merentur.*

Pronuntiatum illud Jurisconsultorum Gallicanorum est, à me, ut alia, historicè relatum, ut indicat initium §. 212. Articuli V. ex quo hæc citat Anonymus Auctor: *Ad hæc respondent nostrates Jurisconsulti &c.* Nec tamen pronuntiatum illud magis profanum, & ex Alcorano desumptum videtur, quàm hæc S. Ambrosii in Sermone contra Auxentium de Basilicis tradendis, n. 33. *Quid igitur non humiliter responsum à nobis est? Si tributum petit, non negamus. Agri Ecclesiæ solvunt tributum: si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum, nemo nostrûm intervenit.* Quem locum doctissimi Alcete Benedictini Congregationis S. Mauri in postrema Editione Parisiensi hâc Annotatione illustrarunt. *Non mirum, si affirmetur ab Ambrosio Ecclesiæ agros vectigales esse, ac tributum pendere Imperatoribus, extant siquidem in Codice Theodosiano Leges à Constantino, ejusque Successoribus promulgatæ*, puta l. 1. *De Annona & Tributis*, atque aliæ tit. *de Episcopis & Clericis: quibus Ecclesiæ possessiones vectigalibus subjiciuntur.*

Non magis videtur ex Alcorano sumtum pronuntiatum illud, quàm hæc S. Augustini sententia Tractatu VI. in Joannem, de villis & fundis Ecclesiæ dicentis: *Quo jure defendis villas? divino, an humano? Respondeant (Donatistæ:) Divinum jus in Scripturis habemus, humanum jus in Legibus Regum. Unde quisque possidet quod possidet? Nonne jure humano? Nam jure divino, Domini est terra & plenitudo ejus... jure ergo humano, jure Imperatorum. Quare? quia ipsa jura humana per Imperatores & Reges sæculi Deus distribuit generi humano... Noli dicere, Quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? per jura Regum possidentur possessiones.*

Non magis denique videtur ex Alcorano sumtum pronuntiatum illud, quàm hæc S. Alcimi Aviti Viennensis Episcopi sententia ad Regem Gundobadum scribentis Epistolâ XXXIX. *Quicquid habet Ecclesiola mea, immò omnes Ecclesiæ nostræ, vestrum est, de substantia quam vel servastis hactenus, vel donastis. Quod inspirante Deo præceperitis, in quantum vires tribuero parare conabor.* Hæc tamen non prohibent, quin Ecclesia privatum habeat, ac directum bonorum suorum temporalium dominium, quo nec ab ipsis Regibus privari possit sine crimine rapinæ & sacrilegii.

SCHOLION IV.

In hac Dissertatione Religiosi Censores hanc propositionem incidentem notant pag. 241. Edit. primæ: *Matrimonium, quatenus contractus civilis est, subditur auctoritati legibusque Principum.*

R. Sed *quatenus Sacramentum est* (inquam) hic contractus ad Sacramenti dignitatem evectus, proximáque Sacramenti materia, *à solo Christo est institutum*, & uniùs Ecclesiæ legibus ac judicio subjicitur. Hæc mea sententia est, *S. Thomæ* consentiens in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXIV. Quæst. 1. Art. 1. in Responsione ad quartam objectionem. *Personæ*, inquit, *illegitimæ ad Matrimonium dicuntur ex eo quòd sunt contra legem quâ Matrimonium constituitur. Matrimonium autem in quantum est in officium naturæ, statuitur jure naturæ: in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili: in quantum est Sacramentum, statuitur jure Divino: & ideo ex qualibet dictarum legum, naturæ, humanæ, & divinæ, potest persona effici ad Matrimonium illegitima.* Sententiæ meæ suffragatorem habeo & *Franciscum Victoriam*, Relectione VII. de Matrimonio; *Petrum Soto*, Lectione IV. de eodem Sacramento, & *Dominicum Soto* in quartum Sententiarum.

DISSERTATIO IX.

De Dissidio BONIFACII VIII. Romani Pontificis, & PHILIPPI PULCHRI, Regis Christianissimi.

INFAUSTI Dissidii memoriam æternis deflendam lachrymis non refricarem, nisi Historiæ leges ad id me compellerent. Novi enim quantùm sit in hujusmodi rebus tractandis periculi, quàm difficile sit veritatem dicere ac tueri, & omnibus placere. Verùm cùm tam ab adulatione, quàm à voluntate quempiam offendendi sim alienus, & uni Dei gloriæ, Ecclesiæque ædificationi laborem, nihil me à dicenda, quam noverim, cùm in materia Religionis, tum Historiæ, veritate deterrebit. Id enim probi viri, id accurati Historici, id Catholici ac sinceri Theologi munus est, qualis in omnibus esse cupio. Hoc fungi conabor munere, ut huc usque conatus sum, servatis prudentiæ & moderationis Christianæ legibus, necnon veneratione & observantia quam Potestatibus cùm Ecclesiæ tum seculi debemus. Quam quidem in hujus Dissertationis limine profiteor verbis egregii ex Ordine FF. Prædicatorum in Sacra Facultate Parisiensi Doctoris Fratris *Joannis de Parisiis*, * qui hujus, de quo disserere aggredior, Dissidii occasione scripsit Tractatum De Potestate Regia & Papali: *Protestor quod nihil intendo dicere cum assertione aliqua contra fidem, nec contra bonos mores, vel sanam doctrinam, personæ vel status Summi Pontificis reverentiam. Et si aliquid hujusmodi occurrit inter dicta vel dicenda, principaliter vel incidenter, volo pro non dicto haberi: Volens hanc Protestationem valere & currere, ac si eam specialiter resumerem super quolibet dicendorum.*

* *In Proœmio.*

ARTICULUS I.

De infausti istius Dissidii Origine & Causis.

I. EXitiali Christianæ rei Dissidio, quod *Bonifacium VIII.* inter & *Philippum Pulchrum* Regem Christianissimum exarsit, initium dedit *Bonifacii* ipsius, summâ rerum spiritualium Administratione non contenti, in Jura temporalia Christianissimi Regis invasio. *Guido* Flandriæ Comes in *Philippi* Regis Domini sui offensam incurrerat, ob filiam Angliæ Regis filio, ejus inconsultâ Majestate, præter leges moresque Regni desponsatam. Comitem cum uxore in custodia tenuit *Philippus*, nec priùs dimisit, quàm filiam obsidem tradidisset. Ad Summi Pontificis Tribunal de injuria, quam à Rege sibi illatam contendebat, *Guido* appellavit. Suscepit appellationem *Bonifacius VIII.* non satis considerans de re merè temporali agi, de Regiis Juribus, de clientelaris Principis officio, quarum rerum cognitio ac Judicium non ad Ecclesiam, ac Summum Pontificem, sed ad Regem & ejus Curiam spectat. Episcopo Meldensi dedit in mandatis ut Regi optionem daret vel Flandro satisfaciendi, vel ad Tribunal Apostolicum se sistendi. Præceps Judicium Rex ægerrimè tulit, respondítque Legato; Pontifici denuntiaret, se nullum præter Deum superiorem in terris agnoscere, cui de Regni Administratione rationem reddere teneretur. Idem responsum dedit, cùm inducias ipsum inter & *Eduardum* Angliæ Regem sub Anathematis pœna Pontifex imperavit; ut constat ex Instrumento tunc edito: *Regimen temporalitatis Regni sui ad ipsum Regem solum & neminem alium pertinere*, &c.

Extat in Hist. Dissidii, pag. 25.

II. Dissidium auxit Constitutio, quæ incipit his verbis: *Clericis Laicos*, à *Bonifacio VIII.* edita anno MCCXCVI. Sexto Decretalium, Tit. De Immunitate Clericorum inserta; quâ statuit ut *Quicunque Prælati, Ecclesiasticæque Personæ, Religiosæ, vel seculares, quorumcunque Ordinum, conditionis seu status, collectas vel tallias, decimam, vicesimam, seu centesimam suorum & Ecclesiæ proventuum vel bonorum Laicis solverint, vel promiserint, vel se soluturos consenserint, aut quamvis aliam quantitatem, portionem aut quotam ipsorum proventuum vel bonorum, æstimationis vel valoris ipsorum, sub adjutorii, mutui, subventionis, subsidii, vel doni nomine, seu quovis alio titulo, modo, vel quæsito colore, absque Auctoritate Sedis ejusdem: Necnon Imperatores, Reges, seu Principes, Duces, Comites, vel Barones, Potestates, Capitanei, vel Officiales, vel Rectores quocumque nomine censeantur, civitatum, castrorum, seu quorumcunque locorum, & quivis alii cujuscunque præeminentiæ, conditionis & status, qui talia imposuerint, exegerint, vel receperint; aut apud ædes sacras deposita Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum personarum ubilibet arrestaverint, saisiverint, seu occupare præsumpserint; vel arrestari, saisiri, occupari mandaverint: aut occupata, saisita, seu arrestata receperint: necnon omnes qui scienter dederint in prædictis auxilium, consilium, vel favorem, publicè vel occultè, eo ipso Sententiam Excommunicationis incurrant. Prælatis etiam & Personis Ecclesiasticis in virtute obedientiæ & sub depositionis pœna districtè* mandat, *ut talibus absque expressa licentia dictæ Sedis nullatenus acquiescant.* A Censuris verò ob hujus Constitutionis violationem contractis quemquam absolvi prohibet, præter quàm in mortis articulo, absque Sedis Apostolicæ auctoritate & licentiâ speciali.

Constitutio Bonifacii VIII. quæ incipit, Clericis Laicos, Dissidii incentrix.

III. Ista Constitutio *Philippum* Regem spectare videbatur, qui à Gallicano Clero subventionem ad belli sumptus sustinendos postulaverat. Ideo magnam *Bonifacio VIII.* apud ejus Majestatem, Gallósque omnes invidiam peperit: maximè quòd Laïcis Principibus *in Clericos, Ecclesiasticásve personas, & bona, interdictam potestatem* doceret. Rex vicem rependere volens Pontifici, quem suæ Majestatis odio, potiùs quàm Ecclesiasticæ studio libertatis hanc edidisse Constitutionem suspicabatur, Extraneos ingressu in Regnum, omníque commercio prohibuit: pecunias etiam extra Regnum efferri vetuit.

Durius Regis Edictum.

IV. Vehementes ad Regem Literas dedit *Bonifacius*, de injuria expostulans, quam Edicto duriori (ut aiebat) Romanæ Ecclesiæ intulerat: hortatus est ut errata corrigeret, Sedis Apostolicæ benevolentiam promereretur. Non esse cur à se lata Constitutio adeò invidiosè exciperetur, cùm subsidia Regi pro suis Regnique necessitatibus ac defensione præstari non prohibuisset, sed tantùm id absque Sedis Apostolicæ licentiâ non fieri, ut exactiones à Regiis Ministris factæ modum aliquem haberent. Si verò gravis necessitas immineret, Sedem Apostolicam non modò permissuram, sed jussuram

Bonifacii VIII. Literæ ad Regem, Constitutionem excusantes & emollientes.

furam ut Clerus Gallicanus Regi Regnóque subveniret; & calices, cruces ac sacram suppellectilem potius distracturum, *quàm tantum & tale Regnum, tam ipsi Sedi charum, imò charissimum, & ab antiquo devotum, exponeret minoris cura defectui, quominus ab ea efficacis defensionis prasidia sortiretur.* Pravos Consiliarios Pontificiam Constitutionem in alienum sensum detorquere, cùm ejus Majestati suggerunt, per illam adimi potestatem Prælatis, aliisque Viris Ecclesiasticis Regni, ipsi debita ratione feudorum officia & servitia exhibendi, vel subventiones præstandi, ad quas propter feuda tenentur; nec ipsi munus ullum gratuitò & liberaliter offerre valere. Non eam esse mentem suam nec fuisse profitetur. Vivariensem Episcopum, cui has Literas credidit, Regiæ Celsitudini consilia sua, & sensum Constitutionis expositurum. Ejus Majestatem hortatur, ut Apostolicis Monitis acquiescat, alioquin se ad alia & minùs usitata remedia manus extensurum. Extant hæ Literæ apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum MCCXCVI. Num. XXV. & in Historia Dissidii, pag. 19.

Regia Responsum.

V. Ad *Bonifacii* Papæ querelas & exprobrationes respondit Rex: Se Jure prohibuisse evectionem equorum, armorum, pecuniarum è Regno absque sua licentia; id se permissurum, ubi exploratum esset bona esse Clericorum, & absque Regni detrimento, & hostium commodo fieri. Libertatem à servitute peccati, quam suo nobis sanguine Christus comparavit, Clericis Laicísque communem esse. Singulares Immunitates & Libertates Clericorum, benignitate vel promissione Principum ipsis per Statuta Romanorum Pontificum indultas, quæ Regibus Jura sua non possunt auferre. Verba illa Christi: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*: Pontifices & Clericos etiam spectare. Turpem esse partem quæ toti non congruit; membrum inutile & quasi paralyticum, quod corpori subsidium ferre recusat. Proinde Clericos qui Regi & Regno auxilia denegant, partes incongruas, membra inutilia, & quasi paralytica censeri debere. Subventionum indictionem exactionis, extorsionis, gravaminis invidiosis nominibus perperam appellari; cùm sint potiùs capiti & corpori à membris debita subsidia, & pro defensoribus eorum, quibus pugnare per se ipsos non licet, stipendia præparata. Neminem enim teneri propriis stipendiis pro aliis militare. Jus naturæ subverti, cùm prohibetur Clericis ne contra hostiles incursus Regi & Regno, imò sibimetipsis manum porrigant adjutricem. Se Ecclesiam ac Ministros ejus veneratum, Justitiæ cultorem perpetuò fore, minas mortalium omnium non reformidare. Edita sunt ista Regis Responsa in Historia Dissidii, pag. 21.

Matth. 22. 21.

Petri Remensis Archiepiscopi & Coëpiscoporū supplicatio Summo Pontifici ut Dissidii causas evitet.

VI. Interea *Petrus* Remensis Archiepiscopus, cum Episcopis, & Abbatibus Provinciæ suæ, significat *Bonifacio VIII.* ipsius Constitutionem graves in Gallia turbas excitare. Hanc esse Regis, Principum, & Baronum sententiam, à qua dimoveri non possunt, Omnes & singulos Regis subditos *ad defensionem Regni & Patriæ, omni Privilegio, excusatione, & exceptione cessantibus*, obstrictos esse: In primis verò Beneficiarios ac Feudatarios, tam ipsos quàm cæteros Antistites: quorum aliqui præstitâ propter feudum acceptum fide clientelari, cuncti verò Jurejurando, Regi *ad Jus & honorem ipsius, Regnique servandum* obligantur. Quamobrem Pontificem enixè rogant, ut querelarum causas rescindat, sedet tempestatem, scandalis obviet, Gallicanæ Ecclesiæ concordiam cum Rege Principibúsque adeo necessariam ne perturbet. Selectos Episcopos ad ejus Sanctitatem mittere se significant, qui imminentia ex ejus Constitutione scandala ipsi aperiant. Edita est hæc Remensis Archipræsulis & Coëpiscoporum Supplicatio in Historia Dissidii, pag. 26.

Constitutionis, *Clericis Laicos*, prudens interpretatio ac declaratio à Bonifacio VIII. edita.

VII. Monitis ac precibus Episcoporum inflexus *Bonifacius*, anno MCCXCVII. Diploma promulgavit, quo Constitutionem, *Clericis Laicos*, interpretatus, declaravit illam *Ad donaria, vel mutua, seu quavis alia voluntaria Prælatorum & Personarum Ecclesiasticarum ejusdem Regni, omni prorsus exactione cessante, se non extendere, licèt ad id forsitan Regis vel Successorum ipsius, aut Officialium eorumdem, sive Ducum, Baronum, Nobilium, vel aliorum Dominorum temporalium requisitio curialis & amica pracedat*: Dictámque Constitutionem *Feudalia, censualia, sive Jura qualibet in rerum Ecclesiasticarum datione retenta, vel alia servitia consueta Regi ejúsque Successoribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & aliis temporalibus Dominis, tam de Jure quàm de Consuetudine à Personis Ecclesiasticis debita* non attingere. Vicos Ecclesiasticos *pro Ecclesiarum suarum utilitatibus, compositionis aut transactionis titulo, vel alio quovis modo, seu pro libertatibus acquirendis, cum Rege* ejúsque *Successoribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & aliis Dominis temporalibus, prout conscientiis eorum videbitur, & ante Constitutionem eamdem poterant, liberè convenire* posse. *Si Regi aut ejus Successoribus pro universali vel particulari ejusdem Regni defensione periculosa necessitas immineret*, non obesse dictam Constitutionem *quin possint à Prælatis & Personis Ecclesiasticis dicti Regni petere ac recipere pro hujusmodi defensione subsidium vel contributionem*, imò *sub quota nomine imperare, inconsulto etiam Romano Pontifice*; illúdque solvere teneantur cùm Præsules, tum Clerici reliqui, quovis Privilegio non obstante. Hujus verò necessitatis unum Regem vel ejus Consilium esse Judices. Denique mentem suam non fuisse, *Jura, Libertates, franchisias seu Consuetudines, quæ præfatis Regi & Regno, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & quibusvis aliis temporalibus Dominis, editionis præfatæ Constitutionis tempore, aut etiam ante illud, competere noscebantur, tollere, diminuere, vel quovis modo mutare, aut eis in aliquo derogare.* Istud *Bonifacii VIII.* Diploma, quod incipit: *Noveritis Nos*, editum est inter Probationes Historiæ hujus Dissidii, pag. 39.

Nova Dissidii Regem inter ac Pontificem occasio.

VIII. Sublata videbatur Dissidii causa, cùm nova improvisò emersit. *Bonifacius VIII.* Controversiarum, quæ Reges inter *Philippum* Franciæ, *Eduardum* Angliæ, & *Guidonem* Flandriæ Comitem movebantur, Compromisso factus Arbiter, secundùm Anglum, Flandrúmque Sententiam tulit, anno MCCXCVIII. quâ inter alia edixit ut Rex Comiti *Guidoni* filiam, captásque urbes restitueret. Obsignatam Sententiam Angliæ Regis Oratori tradidit, Christianissimo Regi significandam. Reserato Diplomate, Rex iniquas conditiones arbitratus, Judicio Pontificis stare se nolle professus est, sed ut primùm exirent induciæ, quæ Belgii supererant, se hostiliter invasurum. Quin & *Robertus* Artesiæ Comes itâ excandescens, Diploma Pontificium de manu Oratoris rapuit, laceravit, in ignem projecit, ut *Meyerus*, *Ægidius de Reya*, & alii Historici referunt. Offensionis causam non levem suo illo Judicio Regi Christianissimo dedit *Bonifacius*, cui scripto promiserat, se nequaquam Sententiam prolaturum ejus inconsultâ Majestate, nec absque ipsius expresso consensu, quod cùm non præstiterit, sed judicaverit non expectato consensu Regis, id partium studio, & Regum Francorum deprimendi animo, fecisse visus est. Promissionem illam *Bonifacii VIII.* inter ejus Epistolas reperiri

datam

datam quinto Nonas Julii, Pontificatus anno quarto, *Spondanus* observat ad annum MCCXCIX. Eámque ex Regio Chartulario laudat *Tilletius* in Indice Tractatuum inter Reges Franciæ & Angliæ initorum, pag. 199.

Dissidii præcipuus incentor Bernardus Saisseti Appamiensis Episcopus.

IX. Infausti Dissidii præcipuus Incentor fuit *Bernardus Saisseti*, Appamiensis Episcopus, inquietus ac turbulentus homo, quem recenti beneficio Pontifex obstrinxerat, cùm Appamiarum Episcopatum in Monasterio Canonicorum Regularium *S. Antonini* anno MCCXCVI. in ejus gratiam, vel invito Rege, erexisset. Huic Legationem ad *Philippum* Regem commisit *Bonifacius VIII.* ut ejus Majestatem ad Syriacam Expeditionem impelleret, indictásque ad hoc opus decimas in alios usus convertere prohiberet: Vacantium Ecclesiarum fructus retinere vitaret, earúmque Titulos absque consensu Romani Pontificis conferre, ac Libertatem Ecclesiasticam violare; quod Regi invidiosè affingebatur. Pontificia Mandata insolenter exsecutus est *Bernardus*, nullâ Sacræ Majestatis reverentiâ, minis etiam anathematis & exauctorationis Regi intentatis nisi Pontifici pareret: quæ *Philippi Pulchri* animum adeo pupugerunt, ut eum in custodiam Archiepiscopo Narbonensi ipsius Metropolitano tradiderit. Ita quidem *Platina* & alii plerique Historici referunt; sed tradunt alii ob verba contumeliosa in Regem, & quòd nihil ei se debere jactaret, sed tam in temporalibus, quàm in spiritualibus uni Pontifici Romano subesse: adeóque ut reum Majestatis, ad Curiam Regis fuisse vocatum, & Narbonensis Archiepiscopi custodiæ traditum, ut ab eo unà cum Episcopis Provinciæ canonicè judicaretur. Id *Guillelmi Nangii* Continuator ad annum MCCCI. & Sandionysiani Monasterii Chronicon vetus, *Walsinghamus* in Historia Angliæ, & in Ypodigmate Neustriæ, *Nicolaus Gillius*, & *Joannes Tilletius* in Chronico, testantur. Id luculentius probatur ex Inquisitione Auctoritate Regia factâ à *B. Nepotis* Archidiacono Algiæ in Ecclesia Lexoviensi, & *Joanne* Vicedomino Ambianensi, Domino *De Pinquiniaco*, quæ ad calcem Historiæ hujus Dissidii, pag. 632. edita est, & ex Actis Conventus apud Silvanectum a Rege hac in causa celebrati, quæ in Regio Chartophylacio asservantur, in quibus septem Accusationum Capita recensentur *Bernardo Saisseti* objecta. I. Quòd jactaret sibi tunc Abbati *S. Antonini* à *S. Ludovico* dictum, ipsius *Philippi* Regis, nepotis sui tempore, Franciæ Regnum ad alienos transferendum. II. Quòd belli Aquitanici tempestate contra Regem cum Fuxensi Comite conjurasset, ac Tolosanam Ditionem se ipsi traditurum promisisset. III. Quòd cum eodem Comite convenisset de Gallis omnibus ex urbe & agro Tolosano pellendis. IV. Quòd Comiti persuasisset rescissionem Tractatus Matrimonii inter filiam ejus & filium *Philippi* Attesiensis, & jungendam potius cum Aragonio Rege affinitatem, qui ad Tolosanum Comitatum occupandum suppetias ferret. V. Quòd sæpius dixisset, Appamias non esse nec fuisse de Franciæ Regno, vel in Regno. VI. Quòd Regem adulteratorem monetæ vocasset. VII. Quòd eum è spuriis dixisset oriundum. Quæ testium viginti quatuor assertione & Juramento probata sunt, quos inter Magalonensis & Tolosanus Episcopi, Fuxi & Convenarum Comites, Vicarius Generalis Appamiensis Ecclesiæ, Abbas Sancti Papuli, FF. *Arn. Joannis de Tolosa* Ordinis Prædicatorum, & *Petrus Bernardi* Prior Prædicatorum Appamiensium, aliique viri honorati & probi auditi sunt. Instrumentis ad Regem delatis, & in Silvanectensi Conventu examinatis, dictus Episcopus Appamiensis *Ægidio* Narbonensi Archiepiscopo, Metropolitano suo, in custodiam traditus est, qui Regi paratum se esse dixit eâ in causâ exsolvere debitum officii sui, de consilio Suffraganeorum suorum, & *Domino Papa consulto*, cùm id causæ gravitas exposceret. Missus à Rege ad Pontificem Nuntius hæc ei significavit in Consistorio, adjecitque quòd licet Rex de Magnatum consilio potuisset Episcopum conjurationis convictum extremo supplicio damnare, cùm in causa læsæ Majestatis nullus esset Privilegio locus; licet bonis ipsum exuere saltem potuisset, ipsum tamen ob Ecclesiæ reverentiam Summo Pontifici hæc omnia significare maluisse: Quem propterea rogabat, ut in virum mortis secundùm Canones animadverteret, ipsúmque exauctoratum Justitiæ permitteret. Ista constant ex Actis editis ad calcem Historiæ hujus Dissidii, pag. 617.

X. De his certior factus *Bonifacius VIII.* datis ad Regem literis jussit, Episcopum Appamiensem quantocyus libertate donaret, ac ad Sedem Apostolicam proficisci permitteret, bona restitueret occupata, nisi graviores facti excusationes afferret: Ipsum promulgatæ Sententiam Canonis declaravit incurrisse ob injectas in Præsulem manus. (*Epistola* CIX. *libri* VII.) Scripsit etiam ad Archiepiscopum Narbonensem, & Biterrensem ac Magalonensem Episcopos, quibus dedit in mandatis, ut Appamiensi Episcopo ab omni potestate seu custodia seculari plenariè liberato, & sub custodia Pontificia constituto, diligenter inquirerent de capitibus accusationum ipsi objectis, illúmque cum Instrumentis ad Sedem Apostolicam mitterent. *Bonifacii VIII.* Literas ex Chartophylacio Regio editas legere est ad calcem Historiæ Dissidii, pag. 637. Sed & Legatum ad Regem Pontifex misit *Jacobum de Normandis*, Archidiaconum Narbonensem, qui ejus Majestati Sedis Apostolicæ auctoritate juberet, ut Episcopum dimitteret, à collatione & usufructu quorumcunque Beneficiorum sibi temperaret vacantibus Ecclesiis, ut Orientalem expeditionem juvaret. Id nisi impetraret Legatus, Regnum Franciæ ad Sedem Apostolicam devolutum declararet, Regem configeret Anathemate, subditos à Juramento fidelitatis absolveret: Præsules omnes & Doctores Ecclesiæ Gallicanæ adesse juberet Synodo Kalendis Novembris anni proximè sequentis MCCCII. celebrandæ, ut malis Ecclesiæ à Rege illatis remedium adhiberetur. Archidiacono Legationem obeunti Pontificias Literas eripuit ac in ignem conjecit Comes Attrebatensis. Moxque tum Legatus, cùm Appamiensis Episcopus libertate donatus Regno abire jussi. Ista constant ex *Joanne Villani* coævo Scriptore libro VIII. Historiæ Cap. LXII. & LXIII. ex Continuatore *Guillelmi Nangii*, ex veteri Chronico Sandionysiano, ex Appendice Annalium *Henrici Stebonis*, ad annum MCCCI. ex *Thoma Walsinghamo* in Ypodigmate Neustriæ, ad eumdem annum, & in Historia ad annum MCCCII. ex *Nicolo Gillio* in Annalibus ad annum MCCC. ex *Joanne Tilletio* in Chronico, &c. Tum prohibuisse Regem Edicto solemni ne quis è Clero Gallicano Romam peteret, aut è Regno aurum vel argentum extraheret; & custodibus appositis cavisse ne quis fulminantes Pontificis Literas in Regnum afferret, iidem Auctores testantur. Addit Vualsinghamus, *Petrum Flotam* Equitem, Dominum Revelli & Castri Escolli in Alvernia, ad Pontificem à Rege missum, qui Regis, Procerúmque mentem, & constans in propugnandis Regni Juribus propositum audacter ac immodestè significavit. Si quæ tamen fuit verborum *Flotæ* immodestia, minis *Bonifacii VIII.* in Regem, & ambitiosâ Potestatis utriúsque in toto orbe Christiano jactantiâ fuit ad eam provocatus. Cùm enim dixisset Pontifex: *Nos habemus utramque Potestatem:* respondit Eques:

Utique

Utique, Domine, sed vestra (quam in temporalia Regum vobis arrogatis) *est verbalis : nostra autem est realis.*

Alterum Dissidii incentivum.

XI. Alterum infausti Dissidii incentivum fuit Juris Regaliæ, quod Rex in Ecclesiis Regni sui, Regum Prædecessorum, & inprimis *Sancti Ludovici* exemplo exercebat, & quod à Summis Pontificibus & Conciliis agnitum atque approbatum fuerat, intempestiva & injusta impugnatio à *Bonifacio* facta, ut ex Auctoribus supra laudatis, & ex Epistolis ipsius *Bonifacii VIII.* compertum est, necnon ex Glossa Capitis, *Generali Constitutione, De Electione, & electi potestate*, in Sexto, Antuerpiensis editionis.

XII. Denique Columnensium Pontificis hostium à Rege suscepta protectio, sive in eos demonstrata benevolentia & benignitas, *Bonifacii* animum à Rege magis abalienavit, ac fatale Dissidium fovit.

ARTICULUS II.

De infausti Dissidii progressu, & novis Molitionibus BONIFACII VIII. Auctoritatem in temporalia Regis Christianissimi sibi Sedique suæ tribuentis : ac de Extravaganti, UNAM SANCTAM; quæ definitur.

I. Scripsit interim *Bonifacius VIII.* ad Prælatos & Doctores cùm in Theologia tum in utroque Jure, Ecclesiæ Gallicanæ, Nonis Decembris anni MCCCI. jubens ut ad Sedem Apostolicam anno sequenti convenirent, adfuturi Synodo ad Kalenda Novembres indictæ, in qua ex eorum consilio qui Regi accepti erant, tractari & statui possent quæ ad honorem Dei & Apostolicæ Sedis, *augmentum Catholicæ Fidei, conservationem Ecclesiasticæ Libertatis, Reformationem Regis & Regni, correctionem præteritorum excessuum, & bonum Regimen Regni ejusdem videret expedire.* (Epistola CIII. & CIV. libri VII. ab *Odorico Raynaldo* descriptis ad annum MCCCI. Num. XXIX)

Acerbiores Bonifacii VIII. Diploma Literæque asperiores ad Regem.

II. Eodem anno apertas inimicitias Regi denuntians, Diploma promulgavit pridie Nonas Decembris, his verbis incipiens : *Salvator mundi :* quo omnia Privilegia gratiásque Regi Christianissimo & ejus Successoribus, & Clericis ac Laïcis qui ipsis à Secretioribus Consiliis essent, à Sede Apostolica concessas suspendit, & quicquid Prælatis aliisque Ecclesiasticis Viris decimarum vel quovis alio subsidii nomine impositum fuisset, etiamsi assensum ipsi præstitissent, solvi prohibuit absque Sedis ejusdem mandato. Denique Privilegia gratiásque omnes, quas Reges & Consistoriani Comites sibi vendicabant, exhiberi sibi jussit in proxima Synodo. Extat hoc Diploma in MS. Codice Victorinæ Bibliothecæ signato MM. 7. fol. 66. quod jussu *Clementis V.* è *Bonifacii* Regesto expunctum est.

III. Asperiores Literas Nonis Decembris ejusdem anni ad Regem Christianissimum scripsit *Bonifacius VIII.* quæ incipiunt his verbis: *Ausculta Fili Carissime, præcepta Patris :* quibus se à Deo constitutum ait *super Reges & Regna, ad evellendum, destruendum, disperdendum, dissipandum, ædificandum atque plantandum.* Falli Regem, si persuasum habeat, *quòd Superiorem non habet*, & non subest Summo Hierarchæ Ecclesiæ : Desipere qui sic sapit, & si pertinaciter id affirmet, infidelitatis convinci. Ipsi Virorum Ecclesiasticorum vexationem, gravamen populi improperat. Illum arguit quòd Beneficiorum in Curia vel extra Curiam vacantium Collationes, Jure etiam Præventionis à Romano Pontifice factas impugnet, nec Mandata Sedis Apostolicæ effectum suum sortiri sinat. Quòd in his & similibus causis sibi ipsi Jus dicat. Quòd Lugdunensis Ecclesiæ libertatem lædat, eámque injuriosis gravaminibus ad inopiam redigat. Quòd Regaliorum Jure abutatur, nec vacantium Ecclesiarum Cathedralium reditus moderatè percipiat, sed immoderatè consumat. Quòd frequenti mutatione monetarum subditis incommodet. Se hæc ipsi significare, ut debitæ Judicium ultionis effugere satagat. Cæterùm se Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & Doctores Regni ipsius ad Synodum vocasse, quorum consilio hæc emendare possit, & necessaria decernere. Regem Synodo adesse posse, vel ad eamdem mittere Oratores. Cogitare præterea ipsum jubet de Terræ Sanctæ Subsidio. Diploma illud editum est inter Probationes Historiæ hujus Dissidii pag. 48. ex Chartophylacio Regio. Cæterùm ipsius magnam partem ex Regesto *Bonifacii VIII.* expungi jussit *Clemens V.* ut *Odoricus Raynaldus* observat.

IV. Brevior Epistola eodem die data in MS. Codice Victorinæ Bibliothecæ signato MM. 7. fol. 53. continetur, quæ sic habet : *Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei, Philippo Francorum Regi : Deum time, & mandata ejus observa. Scire te volumus, quod in spiritualibus & temporalibus nobis subes. Beneficiorum & Præbendarum ad Te Collatio nulla spectat. Et si aliquorum vacantium Custodiam habeas, usumfructum eorum Successoribus reserves. Et si qua contulisti, Collationem hujusmodi irritam decrevimus, & quatenus de facto processerint, revocamus. Aliud autem credentes Hæreticos reputamus.* Hanc Epistolam à *Bonifacio VIII.* scriptam non esse, sed à *Flota* viro turbulento, qui prolixiorem alteram suppresserit, & hanc veneni plenam ejus loco Regi tradiderit, conjicit *Spondanus* ad annum MCCCI. Num. XI. cùm ex stylo Romanæ Curiæ non consueto, tum ex eo quòd incredibile sit *Bonifacium VIII.* eadem die breve illud Epistolium ad Regem scripsisse, quo prolixiores Literas incipientes his verbis, *Ausculta, Fili Carissime,* dederat. Illud nihilominus Regi traditum fuisse, dubitasséque neminem quin à *Bonifacio* scriptum esset, colligitur ex Glossa in Cap. *Generali Constitutione, De Electione & electi potestate, in Sexto,* quæ in editione Romana recisa est, ex Appendice Annalium *Henrici Stéronis* ad annum MCCCI. ex Annalibus Francorum *Nicolai Gillii*, ex *Ægidio Romano* in libello *De utraque Potestate*, &c. qui brevioris istius Epistolæ meminere, & ejus verba proferunt.

Regni Ordines à Rege congregati.

V. Anno MCCCII. die Aprilis X. Regni Ordines à *Philippo* Rege congregati, de Bulla *Bonifacii* per Archidiaconum Narbonensem missâ, aliisque Literis Regia Jura & Gallicanas Libertates lædentibus, sententiam dicere jubentur. Omnes ad unum se vehementer perculsos esse significant *verbis novis & inauditis à seculo apud incolas hujusce Regni :* Quòd Regem *de Regno suo, quod à solo Deo Ipse & Prædecessores sui tenere hactenus recognoscunt,* Sedi Apostolicæ *temporaliter subesse, illudque à se tenere* Pontifex scripserit, ac Prælatos, Magistros in Theologia, Professores utriusque Juris, Romam vocet ad Synodum, ut sic *Regnum incomparabilibus thesauris, clypeis fortium præferendis, sapientiâ videlicet Prælatorum, & Sapientum etiam aliorum, quorum fideli maturitate consilii, ac providentiâ circumspectâ regi habet & dirigi, firmari fides, Sacramenta Ecclesiastica exhiberi, ministrari Justitia, & per eos facultatibus & divitiis vacuatum penitus & exhaustum, dubii casûs eventibus,*

Eorum deliberatio.

miserabilis

miserabilis ruina periculis, & desolationis extrema dispendiis exponatur. Multa contra Romanæ Curiæ abusus eo in Conventu dicta, præ ceteris adversùs Reservationes Pontificias Beneficiorum, & eorum Collationes personis extraneis, indoctis, & interdum suspectis, à Summo Pontifice factas: contra Pensiones & census Ecclesiis recèns impositos, aliáque gravamina expostulatum est. Barones cum Syndicis & Procuratoribus urbium & communitatum, habità deliberatione, Regi gratias egere, quod jam Gallicanam restituere, ac Regni sui Jura & Libertates tueri decrevisset: Ad earum defensionem se non modo fortunarum, sed vitæ etiam periculo paratos esse. Quamvis ejus Majestas injurias hujusmodi pati vel dissimulare vellet, eas ferre se nullatenus posse. Prælati, ceterique Ecclesiastici Viri, inducias ad deliberandum postulant, Pontificem excusare apud Regem & Nobiles conantur, concordiam Regnum inter & Apostolicam Sedem conservandam suadent: *Quod non ea* (inquiunt) *intentione ad eumdem Dominum Regem Apostolica Litera processisset, ut vestra voluntatis existeret in Regni prafati Libertatem impingere, vel quidquam honori Regio contrarium in hac parte vel quomodolibet innovare: multa lenitate verborum, persuasionibus studiosis, & multiplicatis excusationum prasidiis nisi fuimus informare ipsum Regem ad servandum speciale vinculum unionis, quod inter Sanctam Romanam Ecclesiam & Pradecessores suos, & ipsum Regem, usque ad hac tempora viguisse dignoscitur, multipliciter inducendo.* Sententiam ut præcisè & absque mora dicant, urgentur. Ni vitarum, quas invehit *Bonifacius*, si qui patroni esse velint, Regis ac Regni inimici conclamantur. Sic itaque responsionem temperant: Se *Domino Regi in conservatione persona sua, suique terreni honoris, ac Libertatis & Jurium dicti Regni*, prout plerique præstito ratione feudorum Sacramento, cæteri ex officio tenentur ut subditi, *consiliis debitis & auxiliis opportunis* adfuturos. Regem supplices orant, ut, *cùm Apostolica Sanctitati ad obedientiam teneantur*, sibi Summum Pontificem adire, ac ejus Mandati parere liceat. Rex, Proceréfque respondent, se nullatenus id passuros. Tres igitur Episcopos Clerus ad Pontificem mittit, hæc omnia ipsi Literis denuntiat; illum rogat ut æqui bonique ducat, si Romam vocati non pergant, imò vocationis rescindat edictum, & conjunctioni atque concordiæ, quæ Reges & Regnum Francorum inter & Apostolicam Sedem hactenus fuit, conservandæ studeat. Hanc Gallicani Cleri Epistolam legere est inter Probationes Historiæ hujus Dissidii, pag. 67. & Tom. x *Spicilegii*, pag. 144. Scripsit & Nobilium Ordo ad S. R. E. Cardinales paulò amariores literas contra Pontificia gravamina: Rogant ut qui in partem regiminis Ecclesiæ vocati sunt, curent ne concordia Regni & Sacerdotii solvatur, séque nunquam à proposito defendendæ ad mortem usque Gallicanæ Libertatis discessuros significant. Hæ Literæ patriâ lingua scriptæ, inter easdem Probationes editæ sunt, pag. 60. Rex aculeato stylo respondit Epistolæ breviori, *Bonifacii VIII.* quam ipsi *Flota* tradiderat. Illa scriptio & priora verba, quæ immodesta & contumeliosa sunt, æterna oblivione delenda, potiùs quàm in Historiam referenda. Eâ Epistolâ contestatur *Philippus Pulcher Se in temporalibus nemini subesse: Ecclesiarum & Præbendarum vacantium Collationem ad se Jure Regio pertinere*, Séque *fructus earum suos facere*.

Responsa Gallicanis Episcopis à Clero & Rege Romā legatis in Consistorio data.

VI. Ut primùm Gallicani Episcopi à Rege & Clero Legati Romam appulere, de Regiis negotiis in Consistorio actum est. Transmissa sunt ad posteritatis memoriam Responsa & Monita *Joannis de Murro* Cardinalis Portuensis ex Ordine FF. Minorum assumpti, & *Bonifacii VIII.* Gallicanis Prælatibus data. Cardinalis pro Themate sumpsit verba Jeremiæ: *Ecce ego constitui te super gentes & regna, ut evellas & destruas, dissipes & dispergas, & adifices & plantes.* Jerem. 1. 10. Postquam hæc Summo Pontifici convenire dixit ad malorum oppressionem & bonorum exaltationem, subdit: Dissensionem inter Summum Pontificem, Sacrum Collegium Cardinalium & Ecclesiam ex una parte, & Regem Francorum & suos ex altera, levibus de causis ortam esse. Plures quidem querimonias de eversione Disciplinæ ac Ecclesiasticæ Libertatis oppressione in Gallicano Regno fuisse ad Pontificem delatas. Verum etiam esse, quamdam Epistolam communi consilio Pontificis & Cardinalium ad Regem Christianissimum scriptam fuisse, quæ non semel in Consistorio lecta & discussa est antequam in Gallias mitteretur, quæ verbis honestis & caritatem spirantibus Majestatem ejus monebat ut nonnulla emendaret. A quibusdam vulgatum eâ contineri, quòd *Rex recognoscere Regnum suum ab Ecclesia deberet.* Id verò nunquam scriptum esse, vel à Summo Pontifice & Fratribus mandatum. Aliam quamdam Epistolam jactari, cujus auctorem ignorat. Se namque certò scire quòd à Cardinalibus missa non fuerit: sed nec Pontificis mandato scriptam existimare. Sibi persuasum esse, Regem optimum & Catholicum esse Principem, sed vereri ne Consiliarios habeat minùs utiles. Ipsius Majestatem non gravari, cùm Prælati & Doctores Gallicani vocantur à Pontifice ad tractandum de aliquibus negotiis Ipsam spectantibus. Non vocari alienos, non æmulos, non adversarios, sed familiares & domesticos, qui Regis Regnique honorem ut pupillam oculi diligant. Romam vocati, non ultra fines mundi; non moram diuturnam facturos, sed confecto negotio statim redituros. Quod spectat Beneficiorum Collationem, non esse cur Rex de gravamine conqueratur: Quia in hac materia duo sunt accuratè distinguenda, *Jus Patronatus & Prasentatio. Collatio & usus. Ad Laicum nullo jure pertinere posse Collationem Beneficii, nisi ministerialiter.* Si Rex præscriptione se tueatur, ipsi e vestigio reponendum: *Quare ergo impetravit super hoc Privilegium ab Ecclesia?* De Collatione Beneficiorum extraneis factâ non esse querimoniæ locum; siquidem Pontifex duos tantùm Italos in Regno promovit, sed in Galliis educatos, & Regi devotissimos, scilicet *Ægidium Romanum*, Ordinis Augustiniani, in Academia Parisiensi Doctorem Theologum; & Episcopum Attrebatensem, in utroque Jure Doctorem. Cæterùm Romanum Pontificem sibi reservare posse Beneficiorum quorumdam Collationem, pro sua plenitudine Potestatis *in spiritualibus.* Addit, Neminem in dubium revocare debere quin Romanus Pontifex *Possit judicare de omni temporali ratione peccati. Jurisdictionem temporalem posse considerari prout competit alicui ratione actus & usus, vel prout competit alicui de Jure. Unde* (inquit) *Jurisdictio temporalis competit Summo Pontifici, qui est Vicarius Christi & Petri, de Jure.* Et qui contrarium sentit, impingit in illum Articulum: *Judicaturus est vivos & mortuos*: & in illum: *Sanctorum Communionem.* Sed *Jurisdictio temporalis quantùm ad usum, & executionem actus non competit ei.* Unde dictum est S. Petro: *Converte gladium in vaginam.* Matt. 26. 52. Non videri itaque quòd Rex Christianissimus conquerendi rationem habeat. Se Fratrésque Deum rogaturos ut ipsum illuminet ac dirigat, desistat à cœptis, optimum se præstet Ecclesiæ Summique Pontificis filium, qui ipsum complecti paratus est, si ad officium redeat. Hæc Portuensis Cardinalis ad Legatos Ecclesiæ Gallicanæ

Oratio edita est ex MS. Victorinæ Bibliothecæ, inter Probationes Historiæ hujus Dissidii, pag. 73.

VII. Secundùm hæc, Pontifex ad eosdem Legatos Sermonem habuit sumpto Themate: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Quæ verba Ecclesiæ Romanæ & Regno ac Regibus Francorum accommodans, ait: Illorum conjunctionem à *Clodovei* Baptismo cœpisse, cui *S. Remigius* vaticinatus est, Regnum Francorum florentissimum, Regésque potentissimos fore, quandiu Ecclesiæ adhærerent; rem Gallicam ruituram si ab ejus obedientia recederent. Id se olim Regi dixisse, cùm Legationem in Galliis obiret, idque ipsius Majestatem magna cum reverentia & gratiarum actione audivisse. Ex hac auspicatissima conjunctione ingentia bona in Regnum Regésque Francorum redundasse. *Philippi Augusti* tempore Regem Christianissimum plusquam decem & octo millia librarum certi reditus annuatim non percepisse, gratiis verò & dispensationibus Ecclesiæ Romanæ ejus reditus ad quadraginta millia librarum & ampliùs auctos esse. *Ergo*, inquit, *quos Deus sic conjunxit, homo non separet.* Eum qui conjunctionem optatissimam abrumpere tentaverat, esse diabolum vel diabolicum hominem, cæcutientem corpore, cæcum mente, scilicet *Petrum Flote* hominem acetosum, felliturn, hæreticum, discordiæ Regem inter & Ecclesiam Romanam incentorem. Hanc Epistolam Pontificiam, de consensu & consilio Cardinalium, maturáque deliberatione scriptam, ex conventione verò cum Nuntiis Regis factâ non missam, quòd visum esset priùs his de rebus ad ejus Majestatem scribendum, adulterasse, seu falsa de ea confinxisse: Prælatis & Baronibus persuasisse quòd Pontifex Regi scripserat, quod recognosceret Regnum ab ipso. Id oppidò falsum. Ab annis quadraginta se Juris peritum, nosse quòd duæ sunt Potestates ordinatæ à Deo. Se à tam fatua opinione, verbísque tam insipientibus esse prorsus alienum. Sibi propositum esse *in nullo usurpare Jurisdictionem Regis.* Qui tamen negare non posset, quin sit Pontifici Romano *subjectus ratione peccati.* Quod attinet Beneficiorum Collationem, se zelo veritatis, Regiæque salutis, frequenter ejus Oratoribus dixisse: *Volumus Rex faciat licitè, quod facit illicitè. Volumus super hoc sibi facere omnem gratiam quam poterimus, quia certum est, & omnia Jura clamant, quòd Collatio Beneficiorum non potest cadere in Laicum, ita quod habeat Jus seu Auctoritatem spiritualem & potestatem conferendi.* Se Regi concessisse, ut in singulis Regni sui Ecclesiis Præbendam unam conferret. Ejus Majestati se concedere voluisse Præbendarum Collationem in Ecclesia Parisiensi, ea lege ut Doctoribus in Theologia, vel in Jure, seu viris aliàs doctrinâ conspicuis, hujusmodi Beneficia conferret. Addit *Bonifacius VIII.* Se, si fortè in aliquibus erga Regem aut Regnum Francorum excesserit, paratum esse ad emendandum omnia Cardinalium judicio & arbitrio. Quin imò Rex mittat Barones, non satellites malitiæ, sed viros probos, quales audiebant Dux Burgundiæ, Comes Britanniæ, vel alii: revocaturum se eorum arbitrio, si quid gravaminis Regi vel Regno intulerit: & circa Beneficiorum Collationem, gratias, quantùm poterit, ampliaturum. Nihil esse sibi antiquius quàm pacem & amorem cum Rege fovere: in Regnum & ejus indigenas se propensissimum semper fuisse, idque adeo notum esse, ut ante Pontificatum sibi fuerit frequenter ab aliis Cardinalibus improperatum, quòd Gallis contra Romanos studeret. Multis se beneficiis Regem cumulasse, quæ commemorare non sit opus. Nisi ad officium redeat, & à cœptis desistat, Prælatísque permittat ut Sedem Apostolicam adeant, se ad pœnas infligendas compulsum iri. Prædecessores suos tres Reges Francorum exauctorasse: *Philippum* tunc regnantem perpetrasse graviora: Quapropter (inquit) *Nos deponeremus Regem ita sicut unum garcionem, licèt cum dolore & tristitia magna.* Quoad vocationem Prælatorum, quæ præcipuum Gallicanæ Legationis caput erat, respondet, Se non relaxaturum nec suspensurum data & promulgata ea de re Mandata, imò fortiùs adstricturum & confirmaturum. Si qui non veniant, locum habituram illam Canticorum Sententiam: *Tempus putationis advenit.* Si non possint venire equites, veniant pedes. Eos qui non venerint, certissimè exauctorandos, séque jam eos depositos & privatos Sacris Dignitatibus & Beneficiis denuntiare. Hæc *Bonifacii VIII.* Oratio edita est inter Probationes Historiæ hujus Dissidii, pag. 77. ex MS. Codice Victorinæ Bibliothecæ.

Matt. 19. 6.

VIII. Peregrinum & hospitem in Historia nostra se ostendit *Bonifacius VIII.* cùm ait: *Prædecessores nostri deposuerunt tres Reges Franciæ, & ipsi hoc habent in Chronicis suis, & Nos in nostris, & de uno habetur in Decretis.* De nullo enim id memoriæ proditum est in Francorum Annalibus. De uno *Childerico* id tradunt Scriptores nonnulli Historiæ nostræ, quem alii à *Zacharia*, alii à *Stephano* ejus Successore exauctoratum scribunt. De quo Cap. *Alius*, xv. Q. vi. At Doctores qui supremum Christianissimi Regis Imperium adversùs *Bonifacium VIII.* Dissidii hujus tempore tuiti sunt, Historicos exposuere, & ex *Zacharia* facto, & Cap. *Alius*, nihil colligi posse responderunt, quod *Bonifacii* consiliis faveret. *Ægidius Romanus* Bituricensis Archiepiscopus, in Quæstione de utraque Potestate: *Respondeo* (inquit) *Nunquam legitur quod Regem Franciæ deposuerit, sed deponendum consuluit, ut dicunt quidam. Interrogatus enim quis potius regnare deberet, an ille qui agebat Regni negotia, an ille qui non agebat? Respondit, quod primus. Quo facto Rex Ydericus depositus fuit à Baronibus, & Pipinus ordinatus & inunctus in Regem. Vel, sicut alii dicunt, Rex Ydericus non fuit depositus, sed sponte ingressus Monasterium, Monachicam vitam assumpsit. Barones autem Regni super electione Pipini & institutione prædicta hæsitantes, an licitum eis esset, consulunt Papam; quod tamen sine Papa facere potuissent.* Eodem modo respondet *Joannes de Parisiis* lib. de Potestate Regia & Papali, Cap. xvi. *Respondeo*, inquit, *quòd illud fuit magis declaratio Juris, quòd scilicet Juramentum in tali casu non ligabat; quàm absolutio à Juramento fidelitatis. Hoc enim fuit factum de consensu Regis, qui fortè conscius de sua ineptitudine, volens omnino vacare, Monasticam vitam elegit. In quo casu Barones potuerunt ad ulterius electionem procedere, prout fuit per Papam declaratum & consultum.* Alius Auctor Tractatus de Potestate Papæ, qui ad calcem Historiæ hujus Dissidii editus est: *Ad III. quod dicitur de Zacharia Papa, qui deposuit Regem Franciæ, dicendum, quod non est verum. Nunquam enim permisissent Barones Regni Franciæ. Unde & Joannes* in Apparatu Decretorum, *super illud verbum*, Deposuit, *glossat*, id est, deponentibus consensit. *Et certè secundum veritatem historiæ, magis deberet glossari*, Deposuit, *id est, deponere volentibus consuluit. Pipinus enim misit ad Papam, non sicut ad temporalis Regni Dominum, sed sicut ad Virum Sapientem, ad habendum consilium, quia consilium ejus, ratione status Summi Pontificis, videbatur esse multùm authenticum, sicut apparet ex verbis illius historiæ*, quæ sunt ista: *Pipinus Princeps Francorum misit Legatos ad Zachariam Papam, consulens quis potius Rex esse aut dici deberet, qui magnos pro Regni pace sustineret labores, an qui otio deditus,*

Animadversio in id quod Bonifacius VIII d[illegible] trium Regum depositione, & de Cap. Alius.

sola

solo nomine Regio esset contentus? Cui idem Pontifex remandavit, illum potius appellari Regem, qui bene Rempublicam gereret. Quare, sponsione tanti Pontificis animati Franci, Childerico Rege in Monasterio retrusa, & Monastico tegmine palliato, Pipinum Regem constituunt. Hæc conferantur cum secunda Dissertationum nostrarum in Historiam Ecclesiasticam Seculi VIII. ubi fabulam de *Childerici* Exauctoratione à Romano Pontifice factâ explosimus.

IX. Ex ea, de qua mox diximus, *Bonifacii VIII.* ad Gallicanæ Ecclesiæ Legatos Oratione evidens est, illum, quantumvis opinionis istius, quæ ipsi affingebatur, de omnium Regnorum, ac speciatim Francorum in temporalibus subjectione Romano Pontifici invidiam discusserit, nihilominus indirectam in temporalia Regum potestatem, sive auctoritatem eos privandi Regnis ratione peccati, sibi arrogasse, quod ex ipsius Constitutione, quæ incipit: *Unam Sanctam.* Extra. *De Majoritate & obedientia*; luculentiùs confirmatur, quâ docet utriusque gladii Potestatem esse penes Ecclesiam: temporalem potestatem subesse spirituali, ab eâque institui & judicari: Huic à Deo constituto ordini qui resistit, in Manichæorum hæresim impingere. *Ecclesia*, (inquit) *unius & unica unum corpus, unum caput Christus, & Christi Vicarius Petrus, Petrique Successor... In hac ejúsque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet & temporalem, Evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis:* Ecce gladii duo hîc (*in Ecclesia scilicet*) *non respondit Dominus, nimis esse, sed satis. Certè qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, malè verbum attendit Domini proferentis:* Converte gladium tuum in vaginam: *Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro Ecclesia exercendus: Ille Sacerdotis; is manu Regum & Militum, sed ad nutum & patientiam Sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem Auctoritatem spirituali subjici Potestati. Nam cùm dicat Apostolus:* Non est Potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: *Non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, &c.* Et infra: *Nam veritate testante, spiritualis Potestas terrenam Potestatem instituere habet, & judicare, si bona non fuerit. Sic de Ecclesia & Ecclesiastica Potestate verificatur vaticinium Jeremiæ*; Ecce constitui te hodie super gentes & regna, &c. *Ergo si deviat terrena Potestas, judicabitur à Potestate spirituali. Sed si deviat spiritualis, minor à suo Superiori; si verò suprema à solo Deo, non ab homine poterit judicari, testante Apostolo:* Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur. *Est autem hæc Auctoritas non humana, sed potius divina, ore divino Petro data, sibique, suisque Successoribus in ipso, quem confessus fuit, petra firmata, dicente Domino ipsi Petro:* Quodcunque ligaveris, &c. *Quicunque igitur huic Potestati à Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo (sicut Manichæus) fingat esse principia, quod falsum & hæreticum judicamus.*

Bonifacius VIII. indirectam temporalem Regum potestatem sibi tribuit.

Lucæ 22. 38.

Matt. 26. 52.

Rom. 13. 1.

Jerem. 1. 10

1. Corinth. 2. 15.

Matth. 16. 19.

Id confirmatur testimonio *Ptolomæi Lucensis*, in Annalibus, ad annum MCCCII. *Eodem anno* (inquit) *Dominus Bonifacius transmisit literas cum Bulla ad perpetuam rei memoriam, Regi Franciæ, in quibus mandabat eidem: Quòd volebat, cùm ipse esset Dominus temporalium & spiritualium Mundi, quòd recognosceret Regnum ab ipso, & contra eum tenere judicabat hæreticum. Quas literas Rex recipiens, de consilio suorum Magistrorum* (id est, Doctorum Sacræ Facultatis Parisiensis,) *coram multitudine populi fecit comburi: & tunc arctavit omnes vias Regni, ut nullus equus, nulla pecunia, nulláque litera inde exire posset.*

Idem constat ex *Guillelmi Nangii* Continuatore. *Anno*, inquit, MCCCI. *mense Februario, missus à Papa Bonifacio Narbonensis Archidiaconus venit in Franciam, denuntians ex parte ipsius Papæ Regi Franciæ, ut Appamiensem Episcopum sibi redderet indilatè: & ostendit eidem literas, in quibus Romanus Pontifex Regi Franciæ demandabat, quòd volebat eum scire se tam in temporalibus quàm in spiritualibus subesse Romani Pontificis ditioni... Philippus Rex Franciæ reddens Papæ Nuntio Appamiensem Episcopum, ut de Regno suo festinanter recederet, imperavit: & post media subsequente Quadragesima, Congregavit Parisius omnes Barones ac Milites, atque totius Regni Franciæ Magistratus, cum majoribus Prælatis & minoribus universis: ubi primum à Personis Ecclesiasticis sciscitavit, A quo suum temporale Ecclesiasticum & Barones & Milites sua se tenere Feoda agnoscerent. Timebat enim Majestas Regia, ne propter hoc quod Papa mandaverat, tam sibi in temporalibus, quàm in spiritualibus se subesse, vellet idem Romanus Pontifex niti quòd Regnum Franciæ à Romana Ecclesia in Feodum teneretur. Et cùm omnes à Francorum Regibus tenuisse, ac de cætero tenere se dicerent universa, Rex eisdem gratias reddidit, & promisit quod corpus & omnia quæ haberet, exponeret pro libertate Regni conservanda. Similiter autem Barones & Milites per os Attrebatensis Comitis postea responderunt, Quod ex toto robore prompti erant pro Corona Regni Franciæ contra omnes adversarios decertare.*

Idem constat ex *Joanne Villani*, libro VIII. Historiæ Cap. LXII. & LXIII. *Onde il Papa Bonifacio, il quale era superbo e dispettoso, & ardito a fare ogni gran cosa, come magnanimo & possente che gli era, & si tenea, veggendo si fare quelli oltraggi al Rè di Francia, mescolò lo regno con la mala volontà, & fecesi al tutto nemico al Re di Francia. Et prima per giustificare sue ragioni, fece richiedere tutti i gran Prelati de Francia che dovessero venire à la Corte, ma il Re contradisse loro, & non li lasciò venire. Onde il Papa maggiormente inanimò contra al Re di Francia, & trovò per sue ragioni & Decreti, che il Re di Francia, come gli altri Signori Christiani dovea ricognoscere dalla Sedia Apostolica la Signoria del temporale, come del spiritale: & per questo mandò in Francia suo Chierico Romano, Archidiacono di Narbona, che protestasse & amonisse il Re, sotto pena di scommunicationi di eso fare, di riconoscere da lui: & se cio non facesse, lo scommunicasse, & lasciasse lo interdetto.* Frustra igitur *Spondanus* ad annum MCCCII. Num. X. & XI. *Bonifacium VIII.* ab ejus erroris labe purgare conatur. Quod minimè suscepturum doctissimum Annalium Ecclesiasticorum Continuatorem existimo, si *Bonifacii VIII.* ingenium attentiùs considerasset. Ipsum enim in id incubuisse vidisset, ut Reges Christianissimos non solùm Romano Pontifici in temporalibus subderet, verùm etiam Imperatori, ut constat ex ipsius Oratione Romæ habitâ in publico Consistorio pro confirmando Rege Romanorum *Alberto*, anno MCCCIII. *Per dies*, inquit, *intelligitur Potestas Ecclesiastica seu terrena, juxta illud:* Dies formabuntur, & nemo in eis. *Quia non possunt dicere:* Ego Pauli, ego sum Apollô. *Sicut enim à Christo Christiani dicuntur, sic à Christo & Christi Vicario Successore Petri formantur & defenduntur omnes dies, hoc est omnes Potestates..... Omnes sunt à Christo, & à nobis tanquam à Vicario Jesu Christi... Nec insurgat hîc superbia Gallicana, quæ dicit, Quòd non recognoscunt Superiorem. Mentiuntur: quia de Jure sunt & esse debent sub Rege Romano & Imperatore... Et nos volumus quòd quicunque evangelizaverit aliud, Anathema sit.* Evangelizavit aliud *Innocentius III.* Cap. *Per venerabilem.*

Spondanus refellitur.

Hanc Orationem ex veteri Cod. MS Colbertinæ Bibliothecæ edidit V. Cl. Baluzius in Actis ad cap. III. lib. II. O. De Marca, De Concordia Sacerdotii & Imperii.

bilem. Extra. *Qui filii sint legitimi* : declarans Quod *Rex Francorum Superiorem in temporalibus minimè recognoscit*. Evangelizat aliud Ecclesia, quæ *Innocentii III.* Decretalem suscepit. Bonifaciano igitur Anathemati & *Innocentius III.* & Ecclesia subjicebit universa? Quis hoc æquo animo ferre possit? Cùm itaque conciliari non possit cum *Innocentio III. Bonifacius VIII.* religioni ducimus sequi potius *Innocentium* cum Traditione, cum verbo Dei, cum Ecclesia sentientem, quàm *Bonifacium* ab iisdem dissentientem, & in opinionem improbabilem abreptum.

Bonifacii VIII. opinio ab eruditis Doctoribus è Sacra Facultate Parisiensi tunc temporis confutata.

X. Ab illa de Romani Pontificis in temporalia Regum potestate sententia, sive de auctoritate eos deponendi virtute clavium Ecclesiæ, se abhorrere omnes Regni hujusce Ordines palam testati sunt. Nec defuere Viri Doctissimi, qui absonam *Bonifacii VIII.* opinionem confutarent, Regiámque Auctoritátem scriptis tuerentur. Hac in palæstra palmam tulere *Ægidius Romanus*, ad Bituricensem Archiepiscopatum ex Ordine Eremitarum S. Augustini assumptus, & *Joannes de Parisiis*, Ordinis FF. Prædicatorum, in Sacra Facultate Parisiensi Doctores Theologi, quorum Tractatus editi sunt Tom. II. Monarchiæ Romani Imperii à *Goldaste* adversæ communionis Auctore. Ostendunt viri doctissimi, *Bonifacii* errori non favere Scripturæ Sacræ loca, Jura, & rationes, quas pro se allegabat. Ea tantum perstringo, quæ in Decretali, *Unam Sanctam*, protulit.

XI. Ad id quod de duobus gladiis in Ecclesiæ potestate existentibus, ex Evangelio, *Bonifacius* colligere sibi videbatur, respondet *Ægidius Romanus* in Quæstione de utraque Potestate : *Si concedamus duos gladios significare duas in Ecclesia Potestates; dicemus quod revera duæ sunt. Sed unam habent terreni Principes, & aliam habet Summus Pontifex. Non enim dicuntur duo gladii fuisse Petro, sed unus tantùm, sicut insinuat Dominus dicens ei* : Converte gladium tuum in vaginam. *Reprehensus est autem Petrus, non quia evaginandus non esset tempore opportuno, quando necessitas imminet; sed quia evaginavit eum modo & tempore non congruo. Quia non debet Judex Ecclesiasticus uti eo nisi cum causa, & multa deliberatione, & magna necessitate.*

Joannes verò *de Parisiis*, lib. de Potestate Regia & Papali, Cap. XX. respondet : *Quod dicitur de duobus gladiis, non est nisi quadam allegatio allegorica, ex qua non potest sumi argumentum, quia, secundùm Dionysium*, Mystica Theologia non est argumentativa. *Et Augustinus dicit in Epistola ad* » *Vincentium, quòd* Allegoria non sufficit ad pro- » bationem alicujus, nisi cùm ejus habeatur alun- » de auctoritas manifesta. *Possum etiam dicere, quòd per illos duos gladios intelligunt omnes mysticè* » *verbum Dei, juxta illud Apostoli Eph. 6.* Acci- » pe loricam fidei, & gladium spiritus, quod est « verbum Dei. *Quod autem dicitur*, Duo gladii, *propter Vetus & Novum Testamentum : & per duos gladios, intelligunt gladium verbi, & gladium instantis persecutionis. De quo dicitur Lucæ 2. Beatæ* » *Virgini* : Tuam ipsius animam pertransibit gla- » dius. *Et III. Regum 12.* Non recedet gladius de do- » mo tua. *Et ii sufficere tunc dicebantur. Et horum unus erat Apostolorum passivè, qui ab eis sustinendus, scilicet gladius persecutionis : alius autem erat eorum propriè, quia ab eis pro tempore competenti evaginandus, scilicet gladius verbi Dei. Dato autem quòd per illos duos gladios, quos habebant Apostoli, intelligantur duæ Potestates, scilicet spiritualis & temporalis : quæ licèt dicantur ibi esse, tamen non dicuntur ambæ esse Petri, vel alterius Apostoli. Nam unum eorum non tetigit Petrus, scilicet secularem, qui suus non erat. Alium verò tetigit, scilicet*

A *spiritualem, quem solum Dominus dixit esse suum, & tamen non statim evaginandum à Petro : unde dictum est ei* : Pone gladium tuum in vaginam : *Quia certè non debet statim, sed cum magna deliberatione, & in necessitate magna, Judex Ecclesiasticus uti suo mucrone spirituali, ne contemnatur. Posito igitur quod per illos duos gladios mysticè illæ duæ Potestates intelligantur, pro nobis est; quia cùm essent duo, Petrus non habuit suum nisi unum. Propter quod etiam dicit Dominus Matth.* X. Non veni pacem mittere, sed gladium. *Signanter dicit gladium, non gladios. Et in persona Christi dictum est in Psalmo* : (Psalmo 44. 4.)

B Accingere gladio tuo super femur tuum, Potentissime. *Et Apocal. 1. de Filio sedente in medio candelabrorum, & 19. de illo qui dicitur Verbum Dei, dicitur quòd*, Ex ore ejus exibat gladius ex utraque parte acutus. *Ecce ergo quòd à Christo non habet nisi unum. Potest nihilominus dici, Quòd duo gladii ibi dicuntur fuisse, & ad Apostolos pertinere, quia unus Apostolis & eorum Successoribus convenit per se, quem à Christo habent : alius verò suus est aptitudine, quia eis non repugnat : & ex commissione & permissione Principum suus erat futurus.*

C Addit, Objectam *S. Bernardi* sententiam sibi favere, dicentis quòd *Uterque est Ecclesiæ : sed materialis pro Ecclesia, spiritualis verò ab Ecclesia exerendus : iste Sacerdotis, is Militis manu; sed sanè ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperatoris*. Ubi *signanter dicit*. Ad nutum Sacerdotis, *& non per manum, vel ad jussum ejus : quia in hoc non habet auctoritatem jubendi, vel compellendi, sed solùm innuendi, si voluerit Imperator.*

S. Bernardi mentem attigit *Joannes de Parisiis*. Si enim Abbas Sanctissimus auctoritatem aliquam

D in temporalia Regum Ecclesiæ ac Romano Pontifici à Christo collatam censuisset, non solum nutum, sed jussum in districtione gladii temporalis ipsis tribuisset. Mens verò *S. Bernardi* evidentiùs patet ex iis quæ ad *Eugenium* Pontificem scribebat (Lucæ 22. 25.) lib. II. verba illa, *Reges gentium dominantur eorum..... Vos autem non sic*, exponens. *Planum est* (inquit) *quòd Apostolis interdicitur dominatus : ergo & tu tibi usurpare cave aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Planum est quia ab utroque prohiberis. Si utrumque similiter habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te exceptum*

E *illorum numero putes, de quibus conqueritur Dominus dicens* : Ipsi regnaverunt, & non ex me, Princi- « (Osee 8. 4.) pes extiterunt, & non cognovi. *Forma Apostoli-* « *ca hæc est : Dominatio interdicitur, indicitur ministratio... Exi, ô Eugeni, exi* (inquam) *in mundum. Ager enim mundus est : isque tibi creditus est. Exi in illum, non tanquam dominus, sed tanquam villicus, videre & procurare, unde exigendus es reddere rationem. Non à Christo, vel ejus Vicario Petro habet Summus Pontifex dominatum .. In criminibus, non in possessionibus potestas vestra : quoniam propter illa, non propter istas, accepistis Cla-*

F *ves Regni cœlorum... Habent hæc infima & terrena Judices suos Reges & Principes terræ. Quid ergo fines alienos invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Non quia indigni vos, sed quia indignum vos talibus insistere, quippe potioribus occupati.* Excusari itaque *Bonifacius VIII.* non potest, quasi *S. Bernardum* secutus sit, cùm utrumque gladium in Ecclesiæ potestate esse dixit, & temporalem spirituali subjici : siquidem à *S. Bernardi* mente toto cœlo aberravit.

Quæ verò de hoc Evangelii loco à *Bonifacio VIII.* usurpato scripsit *Joannes de Parisiis*, doctissimus Cardinalis *Bellarminus* pariter observavit lib. V. de Romano Pontifice, Cap. V. *Respondeo*, inquit, *ad literam nullam fieri mentionem in eo loco Evangelii de gladio spirituali vel temporali Pontifi-*

cis

tis, sed solum Dominum illis verbis admonere voluisse Discipulos, Tempore Passionis suæ in iis angustiis & metu ipsos futuros fuisse, in quibus esse solent qui tunicam vendunt ut emant gladium, ut ex Theophylacto, aliisque Patribus colligitur, &c. Et lib. III. de Verbo Dei, C. III. docet ex uno sensu historico peti posse momenta quæ fidem faciant. *Convenit*, inquit, *inter nos & adversarios, ex solo literali sensu peti debere argumenta efficacia. Nam eum sensum qui ex verbis immediatè colligitur, certum est sensum esse Spiritus Sancti. At sensus mystici & spirituales varii sunt: & licèt ædificent, cùm non sunt contra fidem aut bonos mores, tamen non semper constat an sint à Spiritu Sancto intenti. Quocirca S. Augustinus in Epistola* XLVIII. *ad Vincentium meritò ridet Donatistas, qui ex illis verbis mysticè explicatis*: Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie; *colligebant Ecclesiam Christi in sola Africa remansisse. Hieronymus quoque in Commentario Cap.* XIII. *S. Matthæi docet, Fidei dogmata ex mysticis sensibus non posse efficaciter confirmari.*

Cantic. 1. 6

Cùm itaque nullus sit Scripturæ Sacræ locus, qui huic duplicis gladii conjunctioni in Ecclesia & Romano Pontifice faveat, contra recentiores Theologos nonnullos & Jurisconsultos exterarum gentium, qui *Bonifacii* unius auctoritate freti id prope quasi dogma fidei obtrudunt, præclarum illud *S. Augustini* effatum Epistola XLVIII. usurpare liceret: *Quis non impudentissimè utatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?* Denique quod à *Bonifacio VIII.* de duplici gladio Ecclesiæ competente ex Institutione Christi, assertum est, falsissimum censuerat *Nicolaus I.* laudatus in Decreto, Cap. *Inter hæc*, Causa XXXIII. Q. II. *Sancta Dei Ecclesia*, inquit, *mundanis nunquam constringitur legibus: gladium non habet nisi spiritualem.*

XII. Ad id quod ait *Bonifacius VIII.* Quæ sunt à Deo non fore ordinata, nisi gladius esset sub gladio, & spiritualis Potestas terrenam instituere posset ac judicare: *Joannes de Parisiis* respondet: *Has Potestates ordinem habere dignitatis, non causalitatis, cum una non sit ab alia, sicut Angeli à Deo sunt producti ordine quodam dignitatis, in quantum unus in naturalibus semper est nobilior altero; sed non est ibi ordo causalitatis quo unus sit ab alio, cùm omnes sint à Deo immediatè creati. Intentio tamen Apostoli videtur esse de ordine cujuslibet ad finem suum proprium, non de ordine cujuslibet ad alterum. Quod patet ex hoc quod subjungit de Principe, quòd* Minister Dei est in vindictam.

Rom. 13. 4. XIII. Ad locum *Jeremiæ*, quo *Bonifacius VIII.* abutebatur, *Joannes de Parisiis* respondet: Dupliciter id exponi. *Aliquis dicunt hoc fuisse dictum in persona Christi, eo quod* Jeremias *interpretatur*, Excelsus Domini. *Sic enim de Salomone multa dicuntur, quæ verificata tamen fuerunt in Christo per Salomonem significato, ut dicit Augustinus* XVIII. *de Civitate Dei. Ipse ergo Christus per Jeremiam significatus, positus est super gentes & super regna mundi & diaboli, dum in excelso montis positus, ea sibi oblata contempsit: Vel, super ea positus est in membris suis*, (Sanctis scilicet) *qui fide sibi adhærentes,*

Hebr. 11. 33. Proverb. 16. 32.

Regum & regnorum sævitiam vicerunt patiendo, fidei constantia armati, juxta illud: Sancti per fidem vicerunt Regna: *& illud Salomonis*: Melior est patiens viro forti. *Vel, si de persona Jeremiæ intelligatur, constat quòd nullum Regem ex quacunque causa de solio deposuit: sed intelligitur positus super gentes & regna, quasi habens auctoritatem super ea in annunciando & prædicando vera: sicut dictum est de*

Psalm. 2. 6. „ *David & Christo in Psalmis*: Ego autem constitu„tus sum Rex ab eo super montem sanctum ejus, „ prædicans præceptum ejus. *Licèt etiam positus*

A *fuerit super gentes & regna, vincendo per potentiam, cùm in manu acceperit calicem vini meri, & propinare jussus sit omnibus nationibus. Unde sequitur*: Ut evellas. *Glossa*: Mala. Et destruas, & disperdas, & dissipes. *Intelligitur, regna diaboli*. Et ædifices. *Intellige, Ecclesiam, non scandalizet*. Et plantes. *Intellige bona. Sic exponitur à Sanctis: non de evulsione & destructione Regum mundi & subrogatione aliorum, sed de destructione vitiorum*, & *plantatione fidei & morum. Sicut accipitur illud* 1. *Corinth.* 3. Dei ædificatio estis, Dei agricultura estis. *Et etiam dicitur fuisse de Sacerdotibus qui fuerunt in* Anathot, *quod interpretatur*, Responsio: *quia hoc*

B *magis faciunt Sacerdotes de fide & moribus respondendo, quàm potentia seculari dominando. Ideo etiam ibi præmittitur, quòd tetigit Dominus os suum, & dedit verba in ore ejus: quia prædicta magis habent facere Sacerdotes verbo & doctrina, ut Magistri, quàm manu & potentiâ ut Domini. Et confirmatur hæc expositio per S. Bernardum ad Eugenium Papam secundo libro, ubi exponit qualis est Papalis Principatus*: Accingere, *inquit*, gladio tuo: gla„dio scilicet Spiritus, quod est verbum Dei. *Et* „*infra*: Sic enim domabis lupos, & non domina„beris ovibus.

Pressiùs respondet Anonymus Auctor Tractatus

C de Potestate Papæ, ad calcem Historiæ hujus Dissidii editus: *Per illa verba*, Constitui te super gentes & regna, *data est sibi superioritas quantum ad officium prædicationis & correctionis, in spiritualibus, non autem quantum ad dominium alicujus Jurisdictionis in temporalibus. Et hoc satis expressè ostendit Beatus Bernardus lib.* II. *de Consideratione ad Eugenium Cap.* IV. *ubi loquens Eugenio Papæ dicit sic*: FACTUM te superiorem dissimulare nequi„mus: sed enim, ad quid, omnimodis attendendum. „Non enim ad dominandum opinor. Nam & „Propheta cùm similiter levaretur, audivit; Ut „

D evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & „ædifices, & plantes. Quid horum fastum sonat? „Rusticani magis sudoris schemate quodam, la„bor spiritualis expressus est. Et nos ergo ut mul„tùm sentiamus de nobis, impositum senserimus „ministerium, non dominium datum. *Et post pau„ca sequitur*: DISCE exemplo Prophetico præside„re, non tam ad imperitandum, quàm ad facti„tandum quod tempus requirit: Disce sarculo ti„bi opus esse, non sceptro, ut opus facias Prophe„tæ. Et quidem ille non regnaturus ascendit, sed „extirpaturus. *Usque huc verba Beati Bernardi.*

E *Ex quibus clarè patet qualiter dicta auctoritas Jeremiæ debet exponi, & quod distortè ad sensum alienum trahitur.*

XIV. Verba etiam Apostoli: *Spiritualis homo judicat omnia*: alienum in sensum detorsit *Bonifacius VIII.* ut *Joannes de Parisiis* respondet: *Licet*, inquit, *illa auctoritas frequenter assumatur, & in diversis casibus pro auctoritate Domini Papæ: tamen non est ad propositum: quia non accipitur ibi homo spiritualis à spirituali potestate quam habet Ecclesiasticus Judex: cùm habens interdum hanc potestatem spiritualem sit animalis, ut ibi accipitur. Sed dicitur*

F *animalis homo vita vel sensu. Vita autem animalis dicitur, cùm vita alicujus fertur per animæ lasciviam, & non continetur rectore spiritu. Scientiâ quidem animalis homo est, qui secundùm phantasiam corporum, vel Legis literam, vel rationem physicam de Deo judicat. Spiritualis verò dicitur vitâ & scientiâ. Vita quidem dicitur spiritualis, qui secundùm Deum habens rationem, animam suam regit. Spiritualis autem scientiâ est, qui non secundùm humanum sensum, sed Spiritui Sancto subjectus per fidem, de Deo judicat certissimè & fideliter. Unde talis judicat omnia. Glossa*: Certa fide occultorum. *Et*

à nemine judicatur: Glossa : Intelligitur, an benè vel malè intelligat. Vel, *A nemine judicatur*, id est, reprehenditur. *Et sic exponunt Hieronymus & Augustinus, & litera Apostoli hoc ostendit.*

Clariùs respondet Anonymus Auctor Tractatus de Potestate Papæ, ad calcem Historiæ hujus Dissidii editi : *Apostolus*, inquit, *non loquitur ibi de Judicio Jurisdictionis, quod competit alicui per supremam impositionem : sed de judicio discretionis, quod habetur per internam inspirationem. Et hoc satis apparet per Glossam super illum locum. Ipsa enim interna inspiratio facit hominem de omnibus judicare, hoc est, discretè sapere, secundum illud* 1. *Joann.* 2. Unctio ejus docet vos de omnibus. *Ex quo apparet quòd auctoritas illa non facit ad propositum.*

Matth. 16. 19. XV. Hæc demum verba : *Quodcunque ligaveris* &c. consilio *Bonifacii VIII.* potestatem in temporalia Regum sibi vendicantis non favent, & ea pariter in alienum sensum detorquebat, ut ostendit Joannes de Parisiis. *Respondeo*, inquit, *secundùm Chrysostomum & Rabanum : Per hoc non intelligitur aliqua potestas data, nisi spiritualis, absolvendi scilicet à vinculo peccatorum. Stultum autem esset dicere, quòd per hoc datur potestas absolvendi à vinculo debitorum. Ampliùs, secundum Hieronymum, non est intelligendum hanc potestatem habere effectum clave errante. Unde dicit quòd Presbyteri & Episcopi potestatem habent, non intelligentes de Pharisæorum supercilio quod assumserunt, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur : cùm apud Deum non Sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Et hoc declarat ibidem Hieronymus per exemplum quod ponit de Sacerdotibus Legis, qui non mundabant vel mundos faciebant, sed ex officio suo mundos & immundos judicabant. Richardus etiam de S. Victore in lib. de Remissione peccatorum Cap.* 8. *ex-* » *ponit illud dicens :* Non dicit Dominus : *Quod-* » cunque volueris solvere & ligare, sed, *Quod-* » *cunque ligaveris & solveris.* Ligat autem & » absolvit Sacerdos sententiâ justâ, non inju- » stâ.

XVI. Ex his omnibus exploratum est, opinionem illam *Bonifacii VIII.* non esse in Scriptura Sacra fundatam. Præterea cùm *Scripturam Sacram ad suos sensus contorquere contra eum sensum quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsum interpretari* sit nefas, ut docet Tridentina Synodus Sessione IV. nulla ratio habenda est privatæ opinionis *Bonifacii VIII.* loca mox recensita Scripturæ Sacræ contra consensum SS. Patrum detorquentis ad Auctoritatem Ecclesiæ & Romani Pontificis in temporalia Regum asserendam.

Patet etiam *Bonifacium VIII.* nullo fundamento affingere contrariæ Sententiæ Assertoribus, quòd duo Principia, sicut Manichæi admittant. Ad eam consequentiam supremæ & à solo Deo dependentis Regum Auctoritatis in temporalium administratione, defensoribus affingendam impulsus videtur hoc ratiocinio, quod refert *Ægidius Romanus* in Quæ- » stione de utraque Potestate : Sicut unus est Crea- » tor spiritualium omnium & temporalium, à quo » omnia procedunt in esse, & unus finis ad quem » omnia ordinantur : sic unus est omnium Guber- » nator & Rector tam temporalium, quàm spiritua- » lium. Sed in hoc est differentia, quia in creatio- » ne non potest Deus habere vicarium. Ergo unus » solus sub Deo Vicarius ejus habens regimen to- » tius universi & quantum ad temporalia, & quan- » tùm ad spiritualia. Istius verò argumenti vani- » tatem ostendit *Ægidius Romanus*, discrimen proferendo. *Quia*, inquit, *creatio est productio de non esse ad esse, ubi est infinita distantia, ideo in creatione requiritur infinita potentia, quæ non potest esse nisi in uno solo Principio simplicissimo & potentissimo. In gubernatione autem istorum inferiorum non requiritur infinita potentia, quia omnia sunt finita, tam spiritualia quàm temporalia, tamen valde sunt inter se diversa. Ideo diversis egent Rectoribus, spirituali scilicet & terreno. Vel si dicas, quòd nec creatio, nec ultima perfectio quæ est per beatitudinem, sunt communicabiles creaturæ : Quia unam requirit & infinitam potentiam ac infinitam bonitatem : Gubernatio autem fuit communicabilis. Ideo licet ipse Deus sit principalis Rector totius universi, tamen & per Angelos Sanctos & per homines voluit Mundum regi.* Et infrà : *Totius Ecclesiæ unum solum est caput, sicut una est columba Ecclesia. Sed istud caput dicimus esse Christum, qui solus est propriè caput Ecclesiæ, à quo derivata est utraque Potestas, sicut ait Apostolus Ephes.* 1. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, & » ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quod » est corpus ipsius. *Potest nihilominus Papa dici* » *caput Ecclesiæ, in quantum est principalis inter Ministros Ecclesiæ, à quo dependet tota spiritualis ordinatio : sicut etiam Romana Ecclesia dicitur caput omnium Ecclesiarum. Non est autem caput quantùm ad regimen temporalium, sed quilibet Rex est caput Regni.* Quis igitur non videat istius ratiocinii falsitatem? Qui non admittit utrumque gladium esse in Ecclesiæ potestate, & gladium esse sub gladio, temporalem sub spirituali, & temporalem Potestatem à spirituali institui & judicari posse, duo admittit Principia : Igitur Manichæus est. Sic tamen ratiocinabatur *Bonifacius VIII.* in Bulla, *Unam Sanctam* : Cujus argumentis assentiri non tenemur, quamvis Ecclesiæ Romanæ cœterarum Matris & Magistræ Decretis in materia fidei & morum non parere sit nefas. Addit Joannes de Parisiis, ad finem Capitis XXI. *Cùm fides Christiana sit Catholica & universalis, non potest Summus Pontifex hoc ponere sub fide sine Concilio Generali : quia Papa non potest discernere Statuta Concilii.* Dist. XIX. Anastasius. *Nam licet Concilium non possit Papa propriè legem imponere.* Extra. De Electione. Significasti Et XXXV. Quæst. VI. Veniam. *Tamen non intelligitur in iis quæ fidei sunt, eò quòd Orbis major est Urbe, & Papa & Concilium majus est Papa solo.* Cœterùm de Bulla, *Unam Sanctam*, iterum dicemus. Nunc historiæ series resumenda.

XVII. Gallicani Cleri Oratoribus redeuntibus, simul & Nuntio quem Nobilium Ordo ad *Bonifacium VIII.* cum literis miserat, ad eumdem Ordinem rescripsere S. R. E. Cardinales, cùm ut Baronum querimoniis facerent satis, tum ut Summi Pontificis facta excusarent : Testati sunt imprimis, nusquam ipsum scripsisse Regi, *Quòd de Regno suo sibi subesset temporaliter*, illudque ab eo tenere deberet. Id *Petrum Floram* Sedi Apostolicæ affinxisse. Ecclesiam Gallicanam ab ejus Sanctitate in hoc uno posse dici gravatam, quòd plurium annorum decimam Regi concesserit. Beneficia in Gallias nulla Pontificem nisi indigenis, viris que literatis, & præcipuè Magistris in Theologia ut plurimùm contulisse. Edita est hæc Epistola inter Probationes Historiæ hujus Dissidii pag. 63. Data est VI. Kal. Julii anno MCCCII. Ejusdem argumenti Literas dedere Purpurati Patres ad Majores, Scabinos, Consules, & omnes Universitates, & Communitates civitatum & villarum Regni Franciæ, quas legere est ibidem, pag. 71. Scripserat seorsim ad tres Cardinales sibi præ cœteris amicos Burgundiæ Dux, rogans ut huicce componendo dissidio naviter operam, obtinerent à Pontifice ut Regiorum Privilegiorum suspensionem revocaret, Episcopis Gallicanis profectionem Romam remitteret. Ii responsi dedere : Pontificem Regi conciliari non posse, nisi injuriarum Sedi Apostolicæ illatarum Pœnitentiam

Cardinalium literæ Pontificem excusantes.

tiam præ se ferret, ejúsque gratiam obsequiis promereretur. Ipsum in Excommunicationem incurrisse, cùm ob Summi Pontificis Literas igni traditas, tum ob prohibitos à Romano itinere Præsules. Caput submitteret Pontifici, Patrem in ipso probaturum. Ibidem pag. 80. & 82.)

Gulielmi de Nogareto famosus in B... libellus.

Interea *Gullelmus de Nogareto* infausti fax dissidii, famosum & contumeliosum libellum Regi obtulerat contra *Bonifacium VIII.* duodecima die Martii, ejusdem anni, quo ipsum legitimum Papam non esse, malis artibus in Sedem *S. Petri* adrepsisse, hæreseos, simoniæ, aliorúmque criminum reum esse confidenter asserebat; Regémque orabat, ut quâ pollebat auctoritate ceu Ecclesiæ Patronus ac Defensor, Generale Concilium celebrari curaret, in quo se actorem fore insulentiùs gloriabatur: supplicabatque ut *Bonifacio* interim detento, Vicarius Ecclesiæ Romanæ à Cardinalibus præficeretur. Hæc turbulenti vir ingenii. Editus est Libellus, æternis dignus tenebris, inter Probationes Historiæ hujus Dissidii, pag. 56.

ARTICULUS III.

De JOANNIS MONACHI S. R. E. Cardinalis in Gallias Legatione, & Fulminibus à BONIFACIO VIII. in PHILIPPUM Regem vibratis.

I. ANno MCCCIII. *Bonifacius VIII.* Regis animum sibi tentandum ratus, antequam fulmina contra ipsum disploderet, *Joannem Monachi*, Titulo *SS. Petri & Marcellini* Cardinalem in Gallias Legatum misit, certis cum Articulis ejus Majestati offerendis; secundùm quos ad faciendum satis Ecclesiæ ipsam hortabatur: quorum summa hæc erat. 1. Ut Rex Prohibitionem à se factam Prælatis & Doctoribus eundi Romam ad Synodum à Pontifice indictam revocaret, omniáque impedimenta directè vel indirectè eorum itineri apposita removeret. 2. Regi denuntiaret Legatus: *In quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis conferendis, vacantibus in Curia, vel extra Curiam, Romanum Pontificem summam & potiorem obtinere potestatem: & quod per Collationem cujusvis Laici in ipsis, vel eorum aliquo, non potest alicui jus acquiri sine auctoritate vel consensu Sedis Apostolicæ tacitis vel expressis.* 3. Romanum Pontificem Legatos à Latere & Nuntios liberè mittere posse ad quævis Imperia, Regna, vel loca, prout vult, *absque petitione cujuslibet vel consensu, usu vel consuetudine contrariis nequaquam obstantibus.* 4. Ecclesiasticorum bonorum & proventuum administrationem non quibusvis Laïcis, sed Personis duntaxat Ecclesiasticis esse attributam. Summam administrationis & dispensationis eorum potestatem ad Sedem Apostolicam spectare. Hanc *Nullorum requisitis assensibus de illis disponere posse, & nunc centesimam, nunc decimam, seu quamvis quotam imponere, petere, & exigere, prout videbitur expedire.* 5. Regi, aut aliis Principibus non licere occupare bona Ecclesiastica vel Jura in casibus non concessis ab homine vel à Jure: vel Ecclesiasticos Viros super actionibus, juribus, aut bonis, *quæ ab eis non tenentur in feudum*, ad suum Judicium trahere. Regem spiritualis gladii usum Prælatis prohibuisse, præsertim in Monasteriis in quibus Custodiæ Jus habet: liberam Jurisdictionem ipsis restituendam non obstantibus Privilegiis Regi vel ejus Officialibus concessis. 6. Regem gravissimam injuriam Sedi Apostolicæ irrogasse, permittendo ut Diploma & Literæ Pontificiæ comburerentur: mitteret propterea Procuratorem cum sufficientibus mandatis, qui crimen ipsius dilueret, ac ejus nomine se ad parendum Pontificis voluntati obstringeret. Se decrevisse omnia Privilegia Regi, liberis, fratribus, & Officialibus ipsius à Sede Apostolica concessa revocare, ut pœna tanti facinoris transeat posteris in exemplum. 7. Ne Rex Custodia vacantium Ecclesiarum, seu *Regalia* abutatur, sed deductis expensis necessariis & moderatis, quod fructuum reliquum est futuris Prælatis fideliter reservetur. 8. Mutationem monetarum bis intra breve tempus factam, aliáque gravamina esse à Rege emendanda. 9. Civitatem Lugdunensem & suburbia, merum & mixtum Imperium & Jurisdictionem in eisdem, non esse Juris ac Dominii Regii, sed Ecclesiæ Lugdunensis. Propterea Archiepiscopo & Capitulo, Clericis & Vassallis ipsorum, ob damna & injurias illatas, fieri satis imperavit. 10. Ut Apostolicus Legatus Regi significaret, nisi sua Majestas infra certum tempus à *Carolo* Andegavorum Comite ejus Fratre, Regiísque Nuntiis designatum, hæc omnia emendaret, atque ad satisfaciendum Sedi Apostolicæ animum inclinaret, ipsum Pontificem pro Jure suo ac Officio processurum, ac *spiritualiter & temporaliter* contra ejus Majestatem processurum, prout & quando videret expedire. Istos Articulos legere est apud *Bzovium*, & *Odoricum Raynaldum*, in Annalibus Ecclesiasticis ad annum MCCCIII. & inter Probationes Historiæ hujus Dissidii, pag. 90.

Articuli à Legato nomine Pontificis Regi oblati.

Responsio ... ad ... Articulos.

II. Pleráque ex his Articulis Gallicanæ Ecclesiæ Libertatibus, Juribus Regiis, Regni moribus, imò Juri communi adversari, compertum erat. Ad eos nihilominus Rex incredibili modestiâ temperatum responsum dedit. Ad primum respondit: Se pro necessitate, tuitione & securitate Regni sui difficillimis & perturbatis temporibus, urgente bello contra Belgas perduelles, prohibuisse ne equi, arma, pecuniæ, &c. extra Regnum educerentur vel efferrentur: Hac in re Jure suo usum, nihilque præstitisse quod alii Principes in simili rerum discrimine non faciant. Ingratum esse non debuisse Summo Pontifici, si Regi ac Regno amicus esset, quòd Prælatos è Regno egredi prohibuerit, qui in tam necessaria Ecclesiarum & Regni defensione sibi præsto esse tenentur consiliis & auxiliis opportunis. Cuiquam ad Romanam Curiam volenti accedere *ex causa licita & honesta* se licentiam non negasse. Se curaturum ut aditus liberi sint: Permissurúmque ut Prælati & alii Ecclesiastici Viri, qui Edicto suo insuperhabito Romam profecti sunt, liberè ad Ecclesias suas revertantur, & bona sua recipiant, ob Sedis Apostolicæ reverentiam.

Ad secundum Articulum respondet: *Quòd Collatione Beneficiorum usus est & utitur sicut ad eum pertinet de Jure & bona Consuetudine, sicut S. Ludovicus, & alii Prædecessores sui usi fuerunt à tanto tempore cujus memoria non existit.* Nihil novi sibi tribuere velle, nec credere quòd Pontifex possessionem legitimam, & usu diuturno ex omni retro memoria firmatam calumniari velit.

Ad tertium respondet, Se non prohibuisse, nec prohibere velle quin Legati & Nuntii Apostolici, vel aliæ quævis personæ Regnum suum liberè ingredi valeant, *Nisi sibi & Regno sint legitima ratione suspecti, vel aliter habeat justam causam.*

Ad quartum respondet: Se in proventuum Ecclesiasticorum administratione facturum nihil, *quod sibi non competat de Jure vel bona Consuetudine.*

Ad quintum: Se bona Ecclesiastica non occupaturum, nisi in casibus licitis, concessis ab homine

ne vel à Jure: nec Ecclesiasticos Viros ad forum suum tracturum, nisi in casibus quibus id ex more Prædecessorum suorum licitum est. Se non prohibuisse, nec verò prohibiturum unquam, ne Prælati gladio spirituali utantur in casibus ad eorum Jurisdictionem spectantibus de Consuetudine vel de Jure: imò spiritualem gladium temporali se defensurum, Majorum exemplo. Si Ministri sui ac Magistratus in his peccaverint, id se emendaturum.

Ad sextum respondet: Literas Apostolicas combustas non fuisse in contemptum Sanctæ Sedis, sed ex eorum, quos spectabant, consensu, Episcopi scilicet, Decani, & Capituli Laudunensis, qui contra Ædiles ejusdem civitatis ipsas obtinuerant. Convenissèque partes, ut nullâ earum habita ratione; quoniam de se spiritualis quæstio non erat, lis in *Curia Regis* finiretur. Proinde ne quis hujusmodi Literis abuteretur contra pacta conventa, in ignem fuisse conjectas ut inutiles.

Ad septimum respondet: Se in usu Regaliorum noxiam non introduxisse novitatem, sed eis uti velle *quemadmodum S. Ludovicus & alii Prædecessores sui uti consueverunt, consumptione, dissipatione, excessu & abusu quibuslibet penitus relegatis.*

Ad octavum: Se Monetæ mutationem edixisse pro necessaria & urgenti defensione Regni, Jure suo usum: nihilominus subditorum suorum precibus super hoc celeri & salubri remedio se providisse.

Ad nonum: Animo semper se fuisse paratissimo ad emendanda gravamina, si quæ Ecclesiis, Prælatis, Baronibus, ac subditis reliquis, ab Officialibus suis illata fuissent, ad eáque in posterum cavenda Constitutiones & Edicta saluberrima promulgasse: de jam illatis inquiri jussisse, ut corrigatur quod injustè commissum est.

Ad decimum respondet: Si Lugdunensis Archiepiscopus propter officium præstandæ Fidelitatis prætermissum aliqua passus sit, culpam ipsius esse, non suam. Se nihilominus paratum ad ineundum Tractatum de Juribus controversis, ut omnibus compertum sit se finibus suis contentum, Jura Ecclesiæ invadere nolle. Tandem rogat Summum Pontificem ne Libertates, Privilegia, vel Indulta Regia lædat; concordiam quæ inter Francorum Regnum & Romanam Ecclesiam semper intercessit, ne abrumpat. Si sua Responsa ejus Sanctitati non probentur, seu in eis vel aliis supersit aliqua discordiæ materia, se paratum esse Ducum Burgundiæ & Britanniæ arbitrio stare, quos hoc in dissidio ob notam probitatem, & devotionem erga Romanam Ecclesiam Pontifex ipse sequestres & arbitros lubenter se admissurum professus est. Editi sunt hi Responsionum Regiarum Articuli ex Regio Cartophylacio, inter Probationes Historiæ hujus Dissidii, pag. 92.

III. Responsiones Regis haud æqui bonique duxit *Bonifacius VIII.* ut constat ex ejus Literis ad *Joannem* Cardinalem Sedis Apostolicæ Legatum datis, quas ibidem, pag. 95. legere est. Se cum Burgundiæ & Britanniæ Ducibus lubenter de controversis capitibus tractaturum scripsit, si ad Sedem Apostolicam accedere vellent, eorúmque consiliis usurum, quantùm cum honore Sedis Apostolicæ, ac suo, posset. Velle se firma & illibata servari, quæ de Lugdunensis Ecclesiæ Juribus decreverat. Jussit Legato ut has Literas Regi quantocyus significaret, ejus præsente Consilio: Ipsum ad mentem suam Sedi Apostolicæ apertè declarandam urgeret: alioqui certò sciret Pontificem contra ipsum *spiritualiter & temporaliter* processurum, acturúmque quod justum videretur. Data hæc Epistola est Romæ, Idibus Aprilis, anno MCCCIII.

IV. Eadem die Pontifex moratum impatiens in negotio in quo non minori patientia & moderatione quàm prudentià erat opus, parum esse duxit Regem terrere, nisi & contereret, fecit intentando minas. Non attendit ad *S. Augustini* Regulam, docentis Epistola LVI. ad Bonifacium: *In hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum esse aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat.* Sententiam præceptam Excommunicationis in Regem tulit, quam ad Legatum misit ejus Majestati significandam, & in Provinciis Regni solemni ritu promulgandam. Ad hæc, Patri *Nicolao de Freanvilla*, Ordinis FF. Prædicatorum, in Sacra Facultate Parisiensi Doctori Theologo, Regi à Confessionibus, diem dixit, quo se Romæ sisteret, conceptas de se hoc in negotio suspiciones apud Sedem Apostolicam diluturus. Idque Legatum illi denuntiare jussit. Ista diarum denuntiatio, quæ incipit his verbis: *Per Processus nostros*: edita est inter Probationes hujus Dissidii, pag. 98 Eadem die alterum Decretum emisit, quo Prætulibus & Doctoribus, qui Romam à se vocati ire neglexerant, diem dici jussit ab Apostolico Legato, quo infra tres menses per se vel per idoneos Procuratores ad Sedem Apostolicam se sisterent: Senonensi verò & Narbonensi Archiepiscopis, Suessionensi, Bellovacensi & Meldensi Episcopis, & Abbati *S. Dionysii* omnino præcipi, ut ipsi comparerent, sub pœna depositionis, & privationis cujuslibet Dignitatis. Literas ac Diplomata tradidit *Nicolao Benefracto* Archidiacono Constantiensi in Normannia, Cardinalis Legati familiari, ad ipsum perferenda. Qui Pontificiis Diplomatibus interceptis, Trecis comprehensus, in carcerem conjectus est Regia Jussione, frustra postulante Legato ut libertate donaretur.

Bonifacius VIII Regi minas [illegible] tat, & [illegible] in eum latat.

ARTICULUS IV.

Quomodo Rex & Ecclesia Gallicana BONIFACII VIII. Molitionibus, adversùs Jura sua Libertatesque se opposuerint?

I. REx adversùs *Bonifacii VIII.* molitiones se Regnúmque munire volens, Ordinum Conventum Parisiis in Regia celebravit die XIII. Junii, MCCCIII. cujus exitum veritus Apostolicus Legatus, clam recessit, Romam rediturus. *Ludovicus* Comes Ebroicensis, Regis Filius, *Guido S. Pauli*, & *Joannes* Drocensis, Comites; & *Guillelmus de Plessiaco* Dominus Vicenobrii, velut causæ contra *Bonifacium* suscipiendæ promotores & actores surrexere. Cæterorum nomine vehementem & acerbam contra Summum Pontificem Orationem habuit *Plessiacus*, immania accusationum, imò calumniarum capita contra ipsum proposuit, hæreseos contra immortalitatem animæ, vitam æternam, præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistia; sortilegii, familiaritatis cum dæmone: Quòd publicè prædicasset Romanum Pontificem simoniam committere non posse: Intrusionis in Sedem Apostolicam, & mortis *Celestini* Papæ maturatæ; criminis pessimi, contemptûs rerum sacrarum & Rituum Ecclesiasticorum; maledicentiæ in quoscunque Prælatos & Religiosos Ordines; odii plusquam vatinii contra Regem Regnúmque Francorum, cujus ruinam decreverat, & commotionis Principum contra illius Majestatem, &c. Quibus propositis,

Ordinum Conventus Parisiis habitus.

Plessiaci vehemens & [illegible] contra Summum Pontificem oratio & accusatio.

Appellatio ipsa Regis, & omnium à Regni Ordinibus à sententiis & Actis Bonifacii VIII. ad Concilium Generale.

propositis, contestatur *Plessiacus*, se non accusare *Bonifacium* ex odio, sed zelo fidei, & ex devotione erga Sanctam Ecclesiam & Sedem Romanam. Propterea adhærendo Appellationi & Processui super his jam antea per Nobilem Virum *Guillelmum de Nogareto* factis, appellat *Ad sacrum convocandum Generale Concilium, & ad Sanctam Sedem Apostolicam, & ad illum & illos, ad quem & ad quos de Jure melius potest & debet: Jure, honore, & statu Sanctæ Sedis Apostolicæ in omnibus semper salvis;* Rogans Regem *ad quem spectat Sanctæ Matris Ecclesiæ Fideique Catholicæ defensio;* & Prælatos *qui in Concilio Generali debent esse Judices*, ut illius convocationem & celebrationem totis viribus procurent. Rex pariter *Fidei negotio & Ecclesiæ statui* consuli cupiens, *pro vitando dispendio scandali generalis, salvis in omnibus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ honore & reverentia debitis*, assentitur convocationi & congregationi dicti Concilii, opemque & operam ad id pollicetur efficacem: Archiepiscopos, Episcopos, ac cæteros Prælatos rogat ut hujusmodi Concilii convocationem & congregationem urgeant, cui *personaliter intendit interesse*. Utque Majestatem suam, Regnum, Ecclesias, Prælatos, Barones, aliósque subditos, contra *Bonifacii* molitiones tueatur, *Ad prædictum Generale Concilium, & ad verum legitimum futurum Summum Pontificem, vel alios, ad quem, vel ad quos fuerit appellandum*, provocat & appellat in scriptis.

Cleri Gallicani Appellatio.

II. Demum Prælati in Comitiis præsentes, quinque scilicet Archiepiscopi, unus & viginti Episcopi, Abbates insignes undecim, cum Visitatore Domorum Ordinis Militiæ Templi, ac *S. Joannis Hierosolymitani* in Francia, & *S. Martini de Campis*, in hac Regia Urbe, Prioribus, *Convocationem & congregationem Concilii Generalis præmissis & aliis causis utilem & omnino necessariam reputantes, ut ipsius Domini Bonifacii innocentia clareat, sicut exoptant, aut de impositis sibi per Concilium discutiatur, statuatur, & fiat quod decernunt Canonicæ Sanctiones*, Regis & Comitum postulatis super ipsius convocatione Concilii assensum præbent, *Salvis in omnibus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ honore & reverentia debitis*. Séque paratos profitentur convocationi & congregationi dicti Concilii *juxta SS. Patrum Instituta, & Canonicas & legitimas Sanctiones, opem dare & operam efficaces. Non intendentes quoquomodo partem in hoc negotio facere, seu quibuscunque partem facientibus adhærere*. Nihilominus ut se, suásque Ecclesias, Parochos & subditos contra *Bonifacii* molitiones muniant, pro se ac illis, sibique adhærentibus & adhærere volentibus, *Ad prædictum Concilium congregandum, & ad futurum verum & legitimum Summum Pontificem. & ad illum vel illos, ad quem vel quos de Jure fuerit appellandum*, provocant & appellant in scripto. Hæc Acta ex Regio Chartulario edita sunt inter Probationes Historiæ hujus Dissidii, pag. 101. & sequentibus. *Joannes Villani*, & *Nangii Continuator*, Abbatem Cisterciensem Appellationi communi assensum denegasse scribunt, contra Actorum fidem.

Appellatio Academiæ Parisiensis.

III. Christianissimi Regis Appellationi adhæsit Parisiensis Academia his verbis: *Appellationi præfati Domini Regis adhæremus, quantum de Jure possumus & debemus secundum Deum & Justitiam, & Sancta permittunt Canonicæ Sanctiones: supponentes nos ac nobis adhærentes & adhærere volentes, & Universitatem nostram, protectioni divinæ, & prædicti Concilii Generalis, ac futuri veri & legitimi Pontificis*. Editum est hujus Appellationis Instrumentum inter Probationes Historiæ istius Dissidii, pag. 17.

IV. Eidem Appellationi adhæsere Decanus & Capitulum Insignis Ecclesiæ Parisiensis: *Considerantes quod in hoc casu negotium agitur fidei, quod est Dei, & quod ad defensionem, conservationem & exaltationem ipsius fidei Dominus Rex collatam sibi recepit à Domino potestatem, iidémque Prælati sunt in partem sollicitudinis vocati, &c.* Convocationi & Congregationi Concilii consentiunt, & Regis, Prælatorum, & Procerum Appellationibus adhærent: *Salvis Auctoritate & reverentia Sedis Apostolicæ, Sanctæque & Catholicæ Ecclesiæ unitate, & in quantum secundum Deum possunt & debent*. Et ut se ac Parisiensem Ecclesiam à Censuris tueantur, quas *Bonifacius* in ipsos fortè disploderet; *Ad prædictum Concilium congregandum, & ad futurum verum & legitimum Summum Pontificem, & ad illum, seu ad illos, ad quem, seu ad quos fuerit appellandum*, provocant & appellant in scriptis: Se, statúmque suum, ac Ecclesiam, & sibi adhærentes vel adhærere volentes, supponunt protectioni divinæ & prædicti Concilii Generalis, ac futuri veri & legitimi Summi Pontificis; ac de innovanda Appellatione, ubi, & quando, & coram quibus visum sibi fuerit expedire, protestantur. Hujus Appellationis Instrumentum loco mox laudato editum est, pag. 119.

Appellatio Capituli insignis Ecclesiæ Parisiensis.

Appellatio FF. Prædicatorum.

V. Ad hanc Appellationem accessere FF. Prædicatores Parisienses ad Sanjacobæum Suburbium Conventus & Collegii, quos inter Viros Maximos subscripsisse legimus, *Joannem de Allodio*, Ecclesiæ & Universitatis Parisiensis olim Cancellarium; *Nicolaum de Freauvilla*, Regi à Confessionibus, postea S. R. E. Cardinalem: *Joannem Parisiensem*, in Sacra Facultate Parisiensi Doctorem Theologum, Auctorem egregii Tractatus de Potestate Regia & Papali; *Durandum de Sancto Porciano*, in eadem Facultate Doctorem, virum eruditissimum, postea Sacri Palatii Magistrum, Episcopum Aniciensem, ac postremò Meldensem; *Herveum Natalem*, ejusdem Scholæ Parisiensis Theologum eximium, postea totius Ordinis nostri Generalem Magistrum, &c. Appellarunt autem sub eisdem modis & verbis, quibus Rex, Prælati, & Barones; *Salvâ sui Ordinis obedientiâ, reverentiâque & honore Ecclesiæ Romanæ, ac Fidei Catholicæ veritate; supponentes se & sua, & statum suum, protectioni dicti sacri congregandi Concilii, & prædicti veri & legitimi futuri Summi Pontificis*. Huic Instrumento subscripsere centum & triginta duo Fratres. Editum est inter Probationes Historiæ hujus Dissidii, pag. 120.

VI. *F. Raymundus*, Provinciæ Franciæ FF. Prædicatorum Prior Provincialis, omnibus sibi subditis Conventibus ac Fratribus encyclicis litteris significavit. Se, Priorem, ac Fratres Conventus & Collegii Parisiensis, Appellationi Regis, Prælatorum, & Baronum, cui ejusdem Regiæ Urbis Academia & Facultates omnes, Collegiaque tam Regularia quàm Secularia consenserant, adhæsisse, vitandæ studio singularitatis, & fidelitatis erga Regem probandæ, ad quod & ipsos hortatur. *Ego siquidem*, inquit, *& Frater Bernardus Prior Fratrum nostrorum Parisiensium, ejusdémque loci Conventus, hoc ipsum fecimus, ne inter tot & tantos singularitas in nobis appareat, vel ne videamur oculis quasi reciprocis in sensu proprio gloriari. Quod utique vestræ Discretioni significare curavi, ut & vos aperto considerationis oculo sic agatis, ne indignationem Domini nostri Regis incurrere, nec ab aliquo alio possitis meritò reprehendi*. Data est Epistola Parisiis, feria tertia post Festum *S. Mariæ Magdalenæ*, eodem anno MCCCIII. Hanc legere est inter Probationes Historiæ hujus Dissidii, pag. 153.

VII. Non eadem fuit Occitanorum Monspessulani Prædicatorum sententia, qui hac in causa

esse maluerunt de singularitate famosi. Cùm enim ab *Almarico* Vicecomite & Domino Narbonæ, *Dionysio de Senonis* Regio Clerico, & *Gulielmo de Plessiano*, Domino Vicenobrii urgerentur, ut Regiæ & omnium Ordinum Appellationi subscriberent: Id se facturos negarunt *nisi de expressa voluntate & assensu Prioris* seu Magistri *Generalis totius Ordinis, quem dicebant se credere esse Parisius, ex vocatione Regia de ipso facta*: Nec aliud ab ipsis responsum elici potuit, *F. Joanne Gobi* Priore præcipiente Fratribus *sub virtute Sanctæ Obedientiæ*, ne sententiam privatim rogati, aliter responderent. Quamobrem ipsis à Regiis Commissariis, Majestatis ejus nomine jussum est, infra triduum è Regno exirent, denuntiatúmque ipsos à Regia tuitione penitus excidisse. Instrumentum hujus rei fidem faciens editum est inter Probationes Historiæ istius Dissidii, pag. 154. Tolosana Academia Parisiensis exemplum secuta est. Urbium, Provinciarum, Procerum Regni Navarræ pariter appellantium Acta ex Scriniis Regiis in eodem libro edita sunt.

In Appellationes mox recensitas Animadversiones historicæ.

VIII. Ex his compertum est quænam tunc esset Ecclesiæ Gallicanæ, Parisiensis Academiæ, omniúmque Collegiorum tam Secularium quàm Regularium de Ecclesiastica Potestate doctrina. Primò, Ad futurum Concilium appellarunt à Romano Pontifice: Concilium itaque Pontifice Romano superius censebant. Ad inferiorem enim aut æqualis duntaxat auctoritatis Judicem non interjicitur appellatio.

Secundò: Ad Concilium, & ad futurum legitimum Summum Pontificem appellarunt. Quam quidem appellandi rationem *novam* fuisse, primúmque omnium apud Historicos apparere *Thadæum* Imperatoris *Friderici II.* ad Concilium Lugdunense Oratorem, qui cùm ferendam ab *Innocentio* IV. contra Dominum suum videret depositionis Sententiam, *appellavit pro eo ad Concilium proximè futurum Generalius*: ut *Matthæus Paris* testatur; Doctissimus Archipræsul *Petrus de Marca* libro IV. De Concordia Sacerdotii & Imperii, Cap. XVII. observat. « Olim tamen remedio quodam extraordinario Sedis Apostolicæ Judicium aliquando in majori Synodo fuisse instauratum. Alia enim privatarum causarum, alia communium ratio erat. In causis privatis à Sententia Patriarcharum appellari non poterat, ut docet *Justinianus* L. XXVI. C. De *Episcopali Audientia*, & Novella CXXXVII. quod Canoni sexto Secundæ Synodi Oecumenicæ consonum erat: Multò minus itaque appellari poterat à Sententia Apostolicæ Sedis. Causæ verò communes id præcipuum habebant, ut rectè constitui non possent sine Sententia Romani Pontificis, ut observavit olim *Sozomenus*. Quo sensu intelligendus est *Gelasius* I. cùm ait: *Ipsi sunt Canones qui Appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sanctæ Sedis examen deferri voluerunt, ab ipsa verò nunquam appellari debere dixerunt.* A Sedis Apostolicæ Judicio ad Synodum Oecumenicam Appellationes à privatis hominibus interjici non posse; aut etiam ab Universitatibus contra juris evidentiam, & ad defensionem sceleris, Sacra Facultas Parisiensis & Ecclesia Gallicana semper censuerunt: atque ita *Martini V. Pii II. Julii II.* Constitutiones, & Bullam Cœnæ Domini, quanquam in hoc Regno non receptas, plerique interpretantur. At de Appellationibus integrarum & populosissimarum Ecclesiarum, & Principum illis cohærentium, quæ in casibus extraordinariis factæ sunt, aut fierent, aliud ferendum censent judicium: modò de causis communibus agatur, in quibus Ecclesiis, Regibus, vel Regnis, à Romano Pontifice, quâ homo privatus est errori & affectibus humanis obnoxius, inferretur injuria, ex qua Fidei vel Unitatis Ecclesiasticæ læsio, vel Disciplinæ manifesta eversio sequi posset: modò etiam Appellationes hujusmodi interjicerentur, non ad excutiendum obedientiæ Sedi Apostolicæ ac Romano Pontifici ab omnibus & singulis Christianis Jure Divino debitæ fœlix & suave jugum; sive cùm de controversiis fidei ac morum summâ & præcipuâ auctoritate judicat, ratione Primatûs, non honoris tantùm, sed Jurisdictionis, Supremæque Auctoritatis super omnes totius orbis Christiani particulares Ecclesias, *S. Petro* & ejus Successoribus à Christo immediatè collati; sive cùm executionem Canonum imperat: Sed ad Fidem vel antiquam Disciplinam, Canonibus totius mundi reverentia consecratis sancitam, & Moribus Ecclesiarum firmatam, ipsarúmque Ecclesiarum Jura & Libertates servandas & tuendas, si fortè Romani Pontifices, ut homines *circumdati infirmitate*, vel antiquam Ecclesiæ Doctrinam ex privatis præjudiciis impugnarent; vel Auctoritate summa dispensandi de Canonibus in toto orbe Christiano, cùm necessitas aut utilitas Ecclesiæ id postulant, non contenti, eos ac Sacram omnem Disciplinam everterent ac dissiparent; vel Ecclesiarum Juribus ac Libertatibus supra dictis, quæ Canonibus receptis, & Moribus antiquis, præscriptis, ac probatis nituntur, vim inferrent, ut *Bonifacius VIII.* inferebat.

Et hanc de Appellationibus ad Synodum Oecumenicam sic intellectam doctrinam, consequenter ad aliud dogma Gallicanæ Ecclesiæ & Facultatis Theologicæ Parisiensis de suprema & immediatè à Christo acceptâ Conciliorum Oecumenicorum Auctoritate, cui omnis alia Potestas Ecclesiastica Jure Divino subest, secundùm Concilii Constantiensis Decretum, Sessionibus IV. & V. se tueri Doctores iidem profitentur. Qua de Quæstione legi possunt *Petrus de Alliaco* S. R. E. Cardinalis & Episcopus Cameracensis, lib. *De Ecclesiæ Auctoritate* edito in ipsa Synodo Oecumenica Constantiensi, Cap. IV. tertiæ partis, *Gersonius* Ecclesiæ & Academiæ Parisiensis Cancellarius, in Tractatu *De Examinatione Doctrinarum*, Consideratione II. Lib. *De Ecclesiastica Potestate*; in Tractatu qui inscribitur: *Quomodo & an liceat in causis Fidei ad Summum Pontificem appellare?* & in aliis Operibus: *Almainus* Lib. *De Potestate Ecclesiastica & Laica*, Cap. XV. *Joannes Major* in Disputatione De Auctoritate Concilii excerpta ex ejus Commentariis in Caput XIX. S. Matthæi, aliíque Theologi Parisienses, qui de hoc argumento scripsere. Hæc historicè observasse satis sit. Quæstionem Juris non attingo, nec ex his aliud colligi velim, quàm eamdem omnino fuisse *Bonifacii VIII.* temporibus Gallicanæ Ecclesiæ, & Sacræ Facultatis Parisiensis de Potestate Ecclesiastica sententiam, quæ Constantiensis Concilii tempore, ac deinceps, ad hanc usque ætatem.

Quæstionem Juris de illis Appellationibus Auctor non attingit.

Appellationis formula explicatur.

Tertiò, Appellationem suam Rex, Ecclesia Gallicana, Barones, Ordines omnes, disjunctiva dictione protulerunt: *Ad Concilium, vel ad futurum legitimum Summum Pontificem, & ad quem vel ad quos provocandum esset*: non quòd dubii essent quænam Auctoritas, Papæ, an Concilii appellanda esset, sed quia utroque remedio Appellationis ad Papam & ad Concilium suis rebus consulere volebant, uno in subsidium alterius sufficto, ut sciè observat Eruditus Archipræsul *Petrus de Marca*. « Erant enim receptæ appellationes à Romano Pontifice malè informato (ut loquuntur) ad eumdem meliùs informandum. Ut enim Principes, etsi rarò, aliquando tamen in Auditorium suum res judicatas induci patiuntur; ita ex *Innocentio I.* & *Nicolao I.* (quorum verba refert *Gratianus* C. *Sententiam*, & sequentibus XXXV. Q. IX. C.

Confugium ab ipsa ad ipsam sedem Apostolicam.

Cùm

» *Cum ex litteris* De in integrum restitutione) » *Sententia Romanæ Sedis potest in melius commutari, cum subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro » consideratione ætatum vel temporum, seu gravium » necessitatum, dispensatione quadam ordinare dis- » ponit.* Quod Ivo Carnotensis Episcopus Epistola » CLIX. *Confugium ab ipsa ad ipsam* Romanam Ec- » clesiam vocat. *Quoniam* (inquit) *Judicia Roma- » næ Ecclesiæ a nemine foris retractari posse eadem » Romana Ecclesia docente didicimus, si qui ali- » quando se prægravatos ipsius Ecclesiæ Auctoritate » conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non » descendant in Ægyptum propter auxilium, sed » ab ipsa ad ipsam confugiant.* Huic laudabili consilio, religiosæque consuetudini ut se Gallicana Ecclesia Regnúmque accommodarent, ad Concilium & ad futurum Summum Pontificem appellarunt. Utramque imploraverunt Auctoritatem, quoniam Concilium legitimum à Summo Pontifice congregandum, eóque per se vel per Legatos Præside celebrandum noverant & ordinandum.

Concilium legitimum à Summo Pontifice congregandum, eoque per se, vel per Legatos præside celebrandum.

Hanc ita Appellantium fuisse mentem, Chronici *Guillelmi Nangis* Continuator * ad annum MCCCIII. scribit: *Rex cum urgente conscientiâ ulterius dissimulare non posset, ad Concilium Generale per Sedem Apostolicam promovendum,* QUOD IN ISTO CASU SUMMO PRÆEST PONTIFICI, *deliberatione super hoc multâ maturitate prehabita, appellavit.* Aliam quoque disjunctivæ istius formulæ rationem affert laudatus Archipræsul, ex Jure & praxi Fori petitam: nimirum Gallicanam Ec- » clesiam his verbis obviàm ivisse scrupulosis ca- » villationibus, quæ à Forensibus Magistris in eo, » quod tunc fervebat, opinionum dissidio moveri » potuissent. Disputabatur enim eo seculo à Ro- » manis, ut etiamnum disputatur, an Papa Supe- » rior esset Concilio: & *Ulpiano* placuerat. *L.* 1. » §. *Si quis. ff. De Appellat.* Eum qui Judicem in- » feriorem appellasset, errorem efficere, ipsumque » appellationis beneficio excidere. Quamobrem in » omnem eventum hac disjunctiva appellatione, » etiam apud ipsos Romanos sibi consulebant » Rex, Præsules, Barones, cœterique Ordines Re- » gni & Ecclesiæ Gallicanæ.

* Tom. 11. Spicilegii.

Quartò, Non eo animo Concilium Oecumenicum appellavit Rex Christianissimus, ut de Regni sui statu & Majestate, Regiisque Juribus in eo disceptaretur, sed quia *Bonifacius VIII.* delatus erat inter reos, cujus causa in Concilio Oecumenico duntaxat discuti poterat: & ideo in causa Ecclesiastica hoc remedio contra futura gravamina sibi prospexerunt *ad cautelam*, ut dicebat *Guillelmus de Plessiano*. Ita observat Dominus *De Marca*.

Quintò, Procul erant Galli à faciendo schismate: siquidem Romanæ Ecclesiæ, & futuro legitimo Pontifici adhærebant, & cum cœteris Ecclesiis Romanæ conjunctis communicabant, eamque velut *cæterarum Matrem & Magistram* nihilominus colebant: Nec ipsius *Bonifacii VIII.* communionem ejurarunt, sed ipsius in Jura temporalia Christianissimi Regis invasionibus restiterunt, & Appellatione ad futurum Concilium, à quo solo judicari illum posse sentiebant, sibi prospexerunt. Gallicanæ porro Ecclesiæ reverentiam erga Sedem Apostolicam testantur hæc verba Præsulum, & Procerum, aliorúmque Ordinum Appellationi inserta: *Salvis in omnibus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ honore & reverentia debitis.* Vel; *Jure & honore & statu Sanctæ Sedis Apostolicæ in omnibus semper salvis.* Vel: *Salvis auctoritate & reverentia Sedis Apostolicæ, Sanctæque & Catholicæ Ecclesiæ unitate.*

Sextò, *Benedictus Undecimus* & *Clemens Quintus*, qui *Bonifacio Octavo* successerunt, quique Sententias ab ipso latas, quatenus Regis Regnique Jura petebant, resciderunt, & Censuras ab ipso Regi, Prælatis, Baronibus, aliisque hac in causa inflictas sustulerunt, non postulavere à Præsulibus Gallicanis, ab Academia Parisiensi, Tolosana, &c. à Capitulis & Religiosis Sodalitiis, ut doctrinam à Majoribus traditam, & receptas in Regno, in Ecclesia, & Academia Gallicanis opiniones de Ecclesiastica Potestate revocarent, si Ecclesiæ Romanæ Communione & Sedis Apostolicæ gratia frui vellent: tum quia de summa fidei in his Quæstionibus non agi, tum quia ipsos à Majorum sententia haud facilè discessuros, perspectum habebant: sed liberam ipsis sentiendi quod verbo Dei & doctrinæ SS. Patrum convenientius arbitrabantur, facultatem reliquerunt, modò cum debita moderatione, & salvâ Sedis Apostolicæ, & in ea Sedentis Summi Pontificis reverentiâ; salvâ etiam Ecclesiæ pace, & fraternâ caritate, de his Quæstionibus disceptaretur, à quibus aliàs temperandum esset.

Quo animo hæc ab Auctore observata.

Quæ omnia eo duntaxat animo velim observari, ut Historiæ series cognoscatur, non ut ad extrema hujusmodi & violenta remedia in Dissidiis similibus, si quæ forsan (Quod Deus in æternum avertat) inter Sedem Apostolicam, & Regni quælibet Christiana, vel Regnorum Ecclesias emergerent, unquam veniatur. *Caroli Magni* consilium potius quàm *Philippi Pulchri* exemplum Christianos Principes imitari decet. *In memoriam* (inquit Rex Magnus) *B. Petri Apostoli, honoremus Sanctam Romanam & Apostolicam Sedem, ut quæ nobis Sacerdotalis Mater est Dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiasticæ Rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, conferamus, & pia devotione toleremus.* Sed & Romanos Pontifices *S. Gregorium Magnum*, aliósque Sedis Apostolicæ Sanctissimos Præsules, qui moderatione summâ, prudentique & laudabili œconomia erga Christianos Principes usi sunt, (Quibus quidem ut par est Auctoritate, ita nec Sanctitate, nec Prudentia, nec Mansuetudine ullatenus inferior est *Innocentius Undecimus* Pontifex Optimus Maximus, quem Deus Ecclesiæ suæ ad multos annos servet) potius quam *Bonifacium VIII.* expedit imitari: & *Hildeberti* Archiepiscopi Turonensis, quem *S. Bernardus* Ecclesiæ Columnam appellat, verba illa aurea attendere, Epistola LXXV. *Apud Serenissimum Regem opus est exhortatione potius quàm increpatione; consilio quàm præcepto, doctrinâ quàm virgâ.* Et illa *Goffridi* Vindocinensis Abbatis, S. R. E. Cardinalis, Sedi Apostolicæ Romanisque Pontificibus devotissimi, Opusculo III. C. IV. *Voluit bonus Dominus & Magister noster Christus, spiritualem gladium & materialem esse in defensione Ecclesiæ. Quod si alter ab altero retunditur, hoc fit contra ejus voluntatem. Hac occasione de Regno Justitia tollitur, & Pax de Ecclesia, scandala suscitantur & schismata, & fit animarum perditio simul & corporum. Et dum Regnum & Sacerdotium unum ab altero impugnatur, periclitatur utrumque.... Habeat Ecclesia suam libertatem, sed summoperè caveat, ne dum nimis emunxerit, eliciat sanguinem; & dum rubiginem de vase conatur eradere, vas ipsum frangatur.* Sed ad Historiæ seriem revertamur.

Caroli Magni moderatio Regibus imitanda in Capitulari anni DCCCI.

S. Gregorii Magni exempla Pontificibus sequenda.

ARTICULUS V.

De Extremis Fulminibus à BONIFACIO VIII. in Regem Regnúmque Francorum vibratis; & de ejus Captione, & Morte.

I. GRaviora & acerbiora in Regem, Regnumque Francorum *Bonifacius* moliebatur, cùm de his quæ in Galliis adversùs ipsum gesta erant certior factus, primùm ab affictis sibi criminibus solemni Sacramento se purgavit, deinde in Regem vehementi Oratione invectus, Constitutionem edidit, quæ incipit his verbis: *Rem non novam aggredimur*: qua declaravit, citationes quarumcunque personarum, undecunque & ubicunque essent, cujuscunque dignitatis vel præeminentiæ, Ecclesiasticæ vel mundanæ, etiam *Imperialis vel Regalis*, Auctoritate Apostolica factas; præsertim si impediant ne citationes ipsæ ad eas perveniant, vel conveniri liberè non possint, æquè valituras, ac si ipsis coram significatæ fuissent; si ad instar Edictorum propositorum in albo Prætoris, in Audientia Litterarum Pontificiarum, aut in Aula Palatii fiant, postmodum affigendæ januis Majoris Ecclesiæ loci in quo Romana Curia residebit, ut cunctis patere possit, ad eò quæ referri qui in Jus vocantur. Data est XVIII. Kalendas Septembris anno MCCCIII. Eámque legere est inter Probationes Historiæ hujus Dissidii, pag. 161. Altera Constitutione, eodem die & anno datâ, quæ incipit his verbis: *Sedes Apostolica*: Facultatibus Theologiæ, Juris Canonici, & Civilis Justitium indixit, omnémque docendi auctoritatem, Gradum Licentiæ aut Lauream Doctoralem conferendi suspendit, donec Rex Pontificiis Mandatis obtemperaret. Omnes præterea Provisiones Ecclesiarum tam Cathedralium quàm Regularium toto Regno vacantium, Sedis Apostolicæ dispositioni reservavit. Quæ Diplomata ibidem edita sunt, pag. 163. Denique Censuras in Regem latas confirmavit, Regno Sacris interdixit, subditos omnes à Sacramento fidelitatis, quo Regi obstricti erant, absolvit; sub Anathematis interminatione prohibuit ne quis ullum ipsi præstaret obsequium, aut ab eo Beneficia acciperet. Inita etiam à quibusvis Principibus cum ipso fœdera rescidit, monens ut à facie arcus fugiens resipisceret, ad obedientiam rediret, ne justa in eum Judicio animadvertere compelleretur. Mirum! Quid enim ultra in Regem machinari & aggredi *Bonifacius* potuisset? Acerbum istud Diploma ipsa die Nativitatis Deiparæ Virginis promulgaturus erat, nisi Deo disponente captus fuisset. Incipit his verbis: *Super Petri Solio*. Ex MS. Cod. Victorinæ Bibliothecæ editum est inter Probationes Historiæ hujus Dissidii, pag. 182.

II. Tunc Anagniæ degebat Pontifex. *Guillelmus Nogaretus de Sancto Felice*, Vir Nobilis, in Italia versabatur ad gerenda Regis Christianissimi Negotia. Cui Rex dedit in mandatis, ut Concilii Generalis convocationem ab Ecclesia Gallicana, cunctisque Regni Ordinibus expetitam, & suæ Majestatis, illorúmque ad dictum Concilium Appellationem *Bonifacio VIII.* significaret. Nam *Ad hoc duntaxat à Rege directum*, Nangii Continuator testatur. Sed Mandati fines prætergressus, conspiratione factâ cum *Sciarra Columna*, & *Musciato Francesio* Nobili Florentino, quibusdam Campaniæ Proceribus, nonnullis Anagniæ civibus, non paucis etiam Pontificis familiaribus & domesticis pecuniâ corruptis & in partes tractis, conductâ secretò militari manu ex reliquiis exercitûs *Caroli Valesii* quæ in Italia substiterant, septima die Septembris Anagniam ingressus, clamante Milite, *Muoia Papa Bonifacio, e viva il Re di Francia*; in Palatium Pontificium impiè irrupit. *Bonifacius* suæ Dignitatis Insignibus ornatus, in Solio sedens, solis *Nicolao Bocasino* Ostiensi, & *Petro Hispano* Sabinensi, S. R. E. Cardinalibus Episcopis assidentibus, conjuratos incredibili magnanimitate expectavit. Regis & Ecclesiæ Gallicanæ, Procerúmque Deliberationes & Appellationes ipsi *Nogaretus* significavit, minatus ipsum ductum iri Lugdunum, ut ibi in Synodo deponeretur. Qui intrepidè respondit: *Libenter se à Paterinis pro Christi Fide & Ecclesia condemnationem & mortem subiturum*. Avum *Nogareti* Paterinæ seu Albigensis hæreseos reum, combustum fuisse ferebatur; quod ipsi exprobans Pontifex, illius ferociam nonnihil edomuit. Triduo in iisdem ædibus detentus *Bonifacius*, & à *Sciarra Columna* malè habitus; direpti Ecclesiæ thesauri. Tandem Anagniæ cives pudore suffusi ac pœnitentiâ ducti, quod Romanum Pontificem concivem suum tam indigna pati permisissent, correptis armis Conjuratos expulerunt, *Bonifacium* in libertatem restituerunt. Qui stipantibus Romanis qui ad ejus auxilium advolaverant, mox Urbem petens, dum de ulciscendâ injuriâ sibi & Ecclesiæ illatâ consilia agitaret, lethalem in morbum incidit anno millesimo trecentesimo tertio. Hoc Dissidium exitiale fuit Pontifici, Christianissimo Regi indecorum: quamvis excusatione aliqua dignus fuerit *Philippus Rex*, cujus citra conscientiam & mandata vis Christi Vicario illata est: & qui violentiæ Bonifacianæ impetu compulsus est ad media quædam extraordinaria & insolita tentandum, suam ut Majestatem, Regia Jura, Regnum, Ecclesiámque Gallicanam tueretur. De *Bonifacii VIII.* sacrilega captione legendi *Joannes Villani* lib. VIII. Cap. LXII. & LXIII. *Nangii Continuator* in Chronico, *Walsinghamus* in Ypodigmate Neustriæ, & in Historia Anglicana ad annum MCCCIII. *S. Antoninus* III. P. Chronicorum, Tit. XX. Cap. VIII. §. XXI. &c. *Bonifacii calamitate* (inquit *Mariana* lib. XV. de Rebus Hispaniæ, Cap. VII.) *documentum datum, Sacerdotum Imperia, opinione magis hominum famáque integrâ (quam tueri ipsi & extendere benefactis debent) metúque Religionis, quàm viribus & potentia constare. Villaneus auctor est Bonifacium doctum quidem virum fuisse, & multo rerum usu excellentem, sed crudelem, ambitiosum; avaritia se sordibus fœdasse ut gentiles locupletaret: qua gravissima pernicies est, detestanda ignominia. Duos & viginti Episcopos, duósque Comites ex genere sua fecit.*

Bonifacii VIII sacrilega captio à Guillelmo de Nogareto.

ARTICULUS VI.

De Absolutione & Restitutione in integrum Regis, Regni, Ecclesiæ Gallicanæ, Academiæ, Prælatorum, Procerum, alterúmque Regis subditorum à BENEDICTO UNDECIMO factâ.

I. DEfuncto *Bonifacio VIII.* cùm *F. Nicolaus Bocasinus*, Episcopus Cardinalis Ostiensis, ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus, Pontifex electus fuisset, Creationis ejus nuntiô in Gallias perlatô, *Philippus* Rex Christianissimus gratulatoriam ad eum scripsit Epistolam; & de *Bonifacii VIII.* acerbitate conquestus, Se, Regnúmque & Ecclesiam Gallicanam ejus benevolentiæ commendavit, missis etiam Oratoribus, qui omnimodæ reve-

remiæ

rentiæ ac devotionis significationem Majeſtatis ejus nomine ipſius Sanctitati exhiberent, ac abſolutionem à Cenſuris rogarent. Regis Literæ quæ incipiunt his verbis: *Benedictus Dominus Deus Iſraël*: editæ ſunt inter Probationes Hiſtoriæ hujus Diſſidii, pag. 205. Legationem Regis obiere *Beraldus* Mercolii Dominus, *Petrus de Bellapertica* Canonicus Carnotenſis, & *Guillelmus de Pleſſeiano*. Miſit etiam Clerus Gallicanus ſelectos viros, ſupplicaturos ut, quæ in Gallicanam Eccleſiam ac Regnum à *Bonifacio* acerbè geſta erant, reſcinderet. B Sanctiſſimus Pontifex, Regis Clerique Oratoribus ſumma caritate ſuſceptis, Pontificium Diploma confeſtim Regi, quamvis ab ejus Majeſtate non rogatus, tranſmiſit, quo Se ipſum abſolviſſe à Cenſuris à *Bonifacio* Deceſſore ſuo in eum latis nuntiabat. Id ſe feciſſe lætatur, imò facere ſe debuiſſe agnoſcit, ut Chriſti Paſtoris Optimi caritatem & manſuetudinem imitetur. *Quanta Nos* (inquit) *Fili Cariſſime, ad tui directionem ſolicitudo impulerit Paſtoralis Officii, quantáve paternæ pietatis dilectio ad ſalutem tuam ſuper te viſcera manſuetudinis noſtræ commoverit, Abſolutio, quam Tibi nuper abſenti & non petenti, ab omnibus Excommunicationum Sen-* C *tentiis, quibus ex quacunque cauſa forſitan tenebaris adſtrictus, in tuorum Nuntiorum præſentia Te in benedictionibus dulcedinis prævenientes impendimus, manifeſtat. Id ne ſanguis tuus de noſtris requiratur manibus, feciſſe lætamur, id egiſſe non pœnitet, & quod plus eſt, illud etiam facere debebamus. Sumus namque illius Vicarius, qui dixit, Hominem illum qui fecit cœnam magnam, ſervo ſuo dixiſſe*: Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. *In hoc parabolam illam implevimus, ſecundùm quam habens centum oves, relictis nonaginta novem in deſerto, vadit ad illam quam deviaſſe putabat, donec inveniat eam, & inventam imponit* D *in humeros ſuos gaudens. Nunquid igitur Te, etiamſi nolles, non cogemus intrare? Nunquid tantam ovem, quanta Tu es, ſic nobilem, præcipuam, & præclaram relinquemus, quin impoſitam noſtris humeris reducamus?* Humilitatem Summum Pontificem decere profitetur. *Porro*, inquit, *quis ſuperbus Epiſcopum Urbis & Orbis de humilitate redarguet?* Regem hortatur ut hanc gratiam devotè ſuſcipiat, & ad obedientiam Matris Eccleſiæ ſuæ Majeſtati ſalutiferam & honorabilem ſe convertat. *Conſidera, Fili* (inquit) *quod Joas Rex Juda glorioſus vixit & recta eſt operatus, donec conſilio & doctrina Joiada* E *Summi Sacerdotis eſt uſus, quo ceſſante, ignominiâ affectus eſt... Auſculta ergo Patrem tuum.... Sic Deo propitio ſtabilietur Regnum, & gloriaberis in terra ſublimis.* Diploma iſtud datum eſt quarto Nonas Aprilis anno MCCCIV. Extat inter Probationes Hiſtoriæ hujus Diſſidii, pag. 207.

Benedictus XI. Sanctiſſimus Pontifex Regem prævenit, abſentique, nec petenti Abſolutionem à Cenſuris in eum à Bonifacio VIII. latis impertit.

Luc. 14. 23.

Luc. 15.

Summi Pontificis humilitas.

Salutata Monitum Regi datum.

4. Reg. 12. 2.

II. Altero Diplomate dato tertio Idus Maii, Prælatos omnes & Viros Eccleſiaſticos ac Religioſos, necnon Barones, Nobiles, & cæteros Laïcos hujuſce Regni, qui Sententiis Excommunicationum à *Bonifacio VIII.* aut aliis Pontificibus in eos latis, qui ad Sedem Apoſtolicam accedere volentes F impediebant, vel ob captionem ipſius *Bonifacii* & Nuntiorum ejus, erant irretiti, Communioni Fidelium reſtituit, uno excepto *Guillelmo de Nogaretto*, cujus Abſolutionem ſibi & Sedi Apoſtolicæ reſervavit. Duas affert indulgentiæ ſuæ rationes. 1. *Utilitates & commoda, quæ ex eodem Regno, dum in ipſius Eccleſiæ devotione perſiſtit, Eccleſia prædicta proveniunt.* 2. *Quòd, propter evitandum ſcandalum, præſertim ubi multitudo delinquit, ſeveritati eſt aliquid detrahendum.* Tertio Diplomate, Literas ac Mandata *Bonifacii VIII.* abrogat, quibus Jus Reſervationis, id eſt, providendi Eccleſiis vacantibus, ſibi tribuerat, Electoribus & Confirmatoribus Ju-A re ſuo privatis: & ad antiquam formam, Juſque & Conſuetudinem antea in Eccleſia Gallicana obſervatam omnia revocat. Datum eſt iſtud Diploma XIII. Kal. Maii. Alio Diplomate dato die ſequenti, poteſtatem conferendi Gradum Licentiæ ac Lauream Doctoralem, ab eodem *Bonifacio* ſuſpenſam, Doctoribus Theologiæ, Juris Canonici & Civilis, in Academia Pariſienſi reſtituit, & ratum habet quod ſuſpenſionis tempore geſtum eſt, ac ſi eadem ſuſpenſio nullatenus præceſſiſſet. Alio Diplomate dato tertio Idus Maii, Viris Eccleſiaſticis contumaciæ pœnam in quam incurrerunt, quòd Romam à B *Bonifacio* Papa vocati non comparuerint, remittit. Revocat alio Diplomate ſuſpenſionem à *Bonifacio VIII.* factam Gratiarum & Indultorum olim ab Eccleſia & Sede Apoſtolica Regibus & Regno Francorum eorumque Officiariis conceſſorum: omnia in integrum reſtituit (*uno excepto Nogaretto*, cujus Abſolutionem ſibi reſervat.) Omnia Privilegia & Indulgentias ab eodem *Bonifacio* in Regis aut Regni detrimentum quibuſcunque conceſſas tempore Diſſidii, mittit in irritum: omnes Proceſſus, Sententias, Declarationes, Abſolutiones ſubditorum à Juramento Fidelitatis à *Bonifacio* fac-C tas, omniáque ejus Acta contra Regem ac Regnum, Regis Conſiliarios, familiares, & Officiales, Auctoritate Apoſtolica reſcindit, Regémque, Regnum, Conſiliarios, familiares, & Officiales prædictos Majeſtatis ipſius, in priſtinum ſtatum aſſerit. Regis etiam interceſſione, Columnenſes in gratiam recepit, edita Conſtitutione, qua Bonifacianam in eos latam Sententiam irritam declaravit, nobiliſſimámque familiam in integrum reſtituit. Extat inter Extravagantes Communes, Cap. *Dudum*. Tit. *De Schiſmaticis*. Injuriam tamen, vímque ſacrilegam *Bonifacio* Deceſſori ſuo illatam, relinquere inultam noluit. Quapropter *Sciarram Columnam*, D *Guillelmum Nogaretum*, cæteróſque captionis *Bonifacii* Auctores, ad Apoſtolicum tribunal ſiſtere ſe juſſit, Judicium ſubituros: non comparentes Eccleſiaſtico ritu diris devovit. Laudata *Benedicti Undecimi* Diplomata edita ſunt inter Probationes Hiſtoriæ hujus Diſſidii à pagina 207. ad 234. Sanctiſſimum Pontificem, in Regem, Regnúmque Francorum, & Eccleſiam Gallicanam propenſiſſimum, ac beneficentiſſimum citiùs mors eripuit veneno maturata à Chriſtianiſſimi Regis, & FF. Prædicatorum conjuratis hoſtibus. Cujus conjurationis infamiam *Bernardo Delitioſi* adhæſiſſe, ex *Joan*-E *nis XXII.* Diplomate diſcimus, qui in ipſum quæſtionem haberi juſſit à ſelectis Epiſcopis. Diploma ipſum ex Inquiſitionis Carcaſſonenſis Archivo erutum à Religioſo Viro P. F. *Thoma Souege*, Sacræ Theologiæ Profeſſore, & in noſtri Ordinis Noviciatu Generali in S. Germani Suburbio Pariſienſi Novitiorum Inſtitutore, qui illud mecum humaniſſimè communicavit, ſubjicio.

Abſolutionē Prælatis cæteriſque Eccleſiaſticis Viris, ac Laïcis à Cenſuris à Bonifacio VIII. in eos latis concedit Benedictus XI.

Indulgentiæ ipſius rationes.

Abrogatis Bonifacii VIII Decretis, & Sententiis editis Regem ac Regnum, omnia in integrū reſtituit.

Mors Sanctiſſimi Pontificis veneno maturata.

Nefarii facinoris ſuſpicio, & conjurationis infamia Bernardo Delitioſi adhæſit.

III. *Joannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei: Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Toloſæ, & Appamienſi & Sancti Papuli Epiſcopis, ſalutem &* F *Apoſtolicam Benedictionem. Etſi cunctorum nequitia redundans in proximi læſionem meritò cunctis bonis mentibus eſſe debeat odioſa, illorum tamen actus nefarios proſequi debemus præſidentis cenſurâ Judicii, qui voto Regularis Profeſſionis adſtricti, ſub agni ſpecie geſtant lupum, & ſanctimoniæ habitum & pietatis opera exteriùs prætendentes, per machinationes deteſtabiles proximorum exterminia moliuntur. Sanè ad audientiam noſtram, famâ, imò veriùs infamiâ publicâ deferente pervenit, quod Bernardus Delitioſi Ordinis Minorum, in profunda malorum opera obſtinans vota ſua, in illum prorupit horribilis factionis exceſſum, ut conſpirans in mortem felicis recordationis Benedicti Papæ Undecimi Prædeceſ-*

Diploma Joannis XXII. enucleans negotium.

foris nostri, operam dederit ut idem Prædecessor veneni poculo necaretur; & quod ad nefanda alia applicans actus suos pravos, molitus est cum quibusdam hominibus Carcassonensibus, necnon Syndicis Albiensibus, & Castri de Cordua Albiensis Diœcesis, ut à fidelitate claræ memoriæ Regis Franciæ recederent, & quemdam Potentem in Dominum sibi assumerent, & Carcassonensem cum Burgo, & Albiensem Civitates, & Castrum Prædicatorum traderet, literásque hujusmodi proditionis..... sigillatas sigillo Consulatus Carcassonensis dictulit & assignavit dicto Potenti, ipsúmque rogavit & consuluit, quantùm potuit, & induxit, ut civitatis, burgi & castrorum prædictorum dominationem reciperet, cùm ex hoc posset toti patriæ dominari. Cujus quidem proditionis P. Probi de Castris, & Aredine Garcia de Albia Clerici, conscii & participes fuisse dicuntur: dictúsque Bernardus Populum Carcassonensem prædicationibus & suasionibus deceptivis adversùs Inquisitores hæreticæ pravitatis, & Ordinem FF. Prædicatorum sic studuit concitare, quòd præfatus populus ad Domum & Ecclesiam dictorum Prædicatorum in multitudine gravi armorum impetu concurrentes, ipsorum Domum & Ecclesiam expugnarunt: idémque Bernardus carceres dictorum Inquisitorum fecit seu procuravit frangi & aperiri, & inde plures damnatos de Hæresi abstrahi ac liberari. & quamplures domos hominum Carcassonensium, amicorum dictorum Prædicatorum penitus demoliri, prædia ipsorum bonis ac viridariis seu prædiis exposuit. Qui etiam plures Sermones tam in Ecclesiis quàm extra fecisse dicitur publicè adversùs Inquisitores & Prædicatores prædictos, in quibus eos graviter infamavit & in Fidelium cordibus reddidit odiosos, eorúmque Processus, correptus pecunia, coram quibusdam Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, & dicto Rege Franciæ studuit impugnare, Hæreticis seu credentibus & receptatoribus eorumdem præbendo auxilium, consilium, & favorem, prædictis Clericis eisdem in proditione & prædicationibus, & aliis commissis contra Officium Inquisitorum prædictorum consentientibus, participantibus, & aliàs sibi præstantibus consilium, auxilium, & favorem. Præter hæc idem Bernardus nonnulla alia detestabilia præsumpsisse & commisisse dicitur, quæ non possunt præsentibus absque diffusa recitationis serie enarrari. Licèt igitur super præmissorum aliquibus, & aliis detestabilibus commissis per eum, contra dictum Bernardum de Mandato Sedis Apostolicæ fuerit hactenus inquisitum, quam Inquisitionem nobis duxerimus remittendam: Volentes tamen & super præmissis, & nonnullis aliis Articulis, quos Vobis sub Bulla nostra mittimus interclusos, super quibus etiam dictus Bernardus publicâ infamiâ noscitur laborare, per vos diligentius inquiratur, Fraternitati vestræ præsentium tenore committimus & mandamus, quatenus vos vel duo vestrûm, in civitate Tolosa, vel alibi, ubi expedire videritis, de prædictis omnibus & aliis singulis in Articulis prædictis contentis contra Bernardum & Clericos supradictos, quos jam captos & sub custodia fida detentos ad Nos mitti volumus & mandamus, & quoscunque alios Clericos de quibus vobis videbitur, summariè & de plano, & sine strepitu & figurâ Judicii inquiratis diligentius veritatem: Et si per Inquisitionem jam factam, vel per Vos faciendam, seu per confessionem eorum, aut aliàs vobis legitimè constiterit de præmissis vel eorum aliquibus, contra eos ad pœnas debitas, etiam degradationem, quam per vos aut duos ex vobis fieri volumus, nullis Episcopis seu Prælatis aliis, si haberi non possint commodè, convocatis, & pœnas alias graviores si enormitatum ipsarum exegerit qualitas, Auctoritate nostra, juxta Sanctiones Canonicas, Appellatione remota procedatis, Constitutione aliqua non obstante, seu Indulgentiis Apostolicis Ordini prædicto concessis, quod Fratres dicti Ordinis per Literas Apostolicas nequeant conveniri, vel contra ipsos quoquo modo procedi non possit, nisi de dictis Literis & Indultis hujusmodi eorúmque toto tenore de verbo ad verbum plena & expressa mentio habeatur; contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ compescendo. Testes autem qui fuerunt nominati, si se gratia, odio, vel amore subtraxerint, Censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Datum Avenione, decimo-septimo Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno tertio. Is erat annus Christi MCCCXIX. Ex integro Processu & Inquisitionis Actis, quæ in eodem Archivo extant, hæc luculentiùs confirmantur, & dicti *Bernardi Delitiosi* parricidalis in *Benedictum Undecimum* cum *Arnaldo de Villanova*, & quibusdam aliis conjuratio probatur. Eæ tamen probationes non satis convincentes visæ sunt Judicibus à Sede Apostolica Deputatis, ut *Bernardum* velut reum necis *Benedicto* illatæ, Curiæ Seculari traderent; sed ipsum perpetuo carcere damnarunt, in vinculis ferreis, pane laboris & aquâ angustiæ sustentandum. Ab Episcoporum Sententia, pœnâque in *Bernardum Delitiosi* decreta, tanquam à minima, Regius Procurator ad Sedem Apostolicam appellavit, petiitque, ut Ordinis habitu exueretur, quod fieri jussit Summus Pontifex; sed Sententiæ ab Episcopis latæ nihil addidit.

Bernardus Delitiosi perpetuo carcere damnatus, Ordinisque sui habitu exutus.

ARTICULUS VII.

DE CLEMENTIS QUINTI Actis in gratiam Regis, Regni, & Ecclesiæ Gallicanæ, ad sanandæ vulnera eorum Honori & Libertatibus à BONIFACIO VIII. inflicta.

I. QUi *Benedicto Undecimo* successit *Clemens V.* ea consummavit quæ Decessor Sanctissimus tam faustè cœperat in gratiam Christianissimi Regis, Regnique & Ecclesiæ Gallicanæ. Decretalem, *Unam Sanctam*, quatenus Regiæ Dignitati ac Juribus officere poterat, revocavit, omniáque ad pristinum statum reduxit, in quo ante dictam Constitutionem fuerant. *Clementis V.* Constitutio, data Lugduni, Kalendis Februarii, anno MCCCVI. extat lib. V. Extravagantium Communium, Tit. *De Privilegiis*, Cap. *Meruit*: cujus hæc sunt verba: *Meruit carissimi filii nostri Philippi Regis Francorum Illustris sinceræ affectionis ad Nos & Ecclesiam Romanam integritas, & Progenitorum suorum præclara merita meruerunt: Meruit insuper Regnicolarum puritas, ac devotionis sinceritas, ut tam Regem quàm Regnum favore benevolo prosequamur. Hinc est, quod Nos Regi & Regno per Definitionem & Declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit:* UNAM SANCTAM; *nullum volumus vel intendimus præjudicium generari. Nec quòd per illam Rex, Regnum, & Regnicolæ prælibati, ampliùs Ecclesiæ sint subjecti Romanæ, quàm antea existebant: sed omnia intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante Definitionem præfatam: tam quantùm ad Ecclesiam, quàm etiam ad Regem, Regnum, & Regnicolas superiùs nominatos.*

Decretalis, Unam Sanctam, Constitutione Clementis V. revocata, quatenus Regiæ Dignitati ac juribus officere poterat.

II. Rex nihilominus Pontificem vehementer urgebat, ut *Bonifacii VIII.* memoriam damnaret. Accusationum, Inquisitionum, Defensionum hac in causa editarum Acta inter Probationes Historiæ hujus Dissidii, à pag. 325. ad pag. 377. legere est.

Clemens

Clemens ut negotium invidiosissimum componeret, A ac finiret, Regem consiliis precibúsque eò adduxit, ut causæ Judicium Sedi Apostolicæ omnino permitteret. Demum *competenti Inquisitione prahabita*, declaravit Diplomate dato Avenione, quinto Kalendas Maii, anni MCCCXI. *Philippum Pulchrum* Regem Christianissimum hac in causa *extra omnem calumniam fuisse & esse, ac bono, sincero, & justo zelo, ex fervore Catholica Fidei*, contra Bonifacium VIII. *processisse*. Quæ per *Nogaretum*, cæterósve Conjuratos in captione *Bonifacii* gesta erant, nec imperante nec sciente Rege perpetrata, sed ab iis *innocentem penitus & inculpabilem fuisse ac esse*. Eo Diplomate mansuetudinem, pietatem, *Zelúmque* B *Regis, ex fervore fidei, quem à Progenitoribus suis hereditario quasi jure traxit, prodeuntem* commendat, quo negotium hujusmodi & prosecutionem ipsius Sedi Apostolicæ reliquit. Ut Regia & Regiæ Domus honori adversùs obtrectatores consulat, & caritatis, & unitatis, & pacis fœdera, quæ inter Ecclesiam Romanam, & Reges ac Regnum Franciæ viguerunt & vigent, in perpetuum tempus confirmet: *Omnes Sententias latas ab homine vel à Jure, Constitutiones, Declarationes non inclusas in sexto libro Decretalium, in quantum prajudicant, vel possent prajudicare honori, statui, Juribus, & Libertatibus dictorum Regis & Regni, Regnicolis, assertoribus*, C *denuntiatoribus, delatoribus, fautoribus, adharentibus, ac valitoribus . . . necnon Privilegiorum revocationes, suspensiones, ac quoslibet Processus Suspensionum, Excommunicationum, Interdictorum, privationum, depositionum, & alios quoscunque Processus Juris vel facti, verbo vel literis, in scriptis vel sine scriptis, directè vel indirectè, principaliter vel incidenter, implicitè vel explicitè, publicè vel occultè, contra Regem, liberos, & fratres ipsius, & Regnum Francia, statum, jura, & libertates ejusdem; necnon contra denuntiatores, objectores, & assertores, Pralatos, Barones, & alios incolas & habitatores Regni ejusdem*, D causa vel occasione rerum contra *Bonifacium VIII.* quandocunque & ubicunque, etiámque apud Anagniam gestarum; atque item contra adjutores vel adhærentes, vivos & mortuos, factos vel habitos à Festo omnium Sanctorum anno millesimo trecentesimo citra, *ad cautelam* revocat, abrogat, & nullos irritósque declarat: omnem maculam sive notam ex præmissis quibuscunque, culpam aut infamiam juris vel facti, quæ possent inde in quemcunque vel quomodocunque imputari, abolet atque aufert: & tam Regem, quàm alios quoscunque, in omnibus & per omnia in eum statum restituit, in quo erant ante Dissidium. E Denique Acta omnia contra Regem, Regnum & Regnicolas, hac in causa, è Regestis Romanæ Curiæ expungi jussit, ac penitus aboleri. *Nogaretum* etiam absolvit rogante Rege, injunctâ ipsi in pœnitentiam transmissione in Terram Sanctam, & perpetuâ ibidem ad pugnandum contra Saracenos, occasione datâ, mansione, pluribúsque peregrinationibus factis, quas interim obiret, donec fieret Expeditio generalis. Conferatur *Joannes Villani* lib. IX. Cap. XXII. cum *Clementis V.* Diplomatibus ab *Odorico Raynaldo* descriptis ad annum MCCCXI. N. XXVI. & L. & inter Probationes Historiæ hujus F Dissidii, pag. 592. & sequentibus. In eo quod incipit his verbis: *Rex gloria Dominus virtutum*; hæc ad Regni Francorum commendationem observatione & memoria digna sunt: *Sicut Israëliticus Populus in sortem hereditatis dominica ad divina mysteria & beneplacita exequenda calestis judicio electionis assumptus fuisse dignoscitur: sic Regnum Francia peculiarem populum electum à Domino in executione mandatorum calestium, specialis honoris & gratia titulis insignitur. Ipsius namque Regni*

Clemens V. Regem à calumnia vindicat hac in causâ; Processus omnes, Sententias, Acta contra Regem, Regnum & Regnicolas rescindit.

Regni Francorum commendatio.

Reges à progenie in progenies zelo Catholica fidei inardentes, ac Sacrosanctam Romanam Ecclesiam Matrem Fidelium pracipuis venerantes honoribus, nunquam ab ipsius rectitudine fidei deviarunt, quin potius pro ipsius conservatione fidei, & Ecclesia defensione pradicta, Reges, & incola dicti Regni se & sua exponere, ac nonnunquam proprium fundere sanguinem minimè dubitarunt, sicut & Gestorum antiquitas, & sacrorum auctoritas Canonum, manifestè declarant.

III. Objiciet quispiam *Clementem V.* Constitutiones duas *Bonifacii VIII.* quarum prima incipit his verbis: *Unam Sanctam*; altera istis: *Rem non novam*; confirmasse Diplomate quod incipit: *Ex parte*, & refertur ab *Odorico Raynaldo* ad annum MCCCXI. Num. XXVI. adeóque Constitutionem, quâ Ecclesiæ potestas in temporalia Regum asseritur, non esse rejiciendam, quasi errorem contineat; aut certè eam Sententiam non fuisse *Bonifacii VIII.* propriam, sed à *Clemente V.* adoptatam.

Verùm hæc objectio facilè diluitur. Istas quidem Constitutiones *Clemens V.* confirmavit, sed moderatione adhibitâ; quantùm ad ea scilicet quæ Regis, Regni, & Regnicolarum Juribus & Libertatibus adversa non sunt & incommoda, prout aliàs declaravit Cap. *Meruit*. Ipsius verba subjicio: *Omnes Sententias latas ab homine vel à jure, Constitutiones, Declarationes non inclusas in libro Sexto Decretalium, in quantum prajudicant vel prajudicare possunt honori, statui, juribus, & libertatibus dictorum Regis & Regni.. Duabus Constitutionibus, qua non sunt in eodem libro inclusa, quarum una incipit:* UNAM SANCTAM: *& alia:* REM NON NOVAM: *quas* SECUNDUM MODERATIONES EASDEM ALIAS PER NOS FACTAS, *& non aliter, intelligi volumus, & secundùm moderationes ipsas volumus in suo robore permanere, exceptis. . . . . . . relaxamus, revocamus, irritamus, annullamus, cassamus, & ex nunc nullas, cassas, & irritas nuntiamus ex certa scientia, de Fratrum consilio, & de Apostolica plenitudine Potestatis.* Moderatio autem adhibita Decretali, *Unam Sanctam*, à *Clemente V.* ea est, ut Supremæ & à quovis præter Deum independenti Regum Christianissimorum in temporalibus Auctoritati non officiat, nec Ecclesiæ Romanæ sint ampliùs subjecti, quam erant ante Constitutionis istius editionem ac promulgationem, sed omnia in eo sint statu in quo erant ante Dissidium infaustum quod inter *Philippum* Regem & *Bonifacium* Papam exarsit. Ideo autem Constitutionem, *Unam Sanctam*, non expunxit *Clemens V.* sicut cæteras contra Regem, Regnum, Prælatos, Doctores, Barones, &c. à *Bonifacio VIII.* datas, quia hanc in sensum commodum flecti posse existimavit: Ita ut, cùm penes Pontificem ait esse gladium temporalem, in eo tantùm spiritualem gladii hujus seu tractandi, seu dirigendi rationem constituat. Cùm temporalem gladium spirituali subjici pronuntiat, subjici tantùm intelligat, quia distinguendus est ad nutum Summi Pontificis & Ecclesiæ: adeo ut si Christianos Principes eo abuti deprehenderint, ipsos arguant, obsecrent, increpent, & Censuris etiam Ecclesiasticis, cùm opus fuerit, ipsos ad frugem revocent; ut denique temporalis potestas Pontificiæ in Spiritualibus tantùm parere teneatur. Cùm ait, Spiritualis esse Potestatis terrenam instituere, & judicare, nomine institutionis doctrina duntaxat significetur; nomine judicii spirituale tantùm, quod ultra Censuras & pœnas canonicas in externo foro progredi non potest. Vel, considetatissima ratione perpendit *Clemens V.* duo in Decretali, *Unam Sanctam*, esse distinguenda,

Qua ratione Decretales, Unam Sanctam, & Rem non novam, in suo robore permanere Clemens V declaravit.

distinguenda, *Bonifacii VIII.* opinionem de indirecta Ecclesiæ potestate in temporalia Regum, ac rationes quibus illam adstruit, Scripturæ Sacræ testimoniis in alienos sensus detortis: & Definitionem quâ pronuntiat, *De necessitate salutis esse, Romano subesse Pontifici.* Primum humanæ ignorantiæ tribuendum; alterum Apostolicæ Sapientiæ & Auctoritati: Primum spectandum est ut doctrina *Bonifacii*; postremum ut doctrina Ecclesiæ. *Bonifacius* in proœmio ac prolusione (ut ita loquamur) Definitionis suæ, ut homo ratiocinatur, & Scripturam exponit; nihil humani ab ipso alienum putamus; à verâ ratione & Scripturæ sacræ legitimo sensu aberrat hac parte privatus Interpres: In fine Diplomatis §. *Porro*: pronuntiat ut Pontifex, doctrinam Scriptura Sacra & Traditione contentam, à Romana & universali Ecclesia semper assertam velut dogma fidei Christianis universis proponit. *Porro* (inquit) *subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, diffinimus, & pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.* Quod & Nos ut dogma fidei recipimus, credimus, docemus, & prædicamus, de subjectione Christianorum omnium & singulorum, etiam Regum & Imperatorum, Summo Pontifici, Jure Divino, in spiritualibus dumtaxat, intellectam. Atque propter istam conclusionem, quæ sola vim Definitionis & Apostolici Oraculi propriè habet, sartam tectam hujus Constitutionis auctoritatem voluit procul dubio *Clemens Quintus.* Ad hanc Definitionem, sensúmque à *Clemente V.* satis significatum accedit Auctor Gallus, Regiorum Jurium acerrimus vindex, qui *Somnium Viridarii* scripsit *Carolo Quinto* in Galliis regnante, cùm se credere professus est quod habetur in Extravaganti *Unam Sanctam.* Verba ejus subjicio, prout ipsa lego apud *Goldastum*, Tom. 1. Monarchiæ, pag. 229. *Nam excitatus à somno & vigilans loquor: Illudque credo, teneo, & firmiter profiteor, quod ipsa Romana Ecclesia credit, tenet, atque profitetur. Necnon & illud teneo & credo verum, quod ipsa duxit statuendum in Extravaganti quæ incipit:* UNAM SANCTAM. Tandem Decretalem Bonifacii, *Unam Sanctam*, eo prorsus modo recipimus ac veneramur, quo *Leo X.* in Diplomate quod incipit: *Pastor Æternus*, Sessione XI. Concilii Lateranensis Quinti promulgato, ipsam recipi jubet, sine præjudicio scilicet Declarationis *Clementis V.* Cap. MERUIT. *Leonis X.* verba subjicio. *Et cùm de necessitate salutis existat omnes Christi Fideles Romano subesse Pontifici, prout Divina Scriptura & SS. Patrum testimonio edocemur, ac Constitutione felicis memoriæ Bonifacii Octavi similiter Prædecessoris nostri, quæ incipit:* UNAM SANCTAM, *declaratur: pro eorumdem fidelium animarum salute, ac Romani Pontificis & hujus Sanctæ Sedis suprema Auctoritate, & Ecclesiæ Sponsæ suæ unitate & potestate, Constitutionem ipsam, sacro præsente Concilio approbante, innovamus & approbamus: sine tamen præjudicio Declarationis Sanctæ memoriæ Clementis Papæ Quinti, quæ incipit*: MERUIT.

Hæc propositio dogma fidei est, subesse Romano Pontifici omnes esse de necessitate salutis.

IV. In hac porro Dissertatione, merè Historica, duo tantùm à me dogmaticè scripta censeri velim: primum, quod fidei est, pro cujus defensione sanguinem etiam fundere cum Dei gratia sum paratissimus: DE NECESSITATE SALUTIS EXISTIT, OMNES CHRISTI FIDELES ROMANO PONTIFICI SUBESSE, PROUT DIVINÆ SCRIPTURÆ ET SS. PATRUM TESTIMONIO EDOCEMUR: Alterum, quod eidem Scripturæ Sacræ, & Traditioni omnino consonum est, fideique proximum: SUPREMA EST ET A SOLO DEO DEPENDENS REGUM AUCTORITAS; ITA UT NULLAM PENITUS, ETIAM INDIRECTAM IN EORUM TEMPORALIA POTESTATEM HABEANT ROMANUS PONTIFEX VEL ECCLESIA. Quam propositionem contra Gregorii VII. Bonifacii VIII. aliorum Pontificum, non Definitiones quidem (Passus enim Christus non est, qui Ecclesiam suam regit, nec patietur unquam, ut à Sede Apostolica & Ecclesia Romana, quæ Fidei Magistra est, Interpres & Vindex, definiatur error) sed privatas opiniones, asserere ac propugnare non veremur.

Duo tantùm à se dogmaticè scripta hac in Dissertatione declarat Auctor; cætera historicè.

Religiosissimos & Doctissimos Ecclesiæ Gallicanæ Præsules Patres nostros secuti, qui in Concilio Parisiensi sexto anno octingentesimo vigesimo nono, Canone V. Reges, non solùm pios, sed improbos, à solo Deo Auctoritatem suam accipere docuerunt, eique secundùm legalia præcepta & Christi verba subditos omnes obsequium debere, Canone VI. tradiderunt, à cujus proinde debito ipsos absolvere non possint Romani Pontifices & Ecclesia, qui contra legalia præcepta & Christi oracula ac mandata nihil se posse profitentur. Concilii Parisiensis verbis hanc Dissertationem absolvo. *Nemo Regum à Progenitoribus Regnum sibi administrari, sed* A DEO *veraciter atque humiliter credere debet dari, qui dicit*: « Meum est consilium & æquitas, mea « est prudentia, mea est fortitudo: Per me Reges « regnant, & legum conditores justa decernunt: « Per me Principes imperant, & Potentes justitiam decernunt. *Proverb. 8.* *Quod autem non ab hominibus, sed* A DEO *Regnum terrenum tribuatur, Daniel Propheta testatur dicens*: « In sententia vigilum « decretum est, & sermo sanctorum, & petitio, « donec cognoscant viventes, quòd dominetur « Excelsus in regno hominum, & cuicunque vo- « luerit, dabit illud, & humillimum hominem « constituet super illud. *Daniel. 4.* *Item idem loquens de Nabuchodonosor ad Baltassar*: « Donec cognosceret, « inquit, quòd potestatem haberet Altissimus in « Regno hominum, & quemcunque voluerit, « suscitabit super illud. *Daniel. 5.* *Et per Jeremiam*: « Hæc « dicit Dominus exercituum Deus Israël: Hæc « dicetis ad Dominos vestros: Ego feci terram, « & hominem, & jumenta quæ sunt super fa- « ciem terræ, in fortitudine mea magna, & in « brachio meo extento, & dedi eam ei qui pla- « cuit in oculis meis. *Jerem. 27.* *Hi verò qui à Progenitoribus sibi succedere Regnum terrenum, & non potius* A DEO *dari putant, illis aptantur quos Dominus per Prophetam improbat dicens*: « Ipsi regnave- « runt, & non ex me: Principes extiterunt, & « non cognovi. *Osee 8.* *Ignorare quippe Dei, procul dubio reprobare est. Quapropter quisquis cæteris mortalibus temporaliter imperat, non ab hominibus, sed* A DEO *sibi Regnum commissum credat. Multi namque munere divino, multi etiam Dei permissu regnant. Qui piè & justè, & misericorditer regnant, sine dubio per Deum regnant: Qui verò secus, non ejus munere, sed permissu tantùm regnant. De talibus Dominus per Prophetam*: Dabo tibi Regem in furore meo. *Osee 13.* *Et Job*: Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. *Job 34.* *Ut enim Isidorus exponit: Irascente Deo talem Rectorem populi suscipiunt, qualem pro peccato merentur. Constat ergo, quia non astu, non vote, neque brachio fortitudinis humanæ, sed virtute, imò occulto judicio* DISPENSATIONIS DIVINÆ *Regnum confertur terrenum. Et idcirco cuicunque ab eo committitur, ita illud secundùm ejus voluntatem disponere & gubernare procuret, quatenus cum eo à quo illud suscepit, feliciter in perpetuum regnare valeat.*

Et Canone VI. *Constat Potestatem Regalem omnibus*


bus sibi subjectis secundum æquitatis ordinem consultum ferre debere : & idcirco oportet ut omnes subjecti fideliter & utiliter atque obedienter eidem pareant Potestati , quoniam Qui Potestati à Deo ordinatæ resistit , Dei utique ordinationi , *juxta Apostoli documentum* , resistit. (Rom. 13.) *Sicut enim subjecti à Rege sibi volunt pie & juste opitulari , ita specialiter et primum ad salutem animæ suæ procurandam , deinde generaliter ad honestatem & utilitatem Regni secundum Dei voluntatem disponendam atque ministrandam , indissimulanter atque irretractabiliter solatium opportunum debent exhibere. Quod cum faciunt , & divinum præceptum adimplere , & fidem Regi debitam evidenter probantur conservare. Hujuscemodi erga obsequium à subjectis Regiæ Potestati impendi debere , & Legalia Præcepta apertè testantur , & Dominus in Evangelio admonet dicens :*

(Matth. 22.) » Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari , & quæ sunt » Dei Deo. (1. Pet. 2.) *Petrus quoque ait :* Subjecti estote omni » humanæ creaturæ propter Deum , sive Regi » quasi præcellenti , sive Ducibus tanquam ab eo » missis , &c. *Et non post multa :* Deum timete , Regem honorificate. *Paulus etiam Apostolus in » idipsum concordans* , ait : (Roman. 13.) Omnis anima Potesta» tibus sublimioribus subdita sit : Non est enim » Potestas nisi à Deo : Quæ autem sunt à Deo , » ordinata sunt. Itaque qui resistit Potestati , » Dei ordinationi resistit. *Et cætera quæ de hujusmodi Potestate Apostolicus sermo latiùs exequitur.*

SCHOLION.

Dissertationem istam hâc notâ inurunt Religiosi Censores: *In tota hac Dissertatione Author impudenti calamo debacchatur in Bonifacium VIII.*

R. Religiosorum Censorum conviciis Dei gratiâ superior sum. Christi discipulum me esse memini , qui *cùm malediceretur , non maledicebat.* In tota hac Dissertatione nihil scripsi , quod non ab omnibus qui infausti Dissidii scripserunt Historiam , memoriæ proditum sit. Jurium temporalium Christianissimi Regis invasionem , *Bonifacii VIII.* molitiones , auctoritatem in temporalia Regis Christianissimi sibi sedique suæ tribuentis ; Extravagantem , *Unam Sanctam* , non unus improbo , sed Ecclesia tota Gallicana semper improbavit ; gravissimi ex aliis gentibus Scriptores à præjudicio liberi improbarunt , & quod caput est , abolere voluit *Clemens Quintus* Pontifex Maximus quæcumque Bonifacius VIII. contra Regem & Regnum Francorum , eorumque honorem , statum , jura & Libertates , Sententiis , Constitutionibus , vel Declarationibus suis ediderat. Scripsi hoc *Dissidium in ideale fuisse Pontifici , Christianissimo Regi indecorum : quamvis excusatione aliquâ dignus fuerit Philippus Rex , cujus extra controversiam & ... Christi Vicario illata sit : & qui violentia Bonifacii & impetu compelleretur ad media quædam extraordinaria & insolita tentandum , suam ut Majestatem , Regia jura , Regnum Ecclesiamque Gallicanam tueretur.* Bonifacii VIII. captionem sacrilegam vocavi. Alibi , scilicet in Synopsi Cap. 1. Art. xiv. Bonifacium VIII. *Virum doctissimum* fuisse scripsi , *magni animi , in amicos liberalem , jurium Ecclesiæ acerrimum defensorem , integerrimæ fidei Pontificem purumque criminum , quæ illi Columnenses & Philippi Pulchri Francorum Regis Ministri , fervente Dissidio , affinxere. Indignissimum esse commentum , quòd caput muro intulerit , digitos corroserit , desperata similis mortuus sit* ; quod luculenter refello. Hoc est in *Bonifacium VIII.* impudenti calamo debacchari , RR. Censorum judicio. *Joannis Villani* & *Marianæ* Societatis Jesu Scriptoris diligentissimi & elegantissimi judicium de Bonifacio VIII. retuli hac in Dissertatione , fateor , illorum etiam verba usurpavi : *Bonifacium doctum quidem virum fuisse , & multo rerum usu excellentem , sed crudelem , ambitiosum , avaritia se sordibusque fœdasse , ut gentiles locupletaret . quæ gravissima pernicies est , detestanda egregio animo.* Villanum & Marianam impudenti calamo in Bonifacium debacchatos nemo scripsit , nec eorum Historiæ propterea Censorio stigmate inustæ sunt. Historiæ lex est , ne quid veri omittatur. Neque sufficit veritas , sed requiritur etiam dicendi libertas. Ne ista quidem Historico prætereunda licèt quæ vel ad vituperationem amicissimorum , vel hostium commendationem pertineant. Qua de re legendi Lucianus lib. *De Historia* . Anna Comnena in procœmio *Alexiados* , Sozomenus lib. 1. *Historiæ Ecclesiasticæ* Cap. 1. Gerardus Joannes Vossius in *Arte Historica* , Cap. 2. Quæ de Bonifacii VIII. nævis ac vitiis Joannes Villani , S. Antoninus , Mariana , & alii scripserunt , confirmare potuissem ex Prophetiis Venerabilis *Roberti Uticensis* Ordinis FF. Prædicatorum , qui sub Celestino V. & Bonifacio VIII. Pontifice in floruit , & sanctitatis famâ celebris obiit , quem Bernardus Guidonis qui cum familiariter vixit , impensè commendat ut virum sanctum & dono Prophetiæ clarum. Hic Bonifacii mores , ambitionem , fastum , avaritiam , bonorum Ecclesiasticorum in propinquos suos profusionem , S. Petri Celestini incarcerationem , excitatos in Regno Francorum tumultus , ultimam calamitatem , in suarum Revelationum & Sermonum libris eâ libertate descripsit , quam Spiritus Dei tribuebat. Infelicem sub illius Pontificatu ac deplorandum Ecclesiæ statum figuratis locutionibus describit pro more Vatum. Editi sunt Tractatus duo Revelationum & Sermonum *B. Roberti Uticensis* , Parisiis apud *Henricum Stephanum* anno 1513. cum SS. Hildegardis , Elizabethæ Sconaugiensis , & Mechtildis Revelationibus. Prophetias illas , præsertim quæ *Bonifacium VIII.* spectant , ita Venerabilis *Roberti Uticensis* inseruit , in Diario Dominicano , seu Actis Sanctorum & Beatorum Ordinis S. Dominici Gallico idiomate editis , ad diem quartam Junii , P. *Thomas Souges* ejusdem Ordinis Professor , Provinciæ Tolosanæ , strictioris observantiæ. Hæc licèt de *Bonifacio VIII.* retulerit Religiosus ille vir ex Prophetiis *Roberti Uticensis* , nemo dixit illum in *Bonifacium VIII.* impudenti calamo debacchari ; liber ejus ab Ordinis Professoribus probatus est , & ab omnibus non sine fructu pietatis legitur. Hæc tamen in Dissertatione mea consultò prætermisi , veritus ne duriora viderentur , & Revelationibus ac Visionibus ab Ecclesia Romana non probatis , quarum ad fidem Historiæ faciendam non magna mihi videtur auctoritas , inniti. Hic addi potest *B. Jacoponi de Benedictis* Ordinis FF. Minorum viri sancti testimonium , qui Bonifacio VIII. ante Pontificatum familiaris , ad supremam hanc dignitatem evectum offendit , quòd liberiùs aliqua ejus facta redargueret , unde conjectus est in carcerem in urbe Prænestina. Sed & ille etiam Bonifacio prophetavit captionem , ex qua in mœrore confectus est. Refert *Waddingus* in Annalibus , & in Bibliotheca Scriptorum Ordinis FF. Minorum. Cæterùm quo animo ea scripserim quæ in hac Dissertatione de Bonifacio scribere veritas & Historicæ leges compulerunt , judicabit quisquis ad hæc verba mea attendet , pag. 339. Edit. primæ : *Quæ omnia eo duntaxat animo velim observari , ut Historiæ series cognoscatur , non ut ad extrema hujusmodi & violenta remedia , in Dissidiis similibus , si quæ forsan (quod Deus in æternum avertat) inter Sedem Apostolicam & Regna qualibet Christiana , vel Regnorum Ecclesias emergerent , unquam veniatur. Caroli Magni consilium , potiùs quàm Philippi Pulchri exemplum Christianos Principes imitari decet.* IN MEMORIAM , (*inquit Rex Magnus*) B. PETRI *Apostoli honoremus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem , ut quæ nobis Sacerdotalis mater est Dignitatis , esse debeat Magistra Ecclesiasticæ rationis.* Quare SERVANDA EST CUM MANSUETUDINE HUMILITAS , *ut licèt vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum , feramus ,* & PIA DEVOTIONE TOLEREMUS. Denique etsi Historica libertate de Bonifacii VIII. gestis in Dissidio quod illi cum Rege & Ecclesia Gallicana intercessit , scripserim , reverentia tamen erga Romanam Ecclesiam & Sedem Apostolicam non defui , cùm hanc *propositionem Fidei esse* dixi , pro cujus defensione , cum Dei gratia , sanguinem etiam fundere sum paratissimus : *De necessitate salutis existit , omnes Christi Fideles Romano Pontifici subesse.* Pag. 160. Edit. primæ. Et addidi : *Passus Christus non est , qui Ecclesiam suam regit , nec patietur unquam , ut à Sede Apostolica & Ecclesia Romana , quæ Fidei Magistra est , interpres , & vindex , definiatur error.* Qui ita scribit , is à Religiosis Censoribus , cane pejor & angue censetur , impudens appellatur , velut Sedis Apostolicæ Dignitatis juriumque adversarius traducitur.



DISSERTATIO X.

De Concilio Viennensi Oecumenico: Et de Causa Templariorum.



QUÆSTIO I.

De Concilii Convocatione, Celebratione, & Actis.

Causæ propter quas Concilium convocatum est.

I. VIENNENSE Concilium, quod inter Oecumenica decimum quintum numerari solet, à *Clemente Quinto* Pontifice Maximo convocatum est anno Christi millesimo trecentesimo-septimo, quatuor de causis: primò, ob negotium Templariorum, quorum Ordo publicâ gravissimorum criminum infamiâ laborabat. Secundò, ob causam Fidei variis erroribus lacessitæ, scilicet *Petri Joannis*, Fraticellorum, Dulcinistarum, Beguardorum, & Beguinarum. Tertiò, ob Subsidium Terræ Sanctæ. Quartò, ob restaurationem Ecclesiasticæ Disciplinæ. Id constat ex convocationis Diplomate, quod incipit: *Regnans in cælis*: cujus hæc sunt verba: *Ex his etiam, dum ministerio debita considerationis nostræ mentis præsentantur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, & ad tanta discrimina relevanda suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus anxiatur. Ad quod cum Nos sufficere commodè non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium & humiliter petimus, & devotè speramus. Et quia salubre in his adhiberi remedium interest generaliter omnium, Nos cum eisdem Fratribus nostris, aliisque viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu prahabito, prout tanto necessitatis instantia exigebat, de ipsorum Fratrum consilio, Universale Concilium, sicut imitatione digna Sanctorum Patrum consuetudo laudabilis longævæ observationis exemplo nos instruit, à proximis Kalendis Octobris ad duos annos immediatè sequentes decrevimus congregandum: ut in eo tam circa dictum Ordinem & personas singulares, & bona ejusdem; & alia quæ statum tangunt Fidei Catholicæ; quàm circa recuperationem & subsidium Terræ Sanctæ; ac reparationem, ordinationem, & stabilitatem Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum Personarum, & libertatem earum, illis, Deo auspice, communi consilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione Concilii roboretur, per cujus salutiferam executionem virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roboratâ fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, redintegrata ejusdem fidei unitate, extirpatis vitiis, virtutibus plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solida stabilitate munitâ, recuperatis deperditis, & ejusdem Terræ statu prospero reparato, occupata restituat, vastata restauret, & restaurata conservet.* Porro quò faciliùs collapsa Ecclesiæ Disciplina restaurari posset, Archiepiscopis & Episcopis singulis jussit Summus Pontifex, ut per se vel per alios viros prudentes, Deum timentes, & habentes præ oculis omnia quæ correctionis & reformationis limam exposcerent, inquirentes subtiliter, & conscribentes fideliter, eadem ad Concilii notitiam perferrent. Id inter alios exsecutus est Præsul doctissimus *Guillelmus Durandus* Mimatensis Episcopus, egregio Tractatu edito, *De Modo Generalis Concilii celebrandi.*

Concilii tempus, locus, Præses, patrum numerus.

II. Non ad biennium tantùm, sed ad quadriennium extracta est Viennensis Concilii celebratio. Apertum est Kalendis Octobris, anno Christi millesimo trecentesimo undecimo. Locus Concilii Vienna Allobrogum, Archiepiscopalis Sedes ad Rhodanum. Præfuit Summus Pontifex *Clemens Quintus*: Adfuere præter Cardinales, Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus Latini ritus, centum quatuordecim Episcopi, ut *Guillelmi Nangii* Continuator testatur: Trecentos *Joannes Villani* & *S. Antoninus* numerant: inferiorum Prælatorum ingens numerus, & Principum Oratores. Septem circiter mensibus duravit Sacer Conventus, non biennium, ut scripsit *Trithemius* Abbas.

Sessio prima.

Prima Sessio habita decima-sexta die Octobris, in Ecclesia Metropolitana, in qua Pontifex assumpto pro Themate versu Psalmi centesimi-decimi: *In Concilio Justorum & congregatione magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*: causas celebrationis Concilii exposuit. Postmodum multi variique Tractatus, multæ deliberationes habitæ sunt de Causa Templariorum, de Subsidio Terræ Sanctæ, de Status Ecclesiastici Reformatione, usque ad Christianissimi Regis adventum: *Qui habitorum à principio contra Templariorum Ordinem & personas Processuum specialiter promotor & zelator præcipuus in favorem fidei dicebatur.* Verba sunt Continuatoris Guillelmi Nangii.

Sessio secunda.

Die tertia Aprilis, anno millesimo trecentesimo duodecimo ineunte, qui tum in Galliis à Paschate ducebat initium: Quod *Bernardus Guidonis* in Chronico Romanorum Pontificum, his verbis significavit; *Anno Incarnationis Dominicæ jam mutato*; (non prout corruptè *Raynaldus* edidit, *jam notato*) habita est Sessio secunda, *Philippo Pulchro* Rege Christianissimo qui circa Quadragesimam, cum filiis & fratribus, multorúmque Prælatorum ac Procerum comitatu, advenerat, *à dextris Summi Pontificis, præ cæteris omnibus, in Sede tamen inferiori aliquantulum sedente.* Pontifex assumpto Themate: *Non resurgent impii in Judicio, neque peccatores in Concilio Justorum*; & ad Templarios accommodato, Concionem habuit: Secundùm quam Sententiam de Ordinis Templariorum Extinctione promulgavit, *Sacro approbante Concilio.* Ipsorum bona Equitibus S. Joannis Hierosolymitani attributa.

Nangii Continuator.

Sententia in Templarios.

Sessio tertia.

Tertia & postrema Sessio habita est pridie Nonas Maii, ut constat ex Anonymo Autore, cujus fragmentum ex MS. Vaticano refert *Odericus Raynaldus*, & ex *Bernardo Guidonis* in Chronico Romanorum Pontificum & Conciliorum.

Petri Joannis Olivi errores in Concilio damnati.

III. Hoc in Concilio damnatos *Petri Joannis Olivi* tres errores, docent Clementina prima *De Fide Catholica*, & *S. Antoninus* III. P. Chron. Tit. XI. Cap. III. primum, quo asseruit Christi adhuc viventis latus lanceâ perfossum fuisse: alterum, quo Animam rationalem formam esse corporis inficiatus est: tertium, quo habitus fidei & virtutum parvulis in Baptismo infundi negavit. Contra primum errorem profitetur Synodus: *Christum spiritu emisso perforari lanceâ sustinuisse latus suum, ut inde profluentibus undis aquæ & sanguinis formaretur unica ac immaculata ac virgo Sancta Mater Ecclesia conjux Christi, sicut de latere primi hominis soporati Eva sibi in conjugium est formata, ut sic certa figura primi & veteris Adæ, qui, secundùm Apostolum, est & forma futuri, in nostro novissimo Adam, hoc est Christo, veritas responderet. Hæc est veritas illius prægrandis Aquilæ vallata testimonio, quam Propheta vidit Ezechiel Animalibus cæteris Evangelicis*

Christi jam mortui latus lanceâ confossum.

gelicis transvolantem, Joannis videlicet Apostoli & Evangelistæ.

Animam rationalem formam esse corporis, dogma fidei est.

Contra secundum errorem Pontifex cum Synodo sic pronuntiat: *Doctrinam omnem seu positionem temerè asserentem aut vertentem in dubium quòd substantia Animæ rationalis aut intellectivæ verè ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam, & veritati Catholicæ fidei inimicam, Sacro approbante Concilio reprobamus: Definientes ut si quisquam deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter præsumpserit, quòd Anima rationalis seu intellectiva non est forma corporis humani per se & essentialiter, tanquam Hæreticus sit censendus.*

Gratiam informantem, & virtutum habitus in baptismo infundi tam parvulis quàm adultis, Ecclesiæ sententia est.

Contra tertium errorem, ubi præmisit, *Baptisma esse unicum ab omnibus fideliter confitendum, quod celebratum in aqua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, credimus esse tam adultis quàm parvulis communiter perfectum remedium ad salutem:* subdit, cùm de Baptismi effectu variæ sint Theologorum opiniones, dicentibus quibusdam, parvulis culpam remitti, sed gratiam non conferri: aliis culpam remitti & gratiam informantem ac virtutes infundi quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum: Posteriorem illam opinionem tanquam probabiliorem, ac Sanctorum Patrum & Theologorum doctrinæ magis consentaneam, alterâ repudiatâ eligendam esse ac propugnandam. *Nos* (inquit) *attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per Baptisma applicatur omnibus pariter baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit tam parvulis quàm adultis conferri in Baptismo gratiam informantem & virtutes, tanquam probabiliorem, & Dictis Sanctorum ac Doctorum Modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, Sacro approbante Concilio duximus eligendam.*

Beguardorum & Beguinarum errores à Concilio damnati. Item Hæresis de Usuris.

Beguardorum & Beguinarum errores, de quibus diximus in Synopsi, ab eadem Sancta Synodo damnatos, constat ex Clementina, *Ad nostrum*; Tit. *De Hæreticis.* Ad eamdem Synodum refert *S. Antoninus* Clementinam *Ex gravi*; *De Usuris*: quâ hæreseos damnati sunt, qui pertinaciter assererent *Usuras non esse peccatum.*

Proverb. 10.

Deliberatio de subsidio Terræ Sanctæ.

IV. De Subsidio Terræ Sanctæ Sermonem habuit Summus Pontifex, assumpto Themate: * *Desiderium suum Justis dabitur.* Rex Christianissimus promisit se infra annum cum liberis, fratribus, ingentique Procerum ac Nobilium numero transfretaturum, & Kalendis Martii proximi itineri se commissurum. Si verò morte vel alio impedimento legitimo prohiberetur, promissorum executionem Primogenitus ejus in se suscepit. Gallicani Præsules sacras decimas ad sexennium Regi ad hoc opus concesserunt, quod à Summo Pontifice & Concilio approbatum est, ut refert Nangii Continuator. Deliberationes tamen, consilia & promissa hoc de negotio habita, factáque, in irritum ceciderunt; (inquit *Albertus Krantzius.*)

Clementinæ Constitutiones à Summo Pontifice auctoritate Concilii editæ.

V. Varias Constitutiones morum disciplinam spectantes in eodem Concilio editas *S. Antoninus* commemorat, & plurimæ in Clementinarum Collectione habentur. Ad eam Synodum refert Clementinam, *Ne in agro*; *De statu Monachorum.* Clementinam, *Dudum*; *De Sepulturis*: quæ Religiosis Mendicantibus formam præscribit quoad sacrum concionandi munus, Confessionum audientiam, & Sepulturas fidelium in suis Ecclesiis observandam. Item, Clementinam, *Religiosi*; *De Privilegiis & Excessibus Privilegiatorum*: quâ in Viros Religiosos fertur Excommunicatio, à quâ per Sedem Apostolicam duntaxat absolvi possunt, *Qui Laicis Sacramenta Unctionis Extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, aut Matrimonia solemnizare, non habitâ super his Parochialis Presbyteri licentia speciali: aut qui Excommunicatos à Canone, præterquam in casibus à Jure expressis, vel per Privilegia Sedis Apostolicæ concessis eisdem; vel à Sententiis per Synodos promulgatis, seu à pœna & culpa absolvere quemquam præsumpserint.* Integra tamen servata sunt illorum Privilegia, quibus ab Apostolica Sede indultum est ut familiaribus suis domesticis, aut pauperibus in Hospitalibus suis degentibus Sacramenta administrent. Iisdem in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ vetitum est, *Ne in Sermonibus suis Ecclesiasticis Prælatis detrahant, aut etiam retrahant Laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia vel accessu; seu Indulgentias pronuntient indiscretas: Neve cùm confessionibus Testamentorum intererunt, à restitutionibus debitis, aut legatis Matricibus Ecclesiis faciendis retrahant Testatores: nec legata, vel debita, aut male ablata incerta, sibi, aut aliis singularibus sui Ordinis Fratribus, vel Conventibus, in aliorum præjudicium fieri seu erogari procurent. Nec etiam in casibus Sedi Apostolicæ, aut locorum Ordinariis reservatis quemquam absolvere: aut Personas Ecclesiasticas, præsertim coram Judicibus* à Sede Apostolica *delegatis vexare indebitè, aut ad loca plura & multum remota convenire præsumant.* Qui hæc vel aliquid illorum attentaverint, per duos menses pœnas subeant, *quæ secundùm eorum Regulam vel Statuta* pro gravibus criminibus seu culpis eis consueverunt imponi. Editæ sunt & aliæ Constitutiones, quæ Concilio Viennensi vulgò tribuuntur: inter Clementinas, & cum aliis permixtæ sunt, quæ ad ipsum Concilium non pertinent. Meliùs forsan quispiam conjecerit, nullas omnino à Concilio editas, sed à Summo Pontifice duntaxat, qui tamen *Sacro approbante Concilio* statuere se ait; quia Synodus Oecumenica illius Judicio horum Statutorum editionem reservaverat ac permiserat. Id colligitur ex Continuatore Guillelmi Nangii. *Porro* (inquit) *etsi de aliquibus statum vel reformationem universalis Ecclesiæ tangentibus aliqua prolocuta fuerint, & eorum ordinatio, seu provisio, seu decisio, à Prælatis & aliis quorum intererat, priusquam Concilium solveretur, & instanter & pluries à Papa peteretur, de quibus etiam ipse Papa (ut dixerunt aliqui) Decretales quasdam præterea Constitutiones edidit & Statuta: nunquam tamen in dicto Concilio fuerunt publicè promulgata, sed penitus Judicio Apostolico liberè fuerunt reservata & ad plenum dimissa.* Idem colligitur ex Glossa Clementinarum, quæ est *Joannis Andreæ*, in illa Præfationis verba: *Usuri de cætero in Judiciis & in Scholis*: quæ sic habet: *Constitutiones Concilii, licèt non omnes fuerint in Concilio publicatæ, tamen postea de facto fuerunt publicatæ, & ipsarum habita copia, & jam habebatur quòd ligarent. Et quia patuit aliquas ex illis ineptè, aliquas prolixè, aliquas defectivè compositas, aliquas etiam non expedire, noluit Clemens quod compositio illa procederet: sed (ut fertur) sub Excommunicationis pœna mandavit, quòd istas habentes, infra certos dies restituerent Cameræ, vel incenderent, vel dilacerarent etiam easdem. Demum per Peritiores fecit illas recenseri, qui aliquas & paucas in totum reservaverunt, aliquas in totum rejecerunt, aliquas mutaverunt quoad verba, mente servatâ; in aliquibus menti & verbis detraxerunt, & addiderunt. Et has, licèt non sub his verbis in Concilio publicatæ fuissent, voluit sub nomine Concilii reservari; & multas Constitutiones utiles addens, de quibus non fuerat in Concilio tractatum.* Hæc observatio testimonio *Martini Poloni*, & Anonymi Auctoris Vitæ *Clementis V.* confirmatur.

VI. In hac etiam Synodo *Bonifacii Octavi* memoria vindicata est, declaratúmque, Ipsum fuisse Catholicum & legitimum Pontificem. Purgata est

& Regis Christianissimi *Philippi Pulchri* fama, communique Pontificis & Concilii Decreto firmatum, ejus Majestati, filiisve aut heredibus nullam pœnam vel detrimentum inferri, aut ullam infamiæ notam inuri posse ob gesta contra *Bonifacium*. Ita refert *S. Antoninus* loco supra laudato.



QUÆSTIO SECUNDA.

De Causa Templariorum.

ARTICULUS I.

Templariorum Ordo in Concilio Viennensi justis de causis extinctus est.

I. QUum Religiosus Ordo justis de causis aboleri possit ab Ecclesia, præsertim in Concilio Oecumenico congregata, quod est totius Christiani nominis repræsentatio, nemo negaverit. Quamobrem non immoror in probatione Propositionis illius, Quòd Summus Pontifex *Clemens V.* & Synodus Oecumenica Viennensis Templariorum Ordinem abolere potuerint: sed in hoc unum ostendendum incumbo, quòd justis de causis abrogaverint & extinxerint. Enimverò Ordo generali aspersus infamiâ ob morum corruptelam & execranda crimina tum capitum cùm membrorum, adeòque non solùm Ecclesiæ inutilis, sed perniciosus, ab eadem jure extinguitur: cùm Ordines Religiosi propter Ecclesiam instituti sint, & ab ea approbati ut bonum Christi odorem longè latéque diffunderent, ut exemplum fidelium essent, ut Christianæ Sanctitatis formam ac imaginem conversatione sua exhiberent, ut ad sanctum aliquem finem sibi propositum contendentes, utilia membra essent in Corpore Christi mystico, & illustrior portio gregis Christi. At Ordo Templariorum generali aspersus erat infamiâ ob morum corruptelam, & flagitia tum capitum tum membrorum; adeòque non solùm Ecclesiæ inutilis, sed perniciosus evaserat. Quis ergo justè proscriptum & extinctum diffitebitur?

Templariorum crimina immania.

II. Propositio minor istius syllogismi pluribus momentis, iisque gravissimis probatur. Primùm ex fœtore, & clamore criminum immanium, quibus tam Ordo quam Ordinis Professores erant irretiti: quibus excitatus est *Philippus* Rex Christianissimus, ut omnes Templarios toto Regno capi & in carcerem conjici juberet, eorùmque Judicium urgeret, ut Guillelmi Nangii Continuator ad annum millesimum trecentesimum septimum testatur. *Die*, inquit, *Veneris post Festum B. Dionysii, tertio Idus Octobris, omnes Templarii, quotquot in Regno Franciæ sunt reperti, quasi sub ejusdem hora momento, illucescente videlicet sole vel circiter, juxta Decretum Regium ac Præceptum subitò capiuntur ac diversis carceribus mancipantur: Inter quos etiam in Domo Templi Parisius captus est & detentus totius Ordinis Magister Transmarinus. Dudum siquidem ad aures Regis pervenerat ex testimoniis plurium & relatu, quorum quidam Ordinem ipsum ante professi fuerant, quod tam Ordo quàm Ordinis Professores detestandis criminibus erant irretiti pariter & infecti, quæ, etiamsi negarent, legitimè possent probari. Primò namque (quod dictu nefas est) in Professione sua, quam ut caute facerent, intempestæ noctis silentio faciebant, ad præceptum Præceptoris, novum Præceptorem ipsum (quod nominandum quasi turpissimum) inferius in posterioribus osculabantur immundè: Insuper Crucifixi conspuebant Imaginem ac etiam conculcabant: Quod caput * secretè cum maxima veneratione tanquam Idololatræ colebant: Quin immo Sacerdotes eorum quando celebrare debebant, verba consecrationis minimè proferebant: & licet à mulieribus abstinere voverent, concedebatur tamen eis ad invicem modo sodomitico commisceri. Et hæc omnia de quibus vehementer habebantur suspecti, fecit Rex Dominica sequenti in..... Regalis Palatii coram Clero & populo palam & publicè proclamari: quæ etsi præ horrore quem continent & fidelium imprimunt cordibus, quasi incredibilia videantur, ipse tamen Magister totius Ordinis præfatus, apud Templum coram Magistris Universitatis præsentibus ductus, ut dicebatur, sequenti hebdomada recognovit expressè, excepto quòd dixit, Sodomiticum vitium se minime commisisse, nec in Professione sua super Imaginem crucifixi, sed magis super terram à latere conspuisse: etiam per suas patentes literas suis Fratribus omnibus intimasse fertur, quòd dictam confessionem pœnitentiâ ductus fecerat, & eos ad faciendum similiter hortabatur.*

* Supple. Ido[illegible]

Supple. [illegible]

Responsio doctrin. Sacræ Facultatis Parisiensis ad quæstionem à Rege proposit.

III. Idem probatur ex Inquisitione multiplici in Templarios facta ab Ecclesiasticis Judicibus, quibus causæ istius cognitionem Rex permiserat, secundùm Judicium Doctrinale Sacræ Facultatis Parisiensis, quæ consulenti ejus Majestati responderat: Secularem Magistratum, nisi rogante Ecclesia, de crimine hæreseos, aut de causa Religiosi Ordinis, ejúsque Professorum, cognoscere non posse: Imminente tamen periculo reos capi posse ac detineri, cum proposito reddendi Ecclesiæ. Bona denique ipsorum esse servanda & eisdem usibus destinanda, quibus collata fuerant. Hoc Responsum datum est die Annuntiatæ Virgini Sacra anno M. CCCVII. & sigillis quatuordecim munitum; quod ex Regiis Scriniis laudat *Petrus Puteanus* V. Cl. in Historia Damnationis Templariorum. Ex iisdem laudat instrumenta plurima sive Acta Inquisitionum hac in causa factarum a *Guillelmo de Parisiis* Fidei per Gallias Quæsitore Generali, Ordinis FF. Prædicatorum. Hic nempe, multis coram testibus integerrimis & probatissimis, centum quadraginta Templarios ex Domo Templi Parisiensis ad examen vocatos, ac super objectis Ordini facinoribus interrogatos, confessos una voce reos habuit, 1. Abnegati, cum primùm Ordinem ingressi sunt, Jesu Christi, ter conspuisse Imaginis crucifixi: quod flagitium si quis fortè Novitiorum execraretur, ad illud triduano carcere, vel gladii faucibus imminentis metu, aliisve tormentis adigebatur. 2. Libati in partibus pudendis osculi. 3. Concessæ à Magistro & Præceptoribus libertatis aversam & nefariam libidinem impunè exercendi. 4. Plures fassi sunt se cranium quoddam deauratum, prolixáque barba adornatum, ethnico ritu adorasse, quod solemni Ordinis more in Comitiis duntaxat Generalibus adorandum proponebatur. Audiit sunt inter cæteros Magnus Templi Magister *Jacobus Mola* Burgundus, *Guido* Delphini Viennensis frater, & *Hugo de Peraldo*, qui eadem crimina confessi sunt. Tres duntaxat ex ingenti illo numero, in quos prima habita quæstio est, Ordinem insontem esse, ac nihil inhonesti in eo se vidisse sunt contestati. Plerique magnum de criminibus dolorem præ se tulerunt, se apud Episcopum Pœnitentiarios Exomologesim egisse nonnulli dixere, alii Romam Jubilæi tempore se profectos fuisse ut Absolutionem, & mutandi Ordinis facultatem à Summo Pontifice impetrarent. Undecim supra centum Templarios Trecis interrogavit idem Inquisitor coram Viris duobus Nobilissimis Campaniæ; qui Se, Ordinémque,

Acta Inquisitionis in Templarios.

némque, eorumdem criminum reos esse, sponte sua confessi, uno eorum adoran scelere excepto. Eadem scelera, habita de Templariis Quæstione Bajocis & Cadomi in Normannia, quinque testimoniis probata habuit. Ad hæc, Viri Religiosi ab eodem Inquisitore Delegati, tredecim Templarios Cadomi interrogarunt, præsentibus *Hugone de Castello*, & *Ingerranno de Villeriis* Equitibus à Rege Deputatis: quibus cùm promissa esset ab Inquisitoris Commissariis Ecclesiæ misericordia, & à Regis Duûmviris temporalis pœnæ condonatio; eadem crimina, quæ priores, confessi sunt Ordini affecta non esse, sed iis esse verè infectum, ac fœditatem internam corruptelámque publicæ infamiæ respondere. Decem insuper Templarii ad Pontem Arcuensem à *Petro de Hangest* Rothomagensi Prætore, aliísque Nobilibus Viris, Auctoritate Regia in Quæstionem vocari, eadem crimina confessi sunt. De septem præterea Templariis Carcassonæ habita Quæstio, ex quibus *Joannes de Cassanhus* Præceptor Domus de Noggarda prope Appamias, propudiosæ Professionis ritum, abnegationem Christi, consputationem Crucifixi, datam nefariæ commixtionis licentiam, aliáque flagitia confessione sua prodidit. In eorumdem confessione criminum concordes fuere quadraginta quinque Templarii, in quos *Odoardus de Molendinis*, Commissarius à Rege deputatus Bellicadri ac in locis finitimis, manus injecit, & Quæstionem habuit, ut refert *Nostradamus* in Historia Provinciæ, pag. 324. Inquisitionum verò singularum de quibus mox diximus, Instrumenta seu Acta authentica in Regio Chartulario servantur, in arculis & sub numeris à Clarissimo. *Puteaneo*, qui illa diligenter evolvit, designatis.

Templariorum causam ad Sedem Apostolicam evocat Clemens V

IV. *Clemens Quintus* Pontifex Maximus gravissimè tulit quòd Rex Templarios detineret, ac in eos Quæstionem haberi jussisset. Majestatem ejus hortatus est ut accusatorum personas ac bona duobus S. R. E. Cardinalibus, scilicet *Berengario* Titulo SS. Martyrum Nerei & Achillei, & *Stephano* Titulo S. Cyriaci in Thermis, dimitteret. Præsulum etiam & Inquisitorum Gallicanorum Auctoritate suspensâ, causæ cognitionem ad Sedem Apostolicam evocavit. Pontificia Diplomata ex Regio Chartulario laudat *Puteanus*. Hæc Summi Pontificis agendi ratio Regem vehementer commovit, qui gravissimis animosisque literis apud ejus Sanctitatem de injuriâ Episcopali Auctoritati illata conquestus est.

Verba notatu digna de Episcopali Auctoritate.

Gravis, inquit, *fieret injuria, si sine justâ causâ Ministerium à Deo sibi traditum, & defensionis fidei meritum auferretur Episcopis: nec Prælati talem injuriam meruerunt, nec hanc ferre possent: nec Rex salvo suo Juramento posset hoc tolerare: essetque peccatum gravissimum spernere eos quos Deus misit: Qui vos enim spernit, me spernit, ait Dominus. Quis ergo sacrilegus Vobis, Pater Sancte, præsumet consulere quòd Vos eos spernitis, imò potiùs Jesum Christum eos mittentem?* Rex nihilominus duorum Cardinalium seu potius Summi Pontificis postulatis fecit satis. Atque ut sinceritatem suam ac religionis justitiæque studium, quo uno hac in causa ferebatur, probaret, plures Templarios ad ejus Sanctitatem tunc Pictavis agentem duci curavit. Septuaginta duos interrogavit ipse Pontifex, quos confessos reos habuit eorumdem flagitiorum, quorum jam convicti erant ab Inquisitore Gallicano. Responsiones suas in scripta redactas, sibique perlectas, coram Cardinalibus ratas habuerunt, in eisque postea constantes fuerunt; sed & Equitem illius Ordinis, domesticum familiarémque suum, sibi omnia Ordinis crimina probráque ingenuè confessum coram Cardinali *Raymundo* cognato suo, Summus Pontifex in Consistorio declaravit. Ista constant ex Diploma-

Quæstio in Templarios ab ipso Pontifice habita.

te *Clementis Quinti*, quod incipit, *Regnans in cœlis*, inscripto, *Philippo Francorum Regi Illustri*: cujus hæc sunt verba: *Dudum circa nostræ promotionis ad apicem summi Pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, ubi recepimus nostræ coronationis insignia, veniremus, & post, tam ibi quàm alibi, secreta quorumdam nobis insinuatio intimavit, quòd Magister, Præceptores, & alii Fratres Militiæ Templi, & etiam ipse Ordo, qui ad defensionem Patrimonii ipsius Domini nostri Jesu Christi fuerunt in transmarinis partibus deputati, contra ipsum Dominum in scelus apostasiæ nefandum, detestabile idololatriæ vitium, execrabile facinus Sodomorum, & hæreses varias erant lapsi. Sed quia non erat verisimile, nec credibile videbatur, quod Viri tam Religiosi, qui præcipuè pro Christi nomine suum sanguinem effundere, ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur; quique multa & magna tam in Divinis Officiis, quàm in Jejuniis & aliis observantiis devotionis signa frequentius prætendebant, sua sic essent salutis immemores, quòd talia perpetrarent: hujusmodi insinuationi ac delationi ipsorum, ejusdem Domini nostri exemplis & Canonicæ Scripturæ Doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare. Deinde verò Tu, cui eadem fuerant facinora nuntiata, non typo avaritiæ, (cùm de bonis Templariorum nihil tibi vindicare vel appropriare intendas, immo ea Nobis & Ecclesiæ per Deputandos super hoc à Nobis administranda, gubernanda, conservanda, & custodienda liberaliter & devotè in Regno tuo dimisisti, manum tuam exinde totaliter amovendo) sed Fidei Orthodoxæ fervore, tuorum Progenitorum vestigia clara sequens, accensus, de præmissis, quantum licitè potuisti te informans, ad instruendum & informandum Nos super iis, multas & magnas Informationes per tuos nuntios & literas destinasti. Infamiâ verò contra Templarios ipsos increbrescente validiùs super sceleribus ante dictis: & quia etiam quidam Miles ejusdem Ordinis magnæ nobilitatis, & qui non levis opinionis in dicto Ordine habebatur, coram nobis secretò juratus deposuit, quòd in receptione Fratrum præfati Ordinis hæc consuetudo vel veriùs corruptela servatur, quòd ad Recipientis vel ab eo Deputati suggestionem, qui recipitur, Christum Jesum negat, & super Crucem sibi ostensam spuit in vituperium Crucifixi; & quædam alia faciunt recipiens & receptus, quæ non sunt licita, nec humanæ conveniunt honestati, prout ipse tunc confessus extitit coram nobis: Urgente nos ad id officii nostri debito vitare nequivimus, quin tot & tantis clamoribus accommodaremus auditum. Sed cùm demùm famâ publicâ deferente, ac clamosa insinuatione Tui, necnon & Ducum, Comitum, & Baronum, ac aliorum Nobilium, Cleri quoque ac populi dicti Regni tui, ad nostram propter hoc tam per se, quam per Procuratores & Syndicos præsentiam venientium, quod dolenter referimus, ad nostram audientiam pervenisset, quòd Magister, Præceptores, & alii Fratres dicti Ordinis & ipse Ordo, præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti; & præmissa per multas confessiones, attestationes & depositiones præfati Magistri & plurium Præceptorum, & Fratrum Ordinis prælibati, coram multis Prælatis & Hæreticæ Pravitatis Inquisitore in Regno Franciæ factas, habitas & receptas, & in publicam scripturam redactas, Nobisque & Fratribus nostris ostensas, probari quodammodo viderentur; ac nihilominus fama & clamores prædicti in tantum invaluissent, & etiam ascendissent tam contra ipsum Ordinem, quàm contra personas singulares ejusdem, quod sine gravi scandalo præteriri non poterat, nec absque eminenti periculo tolerari: Nos illius, cujus vices, licèt immeriti, in terris gerimus, vestigiis inhærentes, ad inquirendum de prædictis ratione prævia duximus procedendum; multósque de Præceptoribus, Presbyteris, Mi-

 litibus,

& Regis Christianissimi *Philippi Pulchri* fama, communique Pontificis & Concilii Decreto firmatum, ejus Majestati, filiisve aut heredibus nullam pœnam vel detrimentum inferri, aut ullam infamiæ notam inuri posse ob gesta contra *Bonifacium*. Ita refert *S. Antoninus* loco supra laudato.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Causa Templariorum.

ARTICULUS I.

Templariorum Ordo in Concilio Viennensi justis de causis extinctus est.

I. QUin Religiosus Ordo justis de causis aboleri possit ab Ecclesia, præsertim in Concilio Oecumenico, congregata, quod est totius Christiani nominis repræsentatio, nemo negaverit. Quamobrem non immoror in probatione Propositionis illius, Quòd Summus Pontifex *Clemens V.* & Synodus Oecumenica Viennensis Templariorum Ordinem abolere potuerint: sed in hoc unum ostendendum incumbo, quòd justis de causis abrogaverint & extinxerint. Enimverò Ordo generali aspersus infamiâ ob morum corruptelam & execranda crimina tum capitum cùm membrorum, adeòque non solùm Ecclesiæ inutilis, sed perniciosus, ab eadem jure extinguitur: cùm Ordines Religiosi propter Ecclesiam instituti sint, & ab ea approbati ut bonum Christi odorem longè latéque diffunderent, ut exemplum fidelium essent, ut Christianæ Sanctitatis formam ac imaginem conversatione sua exhiberent, ut ad sanctum aliquem finem sibi propositum contendentes, utilia membra essent in Corpore Christi mystico, & illustrior portio gregis Christi. At Ordo Templariorum generali aspersus erat infamiâ ob morum corruptelam, & flagitia tum capitum tum membrorum; adeòque non solùm Ecclesiæ inutilis, sed perniciosus evaserat. Quis ergo justè proscriptum & extinctum diffitebitur?

Templariorum crimina immania.

II. Propositio minor istius syllogismi pluribus momentis, iisque gravissimis probatur. Primùm ex fœtore, & clamore criminum immanium, quibus tam Ordo quam Ordinis Professores erant irretiti: quibus excitatus est *Philippus* Rex Christianissimus, ut omnes Templarios toto Regno capi & in carcerem conjici juberet, eorúmque Judicium urgeret, ut Guillelmi Nangii Continuator ad annum millesimum trecentesimum septimum testatur. *Die*, inquit, *Veneris post Festum B. Dionysii, tertio Idus Octobris, omnes Templarii, quotquot in Regno Franciæ sunt reperti, quasi sub ejusdem horæ momento, illucescente videlicet sole vel circiter, juxta Decretum Regium ac Præceptum subitò capiuntur ac diversis carceribus mancipantur. Inter quos etiam in Domo Templi Parisius captus est & detentus totius Ordinis Magister Transmarinus. Dudum siquidem ad aures Regis pervenerat ex testimoniis plurium & relatu, quorum quidam Ordinem ipsum ante professi fuerant, quod tam Ordo quàm Ordinis Professores detestandis criminibus erant irretiti pariter & infecti, quæ, etiamsi negarent, legitimè possent probari. Primò namque (quod dictu nefas est) in Professione sua, quam ut cautò facerent, intempesta noctis silentio faciebant, ad præceptum Præceptoris, necnon Præceptorem ipsum (quod nominandum quasi turpissimum) inferiùs in posterioribus osculabantur immundè: Insuper Crucifixo conspuebant Imaginem ac etiam conculcabant: Quoddam caput* secretè cum maxima veneratione tanquam Idololatræ colebant: Quin immo Sacerdotes eorum quando celebrare debebant, verba consecrationis minimè proferebant: & licet à mulieribus abstinere voverent, concedebatur tamen eis ad invicem modo Sodomitico commisceri. Et hæc omnia de quibus vehementer habebantur suspecti, fecit Rex Dominica sequenti in..... Regalis Palatii coram Clero & populo palam & publicè proclamari: quæ etsi præ horrore quem continent & fidelium imprimunt cordibus, quasi incredibilia videantur, ipse tamen Magister totius Ordinis præfatus, apud Templum coram Magistris Universitatis præsentibus ductus, ut dicebatur, sequenti hebdomada recognovit expressè, excepto quòd dixit, Sodomiticum vitium se minimè commisisse, nec in Professione sua super Imaginem crucifixi, sed magis super terram à latere conspuisse: etiam per suas patentes literas suis Fratribus omnibus intimasse fertur, quod dictam confessionem pœnitentiâ ductus fecerat, & eos ad faciendum similiter hortabatur.*

* Supple. Idolo.

Supple. Aula.

Responsio doctrinalis Sacræ Facultatis Parisiensis ad [illegible] propos. 6.

III. Idem probatur ex Inquisitione multiplici in Templarios facta ab Ecclesiasticis Judicibus, quibus causæ istius cognitionem Rex permiserat, secundùm Judicium Doctrinale Sacræ Facultatis Parisiensis, quæ consulenti ejus Majestati responderat: Secularem Magistratum, nisi rogante Ecclesia, de crimine hæreseos, aut de causa Religiosi Ordinis, ejúsque Professorum, cognoscere non posse: Imminente tamen periculo reos capi posse ac detineri, cum proposito reddendi Ecclesiæ. Bona denique ipsorum esse servanda & eisdem usibus destinanda, quibus collata fuerant. Hoc Responsum datum est die Annuntiatæ Virgini Sacra anno M. CCCVII. & sigillis quatuordecim munitum; quod ex Regiis Scriniis laudat *Petrus Puteanus* V. Cl. in Historia Damnationis Templariorum. Ex iisdem laudat instrumenta plurima sive Acta Inquisitionum hac in causa factarum à *Guillelmo de Parisiis* Fidei per Gallias Quæsitore Generali, Ordinis FF. Prædicatorum. Hic nempe, multis coram testibus integerrimis & probatissimis, centum quadraginta Templarios ex Domo Templi Parisiensis ad examen vocatos, ac super objectis Ordini facinoribus interrogatos, confessos una voce reos habuit, 1. Abnegati, cum primùm Ordinem ingressi sunt, Jesu Christi, ter conspuitæ Imaginis crucifixi: quod flagitium si quis fortè Novitiorum execraretur, ad illud triduano carcere, vel gladii faucibus imminentis metu, aliísve tormentis adigebatur. 2. Libati in partibus pudendis osculi. 3. Concessæ à Magistro & Præceptoribus libertatis aversam & nefariam libidinem impunè exercendi. 4. Plures fassi sunt se cranium quoddam deauratum, prolixáque barba adornatum, ethnico ritu adorasse, quod solemni Ordinis more in Comitiis duntaxat Generalibus adorandum proponebatur. Auditi sunt inter cæteros Magnus Templi Magister *Jacobus Mola* Burgundus, *Guido* Delphini Viennensis frater, & *Hugo de Peraldo*, qui eadem crimina confessi sunt. Tres duntaxat ex ingenti illo numero, in quos prima habita quæstio est, Ordinem insontem esse, ac nihil inhonesti in eo se vidisse sunt contestati. Plerique magnum de criminibus dolorem præ se tulerunt, se apud Episcoporum Pœnitentiarios Exomologesim egisse nonnulli dixere, alii Romam Jubilæi tempore se profectos fuisse ut Absolutionem, & mundi Ordinis facultatem à Summo Pontifice impetrarent. Undecim supra centum Templarios Trecis interrogavit idem Inquisitor coram Viris duobus Nobilissimis Campaniæ; qui Se, Ordinémque,

Acta Inquisitionis in Templarios.

nemque, eorumdem criminum reos esse, sponte sunt confessi, uno tantum adorati sceleris excepto. Eadem scelera, habita de Templariis Quæstione Bajocis & Cadomi in Normannia, quinque testimoniis probata habuit. Ad hæc, Viri Religiosi ab eodem Inquisitore Delegati, tredecim Templarios Cadomi interrogarunt, præsentibus *Hugone de Castello*, & *Ingerranno de Villeriis* Equitibus à Rege Deputatis: quibus cùm promissa esset ab Inquisitoris Commissariis Ecclesiæ misericordia, & à Regiis Duûmviris temporalis pœnæ condonatio; eadem crimina, quæ priores, confessi sunt Ordini afflicta non esse, sed eis esse verè infectum, ac fœditatem internam corruptelámque publicæ infamiæ respondere. Decem insuper Templarii ad Pontem Arcuensem à *Petro de Hangest* Rothomagensi Prætore, aliísque Nobilibus Viris, Auctoritate Regia in Quæstionem vocati, eadem crimina confessi sunt. De septem prætere Templariis Carcassonæ habita Quæstio, ex quibus *Joannes de Cassanhas* Præceptor Domus de Noggarda prope Appamias, propudiosæ Professionis ritum, abnegationem Christi, conspuitationem Crucifixi, datam nefariæ commixtionis licentiam, aliaque flagitia confessione sua prodidit. In eorumdem confessione criminum concordes fuere quadraginta quinque Templarii, in quos *Odoardus de Molendinis*, Commissarius à Rege deputatus Bellicadri ac in locis finitimis, manus injecit, & Quæstionem habuit, ut refert *Nostradamus* in Historia Provinciæ, pag. 324. Inquisitionum verò singularum de quibus mox diximus, Instrumenta seu Acta authentica in Regio Chartulario servantur, in arculis & sub numeris à Clarissimo *Puteaneo*, qui illa diligenter evolvit, designatis.

Templariorum causam ad Sedem Apostolicam evocat Clemens V.

IV. *Clemens Quintus* Pontifex Maximus gravissimè tulit quòd Rex Templarios detineret, ac in eos Quæstionem haberi jussisset. Majestatem ejus hortatus est ut accusatorum personas ac bona duobus S. R. E. Cardinalibus, scilicet *Berengario* Titulo SS. Martyrum Nerei & Achillei, & *Stephano* Titulo S. Cyriaci in Thermis, dimitteret. Præsulum etiam & Inquisitorum Gallicanorum Autoritate suspensâ, causæ cognitionem ad Sedem Apostolicam evocavit. Pontificia Diplomata ex Regio Chartulario laudat *Puteanus*. Hæc Summi Pontificis agendi ratio Regem vehementer commovit, qui gravissimis animosisque literis apud ejus Sanctitatem de injuriâ Episcopali Auctoritati illata conquestus est.

Verba notatu digna de Episcopali Autoritate.

Gravis, inquit, *fieret injuria, si sine justâ causâ Ministerium à Deo sibi traditum, & defensionis fidei meritum auferretur Episcopis: nec Prælati talem injuriam meruerunt, nec hanc ferre possent: nec Rex salvo suo Juramento posset hoc tolerare: essétque peccatum gravissimum spernere eos quos Deus misit: Qui vos enim spernit, me spernit, ait Dominus. Quis ergo sacrilegus Vobis, Pater Sancte, præsumet consulere quòd Vos eos spernitis, imò potiùs Jesum Christum eos mittentem?* Rex nihilominus duorum Cardinalium seu potius Summi Pontificis postulatis fecit satis. Atque ut sinceritatem suam ac religionis justitiæque studium, quo uno hac in causa ferebatur, probaret, plures Templarios ad ejus Sanctitatem tunc Pictavis agentem duci curavit. Septuaginta duos interrogavit ipse Pontifex, quos confessos reos habuit eorumdem flagitiorum, quorum jam convicti erant ab Inquisitore Gallicano. Responsiones suas in scripta redactas, sibique perlectas, coram Cardinalibus ratas habuerunt, in eísque postea constantes fuerunt; sed & Equitem illius Ordinis, domesticum familiarémque suum, sibi omnia Ordinis crimina probráque ingenuè confessum coram Cardinali *Raymundo* cognato suo, Summus Pontifex in Consistorio declaravit. Ista constant ex Diplomate *Clementis Quinti*, quod incipit, *Regnans in cælis*:

Quæstio in Templarios ab ipso Pontifice habita.

inscripto, *Philippo Francorum Regi Illustri*: cujus hæc sunt verba: *Dudum circa nostræ promotionis ad apicem summi Pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, ubi recepimus nostræ coronationis insignia, veniremus, & post, tam ibi quàm alibi, secreta quorumdam nobis insinuatio intimavit, quòd Magister, Præceptores, & alii Fratres Militiæ Templi, & etiam ipse Ordo, qui ad defensionem Patrimonii ipsius Domini nostri Jesu Christi fuerant in transmarinis partibus deputati, contra ipsum Dominum in scelus apostasiæ nefandum, detestabile idololatriæ vitium, execrabile facinus Sodomorum, & hæreses varias erant lapsi. Sed quia non erat verisimile, nec credibile videbatur, quod Viri tam Religiosi, qui præcipuè pro Christi nomine suum sanguinem effundere, ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur; quique multa & magna tam in Divinis Officiis, quàm in Jejuniis & aliis observantiis devotionis signa frequentius prætendebant, sic essent salutis immemores, quòd talia perpetrarent: hujusmodi insinuationi ac delationi ipsorum, ejusdem Domini nostri exemplis & Canonicæ Scripturæ Doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare. Deinde verò Tu, cui eadem fuerant facinora nuntiata, non typo avaritiæ, (cùm de bonis Templariorum nihil tibi vindicare vel appropriare intendas, immò ea Nobis & Ecclesiæ per Deputandos super hoc à Nobis administranda, gubernanda, conservanda, & custodienda liberaliter & devotè in Regno tuo dimisisti, manum tuam exinde totaliter amovendo) sed Fidei Orthodoxæ fervore, tuorum Progenitorum vestigia clara sequens, accensus, de præmissis, quantum licitè potuisti te informans, ad instruendum & informandum Nos super iis, multas & magnas Informationes per tuos nuntios & literas destinasti. Infamiâ verò contra Templarios ipsos increbrescente validiùs super sceleribus ante dictis; & quia etiam quidam Miles ejusdem Ordinis magnæ nobilitatis, & qui non levis opinionis in dicto Ordine habebatur, coram nobis secretò juratus deposuit, quòd in receptione Fratrum præfati Ordinis hæc consuetudo vel veriùs corruptela servatur, quòd ad Recipientis vel ab eo Deputati suggestionem, qui recipitur, Christum Jesum negat, & super Crucem sibi ostensam spuit in vituperium Crucifixi, & quædam alia faciunt recipiens & receptus, quæ non sunt licita, nec humanæ conveniunt honestati, prout ipse tunc confessus extitit coram nobis: Urgente nos ad id officii nostri debito vitare nequivimus, quin tot & tantis clamoribus accommodaremus auditum. Sed cùm demum famâ publicâ deferente, ac clamosa insinuatione Tui, necnon & Ducum, Comitum, & Baronum, ac aliorum Nobilium, Cleri quoque ac populi dicti Regni tui, ad nostram propter hoc tam per se, quam per Procuratores & Syndicos præsentiam venientium, quod dolenter referimus, ad nostram audientiam pervenisset, quòd Magister, Præceptores, & alii Fratres dicti Ordinis & ipse Ordo, præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti; & præmissa per multas confessiones, attestationes & depositiones præfati Magistri & plurium Præceptorum, & Fratrum Ordinis prælibati, coram multis Prælatis & Hæreticæ Pravitatis Inquisitore in Regno Franciæ factas, habitas & receptas, & in publicam scripturam redactas, Nobisque & Fratribus nostris ostensas, probari quodammodo viderentur; ac nihilominus fama & clamores prædicti in tantum invaluissent, & etiam ascendissent tam contra ipsum Ordinem, quàm contra personas singulares ejusdem, quod sine gravi scandalo præteriri non poterat, nec absque eminenti periculo tolerari: Nos illius, cujus vices, licèt immeriti, in terris gerimus, vestigiis inhærentes, ad inquirendum de prædictis ratione prævia duximus procedendum, multósque de Præceptoribus, Presbyteris, Mi-

 litibus,

litibus, & aliis Fratribus dicti Ordinis, reputationis non modica, in nostra præsentia constitutos, præstito juramento quod super præmissis meram & plenam nobis dicerent veritatem, super prædictis interrogavimus & examinavimus usque ad numerum septuaginta duorum, multis ex Fratribus nostris nobis assistentibus diligenter; eorúmque confessiones per publicas manus in authenticam scripturam redactas, illico in nostra & dictorum Fratrum nostrorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio, in Consistorio legi fecimus coram ipsis, & illas in suo vulgari cuilibet eorum exponi, qui perseverantes in eis, eas expressè & sponte, prout recitata fuerant, approbarunt.

Inquisitio selectorum Cardinalium in Templarios.

V. Cùm *Berengarius* Tituli SS. Martyrum Nerei & Achillei, *Stephanus* S. Cyriaci in Thermis, & *Landulphus* Sancti Angeli, Cardinales, Auctoritate Apostolica ad inquirendum in totum Templariorum Ordinem ac singulares personas deputati, Magistrum & Præceptores Franciæ, Terræ Ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ, convenissent, eorumdem criminum confessionem ab ipsis elicuerunt, & ratihabitionem eorum omnium quæ deposuerant coram Inquisitore Generali. Id ex laudato Clementis Quinti Diplomate compertum est. *Cum Magistro*, inquit, *& præcipuis Præceptoribus præfati Ordinis intendentes super præmissis inquirere per Nos ipsos, ipsum Magistrum, & Franciæ, Terræ Ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, & Pictaviæ Præceptores Majores, Nobis tunc Pictavis existentibus mandavimus præsentari. Sed quoniam quidam ex eis sic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad nostram præsentiam quoquo modo adduci: Nos cum eis scire volentes de præmissis omnibus veritatem, & an vera essent quæ continebantur in eorum confessionibus & depositionibus, quas coram Inquisitore Pravitatis Hæreticæ in Regno tuo præfato, præsentibus quibusdam Notariis publicis, & multis aliis bonis viris dicebantur fecisse, Nobis & Fratribus nostris per ipsum Inquisitorem sub manibus publicis exhibitis & ostensis: Dilectis filiis nostris Berengario Tituli Sanctorum Nerei & Achillei, & Stephano Tituli S. Cyriaci in Thermis, Presbyteris, ac Landulpho Sancti Angeli Diacono, Cardinalibus, de quorum prudentia, experientia, & fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commisimus & commendavimus ut ipsi cum Præfatis Magistro & Præceptoribus inquirerent, tam contra ipsos & alias singulares personas dicti Ordinis generaliter, quàm contra ipsum Ordinem, super præmissis cum diligentia veritatem, & quicquid super his invenirent, nobis referre, ac eorum confessiones per manum publicam in scriptis redactas, nostro Apostolatui referre ac præsentare curarent; eisdem Magistro & Præceptoribus Absolutionis beneficium à Sententia Excommunicationis, quam pro præmissis, si vera essent, incurrerant, si Absolutionem humiliter ac devotè peterent, ut deberent, juxta formam Ecclesiæ impensuri. Qui Cardinales ad ipsos Magistrum & Præceptores personaliter accedentes, eis sui adventûs causam exposuerunt. Et quoniam tam personæ quàm res ipsorum, & aliorum Templariorum in dicto Regno tuo consistentium, in manibus nostris erant: quòd liberè absque metu cujusquam plenè ac purè super præmissis omnibus, ipsis Cardinalibus dicerent veritatem, eis Auctoritate Apostolica injunxerunt. Qui Magister & Præceptores Franciæ, Terræ Ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ ac Pictaviæ, coram ipsis tribus Cardinalibus, præsentibus quatuor Tabellionibus publicis, & multis aliis bonis viris, ad Sancta Dei Evangelia ab eis corporaliter tacta præstito juramento, quod super præmissis omnibus meram & plenam dicerent veritatem; coram ipsis singulariter, liberè, ac sponte, absque coactione qualibet & timore, deposuerunt & confessi fuerunt inter cætera Christi abnegationem, & spuitionem super Crucem, cùm in Ordine Templi recepti fuerunt; & quidam ex eis se sub eadem forma, scilicet cum abnegatione Christi & spuitione super Crucem, Fratres multos recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia & inhonesta confessi, quæ, ut eorum ad præsens parcamus verecundiæ, subticemus. Dixerunt præterea & confessi fuerunt esse vera, quæ in eorum confessionibus & depositionibus continentur, quas dudum fecerunt coram Inquisitore Hæreticæ Pravitatis: Quæ confessiones & depositiones dictorum Magistri & Præceptorum, in scripturam publicam per quatuor publicos Tabelliones redacta, in ipsorum Magistri & Præceptorum, & quorumdam aliorum bonorum virorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio, coram ipsis, eisdem lecta fuerunt de mandato & in præsentia Cardinalium prædictorum, & in suo vulgari exposita cuilibet eorumdem. Qui perseverantes in illis, eas expressè ac sponte, prout recitata fuerant, approbarunt. Et post confessiones & depositiones hujusmodi, ab ipsis Cardinalibus, ab Excommunicatione, quam pro præmissis incurrerant, Absolutionem flexis genibus, manibúsque complicatis humiliter & devotè ac cum lachrymarum effusione non modica petierunt. Ipsi verò Cardinales, quia Ecclesia non claudit gremium redeunti, ab eisdem Magistro & Præceptoribus hæresi abjurata, expressè ipsis, secundum formam Ecclesiæ, Auctoritate nostra Absolutionis Beneficium impenderunt; ac deinde ad nostram præsentiam redeuntes, confessiones & depositiones in scripturam publicam per manus publicas redactas nobis præsentaverunt, & quæ cum dictis Magistro & Præceptoribus fecerant, retulerunt. Ex quibus confessionibus & depositionibus, ac relatione, invenimus sæpe fatos Magistrum & Fratres, in præmissis & circa præmissa, licet quosdam ex eis in pluribus, & alios in paucioribus, graviter deliquisse.*

Variæ in Templarios inquisitiones à Clemente V. decretæ.

VI. Varias præterea Inquisitiones in Templarios decrevit *Clemens Quintus*. Potestatem inquirendi in Provincia Senonensi commisit Archiepiscopo Narbonensi, ac Bajocensi, Mimatensi, & Lemovicensi Episcopis, *Mathæo de Napoli* Archidiacono Rothomagensi, *Joanni de Mantua* Archidiacono Tridentino, *Joanni de Montelauro* Archidiacono Magalonensi, & *Guillelmo Agarin* Præposito Aquensi: qui habitâ Quæstione secundùm Articulos à Summo Pontifice transmissos, Ordinem & Ordinis Professores longè plurimos reos esse compertum habuerunt ac probatum.

Concilium Parisiense in causa Templariorum.

Anno millesimo trecentesimo-decimo, Concilium ejusdem Provinciæ Senonensis, in causa Templariorum, à *Philippo* Archiepiscopo, mense Octobri, Parisiis celebratum est: in quo *Templariorum singularium factis, & ea tangentibus diligenter inspectis, pensatisque eorum demeritis, qualitate, necnon circumstantiis cum multiplici veritate; ut secundùm mensuram delicti esset & plagarum modus, juxta Consilium tam in Jure Divino quàm Canonico Peritorum, Sacro approbante Concilio adjudicatum est, ac etiam diffinitum, quosdam ex ipsis ab Ordine simpliciter absolvi. Quosdam verò post peractam eis injunctam pœnitentiam liberos & illæsos abire permitti, alios autem sub arcta carceris custodia detineri, aliósque quamplures inclusione muri perpetuò circumcingi; sed eorum nonnullos tanquam relapsos in hæresim, tradi Curiæ Seculari.* Ita refert Continuator *Guillelmi Nangii* ad annum MCCCX. Remensis quoque Provinciæ Concilium Silvanecti celebratum in Templariorum causâ: novem criminum convictos, & seculari Magistratui relictos, flagitia flammis luisse, idem Autor testatur.

Concilium Silvanectense.

Concilium Ravennatense.

VII. Archiepiscopus Ravennas, coacto suæ Provinciæ

Provinciæ Concilio, Auctoritate Apostolica Templarios in Quæstionem vocavit, eósque interrogavit de capitibus a Summo Pontifice præscriptis, quorum se reos esse constanter negarunt septem Equites. Verùm non propterea purgatus est Ordo, in quo magnam grassari corruptelam palam fuit. Unde communi Patrum Sententia decretum est, *Innocentes absolvi, nocentes ex lege puniendos. Intelligi innocentes debere, qui metu tormentorum confessi fuissent, si deinde eam confessionem revocassent; aut revocare hujusmodi tormentorum metu, ne inferrentur nova, non fuissent ausi: dum tamen id constaret. De Ordine ejusque bonis consensere omnes, servanda innocentibus ea fore, si innocentes major pars Ordinis essent, & nocentes abjuratâ hæresi meritas sceleris pœnas in Ordine dedissent.* Ita refert *Rubeus* libro sexto Historiæ Ravennatis ad annum MCCCX.

Florentini & Pisani Archiepiscopi inquisitio in Templarios.

VIII. Archiepiscopi Florentinus & Pisanus Inquisitione facta per Longobardiam & Tusciam universam, horrendorum scelerum Templarios convicerunt, scilicet blasphemiæ in Deum, Christum, Deiparam; conculcationis & conspuitationis Crucifixi; idololatriæ; omissionis verborum Consecrationis à Sacerdotibus Ordinis in Missæ Sacrificio; propudiosorum osculorum, & aversæ libidinis, quâ promiscuè sese inquinabant, &c. ut constat ex Autographo capitum istius Inquisitionis à dictis Præsulibus Sedis Apostolicæ Commissariis ad *Clementem V.* misso, quod ex MS. Vaticanæ Bibliothecæ descripsit *Bzovius* ad annum millesimum trecentesimum octavum, Num. III.

** Eduardi II.*

IX. Anno MCCCVIII. *Capti sunt omnes Templarii per totam Angliam præcepto Regis, * uno die, propter plurima inhonesta & enormia fidei Catholicæ inimica, super eisdem prius per universum orbem ou[illegible] reperta & probata, & in diversis Regni Castellis incarcerantur.* Ita *Walsinghamus* in Historia Angliæ pag. 96. & in Ypodigmate Neustriæ, pag. 500. *Clemens V.* inquirendi contra singulares personas Templariorum in Anglia, & ferendi in eos Sententiam absolutionis vel damnationis super capitibus ab Apostolica Sede transmissis, munus demandavit Patriarchæ Hierosolymitano, Archiepiscopo Eboracensi, Lincolniensi, Cicestrensi & Aurelianensi Episcopis, & Abbatibus Latiniaco & S. Germani de Pratis Diœcesis Parisiensis, Richardo de Vauro Canonico Narbonensi, & Guidoni de Vichio Rectori Ecclesiæ de Hoshe Londoniensis Diœcesis. Anno millesimo trecentesimo nono *Robertus de Winchelse* Cantuariensis Archiepiscopus cum Suffraganeis suis Provinciale Concilium Londini celebravit, in quo de Templariis habita Quæstio, juxta Mandata *Clementis V.* Diploma in quod incipit, *Faciens misericordiam*, contenta. Hujus Concilii exitum nulla monumenta docent. Convictos esse criminum verisimile est ex his quæ scribit *Walsinghamus*.

Quæstio in Templarios in Anglia.

In Aragonia.

X. In Aragonia Templarii omnes à *Jacobo II.* Rege in custodiam tradi jussi. Quæstio in eos habita ab Inquisitore Generali, necnon ab Episcopis Cæsaraugustano & Valentino, Apostolica Regiaque Auctoritate. Templariorum adversùs Ecclesiasticos Judices contumacia, perduellio in Regem, secessus in Arces quas tenebant munitissimas, confugium ad arma, ipsos criminum putos non esse confirmarunt. Sed *Zuritam* audire præstat in Rerum Aragonensium Indicibus ad annum MCCCVII. XVIs. *Kalendas Novembris Nuntii à Francorum Rege in omnes Christianorum Principum regiones deferuntur, expostulantes, uti in sua quisque Ditione, fidei Catholicæ asserenda causam, adversus eos qui Templi Hierosolymitani Sacris addicti erunt, suscipiat. Regi ea res nota testatáque fit, cùm Valentiæ in Arce Regia degeret. III. Nonas Decembris Rex capi omnes ejus Sectæ homines, bonáque con[illegible] imperat. Joannes Lotgerius, ex Prædicatorum Instituto, de Fide Catholica Judex & Generalis in Aragoniæ Regno Quæsitor ab Apostolica Sede constitutus, summa in Jure dicendo severitate usus, studiosos & fautores reorum coercet. Bona eorum pars in munitissimas Carthaginis veteris Ilergaonum oppidi, Montionis, Miraveti, Villeli, atque Alfambra Arces confugiunt: quibus facile repugnari atque obsisti posse sperant; ne indictâ causa in se animadverteretur. Eodem in Castellum, cum spes reliqua non esset, utuntur perfugio. Rex eos vi oppugnari imperat... Clemens Pontifex Maximus decernit, uti Valentinus Episcopus Regius Cancellarius de Templariis omnibus, qui inter reos relati erant, causâ cognitâ statuat.* Legatur idem Auctor lib. V. Annalium Cap. LXXIII.

In Castella.

XI. In Castella etiam, ubi *Ferdinandus* regnabat, ex Edicto Pontificio Quæstionem de Templariis habuerunt Compostellanus & Toletanus Archipræsules, cum *Aymerico* Inquisitore ex Prædicatorio Ordine, ut *Mariana* refert libro XV. de Rebus Hispaniæ, Cap. X.

Viennensis Concilii in Templarios sententia.

XII. Harum omnium Inquisitionum Acta in Concilio Oecumenico Viennensi examinata. Rogata suffragia Patrum. Circa modum procedendi variæ fuerunt sententiæ. Quibusdam videbatur servandos esse Juris apices, extrahendam causam, dandum Ordini defensionis locum: Aliis absque mora Ordinem tot turpitudinum maculis infamem, & duorum millium testium depositionibus gravatum & convictum, qui sine totius Ecclesiæ scandalo stare diutius non poterat, abolendum. Ea obtinuit sententia. Et quoniam totus Ordo in Jus vocatus & auditus non fuerat: (Qui enim defensionem Ordinis susceperunt Parisiis coram Apostolicis Commissariis, *P. de Bononia*, *Humbertus de Sancto Petro*, & alii, Procuratione legitimâ non erant instructi, & se Procuratores instituere non posse nec debere, nec velle absque præscientia, consilio, & assensu Magistri & Conventûs, responderunt, ut constat ex Actis à Notariis publicis exceptis, & à *P. Puteano* editis pag. 142. & sequentibus.) Et quia in quibusdam Provinciis absolutus à Synodis Ordo fuerat, visum est Viennensis Concilii Patribus, & Summo Pontifici, definitivâ Sententiâ Ordinem aboleri non posse, sed per viam Provisionis, & Ordinationis Apostolicæ. Præsulis inter cæteros religione & scientia conspicui, quem *Durandum* Mimatensem Episcopum fuisse quidam conjiciunt, suffragium ex MS. Vaticano *Bzovius* noster & *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXI. exhibent, cujus hæc fuere verba: *Quantùm ad negotium Templariorum & Ordinis Templi attinet; Ecclesia Dei & toti Fidei Christianæ mirabiliter expediret, quòd idem Dominus noster, sive de rigore Juris, sive de plenitudine Potestatis, istum Ordinem diffamatissimum, qui, ut ita dicamus, odorem nominis Christiani, quantum in se fuit, apud incredulos & infideles fœtere jam fecit, & nonnullos fideles in stabilitate fidei titubare, sine tarditate aliqua, rejectis frivolis & calumniosis allegationibus super defensione tollenda, ex Officio suo omnino tolleret, bonis ejus Ordinis dispositioni Sedis Apostolicæ reservatis. Et sine tarditate dico, etiamsi in prima sua institutione fuerit bonus Ordo; cùm dicatur LXIII. Dist. Cap.* Verum: *Quòd si nonnulli ex Prædecessoribus nostris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa, & postea vertuntur in errorem & superstitionem (sicut de dicto Ordine apparet) sine tarditate aliqua, & ejus magna auctoritate à posteris destruantur, sicut tum ibi quum IV. Regum XVIII. de Ezechia legitur, quòd confregit æneum Serpentem, quem Moyses Domino jubente construxit.*

xii. *Et iterum bene dico sine tarditate, ne ex tarditate morosa scintilla hujus erroris prorumpat in flammam, quæ posset incendere totum orbem, & Fidem Catholicam non modicùm denigrare: ut accidat quod dicit Hieronymus, quòd Arius una scintilla fuit in Alexandria, sed quia statim oppressus non extitit, flamma ejus totum orbem populata est.* (xxiv. Q. iii. Secunda.) *Nec multum movere debet Dominum nostrum, quod dicunt aliqui, Prædictum Ordinem qui Ecclesiæ videtur esse membrum eam nobile, non debere sine Juris ordine & plena discussione truncari: cùm salvâ pace dicentium, & propter grave scandalum quod in Ecclesia Dei ex hoc Ordine jam est ortum, & semper ubique terrarum ex morosa dilatione crebrescit, non videtur tanta discussio requirenda, Veritate dicente,* (Matthæi vi. & etiam xviii.) *Si oculus tuus dexter, vel brachium dextrum scandalizant te, erue eos & projice abs te: expedit enim ut unum membrorum tuorum pereat, quàm totum corpus, &c. Item etiam expedit dictum Ordinem tolli alia ratione, videlicet ne eo remanente, semper indigna facti memoria refricetur. Unde super illud Levitici xx. Mulier quæ accesserit ad omne pecus, mulierem interficietis, & pecus morte moriatur: dicit Augustinus: Inde credendum est pecora jussa interfici, non quia peccaverint, cùm sint irrationalia, sed quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam: & est decretum xv. Quæst. i. Cap. Mulier.*

Concilii porro Viennensis Sententia, quæ incipit his verbis, *Ad providam*, sic habet: *Dudum siquidem Ordinem Domûs Militiæ Templi Hierosolymitani, propter Magistrum & Fratres cæterásque personas dicti Ordinis in quibuslibet mundi partibus consistentes, variis & diversis non tam nefandis quàm infandis errorum & scelerum obscœnitatibus, pravitatibus, maculis & labe respersos, quæ propter tristem & spurcidam eorum memoriam præsentibus subticemus; ejúsque Ordinis statum, habitum, atque nomen, non sine cordis amaritudine & dolore, Sacro approbante Concilio: non per modum diffinitivæ Sententiæ; cùm eam super hoc, secundum Inquisitiones & Processus super his habitos, ferre non possemus de Jure: sed per viam Provisionis seu Ordinationis Apostolicæ, irrefragabili & perpetuò valiturâ sustulimus Sanctione. Ipsum prohibitioni perpetuæ supponentes: districtius inhibendo ne quis dictum Ordinem intrare, vel ejus habitum suscipere vel portare, aut pro Templario se gerere præsumeret: Quòd si quis contra faceret, Excommunicationis Sententiam incurreret ipso facto. Universa etiam bona Ordinis prælibati, Apostolicæ Sedis ordinationi & dispositioni Auctoritate Apostolica duximus reservanda.* Ea demum Equitibus S. Joannis Hierosolymitani attributa sunt; ut in eadem Sententia habetur. *Eodem Sacro approbante Concilio, ipsam Domum Militiæ Templi, cæterásque Domos, Ecclesias, Capellas, Oratoria, civitates, castra, villas, terras, grangias, & loca, possessiones, Jurisdictiones, redditus, atque jura, omniáque alia bona immobilia & mobilia, vel se moventia, cum omnibus membris, juribus, & pertinentiis suis, ultra & citra Mare, ac in universis & quibuslibet mundi partibus consistentia, quæ ipse Ordo, & dicti Magister & Fratres ipsius Ordinis Militiæ Templi, tempore quo ipse Magister, & nonnulli ex eisdem Fratribus Militiæ Templi, in Regno Franciæ communiter capti fuerunt, videlicet anno Domini millesimo trecentesimo octavo, mense Octobri, per se vel quoscunque alios habebant, tenebant, & possidebant, vel ad eosdem Domum & Ordinem Militiæ Templi quomodolibet pertinebant; necnon nomina, actiones & jura, quæ prædicto tempore captionis ipsorum, eisdem Domui, Ordini & Personis quomodocunque competebant, vel competere poterant, contra quoscunque cujuscunque dignitatis, status vel conditionis existerent, cum omnibus Privilegiis, Indulgentiis, Immunitatibus, & Libertatibus, quibus præfati Magister & Fratres, & ipsa Domus & Ordo per Sedem Apostolicam vel per Catholicos Imperatores, Reges, & Principes, & Fideles alios, vel quocunque alio modo erant legitimè communiti, eidem Ordini Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, & ipsi Hospitali donamus, concedimus, unimus, incorporamus, applicamus & annectimus in perpetuum, de Apostolicæ plenitudine Potestatis: Exceptis bonis quondam dicti Ordinis Militiæ Templi, consistentibus in Regnis & terris charissimorum in Christo filiorum nostrorum Castellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, & Majoricarum Regum Illustrium extra Regnum Franciæ, quæ à donatione, concessione, unione, applicatione, incorporatione, & annexione prædictis specialiter excipienda duximus, & etiam excludenda: Ea nihilominus dispositioni & ordinationi Sedis Apostolicæ reservantes.*

Templariorum Ordo per viam provisionis extinctus & abrogatus.

Templariorum bona Ordini Equitum S. Joannis Hierosolymitani attributa.

XIII. Verba illa Sententiæ in Templarios latæ, *Non per modum Diffinitivæ Sententiæ, cùm eam super hoc secundum Inquisitiones & Processus super hoc habitos ferre non possemus de Jure;* eo quem exposuimus sensu intelligenda observarunt Auctores duo non incelebres, Walsinghamus, & Guillelmi Nangii Continuator. Ille quidem in Historia Anglicana ad annum MCCCXI. pag. 99. ita scribit: *Cùm in Concilio Viennensi tractaretur, an propter vocationem singularum personarum Ordinis Templariorum, vel propter Acta contra eosdem, posset totus Ordo damnari propter singularium delinquentium vocationes, cùm constaret quod dictus Ordo non fuerat vocatus: definitum fuit per dictum Concilium, quod non de Jure. Ideo Papa Clemens in Bulla sua condemnatoria Ordinis adjecit hanc clausulam: Quanquam de Jure non possumus, tamen ad plenitudinem Potestatis dictum Ordinem reprobamus.* Hic verò ad annum MCCCXII. hæc habet: *Papa assumpto Themate:* Non resurgent impii in Judicio, neque peccatores in Concilio Justorum; *& per modum Prædicationis ad Templarios applicato: Ordinem Templi, non per modum Diffinitivæ Sententiæ, cùm Ordo ut Ordo non esset adhuc convictus, sed per modum Provisionis & Ordinationis tantùm: Tamen quia modus recipiendi, quem nec ante voluerant detegere, fuerat ab antiquo suspectus, & per infinitos Fratres Ordinis & Majores hoc fuerat prolatum; Auctoritate Apostolica, Sacro approbante Concilio, delevit & amovit, & tam ipsius nomen quàm habitum penitus annullavit, tum quia de cætero esset inutilis Ordo, cùm nullus bonus vellet deinceps ipsum intrare; tum propter alia mala removenda, & scandala evitanda.*

XIV. Pro defensione Templariorum objicitur primò, Accusationem Ordinis à duobus viris perditissimis ejusdem Militiæ factam, qui vindice Deo miserè postmodum perierunt. Rem ita referunt *Joannes Villani*, libro viii. Cap. xcii. & *S. Antoninus* iii. P. Chronici Tit. xxi. Cap. i. Quidam Templarius Prior Montisfalconis in agro Tolosano, ob pessimam vitam & hæresim Parisiis à Magistro Templi perpetuo carceri addictus, Socium captivitatis nactus est *Noffum* patria Florentinum, qui ob crimina in carcerem à Prætore Parisiensi conjectus fuerat. Hi de salute & libertate soliciti, Ministris Regiis Templariorum facinora seu vera seu ficta significarunt. Illi ad Regem; Rex ad Pontificem, negotium retulere. Secundùm hæc, Templarii toto Regno capti, Inquisitiones factæ, Ordo Concilii ac Summi Pontificis Sententia abrogatus. Cùm itaque *Non firmetur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit;* ut habet Regula Juris

Argumentum pro Templariorum defensione.

Argumentum primum.

in Sexto, accusationis Ordinis Templariorum à viris proscriptis, & in Ordinis ejusdem Moderatores malè affectu factæ, nulla prorsus ratio babenda fuit, utpotè quos ab accusatione, & testimonio ferendo Jura repellebant.

Addunt, Regem perniciem Templariorum & Ordinis abolitionem propterea molitum, quòd in tumultu ac seditione populari, commotæ plebis propensum in ejus partes animum probassent, ac ejus Majestati liberiùs fuissent obloсuti.

Responsio.

XV. Respondetur, Non ab illis duntaxat ganeonibus detecta esse Templariorum flagitia, sed à viris minimè suspectis, præsertim ab Equite istius Ordinis Summi Pontificis familiari & Domestico, ut observat *Mariana* lib. XV. Historiæ Hispanicæ Cap. XV. *Primi Judices*, inquit, *duo ex eodem Ordine extitere, Prior Montis Falconis in agro Tolosano. Noffus civis Florentinus, auctores haud satis idonei, ut testimonio multorum vulgatum. Accessere alii. In his ipsius Pontificis Cubicularius, qui undecimo ætatis anno ad eum Ordinem adjunctus, visa factáque referebat.*

Respondetur secundò, Famam publicam sufficiens præbuisse fundamentum inqoireodi in singulares Templariorum personas, & in Ordinem universum. Ea namque est sceleris natura, ut se ipsum prodat, & clamorem edat sui indicem, juxta illud: *Clamor Sodomorum & Gomorrhaeorum venit ad me.* Et *Infamia publica habet locum accusatoris*, ut docet *S. Thomas* Secunda Secundæ Quæst. LXVII. Art. III. in Responsione ad secundum. Porro fama publica detulit facinora Templariorum ad Regias & Pontificias aures. Firmata deinde est suspicio gravis contra illos præconcepta ex depositione Prioris Montisfalconis & Noffi, ita ut satis vehemens esset ad præbendam ansam Inquisitionibus in Ordinem ejúsque Professores faciendis. Nec refert quinam primi fuerint Templariorum accusatores aut delatores, modò crimina ipsis objecta legitimis documentis & testimoniis probata fuerint. Ipsorum enim furciferorum accusationibus & depositionibus nituntur quotidie Magistratus in Rerum Capitalium Foro, & justè quidem, ut carcerem & vincula in criminum autores vel complices decernant.

Incredibile porro est, nec ab ullo ominis alicujus Autore, etiam ex iis quorum iniquior fuit in Philippum Regem calamus, memoriæ proditum, ipsum vindictæ impetu in Templarios sævisse, & ob temeratias privatorum quorumdam in regimen suum obmurmurationes de Ordinis abolitione cogitasse: sed hoc negotium suscepit, *Non ut Accusator, non ut Denuntiator, vel partialis Promotor, sed ut Dei Minister, Pugil Fidei Catholicæ, legis divinæ Zelator, ad defensionem Ecclesiæ juxta traditiones Sanctorum Patrum, de qua tenetur Deo reddere rationem.* Id constat ex Regis Protestatione ipsius literis ad Summum Pontificem inserta, quas ex Scrinis Regiis laudat *Petrus Puteanus* Vir Clarissimus. Et ipse Pontifex in Diplomate, *Regnans in cælis*, idem testatur ac declarat. *Fidei Orthodoxæ fervore*, inquit, *suorum Progenitorum vestigia clara sequens, accensus, de præmissis, quantùm licitè potuisti, te informans, ad instruendum & informandum Nos super iis, multas & magnas nobis Informationes per tuos nuntios & literas destinasti.*

Argumentū Secundum,

XVI. Objicitur secundò: Confessionem tot ac tam horrendorum criminum, vel metu, vel promissis, vel tormentis, fuisse à Templariis extortam: & Summum Ordinis Magistrum *Jacobum Mola*, plurimósque alios, qui Parisiis flammis addicti sunt, editam antea criminum confessionem revocasse, ac seipsos, Ordinémque, criminum objectorum puros & insontes palam contestatos esse. Quod *Guillelmi Nangii* Continuator coævus ad annum MCCCVII. etiam testatur. *Factum est* (inquit) *quòd eorum nonnulli sponte quadam præmissorum vel omnia etiam lacrymabiliter sunt confessi, alii quidem, ut videbatur, pœnitentiâ ducti, alii autem diversis tormentis quæstionati, seu comminatione vel eorum aspectu perterriti, alii blandis tracti promissionibus & illecti, alii arctâ carceris inediâ cruciati, vel coacti, multipliciterque compulsi; multi tamen penitus omnia negaverunt; & plures qui confessi primò fuerunt, ad negationem postea reversi sunt, in ea finaliter persistentes, quorum nonnulli inter ipsa supplicia perierunt.*

Idem ad annum MCCCX. *Tunc*, inquit, *quinquaginta novem Templarii forat civitatem Parisius, in campis videlicet ab Abbatia Monialium, quæ dicitur S. Antonii, non longè distantibus, incendio fuerunt extincti; qui tamen omnes, nullo excepto, nil omnino finaliter de impositis sibi criminibus cognoverunt, sed constanter & perseveranter in abnegatione communi perstiterunt, dicentes semper, Sine causa morti se traditos & injustè: Quod quidem multi de populo non absque multa admiratione stuporéque vehementi conspicere nullatenus potuerunt.*

Item ad annum MCCCXIII. Transmarinum Ordinis Magistrum, & Normanniæ Præceptorem, Confessiones criminum priùs factas revocasse, in eorúmque negatione perseverantes, incendium constanti animo sustinuisse commemorat. *Totius*, inquit, *quondam Ordinis Templi Generalis sive Transmarinus Magister cum aliis tribus, scilicet Visitatore eorum in Francia, necnon Aquitaniæ & Normanniæ Magistris, de quibus ordinare finaliter reservaverat sibi Papa, de mandato ipsius, per Dominum Albanensem, aliósque duos Cardinales Legatos, Senonensi Archiepiscopo, aliisque quibusdam Prælatis, necnon in Jure Divino & Canonico pariter ob hoc specialiter Parisius convocatis, & eorum communicato consilio, cùm prædicti quatuor nullo excepto crimina sibi imposita palam & publicè confessi fuissent, & in hujus confessione persisterent, finaliter quòd velle persistere viderentur, de præfato Consilio multa cum maturitate digesto, in platea communi Parvisii Parisius Ecclesiæ, die Lunæ post Festum B. Gregorii, adjudicati sunt muro & carceri perpetuo retrudendi, sed ecce dum Cardinales finem negotio imposuisse credidissent, confestim & ex insperato duo ex ipsis, videlicet Transmarinus Magister & Magister Normanniæ, contra Cardinalem qui tunc Sermonem fecerat, & Senonensem Archiepiscopum se pertinaciter defendentes, ad abnegationem confessionis, tam etiam eorum omnium quæ confessi sunt, revertuntur, nec reverentia parcentes, non absque multorum admiratione. Et dum à Cardinalibus in manu Præpositi Parisiensis, qui præsens tunc aderat, ad custodiendum duntaxat traduntur, quoadusque die sequenti deliberationem super his haberent pleniorem; confestim ut ad aures Regis, qui tunc erat in Regali Palatio, hoc verbum insonuit, communicato cum suis, quamvis providè Clericis non vocatis, prudenti consilio, circa vespertinam horam ipsius diei in parva quadam Insula Sequanæ inter hortam Regalem & Ecclesiam Fratrum Eremitarum posita, ambos pari incendio concremari mandavit. Qui sic paratum incendium prompto animo & volenti sustinuisse sunt visi, ut pro sua mortis constantiâ & abnegatione finali cunctis videntibus admirationem multam intulerint ac stuporem; duo verò reliqui adjudicato sibi carceri sunt reclusi.*

Hujusmodi autem verba fecisse Ordinis Magistrum cùm ad supplicium raperetur, ex probatæ fidei Autoribus refert *Mariana* libro XV. de Rebus Hispaniæ, cap. X. *Ego extremo vitæ tempore, cùm inutili mendacio locus esse non debet, vera esse nego ac per omnia numina juro, quæ de Templariorum im-*

pietate criminibúsque & ante jactata, & nunc recitata sunt. Ordo enim ille sanctus, justus, ac orthodoxus est. Ego tamen extremo supplicio dignus, qui Pontifice Regéque hortantibus, flagitia impia sceleráque mentitus sum in Ordinem meum de Religione Christiana optimè meritum: Quod utinam, ò utinam factum non esset! Sed quod unum superest, meis delictis, si venia locus est, ignosci postulo, ultróque graviores etiam pœnas deposco. Si quo modo Divinum Numen patientia placare, apud homines misericordiam hac calamitate movere possim, vitâ mihi precariâ quid opus est; tanto præsertim scelere, impietatéque, ad quod provocor, retentâ? Addunt, Ordinis Magistrum, cùm flammis traditus est, Regem ac Pontificem ad Divinum Tribunal vocasse, hunc ad diem quadragesimum, illum verò ad annum, & utrumque condicto tempore obiisse, *Clementem Quintum XII.* Kalendas Maii, *Philippum Pulchrum III.* Kalendas Decembris anno MCCCXIV. cùm Magister Ordinis Templariorum *Jacobus Mola* die XI. Martii exeuntis anni MCCCXIII. combustus fuisset.

Responsio

XVII. Respondetur: Solemne esse Judicibus ut minis, suppliciis, ac promissis mitioris pœnæ, criminum confessionem à nocentibus eliciant. Unde etsi metu pœnarum, vel spe veniæ extorta fuisset à Templariis veritas, non ideo iniquè damnati probarentur. Verùm ipsa rei gestæ series, ipsa Inquisitionum Acta ex Regio Chartulario deprompta, necnon Pontificis Maximi Diplomata, demonstrant maximam Templariorum partem sponte ac liberè horrenda flagitia confessam fuisse, eorúmque infami notâ Ordinem inussisse universum. Nam Summus Pontifex habitæ ab Inquisitore & Præsulibus Gallicanis Quæstioni fidem statim adhibere noluit: Commissarios destinavit S. R. E. Cardinales, qui reos denuo interrogarunt: Septuaginta duos ipse ad examen vocavit, qui editas à se coram Inquisitore Gallicano scelerum confessiones *liberè ac sponte, absque coactione qualibet ac timore*, ratas habuerunt, ut docet Pontificium Diploma, quod incipit: *Regnans in cœlis.* Idem probat alterum Diploma *Clementis Quinti* ab *Oderico Raynaldo* descriptum ad annum MCCCVII. Num. XII. cujus hæc sunt verba: *Ad omnium fere notitiam jam credimus pervenisse nefanda scelera & crimina abhorrenda, hæresim notoriè sapientia, quibus Ordo & personæ Templariorum non levibus argumentis, sed manifestis indiciis, & violentis præsumptionibus, diffamati noscuntur, super abnegatione videlicet Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, & super nefanda, temeraria, & præsumptiva, & hæretica conspuatione super ejusdem imaginem Crucifixi; necnon & super pluribus aliis articulis (Sodomitico nimirum vitio, idololatria, & aliis) quos quia fore credimus manifestos, exprimi non oportet. Sicque excrebrescente infamiâ, imminentibus scandalis plurimis minimè contemnendis, quæ non leviter totam scandalizabant Ecclesiam, urgente conscientiâ, per totum orbem terrarum ipsos jamdudum capi mandavimus; & tandem cœpimus super iis contra eos inquirere per Nos ipsos, nonnullis ex Fratribus nostris ascitis ad Inquisitionem prædictam nobiscum sollicitè peragendam. Et tandem præsentatis nobis eisdem personis non parvo, sed grandi numero, non levis, sed magnæ auctoritatis viris, olim in Ordine supra dicto Sacerdotibus, Præceptoribus, Militibus, Servientibus, per eorum confessiones & depositiones spontaneas liberè factas coram Nobis & Fratribus nostris in secreto prius & postmodum coram Nobis totóque Collegio Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, patuit manifestè, quoad personas ipsas confitentes, dicta crimina & scelera esse vera: Iidémque confitentes omnes & singuli suum humiliter recognoscentes errorem, nostram & Apo-*

A *stolicæ Sedis, non justitiam, sed misericordiam & veniam implorarunt. Quibus cum omni humilitate & reverentia, & proprii eorum recognitione erroris omnino persistentibus pro absolutione ab Excommunicationis Sententia, quam ex hujusmodi hæresis reatibus & sceleribus incurrerant, ipsis misericorditer impendenda: Nos, qui licèt indigni Vicarii sumus illius, cujus miserationes super omnia opera ejus existunt, factâ à prædictis confitentibus cum humilitate & reverentia abjuratione hujusmodi hæreseos secundum Canonicas Sanctiones, eis juxta formam Ecclesiæ fecimus munus absolutionis impendi, potestate* B *injungendi eis propterea salutarem pœnitentiam Nobis & dictæ Sedi, seu quibus id committendum duxerimus, specialiter reservatâ, &c.*

XVIII. Nec obstat quòd plurimi, & Summus imprimis Magister, mortem constanter oppetierint, revocatâ, quam priùs ediderant, scelerum confessione: quia multò plures in priori confessione perstiterunt. Præterea ex Magistri pertinacia colligi non potest falsa esse, quæ ipsi ac Ordini objecta sunt. Quis enim Hæreticos extitisse nescit, qui supplicia quævis potius paterentur, quàm suos errores faterentur & crimina? Cujusmodi fuerunt Pris- C cillianistæ, quorum hoc erat effatum: *Jura, perjura, secretum prodere noli.* Similem autem fuisse Templariis religionem, constat ex Articulis Inquisitionis habitæ ab Archiepiscopis Florentino & Pisano, quos *Bzovius* ex MS. Vaticanæ Bibliothecæ exscripsit, * quos inter sextus sic habet: *Nemini ea revelare quæ vel in aurora vel in primo crepusculo agerent, Juramento præstito promittebant.* Nec verò mirum est, Summum Templariorum Magistrum, sua priùs Ordinísque flagitia confessum, postmodum eam confessionem revocasse, cùm *fatuus & non bene compos mentis* dicatur in Actis Quæstionis habitæ coram Apostolicis Commissa- D riis, (inquit *Puteanus* in Historia Templariorum, pag. 41.) Verùm lapsus est Vir Clarissimus, nec satis attendit ad ipsa quæ edidit Inquisitionis Acta. Qui enim *valde simplex vel fatuus & non bene compos mentis sua* dicitur, non est *Jacobus Mola* Magister Major Ordinis Templariorum, qui ad præsentiam Commissariorum Apostolicorum adductus est à Præposito Pictaviensi & *Joanne de Jamvilla*, sed *Joannes de Molaio*, fugitivus ab Ordine, cui se decem annis habitum Templariorum gestasse dixit: Cui suaserunt Commissarii ut ad Parisiensem Episcopum se conferret, ad quem E pertinebat profugos hujusmodi Fratres in Diœcesi sua recipere, ac de illis disponere. At *Jacobus Mola* prolixiori examine tentatus est à Commissariis, rogatus num Ordinis defensionem suscipere vellet, datæ ipsi ad deliberandum induciæ. Nec adeo absona respondit ut fatuus judicari posset. Dixit, Ordinem esse per Sedem Apostoli« cam confirmatum & privilegiatum, & valde « mirum videri, si Ecclesia Romana subitò vole« bat procedere ad defensionem seu extinctionem « Ordinis, cùm Sententia depositionis contra *Fre*« *dericum* Imperatorem dilata fuerit triginta duo« bus annis. Dixit, Se non esse ita sapientem, nec « F tanti consilii, ut Ordinem per se ipsum defende« re posset, tamen paratum esse pro viribus Ordi« nem defendere, à quo receperat tot commoda & « honores; licèt difficile sibi videretur quòd con« gruè defensio posset fieri per eum, cùm esset in « captivitate Dominorum Papæ & Regis, nec ha« beret aliquid, etiam quatuor denarios, quos ex« pendere posset pro prædicta defensione, propter « quod petebat auxilium & consilium. Lectis co« ram eo Summi Pontificis Literis, quæ meminerant Confessionis ab ipso editæ coram tribus Cardinalibus ab ejus Sanctitate deputatis, signo crucis se muniens,

* Ad annum 1308.

muniens, se valde stupefactum significavit de iis » quæ continebantur super prædicta Confessione » sua, & aliis in Literis Apostolicis supra scriptis; » Dicens inter alia quòd si dicti Domini Commis- » sarii fuissent alii quibus liceret hoc audere, ipse » diceret aliud: Et cùm fuisset responsum eidem » per dictos Dominos Commissarios, quòd ipsi » non erant ad recipiendum vadium duelli, subjun- » xit dictus Magister, quòd non intendebat dice- » re de hoc, sed placeret Deo quòd observabatur » à Saracenis & Tartaris, observaretur contra per- » versos in hoc casu. Nam Saraceni & Tartari ab- » scindunt caput perversis inventis, & scindunt » eos per medium. Et tunc subjunctum fuit per » Commissarios, quòd Ecclesia illos qui invenie- » bantur hæretici, judicabat hæreticos, & obsti- » natos relinquebat Curiæ seculari. Postquam ipsi tempus ampliatum esset, interrogatus num defen- dere vellet Ordinem, respondit, Se Militem illite- ratum esse ac pauperem, audivisse quòd Papa ipsum & alios Ordinis Templariorum Majores dispositio- ni suæ reservaverat: cùm ad ejus præsentiam voca- retur, dicturum se quod honor Christi & Ecclesiæ postularet. Ordinem suum commendavit ab Offi- cii Divini religiosa & magnifica celebratione, ab eleemo[...], ab impugnatione hostium nominis Chr[...] Reponentibus Commissariis, Hæc non prodesse ad salutem animarum, ubi Catholicæ Fi- dei fundamentum deerat: Id verum esse ait, séque in unum Deum, & Trinitatem Personarum, & alia Fidei Catholicæ dogmata, unam fidem, unum Bap- tisma, unam Ecclesiam, animæ immortalitatem, ac Judicium credere professus est. Postquam alia diluisset de apostasia à fide, & vitio non nominando Commilitonibus objectis, rogavit Commissarios ut sibi liceret Missam & alia Officia Divina audire, & habere Capellam suam, & Capellanos. Legi- tur ipsum Inquisitionis hujusce Instrumentum apud *Puteanum*, pag. 122. & sequentibus. Levita- tis tamen & inconstantiæ notam incurrit *Jacobus de Mola*, qui toties in Responsionibus suis variavit, & crimina quæ sponte ac liberè confessus fuerat, postea pertinaciter negavit. Quæ negatio priorem Confessionem irritam non facit, cùm verisimile non esset, ipsum, aliósque tam horrenda crimina sine tormentis ultro confiteri ac sibi imponere potuisse, non solùm coram Inquisitore, sed coram Summo Pontifice, & Cardinalibus, & Confessionem pri- mam semel iterúmque recognoscere ac ratam habe- re, nisi conscientia ipsorum criminum pondere gra- vata, stimulísque agitata compulisset. Quis enim viros fortes id facturos credat, quod ne imbelles quidem mulierculæ facerent?

Denique Magni Magistri, & aliorum in perfe- rendo ignis supplicio constantia seu pertinacia, eos insontes fuisse non probat. Extant enim & vetera & recentia exempla hæreticorum & facinorosorum hominum, qui mortem intrepidi aspexerunt: nec minor aliquando visa est externâ specie fortitudo in Martyribus diaboli, quàm in Martyribus Chri- sti, ut Circumcellionum, Priscilliani, Joannis Hus & Hieronymi Pragensis, aliorúmque exempla no- tissima testantur.

XIX. Quod verò à nonnullis scriptum est, *Cle- mentem V.* & *Philippum Pulchrum* à Magno Tem- plariorum Magistro ad Divinum Tribunal voca- tos, dicta die obiisse, fabula est: idque ultro fate- bitur, qui nihil simile ab antiquis Scriptoribus memoriæ proditum observaverit, non à Gullelmi Nangii Continuatore, Joanne Villani, S. Antoni- no, Trithemio, Paulo Æmilio, & aliis; etsi qui- dam illorum calumnias in Pontificem & Regem vulgatas in suos Commentarios & Chronica abs- que examine retulerint. Sed quod bienno ante *Fer- dinando* Castellæ Regi ob duos Insontes extremo supplicio affectos contigit, à quibus in Jus coram Deo vocatus, die constituta ab eorum nece trige- simâ è vivis sublatus est, teste *Mariana* lib. xv. Cap. xi. id à maledicis primùm *Clementi Quinto* & *Philippo Pulchro* attributum, Scriptores qui- dam è recentioribus parum accurati suos in Com- mentarios retulerunt. *Marianam* audire præstat eo loco, narrato *Ferdinandi* Regis obitu, scribentem: *Auxere vulgi opinionem, religionémque conceptam animis confirmarunt, duo Principes Summi, duobus proximis annis extincti, Philippus Galliæ Rex, at- que Clemens Pontifex, à Templariis Militibus, quo tempore in eam nationem igne atque omnibus cruciatibus sæviebatur, ad Divinum Tribunal citati. Sic fama ferebat, sive vera, sive conficta rumoribus. Placet tamen ut falsa esse videatur.*

XX. Objicitur tertiò, Templarios in Conciliis Provincialibus Salmanticensi & Moguntino, anno MCCCX. celebratis, fuisse declaratos insontes, ut *Ni- colaus Serarius* lib. v. Rerum Moguntinarum, & *Mariana* libro xv. Cap. x. testantur. *Salmantica* (inquit iste) *Patrum Concilium habitum est. De vinctis atque supplicibus quæstione habitâ, causâque cognitâ, pro eorum innocentia pronuntiatum commu- ni Patrum suffragio. In Moguntia, cùm in frequenti Patrum consessu, jussu Pontificis, de ea causa agere- tur, Hugonem cum viginti Ordinis sui Sociis irru- pisse in Conventum aiunt, claráque voce testatum; Si quid gravius in eum Ordinem esset decretum, se Pontificem Maximum Clementis Successorem appel- lare. Clementem certiorem literis factum, Jus de integro quærendi statuendique Archiepiscopo deman- dasse: causâ illum cognitâ crimine liberasse tan- quam innocentes.* Argumentum Tertium.

XXI. Respondetur, Ex his tantùm probari sin- gulos per orbem universum Templarios tam im- manium criminum reos non fuisse; sed perperam inde colligitur, illos qui è Gallia, Hispania, Ita- lia, Anglia, ab Inquisitoribus, ab Episcopis, à Cardinalibus, à Summo ipso Pontifice in Quæstio- nem vocati sunt, & scelera confessi, reos non fuisse flagitiorum, quorum infamia in totum Ordi- nem, propter majoris partis, ipsorúmque Capitum corruptelam redundavit. Adde, quòd in Concilio Salmanticensi *ad Pontificem Romanum rejecta totius rei summa deliberatio est* (ut scribit Mariana) Cùm igitur Summus Pontifex unà cum Oecumenica Sy- nodo horrenda illa crimina in ipsum Ordinem re- fuderit, & ob illa funditus delendum judicaverit, utriusque standum est Judicio potius quam Synodi Salmanticensis. Responsio.

Quod verò Moguntinam Synodum spectat, res- pondetur, Ipsam metu, quem irruptio viginti Tem- plariorum armatorum in Consessum, cum Hugone Comite, Patribus incusserat, perturbatam, secun- dùm illos pronuntiasse. Unde scribit Mariana: *Fe- rociâ eorum deterritos Patres, bono animo esse jus- sisse.* Idémque tradit Nicolaus Serarius: *Comparuit in Synodo* (inquit) *Hugo Comes Silvestris & Rheni cum viginti Fratribus sub habitu Ordinis pro- pe armatis. Hi omnes, non quidem vocati, sed ul- tro & subitò in Consessum Patrum irrumpunt, omni- bus attonitis. Archiepiscopus viros considerans, ac violentiam timens, placidè jubet Commendatorem ut sedeat, & si quid habeat in medium afferendum, ut depromat. &c.* Et infra: *Archiepiscopus his auditis, ac tumultus suboriretur, Protestationem eorum ad- misit, seque cum Romano Pontifice actarum respon- dit ut quieti esse possint.* Quod autem jactavit *Hu- go* Comes, & *Jacobus Moguntinus* memoriæ pro- didit ex una ipsius relatione, albas chlamydes & rubricatas cruces Commilitonum igne suorum ab- sumptas non fuisse, fictitium miraculum est. Quod

etsi verè patratum fuisset, ad venerationem Sanctæ Crucis promovendam, potius quam ad Templariorum probandam innocentiam, pertinere videri posset: Nec enim Templariis, sed Crucibus ignem pepercisse aiunt. Insontes nimirum Cruces, at rei Templarii; ideo illæ ab incendio servatæ, isti flammis absumpti, ut nonnemo facetè dixit. Denique quosdam è Templariis insontes fuisse non negavero: & insontes esse velim quos Germani Episcopi in Synodo Moguntina, & Hispani in Salmanticensi absolverunt; sed inde non sequitur, injustam fuisse, quæ in Ordinem lata est, Sententiam, ut scitè observat Mariana. *In Templariorum causa*, inquit, *decretum ut eorum nomen & Ordo penitus aboleretur. Crudele Decretum fuisse plerisque visum est. Neque est verisimile ea delicta in omnes Provincias manasse, contaminasse singulos. Sed cunctis tamen ejus Ordinis clade documentum datum similis perfidia vitanda, præsertim Viris Sacratis, quorum opes viresque integrâ magis probitatis opinione, quam re aliâ nituntur.*

Argumentum quartum.

XXII. Objicitur quartò, Incredibile esse quòd nullus in toto Templariorum Ordine vir frugi extiterit, qui tam fœda támque immania flagitia execratus non fuisset, aut de iis apud Summum Pontificem non fuisset conquestus, si vera extitissent. Viris autem probis prorsus destitutum Ordinem non fuisse, probat historia quæ circa ipsum damnationis illorum tempus contigit, quam in sui defensionem coram Apostolicis Commissariis protulerunt. Sic autem se res habet. *F. Adamus de Valincourt* Templarius, cùm vitæ perfectioris ac severioris disciplinæ studio ad Carthusienses migrasset, in Ordinem Templariorum, quem primò professus fuerat, redire postmodum tentavit. Id ipsi concessum. Sed apostatarum instar à Fratribus susceptus est: annua illi imposita pœnitentia, ut scilicet quotidie in terra sedens manducaret, ut certis hebdomadæ cujuslibet diebus in pane & aqua jejunaret, ut singulis diebus Dominicis coram Altari nudis humeris se sisteret, ibique severam exciperet à Sacerdote celebrante disciplinam. At incredibile videtur, quòd Eques ille tam duris conditionibus Ordinem fœdissimum perditissimúmque, dimissâ Carthusianorum Angelicâ Solitudine repetivisset.

Responsio.

XXIII. Respondetur, Pusillo gregi innocentum ignota forsitan fuisse aliorum scelera: vel proprio parcentes dedecori, Ordinem prodere noluerunt, nec ejurare opulentissimam Societatem, egeni in seculo futuri. Et quamvis *Adamus de Valincourt* pœnitentiæ fortè animo & pietatis motu ad Carthusianos migraverit, quis vadem se præbeat quòd eodem animo ad Templarios redierit? Quis non potius credat ipsum pii propositi minimè tenacem, vi pristinæ consuetudinis pertractum, ac in omnem intemperantiam & libidinem effusum, Templariis iterum se adjunxisse, ac diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam veluti satisfecisse, ut *Tertulliani* verbis utar? Nec Templariorum causam juvat externa pœnitentiæ species, quam ipsum subusse gloriabantur. Pœnitentiam namque & sanctitatem hypocritas mentiri nemo nescit.

Argumentum quintum.

XXIV. Objiciuntur quintò gravissimorum Scriptorum testimonia, qui calumniam passos Templarios asserunt, injustè abolitum Ordinem, eóque fine à *Philippo Pulchro* Francorum Rege infamatum, ut immensas ejus opes diriperet. Præcipui sunt, *Bocacius* libro IX. de Casibus Virorum Illustrium, in *Jacobo Mola*, ubi damnationem Templariorum ex solâ Regis avaritiâ profectam scribit, ad eorum bona, quæ maxima in Galliis erant, inhiantis. *Joannes Villani* lib. IX. Cap. XXII. & qui eadem pene, quæ ipse Italicè scripsit, Latinè expressit *S. Antoninus* III. P. Chronicorum, Tit. XXI. Cap. I. §. III. *Ea tempestate* (inquit) *cùm adhuc Pontifex cum Curia moram traheret in civitate Pictaviensi, Rex Francia seductus ab Officialibus suis, denuntiavit ipsi Pontifici Magistrum Templi & Mansionis, suósque Fratres dicta Religionis, esse quibusdam erroribus infectos & sceleribus involutos, prout sibi assertum fuerat ab ipsis Templariis. Totum tamen dicitur falsò confictum ex avaritia, ut illi Religiosi Templarii (qui initium habuerant in Jerusalem & postea multiplicati & diffusi per Franciam & alias Provincias, habebant opulenta loca, & magnas divitias & possessiones) expoliarentur bonis suis, prout factum est.* Et infra: *Quod cùm Regi nuntiatum fuisset, suggessit Pontifici ut deleret Ordinem illum, utpote hæresibus implicatum, & nefandis erroribus. Creditur tamen magis inductus ad extorquendum pecuniam ab illis, & bona eorum, & ex odio concepto contra Magistrum Mansionis, quàm ex zelo justitia. Pontifex autem ut infestationem Regis à se amoveret, solicitatus pro observatione supra dicta promissionis, & Regi in hoc complaceret, absque alia discussione materia coram qua Templariis objiciebantur, utrum verè an calumniosè procederetur, petitioni Regis acquievit, concedens per Literas Apostolicas, ut omnes Templarii per orbem dispersi certa die determinata caperentur, & omnia bona eorum sequestrarentur. Qua autem in Francia erant eorum, Rex fecit per Officiales suos omnia usurpari pro Curia sua.* Et infra: *A multis tamen Optimatibus dicebatur, Illos innocentes, & sine justâ causâ fuisse damnatos, ut per hoc usurparentur bona eorum. Unde per Papam postea bonis suis spoliati fuerunt, & bona locorum eorum applicata Mansioni S. Joannis seu Hospitalis. Sed quia jam occupata erant à Rege Francia & diversis aliis Principibus, oportuit ea redimi multâ pecuniâ: Quamobrem effecta est paupercula dicta Religio. Multa autem adversa passus est postea Rex cum filiis suis, qua creduntur eis accidisse propter injustam occisionem eorum. Multi quoque existimantes illos sic injustè ad mortem cruciatos, ut Martyres venerati sunt, accipientes devotè corpora eorum & ossa.* Et Cap. III. agens de Concilio Viennensi, ejúsque Decretis, hæc habet: *Item statutum fuit, quòd omnia bona & possessiones, qua fuerant Mansionis Templi, assignarentur Mansioni Hospitalis Hierosolymitani. Et quia jam fuerant occupata à diversis Dominis Laicis, oportuit quòd illi de Hospitali magnum thesaurum exponerent in dando Regi, & aliis, qui occupaverant dicta bona. Unde depauperata est Mansio Hospitalis, qua se existimabat inde opulentam fieri.*

Trithemius Abbas in Chronico Hirsaugiensi. *Anno* (inquit) *Dominica Nativitatis millesimo trecentesimo undecimo, Clemens Papa Quintus Concilium Viennense celebrandum indixit. Ibi Ordo Templariorum, qui annis fermè* CLXXXIV. *steterat, ab ipso Clemente Papa condemnatus fuit, & uno die per universum orbem deletus, ad instantiam Philippi Regis Francorum, cujus promotione ipse Papa electus fuerat. Fuerunt autem Templarii valde divites, quorum possessiones ut Rex sibi acquireret, crimen eis hæreseos falsum imposuit (ut multi voluerunt) & extingui omnino paravit.*

Paulus Æmilius lib. De Rebus Gestis Francorum, in *Philippo Pulchro*, scribit: *In possessionem Templariorum bonorum Regium Fiscum ivisse. Rebus moventibus à Fisco retentis, qua solo continerentur, Pontificis Decreto Divi Joannis Hospitalariis reddita.*

Papirius Massonus lib III. Annalium: *Rex* (inquit) *Aulicorum persuasionibus, & spe lucri, Ordinem Templariorum accusavit: initio mali orto à Priore Monfalconis in agro Tolosano, & Noffo*

exule

exule Florentino, quorum hic à Prætore Parisiensi multorum criminum reus convictus in carcerem fuerat, ille ex causa hæresis & sceleratæ vitæ judicio Magistri Templariorum perpetuò carceri addictus. Hi de salute & libertate solliciti, crimina illa finxerunt, ob quæ Ordo Christiano nomini utilis est eversus. Cum sceleratissimi viri crimina inaudita commenti essent, viros maximè pios accusarunt. Accusationis capita Procurator Fisci ad Regem scripta Pictavium misit, quæ ille avaritiâ motus, pro veris habuit, delatoribus libertate & venia donatis: effecitque apud Pontificem, ut Ordinis illius eversionem polliceretur. Et infra: *Joannes Villaneus dignissimus fide Scriptor, hæc de impia Templariorum accusatione, eversionéque Ordinis, & insontium Equitum supplicio libro* VIII. (Cap. XCII.) *commemorat, & Gallicus Scriptor illius temporis, Templarios injuriâ eversos, Ordinemque illum sanctissimum fuisse dicit. Quid hic lectores dicturi sunt? Regem illum certè impium, Pontificem inclementem fateantur necesse est. Mitiorem enim sententiam dicere non possunt.*

Responsio. XXV. Respondetur, Scriptores laudatos falsis deceptos fuisse rumoribus, qui per Italiam increbuerant contra *Philippum Pulchrum* Regem Christianissimum, ob dissidium quod illi cum *Bonifacio VIII.* intercesserat, & contra *Clementem V.* ob invidiam translatæ in Galliam Apostolicæ Sedis. Quorum maximè rumorum autor fuit *Dantes* Florentinus exul, Pontificio pariter & Gallico nomini infensus, qui pro sua calumniandi libidine, plurimos in Infernum suum immeritos detrusit. *Bocacius* à patre quidem se audivisse refert, Injustam fuisse Ordinis Templariorum extinctionem; sed *Bocacii* pater Mercator Italus ex solo vulgi rumore ea de re judicium tulit. *Joannes Villani* probatæ aliàs Autor fidei, cùm de rebus Italiæ scribit, fidem hac in causa non meretur, cùm Acta contra Templarios in Galliis Pontificiâ Regiâque Auctoritate, non legerit, nec expenderit, & majoris sint auctoritatis rerum tunc gestarum Monumenta autographa, quæ in Regiis Scriniis integra etiamnum extant, necnon Pontificia Diplomata *Clementis V.* & Sententia lata in Ordinem Templariorum à Concilio Oecumenico Viennensi, quàm privati Scriptoris narratio. Idem de *S. Antonino* dicendum, cujus veneramur Sanctitatem, in quo Juris Canonici peritiam suspicimus, in Theologia Morali eruditionem ac integritatem prædicamus, at delectum in scribenda Historia desideramus. Vir scilicet simplex, omnia, quæ vulgi rumoribus jactabantur, avidè excipiebat, & in Chronicon suum absque examine referebat. Hinc de *Clemente Quinto* nonnulla scriptis mandavit probrosa, & à nemine eorum tradita, qui Pontificum Vitas scripserunt, quòd nempe libidini deditus, quòd res sacras venundare solitus fuerit, quòd statum animæ cujusdam nepotis sui magicis artibus exploraverit. Præterea, *S. Antoninum* rumoribus hac in causa nimiùm tribuisse, indicat hic loquendi modus ipsi solemnis, *ut dicitur, ut creditur.* Ignarum pariter fuisse *Trithemium* eorum quæ in causa Templariorum gesta sunt, facilè conjiciet, quisquis animadverterit quàm graviter in assignanda Concilii Viennensis duratione fuerit hallucinatus. Biennio enim durasse scripsit, cùm nec septem menses impleverit. *Paulus Æmilius* Templarios calumniam passos, & Ordinem injustè eversum nec scribit, nec innuit. Bona Templariorum immobilia Equitibus S. Joannis Hierosolymitani, juxta Pontificis Decretum, tradita testatur: Res moventes à Fisco retentas ait, hâc in re falsus, ut probant monumenta quæ mox proferemus. *Papirius Massonus* aliàs laudandus, hîc certè castigandus, ob negligentiam in Actis Inquisitionum adversùs Templarios conquirendis & evolvendis, & in causæ hujusce examine; necnon ob Pontificis Regisque petulantem ac immodestam vituperationem.

XXVI. His verò Autoribus alios oppono fide digniores, qui Templariorum Ordinem justè abolitum fuisse testantur, scilicet Continuatorem Guillelmi Nangii, ad annum MCCCVII. cujus verba superiùs Num. II. descripsimus.

Bernardum Guidonis Lodovensem Episcopum, coævum Autorem, in Chronico Romanorum Pontificum. *Anno* (loquitur) *Domini prætaxato* MCCCVII. *res mira, res magna nostris accidit, temporibúsque futuris scribitur memoranda. In Festo siquidem S. Eduardi Confessoris, tertio Idus Octobris, feria sexta, fuerunt capti primò Templarii ubique in Regno Franciæ, & ex ordinatione Regis & Consilii, inopinatè sanè, mirantibus cunctis audientibus, antiquam Templi Militiam ab Ecclesia Romana nimis Privilegiatam, una die subitò captivari, causámque ignorantibus captionis tam repentinæ, exceptis paucis Secretariis & juratis: Quæ causa tandem detecta fuit, & publicè infamata, profana videlicet Professio eorumdem cum abnegatione Christi, & expuitione super Crucem in opprobrium Crucifixi; fuerúntque plures ex eis, etiam de Majoribus illius Ordinis, confessi suæ nefandæ Professionis ritum tam abominabilem, quàm execrabilem, quàm nefandum, qui antea à nemine potuit unquam sciri. Plurimi autem ipsorum confiteri minimè voluerunt, quamvis nonnulli subjecti fuerint quæstionibus & tormentis. Demum Sedes Romana, cui priùs factum incredibile videbatur, & captionem prædictam ægrè ferebat, effecta est certior in Pictavis, ubi tunc Curia morabatur; Templariisque nonnullis perductis coram Papa, & aliquibus (nonnulli objecta scelera confessi, negarunt alii) Cardinalibus, ibidem denuo confitentibus, & Confessiones factas à se antea recognoscentibus esse veras, ipsorum confessionibus intellectis consequenter extitit ordinatum, ut ubique Templarii caperentur, ut veritas prodiret in lucem.*

Guillelmum Durandum Mimatensem Episcopum, seu alium è Viennensis Concilii Patribus, cujus Suffragium ad posteritatis memoriam servatum est, ejúsque verba supra descripsi, Num. XII.

Albertinum Mussatum, coævum etiam Autorem. *Convicti* (inquit) *confessique Præceptores, Magistri, & Milites Domus Militiæ Templi Hierosolymitani septuaginta duo circiter numero plectendi Apostolicis instabant Censuris, & proh pudor! Quanquam nec hæc nostri thematis nefanda relatu, sed fanda quidem in singulorum transgressorum (quod absit) exitium, ut quæ nostra vidit ætas cautior fiat, sciat evitare posteritas; abominanda fera formam humanam induta, Fratres immo hostes illi Crucis armati signaculo, in suæ communionis Fratrum receptione cum abnegatione Christi & sputione super Crucem, aliisque subticendis, ut verecundia parcatur humanæ, erroribus suis, suorúmque complicum, animas suas diutius despondebant Satanæ.* Et infra: *Grandia hæc mirandáque, vixque crediti antequam fierent motus hi, qui nec cœlestibus caruere prodigiis. In ipsis quidem tantorum successuum principiis, de cœlo apparitiones Parisiis, pérque contiguas Francorum terras conspecta sunt, Solis & Lunæ par eclypsis ex telluris umbra; per biduum novum ignotúmque visum Sidus irradians, Lunæ imago triplex, & in æthere circuli quidam cum inclusa Crucis effigie, novaque forma ac varia per aera: insuperque ex tellure advolantes in cœlum faces in partes Italiæ conflagrare, polorum axes increpitantes sereno cœlo audita velut tonitrua edentes absque promicantibus fulgoribus. Sic de Gallicis enuntiatum est terris repletaque Italiæ civitates, Mundóque fama insidente patens habitum est.*

Hæc Autor eò minùs suspectus, quòd Italus erat.

Vetus Chronicon Sandionysiani Cœnobii prope Parisios, Gallicè scriptum, ex quo Articulos undecim Templariorum flagitia spectantes in sua Historia exscripsit Vir Clarissimus *Petrus Puteanus*, pag. 26.

Thomam Walsinghamum, in Historia Anglicana in Vita Eduardi II. scribentem: *Depositum fuit contra Templarios, & compertum, quòd quando receperunt quemquam ad Ordinem, amotis omnibus, exceptis Fratribus ejusdem Ordinis, adduxerunt illum ad locum privatum, & totaliter denudaverunt, & tunc unus accederet ad eumdem & eum oscularetur in posteriori parte, deinde indueretur & cingeretur corrigia de sambuco. Et post crux portaretur, & ibi diceretur sibi, quòd Crucifixus non est Christus, sed quidam falsus Propheta deputatus per Judæos ad mortem propter delicta sua, & fecerunt eum ter spuere super illam, & postea projecerunt crucem ad terram, & eam pedibus conculcari fecerunt: deinde ostenderunt sibi caput cujusdam Idoli, quod quotidie adorabant. Et præter hæc depositum est contra eos, quòd vitio fœdabantur Sodomitico, statuentes quòd nullus utatur mulieribus, sed quilibet alterutro, cùm voluerit. Unde postea cùm factum fuisset Concilium Provinciale in Anglia Londoniis super his Articulis, quod quidem Concilium duravit a mense Maii usque* C *ad mensem Junii, in quo Templarii capti & accusati fatebantur famam, sed non factum, nisi unus vel duo ribaldi in omni statu. Omnes tamen fatebantur finaliter, non posse de sibi impositis se purgare, & ideo adjudicati fuerunt per Concilium perpetuæ Pœnitentiæ.* Templariorum crimina supra recensita fuisse comperta, sive certis documentis probata, *Walsinghamus* asserit. Eos famam, sed non factum confessos addit; quod de illis intelligitur, de quibus Quæstio habita est in Anglia & in Concilio Londinensi, non de illis de quibus Quæstio instituta est in Gallia. Hi enim coram Inquisitore, Prælatis, Cardinalibus, Summo Pontifice, non semel D sed iterum ac tertiò, nullâ vi adhibitâ, sed sponte ac liberè, non famam duntaxat scelerum, sed scelera ipsa confessi sunt. Quanquam satis sit ad Ordinem Religiosum delendum fama seu infamia publica tam fœdorum tamque immanium criminum, quam nulla purgatione abstergere possunt Ordinis capita & membra.

Non dissimulavero, *Walsinghamum* in *Philippum Pulchrum* iniquiorem esse, de quo ibidem scribit: * *Philippus Rex Franciæ cogitavit unum de filiis suis Regem Hierosolymitanum facere, & impetrare sibi omnes redditus & proventus Templariorum. Et hac* E *occasione priùs multos Templarios in Regno suo, & præcipuè Magistrum Magnum Ordinis, & alios multos procuravit comburi, & totum Ordinem procuravit & fecit in Concilio prædicto damnari. Sed tamen propositum suum de eorum redditibus non est consecutus, quia Papa Hospitalariis hæc assignavit, non sine magna pecunia interventu.*

* Pag. 69.

Quo jure Anglus ille Monachus de cogitationibus & consiliis Regis Christianissimi judicavit? Temerè omnino id sibi sumpsit. Somnium illud de Regni Hierosolymitani ambitu, quo Rex ad Templarios delendos moveretur, ita proprium fuit *Wal-* F *singhami*, ut nulli alteri phantasma istud objectum fuerit. Quid verò Templariorum Ordinis extinctio ad Regnum Hierosolymitanum consequendum conferre poterat, cùm penes ipsos non esset? Præterea, calumnia est, quòd Rex Templarios flammis addixerit, & damnationem eorum promoverit, ut eorum opes obtineret. Nam anno MCCCX. combusti fuerunt Parisiis quinquaginta novem Templarii; at Rex omnia Templariorum bona in Galliis constituta Summo Pontifici & Ecclesiæ per Depu-

Vvalsinghamus refellitur.

A tandos à Clemente Quinto *administranda, conservanda, gubernanda, & custodienda* dimiserat jam ab anno MCCCVII. quo Viennense Concilium indictum est, ut constat ex ipsius *Clementis V.* Diplomate, quod incipit: *Regnans in cælis*. Magnus verò Magister flammis addictus est anno MCCCXIII. ut Nangii Continuator testatur, quo tempore bona Templariorum de *Philippi* Regis Christianissimi consensu Equitibus *S. Johannis* Hierosolymitani à biennio attributa erant in Concilio Viennensi: falsò igitur scripsit *Walsinghamus*, Regem Templarios complures, & præcipuè Magnum Ordinis Magistrum, flammis addixisse, & ipsius Militiæ Tem- B pli abolitionem promovisse, ut eorum bona consequeretur. Falsum tandem est quòd Pontifex pecuniæ interventu id beneficii Hospitali S. Joannis Hierosolymitani contulerit.

Walsinghamo subjungo *Robertum Gaguinum*, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Ministrum Generalem lib. VII. Historiæ. *Tum etiam* (inquit) *est proditus Templariorum error, qui Christo rejecto, falsis se religionibus dediderunt. Erat enim illis simulachrum, cui pellem humanam superduxerant, appositis ad oculos statuæ duobus fulgentissimis carbunculis, qui vice oculorum micarent. Et statuæ, dum quispiam ad eos ingrederetur Ordinem visámque Tem-* C *plariorum professurus, abnegato ante omnia Christo, & Cruce ejus calcata, sacrificium faciebat. Morientis autem corpus in pulverem adactum, cæteris in potum conferebant; quo poculo constantiores suos fieri arbitrabantur. Præterea, si ex Templarii coetu infans ex puella virgine nascebatur, hunc igne torrebant, exque eliquatâ inde pinguedine suum simulachrum decoris gratiâ ungebant. In confesso quoque habitum est, eorum dolo Divum Ludovicum, dum in Syria peregrinaretur, in vincula à Soldano Ægyptio conjectum fuisse: & quòd item masculorum fœdissimi amatores essent.* Nonnulla Templariis affingit *Gaguinus*, quæ nimirum de potu cinerum in D quos suorum Commilitonum corpora redacta essent, de puero tosto quem ex virgine suscepissent, & unctione simulachri ex ejus pinguedine, de captivitate *S. Ludovici* eorum dolis ac malis artibus procuratâ memoriæ prodidit. In Actis enim Inquisitionum adversùs Templarios habitarum, quæ in Regio Chartulario extant integra, & quæ *Puteanus* in Historia sua laudat, nihil hujusmodi Templariis objectum legitur; nec Autores *Gaguino* antiquiores hæc ipsis tribuunt: nec Autorum coævorum aut supparium *S. Ludovico*, qui Vitam ejus scripserunt, ullus captivitatem ipsius à Tem- E plariis procuratam tradit. Sed quæ de abnegatione Christi, de violatione crucis, de superstitione seu idololatria, & aversa libidine Templariorum *Gaguinus* scripsit, consona sunt iis quæ ab aliis Autoribus memoriæ prodita sunt, & autographis Inquisitionum Auctoritate Pontificia & Regia in eos factarum Instrumentis. *Gaguinum* absque criterio secuti sunt *Nicolaus Gillius* in Chronico, *Belleforestius* in Historia Francorum, & *Paradinus* in Historia Sabaudiæ.

Nonnulla Templariis à Gaguino afficta.

Albertus Krantzius Hamaburgensis Ecclesiæ Decanus, lib. VII. Vandaliæ, pag. 175. & Templa- F rios jure damnatos confirmat, & *Philippum Pulchrum* aliósque Reges hac in causa à calumnia vindicat. *Nemo* (inquit) *putet levem occasionem subvertendi Ordinis, quem ante Romana Ecclesia tantis evexerat meritis, Regibus Franciæ, Angliæ, Hispaniæ, (apud quos in Regnis morabantur extrusi Terrâ Sanctâ) ea primùm vesania perclaruit. Illi nunciie apud Clementem detexerant, Pontifice mirante, sed vicit eum consonum à tribus Regibus testimonium; & ut res fieret conspectior, protracti sunt ex his nonnulli ad Summum Pontificem, qui exe-*

crationem

crationem Christianismi faterentur. Alii tamen quæstionibus subjecti, nihil omnino fateri voluerunt, nec poterat à robustioribus ulla quæstionis confessio extorqueri. Unde factum est ut multi fabularentur, propter prædia & arces, quas tenuerunt in Regnis, Reges in eos conspirasse; sed vanum vulgus, atque ad credulitatem fabulationémque promptum est atque temerarium. Magister ejusdem Ordinis cum aliquot Fratribus Parisiis publicè concrematus est, cæteri per Regna, ne bellum aut gravior aliquis tumultus fieret, uno die capti oppressique sunt.

Horum Auctorum agmen claudit *Joannes Marianu* lib. xv. de Rebus Hispaniæ, Cap. x. ubi recensitis criminibus quæ Templariis objecta sunt, suum his verbis judicium interponit. *Quid hîc lector dicturus est? Facta hæc, an non ficta potius, similiáque anicularum fabulis esse judicabit? Villaneus certè, Antoninus, & alii à calumnia defendunt. Fama frequentior & sensus prope omnium damnat. ... Tam citò in omne improbitatis genus publicè degenerasse, vix esset credibile, nisi Clementis Diplomata, quæ inter tabulas Templi Toletani omnium Maximi plura extant, unde hæc hausimus, indicio essent famam haudquaquam vanam fuisse, affirmantis duos & sexaginta ex eo Ordine, se coram quæstione habitâ, scelera, quæ enumerata sunt, fassos veniam petiisse.*

ARTICULUS II.

Quo PHILIPPUS PULCHER Rex Christianissimus à calumnia vindicatur; ac demonstratur Ipsum Ordinis Templariorum abolitionem non ideo promovisse & procurasse, ut eorum bonis frueretur.

I. AUctores quosdam seu exteros, seu etiam domesticos, quos Articulo superiori Num. xxv. jam perstrinximus, adversus *Philippum Pulchrum* Regem Christianissimum in causa Templariorum non satis æquos, hîc pleniùs ac luculentiùs confutabimus, demonstrabimúsque ex firmissimis documentis, ejus Majestatem puras manus animúmque ab avaritiæ labe eo in negotio habuisse, nec propterea Templariorum damnationem, ac abolitionem Ordinis promovisse, ut eorum bona sibi vendicaret, aut quovis modo obtineret. Id probat primò persuadétque testimonium ac declaratio *Clementis Quinti* in Diplomate quod incipit, *Regnans in cœlis*; in quo Regem his verbis compellat: *Deinde verò Tu, cui eadem fuerant facinora nuntiata, non typo avaritiæ, cùm de bonis Templariorum nihil tibi vindicare vel appropriare intendas, immo ea Nobis & Ecclesiæ per deputandos super hoc à nobis administranda, gubernanda, conservanda, & custodienda, liberaliter & devotè in Regno tuo dimisisti, manum tuam exinde totaliter amovendo, sed fidei orthodoxæ fervore, tuorum Progenitorum vestigia clara sequens, accensus, de præmissis, quantùm licitè potuisti, te informans, ad instruendum & informandum Nos super iis, multos & magnas nobis informationes per tuos nuncios & literas destinasti.*

II. Idem probant *Philippi Pulchri* Literæ ad *Clementem V.* datæ anno MCCCXI. mense Martio, quibus ipsum rogat, ut (siquidem Templarii tot ac tam immanium convicti scelerum justam in futuro Viennæ Concilio damnationem evitare non poterant) eorum bona vel in novæ alicujus Militiæ institutionem ac fundationem conferrentur, vel Ordini Militari jam instituto in subsidium Terræ Sanctæ attribuerentur: & eorum pollicetur executionem, quæ hoc in negotio Concilii Oecumenici & Summi Pontificis decernet Auctoritas; salvis Prælatorum, Baronum, & Principum Regni sui, & suæ inprimis Majestatis Juribus. *Zelo* (inquit) *fidei orthodoxæ succensi, & ne tanta injuria Christo acta remaneat impunita, vestræ Sanctitati affectuosè, devotè & humiliter supplicamus, quatenus tollatis Ordinem supra dictum, & Ordinem Militarem de novo creare velitis, cui bona Ordinis supradicti, seu quæ Ordo ipse habebat & possidebat tempore quo Magister Ordinis, & Præceptores Franciæ, Terræ Ultramarinæ, Aquitaniæ & Pictaviæ, ac quamplurimi alii Fratres ipsius Ordinis in magno numero, videlicet anno Domini millesimo trecentesimo septimo, in Regno nostro capti & detenti fuerunt, cum suis juribus, & honoribus conferatis: vel eadem in alium Ordinem de antiquis Militaribus transferatis, prout ad honorem Dei, & utilitatem Terræ Sanctæ vestra beata Circumspectio viderit expedire. Quicquid enim in præmissis Vos, Sancte Pater, duxeritis ordinandum, Nos ratum & gratum habebimus, & devotè recipiemus, & observabimus in Regno nostro; & nostros servare volumus, præcipimus, & decernimus Successores; & à subditis nostris faciemus, prout ad nos pertinet, observari. Ita tamen quòd bonis ipsis, cum honoribus, juribus, & oneribus salvis remanentibus subsidio Terræ Sanctæ, secundùm ordinationem supra scriptam de ipsis faciendam, salva remaneant Nobis, Prælatis, Baronibus, Nobilibus, & quibuslibet aliis Regni nostri, Jura quæcunque, quæ nobis & aliis personis supradictis competebant ante captionem prædictam.* Insertæ sunt hæ Literæ Diplomati *Clementis Quinti*, cujus exemplar edidit *Puteanus* in Historia damnationis Templariorum, pag. 176.

III. Id probat assensus à Rege præstitus ut bona omnia Templariorum, in Galliis ac ditionibus suis extantia, ab Apostolicis Commissariis servarentur, pecuniæque omnes ad Ordinem pertinentes sub Regia tuitione extra Regnum custodienda transferrentur.

IV. Id demonstrat autographum Regii Consensus Instrumentum, translationi bonorum Templariorum in Ordinem S. Joannis Hierosolymitani, datum Parisiis die xxiv. Augusti, anno MCCCXII. *Nos itaque* (inquit) *quorum interest, cùm bona prædicta, quatenus in Regno nostro sunt, sub nostra gardia speciali & protectione consistant, & in eis ad Nos Jus Patronatus mediatè vel immediatè plenariè pertinere noscatur; ad hujusmodi consensum impertiendum unà cum Prælatis in Concilio congregatis fuerimus per Vos inducti, &c. Nos igitur dispositionem, ordinationem, & translationem hujusmodi acceptamus, & ei nostrum præbemus assensum, juribus omnibus Nobis, & Prælatis, Baronibus, Nobilibus, & aliis quibuscunque Regni nostri, ante prædicta competentibus in bonis prædictis, salvis perpetuò nobis & eis.* Edidit *Puteanus* pag. 178.

V. Id ostendit bona fides & diligentia, qua Rex votis ac mandatis Pontificiis obsecutus, statim Investituram hujusmodi bonorum Equitibus S. Joannis Hierosolymitani concessit, eósque in possessionem misit omnium ad Templarios pertinentium toto quà latè patet Regno; possessionem eorum nomine ineunte *Leonardo de Thibertis* Ordinis ejusdem Procuratore Generali. Ita docet Instrumentum à *Petro Puteano* transcriptum ex Regesto veteri Senatusconsultorum Parisiensis Curiæ; quod quidem Instrumentum incipit his verbis: *Cùm propter abominationes*: & datum scribitur die Mercurii post Annuntiationem Dominicam.

VI.

VI. Id demonstrat Instrumentum Transactionis initæ inter *Ludovicum Hutinum* Regem Christianissimum, *Philippi Pulchri* filium ac Successorem, & *Fulconem Villaretium* Magnum Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Magistrum, . xiv. Februarii, anno MCCCXV. qua conventum est, ut Equites S. Joannis Hierosolymitani Regi solverent summam ducentarum sexaginta mille libellarum, aliásque summas non expressas; quibus debitis omnia Templariorum bona onerata erant, ejúsque Majestati oppignerata ob sumptus immensos, quos in promotionem Negotii istius, & abolitionem iosamis Ordinis contulerat *Philippus* Rex ejus pater: Non quòd (sic habet Transactio) jam tunc Equites S. Joannis Hierosolymitani bonis omnibus Templariorum non fruerentur vi possessionis initæ Autoritate *Philippi Pulchri*; sed quòd multæ rationes reddendæ superessent ab iis, qui Templariorum bona administraverant, ex quo capti sunt, ad tempus usque quo missi sunt in possessionem Equites S. Joannis Hierosolymitani, cùm multa etiam mobilia, & occulta nomina debitáque superessent; quorum tamen notitia quædam habebatur. Itaque Rhodios inter Equites & *Ludovicum X.* Regem convenit, debitorum hujusmodi, aliorúmque mobilium duas partes in fiscum cessuras; bonis immobilibus, quorum in possessionem à *Philippo Pulchro* missi erant, penitus intactis.

Ex his omnibus colligitur, avaritiæ hac in causa falsò insimulatum à nonnullis Autoribus *Philippum Pulchrum*: cùm evidentissimum sit, illum immobilia Templariorum bona ne leviter quidem tetigisse; & ex mobilibus exiguam ac modicam summam, *Clemente V.* Pontifice Maximo consentiente, sibi vendicasse, in justam expensarum in hujus causæ prosecutione à se factarum compensationem.

SCHOLION I.

In hac Dissertatione, Quæst. 1. Pag. 365. Edit. primæ. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Concilium Viennense decimum quintum numerari solet.*

R. Quid hic reprehensione dignum Censoribus visum sit, divinare difficile est. Concilia Oecumenica sic revera numerantur: Octo in Oriente celebrata, scilicet Nicænum I. Constantinopolitanum primum, Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum secundum in causa trium Capitulorum, Constantinopolitanum tertium contra Monothelitas, Nicænum secundum contra Iconomachos, Constantinopolitanum quartum contra Photium: Deinceps Concilia generalia in Occidente celebrata, Lateranense primum sub Callisto II. Lateranense secundum sub Innocentio II. Lateranense tertium sub Alexandro III. Lateranense quartum sub Innocentio III. Lugdunense primum sub Innocentio IV. Lugdunense secundum sub Gregorio X. Viennense sub Clemente V. &c. Istud, non minùs quàm reliqua, Oecumenicum agnosco, profiteor, & prædico. Quid igitur sibi volunt Religiosi Censores?

SCHOLION II.

Dissertationis & Quæstionis ejusdem pag. 368. hanc propositionem notant Religiosi Censores: *Rex Galliæ sedit à dextris Papæ super omnes, in Sede tamen aliquantulum inferiore.*

R. Historiæ res est: facti testis *Guillelmus Nangis* Continuator, Tom. xi. Spicilegii Dacheriani, pag. 644.

SCHOLION III.

Dissertationis & Quæstionis ejusdem pag. 369. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Secundum errorem Papa damnat SACRO APPROBANTE CONCILIO.*

R. Ita est: sic loquitur Clemens V. in Concilio Viennensi. Istane verba, SACRO APPROBANTE CONCILIO, ex Clementina prima *De Fide Catholica*, expungi vellent Religiosi Censores?

SCHOLION IV.

Dissertationis ejusdem Quæstione II. Articulo primo, pag. 376. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Facultas Parisiensis respondit, Regem cognoscere posse de causis Religiosorum, incarcerando, cum quadam tamen limitatione.*

R. Scripsi quidem, Sacram Facultatem Parisiensem à *Philippo Pulchro* interrogatam, antequam de Templariorum criminibus quæstio haberetur, respondisse: *Sæcularem Magistratum, nisi rogante Ecclesia, de crimine hæreseos, aut de causa Religiosi Ordinis, ejusque Professorum, cognoscere non posse: imminente tamen periculo reos capi posse ac detineri, cum proposito reddendi Ecclesiæ.* Hæc ego eo loci. Facti quæstio est, rem gestam refero, jus non examino. Quamquam istud Sacræ Facultatis Responsum prudentissimum sit, & Ecclesiasticæ Libertati ac jurisdictioni pro illorum temporum ratione faveat.

SCHOLION V.

Ejusdem Quæstionis & Articuli pag. 379. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Quia Papa ad se traxit auctoritatem cognoscendi delicta Templariorum, de hoc conqueritur Rex, quia aufert auctoritatem Episcopis Regni sui debitam, qua sine scandalo privari nequeunt.*

R. Et hæc Historiæ res est. *Clemens V.* (inquam) *Præsulum & Inquisitorum Gallicanorum auctoritate suspensa, causæ Templariorum cognitionem ad Sedem Apostolicam evocavit. Hæc Summi Pontificis agendi ratio Regem vehementer commovit, qui gravissimis animosisque Literis de injuria Episcopali Auctoritati illata conquestus est.* Mox verba Regis observatione digna descripsi: Historiæ Leges secutus sum.

SCHOLION VI.

Ejusdem Quæstionis & Articuli pag. 405. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Quandoque etiam in falsis Martyribus magna constantia.*

R. Veram Christianamque fortitudinem in falsis Martyribus fuisse, nemo dixerit, sed constantiam quamdam Philosophicam in iis quandoque visam nemo negaverit. Non aliud ibi scripsi. Verba mea adulterantur, & mala fide referuntur. *Magni Magistri*, inquam, *& aliorum Templariorum in perferendo ignis supplicio constantia seu pertinacia, eos insontes fuisse non probat. Extant enim & vetera & recentia exempla Hæreticorum & facinorosorum hominum, qui mortem intrepide aspexerunt: nec minor aliquando visa est externâ specie fortitudo in Martyribus Diaboli, quàm in Martyribus Christi, ut Circumcellionum, Priscilliani, Joannis Hus, & Hieronymi Pragensis aliorumque exempla notissima testantur.* Quid in hac observatione dignum censoriâ animadversione est?

SCHOLION VII.

Ad ejusdem Quæstionis & Articuli pag. 414. Religiosi Censores hanc notam apposuerunt: *De Sancto Antonino, quatenus Historico, malè loquitur.*

R. De S. Antonino judicium æquius ferri non potest, de illo majore cum reverentia loqui difficile. *Idem*, (inquam) *de S. Antonino dicendum, cujus veneramur sanctitatem, in quo Juris Canonici peritiam suspicimus, in Theologia Morali eruditionem ac integritatem prædicamus; at delectum in scribenda Historia desideramus. Vir scilicet simplex omnia quæ vulgi rumoribus jactabantur, avidè excipiebat, & in Chronicon suum absque examine asserebat. Hinc de Clemente V. nonnulla scriptis mandavit probrosa, & à nemine eorum tradita, qui Pontificum Vitas scripserunt, quod nempe libidini indulsit, &c.* Criticorum nemo de S. Antonino sic non censet, sic non loquitur. Sic de illo sensit vir maximus *Melchior Canus* Canariensis Episcopus ex Ordine Prædicatorum assumptus lib. xi. *De Locis Theologicis*, Cap. vi. Regula ii. *De Vincentio Bellovacensi & Divo Antonino*, inquit, *liberiùs judico: quorum neuterque non tam dedit operam ut res veras certâ quæ describeret, quàm ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet legeretur. Ita ab Historicum unumquemque existimandum, momentoque suo ponderandum, non artificum stateris, sed ne populari quidem trutinâ usi sunt. Quamobrem boni illi ut minimè fallaces viri, qui tamen nec Auctores eos, à quibus suos exscripsere Libros, diligenter examinarunt, nec res justis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud Criticos graves atque severos auctoritate carent.* Hæc Melchior Canus.

SCHOLION

SCHOLION VIII.

In Quæstione & Articulo iisdem, pag. 415. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Militia Templariorum à Curia Romana nimis Privilegiata.*

R. Non mea, sed *Bernardi Guidonis* Lodovensis Episcopi verba sunt, in Chronico Romanorum Pontificum.



DISSERTATIO XI.

Apologetica pro JOANNE XXII. Pontifice Maximo.

DUO sunt præcipuè capita in quibus *Joannem XXII.* erroris arguunt Novatores. Primùm, quòd circa paupertatem Christi & Apostolorum, dominiúmque vel usum FF. Minorum Constitutiones ediderit *Nicolai III.* Constitutioni, *Exiit qui seminat*, repugnantes; unde consequens sit alterutrum in Fidei dogmate definiendo errasse. Secundùm, quòd Sanctorum Animas, quibus nihil luendum superest, statim atque corporibus solutæ sunt, Deum non videre, nec eo frui, sed earum Beatitudinem ad supremum usque Judicii diem differri pronuntiaverit, atque propugnaverit. Nam in *Calvini* calumniis nihil moror confutandis, qui *Joanni XXII.* affinxit, quòd Animas esse mortales, unáque cum corporibus usque ad Resurrectionem interire docuerit, & Cardinalium neminem tantæ insaniæ se opposuisse. Utrúmque caput singillatim discutiemus.

Lib. IV. Instit. Cap. XXVIII.

ARTICULUS I.

JOANNIS XXII. Constitutiones de Paupertate Christi & Apostolorum, Dominióque vel Usu FF. Minorum, in Dogmate Fidei non sunt contrariæ NICOLAI III. Constitutioni, EXIIT QUI SEMINAT.

I. NIcolaus III. in Constitutione, *Exiit qui seminat*, quam in Sexto legere est, Tit. *De Verborum Significatione*, ubi FF. Minorum arctissimam paupertatem in eo positam esse declaravit, ut nihil sibi proprium vendicent *tam in speciali, quàm etiam in communi*, hæc subdit de Christi & Apostolorum paupertate: *Dicimus, quòd abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum, non tam in speciali, quam etiam in communi propter Deum meritoria est & sancta; quam & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit: quamque primi Fundatores Militantis Ecclesiæ prout ab ipso fonte hauserunt, volentes perfectè vivere, per doctrinæ ac vitæ exempla in eos derivarunt. Nec his quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur, Christum loculos habuisse: nam sic Jesus Christus, cujus perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quòd interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret: sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis.* Et infrà de FF. Minorum arctissima paupertate explicatiùs loquens, docere videtur ipsos nullum prorsus dominium rerum sibi concessa-

Nicolai III Constitutio.

A rum, sed simplicem usum facti habere. *Verùm*, inquit, *condecens suis ei Professioni, quæ sponte devovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum necessario usu fore contentam. Nec per hoc quod proprietatem usûs & rei cujusque dominium à se abdicasse videtur, simplici usui omnis rei renunciasse convincitur: Qui, inquam, usus, non juris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum, in utendo præbet utentibus nihil juris.* Et infrà: Dominium rerum FF. Minoribus concessarum Sedi Apostolicæ reservat, ad eámque pertinere declarat: *Ne talium rerum sub incerto videantur esse dominium, cùm patri filius suo modo, servus domino,*
B *& Monachus Monasterio, res sibi oblatas, concessas, vel donatas acquirant; omnium utensilium, & librorum, ac eorum mobilium, præsentium & futurorum, quæ & quorum usumfructum, scilicet Ordinibus ipsis vel Fratribus licet habere, proprietatem & dominium (quod & felicis recordationis Innocentius Papa IV. Prædecessor noster fecisse dignoscitur) in Nos & Romanam Ecclesiam plenè & liberè pertinere, hac præsenti Constitutione in perpetuum valitura sancimus.*

II. *Joannes verò XXII.* in Decretali, *Ad Conditorem*, quæ inter ejus Extravagantes legitur, Tit. *De Verborum Significatione*; simplicem usum
C facti in rebus concessis FF. Minoribus convenire negat, jus propriè dictum ipsis tribuit: Quia *Si simplex usus absque jure utendi haberi possit ab aliquo, constat quod non justus esset actus utendi hujusmodi reputandus: cum ille usus fuerit, cui jus non competebat utendi: Talis autem usus non justus ad perfectionis statum nequaquam pertinet, nec perfectioni aliquid adjicit, sed sibi repugnare potius ac detrahere noscitur manifestè.* Quamobrem dominium earum rerum Ecclesiæ Romanæ nomine in perpetuum abdicavit, illúdque Fratribus restituit.
D *De Fratrum nostrorum consilio, hoc Edicto in perpetuum valituro sancimus, quòd in bonis, quæ in posterum conferentur, vel offerentur, aut aliàs quomodolibet obvenire contingent Fratribus seu Ordini supra dictis, exceptis Ecclesiis, Oratoriis, officinis & habitationibus, ac vasis, libris, & vestimentis Divinis Officiis dedicatis vel dedicandis, quæ ad ipsos obvenient in futurum, nullum jus seu dominium aliquod occasione Ordinationis prædictæ, seu cujusvis alterius à quocunque Prædecessorum nostrorum super hoc specialiter editæ, Romana Ecclesia acquiratur, sed quoad hoc habeantur prorsus Ordinationes hujusmodi pro non factis.*

Joannis XXII. Constitutiones.

Jus propriè dictum in rebus concessis, quæ prius, concedit FF. Minoribus tribuit.

Dominium earum rerum Romanæ Ecclesiæ nomine in perpetuum abdicat.

E In altera verò Constitutione, quæ incipit his verbis: *Cùm inter nonnullos*, quæstionem de paupertate Christi & Apostolorum decretorio Judicio sic dirimit: *Cùm inter nonnullos Viros Scholasticos sæpe contingat in dubium revocari, utrum pertinaciter affirmare Redemptorem nostrum ac Dominum Jesum Christum, ejúsque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi, etiam Hæreticum sit censendum, diversa & adversa etiam sentientibus circa illud: Nos huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem hujusmodi pertinacem, cùm Scriptura Sacra, quæ in plerisque locis ipsos habuisse*
F *nonnulla asserit, contradicat expressè; ipsámque Scripturam Sacram, per quam utique Fidei Orthodoxæ probantur Articuli, quoad præmissa fermentum apertè supponat continere mendacii, ac per consequens, quantùm in ea est, ejus in totum fidem evacuans, Fidem Catholicam reddat, ejus probationem adimens, dubiam & incertam: deinceps erroneam fore censendam & hæreticam, de Fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus Edicto. Rursus in posterum pertinaciter affirmare, quòd Redemptori nostro, ejúsque Apostolis, iis, quæ ipsos habuisse Scri-*

Hæreticum esse declarat asserere, Christum & Apostolos nihil habuisse tam in communi quàm in speciali.

ptura testatur, nequaquam jus ipsis utendi competierit, nec illa vendendi seu donandi jus habuerint; aut ex ipsis alia acquirendi, quæ tamen ipsos de præmissis fecisse Scriptura testatur, seu ipsos potuisse facere supponit expressè: cum talis assertio ipsorum usum & gesta evidenter includat in præmissis non justa: quod utique de usu, gestis, seu factis Redemptoris nostri Dei Filii sentire nefas est, Sacræ Scripturæ contrarium, & doctrinæ Catholicæ inimicum: Assertionem ipsam pertinacem de Fratrum nostrorum consilio, deinceps erroneam fore censendam merito ac hæreticam declaramus.

Nicolai III. & Johannis XXII Constitutiones conciliantur

III. Nulla tamen est Constitutionum *Joannis XXII.* & *Nicolai III.* dissensio, quamvis in speciem pugnare videantur. Duas enim quæstiones attingunt, Prima est de Paupertate Christi & Apostolorum; altera de jure ac dominio FF. Minorum in res ipsis ad usum concessas. Prima Fidem spectat, altera Philosophiam Moralem & Jurisprudentiam. Quoad primam, *Joannes XXII.* à *Nicolao* non dissentit, siquidem *Nicolaus* non negat quin Christus aliquando rerum aliquarum dominium habuerit, earum maximè quibus utebatur, vel quas ad suos & suorum usus accipiebat, & aliquanto tempore servabat: sed asserit Christum abdicationem absolutissimam dominii rerum temporalium tam in communi, quàm in speciali, verbo & exemplo docuisse. Quod sanè verissimum est: Hanc enim verbo docuit, cùm ait Apostolis: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* (Matth. x.) Hanc exemplo docuit, siquidem ait de se ipso loquens: *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet.* (Matth. VIII.) Et sequebantur eum mulieres, *Quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* (Lucæ VIII.) Tunc enim absque loculis cum Apostolis Christus Dominus vivebat ex piorum largitionibus. Sed & aliud vitæ genus suo etiam commendavit exemplo, siquidem loculos cum Apostolis possidebat, ex quibus eos jubebat necessaria ad communem sustentationem, & pauperibus etiam eleemosynam erogari. (Joannis XIII.) Idque imminente etiam Passione. Porro Christum dominium júsque propriè dictum illas in pecunias non habuisse, absque hæresi dici non potest; alioquin eas injustè possedisset, injustè expendisset, atque ex bonis alienis & injustè possessis eleemosynas erogasset. Meritò igitur *Joannes XXII.* pertinacem hujus erroris assertionem hæreseos damnavit. Nec ab hac alienus fuerat doctrina *Nicolaus III.* qui Christum *infirmorum personam suscepisse in loculis* docuerat, & *infirmorum imperfectionibus condescendisse.* Quod tamen non ita intelligendum est, quasi possessio pecuniarum aliarúmve rerum in communi, & dominium júsque commune in eas perfectioni repugnet, vel imperfectum statum arguat eorum qui sic possident; sed unius imperfectionem & imbecillitatem naturæ, quæ multarum rerum subsidio cùm sustentanda sit, ad hæc infirmitatis nostræ subsidia comparanda necessariæ sunt pecuniæ, quibus etsi Christus ut Angelorum Dominus non egebat, huic tamen hominum infirmitati ac imperfectioni se accommodare dignatus est, dum loculos habere, & humano more iis uti voluit. Ita *Nicolai III.* Decretalem exposuere Cardinales, Episcopi, & Doctores eruditissimi à *Joanne XXII.* rogati ut sententiam ea de quæstione dicerent, scilicet Episcopus Aniciensis, Episcopus Soranus, *Petrus Columna* Diaconus Cardinalis, *Herveus Natalis* in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus Ordinis FF. Prædicatorum, quorum Responsa ex MSS. Bibliothecæ Vaticanæ profert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXII.

Addit Aniciensis Episcopus. (Is erat *Durandus à S. Porciano* ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus) Christum habendo loculos infirmis condescendisse, id est, scandalum patientibus, ex *Nicolai III.* sententia. *Alio modo*, inquit, *exponitur, quòd infirmos appellat, non illos, qui de loculis Domini vivunt; sed illos qui scandalizantur, putantes scilicet imperfectionis, vel minoris perfectionis esse, de loculis Domini vivere: talibus enim infirmis condescendens, seu compatiens Dominus, ne fortè scandalizarentur, & majori perfectioni adscriberent, si viderent servos Dei communes loculos habere, & de illis vivere: ideo loculos habere voluit, ut esset aliis in exemplum, ut legitur* XII. Quæst. I. Cap. *Exemplum accipite. Unde Augustinus in* II. *lib. De Sermone Domini in Monte*: Hoc autem vehementer cavendum est, ne fortè cùm viderimus aliquem servum Dei providere ne ista necessaria desint vel sibi vel iis quorum cura sibi commissa est, judicemus eum de crastino solicitum esse. Nam & ipse Dominus, cui Angeli ministrabant, tamen propter exemplum, ne quis postea scandalum pateretur, cùm aliquem servum ejus animadvertisset ista necessaria procurare, loculos habere dignatus est, quibus portabatur pecunia, de qua usibus necessariis, quicquid opus fuisset, præberetur; sicut Paulus Apostolus de crastino potest videri curasse, cùm dicit I. ad Corinthios XVI. *De collectis autem quæ fiunt in Sanctos, sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite.* Nec ad unum diem tantùm videtur victus iste procuratus. Et in his & hujusmodi Scripturarum locis satis apparet Dominum nostrum non improbare, si quis humano more ista procuret; sed si quis propter ista Deo militet, ut in operibus suis non Regnum Dei, sed istorum acquisitionem intueatur. Hæc *S. Augustinus*: Ex quibus Aniciensis Præsul colligit, *Nicolaum III.* in Constitutione sua locutum non fuisse *de infirmitate, quæ sonat imperfectionem statûs habentium loculos; sed de infirmitate illorum, qui possent scandalizari, cùm viderent servos Dei, seu Prælatos loculos habere.*

Hanc doctrinam confirmat *Herveus* insigni altero loco *S. Augustini*, verba illa Christi, *Nolite soliciti esse in crastinum* (Matth. VI.) exponentis. *Habebat Dominus loculos*, inquit, *& à Fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primùm Ecclesiasticæ pecuniæ forma instituta est, ut intelligeremus quod præcepit, non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servetur à Sanctis; sed ne Deo propter ista serviatur, & propter inopiæ timorem Justitia deseratur.* Formam autem Ecclesiasticæ pecuniæ à Domino institutam perfectioni Christianæ repugnare nemo dixerit; nec itaque perfectionis statui repugnat reservare bona oblata in futurum suis aliorúmque necessitatibus profutura, ut rectè colligit *Herveus*.

Addit *Soranus* Episcopus, Christum in gerenda imperfectorum persona, perfectionis apicem tenuisse. *Itaque sicut fugiendo egit ut infirmus, quia puerili ætati convenit fugere minantem, ut dicit Chrysostomus; in hoc nihilominus etiam perfectis dedit exemplum, ut cùm necessitas persecutionis evenerit, fugere non erubescant, ut dicit idem Chrysostomus: Fugere cùm oportet, & quando, adhibitis aliis circumstantiis, est virtutis. Sic etiam, quamvis portare loculos sit infirmitatis humanæ, & non competeret sibi ratione Deitatis; in hoc tamen exemplum dedit perfectis, Ecclesiæ videlicet Prælatis, ut ad usus pauperum facultates Ecclesiæ possideant in communi.*

Cardinalis *Petrus Columna* respondet, rectiùs fortè

tè dici posse, Christum habendo loculos, *non imperfectorum, sed perfectorum formam assumsisse; quia perfectionis & providentia fuit, suorum necessitatibus & egenis providere.*

Præterea, *Nicolaus III.* decretoriam sententiam in controversia Fidei ferre in animo non habuit, cùm laudatam condidit Decretalem, *Exiit qui seminat*; sed mens ejus una consiliúmque fuit, FF. Minores in Observantia Regulæ, quam ipsis tradidit *S. Franciscus*, confirmare; in qua quia paupertas arctissima præcipuus character Sacri Ordinis est, ipsam commendavit occasione datâ his verbis: *Dicimus quòd abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali, quàm etiam in communi, propter Deum meritoria est & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens docuit, & exemplo firmavit.* Sed commoda interpretatione temperari hanc propositionem oportet, qua asserit Christum abdicationem proprietatis omnium rerum tam in communi quàm in speciali, verbo & exemplo docuisse; *Omnium rerum*, inquam, *immobilium*. Ita interpretatus est Pontificiæ Curiæ Doctor Anonymus in Tractatu ea de controversia tunc temporis edito, cujus fragmenta ex MS. Vaticano profert *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXIV. Num. XXXII. Ita Parisiensis Academia, cujus ea de Quæstione Judicium ex MS. Vaticano edidit idem Annalium Ecclesiasticorum Continuator ad ann. MCCCXXIII. Num. XXXVIII. Tribus constat Assertionibus, quas probat singillatim. Prima, Quòd *Christus in quantùm homo habuit ab instanti suæ conceptionis dominium infusum in omnibus rebus creatis, & quantùm ad proprietatem, & quantùm ad usum.* Secunda, *Quòd acquisivit novum jus & novum dominium in aliquibus rebus sibi collatis à fidelibus & devotis, quando conversabatur in Mundo.* Tertia, *Quòd licet habuerit verum & plenum dominium infusum in omnibus creaturis, nunquam tamen fuit usus dominio rerum immobilium, nisi sicut & quantùm unus non dominus potest uti, nec habuit talis dominii executionem: dominio vero bonorum mobilium, quantùm ad usum & proprietatem fuit usus, sed valde paucorum, & parcè, propter nostrum exemplum.* Et hæc quidem de Christo. De Apostolis verò duo statuit & probat. Primò, *Quòd ante Christi Passionem habuerunt cum Christo aliqua bona mobilia in communi quantùm ad proprietatem.* Secundò, *Quòd post Passionem Christi, ipsi Apostoli & Discipuli habuerunt aliqua in communi, quorum fuerunt veri Domini, quantùm ad proprietatem & usum.*

Sacræ Facultatis Parisiensis doctrinale judicium de Christi & Apostolorum paupertate.

Istud Parisiensis Academiæ Dogmaticum Judicium secutus est *Joannes XXII.* in Extravaganti *Quia quorumdam*, & *Nicolai III.* Constitutionem in hunc sensum est interpretatus: *Nicolaus Prædecessor noster videtur sensisse quòd Christus & Apostoli, etiam quoad proprietatem, habuerunt aliquid in communi. Cum enim in sua Declaratione prædicta verba de abdicatione proprietatis dixisset, respondens objectioni tacitæ, quæ sibi de loculis, quos Christus habuisse in Evangelio legitur, poterat fieri, statim quæ sequuntur subjunxit: Nec his quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur, Christum loculos habuisse. Nam sic ipse Christus, cujus perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quòd interdum infirmorum imperfectioni condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret: sic & infirmorum personam Christum asserit in loculis suscepisse. Alias impertinens de loculis fuisset objectio, nisi intellexisset, Christum etiam quoad proprietatem loculos habuisse. Præterea, si diceretur Christum in loculis habuisse tantummodo simplicem usum facti, frustra diceretur, quòd in persona infirmorum ipsos Christus habuit loculos: cùm secundùm eum perfectis etiam conveniat habere simplicem usum facti.* Addit, quòd *in communi, & quoad proprietatem habere aliqua, non derogat altissimæ paupertati*, secundùm *Gregorium IX.* in quadam sua Decretali dicentem: *Fratres Prædicatores & Minores in altissima paupertate Christo pauperi famulari: & tamen constat ipsos Prædicatores habere in communi etiam quoad proprietatem aliqua, quod eorum Regula & statui non repugnat.* Alexandrum IV. in damnatione libelli contra statum FF. Prædicatorum & Minorum idem sensisse, cùm asseruit, *Eosdem Fratres omnia propter Deum dereliquisse, exilia vita subsidia mendicantes, Christúmque imitari pauperem, perfectionem Evangelicam amplexando, propter quod evidenter apparet, eos non solùm in statu salvandorum existere, sed etiam perfectorum; & per suæ Religionis observantiam, quæ quidem ipsius Evangelicæ perfectionis tenet formam, in æterna retributionis præmio præcellentem gloriam promereri.* Prædicatores tamen constat *habere posse, etiam quoad proprietatem, aliqua, juxta eorum Regulam, in communi.*

Istud Sacræ Facultatis judicium secutus est Johannes XXII.

Aliqua in communi etiam quoad proprietatem possidere, non derogat altissimæ paupertati.

Nicolai III. Sententiam & verba alii alio modo sunt interpretati, cùm ista disceptaretur controversia: scilicet, cùm dixit, *Abdicationem proprietatis omnium rerum, non tam in speciali, quàm etiam in communi, Christum viam perfectionis ostendentem docuisse, & exemplo firmasse*; de abdicatione omnium rerum non necessariarum ad vitam locutum esse: necessaria quippe ad vitæ sustentationem abdicari non posse, cùm hujusmodi sustentatio à Deo imperetur. Sicque illud *S. Hieronymi* in Epistola ad *Rusticum* Monachum, *Nudum Christum nudus sequere*, impleri, Cardinalis *Gancellinus* dixit: quia *Non est multum vestitus, qui pauperem victum habet, sine quo sustentari non potest.* Ejus Responsum ex MS. Codice Vaticano laudat *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXII. Num. LXV.

Aliæ Sententiæ ac verborum Nicolai III. interpretationes.

Alii de abdicatione omnium rerum quoad curas nimias, *Nicolaum III.* sunt interpretati. Ita *Bertrandus*, Titulo *S. Mariæ in Aquiro* Cardinalis, ab eodem Authore, ex eodem MS. laudatus: *Nec obstat*, inquit, *quòd vita Christi fuit, quam verbo docuit, & exemplo firmavit, non habere aliquid in communi, nec in speciali, quia illud verum est quantùm ad superfluitatem seu thesaurizationem; non autem intelligitur quantùm ad necessitatem propriam seu aliorum: Quia tale habere, (ut puto) non diminuit aliquid de perfectione paupertatis, cùm augeat de perfectione caritatis.*

Alii *Nicolaum III.* cum Evangelistis conciliarunt, perfectam abdicationem Christum verbo & exemplo docuisse, & nihilominus loculos, & dominium habuisse respondentes, diversis temporibus. Ita Cardinalis *S. Cyriaci*, cujus Judicium ex MS. Vaticano laudat *Odoricus Raynaldus* ad eumdem annum, Num. LXVI. *Videntur ista duo se posse compati*, inquit, *scilicet Christum nihil habuisse, & Christum aliquid habuisse, hoc ad diversa tempora referendo; sed ad idem tempus non videtur.* Quam interpretationem secuti sunt duo magni nominis Cardinales, qui *Joannis XXII.* & *Nicolai III.* Constitutiones inter se non pugnare demonstrarunt, scilicet *De Turrecremata* in Summa *De Ecclesia*, Cap. CXII. & *Bellarminus* lib. IV. *De Romano Pontifice*, Cap. XIV. & alii recentiores Theologi.

Ubertinus de Casalis à Summo Pontifice rogatus sententiam, adhibita distinctione respondit: Christum & Apostolos in duplici statu spectari posse. *Fuerunt enim universales Prælati Ecclesiæ Novi Testamenti. Et hoc modo habuerunt quantùm ad auctoritatem dispensationis & distributionis pro dando pauperibus*

Ubertini de Casalis suffragium.

pauperibus & Ministris Ecclesiæ, sicut de Apostolis scribitur Actuum IV. *Et negare quod non habuerunt isto modo, esset hæreticum. Et de hoc non est quæstio. Et ista Prælationis auctoritate dicitur Christus loculos habuisse. Secundo Christus & Apostoli possunt considerari ut speciales personæ & singulares, fundamenta perfectionis Religiosæ, & perfecti contemptores Mundi, & gloriam Mundi calcantes, & Christi consilia de supererogatione perfectionis in se ipsis observantes, & omnibus volentibus esse perfectis exempla lucida tribuentes. Et si isto modo quæratur utrum habuerint, distinguendum est de duplici modo habendi; quorum primus est civilis & mundanus, quem modum Leges Imperiales definiunt, duas ejus* » *partes ostendentes in hæc verba*: Ea in bonis no» stris esse dicuntur, in quibus habitis exceptio» nem & defensionem, & non habitis repetitio» nem habemus. *Et ita patet quod qui habet aliquid civiliter & mundanè, potest defendere rem suam ab invasore, & repetere à detentore sub Judice Imperiali. Et isto modo dicere quod Christus & Apostoli habuerunt res mundanas, est hæreticum, quia est contra Sanctum Evangelium. Nam Christus Rex pacificus, qui Apostolos suos fecit filios pacis, separavit eos ab omni mundano litigio, dicens* » *Matthæi* V. Et qui vult tecum in Judicio conten» dere, & tunicam tuam tollere, præbe ei & pal» lium. *Et Lucæ* VI. Ab eo qui aufert tibi vestimen» tum & tunicam, noli prohibere; & qui aufert » quæ tua sunt, ne repetas. *In quibus verbis Christus removet à se, quia ipse fecit quod docuit, & à suis Apostolis, quibus hoc imposuit, duas partes Juris Civilis & mundani, scilicet defensionem habiti, & repetitionem perditi. Et iste modus habendi dicitur propriè habere in re proprietatem & dominium. Et Christus & ejus Apostoli isto modo non habuerunt. Idcirco B. Petrus pro se & aliis Apostolis dixit sicut verus pauper*: Ecce nos reliquimus omnia. (*Matth.* 19.) *Dicere ergo quod Christus & Apostoli ejus habuerunt isto modo, esset hæreticum, & blasphemum. Et isto modo credo quod intelligant FF. Minores, licet non distinxerint diversos modos habendi. Alio modo possunt haberi res temporales, scilicet quantum ad jus naturale & communis caritatis fraternæ. Et isto modo Christus & Apostoli habent bona temporalia jure naturali, quod ab aliquibus dicitur jus poli, ad sustentationem naturæ, repellentes omnia quæ divitias saperent, vel delicias redolerent, vel mundi pompam nutrirent. Et isto modo habuerunt vestes, panes, pisces, sicut dicit* » *Apostolus* I *ad Timotheum*: Habentes alimenta, » & quibus tegamur, his contenti sumus. *Nec aliqua professio, nec aliquod consilium Christi est quod prohibeat talem modum habendi, scilicet quantum ad necessarium usum vitæ. Et ideo dicere quod Christus & Apostoli ejus non habuerunt isto modo, esset hæreticum. Et isto modo credo quod volunt dicere FF. Prædicatores. Tamen non distinxerunt de modo habendi.* Istam *Ubertini de Casalis* responsionem edidit Clarissimus *Baluzius* ex MS. Codice Inquisitionis Carcassonensis, lib. 1. Miscellaneorum, pag. 307.

Bertrandi Cardinalis S. Mariæ de Aquiro sententia,

Aliis ea præ cæteris placet interpretatio, qua Decretalis *Exiit*, intelligenda esse dicitur ut fert moralis loquendi modus, quatenus, maximo vitæ tempore & frequentissimè Christus & Apostoli omnium rerum egeni & inopes fuerunt: ita flumen dicit, quamvis aliquando ejus alveus exarescat. Unde Christum habuisse loculos, cum *Nicolaii III.* sententia eo sensu accepta non pugnat. Qui paupertatem arctissimam, id est, omnium rerum abdicationem, non tam in speciali, quàm etiam in communi, moraliter sumptam Christum verbo & exemplo docuisse, & Apostolos coluisse asseruit: non confictam illam, & nugacibus Dialecticorum argutiis à *Michaële Casenate*, *Okamo*, & aliis Schismaticis Pseudo-Minoritis contra *Joannis XXII.* Constitutionem, *Cum inter nonnullos*, pertinaciter propugnatam, quâ vestis etiam, potûs, & cibi, seu rerum aliarum usu consumptibilium proprietatem à Christo abdicatam fuisse, & simplicem duntaxat usum facti, absque ullo prorsus in res illas dominio ac jure ipsos habuisse contendebant. *Bertrandus* Cardinalis S. *Mariæ de Aquiro* hæc expositio est. Hanc porro expositionum varietatem peperit potius tuendæ veritatis Evangelicæ, quàm Decretalis *Nicolai III.* commodo sensu explicandæ studium. Pertinacem namque Pseudo-Minorum assertionem, Christum & Apostolos nihil habuisse nec in speciali, nec in communi, sive nullum jus ac dominium in res quas habebant & quibus utebantur, contendentium, Evangelium evertere, Cardinalibus, Prælatibus, Doctoribus, qui Censorium hac de controversia Judicium, jussione *Joannis XXII.* tulere, visum est. *Petri de Arreblayo* Tit. S. *Susannæ* Presbyteri Cardinalis, & *Petri* Cardinalis S. *Stephani in Cœlio Monte*, Suffragia seu Responsa, ex Vaticano descripta MS. legat, qui voluerit, apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCCXXII. Num. LVI. & LIX.

Jacobi Novelli Cardinalis sententia.

Sanè *Jacobus Novellus* Cardinalis ex Ordine Cisterciensi assumptus, & in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, qui *Joanni XXII.* in Summo Pontificatu successit sub nomine *Benedicti XII.* in erudito Commentario hac de Quæstione edito, *Nicolai* Sententiam explicare non satagit, sed hac unâ ratione ipsum excusat, quòd opinando locutus fuerit in Constitutione, *Exiit*, dicendo, Christum & Apostolos omnium rerum proprietatem abdicasse, neque illam Sententiam ceu articulum fidei credendam Ecclesiæ universæ proposuisse: adeòque corrigi potuisse à *Joanne XXII.* qui obortam in Ecclesia controversiam ex Sacra Scriptura diremit.

Nicolai III. sententia corrigi potuit à Joanne XXII.

Licet, loquit, *illud*, de abdicatione Proprietatis omnium rerum à Christo & Apostolis, *in Constitutione dictâ contineatur; tamen ex Scriptura Divina verum esse, ibi non ostenditur, sed solummodo narratur. Et tamen jam nos ostendimus, quod contrarium haberi potest ex Scriptura Apostolica & Evangelica: ex qua Scriptura motus Dominus noster Papa Joannes declaravit dictam Assertionem, si pertinax esset, hæreticam esse, sicut contrariam Divinæ Scripturæ. Nec hoc asserit simpliciter & determinatè Dominus Nicolaus, qui dictam Constitutionem fecit, sed solummodo hoc dicit incidenter & narrativè. Posito etiam quod determinativè diceret, non obstat, cum contrarium inveniatur in Scriptura Divina, si diligenter attendatur, & nunc est per Ecclesiam determinatum.*

Nicolaus III. excusatur.

Cùm autem sibi proposuisset illam Pseudo-Minorum objectionem: Si contenta in prædicta Decretali, *Exiit*, sunt falsa & hæreticalia, sequitur quòd Papa *Nicolaus* erravit in Fide Catholica, & Hæreticus fuit: Id consequens esse negat: *Quia dum voluntas non sit in crimine, si ex defectu humanæ intelligentiæ error contingat, non est simpliciter culpabilis error, taliter, quòd debeat pro errore damnabili reputari, ut patet in Petro quem Paulus reprehendit; in Cypriano Martyre, quem sic excusat Augustinus lib. De Baptismo contra Donatistas. Item quia dicit Augustinus in Epistola ad Hesychium: Error vitandus est, quantùm ab homine vitari potest, sed mihi quisquam non videtur errare, cum aliquid nescire se scit, sed cum putat se scire quod nescit. Nicolaus autem faciens Decretalem,* Exiit, *non videtur quòd putaret se contra veritatem fidei ac morum determinare certitudinaliter, quòd scientiam requirit: quia dixit, quòd si aliquod dubium in sua Declaratione insurgeret,*

insurgeret, non per quoscunque sed per Romanum Pontificem declarari haberet. Multùm autem dubitabile erat id quod dixerat de paupertate Christi & Apostolorum, & an usus in omnibus rebus possit separari à dominio & proprietate. Ideo potuit & debuit Dominus Joannes illud dubium declarare, cum contrarium ex Scriptura Divina & Legali possit deduci. Et sic Dominus Nicolaus non erravit in fide simpliciter: quia non putavit vel putabat se scire quod nesciebat, sed putabat se nescire quod non sciebat. Alioquin frustra & sine causa, si crederet se scire prædicta, aliquem correctorem vel emendatorem vellet habere; cùm illud quod veraciter scitur sic esse, sit impossibile aliter se habere. Et ita ipse non erravit perniciosè, nec Ecclesia sequens eum, quia sub declaratione & correctione Auctoritatis Apostolicæ Sedis illa quæ dixit, asseruit; propter quod ejus error venialis, & humanus fuit: nec error simpliciter debet dici, ut patet per dictum Augustini supra inductum. Et similiter disputans excusat B. Petrum. Has & alias *Jacobi* Cardinalis Responsiones ad Fraticellorum Objecta contra Constitutiones *Joannis XXII.* legere est apud *Eymericum* nostrum II. P. *Directorii Inquisitorum*, Quæst. XVII.

In controversia de FF. Minorum arctissima paupertate non pugnant Nicolai III & Johannis XXII. Constitutiones.

IV. Quod spectat Controversiæ caput alterum, de FF. Minorum arctissima paupertate, an simplicem duntaxat usum facti, an jus etiam & dominium habeant iis in rebus quæ usu consumuntur, non pugnant etiam *Nicolaii III.* & *Joannis XXII.* Constitutiones. Quia *Nicolaus III.* eorum tantùm bonorum dominium Ecclesiæ Romanæ reservavit, quorum *simplex usus facti* ad FF. Minores pertinere potest, *quod nequaquam potest in rebus usu consumptibilibus reperiri, in quibus nec jus utendi, nec usus facti separata à rei proprietate seu dominio possunt constitui vel haberi.* Et quod his de rebus non intellexerit *Nicolaus* evidenter ostendit, dum respondet Legi dicenti: *Non posse usum-fructum à dominio perpetuo separari, ne dominium dominis semper abscedente usu, inutile redderetur. Quæ quidem Lex de rebus illis intelligitur, quarum penes unum usus rei, & penes alium dominium possit, licet inutile, remanere: Quod nequaquam in rebus usu consumptibilibus potest esse; cùm in illis per usum, vel abusum usuarii, substantia talis rei esse desinat, & per consequens proprietas etiam inutilis non subsistat.* Prætereà, si simplex usus absque jure utendi in hujusmodi rebus haberi posset, usus ille justus non esset. Usus autem non justus perfectionis statui potius derogat, quàm ipsum juvet ac promoveat. Quod autem usum non justum FF. Minoribus relevandum intellexerit *Nicolaus III.* nemo Sapientum existimabit. Immò justum usum intellexisse, ex eo compertum est, quòd in eadem Constitutione adjecit: *Quòd illarum rerum duntaxat in se & Ecclesiam Romanam recipiebat dominium, quarum usum facti liceret habere Fratribus seu Ordini antedictis:* Subjungens, *Quòd non rerum omnium usum habere debeant Fratres ipsi. Quantùm autem ad usum facti simplicem absque omni jure utendi attinet, nulla rerum quoad Fratres differentia est censenda: sic enim uti de facto possunt prohibitis ut permissis.* Usus itaque facti, de quo loquitur *Nicolai III.* Constitutio, non alius intelligendus est, quàm qui justus sit, id est, *pro quo competat jus utendi.* Et hoc expremit evidenter, *Cum in eadem Ordinatione adjecerit, quod moderatus usus in expressis prius rebus ipsis Fratribus est concessus.* Ita Decretalem *Nicolai III.* interpretatur *Joannes XXII.* in Extravaganti, *Ad Conditorem* & in Extravaganti, *Quia quorumdam.*

Sed quamvis *Joannem XXII.* à *Nicolao III.* dissensisse detur, neutrum tamen in fidei dogmate errasse compertum est, siquidem hujusmodi Quæstio fidei summam non spectat, sed Jurisprudentiam, aut Moralem Philosophiam. Unde & post *Joannis XXII.* Constitutiones, *ad Conditorem*, &, *Quia quorumdam*, secùs de istas Quæstione licet opinari: præsertim cùm Martinus V. in Bulla, *Amabilis fructus*, Eugenius IV. in Decretali, *Provisionis nostra*, Calixtus III. Nicolaus V. Pius II. Paulus II. Sixtus IV. in Bulla, *Dum uberes fructus*, Joannis Constitutionem, *Ad conditorem*, quatenus arctissimæ FF. Minorum paupertati derogare videbatur, revocarint: qua de re legendus *Wadingus* in Annalibus Minorum ad ann. 1322. Usum rerum quæ ipso usu consumuntur, puta esculentorum & poculentorum à dominio distingui; & FF. Minores cibi & potus, ac rerum, quibus ii utuntur, cæterarum non esse dominos, quia etsi oblatis uti liceat, non tamen illa vendere aut in judicio vendicare, docent *Dominicus Soto* lib. IV. *De Justitia & Jure* Quæst. I. Art. I. *Ledesma* II. P. in IV. Quæst. XVIII. Art. I. Dub. II. *Bannes* Secunda Secundæ, Quæst. LXII. Art. I. Dub. I. Conclus. III, & IV. *Bellarminus* Cardinalis lib. IV. De Romano Pontifice Cap. XIV. & alii. Quæstio ista probabilibus utrinque fulcitur argumentis. Licuit itaque *Nicolao III.* dominium júsque in res, quæ usu consumuntur, Fratribus Minoribus negare, & quicquid in iis juris est ac dominii, Sedi Apostolicæ reservare, (si tamen is est Constitutionis ejus sensus) maximè cùm Decessorum suorum, FF. Minorum Regulam suis Decretalibus explicantium, scilicet *Gregorii IX. Innocentii IV.* & *Alexandri IV.* auctoritate niteretur. Licuit & *Joanni XXII.* à *Nicolao III.* hac in Quæstione dissentire, & jure in escam, potum, & vestes FF. Minorum cedere, & Procuratores nomine Romanæ Ecclesiæ bona ipsis oblata administrantes, ac in Judicio vel extra repetentes aut defendentes abrogare: præsertim cùm *Nicolaus* Constitutionis declarationem suæ uni Sedi Apostolicæ reservasset his verbis: *Si quid in prædictis ambiguitatis emerserit, hoc ad culmen Sedis Apostolicæ deducatur: ut ex Auctoritate Apostolica sua in hoc manifestetur intentio, cui soli concessum est in his Statuta condere, & condita declarare.* Fratribus Minoribus, aliisve non licuit absque contumaciæ & rebellionis in Romanam Ecclesiam vitio, Constitutionem, *Ad Conditorem*, impugnare, & contra statuta per ipsam verbo vel scripto approbare aliquid vel defendere. Licuit nihilominus & licet, *Nicolai III.* Constitutione, quatenus FF. Minorum statum spectat, in integrum ab aliis Summis Pontificibus restitutâ, dissentire à *Joanne XXII*, cui tamen propterea erroris dica scribi non potest, cùm assertionem contrariam hæreseos non damnaverit, ut ipsi Pseudo-Minoritæ affingebant. Quam ille calumniam diluit in Extravaganti, QUIA QUORUMDAM. *Non enim*, inquit, *continetur in Sententia supra dicta, quòd contra faciens ut Hæreticus haberetur, quæ quidem quoad hoc continet quæ sequuntur: Nos enim nihilominus auctoritate præsentium districtiùs inhibemus, ne quisquam præmissa, vel aliquod præmissorum, pertinaciter asserere, vel quomodolibet defensare præsumat: Quicunque verò hoc præsumpserit, tanquam contumax, & Ecclesiæ Romanæ rebellis ab omnibus Fidelibus habeatur. Non fuit adjectum quòd ut Hæreticus haberetur, ut patet in serie Sententiæ condemnationis prædictæ.*

Neuter Pontificum in hujus dogmate erravit.

Quibus igitur pœnis dignus non fuit *Veranus* ille & alii Minoritæ ad Schisma usque pertinaces, de quibus *Guillelmi Nangii* Continuator ad annum MCCCXXIX. scribit: *Adductus est Avenioni quidam F. Minorum de Provincia oriundus, nomine Veranus, qui apud Montempessulanum, & in aliis eorumdem locis solemnibus dicebatur fuisse Lector, ob*

Falsi quidam Fratres Ord. Minorum ad Schisma usque pertinaces.

hoc quia contra Papam dicitur publicè prædicasse; qui ad ejus adductus præsentiam, nullâ sibi factâ reverentiâ, dixit sibi in facie, Quod erat verus Hæreticus & non Papa, & quòd pro ista veritate desiderabat mori. Requisitus de causa dixit: Quia tu destruis, vel destruere niteris paupertatem Evangelicam, quam Christus verbo docuit & exemplo. Propter quod dictum (inquit) *detentus est in carcere cum quindecim aliis ejusdem Ordinis Fratribus, qui de diversis Mundi partibus adducti, propter sua dicta hæretica in diversis carceribus miseri detinentur.*

Ordo Sacer FF. Minorum illos, eorumque prava dogmata & facta impia damnavit.

Quæ tamen Ordini Sanctissimo nullam infamiæ labem inurunt, cùm in Obedientiâ *Joannis XXII.* constanter perseveraverit, & segreges illos Fratres eorúmque dogmata & facta impia damnaverit. Testem profero eumdem *Nangiani Chronici* Continuatorem, ad eumdem annum, ubi cùm retulit Parisiensem Episcopum, *coassistentibus sibi quibusdam aliis Episcopis, convocato Clero & Populo,* multos Processus factos contra *F. Petrum Raynultii* ultra Montes pro Papa se gerentem, necnon *Ludovicum Bavarum*, & *F. Michaelem* quondam FF. Minorum Generalem, & ipsorum complices promulgasse, *& inter sicut Hæreticos, & ab unitate Fidei Catholicæ & Ecclesiæ præcisos Auctoritate Apostolica Excommunicationis Sententiam fulminasse*: subdit: *Quo sic peracto, incontinenti F. Henricus de Semons, Doctor in Theologia, & Provincialis Ordinis Minorum, in præsentia omnium surrexit, & ex parte Generalis eorum Capituli, quod pro tunc Parisius tenebatur, ne in aliquo viderentur falsis Fratribus se favorabiles exhibere, facta, processus, & excommunicationes contra Fratres prædictos Ordinis eorum per Dominum Papam factas, dicens hæc verba:* Fidelia omnia mandata ejus confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate & æquitate; *palam & publicè approbavit, depositionémque F. Michaelis quondam Generalis eorum Ministri per Dominum Papam factam, ex parte Generalis eorum Consilii & etiam Capituli & Ordinis, justam & laudabilem protestatus fuit: factóque Antipapa, & prædicti F. Michaelis, Fratris etiam Bonagratia, & F. etiam Francisci de Ordine FF. Minorum, & eorum si qui essent fautores vel complices, tanquam falsa & hæretica, & eorum Ordinis inimica & contraria reprobavit, & de eorum factis vel maleficiis, Fratres & Ordinem multipliciter excusavit.* Hæc observare operæ pretium duxi, quia sacrum FF. Minorum Ordinem, cæterósque omnes (ut Virum Religiosum decet) caritate complector, licèt unum singulariter sim professus.

ARTICULUS II.

JOANNES XXII. *in eam quidem propendit Veterum quorumdam erroneam Sententiam, quòd Sanctorum Animæ ad supremi diem usque Judicii Visione Dei Beatifica non fruantur; sed eam ut Dogma Fidei credendam Ecclesiæ non proposuit.*

I. CONtroversiam istam in Curia Pontificia anno MCCCXXXII. agitari cœptam; *Joannem XXII.* in suis ad Cardinales Collationibus Scripturæ Sacræ oracula ac Patrum dicta in utramque partem protulisse: jussos Cardinales, Præsules, aliósque Doctores, Quæstionem diligentissimè excutere; Libellum etiam ad *Petrum Rogerii* Archiepiscopum Rotomagensem, eo de argumento transmisisse, *Odoricus Raynaldus* ex *Joannis* ipsius Regesto, ex *Joanne Villani* lib. x. Cap. CCXXX. & *Ptolomeo Lucensi* in Historiæ Ecclesiasticæ lib. XXIV. Cap. XLII. commemorat. Cùm verò Minister Generalis FF. Minorum, aliíque nonnulli, eum errorem propugnassent ac prædicassent, in quem *Joannes* propendere videbatur, Sanctorum Animas ante generalem corporum Resurrectionem Beatifica Dei Visione non frui, *Philippus* Rex Christianissimus Catholicæ Fidei succensus ardore, hujus erroris Assertores durioribus verbis increpuit, mortem etiam ut Hæreticis minatus, ni dicta revocarent, teste *Joanne Villani.* Qua de re certior factus Pontifex, datis ad Regem Litteris, apud ejus Majestatem conquestus est, illíque significavit, nihil se ex proprio ingenio hac in controversia protulisse, sed ex Scriptura Sacra & SS. Patribus, & eam Virorum Eruditorum disceptationi permisisse, ut in apertam lucem veritas discussa prodiret. *Cum autem*, inquit, *hanc Quæstionem B. Augustinus in Scriptis suis reputaverit valde dubiam, & circa eam variasse dicatur, & nedum ipse, sed & multi Doctores alii circa istam materiam varient: propter hoc, ut veritas possit meliùs aperiri, Nos interdum in nostris Sermonibus mentionem habuimus, non proferendo verbum de nostro capite, sed dicta Scriptura Sacra & Sanctorum, præcipuè illorum, quorum Scriptura ab Ecclesia sunt recepta: multique tam Cardinales, quàm alii, coram nobis & alibi in suis Sermonibus pro & contra de illa materia sunt locuti: & nedum in Sermonibus, immò publicè, Prælatis ac Magistris in Theologia præsentibus, est in Curia pluries Quæstio hujusmodi, ut sic pleniùs posset inveniri veritas, disputata. Et quia, Fili Dilectissime, forsan tibi dicitur, quòd nos non sumus in Theologia Magister, audi quid unus Sapiens dicat:* Non quis, *inquit*, sed quid dicat, intendit. *Utinam, Fili, sicut & alias meminimus nos scripsisse, velles audire quæ in nostris Sermonibus diximus Regia Celsitudo, & unum verbum de capite nostro nos non protulisse reperires; sed quæ Christus, vel Apostoli, vel Sancti Patres & Doctores Ecclesiæ protulerunt. Hæc Venerabili Fratri nostro Petro Rotomagensi Archiepiscopo tradidimus, ut ea, si sibi liberet intendere, duceret exponenda; cui & nunc scribimus ut hoc impleat, si tuæ placuerit Majestati. Profectò, Amantissime Fili, si quæ circa istam materiam aliqui scripserint & dixerint, sciret tua Magnificentia, meritò miraretur. Interdum quidam hoc scripserunt & dixerunt, quòd hæc Quæstio erat tua; quòd tua Prudentia per totum Regnum partem illam prædicari tanquam veram faceret, & aliam ut hæreticam reprobari: multisque comminati sunt Religiosis & Secularibus, sub umbra tui Culminis, si partem illam, quòd Anima separata Divinam Essentiam non videant, & visionem quam vocat Apostolus facialem, quod de illa procedit Quæstio, illos capi facerent per Inquisitores Hæreticæ Pravitatis. Hæc, Fili Carissime, licet veritate, (ut supponimus) careant, quanquam bene credamus quod ad hæc facienda & dicenda tuam Excellentiam duxerint stimulandam, ad honorem Regium nequaquam pertinere noscuntur. Et quia, Amantissime Fili, scimus quòd in his vel aliis ut elucidetur veritas intendes, rogamus Benevolentiam Regiam, ut per fidelem seu fideles nuncios Magistris in Theologia, & Baccalariis Parisiis legentibus facias nunciari, quòd talibus minis illatis non obstantibus, quilibet dicere, & disputare, & prædicare valeat, quod sibi juxta Doctrinam Evangelicam & Apostolicam disputandum videbitur, & etiam prædicandum, donec aliud ordinatum per Sedem fuerit Apostolicam, vel etiam declaratum. Sic enim ad veritatem Quæstionis prædicta poterit promptiùs perveniri.* Ex Vaticano Codice hanc Epistolam descripsit *Odoricus Raynaldus*, ad annum MCCCXXXIII. Num. XLVI. Scripsit

Joannes XXII. ad Philippum Valesium Regem Christianissimum litteræ

interim

interim eruditum pro Catholico Dogmate Commentarium *Durandus à S. Portiano* Meldensis Episcopus, quem ad *Joannem XXII.* transmisit. Hunc ex MS. Vaticano descripsit *Odoricus Raynaldus*, Num. XLIX.

Parisiensis Academiæ, Regisque pro fidei conservatione studium.

Tom. XI. Spicilegii.

II. Parisiensis Academiæ pro tuenda fide constantiam, & *Philippi Valesii* Regis Christianissimi pro ejusdem conservatione studium, hac in Controversia Christianus orbis suspexit. Quæ tunc Parisiis gesta sint, Continuator Chronici *Guillelmi Nangii* coævus Scriptor commemorat ad annum M. CCCXXXIII. *Hoc anno*, inquit, *cùm prædicatio quam Dominus Joannes Papa debuit prædicare, in qua publicè, ut ferebatur, dixerat, quòd Animæ decedentium in gratia non vident Deum per essentiam, nec sunt perfectè beatæ usque post resumptionem corporum (quod multos scandalizaverat) quasi sopita videretur; publicè tamen apud Avenionem, ubi Papa tunc residebat, istud dictum est à pluribus, & maximè à quibusdam Cardinalibus ob favorem, aliis propter timorem Summi Pontificis prædicti: Nam quemdam FF. Prædicatorem, qui contra errorem istam prædicaverat, statim in carcerem fecit poni, volens ut sustineretur ac etiam prædicaretur. Parisius autem cùm à Magistris & tota Facultate Theologiæ reprobaretur, missi sunt à latere ipsius Papæ Parisius duo Magistri in Theologia, unus de Ordine FF. Minorum ejusdem Ordinis Generalis, alter de Ordine FF. Prædicatorum, qui sibi in opinione sua consentiebant; & quamvis fingerent se pro reformanda pace inter Regem Scotiæ esse missos, apparuit tamen quòd pro alio non venerant, nisi ut Magistros in Theologia Regentes Parisius, cum aliis de Regno Franciæ, subverterent, & ad opinionem suam adducerent. Sed ita per Dei gratiam non accidit; nam cùm idem Generalis Minister eamdem Quæstionem in præsentia Scholarium quasi infinitorum determinaret, & teneret pro Conclusione, affirmando quòd Animæ decedentium seu Animæ Sanctorum non vident nec videbunt Deum visione beatifica & gloriosa usque ad assumptionem corporum in die extremi Judicii: hoc audito, magnum murmur inter Scholares auditum est, dicentes talem errorem sine punitione transire non debere. Audiens autem scandalum quod erat Parisius pro hac determinatione Frater Prædicator, qui cum illo venerat, quid de his pro quibus missus fuerat in Franciam faceret vel diceret, nisi statim ad Papam rediret? Sed in quodam Sermone ipsum Pontificem super errore prædicto excusavit, dicens, Quòd nequaquam tenebat, nec unquam istam tenuerat doctrinam, quæ ponit quòd Animæ Sanctorum non videbunt Deum usque ad diem Judicii. Et cùm ad aures Regis Franciæ Philippi ista devenissent, tanquam verus Catholicus ac Pugil Christi Fidei fortissimus valde condoluit, quòd talis Zizania erroris in medio tritici fidei, quæ semper in Regno Franciæ viguit superseminaretur: Et cùm audiret prædictus Minister, quod Rex super hoc malè contentus erat, ivit ad eum, ut super hoc se excusaret; sed Rex animadvertens & dubitans ne ipse verbis involveret, dixit ipsum in præsentia bonorum Clericorum in Theologia libenter audire. Tunc Rex accersitis decem Magistris in Theologia de sufficientioribus qui tunc Parisius poterant inveniri, quorum quatuor erant de Ordine Minorum, interrogavit eos in præsentia dicti Magistri, Quid eis de doctrina quam nuper Parisius seminaverat, videretur? Qui omnes reprobaverunt eam, ipsam cum determinatione sua falsam & hæreticam reputantes; sed ad hoc non potuerunt eum adducere, ut cum eis concordaret.* Cæterùm Ministrum illum Generalem Minorum ad errorem illum disseminandum Parisios à Summo Pontifice missum non fuisse, sicut rumor percrebuit, *Joannes* ipse XXII. testatur, calumniam diluens Epistola ad Regem Christianissimum data. *Adhuc*, inquit, *in*

Thomam Valleysium.

eisdem Literis Regiis vidimus contineri, quod à pluribus dicebatur, quòd Nos miseramus dilectum filium Geraldum Othonis Generalem Ministrum FF. Minorum Parisios ad docendum & prædicandum, Quòd Animæ separatæ à corpore & à pœnis purgatæ Divinam Essentiam usque post Resurrectionem corporum non videbant. Ad quod dicimus & asserimus coram Deo, Quòd nunquam hoc cor nostrum intravit, nec exivit ab ore. (Tom. IX. P. II. Epist. Secret. pag. 191. ab *Odor. Rayn.* laudato.)

Sacræ Facultatis Parisiensis de ista controversia doctrinale judicium.

Narrat subinde *Nangii* Continuator quomodo Episcopi, Abbates, & Theologi Parisienses à Rege *Philippo Valesio* in Saltu Vincennarum congregati Censorium ista de controversia Judicium tulerint, & ad *Joannem XXII.* scripserint, eum ut ab errore in quem propendebat revocarent. *Sed*, inquit, *Rex adhuc super hoc non contentus, altera die satis cito post fecit vocari in Domo sua de Nemore Vincennarum omnes Magistros in Theologia, cum omnibus Episcopis & Abbatibus, qui tunc Parisius potuerunt inveniri, vocato etiam prædicto Ministro. Cùm resedissent, Rex in Gallico suo duo eis quærendo proposuit. Primum fuit, Utrum Animæ Sanctorum ex nunc videant faciem Dei? Aliud fuit, Utrum ista visio qua nunc vident faciem Dei, in die Judicii deficiat, alia superveniente visione? Ad primam quæstionem omnes responderunt affirmativam. ad secundam similiter responderunt, Quod ista visio non in die Judicii deficiet, sed permanebit æternaliter. Verum est quòd aliqui dixerunt, Quòd ista visio in die Judicii perfectior erit: & cum istis prædictus Minister, non sponte, sed quasi coactus (ut videbatur) concordatus est. Et de ista sententia Rex petivit ab omnibus Magistris ibidem assistentibus unam Literam sigillis istorum singulorum munitam; quod & factum est, nam factæ sunt tres Literæ eamdem formam continentes, sigillatæ singulæ XXIX sigillis, quia tot erant ibi Magistri: Quarum Literarum ex parte Regis una fuit missa Papæ, mandans sibi à latere quatinus sententiam Magistrorum de Parisius,* * *qui melius sciunt quid debet teneri & credi in Fide quam Juristæ, & alii Clerici, qui parum aut nihil sciunt de Theologia approbaret, & quòd sustinentes contrarium corrigeret.*

* *Nota.*

Editum in Historia Universitatis Parisiensis, supra laudato, Tom. IV. pag. 236.

Instrumenti ea de re editi, Regique Christianissimo porrecti Autographum in Archivo Majoris Conventus FF. Prædicatorum Parisiensium, & in Scriniis Theologicæ Facultatis ad hæc usque tempora servatum est, cujus exemplar ad *Joannis XXII.* fidem vindicandam describo. *Serenissimo Principi ac Domino, Domino Philippo Regi Francorum Illustri, sui devoti Capellani, ejusdem miseratione: Petrus Patriarcha Hierosolymitanus, Petrus Archiepiscopus Rothomagensis, Guillelmus Bernardi Cancellarius Parisiensis, Joannes de Blaagiaco Archidiaconus Vulcassini in Ecclesia Rotomagensi, Nicolaus de Lyra Ordinis FF. Minorum, Joannes de Memborio Ordinis S. Benedicti, Matthæus de Archis, Petrus de Palma Prior Provincialis Ordinis FF. Prædicatorum in Francia, Joannes de Caricampo Ordinis Cisterciensis, Petrus de Casa Prior Generalis FF. B. Mariæ de Carmelo, Simon de Menestiis, Guillelmus de Castro Reginaldi Ordinis FF. Prædicatorum, Germanus Celati, Yacinthus de Gyaco Ordinis FF. Prædicatorum, Guillelmus de Brenna Ordinis FF. Minorum, Guillelmus Calco Ordinis FF. Prædicatorum, Olivarius Saladini, Gerardus de Pergamo Ordinis Eremitarum S. Augustini, Petrus de Verberia Ordinis Vallis-Scholarium, Nicolaus de Alexandria Ordinis Eremitarum S. Augustini, Petrus Herse Ordinis Carmelitarum, Nicolaus Boneti Ordinis FF. Minorum, Durandus de Aureliaco Ordinis FF. Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magistri, cum sui humillima recommendatione:*

Per

Per temporalis Regni regimen sic transire, ut perveniat ad perpetui Regni culmen. Placuit Regiæ vestræ Majestati Nos Dominica IV. *Adventus in vestro Manerio in Nemore de Vincennis ad sui præsentiam convocare, nósque requirere, quod vellemus corporale Juramentum præstare, quod super petendis à Nobis de statu Animarum Sanctarum à corporibus exutarum, veritatem quam sentiebamus, fideliter & absque palliationis cujuscunque velamine diceremus, assistentibus Regiæ vestræ Celsitudini Excellentibus Principibus Dominis Philippo Dei gratia Rege Navarræ, Joanne Primogenito vestro Normanniæ, Ludovico Borbonii, Ducibus; Carolo germano vestro, Alençonii; Guidone Blesensium, Comitibus: Ac Reverendis Patribus Guillelmo Auscitano Archiepiscopo, Guillelmo Parisiensi, Andrea Attrebatensi, Guillelmo Convenarum, Petro Ruthenensi, Rogerio Lemovicensi, Bernardo Aniciensi, Joanne Nivernensi, Episcopis, Guillelmo Electo Ebroicensi, Petro Cluniacensi, Guidone S. Dionysii, Petro S. Germani de Pratis, Hugone Corbeiensi, Abbatibus; & aliorum tam Clericorum, quàm Baronum, & Militum, Consiliariorum vestrorum, Religiosorúmque & Secularium multitudine copiosa. Præfato autem Juramento per Nos præposito, duæ nobis fuerunt propositæ Quæstiones. Prima, Utrum Animæ Sanctorum in cœlo existentes videant Divinam Essentiam facie ad faciem ante resumptionem corporum, & ante Judicium Generale. Secunda, Utrum visio, quam de Essentia Divina nunc habent, evacuabitur in die extremi Judicii, alia succedente. Et quia, Princeps Serenissime, Vos ut Dominum nostrum carissimum, Fundatorem, & Guardiatorem Parisiensis Studii, & nostræ ibidem Theologicæ Facultatis, Regémque Præcellentem revereri tenemur, & vestris Jussionibus obedire; Attendentes specialiter id quod ab ore vestro ibidem audivimus, Quòd nihil in hac materia quærebatis quod tangere posset Sanctissimum Patrem ac Dominum nostrum Joannem Dei providentiâ Sacrosanctæ Romanæ & Universalis Ecclesiæ Summum Pontificem, cujus sumus devoti servi & filii; quin immo sicut filius ejus devotissimus, honorem suum in his & aliis Zelabatis: Advertentésque quod multorum fide dignorum relatione audivimus, Quod quicquid in hac materia sua Sanctitas dixit,* NON ASSERENDO SEU OPINANDO PROTULIT, SED SOLUMMODO RECITANDO. *Considerantésque quod, juxta Principis Apostolorum doctrinam, De ea quæ in nobis est fide & spe parati esse debemus omni poscenti nos reddere rationem, sigillatim quod sentiebamus super petitis respondimus, & omnes in hanc sententiam convenimus; Quòd à tempore mortis Domini nostri Jesu Christi, per quam pretium redemptionis humani generis extitit persolutum, omnes Animæ SS. Patrum, quas idem Salvator noster ad Inferos descendens eduxit de limbo, cæterorúmque Fidelium Animæ, quæ de corporibus exierunt, nihil habentes purgabile, vel quæ jam in Purgatorio sunt purgatæ, ad visionem nudam & claram, beatificam, intuitivam, & immediatam Divinæ Essentiæ, & Benedictissimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quam Apostolus* I. *ad Corinthios* XIII. *Cap. nominat Visionem faciei ad faciem, sunt assumptæ, ipsâque Deitate perfectè fruuntur: & jam quod crediderunt videntes, quod speraverunt tenentes, non in spe, sed in re sunt beatæ: Quanquam dicta Visio quam nunc habent, resumptis corporibus minimè evacuabitur alia succedente, sed ipsa mes in eis, cùm sit earum vita æterna, perpetuò remanebit.*

Joannes XXII. [illegible] à calumnia vindicatus.

1. Petri 3. 15.

Et quia, Princeps Inclyte, postmodum in die S. Joannis Evangelistæ Nos fecistis Parisius congregare, & ibidem fuimus vestro nomine requisiti, ut illud quod dixeramus, redigeremus in scriptis, nostris ibidem sigillis appensis; licèt supplicavissemus, quòd de iis quæ jam dixeramus, dignaretur vestra Celsitudo Regia contentari; vel quòd sicut quilibet sigillatim responderat, ita in scriptis redigeret sigillatim: Tamen nolentes vestris Jussionibus contraire, præsentes Literas sub appensione sigillorum nostrorum, in præmissorum testimonium, Regali Excellentiæ duximus concedendas. Et Nos Guillelmus le Petit, Henricus de Sonjons Minister Principalis Ordinis FF. Minorum in Francia, Ægidius de Pertico, Joannes de S. Dionysio Ordinis S. Benedicti, Guillelmus Haerces Pœnitentiarius Parisiensis, & Robertus de Bardis, in eadem Facultate Theologica Doctores, qui in dicta Convocatione facta in Nemore Vincennarum præsentes non fuimus, ex causis legitimis impediti; postmodum in aliis Congregationibus vestro nomine requisiti, præmissis Quæstionibus consimiliter convenimus; cum præfatis Patribus & Magistris per omnia respondemus, & idem quod ipsi dixerunt in prædicta materia, credimus & sentimus: In cujus rei testimonium sigilla nostra, unà cum sigillis eorum præsentibus Literis duximus apponenda. Datum Parisius apud S. Mathurinum, in nostra Congregatione Generali Magistrorum in Theologia Regentium & non Regentium, secunda die Januarii, anno Domini MCCCXXXIII.

Quod à Rege Christianissimo enixè postulaverat *Joannes XXII*, ut inveniendæ & asserendæ veritatis gratiâ Quæstionem in utramque partem Parisiis agitari permitteret, obtinere non potuit. Immo Rex Doctrinali Sacræ Facultatis Judicio fretus, vehementissimas literas ad Ipsum scripsit, rogum etiam (si credere fas est) ipsi intentans, ni revocaret errorem, quem ipsum pertinaciter tueri fama mendax vulgaverat. *Et manda qu'il se revoquast, ou qu'il le feroit ardre.* Verba sunt *Petri Alliacensis* Cameracensis Episcopi, & deinde S. R. E. Cardinalis, in Oratione, seu (*ut ille vocat*) Propositione, quam de tollendo Schismate & sancienda Ecclesiæ Pace habuit coram Rege Christianissimo *Carolo Sexto* III. Idus Decembris, anno MCCCCVI. Regi Gallicanæ Ecclesiæ & Sacræ Facultatis Parisiensis doctrinâ afflato persuasum erat, Romanum Pontificem, *Ex Cathedra*, id est, *Accedente Ecclesiæ consensu* non loquentem, infallibilem non esse, sed in errores etiam contra Fidem impingere posse, ac ut privatum Doctorem eos pertinaciter propugnare, docere, prædicare.

Minaces Regis ad Joannem XXII. literæ zelo fidei condendæ.

Summum Pontificem ut privatum Doctorem in fide errare posse, Gallicanæ Ecclesiæ & Parisiensibus Theologis persuasum erat.

Idem persuasum erat Viris ex Ordine Sacro FF. Prædicatorum maximis, doctissimis, fortissimis, *Petro Paludano* Hierosolymitano Patriarchæ, qui Theologorum Parisiensium Conventui, Deliberationi ac Doctrinali Judicio de Visione beatarum Animarum & *Joannis XXII.* sententiâ præfuit, *Durando à Sancto Porciano* Meldensi Episcopo, qui eruditum Commentarium tunc scripsit pro Catholico Dogmate, quem misit ad Summum Pontificem, ut eum ab errore revocaret; *FF. Petro de Palma, Guillelmo de Castro Reginaldi, Hyacintho de Giaco, Guillelmo Calco, Durando de Aureliaco*, ejusdem Ordinis Professoribus & in Sacra Facultate Parisiensi Doctoribus, qui eidem Judicio Doctrinali in Saltu Vincennarum lato interfuerunt & subscripserunt; *Thoma Valeis* seu *Valen* Anglo, ejusdem Ordinis Doctori, qui contra errorem illum in quem *Joannes XXII*, propendebat, è sacro Suggestu maximo fervore prædicavit, ac propterea in Pontificis odium incurrit, cujus mandato in carcerem conjectus & fame cruciatus est, constanti Catholicæ Veritatis defensione operatus *cibum qui non perit*. De quo *Gobelinus Persona* Paderbornensis Officialis perhonorificè scribit in Cosmodromii Ætate sexta, Cap. LXXI. *Joannes XXII.* (inquit) *postquam senex effectus est, desipuit, prædicans Animas*

F. Thomæ Valeis Ordinis FF. Prædicatorum Doctoris, in Catholico dogmate prædicando generosa libertas.

mas separatas à corporibus non videre Essentiam Divinam visione faciali ante diem Judicii. Contra quem Thomas Vallsis de Ordine Prædicatorum, se exponens periculo propter Fidem Catholicam, publicè prædicavit. Itaque propter hoc Papa misit eum in carcerem, & ibidem fame cruciatus est, sed tandem liberatur magno cum honore. Papa etiam in extremis constitutus, ad instantiam quorumdam amicorum suorum, prædictum errorem revocavit.

Eumdem commendat *Paulus Langius* Citizensis Monachus in Cœnobii sui Chronico, his verbis: *Thomas de Valas Ordinis Prædicatorii, Theologiæ Magister Insignis, circa hæc tempora exponens se periculo ob Fidem Catholicam, prædicavit Avenione publicè contra Papam Joannem, propter errorem ejus de cæcitate Animarum separatarum, omnibus Prælatis Ecclesiasticis* (Curiæ Pontificiæ) *dissimulantibus & diu tacentibus. Qui ob id anno proximo ab Inquisitore hæreticæ pravitatis, sed & latenter hæretico, incarceratur Avenione, ubi pro Christi fide multa passus est. Sed paulò post precibus Philippi Regis Gallorum, pro eodem Papa scribentis, libertati datur. Anno Domini* MCCCXXXIV. *Joannes Papa moritur; & antequam migraret è vita, revocavit errorem suum supra dictum de Animabus separatis.*

His addendum *Alberti Krantzii* testimonium lib. VIII. Wandaliæ Cap. XVI. *Hoc erat illud tempus* (inquit) *quo sub Joanne ejus nominis XXII. scindebatur Ecclesia, de Visione separatarum Animarum: cùm nonnulli ex Fratribus Minoribus pertinaciter tuerentur, illam differri usque ad novissimam diem: quibus multùm inhærere videbatur Pontifex. Sed Fratres ex adverso Prædicatores docebant, Mox resolutam corpore Animam Justi, cælos ad beatam vitam penetrare: quibus Prælati & Doctores ferè omnes in Palladio Parisiensi subscripsere: qui etiam ea de re misere literas Pontifici. Scripsit & Rex illorum temporum Franciæ Philippus.* Hæc hominum nostrorum in tuenda veritate constantia, hæc in Pontificis erga FF. Prædicatores benevolentissimi ac beneficentissimi errore palam impugnando generosa libertas, insigne istud Ordinis nostri ab ore *Ludovici Bavari* Imperatoris, aliàs nostro Sodalitio, quod à *Joanne XXII.* contra nefarium ipsius Schisma invictè steterat, infensi, expressit Elogium: *Ordo Fratrum Prædicatorum est Ordo Veritatis, quam intrepidè ac liberè contra Errones quantumvis Potentes adverso pectore tuetur.* Refert *Bzovius* ad annum MCCCXXXIII. ex antiquioribus & probatis Autoribus.

FF. Prædicatorum in tuenda veritate constantia.

Ordo FF. Prædicatorū, Ordo veritatis.

Johannis XXII Protestatio & Declaratio.

Anno MCCCXXXIV. die III. Januarii, *Joannes XXII.* in publico Consistorio contestatus est, Nunquam sibi fuisse in animo credere, asserere, aut credendum aliquid proponere, quod Scripturæ Sacræ vel Fidei Orthodoxæ contrarium esset; ac si quid sibi in Collationibus & Sermonibus de Visione Animarum excidisset, id ut præter mentem dictum revocare. Testis est *Benedictus XII* ipsius Successor, in Diplomate, quod ex MS. Vaticano descripsit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXXIV. Num. XXXV. *Sanè*, inquit, *cùm jamdudum per nonnullos revocaretur in dubium, an Animæ à corporibus separatæ, ac à peccatis & pœnis peccatorum purgatæ, ante resumptionem corporum videant Divinam Essentiam, illâ videlicet visione quam vocat Apostolus facialem; & super hoc tam in Sermonibus, quàm in aliis Collationibus & Collocutionibus per fælicis recordationis Joannem Papam XXII. Prædecessorem nostrum, & plures alios in ejus præsentia multa dicta, recitata, scripta, & prædicata fuissent; volens idem Prædecessor verbis & linguis malignantium obviare, anno à Nativitate Domini* MCCCXXXIV. *Indictione II. die* III. *mensis Januarii, S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, multisque Prælatis & in Sacra Theologia Magistris, aliisque personis & Tabellionibus publicis in Consistorio Apostolico coram eo personaliter constitutis, dixit, asseruit, & protestatus extitit sub hac forma:*

A

Ne quis sinistrè interpretari possit, Nos sensisse aliqua aut sentire, quod Sacræ Scripturæ obviet, aut Fidei Orthodoxæ, dicimus & protestamur expressè, quod quicquid in Quæstione seu materia Visionis Animarum, videlicet an Animæ à peccatis & pœnis peccatorum purgatæ videant Divinam Essentiam illâ visione, quam Apostolus vocat facialem; seu quacunque alia materia in Sermonibus & Collationibus

B

nostris diximus, allegavimus, seu proposuimus, non intendentes aliquid determinare vel decidere seu credere, quod esset quovis modo Scripturæ Sacræ obvium, vel contrarium Fidei Orthodoxæ; sed illud solùm tenere & credere, quod & Scripturæ Sacræ potest & poterat, & Catholicæ Fidei convenire: & si forsan in prædictis Sermonibus, vel Collationibus aliqua quæ vel Scripturæ Sacræ seu Fidei Orthodoxæ quovis modo essent vel viderentur obvia, ipsa præter intentionem à nobis fuisse prolata dicimus & asserimus, eàque revocamus expressè, non intendentes illis adhærere, nec ea in præsenti defendere, nec etiam in futurum.

C

Lethali demum ægritudine correptus, convocatis Cardinalibus & Prælatis, die III. Decembris ejusdem anni, Tabellionibus publicis etiam præsentibus, hanc edidit Fidei suæ Declarationem, quam laudato Diplomati *Benedictus XII.* inseruit: *Ne super iis quæ de Animabus purgatis, separatis à corporibus, an citra resumptionem corporum Divinam Essentiam, illâ visione videlicet quam vocat Apostolus facialem, videant, tam per nos, quàm per nonnullos alios, in præsentia nostra recitando & allegando Sacram Scripturam, ac originalia & dicta Sanctorum, vel aliàs ratiocinando, sæpius dicta sunt aliter, quàm per nos dicta & intellecta fuerant,*

D

& intelligantur ac dicantur, auribus Fidelium valeant inculcari; ecce quod nostram intentionem, quam cum Sancta Ecclesia Catholica circa hæc habemus, & habuimus, serie præsentium, ut sequitur, declaramus. Fatemur siquidem & credimus, quòd Animæ purgatæ separatæ à corporibus, sunt in Cælo, Cælorum Regno, & Paradiso, & cum Christo in consortio Angelorum congregatæ, & vident Deum ac Divinam Essentiam facie ad faciem clarè, in quantum status & conditio compatitur Animæ separatæ. Si verò alia vel aliter circa materiam hujus-

E

modi per Nos dicta, prædicata, seu scripta fuerunt, quoquo modo illa diximus, prædicavimus, vel scripsimus circa præmissa, vel alia quæ Fidem concernunt Catholicam, Sacram Scripturam, vel bonos mores; ea in quantum sunt consona Fidei Catholicæ, determinationi Ecclesiæ, Sacræ Scripturæ, ac bonis moribus, approbamus: aliter autem illa habemus, & haberi volumus pro non dictis, prædicatis, & scriptis, & ea revocamus expressè: Ac ea quæ de prædicta Visione, & omnia alia dicta, prædicata & scripta nostra de quacunque materia, ubicun-

F

que & in quocunque loco, ac in quocunque statu, quem habemus, vel habuerimus hactenus, summittimus Determinationi Ecclesiæ & Successorum nostrorum.

Hic *Joannis XXII.* Libellus concordat antiquæ Fidei Formulæ, quæ *Clementis IV.* & *Joannis XXI.* temporibus præscripta est Græcis, in qua post multa quibus Symbolum Ecclesiæ fusiùs explicatur, hæc habentur: *Hæc est vera Fides Catholica, & hanc super dictis Articulis tenet & prædicat Sancta Romana Ecclesia: sed & propter diversos errores à quibusdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat eos, qui*

post Baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram Pœnitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum. Et quibusdam interjectis: *Illas igitur Animas, quæ post suum Baptisma nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post peccati maculam contractam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, fuerunt purgatæ, mox in cœlum recipi.* Refert *Odoricus Raynaldus* ad annom MCCCXXXVI.

Joannes XXII. à calumnia vindicatur.

Quod *Gerso* Parisiensis Cancellarius, & *Hadrianus VI.* asserunt vel innuunt, *Joannem XXII.* in errorem impegisse, nec tantùm propendisse in Sententiam damnandam, sed eam asseruisse & propugnasse, refellitur testimoniis locupletissimis ejusdem Pontificis, ejusque Successoris *Benedicti* XII. Parisiensis Academiæ, *Ptolomæi Lucensis* lib. XXIV. Historiæ Ecclesiasticæ ab *Odorico Raynaldo* ex MS. Vaticano sæpius laudatæ, Cap. XLIX. & *Joannis Villani* lib. XI. Cap. XIX. qui cùm Authores *Joanni* XXII. coævi fuerint, majorem quam *Gerso* & *Hadrianus* in rebus Historicis sui temporis fidem merentur. Sic porro *Gerso* in Sermone De Festo Paschatis, illud explicans, *Hodie mecum eris in Paradiso. Propter quod insuper apparet falsitas doctrinæ Papæ Joannis XXII. quæ damnata fuit cum sono buccinarum coram Rege Philippo Avunculo tuo per Theologos Parisienses, de Visione Beata, & credidit potius Theologis Parisiensibus, quàm Curia.* Sic verò *Hadrianus VI.* in IV. Sententiarum, de Ministro Confirmationis agens: *Ad secundam principale de facto Gregorii, dico 1. Quod si per Romanam Ecclesiam intelligatur Caput illius, puta Pontifex: certum est, quod possit errare etiam in iis quæ tangunt fidem, hæresim per suam Determinationem, aut Decretalem asserendo. Plures enim fuerunt Pontifices Romani Hæretici: Item & novissime fertur de Joanne XXII. qui publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quòd Animæ purgatæ ante finale Judicium non habent stolam, quæ est clara & facialis Visio Dei, & Universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quòd nemo in ea poterat Gradum in Theologia adipisci, nisi primitus hunc errorem pestiferum jurasset se defensurum, & perpetuò ei adhæsurum.* Joannis XXII. Historiam accuratè non expenderat *Hadrianus* VI. sed incertis rumoribus crediderat; ut indicat ille loquendi modus, *fertur, dicitur.* Guillelmo Okam *Ludovici Bavari* stipendiario, *Joannis* XXII. hosti, homini schismatico, & *Aventino*, qui ipsum authorem habet atque laudat, multò minùs contra hunc Pontificem credendum est.

Tandem, quamvis in errore illo *Joannes* XXII. versatus fuisset, quod falsum esse ostendimus, certissimum est ipsum erroneam illam opinionem ut dogma fidei Ecclesiæ credendam non proposuisse, neque hanc controversiam Apostolico Judicio finivisse, ut testatur ejus Successor *Benedictus* XII. in Diplomate quod incipit, *Benedictus Deus*, Tom. I. Bullarii Romani. *Cùmque*, inquit, *idem Prædecessor noster, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum hujusmodi se pararet, in Consistorio suo publico tam Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quàm Prælatis & Magistris in Theologia, qui multi aderant præsentes, injungendo districtius & mandando, ut super materia de Visione prædicta, quando requirerentur ab eo, deliberatè diceret unusquisque quod sentiret: Tamen morte præventus, sicut Domino placuit, perficere illud nequivit.*

Sanè *Joannes XXII.* in Diplomate Canonizationis S. Thomæ, *Cœlum credentibus & humilibus patere*, à Christo in Cœlos ascendente *reseratam dudum clausam in se credentibus januam Paradisi, S. Thomam devicto triumphatóque mundo in*

A *perpetuas æternitates receptam in patria, ejus Animam cœlum possidere, & in cœlestibus agminibus positum, Deum glorificare* profitetur. Et in Diplomate Canonizationis *S. Ludovici* Tolosani Episcopi ait: *Huic cœli præstant hospitium, cœli cives eum sibi conformem & comparem ad suum hunc consortium admittunt in supernis; Christus hunc reficit, idem ipse prandium & conviva.* Et infra: *Tandem gloriosam resolutus in mortem, qui hic vivus ambulavit in innocentia, in medio domûs suæ ad Deum suum contemplandum in gaudio, facie revelatâ, in*
B *suæ innocentia est ingressus.* Et in Diplomate Canonizationis *S. Thomæ Herfordiensis* Episcopi: *Lætentur*, inquit, *cœli sursum, qui hunc Sanctam gloriosam in se suscipiunt.* Et infrà: *Cœlestis Imperii ipse ineffabili throno gaudet.* Itáne porro locutus fuisset *Joannes XXII.* si Beatitudinem Sanctorum ad extremum usque Judicii diem differri credidisset?

Bulla Sabbatina, dubiæ fidei.

Addet quispiam & Bullam Sabbatinam, quæ *Joanni* XXII. à PP. Carmelitis tribuitur, in quâ Virgo Deipara sic eumdem Pontificem affata dicitur: *Fratres dicti Ordinis à supplicio absolventur*
C *& culpa, & à die quo isti recedent ab hoc seculo & properato gradu Purgatorium accelerabunt, Ego Mater gratiosè descendam Sabbatho post eorum obitum primo, & quos in Purgatorio invenero, qui habitum meum portaverint, & meo amore Religionem, vel Confratriam, vel Societatem meam intraverint, & in hoc seculo laudabiliter vixerint, à pœnis Purgatorii liberabo, & eos in montem sanctum vitæ æternæ gloriosè reducam.* Sed Instrumento dubiæ fidei uti nolim. Bullæ stylus stylo cæterorum *Joannis* XXII. Diplomatum planè dissimilis; annorum datæ Bullæ discrepantia apud *Gregorium* &
D *Casanatensem* Carmelitas, qui ipsam referunt; varia Revelationis à Beata Virgine *Joanni XXII.* factæ narratio in utriusque Scriptoris exemplari; absurditas, repugnantiaque verborum quæ cœlorum Reginæ affinguntur, quæ *Joannem* Vicarium Filii sui appellat, & ipsum nihilominus se facturum Papam pollicetur; vocis, *Mercurii*, nequaquam Ecclesiasticæ pro Feria quarta usurpatio, silentium Autorum qui pro *Joanne XXII.* contra *Ludovicum Bavarum* scripserunt, Alexandri de Sancto Elpidio, Augustini Triumphi, Alvari Pelagii, Autoris Historiæ depositionis Petri de Corbario, quam
E Robertus Cœnalis Tom. II. De Utroque Gladio inseruit, omnium qui Pontificum Vitas scripserunt; silentium item præcipuorum Ordinis Carmelitici Scriptorum, Philippi Riboti in libris de Institutione & peculiaribus gestis Carmelitarum, Joannis Chimetensis in Speculo Historiali declarativo Status Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli, & in Speculo Ordinis, Joannis Grossi in Viridario, Thomæ Vualdensis Tom. de Sacramentalibus, iis in Capitibus ubi de Religiosorum vestibus, & de suffragiorum Ordinis participatione differit, Autoris Compendii Historiæ & Jurium Ordinis: Promissio absurda salutis æternæ quam B. Virgo fecisse
F supponitur iis omnibus qui Carmelitarum Ordinem ingressi fuerint, aut Scapulare gestaverint; cùm tamen irritum esse non possit Christi verbum, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* nec Sacramentalibus hujusmodi sit annexa gratia perseverantiæ, cujus promissio ne Sacramentis quidem annexa est: descensus fictitius B. Virginis in Purgatorium Sabbatho primo post obitum Confratrum & Sororum sacri Sodalitii Scapularis, ut eos à pœnis liberet; cùm solâ intercessione, suffragiis, meritis, protectione speciali sibi devotas animas juvare Deipara possit, quæ ut hæc sibi post mortem prodessent meruerint, & pro meritorum mensura, quæ non est in omnibus æqualis; non autem spiritualt in animas

Gregor. et Nazar. à S. Basilio in Opere Gallico de l'Adoption. Sanctorum Virginis in Ordine & Confratria Dominæ nostræ de Monte Carmelo, M. Anton. de Casanate in Carmelit. Domus Paradisi.

mas imperio; quod asseruerat F. *Petrus Arcis* Carmelitarum Præsentatus, qui ad palinodiam compulsus est à Sacra Facultate Parisiensi anno M. DCXXIV. die XXIII. Novembris. Hæc (inquam) momenta, quæ latè exponit *Joannes Launoius* Theologus Parisiensis in Dissertatione *De Bulla Sabbatina Joannis XXII.* quanquam Gregorius Nazianzenus à S. Basilio, M. Antonius Casanatensis, Joannes Cheronius in Privilegiatis Scapularis Vindiciis, Thomas Aquinas à Sancto Joseph, Daniel à Virgine Maria, Ordinis Carmelitici Scriptores, diluere conati sint, fidem tamen illius Diplomatis elevant. Quamobrem illius autoritate hac in controversia uti nolim. Salva sint nihilominus & inconcussa Confraternitatis Scapularis Beatæ Virginis, ad Christianam pietatem promovendam plurimùm conducentis, Privilegia, *Pauli Quinti* Diplomate explicata & confirmata anno MDCXIII. Indulgentia Sabbatina secundùm illius Diplomatis tenorem promulgetur & asseratur, ut octo Doctores Sorbonici ab Illustrissimo Archiepiscopo Rotomagensi *Francisco Harleo* anno MDCXLVIII. consulti responderunt. Valeant denique, & qua par est veneratione excipiantur Indulgentiæ omnes *Clementis X.* Diplomate quod incipit, *Commissæ nobis*, die VIII. Maii MDCLXXIII. Sacro Carmelitarum Ordini, piòque Mariani Scapularis Sodalitio confirmatæ.

His omnibus addiderim, Quòd *Joannes XXII.* etsi non quærendæ ac elucidandæ veritatis gratiâ, Quæstionem de Sanctarum Animarum beatifica visione in utramque partem disceptari optasset, etsi in sententiam de dilatione beatitudinis illarum ad extremum Judicii diem non inclinasset solùm, sed eam expressè asseruisset atque propugnasset, venialiter tamen errasset, quia nondum Ecclesia ut Dogma Fidei definiverat, *Illorum Animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum & unum sicuti est.* Quæ tandem veritas eliquata, & totius Ecclesiæ Judicio in Oecumenica Synodo Florentina firmata est. Denique hæreseos nota propterea inuri non posset *Joanni* XXII. ut *Okamus* in Dialogo temerè inussit, tùm ob eam rationem, tum quòd pertinacem non fuisse, ejus Literæ, & promptus ad revocandum errorem animus testentur.

SCHOLION I.

Articulo secundo Dissertationis istius Religiosi Censores hanc narrationem notant: *Rogum Papa minatus est Rex, nisi errorem revocaret.*

R. *De Joannis XXII.* Sententia circa beatitudinem Sanctorum agitur. Rex Christianissimus *Philippus Valesius vehementissimas literas ad ipsum scripsit, rogum etiam (si credere fas est) ipsi intentans, ut revocaret errorem, quem ipsum pertinaciter tueri fama mendax vulgaverat.* Id testatur *Petrus de Alliaco* Cameracensis Episcopus & S. R. E. Cardinalis. Historiæ res est, de qua tamen me dubitare significavi his verbis, *si credere fas est*, nec modum illum scribendi Regis ad Pontificem Maximum approbo, quamvis non ex odio, sed ex zelo pro fide Catholica processerit. Hinc Odoricus Raynaldus ad annum 1333. Num. 45. *Sparsâ calumniâ, Pontificem ejus opinionis auctorem ac signiferum esse, Philippus Francorum Rex ejusdem opinionis sequaces durioribus verbis, Catholicæ Fidei ardore incensus increpuit, mortem etiam ut Hæreticis minatus, ni dicta revocarent.*

SCHOLION II.

Ibidem hanc propositionem notant Religiosi Censores: *Rex, Gallicana Ecclesia, & Facultas Parisiensis in ea sententia fuerunt, quòd Papa ex Cathedra non loquens, id est, non accedente Ecclesiæ consensu, errare potest.*

R. Facti quæstio est, & comperta veritas, quòd Gallicana Ecclesia, & Sacra Facultas Parisiensis in ea Sententia & fuerint olim, & sint etiamnum. Sacræ Facultatis & Gallicanæ Ecclesiæ hypothesim in quæstione præsenti non esse de re impossibili agnoscit *Odoricus Raynaldus*, ad annum 1334. Num 38 quamvis Joannem XXII. ab errore purget: *Denique*, inquit, *quamvis ea falsa statuatur hypothesis, Joannem illo fuisse errore tinctum, haud tamen, ut impudentissimi Pseudominoritæ pauci contenderunt, hæreseos labes illi aspergi potest, sed tantùm errasse ex imbecillitate humani intellectus, cum iis Patribus sanctis, quorum opinionem sequutus esset.* Odorico Raynaldo hac in re assentior.

SCHOLION III.

Ejusdem Quæstionis & Articuli pag. 462. Religiosi Censores hanc propositionem notant velut iniquam: *Papa posuit in carcere quemdam Dominicanum, qui prædicavit contra errorem de Anima.*

R. *Joannem XXII.* circa animæ substantiam aut immortalitatem errasse, nemo dixit præter *Calvinum*, Hæresiarcham & impostorem: sed circa dilationem beatitudinis Animarum sanctarum errare visum, seu in errorem illum propendere. *Thomam Valesium* Ordinis FF. Prædicatorum è sacro pulpito contra errorem illum declamantem, ejusdem Pontificis mandato carceri mancipatum fuisse scripsi. Historiæ res est: Rem ita gestam testantur Continuator Chronici *Guillelmi Nangii*, *Gobelinus Persona*, *Paulus Langius*, nec factum diffitetur *Odoricus Raynaldus*. Addit quidem, Concionatorem illum justè addictum vinculis, cùm defigeret anathemate, & hæresis notâ contrarium sentientes, nondum latâ à Sede Apostolica sententia. Sed necesse erat prædicare illam opinionem hæresim esse, ut in re revera erat, cùm aliter abduci non possent ab eo errore populi, quibus error de dilatione beatitudinis Animarum sanctarum prædicabatur, quasi de Pontificis mandato saltem ut opinio probabilis & problematica, sanctorúmque Patrum doctrinæ consona, immo Christi & Apostolorum. Illam opinionem celebriores Sacræ Facultatis Parisiensis Doctores à Rege Christianissimo Philippo Valesio interrogati, *Falsam & Hæreticam* esse responderant, ut Guillelmi Nangii Continuator testatur. Et *Durandus* Meldensis Episcopus vir eruditissimus, in Libello eo de argumento scripto, quem ad Joannem XXII. misit, opinionem illam *erroneam* esse Scripturæ Sacræ, Ritui & auctoritati totius Ecclesiæ, *sinceræque Fidei* contrarium ostendit. Præjudicata denique fuerat illa quæstio in Formulis Fidei quas Græcis præscripserant Clemens Quartus, & Clemens Sextus, ipseque Joannes XXII. Armenis, quas refert Odoricus Raynaldus ad annos 1267. N. 76. 1351. N. 6. 1318. N. 10. 1321. N. 12. Neque novum Fidei articulum condidit Florentina Synodus, sed ipsa laudatorum Pontificum verba usurpans, explicuit magis ac declaravit doctrinam fidei ex traditione acceptam, omnibusque Fidelibus credendum proposuit quod ad fidem revera pertinebat. Laude igitur, non carcere dignus erat Prædicator noster.

SCHOLION IV.

Ad ejusdem Quæstionis & Articuli paginam 463. hanc notam apposuerunt Religiosi Censores: *Dicis Papam hunc errorem revocasse ante mortem.*

R. Id non scripsi, sed *Paulus Langius*, cujus verba refero. Tantùm abest ut asseram *Joannem XXII* hunc errorem revocasse; illum ab errore vindico, ut ex totius Dissertationis serie compertum est. Quamquam & ipse Joannes XXII. & Benedictus XII & Odoricus Raynaldus revocationis verbum usurpent, ego declarationis. Ita Joannes XXII. *Si qua alia sermocinando, conferendo, dogmatizando, docendo, seu aliter quovis modo diximus, prædicavimus seu scripsimus, circa præmissa, vel alia quæ fidem concernunt Catholicam, Sacram Scripturam, vel bonos mores, ea in quantum sunt consona fidei Catholicæ, determinationi Ecclesiæ, Sacræ Scripturæ ac bonis moribus, approbamus: aliter autem illa habemus & haberi volumus pro non dictis, prædicatis, & scriptis. ET EA REVOCAMUS EXPRESSE.* Ita Benedictus XII. de Joanne XXII. prædecessore suo loquens in Diplomate suo: *Cardinalibus, & nonnullis Prælatis, & Tabellionibus publicis præsentibus & propterea specialiter evocatis, quamdam literam grossatam sub ejus nomine legi fecit, ac se credidisse, & credere declaravit; & confessionem, REVOCATIONEM & submissionem fecit, &c.* Ita Odoricus Raynaldus ad annum 1334. Num. 34 de Joanne XXII. scribit: *Diploma ejus jussu exaratum, quod cùm ob secutam illius mortem Pontificiâ Bullâ munitum non esset, Benedictus anno proximo una cum aliis publicis tabulis, quibus Joannes adversus calumniatores nullam ab ipso prolatam sententiam decretoriam, ac si qua fortè perperam dicta essent, ILLA A SE REVOCARI professus erat, promulgavit.* Sic ego: *Lethali demum ægritudine correptus, convocatis Cardinalibus & Prælatis, dumque edidit fidei suæ Declarationem.* Pag. 465.



DISSERTATIO XII.

De Sententia Sacræ Facultatis Parisiensis circa Propositionem illam F. JOANNIS DE MONTESONO.

Solius Sedis Apostolicæ est declarare, damnare, & reprobare: Et eorum quæ tangunt Fidem, ad solum Summum Pontificem pertinet Examinatio & Decisio.

QUa occasione *Joannes de Montesono* id asseruerit, exposuimus in Synopsi, Cap. III. Articulo XXIII. Quæ de illa Propositione fuerit, sitque etiamnum Sacræ Facultatis Parisiensis Sententia, constat 1. ex Tractatu *Petri de Alliaco* Magni tunc Navarrici Collegii in hac C Regia Urbe Moderatoris, & Cameracensis deinde Episcopi, ac S. R. E. Cardinalis, pro vindicanda ejusdem Facultatis Censura contra *Montesoni* errores edito, & *Clementi VII.* Avenione sedenti oblato totius Academiæ nomine, cujus causam *Petrus Alliacensis* cum aliis ab ea Deputatis agebat. De illa enim Propositione scribit: *Hoc continet manifestam hæresim, & est dictum sibi ipsi repugnans & contrarium. Et ideo propter hoc solum, etiamsi nihil aliud erroneum dixisset, Romana Ecclesia ipsum debet cogere ad revocandum.*

D *Et istud declaratur primò, supponendo quid sit Sedes Apostolica. Nam vel ipsa est universalis Ecclesia, vel aliquod generale Collegium universalem Ecclesiam repræsentans, vel particularis Ecclesia Romana, in qua scilicet Ecclesia sedet, idest, cui præsidet Summus Pontifex: & ideo Ipse & Sedes Apostolica non sunt idem: sicut non idem sunt sedes & sedens. Ex quibus patet, si ad solam Sedem Apostolicam pertinet circa fidem declarare vel reprobare, quòd ad solum Summum Pontificem hoc non pertinet: Et contra, si ad solum Summum Pontificem pertinet eorum quæ sunt fidei examinatio & decisio, hoc ad solam Sedem Apostolicam non pertinet. Et sic* E *apparet quomodo in illo dicto est manifesta repugnantia.*

Item hoc dictum manifestè repugnat primo dicto, F. scilicet de Montesono, *ubi asserit quod Stephanus Episcopus Parisiensis, & Facultas Theologiæ approbaverunt doctrinam S. Thomæ. Ex quo sequitur, quod nec ad solam Sedem Apostolicam, nec ad solum Summum Pontificem pertinet eorum quæ sunt fidei declaratio, decisio, vel approbatio.*

II. Item secunda pars illius dicti, scilicet *Quòd ad solum Summum Pontificem pertinet eorum quæ tangunt fidem examinatio & decisio, continet manifestam* F *hæresim, imò multas hæreses. Primò quia per illam Conclusionem excluditur universalis Ecclesia & Generale Concilium eam repræsentans, quod est hæreticum: Quia in causa fidei à Summo Pontifice appellari potest ad Concilium Generale, sicut probatur* XIX. *Distinct. Cap.* ANASTASIUS. *Et manifestum est quòd ad ipsum pertinet Concilium in causis fidei definire, sicut probatur ex auctoritate Gregorii* XV. *Distinct. Cap.* SICUT.

III. Caput, *Anastasius* sic habet: *Anastasius II. Romanus, fuit temporibus Theoderici Regis. Eodem tempore multi Clerici & Presbyteri se à communione* A *ipsius abegerunt, eò quòd communicasset* SINE CONCILIO EPISCOPORUM VEL PRESBYTERORUM, ET CLERI CUNCTÆ ECCLESIÆ CATHOLICÆ, *Diacono Thessalonicensi nomine Photino, qui communicaverat Acacio: & quia voluit occultè revocare Acacium, & non potuit, nutu divino percussus est.* Confictum illud Caput lubens fateor cum Annalium Ecclesiasticorum Parente, & Romanis *Gratiani* Correctoribus; aut certè mendosum, quòd *Gratianus* ad *Anastasium* retulerit, quod ad *Acacium* referendum erat. Nam Yvo Carnotensis, * & vetus Canonum Collectio MS. missa ex Monasterio Carthusianorum B Cæsaraugustano ad *Antonium Augustinum* Tarraconensem Episcopum, ab eoque sæpè laudata in Dialogis de Emendatione Gratiani, verba Pontificalis, ex quo caput, *Anastasius* excerptum est, ita referunt: *Et quia occultè voluit revocare Acacium, & non potuit, quia divino nutu percussus est Acacius.* Et liber ipse Pontificalis habet: *Quia nutu divino percussus est.* Quod æquè ad *Acacium* refertur, Vox *quia*, in libris quibus *Gratianus* usus est, scribarum oscitantiâ exciderat: ea causa erroris. Prudenter *Antonius Augustinus* Dialogo VI. *Mihi*, inquit, C *hoc videtur, Acacium fuisse divino nutu percussum, Anastasium ei nunquam communicasse. Quod si suspiciones suorum effugere non potuit, non id nocet aliis qui culpa carent.* At quicquid sit de facti veritate, non minùs ex hoc capite stabilitur Conciliorum in rebus fidei declarandis, finiendísque controversiis Auctoritas. Unde & Glossa Decreti ad illud Caput, habet: *Videtur ergo quòd Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum. Quod verum est, ubi de Fide agitur. Et tunc Synodus major est Papa, ut* XV. *Distinct.* C. Sicut. *In fin Arg. ad hoc* XCIII. *Dist.* Legimus. Appositè ergo Cap. *Anastasius*, à D *Petro de Alliaco* laudatum est.

Caput, Anastasius, concluditur.

P. 2 Cap. 40. Decret.

Universalis Ecclesia & Concilium Generale auctoritatem à Christo immediate habent fidei controversias decidendi.

IV. Caput verò, *Sicut*; quod ex Epistola XXIV. *S. Gregorii Magni*, lib. 1. Regesti desumptum est, ita habet: *Sicut S. Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor, Nicænum scilicet, in quo perversum Arii Dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur. Chalcedonense verò, in quo Eutychis, Dioscorique pravitas reprobatur; tota devotione complector, & integerrima approbatione custodio; quia in his velut in quadrato lapide, sancta fidei structura consurgit, &* E *cujuslibet vitæ atque actionis norma consistit. Quintum quoque Concilium pariter veneror... Cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo: quas venerantur, amplector. Quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut ligare quos solvunt.* Ubi Glossa: *Videtur ergo quod Papa non possit destruere Statuta Concilii: quia Orbis major est Urbe.* XCIII. *Dist.* C. Legimus. *Unde requirit Papa consensum Concilii.* XIX. *Dist.* Cap. *Anastasius.* &c. Rectè ergo *Petrus de Alliaco* Cap. *Sicut*, laudavit.

F V. Laudare etiam potuisset locum eximium Quintæ Synodi Collatione VIII. dicentis: *Sacerdotes communibus Quæstionibus finem communem decet imponere.* Quod probat exemplo Apostolorum: *Licèt*, inquit, *Spiritus Sancti gratia circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati, Divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque dicta sua confirmaverunt. Unde communiter de eo Sententiam protulerunt ad gentes scribentes: Visum est Spiritui Sancto & nobis &c. Sed & Sancti Patres, qui*

per

per tempora in Sanctis quatuor Conciliis convenerunt, antiquis exemplis utentes, communiter de exortis Hæresibus & Quæstionibus disposuerunt: certe constituto, quòd in communibus disceptationibus, cùm proponuntur quæ ex utraque parte discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii: nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, cùm unusquisque proximi adjutorio indiget, sicut in Proverbiis dicit Salomon: Frater fratri adjutorium præstans exaltabitur sicut civitas munita.

VI. Laudare poterat verba *S. Leonis* in Epistola ad *Theodoretum* scribentis: *In nullo ab illis quæ Spiritus Sancti divinitas in Chalcedonensi Concilio protulit, fidei regulis recedentes, inter utrumque hostem novella perfidia sermonem nostrum cum omni cautela libremus, non jam, quod absit, tanquam de dubiis disceptantes, sed Auctoritate summâ quæ bene definita sunt, adstruentes: cùm & in Apostolicæ Sedis Epistola Universalis Sanctæ Synodi assensu firmata, tanta divinæ Auctoritatis testimonia noverimus esse congesta; ut nullus queat ulteriùs dubitare, nisi qui sibimetipsi errorum tenebras inferre maluerit, & Synodalia Gesta, vel quibus primùm Definitio Fidei legitur esse formata, vel quibus præfata Litera Apostolicæ Sedis, etiam tunc Fraternitatis studio defensa sunt, & maximè ad Piissimos Principes totius Concilii Allocutionibus sit testimoniis Patrum roborata, ut cuivis imprudenti ac pertinaci animo, si tamen non jam cum diabolo pro sua impietate damnatus est, valeant sufficere.* Et Epistola ad Leonem Augustum: *Quod opus*, inquit, *virtutibus vestris, gloriaque conveniens celerem & Deo placitum habebit effectum, si Sanctam Chalcedonensem Synodum de Domini nostri Christi Incarnatione firmatam nulla permiseritis retractatione pulsari: quia in illo Concilio per Spiritum Sanctum congregato tam plenis atque perfectis Definitionibus cuncta firmata sunt, ut nihil ei Regulæ, quæ ex divina inspiratione prolata est, addi possit aut minui.*

VII. Proferre potuisset Concilia omnia ad fidei dirimendas controversias habita; quorum congregatio & celebratio supervacanea fuisset, si ad solam Sedem Apostolicam, vel ad solum Summum Pontificem, eorum quæ fidem spectant examinatio & decisio pertineret.

VIII. Proferre potuisset verba Christi, ligandi atque solvendi potestatem Ecclesiæ suæ tradentis; quam S. Petro contulit, *quatenus Ecclesiæ gerebat personam, nec uni homini, sed Ecclesiæ unitati*, ut *S. Augustinus* docet: jubentisque ut *Qui Ecclesiam non audierit*, habeatur *sicut ethnicus & publicanus*. Hæc, inquam, aliàque proferre poterat *Petrus Alliacensis*, ut probaret universalem Ecclesiam, & Generale Concilium ipsam repræsentans, Auctoritatem supremam à Christo immediatè habere controversias fidei judicandi; adeòque *Joannis de Montesone* Propositionem hæresi finitimam esse, quia per illam universalis Ecclesia & Concilia Oecumenica excluduntur.

Sedem Apostolicam excludere ab examine summoque judicio quæstionum fidei, hæreticum est.

IX. Pergit *Petrus Alliacensis*, aliàmque hæresim in *Montesoni* Propositione, quam ad mentem Sacræ Facultatis, imò ad Ecclesiæ doctrinam in præsentiarum expendimus, indigitat. *Secundò*, inquit, *per illud Sedes Apostolica excluditur, quod est contra ipsum: & est etiam manifestè hæreticum.* Sanè Sedem Apostolicam aliud esse à Summo Pontifice in ea sedente, manifestum est: *Aliud* enim *sunt Sedes, aliud Præsidentes*: alioqui Sedes non maneret obeunte Pontifice: & frustra SS. Patres, *Optatus Milevitanus* præsertim & *Augustinus*, successiones Romanorum Pontificum recensendo, illos in Cathedra S. Petri continua & non interrupta serie sedisse traderent. *Montesonus* itaque asserendo ad solum Summum Pontificem pertinere eorum quæ tangunt fidem, examinationem & decisionem, hanc auctoritatem Sedi Apostolicæ abrogabas, adeòque secum ipso pugnabas docente, Quod *Solius Sedis Apostolicæ est declarare, damnare, & reprobare.*

X. Tertiam hæresim in eadem *Montesoni* Propositione detegit Petrus de Alliaco. *Tertiò*, inquit, *excluduntur Episcopi Catholici ab omnimoda cognitione, examinatione & decisione eorùm quæ sunt fidei, quod est contra jus tam divinum, quàm humanum.* Contra jus divinum pugnare ait; quia Christus Regni cœlorum claves, & ligandi atque solvendi auctoritatem Apostolis, & eorum Successoribus Episcopis, tradidit, dixitque ipsis ore S. Pauli: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ad hanc autem potestatem etiam pertinet judicium controversiarum fidei. Jus verò humanum, ut constat ex Cap. *Ad abolendum. Extra, De Hæreticis*: quod est *Lucii III.* Pontificis Maximi, hunc errorem pariter evertit: *Universos qui de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, vel de Baptismate, seu de peccatorum Confessione, Matrimonio vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis, aliter sentire aut docere non metuunt, quàm Sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & observat: & generaliter quoscunque eadem* ROMANA ECCLESIA, VEL SINGULI EPISCOPI *per Diœceses suas, cum consilio Clericorum; vel Clerici ipsi Sede vacante, cum consilio (si oportuerit) vicinorum Episcoporum, Hæreticos judicaverint, vinculo perpetui Anathematis innodamus.*

Episcopos ab omnimoda quæstionum fidei [illegible] jus divinum & humanum.

Act. 20.

XI. Quartam hæresim in Propositione *Joannis de Montesono* contineri arguit *Petrus Alliacensis*: Quòd per illam *excluduntur Doctores Theologiæ à generali examinatione & decisione veritatum fidei, quod est hæreticum.*

Doctores Theologiæ ab [illegible] & judicio [illegible] Romanæ fidei [illegible] dendo.

XII. Suam verò & Sacræ Facultatis, cujus nomine loquitur & scribit, & à qua auctoratus est, Sententiam hac in materia sequentibus Conclusionibus explicat *Petrus de Alliaco*.

Prima Conclusio. *Ad Sanctam Sedem Apostolicam pertinet Auctoritate Judiciali suprema circa ea quæ sunt Fidei judicialiter definire.* Quam sic probat: *Ad illius tanquam ad supremi Judicis auctoritatem pertinet in fide judicialiter definire, cujus fides nunquam deficit: sed Sanctæ Sedis Apostolicæ fides nunquam deficit. Igitur &c. Major est nota. Sed Minor patet: Quia de hac Sancta Sede in persona Petri Apostoli in ea Præsidentis dictum est, Petre, rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Locæ 25. *Propter quod dicit Cyprianus* 24. Dist. *Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.*

Sedis Apostolicæ [illegible] judicialis [illegible] fidei [illegible] dis.

Paulò aliter *S. Cyprianus* habet lib. de Unitate Ecclesiæ Catholicæ, ex quo *Gratianus* Caput istud sumpsit: *Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Hæc verba, *Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit*: necnon ista ex superiori periodo, *Et Primatus Petro datur*, inscitè ac temerè ex *S. Cypriani* textu expunxit *Joannes* apud Anglicanæ Secessionis Heterodoxos Oxoniensis Episcopus vocatus, in Editione recentiori Oxoniensi Operum *S. Cypriani*; quamvis in plerisque MSS. & in excusis verba illa agnoscat: & tamen nihil se partium studio aut suppressisse, aut permutasse profitetur. Quo igitur studio verba illa suppressit: *S. Petri* Primatum Jure Divino institutum, & Romanam Ecclesiam centrum esse Ecclesiasticæ Unitatis, à qua sine Schismate secedere nemo potest, tam

Editionis Oxoniensis Operum S. Cypriani [illegible] castigatur.

 luculenter,

luculenter, tam apertè confirmantia? Manuscriptorum aliquot fidem appellat, alia proferimus. Quænam antiquiora, quænam sinceriora & probatiora sint, expendendum. Eorum ætatem notare ille debuerat. Antiquiora sanè non esse conversione Anglorum ad Christianam Religionem, id est, *S. Gregorii Magni* Pontificatu, certissimum est. At ante *Gregorium Magnum* probatissimæ fidei Manuscripta quæque verba illa habebant, quæ Oxoniensis Editionis Procurator expunxit, nec ab ullo vertebatur in dubium an verè *S. Cypriani* essent. Testis est *Pelagii II.* Romani Pontificis Epistola VI. quæ est secunda ad Episcopos Istriæ, quæ legitur Tom. V. Conciliorum Editionis Labbeanæ pag. 943. cujus hæc sunt verba: *Sed & Beatus Cyprianus egregius Martyr in libro quem de Unitatis nomine titulavit, inter alia sic dicit: Exordium ab unitate proficiscitur: & Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra monstretur: & Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis unanimi consensione pascatur. Et post pauca: Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Cathedram Petri, super quam Ecclesia fundata est, deserit, & resistit, in Ecclesia se esse confidit?* Cùm Manuscripta nostra tam insignis, tam antiqui, tam firmi Monumenti auctoritate nitantur, compertum est illa probatiora esse ac sinceriora cæteris quibuscunque à *Joanne* Oxoniensi laudatis; proinde puriores esse editiones quæ verba retinent ab ipso non absque flagitio sublata, ut nec alio animo expuncta vel omissa, quàm ne Anglicanam ab Ecclesia Romana Secessionem à S. Martyre *Cypriano* prædamnatam esse omnibus pateat, & Anglos *Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deseruerunt*, eique *resistunt, in Ecclesia non esse*; ac frustra sibi blandiri quòd fidem teneant, qui hanc Ecclesiæ unitatem non tenent. His occasione Cyprianicæ Sententiæ à Petro Alliacensi laudatæ non abs re observatis, ad institutum regredior.

Laudat subinde *S. Hieronymum* Petrus Alliacensis: *Et Hieronymus* XXIV. *Q.* 1. *C. Quoniam*: dicit quòd *Super eam fundata est Ecclesia, & quicunque secum non colligit, dispergit.*

Integrum *S. Hieronymi* textum ex Epistola LVII. ad *Damasum* Papam exhibeo, ut *Petri de Alliaco* mens dilucidiùs pateat ipsum laudantis: *Quoniam*, inquit, *vetusto Oriens inter se Populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam & desuper textam, minutatim per frusta discerpit, & Christi vineam exterminant vulpes, ut inter lacus contritos qui aquam non habent, difficile ubi fons ille signatus & hortus ille conclusus sit, possit intelligi; ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam .... Profligato à sobole mala patrimonio*, APUD VOS SOLOS INCORRUPTA PATRUM VIGET HÆREDITAS ... *A Sacerdote victimam salutis, à Pastore præsidium ovis flagito. Cum Successore Piscatoris & discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam Petrum ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Quicunque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui non est Christi, Antichristi est ..... Obtestor per Crucifixum mundi salutem, per ὁμοούσιον Trinitatem, ut mihi dicendarum vel tacendarum trium hypostaseon detur auctoritas.* In Romana Ecclesia præcipua quadam ratione Traditionem Apostolicam conservari, fidem asseri, prædicari, defendi, *S. Hieronymus* agnoscit, & Sanctam Sedem Apostolicam in judicandis fidei controversiis summam ac præcipuam auctoritatem habere. Quod *Petrus Alliacensis* confirmat ex Cap. *Hæc est fides*. In quo habetur, *Quòd ipsa semper immaculata permansit, & in futuro permanebit, & immobilis omni tempore persistit.* Ex quibus omnibus colligit, quòd *Sedis Apostolicæ fides nunquam deficit.* Hoc verò nomine ipsum Romanum Pontificem, *Non accedente Ecclesiæ consensu*, sive (ut vulgari verbo utamur) EX CATHEDRA, non definientem ac judicantem, *Petrus Alliacensis* non intellexit. Alioqui non assereret, quòd *In causa fidei à Summo Pontifice appellari potest ad Concilium Generale*: quæ est ejus opinio. Cæterùm aliis argumentis ex verbo Dei, ex Conciliis, SS. Patribus, & Ecclesiæ praxi ab Apostolicis temporibus ad suam usque ætatem, probare poterat, Ad Sedem Apostolicam pertinere Auctoritate Judiciali Suprema, de fidei controversiis judicare.

Huicce Conclusioni suæ solemnem Protestationem subjicit: *Et ideo*, inquit, *in principio hujus Operis protestamur, quòd quicquid in eo dicturi sumus, huic Sanctæ Sedi, & sedenti in ea Summo Pontifici, ac ejus judicio & correctioni, humiliter subjicimus, imitatores B. Hieronymi, qui in eodem Capitulo ita scribit: Hæc est fides, Pater Beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus; in qua si minùs peritè aut parum cautè aliquid positum est, emendari cupimus à Te, qui Petri Sedem & Fidem tenes.* Hæc verba, quæ post Gratianum *S. Hieronymo* tribuit *Petrus de Alliaco*, *S. Hieronymi* non sunt, sed *Pelagii* Hæresiarchæ, in Confessione Fidei, qua se Catholicum mentitus est.

Episcoporum auctoritas inferior & subordinata in fidei quæstionibus definiendis.

XIII. Secunda Conclusio *Petri de Alliaco* hæc est. *Ad Episcopos Catholicos pertinet Auctoritate Judiciali inferiori & subordinata ea quæ sunt fidei judicialiter definire.* Quam ita probat: *Ad eos pertinet Auctoritate Judiciali inferiori & subordinata in fide definire, ad quos pertinet consimili auctoritate Ecclesiam regere. Sed ad Episcopos Catholicos pertinet secundum: ergo & primum. Major patet, quia Ecclesiæ regimen maximè concernit fidem: & ideo cui jure divino committitur Ecclesiam regere, & eodem jure committitur de fide cognoscere, & judicare. Sed minor probatur auctoritate Pauli Actuum* XX. *ubi dicit*: "Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei." *Unde probatur quod jure divino & auctoritate Spiritus Sancti Episcopi positi sunt ad regimen Ecclesiæ Dei. Regimen autem importat Judiciariam Auctoritatem. Ergo sequitur quòd ad eos pertinet Auctoritate Judiciali inferiori & subordinata, id est, supremæ Auctoritati subjecta, Ecclesiam regere; & per consequens de fide cognoscere, & in ea definire. Unde quod de tali regimine ad fidem pertinente loquatur Apostolus, ex eo patet, quia ibi hortatur adversùs Hæreticorum fidem subvertentium nequitiam vigilare. Nam immediatè sequitur*: "Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate." *Et ideo exemplo Pauli Summus Pontifex & Concilium Generale sub gravium comminatione pœnarum ad vigilem hæreticæ pravitatis expurgationem alios hortantur Episcopos. Unde* Extra, De Hæreticis. *Cap.* Excommunicamus, *in fine sic concluditur*: "Si quis enim Episcopus super expurgando de sua Diœcesi hæreticæ pravitatis fermento negligens fuerit, vel remissus: cùm id certis indiciis apparuerit, ab Episcopali Officio deponatur, & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit & possit hæreticam confundere pravitatem." *Id autem non posset Episcopus, nisi in hac parte Judiciariam Auctoritatem haberet. Et ideo ibidem præmittitur*: Ipse autem

» autem Episcopus ad præsentiam suam convocet » accusatos, qui nisi se ab objecto reatu purgave» rint, vel si post purgationem exhibitam, in pri» stinam fuerint relapsi perfidiam, canonicè pu» niantur. *Et in Cap.* Ab abolendam, *eodem titulo*, idem dicitur ... *Et Cap.* Cùm ex injuncto, *ex hoc antecedente*: Doctorum Ordo est in Ecclesia quasi præcipuus; *hoc consequens subinfertur, quod non debet quisquam indifferenter prædicationis officium usurpare, juxta illud Apostoli:* Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? *Constat autem quod officium Prædicatoris est maximè præcipuum Theologi, sicut & expositio Scripturæ Sacræ. Et per consequens patet, quod Doctorum Theologorum officium est quasi præcipuum Ecclesiæ. Dicitur autem non simpliciter, sed quasi præcipuum, propter officium Episcoporum quod majus est. Et ideo licèt Episcopale & Doctorale officium conveniant simul in una persona concurrant, quia valde conveniens est ut eadem persona simul possit judicialiter, & sciat doctrinaliter circa ea quæ sunt fidei diffinire: tamen quantum est ex parte ordinis Ecclesiasticæ Hierarchiæ, hæc duo officia sunt ad invicem condistincta. Et hoc probatur ex eodem Cap.* Cùm ex injuncto: *ubi ad hoc pro» positum dicitur:* Sicut multa sunt membra cor» poris, omnia verò non eumdem actum habent: » ita multi sunt Ordines in Ecclesia, sed non om» nes idem habent officium: quia secundùm » Apostolum: *Alios Dominus dedit Apostolos, alios Prophetas, alios autem Doctores, &c.* Ex quibus omnibus, inquit Petrus Alliacensis, satis patet, *Quòd ad Episcopos, & ad Doctores Theologos, quantum ex parte officii, vel Ordinis Ecclesiastici, aliter & aliter pertinet circa ea quæ sunt fidei diffinire: quia ad Episcopos judicialiter, ad Theologos autem doctrinaliter hæc definitio pertinet: sicut pulchrè notat Gratianus* XX. *Distinct. in principio.* Lege quæ de Sacra Episcoporum & Sedis Apostolicæ Auctoritate in Judicio causarum Fidei scripsi Dissertatione IX. in Historiam XI. & XII. Seculi.

Rom. 10.

Hæc Episcoporum potestas à Christo immediatè derivata.

XIV. Hanc autem Episcoporum potestatem à Christo esse immediatè derivatam, secundùm Traditionis doctrinam censemus. Ita nos docuere, *S. Cyprianus* Epist. LV. *Neque enim*, inquit, *aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex* VICE CHRISTI *cogitatur.* Et Epistola LXIX. *Ut etiam qui non credebant* DEO EPISCOPUM CONSTITUENTI, *vel diabolo crederent Episcopum proscribenti. Nec hæc jacto, sed dolens profero, cùm te judicem Dei constituas & Christi, qui dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes Præpositos,* QUI APOSTOLIS VICARIA ORDINATIONE SUCCEDUNT; *Qui audit vos, me audit; & qui me audit, audit eum qui me misit* ... Ibidem. *Qui Christo non credit Sacerdotem facienti, credere incipit Sacerdotem vindicanti.* Et in Concilio Carthaginensi: *Sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi.* Et lib. de Unitate Ecclesiæ: *Episcopatus unus est, cujus à singulis pars in solidum tenetur.* Si unus, & à Christo proximè & immediatè institutus est, quatenus in Romano Pontifice reperitur ejus apex, à Christo pariter immediatè & proximè institutus est, quatenus à cæteris Episcopis participatur.

S. Hieronymus Epistola LXXXV. ad Evagrium: *Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti est & Sacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterùm* OMNES APOSTOLORUM SUCCESSORES SUNT.

S. Leo Epistola LXXXIX. ad Viennensis Provinciæ Episcopos: *Solicitudo nostra*, inquit, *non sua quærens, sed quæ sunt Christi*, DIGNITATEM DIVINITUS DATAM, *nec Ecclesiis, nec Ecclesiarum Sacerdotibus abrogabat.*

Felix III. Epistola V. ad Flavitam Constantinopolitanum Episcopum: *Ne* COMMISSÆ VOBIS DIVINITUS RATIONABILES OVES, *non sine vestro discrimine, perire sinantur.*

Hormisdas Epistola XXV. ad Episcopos Hispaniæ: *Sicut est caput Ecclesiæ Christus*, CHRISTI *autem* VICARII SACERDOTES, *sic & in eligendis curam oportet esse perspicuam.* Qui Episcopos Christi Vicarios appellat, eos jure divino institutos esse judicat.

S. Gregorius Magnus Homilia XXVI. de Apostolis loquens: *Principatum*, inquit, *superni judicii sortiuntur, ut* VICE DEI *quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.* HORUM *profectò nunc* IN ECCLESIA EPISCOPI LOCUM TENENT, *ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur.*

Gregorius III. Epistola III. ad Episcopos Germaniæ, & Epistola IV. ad Episcopos Barbariæ & Alemanniæ: *Ut* POPULUM, inquit, VOBIS A DEO COMMISSUM *piis admonitionibus edoceatis.*

Zacharias in Romano Concilio anno DCCXLIII. sic de se ac cæteris, qui aderant, Episcopis loquitur: *Sanctorum probabilium Patrum exempla nos provocant, quæ ad firmitatem Orthodoxæ Fidei, & statui Sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Dei Ecclesiæ, seu Christianæ Religionis decreverunt, documenta prosequi, &* VERE SPECULATORES ANIMARUM A DEO CONSTITUTI, *curam Dominici gregis habere; ut jam à torpentibus & illicitis causis, juxta egregii Apostoli vocem, monendo, arguendo, & increpando, subjectorum animas à fauce deceptoris & antiqui hostis humani generis servatas, valeamus revelata facie gloriam Dei speculari ac dicere: Ecce nos & pueri quos dedisti nobis, non perdidimus ex eis quemquam: Ita ut & nos unusquisque mereamur audire desiderabilem Domini vocem dicentis: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Episcopi verò & Presbyteri respondent: *Quoniam assiduè Magistra & Domina nostra Apostolica Sedi præsentamur, tantùm ampliùs docemur* NOBIS A DEO CREDITIS ESSE PLEBIBUS, &c.

Leo IV. in Epistola ad Episcopos Britanniæ: *Quanto studio, quantoque solertia* GREGEM VOBIS A DOMINO COMMISSUM *pascitis, diversisque fovetis eduliis, nobis directa scripta referarunt.*

Nicolaus I. in Epistola ad Episcopos Galliæ, quæ est XLVII. Tom. III. Conciliorum à *P. Sirmondo* editorum; ubi de Ecclesia sic loquitur: *Subiturus tamen ad cælos hanc* APOSTOLIS *commendavit, ac per eos tanquam hereditario jure* SUCCESSORIBUS EORUM, NOBIS *scilicet* QUOS PASTORES ET EPISCOPOS AC PONTIFICES SUPER ISTAM CONSTITUIT, *ejus providentia curam indulsit: quatenus pro Patribus nati sunt filii, & pro eis constituti Principes in omnem terram, imitatores eorum essemus, sicut & ipsius Christi.*

Joannes VIII. Epistola VI. ad Episcopos, qui à *Carolo* desciscentes, *Ludovico* Regi adhæserunt: NONNE VOS, inquit, POSUIT SPIRITUS SANCTUS EPISCOPOS REGERE ECCLESIAM

CLESIAM DEI, QUAM ACQUISIVIT SANGUINE SUO?

Joannes IX. in Ravennatensi Concilio: *Hortamur, ut secundum debitam solicitudinem* COMMISSÆ SIBI A DEO ECCLESIÆ CURAM *unusquisque vestrûm agere studeat.*

Gregorius VII. Epistola XXXI. libri I. Clerum & plebem Carthaginensem increpans, quòd Archiepiscopo suo rebelles essent, cùmque apud Saracenos accusassent: CHRISTI VICEM, inquit, SUPER VOS HABENTI *ex debito obedite... Ejus prædicationes, Judicia etiam cùm susceperitis, Christi per omnia suscipietis: ait enim: Qui vos suscipit, me suscipit; qui vos spernit, me spernit. Aliter verò si feceritis, in Christum peccatis, Christum spernitis, Apostolo resistitis, qui ait: Omnis anima sublimioribus Potestatibus subdita sit. Cum ergo mundanis Potestatibus obedire prædicavit Apostolus, quantò magis spiritualibus, &* VICEM CHRISTI *inter Christianos* HABENTIBUS?

Gelasius II. in Epistola I. ad Episcopos per Galliam constitutos: *De Controversia quæ inter Ecclesiam & Regnum est, vel Conventioni vel Justitia libenter acquiescimus... Fratrum nostrorum judicio,* QUI A DEO SUNT JUDICES CONSTITUTI IN ECCLESIA.

Innocentius II. in Epistola ad Litifredum Novariensem Episcopum, quam exhibet *Ughellus* Tom. IV. Italiæ Sacræ: *In eminenti,* inquit, *Sedis Apostolicæ specula disponente Domino constituti, ex injuncto Nobis Officio Fratres nostros Episcopos diligere, &* COMMISSIS SIBI A DEO ECCLESIIS *suam debemus Justitiam conservare. Quamobrem Novariensi Ecclesiæ,* CUJUS A DEO CURA TIBI COMMISSA EST, *salubriter providere statuimus.* Eodem modo scribunt *Lucius II.* in Epistola ad *Raynerium* Ariminensem Episcopum, & *Anastasius IV.* in Epistola ad *Rodulfum* Fesulanum Episcopum.

S. Bernardus lib. III. de Consideratione ad *Eugenium III.* Cap. IV. ERRAS, inquit, SI UT SUMMAM, ITA ET SOLAM INSTITUTAM A DEO VESTRAM APOSTOLICAM POTESTATEM EXISTIMAS. *Si hoc sentis, dissentis ab eo qui ait: Non est Potestas nisi à Deo. Proinde quod sequitur: Qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit, etsi principaliter pro te facit, non tamen singulariter. Denique idem ait: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non ait, sublimiori, tanquam in uno, sed sublimioribus, tanquam in multis.* NON ERGO TUA SOLA POTESTAS A DOMINO; *Sunt & mediocres, sunt & inferiores.*

Gregorius VIII. Epistola III. ad omnes Ecclesiarum Prælatos: *Quoniam,* inquit, *ad* EPISCOPORUM *maximè spectat officium, afflictis & laborantibus subvenire,* UNUMQUE ILLORUM, *licèt deficientibus meritis,* DOMINUS ME ESSE VOLUIT. Cùm se unum ex Episcopis profiteatur, illos non minùs quàm se ipsum à Christo immediatè institutos agnoscit, quamvis ipse ut cæterorum Caput ac Princeps, & cum plenitudine Potestatis, illi verò in partem solicitudinis, instituti sint: ille ut omnes Dominici gregis oves; illi ut eum pascant, qui in ipsis est, gregem.

Alexander IV. in Epistola ad Rothomagensem Archiepiscopum & Suffraganeos Episcopos, apud *Odoricum Raynaldum* Tom. XIII. Annalium Ecclesiasticorum: *O formidolosa Speculatorum,* QUOS POPULO SUO DISPENSATIO DIVINA PRÆPOSUIT, *& periculosa conditio, si perfunctoriè res agatur, si eo modo in solicitudine commissa non militent, quomodo Summus præcipit Imperator, si sibi &* UNIVERSO GREGI, CUI DEUS EOS CUSTODES & EPISCOPOS CONSTITUIT, *non attendant, iis præcipuè horrendum erit humanorum operum finale judicium omnibus in commune tremendum.* Et infra: *Excitet vos* SUMMI PASTORIS AMOR, QUI VOS PASCENDIS RATIONALIBUS OVIBUS DEDICAVIT. Alia ad ejusdem probationem veritatis congerere possem, sed hæc impræsentiarum sufficerint. Ex quibus liquidò colligitur, Episcoporum Auctoritatem à Christo immediatè acceptam esse, adeòque & Jus de Controversiis Fidei judicandi, quod Auctoritatis istius pars est, divinum esse, & à Christo pariter immediatè & proximè derivatum, non à Romano Pontifice precariò acceptum.

XV. Nec aliud voluit *Optatus* lib. I. contra *Parmenianum*, de *S. Petro* scribens: *Præferri omnibus Apostolis meruit, & claves Regni cælorum cæteris communicandas solus accepit.*

Non aliud *Innocentius I.* in Literis ad Patres Concilii Carthaginensis, cùm de *S. Petro* scribit: *A quo ipse Episcopatus, & tota Auctoritas nominis hujus emersit.* Et in Literis ad Milevitani Concilii Patres: *Arbitror omnes Fratres & Coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris Auctorem referre debere.*

Non aliud S. Leo Epistola LXXXIX. vel X. secundùm editionem *P. Quenellii*, de Episcopatu scribens: *Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo principaliter collocaris: & ab ipso quasi quædam Capite dona sua velit in corpus omne manare.* Non enim claves cæteris à se communicandas, sed ab ipso Christo, *Petrum* pro omnibus Apostolis, & suis eorùmque Successoribus, solum accepisse significat: ita ut in ipsa Apostolicæ Episcopalisque Dignitatis institutione & exordio, soli *Petro* Christus locutus sit, eique expressis verbis claves tradiderit, quas nihilominus illi non tradidit pro ipso solo, sed pro cæteris, & cæteris in ipso; quia omnes Apostoli, & Episcopi, atque ipsa Ecclesia in *Petro* erant, qui illius, ipsorùmque personam gerebat, ut *S. Augustinus* docet. Cùm enim omnia Deiomnipotentis opera ab unitate ducant exordium, & ad unitatem tendant, sic omnibus Apostolis & Episcopis Pontificium Munus commune esse voluit, auctoritatémque sacrosanctam in omnes derivari, ut unum inter omnes eligeret, cui uni illud pro omnibus commendaret, in quo omnes illud acciperent, ad quem omnes velut ad communis dignitatis exordium concurrerent. Hinc *Innocentius I.* Epistola ad *Victricium* Rothomagensem Episcopum: *Incipiam igitur,* inquit, *adjuvante S. Apostolo* PETRO *per quem & Apostolatus, &* EPISCOPATUS IN CHRISTO COEPIT EXORDIUM. Non à *Petro* itaque, sed per *Petrum* à Christo immediatè & proximè, auctoritatem, jurisdictionem, potestatem Ecclesiam regendi, ligandi & solvendi, de controversiis fidei judicandi, Episcopi accipiunt. Hinc *S. Leo*, Sermone III. in Anniversario Die Assumptionis suæ ait: *Dicitur Beatissimo Petro*: Tibi dabo claves Regni cœlorum. Et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis. Et quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. *Transivit quidem etiam in alios Apostolos Jus Potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes Decreti istius constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur.* Sicut enim pro omnibus Confessionem fidei emiserat Apostolorum Princeps, & omnes in illo & per illum responderant:

ita

lta & pro omnibus poteſtatem clavium accepit, & omnes in illo ac per illum acceperunt. Quo ſenſu ibidem *S. Leo*, dixit: *Magnum & mirabile huic Viro conſortium potentia ſua tribuit divina dignatio: & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quicquid aliis non negavit.*

Joannes Naclantus, & Proſper Fagnanus confutati.

XVI. Ex his refelluntur *Jacobus Naclantus* Clugienſis Epiſcopus, Tract. IX. de Conciliorum Auctoritate, Romano Pontifici, excluſis Epiſcopis & Conciliis, auctoritatem judicandi de controverſiis fidei aſſerens; Epiſcopos meros eſſe Conſultores, non Judices, commentus. Quem etiam in errorem *Proſper Fagnani*, vir cæteroqui doctiſſimus impegit; quos Author Indicis in Epiſtulas *S. Thomæ* Cantuarienſis à *P. Lupo Chriſtiano* ex Vaticana Bibliotheca erutas, & poſt ejus obitum in lucem editas, aliique Anonymi ſecuti ſunt. Verùm ea de re uberiùs infra tractaturi, Concluſiones reliquas *Petri de Alliaco* perecenſeamus.

Doctrinale judicium de quæſtionibus fidei ad Doctores Theologos pertinet.

XVII. Tertia Concluſio. *Ad Doctores Theologos pertinet Determinatione Doctrinali & Scholaſtica circa ea quæ ſunt fidei doctrinaliter definire.* Id ex eo principio probat, quòd ad Doctores Theologos pertinet Sacram Scripturam docere, & ex ea hæreticas aſſertiones & in fide erroneas reprobare, ac Veritates Catholicas confirmare. Quod autem hæc *doctrinalis poteſtas vel auctoritas Doctorum magna ſit & meritò venerabilis in Eccleſia Dei*, probat Apoſtoli teſtimonio, ad Epheſios IV. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.* Propterea Cap. *Cum ex injuncto.* Extra, *De Hæreticis*, dicitur: *Ordinem Doctorum quaſi præcipuum eſſe in Eccleſia.*

XVIII. Quarta Concluſio à *Petro de Alliaco* poſita, hæc eſt: *Ad Epiſcopum & Facultatem Theologiæ pertinet, non ſolum conjunctim, ſed diviſim, aſſertiones hæreticas condemnare: licet quandoque rationabiliter conſueverint in hujuſmodi condemnatione conjunctim procedere.* Id probat argumento à ſimili ex Cap. *Per hoc.* Extra. *De Hæreticis*, in Sexto: ubi dicitur quod *Per ipſos Epiſcopos & Inquiſitores de eodem facto inquiri valeat communiter vel diviſim.* Secundum partem probat ex conſuetudine: *Epiſcopi nimirum Pariſienſes, & Theologiæ Doctores, conjunctim & communicato invicem conſilio, pro majori veritatis confirmatione & roboris firmitate, ſolent errores condemnare, ſicut patet ex Literis Stephani Epiſcopi, & aliorum Epiſcoporum Pariſienſium ſuper Articulis Pariſiis condemnatis.* Addit, Condemnationem conjunctim factam, eſſe Juri conſonum, Cap. *Ad abolendam.* Extra. *De Hæreticis*: ubi dicitur quòd *Epiſcopi per Diœceſes ſuas, cum conſilio Clericorum, debent Hæreticos judicare. Quod maximè de Clericis Theologis eſt intelligendum: cùm ad eos maximè pertineat cognitio Fidei, & Catholicarum Veritatum.*

XIX. Quintam Concluſionem *Petrus de Alliaco* ſtatuit: *Ad dictam Theologiæ Facultatem contra certas perſonas, ſcilicet contra ſingulares Magiſtros, & Baccalaureos ejuſdem Facultatis Juratos, quandoque pertinet, non ſolum doctrinaliter, ſed etiam aliquo modo judicialiter, aſſertiones hæreticas aut erroneas condemnare.* Hanc probat 1. ex conceſſa ipſis poteſtate. 2. ex obſervata conſuetudine. 3. ex publica utilitate. Ex conceſſa poteſtate, ſcilicet ex Privilegiis Summorum Pontificum, præſertim *Innocentii IV.* & *Alexandri IV.* Ergo, inquit, dicta *Facultas partim ex Privilegio, partim ex jure divino & humano, habet poteſtatem ut aſſertiones per eam ſic doctrinaliter condemnatas cogat judicialiter ſub certa pœna, & vigore præſtiti Juramenti, publicè in Actibus Scholaſticis revocari: quando ſcilicet per Magiſtros, vel Baccalaureos eidem Juratos, aſſertiones hujuſmodi dogmatizari contigerit.* Urget deinde antiquam Academiæ conſuetudinem, quæ cùm non ſit veritati aut rationi contraria, inviolabiliter ſervanda eſt. Ut enim VIII. Diſt. C. *Fruſtra*, habetur: *Cum conſuetudini veritas ſuffragatur, nihil oportet firmius retineri.* Publicam utilitatem ex eo demonſtrat, quòd non ſolùm eſſet contra privatam utilitatem ſingulorum Magiſtrorum & Baccalaureorum Theologicæ Facultatis, ſed etiam contra totius Chriſtianitatis utilitatem publicam, ſi Magiſtri & Baccalaurei hujuſmodi, qui Inquiſitioni Catholicæ Veritatis in Actibus Scholaſticis inſiſtunt, quandocunque eos in hujuſmodi Inquiſitione errare contingeret, eſſent ad Judicium Epiſcoporum vocandi, & ibi ſolùm de ſuis erroribus corrigendi: Quia per hoc ab Inquiſitione & Exercitatione Scholaſtica, quæ eſt pro Fidei defenſione, & totius Eccleſiæ utilitate publicâ inſtituta, retraherentur: cùm tamen ad hoc debeant provocari. Sequitur ergo quòd non ſolùm ſit privatæ ſed publicæ utilitati conſonum, ut priùs per ſuam Facultatem doctrinaliter corrigantur; & per eam, ſi opus ſit, ad ſuorum errorum emendationem Judicialiter compellantur. Quòd ſi obedire noluerint, ulteriùs ad Epiſcoporum Judicium recurratur. Et ſi nec per eos voluerint emendari, poſt hanc binam correctionem tanquam hæretici devitentur, juxta illud Apoſtoli: *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correctionem devita.*

Ad Titum. 3.

XX. Sexta Concluſio *Petri de Alliaco* hæc eſt: *Ad Superiorem Judicem pertinet proceſſum per dictos Epiſcopum & Facultatem Theologiæ factum, nec ſine magna & notabili cauſa favorabiliter impedire; nec appellationi contra eos in cauſa interjecta ſine matura deliberatione & prævia informatione deferre.*

Ad Sedem Apoſtolicam & Summum [illegible] cauſarum fidei ſuprema juriſdictio ſeu judicialis definitio.

XXI. Septimam Propoſitionem ſtatuit inferiùs: *Licet non ad ſolam Sedem Apoſtolicam, vel ad ſolum Summum Pontificem pertineat cauſarum Fidei omnimoda examinatio vel deciſio: tamen ad ejus Sedem, ſedentémque in ea Summum Pontificem pertinet cauſarum hujuſmodi Suprema Juriſdictio ſeu Judicialis Definitio.* Hanc Propoſitionem ex prima Concluſione conſtare ait. Idcóque tam Facultatem, quàm Epiſcopum Pariſienſem, in hac materia ſuam *Diffinitionem vel Ordinationem tanquam inferiorem & ſubordinatam, huic Sanctæ Sedi, & ejus Supremæ Ordinationi ſuppoſuiſſe.* Propterea in Schedula Magiſtrorum hanc appoſitam clauſulam: *Diffinierunt & declaraverunt, quantùm in eis eſt*: Per quam reſervatur cujuſlibet Superioris Auctoritas, & maximè Apoſtolicæ Sedis. Tandem in Sententia Epiſcopi dici: *Salva ſemper in omnibus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ordinatione, reverentia, & honore.*

Joannis de Monteſono objectiones.

XXII. *Joannes de Monteſono* reponebat: Quòd licèt ad aliquem inferiorem Papa pertineat, vel pertinere poſſit hæreſes manifeſtas & explicitas Judicialiter condemnare: tamen videtur quòd nec Epiſcopus, nec Facultas, aut alius Papa inferior poſſit condemnare judicialiter & ſolemniter hæreſes implicitas, de quibus inter literatos & in Sacris Literis eruditos eſt quæſtio vel dubitatio. Et ad hoc videntur ratio & auctoritas concordare. Irrationale enim apparet, inquiebat, ut Epiſcopus qui quandoque non eſt Theologus, nec in Sacris Scripturis peritus, poſſit opiniones Doctorum Theologiæ ſententialiter condemnare. Item ad hoc eſt auctoritas *Innocentii I.* Cap. *Quoties.* XXIV. Q. 1. ubi ait: *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres, & Coëpiſcopos noſtros*

nostres nonnisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris Auctorem referre debere, (veluti nunc resulit vestra Dilectio) quod per totum Mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse. Et ibidem dicit Glossa: *Aliud est quæstionem de fide motam terminare (quod nulli præterquam Romanæ Sedi permittitur) aliud est ipsam sine diffinitione ventilare, quod Patriarchæ & Primates facere possunt.* Et postea Glossa objicit: *Videtur contra.* Extra. De Hæreticis, Ad abolendam. *Nam ibi innuitur quòd illi sunt vitandi tanquam Hæretici, quos Episcopi vitandos dixerunt. Sed dic quòd illud intelligendum est, quando satis quid dicitur, quod certum est esse hæresim, hîc vero ubi dubium est.* Cui concordat Glossa LXXX. Dist. C. II. super verbo, *In fide*, ubi ait: *Dicitur quod tantùm ad Petrum est referenda Quæstio fidei: sed expone hoc, in fide, id est fideliter. Vel possunt agitare causas fidei, sed non procedere ad sententiam.* Ex quibus *Montesonus* colligebat: Quòd nullus Papâ inferior potest determinare sententialiter quæstionem motam de fide, præcipuè quando literati dubitant & contrariè opinantur. Quod auctoritate *Innocentii III.* confirmabat, Cap. *Majores. Extra. De Baptismo & ejus effectu*, ubi dicit: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas*, &c. Id demum confirmabat ex Clementina. *Fidei: De Summa Trinitate & Fide Catholica.* In qua nimirum *Clemens V.* ait: *Nos igitur ad tam præclarum testimonium ac SS. Patrum, & Doctorum communem sententiam, Apostolicæ considerationis (AD QUAM DUNTAXAT HÆC DECLARARE PERTINET) aciem convertentes, Sacro approbante Concilio, declaramus Apostolum & Evangelistam Joannem rectam in præmissis facti rei ordinem tenuisse: narrando quod Christo jam mortuo, Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.*

Responsio Petri de Alliaco.

XXIII. Respondet *Petrus de Alliaco* ad rationem *Montesoni*: Quòd *Nec Episcopus Parisiensis, nec alius quicunque non Theologus, nec in Sacris Scripturis peritus, potest aut debet sine Theologorum consilio opiniones Doctorum Theologiæ in fide dubias, & non manifestè hæreticas, sententialiter seu judicialiter condemnare. At non obstantibus prædictis Juribus, Episcopum Parisiensem, vel alium, de consilio Facultatis Theologiæ, seu Doctorum Sacræ Scripturæ, posse tales opiniones, si ostendantur esse contra fidem, sententialiter condemnare: imò in casu hoc posse solam Facultatem Theologiæ, sicut probatum est quarta & quinta Conclusionibus.* Illa verò omnia Jura intelligenda esse *de Judiciaria Definitione vel Sententia suprema. Sed per hoc non tollitur*, inquit, *quin aliquò inferiores Papæ possint hujusmodi Quæstiones terminare & judicialiter diffinire Diffinitione & Sententiâ inferiori & subordinatâ: Ita quòd Diffinitio Papæ, qui est universalis Episcopus, ubique obligat, sed subordinata Diffinitio Episcoporum non sic universaliter obligat: & ideo non dicitur Diffinitio vel Sententia nisi secundum quid. Et sic deffinire vel sententiare, vocat ibidem Glossa*, ventilare: *quia non est simpliciter terminare. Cum hoc tamen stat quòd obligat suos subditos, quousque per Sedem Apostolicam vel Summum Pontificem aliter fuerit sententiatum & definitum. Et supposito quòd talis inferior Sententia vel Definitio non obligaret in casu ad credendum; quia staret in casu quod illud sic diffinitum esset hæreticum: tamen regulariter obligat ad oppositum non dogmatizandum, vel publicè docendum in Diœcesi Episcopi sic diffinientis.* Hæc excerpsi ex Tractatu MS. *Petri de Alliaco*, nomine Sacræ Facultatis Parisiensis edito, & *Clementi VII.* oblato. In cujus Responsionibus aliqua supplenda sunt ex *Gersonio* ejus Discipulo, & Parisiensis Academiæ Cancellario, in Tractatu *De Examinatione Doctrinarum*, Consideratione III. ubi Episcoporum divinam Auctoritatem in judicandis Fidei Quæstionibus explicat, & quomodo à Pontificia differat.

Quomodo Episcoporum auctoritas in fidei quæstionibus judicandis à Pontificia differat, Gersonius explicat.

XXIV. *Examinator Juridicus* (inquit) *& ordinarius doctrinarum hujusmodi, est Prælatus in sua Jurisdictione, cui communicat Inquisitor. Deducitur hæc Consideratio per Canonicas monitiones, & Censuras Prælatorum exhortativas, ut Diœceses suas extirpare studeant ab Hæreticis & hæresibus perniciosisque doctrinis. Sumitur præterea ratio proportionalis ad Auctoritatem Papæ, necnon per Ordinem Hierarchicum figuratum in consilio dato Moysi per Jethro socerum suum. Sed notetur hic duplex Veritas. Prima quod nullus Episcopus inferior potest condere Articulum Fidei Catholicæ, qui videlicet ad totam Ecclesiam se extendat: non enim potest in eos obligationem terre, quos non habet in Jurisdictione subjectos. Differt igitur determinatio Papæ, quoniam generalis est, & ad omnes Catholicos se extendit quoad pœnam. Sic intelligere debent dicentes, Nullum præter Papam condere posse Articulum; alioquin fallerentur. Quoniam in suis Diœcesibus Prælati Jus habent cum appositione causi consilii. Pro quo fit secunda Veritas distinctione præmissâ. Quòd aliqua sunt doctrinæ palam hæreticales apud omnes: Alia dubiæ simplicibus, sed manifesta sapientibus & peritis: Tertia veluti neutra, habentes pro se Doctores, cum rationibus ad utrámque partem probabilibus: nec in una tantum Diœcesi vel paucis, sed apud omnes Christianos aut longè plurimos. Est ergo veritas, quòd in primis & secundis Auctoritas inferiorum Prælatorum se extendit, & ad suos tantummodo: In tertiis vero nequaquam, quoniam meritò dicuntur majores causæ fidei, propter difficultatem decisionis cum periculo scandali. Ideo sunt ad Sedem Ecclesiæ, vel ad sedentem in ea Summum Pontificem referendæ; juxta illud:* Si quid ambiguum vel difficile, &c. *vocans causam grandem, non ratione materiæ, sed ambiguæ difficultatis in terminatione. Cujus distinctionis ignorantia vel dissimulatio culpabilis, non paucos depulit in errores, scandalosáque Judicia contra Ordinariam & Doctoralem potestatem nostrâ tempestate.*

Summi Pontifici & Episcoporum auctoritatem in causis fidei judicandis egregie explicat Vetus Auctor.

XXV. Ad hunc *Gersonii* locum illustrandum, operæ pretium duxerim subjicere quæ isto de argumento habet *Petrus Aurelius*, Auctor Sacræ Facultatis Parisiensis & Cleri Gallicani suffragiis probatissimus, libro qui inscribitur: *In octo causas Spongiæ proæmbulas, pro Sacra Theologiæ Facultate Parisiensi*, pag. 210. *Animadverti debet hoc loco* (inquit) *aliquid interesse inter causas majores in personis sitas, & sitas in rebus, cujusmodi sunt causæ fidei. Nam interjecta in majoribus personarum causis appellatione ante Judicium Episcoporum, nihil Episcopis decernere fas est: Non item in causis rerum majoribus, sive in fidei causis, de quibus judicare Jus est Episcopis, etiam post prepositam appellationem. Patet ex Concilio Senonensi in causa Abailardi, cui interfuit S. Bernardus; ubi cùm Abailardus ad Sedem Apostolicam ante Judicium provocasset, Episcopi provocationi obsequentes, fidei causam tamen judicarunt, doctrinámque ipsius, intactâ ejus personâ confoderunt: quod eorum Judicium, damnato ipso insuper Abailardo, ab Innocentio II. confirmatum est. Ratio discriminis esse videtur, quia appellationes istiusmodi personarum gratiâ constitutæ sunt, ut Ecclesiasticorum Hominum fama, quam integerrimam esse magni interest, in rerum tantarum periculis tutior sit ac munitior. Et quamvis homines in Judicium adducti fortasse noxii sint, tamen noxium hominem paulò serius damnari, aut plecti, non tanti periculi res est. At fidei causa sine summo periculo*

riculo non differtur : & quavis in ea mora, præcipuè cùm prava doctrina spargi cœpta est in vulgus, perniciem multis minatur, & scandali apud imperitos plenissima est. Sermo enim eorum ut cancer serpit : *Ideòque quamprimum resecari, & palam explodi debet, ne præconibus ejus fides apud incautiores adimatur. Quare SS. Patres celeritate in ejusmodi causis & festinatione semper utendum censent, dilationémque omnem, velut in publico incendio, crimini & conscientiæ deputant, ut ex innumeris locis, quæ proferre non attinet, perspicere potuerunt quicunque in eorum monumentis versati sunt. Unde nullum errorem aut hæresim assignare est, qui olim in Judicium Episcopale deductus, ad superius tribunal propter appellationem sine ullâ præviâ censurâ admissus sit, ut patet singula exempla intuenti. Neque unquam vetuerunt Summi Pontifices dari Judicium ab Episcopis, post oppositas ad Sedem Apostolicam appellationes, nisi in causis majoribus personarum.*

II. ad Timoth. 2.

Innocentius I. Epist. 14. ad Concil. Carthag.

Alterum caput de quo dicebamus, Judicium interdici Episcopis in causis majoribus ante Sedis Apostolicæ sententiam, istud est, cùm causa quæ in Judicium venit ita obscura & perplexa est, ut nihil de ea proditum sit nec Scripturis Sacris, nec Patrum Conciliorúmque Decretis, nec de illa propter ancipitem disceptationem consentire possint Episcopi. Cùm enim nihil tunc liqueat de quo judicetur, necesse est Consilium peti à majoribus, controversiámque eorum Judicio integram reservari. Ita passim Patres de causis omnibus majoribus statuunt. Laudat in eam rem *S. Leonem* in Epistola ad Anastasium LXXXIV. *Joannem VIII.* Epistola XCIII. ad Episcopum Arelatensem. *Nicolaum I.* Epistola III. *Leonem IV.* in Epistola ad Episcopos Britanniæ. Et inferiùs, Antiocheni Concilii Canones XIV. & XV. expendens, ait : *Sicut autem dubitantibus Provincialibus Episcopis, consuli jubet vicinos ; ita si Provinciales, post vicinos accersitos, nihilominus dubitarent, neque convenire possent, quod in rebus dubiis & gravissimis factu perfacile apud homines & modestia & gravitate præditos, quæ ab Episcopis exigitur; minimè dubium est quin eadem opera consuli vellet majores alios, ac denique Supremam omnium Petri Sedem, Fidei & Unitatis Ecclesiasticæ Caput ; cujus Præsulibus concessa est præcipua gratia & potestas fratres suos confirmandi. Hæ sunt ambigua illa Quæstiones atque difficiles, quas Summi Pontifices ad se referendas toties edicunt, quarum Judicia inferioribus adimunt Episcopis: Quas sine omni etiam externa lege eas ad Primam Sedem referre debuissent, ut ab ea velut à Supremo Dei in Ecclesia docentis Organo, de iis quæ ipsi inter se dispicere non possent, edocerentur. Nam debitus à nobis Deo honor postulat, ut constitutos ab eo in terris Ordines veneremur, & exquirenda mentis ac lucis ipsius, quas nobis reliquit vias, gradatim sequamur. Porro Episcopis, qui Patres sunt Doctorésque Christianorum, is superior proximúsque ad consulendum Doctor est, qui Pater Patrum, Doctor Doctorum, Episcopus Episcoporum est constitutus : ut quemadmodum ipsos potissimùm alii audire debent, ita ipsi illum suum Ordinarium Magistrum à Deo sibi præpositum. Hæc autem Pontificum lex, atque hoc officium Episcoporum expressum videtur quasi exemplari, Lege illa indicta Judicibus quinquagenariis, quos Moyses, auctore Jethro, dijudicandis rebus sub se præfecit : ut quicquid gravius videretur, ei reservarent, faciliora dirimerent. Deinde illa ab eodem proposita toti ipsi populo ; ut quicquid difficile atque ambiguum oriretur, de quo* Judicum inter portas suas verba variari videret, ad *Religionis suæ verticem, atque ad Sacerdotes Levitici generis, supremúmque Judicem Dei Templo præsidentem conferret se, & illius Sententiam audiret. Denique huc spectat locus ille Gersonis* * *initio objectus, cujus expositionis gratiâ hæc scripsimus de universo causarum majorum genere... Quæstiones quippe has ambiguas perplexasque, de quibus inter Episcopos nihil constet, & quarum apud omnes Judicium vacillet, solius Summi Pontificis Auctoritate constitui oportere, docet Gerson, nec inferiorum Episcoporum Decretis præfiniri posse. Advertendum tamen, non de iis Quæstionibus Gersonem loqui, de quibus apud quoscunque ambigatur, sed de iis, de quibus certetur apud omnes, inprimisque apud eos Episcopos, qui eas dijudicare vellent. Alioquin si Episcoporum consessus rem minimè dubiam, minimèque obscuram habeat ; si de ea à SS. Patribus aut Scripturis constitutum esse videat : si de ea ipse una voce consentiat ; Sententiam ferre potest, præscriberéque quid sentiendum sit. quantumvis multi inferiores aut privati Theologi, qui Theologiæ scientiam è Sodalium suorum placitis æquè suo sensu fortasse hauserint, inconsulta Ecclesiæ Traditionisque auctoritate, aut dubitent, aut penitus dissentiant. Patet itaque, ni fallor, ex jam dictis, quænam causæ majores ad proprium & unicum Pontificis Maximi Judicium pertineant ; & clarè demonstratum esse opinor, exceptis Episcopalibus causis, in quibus Sedes Apostolica appellatur ante Sententiam Episcoporum, & illis rerum Fidei ac Mysteriorum Quæstionibus, de quibus ex perpetua Scripturarum Ecclesiæque Traditione, neutram in partem statui possit, nullas esse causas quantumvis magnas & graves, de quibus non competat Episcopis Judicium, perenni Ecclesiæ totius usu & consensu. Incolumi tamen suprema Summi Pontificis ad eorum Sententias, tum confirmandas, tum solvendas Auctoritate.*

Exod. 18.

Deuteron. 17.

* De Examin. D... c... fid...

Ridiculum ergo est & inscitia plenum, quod à quibusdam jactari audio, Episcopos de causis majoribus judicare nullo modo posse, easque omnes soli Summo Pontifici reservari ; nec cuiquam qui aliquid cum SS. Patribus & Conciliis commercii habeat, istud in mentem venire posse arbitror. Nam quod interdum ita loqui videntur in Epistolis Summi Pontifices, ut eas causas sibi penitus assumant, earúmque ventilationem solam Episcopis permittant ; ex dictis patet id de omnibus omnino causis majoribus intelligi non posse, sed de iis duntaxat accipi debere, quarum Judicium Sedi Apostolicæ singulariter tribuisse Patres, ante ostendimus. Quanquam ventilationis nomen non semper ita sumendum est, quasi solam rei discussionem, sine omni Judicio contineat. Nam eo nomine significatur Judicium, non ultimum illud quidem ac supremum, sed quod sub altiori Potestate quasi suspensum sit, donec ab ea finiatur, & compleatur. qualia esse diximus Judicia Episcoporum ad Judicium Summi Pontificis collata. quod appellationis beneficio, quod in eorum arbitrio positum est, ad eum semper deferri possint, non solùm comprobanda, sed etiam, si necesse sit, rescindenda. Ita cùm Concilium Chalcedonense Clericum, qui negotium cum Clerico habeat, jubet adire Episcopum, ut apud eum actio ventiletur, *Dionysio Exiguo Interprete : non significat Episcopum Clerici sui causam discutere tantum posse, non vero dijudicare : sed ventilari dicit apud Episcopum Clerici causam, quod ab eo judicetur, non supremo Judicio, sed cum subsidio provocationis, si ita videatur ei, qui ipsius Judicio victus erit. Idem ex locis aliis perspici potest, in quibus ventilationem non cuilibet Judicio, sed solùm finitioni causæ opponi patet. Imo reperias interdum ubi ventilatio pro quovis Judicio generatim ponatur, seu minori, seu supremo : ita ut ipsi Romani Pontifices, dum judicant, ventilare dicantur : quia videlicet omni judicio causa disquiritur ac judicatur.* Ex his Cap. *Quoties* Cap. *Majores*, & Glossæ à *Montesono* prolatæ facilè explicantur.

Quæstiones Fidei ad Sedē Apostolicam post Episcopale judicium referendæ.

XXVI. Addiderim, *Innocentium* utrumque de uno Relationis Jure locis laudatis loqui, ac illud Sedi Apostolicæ asserere, non verò primum Quæstionum Fidei Judicium, quod Juris Episcoporum esse in suis Diœcesibus vel in Conciliis Provincialibus aut Nationalibus agnoscunt: à quibus latâ Sententiâ, ad Sedem Apostolicam Gesta referantur, ut ejus Auctoritate approbati valeant & confirmari, prout in causa Pelagianorum factum esse notum est, & *Innocentii I.* cujus est Caput, *Quoties*, Epistolæ expressè docent. Relationem, inquam, ad Sedem Apostolicam in Majoribus Causis omnibus mitti volunt, sed *post Episcopale Judicium*. Sic loquitur *Innocentius I.* in Epistola ad *Victricium* Rothomagensem Episcopum. *Si autem*, inquit, *Majores causa in medium fuerint devoluta, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, post Episcopale Judicium referantur.*

Et Epistola XXIV. ad Concilium Carthaginense, Patres Africanos Apostolicam Sedem in causa Pelagianorum consuluisse testatur, de qua in justo Concilio tractare & pronuntiare poterant, & antea pronuntiaverant. *Inquirendo*, inquit, *de his rebus, quas omni cum solicitudine decet à Sacerdotibus, maxime à vero justóque & Catholico tractari Concilio, antiqua Traditionis exempla servantes, & Ecclesiastica memores Disciplina, vestra Religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis Judicium &c. Patrum instituta Sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda: quod illi non humanâ sed divinâ decrevere sententiâ: ut quicquid quamvis disjunctis remotisque Provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus Auctoritate justa qua fuerit pronuntiatio firmaretur: indéque sumerent cætera Ecclesia &c. Cùm pro illis curam geritis, quibus præsidetis Ecclesiis, solicitudinem vestram pro omnium utilitate monstratis: & per cunctas totius orbis Ecclesias, quod omnibus prosit, decernendum esse unà deposcitis: ut suis constabilita regulis Ecclesia, & quo illos caveat, Pronuntiationis justa firmata Decretalibus pavere non possit, qui perversis instructi verborum argutiis, totam veri Dogmatis quærunt evertere disciplinam.*

Idem Pontifex Epistola XXVI. ad quinque Episcopos Africanos, quorum unus erat *S. Augustinus*, de ea, quæ falsò jactabatur, *Pelagii* purgatione & absolutione loquens, judicandi auctoritatem in Episcopis & Concilio agnoscit. *Nobis*, inquit, *persuaderi non potest, eum esse purgatum, quamvis ad nos à nescio quibus laicis sint Gesta perlata, quibus ille & auditum se crederet, & absolutum. Quæ utrum vera sint, dubitamus, quod sub nulla illius Concilii prosecutione venerunt, nec eorum aliquas accepimus de hac re Literas, apud quos iste rei Iste præstitit causas. Quòd si de sua Ille potuisset purgatione confidere, hoc magis credimus, quod egisset, quod multò verius esse poterat; ut illos cogeret Epistolis suis, qui judicaverant, indicare.*

XXVII. Idem est *Innocentii III.* sensus Cap. *Majores*: Quòd scilicet Quæstiones Fidei ad Sedem Apostolicam referantur, illius Judicio finiendæ, post Episcopale Judicium: non verò ut prima cognitio hujusmodi causarum ad solam Sedem Apostolicam pertineat; vel ad Episcopos discussio duntaxat & examen; ad unum Romanum Pontificem Judicium & Sententia: nisi fortè ejusmodi causæ ita obscuræ ac perplexæ essent, ut ab Episcopis & Conciliis Provincialibus aut Nationalibus nihil certi constitui posset: Episcopis scilicet ac Theologis in varias & pugnantes opiniones distractis.

Majorum causarum notio.

Sedis nimirum Apostolicæ Traditio, quam secutus est *Innocentius III.* Majores Causas in materia Fidei intelligit eas, quæ ob sui difficultatem ac obscuritatem ab Episcopis judicari ac finiri non possunt, ideóque ad Sedem Apostolicam referantur necesse est. Hanc majorum causarum notionem tradit *Joannes VIII.* Epistola XCIII. ad Arelatensem Episcopum: *Si qua vero (au) inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerserit, quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur atque decidatur. sin autem decidi nequiverit, discussâ veritate, ad nostrum Judicium referatur.*

Joanni VIII. in ea majorum causarum definitione præiverat *Leo IV.* Epistola ad Episcopos Britanniæ, cujus verba refert *Gratianus* Dist. XX. Cap. I. ubi recensitis Canonibus & Decretalibus Epistolis, secundùm quos & secundùm quas Episcopi judicare debent ac judicari, subdit. *Nam si tale emerserit, vel contigerit inusitatum negotium, quod minimè possit per istos definiri. tum, si illorum quorum meministis dicta, Hieronymi, Augustini, Isidori, vel cæterorum similiter Sanctorum Doctorum similium reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda, ac promulganda. vel ad Apostolicam Sedem referendum de talibus.*

Leoni IV. istius definitionis auctor fuit *S. Gregorius Magnus* Epistola LII. lib. IV. ad universos Galliarum Episcopos datâ, de *Virgilii* Arelatensis Episcopi, Sedis Apostolicæ Legati Auctoritate. *Si quam verò contentionem (quod longè faciat divina potentia) de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine Judicio Sedis Apostolica indigeat: Examinata diligentius veritate, Relatione sua ad nostram studeat perducere notionem.*

A *Vigilio* id acceperat *S. Gregorius*, Epistola VII. ad *Auxanium* Arelatensem. *Si qua vero certamina, aut de religione fidei (quod Deus auferat) aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint: Totius veritatis indagine diligenti ratione discussâ, Relationis ad nos serie destinantes, Apostolica Sedi terminanda servate.*

Ab *Hilaro* Papa Epistola VIII. ad plures Metropolitanos Galliæ data id didicerat *Vigilius*. Postquam enim *Hilarus* ipsos hortatus est ad Concilia opportunis locis ac temporibus celebranda, subdit: *In dirimendis sanè gravioribus causis, & quæ illic non potuerint terminari, Apostolica Sedis sententia consuletur.*

A *S. Leone* didicerat *Hilarus*, Epistola IV. ad *Anastasium* Thessalonicensem Episcopum, Editionis *P. Quenellii*, in qua hæc habet: *Ad Synodum quisquis fratrum fuerit evocatus occurrat... Si qua vero causa major evenerit, quæ à tua Fraternitate illic præsidente non potuerit definiri, Relatio tua missa nos consulat: ut revelante Domino, cujus misericordia profitemur esse quod possumus, quod ipse nobis aspiraverit, rescribamus; ut cognitioni nostra pro traditione veteris instituti & debita Apostolica Sedis reverentia, nostro examine vindicemus: ut enim Auctoritatem nostram vice nostrâ exercere te volumus; ita nobis quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiserit, reservamus.*

Parenthesis ista: (*Ad quam duntaxat ... pertinet*) in Clementinam, *Fidei*, videtur intrusa.

XXVIII. Verba in Clementina, *Fidei*, per parenthesim posita (*Ad quam duntaxat hæc declarare pertinet*) in quibus non minimum erroris sui præsidium *Joannes de Montesono* collocabat, vel eo sensu intelligenda, Viri Eruditi respondent; vel *Clementis V.* & Concilii Viennensis non esse, sed intrusa ab iis, quibus *Clementinas* postea recensendi provinciam *Clemens V.* & qui ipsas deinde promulgavit *Joannes XXII.* demandarunt. Ut enim Glossa, quæ *Joannis Andreæ* coævi Auctoris est, & Author Vitæ *Clementis V.* necnon *Martinus Polonus* testantur, *Constitutiones Concilii, licet non*

omnes

mnes fuerint in Concilio publicata, tamen postea de actu fuerunt publicata: & ipsarum habita copia, & jam habebatur quod ligarent. Et quia patuit aliquas ex illis ineptè, aliquas prolixè, aliquas defectivè compositas, aliquas etiam non expedire, voluit Clemens quòd compositio illa procederet (sed ut fertur) sub Excommunicationis pœna mandavit, quod illas habentes intra certos dies restituerent Cameræ, vel incenderent, vel dilacerarent etiam easdem. Demum per Peritiores fecit illas recenseri, qui aliquas & paucas in totum reservaverunt; aliquas in totum resecarunt, aliquas mutaverunt quoad verba, mente servatâ, in aliquibus menti & verbis detraxerunt & addiderunt: Et has, licet non sub hic verbis in Concilio publicata fuissent, voluit sub nomine Concilii reservari, & multas Constitutiones utiles addens, de quibus non fuerat in Concilio tractatum &c.

Præterea, Parenthesis ista apud *S. Antoninum*, qui Clementinam primam refert, non habetur III. P. Tit. XI. C. III. §. 1. Dixerit aliquis, *S. Antoninum* Constitutionem integram non afferre; idque indicare verba hæc: *Et infra*: quæ inter *S. Joannis* testimonium, & §. *Porro*, interjacent. Verùm non constat utrum hæc interjectionis nota sit ipsius *S. Antonini*, an à scribis & librariis addita sit. Hac de re pronuntiare non ausim, Codicum MSS. testimonio destitutus, quæ consulere nulla licuit. Viennense Concilium ac Summum Pontificem Confessionem Fidei condidisse, quâ Petri *Joannis Olivi* error configitur, illique opposita veritas de Christi demortui perfosso latere ceu fidei dogma asseritur, ac postea rem actam cursus egisse, & sacro approbante Concilio id definivisse quod ut rem fidei professi fuerant, sunt inter Eruditos qui persuadere sibi non possint: adeóque totum §. *Nos igitur*, in quo habetur illa, de qua agimus, Parenthesis, usque ad §. *Porro*, subdititium esse conjiciant; maximè cùm à *Clementis V.* mente aliena sit illa Propositio quæ Parenthesi clauditur (*Ad quam duntaxat hoc declarare pertinet*) Tantùm enim abest quin *Clement V.* ad solam Sedem Apostolicam pertinere existimaverit judicium de Quæstionibus fidei, ut ad eliminandos errores, fidem roborandam, aliáque negotia Ecclesiæ statum spectantia, quibus facilè conficiendis absque Concilio se imparem agnoscebat, Viennense Concilium congregaverit, ut ipse profitetur in Diplomate indictionis ejusdem Synodi, quod incipit: *Regnans in cœlis*: ita scribens: *Ex his etiam, dum ministerio debita considerationis nostra mentis præsentantur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, & ad tanta discrimina revelanda suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus anxiatur. Ad quod cum nos sufficere commodè non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium, & humiliter petimus, & devotè speramus. Et quia salubre in his adhiberi remedium, interest generaliter omnium, Nos cum eisdem Fratribus nostris, aliísque Viris Prudentibus exacto ac frequenti Tractatu præhabito, prout tanta necessitatis instantia exigebat, de ipsorum Fratrum consilio Universale Concilium, sicut imitatione digna SS. Patrum consuetudo laudabilis, longævæ observationis exemplo nos instruit, decrevimus congregandum ut in eo tam circa dictum Ordinem* (Templariorum) . . . *& alia quæ statum tangunt Fidei Catholicæ, quàm circa recuperationem & subsidium Terræ Sanctæ &c. Deo auspice communi consilio inveniatur Provisio, & ejusdem approbatione Concilii roboretur, per cujus salutiferam executionem virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roboratâ fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, redintegrata ejusdem fidei unitate, extirpatis vitiis &c. ejusdemque Terræ statu prospero reparato, occupata restituat, vastata restauret, & restaurata conservet &c.*

Eadem verba Gregorius X usurpaverat, in Diplomate quo Lugdunense Concilium indixit.

Non igitur in sensu exclusivo intelligenda sunt verba illa Parenthesi inclusa (*Ad quam duntaxat hoc declarare pertinet*) si verè *Clementis V.* & Viennensis Concilii sunt: alioquin Synodus Oecumenica, & Episcopi omnes in ea congregati, sibi & Ecclesiæ cujus erat repræsentatio, jus declarandi Quæstiones fidei & de ipsis judicandi abrogassent: quod nemo (ut opinor) sanæ mentis facilè sibi persuaserit. Ibi ergo *duntaxat*, pro eodem ac *saltem*, vel *scilicet*, usurpatum videri potest, prout ab optimis Auctoribus, ac præsertim à *Cicerone* lib. de Amicitia, & de Oratore usurpatum est. Denique quovis sensu proposito illa intelligantur, evidens est, illam enuntiativè (ut ita loquar) non per modum definitionis in Clementina esse positam: quo priore modo quæ in Conciliis habentur, vim controversiæ judicatæ non habent, cùm secundùm Scripturam Sacram & Traditionem examinata non sint, sed incidenter pronuntiata; quod multis exemplis ostendi posset. Addi & aliud potest, quò *Clementis V.* mens lucidius ac planiùs explicetur, quod inferiùs attingemus.

XXIX. Sacræ Facultatis Sententiam circa Episcoporum divinam Auctoritatem in judicandis etiam fidei controversiis, alia monumenta probant, *Joannis de Montesono* damnatione recentiora: scilicet Instrumentum Revocationis quarumdam Propositionum factæ à F. *Joanne Sarrasin* Prædicatore, die XXX. Martii anno MCCCCXXIX. more Gallicano. Has scilicet Propositiones in suo Vesperiarum Actu propugnaverat:

Sacra F[illegible] Parisiensis [illegible] circa [illegible] Episcoporum divinam auctoritatem etiam [illegible] fidei [illegible] versiis.

1. Omnes Potestates Jurisdictionis Ecclesiæ, aliæ à Papali Potestate, sunt ab ipso Papa quantum ad institutionem & collationem.

2. Hujusmodi Potestates non sunt de Jure Divino, nec immediatè institutæ à Deo.

3. Non invenitur Christum tales Potestates, scilicet alias à Papali expressè ordinasse, sed tantùm supremam, cui commisit Ecclesiæ fundationem.

4. Quandocunque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota Auctoritas dans vigorem statutis in solo Summo residet Pontifice.

5. Ex textu Evangelii non habetur expressè, alicui Apostolorum, nisi Petro, Auctoritatem Jurisdictionis fuisse collatam.

6. Dicere inferiorum Prælatorum Potestatem Jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediatè à Deo, sicut Potestatem Papæ, veritati quodammodo repugnat. Porro ad eas palam revocandas Sacræ Facultatis Mandato compulsus est. Matri morem gessit, & subjectas Propositiones superioribus oppositas professus est:

1. Omnes Potestates Jurisdictionis Ecclesiæ aliæ à Papali Potestate, sunt ab ipso Christo, quantùm ad institutionem & collationem primariam; à Papa autem & ab Ecclesia quantum ad limitationem & dispensationem ministerialem.

2. Hujusmodi Potestates sunt de jure divino, & immediatè institutæ à Deo.

3. Invenitur in Sacra Scriptura, Christum Ecclesiam fundasse, & Potestates alias à Papali expressè ordinasse.

4. Quandocunque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota Auctoritas dans vigorem statutis residet non in solo Summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu Sancto, & Ecclesia Catholica.

5. Ex textu Evangelii & doctrina Apostolorum habetur expressè, Apostolis & Discipulis à Christo missis Auctoritatem Jurisdictionis fuisse collatam.

6. Dicere inferiorum Prælatorum Potestatem Jurisdictionis

risdictionis, sive sint Episcopi, sive sint Curati, esse immediatè à Deo, Evangelica & Apostolica consonat veritati.

XXX. Anno MCCCCXLII. die IX. Januarii, Magister *Nicolaus Quadrigarii*, Ordinis FF. Eremitarum *S. Augustini*, quasdam Propositiones à se pariter in Actu Vesperiarum assertas, ex Mandato Sacræ Facultatis Parisiensis revocavit. Harum una erat: *Sola Papa Potestas in tota Ecclesia immediatè est à Christo.* Quam hâc verborum formulâ revocavit: *Ego, quantum in me est, volens tollere omne scandalum, & esse filius obedientiæ & pacis, & assertor veritatis, dico nunc, sicut tunc dixissem, si fuissem absolutè & non collativè locutus, & hoc ex ordinatione ejusdem Facultatis Theologiæ matris meæ, cujus ordinationi, dispositioni, & omnimodæ determinationi me submisi & submitto, ac etiam ultronea voluntate, Veritatem quæ sequitur: Quam quidem Veritatem prædicta Facultas submittit determinationi Ecclesiæ, sacri Generalis Concilii, & Sanctæ Sedi Apostolicæ*; videlicet: *Omnes Potestates Jurisdictionis Ecclesiasticæ aliæ à Papali Potestate, sunt ab ipso Christo quantum ad institutionem & collationem primariam: à Papa Auctoritate & ab Ecclesia, quantum ad limitationem & dispositionem ministerialem.*

XXXI. Anno MCCCCLXX. die XVII. Augusti, F. *Joannis Munerii*, ex Ordine FF. Prædicatorum Doctor Theologus, has Propositiones asseruit in Aula Parisiensis Episcopi, in Doctoratu *Joannis de Divione* Abbatis *de Theoloce*, Ordinis Cisterciensis, 1. *Apostoli alii à Petro non acceperunt immediatè à Christo Potestatem Episcopalem, sed à Petro mediatè vel immediatè solo.* 2 *Alios Apostolos à Petro, nulla ratione convincitur fuisse factos Episcopos à Christo, nec etiam aliqua Auctoritate.* 3 *Congregatio* LXXII. *Discipulorum non accepit à Christo immediatè aliquam Potestatem Jurisdictionis in aliquo foro.* Quas Propositiones Sacra Facultas pronuntiavit *Esse directè contra Sacra Scriptura & Doctorum ab Ecclesia approbatorum doctrinam, necnon contra determinationem prædictæ Facultatis, aliàs solemniter in casu simili factam*; scilicet in causa Fratris *Joannis Sarrasin*, cujus Retractationis Instrumento Frater Magister *Munerii* subscripsit, & secundùm eamdem formulam Propositiones suas ex Mandato Sacræ Facultatis humiliter retractavit.

XXXII. Anno MDXXIV. *F. Ludovicus Conbout* Præsentatus Prædicatorum, respondens de Aulica sub Magistro novo *Henrico Fabri*, hanc Propositionem propugnandam susceperat: *Episcopus qualis inter Apostolos solus Petrus à Christo immediatè fuit consecratus: Curatus verò Jure positivo institutus; cum nec Episcopus quispiam, Petro dempto, immediatè est à Christo institutus.* Oppositam verò Conclusionem ex Mandato Sacræ Facultatis in sua Sorbonica propugnavit, his verbis conceptam: *Quemadmodum Petrus à Christo Summus Pontifex ordinatus fuisse creditur, & quilibet cæterorum Apostolorum ab eodem Christo, nullo mediante, Episcopus creatus, & Curatorum Ordo institutus, eodemque divino jure triplicem illum Hierarchicum Ordinem habet Ecclesia. Nec horum opposita (cùm certum sit Evangelicæ Veritati illa refragari) possunt probabiliter sustineri.*

XXXIII. Anno MDXLII. die XVIII. Januarii, Sacra Facultas Parisiensis inter Articulos Fidei contra *Lutherum* constitutos, XVIII. conscripsit, asseruit, promulgavit his verbis: *Tenetur & quilibet Christianus firmiter credere, Unam esse Universalem Ecclesiam in terris visibilem, quæ in fide & moribus errare non potest, cui omnes Fideles in his quæ sunt fidei & morum, obedire astringuntur.* Et XIX. *Quòd si quid in Scripturis Sacris controversia aut dubii oriatur, ad præfatam Ecclesiam desinire spectat ac determinare.* XXII. *Certum est Concilium Generale, legitime congregatum, Universalem repræsentans Ecclesiam, in fidei & morum determinationibus errare non posse.* Hæ porro Propositiones è regione sunt oppositæ illi quam Frater *Joannes de Montesono* propugnaverat: *Ad solam Sedem Apostolicam*; vel, *Ad solum Summum Pontificem pertinet eorum quæ tangunt fidem examinatio & decisio.*

XXXIV. Anno MDLVI. Magister *Franciscus Guillon* Baccalaureus, qui in sua Thesi pro Minore Ordinaria quædam posuerat, quibus videbatur asseri, *Ex omnibus Apostolis solum Petrum à Christo* immediatè fuisse creatum Episcopum, ex Sacræ Facultatis Decreto veniam petiit ab Episcopis, & ab ipsa Facultate, & declaravit, *Se agnoscere & fateri Episcoporum Jurisdictionem esse Juris Divini, & esse immediatè à Christo, eósque in Conciliis Generalibus verò esse Judices, atque in iis ex eorum Judiciis Summum Pontificem pronuntiare.* Istique Declarationi subscripsit die XIV. Januarii.

XXXV. Anno MDCLXIV. die XXVI. Maii, Sacra Facultas varias *Jacobi Vernantii* Propositiones confixit, quarum una hæc erat: *Ejus est unius, (scilicet Summi Pontificis) emergentia circa fidem dubia, infallibilis veritatis oraculo tollere & explanare.* Altera: *Duplex est infallibilitatis genus, una activa, alia passiva. Illa Summi Pontificis est ut Vicarii Christi; hæc Ecclesiæ. Utraque verbo Dei confirmatur.* De quibus Sacra Facultas ita censuit: *Hæ Propositiones, quatenus excludunt ab Ecclesia Infallibilitatem activam seu Auctoritatem emergentia circa fidem dubia infallibilis veritatis oraculo tollendi & explanandi, falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ, & hæreticæ.*

Aliæ ejusdem Auctoris Propositiones asserebant; *Nullum fore discrimen, sed æqualitatem omnimodam Romanum Pontificem inter & Episcopos, si claves scientiæ & potestatis, id est, Jurisdictionem omnem, à Christo immediatè accipiant.* De his autem Sacra Facultas ita censuit: *Hæ Propositiones, quarum duæ priores asserunt, Apostolos non fuisse constitutos Episcopos à Christo; cætera vero, Potestatem Jurisdictionis Episcoporum non esse immediatè à Christo; falsæ sunt, verbo Dei contrariæ, & olim à Sacra Facultate reprobatæ. In quantum verò in quatuor postremis, positâ institutione Episcoporum immediatè à Christo facta colligit Auctor omnimodam inter Episcopos & Summum Pontificem fore æqualitatem, & nullam subordinationem; falsæ sunt, temerariæ & præbent occasionem subvertendi Ordinem Hierarchicum, præsertim verò Primatum Summi Pontificis.*

XXXVI. Demum anno MDCLXXXIII. ineunte, Sacra Facultas ex Mandato Supremi Galliarum Senatus Propositionem hanc expendit ex quibusdam libellis & chartis volaticis peregrinorum Auctorum in has oras invectis exceptam: *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de Controversiis Fidei judicare.* Quæ Propositio à selectis primùm Doctoribus discussa, qui sententiam de illa suam ad Facultatem retulerunt die 1. Martii, omnium ac singulorum deliberationi permissa est, qui mensibus prope tribus, Martio, Aprili, Maio, Comitiis frequentibus quadragesies & quinquies habitis, Propositionem ipsam accuratè expenderunt; suámque tandem Doctrinalem Sententiam Facultas tulit. Sed quoniam de Romano Pontifice sermo erat, cujus Jura non

modò

modò illæsa ubique voluit, sed & quaque occasione data religiosè venerata est, exposuit copiosè, strenuè defendit, antiquæ suæ in Sedem Apostolicam reverentiæ esse duxit brevi de ea præfari, disertèque repetere, quod olim non semel professa est, præsertim in Articulis Fidei contra *Lutherum*, & in Censura *M. Antonii de Dominis*, scilicet: *Romanum Episcopum Unum esse Jure Divino Summum in Ecclesia Pontificem, cui omnes Christiani parere teneantur.* Et *Qui immediatè à Christo non honoris solum, aut dignitatis, sed & potestatis ac Jurisdictionis Primatum habeat in tota Ecclesia.* Qua Præfatione præmissa, de Propositione à Senatu Amplissimo oblata sic censuit Sacra Facultas: *Hæc Propositio, quatenus excludit ab Episcopis & Conciliis, etiam Generalibus, judicandi de Fidei Controversiis Auctoritatem, quam habent immediatè à Christo, falsa est, temeraria, erronea, praxi Ecclesiæ adversa, verbo Dei contraria, doctrinam renovans alias à Facultate reprobatam.* Datum in Sorbona die Maii XVIII. recognitum XIX. Summo porro & unanimi circa dogmatis caput omnium Magistrorum consensu lata Censura est, quamvis aliqui circa modum dissensissent, pauciores licèt; arbitrati multiplicem distinguendum esse sensum, & certo quodam sensu, in quo exprimendo non planè conveniebant, salvam esse volentes Propositionem; cæterùm uno ore cum reliquis Magistris, quibus distinctio meritò non placuit ob rationes Ecclesiæ, Sedi Apostolicæ, honori Academiæ, & causæ imprimis Veritatis conducibiles, censebant, judicabántque: *Hanc Propositionem, quatenus excludit, vel eo sensu intellecta, ut excludat: vel, si excludat, ab Episcopis & Conciliis, etiam Generalibus, judicandi de Fidei Controversiis Auctoritatem, quam habent immediatè à Christo, falsam esse, temerariam, erroneam, praxi Ecclesiæ adversam, verbo Dei contrariam* &c.

Quoniam verò de hac Propositione Suffragium etiam Censorium tuli post centum & sexaginta ampliùs Magistros me antiquiores, Virique Dignitate & Doctrina Spectatissimi illud à me hîc in lucem edi peroptarunt, illorum votis jussisve parere velim, ut sit Dissertationis hujusce meæ supplementum, simúlque innotescat Exteris quâ diligentiâ, quo studio, quâ libertate, quâ religione, quâ prudentiâ, Sacra Facultas Parisiensis delatas ad examen suum Propositiones aut Libros discutiat, Censuras meditetur, ac Doctrinale Judicium ferat. Quod facilè intelligent, cùm à trecentis Doctoribus hujusmodi Propositiones sic expendi ac ventilari cogitaverint, antequam de illis Sacra Facultas pronuntiet.

SCHOLION I.

In hac Dissertatione, pag. 473. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Hæc propositio: SOLIUS sedis Apostolicæ est, declarare ea quæ sunt FIDEI, est hæretica.*

R. Hæc non mea, sed *Petri de Alliaco*, postea S. R. E. Cardinalis verba sunt, à me historicè relata.

SCHOLION II.

In eadem Dissertatione, pag. 474. has propositiones rursus notant Religiosi Censores: *Est etiam manifesta hæresis dicere, quòd AD* solum Pontificem pertinet examinatio & decisio eorum quæ tangunt fidem. . . In causa Fidei potest appellari ad Concilium.

R. Neque hæc mea, sed *Petri de Alliaco* verba sunt, & historicè dumtaxat à me referuntur eo loci, non dogmaticè asseruntur hujusmodi propositiones.

SCHOLION III.

Dissertationis ejusdem pag. 478. Religiosi Censores hanc propositionem notant. *Christus S. Petro contulit potestatem nomine Ecclesiæ.*

R. Scripsi. Christum ligandi atque solvendi potestatem *S. Petro* contulisse, *quatenus Ecclesiæ gerebat personam, & nec unius hominis, sed unitatis*, S. Augustinus docet. Ejus verba usurpavi, ex Sermone CVIII. *De Diversis*, & Tractatu CXVIII. in *Joannem*. Nec alio sensu accepi, quàm *S. Augustinus*, non alio sensu quàm Ecclesia intelligit. Collatam scilicet *S. Petro* personaliter, & immediatè à Christo ligandi atque solvendi potestatem, non tanquam Ecclesiæ procuratori, sed tanquam Ecclesiæ Pastori, Rectori, Capiti, Primatum jurisdictionis, non modo supra fideles omnes, sed etiam supra Episcopos ipsos habenti, ut explicui in Dissertatione *De Primatu S. Petri & Romani Pontificis*, Sæculo I. Historiæ Ecclesiasticæ.

SCHOLION IV.

Dissertationis ejusdem pag. 479. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Hæc ergo propositio, quatenus excludit Concilium, est hæresi finitima.*

R. Hanc propositionem F. Joannis de Montesono, *Eorum quæ tangunt fidem, ad solum Summum Pontificem pertinet examinatio & decisio*: Quatenus per illam universalis Ecclesia & Concilia Oecumenica excluduntur hæresi finitimam esse, sententia est Sacræ Facultatis Parisiensis. *Hæreticam* rotundè dixit *Petrus de Alliaco*. Hanc propositionem, *Ad Ecclesiam universalem & ad Concilia Oecumenica non pertinet examinatio & decisio eorum quæ tangunt Fidem*, an ab hæreseos nota immunem præstabunt Religiosi Censores, si ad Pontificium Tribunal, vel ad Sancti Officii Congregationem deferatur?

SCHOLION V.

Ibidem hanc propositionem notant Religiosi Censores: *Sedes Apostolica & Papa sunt quid distinctum.*

R. Mortuo Pontifice manet Apostolica sedes; Pontifex in Cathedra S. Petri sedet. *Cathedra unica est, quæ est prima de dotibus. Sedit Prior Petrus*, &c. (inquit S. Optatus Milevitanus lib. II. contra Parmenianum.) *Aliud sunt sedes, aliud Præsidentes* (inquit Auxilius in lib. *De Ordinationibus Formosi*.)

SCHOLION VI.

Hanc propositionem ibidem notant Religiosi Censores: *Est hæresis excludere omnes Episcopos à cognitione, examinatione, & decisione eorum quæ sunt Fidei.* Istam pariter notant pag. 480. *Est hæreticum excludere Theologos à generali examinatione & decisione rerum fidei.*

R. Non meæ, sed Eminentissimi Doctoris Petri de Alliaco S. R. Ecclesiæ Cardinalis propositiones sunt, quas historicè ibi refero. Cæterùm cum eodem propugno propositionem istam ut Dogma Catholicum: *Ad Sanctam sedem Apostolicam pertinet Auctoritate judiciali suprema circa ea quæ sunt Fidei judicialiter definire* (pag. 480.)

SCHOLION VII.

Dissertationis ejusdem pag. 484. hanc propositionem notant Religiosi Censores: *Romanus Pontifex non definiens ex Cathedra, seu cum Ecclesia consensu, non est indefectibilis.*

Hæc Sacræ Facultatis Parisiensis, & Ecclesiæ Gallicanæ Sententia est. Nec tamen id eo loci asserui, sed de *Petri Alliacensis* doctrina & sententia agens, ita scripsi: *Ex quibus omnibus colligit, quòd SEDIS APOSTOLICÆ FIDES NUSQUAM DEFICIT. Hoc verò nomine ipsum Romanum Pontificem*, Non accedente Ecclesiæ consensu, *sive, ut vulgari verbo utamur*, EX CATHEDRA, *non definientem ac judicantem Petrus Alliacensis non intellexit.* Tota hæc quæstio in facto & critica versatur, quid senserit & intellexerit *Petrus de Alliaco*?

SCHOLION VIII.

Dissertationis ejusdem pag. 487. & 491. Religiosi Censores has propositiones notant: *Auctoritas Episcoporum immediatè à Deo derivatur. . . . Potestas Episcopi à Deo, non à Papa precariò accepta.*

R. Doctrina est Sacræ Facultatis Parisiensis, ex Traditione a me probata à pag. 487 ad pag. 491. Diœcesum tamen institutionem ac divisionem, Episcoporum electorum confirmationem, casuum in omnibus Ecclesiæ Diœcesibus reservationem, indulgentiarum in toto orbe Christiano concessionem, summam præ omnibus & singulis Episcopis jurisdictionem Romano Pontifici convenire agnosco, illumque jurisdictionis Pontificiæ Primatum à Christo institutum. Episcopos denique *Auctoritate Romani Pontificis assumtos*, ut loquitur sacra Synodus Tridentina, Canonicam illi obedientiam debere profiteor.

SCHOLION IX.

Dissertationis ejusdem pag. 493 hanc propositionem notant Religiosi Censores: *Petrus non accepit claves à Christo pro se solùm, sed nomine omnium.*

R. Id ex Scriptura Sacra & Traditione compertum est. Petro quidem traditæ sunt claves, sed in ipso cæteris Apostolis, & Ecclesiæ quam repræsentabat, ac Apostolorum successoribus Episcopis traditæ sunt. *Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia* (inquit S. Augustinus Tractatu L. in Joannem) *Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam Sanctam significavit.* Si pro se solùm ligandi solvendique potestatem S. Petrus accepit, claves Regni cœlorum *cæteris communicandas* non accepit (ut ait S. Optatus Milevitanus) Si pro se solo ligandi solvendique potestatem accepit, nihil à Christo cæteri Apostoli acceperunt, cùm omnibus dixit Matthæi VIII. non soli Petro: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.*

SCHOLION X.

Pag. 495. hanc propositionem notant Religiosi Censores: *Erravit Fagnanus dicens, Episcopos in Conciliis esse consultores, non judices.*

Act. 15. R. Erravit re vera vir cæteroquin doctissimus, cùm non erraverit Lucius III. Cap. *Ad abolendum*, Extra, *De Hæreticis*, singulos Episcopos in Diœcesibus suis, multò magis in Conciliis judices causarum fidei agnoscens, nec erraverit aut jus alienum usurpaverit S. Jacobus in Concilio Jerosolymitano hunc in modum suffragatus: *Propter quod ego judico non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, &c.* non erraverint, aut jus, quod soli Petro competeret, sibi temerè arrogaverint Apostoli in communi scribentes: *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Erravit Fagnanus, siquidem Bellarminus non erravit, contra Hæreticos probans *Episcopos in Conciliis, non consiliarios esse, sed judices.* (lib. I. *De Conciliis*, Cap. XVIII.)

SCHOLION XI.

Pag. 501. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Definitio Episcopi obligat omnes in sua Diœcesi, donec aliud Papa decreverit.*

R. Verba sunt *Petri de Alliaco* à me historicè relata; verissimáque propositio est.

SCHOLION XII.

Pag. 503. Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Fieri potest judicium personarum post appellationem, dummodo non sit in causis majoribus.*

R. Non ita scripsi, sed, *Neque unquam vetuerunt Summi Pontifices dari judicium ab Episcopis post oppositas ad Sedem Apostolicam appellationes, nisi in causis majoribus personarum.* Facti quæstio est; nec mea tamen, sed *Petri Aurelii* verba sunt, à me historicè relata.

SCHOLION XIII.

Pag. 506. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Nulla est res tam magna, de qua non competat judicium primum Episcopo, salvâ supremâ auctoritate.*

R. Non mea, sed *Petri Aurelii* verba tota illâ paginâ leguntur: *Clarè*, inquit, *demonstratum esse opinor, exceptis Episcopalibus causis, in quibus Sedes Apostolica appellatur ante Sententiam Episcoporum, & aliis rerum Fidei ac Mysteriorum quæstionibus, de quibus ex perpetua Scripturarum Ecclesiæque Traditione neutram in partem statui possit, nullas esse causas quantumvis magnas & graves de quibus non competat Episcopis judicium, primum Ecclesiæ totius usu & consensu INCOLUMI TAMEN SUPREMA SUMMI PONTIFICIS AD EORUM SENTENTIAS TUM CONFIRMANDAS TUM SOLVENDAS AUCTORITATE.* Hæc verissima, & tamen à me historicè dumtaxat relata ex loco, ab iniquis censoribus Auctoribus truncata & interpolata.

SCHOLION XIV.

Pag. 514. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Multa in Conciliis dicuntur enunciativè, quæ quia examinata non sunt, vim definitionis non habent.*

R. Quæ in Conciliis enunciantur dumtaxat, & incidenter pronuntiantur, ea vim definitionis & controversiæ judicatæ non habere, nemo hoc literaturæ genere vel leviter imbutus non intelligit.

CENSORIUM SUFFRAGIUM

In Generalibus Comitiis Sacræ Facultatis Parisiensis diebus VII. *&* VIII. *Maii anni* MDCLXXXIII. *In Aula Celeberrimæ Domus Sorbonicæ Pronuntiatum.*

A F. NATALI ALEXANDRO, In eadem Facultate Doctore, De Propositione ab Amplissimo Senatu ad Theologici Consessus Examen ac Judicium Doctrinale delata, his concepta verbis:

AD SOLAM SEDEM APOSTOLICAM DIVINO IMMUTABILI PRIVILEGIO SPECTAT DE CONTROVERSIIS FIDEI JUDICARE.

1 IN Sacra *Josue* Historia * legimus, HONORANDE DOMINE DECANE, SAPIENTISSIMI PATRES AC MAGISTRI, cùm Israëlitici Populi pars una Altare super Jordanem extruxisset, ut in monumentum esset posteris quòd unum cum Tribubus reliquis Deum colerent, unámque Religionem profiterentur; cæterarum Tribuum Proceres populúmque bellum ipsis denuntiasse, quasi Altari ad Sacrificia erecto, quæ extra Tabernaculum offerri nefas erat, defectionem à Dei Lege, secessionem à Mosaïca Religione meditarentur. Verùm missis Oratoribus, de pio fratrum consilio certiores effecti, arma deposuerunt, & in has erupere voces, quibus sinistram omnem de illis suspicionem ex animis suis esse deletam significabant: *Nunc scimus quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis à prævaricatione.* Hanc Historiam *FACUNDUS HERMIANENSIS* Episcopus * Orientalium cum Ephesinæ Synodi Patribus dissidio accommodans, dignam profert observatione sententiam. *Vides*, inquit, *quod pro eadem Religione non solùm dissentire à se invicem, verùm etiam pugnare adversum se rei gesti & rectissimi possunt, dum eos non ratio divini cultus, sed alterius alterum latet intentio.* Orientales *existimantes Ephesinam Synodum Traditiones Paternas esse transgressum, pro ipsa fide quam communiter tenebant, adversùs eam certabant.* Simile quidpiam hoc in Ordine contigisse mihi videtur, PATRES HONORANDI, cùm dissidium Academicum, & sententiarum collisionem

* Josue. XXII.

* Libro VII.

nem circa Propositionem ab Amplissimo Senatu examini ac Judicio vestro subjectam considero. Pars Sacræ Facultatis adversùs Censuram à DEPUTATIS vestris præformatam pugnat; pars eam tuetur, amplectitur, eodem licèt studio veritatis ducantur universi. Summi Pontificis in Ecclesia, quà latè patet, Primatum, non honoris solùm aut dignitatis, sed & potestatis ac jurisdictionis, immediatè à Christo institutum, cui omnes Christiani parere teneantur; præcipuam etiam Sedis Apostolicæ Auctoritatem in judicandis fidei controversiis in tota Ecclesia emergentibus, nemo vestrûm non profitetur. *Episcopalis Eminentiæ Divinam Auctoritatem*, (ut Toletana Synodus Octava loquitur) ac potestatem judicandi pariter de fidei controversiis inferiorem quidem illam Pontificiâ, sed à Christo nihilominus immediatè derivatam, in Catholicæ Religionis Antistitibus nemo vestrûm non agnoscit. Conciliorum Oecumenicorum divinam, supremam, & cæteris Potestatibus Ecclesiasticis imperantem Auctoritatem, secundùm Sacri Constantiensis Concilii Decreta, nemo vestrûm non veneratur, prædicat, propugnat. Veteres Sacræ Facultatis Censuras inconcussas manere æquè omnes optatis ac vultis. Mirum ergo cur dissideatis, SAPIENTISSIMI PATRES, & pro eadem veritate quam communiter tenetis, pars vestrûm adversùs Censuram summo judicio libratam ac præformatam, pars adversùs expositionem summa pietate expetitam, quasi pro aris prælietur. Perspicuè satis mentem suam aperuerunt, cùm Domini DEPUTATI, viri eruditione, prudentia, religione insignes, quibus discutiendæ Propositionis provinciam demandastis; tum pii Expositionis Promotores: nullus mutuæ suspicioni relictus est locus. Quæ cùm ita sint, spero, imò auguror fore ut *Idipsum dicatis* omnes, ut *Perfecti sitis in eodem sensu & in eadem sententia*: hásque voces filiorum Israël ad fratres usurpetis: *Nunc scimus quòd nobiscum est Dominus, quoniam alieni estis à prævaricatione*. Et hæc quidem sufficerent, si desiderium duntaxat votúmque meum exponendum esset: sed cùm dicenda sit sententia de Propositione, de qua Doctrinale Sacræ Facultatis Judicium postulat Amplissimus Senatus; illam absolutè & prout concepta est spectatam primùm expendo: tum de Expositione dicam, an necessaria sit & Ecclesiæ disciplinæ ac moribus conveniens. Quod dum eâ quâ potero perspicuitate exequar, attentè, quæso, benevolè, patienter audiatis. Nova dicam, etsi à clarissimis ingeniis, doctissimísque viris qui ante me dixerunt, occupata sint meliora.

Dissertationis partitio.

PRIMA PARS.

II. Atque ne diuturniori prolusione vos detineam, protrahámque Comitia trigesies amplius hoc uno de argumento repetita, statim arcem difficultatis invado, duce Angelico Doctore, cujus nomen huic Ordini venerandum, auctoritas in hisce de Theologico Dogmate deliberationibus ad evertendum errorem, & vindicandam veritatem magnum sanè momentum affert. Is vim istius vocis exclusivæ, *solus*, accuratè & severè expendens, absque hæsitatione pronuntiat, ipsam *excludere omne aliud suppositum à consortio prædicati*, si accipiatur syncathegorematicè, quatenus ordinem attributi ad subjectum significat. Solus Deus æternus est: Vera est propositio, quia nihil præter Deum est æternum. Vox illa exclusiva res creatas omnes à divinæ æternitatis consortio removet. Secundùm hanc Regulam Dialecticæ ad res Theologicas à *Sancto Thoma* traductam, Propositionem à Senatu oblatam expendamus. *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare.* Vocem illam, *Solam*, syncathegorematicè usurpari, ordinem attributi ad subjectum significare, perspicuum & exploratum est. Excludit igitur aliud omne subjectum à consortio attributi: Sedes excludit cæteras, Episcopos, Concilia Provincialia, Nationalia, Oecumenica: removet ab ipsis Jus Divinum judicandi de controversiis fidei. Cæteras namque Sedes, Episcopos reliquos, Concilia, distingui à Sede Apostolica nemo negaverit, id est, à Romana Ecclesia, ab illa *Ecclesia Principali unde unitas Sacerdotalis exorta est*, ut ait S. Cyprianus: ab illa Ecclesia prima, maxima, antiquissima, *Ad quam propter potentiorem Principatum necesse est omnem Ecclesiam convenire*, ut loquitur S. Irenæus: ab illius urbis Ecclesia, in qua *Una Cathedra* constituta est, *in qua prior sedit Petrus, deinde Linus*, & reliqui Pontifices, ut ait Optatus Milevitanus: ab illa Ecclesia *In quâ Apostolicæ Cathedræ semper viguit Principatus*, ut S. Augustinus docet: ab illa quæ *Pastoralis honoris facta caput mundo*; ut S. Prosper tradit: ab illâ (inquam) Ecclesiâ Episcopos & Concilia distingui certissimum est: quicquid vana quorumdam subtilitas commenta sit, non ut rem minimè obscuram explicaret, sed ut rei solaribus radiis clariori nebulas offunderet. In ea igitur, quam expendimus, Propositione palam est à potestate & auctoritate judicandi de controversiis fidei divino immutabili Privilegio, sive (quod idem est) Jure Divino, Episcopos excludi & Concilia. Frustra scilicet illis verbis modum aliquem singularem & eximium judicandi de controversiis fidei, Sedi Apostolicæ convenientem, à quo cæteræ Sedes merito excludantur, finxerunt nonnulli qui ante me dixere. Ut enim inpræsentiarum non urgeam, modum illum quicunque sit Conciliis Oecumenicis pariter convenire, quæ nihilominus removet exclusivæ vocis malignitas: clarum est his verbis, prout sonant, non aliud significari privilegium, quàm quod à Christo *S. Petro* concessum est, cùm ait: *Tibi dabo claves regni cælorum: & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Porro Jus illud divinum ligandi & solvendi, *S. Petro* ut designato Ecclesiæ Capiti, ut Ecclesiæ personam gerenti collatum, cæteris cum Apostolis & eorum successoribus Episcopis à Christo communicatum *S. Leo* disertè docet. * *Transivit quidem* (inquit) *etiam in alios Apostolos Jus Potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes Decreti hujus constitutio commeavit. Sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo singulariter hoc creditur, quia omnibus Rectoribus forma Petri præponitur. Manet ergo Petri Privilegium, ubicunque ex ipsius æquitate fertur Judicium.* Intelligitis, Sapientissimi Patres, Privilegii nomine *Jus Potestatis* ligandi & solvendi *S. Petro* à Christo traditæ *S. Leonem* significare: Quod quidem auctoritatem judicandi de controversiis fidei complectitur. Jus illud in Apostolos reliquos, & in omnes Ecclesiæ Principes, id est Episcopos, ab eodem fonte derivatum esse. Falsa itaque, temeraria, verbo Dei contraria Propositio est, quæ ab hoc Privilegio excludit Episcopos & Concilia, in quibus *manet Petri Privilegium*, cum *ex ipsius æquitate ferunt Judicium*. Hæc Propositio: *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare*: Episcopos & Concilia excludit, secundùm Regulam ab Angelico Doctore de Propositionibus exclusivis traditam: Hac ergo ratione falsa est, erronea, verbo Dei contraria.

III. Progredior ulteriùs Angelo Scholarum duce,

1. P. Quæst. 31. Art. 3. & 4.

Sedis Apostolicæ Principatus.

Serm. 3. de Assumpt. suæ.

Auctoritas judicandi de controversiis fidei in S. Petrum, in Apostolos, & in omnes Episcopos ab eodem fonte derivata.

A R. Doctrina est Sacræ Facultatis Parisiensis, ex Traditione à me probata à pag. 487 ad pag. 495. Diœcesium tamen initium tandem ac divisionem, Episcoporum electorum confirmationem, casuum in omnibus Ecclesiæ Diœcesibus reservationem, indulgentiarum in toto orbe Christiano concessionem, summam præ omnibus & singulis Episcopis jurisdictionem Romano Pontifici convenire agnosco, illumque jurisdictionis Pontificiæ Primatum à Christo institutum. *Episcopos* denique *Auctoritate Romani Pontificis assumptos*, ut loquitur sacra Synodus Tridentina, Canonicam illi obedientiam debere profiteor.

SCHOLION IX.

Dissertationis ejusdem pag. 493 hanc propositionem notant Religiosi Censores: *Petrus non accepit claves à Christo pro se solum, sed nomine omnium.* B

R. Id ex Scriptura Sacra & Traditione compertum est. Petro quidem traditæ sunt claves, sed in ipso cæteris Apostolis, & Ecclesiæ quam repræsentabat, ac Apostolorum successoribus Episcopis traditæ sunt. *Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia* (loquitur S. Augustinus Tracta. L. in Joannem) *Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam Sanctam significavit.* Si pro se solo in ligandi solvendique potestatem S. Petrus accepit, claves Regni cœlorum *cæteris communicandas non accepit* (ut ait S. Optatus Milevitanus.) Si pro se solo ligandi solvendique potestatem accepit, nihil à Christo cæteri Apostoli acceperunt, cùm omnibus dixit Matthæi VIII. non soli Petro: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* C

SCHOLION X.

Pag. 495. hanc propositionem notant Religiosi Censores: *Erravit Fagnanus dicens, Episcopos in Conciliis esse consultores, non judices.*

Act. 15. R. Erravit ut vera viri cæteroquin doctissimos, cùm non erraverit Lucius III. Cap. *Ad abolendam*, Extra, *De Hæreticis*, singulos Episcopos in Diœcesibus suis, multò magis in Conciliis judices causarum fidei agnoscens; nec erraverit sui juris olim uum olim ut paverit S. Jacobus in Concilio Jerosolymitano hunc in modum suffragatus: *Propter quod ego judico non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, &c.* non erraverint, aut jus, quod soli Petro competeret, sibi temerè arrogaverint Apostoli in communem sententiam scribentes: *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Erravit Fagnanus, siquidem Bellarminus non erravit, contra Hæreticos probans *Episcopos in Conciliis, non consiliarios esse, sed judices.* (lib. 1. *De Conciliis*, Cap. XVIII.) D

SCHOLION XI.

Pag. 501. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Definitio Episcopi obligat omnes in sua Diœcesi, donec aliud Papa decreverit.*

R. Verba sunt *Petri de Alliaco* à me historicè relata; verissimaque propositio est. E

SCHOLION XII.

Pag. 503. Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Dari potest judicium personarum post appellationem, dummodo non sit in causis majoribus.*

R. Non ita scripsi, sed, *Nequaquam vetuerunt Summi Pontifices dari judicium ab Episcopis post oppositas ad Sedem Apostolicam appellationes, nisi in causis majoribus personarum.* Facti quæstio est; nec mea tamen, sed *Petri Aurelii* verba sunt, à me historicè relata.

F

SCHOLION XIII.

Pag. 506. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Nulla est res tam magna, de qua non competat judicium primum Episcopo, salvâ supremâ auctoritate.*

R. Non mea, sed *Petri Aurelii* verba ista illâ paginâ leguntur: *Clarè*, inquit, *demonstratum esse opinor, exceptis Episcopalibus causis, in quibus Sedes Apostolica appellatur ante Sententiam Episcoporum, & illis rerum Fidei ac Mysteriorum quæstionibus, de quibus ex perpetua Scripturarum Ecclesiæque Traditione neutram in partem statui possit, nullas esse causas quantumvis magnas & graves de quibus non*

A *competat Episcopi judicium, prorsus Ecclesia totius usu & consensu INCOLUMI TAMEN SUPREMA SUMMI PONTIFICIS AD EORUM SENTENTIAS TUM CONFIRMANDAS TUM SOLVENDAS AUCTORITATE.* Hæc verissima, & tamen à me historicè dumtaxat relata eo loci, ab indiculi censorii Auctoribus truncata & interpolata.

SCHOLION XIV.

Pag. 514. Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Multa in Conciliis dicuntur enunciativè, quæ quia examinata non sunt, vim definitionis non habent.*

R. Quæ in Conciliis enunciantur dumtaxat, & incidenter pronunciantur, ea vim definitionis & controversiæ judicatæ non habere, nemo hoc litterariæ genere vel leviter imbutus non intelligit. B

CENSORIUM SUFFRAGIUM

In Generalibus Comitiis Sacræ Facultatis Parisiensis diebus VII. *&* VIII. *Maii anni* MDCLXXXIII. *In Aula Celeberrimæ Domus Sorbonicæ Pronuntiatum.* C

A F. NATALI ALEXANDRO,

In eadem Facultate Doctore, De Propositione ab Amplissimo Senatu ad Theologici Consessus Examen ac Judicium Doctrinale delata, his concepta verbis:

AD SOLAM SEDEM APOSTOLICAM DIVINO IMMUTABILI PRIVILEGIO SPECTAT DE CONTROVERSIIS FIDEI JUDICARE. D

I IN Sacra *Josue* Historia* legimus, HONORANDE DOMINE DECANE, SAPIENTISSIMI PATRES AC MAGISTRI, cùm Israelitici Populi pars una Altare super Jordanem extruxisset, ut in monumentum esset posteris quòd unum cum Tribubus reliquis Deum colerent, unámque Religionem profiterentur; cæterarum Tribuum Proceres populúmque bellum ipsis denuntiasse, quasi Altari ad Sacrificia erecto, quæ extra Tabernaculum offerri nefas erat, defectionem à Dei Lege, secessionem à Mosaïca Religione meditarentur. Verùm missis Oratoribus, de pio fratrum consilio certiores effecti, arma deposuerunt, & in has erupere voces, quibus sinistram omnem de illis suspicionem ex animis suis esse deletam significabant: *Nunc scimus quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis à prævaricatione.* Hanc Historiam *FACUNDUS HERMIANENSIS* Episcopus* Orientalium cum Ephesinæ Synodi Patribus dissidio accommodans, dignam profert observatione sententiam. *Vides*, inquit, *quod pro eadem Religione non solum dissentire à se invicem, verùm etiam pugnare adversum se religiosi & rectissimi possunt, dum eos non ratio divini cultus, sed alterius alterum latet intentio.* Orientales *existimantes Ephesinam Synodum Traditiones Paternas esse transgressam, pro ipsa fide quam communiter tenebant, adversus eam certabant.* Simile quidpiam hoc in Ordine contigisse mihi videtur, PATRES HONORANDI, cùm dissidium Academicum, & sententiarum collisionem

E, F (margin letters)

* Josue. 22.

* Libro VII.

nem circa Propositionem ab Amplissimo Senatu examini ac Judicio vestro subjectam considero. Pars Sacræ Facultatis adversùs Censuram à DEPUTATIS vestris præformatam pugnat; pars eam tuetur, amplectitur, eodem licèt studio veritatis ducantur universi. Summi Pontificis in Ecclesia, quì latè patet, Primatum, non honoris solùm aut dignitatis, sed & potestatis ac jurisdictionis, immediatè à Christo institutum, cui omnes Christiani parere teneantur; præcipuam etiam Sedis Apostolicæ Auctoritatem in judicandis fidei controversiis in tota Ecclesia emergentibus, nemo vestrûm non profitetur. *Episcopalis Eminentia Divinam Auctoritatem*, (ut Toletana Synodus Octava loquitur) ac potestatem judicandi pariter de fidei controversiis inferiorem quidem illam Pontificiâ, sed à Christo nihilominus immediatè derivatam, in Catholicæ Religionis Antistitibus nemo vestrûm non agnoscit. Conciliorum Oecumenicorum divinam, supremam, & cæteris Potestatibus Ecclesiasticis imperantem Auctoritatem, secundùm Sacri Constantiensis Concilii Decreta, nemo vestrûm non veneratur, prædicat, propugnat. Veteres Sacræ Facultatis Censuras inconcussas manere æquè omnes optatis ac vultis. Mirum ergo cur dissideatis, SAPIENTISSIMI PATRES, & pro eadem veritate quam communiter tenetis, pars vestrûm adversùs Censuram summo judicio libratam ac præformatam, pars adversùs expositionem summa pietate expetitam, quasi pro aris prælietur. Perspicuè satis mentem suam aperuerunt, cùm Domini DEPUTATI, viri eruditione, prudentia, religione insignes, quibus discutiendæ Propositionis provinciam demandastis; tum pii Expositionis Promotores: nullus mutuæ suspicioni relictus est locus. Quæ cùm ita sint, spero, imò auguror fore ut *Idipsum dicatis* omnes, ut *Perfecti sitis in eodem sensu & in eadem sententia*: hásque voces filiorum Israël ad fratres usurpetis: *Nunc scimus quòd nobiscum est Dominus, quoniam alieni estis a prævaricatione*. Et hæc quidem sufficerent, si desiderium duntaxat votúmque meum exponendum esset: sed cùm dicenda sit sententia de Propositione, de qua Doctrinale Sacræ Facultatis Judicium postulat Amplissimus Senatus; illam absolutè & prout concepta est spectatam primùm expendo: tum de Expositione dicam, an necessaria sit & Ecclesiæ disciplinæ ac moribus conveniens. Quod dum eâ quâ potero perspicuitate exequar, attentè, quæso, benevolè, patienter audiatis. Nova dicam, etsi à clarissimis ingeniis, doctissimisque viris qui ante me dixerunt, occupata sint meliora.

Dissertationis partitio.

PRIMA PARS.

II. Atque ne diuturniori prolusione vos detineam, protrahámque Comitia trigesies amplius hoc uno de argumento repetita, statim arcem difficultatis invado, duce Angelico Doctore, cujus nomen huic Ordini venerandum, auctoritas in hisce de Theologico Dogmate deliberationibus ad evertendum errorem, & vindicandam veritatem magnum sanè momentum affert. Is vim istius vocis exclusivæ, *solus*, accuratè & severè expendens, absque hæsitatione pronuntiat, ipsam *excludere omne aliud suppositum à consortio prædicati*, si accipiatur syncathegorematicè, quatenus ordinem attributi ad subjectum significat. Solus Deus æternus est: Vera est propositio, quia nihil præter Deum est æternum. Vox illa exclusiva res creatas omnes à divinæ æternitatis consortio removet. Secundùm hanc Regulam Dialecticæ ad res Theologicas à *Sancto Thoma* traductam, Propositionem à Senatu oblatam expendamus. *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare*. Vocem illam, *Solam*, syncathegorematicè usurpari, ordinem attributi ad subjectum significare, perspicuum & exploratum est. Excludit igitur aliud omne subjectum à consortio attributi: Sedes excludit cæteras, Episcopos, Concilia Provincialia, Nationalia, Oecumenica: removet ab ipsis Jus Divinum judicandi de controversiis fidei. Cæteras namque Sedes, Episcopos reliquos, Concilia, distingui à Sede Apostolica nemo negaverit, id est, à Romana Ecclesia, ab illa *Ecclesia Principali unde unitas Sacerdotalis exorta est*, ut ait S. Cyprianus: ab illa Ecclesia prima, maxima, antiquissima, *Ad quam propter potentiorem Principatum necesse est omnem Ecclesiam convenire*, ut loquitur S. Irenæus: ab illius urbis Ecclesia, in qua *Una Cathedra* constituta est, *in qua prior sedit Petrus, deinde Linus*, & reliqui Pontifices, ut ait Optatus Milevitanus: ab illa Ecclesia *In quâ Apostolicæ Cathedræ semper viguit Principatus*, ut S. Augustinus docet: ab illa quæ *Pastoralis honoris facta caput mundo*; ut S. Prosper tradit: ab illâ (inquam) Ecclesiâ Episcopos & Concilia distingui certissimum est: quicquid vana quorumdam subtilitas commenta sit, non ut rem minimè obscuram explicaret, sed ut rei solaribus radiis clariori nebulas offunderet. In ea igitur, quam expendimus, Propositione palam est à potestate & auctoritate judicandi de controversiis fidei divino immutabili Privilegio, sive (quod idem est) Jure Divino, Episcopos excludi & Concilia. Frustra scilicet illis verbis modum aliquem singularem & eximium judicandi de controversiis fidei, Sedi Apostolicæ convenientem, à quo cæteræ Sedes meritò excludantur, finxerunt nonnulli qui ante me dixere. Ut enim inpræsentiarum non urgeam, modum illum quicunque sit Conciliis Oecumenicis pariter convenire, quæ nihilominus removet exclusivæ vocis malignitas: clarum est his verbis, prout sonant, non aliud significari privilegium, quàm quod à Christo *S. Petro* concessum est, cùm ait: *Tibi dabo claves regni cælorum: & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis*. Porro Jus illud divinum ligandi & solvendi, *S. Petro* ut designato Ecclesiæ Capiti, ut Ecclesiæ personam gerenti collatum, cæteris cum Apostolis & eorum successoribus Episcopis à Christo communicatum *S. Leo* disertè docet. * *Transivit quidem* (inquit) *etiam in alios Apostolos Jus Potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes Decreti hujus constitutio commeavit. Sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo singulariter hoc creditur, quia omnibus Rectoribus forma Petri præponitur. Manet ergo Petri Privilegium, ubicunque ex ipsius æquitate fertur Judicium.* Intelligitis, Sapientissimi Patres, Privilegii nomine *Jus Potestatis* ligandi & solvendi *S. Petro* à Christo traditæ *S. Leonem* significare: Quod quidem auctoritatem judicandi de controversiis fidei complectitur. Jus illud in Apostolos reliquos, & in omnes Ecclesiæ Principes, id est Episcopos, ab eodem fonte derivatum esse. Falsa itaque, temeraria, verbo Dei contraria Propositio est, quæ ab hoc Privilegio excludit Episcopos & Concilia, in quibus *manet Petri Privilegium*, cum *ex ipsius æquitate ferunt Judicium*. Hæc Propositio: *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare*: Episcopos & Concilia excludit, secundùm Regulam ab Angelico Doctore de Propositionibus exclusivis traditam: Hac ergo ratione falsa est, erronea, verbo Dei contraria.

1. P. Quæst. XXXI. Art. III. & IV.

Sedis Apostolicæ Primatus.

Serm. III. de Assumpt. sua.

Auctoritas judicandi de controversiis fidei in S. Petrum, in Apostolos, & in omnes Episcopos ab eodem fonte derivata.

III. Progredior ulteriùs Angelo Scholarum duce,

ce, cujus Regulis securiùs quam Ariadnes filo hunc exclusivarum Propositionum labyrinthum lustrabimus. *S. Thomas* Articulo jam à me laudato, in Responsione ad tertiam Objectionem, Propositionem illam expendit: *Solus Deus est Pater*: sensúmque illius duplicem aperit. Vel enim vox illa, *Pater*, primam Sanctissimæ Trinitatis personam designat: quo sensu vera Propositio est, cùm nec Angelus, nec homo, in numerum adorandarum Personarum traduci possint: Vel nomen istud, *Pater*, unam relationem significat: quo sensu Propositio falsa est, cùm relatio paternitatis creaturis etiam conveniat, etsi longè imperfectiori ratione. Ex qua *S. Thomæ* observatione, alteram hancce Regulam de Propositionibus exclusivis colligere est: Cùm attributum aliquod pluribus est commune, licèt uni cum excellentia singulari conveniat, si illi uni tribuatur additâ particulâ exclusivâ, *Solus*, falsa Propositio est. Porro in Propositione ad examen nostrum ab Amplissimo Senatu delata, attributum commune Sedi Apostolicæ & Sedibus cæteris, Romano Pontifici, Episcopis, atque Conciliis, nimirum jus & potestas judicandi de controversiis fidei divino & immutabili Privilegio, de una Sede Apostolica prædicatur, additâ voce exclusivâ *solus*: Ab errore itaque vindicari non potest. Nullus est in hoc Ordine, qui pro summa erga Sedem Apostolicam religione & observantia, Privilegia ipsi à Christo collata, sive ab Ecclesia affatim concessa non veneretur, prædicet, ac propugnet. Cum *Anselmo Havelburgensi* Episcopo, in Dialogis *Eugenio III.* Pontifici Maximo dicatis, agnoscimus ac profitemur *Romanam Ecclesiam duo Privilegia divinitus habere, videlicet præ omnibus incorruptam puritatem fidei, & super omnes potestatem judicandi.* Id unum si assereret Propositio de qua disserimus, non modò ipsam absolveremus, sed ab omnibus Catholicis tenendam diceremus. At cùm soli Sedi Apostolicæ jus auctoritatémque tribuat divino immutabili Privilegio de controversiis fidei judicandi, consequenter ab eo jure, ab eáque auctoritate, Episcopos & Concilia excludat, censorio stigmate meritò inurenda est. Excellentiori quidem modo (Id enim repetere & inculcare necesse est) Jus illud ac auctoritas Apostolicæ Sedi convenit, ratione Primatus: Sed tamen omnibus Episcopis ex Christi etiam concessione ac munere competit. Quod eleganter *S. Augustinus** exprimit his verbis: *Cúmque sit communis omnibus nobis qui fungimur Episcopatus officio, quamvis in eo celsiore præmineas fastigio, specula Pastoralis, &c.* In quo verò positum est illud speculæ Pastoralis officium, nisi ut *lupos frementes ad dominici gregis caulas*, nimirum Hæreticos exterminent, ut ait ibidem *S. Augustinus*? Quo munere funguntur, cùm hæreses damnant ac proscribunt: Quod Africani Episcopi præstiterant in Synodis, quorum ingenium *Augustinus* erat. Propositio igitur quæ hanc potestatem soli Sedi Apostolicæ attribuit, absolutè & per se falsa & erronea est.

Lib. III. Cap. 31.

Duo privilegia Romanæ Ecclesiæ divinitus concessa.

* Lib. 2. ad Bonifacium, contra duas Epist. Pelagian.

IV. Ducem nostrum nondum dimitto, Sapientissimi Patres, cujus vexillum in hac literaria concertatione explicatum perjucundè videtis. Doctor Angelicus laudatæ Quæstionis Articulo IV.* hanc Propositionem expendit: *Solus Pater est Deus*: de qua sic edisserit: *Hæc locutio, Solus Pater est Deus: habet duas expositivas, scilicet, Pater est Deus: & Nullus alius à Patre est Deus. Sed hæc secunda est falsa: quia Filius alius est à Patre, qui est Deus. Ergo hæc est falsa: Solus Pater est Deus. Et sic de similibus.* Quo ex loco tertia de Propositionibus exclusivis Regula colligitur: Quotiescunque duarum Propositionum expositivarum, in quas exclusiva quælibet resolvitur, altera falsa est, Propositio exclusiva est per se & absolutè falsa. At Propositio quam expendimus: *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare*: in duas Propositiones exponentes resolvitur, exclusivarum instar cæterarum. Prima hæc est: *Ad Sedem Apostolicam pertinet divino immutabili Privilegio de controversiis fidei judicare.* Quæ Propositio vera, catholica, & ab omnibus tenenda est. Altera: *Ad nullum alium à Sede Apostolica spectat divino immutabili Privilegio de controversiis fidei judicare.* Quæ Propositio falsa est: adeóque secundum Regulam Angelici Doctoris, hæc Propositio: *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare*: est per se & absolutè falsa.

* In argumento Sed contra.

V. In ejusdem Articuli corpore docet *S. Thomas*, hanc Propositionem: *Solus Pater est Deus*: syncathegorematicè sumptam, sensum continere multiplicem. Ita scilicet accipi potest, ut à forma subjecti cætera excludat; quo sensu omnino vera est, quippe cùm isti æquivaleat: Ille cum quo nullus alius in Sanctissima Trinitate est Pater, Deus est. *Sed hic sensus non habetur ex consueto modo loquendi* (inquit *S. Thomas*) Secundùm verò proprium sensum, excludit à consortio prædicati: quo sensu falsa est, si excludit alium, id est alteram adorandæ Triadis personam; vera si excludit aliud, id est alterius naturæ hypostasim. Sed quia hæc dictio, *Solus*, afficit propriè subjectum, (inquit Angelicus Doctor) vim habet alium potius excludendi quàm aliud: *Unde non est extendenda talis locutio, sed piè exponenda, sicubi inveniatur in authentica Scriptura.* Ex qua Angelici Doctoris Regula perspicuum est, de hujusmodi Propositionibus exclusivis ferendum esse judicium secundùm consuetum loquendi modum, & secundùm proprium sensum. At secundùm communem loquendi morem, propriúmque sensum, exclusiva particula, *Solus*, afficit subjectum, & ab attributi communione subjecta reliqua removet. Hæc itaque Propositio: *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare*: secundùm vulgatum loquendi morem & proprium sensum, excludit à jure divino & auctoritate judicandi de controversiis fidei quemlibet alium ab Apostolica Sede; proindéque Episcopos excludit & Concilia. Si alius sensus quæratur, intelligatur, afferatur, non est proprius, obvius, naturalis, sed affictus, detortus, violentus. Quæ cùm ita sint, hujusmodi locutio non est extendenda, sed piè exponenda, sicubi in authentica Scriptura inveniatur. Quis verò Hungarorum, Belgarum, Hispanorum quorumdam scripta, libros, chartas volaticas, Scripturarum authenticarum, id est, auctoritatem in Ecclesia habentium, nomine cohonestet? De istius igitur Propositionis, quæ ad nostrum delata examen est, prout ex illis est excerpta, & ab illis asserta, expositione, non est cur soliciti simus. Hunc siquidem loquendi modum perperam, inscitè, imprudenter ampliarunt. De illa itaque secundùm proprium sensum, & consuetum loquendi modum judicium feramus: secundùm quem Sedes reliquas, ac earum Episcopos, & Concilia, etiam Oecumenica, excludit ab auctoritate judicandi de controversiis fidei divino & immutabili Privilegio.

VI. Frustra verò celebrem illam, & tot in hac Aula Dissertationibus à duobus mensibus vexatam Propositionem, in Conciliis, & apud SS. Patres, vel Auctores omni exceptione majores, reperiri ac legi quidam inclamant, ac proinde Censuræ à Dominis Deputatis præformatæ infamiam, invidiámque in magna illa nomina detorquendam vociferantur.

tur. Spectra sunt ista, Sapientissimi Patres, ad incutiendum terrorem composita. Enimvero quæ ex Conciliis, Summis Pontificibus, Patribúsve prolatæ sunt sententiæ à Viris Eruditis qui ante me dixerunt, aut Propositionem illi, de qua nunc movetur controversia, similem nullatenus habent, aut si quid affine sonare videantur, planè dissimiles quoad sensum ex adjunctis intelliguntur.

Innocentii I. verba si attenta consideratione expendissent, Epistolam ipsius ad Concilium Milevitanum in gratiam famosæ Propositionis non laudassent: cùm sit evidentissimum, jus auctoritatémque judicandi de controversiis fidei soli Sedi Apostolicæ *Innocentium I.* non asserere, sed jus unum Relationis Majorum Causarum, præcipuè quæ fidem spectant: Quæ quidem Relatio *post Episcopale judicium* ad Sedem *S. Petri* mittenda sit, ut idem Pontifex ad *Victricium* Rotomagensem Episcopum scribebat. Patrum enim Instituta id postulant, qui sanctissimè sanxerunt *& divinâ decrevere sententiâ*, ut quicquid in hujusmodi causis, tum dignitate tum difficultate majoribus, *quamvis in remotis Provinciis ageretur, non priùs ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret: ut tota hujus Auctoritate justa quæ fuerit pronuntiatio firmaretur.* Verba sunt ejusdem Pontificis ad Concilium Carthaginense scribentis. (Epist. 24.) Primam itaque cognitionem, primúmque judicium causarum fidei, Episcopis convenire *Innocentius I.* agnoscebat; Jus unum Relationis ad Sedem Apostolicam vindicabat ex traditione & institutis Patrum: ut justam Episcoporum & Synodorum pronuntiationem atque Judicium Ecclesia Romana, illique præsidens Summus Pontifex confirmaret, atque hac ratione causam finiret. Deleat igitur Vir Eruditus *Innocentium I.* ex illa falsæ Traditionis serie, quam in gratiam famosæ Propositionis adornavit.

VII. Affinitatem cum illa majorem non habent *S. Flaviani* verba, de Causa Eutychiana ad *S. Leonem Magnum* scribentis: *Res solo indiget ex vobis impulsu atque subsidio, quod per vestram Prudentiam ad tranquillitatem & pacem cuncta statim translaturum est.* (Monumentorum Ecclesiæ Græcæ, versionis & e launonis Cl. V. L. B Cotelerii, Tom. 1.)

A *Flaviano* & Synodo Constantinopolitana ob hæresim damnatus fuerat Eutyches. Conturbare non cessabat Ecclesiam, spreto Synodi Judicio. Libellos petulantes & injuriosos *Flaviani* nomini *Theodosio* Imperatori obtulerat. Romano etiam Pontifici fucum facere conabatur, se *tempore Judicii Libellos Appellationis* Flaviano & *Sanctæ Episcoporum tunc præsentium Synodo tradidisse*, & ad Sedem Apostolicam appellasse mentitus, ut Sententiam in se latam irritam à *S. Leone* declarari, vel suspendi obtineret. Ea de re *Flavianus* admonet Sanctissimus Pontifex. Is ad *S. Leonem* rescribit, Acta Synodi mittit, ex quibus totam causæ seriem accuratè cognoscat. Ejus Sanctitatem obtestatur, ut *communem rem vindicet, & per proprias Literas Depositioni Canonicæ adversùs* Hæresiarcham *factæ suffragetur, Imperatoris verò fidem confirmet.* Hac ratione factum iri ut hæresis facillimè destruatur, & tumultus propter eam excitatus sedetur, Deo per Apostolicas Literas cooperante: neque necessarium fore Concilium Oecumenicum, quod totum orbem Christianum commoveat. *Prohibebitur verò & quæ evulgatur futura esse Synodus, ut ne sanctissimæ totius orbis Ecclesiæ perturbentur.* En quò verba illa collineant à Viro Erudito prolata: *Res solo indiget ex vobis impulsu atque subsidio.* A. Episcoporum Synodique Judicium non excludit *Flavianus*, qui se *Eutychetem, ut alienum a recta fide*, judicasse ac damnasse testatur. Concilio Oecumenico judicandi auctoritatem non derogat, sed illud non fore necessarium confidit. Judicium de controversiis fidei ad solum Romanum Pontificem, vel ad solam Sedem Apostolicam spectare non asserit: sed hanc causam solo egere ejus impulsu atque subsidio.

Sanè si ad solam Sedem Apostolicam Judicium de fidei causis pertinere, *S. Leo* existimasset, *Synodale Judicium* Ephesi constitui non consensisset, ut *totius erroris pravitas damnaretur.* (Epist. 16. Edit. Quesnelliana.) De ipsa Synodo, quæ *Dioscori* tyrannide in latrocinium degeneraverat, ad *Theodosium* non scripsisset: (Epist. 40.) Competimus *convenisse ad Synodum plurimos Sacerdotes, quorum utique frequentia consultationi & Judicio profuisset, si is qui sibi principem locum vindicabat, Sacerdotalem moderationem custodire voluisset.* Ab Imperatore non postulasset, post Synodum illam Prædatoriam, ut omnia in eo statu esse juberet, *in quo fuerant ante omne Judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregaretur*, ob *periculum religionis & fidei.* (Epist. 33.) Ipsius Majestati non supplicasset ut *Generalem Synodum juberet intra Italiam celebrari, qua omnes offensiones ita repelleret aut mitigaret, ne aliquid ultra esset vel in fide dubium, vel in charitate divisum:* (Epist. 40.) Neque ejus celebrationem *post appellationem interpositam necessariò* postulari scripsisset. Non denique Synodum Chalcedonensem à *Marciano* Imperatore congregari consensisset, *ut damnatis Hæreticis qui corrigi noluissent, nulla penitus resideret de vera Domini nostri Jesu Christi Incarnatione dubitatio*: (Epist. 87.) nec per *approbationem Gestorum Synodalium* se *propriam* cum Patribus Chalcedonensibus *unisse sententiam in solâ fidei causâ*, datis ad ipsos literis professus fuisset. Sanctos itaque *Flavianum* & *Leonem* Vir Eruditus è numero testium commentitiæ Traditionis, quam in rex Propositionis defensionem laudavit, vel invitus expungat.

VIII. *Gelasii I.* Pontificis Maximi sententia in Commonitorio ad *Faustinum*, proh! quantùm discrepat à Propositione quæ nostræ deliberationis argumentum est! *Quantum* (inquit) *ad Religionem pertinet, nonnisi Apostolicæ Sedi, juxta Canones, debetur summa judicii totius.* Non totum Judicium, sed summam Judicii totius, id est, rei judicatæ confirmationem, Sedi Apostolicæ vendicat. Unde *Acacium* ab ea *secundùm formam Synodicam* damnatum scribit, secundùm formam Synodi Chalcedonensis, cujus executorem se profitetur.

In ea verò Epistola quam ad Episcopos Dardaniæ dedit, in quâ Potestatem ligandi & solvendi, confirmandi Synodos, absolvendi Episcopos à Conciliis contra Juris ordinem damnatos, Sedi Apostolicæ, *etiam soli*, id est, absque Concilio, asserit, evidens est ex totius Epistolæ contextu illum ab Episcopis & Synodis auctoritatem judicandi de causis Religionis non removere, sed solùm ostendere Synodorum celebrationem ad Hæreticorum damnationem non esse necessariam, præsertim cùm in eam hæresim impegerunt, quæ jam ab Oecumenica Synodo damnata est. Ideòque *Acacium* à sola Sede Apostolica juremerito damnatum, qui cum Eutychianis à Synodo Chalcedonensi confixis, maximè cum *Petro Meggo* communionem inierat, eique patrocinium ac favorem impenderat. Sedem enim Apostolicam, pro suo Primatu, executricem esse Sententiæ in hæreses & hæreticos à Synodis Oecumenicis latæ. *Confidimus* (inquiebat) *quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi Constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quam Primam, quæ & unamquamque Synodum sua Auctoritate confirmat, & continua moderatione custodit, pro suo scilicet Principatu, quem B. Petrus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & retinuit semper & retinet.*

not. A *Gelasio* itaque inter suæ Traditionis testes referendo consultiùs Vir Eruditus abstinuisset.

IX. *Theodosii Echiniensis* Propositio in Synodo Romana sub *Bonifacio II.* cum Propositione, de qua ex Senatusconsulto inquirimus, nihil prorsus habet commune. Ille Sedi Apostolicæ duntaxat Jus appellationum ex toto orbe suscipiendarum & judicandarum in Causis Ecclesiasticis vendicat; & de causis personalibus, non de causis fidei loquitur: *Quamvis*, (inquit) *in toto Mundo Sedes Apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet Principatum, & solam Ecclesiasticis Causis undique appellare necesse sit, &c.* Propositio verò qua de agimus, auctoritatem de controversiis fidei judicandi soli Sedi Apostolicæ tribuit.

Sed (objiciebat Vir Eruditus) eadem ratione dici posset, *Theodosium Echiniensem* Synodos ab auctoritate suscipiendi judicandique appellationes exclusisse, si Propositio ipsius criterio severiori discutiatur, & particula, *Sola*, vim exclusivam semper exercere supponatur.

Det veniam Disputator Doctissimus. Id minimè consequens est. Loquitur enimverò *Theodosius* de tribunali stabili & perpetuo, ad quod Appellationes omnes regulariter à Synodis ipsis Illyrici, aliisque seu Provincialibus, seu Nationalibus deferantur, juxta Canones Sardicenses. Illud porro tribunal non est aliud ab Apostolica Sede. Non enim congregata semper Oecumenica Synodus est. Præterea, si ad Concilium à Summo Pontifice appellaretur, quod in ipsis fidei causis, non passim, regulariter, & ab omnibus, sed certis in casibus extraordinariis, ab Ecclesiis integris fieri posse, *Gersonius* vester edito Opusculo, post *Petrum Alliacensem* Præceptorem suum, S. R. E. Cardinalem, propugnavit. (Etsi id velint dogma statuere nolint imp ærentiarum.) Tunc solam Sedem Apostolicam ratione quadam appellatum iri quis non intelligat, & *Ab ipsa ad ipsam confugiendum*, ut auctor erat Sanctissimus & Doctissimus Ecclesiæ Gallicanæ Episcopus *Ivo Carnotensis*: ab ipsa extra Synodum judicante, ad ipsam in Synodo præsidentem, in eaque cum suffragii prærogativâ judicantem? Atque hanc fuisse mentem *Philippi Pulchri* Regis Christianissimi, & Gallicanæ Ecclesiæ, Concilium Generale vel futurum legitimum Summum Pontificem, contra *Bonifacium VIII.* qui de gravissimis criminibus, quin etiam de hæresi (licèt per calumniam) accusatus fuerat, appellantium, Sandionysianus Monachus coævus Auctor, qui Chronicon *Guillelmi Naugii* continuavit, expressè testatur. *Rex*, inquit, *ad Concilium Generale per Sedem Apostolicam promovendum, quod in isto casu Summo præsit Pontifici, deliberatione super hoc multa maturitate præhabita, appellavit.* Solam itaque Sedem Apostolicam in Causis Ecclesiasticis toto orbe Christiano appellari oportere, cum ait *Theodosius Echiniensis*, appellationes ad Synodum Oecumenicam non excludit, cujus congregandæ, dirigendæ, confirmandæ jus & auctoritas Summo Pontifici ratione divini Primatus competunt. Quamobrem *Theodosium Echiniensem* è numero testium Falsæ Traditionis suæ Vir Eruditus eximat.

Epist. CLIX.

Ad annum MCCCIII. Tom. XI. Spicilegii.

X. Trium Synodorum Africæ Literæ ad *S. Martinum I.* Pontificem Maximum, in Synodo Lateranensi contra Monothelitas ab eo celebrata relatæ, Propositionem Sacræ Facultatis examini à Gloriosissimis Judicibus subjectam confodiunt potius quàm juvent. Aiunt: *Patrum Decreta Apostolicæ Sedi peculiarem omnem decrevisse reverentiam in requirendis Dei rebus.* Nulla ibi exclusionis nota. Peculiarem reverentiam in causis fidei judicandis Apostolicæ Sedi, cùm extra Concilia, tum in Conciliis ipsis Oecumenicis deberi, quis Catholicorum diffitetur? Si Propositio ad nos delata id unum assereret, illam uno ore Orthodoxam, & ab omnibus ceu dogma fidei tenendam pronuntiaremus. Sed tam immane inter utramque Propositionem discrimen est, ut vehementer sim admiratus quòd virum tantum Vir Eruditus fecerit in ea Patrum Africanorum sententiâ, & similitudinem aliquam illam inter & Hungaricam (ut vocant) Propositionem deprehendisse sibi visus sit: maximè cùm *Innocentii I.* verba mutuentur, quæ jus ac auctoritatem pronuntiandi de fidei controversiis, Provinciarum ac Regionum Synodis asserunt, Sedi verò Apostolicæ Jus Confirmationis post Synodicam Relationem. *Ut hujus Auctoritate justa quæ fuerit Pronuntiatio firmetur.* Et eò quidem obstupui vehementiùs, quòd Latinis ab hominibus Latinè scriptam Epistolam expendens Vir Prudentissimus illa Græcæ versionis verba ad fastidium repetiverit, & quasi triumphans inculcaverit: ἐξαιρέτως ὅτι μόνη ...

Hic Te appello, *Martine* Pontifex & Martyr Sanctissime, hîc Te appello. An ad solam Sedem Apostolicam Judicium de controversiis fidei spectare censebas? Cur ergo Synodum frequentissimam Coëpiscoporum congregasti, qui te Præside Monothelitarum hæresim condemnarunt, Catholicum Dogma constituerunt, Hæreticos Anathemate confixerunt? Cur *Amandum* Trajectensem Episcopum hortatus es, ut Synodum bis in regionibus congregari curaret, in qua Gallicanæ Ecclesiæ Præsules Acta Romanæ Synodi susciperent, ac suo Judicio confirmarent? *Conventione omnium Fratrum & Coëpiscoporum nostrorum illarum partium effectâ, secundum tenorem Encyclica à nobis directa, Scripta unà cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent, confirmantes atque consentientes eis quæ pro Orthodoxa Fide & destructione Hæreticorum vesaniæ nuper exorta a nobis statuta sunt.* Intelligitis, Sapientissimi Patres, nec *Martinum I.* nec tres Synodos Africanas, Propositioni à vestris Deputatis prædamnatæ ullatenus suffragari. Tres igitur Synodos Africæ & *Martinum I.* inter fictitiæ & malè cohærentis Traditionis suæ testes, in patrocinium proscribendæ Propositionis, nimiâ confidentiâ Vir Eruditus advocavit.

Martinus I. in Epist. ad S. Amandum Trajectensem.

XI. Magnifica sanè verba *S. Maximi* Martyris in Epistola ad *Petrum Illustrem*: sed quibus cum Propositione, quæ in Quæstionem venit, nihil commune est. Sedis Apostolicæ Primatum, & Summum in omnes Ecclesias particulares totius orbis Christiani Imperium, *S. Petro* & ejus Successoribus Pontificibus Romanis à Christo collatum probant: quem cum *S. Maximo* & universa Ecclesia veneramur, confitemur, ac prædicamus. *Apostolica Sedes ab ipso Incarnato Dei Verbo, sed & omnibus Sanctis Synodis, secundum sacros Canones & Terminos* (seu Definitiones Conciliorum) *universarum, quæ in toto terrarum orbe sunt, Sanctarum Dei Ecclesiarum in omnibus & per omnia percepit & habet Imperium, auctoritatem & potestatem ligandi atque solvendi.* Quid præterea? *Pyrrham* admonet *Maximus* ut Sedi Apostolicæ, id est, Ecclesiæ Catholicæ satisfaciat; si uni Sedi Romanæ satisfecerit, omnibus satisfactum iri. *Festinet pro omnibus Sedi Romanæ satisfacere. Hâc enim satisfactâ, communiter ubique omnes pium hunc & orthodoxum prædicabunt. Si enim alios quidem satisfaciendos ducit, & Beatissimum Romanum Papam nequaquam implorat, simile quiddam agit ei, qui fortè homicidii vel alterius cujusdam criminis redarguitur, & insontem se non ei, qui secundum leges judicandi jura sortitus est, exhibere festinat: sed tantùm inutiliter & sine lucro aliis & privatis hominibus munditiam monstrare sui satagit actus, qui nullam habeat se solvendi à crimine potestatem.*

In Collectaneis Anastasii Bibliothecarii.

Sedis Apostolicæ Primatus, & Summum in omnes totius orbis Ecclesias Imperium.

Dissimulandum

Dissimulandum non erat, *Pyrrhum*, de quo *S. Maximus* loquebatur, à *Martino I.* & Synodo Romana fuisse damnatum; adeóque necesse fuisse ut apud Sedem Apostolicam hæresim abjuraret, eique satisfaceret. Ut enim sciré scripsit *Petrus de Alliaco* Cardinalis Cameracensis: * *Romana Ecclesia Universalem Ecclesiam repræsentat, quod nulli alteri Ecclesiæ particulari, nisi Universali Concilio, competit.* Proinde qui ipsi satisfacit, omni Ecclesiæ satisfacit. Præterea, cùm Synodus Oecumenica congregata non esset, cui alteri satisfacere; à quo alio absolvi poterat *Pyrrhus* Secundæ Sedis Patriarcha, nullum Superiorem in Ecclesia agnoscens nisi Romanum Pontificem & Synodum Oecumenicam; cui, (inquam) alteri satisfacere poterat, nisi Sedi Apostolicæ? A quo alio poterat absolvi, nisi à Romano Pontifice? Nullum itaque famosæ Propositioni, cujus nos Judices esse voluit Amplissimus Senatus, ex verbis *S. Maximi* præsidium quæri potest; siquidem soli Sedi Apostolicæ auctoritatem judicandi de controversiis fidei non asserit *Maximus*; asserit Propositio. Mentem *S. Maximi* ex ejus Collatione cum Principibus in Secretario magis exploratam habemus; cujus verba ab uno ex Sapientissimis Magistris, qui ante me dixerunt, jam laudata, absque fastidio, imò non sine quadam animi voluptate, Instituto huicce meo accommodata iterum audietis.

* Lib. de Eccles. Auctor. scripto in Concil. Constant. C. 4. 1. P. Concilii. 2.

Romanum Pontificem quamprimùm cum Patriarcha suo communionem inituram gloriabantur Monothelitæ Proceres, ut Invictum Abbatem frangerent. *Et quid facies* (inquiebant) *cùm Romani uniti Byzantiis fuerint? Ecce enim heri venerunt Apocrisiarii Romani, & cras Dominico die communicabunt Patriarchæ: ac per hoc omnibus manifestum fit quòd tu subverteris Romanos. Denique te illinc ablato, mox consenserunt his qui hic sunt.* Quid ad hæc Maximus? *Hi qui venere* (inquit) *præjudicium quoque modo Sedi Romanæ, quamvis communicent, eò quòd non detulerint ad Patriarcham Epistolam, non faciunt: & non credo aliquando quòd Romani uniantur istis, nisi confessi fuerint Dominum nostrum & Deum, secundum utrumque eorum ex quibus est, & quæ est, esse & naturâ voluntarium, & operatorium habere salutis nostræ.* Instant Principes: *Quòd si connexi fuerint his Romani, quid facies?* Respondet Fidei Pugil Invictissimus: *Spiritus Sanctus etiam Angelos anathematizat, præter id quod prædicatum est quid innovantes.* Ita ne verò locutus fuisset, si ad solam Sedem Apostolicam Judicium de controversiis fidei divino immutabili Privilegio pertinere persuasum habuisset? Ne igitur illustri & sancto *Maximi* nomine ad fucatæ speciem Traditionis adornandam Vir Eruditus abutatur.

Actione III. Synodi VIII.

XII. *Ignatium* Constantinopolitanum Patriarcham meliori jure non laudavit in defensionem damnandæ Propositionis. Vulnerum omnium quæ in membris sunt Christi, *Nicolaum I.* Pontificem Maximum, *Unum & singularem, præcellentem atque Catholicissimum Medicum*, à Christo constitutum scribit Ignatius: sive, ut Græcus textus habet: Ἕνα καὶ μόνον ἐξαίρετον τε καὶ καθολικώτατον ἰατρόν. *Unum tantùm ac solum selectum ac universalissimum Medicum.*

His verò verbis quid sibi vult *Ignatius*? An solum Romanum Pontificem controversiarum fidei Judicem prædicat? Id ne quidem ipsi in mentem venisse credere par est, cùm ipsum inter & *Photium* nulla de fidei dogmatibus Quæstio verteretur. Sed uni Romano Pontifici Primatum in universa Ecclesia, & super omnes Episcopos à Christo collatum asserit. Primatum (inquam) Jurisdictionis & Auctoritatis, ratione cujus vulnera omnia seu

Romanus Pontifex vulnera omnia sive fidei, sive disciplinæ & Canonibus il-

A Fidei, seu Disciplinæ & Canonibus illata toto orbe Christiano curare, singulari quadam & præcellenti ratione ipsi incumbat. *Ignatii* verba, amabo vos expendite; an illius sensum fuerim assecutus, judicate. *Ad artus*, inquit, *humani corporis plagis & vulneribus saucios curandos, medendi ars magnam Medicorum copiam suppeditavit: in membris autem Christi Dei ac Salvatoris, omnium Capitis, ac Sponsi Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, unum tantum ac solum selectum ac universalissimum Medicum, tuam nempe fraternam paternámque Sanctitatem, supremum & fortissimum Dei verbum constituit,*

lata toto orbe Christiano curat, ut Medicus universalis à Christo constitutus.

B *cùm Petro supremo sanctissimóque Apostolorum Vertici dixit:* Tu es Petrus, & super hanc Petram « ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non « prævalebunt adversùs eam. *Et rursum:* Tibi « dabo claves regni cœlorum, & quod ligaveris « super terram, erit ligatum & in cœlis; & quod « solveris, erit solutum. *Hujuscemodi enim beatissimas voces non soli Apostolorum Principi privatâ quadam sorte transscripsit & assignavit, sed per ipsum ad omnes Romanæ Sedis Pontifices illi successuros transmisit.* Quid aliud hæc sonant quam Primatum *S. Petro*, & ejus Successoribus à Christo collatum, in eóque maximè positum ut Ecclesiæ

C toto orbe diffusæ vulneribus tanquam Spiritualis Medicus remedia adhibeat? Quo sensu & *Nicolaus I.* ad *Carolum Calvum* Regem Christianissimum scribebat: * *Privilegia Romanæ Ecclesiæ, totius sunt Christi, ut ita dicamus, remedia Ecclesiæ Catholicæ.*

Epist. XXX.

Verùm ut *Ignatii* mentem perspectam magis & exploratam habeatis, quinam tunc esset Ecclesiæ Constantinopolitanæ status, in memoriam revocate. *Ignatius* à *Photio* è Sede sua pulsus, à Pseudo-Synodis exauctoratus, approbantibus etiam Sedis Apostolicæ Legatis, Summum Pontificem appel-

D lavit. *Nicolaus I.* congregata Romæ Synodo, *Photium* Anathemate confixit, Synodos Photianas irritas dixit, *Ignatium* in Sedem restituit. Id unus præstare poterat Romanus Pontifex, cùm Oecumenica Synodus congregata non esset; si quidem nulli alteri in Ecclesia subditus erat Constantinopolitanus Patriarcha: Et si necessarium fuisset Concilium Generale, illud certè absque Romani Pontificis assensu & auctoritate hac in causa non poterat celebrari. Eo sensu *Nicolaum I.* Pontificem Maximum *Unum ac solum selectum & universalissimum Medicum* Ignatius prædicavit. *Hinc retro olimque semper* (inquit) *cùm hæreses & scelera*

E *pullularent, noxias illas herbas & zizania, Apostolicæ Sedis vestræ Successores extirparunt, & nunc Beatitudo tua dignè tractant acceptam à Christo Potestatem, veritatis hostes fudit, & latronum more in Christi ovile per fenestram ascendentem, contráque Deum adeo se per arrogantiam surrigentem, ac etiam adversus Sacrosanctam & inculpatam tuam Potestatem Synodum refingeret, medicâ manu Sacrosanctæ & Apostolicæ Auctoritatis à communi Ecclesiæ corpore præcidisti, & nos ab illo per scelus oppressos, ut amantissimus frater rectè innocentes pronuntiasti, nostraque nos Ecclesiæ per literas restituisti.*

F Denique non ita *Unum tantùm ac solum selectum ac universalissimum Medicum* ab *Ignatio* Patriarchâ Romanum Pontificem appellari, ut ab auctoritate & officio medendi Ecclesiæ vulneribus Episcopi & Concilia excludantur, perspicuè docet Octava Synodus in qua *Ignatii* lecta Epistola est. Romanus Pontifex ita singularis, præcellens, & universalis Medicus est, ut ipsemet æger esse possit. Ut homo infirmitate circumdatus, nihil à se humani alienum putat. Si ergo in morbum gravissimum inciderit, ex quo non ipsi tantùm, sed Ecclesiæ periculum immineat universæ, unde, obtestor vos,

remedia quærentur Capiti laboranti, nullúmne ipsius curationi Medicum providentissimus Deus destinavit? Nonne hanc divinæ animorum Medicinæ artem & potestatem Ecclesiæ & Synodo Oecumenicæ Christus contulit? Ecclesia igitur in Synodo Generali congregata spirituali Romani Pontificis ægritudini remedia adhibebit: ita tamen ut Caput esse meminerit, quod si fortè vulneratum sit aut graviter doleat, non statim secandum, sed cum reverentia quadam tractandum pro loco quem in corpore tenet, ac suavioribus remediis procurandum & confovendum est. Hic, ni fallor, sensus Canonis vigesimi-primi Octavæ Synodi his verbis B expressus: *Porro si Synodus Universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia quavis ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter & cum convenienti reverentia de proposita Quæstione sciscitari, & solutionem accipere, aut profectum facere, non tamen audacter Sententiam dicere contra Summos Senioris Romæ Pontifices.* Ex his meridiana luce clarius est, nec *Ignatium*, nec Octavam Synodum Oecumenicam, Propositioni, quam nostro examini subjecit Amplissimus Senatus, ullatenus suffragari. Utriusque igitur veneranda nomina inter falsæ Traditionis suæ testes C Vir Eruditus immeritò conscripsit.

XIII. *Theodori Studitæ*, *S. Anselmi* Cantuariensis Archipræsulis, & *S. Bernardi* laudata ab eodem testimonia, Primatum duntaxat Romani Pontificis, aut præcipuas ipsius in Judicio Controversiarum Fidei probant esse partes: at soli Sedi Apostolicæ ac Summo Pontifici, hanc judicandi non vendicant auctoritatem. *Theodorum Studitam* Fidei Catholicæ contra Iconomachos defensorem egregium, Confessorem invictissimum, sanctissimúmque, levitatis ab aliquo ex his qui ante me disseruerunt insimulatum, quod anno octingentesimo octavo scripserit: *De Papa quid ad nos?* D Anno verò sequenti Pontificiam auctoritatem intemperantiùs extulerit, impatientissimè fateor, nec sine quodam indignationis sensu audivi. In *Leonem III.* Pontificem Maximum, de quo falsa audierat, hoc illi verbum præ animi amaritudine excidit: *De Papa quid ad nos, hoc agat an illud?* Sed mollivit statim correxitque verbalum à dolore potius quàm ratione expressum. *Cæterùm* (inquit) *prudenter & sobriè quæso moveamus linguam adversus Capita, & ne adeo acriter pronunciemus.* In Literis verò anno sequenti ad *Leonem* ipsum datis, de Auctoritate Pontificia magnificè quidem, sed sobriè ac verè E loquitur, nec falsos honores Sedi Apostolicæ tribuit, veris titulis à Christo insignitæ. Primatum ipsius prædicat, causas fidei necessariò ad ipsam referendas profitetur. *Quandoquidem* (inquit) *Petro magno Christus Deus post claves Regni cælorum Pastoralis etiam Principatus contulit Dignitatem: ad Petrum utique vel ejus Successorem, quicquid in Ecclesia Catholica per eos innovatur, qui aberrant à veritate, necesse est referri*, &c. Sed soli Sedi Apostolicæ divino immutabili Privilegio competere Judicium de fidei controversiis non solùm *Theodorus* F *Studites* non asserit, sed eo ipso negat, quo *Leonem* rogat ut Synodum legitimam convocet, ad Mœchianorum, ut vocat, hæresim damnandam, & Catholicum Dogma stabiliendum. *Si enim isti* (inquit) *arrogata sibi auctoritate, hæreticam Synodum cogere veriti non sunt, qui ne Orthodoxam quidem absque cognitione vestra (ut antiquitus mos obtinet) cogere potuerunt: quanto æquius usque adeò necessariam fuerit (cum timore suggerimus) à Divino tuo Principatu legitimam Synodum convocari, ut orthodoxum Ecclesiæ dogma hæreticum excluderet?*

Epist. ad Basilium Abbatem, apud Baronium ad hunc annum Num. 30.

XIV. Quod *S. Anselmum* spectat, displicuit mihi A vehementer quod hoc in consessu ab aliquo dictum est, Ipsum de Pontificia Auctoritate ita magnificè locutum, ut Romani Pontificis gratiam aucuparetur, sibi contra Regem Angliæ cumprimis necessariam. Non enim is erat *Anselmus* qui ad gratiam & auram se daret; procul erat ab omni assentationis fuco; ab omni ambitione alienus, Episcopatum ægrè susceperat, vis ipsi facta fuerat ut Cantuariensis Archipræsul inauguraretur; absolutionem à cura Pastorali supplex à Pontifice rogaverat: Non privatæ rei studia, sed Ecclesiæ causa, libertatisque ipsius defensio, necnon religio B erga Sedis Apostolicæ contra Investituras Decreta, ipsum cum Angliæ Rege commiserant. Quid igitur necesse erat ut Pontificem verborum officiis promereretur, causæque suæ addiceret? non ergo aulicæ urbanitatis officium, sed unius veritatis studium hæc Archipræsulis Sanctissimi verba expressit: *Quoniam Divina Providentia vestram elegit Sanctitatem, cui vitam & Fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, si quid contra Catholicam Fidem oritur in Ecclesia, ut ejus Auctoritate corrigatur, nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus pruden-* C *tiâ examinetur.* At locus iste Propositioni, quam ex Supremæ Curiæ Decreto examinamus, nullatenus favet. Primatum Romani Pontificis confirmat, causas fidei ad ipsum præcipuè referendas profitetur; examen censurámque doctrinarum ad ipsum præcipuè spectare docet: Ad ipsum solum spectare Judicium controversiarum fidei nec asserit, nec asserere potuit; siquidem ipse in Concilio Barensi, in quo de Fidei Quæstione actum est, scilicet de Processione Spiritus Sancti à Filio contra Græcorum errorem, anno millesimo nonagesimo-septimo, sedit Judex, ut *Eadmerus* * individuus ejus D comes testatur: & Concilium contra *Roscelinum* Hæreticum à *Raynaldo* Remensi Archipræsule congregatum probavit, in quo suas ad *Fulconem* Bellovacensem Episcopum de illius Hæretici errore, & Apologeticas pro *Lanfranco*, quem suæ Sententiæ auctorem Compendiensis ille Dialecticus laudabat, Literas legi optavit, ut ex ipsius Epistola XLI. libri II. compertum est.

S. Anselmus vindicatur.

Examen censuráque doctrinarum ad Romanum Pontificem præcipuè spectat.

In lib. de Fide Trinit. & Incarnat. quem Urbano II. nuncupavit.

* Eadmerus in Vita S. Anselmi.

XV. Quæ à *S. Bernardo* præclarè scripta de Divino Romani Pontificis Primatu, de Pontificiæ Potestatis plenitudine, de necessitate referendi fidei causas ad *S. Petri* Sedem, & novimus, & prædicamus: E Quod ille de *Eugenio*, id nos de *Innocentio XI.* Pontifice Optimo Maximo profitemur: *Ipsum non modò ovium, sed & Pastorum unum esse omnium Pastorem. Alios vocatos in partem solicitudinis, Ipsum in plenitudinem Potestatis....* Ad ipsum *de toto mundo appellari, in testimonium singularis Primatus... Generaliter super universam Ecclesiæ statum* considerationem ejus intendere, *si plebes Clericis, si Clerici Sacerdotibus, si Sacerdotes Deo in ea qua oportet humilitate subjecti sint; si in Monasteriis servetur ordo, vigilet disciplina; si floreant vinea honestate Sacerdotum. si flores fructus parturiant, obe-* F *dientiam fidelium populorum; si demum Apostolica Mandata & Instituta eâ qua dignum est solicitudine observentur... Ad ejus Apostolatum referri oportere pericula quæque & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim quæ de Fide contingunt.* Verùm quod Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectet de controversiis fidei judicare, tantùm abest quin senserit *S. Bernardus*, ut etiam ad *Innocentium II.* scripserit de his quæ in Concilio Senonensi contra *Petrum Abaillardum* gesta erant: *Dicebam sufficere scripta ejus ad accusandum eum, nec mea referre, sed Episcoporum, quorum esset Ministerii de Dogmatibus judicare.*

Pontificiæ Potestatis plenitudo, & necessitas referendi fidei causas ad S. Petri Sedem, à S. Bernardo asserta.

In lib. de Consider. ad Eugenium.

Epist. ad Innocentium II. contra errores Abælardi.

Episcoporum Ministerii est de Dogmatibus judicare.

Non

Non erat itaque cur Vir Eruditus contra Dominos Deputatos quasi insultans inclamaret : Secundùm Censuram DD. Deputatorum, doctrina *S. Theodori Studitæ, S. Anselmi, S. Bernardi*, est falsa, erronea, verbo Dei contraria : cum Propositioni cujus occasione hæc indicta Comitia sunt, nullatenus patrocinentur. Quamobrem S. Theodorum Studitam, S. Anselmum, S. Bernardum ex serie falsæ Traditionis suæ uno calami ductu Vir Doctus & Prudens expungat.

XVI. Quæ ex veterum Pontificum ante *Siricium* pseudepigraphis Epistolis, & ex Glossa Decreti protulit, quamvis explicare possem, ipsi relinquere velim, ne me nimis illiberalem ac morosum erga se esse fortassis conqueratur. Digna sunt ejus Traditione tam illustria tamæque auctoritatis Monumenta.

S. Thomas non Propositioni favet. Vindicatur & expurgatur.

XVII. Ad *Sanctum Thomam* venio, cujus explicationem à me expectatis, ut has mihi partes pro vestra humanitate servastis. Irrogatam nomini tuo injuriam ab his qui Te Propositionis in Censuram vocatæ assertorem, patronum, ac vindicem appellant, inultam non relinquam, DOCTOR ANGELICE ; Discipulo faveas causam tuam agenti, & Vos benignè & attentè audiendo, ut cœpistis, PATRES SAPIENTISSIMI, favete. Sed antequam *S. Thomæ* doctrinam, & locum in gratiam Propositionis damnandæ à Viris Eruditis prolatum expendam, parcite si etiam istius Ordinis Magistrorum dicta Sancti Doctoris honori & auctoritati derogatoria obiter perstringam. Nævos suos habet *S. Thomas*, inquiebat unus. In Sole si maculas & umbras ostenderis, Vir Erudite, nævos in *S. Thomæ* doctrinâ indigitare poteris. An verò tuam quantumvis intelligens judicium postponi *Clementis Octavi* Pontificis doctissimi Judicio, ægrè feres, qui in Diplomate ad Neapolitanos, à *Bollandi* Continuatoribus in Notis ad ejusdem *S. Thomæ* Vitam inter Acta Sanctorum Mensis Martii edito, Ipsum *sine ullo prorsus errore* scripsisse prædicat ? Addiderim, eruditum illum Pontificem, cujus doctrinam Acta celeberrimæ Congregationis de Auxiliis æternæ posteritatis memoriæ consecrarunt, & qui proculdubio noverat antiquum Concilii Africani Canonem, caventem *Ne per visiones & inanes revelationes erigantur Altaria*, vocem illam ex Imagine Crucifixi ad *S. Thomam* emissam celebrasse : *Bene scripsisti de me, Thoma*. An Sacræ Facultatis cum *Stephano* Regiæ hujus Urbis Episcopo, & insigni Capitulo Cathedralis, nunc Metropolitanæ Ecclesiæ declarantis olim *S. Thomam Universalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, Universitatis hujus speculum clarissimum, nihil unquam sensisse, docuisse, vel scripsisse, quod sana fidei vel bonis moribus adversetur* ; Judicio non acquiesces ? Aliud de tua singulari modestia, quæ eximiæ par est eruditioni, sperare licet.

In Litteris ad Neapolit. a Bollandi Continuatoribus editis.

Ad alterum ergo Magistrum Orationem converto. Dixit ille, Doctrinæ *S. Thomæ* in eo quod tractamus argumento, nullam habendam esse rationem, cùm *Paulus Quartus* in frequenti Pontificiæ Consultationis consessu, quem anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo fieri voluit, ut disquireretur utrum Ille solvere posset Matrimonium, quod per verba de præsenti inter *Franciscum Mommorantium* & *Joannem Halluynam Piennaam* contractum fuerat, *Antoniellum* Episcopum qui *S. Thomæ* testimonio abutebatur, ut id posse Summum Pontificem probaret, cæterosque omnes monuerit, fundamentum in *S. Thoma* constituendum non esse, qui multa jure merito retractanda & corrigenda scripserit. Hanc narrationem falsi coram vobis postulo, Patres ac Magistri Sapientissimi ; non ita se res habet, nec auctoritati *S. Thomæ* in locis quæ hîc prolata sunt, detrahit *Pauli Quarti* observatio. [illegible] Viri [illegible], qui mecum disseruere, *S. Thomam* in Summa, quam provectâ ætate & exactissimæ doctrinæ edidit : *Paulus Quartus* de his loquebatur quæ junior scripsit. Monebat (inquiunt) *B. Thomam potuisse, cum esset junior, multa dicere, quæ postea cum ætate doctior revocaverat*, dicens cum Apostolo : *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Addidit quæ Pontifex : *Ego non sine causa vos hac de re moneo, sed ut ex iis qui deliberaturi sunt, nullus fundamentum in iis rebus, quas S. Thomas, cum esset junior docuerit, constituat.* Ita refert qui rebus omnibus tunc gestis intererat, *Joannes Haya* hujus Facultatis Doctor, & ex eo *Michael Castelnavus Malvisserius* Tom. II. Commentariorum, & libro sexto Additionum ad eos Commentarios, qui anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono hac in Urbe lucem aspexerunt. Hæc virum cordatum & sincerum minimè dissimulare decuisset.

Tertius mihi conveniendus Magister, qui se semel iterumque legisse *S. Thomam* Secunda Secundæ, Quæstione I. Articulo X. palam professus est, & invenisse quòd sua ipsum Logica defecerit, cùm amplius probet, quàm probandum susceperat. Patiatur Vir Clarissimus, cujus probitatem cum singulari doctrina & facundia conjunctam impensè veneror, meóque in Sanctissimum Præceptorem *Thomam* studio condonet, ut *Philippum* Diaconum æmulatus, qui Eunocho Reginæ Candacis occurrens, *Isaiam* Prophetam legenti [illegible], ut ipsi Prophetarum sensum aperiret, me ad jungam ad currum ejus, & *S. Thomam* legentem ac relegentem ejusdem *Philippi* verbis compellem : *Putasne intelligis quæ legis ?* Quamvis ipsi in omnibus primas eruditionis aliàs me concedere profitear. Agedum Angelici Doctoris verba in Articulo non semel à Viris Eruditis hîc laudato expendamus : Num Propositioni ad nostrum examen delatæ faveat, & ad solam Sedem Apostolicam Judicium controversiarum fidei spectare doceat, paulò accuratius disquiramus.

Act. 8.

XVIII. Quærit utrum ad Summum Pontificem pertineat Symbolum Fidei ordinare ? Affirmatè respondet : sicque Propositionem suam probat : *Nova editio Symboli necessaria est ad vitandos insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem pertinet determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur, Extra, Cap.* Majores. *Unde & Dominus dixit Petro, quem Summum Pontificem constituit :* Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua : Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. *Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ, secundum illud 1. ad Corinthios :* Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. *Quod servari non posset, nisi quæstio de fide exorta determinetur per eum qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam Auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum Generalem, & alia hujusmodi.* Quid in hoc Angelici Doctoris Articulo Propositioni faveat quæ in censuram vocatur, diuturna meditatione & diligenti examine assequi non potui. Sic habet Propositio : *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare.* Sic S. Thomas :

mas : *Ad Auctoritatem Summi Pontificis pertinet determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur.* Non ait, Ad solam auctoritatem Summi Pontificis id spectare, non excludit igitur Episcopos & Concilia, sicut Propositio à vestris Deputatis prædamnata excludit. Præterea, verbo Determinationis utitur, in quo major quædam vis est, quàm in verbo Judicii. Nam Judicium æquè de prima cognitione dicitur ac de finitiva Sententia : Determinatio pro finitivo Judicio propriè usurpatur. Cùm itaque ait S. Thomas : Ad Summum Pontificem pertinet determinare ea quæ sunt fidei, de finitivo Judicio, non de prima cognitione loquitur. Sed quid in hac voce exponenda laboro, cùm perspicuè mentem suam aperiat? *Ad auctoritatem* (inquit) *Summi Pontificis pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei.*

Ad hæc, loquitur *S. Thomas* de Judicio quod pertineat ad omnes Ecclesias ; de Potestate universali definiendi & obligandi : *Ut fit* (inquit) *ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur.* Editionem quidem Symboli *ad solam Auctoritatem Summi Pontificis pertinere*, sive cum Synodo, sive extra Synodum, ita ait Doctor noster : Idque meritò; quia totam spectat Ecclesiam, adeòque Summi Pontificis munus ac potestatem, cujus *totus orbis Diœcesis est*, ut *Guigo Carthusianus* * ad *Innocentium II.* scribebat. Ergo (inquiunt) Episcopos excludit *S. Thomas*. Excludit, fateor, ab auctoritate condendi Symboli, non à Judicio controversiarum fidei. Unde cùm sibi objecisset, *S. Athanasium* Symbolum edidisse. (Tunc enim vulgò ipsi tribuebatur Symbolum, quod etiamnum ipsius nomine insignitum est.) Respondet, Illum *non composuisse manifestationem fidei per modum Symboli, sed per modum doctrinæ cujusdam. Sed quia integram fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, auctoritate Summi Pontificis est recepta, ut quasi Regula Fidei habeatur.* An verò Synodum Oecumenicam ab auctoritate condendi Symboli pariter excludit Angelicus Doctor? Nullatenus : ut ex ejus Responsione ad secundam Objectionem, petitam à prohibitione Concilii Ephesini de alia Fide præter Nicænam conscribenda, compertum est. *Dicendum*, inquit, *quòd prohibitio & sententia Synodi se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide. Non enim per hujusmodi sententiam Synodi Generalis ablata est potestas sequenti Synodo novam explicationem facere, non quidem aliam fidem continentem, sed eamdem magis expositam. Sic enim qualibet Synodus observavit, ut sequens Synodus aliquid exponeret supra id quod præcedens Synodus exposuerat, propter necessitatem hæresis insurgentis. Unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus auctoritate Synodus congregatur, & ejus sententiâ confirmatur.*

* In Chronico Mauriniacensi.

Auctoritas congregandi Concilia generalia, eaque confirmandi, sedis Apostolicæ Privilegium est.

XIX. Eximia duo Sedis Apostolicæ Privilegia duobus verbis complectitur *S. Thomas* ; auctoritatem congregandi Concilia, eáque sententiâ suâ confirmandi. Primum non solum exprimit Potestatem Episcopos totius orbis ad causas fidei discutiendas & judicandas in locum unum congregandi, quam Imperatores olim exercuerunt ; sed auctoritatem de quæstionibus fidei judicandi jure præventionis, & cum prærogativa suffragii ; quam ab omni retro Ecclesiis agnitam, Conciliis præsertim Ephesino & Chalcedonensi, in quibus secundùm *Celestini I.* & *Leonis Magni* Epistolas Nestoriana & Eutychiana hæreses damnatæ, dogmata fidei constituta, Eruditis omnibus notum est.

Sed & integro pene antea seculo Concilium Romanum ex Episcopis Italiæ & Galliæ sub *Damaso* Papa coactum Ariminensem Synodum ex eo elevasse novistis, quòd Romanus Episcopus non consensisset, cujus præ cæteris expetenda erat sententia. *Neque enim præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum qui apud Ariminum convenerunt : cùm constet neque Romanum Episcopum, cujus ante omnes expetenda fuit sententia, neque alios, hujusmodi statutis consensum aliquem commodasse.* Μὴ τῆς Ῥωμαίων ἐπισκόπου τοῦ πρὸ πάντων γνώμην ἐκδεξαμένων. Ita loquuntur in Synodica sua apud *Theodoretum* lib. II. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. XX. Valesianæ Versionis.

De hoc Sedis Apostolicæ Privilegio ante *Damasum* ad Orientales scribebat *Julius* Pontifex item Sanctissimus in Beati *Athanasii* causa : *An ignoratis hanc esse consuetudinem ut primum nobis scribatur, sicque hinc quæ justa sunt definiantur? .... Oportuit secundum Canonem, & non isto modo Judicium fieri. Oportuit scribere omnibus nobis, ut ab omnibus, quod justum esset, decerneretur.* Quam sententiam expendens eruditus Archipræsul *Petrus de Marca* lib. V. de Concordia Sacerdotii & Imperii, Cap. XII. ita colligit : *Primam itaque sententiam & suffragii prærogativam disertissimè Sedi suæ asserit Julius, ex recepta consuetudine, quæ in rebus communibus, Ecclesiæ universalis statum contingentibus (qualis erat Athanasii causa, quæ Fidem respiciebat) non autem in cæteris Disciplinæ negotiis utebatur.*

Archipræsul doctissimus cum *Sozomeno* convenit, qui lib. III. Cap. X. *Julium I.* cum Orientalibus expostulasse refert, quòd contra Leges Ecclesiæ ipsum ad Synodum non vocassent : *Legem enim esse Pontificiam, ut pro irritis habeantur, quæ præter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta.* Εἶναι γὰρ νόμον ἱερατικὸν ἄκυρα ἀποφαίνειν τὰ παρὰ γνώμην πραττόμενα τοῦ Ῥωμαίων ἐπισκόπου.

Sozomeno præiverat *Socrates* lib. II. Cap. VIII. ubi de Concilio Antiocheno ab Eusebianis collecto agens, in quo *Georgium Cappadocem* in Sedem Alexandrinam *S. Athanasii* intruserant, vim istius Conventus elevat, quòd *Romanus Episcopus Julius non interfuerit, nec quenquam eò miserit, qui locum suum impleret : cùm tamen Ecclesiastica Regula vetet, ne absque consensu Romani Pontificis quidquam in Ecclesiis decernatur.* Καίτοι κανόνος ἐκκλησιαστικοῦ κελεύοντος μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν.

Primum istud Privilegium Romanæ Sedis & Summi Pontificis à *S. Thoma* expressum, cujus ratione *ad solam* ipsius *auctoritatem novam editionem Symboli pertinere* probat, quia Synodus Oecumenica in quâ Symbolum conditur, Summi Pontificis auctoritate congregatur : cui & cæterorum omnium quæ totam Ecclesiam spectant, providentia & dispositio pro Jure divini Primatus incumbit. Non itaque condendi Symboli auctoritatem soli Romano Pontifici cum exclusione Synodi Oecumenicæ, ac Episcoporum in ea sedentium, tribuit *S. Thomas*, multò minus potestatem judicandi de controversiis fidei illi uni vendicat : sed hanc in Ecclesia universali & Concilio Oecumenico ipsam repræsentante totaliter (ut ita loquamur) in Romano Pontifice *principaliter* residere docet, Articulo tertio Quæstionis undecimæ ejusdem Partis, in Responsione ad tertiam Objectionem.

XX. Alterum Summi Pontificis Privilegium, quod *S. Thomas* attingit eo in Articulo quem expono, Jus est Concilia Oecumenica confirmandi. *Cujus auctoritate Synodus congregatur, & ejus sententiâ confirmatur.* Quam auctoritatem & Sacræ Antiquitatis monumenta magnificè probant, & Concilia ipsa reverentur : quod multis faciliè demonstrarem, nisi coram viris loquerer in hoc studiorum genere versatissimis, qui satis intelligunt

S.

S. Thomam Romano Pontifici plus non tribuisse quàm par sit, nec ejus auctoritatem intemperantiùs extulisse, cùm dixit: Oecumenicam Synodum *ejus sententiâ confirmari*. Quæ tamen Angelici Doctoris verba non ita accipienda sunt, ut quicquid in Concilio generali auctoritatis est à Romano Pontifice derivetur. Nam Synodum in Spiritu Sancto legitimè congregatam, & universalem Ecclesiam repræsentantem, auctoritatem immediatè à Christo habere, ex Sacra Scriptura & Traditione certum est, quam Oecumenici Concilii Constantiensis Decreta exposuerunt & declararunt. Sed cùm id Synodo tantùm conveniat quæ verè Oecumenica est, quæ scilicet secundùm Scripturas Sacras, secundùm Traditionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas Regulas est celebrata, aliquam in Ecclesia Auctoritatem esse necesse est, ad quam spectet judicare ac declarare quòd ita gesta sit: Quia ex declaratione Christianorum omnium obligatio ad ejus Decreta, cùm de fide, tum de morum disciplina recipienda consequitur. Id porro præstat Romanus Pontifex cùm Synodi Generalis Decreta promulgat, eorúmque executionem imperat. Ut enim Canonicæ Scripturæ auctoritatem à Deo immediatè habent; & nihilominus ad Ecclesiam spectat declarare quænam Canonicæ ac Divinæ sint, ut ejus veluti sigillo Canonicæ ab Apocryphis discernantur: unde illud *S. Augustini* omnium ore celebratum effatum: *Evangelio non crederem nisi me Ecclesiæ moveret auctoritas*: Et ex ea Ecclesiæ Declaratione ac Decreto nascitur obligatio Christianorum omnium ut eas Canonicarum numero & loco habeant: Ita Summi Pontificis est declarare, quæ Concilia verè Oecumenica sint; ad ipsum spectat judicare an iis instructa sint conditionibus ac dotibus, quæ Concilii Oecumenici rationem constituunt; ea promulgare, eorum executionem imperare ac urgere: quamvis precariam ab ipso non habeant, sed à Christo immediatè acceptam, supremam Auctoritatem.

Hanc doctrinam ex Epistola *Gelasii I.* Pontificis Maximi ad Episcopos Dardaniæ hausi, in qua de Ephesino Latrocinio sic loquitur: *Sicut id quod Prima Sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit, ubi etiam consequenter ostenditur, quia malè gesta Synodus, id est, contra Scripturas Sanctas, contra Doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas Regulas, quam tota merito Ecclesia non recipit, & præcipuè Sedes Apostolica non probavit, per bene gestam Synodum, id est, secundum Scripturas, secundum Traditionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas Regulas, pro Fide Catholica & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maximè Sedes Apostolica comprobavit, & debuerit & potuerit immutari.* Hac ratione verè à *S. Thoma* dictum est: Concilia Oecumenica Summi Pontificis sententiâ confirmari: & hoc pacto Ipsum *finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussâ fide teneantur.* Hancce modificationem si haberet Propositio, ob cujus examen toties convenimus & deliberamus, si his verbis concepta esset: Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat finaliter determinare ea quæ sunt fidei: non configendam, sed exponendam concluderem; quia ipsi faveret *S. Thomas*: sed cùm verbis absolutis concepta sit, quæ falsum, erroneum, verbo Dei contrarium sensum præ se ferunt; cùm nullâ modificatione affecta sit, quæ ipsam in sensum flectat Catholicis auribus ac animis tolerandum; cùm nullatenus ipsi patrocinetur *S. Thomas*, vel in eo loco quem tanta ostentatione protulerunt ii quibus Dominorum Deputatorum Judicium æquissimum displicet, non video quî absolvi possit.

XXI. Verùm (inquiebat novæ Traditionis Artifex) *S. Thomas* aliis in locis Propositioni quam expendimus plurimùm favet, nimirum libro quarto contra Gentes Cap. LXXVI. qui locus à Tarentino Episcopo *Eugenii Quarti* Legato laudatus est in Oratione ad Patres Concilii Basileensis.

Obstupui certè cùm hunc relegi locum, quòd in gratiam Propositionis à Viro Erudito proferri potuerit. Rectè & appositè à Tarentino Præsule laudatus est, ad Primatum Romani Pontificis confirmandum; nihil aliud ex eo colligi posse Synodus Basileensis* agnovit, uti nec ex cæteris quæ protulerat argumentis: multòminus ex eo aliquid extundi posse concessisset, quod absonam illam Propositionem juvet: *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare.* Sed de Concilio Basileensi erit postea dicendi locus, nunc expendendus *S. Thomas* eo loco quem Vir Eruditus appellavit. Titulus Capitis est. *De Episcopali Dignitate, & quòd in ea unus sit Summus.* De Episcopis ita disserit Sanctus Doctor: *Summa potestas regiminis fidelis populi ad Episcopalem pertinet Dignitatem. Manifestum est autem quod quamvis populi distinguantur per diversas Diœceses & civitates, tamen sicut una est Ecclesia, ita oportet esse unum populum Christianum. Sicut igitur in uno spirituali populo unius Ecclesiæ requiritur unus Episcopus, qui sit totius Populi Caput: ita in toto populo Christiano requiritur quòd unus sit totius Ecclesiæ Caput.* Tum necessarium esse probat ad unitatem Ecclesiæ conservandam, ut ex institutione Christi unus Ecclesiæ præsit universæ. *Ad unitatem* (inquit) *Ecclesiæ requiritur quod omnes fideles in fide conveniant. Circa verò ea quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri. Per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quòd sit unus qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem quòd Christus Ecclesiæ in necessariis non deficit. Non est igitur dubitandum, quin ex institutione Christi unus toti Ecclesiæ præsit.* Tertia ratio Sancti Doctoris de controversiis fidei & ipsarum Judicio ne verbum quidem habet. Demum totum Caput his verbis concludit: *Per hoc autem excluditur quorumdam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia & successione Petri, Successorem ejus Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ Pastorem non cognoscentes.* Videtis, Patres Sapientissimi, *S. Thomam* in unius Primatus Pontificii à Christo instituti probatione versari: Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ Pastorem, unitatis Fidei in Ecclesia custodem & conservatorem asserere; non verò solum controversiarum Fidei Judicem: Alioqui *summam potestatem Regiminis fidelis populi ad Episcopalem Dignitatem pertinere* non dixisset: quæ sine auctoritate judicandi de causis Fidei constare non potest.

* In Respons. Synodica ad Eugen. IV. Oratores Tom. XII. Concil. pag. 672.

Romanus Pontifex ex institutione Christi unus toti Ecclesiæ præest.

Romanus Pontifex universalis Ecclesiæ Pastor.

XXI. Unus discutiendus superest *S. Thomæ* locus à Viro Erudito laudatus, ex Opusculo contra Errores Græcorum, ubi hæc verba *S. Cyrilli Alexandrini* in *Thesauris* laudans, sua facit: *Apostolici Throni Romanorum Pontificum solius est reprehendere, corrigere, statuere, solvere, disponere, & loco illius ligare, qui ipsum ædificavit.*

Hanc sententiam verbáque *S. Cyrilli* non esse, Virum Doctum non fugit; nec in libris Thesaurorum, quos habemus absolutissimos, nec in aliis ejus Operibus legi: laudari quidem ab *Henrico Kalteisen* Ordinis FF. Prædicatorum Theologo, in Oratione *De Liberâ Verbi Dei Prædicatione*, in Synodo Basileensi habitâ; ab *Andræa Rhodi* in Concilio Florentino, à *Gennadio* Patriarcha Constantinopolitano

stantinopolitano in Apologia pro eadem Synodo, Cap. v. Sectione xii. Sed his omnibus affictum *Cyrilli* nomen imposuisse. *Leonem Allatium* lib. 1. *De Perpetuo Consensu Ecclesiæ Græcæ & Latinæ*, hunc locum Græcè laudare, non tamen ex ipso fonte, ex ipsis *Cyrilli Thesauris*, aliisve libris, sed ex aliquo MS. cujus ætas & auctoritas ignoratur, vel (ut credere par est) ex libris Græculorum recentium. Nec propterea *S. Thomæ* vitio vertendum est, quòd hæc verba *S. Cyrilli* nomine laudaverit, quæ in aliquibus seu Glossis, seu Catenis, vel Auctoribus, ut *Cyrilli* proferri videbat, nec in summa rei literariæ difficultate & inopia librorum semper ipsi fontes consulere licebat. Ut ut est, aliquid in sententiâ laudatâ suppleviſſe constat *S. Thomam*, cùm ipsam in Opusculo contra Errores Græcorum usurpavit, ut Romanum Pontificem cæteris Patriarchis superiorem esse probaret. Quamobrem ex subjecta materia perspicuum est, ipsum eo sensu locum illum, qui *S. Cyrilli* dicebatur, intellexisse, Apostolici Throni Romanorum Pontificum solius esse per universam Ecclesiam reprehendere, corrigere, statuere, solvere, disponere, & loco illius ligare, qui ipsum ædificavit, id est, vice Christi qui ipsum instituit. Ex his quæ de *S. Thomæ* sententia paulò quidem prolixiùs, sed exigente causa disserui, compertum est illos de *Sancto Thoma* non esse bene meritos, qui Propositionem in Jus vocatam illius auctoritate & nomine velut laureis frondibus cinxerunt, ut eam ab æquissimæ Censuræ fulminibus tuerentur.

XXII. Verùm in Concilio Viennensi & Clementina prima de Summa Trinitate & Fide Catholica multò firmius præsidium collocarunt, quo munitam Propositionem nullis ictibus patere confidebant. Pontifex nimirum cum Synodo, recensitis Evangelii verbis, quibus error *Petri Joannis Olivi* destruitur, continuò subdit: *Ad tam præclarum testimonium, & Sanctorum Patrum ac Doctorum sententiam, Apostolicæ considerationis (Ad quam duntaxat horum declaratio pertinet) aciem convertentes, Sacro approbante Concilio declaramus, &c.*

Clementis V. & Concilii Viennensis locus explicatur.

De quo *Clementis Quinti*, Synodique Viennensis loco licèt multa satis dicta videri possint à Viris Doctissimis qui ante me suffragati sunt, quibus machina ab aliis ad tuendam Propositionem super illo ædificata penitus disjecta sit; addam tamen quod ad Clementinæ intelligentiam plurimùm conferat, & si quid præsidii damnandæ Propositionis exteris Auctoribus aut Defensoribus in ea reliquum est, evertat ac dissipet: quò tandem meticulosi quidam hujus Ordinis homines, quos religio erga *Clementis V.* & Concilii Viennensis Decreta deterret à Censura, eorum verba tam confidenter laudata, tam ferventer inculcata, nullatenus Propositioni favere convincantur.

Declarationem ac Judicium controversiarum Fidei *Sedi Apostolicæ duntaxat* asserit *Clemens V.* cum prærogativa suffragii, quod Primæ Sedis Jus esse nostis: Quod tamen Episcoporum & Synodorum Jura & Auctoritatem in iisdem Quæstionibus pariter judicandis non convellit. Id præclaris verbis à *Marciano Augusto* expressum est in Epistola ad *S. Leonem* de Synodo Oecumenica congreganda: *Ut ad quemdam* (inquit) *definitum locum, ubi nobis placuerit, omnes Sanctissimi Episcopi conveniant, & quæ Christianorum Religioni atque Catholicæ Fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas Regulas definiverit, sua dispositione declarent.* Itaque Declaratio ac Judicium controversiarum Fidei ad Sedem Apostolicam duntaxat non spectat, sed etiam ad Episcopos & Synodum: verùm ad unam Sedem Apostolicam singulari quadam ratione spectat, cum prærogativa scilicet suffragii: Quia Romano Pontifice auctore, id est, Ecclesiæ doctrinam & Traditionem proponente, & Hæreses ac Hæreticos prædamnante, Synodus Oecumenica Fidei controversias judicat, Catholica Dogmata declarat, secundùm formam ab ipso præscriptam hæreses damnat, hæreticos proscribit. *Quod tandem ille secundùm Apostolicas Regulas definiverit, Synodus & Episcopi in ea congregati sua dispositione declarant.* Id *Marcianus* & *Valentinianus* Imperatores in alia ad *S. Leonem* Epistola his verbis exprimunt: *Omni impio errore sublato per celebrandam Synodum, Te Autore* ([illegible]) *pax circa omnes Episcopos Fidei Catholicæ fiat.* Et ejus Sanctitatem *Principatum in Episcopatu, Divinæ Fidei possidere*, profitentur ac prædicant. Aliud non intellexisse *Clementem V.* perspicuum est. Cùm enim *Sacro approbante Concilio* Petri Joannis hæresim damnet, nec approbatio illa Concilii sit aliud quàm verum Judicium; sibi ipsi apertè contradiceret Pontifex, si ad solam Sedem Apostolicam Judicium & Declarationem quæstionum Fidei pertinere assereret; & *Sacro* nihilominus *approbante Concilio* hæresim damnaret, Fideique dogma declararet.

Quid igitur nodum in scirpo quærunt commentitiæ Traditionis Ostentatores? Ad Sedem Apostolicam duntaxat dogmatum Fidei declarationem pertinere, non absolutè, sed *Sacro approbante Concilio*, quod aliis non convenit Episcopis, qui suffragii prærogativam in Conciliis non habent, sed uni Romano Pontifici, qui illis *velut membris Caput præest*, (ut Synodus Chalcedonensis ad *Leonem Magnum* scribebat) cum *Clemente Quinto* & Concilio Viennensi profitemur ac prædicamus. Eóque sensu *Philippus Pulcher* Rex Christianissimus ad eumdem Pontificem scribens: *Absit* (inquiebat) *à Regia Perennitate in quæstione Fidei quidquam quod vestra Sanctitas Sacro approbante Concilio decideri, in aliquod unquam dubium revocare.* Cùm igitur ad nostrum examen delata Propositio, absque modificatione & exceptione ulla asserat, Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio auctoritatem judicandi de controversiis fidei spectare; Viennensis Concilii, seu Clementinæ Propositioni nequaquam similis aut affinis censenda est.

XXIII. *Clementis Sexti* verbis in Epistola ad *Consolatorem* Catholicon Armenorum anno millesimo trecentesimo quinquagesimo primo datâ * tem adversùs Deputatos vestros se confecisse Vir Eruditus arbitratur: & si configatur Propositio in Jus vocata ut falsa, erronea, verbo Dei contraria, iisdem notis afficiendam *Clementis Sexti* doctrinam inclamat, quam in Academia Parisiensi, & Gallicana Ecclesia didicerat, Doctor scilicet in Sacra Facultate, Senonensis ac Rothomagensis Archiepiscopus, Sorbonæ Provisor, demum Cardinalis, & Pontifex Maximus. In iis scilicet Literis quibus Catholicon Armenorum urget ut de Romani Pontificis Primatu & Auctoritate Fidem suam absque ambagibus aperiat, hæc habet: *Tertiodecimo, si credidisti & adhuc credis, solum Romanum Pontificem dubiis emergentibus circa Fidem Catholicam posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhærendum, finem imponere: & esse verum & Catholicum quicquid ipse Auctoritate clavium sibi traditarum à Christo determinat esse verum; & quod determinat esse falsum & hæreticum, sit censendum.*

Clementis VI. testimonium expenditur.

* Apud Odoricum Raynaldum, ad hunc annum.

Si nuda *Clementis Sexti* verba non esset aucupatus falsæ Traditionis Præco, sed sensum ipsius ac scopum attendisset, ream Propositionem ejus auctoritate protegi posse non existimasset. *Intelligentia dictorum*

dictorum ex causis est assumenda dicendi, (ait S. Hilarius.) Ad Armenorum Catholicon Schisma ejurantem scribit *Clemens Sextus*; ipsum ad Pontifici Primatus Jura particulatim, distinctè, & expressè agnoscenda ac profitenda compellere satagit, quorum præcipuum est Auctoritas judicandi de Fidei controversiis toto orbe Christiano, & in ipsa Armenorum Ecclesia emergentibus, præ ipsorum Episcopis, & Catholico. Sic itaque *Clementis* verba intelligere par est: Quòd Romanus Pontifex dubiis emergentibus circa Fidem Catholicam finem imponere possit per totum orbem, tanquam solus Christi Vicarius, solus Primatum habens, non solùm Dignitatis, sed Jurisdictionis super omnes fideles, supra ipsos Episcopos & Patriarchas, à Christo immediatè acceptum. Ex subjecta namque materia & circumstantiis determinatur *Clementis Sexti* Propositio ad excellentiam quandam & præcipuam potestatem, plenissimámque & universalissimam Auctoritatem Romani Pontificis in Judicio controversiarum Fidei significandam; quam Armeni, utpote Schismatici, antea negaverant, ac impugnaverant, & quam in solemni Schismatis ejuratione ipsos profiteri par erat.

Demùm cùm verisimile non sit *Clementem Sextum* Pontificem doctissimum à Sedis Apostolicæ Traditione defecisse, ipsius sententia mox laudata ad sensum Propositionis revocanda est, idem dogma, sed explicatiùs, asserentis, quam in Professione Fidei Sedi Apostolicæ à Græcis oblatâ, cùm de conjunctione utriusque Ecclesiæ ageretur, *Innocentius Quartus* eruditissimus Pontifex, *Pater Juris*, & *Pater veritatis* appellatus, & *Alexander Quartus* approbarunt: Quâ quidem Propositione Græci profitebantur, ad Romanum Pontificem spectare: *In quæstionibus Fidei, si quæ ibidem fortassis emerserint, præ aliis dare sententiam, quam, dummodo Evangelicis & Canonicis non obviet Institutis, obedienter cœteri suscipient & sequentur.* Ita refert *Alexander Quartus*, Epistola 325. libri 11. apud *Odoricum Raynaldum*, ad annum millesimum ducentesimum quinquagesimum-sextum, Num. XLVIII.

XXIV. Hoc dejectus præsidio Vir Eruditus, ad Synodum Basileensem confugit, quæ in Oratione Tarentini Archipræsulis * hæc de potestate Romano Pontifici à Christo Domino collata approbaverit: *Cui soli potestatem plenissimam & absolutam tradidit ad omnia Fidei Mysteria exequendum, & ad eum principaliter de gregis salute & directione, & fidei unitate ac integritate, dispositio, judicium, ac sententia spectarent, & ut per eum ad alios hujusmodi Mysteriorum usus & auctoritas diffunderetur.*

* In Appendice prima Concilii Basileensis, Tom. XII. Concil. Edit. PP. Labbei, & Cossartii, pag. 816.

Verùm nec Tarentini Episcopi Propositio, illi quam expendimus similis est, cùm adverbio, *Principaliter*, modificata sit ac determinata, ut præcipuas in Judicio controversiarum Fidei Romani Pontificis esse partes significet: quod religiosè profitemur: Nec Synodus Basileensis dicta Præsulis illius, ac cœterorum *Eugenii Quarti* Oratorum approbavit, nisi quà Summi Pontificis Primatum probant, non quà Episcoporum ac Synodorum auctoritatem imminuere videntur. Basileensibus Patribus, in Responsione Synodali ad *Eugenii* Oratores, audientiam præbere; & hanc velut clavam ex Herculis nostri manibus extortam videbitis.

Ibidem, inter Epistolas Concilii, pag. 673.

In Tarentini Archiepiscopi oratione quid Basileense Concilium approbaverit.

Nunc (inquit) *ad proposita per Venerabilem Archiepiscopum Tarentinum dicendum restat. Inprimis late explicat Jurisdictionem & Potestatem Summi Pontificis, quod Caput sit & Primas Ecclesiæ, Vicarius Christi, & à Christo, non ab hominibus, vel Synodis, aliis prælatus, & Pastor Christianorum; & ei data sunt à Domino claves, & uni dictum est:* Tu es Petrus: *Et solus in plenitudinem Potestatis vocatus sit, alii in partem solicitudinis: & multa hujusmodi, quæ cùm vulgatissima sint, minimè necessarium erat recensere. Ista planè fatemur & credimus, operámque in hoc Sacro Concilio dare intendimus, ut omnes eamdem sententiam credant. Et nihilominus ipsum Romanum Pontificem dicimus obedire teneri Mandatis, Statutis, Ordinationibus ac Præceptis hujus Sanctæ Synodi Basileensis, & cujuscunque Concilii Generalis legitime congregati, in his quæ pertinent ad Fidem, ad extirpationem Schismatis, & reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris, quemadmodum declaratum extitit per Generale Concilium Constantiense Catholicam repræsentans Ecclesiam: cujus Catholicæ Ecclesiæ, quemadmodum & Summi Pontificis, æquum fuisset saltem paucissimis explicare Potestatem. Quod cùm non fecerit, dignum est ut Nos qui Concilium celebramus, aliquid saltem perfunctoriè referamus.* Qui sic de Ecclesiastica Potestate loquuntur, hi certè non favent isti Propositioni: *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare.* Synodum itaque Basileensem Traditioni suæ non favere, Vir Eruditus fateatur.

XXV. Florentinæ Synodi, quàm Basileensis protectione tutiorem fore Propositionem auguratur. Idcirco *Andream* laudat Rhodi Archipræsulem, qui in Synodo Florentina, Sessione VII. Patribus approbantibus dixerit: *Quòd verò auctoritatem ita explanandi habeat Romana Ecclesia, unam tantummodo Græcam Sententiam afferemus in præsens, quâ demonstrabitur, Sedem hanc Petri solam esse, in quâ Potestas sit explicandi Fidem: propter quod nunquam portæ inferi, hoc est hæreses, prævaluëre adversus eam, imo ne attigerunt quidem. Est autem Epistola in Sermone de Fide.* Profert Epistolæ *Agathonis* à Sexta Synodo Oecumenica approbatæ hæc verba: *Si silentio texero veritatem, quam erogare nummulariis jussus sum per illa verba, Pasce oves meas:* Et, *Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos: Quandoquidem nobis incumbit necessitas docendi Christianos quæ pertinent ad veritatem.* Et paulò ante: *Tota Christianorum Ecclesia Catholica, & omnes Universales Synodi, fideliter amplectentes ejus doctrinam, & omnes sancti Doctores & Ecclesiæ luminaria, fideliter ejus doctrinam secuti sunt.* Ex quibus ita colligit Rhodius Archipræsul: *Hinc patet, quoties de fide aliqua oritur dubitatio, Romanum Pontificem debere ac teneri illam declarare; atque illo docente omnes Synodos & Ecclesiam universam debere hujusmodi veritatem sequi.*

Florentina Synodus ne propositioni non favet.

Rhodio Archipræsuli in disputationis æstu aliqua non satis accuratè dicta excidisse, & quæ benigna interpretatione molliri opus habeant, nihil mirum. Sed miror vehementer quod Vir Eruditus ea Florentinæ Synodo tribuat, quæ ab Archiepiscopo disputante in solemni consessu dicta sunt: cùm Regulam non ignoret in Synodo Quinta, Actione sexta traditam, rectæ rationi prorsus consentaneam, & Ecclesiæ moribus & usu firmatam, quod: *In Conciliis non unius aut alterius Interlocutionem attendere oportet, sed quæ ab omnibus vel pluribus definiuntur.* Fallor, si quæcunque ab Episcopis & Doctoribus in Florentini Concilii consessu, non repugnante Synodo dicta sunt, velut oracula reciperent qui *Andreæ Rhodii* testimonium tantâ pompâ protulere.

Bessario Nicænus Archipræsul Sessione nona pro Græcis disputans, & de additione particulæ, *Filióque*, Symbolo factâ verba faciens, hæc habet observatione dignissima: *Scimus quidem quæ sint Jura & Prærogativa Romanæ Ecclesiæ. Nihilominus*

scimus etiam Prærogativa ejus quos terminos habeant. Nosse tamen volumus Reverentiam vestram à nobis facultatem hanc negari universa Ecclesia & Synodo, vel etiam Oecumenica, non tantum Romana Ecclesia. Quoniam igitur quantacunque facultate polleat Romana Ecclesia, minus tamen pollet Synodo Oecumenica & universali Ecclesia: si nos universali id negamus Ecclesia, multò magis negabimus Romanæ. Si argumentandi rationem a Viro Erudito usurpatam sequi velim, ita colligam: Hæc *Bessario* Cardinalitiis Infulis ab *Eugenio Quarto* paulò post ornatus, non reclamante Synodo, in solemni Patrum consessu dixit: Romanam igitur Ecclesiam, sive Sedem Apostolicam esse inferiorem Synodo Oecumenica, & universali Ecclesia, Florentini Concilii Patribus visum est: proinde quâ Potestate Romana pollet Ecclesia, eadem pollere Synodum Oecumenicam & universalem Ecclesiam. At minor esset Concilii Generalis & Ecclesiæ universæ, quàm Sedis Apostolicæ Auctoritas, si ad solam Sedem Apostolicam spectaret de controversiis Fidei judicare divino & immutabili Privilegio. Enimvero si ad solam Sedem Apostolicam pertinet, quomodo Concilii præeminet Auctoritas? Si ad solum Concilium, quomodo Sedi Apostolicæ convenit? Ita quidem retorquere liceret argumentum.

Verùm sepositis interloquentium aut disputantium Præsulum seu Doctorum opinionibus & argumentis, ipsius Florentinæ Synodi Definitionem consulamus. Hæc *Romano Pontifici in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam Potestatem traditam esse* profitetur ac declarat, *juxta eum modum qui & in Gestis Sacrorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur*; ut ex Græco textu ad verbum exprimitur: καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται. Sicque etiam legitur apud *Blondum* Eugenii *Quarti* Notarium in Decadis III. libro x. apud *Marcum Vigerium* Cardinalem, in Decachordo, Chorda 2. apud *Ekium* lib. I. de Primatu Petri, Cap. xxv. apud *Joannem Roffensem* in Articulo xxv. contra Lutheranas Assertiones, apud *Albertum Pighium* lib. quarto de Hierarchia, Cap. ultimo: *Quemadmodum & in Gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur:* Non prout interpolavit *Abrahamus Cretensis* Florentini Concilii primus Editor: *Quemadmodum etiam in Gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.* Cùm igitur nec Gesta Conciliorum Oecumenicorum, nec sacri Canones tradant, Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectare de controversiis fidei judicare, immo contrarium persuadeant; hanc auctoritatem soli Sedi Apostolicæ, vel soli Romano Pontifici Florentinam Synodum non tribuisse certum est. Ex sua igitur Traditione Florentinam quoque Synodum expungat Vir Sapientissimus.

XXVI. *Gennadium* etiam Patriarcham Constantinopolitanum in Expositione pro Concilio Florentino, Sectione nona Capitis quinti, in defensionem famosæ Propositionis vocavit, dicentem: *Vides tu qui non vis Petri Successores eamdem cum Petro Potestatem habere, quomodo non alius ex Patriarchis potest de Fide disquirere & ordinare cantùm, nisi Romanus Papa?*

In illis non hæreo, quæ ad elevandam *Gennadii* auctoritatem à Viris Eruditis, qui ante me disseruere, dicta sunt. Id unum dicam: hunc Auctorem extra limites legitimi & liciti sermonis excurrisse. Id ipsi accidisse quod viris maximis & antiquis Patribus, quibus, cùm hæreses impugnarunt, verba interdum exciderunt minùs commoda, & quæ subortæ postmodum hæreses ad sui præsidium arripuerunt: ut de *S. Dionysio Alexandrino* compertum est, qui Sabellianos impugnans, Filii consubstantialitatem visus est evertisse, adeò ut ipsi Apologia fuerit opus: ut de *S. Cyrillo* Sedis ejusdem Episcopo notum, qui Nestorianam hæresim impugnans, Apollinariæ hæresi favere visus est, & hanc accusationem Apologetico diluit: ut de *S. Augustino* perspectum, qui Pelagianos debellans, Manichæorum causam juvisse visus est, quibusdam loquendi modis quos ipsum explicare ac mollire necesse fuit. Qui enim adversùs Hæreticos disputant, ut quispiam Veterum scitè dixit, sæpe hortulanos imitantur, qui curvatum virgultum ut erigant, paulisper in alteram partem inflectunt. Græcos in Schismate pertinaces oppugnabat *Gennadius*. Romani Pontificis divinum Primatum adversùs ipsos incredibili fervore, animi contentione maxima probabat atque tuebatur. In disputationis æstu verbis interdum minùs accuratis, minúsque commodis usus est, quæ tamen benignâ interpretatione molliri possunt, & eo sensu intelligi, ut omnia quæ Romano Pontifici tribuit cum voce exclusiva, *solus*, & quæ aliunde communia sunt Episcopis & Conciliis, ad Ipsum solum pertinere intellexerit cum præcellentia singulari, ut Synodorum Oecumenicarum Caput est & Præses, qui eas congregat & confirmat; & per Ecclesiam universalem, quod certè nulli alii Episcoporum vel Patriarcharum convenit. Verùm passim admittendæ non sunt ac ferendæ hujusmodi Propositiones in Neotericis Auctoribus, à quibus illas pravo sensu usurpari vehemens suspicio est; & multò minùs à Censura sunt absolvendæ, cùm nudè proponuntur & ab omnibus circumstantiis abstractæ, quibus earum duritiés emolliri valeat.

XXVII. Frustra verò Literas Episcoporum Galliæ ad *Innocentium X.* Pontificem Maximum, in causa quinque Propositionum *Jansenii* à Sede Apostolica damnatarum, Propositioni, quam ex Decreto Senatus examinamus, favere nonnulli sibi persuadent. Gallicani Præsules (inquiunt) à Judicio temperarunt in Janseniana Causa, quia de Fidei Dogmatibus agebatur, Judicium ipsius Romano Pontifici servandum professi sunt, & revera servarunt, Ecclesiæ Legibus obsequuti. *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre, solemnis Ecclesiæ mos est, quem Fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro Jure suo postulat. Æquissimæ huic legi obsequentes, de gravissimo circa Religionem negotio Sanctitati suæ scribendum censuimus.* Ita scribunt in priori Epistola. Pontificem precantur, *Ut quid in hac re sentiendum sit, clarè distinctéque definiat.* Obtestantur, ut *clarâ firmâque* de quinque *Jansenii Propositionum sensu prolatâ Sententiâ, caliginem omnem discutiat, animos fluctuantes componat, dissidia prohibeat. Ecclesiæ tranquillitatem splendorémque restituat.* Cùm tandem *Innocentii* de quinque Propositionum controversarum damnatione Constitutio in Gallias pervenisset, ipsam religione maxima susceperunt, & illius executionem se studiis omnibus promoturos sunt polliciti. Hæc ex altera ipsorum Epistola nobis opponunt Magistri quidam quasi Propositioni faventia. *Excitatæ in Belgio contentiones flagrabant etiam in Galliis, & latissimum incendium per universas Ecclesiæ partes minabantur, ni pesti grassanti & certissimam perniciem allaturæ obstitisset Beatitudinis vestræ indefessum studium, & ex alto petita Potestas, quæ sola acerrimam illam animorum collisionem compescere poterat... Quo in negotio, illud observatione dignum accidit, ut quemadmodum ad Episcoporum Africæ Relationem Innocentius I. Pelagianam hæresim damnavit olim, sic ad Gallicanorum Episcoporum Consultationem, hæresim ex adverso Pelagianæ oppositam Innocentius X.*

Episcoporum Galliæ Literæ ad Innocentium X. in Causa quinque Propositionum Jansenii.

X. Auctoritate sua proscripserit. Enimvero vetusta illius ætatis Ecclesia Catholica, sola Cathedra Petri Communione & Auctoritate fulta, quæ in Decretali Epistola Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque dein Zosimi altera ad universos orbis Episcopos Epistola subsecuta est, Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solùm ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro factâ, sed etiam ex Actis priorum Pontificum, & ex Anathematismis adversùs Appollinarium & Macedonium, nondum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaso paulò antea jactis, Judicia pro sancienda Regula Fidei à Summis Pontificibus lata, super Episcoporum Consultatione (sive suam in Actis Relationis Sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit,) divinâ æquè ac summâ per universam Ecclesiam Auctoritate uti: cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur.

Hæc sanè magnifica, & studio Religionis ac veritatis, non adulationis ingenio à Gallicanis Præsulibus scripta: sed Propositioni, quæ in Censuram vocatur, nullatenus faventia: Solam Sedis Apostolicæ Potestatem turbas, quas *Jansenii* Propositiones in Galliis excitarunt, compescere potuisse profitentur, tum quia difficillimis illis temporibus libera non erat Synodorum convocatio, ob dissidia quæ in multis Galliarum Provinciis exarserant: tum quia sensus Decretorum quorumdam Concilii Tridentini in dubium vocabatur, quorum interpretatio Sedi Apostolicæ reservata est: tum demùm quia *Jansenius* morti proximus Apostolicæ Sedi Opus suum subjecerat. Verùm ad solam Sedem Apostolicam Judicium controversiarum fidei spectare, ac earum cognitionem sibi interdictam, tantùm abest quin existimarent, ut etiam contrarium professi sint in Generalibus Comitiis Cleri Gallicani anno millesimo sexcentesimo in hac Regia Urbe congregatis. Narrationem scilicet texuerunt eorum omnium quæ in *Jansenii* tractanda Causa contigerant, in quâ & rationes quibus moti sunt ad consulendum Summum Pontificem, jam à me indicatas, declarant: & Episcopis datam à Deo Potestatem judicandi controversias fidei contestantur.

Narrationis verba ex istorum Comitiorum Actis Gallico idiomate, prout in illis habentur, recitare placet: *Ils sçavoient que comme leur Charité Pastorale les engageoit à ce devoir, le Saint Esprit leur avoit donné le pouvoir de juger des matieres de Foy.* Ideo in Epistola ad *Innocentium* clausulam ab Episcopis Gallicanis appositam observant, quæ Episcoporum Jurisdictionem in fidei causis prima cognitione judicandi integram præstaret. *Il fut aussi arresté, que l'on mettroit dans la Lettre une Clause qui conservât aux Evesques de France le Droit de juger en premiere instance des matieres de Foy, lors qu'il leur sembleroit utile pour la Religion, soit en exécutant les peines de droit contre les Heretiques manifestes; soit en décidant dans une Assemblée les choses douteuses.* Id executioni mandatum; Episcoporum enim Literis ad *Innocentium X.* toties hic à Viris Eruditis, & mox etiam à me laudatis, hæc adhibita clausula est: *Sive suam in Actis Relationis Sententiam ponant, sive omittant, prout collibuerit.*

Denique acceptando *Innocentii X.* Constitutionem, judicandi munus exercuerunt, ut docet laudata Narratio. *L'affaire mise en deliberation, il fut arresté que l'on declareroit par voye de Jugement, sur les pieces produites de part & d'autre, que la Constitution avoit condamné les cinq Propositions comme estant de Jansenius, & que le Pape seroit informé de ce Jugement de l'Assemblée par la Lettre qu'elle écriroit à sa Sainteté.* Ex Gestis igitur ac Literis Gallicanorum Præsulum in Causa Janseniana nihil omnino colligi potest quod Propositioni damnandæ faveat, sive quòd nuperis Autoribus Potestatem judicandi de Causis Fidei soli Sedi Apostolicæ à Deo concessam affirmantibus suffragetur.

XXIX. Erudito causæ desperatæ Patrono unicum perfugium superest, Breve *Alexandri Septimi* ad Episcopum Andegavensem in causa Regularium, in quo Propositio de qua agimus continetur.

Memineritis, quæso, Sapientissimi Patres, unius è Regulis quam ex *S. Thoma* Dissertationis hujus initio velut fundamentum posui: *Hujusmodi locutiones non sunt extendendæ, sed piè exponendæ, si in authentica scriptura inveniantur.* Ob religiosam quam Sedi Apostolicæ debemus observantiam, exponatur hæc Propositio in Literis *Alexandri VII.* de auctoritate judicandi de controversiis fidei jure præventionis, per totum orbem Christianum, extra Concilia; vel in Conciliis, cum Prærogativa Suffragii, & finitivo Judicio, quatenus Conciliorum Decreta confirmat Romanus Pontifex, promulgat, & per Ecclesiam universam exequitur: at similis expositionis indulgentiam Neotericis Auctoribus non debemus, quos Propositionem pravo sensu asserere vel compertum habemus, vel gravi cum fundamento suspicamur: & auctoritatem judicandi Causas Fidei soli Sedi Apostolicæ asserere, cum exclusione Episcoporum & Conciliorum, quorum auctoritatem omnem à Romano Pontifice precariò acceptam, non à Christo immediatè derivatam, contra Scripturas Sacras & venerandam Traditionem propugnant.

Addiderim, in Diplomatibus Apostolicis nonnulla præfationis & præludii rationem habere, quæ causam de qua agitur non spectant, sive ut probationes rei judicatæ proferri, quæ Pontificibus fortè subministrantur à Viris minimè Theologis, & Traditionis insciis, aut suarum opinionum præjudicio occupatis: alia causæ judicium exprimunt, & secundùm Patrum doctrinam, Ecclesiæque Romanæ cæterarum Matris & Magistræ Traditionem Apostolica Auctoritate finiunt quod in Quæstionem vocatum est. Illa Notariorum ingenio vel stylo Curiæ tribuenda; hæc ut *S. Petri*, immo Spiritus Sancti per Pontificem loquentis oracula excipienda.

At (inquiunt) Breve *Alexandri VII.* ab Episcopis Gallicanis susceptum, à Regio Consilio approbatum est.

Rectè quidem: quia hujusmodi Propositionem sano sensu à Summo Pontifice intelligi existimarunt, nec aliud illum sibi tribuere, quàm Primatum in judicandis fidei causis, & Potestatem obligandi fideles universos ad parendum Sedis Apostolicæ Decretis in materia fidei editis. Quem Primatum Ecclesia Gallicana semper venerata est, & ad excipiendam Romani Pontificis de Quæstionibus Fidei Sententiam tota se animi devotione propensam comprobavit. Singularis verò prudentiæ fuit, quòd Reverendissimi Episcopi & Illustrissimi Comites Consistoriani, ob Propositionem incidentem duntaxat & obiter positam, litem movere noluerint, cùm Summus Pontifex Episcoporum Jura tueretur, tantùm abest ut de illis evertendis aut imminuendis cogitaret.

XXX. Videtis, Patres Sapientissimi, totum illud falsæ Traditionis propugnaculum quo vobis fucum facere nonnulli nitebantur, disjectum penitus atque dissipatum? Videtis formidabilem illum apparatum adversùs Censuram à vestris Deputatis præformatam ex venerandæ Antiquitatis Monumentis instructum, suapte vanitate in fumos

 evanescere?

evanescere? Traditionem sectamur, sed puram, veram, ac sinceram, qualem Ecclesia ut alteram Fidei nostræ Regulam sequitur; non falsam, & Veterum testimoniis alienos in sensus detortis constantem, qualem Hæretici ostentant. Porro veræ, sinceræ, Apostolicæ Traditioni repugnare Propositionem ab Amplissimo Senatu examini ac Judicio Doctrinali Sacræ Facultatis subjectam, quatenus excludit Episcopos & Concilia à Judicio Controversiarum Fidei, nemo est ex hoc Ordine & in isto Consessu qui non agnoscat, & ultro fateatur. Quid igitur hærent nonnulli? Quid Censuram à Dominis Deputatis tam accuratè, tam prudenter, tam justè præformatam velut spectrum reformidant? In fide & doctrina convenimus: Episcopos & Concilia Auctoritatem judicandi de controversiis fidei à Christo immediatè habere tenemus & docemus: Ad solam Sedem Apostolicam, his exclusis, illarum Judicium non spectare profitemur: Quidni ergo uno ore Propositionem ab eo Jure & Auctoritate Episcopos & Synodos excludentem; *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare*, configimus ac damnamus? *Sixti Tertii* Pontificis Maximi ad *Joannem Antiochenum* verba usurpare mihi liceat: *Ergo quia una fides, dicenda credamus, & tenenda dicamus. Nihil ultra liceat novitati, quia nihil adjici convenit vetustati. Dilucida & perspicua Majorum credulitas nullâ cœni permixtione turbetur.*

XXXI. At, (inquiunt Viri quidam hujus Ordinis Sapientissimi) Propositionem secundùm pravum sensum cui obnoxia esse potest, quatenus scilicet, vel eo sensu quo ab auctoritate judicandi de controversiis fidei Episcopos & Concilia excludit, lubentissimè damnamus: sed & recto sensu intelligi potest, sicut *Clemens Quintus* & Viennense Concilium in Clementina I. *De Summa Trinitate & Fide Catholica* intellexerunt, sicut *Alexander VII.* in Brevi Apostolico ad Episcopum Andegavensem intellexit. Distinguatur ergo duplex sensus: pravus damnetur, verus & Catholicus asseratur.

Hanc postulationem æquitate niti censerem, si Propositio ambigua esset ac obscura, si sano & pravo sensui æquo jure obnoxia: sed clarissima & explicatissima est. Prout jacet, secundùm exclusivarum Propositionum Regulas à Dialecticis traditas, ab Angelico Doctore consecratas, secundùm communem loquendi morem, Propositio, de qua disserimus, Episcopos & Concilia ab auctoritate judicandi controversias fidei excludit: Esto in rectum sensum flecti possit, seu potius detorqueri; non est ille sensus Propositionis proprius, naturalis, obvius, sed affictus, ac violentus; ut à Viris Eruditis, qui ante me dixerunt, & à me etiam pro mea virili demonstratum est. Propositionem igitur exponere minimè necesse est.

Id verò ut planè evincam, unicam Demonstrationem oppono Syllogismo Viri Doctissimi, qui expositionem, duplicisque sensus distinctionem tantâ vehementiâ in duabus Congregationibus promovit. Quævis Propositio pravum sensum involvens, quamvis & in rectum sensum flecti possit, absolutè, sine expositione vel distinctione duplicis sensus censurâ configi ac damnari potest: Porro, fatentibus omnibus Magistris, qui hucusque suffragium tulerunt, hæc Propositio, *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare*; pravum sensum, erroneum, verbo Dei contrarium, olim à Sacra Facultate damnatum, involvit, quatenus Episcopos excludit & Concilia: Itaque absolutè, sine expositione, vel distinctione duplicis sensus, censu-

A tâ configi potest ac damnari: etsi fortè rectum etiam sensum pati possit. Majorem Propositionem exemplis evidentissimis firmissimisque Monumentis ex venerandæ Traditionis & Antiquitatis Ecclesiasticæ thesauro depromptis, & ex Ecclesiæ consuetudine, *Quæ semper est in omnibus æmulanda*, ut *S. Thomas* docet,[a] facilè me demonstraturum confido; si eadem humanitate ac benevolentia alteram hanc Orationis meæ Partem audiatis, quâ priorem audire dignati estis.

[a] Secunda Secundæ, Quæst. 1. Art. 10.

SECUNDA PARS.

B

XXXII. PRodeat primùm vir Apostolicorum pene temporum *S. Irenæus*, Lugdunensis Episcopus, qui egregiis libris adversùs Hæreses, omnia quæ hucusque in Catholicam Religionem ex inferis eruperant monstra, secundo seculo debellavit. Ejus temporibus *Florinus* Ecclesiæ Romanæ Presbyter ad *Valentini* Sectam defecit cum *Blasto* Compresbytero. Ad ejus verò hæresim novum addidit errorem, Deum auctorem esse malorum asserens. Totius Ecclesiæ consensu nova hæresis protinus damnata est, ut ex S. Irenæo, Eusebio, C Theodoreto, S. Augustino, & aliis, qui de Hæresibus scripserunt, discimus. Illam expugnavit *Irenæus* Epistola *De Monarchia*, sive; *Quod Deus non sit fabricator malorum*; & alterâ inscriptâ, *De Octonario*, quarum meminit Eusebius lib. quinto Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. vigesimo Valesianæ Versionis. Recto tamen sensu intelligi poterat *Florini* Propositio. Deus enim malorum pœnæ auctor est; non malorum culpæ, de quibus ille intelligebat. Cur ergo Sanctissimi Præsules qui tunc Ecclesiam regebant, *Florini* Propositionem absolutè, & absque distinctione duplicis sensus damnarunt? Nemo erat, qui ipsos moneret id maxi- D mi esse ad rem Christianam momenti, ne fortè damnata ab ipsis Propositio diceretur ex ore Dei profecta, & in Scripturis Sacris exarata? *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* Et: *Si erit enim malum in civitate quod Dominus non fecerit.*

Quævit Propositio pravû sensum involvens, quamvis & in rectum sensum flecti possit, absolutè, sine expositione vel distinctione duplicis sensus damnari potest.

Id ex perpetuâ traditione & Disciplina Ecclesiæ demonstratur.

Theodoret. l. 1 Hæret. Fab. c. 23. S. August. lib. de Hæresib.

Florini Propositio absolutè damnata.

Isaiæ 45.

Amos. 3.

XXXIII. Prodeant tertio seculo Antiocheni Concilii anno ducentesimo septuagesimo celebrati septuaginta Patres, qui propositionem illam Pauli Samosateni: *Christus est ὁμοούσιος Patri*: absolutè, & absque expositione sive distinctione duplicis sensus damnarunt. Nec tamen ignorabant Christum E secundùm naturam divinam esse consubstantialem Patri. Cur ergo non exposuerunt Propositionem? Cur duplicem sensum non distinxere, pravum & hæreticum, quo *Paulus Samosatenus* vocem *ὁμοούσιος* usurpabat, scilicet prout sectionem & partitionem substantiæ significat, quæ in uno sit prius quàm in altero, quo sensu in rebus corporeis usurpatur: Catholicum alterum, quatenus unam in Patre & Filio indivisam substantiam exprimit? Nullus erat qui ipsis inclamaret: Si Propositionem *Pauli Samosateni* absolutè & absque distinctione F damnatis, fundamentum fidei evertitis; Confessionem *S. Petri*, super quam fundata est Ecclesia: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; subruitis: Christi verbis, *Ego & Pater unum sumus*; repugnatis. Hæc frustra quis ipsis suggessisset. Persuasum nempe ipsis erat, Propositionem aliquo sensu hæreticam seu erroneam, absolutè, simpliciter, & absque distinctione damnari posse, quamvis aliàs in sensum Catholicum flecti possit.

Propositio Pauli Samosateni, absolutè damnata.

S. Athanasius lib. de Synodis.

Antiochena Synodus.

XXXIV. Prodeant quarto Seculo trecenti decem & octo Nicæni Concilii Patres, qui vocem *ὁμοούσιον*, quamvis ab Antiochena Synodo proscriptam consecrarunt; Filium Dei consubstantialem esse

Anno 325.

Arianorum Propositio à Nicæna Synodo absolutè damnata.

a

esse Patri ceu Fidei dogma tradiderunt; negantes Arianos Anathemate confixerunt; vocem illam velut fidei tesseram Symbolo inseruerunt. Propositioni Arianorum aliquis sensus verus & Catholicus affingi poterat, ut Filius Patri ὁμοούσιος eo sensu negaretur, quo *Paulus Samosatenus* asseruerat, quem Antiochena Synodus contra ipsum congregata rejecerat. Propositionem tamen Arianorum absolutè damnarunt; duplicem non distinxere sensum. Vocem quidem ὁμοούσιος exposuere, ut testatur *Eusebius* in Epistola ad Cæsarienses suos ex Concilio data, sed in Collationibus & Tractatibus, non in Symbolo, non in Anathematismis, id ab ipsis præstitum. Quin plures ex Antiquis Propositiones Arianorum Propositionibus in speciem simillimas asseruissent, antequam *Arius* velut dæmonium meridianum oriretur, nulli dubitabant. Quin Ignatius, Irenæus, Justinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, cum quibus se sentire etiamnum Sociniani gloriantur, Propositiones illas Arianæ hæresi verbis tenus faventes Catholico sensu propugnassent, non ambigebant. Cur ergo exponendas Arianorum Propositiones, duplicémque sensum distinguendum non duxerunt? O infœlicia tempora! quibus nullus fuit Sapientissimo Magistro nostro similis, qui fortiter inclamaret: Si absque expositione Arianas Propositiones damnatis, Ignatium, Irenæum, Justinum, Clementem & Dionysium Alexandrinum, Origenem, Cyprianum, Lactantium pariter damnatis. Sed fallor: frustra quis id ipsis suggessisset, cùm ex Traditione certissimum haberent, Propositionem hæreticam vel erroneam, absolutè & absque expositione damnandam, quamvis & in Catholicum sensum flecti possit.

Colluthi Hæretici propositio absolutè damnata.

XXXV. Eadem tempestate, *Colluthus* Presbyter Alexandrinus, qui Episcopalia munia usurpavit, Presbyterósque nonnullos ordinare ausus est, & inter alios *Ischyram*, famosum illum *S. Athanasii* calumniatorem *Ischyram*; hæresim condidit, cujus error præcipuus fuit, Deum non esse malorum auctorem, ut S. Epiphanius, Philastrius, & S. Augustinus referunt. Synodus Alexandrina, cui Magnus *Osius* præfuit, hæresim damnavit, *Colluthum* in ordinem redegit; *S. Athanasio* teste, Apologia secunda. Propositio tamen *Colluthi* rectum & Catholicum sensum pati poterat, contradictorium scilicet illius, quem olim in *Florino* Ecclesia damnaverat. Cur ergo simpliciter & absque expositione damnata est? Facilè distingui poterat duplex sensus, dicendo: Propositio de malis naturæ & pœnæ intellecta, falsa est & hæretica: de malis verò culpæ, vera est & Catholica. Nulla tamen adhibita distinctio fuit. Intelligebant nimirum illius seculi Episcopi & Doctores, Propositionem cui sensus hæreticus vel erroneus subest, absolutè damnandam, quamvis Catholico etiam sensui obnoxia sit.

Pelagianorum, Semipelagianorum, & Prædestinatianorum propositiones absolutè damnatæ.

XXXVI. Seculo quinto, Pelagiana, Semipelagiana, Prædestinatiana hæreses Ecclesiam afflixerunt. Pelagianorum Propositiones contra peccati originalis in omnes Adami posteros transfusionem conceptis pene verbis apud S. Joannem Chrysostomum, Theodoretum, & quosdam alios Patres haberi videbantur. Semipelagianorum Propositiones S. Irenæi, Clementis Alexandrini, Chrysostomi, aliorúmque Græcorum Patrum auctoritate nit. Id non fugiebat Africanos & Gallicanos Patres, & *S. Augustinum* in primis Africanarum Synodorum ingenium. Ipsis persuasum erat hujusmodi Propositiones Catholico sensu à Patribus assertas, & *nondum litigantibus* Pelagianis *securiùs locutos*, ut Augustinus ipse *Juliano* respondet. An propterea Propositiones Pelagianas & Semipelagianas in Synodis Africanis & Arausicana secunda exposuerunt? An sensus duplicis distinctionem adhibendam censuerunt? Patrum quidem testimonia ab Hæreticis objecta in libris suis & Tractatibus exposuerunt, ipsis minimè favere demonstrarunt: cæterùm Propositiones Pelagianas & Semipelagianas absolutè confixerunt, nulli in Synodorum Definitionibus, Decretis, & Canonibus, duplicis sensus usurpatâ distinctione, quam non esse necessariam planè intelligebant.

XXXVII. Prædestinatianorum Propositiones à *Lucido* Presbytero propugnatas, à Gallicanis Episcopis in Conciliis Arelatensi tertio & Lugdunensi damnatas, maximum in *S. Augustini* Scriptis præsidium habere, si verba ipsa per se spectentur, certissimum erat. Conveniebant enimvero cum calumniis quas Massilienses in *S. Augustini* doctrinam sparserant, & quas *S. Prosper* in libris contra Collatorem, in Responsionibus ad Objecta Gallorum, & ad Objectiones Vincentianas, invictissimè refellit, ostendens *Non talem sensum verbis Catholici inesse Doctoris, qualem, qui eum frustra calumniantur, ostentant*. An propterea Gallicani Præsules à Prædestinatianorum Propositionibus simpliciter damnandis temperarunt? An expositione, & distinctione duplicis sensus usi sunt, ne *S. Augustinum* unà damnasse viderentur? Nequaquam. Nondum enim orta erat Theologia illa recens, uno ex Sapientissimis Magistris nostris, Viro quidem Erudito auctore, quæ Propositionem uno sensu falsam, erroneam, verbo Dei contrariam, vel etiam hæreticam, absolutè & simpliciter damnandam non esse propugnat, sed adhibitâ duplicis sensus distinctione, si in sensum Catholicum benignâ interpretatione flecti possit.

Assertio Concilii Chalcedon.

Eutychetis propositio absolutè damnata.

XXXVIII. Eutychianorum assertio: *Una est Verbi Incarnati natura*, recto sensu intelligi posse videbatur, sicut intellexerat *S. Cyrillus*, cujus in Epistolis ad *Successum* & ad *Acacium Melitenum* hæc Propositio conceptis verbis legitur: *Una natura Verbi Dei incarnata*. Hac abutebantur Hæretici. *Cyrillum* damnari clamabat *Eutyches*, si doctrina sua damnaretur. *Ego* (inquiebat) *legi Scripta Beati Cyrilli & Sanctorum Patrum, & S. Athanasii, quoniam ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunationem, post adunationem verò & Incarnationem, jam non dixerunt duas naturas, sed unam*. An propterea Synodus Chalcedonensis *Eutychetis* Propositionem simpliciter non damnavit? An exponendam censuit? An metuit ne *S. Cyrilli* doctrina pariter damnata diceretur nisi distingueretur duplex sensus? Exposita quidem est à Patribus & vindicata *S. Cyrilli* Propositio, a Gelasio lib. contra Eutychetem, à S. Maximo Martyre in Tractatu de vocibus quibus utitur Catholica Ecclesia cùm de Christo agitur, ab Eulogio Alexandrino apud Photium in Bibliotheca Codice ccxxx. ab Ephræmio Patriarcha Antiocheno apud eumdem Codice ccxxix. à Joanne Maxentio in lib. contra Acephalos à Petro Diacono lib. de Incarnatione Cap. 11. Sed nulla in Synodi Chalcedonensis Definitione adhibita expositio. Simpliciter & absolutè damnati, qui duas naturas ante unitionem fabulantur, unam verò post unitionem confingunt. Unius ejusdémque Filii ac Domini in duabus naturis inconfusè, incommutabiliter, indivisè, inseparabiliter, asserta subsistentia est. Distinctionem duplicis sensus nemo necessariam inclamavit, ut *SS. Cyrilli & Athanasii* doctrina salva esset.

XXXIX. Sexto seculo, hæc Scytharum Monachorum Propositio: *Unus de Trinitate crucifixus est carne*: ingentes in Ecclesia turbas excitavit. Hanc magna animorum contentione cùm *Leontius* Anno 518.

&

> Monachorum Scytharum propositionem absolute rejecit Hormisdas.

& *Joannes Maxentius* propugnarent, ejúsque approbationem à Sede Apostolica urgerent, illam rejecit *Horſmidas*, non quidem ut hæreticam, sed novitatis nomine & ratione periculi ab illa imminentis. Et revera gravissimum ab illa Propositione periculum timendum erat: 1. Quia *Petro Cnaphaeo* favere videbatur. 2. Quia Eutychiani in Concilio Chalcedonensi illam ad sui præsidium erroris usurpaverant. 3. Quia Anastasius Augustus Acephalorum fautor illam propugnaverat. 4. Quia Chalcedonenses Patres illam non censuerant explicandæ Fidei necessariam: ut habet Relatio *Dioscori* Sedis Apostolicæ Legati ad *Hormisdam* Pontificem Maximum. Et cur ita se gessit Hormisdas? Cur Propositionem non exposuit, quæ secundùm sensum proprium & naturalem Catholica est, quæ Sacrarum Scripturarum oraculis nititur, quam uterque Gregorius, Nazianzenus & Nyssenus, quam S. Augustinus, quam Proclus Constantinopolitanus, usurpaverant, & ille quidem in Tomo ad Armenos à Synodo Chalcedonensi laudato: Quam hac ipsa contentione fervente, S. Fulgentius & alii Patres Africani in Sardinia exules approbarunt: Quam postea Quinta Synodus Oecumenica Canone x. & Synodus Lateranensis sub Martino I. Canone 11. fide credendam, vibrato in contradicentes Anathemate definiverunt? Non exposuit tamen Pontifex Maximus, sed rejecit, Monachos velut Novatores perstrinxit, ut ex ipsius ad *Possessorem* Africanum Episcopum Literis compertum est. Ipsi nimirum satis erat ad illam improbandam & explodendam, quòd periculosa esset, pravóque sensui obnoxia. Postea verò cùm Acoemetæ Monachi contrarium Propositionem ardore non dispari, nec minori pertinaciâ tuerentur, *Unum scilicet de Trinitate non esse crucifixum carne*, Joannes Secundus Propositionem illam vindicavit, Acoemetas velut Nestoriana hæresi afflatos damnavit. Cur Propositionem non exposuit aliquo sensu veram & Catholicam, quatenus scilicet errorem *Petri Fullonis* excludebat; & quæ ab *Hormisda* præjudicata videbatur? Cur duplicem sensum non distinxit? Una hæc ipsum ratio movit, quòd Acoemetarum Propositio pravum sensum præ se ferret, licèt in rectum sensum & Catholicum aliqua expositione flecti posset. Quamobrem illam simpliciter & absolutè damnavit anno quingentesimo trigesimo sexto in Epistola ad *Avienum & Liberium* Senatores.

> Joannes II. Acoemetarũ Monachorũ propositionem sine duplicis sensus distinctione damnavit.

XL. Eodem seculo Trium Capitulorum controversia studiis ferventissimis ac pertinacissimis agitata est. Illa non Hæretici tantùm, sed Catholici plerique defendebant, Episcopi doctissimi, Ecclesiæ integræ, Summus ipse Pontifex *Vigilius*. Recto & Catholico sensu explicari posse *Ibæ, Theodoreti*, & ipsius *Theodori Mopſuesteni* dicta contendebant; æquè exponi ac benigna interpretatione molliri posse & debere horum Auctorum dicta paulò duriora, ac antiquorum Patrum, Dionysii Alexandrini, quem Athanasius; Gregorii Thaumaturgi, quem Basilius; Antiocheni ac Sirmiensis Concilii, quæ Hilarius defendit; Patres plerósque similia dixisse iis quæ in *Theodori* Scriptis reprehendebantur; Eustathium scilicet Antiochenum, S. Athanasium, Amphilochium Iconiensem, Gregorium Nyssenum, Joannem Chrysostomum, Cyrillum ipsum Alexandrinum, cujus decem loca Theodori dictis gemina profert *Facundus*. Non ergo simpliciter damnari, sed benignè exponi horum Auctorum dicta oporteee; præsertim cùm in Ecclesiæ Communione defuncti essent. *Non enim ex levi sono verborum* (inquiebat Facundus Hermianensis) *sed ex intentione dicentis æstimanda sunt quæ dicuntur. Dicentis autem intentio, cùm jam persona defuncta est, ex communione religiosius æstimatur*. Schismatis periculum erat, si trium illorum Auctorum Scripta & Assertiones simpliciter & absolutè damnarentur, tota pene Occidentali Ecclesia illorum defensionem suscipiente. Tria tamen Capitula absolutè, simpliciter, nullâ distinctione adhibitâ duplicis sensus, Quinta Synodus Oecumenica anno Christi quingentesimo quinquagesimo tertio damnavit, lato in eorum defensores Anathemate. Synodi Judicium *Vigilius* postea confirmavit. Schismatis metum quo primum affectus fuerat, non fefellit eventus. In Illyria maximè exarsit. Operam omnem adhibuere Summi Pontifices *Pelagius I. Pelagius II. S. Gregorius Magnus* ut Schismaticos ad Catholicam unitatem revocarent. Nunquid viam expositionis Trium Capitulorum tentarunt? Atqui hæc omnium facillima fuisset ad Schismatis extinguendum incendium, si duplicem sensum in illorum Auctorum Scriptis distinxissent; Hæreticum, in quem illa detorquebant Nestoriani; Catholicum, qui Præsulum illorum fuerat: si priorem damnatum, secundum salvum & intègrum declarassent; hi motus animorum, atque hæc certamina facilè quievissent. Cur ergo Theodori Mopsuesteni, Ibæ, Theodoreti Scripta non exposuerunt, sed absolutam ac simplicem ipsorum damnationem, à Quinta Synodo factam approbarunt & confirmarunt? Hæc nimirum erat Ecclesiæ Traditio & Disciplina, ut Propositiones pravum sensum præ se ferentes absolutè ac simpliciter damnarentur, quamvis in sensum Catholicum benignâ interpretatione flecti possent.

> Tria Capitula absolutè damnata.

> Facundus Hermianensis, lib. xi. & x.

> Lib. n. Cap. v.

XLI. Monothelitarum hæresim septimo seculo damnavit Ecclesia in Synodo sexta Oecumenica, anno sexcentesimo octogesimo. Damnatus cum Monothelitis *Honorius*. Honorio Hæretico inclamatum Anathema, lectis ejus ad *Sergium* Epistolis. At Hæreticum non fuisse *Honorium* propugnamus, Epistolas ipsius Catholicum sensum habere contendimus; tam piè quàm verè illas exponimus, Duces secuti *S. Maximum* Abbatem & Martyrem, *Joannem Quartum* Pontificem Maximum, *Anastasium Bibliothecarium*. Cur ergo Sexta Synodus *Honorium* absolutè ac simpliciter damnavit? Ipsámne fugiebat ejus Epistolas in sensum Catholicum flecti posse? Itane rudes erant & imperiti *Agathonis* Legati ut id suggerere Patribus non possent, maximè cum *Agatho* in Dogmaticis ad Synodum Literis Romanam Ecclesiam *à tramite Apostolicæ Traditionis nunquam errasse, nec hæreticis novitatibus depravatam succubuisse; & Apostolicos Pontifices Prædecessores suos semper fratres in fide confirmasse*, scripsisset? Cur (inquam) duplicem sensum in Epistolis *Honorii* Synodus non distinxit, unum peregrinum, qui hæreticus; alterum proprium, qui rectus & Catholicus? Satis erat scilicet quòd pravo sensui obnoxiæ essent, ut simpliciter damnarentur, quamvis Catholico etiam sensu possent exponi.

> Sexta Synodus duplicem sensum in Epistolis Honorii non distinxit.

XLII. Octavo seculo, Septima Synodus Oecumenica Iconomachos damnavit anno septingentesimo octogesimo septimo: *Honorariam adorationem* Sacris Imaginibus tribuendam sanxit: *His qui non salutant Sanctas ac venerabiles Imagines Anathema* * inflixit. Multi tamen Catholici cultum illum religiosum, & honorariam adorationem Imaginibus impendi nolebant, licèt ab Iconomachorum errore penitus alieni, ipsas ad imperitorum mentes duntaxat edocendas, & animos in Christi & Sanctorum amorem & imitationem excitandos in Ecclesiis collocari ac servari vellent ac juberent. Hanc Gallicanorum Præsulum fuisse mentem Francofordiensis sub Carolo Magno, & Parisiensis sub Ludovico Pio Synodi, libri Carolini, Agobardus, Jonas Aurelianensis, Walafridus Strabo, Dungalus

> Iconomachorum propositionem à Synodo septima simpliciter & absolutè damnata.

> * Action. 7.

Dungalus (ut noſtis) non obſcurè probant. *S. Gregorii Magni* auctoritate verbiſque nitebamur ad *Serenum* Maſſilienſem Epiſcopum * ſcribentis: *Frangi verò non debuis, quod non ad adorandum in Eccleſiis, ſed ad inſtruendas tantummodo mentes neſcientium fuis collocatum.* Quidni ergo aliquis doctrinâ, religione, ac prudentiâ, Sapientiſſimo expoſitionis Promotori non impat, Nicænæ Synodi ſecundæ Patribus ſuggeſſit? Si Anathema his qui non ſalutant Imagines dicitis, Anathemate *Gregorium Magnum* & omnes qui ipſum ſequuntur, configitis. Ille Imagines *tantummodo* ad memoriam in Eccleſiis collocari docuit: vos ad *honorariam adorationem* ſervandas definitis. Parcite, Patres, Doctori & Pontifici Sanctiſſimo parcite. Ab Anathemate ſimpliciter & abſolutè infligendo his qui non ſalutant Imagines, temperate: diſtinguite duplicem ſenſum; Iconomachorum, qui honorariam adorationem ita Sacris Imaginibus negant, ut eis Idolorum nomen impiè tribuant, illáſque Idolorum inſtar diruant & confringant; hi tantùm Anathemate feriantur: alterum Catholicum, quo adoratio & ſalutatio hujuſmodi negatur Imaginibus ratione periculi, ne rudiores populi ad idololatriam vel ſuperſtitionem pertrahantur: Qui Gregorii Magni, & eorum, qui ipſius doctrinam conſtanter ſequuntur, ſenſus eſt: hos ab Anathemate immunes præſtate. Hæc non moverunt Septimæ Synodi Patres. Illas Iconomachorum Propoſitiones: Imaginibus Chriſti & Sanctorum honoraria adoratio non eſt tribuenda: Imagines non ſunt ſalutandæ: abſolutè & ſimpliciter damnarunt. Noverant ſcilicet Propoſitiones quibus ſubeſt pravus, erroneus, vel hæreticus ſenſus, abſolutè ac ſimpliciter damnationem ſubire ex Eccleſiæ diſciplina & uſu debere; quamvis aliàs à Catholicis recto & Catholico ſenſu aſſertæ ſint, aut etiamnum aſſerantur.

Epiſt. nona lib. 9.

Gotteſchalci Propoſitiones ſine diſtinctione duplicis ſenſus damnatæ.

XLIII. *Gotteſchalcum*, Orbacenſis Cœnobii in Sueſſionenſi Diœceſi Monachum, nono ſeculo ob plurima errorum capita damnatum noſtis à *Rabano* in Synodo Moguntina anno octingenteſimo quadrageſimo-octavo, à Cariſiaca anno octingenteſimo quadrageſimo nono, cui aderant *Wenilo* Senonenſis & *Hincmarus* Remenſis, Archiepiſcopi, Epiſcopi plures, viri doctiſſimi *Æneas* Sacri Palatii Notarius, poſtea Pariſienſis Epiſcopus; *Iſaac* Diaconus *Parduli* Laudunenſium Epiſcopi, poſtea Liogonenſis Antiſtes, *Ratbertus* Corbeienſis Abbas, & alii: in altera Synodo Cariſiaca anno octingenteſimo quinquageſimo tertio, ut Annales Bertiniani teſtantur: Qua in Synodo quatuor illa celeberrima Capitula contra *Gotteſchalci* errores edita ſunt. Monachi iſtius inquieti Propoſitiones duplici ſenſu accipi poſſe, & re vera fuiſſe intellectas certum eſt. Catholico ſenſu à *SS. Auguſtino, Proſpero, & Fulgentio* ſunt aſſertæ ac propugnatæ; à Viris Sanctiſſimis & Doctiſſimis, hac ipſa tempeſtate, egregiis Operibus luculenter vindicatæ, à *S. Prudentio* Trecenſi Epiſcopo, *Ratramno* Corbeienſi Monacho, *Lupo* Ferrarienſi Abbate, *Floro Magiſtro* Lugdunenſis Eccleſiæ Diacono, *S. Remigio* Archiepiſcopo Lugdunenſi, & celeberrima Eccleſia, cujus Sacris præerat. *Et non hunc miſerabilem Monachum*, ſed *S. Auguſtini* doctrinam cum ipſo damnari querebantur: *Cujus* (inquiebant) *veridicum ſenſum non oportuit ſub perſona alicujus hominis à Catholicis Dei Sacerdotibus condemnari: ne jam non iſte qui errare putatur, ſed Ille potius cujus auctoritatem ſequitur, hæreticus eſſe judicetur.* Catholicum illarum Propoſitionum ſenſum vindicavit & Valentina Synodus Tertia anno octingenteſimo quinquageſimo-quinto ab Epiſcopis trium Provinciarum celebrata, Lugdunenſis, Viennenſis,

Eccleſia Lugdun. lib. de tribus Epiſtolis, cap. 25.

A Arelatenſis. Capitula quatuor Concilii Cariſiaci, *propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati*, damnavit. Non ignorabant Moguntini & Cariſiacenſis Concilii Præſules Propoſitiones *Gotteſchalci* in Catholicum ſenſum flecti poſſe: non fugiebat Valentinæ Synodi Patres Capitula Cariſiaca Catholico ſenſu poſſe intelligi: nec enim ſenſum illum Catholicum ſuis Canonibus læſerunt, quin potius confirmarunt. Cur ergo Synodi Moguntina & Cariſiacæ *Gotteſchalci* Aſſertiones; cur Synodus Valentina Capitula quatuor Cariſiacenſia, ſimpliciter & abſolutè damnarunt? Cur non expoſuerunt? Cur duplicem ſenſum non diſtinxerunt? Hac enim ratione importunæ illæ contentiones facilè ſedatæ fuiſſent. Nullus erat vir B ſagax, prudens, & induſtrius, qui hanc ipſis concordiæ viam aperiret? Ubi eras, expoſitionis Promotor Sapientiſſime? Quàm opportunè clamaſſes; Si damnatis Propoſitiones Gotteſchalci; damnatis Auguſtinum, Proſperum, Fulgentium, magna illa & ſancta nomina. Fallor, nihil clamoribus tuis apud Eruditos illos Viros promoviſſes, quibus perſuaſum erat, Propoſitiones quibus ſubeſt pravus ſenſus, etſi aliunde vero & Catholico ſenſu explicari poſſint, ex Eccleſiæ Traditione, diſciplina, C & uſu abſolutè & ſimpliciter damnandas, non exponendas non diſtinctione duplicis ſenſus molliendas.

Canone 5.

Berengarii Propoſitiones abſolutè & ſimpliciter damnatæ.

XLIV. Quid *Berengarium* Sacramentariorum parentem commemorem, cujus hæreſis undecimo ſeculo in frequentibus Synodis damnata eſt? Euchariſtiam non eſſe verè ſubſtantialitérque Corpus & Sanguinem Domini, ſed figuram Sacratiſſimi Corporis & Sanguinis, pertinaciſſimè propugnabat. Hanc Aſſertionem SS. Patrum teſtimoniis tuebatur; *S. Auguſtinum* imprimis ſibi favere jactitans. Celebrem locum è III. Libro de Doctrina Chriſtiana Cap. decimo ſexto in ſui præſidium erroris arceſ- D ſebat: *Figura eſt, præcipiens Paſſioni Domini communicandum*, &c. Alterum ex Cap. duodecimo Libri contra Adimantum: *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc eſt Corpus meum, cùm ſignum daret corporis ſui.* Sacramenti definitionem urgebat, quod ſecundùm S. Auguſtinum, *Sacrum Signum eſt*. Adversùs Eccleſiæ Fidem ex Eccleſiæ Oratione arguebat, qua precatur *ut quod ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus.* Sexcenta Patrum loca proferre poterat, qui Euchariſtiam ſignum, figuram, imaginem, Sacramentum, typum, antitypa, memoriam appellarunt; quæ magno ſtudio congeſſit *Al-* E *bertinus* Calvinianus Miniſter. Catholico proculdubio ſenſu Patres Euchariſtiam figuram Corporis & Sanguinis Chriſti dixerunt. Hæc itaque Propoſitio *Berengarii*: Euchariſtia Corporis & Sanguinis Chriſti figura eſt, Catholico ſenſu intelligi poterat & exponi. Unde *Guitmundus* lib. II. de Veritate Euchariſtiæ: *Euchariſtiam* (inquit) *non veremur dicere figuram & Sacramentum.* In Conciliis tamen adversùs *Berengarium* celebratis Romæ, Vercellis, Pariſiis, ejus Propoſitio ſimpliciter & abſolutè damnata eſt. Non formidarunt Leo Nonus, Victor Secundus, Nicolaus Secundus, Gregorius F Septimus Pontifices Maximi, ne ipſis exprobraretur locutionum à Patribus uſurpatarum damnatio, niſi duplicem ſenſum in *Berengarii* Propoſitione diſtinguerent; Catholicum, quo Euchariſtia figura & ſignum appellatur cum veritate & ſubſtantiali præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti conjunctum; ſignum, figura, Sacramentum, Corporis & Sanguinis Chriſti præſentium, ſed ſub ſpeciebus panis & vini latentium; vel figura Paſſionis Chriſti, & Sacrificii in ara Crucis oblati: Hæreticum, qua figura inanis, vacua, & cum excluſione veritatis intelligitur ac ſignificatur, qui ſenſus erat *Be-rengarii*.

rengarii. Propositionem scilicet quæ sensum erroneum vel hæreticum præ se fert, simpliciter esse damnandam, non exponendam, ex Ecclesiæ usu erant edocti.

Gilberti Porretani propositio absque distinctione duplicis sensus damnata.

XLV. Quid *Gilbertum Porretanum* referam, qui duodecimo seculo Divinitatem, Deique proprietates, cùm absolutas, tum relativas, Deum non esse asserebat; sed Divinitatem quâ Deus, bonitatem quâ bonus, paternitatem quâ Pater est? Error damnatus est in Concilio Remensi anno millesimo centesimo quadragesimo septimo. Nulla adhibita distinctio. Catholicum tamen sensum in hac Propositione se invenisse Scotica Subtilitas gloriatur. Attributa seu absoluta seu relativa Deum non esse formaliter, etsi realiter & identicè sint Deus. A *Gilberti Porretani* opinione *vel nihil vel parum discrepare* sententiam *Scoti*, scripsit *Petavius* Vir Doctissimus. Poterat ergo *Gilberti* Propositio Catholico sensu exponi. Ipsam nihilominus absolutè & simpliciter damnarunt *Eugenius III*. & Remensis Concilii Patres. Ex quorum gestis rursus colligimus, Propositionem omnem quæ pravo sensui obnoxia est, simpliciter & absolutè damnandam ex Ecclesiæ usu & disciplina, non verò necessariò exponendam; etsi in rectum etiam sensum trahi possit.

Tom. 1. Theologic. Dogm. l. 1. c. 8. n. 8.

Propositionem cui subest pravus sensus, absolutè damnari posse, S. Thomas confirmat.

XLVI. Seculo decimo-tertio, idem docuit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione undecima, Articulo secundo, in Responsione ad secundam Objectionem. *Si sit* (inquit) *inordinata locutio circa ea quæ sunt fidei, sequi potest ex hoc corruptio fidei. Unde Leo Papa in quadam Epistola ad Proterium Episcopum Alexandrinum dicit, Quòd inimici Crucis Christi omnibus factis & verbis nostris insidiantur: ut si ullam illis vel tenuem occasionem demus, nos Nestoriano sensui etiam congruere mentiantur.* Porro ex Propositione cui subest pravus & hæreticus sensus, corruptio fidei sequi potest: licèt vero etiam & Catholico sensu intelligi possit. Quidni igitur absolutè & simpliciter damnetur? An venenum parvulis filiis prudens & pia Mater expositum relinquet, quia certo modo à Medicis temperatum innoxium esse potest? Nec igitur Ecclesia vel Academia Catholica Propositionem hæreseos vel erroris periculosi veneno infectam indemnatam dimittet, quia benigna interpretatione molliri, & Catholico sensu exponi potest.

Doctor idem Angelicus Quodlibeto quinto, Quæstione duodecima Articulo primo hanc doctrinam disertè confirmat. *Si Doctor* (inquit) *doceat falsam doctrinam, tenetur eam modis omnibus revocare, & maximè si ex ea spirituale damnum sequatur. Si verò doceat veram doctrinam, potest ex ea sequi detrimentum spirituale in auditoribus dupliciter: uno modo ex defectu ipsius qui docet; sive quia doctrinam subtilem & altam proponeret rudibus; qui non essent illius doctrinæ capaces, & ex hoc detrimentum salutis incurrerent: sive quia confusè & inordinatè proponit. Et in his casibus tenetur Doctor ex cujus doctrina damnum spirituale accidit, contra hoc damnum remedium apponere quantùm potest, exponendo saltem doctrinam suam.* Expositio in doctrina falsa locum non habet, secundùm doctrinam *S. Thomæ*: absolutè enim revocanda est: sed in doctrinâ verâ, captui tamen auditorum non accommodatâ, aut obscurè, nec ordine convenienti propositâ, ex quâ propterea spirituale damnum sequi potest. Porro si Propositio falsa debet absolutè revocari, debet etiam absolutè & simpliciter damnari.

Petri Joannis Olivi Propositiones absolutè & simpliciter damnatæ.

XLVII. Decimo quarto seculo, *Petrus Joannis Olivi* Ordinis FF. Minorum Professor, inter suos primùm eruditionis & severioris disciplinæ famâ conspicuus, tum hæreseos aspersus infamiâ, Propositiones erroneas sexaginta in Postilla sive Commentario in Apocalypsim asseruit. Liber ad *Joannem Vigesimum secundum* delatus est. Pontifex negotium *Nicolao* Cardinali Episcopo Ostiensi commisit. Ille Propositiones excerpsit è Libro, & Theologos omnium Ordinum doctissimos ad earum examen & censuram adhibuit. Qui cùm ipsas diligenter cum Libro Auctoris contulissent, & cum antecedentibus & consequentibus comparassent, fideliter & accuratè excerptas invenerunt, & summo consensu Censuram in ipsas tulerunt: maximam partem hæreticas, pleraque ridiculis & fatuis divinationibus scatentes, & temerarias pronuntiarunt, sigillisque suis munitam Sententiam ad Summum Pontificem miserunt. Quam ex Archivo Archiepiscopi Narbonensis edidit *Stephanus Baluzius* Vir Clarissimus Tomo 1. Miscellaneorum. Doctrinam perversam, Auctorémque damnavit *Joannes Vigesimus secundus*, ossáque ipsius exhumari jussit & concremari, ut refert *Franciscus Pegna* ex tribus probatæ fidei Manuscriptis, in Commentario Directorii Inquisitorum, ad Caput quinquagesimum primum secundæ partis. Rectum tamen & Catholicum sensum pati poterant Propositiones illæ, si *Wandingum* in Minorum Annalibus audiamus, qui memoriæ prodidit *Sixtum Quartum* Scripta *Joannis Olivi* diligenter examinari jussisse, ac declarasse nihil in eis contineri quod Fidem Catholicam expressè læderet, ac in bonum sensum trahi non posset. Cur ergo Cardinalis Ostiensis, & selecti ab ipso ex omnibus Ordinibus Theologi gravissimi, inter quos erant *Bertrandus de Turre* Ordinis Minorum, postea S. R. E. Cardinalis, *Arnaldus Roiardi* ejusdem Ordinis Professor: *Petrus de Palude*, & alii doctrina spectatissimi, ipsas non exposuerunt, sed simpliciter damnarunt? Cur duplicem sensum non distinxit *Joannes Vigesimus-secundus*? Illis nimirum certum erat, ad censuram & damnationem absolutam Propositionum satis esse, quòd pravo sensui per se obnoxiæ sint, quamvis in rectum & Catholicum sensum aliquid supplendo flecti possint.

Ecardi Propositiones absolutè & simpliciter damnatæ.

XLVIII. Eodem seculo *Ekardus* Ordinis nostri Prædicatorum Theologus, & Concionator celebris, sed ad sobrietatem minimè sapiens, varios errores Concionibus Scriptísque vulgavit. Quæstio in ipsum habita est primùm ab *Henrico* Archipræsule Coloniensi, deinde à *Joanne Vigesimo secundo*, qui viginti & octo Propositiones *Ekardi* ex Cardinalium & Doctorum sententia damnavit, quasdam ut *hæreticas*, alias ut de *hæresi suspectas*, nonnullas ut *temerarias & malè sonantes*. Diploma Damnationis refert *Odoricus Raynaldus* ad annum millesimum trecentesimum vigesimum-nonum, numero septuagesimo. *Ekardus* vir pius erat, à *Taulero* Vitæ Spiritualis insigni Magistro commendatus: illius humilitatem & obedientiam Summus Pontifex laudat, qui Sedis Apostolicæ Judicio se Scriptáque sua subjecerit, & Propositiones omnes, *Quæ possent generare in mentibus Fidelium sensum hæreticum vel erroneum ac veræ fidei inimicum, quantùm ad illum sensum revocavit.* Malum duntaxat sensum Propositionum suarum *Ekardus* revocat: bonum itaque sensum patiebantur. Quod & ipse Pontifex declarat: illas tamen non exponit distinctione duplicis sensus, sed absolutè damnat. *Invenimus primos quindecim memoratos Articulos, & duos etiam ultimos, tam ex suorum sono verborum, quàm ex suarum connexione sententiarum, errorem seu labem hæreticam continere: alios verò undecim malè sonare, & multùm esse temerarios, de hæresique suspectos*: LICET CUM MULTIS EXPOSITIONIBUS ET SUPPLETIONIBUS SENSUM CATHOLICUM FORMARE VALEANT,

VALEANT, VEL HABERE. *Ne Articuli hujusmodi seu contenta in eis, corda simplicium, apud quos prædicati fuerant, ultra inficere valeant: Nos, de dictorum Fratrum nostrorum consilio, præfatos quindecim primos Articulos, & duos alios ultimos, tanquam malè sonantes, temerarios ac suspectos de hæresi, ac nihilominus Libros quoslibet, seu Opuscula ejusdem Ekardi, præfatos Articulos, seu eorum aliquem continentes, damnamus & reprobamus expressè.* Cur verò illos damnas, Pontifex Prudentissime, cùm exponi possint, & sensum Catholicum reddere, si aliquid suppleatur? Nullus dubito quin ita roganti *Joannes Vigesimus-secundus* respondisset: Propositiones hæreticas vel erroneas absolutè damno, non expono: quia hæc est, fuitque semper Ecclesiæ disciplina, ut quæ pravum sensum præ se ferunt & continent, simpliciter & absque expositione vel duplicis sensus distinctione configantur & proscribantur, quamvis in rectum sensum flecti possint.

Petri de Alliaco sententia.

XLIX. Eodem cadente seculo, *Petrus de Alliaco* nomine Sacræ Facultatis coram *Clemente Septimo* in sua Obedientia Pontifice Maximo Avenione in Consistorio perorans, probandum sibi sumpsit quòd, *Quamvis aliqua Propositio vel Assertio possit habere aliquem sensum verum, tamen potest rationabiliter condemnari tanquam revocanda, propter alium sensum erroneum in ea vel in ejus probatione intellectum.* Idque quatuor argumentis confecit, à quibus referendis tempero, quia ab uno è Sapientissimis Magistris nostris, qui ante me dixere, sunt occupata.

Wicklefi Propositiones absolutè & simpliciter damnatæ.

L. Eodem seculo, anno MCCCLXXXII. *Willelmus Courtenayus* Cantuariensis Archiepiscopus, Angliæ Primas, plurimas *Wicklefi*, ac Sectatorum ipsius Propositiones in Synodo Londinensi damnavit. Duplicem illæ sensum patiebantur, Catholicum unum, Hæreticum alterum. *Robertus Ruge* Oxoniensis Academiæ Cancellarius, *Philippus Ripindon* Canonicus Leycestrensis, alii Wicklefiano veneno infecti, damnatas Propositiones docebant, propugnabant. Ab Archipræsule Vigilantissimo in Jus vocati, de damnatis Articulis dicere jubentur sententiam. Tergiversantur, cavillantur, distinctione duplicis sensus fucum facere nituntur. Quid Archipræsul Prudentissimus? Distinguitne duplicem sensum? An distinguentibus connivet? Nequaquam. Errori scilicet hujusmodi favere distinctionem, exploratum habet. Quamobrem ipsos compellit ad damnationem simplicem & absolutam Propositionum erronearum, absque distinctione duplicis sensus, si veri Ecclesiæ filii haberi velint. Testis est Anglicanæ Historiæ Scriptor *Walsinghamus*, in Richardo II. *Qui tandem* (inquit) *post multas tergiversationes*, IMPONENDO DUPLICEM SENSUM *in eisdem, & cavillationes diversas, coacti sunt, licèt inviti, simpliciter proferre sentire suum de præmissis, factâ prius Protestatione quòd vellent & intenderent esse humiles & fideles filii, & Ecclesiæ in omnibus obedire. Concesserunt igitur cunctas præmissas Conclusiones, intelligendo eas prout verba sonant, fore vel hæreticas, vel erroneas, juxta quod Dominus Archiepiscopus, & Magistrorum Cætus plena deliberatione definierant de iisdem.* Quibus quid ad præsens institutum magis appositum observari aut dici potest?

LI. Decimo-quinto seculo, *Gersonius* Doctor Christianissimus, & hujus Academiæ Cancellarius, idem docuit, & à Sacra Synodo Constantiensi in damnatione Articulorum *Joannis Wicklef* & *Joannis Hus* hanc Regulam ad praxim revocatam observavit: hujúsque usum in Parisiensi Universitate perpetuum & constantem, hanc ab erroribus immunem ac puram præstitisse. Sic loquitur in Sermone pro Viagio Regis Romanorum, Directione tertia: *Concilium Generale potest damnare Propositiones multas cum suis Auctoribus, licet habere glossas aliquas, vel expositiones, vel sensus logicales veros possint. Hoc practicatum est in hoc Concilio de multis & Wicklef & Joannis Hus, quorum aliqui poterant vel de vi Logica, vel Grammatica, defensionem aliquam recipere, ut in Articulis qui sunt indefinitè traditi, vel qui loquuntur de possibilitate, prout esse logicum est, non physicum: vel qui possent ad aliquem sensum verum trahi, si seorsum ponerentur. Sed Concilium hoc soleter attendit; primò, quia juxta Hilarium*, Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi. *Iterum illud Augustini*: « Liberis verbis utuntur Philosophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem « piarum aurium non pertimescunt. Nobis autem « (*scilicet Theologis*) ad certam regulam loqui fas « est... *Hæc directio vel lex præservavit hactenus præclaram Universitatem Parisiensem à pluribus erroribus, dum Scholasticos suos semper ad certam Fidei Regulam loqui jussit & compulit. Utinam in aliis Studiis hæc disciplina similiter teneatur! Mala libertas est, malè & erroneè loqui posse.*

Lib. v. de Civitate Dei.

Joannis Parvi Propositiones absolutè & simpliciter damnatæ.

LII. Parricidalis illa *Joannis Parvi* Propositio: *Quilibet Tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi a quoque suo vassallo aut subdito, & per quemcunque modum, maximè per insidias, non obstante quocunque Juramento aut confederatione facta apud eum, non expectando Sententiam, aut Mandatum Judicis cujuscunque.* Illa (inquam) Propositio ab Episcopo primùm Parisiensi *Girardo*, cùm *F. Joanne Poleti* Inquisitore Generali ex Ordine Prædicatorum, & Consilio Fidei solemniter Congregato, deinde ab Oecumenica Synodo Constantiensi Sessione XV. jure meritòque reprobata & condemnata est, *tanquam hæretica, scandalosa, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dans.* Erant tamen qui impiam illam & immanem Propositionem à Censura immunem esse vellent, Ducis Burgundiæ Partiarii, Attrebatensis Episcopus, & nonnulli Doctores. Quibus verò rationibus Censuram & Damnationem æquissimam truculenti Dogmatis impedire nitebantur, quam *Gersonius* Doctor Christianissimus zelo fidei promovebat? Iisdem planè, quibus inpræsentiarum plerique Propositionem ab Amplissimo Senatu examini nostro subjectam non esse simpliciter & absolutè damnandam, sed exponendam contendunt. Primò, quòd absoluta illius Propositionis damnatio pacem turbaret: secundò, quòd exponi posset. Nullam scilicet Propositionem damnandam esse asserebant, quæ ad bonum sensum trahi possit. Tinniunt aures ambæ Sapientissimis Expositionis Promotoribus, cùm id profero: Unde id habeam, nutibus rogant, de sinceritate hac in re mea penè dubitare videntur. Parcite, Viri Religiosissimi, parcite; *Girardi* Parisiensis Episcopi; & Inquisitoris Generalis Hæreticæ Pravitatis in Regno Franciæ Literas sive Schedulam ad Sacræ Facultatis Doctores scriptam, ut de *Parvi* Propositionibus sententiam dicerent, testes profero; quas legere est inter Opera *Gersonii* vestri, immò nostri (Huic enim ob procuratam restitutionem nostram in Facultatem, à qua ob *Montesoni* turbas exulabamus, ob singularem de Ordine nostro existimationem, in ejúsque Professores benevolentiam, ob honorificam ad *S. Vincentium Ferrerium* Virum Apostolicum Epistolam è Concilio Constantiensi datam, immortaliter devincti sumus) *Prætendunt aliqui Defensores doctrinæ hæreticalis novem Assertionum* (aiunt Episcopus & Inquisitor) *condemnationem earum, quam directè non possunt, per indirectum impedire. Turbaret, inquiunt, pacem sanctam, &*

divisiones induceret illa damnatio. . . . . Alio modo quærunt evasionem aliqui dicentes, Quòd illa Assertiones possunt exponi rationabiliter, addendo glossas aliquas, sicut exponuntur Propositiones Morales de Scriptura Sacra, ut illa: Maleficos non patieris vivere: *Qua generaliter intellecta, esset falsa. Addunt pro Regula, Quòd* NULLA PROPOSITIO DAMNANDA EST, QUÆ POTEST TRAHI AD BONUM SENSUM. *Sed* (inquit Parisiensis Episcopus cum Consilio Fidei) ILLA RESPONSIO CUM SUA ADDITIONE PERNICIOSISSIMA EST, ET CONTRA OMNEM ECCLESIASTICUM RITUM, *quia sic fundabant se Hæretici, prout vidimus in Wicklef & Hus, qui dum urgebantur, confugiebant ad glossas. Unde Propositiones universales de Sacra Pagina possunt & debent aliter exponi, quàm Propositiones Magistri Joannis Parvi. Primò, quia Scriptura Sacra exponit suas Regulas per semetipsas, secundum diversos passus Scripturæ, & juxta Sacros Doctores. Non sic autem invenitur quod Magister Joannes Parvi se exposuerit, immo potius oppositum, considerando causas dicendi. Secundò, quia Scripturæ Sacræ debetur talis reverentia, quòd non licet eam esse falsam in aliquo sensu literali. Non sic est de Propositione prædicti Parvi, vel alterius Doctoris.*

Propositiones Augustini de Roma simpliciter & absolutè damnatæ.

LIII. Eodem seculo Propositiones *Augustini de Roma* Nazareni Archiepiscopi, ex Ordine Eremitarum S. Augustini assumpti, ad Synodi Basileensis Judicium delatæ sunt. Duplici sensu poterant explicari, Hæretico, quem in similibus confixerat sacrum Concilium Constantiense; Catholico, quem Religiosus Autor asserebat. Hæc ipsa quæ piis mentibus horrorem præcipuè incutiebat, *Christus quotidie peccat*, Catholico sensu exponebatur ab Autore, qui Christi nomen quandoque pro Capite, interdum pro membris usurpari aiebat, secundùm illud à *S. Augustino* toties repetitum principium: *Caput & membra unus est Christus*: in hac porro Propositione sua, Christi nomen ad membra, non ad Caput, id est ad ipsam Salvatoris Personam referri respondebat, ut observat ipsa Synodus. An propterea Basileenses Patres duplicem hujus & aliarum Propositionum sensum distinxerunt? Imò ipsas ut *erroneas in fide* damnaverunt ac reprobaverunt Sessione XXII. Idibus Octobris, anno MCCCCXXXV. celebrata.

LIV. Eadem ætate *Alfonsus Tostatus*, Abulensis Episcopus, admirandi vir ingenii, stupendæ eruditionis, de quo scriptum est: *Hic stupor est Mundi, qui scibile discutit omne*: anno millesimo quadringentesimo quadragesimo-tertio, Senis, ubi tunc Summus Pontifex versabatur, inter alias Propositiones, quas in Ecclesiæ Principe coram frequentissimo Præsulum doctorúmque virorum cœtu, more Scholastico, biduo propugnaverat, hanc protulerat in Scholis Theologorum inauditam, Christianis auribus gravissimam: *Licèt nullum peccatum cujuscunque conditionis, & pro quocunque statu irremissibile sit, à pœna tamen aut à culpa Deus non absolvit, nec aliquis absolvere potest.* Ad hanc Propositionem cohorruere Theologi. *Joannes à Turrecremata* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis ex Ordine Prædicatorum assumptus, cujus eximiam in Theologia & Jure Canonico eruditionem Opera testantur, fidei studio incensus, adversùs *Tostatum* insurrexit, ipsum de hæresi apud Summum Pontificem postulavit, Judices Propositionum ab ipso assertarum delegari obtinuit. Prima illa Propositio ut falsa & erronea damnata est. Catholicum tamen sensum patiebatur, Catholico sensu ab Authore asserta erat. *Schedulam quamdam, expositionem brevem, & confirmationes ejus, & confutationes Adversariorum continentem, ipsis judicibus porrexit* TOSTATUS, *quam nec approbare quidem voluerunt, ne sibi ipsis obviarent, nec tamen damnare saltem levi verbo ausi sunt, quia nihil in eam objici eis facilè videbatur, quod eam verosimiliter confutaret*: ut ipse refert Prima Parte Defensorii ad *Gasterum* Toletanum Archiepiscopum, Cap. VII. ubi & hanc Schedulam subjicit: *Ut hinc colligi possit, an satis prædicta Conclusio ab hæresi & errore, quam Æmuli affingere moliebantur, defenderetur.* Eamdem Propositionem exposuit in Epistola Apologetica ad *Eugenium IV.* quæ ad calcem ejusdem primæ Partis Defensorii, & apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCCCXLIII. Num. XXIV. edita est. Cur ergo Judices ab *Eugenio* Delegati multiplicem Propositionis sensum non distinxerunt? Cur ipsam non exposuerunt? Cur sensum Authoris prorsus Catholicum à Censura non absolverunt? Cur Pontifex audita *Tostati* expositione, ejúsque in suam Sanctitatem & Sanctam Romanam Ecclesiam observantia, cui se *tam in Sententia quam in verbis* submiserat, Censorum Judicium non retractavit? Noverat scilicet Christi Vicarius, noverant doctissimi prudentissimique Judices, Jus & Consuetudinem Ecclesiæ postulare, ut Propositio secundùm se & prout verba sonant, falsa & erronea, absolutè & absque distinctione damnetur, quamvis Catholico sensu exponi possit.

Tostati Propositio absolutè & simpliciter damnata.

LV. Anno millesimo quadringentesimo octogesimo-septimo, *Joannes Picus* Mirandulæ & Concordiæ Comes, ingenii doctrinæque Portentum, nongentas Propositiones ex Dialecticis, Metaphysicis, Physicis, Moralibus, Theologicis, Magicis, Cabalisticis, Romæ anno ætatis vigesimo-quarto publicè propugnandas proposuit. *Innocentio VIII.* Pontifici Maximo suggestum est, Inter illas aliquas esse *Fidei & Religioni nostræ contrarias, erroneas, scandalosas, & malè sonantes, ac de non sana doctrina suspectas.* Quamobrem ut integritati Fidei consuleret, nonnullis Episcopis, & aliis Sacræ Theologiæ ac utriusque Juris Professoribus per literas in forma Brevis commisit & mandavit, ut contenta in illis Conclusionibus examinarent; *An aliqua ex illis, ex vi verborum, à Fide Catholica dissonarent, aut hæresim saperent, seu dubia & ancipites, ad erroneum sensum trahi possent*: ut auditâ ipsorum Relatione opportunè provideret. Qui quidem Episcopi & Professores *Innocentio VIII.* retulerunt: *Quasdam sibi videri Conclusiones suspectas, & (ut asserebant) hæresim sapientes*: Quas tamen gratiâ tantùm Scholasticæ Disputationis, & sub correctione Sedis Apostolicæ Mirandulanus Comes publicaverat; & tales demum eas se habiturum professus erat, quales ab eodem Pontifice judicarentur: Jurejurando promittens, cuicunque Declarationi, quam Sedes Apostolica circa hoc faceret, se assensurum. Interea Apologeticum edidit Author Nobilissimus, *in quo easdem Conclusiones, in meliorem & Catholicum sensum declarans interpretabatur, & circa eas intellectum sincera fidei explicabat.* Verba sunt *Alexandri Sexti* Pontificis Maximi in literis ad ipsum datis, quæ Operibus ipsius præmittuntur. Propositiones tredecim à Censoribus damnatas Comes Doctissimus illo suo Apologetico ab erroris & hæreseos nota vindicavit. Sensum distinguebat multiplicem; pravum damnabat, Catholicum suum esse contestabatur, vímque verborum illum permittere. Inter Propositiones XLV. quas in Apologia sua defendit, septima his verbis concepta est: PONENS PROPOSITIONEM HABENTEM DUPLICEM SENSUM, SI ILLAM ASSERUIT ET ASSERIT IN SENSU CATHOLICO, NON TENETUR REVOCARE PROPOSITIONEM, SED DECLARARE. Octava his verbis: STANTE PRÆDICTO

Joannis Pici Mirandulani Comitis Propositiones sine distinctione duplicis sensus damnatæ.

PRÆDICTO CASU, ET IPSÆ MULTIPLICITATE SENSUUM, DEBEMUS JUDICARE DE PROPOSITIONE POTIUS SECUNDUM SENSUM INTENTUM A PROPONENTE, QUAM SECUNDUM SENSUM QUEM MAGIS VERBA SONANT. Nunquid verò postremam hanc Regulam secuti sunt, aut sequi se debere existimarunt Episcopi & Doctores ab *Innocentio VIII.* ad examen Propositionum *Joannis Pici Mirandulani* Deputati? Imò tredecim ex illis absolutè damnarunt. Nunquid illorum Censuram Pontifex emendavit? *Imò ne præmissæ Propositiones corda Fidelium quoquomodo corrumperent, interdixit lectionem Libelli prædictarum nongentarum Conclusionum*, ut testatur *Alexander VI.* Illarum quidem Expositionem Catholicam ab Autore factam satis esse judicavit *Innocentius VIII.* ut salva esset illius existimatio, immunisque ab hæresi haberetur, non verò ut Propositiones ipsæ immunes essent à Censura. Ex Traditione scilicet ac moribus Ecclesiæ esse intelligebant Summus ille Pontifex, & Delegati ab eo Judices, ut absolutè, simpliciter, absque expositione & distinctione duplicis sensus damnarentur Propositiones, *Quæ ex vi verborum à Fide Catholica dissonarent, aut hæresim saperent, seu dubiæ & ancipites ad erroneum sensum trahi possent*, ut loquitur *Alexander VI.* quamvis Catholico sensu possent exponi, & Catholica mente ab Autore assertæ essent.

Michaëlis Baii Propositiones absolutè & simpliciter damnatæ.

LVI. Decimo sexto seculo, *Michaëlis Baii* Propositiones Beatus Pontifex *Pius Quintus* anno millesimo quingentesimo sexagesimo-septimo, & *Gregorius Decimus-tertius* anno millesimo quingentesimo septuagesimo-nono, absolutè damnarunt, quasdam ut *hæreticas*, quasdam ut *erroneas*, aliquas ut *suspectas*, nonnullas ut *scandalosas*, & *in pias aures offensiones immittentes respectivè.* Aliquæ tamen sano & Catholico sensu explicari utcunque poterant, ut *Pius Quintus* declaravit. Cur ergo ipsas non exposuit, sed simpliciter damnavit, circumscripsit, abolevit? QUANQUAM (inquit) NONNULLÆ ALIQUO PACTO SUSTINERI POSSENT, *in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, ac quæcunque super iis verbo scriptóque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus.* Perspectum scilicet ac exploratum habebat *Pius Quintus*, & qui Sententiæ hac in causa ab ipso latæ novum robur addidit *Gregorius Decimus-tertius*, ad Propositionem absolutè damnandam satis esse, quòd pravum sensum præ se ferat, quamvis recto etiam sensu propugnari & exponi possit. *B. Pii Quinti* & *Gregorii Decimi tertii* Censuram ac Judicium confirmavit *Urbanus Octavus* anno millesimo sexcentesimo quadragesimo-secundo, Diplomate quod per ejus apud Gallias tunc Apocrisiarium, deinde S. R. E. Cardinalem *Grimaldum* transmissum, Sacra Facultas anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto Kalendis Februarii, summo consensu & singulari veneratione suscepit. Igitur & Sacræ Facultatis sententia est, Propositiones quæ in rectum & Catholicum sensum flecti possunt, absolutè & simpliciter damnari posse ob pravum & erroneum sensum, quem præ se ferunt, nulla expositione vel duplicis sensus distinctione adhibitâ.

Jansenii Yprensis Episcopi quinque Propositiones absolutè & simpliciter sine distinctione duplicis sensus damnatæ.

LVII. Nostra demum ætate, Jansenianâ fervente Controversiâ, qui Yprensis Episcopi nomen ac doctrinam tuebantur, *Innocentio Decimo* Pontifici Maximo supplicarunt, ut duplicem sensum in quinque Propositionibus distingueret, hæreticum sensum damnaret, Augustinianum & Thomisticum absolveret. Tres Columnas eum in finem ejus obtulere Sanctitati Romæ die Lunæ decima-nona Maii, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio. Prima Columna sensum hæreticum *Lutheri* & *Calvini* continebat, quem se damnare & toto animo execrari profitebantur. Altera sensum *Molinæ*, quem Pelagianum aut Semipelagianum, perperam (ut ego quidem arbitror) contendebant. Tertia, sensum gratiæ per se efficacis, Catholicum, & ex S. Augustini doctrina invictè confirmatum. Quid inde? Nullam postulationis hujusce rationem habuit *Innocentius Decimus.* Propositiones quinque, quamvis aliquid supplendo, & in sensu gratiæ per se efficacis, orthodoxæ essent, exponere noluit; ratus, si exponeret, id præsidio futurum errori, & Jansenianarum Partium Theologos distinctionem sensus duplicis importunè flagitare, ut fulmen quinque *Jansenii* Propositionibus imminens averterent, ac fucum Sedi Apostolicæ facerent. Id ex Epistolâ celebris Theologi Ordinis nostri Prædicatorum datâ Romæ decima-sexta Junii anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo-tertio, paucis post damnationem Propositionum diebus, quam typis mandatam cum variis Monumentis Causam Jansenianam spectantibus, præ manibus habeo, compertum est. Hujus lectio nec inutilis erit, nec vobis injucunda, cùm decretorium inde petatur argumentum contra necessitatem expositionis Propositionum, quæ duplicem sensum, pravum unum, falsum, & erroneum; verum alterum & Catholicum pariuntur.

Epistola R. Patris Magistri Joannis Nolano, Ordinis Prædicatorum ad R. Patrem Petrum Martin, Conventus Rhedonensis ejusdem Ordinis Priorem.

Reverende admodum Pater Prior. Sciens quòd estis anxii & soliciti de iis quæ transacta sunt Romæ circa quinque Propositiones, in quantùm poterant attingere doctrinam Sancti Augustini & Ordinis nostri circa efficaciam divinæ Gratiæ, ne sinister rumor præoccupet vestras aures, pro vestra & omnium satisfactione referam fideliter quæ successerunt, quia non deerunt qui dicturi sint triumphatum fuisse de nobis, brevi expositurus, dum per otium mihi licuerit, in quo sensu fuerunt damnatæ...... Et infra: *Soliciti fuimus ne sub odioso nomine Jansenii Doctrina S. Augustini leviter attingeretur, & auferretur omnis occasio sic suspicandi aut loquendi, quamvis de re ipsa non habuerimus rationem dubitandi: tamen omnem navavimus operam* UT DISCERNERETUR SENSUS A SENSU, *ut clarè & liquidò distingueretur sensus Catholicus ab Hæretico, Sancti Augustini à Jansenii. Sed semper fuit nobis responsum, non agi in illis Propositionibus contra sensum S. Augustini aut nostrum, ideóque nullum intervenire nostrum interesse. Eminentissimus Cardinalis Pimentel deprecatus est suam Sanctitatem, ut in Bulla exprimeretur, eas non damnari in sensu S. Augustini de Gratia efficaci. Respondit Sanctissimus: Rem esse conclusam contra Jansenium, nec opus esse hujusmodi cautelâ, cùm nunquam fuisset ejus intentio sensum Sancti Augustini in dubium revocare......* MIRABITUR FORTASSIS QUISQUE VESTRUM, QUARE CUM TANTOPERE SOLICITATUM FUIT UT DISCERNERETUR EXPRESSE SENSUS IN QUO PROPOSITIONES SUNT DAMNATÆ, TAMEN NIHIL FACTUM FUIT, *sed tantùm fuerunt damnatæ in aliquo sensu Jansenii qui varius fuit ac diversus. Sed nobis sufficit ita factum fuisse à Sanctissimo, ut judicemus optimè à Sanctissimo fuisse factum, & latere aliquam causam gravissimam ad publicum bonum Ecclesiæ spectantem, cur hoc non fuerit factum. Nostrum*

trum est humillimo obsequio venerari Censuras latas, nec audire aliquem oblatrantem in contrarium. At si quosdam hujus Ordinis Viros audiamus, qui Propositionem ab Amplissimo Senatu ad examen nostrum delatam non absolutè damnandam, sed duplicis distinctione sensus exponendam contendunt, viam aperiemus ad Patrum Gesta impugnanda, ad Pontificum & Conciliorum Decreta sugillanda, ad *Innocentii Decimi & Alexandri Septimi* Constitutiones & Censuras æquissimas contra quinque Propositiones *Jansenii* explodendas. Occasionem dabimus damnatorum Dogmatum, aut proscripti Libri Yprensis Episcopi Defensoribus, si qui fortè supersint, contra Sedis Apostolicæ Definitiones, contra Gallicanæ Ecclesiæ in hoc quoque Capiti concordantis Judicium, contra universæ Ecclesiæ consensum oblatrandi, quòd Romani Pontifices, quòd Episcopi Gallicani, quòd Sacra ipsa Facultas, Jansenianas quinque Propositiones injuriâ damnaverint, nullâ expositione adhibitâ, nullâ duplicis sensus distinctione usurpatâ, cùm sensum Catholicum, Augustinianum, Thomisticum, Gratiæ scilicet per se efficacis pati possint. Ne transgrediamur terminos quos posuerunt Patres, Episcopi, Pontifices, ab Apostolica ætate ad hæc usque tempora; constitutam & servatam ab illis Regulam religiosè servemus. Propositiones hæreticas vel erroneas, quamvis in bonum & Catholicum sensum aliquo modo flecti possent, absolutè & simpliciter damnandas, non exponendas censuerunt: illorum sequi vestigia gloriosum, illorum doctrinam & exempla sectari religiosum est: contra verò, *Arietare cum illis prorsus indecorum est, quia omnes Patres sunt. Rursus judicare istos malè dixisse, nequaquam sanctum est, omnes enim in Christo dormierunt.* Verba sunt *S. Athanasii.* Propositionem de qua Sacræ Facultatis Doctrinale Judicium postulat Senatus, falsam esse, temerariam, erroneam, verbo Dei contrariam, quatenus Episcopos & Concilia excludit, inter omnes Magistros convenit, qui in Comitiis hac de Quæstione congregatis sententiam dixerunt: cur ergo præformatam a Sapientissimis Deputatis Censuram pariter non admittunt? Volumus (inquiunt) Propositionem exponi, duplicem sensum distingui. Parcite, Patres Sapientissimi, velle vos ac postulare tam vehementi animorum commotione non decet, quod ab Ecclesiæ Disciplina & Consuetudine alienum est. Ecclesia Propositiones hæreticas aut erroneas damnans, etiamsi variè intelligi ac exponi, etiamsi verum & Catholicum in sensum flecti possint, illas absolutè & simpliciter configere & proscribere, non exponere, non multiplicem sensum in suis Definitionibus, Decretis, Anathematismis, Canonibus distinguere consuevit. Id Ecclesiæ filiis, id Catholicis Doctoribus, Traditionis & Disciplinæ Ecclesiasticæ studiosissimis & retinentissimis, opponere sufficiat, & cum *Sancto Augustino* * dicere: *Consuetudine tenebatur orbis terrarum, & hac sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem.*

S. Athanasius Lib. de Synodis.

L. 4. de Bapt. cont. Donat. c. 9.

LVIII. At (inquiunt Viri Religiosissimi) Propositionem exponere operæ pretium est, ne absolutâ Censura divinum Romani Pontificis Primatum quasi per cuniculos adoriri, & Hæreticis favere videamur. O timorem prorsus inanem! Quis hoc, Deus Optime, de Sacra Facultate suspicari possit, quæ Romani Pontificis Primatum quavis occasione venerata est, & contra Hæreticos ac Schismaticos homines strenuè defendit, ut ejus contra *Lutherum* Articuli, & Censura contra *M. Antonium de Dominis*, aliáque nullâ unquam oblivione delenda Monumenta testantur?

Fratrum tamen nostrorum timori aliquid indulgendum, imò gloriæ Dei, utilitati Ecclesiæ, Fidelium ædificationi consulendum, non quidem Propositionis expositione, sed Pontificii Primatus à Christo immediatè accepti, Primatus (inquam) non honoris tantùm, sed Jurisdictionis super omnes totius orbis Christianos, publica solemníque Professione, ac Præfatione quæ hujus Ordinis sinceram, perpetuam, & constantem observantiam & devotionem erga Sedem Apostolicam exprimat quàm fieri poterit magnificentiùs. Id expedire fateor, ut occasione datâ adversùs Lutheranam & Calvinianam hæresim trophæum erigamus, ut errantes ac imperitos pro nostro munere doceamus. Nam *Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit.* S. Gregorii Magni * sententia est. Incauta locutio Neotericorum qui Propositionem illam propugnant: *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare*; plurimos pertrahere posset in errorem: ideo configenda ac damnanda est. Silentium nostrum de Sedis Apostolicæ dignitate ac divino Romani Pontificis Primatu, multos, qui erudiri possunt, in errore derelinqueret: de illo itaque non silendum. Hanc, non dico damnandæ Propositionis expositionem, sed Pontificii Primatus repetitam assertionem & confirmationem, ac observantiæ erga Sedem Apostolicam solemnem Professionem, postulat non modò religionis, sed grati etiam animi officium erga communem Christianorum Matrem & Magistram, quæ hunc Ordinem tot elogiis, tot privilegiis, tot beneficiis honestavit, auxit, ornavit. Quod nos implere decet, tum quaque occasione data, tum sub eo præsertim Pontifice, cujus sanctimonia, priscæ Disciplinæ studium, integritas, pro concilianda & conservanda Christianos inter Principes pace pervigiles curæ, Patrimonii Christi, & Ecclesiasticarum opum in solius Christi gloriam, Ecclesiæ utilitatem, Christiani Imperii contra Turcarum Tyrannum defensionem profusio, ipsis alienæ Communionis hominibus sunt admirationi. Ad id nos movet & studium, quo flagramus universi, conservandi Gallicanæ Ecclesiæ Libertatem, quæ, ut scitè scripsit Archipræsul Doctissimus *Petrus de Marca* lib. 1. De Concordia Sacerdotii & Imperii, Cap. secundo, *Eo præcipuè fundamento nititur, ut Supremam Apostolicæ Sedis Auctoritatem & profiteatur, & omnibus officiis colat.* Verùm id ut urgeam vehementiùs minimè necesse est, cùm Sapientissimis Deputatis gratulari potius & gratias agere conveniat, qui Præfationem meditati sunt Doctrinali Sacræ Facultatis Judicio præmittendam, quâ profiteatur ceu Dogma Fidei: Summum Pontificem Primatum habere immediatè à Christo acceptum, non honoris solùm, sed Jurisdictionis in tota Ecclesia; ipsique Christianos omnes obsequium debere.

In Pastorali. P. 3. c. 4.

Innocentii XI Pontificis Maximi elogium.

Gallicanæ Ecclesiæ Libertas quo præcipuè fundamento nitatur?

LIX. Hæc ipsa erga Sedem Apostolicam observantia (inquiunt Expositionis Promotores) à nobis impetret, ut ipsius Jura & Auctoritatem in judicandis fidei controversiis, in Censura nostra & Doctrinali Judicio explicemus & asseramus.

Non expedit, Patres, mihi credite, non expedit, ne novas excitemus controversias, ne explicatio nostra novas difficultates pariat; ne Sedi Apostolicæ plus minúsve, quàm par sit, tribuere videamur: ne vel *Romanorum aures* offendamus, *quæ quadam teneritudine plus trahuntur*, ut *Auxiliaris* Præfectus quondam ad *S. Hilarium* Arelatensem Archiepiscopum scribebat; vel Gallorum, quibus meritò displicet quicquid Ecclesiæ & Conciliorum Oecumenicorum ipsam repræsentantium Supremæ Au-

Romanorum aures teneræ.

Professio Primatus omnia & singula jure divino instituta, omnia & singula jura sedis Apostolicæ illi adnexa complectitur.

ctoritati derogare videtur. Quid verò necesse est Jura Sedis Apostolicæ particulatim explicare, cùm omnia & singula Professio Primatus Jure Divino instituti, & Jurisdictionis atque Auctoritatis in tota Ecclesia, complectatur. Sufficiat nobis cum Patribus, cum Synodis Oecumenicis loqui, præsertim cum Florentina & Tridentina, quæ Primatum quidem Romani Pontificis adversus Schismaticos & Hæreticos asseruerunt, sed illius Jura singillatim non explicuerunt. Ecclesiæ sobrietatem imitemur, quæ Fidei Professionibus novas explicationes non addidit, nisi ut Fidelium mentes adversùs novos errores muniret. In Nicæni Symbolo Concilii Fides duntaxat *in Spiritum Sanctum* exprimitur; Divinitas ipsius non prædicatur, quia nondum orti erant, qui ipsam impugnarent, Macedoniani Hæretici. Concilium Constantinopolitanum *Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum, qui locutus est per Prophetas*, adversùs Macedonii hæresim in Symbolo profitetur. Cæterùm à Patre procedentem dicit, non à Filio, quia nulla adhùc hæresis adorandam Spiritus Sancti à Patre & Filio Processionem aggressa erat. De unitate Personæ in Christo, & de Virgine Deipara, nulla mentio in Synodis Nicæna & Constantinopolitana prima. Nondum scilicet ortus erat qui personalem naturæ humanæ cum Verbo unionem, & Virginem Deiparam negaret *Nestorius*. De Christo *in & ex duabus naturis* subsistente nihil in Ephesini Concilii Definitione. Nondum quippe de naturarum confusione deliraverat *Eutyches*. Omnia percurrite sæcula, Synodos singulas recensete, Ecclesiam Catholica Dogmata Definitionibus suis ac Decretis non stabilivisse, non explicuisse, compertum habebitis, nisi cùm in controversiam vocata sunt, aut ab Hæreticis impugnata.

Catholica Dogmata definitionibus suis ac novis Decretis Ecclesia non stabilivit, non explicuit, nisi cùm in controversiam vocata sunt.

Patrum Oeconomia.

LX. Quid de Patrum œconomiâ dicam in ipsis interdum Fidei Quæstionibus adhibitâ? Quis nescit *S. Basilium* ad communionem admittendos censuisse, qui Fidem Nicæ: sancitam reciperent, & Spiritum Sanctum creaturam esse negarent, licèt Deum apertè vocare nollent? Veritas quidem confitenda, asserenda, prædicanda est; sed cùm necessitas vel utilitas postulat; cùm impugnatur, cùm ex silentio scandalum nascitur, cùm fructus spiritualis speratur. Sed intempestivè, nulla necessitate exigente, nulla spe utilitatis affulgente, cùm ex ejus prædicatione ipsimet periculum imminet, publicandam esse nemo Sapientum affirmabit. Licèt *nihil erubescat veritas nisi tantummodò abscondi*, teste *Tertulliano*, Virgo tamen est, quæ certis temporibus & occasionibus si in publicum educatur, certissimum subit integritatis periculum. Sed hac de re præclarè differentem Theologum illum Græcorum *Gregorium*, * ambo vos, audite: *Præstat* (inquit) *veritatem dispensatione quadam tantisper conservari, ut nubi sic tempori tantisper cedentibus, quàm eam apertè prædicando irritam facere.* Quamobrem cùm explicatio Jurium Sedis Apostolicæ in Judicio controversiarum fidei, occasione Propositionis quam examini nostro Judicióque Doctrinali subjecit Amplissimus Senatus, nec sit inpræsentiarum necessaria, nec utilis futura sit, imo novas difficultates controversiásque paritura, & novum fortè fragorem his temporibus excitatura, prudentiæ est ab hujusmodi explicatione temperare, & in unam Censuram Propositionis incumbere. Id Ecclesiæ & Academiæ pacis concedant Expositionis Promotores, quam Rex Maximus conservari jubet, qui debellatis vel fractis hostibus pacem Imperavit, eámque cum justitia conjunctam vult in omnibus Ordinibus Regni promicare. Adeo expetendo Sapientibus & bonis omnibus pacis bono & privata stu-

* S. Gregorius Nazianzenus Epist. xx.

A dii, & honoris ac gloriolæ humanæ phantasmata postponuntur. Verum quis sum ego ut Magistros ac Patres adhortari præsumam? Non me, sed *Gersonium*, cujus nomen huic Ordini inprimis venerandum, io nentem, obsecro, audiatis: *Tantum est pacis salutifera bonum, ut pro ejus adeptione neque mundanus honor, neque status, neque gradus, neque propria utilitas debeant aliquem deterrere, & nihil penitus nisi peccatum contra legem Dei æternam. Hæc Consideratio posita est contra illos qui dicunt: Observetur honor partis nostra, confusionem evitemus. Ecce quanta sustinuit opprobria Summus*
B *Pontifex Christus ut faceret utraque unum, reconcilians in suo sanguine quæ in cælo sunt & in terra, factus opprobrium hominum & abjectio plebis, & non dicens: Serve ur honor meus.*

a In quatuor Considerationibus de Pace, Tractatu pro diversis considerat. 4.

LXI. Cæterùm si quis adversùs Sedis Apostolicæ præcipuam & summam in judiciis Fidei Controversiis Auctoritatem olim Propositionem emittat ac propugnet (quod absit) hanc Auctoritatem omnes pari religione & ardore vindicabimus. *Aviti* Viennensis Archiepiscopi Sanct issimi & Doctissimi verba in memoriam revocabimus, ad *Hormisdam* Pontificem scribentis: *Jam securus de totius Galliæ devo-*
C *tione polliceor, omnes vestram super statu Fidei captare Sententiam.* Recensebimus quod Librorum Carolinorum Auctor ex totius Ecclesiæ Gallicanæ sententia scripsit: *Ecclesia Romana Sancta Fidei spiritualibus munita armis, & à fonte lucis & origine bonitatis salutaribus satiata fluentis, & horrendis atrocibusque hæresum obsistit monstris, & mellisua prædicationis pocula Catholicis per orbem ministrat Ecclesiis. Nam Beatissimus Hieronymus vir divinis legibus & multarum linguarum peritiâ eruditus,*
D *dum Bethleemiticis moraretur in arvis, & à Beato Papa Damaso Romæ posito de difficilibus consuleretur Quæstionibus, eum pro causis Fidei vice versa consuluisse dinoscitur, & sive tacendarum sive dicendarum hypostaseon, vel quibus in Orientalibus partibus communicare debeat, humillimis apicibus ut apices accipiat deprecatur. Mira res, & magnis prædicanda præconiis. Interrogat à quo interrogatur, consulit à quo consulitur: Qui Magistrum se in interpretandis Divinis Scripturis sentit, in causis Fidei venerandi Pontificis se discipulum minimè erubescit; & cui Sacra Legis Quæstionum nexus enoda*
E *dat, utrum hypostases dicere debeat, quibusve in Oriente communicare, efflagitat. Unde datur intelligi, Sanctos & Eruditos Viros per diversas mundi partes scientia & prædicationis lumine coruscantes, non solum à Sancta Romana Ecclesia non recessisse, sed etiam tempore necessitatis, ob Fidei corroborationem adjutorium ab ea imploraße. Quod regulariter omnes Catholica debent observare Ecclesia, ut ab ea post Christum ad muniendam Fidem adjutorium petant, quæ non habent maculam nec rugam, & portentosa hæresum capita calcat, & Fidelium mentes in Fide corroborat. A cujus sancta & veneranda*
F *communione multis recedentibus, nostra tamen partis nunquam recessit Ecclesia, sed ea Apostolica Traditione instruente, & eo, à quo est omne donum optimum, & omne donum perfectum, tribuente, semper suscepit reverenda charismata.* Cùm Ecclesia Gallicana Meloduni anno millesimo quingentesimo septuagesimo-nono congregata cum Fidem ab omnibus & singulis tum Clericis, tum Laïcis amplectendam, & apertâ Professione pronuntiandam asseremus, *Quam Sancta Romana Ecclesia, Magistra, Columna & Firmamentum veritatis profitetur & colit. Ad hanc enim propter suam Principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire.* Profitebimur cum eadem Ecclesia in Declaratione de Ecclesiastica Potestate anno superiori edita: *In Fidei Quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes,*

ejúsque

Sedis Apostolica, (ecclesia) præcipua & summa in judiciis Fidei controversiis auctoritas.

Lib. 1. Cap. 6.

Ecclesia Romana fidei & mentes in fide corroborat.

Ecclesia Romana Magistra, columna & firmamentum veritatis.

Constitutiones Conventus Meloduneusis, Tit. De Fidei Catholica Professione, Tom. 1. Commentar. Cleri Gallicani.

ejúsque Decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere. Hæc (inquam) & si quæ alia ex Traditionis fonte hausimus, palam asseremus, si quis ex adverso insurgat hostis, qui Sedis Apostolicæ Auctoritatem in judicandis Fidei controversiis temerè impugnet. *Adversùm nova venena novâ medicamenta* comparabimus : *Adversùm novos hostes, nova bella* geremus : *adversùs novas insidias consilia recentia* inibimus.

S. Hilarius lib. de Synodis.

Auctoris Sententia de ista Propositione.

Sed cùm Sedis Apostolicæ & Romani Pontificis Auctoritas in judicandis Fidei controversiis in quæstionem modò non vocetur, nec ea de re sententiam nostram ac Doctrinale Judicium Supremus Senatus rogaverit, sed de ista Propositione : *Ad solam Sedem Apostolicam divino immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare* : de illa duntaxat respondere, & officii nostri, & prudentiæ est. Quod ut pro mea parte exequar, hanc Propositionem quæ nullum habet in tota retro Traditione fundamentum, ut prima hujus Orationis Parte demonstravi ; imò quæ Scripturæ Sacræ, Traditioni, & Ecclesiæ praxi manifestè adversa est ; & quam exponere neque necesse est, nec expedit, ut Parte altera ostendi, simpliciter esse damnandam censeo, *Quatenus excludit ab Episcopis & Conciliis, etiam Oecumenicis, Auctoritatem judicandi de Fidei controversiis, quam à Christo immediatè habent* : nulla verò alia ratione exponendam. Iis denique configendam notis, quibus à Sapientissimis Dominis Deputatis inusta est, scilicet *falsam, temerariam, erroneam, praxi Ecclesiæ adversam, verbo Dei contrariam, doctrinæ aliàs à Sacra Facultate damnatæ consentaneam*, pronuntiari debere. Ita respondendo Senatus Principi & Illustrissimis Judicibus, immo Regi per eos jubenti, cum incredibili quodam conscientiæ nostræ solatio usurpare poterimus illa *S. Gregorii Magni* ad *Mauritium* Imperatorem scribentis verba : *Utrobique quod debui exsolvi, qui & Dominis meis obedientiam præstiti, & pro Deo, quod sensi, minimè tacui.*

SCHOLION I.

In isto Suffragio Religiosi Censores hanc Assertionem notant pag. 521. 529. 568. 580. 581. 583. 617. Edit. primæ: » *Hæc Propositio*, Ad solam Sedem Apostolicæ divino im» mutabili Privilegio spectat de controversiis Fidei judi» care, *est falsa, erronea, verbo Dei contraria.*

R. Doctrina est Sacræ Facultatis Parisiensis, quæ in Comitiis generalibus congregata in Sorbona, die XVIII. Maii anni 1683. de hac Propositione diligenter & attentè perspectâ & perpensa, Comitiis frequentibus quadragesies & quinquies ad illius examen habitis, ita censuit : *Hæc Propositio, quatenus excludit ab Episcopis & Conciliis, etiam generalibus, judicandi de Fidei controversiis auctoritatem, quam habent immediatè à Christo, falsa est, temeraria, erronea, praxi Ecclesiæ adversa, verbo Dei contraria, doctrinam renovans aliàs à Facultate reprobatam.* Profitemur nihilominus Romanum Pontificem Summum esse Judicem controversiarum Fidei ; Majores illas Ecclesiæ causas ad Sedem Apostolicam referendas esse, Episcoporum his de rebus judicium à Romano Pontifice confirmari debere, sive in Conciliis, etiam generalibus, sive extra Concilia, in suis Diœcesibus controversias fidei judicaverint : Summum Pontificem, ubi de Fidei judicandis causis agitur, præcipuas partes habere, sive auctoritatem præ omnibus & singulis Episcopis judicandi : cognosci quidem & judicari ab ipsis fidei controversias, sed non finiri, nisi Sedis Apostolicæ judicio confirmata sint illorum Decreta & Sententiæ, secundùm illam S. *Augustini* sententiam de causa Pelagianæ Hæresis: *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam : Inde etiam Rescripta venerunt. Causa finita est : utinam aliquando finiatur error.*

Serm. 131. alias 2. De Verbis Apostoli.

SCHOLION II.

In eodem Suffragio, pag. 525. Religiosi Censores has Propositiones notant : *Episcopalis Eminentia divina auctoritas, à Deo immediatè accepta... Conciliorum Oecumenicorum auctoritas suprema, cæteris Potestatibus Ecclesiasticis imperans, juxta Concilii Constantiensis Decreta.*

R. Hæc verba, *Episcopalis Eminentia divina auctoritas,* sunt Synodi Toletanæ Octavæ. Cætera pertinent ad doctrinam Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ. Non ita tamen conceptæ sunt eo loci Propositiones, quo modo eas enuntiant Censores Religiosi. En verba mea ad Doctores Sacræ Facultatis, quorum in cœtu versando loquebar: *Præcipuam Sedis Apostolicæ auctoritatem in judicandis Fidei controversiis in tota Ecclesia emergentibus, nemo vestrûm non profitetur.. Potestatem judicandi pariter de Fidei controversiis, inferiorem quidem illam Pontificia, sed à Christo nihilominus immediatè derivatam, in Catholicæ Religionis Antistitibus nemo vestrûm non agnoscit. Conciliorum Oecumenicorum divinam, supremam, & cæteris Potestatibus Ecclesiasticis imperantem auctoritatem, secundùm Sacri Constantiensis Concilii Decreta, nemo vestrûm non veneratur, prædicat, propugnat.* Hæc solam facti quæstionem spectant, non quæstionem juris, ad quam interpolatis verbis meis illa detorquent Indiculi Censorii Authores. Nihil hic assero, nisi quod asserit *Franciscus Victoria* Ordinis FF. Prædicatorum Doctor celebris in Relectione De Potestate Concilii & Papæ : *Concilium esse supra Papam, est communis sententia Parisiensium & multorum Doctorum.* Nihil dixi, nisi quod scripsit Martinus Navarrus Dist. v. De Pœnitentia : *Alteram sententiam Schola Parisiensis cum tota fere Gallia sequitur, Concilium universale supra Papam esse, & adeo sequitur, ut Jacobus Almainus scribens in hoc ipso Articulo dixerit : Eum, qui contrarium assereret, hæreticum judicatum iri.* Ego verò contrarium asserentes, nihilominus ut Catholicos amplector. Quæstio est inter Theologos disputata. Parisienses Constantiensis Concilii, alii plerique Florentini Decretum opponunt, quod tamen hanc in rem perspicuum non est ; quamvis ad Primatum Romani Pontificis, non honoris solum, sed Jurisdictionis, à Christo institutum, ut dogma fidei, asserendum valeat. Quamobrem *Parisiensis Schola & alii plures, non obstante Concilii Florentini Decreto, mordicus retinent Decretum illud Constantiense & Basileense* : (inquit Thomas Campegius Feltrensis Episcopus, lib. *De Potestate Papæ* Cap. XXIV.)

SCHOLION III.

In eodem Suffragio, pag. 570. Religiosi Censores hæc notant : *Verba Bessarionis observatione digna, qui dixit in Florentino Concilio, PAPAM non habere majorem auctoritatem Ecclesia & Concilio Oecumenico.*

R. Concilii Florentini Sessione nona, Bessario Nicææ Archipræsul, Cardinalitiis infulis ab *Eugenio Quarto* postea ornatus, sic loquitur, Concilio non reclamante : *Quantacumque facultate polleat Romana Ecclesia, minùs tamen pollet Synodo Oecumenica, & universali Ecclesia.* Hæcne Bessarionis verba, quæ in Actis Concilii Florentini leguntur, retulisse, & observatione digna monuisse, piaculum est ?

SCHOLION IV.

In eodem Suffragio, pag. 593. Religiosi Censores hanc Propositionem notant : *Septima Synodus honorariam adorationem tribuit Imaginibus.*

R. Stupendum est Religiosos Censores ad Septimæ Synodi Oecumenicæ definitionem non attendisse, & verba ab ea consecrata reprehendere ; neque considerasse quòd hæc Propositio quam Indiculo suo Censorio reprehendunt : *Honoraria adoratio tribuenda est Sacris Imaginibus*, sit dogma fidei. Sic habet septimæ Synodi Oecumenicæ Definitio : *Sanctorum nostrorum & divinorum Patrum doctrina insistentes, & Catholicæ Ecclesiæ, in qua Sanctus Spiritus inhabitat, Traditionem observantes, definimus cum omni diligentia & cura venerandas sanctas Imagines... Quo scilicet per hanc Imaginum pictarum inspectionem, omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam & recordationem & desiderium veniant, illisque salutationem & HONORARIAM ADORATIONEM EXHIBEANT, non secundùm fidem nostram veram latriam, quæ solùm Divinæ Naturæ competit.* In Græco Textu habetur τιμητικὴν προσκύνησιν. Quid autem est honoraria adoratio, secundùm Sanctæ Synodi mentem ? Salutatio & osculatio, ut explicat Epistola Synodica ad Imperatores, hanc vocum istarum acceptionem ex Scriptura Sacra, ex S. Gregorio Theologo, & ex solemni Ecclesiæ loquendi more confirmans. Apostolus scilicet ad Hebræos XI. de Jacob ait : *Adoravit fastigium virgæ ejus.* S. Gregorius Nazianzenus, Sermone De Nativitate Christi. *Bethleem cole,* inquit, *& præsepe*

præsæpe adoro. Vivificam Crucem salutantes canimus : *Crucem tuam adoramus, Domine* : ubi adorandi verbum cultum religiosum, & *salutationem* cum amoris affectu significat, non *servitutem*, seu *adorationem secundum latriam*. Hinc Scriptura Sacra Deum quidem adorari jubet, sed non solum, quia verbum, *adorare*, diversas habet significationes, sed soli Deo serviendum docet. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies* : Quamobrem *Imagines* Christi, Deiparæ Virginis & Sanctorum *adorandas* & salutandas Sacra Synodus declarat. *Qui verò circa venerandarum Imaginum adorationem laborat & dubitat, eum anathematizat.* Honoraria adoratio Sacrarum Imaginum, cultus est religiosus & honor illis exhibitus propter prototypa, ad eadem relatus, id est, ad Christum, Deiparam Virginem, & Sanctos; non est latria, id est, soli Deo debita servitus.

Luc. 4. S. August. Quæst. 61. in Genes.

SCHOLION VI.

In eodem Suffragio, pag. 618. Religiosi Censores hanc Propositionem notant. *Quis suspicari possit Parisiensem Academiam derogare Primatui S. Petri?*

R. Parisiensem Academiam, quæ Romani Pontificis Primatum quavis occasione venerata est, & contra Hæreticos ac Schismaticos strenuè defendit, ut ejus contra *Lutherorum* Articuli, & Censura contra *M. Antonium de Dominis*, aliaque nullâ unquam oblivione delenda Monumenta testantur; quæ palam profitetur ac prædicat, *Unum esse jure*

A *divino Summum in Ecclesia Pontificem, cui omnes Christiani parere teneantur; & qui immediatè à Christo, non honoris solum aut dignitatis, sed & potestatis ac jurisdictionis Primatum habeat in tota Ecclesia* : Sic sentientem Academiam, quam ob *sinceram devotionem ad Sanctam Romanam Ecclesiam, ad Fidem Catholicam*, ad Summos ipsos Pontifices, *ob studium omnigenæ ejusdem fidei devotione & hæresum extirpatione*, à suis Doctoribus *incessanter adhibitum, sicut probatissimos quosque Christianos decet*, Innocentius Octavus, aliique Pontifices commendarunt; hanc (inquam) Primatui S. Petri, ejusque Successorum Romanorum Pontificum derogare, nemo sanæ mentis suspicabitur. De Sacra Facultate Parisiensi verius æquiusque sensit, sapientius locutus est Author Tractatus *De Libertatibus*
B *Ecclesiæ Gallicanæ*, Leodii anno 1684. editus, lib. III. Cap. VIII. cujus verba describo, cum Opus in Romana Curia maxima cum approbatione susceptum sit. *Inter cæteras* (inquit) *non solum Galliæ, quibus sine dubio præeminet, sed etiam totius Europæ Universitates celebris semper extitit Parisiensis summi & in negotiis omnibus Ecclesiasticis auctoritatis. Summa fuit ejus in propaganda fide, in extirpandis Schismatibus, atque componendis controversiis diligentia & industria. Extirpandi Schismatis desiderium olim illi suasit præponendum esse Summo Pontifici Concilium Oecumenicum ...... Absit à me, ut florentissimæ illius Academiæ famæ aliquid detractum velim, quippe qui sciam quantùm doctrinâ suâ Christianæ Reipublicæ conferat.* Hæc ille.





PANOPLIA

ADVERSUS HÆRESES

PRÆCIPUAS

XIII. ET XIV. SECULI.



MNES Hæreticorum hujus Seculi errores refellere, immensæ operæ res esset, cui nec sufficeret Volumen unum. Quot enim Albigensium, quot Witcleffistarum, ut de aliis Hæreticis & Erroribus taceam, Catholicæ Fidei ac doctrinæ contraria dogmata discutienda essent? Id itaque non aggredior, tum quia aliud susciperem Opus, & ab Historiæ Ecclesiæ illustratione ad Controversiarum omnium ac singularum tractationem digrederer; tum quia pleraque horum Hæreticorum dogmata ad calcem Historiæ superiorum Seculorum confutavi, quatenus ab antiquioribus Hæreticis asserta fuerunt; tum denique quia *Thomæ Vualdensis* eruditum Opus adversùs errores *Vvickleffi* in tres Tomos tributum, aliósque Controversiarum Tractatores consulere poterunt, qui hoc studiorum genere delectantur, & indigent. Ut tamen consuetæ Methodo insistam, aliquas Dissertationes Dogmaticas subjicio ad hujus Voluminis complementum.

DISSERTATIO XIII.

De Sacrificio Missæ; Adversus Albigenses & Vvickleffistas in Lutheranis & Calvinistis Redivivos.

PRÆTER Sacrificium quo Christus idem Sacerdos & victima semetipsum in Cruce Deo Patri obtulit, aliud admittendum esse atque credendum Sacrificium incruentum in Ecclesia, quod & Christus ipse obtulit, & frequentandum exemplo & mandato suo constituit, contra Albigenses, Wickleffistas, & qui ab ipsis errorum venena hausere, Lutheranos, & Calvinistas, probant primò ea Scripturæ Sacræ loca, quæ Christum secundùm ordinem Melchisedech Sacerdotem prædicant: cujus quidem Sacerdotii cum illo veteri analogia in eo posita est, quòd Christus panem & vinum obtulit perinde ac Melchisedech; quæ tamen, non ut erant, & ab hoc oblata fuerant, mera corporis alimenta manserunt, sed in substantiam Corporis & Sanguinis Domini mutata, supra typum ac figuram assurrexerunt: quam oblationis formam ad occasum usque mundi frequentandam edixit. De perenni illo Christi Sacerdotio vaticinatus est David Psalmo centesimo-nono his verbis: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quod in Salvatore impletum, Apostolus ad Hebræos 7. testatur: *Si ergo*, inquit, *consummatio per Sacerdotium Leviticum erat, quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim Sacerdotio, necesse est ut*

Incruent. Sacr. seu Novæ Legis, Corporis nimirum & Sanguinis

& Legis translatio fiat... Et amplius adhuc manifestum est; si secundum similitudinem Melchisedech exsurgat alius Sacerdos, qui non secundùm legem mandati carnalis factus est, sed secundùm virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim: Quoniam tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.

Oblationem porro Melchisedeci Sacrificium Christi incruentum, Corporis scilicet ac Sanguinis ejus, quod in Eucharistia peragitur, præfigurasse, SS. Patres testantur: in primis *S. Cyprianus* in Epistola ad *Cæcilium*, cujus verba *S. Augustinus* lib. 4. de Doctrina Christiana, Cap. 21. refert ac expendit: *In Sacerdote Melchisedech*, inquit, *Sacrificii Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quòd Scriptura Divina testatur & dicit: Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem Sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus Sanctus ex persona Patris ad Filium dicens: Ante Luciferum genui te: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de Sacrificio illo veniens, & inde descendens; quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & vinum obtulit; quòd Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Jesus Christus; qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet Corpus & Sanguinem? ... Ut ergo in Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, præcedit ante imago Sacrificii Christi, in pane & vino scilicet constituta: quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit; & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit.* Consentiunt SS. *Chrysostomus* Homil. xxxv. in Gen. *Epiphanius* Hæresi LV. *S. Hieronymus* Epistola cxxvi. ad *Evagrium*, *Cyrillus Alexandrinus* lib. 2. Glaphyrorum in Genesim, *Isidorus Pelusiota* lib. 1. Epistola 431. *Cæsarius Arelatensis* Homilia VII. *Theodoretus* Quæstione LXIV. in Genesim, & omnium frequentissimè *S. Augustinus*, scilicet lib. XVI. de Civitate Dei, Cap. XXII. ubi de Melchisedecho agens, & de Abrahamo ab illo benedicto, ait: *Ibi quippe primum apparuit Sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud quod longè post hoc factum, per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Non scilicet secundum ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur.*

Et lib. XVIII. Cap. XXXV. *Hoc Sacrificium*, inquit, *per Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech cum in omni loco à Solis ortu usque ad occasum Deo jam videamus offerri, Sacrificium autem Judæorum, quibus dictum est, Non est mihi voluntas in vobis; nec accipiam de manibus vestris munus, cessasse negare non possunt, &c.* Et lib. contra Adversarium Legis & Prophetarum, Cap. XX. *Noverunt*, inquit, *qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abrahamo: & jam sunt participes ejus. Vident tale Sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum.* Et Concione 1. in Psalmum XXXIII. *Erat autem*, inquit, *ut nostis, Sacrificium Judæorum antea secundum ordinem Aaron in victimis pecorum; & hoc in mysterio. Nondum erat Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini, quod Fideles norunt, & qui Evangelium legerunt: quod Sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum. Proponite ergo vobis ante oculos duo Sacrificia; & illud secundum ordinem Aaron; & hoc secundum ordinem Melchisedech, de quo dicitur: Tu es Sacerdos in æternum, &c.*

Probat etiam incruentum novæ Legis Sacrificium, Corporis nimirum & Sanguinis Christi in Eucharistia, *Malachiæ* Prophetæ Oraculum Cap. 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus Exercituum.* Hoc Sacrificium, quod abrogato Judaïco, à Gentibus in omni loco esset offerendum, peculiare quoddam Sacrificium esse constat, distinctum & à Sacrificio Crucis, quod in omni loco non offertur, & à precibus ac votis, cæterisque Religionis officiis, quæ latè sumpto nomine Sacrificia nuncupantur: Primò, quia Scriptura Sacra nomen Sacrificii non usurpat absolutè ad Sacrificium latè sumptum significandum, sed cum adjuncto, ut Sacrificium laudis, Sacrificium justitiæ, hostiam vociferationis. 2. Cùm ait, *Munus non suscipiam de manu vestra; in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*, novum aliquod sacrificium designat, quod successurum sit Judaïcis: at spiritualia sacrificia fuisse etiam à Judæis frequentata, minimè dubium est. 3. Oblatio illa munda fore prædicitur, cujusmodi, ex Adversariorum opinione, non sunt hominum opera quantalibet sanctitate pollentium, quæ impura, & lethali culpa infecta esse aiunt. Aliud autem non est in Novo Testamento sacrificium externum, quod in omni loco à Solis ortu usque ad occasum Deo offeratur, præter Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia: quod & Christus in suprema Cœna obtulit, & in sui commemorationem ab Apostolis, & eorum Successoribus fieri mandavit his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* *Lucæ 22.* Hæc una Oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest. 4. Sacrificium à *Malachia* prædictum, visibile est, quale hominum natura exigit, adeòque à spiritualibus sacrificiis distinctum. 5. Veteres Patres illud *Malachiæ* Oraculum de Sacrificio Eucharistiæ intellexerunt.

S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone: *De Sacrificiis*, inquit, *quæ à vobis tunc offerebantur, loquitur Deus per Malachiam, unum ex duodecim.* Tum prolatis Prophetæ verbis subdit: *De iis autem, quæ à nobis Gentibus in omni loco offeruntur Ipsi, Sacrificiis, hoc est, de Pane Eucharistiæ, & Poculo similiter Eucharistiæ prædicit, &c.*

S. Irenæus lib. 4. Cap. 32. *Eum*, inquit, *qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit dicens, Hoc est Corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum Sanguinem confessus est; & Novi Testamenti novam docuit Oblationem: quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in Novo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificavit, &c.*

S. Joannes Chrysostomus in Psalmum XCV. ubi recensitis *Malachiæ* verbis, ait: *Vides quàm illustri & splendido præconio mysticam Mensam explicet, nempe incruentum Sacrificium.*

S. Augustinus lib. XVIII. de Civitate Dei, Cap. XXXV. ubi prolato Malachiæ Oraculo, ait: *Hoc Sacrificium per Sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, cum in omni loco à Solis ortu usque ad occasum Deo jam videamus offerri; Sacrificium autem Judæorum, quibus dictum est: Non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus, cessasse negare non possunt: quid adhuc*

hunc expectant alium Christum; cùm hoc quod Prophetatum legunt, & impletum vident, impleri non potuerit, nisi per ipsum?

Theodoretus in Cap. 1. Malachiæ. *Victimarum*, inquit, *ratione carentium jugulatio fieri desiit. Solus autem Immaculatus Agnus sacrificatur, qui tollit peccata mundi.* Quomodo autem sacrificetur Agnus in perenni oblatione Sacrificii, explicat in Cap. VIII. Epistolæ ad Hebræos. *Si ergo*, inquit, *& Sacerdotium quod est ex Lege finem accepit, & Sacerdos qui est secundùm ordinem Melchisedech obtulit Sacrificium, & effecit ut alia sacrificia non essent necessaria, cur Novi Testamenti Sacerdotes Mysticam Liturgiam peragunt? Sed clarum est iis qui sunt in rebus divinis eruditi; nos non aliud Sacrificium offerre, sed illius unius & salutaris memoriam peragere. Hoc enim nobis præcipit ipse Dominus: Hoc facite in meam commemorationem.*

Illa Agni Immaculati incruenta oblatio, per Agni Paschalis immolationem filiis Israël in Exodo præceptam figurata est: & vetus illa figura impleta est à Christo, cùm XIV. die primi mensis ad vesperam, seipsum sub signis visibilibus Patri obtulit, & Apostolis manducandum præbuit, jugitérque se eodem ritu offerendum atque comedendum constituit in una domo, id est, in Ecclesia, in memoriam transitus sui ex hoc Mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuítque de potestate tenebrarum, & in Regnum suum transtulit. Ita docent SS. Patres, *Cyprianus* lib. de Unitate Ecclesiæ, *Gregorius Nazianzenus* Oratione II. de Pascha, *Chrysostomus* Homilia LXXXIII. in Matthæum. *Hieronymus* in Caput S. Matthæi XXVI. *Gaudentius* Tractatu II. in Exodum, &c. Quorum doctrinam expressit Sacra Synodus Tridentina Sessione XXII. Cap. I.

Nec obscurè etiam à Salomone præmonstratum est incruentum Eucharistiæ Sacrificium Proverbiorum IX. his verbis: *Sapientia ædificavit sibi domum. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* Hunc locum eò referunt *S. Cyprianus* Epistola LXIII. ad *Cæcilium*, & *S. Augustinus* lib. XVII. *De Civitate Dei*, Cap. XX.

III. Illud Sacrificium non obscurè innuit *S. Paulus I.* ad Corinthios X. cùm dicit, non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri: per mensam Altare utrobique intelligens, in quo sacrificia offeruntur; in illa quidem idolothyta dæmoniis: in ista verò Corpus & Sanguis Christi Deo vero. *Calix Benedictionis*, inquit, *cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Domini est? Et panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?.... Videte Israël secundum carnem. Nonne qui edunt hostias, participes sunt Altaris? Quid ergo? Dico quòd idolis immolatum sit aliquid, aut quod Idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis Calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.*

IV. Sacrificium Eucharisticum ab Apostolis frequentatum indicatur Actorum XIII. his verbis: *Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus, dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Porro ministerium illud, quod externum, visibile, & publicum fuisse constat, non aliud erat quam Sacrificium Missæ, ut ex Textu Græco colligere est, [illegible] quæ verba *Erasmus* ita vertit: *Sacrificantibus illis Domino.* Hinc Græca vox λειτουργία, quæ ad significandum Missæ Sacrificium ab ipsis Christianæ Religionis exordiis consecrata, & ab Ecclesia usurpata est. Eò etiam spectat quod Actorum 2. Cap. legitur: *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis.* Et Cap. 20. *Una Sabbatorum* (id est Dominica die) *cum convenissent ad frangendum panem*, ad Sacrificium scilicet celebrandum, ut *S. Augustinus* Epistola 86. ad *Casulanum*, & *Beda* in Commentariis explicant. Eò tandem referri possunt verba illa Apostoli 1. ad *Timotheum* Cap. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Quem locum expendens *S. Augustinus* Epistola 59. ad *Paulinum*, Quæstione V. ait: *Eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut Precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini Mensa, incipiat benedici; Orationes, cùm benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica Oratione concludit: Interpellationes autem, sive, ut nostri Codices habent, postulationes fiunt, cùm populus benedicitur. Tunc enim Antistites velut Advocati susceptos suos per manus impositionem Misericordissimæ offerunt Potestati. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, Gratiarum actio cuncta concludit.*

IV. Eucharisticum Sacrificium probat Summus Patrum consensus.

S. Ignatius Martyr in Epistola ad Smyrnenses: *Eucharistias* (inquit) *& Oblationes non admittunt, eò quòd non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi.* Quæ verba laudat Theodoretus in *Impatibili* Dialogo III. — Eucharistiæ Sacrificium demonstratur ex Traditione.

S. Justinus Martyr Apologia 2. divinæ Liturgiæ seriem describit his verbis: *Communes preces, & supplicationes animo intento peragimus, ut digni idoneique simus, qui veritate agnita, per opera etiam ipsa boni atque efficiosi rerum administratores, & datorum nobis mandatorum custodes inveniamur, atque ut salute salvemur sempiterna. A precibus finitis, mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui Fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum universarum Patri, per nomen Filii, & Spiritus Sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem, pro eo quòd nos donis suis hisce dignatus sit, prolixè exsequitur. Atque ubi ille preces, & gratiarum actionem absolvit, populus qui adest omnis fausta approbatione acclamat, dicens, Amen. Amen autem voce Hebræa, Fiat, significat. Præsidens verò postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi atque Ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participes eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia.* Ubi verò dixit, Eucharistiam esse *Incarnati Jesu carnem & sanguinem*, subdit: *Nam Apostoli in Commentariis à se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Jesum. Eum enim pane accepto, cùm gratias egisset, dixisse:* Hoc facite in mei recordationem: Hoc est corpus meum. *Et poculo similiter accepto, & gratiis actis dixisse:* Hoc est sanguis meus: *Ac solis ipsis ea tradidisse. Quod quidem etiam in Mysteriis Mithræ fieri docuerunt per imitationem pravi dæmones. Quod namque panis & poculum aquæ in Sacrificiis sive re divina ejus qui initiatur, ponatur, verbis quibusdam additis, aut certè scitis, aut cognoscere potestis. Nos certè post hæc deinceps nobis invicem ista in memoriam revocamus. .. Atque in omnibus, quas offerimus, oblationibus,* — Græcorum Patrum in Catholico isto Dogmate asserendo consensus.

benedicendo laudamus Factorem omnium, per Filium ejus Jesum Christum, & Spiritum Sanctum. Et Solis, qui dicitur, die, omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eumdem locum Conventus fit: & Commentaria Apostolorum, aut Scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde, Lectore quiescente, Præsidens Orationem, qua populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet. Sub hæc consurgimus communiter omnes, & precationes profundimus: &, sicut recensuimus, precibus peractis panis offertur, & vinum, & aqua: & Præpositus itidem, quantùm pro virili sua potest, preces & gratiarum actiones fundit; & populus faustè acclamat, dicens, Amen. Et distributio communicatióque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti: absentibus autem per Diaconos mittitur.

V. *S. Irenæus* lib. IV. Cap. 23. id præclarè confirmat. *Dominus suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est accepit, & gratias egit dicens:* Hoc est corpus meum. *Et calicem similiter qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum Sanguinem confessus est, & Novi Testamenti novam docuit Oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo Mundo offert Deo.* Et Cap. 23. *Quomodo dicunt,* inquit, *carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à Corpore & Sanguine Domini alitur? Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ, & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei quæ sunt ejus &c. Offerimus autem ei, non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi ejus, & sanctificantes creaturam. Quemadmodum enim Deus non indiget eorum quæ à nobis sunt, sic nos indigemus offerre aliquid Deo.*

VI. Nicæna Synodus Canone XVIII. Corporis Christi Sacrificium in Ecclesia agnoscit, cujus oblatio solis Presbyteris demandata sit, licèt ejus erogatio tunc Diaconis permitteretur. En verba Canonis ex Dionysii Exigui Versione: *Pervenit ad sanctum magnúmque Concilium, quòd in quibusdam locis & civitatibus Presbyteris gratiam Sacræ Communionis Diaconi porrigant: quod nec Regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt Christi Corpus accipiant.*

VII. Alexandrina Synodus in Epistola ad omnes Ecclesiæ Catholicæ Episcopos, quæ apud *S. Athanasium* Apologia II. legitur, eamdem veritatem confirmat, ubi calumniam *S. Athanasio* de confractione Calicis impactam diluit. *Locus ille,* inquit, *in quo confractum poculum jactitant, Ecclesia non erat, nec quisquam Presbyterorum ei loco vicinus, nec dies quo id factum à Macario voluit, Dominica. Cùm igitur neque Ecclesia ibi esset, neque sacra fierent, neque dies hoc ipsum requireret; quale, aut quando, aut ubi mysticum illud poculum fractum est? Pocula multa passim in ædibus atque adeo in medio foro haberi, nemini dubium, quæ collisa, collidentem non impiant. Mysticum autem poculum, quod impium eum reddit qui id ultrò frangit, nusquam nisi apud legitimos Ecclesiæ Præsides invenies. Hic enim unus est usus Calicis, & præter eum alius nullus: eóque sola vos legitimo ritu propinatis populo. Solum enim vestrum est propinare Sanguinem Christi, & præterea nullius. Et hæc quidem eo à nobis dicuntur, non quòd vel schismaticum poculum Macarius fregerit, sed quòd ibi omnino nullum fuerit: qui enim fieri potuit, cùm nec ipse locus Dominicus esset, neque quispiam ibi Ecclesiasticus, atque adeo ne tempus quidem Mysteriorum ageretur? Presbyter autem qui fingitur adfuisse, est ille toties rumoribus jactatus Ischyras, qui neque ab Ecclesia electus Presbyter, neque cum a Meletio constitutos Presbyteros Alexander in Ecclesiam recipiebat, in eorum numero unquam habitus fuit, aut ab eo creatus.* Sacrificium singulis diebus Dominicis oblatum fuisse constat ex Alexandrina Synodo, in eóque Christi Sanguinem in Calice consecratum, & propinatum: & *Sacra facere*, non fuisse communem & promiscuam quandam functionem, quæ à quovis exerceri posset, sed sacratiorem & augustiorem, à consecratis duntaxat & ordinatis ad hoc munus Administris præstandam, scilicet à Sacerdotibus.

Idem colligitur ex Epistola *Julii* Pontificis Maximi ad Arianos Episcopos, qui ex Antiochena Synodo ad ipsum scripserant. *Ex istis rationibus Athanasii,* inquit, *facile colligebamus, fieri non potuisse, ut qui morbo post ostium decumbebat, in Sacris constiterit, & Oblationem confecerit; nec Oblationem proponi potuisse, cùm intus Catechumeni versarentur, quibus intus adhuc agentibus, tempus Oblationis nondum esse potuit. Hæc pro se dicebat Athanasius, & rem ita esse ex Actis declarabat, idem affirmantibus cæteris qui cum eo erant, prorsus nunquam Ischyram Ecclesiæ Presbyterum fuisse, aut ut Presbyterum Synaxim cum aliis fecisse.*

VIII. *Eusebius Cæsariensis* lib I. Demonstrationis Evangelicæ, Cap. X. eidem Dogmati suffragatur. *Meritò sanè,* inquit, *illius memoriam, corporisque ejusdem & sanguinis recordationem quotidie celebrantes, & ad longè præstantius Sacrificium & munus assumpti, quàm illud antiquius fuerit, non ampliùs fas esse putamus in prima illa & infirma elementa recidere, signa quædam & imagines, non ipsam veritatem continentia.* Idem lib. IV de Vita Constantini, Cap. XLV. Sacerdotes *Incruentis Sacrificiis & mysticis immolationibus*, quas quidem à precationibus & Sermonibus distinguit, Templi Hierosolymitani Dedicationem exornasse testatur.

IX. *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Cathechesi V. Mystagogica Eucharistici Sacrificii ritum exponit, qui cum hodierno congruit ad amussim; & inter alia hæc habet: *Sic per hujusmodi hymnos nos ipsos sanctificantes, Deum benignissimum oramus, ut super illa proposita Spiritum Sanctum emittat, ut panem quidem faciat Corpus Christi, vinum verò Sanguinem Christi, omnino enim quod attigerit Spiritus Sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur. Deinde verò postquam confectum est illud spirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis Hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate Mundi, pro Regibus, pro Militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, in summa pro iis omnibus [illegible]. Rogamus Te, inquam, nos omnes [illegible] Tibi offerimus, ut meminerimus [illegible] eorum, qui ante nos obdormierunt . . . Maximum [illegible] animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius & tremendi, quod in Altari positum est, Sacrificii . . . Scio multos dicere: Quid juvat animam sive cum peccatis, sive absque peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamsi in hoc Sacrificio mentio illius fiat? An enim si Rex aliquis eos, à quibus offensus est, in exilium pepulerit, postea verò illorum propinqui, coronam aliquam conficientes, pro his qui sunt in supplicio, exulibus, eidem offerrent, nonne condonationem aliquam suppliciorum ipsis dederit? Ad eumdem modum & nos pro defunctis precationes adhibentes, quamvis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis, & illis, eum qui est benignissimus, propitium reddamus.* Non solùm Missam verum esse Sacrificium *Cyrillus* agnoscit, sed & propitiatorium esse pro vivis & defunctis profitetur ac docet.

Missa Sacrificium propitiatorium pro vivis & defunctis.

X.

X. *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione I. Apologetica *Sacrificium externum* agnoscit *magnorum Mysteriorum figuram habens*, quod à solis *Sacerdotibus* offerri potest.

Et Oratione III. quæ prima Invectiva est adversùs Julianum: *Impuro* (inquit) *& nefario sanguine Lavacrum extergit, initiationi nostræ execrabilem initiationem opponens: manusque suas profanat, ut nimirum eas ab Incruento Sacrificio, per quod nos Christo, ipsiúsque Passionibus ac Divinitati communicamus, elueret ac repurgaret.* Et Oratione IV. quæ in Julianum secunda est: *Non jam in Sacras nostras Ædes pravos oculos injicient: non jam Aras à purissimo & incruento Sacrificio nomen habentes scelesto sanguine contaminabunt: nec loca non adeunda per impia altaria probro ac dedecore afficient. Non jam sacrilega manu votiva dona diripient & profanabunt. Non jam Presbyterorum canitiem, Diaconorum sanctitatem, Virginum pudorem contumelia perfundent. Non jam Martyrum sepulchris ignem admovebunt. Non jam Sanctorum Reliquias cum vilissimis ossibus per contemptum permixtas flammis absument aut in ventos spargent: ut eo honore, qui ejusmodi hominibus debetur, ipsos privent.*

Et Oratione XIX. in Laudem Patris defuncti: *Mosem illum in monte orantem imitatur, fractisque ac debilitatis manibus ad Orationem compositis, alacri animo cum populo vel ante populum Mysteria peragit.... Cum Eucharistiæ verba, ita ut consuetudo fert, effatus esset, ac populum benedixisset, in lectulum rursus se conjicit. Cumque paululum quiddam cibi admisisset, ac somni particeps factus fuisset, spiritum revocat: ac deinde paulatim sanitate, cum novus ille Festi dies (ita eum appellamus quod post Resurrectionem Dominicam primum eum habeamus) jam adesset, in Templum se confert, ac cum omni Ecclesiæ agmine salutis Encænia celebrat, atque in grati animi significationem Sacrificium offert.* Et infra: *Cum nunquam non dolore premeretur, & quidem persæpe singulis diebus, atque interdum etiam horis, ex sola Liturgia robur concipiebat, ac morbus tanquam ex edicto & imperio fugatus, se subducebat.*

Sanctus quoque *Basilius* Libro II. de Baptismo, in Responsione ad Quæstionem secundam, ejus impietatem execratur, *Qui cùm impurus sit, Corpus Domini audet in Sacrificium offerre.* Ejusdem Liturgia invictum subministrat ad ultius confirmationem Dogmatis argumentum.

Sanctus etiam *Gregorius Nyssenus* Basilii frater Oratione I. in Christi Resurrectionem, de ejusdem Sacrificii institutione sic loquitur: *Qui potestate sua cuncta disponit, non ex proditione sibi impendentem necessitatem, non Judæorum quasi prædonum impetum, non Pilati Sententiam expectat, ut eorum malitia sit communis hominum salutis principium & causa, sed consilio suo anteverit, & arcano Sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, se ipsum pro nobis hostiam offert & victimam immolat, Sacerdos simul existens & Agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit. Quando id præstitit? Cùm corpus suum Discipulis congregatis edendum, & sanguinem bibendum præbuit, tunc apertè declaravit agni Sacrificium jam esse perfectum. Nam victimæ corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum & sanguinem bibendum Discipulis exhibuit, jam arcana & non aspectabili ratione corpus erat immolatum, ut ipsius Mysterium peragentis potestati collibuerat... Itaque si quis inde tempus incipiat dimetiri, cùm Sacrificium Deo factum est à Magno illo Principe Sacerdotum, qui ratione, qua nec verbis explicari, nec oculis perspici potuit, seipsum pro communi hominum salute tanquam agnum obtulit, non recedet à veritate. Erat enim vespera, cùm sacrum illud Corpus comederunt.*

Tria docet *S. Gregorius Nyssenus*: Primò, Christum se Deo Patri in Cœna obtulisse arcano Sacrificii genere. Secundò, se obtulisse & immolasse pro nobis hostiam & victimam; ex quo Sacrificium ejus propitiatorium fuisse colligitur. Tertiò, Sacrificium ipsius manducatione corporis immolati, & potatione sanguinis mysticè effusi, adeòque mystica & Sacramentali destructione victimæ fuisse consummatum.

XI. *S. Chrysostomus* Homilia XI. ad Populum Antiochenum: *Ad mensam* (inquit) *veniente Domino, servos qui Dominum offenderunt adesse non oportet, sed procul arceantur; ita & hîc dum profertur Sacrificium, & Christus immolatur, & Ovis Dominica, cùm audieris, Oremus omnes communiter, cùm vela videris retrahi, tunc supernè Cœlum cogita aperiri, & Angelos descendere.*

Et Homilia III. in Epistolam ad Ephesios, Eucharistiam sæpius θυσίαν id est, Sacrificium nominat. *Hoc*, inquit, *apud te cogita; Qui antiqui Sacrificii participes erant, quantam adhibebant cautionem? Quid enim non agebant? Quid non faciebant? Omni tempore purgabantur. Tu verò ad Sacrificium accedens, quod & Angelis horrorem parit, annorum revolutionibus rem tantam circumscribis?* Item Oratione IV. contra Judæos: *Hæc omnia* (inquit) *facta sunt, veteri sublato Sacrificio, & altero in ejus locum suffecto, quod per Christi Corpus transigitur.* Et *Oratione in S. Eustathium Antiochenum*, Novæ Legis Sacrificium cum illo Abrahami comparans, quando Isaacum obtulit, ait: *Est & sine cruore Sacrificium. Norunt hoc quod dico, quicunque initiati sunt. Ac propterea sine sanguine transactum est illud, quoniam istius figura esse debebat;* incruenti scilicet Novæ Legis Sacrificii. Lege eumdem in libris de Sacerdotio, Homilia III. & IV. De Incomprehensibili Dei Natura, & XXI. in Acta Apostolorum.

XII. *S. Cyrillus Alexandrinus* in Epistola ad *Nestorium* eidem Fidei Dogmati luculenter ac perspicuè suffragatur. *Necessario igitur & hoc adjicimus* (inquit) *Annuntiantes enim secundum carnem mortem unigeniti Filii Dei, id est, Jesu Christi, & Resurrectionem ejus, & in cœlos Ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Ecclesiis Sacrificii servitutem, sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti Corporis & pretiosi Sanguinis Christi omnium nostrûm Redemptoris effecti: non sicut communem carnem percipientes, quod absit: nec ut viri sanctificati & Verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem; aut sicut divinam possidentis habitationem, sed ut verè vivificatricem, & ut Verbi propriam factam.* Hoc ipsum repetit in Declaratione Anathematismi XI.

Epiphanius quoque Diaconus, Septima Synodo Oecumenica approbante, ait, *Neminem unquam Apostolorum aut Patrum incruentum illud Sacrificium, quod à Sacerdote offertur, Imaginem dixisse, verùm ipsum Corpus & Sanguinem Christi.*

Ex his purioris antiquitatis testimoniis, quibus Eucharistiæ confectio *Sacrificium Incruentum* appellatur, apparet hanc doctrinam à Deo traditam esse. Nam Patres ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit, ut *Tertulliani* verbis utar. Cùm verò Eucharistiam, Liturgiam sive Sacram, seu Missam, *Incruentum Sacrificium* esse Ecclesiæ Apostolicæ, vel soboles Apostolicarum Ecclesiarum semper docuerint & doceant, in fumos abeunt illa *Zuinglii & Calvini* argumenta; Zuinglius quidem in Senatus Tigurini Responsione ad Episcopum Constantiensem: *Christus illic tantùm offertur, ubi moritur, patitur, & sanguinem suum effundit:*

dit : *At Christus ampliùs mori non potest, nec ampliùs patitur, vel sanguinem fundit : ergo Christus ampliùs offerri non potest.* Calvini verò lib. IV. Institutionum, Cap. XVIII. *Eo* (inquit) *directè spectat Missa, ut rursum, si fieri possit, trucidetur Christus.* Nam ubi testamentum est (*inquit Apostolus*) mortem testatoris intercedere illic necesse est. *Missa novum Christi testamentum præ se fert : ejus ergo mortem postulat. Præterea, hostiam quæ offertur, occidi & immolari necesse est.* Si *Christus singulis Missis sacrificatur : eum singulis momentis mille in locis crudeliter interfici oportet. Non id meum est, sed Apostoli argumentum : si necesse habuisset sæpius offerre semetipsum, oportuisse illum frequenter pati ab origine mundi.*

Latinorum Patrum testimonia dogma Catholicũ de Sacrificio Missæ celebrantia.

XIII. Latinorum Patrum summus est in asserenda Catholici Dogmatis de Sacrificio Missæ veritate cum Græcis consensio. *Tertullianus* lib. de Oratione, Cap. 14. agens de Stationum sive semijejuniorum diebus, per quos nonnulli ab Eucharistiæ participatione abstinebant, solvendum accepto Sacramento jejunium falsò existimantes, ait : *Similiter & de Stationum diebus ; non putant plerique Sacrificiorum orationibus interveniendum ; quòd Statio solvenda sit accepto Corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit ? An magis Deo obligat ? Nonne solemnior erit Statio tua, si & ad Aram Dei steteris ? Accepto Corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est, & participatio Sacrificii, & executio officii.* Item lib. ad *Scapulam*, Cap. II. *Sacrificavimus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius.* Et lib. de Cultu Fœminarum, Cap. XI. *Vobis nulla procedendi causa non tetrica : Aut imbecillus aliquis ex Fratribus visitatur, aut Sacrificium offertur, aut verbum Dei administratur. Quodlibet horum, sanctitatis & gravitatis negotium est.*

Sanguis Christi à sacerdotibus offertur : Sacerdotes Christum in sacrificium offerunt quemadmodum Christus sacrificium Patri seipsum obtulit.

XIV. *S. Cyprianus* Epistola LXIII. & alibi, Eucharistiæ confectionem sæpe Sacrificium vocat. *Unde apparet*, inquit, *Sanguinem Christi non offerri, si desit vinum Calici, nec Sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi Oblatio & Sacrificium nostrum responderit Passioni. . . Nam si Jesus Christus Dominus & Deus noster ipse est Summus Sacerdos Dei Patris, & Sacrificium Patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit : utique ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur : & Sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerri, secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse.* Et Epistola LIV. ad Cornelium : *Non pœnitet*, inquit, *pacem concessisse tam fortibus. Immo Episcopatus nostri honor grandis & gloria est, pacem dedisse Martyribus : ut Sacerdotes qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus.* Idem in libro de Lapsis sæpe nomen Sacrificii Eucharistiæ confectioni tribuit.

XV. Idem confirmat *Optatus Milevitanus*, lib. III. *Dicebatur*, inquit, *illo tempore venturos esse Paulum & Macarium, qui interessent Sacrificio, & cùm Altaria solemniter aptarentur, proferrent illi Imaginem, quam primò in Altari ponerent : sic Sacrificium offerretur. Hoc cùm acciperent aures, perculsi sunt animi. Nihil probavit affectus ex iis quibus perturbatus erat auditus. Visa est puritas, & ritu solito solemnis consuetudo perspecta est. Cùm viderent Divinis Sacrificiis nec mutatum quidquam, nec additum, nec ablatum, Pax à Deo commendata volentibus placuit.* Eò etiam pertinet mentio Altarium, & Oblationis, & Calicum quibus Christi Sanguis portatur, initio libri VI.

XVI. *S. Ambrosius* in Cap. I. S. Lucæ : *Quando sacrificamus, Christus adest, Christus immola-*
A *tur. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.* Et lib. I. de Officiis, Cap. XLI. hæc verba S. *Laurentii* ad *Xistum* Papam & Martyrem refert : *Quo progrederis sine filio, Pater ? Quò Sacerdos sancte sine Diacono properas ? Tu nunquam sine Ministro Sacrificium offerre consueveras.* Et Epistola LIX. ad Imperatorem *Theodosium*, quando illum ob cædem Thessalonicæ patratam à Communione repulit : *Offerre* (inquit) *non audeo Sacrificium, si volueris assistere.* Et Epistola ad *Marcellinam* Sororem, XIV. libri II. de Basilicis non tradendis : *Ego* (inquit) *mansi in munere, Missam facere cœpi. Dum*
B *offero, raptum agnovi à populo Castulum quemdam, quem Presbyterum dixerunt Ariani : Hunc in platea offenderant transeuntes. Amarissimè flere, & orare in ipsa Oblatione Deum cœpi ut subveniret.* Et Commentario in Psalmum XXXVIII. *Vidimus*, inquit, *Principem Sacerdotum ad nos venientem : Vidimus & audivimus offerentem pro nobis Sanguinem suum. Sequamur, ut possumus, Sacerdotes, ut offeramus pro populo Sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles Sacrificio ; quia etsi nunc Christus non videtur offerri, tamen ipse offertur in terris, quando Christi Corpus offertur : immo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat Sacrificium quod offertur.*

Sacerdotes offerunt pro populo sacrificium corporis Christi.

C XVII. *S. Hieronymus* lib. III. adversùs Pelagianos, & Sacrificii meminit, & Orationis Dominicæ tunc recitandæ. *Sic docuit Apostolos suos* (inquit) *ut quotidie in Corporis illius Sacrificio credentes audeant loqui : Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum*, &c. Et in Dialogo adversùs Luciferianos : *Quamobrem, oro te, ut aut sacrificandi ei licentiam tribuas, cujus baptisma probes, aut reprobes ejus baptisma, quem non existimas Sacerdotem. Neque enim fieri potest, ut qui in baptismate sanctus est, sit apud Altare peccator.* Et lib. ad-
D versùs *Vigilantium* Cap. III. *Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli ossa veneranda, secundùm te pulvisculum, offert Domino Sacrificia, & tumulos eorum arbitratur Altaria, idque non solùm unius urbis, sed totius orbis faciunt Episcopi.* Et Epistola CXLVI. ad *Damasum*, ita scribit. *Vitulus saginatus, qui ad Pœnitentis immolatur salutem, ipse Salvator est, cujus quotidie carne pascimur, cruore potamur... Hoc convivium quotidie celebratur ; quotidie Pater filium recipit : semper Christus credentibus immolatur.*

Christus quotidie in Altari credentibus immolatur.

E XVIII. *S. Augustinus* lib. X. de Civitate Dei, Cap. XX. visibile & quotidianum Ecclesiæ Sacrificium his verbis commendat : *Verus ille Mediator, in quantum formam servi accipiens Mediator effectus est Dei & hominum homo Christus Jesus, cùm in forma Dei Sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus est ; tamen in forma servi Sacrificium maluit esse, quam sumere ; ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum voluit esse Ecclesiæ Sacrificium : quæ cùm ipsius Capitis corpus sit, seipsam per Ipsum discit offerre. Hujus*
F *veri Sacrificii multiplicia variaque signa erant Sacrificia prisca Sanctorum, cùm hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multùm commendaretur. Huic summo veróque Sacrificio cuncta Sacrificia falsa cesserunt.*

Christus Sacerdos & victima.

Quotidianum Ecclesiæ sacrificium.

Et lib. XVII. Cap. XX. illud Sapientis Oraculum Proverbiorum IX. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis*, ad Novæ Legis Sacrificium applicat, & in illis verbis *apparere* dicit *Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech.* Tum quod Ecclesiastis V. scriptum est ; *Non est bonum homini*

hominis nisi quod manducabit & bibet, sic interpretatur: *Quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem Mensa hujus pertinet, quam Sacerdos ipse Mediator Testamenti Novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de Corpore & Sanguine suo? Id enim Sacrificium successit omnibus illis Sacrificiis Veteris Testamenti, qua immolabantur in umbra futuri. Propter quod etiam vocem illam in Psalmo trigesimo nono, ejusdem Mediatoris per* » *Prophetiam loquentis agnoscimus*: Sacrificium & » oblationem noluisti; Corpus autem perfecisti mihi. *Quia pro illis omnibus sacrificiis, & oblationibus Corpus ejus offertur, & participantibus ministratur.*

Sacrificium successum Corporis Christi in Eucharistia, successit omnibus Sacrificiis veteris Testamenti.

Et lib. XXII. Cap. VIII. Miracula quædam referens ætate sua patrata, & inter alia narrans quomodo *Hesperii* Viri Tribunitii domus à Dæmonum infestatione liberata sit: *Rogavit nostros* (inquit) *me absente Presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus: obtulit ibi Sacrificium Corporis Christi, orans quantùm potuit, ut cessaret illa vexatio; Deo protinus miserante cessavit.*

Verissimum & singulare Sacrificium.

Et lib. de Spiritu & Litera Cap. XI. *Dei cultum in hoc maximè constitutum esse* docet, *ut Anima ei non sit ingrata. Unde & in ipso verissimo & singulari Sacrificio, Domino Deo nostro agere gratias admonemur.*

Et Sermone CXIII. de Diversis, *Mensam Cypriani*, id est, Altare in Carthaginensi Ecclesia vocari dicit, *Non in qua pascat, sive pascatur, sed in qua Sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur.*

Christus in Sacramento omni die populis immolatus.

Idem Epistola XXIII. ad Bonifacium: *Nonne semel immolatus est Christus in se ipso; & tamen in Sacramento non solùm per omnes Pascha Solemnitates, sed omni die populis immolatur; nec utique mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari.*

Et libro primo de Origine Animæ, Cap. IX. *Quis*, inquit, *offerat Sacrificium Corporis Christi, nisi pro iis qui sunt membra Christi?*

XIX. *S. Leo* Epistola LXXXI. sive XI. secundùm Editionem *P. Quenellii* ad *Dioscorum* Alexandrinum Episcopum data, Missæ Sacrificium eadem Festivitatis die iterandum esse scribit, cùm & Basilica angustior est quàm ut totum simul populum capere queat, & ingens Fidelium multitudo convenit. *Ut autem*, inquit, *in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri: ut cùm solemnior quæque Festivitas Conventum Populi numerosioris indixerit, & ea Fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, Sacrificii Oblatio indubitanter iteretur: ne his tantùm admissis ad hanc devotionem qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti: cùm plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia nova plebis impleverit, toties Sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem ut quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantùm Missa more servato, Sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint. Studiosè ergo Dilectionem tuam & familiariter admonemus; ut quod nostra Consuetudini ex forma Paterna Traditionis insedit, tua quoque cura non negligat: ut per omnia nobis & fide, & actibus congruamus.*

Sacrificii Missæ oblatio solemnium Festivitatum diebus iterata.

XX. *S. Fulgentius* lib. 2. ad *Monimum* Cap. VI. de Sacrificio Eucharistiæ disertè ac luculenter disserit, celebrem illam Quæstionem pertractans: *Cur si omni Trinitati Sacrificium offertur, ad sacrificandum Oblationis nostra munus Sancti Spiritus tantùm missio postulatur? Quasi verò (ut ita dicam) ipse Pater Deus, à quo Spiritus Sanctus procedit, Sacrificium sibi oblatum sanctificare non possit; aut ipse Filius sanctificare nequeat Sacrificium Corporis sui, quod offerimus nos, cùm Corpus suum ipse sanctificaverit, quod obtulit ut redimeret nos: aut ita Spiritus ad consecrandum Ecclesia Sacrificium mittendus sit, tanquam Pater aut Filius sacrificantibus desit.* Cui deinceps Quæstioni respondet, ac præsertim Cap. X. ita scribit: *Quando autem congruentiùs, quàm ad consecrandum Sacrificium Corporis Christi, Sancta Ecclesia, qua Corpus Christi est, Spiritus Sancti deposcat adventum?* Et Cap. XI. *Hac*, inquam, *ædificatio spiritalis nunquam opportuniùs petitur, quàm cùm ab ipso Christi Corpore, quod est Ecclesia, in Sacramento Panis & Calicis, ipsum Christi Corpus & Sanguis offertur.*

In Sacramento Panis & Calicis Christi Corpus & Sanguis offertur.

XXI. Concilium Toletanum XII. Canone V. anno 681. verum & singulare Sacrificium Corporis Christi in Ecclesia commendat his verbis: *Relatum nobis est, quosdam de Sacerdotibus non eis vicibus Communionis Sancta gratiam sumere, quot Sacrificia in uno die Deo videntur offerre: sed in uno die, si plurima per se Deo offerant Sacrificia, in omnibus se Oblationibus à communicando suspendunt: & in sola tantùm extremi Sacrificii oblatione Communionis Sancta gratiam sumunt: quasi non sit toties illi vero & singulari Sacrificio participandum, quoties Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi immolatio facta constiterit. Nam ecce Apostolus dicit* *: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt Altaris? Certum est, quòd hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominicis Sacramentis. Quicunque ergo Sacerdotum deinceps divino Altario Sacrificium oblaturus accesserit, & se à Communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter privavit, gratia Communionis anno uno repulsam se noverit. Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse cognoscitur? Ergo modis omnibus est tenendum, ut quotiescunque Sacrificans Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi in Altario immolat, perceptionis Corporis & Sanguinis Christi participem se præbeat.*

* 1. Cor. 10.

XXII. *S. Gregorius Magnus* lib. IV. Dialogorum Cap. 55. ait se pro *Justo* Monacho in suo Monasterio vita functo *diebus triginta continuis offerri Sacrificium* jussisse. Et Cap. 56. de *Cassio* Narniensi Episcopo scribit: *Quotidianum offerre Deo consueverat Sacrificium, seque in lachrymis inter ipsa Sacrificiorum arcana mactabat... Qui post annos septem, ipso Natalitio Apostolorum die, cùm Missarum solemnia peregisset, & Mysteria sacra Communionis accepisset, è corpore exiit.* Sanctissimus idem Pontifex Missæ Ritum & Ordinem fusè descripsit in Sacramentario.

XXIII. *S. Isidorus Hispalensis* lib. de Ecclesiast. Officiis, Cap. XV. asserit *Ordinem Missæ vel Orationum, quibus oblata Deo Sacrificia consecrantur, primum à Sancto Petro esse institutum, cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit Orbis.*

XXIV. His addi possunt Auctorum omnium qui de Ecclesiasticis Officiis post *S. Isidorum* scripsere testimonia; Liturgiæ omnes; quæ S. *Jacobi* Apostoli nomine inscripta est, quam Trullana Synodus Canone 32. laudavit; item ea quæ sub *S. Clementis* nomine in lib. Constitutionum descripta est: Item illa quam *Dionysius* Cap. III. Ecclesiasticæ Hierarchiæ magnifico stylo describit. Quæ sanè antiquissimæ sunt. Item Liturgiæ SS. *Basilii* & *Chrysostomi*: Chaldaïca, qua Nestoriani & Jacobitæ per Syriam, Assyriam, Persidem, & Indiam, aliásque finitimas Asiæ regiones disseminati utuntur: Coptica, quam *Athanasius Kircherius* in Prodromo Copto veterem Ægyptiacam esse docet: Copticæ similis Æthyopica: Armenica, cujus Sy-

Dogma Catholicum ex veteribus Liturgiis confirmatum.

dit: *At Christus ampliùs mori non potest, nec ampliùs patitur, vel sanguinem fundit: ergo Christus ampliùs offerri non potest.* Calvini verò lib. IV. Institutionum, Cap. XVIII. *Eo* (inquit) *directè spectat Missa, ut rursum, si fieri possit, trucidetur Christus.* Nam ubi testamentum est (*inquit Apostolus*) mortem testatoris intercedere illic necesse est. *Missa novum Christi testamentum præ se fert: ejus ergo mortem postulat. Præterea, hostiam quæ offertur, occidi & immolari necesse est. Si Christus singulis Missis sacrificatur: eum singulis momentis mille in locis crudeliter interfici oportet. Non id meum est, sed Apostoli argumentum: si necesse habuisset sæpius offerre semetipsum, oportuisse illum frequenter pati ab origine mundi.*

Latinorum Patrum testimonia dogma Catholicũ de sacrificio Missæ celebrant.

XIII. Latinorum Patrum summa est in asserenda Catholici Dogmatis de Sacrificio Missæ veritate cum Græcis consensio. *Tertullianus* lib. de Oratione, Cap. 13. agens de Stationum sive semijejuniorum diebus, per quos nonnulli ab Eucharistiæ participatione abstinebant, solvendum accepto Sacramento jejunium falsò existimantes, ait: *Similiter & de Stationum diebus; non putant plerique Sacrificiorum orationibus interveniendum; quòd Statio solvenda sit accepto Corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit? An magis Deo obligat? Nonne solemnior erit Statio tua, si & ad Aram Dei steteris? Accepto Corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est, & participatio Sacrificii, & executio officii.* Idem lib. ad *Scapulam*, Cap. II. *Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius.* Et lib. de Cultu Fœminarum, Cap. XI. *Vobis nulla procedendi causa non tetrica: Aut imbecillus aliquis ex Fratribus visitatur, aut Sacrificium offertur, aut verbum Dei administratur. Quodlibet horum, sanctitatis & gravitatis negotium est.*

Sanguis Christi à sacerdotibus offertur Sacerdotes Christum in sacrificium offerunt quemadmodum Christus sacrificium Patri seipsum obtulit.

XIV. *S. Cyprianus* Epistola LXIII. & alibi, Eucharistiæ confectionem sæpe Sacrificium vocat. *Unde apparet*, inquit, *Sanguinem Christi non offerri, si desit vinum Calici, nec Sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi Oblatio & Sacrificium nostrum responderit Passioni... Nam si Jesus Christus Dominus & Deus noster ipse est Summus Sacerdos Dei Patris, & Sacrificium Patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit: utique ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur: & Sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerri, secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse.* Et Epistola LIV. ad Cornelium: *Non pœnitet*, inquit, *pacem concessisse tam fortibus. Immo Episcopatus nostri honor grandis & gloria est, pacem dedisse Martyribus: ut Sacerdotes qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus.* Idem in libro de Lapsis sæpe nomen Sacrificii Eucharistiæ confectioni tribuit.

XV. Idem confirmat *Optatus Milevitanus*, lib. III. *Dicebatur*, inquit, *illo tempore venturos esse Paulum & Macarium, qui interessent Sacrificio, & cùm Altaria solemniter aptarentur, proferrent illi Imaginem, quam primò in Altari ponerent: sic Sacrificium offerretur. Hoc cùm acciperent aures, perculsi sunt animi. Nihil probavit aspectus ex iis quibus perturbatus erat auditus. Visa est puritas, & ritu solito solemnis consuetudo perspecta est. Cum viderent Divinis Sacrificiis nec mutatum quidquam, nec additum, nec ablatum, Pax à Deo commendata volentibus placuit.* Eò etiam pertinet mentio Altarium, & Oblationis, & Calicum quibus Christi Sanguis portatur, initio libri VI.

XVI. *S. Ambrosius* in Cap. I. S. Lucæ: *Quando sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.* Et lib. I. de Officiis, Cap. XLI. hæc verba *S. Laurentii* ad *Xistum* Papam & Martyrem refert: *Quo progrederis sine filio, Pater? Quò Sacerdos sancte sine Diacono properas? Tu nunquam sine Ministro Sacrificium offerre consueveras.* Et Epistola LIX. ad Imperatorem *Theodosium*, quando illum ob cædem Thessalonicæ patratam à Communione repulit: *Offerre* (inquit) *non audeo Sacrificium, si volueris assistere.* Et Epistola ad *Marcellinam* Sororem, XIV. libri II. de Basilicis non tradendis: *Ego* (inquit) *mansi in munere, Missam facere cœpi. Dum offero, raptum agnovi à populo Castulum quemdam, quem Presbyterum dixerunt Ariani: Hunc in platea offenderant transeuntes. Amarissimè flere, & orare in ipsa Oblatione Deum cœpi ut subveniret.* Et Commentario in Psalmum XXXVIII. *Vidimus*, inquit, *Principem Sacerdotum ad nos venientem: Vidimus & audivimus offerentem pro nobis Sanguinem suum. Sequamur, ut possumus, Sacerdotes, ut offeramus pro populo Sacrificium; etsi infirmi merito, tamen honorabiles Sacrificio; quia etsi nunc Christus non videtur offerri, tamen ipse offertur in terris, quando Christi Corpus offertur: immo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat Sacrificium quod offertur.*

Sacerdotes offerunt pro populo sacrificium corporis Christi.

XVII. *S. Hieronymus* lib. III. adversùs Pelagianos, & Sacrificii meminit, & Orationis Dominicæ tunc recitandæ. *Sic docuit Apostolos suos* (inquit) *ut quotidie in Corporis illius Sacrificio credentes audeant loqui: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum*, &c. Et in Dialogo adversùs Luciferianos: *Quamobrem, oro te, ut aut sacrificandi ei licentiam tribuas, cujus baptisma probes, aut reprobes ejus baptisma, quem non existimas Sacerdotem. Neque enim fieri potest, ut qui in baptismate sanctus est, sit apud Altare peccator.* Et lib. adversùs *Vigilantium* Cap. III. *Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli ossa veneranda, secundùm te pulvisculum, offert Domino Sacrificia, & tumulos eorum arbitratur Altaria. idque non solùm unius urbis, sed totius orbis faciunt Episcopi.* Et Epistola CXLVI. ad *Damasum*, ita scribit: *Vitulus saginatus, qui ad Pœnitentis immolatur salutem, ipse Salvator est, cujus quotidie carne pascimur, cruore potamur... Hoc convivium quotidie celebratur, quotidie Pater filium recipit: semper Christus credentibus immolatur.*

Christus quotidie in Altari credentibus immolatur.

XVIII. *S. Augustinus* lib. X. de Civitate Dei, Cap. XX. visibile & quotidianum Ecclesiæ Sacrificium his verbis commendat: *Verus ille Mediator, in quantum formam servi accipiens Mediator effectus est Dei & hominum homo Christus Jesus, cum in forma Dei Sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus est, tamen in forma servi Sacrificium maluit esse, quam sumere; ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum voluit esse Ecclesiæ Sacrificium: quæ cùm ipsius Capitis corpus sit, seipsam per Ipsum discit offerre. Hujus veri Sacrificii multiplicia variaque signa erant Sacrificia prisca Sanctorum, cùm hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multùm commendaretur. Huic summo veróque Sacrificio cuncta Sacrificia falsa cesserunt.*

Christus Sacerdos & victima.

Quotidianũ Ecclesiæ sacrificium.

Et lib. XVII. Cap. XX. illud Sapientis Oraculum Proverbiorum IX. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis*, ad Novæ Legis Sacrificium applicat, & in illis verbis *apparere* dicit *Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech.* Tum quod Ecclesiastis V. scriptum est; *Non est bonum homini*

hominis nisi quod manducabit & bibet, sic interpretatur: *Quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem Mensæ hujus pertinet, quam Sacerdos ipse Mediator Testamenti Novi exhibet secundùm ordinem Melchisedech de Corpore & Sanguine suo? Id enim Sacrificium successit omnibus illis Sacrificiis Veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. Propter quod etiam vocem illam in Psalmo trigesimo nono, ejusdem Mediatoris per* » *Prophetiam loquentis agnoscimus:* Sacrificium & » oblationem noluisti; Corpus autem perfecisti mihi. *Quia pro illis omnibus sacrificiis, & oblationibus Corpus ejus offertur, & participantibus ministratur.*

Sacrificium incruentum Corporis Christi in Eucharistia, successit omnibus Sacrificiis veteris Testamenti.

Et lib. XXII. Cap. VIII. Miracula quædam referens ætate sua patrata, & inter alia narrans quomodo *Hesperii* Viri Tribunitii domus à Dæmonum infestatione liberata sit: *Rogavit nostros* (inquit) *me absente Presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus: obtulit ibi Sacrificium Corporis Christi, orans quantùm potuit, ut cessaret illa vexatio; Deo protinus miserante cessavit.*

Et lib. de Spiritu & Litera Cap. XI. *Dei cultum in hoc maximè constitutum esse* docet, *ut Anima ei non sit ingrata. Unde & in ipso verissimo & singulari Sacrificio, Domino Deo nostro agere gratias admonemur.*

Verissimum & singulare Sacrificium.

Et Sermone CXIII. de Diversis, *Mensam Cypriani*, id est, Altare in Carthaginensi Ecclesia vocari dicit, *Non in qua pascat, sive pascatur, sed in qua Sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur.*

Idem Epistola XXIII. ad Bonifacium: *Nonne semel immolatus est Christus in se ipso; & tamen in Sacramento non solùm per omnes Paschæ Solemnitates, sed omni die populis immolatur; nec utique mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari.*

Christus in Sacramento omni die populis immolatus.

Et libro primo de Origine Animæ, Cap. IX. *Quis*, inquit, *offerat Sacrificium Corporis Christi, nisi pro iis qui sunt membra Christi?*

XIX. *S. Leo* Epistola LXXXI. sive XI. secundùm Editionem *P. Quesnellii* ad *Dioscorum* Alexandrinum Episcopum data, Missæ Sacrificium eadem Festivitatis die iterandum esse scribit, cùm & Basilica angustior est quàm ut totum simul populum capere queat, & ingens Fidelium multitudo convenit. *Ut autem*, inquit, *in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri: ut cùm solemnior quæque Festivitas Conventum Populi numerosioris indixerit, & ea Fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, Sacrificii Oblatio indubitanter iteretur: ne his tantùm admissis ad hanc devotionem qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti: cùm plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia nova plebis impleverit, toties Sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem ut quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantùm Missæ more servato, Sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint. Studiosè ergo Dilectionem tuam & familiariter admonemus; ut quod nostra Consuetudini ex forma Paterna Traditionis insedit, tua quoque cura non negligat: ut per omnia nobis & fide, & actibus congruamus.*

Sacrificii Missæ oblatio solemnium Festivitatum diebus iterata.

XX. *S. Fulgentius* lib. 2. ad *Monimum* Cap. VI. de Sacrificio Eucharistiæ disertè ac luculenter disserit, celebrem illam Quæstionem pertractans: *Cur si omni Trinitati Sacrificium offertur, ad sacrificandum Oblationis nostræ munus Sancti Spiritus tantùm missio postuletur? Quasi verè (ut ita dicam) ipse Pater Deus, à quo Spiritus Sanctus procedit, Sacrificium sibi oblatum sanctificare non possit; aut ipse Filius sanctificare nequeat Sacrificium Corporis sui, quod offerimus nos, cùm Corpus suum ipse sanctificaverit, quod obtulit ut redimeret nos: aut ita Spiritus ad consecrandum Ecclesiæ Sacrificium mittendus sit, tanquam Pater aut Filius sacrificantibus desit.* Cui deinceps Quæstioni respondet, ac præsertim Cap. X. ita scribit: *Quando autem congruentiùs, quàm ad consecrandum Sacrificium Corporis Christi, Sancta Ecclesia, quæ Corpus Christi est, Spiritus Sancti deposcat adventum?* Et Cap. XI. *Hæc*, inquam, *ædificatio spiritalis nunquam opportuniùs petitur, quàm cùm ab ipso Christi Corpore, quod est Ecclesia, in Sacramento Panis & Calicis, ipsum Christi Corpus & Sanguis offertur.*

In Sacramento panis & Calicis Christi Corpus & Sanguis offertur.

XXI. Concilium Toletanum XII. Canone V. anno 681. verum & singulare Sacrificium Corporis Christi in Ecclesia commendat his verbis: *Relatum nobis est, quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus Communionis Sanctæ gratiam sumere, quot Sacrificia in uno die Deo videntur offerre: sed in uno die, si plurima per se Deo offerant Sacrificia, in omnibus se Oblationibus à communicando suspendunt: & in sola tantùm extremi Sacrificii oblatione Communionis Sanctæ gratiam sumunt: quasi non sit toties illi vero & singulari Sacrificio participandum, quoties Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi immolatio facta constiterit. Nam ecce Apostolus dicit**: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt Altaris? Certum est, quòd hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominicis Sacramentis. Quicunque ergo Sacerdotum deinceps divino Altario Sacrificium oblaturus accesserit, & se à Communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter privavit, gratia Communionis anno uno repulsum se noverit. Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse cognoscitur? Ergo modis omnibus est tenendum, ut quotiescunque Sacrificans Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi in Altario immolat, perceptionis Corporis & Sanguinis Christi participem se præbeat.*

* 1. Cor. 10.

XXII. *S. Gregorius Magnus* lib. IV. Dialogorum Cap. 55. ait se pro *Justo* Monacho in suo Monasterio vita functo *diebus triginta continuis offerri Sacrificium* jussisse. Et Cap. 56. de *Cassio* Narniensi Episcopo scribit: *Quotidianum offerre Deo consueverat Sacrificium, seque in lachrymis inter ipsa Sacrificiorum arcana mactabat... Qui post annos septem, ipso Natalitio Apostolorum die, cùm Missarum solemnia peregisset, & Mysteria sacra Communionis accepisset, è corpore exiit.* Sanctissimus idem Pontifex Missæ Ritum & Ordinem fusè descripsit in Sacramentario.

XXIII. *S. Isidorus Hispalensis* lib. de Ecclesiast. Officiis, Cap. XV. asserit *Ordinem Missæ vel Orationum, quibus oblata Deo Sacrificia consecrantur, primùm à Sancto Petro esse institutum, cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit Orbis.*

XXIV. His addi possunt Auctorum omnium qui de Ecclesiasticis Officiis post *S. Isidorum* scripsere testimonia; Liturgiæ omnes; quæ *S. Jacobi* Apostoli nomine inscripta est, quam Trullana Synodus Canone 32. laudavit; item ea quæ sub *S. Clementis* nomine in lib. Constitutionum descripta est: Item illa quam *Dionysius* Cap. III. Ecclesiasticæ Hierarchiæ magnifico stylo describit. Quæ sanè antiquissimæ sunt. Item Liturgiæ SS. *Basilii* & *Chrysostomi*: Chaldaïca, qua Nestoriani & Jacobitæ per Syriam, Assyriam, Persidem, & Indiam, aliásque finitimas Asiæ regiones disseminati utuntur: Coptica, quam *Athanasius Kircherius* in Prodromo Copto veterem Ægyptiacam esse docet: Copticæ similis Æthyopica: Armenica, cujus Sy-

Dogma Catholicum ex veteribus Liturgiis confirmatum.

nopsim apud Cassandrum in Liturgicis Cap. 12. legere est: Liturgia Maronitarum, quæ Chaldaïca sive Syriaca lingua peragitur. *Abraham Ecchellensis* in Notis ad Catalogum *Hebediesu* pag. 134. numerari ait apud Orientis Christianas Gentes supra quinquaginta Liturgias, partim communes, partim proprias singularum gentium; ex his autem extare penes se triginta & unam, quas recenset. *Gabriel Sionita* in Epistola ad *Nihusium*, De nonnullis Ritibus Maronitarum, quæ inter Symmicta *Leonis Allatii* edita est, MS. Codicem se habere testatus est, sexdecim Anaphoras seu Liturgias continentem, quas enumerat. Extant in Bibliotheca Patrum & aliæ duæ, *Gregorii Nazianzeni* & *Cyrilli Alexandrini* nomine prænotatæ, quas *Victorius Scialach* ex textu Arabico Latinas fecit. *S. Ambrosius* tam Missæ, quàm cæterorum dispositionem Officiorum, suæ Ecclesiæ, & aliis Liguribus ordinavit: Quæ & usque hodie in Mediolanensi tenentur Ecclesia (inquit *Walafridus Strabo*, lib. de Rebus Ecclesiasticis, Cap. 22.) Straboni autem suffragatur illius Ecclesiæ & totius Italiæ Traditio. Missa Mozarabica sive Gothica in usu fuit apud Hispanos, vicinasque gentes, ab initio v. Seculi usque ad Gregorium VII. quo præcipiente Romanum Ritum susceperunt. Missæ Mozarabicæ similem fuisse Gallicanam, probat Doctissimus Cardinalis *Bona* lib. 1. Rerum Liturgicarum, Cap. xii. Num. v. Primò ex eo quòd Sanctorum Gesta & Passiones in Præfationibus & aliis precibus insertas haberet, ut colligitur ex Epistola *Hilduini* Abbatis ad *Ludovicum Pium*, ejus Areopagiticis præfixa. Secundò, ex eo quòd *Carolus Calvus* Rex Francorum ab Ecclesia Toletana acciverit Presbyteros, qui prisco & dudum in Gallus abolito Ritu coram se Sacrificium offerrent, ut ipse testatur in Epistola ad Clerum Ravennatem. *Matthias Flaccus Illyricus* Centuriatorum Magdeburgensium ac Rigidorum Lutheranorum Princeps, Missam Latinam in antiquo Codice MS. repertam Typis mandavit Argentinæ anno MDLV. eique hunc titulum præfixit: *Missa Latina, quæ olim ante Romanam circa septingentesimum Domini annum in usu fuit, bona fide ex vetusto authenticóque Codice descripta.* Hanc non ita antiquam esse, nec à Romana differre, immò eandem esse, sed interpolatam pluribus adjunctis Orationibus, probat Doctissimus Cardinalis *Bona*, Rerum Liturgicarum lib. 1. Cap. xii. Num. 11. Qui & ipsam edidit in Appendice eruditi Operis. De illa rectè censuit *Georgius Vuicellius*, Lutheranus olim, postea Catholicus, in Defensione Liturgiæ Ecclesiasticæ. *Edidit*, inquit, *Illyricus repertum Missæ Latinum, non triumphans tamen de thesauro tanto adversùs Catholicos, cum vel caecutienti homini appareat, totum illud quod edidit contra Lutheri Calvinique Sectas edidisse, sed & nobis Catholicis rem longè gratissimam fecisse. Quid enim ibi nisi Missam Latinam, qua hodie in usu generali est, insciens imprudensque defendit? Tantum abest, ut suo Sectæque more oppugnet. Locupletior est illa quidem, plusque precum continet, sed omnino tamen eadem est cum usitata; cujus etiam dicta factáque omnia passim sequitur, ut diversam esse confirmare nemo audeat.* Quæ autem in hujusmodi Liturgiis varietas occurrit, solos ritus spectat, non ipsam Sacrificii substantiam. Quid Paschasium, S. Anselmum, Rupertum, Lanfrancum, Guitmundum, Algerum, S. Bernardum commemorem, quos sibi adversari, & Missam verum Novi Testamenti Sacrificium, idque propitiatorium agnovisse, celebrasse, Lutherani & Calvinistæ non diffitentur.

XXV. *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacensis Epistola 11. hunc Petrobusianorum errorem inter alios refellit, quo *veritatem Corporis & Sanguinis Domini quotidie & continuè in Ecclesia per Sacramentum offerri* negarunt. *Respondet vobis* (inquit) *hostes Dei, Ecclesia Dei, se neque absque Sacrificio esse: nec illo suo Sacrificio aliquid aliud quàm Corpus & Sanguinem sui Redemptoris offerre. Offert quidem illa Domino Deo suo Sacrificium spiritus contribulatum, de quo Propheta:* Sacrificium Deo spiritus contribulatus. *Offert sacrificium justitiæ, de quo idem:* Tunc acceptabis Sacrificium justitiæ. *Offert Sacrificium laudis, de quo qui supra:* Immola Deo Sacrificium laudis. *Sed longè acceptabilius offert Sacrificium, eum scilicet qui, juxta Apostolum,* Per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. *Offert Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, qui nec immolatus moritur, nec divisus minuitur, nec comestus consumitur. Offert ipsum pro seipsa, qui se obtulit pro ipsa: & quod ille fecit semel moriendo, hoc illa facit semper offerendo.*

XXVI. Secundùm hæc Scripturæ Sacræ, & Apostolicæ Traditionis testimonia, Concilium Tridentinum Sessione xxii. Canone 1. Missam esse verum & propriè dictum Sacrificium pronuntiavit. *Si quis dixerit* (inquit) *in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari, Anathema sit.*

Antiquos Patres & sacram retro Traditionem sibi adversari fatentur hæretici.

XXVII. Sese ab antiquis Patribus, & à tota retro Traditione recessisse fatentur Hæretici, aut Patrum testimonia in alienos sensus violenter detorquent. *Lutherus* Libro de Captivitate Babylonica: *Tertia* (inquit) *captivitas ejusdem Sacramenti est longè impiissimus ille abusus, quo factum est ut nihil fere sit hodie in Ecclesia receptius, & magis persuasum, quàm Missam esse opus bonum & Sacrificium... Rem arduam & quam fortè sit impossibile convelli, aggredior, ut qua tanto seculorum usu firmata, omniumque consensu probata, sic insederit, ut necesse sit majorem partem librorum qui hodie regnant, & pene universam Ecclesiarum faciem tolli & mutari, penitusque aliud genus ceremoniarum induci.* Et infrà: *Quid ergo dicemus ad Canonem & auctoritates Patrum? Respondeo, si nihil habetur quod dicatur, tutius est omnia negare, quam Missam concedere opus aut Sacrificium esse.* Idem diabolicum de Abroganda Missa privata librum ab hac Protestatione exorditur: *Protestor imprimis adversùs eos, qui insanis vocibus in me sunt clamaturi, quòd contra Ritum Ecclesiæ, contra Statuta Patrum, contra probatas Legendas, & receptissimum usum docuerim, horum nihil me auditurum... Quid est quod me sperent suis propriis, id est humanis testimoniis, avertere à divinis? An fingunt obscurum sibi ipsis esse, Sanctos & peccasse in vita, & errasse in doctrina sæpissimè? Si autem peccaverunt & erraverunt sæpissimè, qui furor est eorum facta & dicta pro divinis & infallibilibus regulis pietatis statuere? Nonne & rerum Jus alioqui summa injuria, suspectam facit ejusmodi auctoritatem cum dicit: Semel malus, præsumitur malus? Quis enim nos certos faciet, in quo non erraverint Patres, quos sæpissimè tu ipse errasse confiteris, si eorum auctoritatis satis est, nec licet eam superiori auctoritate Divini Eloquii judicare? At ipsi elucidaverunt Eloquia Divina. Quis & hoc ita esse probavit? Quid si non minus erraverunt elucidando, quàm vivendo & docendo?... Proinde sciant insani Sophistæ, indocti Pontifices, impii Sacerdotes, sacrilegi Monachi, & totus Papa cum suis sequacis, lupanaribus, lucis, excelsis universis, nos non esse baptizatos neque credentes in nomine Augustini, Bernardi, Gregorii, nec in nomine Petri, nec Pauli,*

nec

nec in nomine Almæ Facultatis Theologiæ Parisiensis Sodoma aut Lovaniensis Gomorrha cum suis Serbis, sed in nomine solius Jesu Christi, quem solum confitemur & Magistrum nostrum, & pro nobis crucifixum... Scimus quid Patres, quid Decreta, quid usus, quid vulgi opinio habeant.... Non audimus, Bernardus sic vixit & scripsit, sed, Bernardus sic vivere & scribere debuit juxta Scripturas. Et infra: *Primo objiciunt Canonem.* &c *Hoc objectum aliud nihil vult, quàm quod solent jactare; Patres, Patres; Decreta, Decreta; Ecclesia, Ecclesia, quoties nos à verbis Dei in verba hominum trahere conantur... Nos quoque hic dicimus & multò fortiùs clamamus; Evangelium, Evangelium; Christus, Christus. Cur non sic jactemus Christum, ut illi jactant Patres? cur non Evangelium, ut illi Decreta?* Et Libro de Missa Privata & Unctione Sacerdotum: *Hic non moramur, si clamitent usquè ad ravim; Ecclesia, Ecclesia; Patres, Patres: Quia (ut dixi) hominum dicta aut facta, opera aut verba extra verbum Dei nihil in tam magnis causis curamus..... Unum & solum Christum audimus, ut Pater è cælis intonat:* Hunc audite. *Verbo Christi judicamus Apostolos, Ecclesiam, adeòque ipsos Angelos. Nos audimus Apostolos & Ecclesiam, quatenus afferunt verbum & signa Christi. Si verbum Christi & signum non afferunt, non audimus, nec judicamus eos aliter quàm Paulus Petrum audiebat (Gal. 2.)* Se Ecclesiæ, Patrum, Apostolorum Judicem *Lutherus* constituit. Scripturas Sacras ex proprio ingenio & arbitrio interpretatur. Neminem vult audire nisi Christum, non Ecclesiam de qua dixit Christus: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus:* Non Apostolos & eorum in Ecclesiæ regimine Successores, de quibus ait: *Qui vos audit me audit.* Nonne idem dicere licuit Arianis, Nestorianis, Eutychianis, & cæteris Hæreticis? Verbum Dei, Evangelium pariter jactabant, se in illius explicatione Patribus, Pontificibus, Conciliis, Ecclesia magis illuminatos gloriabantur. Illos & istam errasse impiè effutiebant. Quis rei fuit exitus? Damnati sunt ut Hæretici ab ipsi Ecclesia cujus Fidem impugnabant, & à qua sacrilego schismate defecerant. Et injustè secum actum Lutherani querentur?

Idem *Lutherus* Libro adversùs Regem Angliæ: *Ultimò* (inquit) *dicta Patrum inducit pro Sacrificio Missario statuendo, & ridet meum stultitium, qui solus velim sapere præ omnibus. Hic dico, confirmari hoc nomine meum sententiam, nam hoc est quod dico, Thomisticos asinos nihil habere quod producant, nisi multitudinem hominum, & antiquum usum. Ego verò adversùs dicta Patrum, Hominum, Angelorum, Dæmonum, pono non antiquum usum, non multitudinem hominum, sed unius Majestatis æternæ verbum Evangelium.*

Zuinglius in Epicheresi de Canone Missæ: *Facessant* (inquit) *hinc & ocyus facessant, qui Scripturæ Sanctæ claritatem nebulis inscitiæ suæ, immo malitiæ offundere pergunt, qui oblationem à morte distinguunt, rem eamdem, sed aliter appellatam, nullis Scripturarum suffragiis, sed sola Patrum vociferatione nixi. Quibus porro tantùm tribuunt, ut dicunt, recipi non posse, ut si à nobis nihil offeratur, Deus tam diu conniverit, ac Patres errare permiserit; quasi verò Deus unquam quemquam ad se ita traxeris ut non simul infirmum toleraret, quem fide interim arctissimè sibi junxerat. Errori Patrum occasionem dedit verbi Dei neglectio, nam si hoc solum velut unicum scopum spectassent, Eucharistiam nunquam erant aliter appellaturi quam Christus, quàm Paulus, qui commemorationem, qui testamentum appellarunt. Sed sic habet Judicium Dei.* Et in Responsione Senatus Tigurini nomine edita ad Episcopum Constantiensem: *Ceterùm quod ultimo loco Doctorum Catalogum texitis, qui Sacramentum hoc Sacrificii loco esse tradiderint, jam unc nihil omnino ad horum objectiones necessariò respondendum esse duximus. Nulla enim illorum in Ecclesia est auctoritas, si quid Sacris Literis contrarium docuerint.* Et infra: *Non parum de illis Doctoribus soliciti estis, quorum opera & ingenii solertia Hæreticorum falsa dogmata confutavit. Timetis enim ne si hac in re ubi de Missa Sacrificio disputatur, illorum scriptis fides derogetur, etiam ea quæ contra Hæreticorum errores conscripserunt, aliquando intercedant. Sed ponite metum hunc omnem, ô boni.*

Calvinus Lib. IV. Institutionum, Cap. XVIII. *Sed quia* (inquit) *Veteres quoque illos video aliò hanc memoriam detorsisse, quam institutioni Domini conveniebat (quod nescio quam repetitæ aut saltem renovatæ Immolationis faciem eorum Cœna præ se ferebat) nihil tutius piis pectoribus fuerit, quàm in pura simplicique Dei ordinatione acquiescere. Equidem enim pium atque orthodoxum de toto hoc Mysterio sensum retinuisse eos videam, neque deprehendam voluisse unico Domini Sacrificio vel minimum derogare, ullius impietatis damnare eos non sustineo: excusari tamen non posse arbitror, quin aliquid in actionis modo peccaverint. Imitati sunt enim propiùs Judaicum sacrificandi morem, quàm aut ordinaverat Christus, aut Evangelii ratio ferebat. Sola igitur est præpostera illa anagoge in qua meritò eos quis redarguat, quod non contenti simplici ac germana Christi institutione, ad Legis umbras nimis deflexerunt.* Non dissimilia habet in Vera Christianæ Pacificationis & Ecclesiæ Reformandæ Ratione.

> Patrum nihilominus testimonia variis responsionibus eludunt hæretici.

Variis nihilominus Responsionibus Patrum testimonia eludunt. *Lutherus* Libro de Captivitate Babylonica, ait: Ipsos Missam Sacrificium appellasse ratione Collectarum, cibi scilicet ac potus, quæ distribuebantur in omnes egentes exemplo Apostolorum, Actuum 4. è quibus sumebatur id quod consecrabatur panis & vini, pro Sacramento. Et quia hæc omnia sanctificabantur per verbum & orationem Ritu Hebraïco, quo levabantur sursum, ut in Mose legimus, relicta sunt verba, & ritus levandi seu offerendi, abolito jamdudum usu conferendi & colligendi ea quæ offerrentur, seu levarentur. Sic Ezechiam Esaïæ 37. jubere Esaïam levare orationem in conspectu Dei pro reliquiis. Et Psalm. *Extollite manus vestras in Sancta.* Item: *Ad te levabo manus meas.* Item 1. ad Timoth. 2. *Levantes puras manus in omni loco.* Idcirco vocabula Sacrificii seu Oblationis referri debere non ad Sacramentum & Testamentum, sed ad collectas ipsas. Unde & reliquum est vocabulum Collectæ, pro precibus in Missa dictis.

Zuinglius in Explanatione Articuli XVIII. respondet, Plures ex Veteribus Sacrificio & Oblatione usos esse pro ratione sui seculi, non quòd (inquit) ipsi Corpus & Sanguinem Christi, (quemadmodum Papistæ faciunt) offerre tentarent; sed quandoquidem semel oblata in perpetuum efficaciam habent abluendi peccata & reconciliandi coram Deo, sua tempestate adhuc Sacrificium nominarunt, non quòd ipsi sacrificarent, sed quòd Christus semel sacrificasset. Quemadmodum dicimus hunc diem esse Resurrectionis Christi: Neque tamen volumus Christum hoc ipso die à mortuis resurgere, sed dies qua semel resurrexit, id nominis accepit & retinuit, ut semper Resurrectionis dies, quoties recurrit, appelletur. Hoc sensu existimo Patres Corpus & Sanguinem Christi Sacrificium nomi-

nasse, non quòd ipsi offerrent, sed à prima illa A oblatione in Cruce facta per Christum, cùm sese Patri pro peccatis totius Mundi hostiam immaculatam offerret, ut scilicet commemoratio sit ejus quod semel est factum.

Calvinus Lib. IV. Institutionum, Cap. XVIII. fatetur Veteres uti Sacrificii vocabulo, sed nihil aliud intelligere quàm memoriam veri illius & unici Sacrificii, quod in Cruce peregit Christus.

Petrus Martyr Classe IV. Locorum Communium, Loco XII. respondet: In Cœna Domini quatuor Oblationes esse posse. Prima est panis & vini, quæ à populo inferebantur, ex quorum B portione quædam habebatur Eucharistia, unde Fideles inter sese communicabant, & quod supererat, pauperibus distribuebatur. De qua oblatione Irenæus, Cyprianus, & Ecclesiasticæ Collectæ loquuntur. Et Paulus ad Philippenses ostendit eleemosynas esse Sacrificia, quando se accepisse scribit quæ illi miserant, ut Dei hostiam in odorem suavitatis. Deinde est gratiarum actio, quæ in Scripturis Sanctis dicitur immolatio laudis. Tertio loco, communicantes offerunt sese Deo regendos atque mortificandos. De quo Sacrificio, ut huc spectat, bis ad Romanos habes. C Primò, *Exhibete corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Et Cap. XV. scribit Apostolus Evangelium se administrare *ut oblatio gentium sit acceptabilis & sanctificata per Spiritum Sanctum.* Quartò denique, cùm ibi agatur de memoria mortis Christi, quæ fuit verum Sacrificium, figurata locutione accepit Eucharistia seu Cœna Domini ab ea re nomen quam repræsentat, Sacrificium dicitur, ut Augustinus dicit super Psalmos, Memoria & cogitatione Christum quotidie immolari. His ergo rationibus (inquit) video Patres adductos, ut nomine Sacrificii ac Immolationis in Eucharistia utantur. D Quod tamen ego non usurparem, cùm Sancta Scriptura non sic appellet, à cujus locutionibus non est temerè discedendum.

Kemnitius in Examine Concilii Tridentini, ubi præmisit, Negari non posse Veteres, quando loquuntur de celebratione Cœnæ Dominicæ usurpare vocabula Sacrificii, immolationis, oblationis, hostiæ, victimæ: item uti verbis sacrificare, offerre, immolare: subdit: Si de vocabulis, sive de appellationibus tantùm certamen esset, elabi nulla ratione possemus, quin concedere cogeremur Veteres celebrationi Cœnæ Dominicæ frequenter attribuisse appellationes Sacri- E ficii. Sed quia de re ipsa controversia est: Respondeo non esse consequens, si Veteres Cœnam Dominicam appellarunt Sacrificium, quòd ideo docuerint & senserint esse tale Sacrificium, sicut Pontificios fingere supra in constitutione status ostendimus. Celebrationem igitur Cœnæ Dominicæ à Veteribus Sacrificii nomine appellatam ait: Primò quia in veteri Ecclesia usitatum fuit, quando celebranda erat Cœna Dominica, quòd pro sustentatione Ministrorum & pauperum, panis & vinum, & alia munera, in Mensa Domini, sive in Altari offerebantur: & ex illis F oblatis muneribus panis & vini sumebantur partes, quæ consecrabantur in Eucharistiam. Secundò, ob publicas illas, communes, & solemnes preces, quarum forma primæ ad Timoth. 2. præscribitur, quæ usitatè apud Veteres fiebant in actione Cœnæ Dominicæ, sicut testatur Augustinus Epistola 59. ad Paulinum. Fidelium enim orationes in Scripturis vocantur Sacrificia. Psalm. 141. Hebr. 5. Apocal. 5. & 8. Tertiò, quia Cœna Dominica à vetustissimis Ignatio, Justino, Irenæo, vocatur Eucharistia,

A quia in ejus celebratione proponitur consideratio de multis & variis beneficiis Dei, principaliter verò de præcipuo opere dilectionis Dei erga nos, quòd Filium miserit, qui traditione Corporis & effusione Sanguinis sui perditos nos redemit, ut ita invitemur ad gratiarum actionem. Sacrificium verò laudis & gratiarum actionis in Scriptura crebrò celebratur. Psalm. 50. 69 Sirach. 35. Hebr. 13. Et Patres etiam hymnos, laudes, & gratiarum actiones vocant Sacrificia. Quartò, quia in celebratione Cœnæ Dominicæ semper servata fuit publica prædicatio, & so- B lemnis annuntiatio Passionis, Mortis, Resurrectionis & Ascensionis Christi. Nam Paulus Rom. 15. totum Ministerium Evangelii vocat Sacrificium. Quintò, quia multa veræ pietatis exercitia concurrunt in celebratione & usu Cœnæ Dominicæ, quæ 1. Petri 11. vocantur spirituales hostiæ: ut pœnitentia, fides, spes, patientia, dilectio, bonum propositum &c. Et fides quæ principaliter objectum suum habet in usu Cœnæ Dominicæ, vocatur Sacrificium, ad Philippenses 2. Sextò, quia Ecclesia & singuli Fideles in vero usu Eucharistiæ totos se corpore & C anima vovent, consecrant, & dedicant Domino, & propter Dominum proximo. Item orationibus Ecclesia offertur, hoc est commendatur Deo. Variis igitur illis actionibus & pietatis exercitiis, quæ apud Veteres in celebratione Cœnæ Dominicæ usitata fuerunt, attributa est appellatio Sacrificii: Et inde tota actio nomen apud Veteres accepit. Fatetur etiam *Kemnitius*, Veteres appellationem Sacrificii, oblationis, victimæ, hostiæ, &c. transtulisse ad ipsam actionem Cœnæ Dominicæ, immò ad ipsum Corpus & Sanguinem Christi in Cœna, sed tale Sacrificium non intellexisse, quale propugnamus. Primò (inquit) D ipsam administrationem seu celebrationem Cœnæ Dominicæ, ut sanctificationem, consecrationem, & dispensationem Patres vocant Sacrificium. Dionysius vocat ἱερουργίαν quia est sacra actio, aut sacræ actionis administratio: & dicit Sacerdotem ἱερουργεῖν quando id facit quod Christus in prima Cœna fecit. Et ne qua sit dubitatio quid eo nomine intelligat, Pontifex orans ut idoneus reddatur ad hanc ἱερουργίαν, per partes enumerat quid illa complectatur. I. Ad imitationem Christi divina illa dona conficere, sanctificare, aut consecrare. II. Sanctificata sanctè distribuere. III. Ut communicaturi sanctè participent E illis Mysteriis. Illam verò ἱερουργίαν, hoc est, sacram actionem pertinentem ad ministerium Evangelii, Latini vocant Sacrificium. Secundò, Actionem Cœnæ Dominicæ vocari à Veteribus Sacrificium ait, quia Cœna Dominica celebratur in memoriam seu commemorationem unici Sacrificii Christi in Cruce semel peracti. Hinc Augustinus contra Faustum Lib. XX. Cap. 18. hæc tria inter se confert, Sacrificia Levitica, Sacrificium Christi in Cruce, & Immolationem ejus in Cœna; & inter hæc talem ostendit differentiam; in Cruce redditum fuisse in veritate F Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi; in Veterum Sacrificiis fuisse figuras & similitudines promittentes futurum Christi Sacrificium, in Cœna Domini per Sacramentum memoriæ celebrari commemorationem & gratiarum actionem perfecti & consummati Sacrificii Christi in Cruce. Et ad Bonifacium Epistola 23. tractat exempla, quòd illud, quod alicujus memoriale est, propter similitudinem sæpe ejus rei, cujus memoriale est, nomen accipiat, ut appropinquante Paschate dicimus: Cras aut perendie est Passio Christi, cùm semel tantùm ante multos an-

nos

» nos sit passus. Et die Dominica dicimus: Hodie Christus resurrexit: propter similitudinem enim dies ille id esse dicitur, quod tamen non est. Et postea subjungit: Nonne Christus semel oblatus est, & tamen in Sacramento quotidie populis immolatur? Nec mentitur qui dicit, Christum immolari. Si enim Sacramenta non haberent similitudinem earum rerum quarum sunt Sacramenta, nullo modo essent Sacramenta; sed ex similitudine sæpè nomina earum accipiunt. Tertiò, inquit, Patres Corpus & Sanguinem Domini in Cœna præsentia vocant victimam salutarem, hostiam puram, pretium nostrum, pretium redemptionis nostræ, pretium pro peccatis totius mundi, Sacrificium propitiatorium, & propitiationem: Non quòd actione Sacerdotis Corpus & Sanguis Christi in Missa offerantur, ut fiant pretium & propitiatio pro peccatis totius mundi: sed quia victima illa, quæ in Cruce semel pro redemptione nostra, & pro peccatis totius mundi oblata est, Corpus scilicet & Sanguis Domini, in Cœna Dominica adest, dispensatur, exhibetur, & sumitur; ita ut virtus & efficacia illius oblationis semel in Cruce factæ applicetur & obsignetur privatim singulis fide sumentibus. Hæc *Kemnitius*.

Responsiones hæreticorum futiles.

Verùm illæ Responsiones Hæreticorum planè futiles sunt, nec vim testimoniorum elevant, quæ ex Patribus in hacce Controversia à Catholicis proferuntur. Nec enim ob collectas duntaxat, & eleemosynas, ob orationes, & hymnos, ob gratiarum actionem, ob alia pietatis opera, Patres Eucharistiæ confectionem seu Missam Sacrificium appellarunt, cujus Ministerium ac celebrationem solis Sacerdotibus vindicarunt. Nemo enim Fidelium, non virorum duntaxat, sed & mulierum, non aptus est ad eleemosynas pauperibus distribuendas, ad preces, laudes, & gratiarum actiones Deo offerendas, ad suum corpus mortificandum, & ad alia pietatis opera. Sed ad Sacrificium Eucharistiæ offerendum solos Sacerdotes idoneos Ministros esse Patres docent. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, nec docere, nec tingere, nec offerre* (inquit Tertullianus lib. de Velandis Virginibus) *Si Sacerdotium mulieribus mandatum foret*, (inquit S. Epiphanius Hæresi LXIX.) *aut Canonicum quiddam præstare in Ecclesia liceret, nulli potius quàm Mariæ illud in Novo Testamento committi Sacerdotis officium debuit; cui tantus honor est habitus, ut gremio sinúque suo Regem omnium, ac cœlestem Deum, Deique Filium exciperet. Cujus uterus velut templum ac domicilium, ad Divini Verbi Incarnationem singulari est benignitate Dei magno ac stupendo mysterio præparatus. Verùm longè Deo aliter est visum: Ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta, cùm alioqui tingi ab illa Christus potius quàm ab Joanne potuisset.* Et infra: *Nam neque Diaconis quidem ipsis ullum in Ecclesiastico Ordine Sacramentum perficere conceditur, sed hoc duntaxat, ut eorum quæ perficiuntur, Ministri sint.* Nicæna Synodus Canone XVIII. solos Presbyteros non Diaconos, *Potestatem offerendi Christi Corpus* habere docet. *S. Hieronymus* in Epistola ad Evagriū, aliique Patres idem tradunt. Non igitur Veteres Missam & Eucharistiam Sacrificium vocarunt propter eleemosynas, orationes, laudes, aliáque pietatis opera, quæ in ea frequentantur. Nec etiam figurata duntaxat locutione Sacrificium appellarunt. Nam figuratæ locutiones non adeo frequenter usurpantur, non adeo perseveranter, ab omnibus qui de eodem argumento variis locis, temporibus, ac linguis scripserunt, quo modo Sacrificii nomen Eucharistiæ ac Missæ tributum est à Patribus Græcis & Latinis omnium seculorum. Ad figuratas enim locutiones natura non inclinat. Præterea in Sermonibus dogmaticis, in Catechesibus, in simplicibus rerum gestarum narrationibus, in explicatione sensus literalis Scripturæ Sacræ, figuratæ hujusmodi locutiones usurpari non solent, nisi statim subjungatur explicatio, vel ex adjunctis pateat quo sensu accipiendæ sint. At Patres absolutè & simpliciter Eucharistiam Sacrificium incruentum vocant, non laudis, orationis, aut aliorum bonorum operum, sed Corporis & Sanguinis Christi, in Operibus & Sermonibus dogmaticis, in simplicibus rerum gestarum narrationibus vel in expositione sensus literalis Scripturæ Sacræ; Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi v. Mystagogica, S. Basilius Lib. II. de Baptismo, S. Chrysostomus Homilia XXI. in Acta, Homilia XVII. in Epistolam ad Hebræos, aliisque locis laudatis; S. Cyrillus Alexandrinus in Declaratione Anathematismi XI. & è Latinis S. Cyprianus Epistola LXIII. Optatus Milevitanus Libro III. contra Parmenianum, S. Ambrosius in Cap. I. S. Lucæ, in Epistolis ad Marcellinam & ad Theodosium, Commentatio in Psalmum XXXVII. S. Hieronymus Lib. III. adversùs Pelagianos, in Dialogo adversùs Luciferianos, Lib. adversùs Vigilantium, S. Augustinus in libris De Civitate Dei, S. Leo Epistola LXXXI. sive XI. Editionis P. Quenellii, S. Fulgentius Lib. II. ad Monimum Cap. VI. X. & XI. S. Gregorius Magnus Lib. IV. Dialogorum Cap. LV. LVI. plerique Patrum cùm Sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, vel Oraculum Malachiæ Cap. I. Versu XI. exponunt, quorum loca partim descripta, partim indicata superiùs habes. Non itaque figurata locutione Eucharistiam, sive sacrum Ritum quo conficitur, Sacrificium appellant. Præterea Patres conficiendæ Eucharistiæ Ritum *Sacrificium verum & plenum* appellant, quo Sacerdos *sic offert, secundùm quod ipsum Christum videt obtulisse, qui Sacrificium Patri se ipsum obtulit.* (Ita *S. Cyprianus* Epistola LXIII.) Item *Sacrificium sanctum & tremendum, quod in altari positum est: quod & Angelis horrorem parit: Incruentam Sacrificii latriam* seu *servitutem.* (Ita SS. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi XVIII. Chrysostomus Homilia III. in Epistolam ad Ephesios, Cyrillus Alexandrinus Epistola ad Nestorium) *Summum verúmque Sacrificium* Item *Verissimum & singulare Sacrificium.* (Ita S. Augustinus Lib. X. de Civitate Dei, Cap. XX. & de Spiritu & Litera, Cap. XI.) Hi porro loquendi modi figuram excludunt. Nec etiam ob solam Sacrificii à Christo in Cruce oblati memoriam Eucharistiæ ac Missæ nomen Sacrificii à Veteribus tributum est, (Quanquam & in ea ejusdem illius redemptionis nostræ Sacrificii memoria celebretur) sed propter *oblationem & immolationem Corporis & Sanguinis Christi* in Altari, ut SS. Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Fulgentius locis supra laudatis docent, utque ex Liturgiis SS. Dionysii, Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, cœterisque omnium Ecclesiarum seu Orientalium seu Occidentalium compertum est, & ex ea ipsa Latina, quam *Matthias Flaccus Illyricus* edidit, & circa annum Christi septingentesimum in usu fuisse censuit. Denique his Responsionibus suis ita diffidit *Kemnitius*, ut eò demum confugiat, *Non Veterum qualescunque sententias, sed Scripturam Canonicam Regulam esse & normam Fidei & Judicii in hac controversia.*

Heterodoxorum Objectionibus respondetur.

XXVIII. Objiciunt Heterodoxi verba Apostoli ad Hebræos 10. Cap. de Christo dicentis: *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ex quibus inferunt, injuriam fieri Sacrificio à Christo semel in Cruce oblato, cùm asseritur, Missam esse verum & proprium Sacrificium

propitiatorium pro peccatis. Hoc Apostoli loco Augustana, Saxonica, & Wittembergica Confessiones abutuntur; *Zwinglius* in Explanatione Articuli XVIII. & *Calvinus* lib. IV. Institutionum, Cap. XIV.

Sacrificio Christi in cruce peracto non derogatur per illud Sacrificium.

Respondeo, Hunc locum Apostoli esse intelligendum de Sacrificio Redemptionis, quod à Christo supremo Sacerdote personaliter oblatum est; non verò de Sacrificio Religionis, quod à nobis in perpetuam archetypi istius Sacrificii memoriam celebratur. Scopus namque Apostoli in illa ad Hebræos Epistola erat, Evangelii supra Legem præstantiam ac dignitatem demonstrare; quod tribus velut mediis exequitur. Primum sumitur ex comparatione Legatorum per quos Lex hominibus data fuit. Lex enim data est per Angelos, qui sunt administratorii Spiritus: Evangelium verò per Filium, ad quem dixit Pater æternus: *Sede à dextris meis &c.* Secundum medium sumitur ex comparatione Legislatorum. Lex enim promulgata fuerat per Moysen famulum in domo Dei fidelissimum: Evangelium verò conditum à Christo Filio & herede in Domo Dei. Tertium medium ex comparatione supremi utriúsque Legis Sacerdotis: quod duobus adhuc momentis probat. Primum petitur ex institutione Sacerdotii: quia Christus est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech: Porro Sacerdotium Melchisedech nobilius est Aaronico; quia Aaron in Abrahum decimas persolvit Melchisedecho, & benedictionem ab eo accepit. Quod autem minus est, à meliore benedicitur. Alterum momentum sumitur ex munere sacrificandi, seu ex Sacrificii oblatione: in qua supremus Novæ Legis Sacerdos Christus Veteris Legis Sacerdotibus longè antecellit. Sacerdos enim Testamenti Veteris Sacrificia sua quotannis iterabat, quia redemptionem quidem præsignabant, non verò conferebant suapte vi gratiam à peccatis mundantem. At verò Novi Testamenti Pontifex Christus, *Non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.* Et per Sanguinem suum *emundans conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi, una Oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ex quo sequitur, ut Sacerdotii ministerium & Sacrificii ritum per se solùm ampliùs non exequatur. Hinc idem Apostolus ait Cap. X. *Et omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.* Loquitur ergo *S. Paulus* de Sacrificio Redemptionis, quod semel à Christo in Cruce oblatum fuit. Quod ex Capite 9. evidentiùs constat. *Neque* (inquit) *ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione seculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.* Nec obstat quod ait idem Apostolus Cap. X. *Ubi autem horum remissio* (scilicet peccatorum) *jam non est Oblatio pro peccato.* Ex hoc enim inferri tantùm potest, nullam novam Oblationem à Christo fieri; quia quantùm in ipso fuit, contulit nobis plenam peccatorum remissionem: sed non probat quòd ex parte nostra nulla jam Oblatio esse debeat, qui quotidiana peccatorum remissione indigemus. Unde ut remissio illa generalis à Christo oblata, nobis etiam quotidie applicetur, novam proinde à nobis fieri Oblationem, novúmque offerri Sacrificium necesse est, quod Sacrificium Religionis nuncupamus: & quod Sacrificium Redemptionis non tantùm revocat in memoriam, sed ejus efficaciam &

A fructum nobis applicat. Una ergo Oblatione Christus consummavit in sempiternum sanctificatos, quia quotquot sanctificati & justificati sunt aut erunt, per unam oblationem illam in ara Crucis factam sanctificati & justificati fuere. Mors enim Christi omnibus Sacramentis tam præcedentibus quàm subsequentibus virtutem dedit & efficaciam. Hinc *Agnus* dicitur *ab origine mundi occisus*, iis videlicet qui fuerunt ab initio, ita ut hæc verba, *ab origine mundi*, tempus non determinent occisionis, sed salutis. Prius enim mors ejus profuit, quàm fuit. Quotquot ante Christi mortem justi-
B ficati sunt, remissionem peccatorum, gratiam & justitiam sunt adepti vi mortis illius oblationis ut prævisæ: Quicunque post Christi mortem justificati sunt vel justificabuntur, id consecuti sunt vel consequentur vi & efficacia ejusdem oblationis ut exhibitæ & consummatæ. Cæterùm sicut oblatione illâ prævisâ non fuere sublata, quæ pro peccatis offerebantur, vel ante Legem, vel sub Lege Sacrificia: quin ea Deo grata potiùs extitere, quatenus ad prævisum illud in ara Crucis, quod præfigurabant, Christi Sacrificium referebantur: sic per eamdem oblationem exhibitam, non tollitur quotidianum hoc quod Ecclesia frequentat Sacrificium,
C sed est Deo tantò magis acceptum, quantò crebriùs ac religiosiùs per id Oblationis in Cruce factæ memoria repræsentatur, et jugiter colatur per mysterium, quod semel oblatum est in pretium, & illa perennis victima vivat in memoria, & semper sit præsens in gratia, quatenus per incruentum illud Eucharistiæ Sacrificium, Sacrificii in ara Crucis oblati fructus nobis applicatur. Sicut ergo remissio peccatorum totius mundi per Sacrificium Crucis afferenda, Christum non prohibuit quin orare cunctos doceret, *Dimitte nobis debita nostra*: sicut hominum reconciliatio à Christo facta in ara Cru-
D cis, non prohibuit Apostolum, quin ad Corinthios scriberet, *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*: ita una Oblatio Christi, quâ semel in Cruce oblatus est ut consummaret in sempiternum sanctificatos, non impedit quin eamdem hostiam quam ille obtulit, secundùm ejus mandatum Patri sistamus, orantes ut illius contemplatione nobis placatus & propitius esse, suæque promissionis, ac fructus quem illa mundo attulit universo, nos participes esse velit. Quamobrem elumbe est illud Hæreticorum argumentum: Oblatus est semel Christus ad exhaurienda peccata nostra, & fuit
E illa oblatio sufficiens pretium redemptionis nostræ: Nulla est igitur in Ecclesia deinceps oblatio facienda. Nam ad eumdem modum argumentari liceret: Oravit pro nobis Christus, & ejus oratio sufficiens fuit ad obtinenda omnia ad salutem nobis necessaria, & exauditus est pro sua reverentia: nihil igitur necesse est ut oremus. Christus pro nobis crucem tulit; nihil igitur opus est ut crucem feramus. Quæ quam sit absurda collectio, nemo sanæ mentis non intelligit.

Sufficientia Sacrificii Crucis, simul & Sacrificii Eucharistici necessitas atque utilitas ex licatur eleganti exemplo.

Sufficientiam Sacrificii Crucis, simul & necessitatem ac utilitatem Sacrificii Eucharistici, quo
F virtus illius nobis applicatur, eleganti exemplo illustrat *Stanislaus Hosius* Cardinalis & Episcopus Varmiensis in Confessione Synodi Petricoviensis nomine edita, Cap. XLI. Est fons in medio ci- « vitatis collocatus, omnibus expositus, à quo « nemo arcetur quin eo liberè uti possit; tam est « autem copiosus & redundans, ut ad sordes om- « nium abluendas, ad sitim omnium sedandam, « ad reliquas necessitates omnes omnium explen- « das abundè sufficiat. Num ideo tu sitim tuam « explevisti, aut sordes abluisti, quòd hic fons est « in medio omnibus expositus tam copiosus? Cer- « tè nisi ad eum accesseris, nisi ex eo hauseris, «

nequa

» neque sordes ablueris, neque sitim sedaveris, neque ullum ex eo fructum perceperis, quamlibet sit copiosus & redundans. Quamobrem qui vult ex eo fonte fructum capere, non spectat illum otiosus, ac illius tantùm copiam & abundantiam admiratur: verùm illud agit, ut quod videt omnibus communicatum, ejus ad se quoque partem aliquam derivet: fistulas admovet, sive tubos aut canales, per quos communem aquam in suum quoque privatum usum ac proprium transferat. Non dissimilis est ratio fontis hujus vitæ perennis, qui in latere Christi in Cruce pendentis apertus est. Fons est perennis, copiosus, & redundans, qui ad abluenda totius mundi peccata, ad salutem omnibus mortalibus conferendam, prorsus sufficit. Sed si vis usum aliquem fontis hujus habere, si vis fructum ex eo consequi, necesse est ut ad Christi latus in Cruce pendentis fistulam applices, & per eam, qui solus peccata nostra abluit, salutémque nobis confert, Christi Sanguinem ad te derives atque attrahas: ut per eum ablutus & sanctificatus, æternam beatitudinem adipisci queas: non ipsius fistulæ sive canalis, verùm Christi Sanguinis te per canalem irrigantis virtute. Hinc videlicet, quòd omnia quæcunque ad salutem nostram pertinent, nonnisi illi soli Sacrificio in Cruce peracto, nonnisi fonti, qui apertus est in Christi latere, tribuuntur: Verùm fructum ex illo fonte capere non possumus, nisi qui fusus est ex Christi latere Sacrosanctus Christi Sanguis, eum per instrumenta & quasi canales quosdam ad nos derivemus. Ejusmodi canalis est Baptismus: ejusmodi canalis est quotidianum hoc Sacrificium, quod Missam vocamus, per quam illius in Cruce peracti Sacrificii, & fusi pro nobis pretiosi Sanguinis fructum in nos transferimus, nobis applicamus & appropriamus. Falsò itaque nobis impingunt Satanæ Ministri, quòd per quotidianum hoc Sacrificium, illud in Cruce peractum obscuretur, cùm illustretur magis. Annon absurdè facere censeretur, si quis baptizare se volentem insimularet, quòd is per baptismum obscurare velit redemptionis beneficium in cruce nobis obtentæ? & redemptionem suam in aqua baptismi collocare potius, quàm in Christi Sanguine quo solo redempti sumus? Cùm baptismo nihil aliud agatur, quàm ut redemptionis in cruce nobis obtentæ particeps fieri, qui baptizatur, & ejus fructum in se transferre queat. Atqui non minùs absurdè faciunt, qui nobis objiciunt, quòd per quotidianum istud Sacrificium, illud quod in ara Crucis peractum est, obscuremus, & ejus dignitati ac merito detrahamus: Cùm nihil aliud agatur, nihil aliud quæratur à nobis in hoc quotidiano Sacrificio, quàm ut quod Christus nobis promeruit unica illa oblatione in Cruce facta, id in nos transferre, & eo ad salutem nostram uti queamus.

Honos Sacrificii Christi non transfertur à nobis in opus Sacerdotis.

Nec ideo honos Sacrificii Christi transfertur in opus Sacerdotis, ut objicit Augustana Confessio: Non enim Missa propitiatorium Sacrificium est, quatenus est opus Sacerdotis, sed quatenus opus est Christi, qui seipsum per Sacerdotem offert: sicut nec Baptismus remittit peccata, nosque Dei filios efficit, quatenus opus hominis est, sed Christi qui baptizat, pretiúmque sui Sanguinis per Baptismum nobis applicat; quamvis laverit nos à peccatis nostris in Sanguine suo, cùm illum pro nobis effudit. Certè non rectè dicitur honos Sacrificii Christi transferri in opus hominis, ubi opus hominis est repetitio Sacrificii Christi, & illusmet oblatio victimæ quæ in Cruce oblata est. At Missa est repetitio Sacrificii Christi, & illusmet oblatio incruenta victimæ, quæ in Cruce oblata est, solúmque ministerium homo Sacerdos præstat Christo Summo Sacerdoti. Honos igitur Sacrificii Christi non transfertur in opus hominis. Hanc Ecclesiæ doctrinam exponit *S. Joannes Chrysostomus* Homilia XVII. in Epistolam ad Hebræos. *Quid verò*, inquit, *nonne nos quotidie offerimus? Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam: Et hæc Oblatio una est, non multa, quoniam semel est oblatus, quemadmodum illa quæ in Sancta Sanctorum est illata. Hæc enim figura fuit illius, & ista illius. Siquidem eumdem semper offerimus: hoc est, non aliàs ovem alteram, aliàs aliam; sed eamdem perpetuò. Itaque unicum est Sacrificium. Quoniam multis in locis offertur, multíne sunt Christi? Nequaquam: sed unus ubique Christus. Quomodo ergo multis in locis oblatus, unum est corpus, & non multa corpora; ita etiam unum est Sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illam obtulit hostiam quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi. Hoc fit in recordationem ejus quod tunc factum est. Hoc enim facite, inquit, in mei recordationem. Non aliam hostiam, sicut Pontifex, sed eamdem semper facimus, vel potius hostiæ seu Sacrificii facimus recordationem.*

Quamvis Missa sit commemoratio Sacrificii à Christo in Cruce oblati, verum nihilominus & propriè dictum Sacrificium est.

Porro illa restrictio, *vel potiùs*, non adimit Altaris Sacrificio essentiam veri & propriè dicti Sacrificii, ut Sectarii contendunt; sed Sacrificii finem indicat. Unde sicut veteris Legis Sacrificia, veri nominis Sacrificia erant, licet prænuntiativa essent Sacrificii in Cruce à Christo offerendi; ita Missa veri nominis Sacrificium est, licèt Sacrificii in ara Crucis oblati sit commemoratio. Nisi quis fortè sic insaniat, ut magis ad rationem Sacrificii pertinere putet quòd rem faciendam significet, quàm quod rem jam factam commemoret. Certè sicut Cœna nostra non esset commemoratio Cœnæ Dominicæ, imagóque illius & exemplar, nisi verè manducaremus, ita nec Eucharistia nostra verum exemplar & imago foret Sacrificii, quod in Cruce Christus obtulit, nisi verè sacrificaremus.

Atque hic est *S. Augustini* sensus libro XX. contra *Faustum*, Cap. XVIII. *Hebræi* (inquit) *in victimis pecudum quas offerebant Deo, Prophetiam celebrabant futuræ victimæ quam Christus obtulit: Christiani jam peracti Sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione & participatione Corporis Christi.* Et lib. IV. de Trinitate, Cap. XIV. ubi de Christianæ Religionis Sacrificio per oppositionem ad Gentilium Sacrificia sic loquitur: *Non intelligunt ne ipsos quidem superbissimos spiritus honoribus Sacrificiorum gaudere potuisse, nisi uni vero Deo, pro quo coli volunt, verum Sacrificium deberetur. Neque id posse rite offerri nisi per Sacerdotem sanctum & justum, nec nisi ab iis accipiatur quod offertur, pro quibus offertur, atque id sine vitio sit, ut pro vitiosis mundandis possit offerri. Hoc certè omnes cupiunt, qui pro se offerri Sacrificium Deo volunt. Quis ergo tam justus & sanctus Sacerdos quàm unicus Filius Dei, qui non opus haberet per Sacrificium sua purgare peccata, nec originalia, nec ex humana vita quæ adduntur? Et quid tam congruenter ab hominibus sumeretur quod pro eis offerretur, quàm humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi quàm caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quàm sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero & ex utero Virginali? Et quid tam gratè offerri & suscipi possit quàm caro Sacrificii nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri? Ut quoniam quatuor considerantur in omni Sacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur; idem ipse*

ipse unus verúsque Mediator per Sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset qui offerebat, & quod offerebat.

Idem est sensus *S. Fulgentii* Lib. de Fide ad Petrum Diaconum: *Firmissimè tene* (inquit) *& nullatenus dubites, ipsum Unigenitum carnem pro nobis factum, se pro nobis obtulisse Sacrificium & hostiam Deo in odorem suavitatis; cui cum Patre & Spiritu Sancto, tempore Veteris Testamenti animalia sacrificabantur: & cui nunc cum Patre & Spiritu Sancto, (cum quibus una est illi Divinitas) Sacrificium panis & vini Sancta Ecclesia per universum orbem offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse erat oblaturus, & Sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum. In isto autem Sacrificio gratiarum actio atque commemoratio est Carnis Christi, quam pro nobis obtulit; & Sanguinis quem pro nobis idem effudit.*

XXIX. At (inquit Calvinus) honorem Sacerdotii ita Christo Augustinus vendicat, ut Antichristi vocem fore testetur, si quis Episcopum inter Deum & homines intercessorem faciat. Lib. II. contra Parmenianum, Cap. VIII.

Quo sensu S. Augustinus Episcopū inter Deum & homines intercessorem esse neget?

In promptu responsio est, Episcopum inter Deum & homines intercessorem *S. Augustinum* negare eo sensu quo Parmenianus contendebat, ut scilicet Episcopi sanctitate ac meritis, Sacrificiorum & precum ab ipso Deo oblatorum vel oblatarum efficacia niteretur; adeo ut malus Sacerdos pro populo rogans non exaudiretur. Docet porro S. Doctor, *Quòd etsi ita esset, non ideo tamen populus, si bonus atque fidelis est, solicitus esse deberet. Securos enim illos facit illa Scriptura quæ ait: Fratres, hæc scribo vobis ut non peccetis. Et si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.. Si diceret: Et si quis peccaverit, Advocatum habetis apud Patrem Jesum Christum; & ipso est propitiatio pro peccatis vestris: seipsum à peccantibus quasi segregasse videretur, ut jam non ei opus esset propitiatione quæ fit per Mediatorem sedentem ad dexteram Patris, & interpellantem pro nobis. Quod utique non solùm superbè, sed etiam falsò diceret. Si verò ita diceret: Hæc scripsi vobis ut non peccetis, & si quis peccaverit, Mediatorem me habetis apud Patrem, & ego exoro pro peccatis vestris (sicut Parmenianus quodam loco Mediatorem posuit Episcopum inter populum & Deum) quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur? Et tamen lacus detritè fumosam aquam istorum superbiam ferunt, & Spiritum Sanctum continere non possunt, ut servent unitatem Spiritus in vinculo pacis, & in omnibus orationibus suis de uno Mediatore securi sint. Homines enim omnes Christiani invicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verúsque Mediator est: cujus typus quoniam præfigurabatur in Sacerdote Veteris Testamenti, nullus illic invenitur orasse pro Sacerdote. Paulus autem Apostolus, quanquam sub capite præcipuum membrum, sed tamen quia membrum est Corporis Christi, & noverat non per figuram in interiora veli ad Sancta Sanctorum, sed per expressam & firmam veritatem in interiora cæli ad sanctitatem non imaginariam, sed æternam, pro nobis intrasse maximum & verissimum Sacerdotem Ecclesiæ, se orationibus fidelium & ipse commendat. Nec Mediatorem se facit inter Populum & Deum, sed rogat ut pro se orent invicem omnia membra Corporis Christi; quoniam pro invicem solicita sunt membra: & si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: & si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra: ac sic oratio pro invicem membrorum omnium adhuc in terra laborantium, ascendat ad Caput quod præcessit in cælum, in quo est propitiatio pro peccatis nostris. Nam si esset Mediator Paulus, essent utique & cæteri Coapostoli ejus, ac sic multi Mediatores essent, nec ipsi Paulo constaret ratio quâ dixerat:* Unus enim Deus: Unus Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: *In quo & nos unum sumus, si servemus unitatem spiritus in vinculo pacis. Nec propter malos bonos deseramus, sed propter bonos malos sufferamus; Ne cùm defendere volumus quod temeraria præsumptione relinquimus, incognitos cogamur majori scelere damnare inauditos: cùm etiam certum sit quia peccatores Deus audit: quod quidem invenitur in Scripturis. Balaam Propheta, non de populo Israël, sed alienigena, conductus ab amico ut populo Dei malediceret, conversus à Domino ad benedicendum est: cujus verba omnia bene imprecantis audimus & legimus. Et cùm aliud haberet in voto, verba tamen precantis & bona sunt, & pro populo exaudiuntur à Domino. Unde non mirum est verba bona, quæ pro populo dicuntur in precibus, etiamsi à malis dicantur Episcopis, exaudiri tamen, non pro perversitate Præpositorum, sed pro devotione Populorum.*

Sanè si Eucharistia mera esset Sacrificii à Christo in Cruce oblati commemoratio, ac repræsentatio, Sacrificium à Patribus non diceretur, sicut nec Baptismus, quod Sacramentum est mortem Christi repræsentans, ut docet Apostolus ad Romanos sexto; nec Oblatio ab iisdem nuncuparetur; nec Ecclesia vetus dixisset, ut nunc dicit: *Offero tibi Domine hoc munus*; seu, *Accipe Domine hoc Sacrificium*: Meram enim repræsentationem & commemorationem quis oblationem seriò vocet? Porro antiqui Patres Eucharistiæ conficiendæ Ritum, Oblationem & Sacrificium vocant: Ecclesia vetus in suis Liturgiis offerre se Sacrificium dicebat, Deúmque rogabat illud ut susciperet, ut constat ex S. Cyrillo Hierosolymitano Catechesi V. Mystagogica, ex SS. Basilio & Chrysostomo in Liturgiis, ex S. Dionysio lib. de Ecclesiastica Hierarchia, ex aliis Patribus superiùs laudatis, ex omnibus Christianarum Gentium Liturgiis. Non est igitur mera Sacrificii in Cruce oblati commemoratio ac repræsentatio. Id mirum in modum confirmat insignis ille *S. Augustini* locus Lib. VIII. De Civitate Dei, Cap. XXVII. *Quis autem audivit aliquando Fidelium stantem Sacerdotem ad Altare, etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultúmque constructum, dicere in precibus: Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane; cùm apud eorum Memorias offeratur Deo, qui eos & homines & Martyres fecit, & Sanctis suis Angelis cælesti honore sociavit; ut ea celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoria renovatione adhortemur.* Cui loco geminus est alter ex libro XXI. contra Faustum Cap. XXI. ubi & hæc subdit: *At verò illo cultu, quæ Græcè latria dicitur, Latinè uno verbo dici non potest, cùm sit quædam propriè Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum dicimus nisi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio Sacrificii (Unde Idololatria dicitur eorum qui hoc etiam Idolis exhibent) nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus vel cuiquam Martyri, vel cuiquam Sanctæ Animæ, vel cuiquam Angelo: & quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut condemnetur*

Oblatio Sacrificii ad latriæ cultum pertinet.

Soli Deo, non Martyribus offertur.

demnetur, sive ut caveatur. Et infra: *Longè quippe minoris peccati est ebrium redire à Martyribus, quàm vel jejunum sacrificare Martyribus. Sacrificare Martyribus dixi; non dixi, sacrificare Deo in Memoriis Martyrum: quod frequentissimè facimus, illo duntaxat ritu quo sibi sacrificari Novi Testamenti manifestatione præcepit, quod pertinet ad illum cultum, qua latria dicitur, & uni Deo debetur... Hujus Sacrificii caro & sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur: In Passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: Post Ascensum Christi per Sacramentum memoria celebratur.* Verum Sacrificium, quod ad latriæ cultum spectat, in Altari celebrari per Sacramentum memoriæ, idest, memoriam agendo Passionis Christi, docet *S. Augustinus*, qui & Capite XVIII. ejusdem Libri dixerat: *Proinde verum Sacrificium, quod uni verò debetur Deo, quo ejus Altare solus Christus implevit: in victimis pecorum imitata dæmonia sibi arroganter exposcunt. Unde dicit Apostolus:* Quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant & non Deo: *Non quod offerebatur culpans, sed quia illis offerebatur. Hebræi autem in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & variis modis, sicut re tanta dignum erat, Prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Unde jam Christiani peracti ejusdem Sacrificii memoriam celebrant Sacrosancta Oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Christi.* Falsò ergo *Calvinus* scribit: *Missam fructum, qui è morte Christi ad nos redibat, nobis præripere: dum ne cognoscamus & cogitemus facit.* Secum ipso non minùs quam cum Patribus *Calvinus* pugnat: siquidem agnoscit ibidem, *Veteres usos quidem Sacrificii vocabulo: verùm simul exposuisse se aliud nihil intelligere quàm memoriam veri illius & unici Sacrificii, quod in Cruce peregit Christus.* Et passim ab *Augustino* Cœnam Domini Sacrificium appellari, quia est *memoria, imago, testimonium illius singularis, veri & unici Sacrificii, quo nos Christus expiavit.* Quâ enim ratione fieri potest ut memoria illius singularis & veri Sacrificii à Christo pro omnium hominum salute in Cruce oblati impediat ne de illo cogitemus?

1. Cor. 10

At (inquit Hæresiarcha) *quis cogitet se morte Christi redemptum esse, ubi novam in Missa redemptionem viderit? Quis peccata sibi remissa confidat, ubi novam remissionem viderit?*

Erras, *Calvine*, erras quisquis post *Calvinum* idem Catholicis opponis. Non novam in Missa redemptionem credimus, sed redemptionis in Cruce peractæ applicationem: non remissionem novam, sed eamdem quæ per Sacrificium Crucis parta est, quo Christus nos lavit à peccatis nostris in sanguine suo: Quæ quidem remissio per Missæ Sacrificium applicatur. Cùm enim in Eucharistia illud idem corpus revera præsens sit quod pro peccatorum nostrorum expiatione in Cruce immolatum est, idem sanguis qui pro nobis effusus; eadem victima, idem Summus Sacerdos seipsum incruento modo offerens per Ministrum Sacerdotem, non per *successorem* æterni Sacerdotii Christi (ut nos docere mentitur *Calvinus*) eadem redemptio, eadem remissio est, novo modo nobis applicata. Unde *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi v. Mystagogica, Liturgiæ Ritum exponens: *Postquam* (inquit) *confectum est illud spirituale Sacrificium, & illo cultus incruentus super ipsa propitiationis Hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate Mundi, pro Regibus, pro Militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summa, pro iis omnibus qui egent auxilio. Rogamus Te* (inquam) *nos omnes, & hoc Sacrificium Tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum qui ante nos obdormierunt: Primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis Patribus & Episcopis, denique pro omnibus oramus qui ante nos vitâ functi sunt, maximum credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius & tremendi, quod in Altari positum est, Sacrificii... Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis, & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.* Hinc & *S. Augustinus* lib. 1. contra *Cresconium* Cap. XXV. *Quid de ipso Corpore & Sanguine Domini, unico Sacrificio pro salute nostrâ? Quamvis ipse Dominus dicat:* Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam: *Nonne idem Apostolus docet, etiam hoc perniciosum malè utentibus fieri?* Et lib. IX. Confessionum Cap. XII. de Matre *Monica* loquens: *Cùm pro ea* (inquit) *offerretur Sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulchrum posito cadavere, antequam deponeretur.* Et Cap. XIII. *Tantummodo memoriam sui ad Altare tuum fieri desideravit, unde sciret dispensari Victimam Sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis.* Alia hanc in rem longè plurima Veterum Patrum testimonia proferri possunt. Quamobrem Tridentina Synodus ex Traditionis doctrina hos Canones condidit Sessione XXII. Cap. IX. *Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti: neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere: Anathema sit.*

Joannis 6.

Si quis dixerit, blasphemiam irrogari Sanctissimo Christi Sacrificio in Cruce peracto, per Missæ Sacrificium, aut illi per hoc derogari, Anathema sit.

XXX. Non ita verò Missam Propitiatorium Sacrificium dicimus, quasi *mereatur remissionem culpæ & pœnæ Celebranti & aliis, idque ex opere operato, sine bono motu utentis:* (ut Augustana & Saxonica Confessio nobis improperant) aut quòd prædones & ad omne flagitium prostitutos uno Missæ Sacrificio tanquam soluto pretio, absque vitæ emendatione & pœnitentia Deo satisfacturos confidamus, (ut *Calvinus* affingit) sed quòd *per ipsum fiat, ut, si cum vero corde, & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis, cruentæ (inquam) fructus per hanc uberrimè percipiuntur; tantùm abest ut illi per hanc quovis modo derogetur.* Verba sunt Synodi Tridentinæ. Hæc Fides nostra est: Quam dilucidè explicat *Stanislaus Hosius* Cardinalis & Episcopus Varmiensis, in Confessione Fidei nomine Synodi Petricoviensis edita, Cap. LXXXIX. & calumniam Hæreticorum luculentè refellit: Falsum est (inquit) quòd filii desertores de Matre sua quondam Ecclesia commenti sunt, quasi prædicatum in illa fuerit, valere coram Deo Sacrificium Sacerdotis ex opere operato, sine bono motu utentis: cùm Ecclesiæ doctrina cum isto commento pugnet ex diametro. Nam valere Sacrificium sine bono motu utentis, vel Sacerdotis vel populi, non modò docuit in Ecclesia nemo: verùm illud uno ore potiùs affirmarunt omnes,

Novam in Missa redemptionem non credimus, sed ejusdem in cruce peractæ applicationem.

Quo sensu Missa sit propitiatorium Sacrificium.

Non valet coram Deo ex opere operato sine bono motu utentis.

» Nisi quis per fidem animique devotionem fructum illius in se transferre conatus esset, exitio potiùs illi futurum Sacrificium, quàm utilitatis aliquid allaturum. Quorsum autem admoneret populum Sacerdos ut corda sursum erigerent, si valere Sacrificium sine bono motu utentis persuasum haberet? At docuerunt Scholastici, Missam ex opere operato valere. Docuerunt,* verùm nunquam illud addiderunt, *sine bono motu utentis*. Tum autem longè alio sensu docuerunt, quàm quem isti sibi confixerunt. Scholastici Doctores, rerum quàm verborum studiosiores, hoc habuisse propositum videntur, ut orationis ornatu neglecto, quo brevissimo possent verborum compendio rem explicarent. Itaque cùm de eo foret disceptatio, num & mali Sacerdotis Missa valeret: quoniam ad rem apertiùs intelligendam permultùm lucis afferre divisio consuevit, distinguendum inter opus & opus esse putaverunt, ut aliud esse dicerent opus operans, aliud opus operatum. Opus operans appellare placuit, sive Sacerdotis actionem, quod Autisiodorensi visum est: sive Sacerdotem ipsum sacris operantem. (Sic enim loquitur Innocentius Lib. III. Mysteriorum Missæ, Cap. 5. *Non ergo Sacerdotis iniquitas effectum impedit Sacramenti, sicut nec infirmitas Medici virtutem medicinæ corrumpit. Quamvis igitur opus operans aliquando sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum.*) Opus autem operatum rem immolatam. Quid igitur docent, cùm scribunt, Missam ex opere operato valere? Quid aliud, quàm non esse personam aut actionem Sacerdotis attendendam, verùm ipsam, quæ præsens est in Altari, rem immolatam: ipsum verum Corpus Christi, quod pro nobis traditum est: ipsum verum Sanguinem Christi, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum nostrorum? Hujus enim Corporis pro nobis traditi, hujus Sanguinis pro nobis effusi virtute, non autem merito Sacerdotis aut actione fieri, ut cum Deo reconciliationem, peccatorum remissionem, & ea quæ petimus omnia consequamur. Quamobrem sicut nihil refert, calidus sit an frigidus qui ignem accendit, & ad urendum ligna admovet, cùm non quantum ignis habeat caloris in se impertiat: sic & in sacro faciendo, quod ad illos attinet, pro quibus illud facit Sacerdos, non plurimùm interest cujus ille sit meriti, quandoquidem iis pro quibus offert, non suum ille, sed Christi sanguinis meritum applicat. Quærit alicubi Divus Thomas: Nunquid Sacerdos immundus potest mundare? Et respondet *Quòd non, si ageret in propria virtute, sed agit virtute Sanguinis Christi, qui est sicut causa prima.* Potuitne dici magis pium aliquid, aut veritati Christianæ magis consentaneum? Quid enim? Annon omnem hac ratione fiduciam ab homine transferunt, & in sola Christi Passione (Hoc enim est Sacrificium quod offerimus) collocari jubent? cum Propheta dicentes: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum: Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.*

Quo sensu Scholastici Missam ex opere operato valere dixerint?

Sacerdotis improbitas nõ obest quominus Missæ Sacrificium illis prosit pro quibus offertur.

In Epist. ad Hebr. c. 9. Lect. 3.

Jerem. 17. 5. 7.

» Nolunt ut quisquam in sanctitate, aut in externo Sacerdotis opere, spem suam omnem defixam habeat: verùm in Agno isto immaculato, cujus pretioso sanguine redempti sumus. Hic est qui tollit peccata mundi. Hic est in cujus nomine, si quid petierimus Patrem, dabit nobis. Hic est unus Advocatus, Mediator, & Reconciliator noster. Homo Sacerdos Minister tantùm est reconciliationis: Ministerium enim reconciliationis dedit illi Deus, quemadmodum à Paulo scriptum legimus: Vera propitiatio pro peccatis A nostris, verus Sacerdos in æternum, solus sanctus & immaculatus Pontifex, qui & exauditus est, & exauditur semper pro sua reverentia, & per quem exaudiuntur, quotquot exaudiuntur, est ille qui per proprium sanguinem semel introivit in Sancta: qui sedens ad dexteram Patris etiam nunc interpellat pro nobis, Dominus noster Jesus Christus. Cujus Corporis & Sanguinis Sacramentum cùm præsens adsit in Altari, cúmque subjiciatur sub oculos astantium, quemadmodum ille semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: in hujus Sacramenti præsentia, B sicut à Sancto Martyre Cypriano* scriptum est, *non supervacuè mendicant lachrymæ veniam, nec unquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam.* Hoc sensu dixerunt Scholastici Missam ex opere operato valere, non propter sanctitatem aut actionem Sacerdotis, sed propter victimam illam salutarem, cujus tam fit immolationis repræsentatio. Laudat istius sententiæ defensores *S. Thomam* III. Parte, Quæst. LXXXII. Art. VI. *Albertum Magnum* in IV. Sententiarum Dist. III. Art. XXXI. *S. Bonaventuram* in IV. Sententiarum C Dist. XIII. Q. IV. *Gersonium* Sermone II. in die Mortuorum, *Scotum* in Quodlibetis Quæst. XX. *Gabrielem Biel* in Expositione Canonis Missæ, Lectione XXVI. & alios.

* seu potius ab Authore vitæ. Sermonis de Cœna Domini inter Opera S. Cypriani.

» Addit, Sacerdotem fungi legatione sive ministerio pro Christo & capite & corpore. In consecrando sive sanctificando, offerendo, distribuendo, manus, lingua, ministerium hominis est mortalis: verùm ipsa consecratio sive sacrificium, oblatio, distributio, denique virtus omnis & efficacia, non est nisi æterni Sacerdotis illius, & immortalis Domini nostri Jesu Christi. Hoc igi- D tur in loco Christi Capitis Ministrum agit. Cùm verò precatur Deum, ut Oblationis in Cruce factæ, cujus fit in Altari repræsentatio, fructum ad Fideles omnes redundare faciat, Ministrum agit Christi Corporis Ecclesiæ. Sive autem Sacerdotem consideres tanquam Christi Capitis, sive tanquam Christi Corporis Ministrum, utroque modo valet Missa. Nam quod ad prius illud ministerium pertinet, non refert quo sit vitæ merito Sacerdos. Christus est enim Summus ille Sacerdos, qui semetipsum offert. Panis quem dat, E id est, caro ejus est mundi vita. Quamobrem non hominis Sacerdotis actio, verùm Christi Sacerdotis oblatio: Christi caro quam semel in ara Crucis pro nobis in mortem obtulit, illa est vita mundi, illa est per quam salutem consequimur. Hominis autem Sacerdotis nihil aliud est quam ministerium. Virtus omnis penes carnem illam est, quæ cùm propter nostram salutem in Cruce pependisset, nunc ad dexteram Dei collocata, pro nobis interpellare nunquam intermittit. Rectè enim ab Augustino dictum est: Qui fuerit superbus Minister, cum diabolo computatur, sed non F contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit, purum est, quod per illum transit liquidum, venit ad fertilem terram: Puta, quia ipse lapideus est, quia ex aqua fructum ferre non potest. Per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generans, sed tamen hortis plurimum fructum affert. Spiritalis enim virtus Sacramenti ita est ut lux: & ab illuminandis pura accipitur, & si per immundos transeat, non inquinatur. Quod verò spectat posterius ministerium, quo Sacerdos pro Christi Corpore fungitur Ecclesia, cumprimis id optandum foret, ut quibus illa Ministris utitur ad iram Dei placandam, essent moribus inculpatis: Ne, si sicut populus, ita Sacerdos quoque factus sit, rectè ad utrumque dici possit quod à Propheta scriptum

Tractatu v. in Joannem.

Psal. 24. Coh. 4. Isai. 59. Joann. 9.

tum est : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiat.* Certum est enim quòd *Multùm valet deprecatio Justi* : Neque temerè dictum est ab illo Cœco nato, cui Christus oculorum visum restituerat : *Deus peccatores non audit.* Cæterùm in homine Sacerdote Sacris operante, si nulla sunt ipsius Ministri merita, non desunt tamen ejus, cujus est Minister, Ecclesiæ merita : quæ non à majore quidem, sed à meliore tamen sui parte Sancta dicitur, & Regnum sæpe Cœlorum à Christo vocatur. Quare cujus oratio privata nullum pondus habitura, neque fructum erat ullum allatura (Scriptum est enim : *Qui declinat aurem suam ne audiat Legem, oratio ejus erit execrabilis.*) Cùm is orat in Ecclesiæ persona, quæ in potiore sui parte Sancta est, non potest ejus oratio non iis, pro quibus orat, esse fructuosa, quamvis ipsi Sacrificanti sit perniciosa. Malitia enim Ministri non impedit bonitatem, sive bonum opus personæ quæ bona est ; sicut si bonus aliquis Dominus per manus famuli sui nequam eleemosynam tribuat, non ideo perdit eleemosynæ suæ meritum. Et hoc est quod orans dicit Sacerdos : *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis : Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis : Quæso, ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ.* Videntur ejusmodi non esse dissimiles Procuratoribus hospitalium aut captivorum, quibus eorum contemplatione pro quibus petunt, largè datur eleemosyna : cùm tamen ipsis pro se petentibus nihil daretur ; fortassis etiam turpiter abigerentur : cùm tamen ipsi nihilominus partem distributionis accipiant. Præclarè scriptum est ab Hieronymo : *Episcopus, Presbyter, Diaconus, non sunt meritorum nomina, sed officiorum.* Ante quem etiam Cyprianus : * *Scribæ & Pharisæi in Cathedra Moysi sedentes, dum agunt quæ ad Cathedram pertinent, per omnia plenitudine potestatis utuntur, & officium, non vita, tantis effectibus honoratur. Obediunt Dæmones Exorcistis : Christum (inquiunt) scimus, & Paulum novimus : & in nomine Christi, quem Paulus prædicat, adjurati egredimur, vos autem penitus ignoramus. Ecce in nomine suo nihil quæstuarii peragunt Exorcistæ, nec se eis deferre ipsi Dæmones profitentur, sed nomen Christi etiam per lucrorum sectatores sua gloria retinet potestatem : & fiunt in talibus causis Ministri mercenarii sicut naves onerariæ, quæ per pelagus evehunt institores, quorum rectores potius eorum, quos ducunt, pecuniis inhiant, quàm saluti. Et tamen mare seculi hujus necessarios habet hujusmodi transvectores : alioqui cessabunt commercia, nec ex transmarinorum copia aliorum inopia habebit subsidium, nec occurrent sibi solatia regionum, si vehicula tollantur de invio, & pelagus immeabile relinquatur. Bonis quippe sæpe malorum ministeria suffragantur.* Fuerunt etiam Augustini Seculo, qui Sacramenta & Sacrificia ex dignitate Ministrorum esse metienda putarent : quique mali Episcopi aut Sacerdotis preces obesse potius, quàm prodesse pro quibus fierent, affirmarent. Quos, contra Parmenianum, Petilianum, Cresconium, Gaudentium, Donatistas alios scribens Augustinus, pluribus verbis confutavit. Proferebant Parmenianus & Petilianus locum ex Isaïa : *Facinorosus qui sacrificat mihi vitulum, quasi qui canem occidat : & qui similaginem, quasi sanguinem porcinum : & qui offert thus, quasi qui benedicat idolo.* Sed hæc Augustinus cùm de Schismaticis multò congruentius dici docuisset, his deinde verbis utitur : *Si primis temporibus non defuerunt mali Sacerdotes, vel Collegis bonis, sicut fuit Zacharias : vel popularibus, sicut fuit Nathanaël, in quo dolus non erat : quantò magis nihil obest in unitate Christiana Episcopus malus vel Coëpiscopis, vel Laicis bonis, cùm jam ille Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, & Pontifex noster sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis. Nec illud bonis obest, sed offerentibus malis, quod verissimè dictum est : Dona iniquorum non probat Altissimus :* Et contra Petilianum : *Nos dicimus tale cuique Sacrificium fieri, qualis accedit ut offerat, & qualis accedit ut sumat, & eos de Sacrificiis talium manducare, qui ad illa tales accedunt, quales & illi sunt. Itaque, si offerat Deo malus, & accipiat inde bonus, tale cuique esse, qualis quisque fuerit. Quia & illud scriptum est : Omnia munda mundis.* Ac paulò post contra Parmenianum scribens, cùm objectum esset ab eodem : *Sacrificia impiorum execratio est Domino* : respondet : *Sacrificia impiorum eis ipsis oberunt, qui offerunt impiè. Nam unum atque idem Sacrificium, propter nomen Domini quod invocatur, & semper sanctum est, & tale cuique fit, qualis corde ad accipiendum accesserit. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Non ait aliis, sed sibi. Qui ergo manducat dignè & bibit, gratiam sibi manducat & bibit.*

S. Hieron. lib. 1. cont. Jovinianum.

* Arnoldus Bonavallis Abbas in Serm. de Baptismo Christi, inter Opera S. Cypriani.

Proverb. 28. 9.

Isaiæ 66.

Lib. 11. cont. Parmen. c. 9.

Proverb. 15. Lib. 11. Cap. 52. Eccles. 34.

Lib. 11. Cap. 8.

Quid aliud his verbis *Augustinus* innuit, quàm quod aliis verbis dictum est à Scholasticis : Ex opere operato, non ex opere operantis valere Sacrificium sive Sacramentum ? Verum est enim, quod à Nicolao Papa scribitur, Quòd mali bona administrando, se tantummodo lædunt, sicut Fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis verò lumen in tenebris administrat, & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Cùm verò idem *Parmenianus* protulisset ex Evangelio : *Deus peccatores non audit* : S. Augustinus respondet : *An propterea dicunt hoc, ut intelligatur malus Episcopus non exaudiri cùm pro populo rogat ? Quod etsi ita esset, non ideo tamen populus, si bonus atque fidelis est, felicitus esse deberet. Securos enim illos facit illa Scriptura, quæ ait : Etsi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Cùmque posuisset de Balaam exemplum : *Non mirum est* (inquit) *si verba bona, quæ pro populo dicuntur in precibus, etiamsi à malis dicantur Episcopis, exaudiantur tamen, non pro perversitate Præpositorum, sed pro devotione populorum.* Quid hîc aliud dicit, quàm quod à Scholasticis postea scriptum est : Sacrificium sive preces non solùm valere virtute meriti personalis Sacerdotis, verùm etiam virtute meriti generalis Ecclesiæ, in cujus persona per Ministrum communem offeruntur : cujus fidem, non peccata Ministri Deus respicit ? Habemus igitur jam quæ sit Scholasticorum sententia, cùm ex opere operato valere Missam dicunt : nimirum eadem quæ quondam Augustini, eadem quæ totius Ecclesiæ Catholicæ fuit, est & erit semper. Qui verò sensum illis contrarium affingunt, aut non intelligunt ipsi neque quæ dicunt, neque de quibus affirmant ; aut extremè sunt improbi, qui dum quamplurimos à Christi Corpore, quæ est Ecclesia, segregare student, quod veritate non possunt, ejusmodi confictâ calumnia perficere conantur ; alienum prorsus & absurdum, ac minimè pium illis sensum affingentes. Hæc Cardinalis *Hosius*,

Joannis Hus testimonium contra Protestantes profertur.

Hanc porro de Sacrificio Novi Testamenti doctrinam quâ fronte impiam asserere audent Protestantes, & ob eam ab Ecclesiæ Romanæ Communione se meritò secessisse : cùm *Joannes Hus* qui apud ipsos testis veritatis audit, eamdem propugnet in Tractatu de Sacramento Corporis & Sanguinis ?

 Presbyter

Presbyter, inquit, *dum elevat, offert in Sacramento Venerabili Deo Patri Corpus Christi, quod ipse Christus obtulit in ara Crucis, nec in vacuum, sed in redemptionem multorum. Nam hoc significans dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Idem asserit *prodesse vivis & mortuis.* Et in Tractatu de Ecclesia, Cap. 15. ait, Apostolorum officium fuisse, *Sacrificium Corporis Christi offerre.*

Nulla ratio fuit cur propter doctrinã de Sacrificio Missæ Lutherani & Calvinistæ ab Ecclesia discederent.

Præterea, Lutherani Græcæ Ecclesiæ communionem non semel ambiverunt, quamvis Missam verum & proprium Corporis & Sanguinis Christi Sacrificium esse doceat, atque offerat, idémque pro vivis & defunctis credat esse propitiatorium. Nulla ergo ratio fuit cur propter doctrinam de Sacrificio Missæ Lutherani & Calvinistæ ab Ecclesia discederent. Frustra enim abusus objicit Augustana Confessio, scilicet eorum impietatem qui absque pœnitentia Missam celebrant, cùm in crimina sint prolapsi, & qui Missas ad quæstum convertunt. Si enim propter abusus res sacræ abrogandæ sint, Baptismus, Eucharistia, Evangelii prædicatio, jure abrogari possent, quoniam iis plurimi inter ipsos Protestantes & Calvinistas abutuntur: immò & Religio penitus è medio tollenda esset, quia nonnulli Religionem & quicquid in ea sanctius est, ad quæstum convertunt, & utuntur Deo, ut fruantur Mundo. Si qui verò irrepsere in Sacrificii celebrationem & Sacramentorum administrationem abusus, ex Ministrorum quorumdam socordiâ, vel impietate, vel avaritiâ, Ecclesiæ non sunt tribuendi, quæ ipsos execrata semper est, & emendare studuit.

Objectio Lutheri.

XXXI. Objicit *Lutherus* lib. de Captivitate Babylonica, & libro de Abroganda Missa Privata, verba Christi Cœnam instituentis, verba promissionis esse, involventia pignus ejusdem promissionis, quod est Corpus & Sanguis Christi. Ait enim: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis traditur. Hic Calix Novum Testamentum est in meo Sanguine, qui pro vobis effunditur.* Porro non tantùm distat Ortus ab Occidente, quantùm Sacrificium à promissione. Sacrificium opus nostrum est, ex nostris rebus exhibitum Deo. At promissio divinum verbum est de Dei rebus exhibitum hominibus. Rursus: Christus *Accepit panem, gratias agens, fregit, deditque Discipulis suis:* At dare Discipulis, non est idem quod offerre Deo.

Responsio.

Verùm nullo negotio diluitur hæc Objectio, distinguendo promissionem à pignore promissionis; testamentum ab hereditate. Promissio quidem secundùm se spectata, Sacrificium esse non potest, sed ratione pignoris seu rei quæ promittitur, immò & reipsa exhibetur, nihil obest quo minùs verum sit Sacrificium. Deus enim victimam ex instituto mandatóque suo sibi oblatam in pignus ac signaculum promissionis assumere potest: quod in Veteri Lege præstitit. Testamentum namque obsignavit sanguine victimæ tunc sibi immolatæ, Exodi XXIV. dicente Moyse: *Hic est Sanguis Testamenti quod misit ad vos Deus.* Sic omnia Veteris Legis Sacrificia signacula erant promissionis Christi venturi & immolandi. Quidni ergo Christi Corpus & Sanguis, in Altari exhibita per ejus verba, quibus panis & vinum consecrantur & in eorum substantias transmutantur, & victimæ Deo oblatæ, & pignoris atque signaculi divinæ promissionis rationem habere possunt? Vario itaque respectu Eucharistia Testamentum, Sacramentum ac Sacrificium est: Testamentum quidem quatenus divinæ voluntatis, promissionis & amoris pignus, à Christo Testatore, pridie quàm pateretur, Discipulis, omnibúsque Fidelibus relictum. Sacramentum, quatenus externum ac visibile signum est invisibilis gratiæ, & spiritualis refectionis animarum nostrarum, quæ nobis confertur cùm Eucharistiam piè ac religiosè sumimus, non Fidem solam quæ absque operibus mortua est ad sacram Mensam afferentes, sed Charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Denique sacrificium est quatenus Deo offertur. Qua quidem ratione non est merum hominis opus (ut Lutherus objicit) sed Christi Summi Sacerdotis, seipsum Patri per Ministros suos ut perennem salutis nostræ victimam quotidie offerentis.

Præterea, si propriè loquamur, Missa non est Testamentum, aut promissio remissionis peccatorum, quod pro fundamento ponit Lutherus. Testamentum namque Novum est Lex Nova à Christo lata & ejus obsignata Sanguine, cujus Professores heredes instituuntur cœlestis Regni. Quæ definitio colligitur ex Apostolo Cap. IX. Epistolæ ad Hebræos, ubi Vetus Testamentum à Novo discernens, ait: *Ideo Novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente in remissionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hereditatis.* Quod etiam ex Cap. 8. manifestiùs declaratur, ubi docet Christum excellentius fuisse sortitum Sacerdotium, quàm Veteris Testamenti Sacerdotes, ac proinde Testamenti præstantioris Mediatorem esse, nimirum ipsius de quo Jeremiam prædixisse ait: *Ecce dies venient, dicit Dominus; & consummabo super domum Jacob & super domum Israel Testamentum Novum, non secundum Testamentum quod feci Patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Ægypti &c. Quia hoc est Testamentum quod disponam domui Israel post dies illos: Dando leges meas in mentem illorum, & in corde eorum superscribam eas.* Ex quibus patet, Evangelio, potius quàm Missæ, & Eucharistiæ, testamenti notionem competere. Nec etiam Christi mors testamentum est, sed testamenti confirmatrix. *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est alioquin nondum valet dum vivit qui testatus est.* Nec Sanguis Christi Testamentum est, sed in quo Novum Testamentum est confirmatum & constabilitum. Atqui hic est verborum Christi sensus: *Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti.* Vel: *Hic est Calix Novum Testamentum in Sanguine meo.* Nec Eucharistia, seu Missa qua conficitur, promissio est remissionis peccatorum, quæ Pœnitentiæ, non Eucharistiæ Sacramento per se annexa est: sed potius Sacramentum nostræ cum Deo unionis. Etsi ad delendas peccatorum reliquias Eucharistia plurimùm conferat iis, qui ad ipsam expiatis per absolutionem Sacramentalem conscientiis accedunt, vel etiam ad impetrandam peccatoribus pœnitentiæ gratiam, quatenus velut Sacrificium Deo pro peccatis offertur. Lege *Joannem Fischerum* Episcopum Roffensem, lib. contra Captivitatem Babylonicam Lutheri, Cap. 4. & 5.

Objectio Lutheri.

XXXII. Absurdum putat *Lutherus* ut divinæ Promissionis pignus Deo offeratur, idque similitudine quadam nititur persuadere: „Si Princeps quispiam te donaret Codice aliquo Testamenti, „quo tibi promitteret velut pignore certo hereditatem suam totam, nihil aliud spectans quàm „suam bonitatem & tuam paupertatem, nec „aliud ex te quærens quàm ut Codicem acceptes „gratísque custodias, gaudeas, & diligas se benefactorem tuum: Tu verò velut magnum facturus, cum ipsum Codicem non acceptes, nisi „ut ei exhibeas & offeras, non tuum commodum, „sed illius divitias aucturus, ut tu potius glorieris qui dederis, & ille pudefiat qui à te mendico acceperit: Nonne hic judicaberis aut extremâ dementiâ insanire, & nihil intelligere eorum „

quæ

» quæ fiunt? Aut, si intelligeres, sommâ nequitiâ & superbiâ Principem irridere & illudere? » Talis est (inquit Hæresiarcha) facies & religio » absurdissimi hujus vulgi Papistici erga Majestatem Divinam dum Missam sacrificant, & Promissione Dei Deum divitem faciunt.

Responsio.

Sed Deus ex humanis moribus & affectibus non est metiendus. Nonne & in Lege Naturæ, & Mosaica, Oblationes ex terræ frugibus, & Sacrificia pecorum sibi offerri sanxit, & grata habuit, quamvis providentiæ suæ erga hominum genus munificentissimæ dona essent, juxta illud Psalmi: *Mea sunt omnes feræ sylvarum, jumenta in montibus & boves?* Et illud Davidis Lib. I. Paralipom. Cap. XXIX. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Nonne spiritualia Sacrificia Deo ex ejus muneribus offerimus, cùm *Non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo sit, qui dat nobis velle & perficere pro bona voluntate?* Unde & *S. Augustinus* libro X. de Civitate Dei Cap. IV. ait: *Cum ad illum sursum est, cujus est Altare cor nostrum, ejus Unigenito cum Sacerdote placamur; ei cruentas victimas cadimus, quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus: Ei suavissimum adolemus incensum, cùm in ejus conspectu pio sanctoque amore flagramus;* EI DONA EJUS IN NOBIS, NOSQUE IPSOS VOVEMUS ET REDDIMUS... *Ei Sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis, igne fervida charitatis.* Quidni igitur Corpus & Sanguinem Christi ab Ipso in Eucharistiâ nobis data Ipsi offeramus in Altari? Quidni Ecclesia in Canone Missæ optimo jure dicat: *Offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis Hostiam puram, Hostiam Sanctam, Hostiam immaculatam, Panem Sanctum vitæ æternæ, & Calicem salutis perpetuæ?*

Objectio Lutheri.

XXXIII. Instat *Lutherus*: Natura Sacrificii est, præsertim perfectissimi, quod holocaustum vocant, totum Deo offerri, nihil ex eo hominibus relinqui: Si autem victima pro peccato fuerit, saltem aliquam partem Deo relinqui totam. Cur ergo nos panem & vinum totum comedimus & bibimus, nihil relinquentes Deo? Cur non totum ei relinquimus, cùm velimus hoc perfectissimum esse Sacrificium?

Responsio.

Catholicam Sententiam intelligere se dissimulavit, aut revera non intellexit Hæresiarcha. Missam Sacrificium esse perfectissimum Ecclesia credit ac docet, quod propter singularem sui excellentiam, holocaustum est, Sacrificium pro peccato seu propitiatorium, & pacificum sive ad beneficia à Deo impetranda, sive ad gratias divinæ ipsius Majestati reddendas: In quo cùm oblata victima, Christi scilicet Corpus & Sanguis indivisibili modo contineantur, quantumvis dividantur symbola seu species panis & vini; totum offertur Deo ut Sacrificium; & totum nihilominus à nobis sumitur ut cibus ac potus ad nostrarum refectionem animarum institutus. Hanc utramque Sacrificii ac Sacramenti, convivii que rationem in Eucharistia exponit *S. Hieronymus* Epistola CL. ad Hedibiam: *Dominus* (inquit) *dedit nobis Panem verum, ipse comedens & qui comeditur; illius bibimus Sanguinem, & sine ipso potare non possumus: & quotidie in Sacrificiis ejus de genimine vitis vera rubentia musta calcamus.*

XXXIV. Falsò etiam objicit *Lutherus*, Christum accepisse duntaxat, fregisse, dedisse Discipulis Panem, necnon & Calicem; non verò obtulisse Deo ac sacrificasse. Cùm enim Christus sit *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, veteresque figuras impleverit, Sacrificium incruentum sub specie panis & vini ab Ipso institutum & oblatum esse consequens est; hujusque Sacrificii ritum ut Summum Sacerdotem per Ministros suos perenniter exercere, quibus id imperavit in Apostolis: *Hoc facite* (inquit) *in meam commemorationem.*

Hinc *S. Cyprianus* in Epistola ad Cæcilium: *Quis* (inquit) *magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Jesus Christus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet Corpus & Sanguinem?*

Hinc *Eusebius Cæsariensis* Lib. V. Demonstrationis Evangelicæ Cap. III. *Quemadmodum ille qui Sacerdos gentium erat, nusquam videtur Sacrificiis corporalibus functus, sed vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedicit; ita sanè primus ipse Salvator ac Dominus noster, deinde qui ab ipso profecti sunt, Sacerdotes in omnibus gentibus, spirituale secundum Ecclesiasticas Sanctiones Sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane Corporis illius & salutaris Sanguinis Mysteria repræsentant: Quæ sanè Mysteria Melchisedech tantò ante Spiritu Divino cognoverat, & rerum futurarum imaginibus usus fuerat.*

Secundò, Christus in suprema Cœna non solùm Agnum Paschalem cum Apostolis comedit, sed veterem illam figuram implevit, Pascha suum instituens, seque verum Agnum in Mysterio panis & vini immolans, & in Eucharistia comedendum apponens, ut docent S. Hieronymus in Caput XXVI. S. Matthæi, S. Joannes Chrysostomus Homilia LXXXIII. in Matthæum, S. Gaudentius Tractatu II. in Exodum, ubi hoc discrimen assignat inter Legale & Christianum Pascha, quòd in illo non unus agnus occidebatur, sed plures, singuli scilicet per domos, cùm unus sufficere non posset universis: Nunc verò *Idem per singulas Ecclesiarum domos in Mysterio panis & vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus: Hæc Agni Caro, hic Sanguis est.*

Item docet *S. Leo* Sermone VII. de Passione Domini: *At Jesus consilii sui certus, & in opere paternæ dispositionis intrepidus, Vetus Testamentum consummabat, & novum Pascha condebat. Discumbentibus enim Discipulis ad edendam Mysticam Cœnam, cùm in Caiphæ atrio tractaretur quomodo Christus posset occidi, Ille Corporis & Sanguinis sui ordinans Sacramentum, docebat qualis Deo Hostia deberet offerri.*

Tertiò, Christus Calicem Discipulis porrigens, ait: *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti*: Igitur *Testamentum* in Cœna *constituit Sanguine suo obsignatum*, ut loquitur *Tertullianus* lib. IV. contra Marcionem. Nec id diffiteri Lutherani possunt, cùm *Lutherus* Propositionem illam velut principium assumat & identidem repetat: *Missa est Testamentum Christi.* Sicut ergo sanguis Testamenti Veteris, de quo Moyses Exodi XXIV. dixit: *Hic est sanguis Testamenti quod mandavit ad vos Deus*, erat sanguis victimæ jam immolatæ & in Sacrificium oblatæ; ita Sanguis Christi Novum Testamentum condentis, Apostolis ab ipso datus his verbis, quæ Mosaïcis persimilia sunt: *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti*, Sanguis erat victimæ reipsa in Cœna immolatæ & in Sacrificium oblatæ.

Quartò, verba institutionis Eucharistiæ idem probant: Christus enim dixit: *Hoc est Corpus meum quod pro vobis datur.* (Lucæ XXII.) Vel, ut habet S. Paulus I. ad Corinthios XI. *Quod pro vobis frangitur.* Item: *Hic est Calix Novum Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis effunditur* (Lucæ XXII.) *In remissionem peccatorum* (Matthæi XXVI.) Quibus quidem verbis non tantùm significatur

ficatur Christi Corpus & Sanguinem dari vel effundi Apostolis ad manducandum & bibendum; sed dari, effundi, offerri Deo in Sacrificium. Non enim ait; Vobis datur, frangitur, effunditur, sed *Pro vobis, & pro multis in remissionem peccatorum.* Hoc Mysterium S. Paulus commemorans, his verbis usus est: *Quod pro vobis frangitur*: Quod ad Sacrificium Crucis non referri manifestum est, cùm Christi Corpus ibi fractum non fuerit, ut impleretur Prophetia: *Os non comminuetis ex eo*: sed ad Eucharistiam, in quâ Christi Corpus sub specie panis non solùm nobis frangitur, sed pro nobis, id est, immolatur & sacrificatur. Tandem, *τὸ fundiuur*, ad Calicem, referri, seu ad Sanguinem prout in Calice offertur ac libatur Deo, non prout in Cruce tantùm effunditur, ex Græco Textu constat: τοῦτο τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον. Quocirca *S. Gregorius Nyssenus* Oratione I. de Resurrectione, ait: *Pro ineffabili arcanóque, & qui ab hominibus cerni nequit Sacrificii modo, sua dispositione praeoccupat impetum violentum, ac sese Oblationem & Victimam offert pro nobis Sacerdos simul & Agnus Dei. Quando hoc accidit? Cùm suum Corpus ad comedendum, & Sanguinem ad bibendum familiaribus præbuit.* Et *S. Joannes Chrysostomus* Homilia II. in Epistolam alteram S. Pauli ad Timotheum: *Sacra ipsa Oblatio* (inquit) *sive illam Petrus, sive Paulus, sive alius cujusvis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse Discipulis, quámque Sacerdotes modò quoque conficiunt: Nihil habet ista quàm illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacraverat.*

Objectio Lutheri.

XXXV. Objicit *Lutherus*: Nullum esse in Novo Testamento Sacerdotium visibile & externum, sed spirituale duntaxat, & omnibus Christianis commune: Idque probari ex I. Petri Cap. II. *Et ipsi tanquam vivi lapides superædificamini in Sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Et infra: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui vos vocavit de tenebris in admirabile lumen suum.* Et ex Apocalypsis V. *Fecisti nos Deo nostro Reges & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* Et Cap. XX. *In his secunda mors non habebit potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei & Christi ejus & regnabunt cum eo mille annis.* Porro si Sacerdotium externum & visibile nullum est, Missa verum Sacrificium non est.

Responsio.

Inscitiam suam ubique prodit *Lutherus*, sed in hac maximè Objectione. Sacerdotium enim impropriè dictum, quo baptizati omnes ad Sacrificia spiritualia bonorum operum Deo offerenda sibi ipsis Sacerdotes sunt, unum esse Novæ Legis Sacerdotium imperitè asserit. Quod si ita est, sequitur nullos esse Reges qui populis dominentur, & quibus parere Christiani debeant, quia pariter facti Reges per vocationem ad Fidem & Baptismum spirituali quadam ratione dicuntur. Sicut ergo præter spirituale illud Regnum quod Christianis omnibus commune est, aliud agnoscunt Lutherani visibile & externum iis conveniens, quos successionis, electionis, vel armorum Jura Populis supremâ cum auctoritate præficiunt: ita præter Sacerdotium illud spirituale, quo ad offerendas spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum, Fideles omnes in Baptismo inaugurantur, aliud agnoscere debent visibile & externum, quo ad Sacrificia offerenda, & ad conficienda Sacramenta Sacerdotes in Ecclesia consecrantur. Cur enimverò Lex Nova externum & visibile Sacerdotium æquè non habeat ac Lex Vetus? At in Veteri Lege omnes Judæi Sacerdotes non erant, quamvis *Regnum Sacerdotale & Gens Sancta* sint à Deo vocati Exodi XIX. Neque ergo Christiani omnes verè ac propriè sunt Sacerdotes, quamvis S. Petrus eos Regale Sacerdotium vocaverit. In Ministerio enim ad aliorum salutem & ædificationem Christianum Sacerdotium positum est, his verbis à Christo institutum: *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus collata est Apostolis potestas offerendi Sacrificium; quod præcipuum Sacerdotii munus est, secundùm illud Apostoli ad Hebræos V. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro omnibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Ejusdémque Sacerdotii à Christo consummata potestas est his verbis: *Accipite Spiritum Sanctum; Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ ad omnes Christianos non pertinere manifestum est. Certè cùm *Nemo sibi sumat honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, ut Apostolus ad Hebræos scribit: Cùm idem ad *Timotheum* scribat: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii*: Sive ut vertit Erasmus: *Cum Auctoritate Sacerdotii.* Et Epistola II. ad eumdem Cap. I. *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Et ad Titum: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi*; Presbyteratus seu Sacerdotium Christianis omnibus non convenit, ut *Lutherus* commentus est.

I. Ad Timoth. 4.

Hæc semper fuit Ecclesiæ Catholicæ fides ac doctrina. Hanc *Ignatius* Martyr in Epistolis suis expressit. *Tertullianus* lib. de Præscriptionibus Hæreticorum; Cap. XLI. ubi de Hæreticis ita loquitur. *Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes, nunc Neophytos collocant, nunc seculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, ut gloriâ eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus: Nam & Laïcis Sacerdotalia munera injungunt.*

S. Cyprianus Epistola XXVII. Lapsis inscriptâ: *Dominus noster, cujus præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro*: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super « istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & « portæ inferorum non vincent eam, & tibi dabo « claves regni cœlorum, & quæ ligaveris super « terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque « solveris super terram, erunt soluta & in « cœlis. *Inde per temporum & successionum vices, Episcoporum Ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur: & omnis actus per eosdem Præpositos gubernetur. Cùm hoc itaque divina Lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse; quando Ecclesia in Episcopo & Clero, & in omnibus stantibus sit constituta.*

Et Epistola XXXIII. *Presbyteris & Diaconibus, item Plebi universæ* inscripta, de *Aurelio* Confessore Lectore ordinato sic loquitur: *Merebatur talis Clericæ Ordinationis ulteriores gradus & incrementa majora, non de annis suis, sed de meritis æstimandus, sed interim placuit ut ab Officio Lectionis incipiat.*

Et Epistola XXXIV. de Aurelio & Celerino Confessoribus: *Cæterùm Presbyterii Honorem designasse Nos illis jam sciatis* &c. Et Epistola XXXV. *Admonitos Nos & instructos sciatis dignatione divina, ut Numidicus Presbyter ascribatur Presbyterorum Carthaginensium*

Verum ac propriè dictum Christianis omnibus non convenit Sacerdotium.

thaginensium numero, & nobiscum sedeas in Clero, luce clarissima confessionis illustris.... Remansit invitus, sed remanendi hæc fuit causa, ut eum Clero nostro Dominus adjungeret, & desolatam per lapsum quorumdam Presbyterii nostri copiam gloriosis Sacerdotibus adornaret.

Epistola LXIII. ad Cæcilium: *Nam si Jesus Christus, Dominus & Deus noster, ipse est Summus Sacerdos Dei Patris, & Sacrificium Patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit: utique ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur: & Sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse... Religioni igitur nostra congruit & timori, & ipsi loco atque Officio Sacerdotii nostri, in Dominico Calice miscendo & offerendo custodire Traditionis Dominicæ veritatem.*

Epistola LXVI. ad Clerum & Plebem Furnitanorum, de *Victore* qui *Faustinum* Presbyterum tutorem Testamento suo nominaverat: *Quod Episcopi Antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter providentes, censuerunt ne quis Frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & Ministros voluit avocare. Et ideo Victor cùm contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quòd pro dormitione ejus apud vos fiat Oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur, ut Sacerdotum Decretum religiosè & necessariè factum servetur à nobis, simul & cæteris Fratribus detur exemplum, ne quis Sacerdotes & Ministros Dei, Altari ejus & Ecclesiæ vacantes, ad seculares molestias devocet.*

Epistola LXIX. ad Florentinum Pupianum: *Ecclesia Plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens. Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si qui cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse, & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt; quando Ecclesia, quæ Catholica, una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa, & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata. Quamobrem, frater, si Majestatem Dei, qui Sacerdotes ordinat, cogitaveris: si Christum, qui arbitrio, & nutu, ac præsentia sua, & Præpositos ipsos, & Ecclesiam cum Præpositis gubernat, aliquando respexeris: si de innocentia Sacerdotum non humano odio, sed divino judicio credideris: Si Deo & Christo ejus, quibus servio, & quibus pura atque immaculato ore Sacrificia & in persecutione pariter & in pace indesinenter offero, plenissimè satisfeceris, communicationis tuæ poterimus habere rationem, &c.*

Ex Libro *De Lapsis* ubi de puella loquitur, quæ apud Idolum panem mero mixtum, de immolatione residuum degustaverat: *Ignoratione igitur obreptum est* (inquit) *ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum Sanctis, precis nostræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda jactari, &c. Ubi verò solemnibus adimpletis Calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit; faciem suam parvula instinctu Divinæ Majestatis ejus avertere, os labiis obturantibus premere, Calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento Calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini Sanguine potus de pollutis visceribus erupit: Tanta est potestas Domini, tanta Majestas. Secreta tenebrarum sub ejus luce detecta sunt, Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt... At verò ea quæ ætate provecta & in annis adultioribus constituta, sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum, sed gladium sibi sumens, &c.*

S. Epiphanius Epistola ad *Joannem* Hierosolymitanum Episcopum: *Cum vidissem quia multitudo Sanctorum Fratrum in Monasterio consisteret: & Sancti Presbyteri Hieronymus & Vincentius propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini suo exercere Sacrificia, & laborare in hac parte Ministerii, quæ Christianorum præcipua salus est: invenire autem & comprehendere Servum Dei non posses, qui te, eò quòd grave onus Sacerdotii nollet suscipere, sæpe fugiebat; sed nec alius quis Episcoporum facilè eum reperiret, &c. Cùm igitur celebraretur Collecta in Ecclesia villæ, quæ est juxta Monasterium nostrum, ignorantem eum, & nullam penitus habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jussimus, &c. Et primum Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes ut ministraret. Valde quippe obnitebatur, indignum se esse contestans.... Et cùm ministraret in Sanctis Sacrificiis rursus cum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum: & iisdem verbis, quibus antea suaseramus, impulimus ut sederet in ordine Presbyterii. Post hæc scripsimus ad Sanctos Presbyteros Monasterii & cæteros Fratres: & increpavimus eos quare non scripsissent super eo, cùm ante annum multos eorum queri audissem, cur non haberent qui sibi Sacramenta Domini conficerent, & illum omnes suo poscerent testimonio: Quare tunc reperta opportunitate non scripsissent nobis, usque super Ordinatione ejus aliquid poposcissent.*

S. Joannes Chrysostomus libro III. De Sacerdotio: *Sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, sed in rerum cœlestium classem ordinémque referendum est. Atque id perquam meritò: quippe non mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata Potentia, sed ipse Paracletus Ordinem hujusmodi disposuit: qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus author fuit ut Angelorum Ministerium animo conciperent.*

Et infrà: *Dum conspicis Dominum immolatum, & illic situm Sacerdotem Sacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum verò turbam circumfusum pretioso illo Sanguine intingi ac rubefieri, etiámne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes?* Et infrà: *Insania manifesta est, despicere tantum istum Principatum, sine quo neque salutis, neque promissorum bonorum compotes fieri possumus. Nam si non potest quis in Regnum cœlorum ingredi nisi per aquam & Spiritum regeneratus fuerit; & qui non manducat carnem Domini, & sanguinem ejus non bibit, æterna vitâ privatur: Omnia autem hæc haud aliter quàm per sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus (inquam) Sacerdotum: qui fiet ut citra illarum opem aut gehennæ ignem evitare quis possit, aut reposita in cœlo corona præmia assequi? ... Corporis lepram purgare, seu veriùs dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat: At vero nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.*

Ad *Lutheri* Objectionem contra externum & visibile Sacerdotium diluendum nihil proferri luculentius potest iis quæ habet *S. Hieronymus* in Dialogo adversùs Luciferianos, ubi Orthodoxus ait: *Expone mihi quare Laicum venientem ab Arianis*

nis recipiat, Episcopum non recipias. Luciferianus respondet: *Recipio Laicum, qui errasse se confitetur: & Dominus mavult pœnitentiam peccatoris, quam mortem.* Orthodoxus: *Recipe ergo & Episcopum, qui & errasse se confitetur.* Luciferianus: *Si errasse se confitetur, cur Episcopus perseverat? Deponat Sacerdotium: concedo veniam pœnitenti.* Orthodoxus: *Respondebo tibi & ergo sermonibus tuis. Si Laicus errasse se confitetur, quomodo Laicus perseverat? Deponat Sacerdotium Laici, id est, Baptisma; & ego do veniam pœnitenti. Scriptum est enim:* "Regnum quippe nos & Sacerdotes Deo & Patri "suo fecit. *Et iterum:* Gentem sanctam, regale "Sacerdotium, populum acquisitum. *Omne quod non licet Christiano, commune est tam Episcopo quàm Laico. Qui pœnitentiam agit, priora condemnat. Si non licet Episcopo pœnitenti perseverare quod fuerat, non licet & Laico pœnitenti permanere in eo, propter quod pœnitentiam confitetur:* Cúmque Luciferianus ex Sacris Scripturis multa objecisset, quibus Sacerdotes lapsos post pœnitentiam ad sacras functiones recipiendos non esse contendebat, Orthodoxus reponit: *Oro te, ut aut sacrificandi ei licentiam tribuat, cujus Baptisma probat; aut reprobet ejus Baptisma, quem non existimat Sacerdotem. Neque enim fieri potest ut qui in Baptismate sanctus est, sit apud Altare peccator.*

S. Augustinus lib. II. contra Epistolam Parmeniani, Cap. XIII. *Nulla ostenditur causa, cur ille qui ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi amittere possit. Utrumque enim Sacramentum est: & quadam consecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur: ideóque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes, etiam Præpositi, pro bono pacis, correcto schismatis errore suscepti sunt: & si visum est opus esse ut eadem Officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursus ordinati, sed sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra, quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est, non in Sacramentis, quæ ubicunque sunt, ipsa vera sunt. Et cùm expedire hoc judicatur Ecclesiæ, ut Præpositi eorum venientes ad Catholicam Societatem Honores suos ibi non administrent: non eis tamen ipsa Ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat injuria.*

Et lib. I. De Baptismo contra Donatistas, Cap. 2. *Sacramentum Baptismi est, quod habet qui baptizatur. Et Sacramentum dandi Baptismi est, quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptizatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum Baptismi non amittit; sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum dandi Baptismi non amittit... Sicut ergo acceptatur Baptismus, quem non potuit amittere qui ab unitate discesserat: sic acceptandus est Baptismus, quem dedit ille, qui Sacramentum dandi, cum discederet, non amiserat. Nam sicut redeuntes, qui priusquam recederent, baptizati sunt, non rebaptizantur; ita redeuntes, qui priusquam recederent, ordinati sunt, non utique rursus ordinantur: Sed aut administrant quod administrabant, si hoc Ecclesiæ utilitas postulat, aut si non administrant, Sacramentum Ordinationis suæ tamen gerunt: & ideo eis manus inter Laicos non imponitur.*

S. Gaudentius Brixianus Episcopus Sermone II. in Exodum: *Et ideo Discipulis suis mandat, quos primos Ecclesiæ suæ constituit Sacerdotes, ut indesinenter ista vitæ æternæ Mysteria exercerent, quæ necesse est à cunctis Sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, usquequo Christus iterum de cœlis adveniat, quo & ipsi Sacerdotes, & omnes pariter fidelium populi exemplar Passionis Christi ante oculos habentes quotidie, & gerentes in manibus, ore etiam sumentes ac pectore, redemptionis nostræ incredibilem memoriam teneamus, &c.*

Quid Patres reliquos enumerem? Quid Concilia, præsertim Carthaginense Quartum, quo Sacrarum Ordinationum Ritus traditur? Quid Rituales Libros antiquissimos, quorum nonnulli undecim Seculorum ætatem habent, in quibus Episcoporum, Presbyterorum, Sacrorúmque Ministrorum Ordinationes leguntur, & manuum Consecratio per unctionem Chrismatis in Episcopi & Presbyteri inauguratione? Quorum Excerpta apud *Joannem Morinum* Virum Doctissimum lib. II. De Sacris Latinorum Ordinationibus edita sunt, & singulorum Codicum ætas diligenter annotata. Quod ideo commemoro, quòd Protestantes *Lutherum* secuti, præscriptam & usurpatam ab Ecclesia Romana Sacerdotalem Unctionem sugillent: quamvis Ritum Unctionis Episcopali ac Sacerdotali Ordinationi essentialem non censeam, sed solam Manuum Impositionem, cujus unius Scriptura, Veterésque Patres meminerunt, & quâ Græcæ Ecclesiæ Ordinationes, absque externa & visibili Unctione consummantur, ut ex Euchologiis certò constat. Denique Gentium omnium Christianarum, etiam à Romanæ Ecclesiæ Communione divulsarum consensus, Græcorum, Syrorum Maronitarum, Syrorum Nestorianorum, Syrorum Jacobitarum & Eutychianorum, quorum Ordinationes ex ipsis Nationum illarum Ritualibus *Morinus* explicat; Melchitarum, Coptorum, seu Jacobitarum Ægyptiorum, Æthiopum, Armenorum, Moscovitarum, Sacerdotium visibile & externum ad offerendum Sacrificium Deo, & conficienda Sacramenta à Christo institutum, nec omnibus Christianis commune, sed selectis Ministris ab Ecclesia consecratis proprium esse probat.

Joannis Roffensis Episcopi præclara contra Lutherum Disputatio pro defensione Sacerdotii.

Id luculenter probat doctissimus & invictissimus Catholicæ Fidei Pugil *Joannes* Roffensis Episcopus in Libro *De Sacri Sacerdotii Defensione contra Lutherum.* Quando, inquit, Sacerdotii veritas "concorditer à Patribus omnibus per totum Ec-"clesiæ decursum abundè sit asserta, nec est quis-"quam Orthodoxus qui dissentiat, sed nec ulla "Scriptura potest adduci, quæ huic veritati repu-"gnet, quis non dilucidè cernat, nos de veritate "Sacerdotii contra Lutherum præscripsisse? Su-"pra modum utique mirandum esset, quòd Chri-"stus Ecclesiam suam, quam tanto pretio nempe "sui sanguinis redemit, tanto tempore neglexis-"set tam cœco errore implicitam. Neque minùs "mirandum, quòd Spiritus Sanctus, qui potissi-"mùm ejus rei gratiâ missus fuerat, ut Ecclesiam "in omnem duceret veritatem, passus eam fuisset "tamdiu seduci. Sed nec est credibile quòd Præsi-"des Ecclesiarum, cùm tot circa nascentis Eccle-"siæ tempora præcessissent, & ad regendam Ec-"clesiam ab ipso Spiritu fuissent constituti; non "est, inquam, credibile, quòd omnes ad unum in "tantis tenebris tot sæcula fuissent hallucinati, ut "tam horrendum mendacium publicitus docerent. "Postremò superat omnem admirationem, quòd "cùm tot Ecclesiæ quæ per Christianum orbem "sparsæ sunt, tantâ curâ, tantâque solicitudine "Christi, simul & Sacri Spiritus ejus, atque Præ-"sidum eis ad hoc institutorum, hactenus guber-"natæ sint, tanta potuit omnium esse conspiratio, "præsertim in tam fœdum errorem & mendacium, "quod (si Luthero credimus) adeo perniciosum "est, ut ipsum ad injuriam testamenti Domini "confictum affirmare non vereatur. Si quis igitur "Christi pro nobis solicitudinem animo attento "contempletur;

» contempletur; si Sancti Spiritus non otiosam in Ecclesia residentiam indubitanter credat; si priscorum Præsidum non vitâ solùm, verùm etiam doctrina miraculisque clarissimorum, testimonia tot & tam aperta consideret; si postremò contueatur omnium Ecclesiarum, nullâ dissidenta, per tot annorum curricula conspirationem fuisse tam unanimem: nunquam putabit, opinor, uni Luthero jamprimùm illuxissa veritatem, quam nemo priorum Patrum potuit ante suspicari, imò cujus contrarium omnes uno ore jam olim asseveraverant. Nam si tam diu veritas in tenebris conclusa delituisset, ut unum Lutherum post tot annorum centenarios expectaret liberanda, frustra Christus de majoribus nostris tantam curam habuit, frustra similiter & Christi Spiritus, ut doceret eos omnem veritatem fuerat missus: frustra quin etiam ab illis toties petita fuit & quæsita veritas, dum interea tam unanimiter omnes mendacium adeo perniciosum Ecclesiis prædicassent. Quòd si in iis erratum est, quæ tantopere ad fidem spectant, incassùm profectò tincta sunt (ut Tertulliani verbis utar) tot millia millium: Incassum item facta sunt tot opera fidei, tot etiam virtutes, totque charismata incassum operata sunt, tot Sacerdotia, tot Ministeria perperam functa sunt, tot denique Martyria perperam & in vacuum perpessa, quandoquidem hos omnes erronea fide constat esse defunctos. Nam absque recta fide nullus illorum Deo placere potuit.

» Cæterùm ut probemus illum Ecclesiam sequi, quisquis priores Patres rem istam tanto consensu attestantes sequitur: quid, precor, aliud Ecclesia tunc erat, quàm cœtus quidam ex Præsidibus & subditis integrè collectus? At palam est cunctos illos Præsides à primordiis Ecclesiæ sic docuisse, cunctósque subditos idipsum dogma recepisse. Quo circa nemini potest in dubium verti, quin is qui sic crediderit, Ecclesiam fuerit secutus. Tutior itaque securiórque via prorsus existimari debet, Sententiis tot Patrum accedere, quibus nemo Orthodoxus per tot secula reclamavit, quàm Lutharum jam proclamatissimum Hæresiarcham sectari. Nam quis ambigere potest, quin priores Patres, quibus imperatum fuit ut docerent, quique à Spiritu Sancto constituti fuerant in id munus, certissimam ab ipso Spiritu veritatem edocti sint, præsertim in his dogmatibus, de quibus nulla fuit unquam inter eos controversia? Hæc quidem Roffensis Episcopus in primo congressu.

In secundo verò prudenter monet, movendam non esse de vocabulis contentionem, hoc est, quo nomine vocandi sint hi quos appellamus hodie Sacerdotes. Nihil enim referre, Sacerdotésne, an Presbyteri, an Pastores, an quidvis aliud vocentur; modò ostendatur quosdam esse medios inter Deum & plebem, qui circa plebem eisdem fungantur Officiis, quæ jam quotidie geri cernimus à Sacerdotibus: Istúdque non esse confictum ab hominibus, neque humanum esse commentum, sed divinitus institutum. Id verò ut per Scripturas dilucidiùs comprobet, quæstam statuit Axiomata.

» *Axioma I.* Rationi consentaneum est, ut pro negotiis quæ salutem animarum concernunt, quidam deputentur, qui totius multitudinis curam gerant.

Hujus rei necessitatem probat à sex potissimùm incommodis, quibus maximam Christianorum partem obnoxiam esse certissimum est. Primum est facilitas deficiendi à fide. Unde Admonitore quodam & Pastore est opus, qui sermonem prædicet, instétque tempestivè & intempestivè, arguat, obsecret, increpet, exhortetur, uti Paulus Timotheum instituit. Alterum incommodum est crassities ingeniorum. Porro tardi ingenii hominibus quis negabit opus esse Doctore? Tertium incommodum est proclivitas ad omne malum. Quocirca manifestum est opus esse populo Monitore quodam, qui, ne proruat in omne genus vitiorum, suis eos adhortationibus assiduè fulciat. Quartum est tarditas ad bene operandum. Quamobrem quisquis negat opus esse Pastoribus & Doctoribus ad excutiendam hanc populi segnitiem, planè cœcus est. Quintum est insidiæ Satanicæ. Quis itaque non videt pernecessariam esse vigilem Pastorum curam, quâ populus exciterur ut ab illius sibi caveat assultibus? Sextum est, pestifera falsorum Magistrorum dogmata. Palam est igitur ob hæc sex incommoda, Pastores & Doctores gregi Christiano, quandiu sumus hîc à Domino peregrinantes, plurimùm necessarios esse.

» *Axioma II.* Christus ipse, dum hîc in terris esset, Pastores quosdam instituit, qui suarum ovium curam agerent, eásque pascerent, regerent, & docerent.

» *Axioma III.* Congruum est, ut qui ad hunc modum Pastores Christiano gregi constituti sunt, hi præ cæteris dono gratiæ copiosiori perfundantur.

» *Axioma IV.* Non solùm ita fieri congruum est, verùm etiam Christus de facto Ecclesiæ suæ Pastoribus hujusmodi largitus est gratiam & potestatem, quâ suo commodiùs officio fungerentur.

» *Axioma V.* Neque solùm in Ecclesiæ primordiis hujusmodi Pastores necesse fuit institui, verùm illud perpetuum sit oportet, donec ædificium Ecclesiæ fuerit plenè consummatum.

» *Axioma VI.* Nemo legitimè Pastoratus Officium exercet, nisi vocatus, & per Ecclesiæ Præsides ritè fuerit ordinatus atque missus.

» *Axioma VII.* Quotquot ita per Ecclesiæ Pastores ad Pastoratus Officia legitimè fuerint instituti, non est dubium quin à Spiritu Sancto pariter asciti sint.

» *Axioma VIII.* Insuper iidem in suis Ordinationibus ab eodem Spiritu gratiæ donum accipiunt, quo reddantur ad opus Ministerii sui sanctiùs obeundum magis idonei.

» *Axioma IX.* Eam tamen gratiam Spiritus ad exhibitionem signi cujusdam sensibilis donari vult, quo ritè præstito, gratiam protinus esse datam credamus.

» *Axioma X.* Qui sic Pastores Ecclesiarum & Presbyteri legitimè fuerint ordinati, verè Dei Sacerdotes & habentur, & sunt haudddubiè.

Hæc Axiomata per Scripturas Sacras copiosè probat Roffensis Episcopus, ex iisque rectè colligit, Aliquas in Ecclesia functiones per Christum & Sacrum ejus Spiritum institutas esse, quæ non sunt cuivis de plebe communes, scilicet pascere, docere, regere, Sacrificium offerre; sed propriæ Sacerdotum.

Nec refert quòd nomen Sacerdotum Evangelium & Apostoli non tribuant illis, quos hodie vocamus Sacerdotes. Ratio enim cur hanc appellationem Apostoli vitaverint, est, quia vetus adhuc vigebat Sacerdotium, & in Templo quotidie sacrificabatur. Quamobrem ne confunderent hæc invicem Sacerdotia, placuit interim pro Sacerdotibus Novis aliis uti nominibus. Hos igitur aliquando Presbyteros, aliquando Ministros, nonnunquam Episcopos & Pastores appellasse palam est, quoadusque vetus Sacerdotium esset cum Templo sublatum funditus. Ubi verò Templum eversum fuisset, & veteres abrogati Sacerdotes, jam passim ab

omnibus nostri Presbyteri Sacerdotes vocati sunt. Ita Roffensis Episcopus aliique Lutheromastyges.

Lutheri, Calvini & Kemnitii objectiones contra Missas Privatas.

XXXVI. Contra Missas Privatas (ut vocant) *Lutherus* & *Calvinus* potissimùm debacchantur. Omnes tres Evangelistæ (inquit *Lutherus Lib. de Abroganda Missa Privata*) unâ diligentiâ, similiter & Paulus, memorant, panem esse à Christo fractum, & datum Discipulis, tacens verò an ipse comederit & biberit cum eis. Si ergo Missa institutum & exemplum Christi referre debet, necesse est ut nulla unquam fiat, nisi Eucharistia frangatur & multis distribuatur per Sacerdotem. Si autem aliqua aliter perficitur, non est Christiana Missa, nec cum instituto Christi ulla ex parte convenit..... Ubi manet verbum Christi, *Hoc facite* : Cur illi faciunt aliud & contrarium ? Tutissimè omnium igitur facit, qui à Missa in totum, ut nunc fiunt, tam privatâ quàm publicâ abstinet ; quia neutra Christi exemplum & institutum ampliùs refert. Et Lib. De Missâ Privata & Unctione Sacerdotum, edito anno MDXXXIV. Missa Privata, inquit, est contra mentem & sententiam Christi instituentis. Nam Christus voluit Sacramentum inter pios communicantes distribui, ad edendum & bibendum Ecclesiæ porrigi. Sacerdos enim verus est Minister Ecclesiæ, constitutus ad prædicandum verbum & porrigenda Sacramenta, sicut hoc habent verba Christi in Cœna, & sicut Paulus I. ad Corinthios II. de Cœna Domini loquitur. Unde & à Veteribus Communio appellata est, quòd non solus Sacerdos debeat uti Sacramento, juxta Institutionem Christi, sed reliqui Christiani fratres.

Eodem argumento Missas Privatas impugnat *Calvinus*, *Lib.* IV. *Institutionum*, Cap. XVIII. Dico (inquit) Privatas Missas cum Christi Institutione ex diametro pugnare : ideóque impiam esse Sacræ Cœnæ profanationem. Quid enim mandavit nobis Dominus ? Nonne accipere & dividere inter nos ? Qualem Mandati observationem docet Paulus ? Nonne fractionem panis, quæ Communio sit Corporis & Sanguinis ? Cùm igitur unus sine distributione accipit, quid simile est ? At ille unus totius Ecclesiæ nomine facit. Quo mandato ? Annon hoc apertè illudere Deo est, cùm unus privatim ad se rapit, quod nonnisi inter plures fieri debuerat ? Sed quia satis clara Christi & Pauli verba sunt ; breviter concludere licet : Ubicunque non est fractio panis ad Communionem Fidelium, illic non Cœnam Domini, sed falsam & præposteram Cœnæ imitationem esse. Falsa autem imitatio, depravatio est. Porro depravatio tanti Mysterii impietate non caret. In Missis ergo Privatis impius est abusus.

Kemnitius in Examine Concilii Tridentini idem argumentum amplificat. Certissimum (inquit) & manifestissimum est, Christum celebrationem Cœnæ suæ non ita instituisse, ut ille qui benedicit, solus sumat, reliquis tantùm spectantibus, & quòd ex illa unius actione, fructus Eucharistiæ propter spectaculum redundet ad alios qui communicant. Sed institutio Christi, quando hoc quod in prima Cœna factum est, ritè & legitimè facere volumus, requirit ut in celebratione Cœnæ Dominicæ sit qui gratias agat & dispenset ; adsint etiam quibus detur, qui accipiant, manducent & bibant. Hoc enim in prima Cœna factum est, & ut in futurum fieret, mandatum est. Ita quando Apostolorum Synaxis per fractionem panis describitur, satis ostenditur fuisse dispensationem & distributionem. Omnium verò clarissimè Paulus describit, qualis fuerit celebratio Cœnæ Dominicæ in Apostolica Ecclesia. Non tantùm enim repetit verba institutionis, sed I. ad Corinthios 10. dicit, Corpus Christi in Cœna Dominica cùm omnibus illis, quæ traditione sui Corporis promeruit & acquisivit, communicari, non spectando quomodo unus sumat : sed *Panis* (inquit) *quem frangimus*, hoc est, dispensamus, & manducandum distribuimus, est *communicatio Corporis Christi*. Item dicit, Fideles participes esse Mensæ Domini, non spectando, sed manducando. *Unum* (inquit) *corpus multi sumus* : non quia spectamus unum manducantem, sed quia omnes *ex uno* illo *pane* qui frangitur, hoc est, dispensatur & distribuitur, *participamus*. Imo I. ad Corinthios 11. opponit inter se Dominicam Cœnam & privatam Cœnam, & quidem ita ut confirmet, ubi privatè Cœna agitur, ibi non posse Dominicam Cœnam celebrari. Et privatam Cœnam definit, ubi quis privatim quod Cœnæ Dominicæ est, manducat & præoccupat, non simul participantibus aliis ! & dicit non dissimile esse ac si institueretur talis Cœna, ubi unus saturaretur, alter verò cogeretur esurire. Et clarissima est Chrysostomi sententia in illum Pauli locum : *Quod Dominicum est, privatum fecerant. Cœna enim Domini debet esse communis.* Addit *Kemnitius* : Veterem Ecclesiam Christi institutionem, Apostolorum Traditionem, & Apostolicæ Ecclesiæ exemplum secutam, semper in celebratione Cœnæ Dominicæ servasse dispensationem & distributionem Sacramenti : id quod testantur omnes descriptiones Liturgiarum, quæ apud Patres extant. In veteri & puriori Antiquitate prorsus ignotam fuisse talem privatam Missam, ubi Sacerdos id quod consecravit, nemini communicat, sed sibi solus sumit. S. Chrysostomum hunc abusum seriò & graviter reprehendisse Homilia III. in I. Cap. ad Ephesios : *Frustra* (inquit) *habetur Oblatio quotidiana, cùm nemo sit qui participet. Quisquis Mysteriorum consors non est, imprudens & improbus adstat.* Item : *Si quis ad convivium vocatus, manus quidem laverit & accubuerit, & tamen nihil ciborum gustaverit, nonne infert contumeliam convivatori à quo fuerit vocatus ? Annon satius fuerit eum qui talis est, prorsus non comparuisse* ? Addit tandem, Ecclesiasticos Canones, decimum scilicet eorum qui Apostolici vocantur, & secundum Antiocheni Concilii, eos communione privare, qui non permanent in oratione, usque dum Missa peragitur, nec Sanctam Communionem percipiunt. Cap. *Peracta* : *De Consecratione* Dist. II. Decretum istud velut *Anacleti* Papæ proferri : *Peracta Consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia.*

Responsio.

XXXVII. Verùm, Christi mandatum, quod jactant, non intelligunt Heterodoxi, multò minus exequuntur. Quod præcepit Christus his verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, Sacrificium est quod sustulerunt, quod Hostiæ Consecratione & consumptione facta per Communionem Sacerdotis Sacrificantis perficitur. Communio verò adstantium ad Sacrificii substantiam non pertinet ; neque à Christo absolutè & absque exceptione præcepta est, sed pro loco, tempore, personis. Ea enim via est affirmativorum præceptorum. Christus igitur Eucharistiam instituit, ut sumant, non solus Sacerdos, sed omnes Fideles adstantes, qui velint & digni sint. Si verò nemo è Clero vel è Plebe Eucharistiam accipiat, sed unus Sacerdos Missam celebrans ; nihilominus fructus ipsius ad omnia

Communio adstantium ad Sacrificii substantiam non pertinet.

omnia Ecclesiæ membra derivatur, & ad circumstantes imprimis, pro quibus offertur, & qui cum Sacerdote offerunt, seu votis suis ejus oblationem prosequuntur. Enimverò cùm Sacrificium munus publicum sit, & publico totius Ecclesiæ nomine offeratur, in commemorationem Passionis Christi, quæ publicum beneficium est, Sacerdos Ministri publici gerit officium, & pro toto Christi corpore mystico, id est Ecclesia, Corpus ejus verum in ara Crucis semel pro omnibus oblatum, Patri in Sacrificium offert, ut cruenti illius Sacrificii Redemptionis nostræ vis & efficacia, incruento illo Religionis Sacrificio omnibus corporis mystici membris applicetur, circumstantibus maximè, qui debita cum dispositione, & deposito peccati affectu, Missam audiunt, & in ea spiritualiter communicant. At quia Ecclesia semper optavit ut sacramentaliter etiam communicarent omnes Christiani qui Sacrificio interessent, ac se dignos exhiberent morum innocentiâ ut sic ad eos Sanctissimi Sacrificii fructus uberior perveniret: Quia etiam Christus non solùm Eucharistiam instituit ut sacrificium ad honorem ac laudem divini nominis, & ad utilitatem Ecclesiæ, sed ut Sacramentum, & animarum cibum, frustra esse ac inutile fieri ad posteriorem huncce finem, eorum socordiâ qui non communicant; eósque Christo, qui nos ad cæleste illud convivium invitat, contumeliam inferre, *S. Chrysostomus* docet: imò oratoria quadam exaggeratione ait, satius esse non comparere in Missa, quàm non communicare, ut Fideles ad frequentem & dignam Communionem hortaretur.

Missæ in quibus solus Sacerdos communicaret, Antiquitati non ignota.

Cæterùm Missas in quibus solus Sacerdos communicaret, puriori Antiquitati ignotas non fuisse, ipsa *S. Joannis Chrysostomi* verba à *Kemnitio* prolata ostendunt. Non enim à *Sacrificii quotidiani* oblatione cessavit Ecclesia, etsi nemo communicaret, & plerique *semel tantum per annum ea Sacramenta sumerent*, ut queritur ipse Homilia v. in Epistolam I. ad Timotheum, & Homilia XXXI. ad Populum Antiochenum, quæ est de Beato *Philogonio*, ubi in Christianos invehitur, qui *in diebus Festis* negligenter ac temerè ad Sacram Mensam accedunt, haud intelligentes, quòd *Communionis tempus non est Festum, neque Celebritas, sed conscientia pura, visque à peccatis repurgata. Quemadmodum enim qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere: sic qui peccatis occupatus est, nec pœnitet, eum ne in Festis quidem accedere tutum est. Neque enim semel in anno accedere, liberat nos à peccatis, si indignè accesserimus; quin hoc ipsam potius auget damnationem, quòd cum semel tantum accedamus, ne tum quidem purè accedimus.*

Auctor Sermonis inter Ambrosianos XXXIV. Populum hortatur, ut qui non est legitimè impeditus, singulis diebus Missæ intersit. Mox admonet ut in Quadragesima, die saltem Dominico, offerant & communicent. *Gennadius* Massiliensis libro de Ecclesiasticis Dogmatibus, Cap. LIII. Fideles hortatur ad Communionem omnibus Dominicis diebus frequentandam, si tamen sine affectu peccandi sint. Concilium Agathense præcipit Secularibus ut die Dominico Missam audiant: Eucharistiam, verò sumendi legem eis non imponit, nisi in diebus Nativitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes. Quod & in Turonensi II. Canone L. sancitum est.

Varii hac in re Ecclesiæ mores.

Varios autem hac de re cujusque Ecclesiæ fuisse mores *S. Augustinus* testatur Epistola CXVIII. ad Januarium, ubi alios quotidie, alios certis diebus communicasse asserit. Totum id ad Disciplinam pertinet, quæ, Regula Fidei immobili & irreformabili manente, mutationi obnoxia est. Primis Ecclesiæ seculis nulla celebrabatur Missa, in qua non communicarent quotquot aderant, fervente in Christianorum pectoribus Dei amore, & sacri illius Convivii desiderio, in quo *Caro Christi Corpore & Sanguine vescitur, ut anima de Deo saginetur. S. Justinus* Martyr Apologia II. Eucharistiam præsentibus distributam, ad absentes per Diaconos missam testatur. Missam absque plurium Communione celebratam primùm non fuisse, aut certè intentionem Ecclesiæ fuisse ut plures communicarent, ipsa Canonis verba probant: *Ut nobis Corpus & Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi... Ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacrosanctum Filii tui Corpus & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur.* Et quæ post Communionem dicuntur: *Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus... Satiasti familiam tuam Muneribus sacris*: & similia. Canon X. inter eos qui Apostolici dicuntur, Illiberitani Concilii Canon XXVIII. Antiocheni sub Julio I. Canon II. Toletani I. Canon XIII. eos qui ad Ecclesiam convenientes non communicabant, abstinendos, sive ab Ecclesia ejiciendos & excommunicandos sanxerunt. Primævam illam disciplinam commendat *Micrologus* Cap. LI. *Sciendum est* (inquit) *quòd soli communicantes Divinis Mysteriis interesse consueverant. Unde & ante Oblationem juxta Canones jubebantur exire Catechumeni & Pœnitentes, videlicet qui nondum se paraverant ad communicandum. Hoc quoque ipsa Sacramentorum innuit confectio, in qua Sacerdos non pro sola sua Oblatione & Communicatione, sed & aliorum rogat; & maximè in Oratione post Communionem, pro solis communicantibus orare videtur. Nec Communio dici potest, nisi plures de eodem Sacrificio participent.* Hanc Disciplinam Romæ, & in Hispania quarto seculo adhuc viguisse, ut Fideles Eucharistiam quotidie sumerent, *S. Hieronymus* testatur Epistola L. ad *Pammachium*, & Epistola XXVIII. ad *Lucinium Bœticum*. Ad quotidianam Communionem hortatur *S. Ambrosius* lib. V. de Sacramentis Cap. IV. & sic vivendum monet, ut quotidie mereamur accipere. In iis Ecclesiis, & iis temporibus, quibus Fideles quotidie Eucharistiam sumebant, nec tantus erat Sacerdotum numerus, dubium non est quin Missæ absque communicantibus nullæ celebrarentur.

Nono seculo quidam erant in Germanica, & fortè in aliis etiam finitimis Ecclesiis, prisci moris adeo retinentes, ut qui pluribus Missis eadem die intererant, in singulis communicarent. Testis est *Walafridus Strabo* lib. de Ecclesiasticis Officiis, Cap. XXII. *Quia* (inquit) *de communicandi varietate quadam præmisimus, hoc addendum videtur, esse quosdam, qui semel in die communicare, etiamsi pluribus interfuerint Missis, pro dignitate Sacramentorum sufficere credant: esse verò alios, qui sicut in una, sic in omnibus quibus adfuerint Missis in die communicare velint. Quorum neutros culpandos existimo; quia sicut Augustinus ait de his qui quotidie communicant, & illis qui rarius, istos reverentia sanctarum retrahit rerum, illos verò amor salubrium invitat Sacramentorum. Nam & ipse Sacerdos, quoties in die Missas facit, communicare non omittit. Quod si non faciat, Canonico est feriendus Judicio.*

Paulatim elanguit pristinus Christianorum fervor. In Oriente jam rarior esse cœperat Communionis usus tempore *S. Joannis Chrysostomi*, ideo Fideles solicitè adhortatus est ad frequentem Communionem, ne frustra quotidiana Oblatio fieri videretur, si nemo participaret. Sed non ea una ratione Christianos sacræ Oblationis participes esse agnovit Sanctissimus Antistes ac Doctor, nec frustra omnino Sacrificium quotidianum offerri cen-

fere potuit, etsi nemo præter Sacerdotem offerentem communicaret, siquidem vivis & defunctis illud prodesse disertè docuit Homilia XXI. in Acta: *Non simpliciter* (inquit) *Minister clamat: Pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui illorum memoriam faciunt. Non Diaconus est qui talem illam vocem emittit, sed Spiritus Sanctus. Quid dicis? In manibus est Hostia, & omnia proposita sunt bene ordinata, adsunt Angeli, adsunt Archangeli, adest Filius Dei, cum tanto horrore astant omnes, astant illi clamantes omnibus silentibus. & putas simpliciter hæc fieri? .. Igitur & alia simpliciter, & quæ pro multitudine? Absit. Sed omnia cum fide fiunt. Quid putas pro Martyribus offerri, quòd vocantur in illa hora, licèt Martyres sint? Etiam pro Martyribus magnus honor nominari* DOMINO *præsente, dum mors illa perficitur, & horrendum Sacrificium, & ineffabilia Sacramenta. Num quasi sedente Rege, quæcunque volueris, perficis: ut autem surrexerit, quæcunque dicis frustra dicis: Ita & nunc quandiu proposita fuerint Mysteria, omnibus honor maximus in memoria haberi. Vide enim: Annuntiatur tunc Sacramentum horrendum, quod pro Mundo dedit seipsum Deus, cum illo miraculo tempestivè memor est ille eorum qui peccarunt. Sicut enim quando Regum trophæa statuuntur, tunc celebrantur quidem & quicunque victoriæ socii fuerunt: dimittuntur autem qui sunt in vinculis: Per illud tempus qui nihil assecutus est, nihil obtinet: Ita sanè & hic. Tropæorum & celebrandæ victoriæ tempus est.* Quoties enim (*inquit*) manducatis Panem hunc, mortem Domini annuntiate. *Itaque ne simpliciter accedamus, neque fortuitò hæc fieri putemus.* Et Homilia 3. in Epistolam ad Philippenses, idem Altaris Sacrificium defunctis utile esse docet. Non frustra igitur illud offerri existimavit, etsi nulli communicarent.

Nec verò ex Primæ ad Corinthios XI. Cap. ubi Apostolus ait: *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam Cœnam manducare: Unusquisque enim suam Cœnam præsumit ad manducandum*: & ex *S. Chrysostomi* verbis Homilia in hunc locum dicentis, Corinthios ab Apostolo reprehensos, quòd Cœnam Dominicam, quæ communis esse debuit, privatam fecerunt, aliquid contra Missas privatas colligi potest. Nec enim Apostolus, nec S. Chrysostomus, Cœnæ Dominicæ nomine Eucharistiæ sumptionem ibi intellexerunt, sed convivium commune Fidelium, in quo omnes tam pauperes quàm divites unà reficiantur: quod quidem institutum ac solemni more celebrari solitum erat ad repræsentationem Cœnæ illius, quam Christus ultimam habuit cum Discipulis suis, priusquam Corporis & Sanguinis sui Mysterium institueret; & ad fovendam caritatem fraternitatis. Quocirca primis Ecclesiæ seculis *Agape* vocabatur. Sensus ergo Apostoli est: Vestra convivia, ad quæ celebranda ex more in Ecclesiam convenitis, ut quidem à vobis aguntur, Cœnam Dominicam nullatenus repræsentant. Christus enim, unà cum Discipulis suis in eadem mensa accubuit, & eisdem cibis usus est, quamvis ipse Dominus, illi servi essent; nec ipsum Proditorem suum à communi mensa repulit. Vos autem privatas vobis mensas facitis & inæquale convivium, qui fratres vestros & conservos, ob ipsorum paupertatem à mensis & epulis vestris excluditis. *Unusquisque enim suam Cœnam præsumit ad manducandum*, id est, cum Cœnam Dominicam unà cum fratribus edere deberet, cœnam suam occupat, & cibos domi paratos, quos in commune conferre deberet, seorsim cùm suis comedit, cæteris, & maximè pauperibus, exclusis, aut non expectatis. *Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Id est, lautè divites epulantur, pauperes esuriunt. Quod sanè de Eucharistia dici non potuit, quæ non est proposita ad satietatem ventris, sed ad refectionem mentis, nec inæqualiter inter communicantes Christianos distribuebatur. *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum?* Id est, si cœnam privatam, non communem facere vultis, cur non in privatis ædibus comeditis? Quid in locum sanctum convenire necesse est? *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Id est, Christianorum cœtum despicitis, quem ebrietate & comessatione, pauperúmque contemptione dehonestatis. *Et confunditis eos qui non habent?* Id est, pudore & probro afficitis pauperes, qui vobis epulantibus esurire coguntur. Hæc enim velut publica est ipsis à vobis facta inopiæ exprobratio. Quia verò Cœna hujusmodi, seu Agape vel Eucharistiæ sumptionem sequebatur, ut *S. Chrysostomus*, cæterique Græci Patres censent, vel præcedebat, illa saltem die quâ Christus ultimam cum Apostolis Cœnam celebravit, & Mysterium Eucharistiæ instituit, ut *S. Augustinus* docet Epistola CXVIII. ad Januarium; & ita Corinthii crapula & ebrietate, contemptúque pauperum, seu præcedente, seu subsequente, injuriam sacris Mysteriis inferebant; ideo Apostolus Eucharistiæ institutionem commemorat, ut peccati sui gravitatem agnoscant, Mysteriorum cognitâ magnitudine & excellentia, quæ tam indignè tractant.

Hoc sensu *S. Joannes Chrysostomus* locum Apostoli intellexit & interpretatus est, quem contra Missas privatas *Kemnitius* mala fide detorsit. Verba *S. Chrysostomi* subjicio. Convenientibus vobis, « *inquit*, in unum, jam non est Dominicam Cœ- « nam manducare. *Vides quàm aptè ad suffundendum pudorem, & instar narrationis jam struxit consilium. Nam alia quidem est, inquit, species conventûs. Ea est enim Charitatis, & fraternæ dilectionis. Nam unus quidem, inquit, locus vos suscipit, & simul congregamini: mensa vero jam non est similis conventui. Non dixit autem, Convenientibus vobis non licet communiter manducare, non licet inter vos convivari; sed rursus aliter & multò terribilius eos tangit, dicens: Jam non est Dominicam Cœnam manducare, eos ad illam transmittens vesperam, in qua Christus reverenda tradidit Sacramenta. Propterea & prandium vocavit cœnam: etenim illa Cœna habuit omnes communiter accumbentes. Atqui non tantum interest inter divites & pauperes, quantùm inter Magistrum & Discipulos. Cogita quantùm interesset inter Præceptorem & Proditorem. Sed tamen ille quoque cum eis accumbebat, & neque eum expulit, sed etiam sale impertiit, & Sacramentorum fecit participem. Deinde interpretatur quomodo non est Dominicam Cœnam manducare.* Unusquis- « que enim (*inquit*) suam Cœnam præsumit ad « manducandum, & alius quidem esurit, alius « autem ebrius est. *Vidisti quemadmodum ostende-* « *rit ipsos magis dedecore & ignominia afficere. Nam quod est Dominicum, ipsi faciunt proprium. Quamobrem ipsi sunt primi qui probro afficiuntur & ignominia, qui mensæ maximam auferunt dignitatem. Quomodo? Quoniam Dominica, id est, Domini Cœna debet esse communis. Nam quæ sunt Domini, non hujus quidem sunt famuli, illius verò non sunt, sed communiter omnium. Dominicam ergo hanc dicit esse communem. Nam si est Domini, non debes eam tanquam privatam avellere, sed tanquam quæ sit Domini, communiter omnibus proponere. Nunc autem non sinis eam esse Dominicam, ut qui non sinas eam esse communem, sed seorsum epuleris. Quamobrem subjungit dicens:* Unusquisque enim suam Cœnam « præsumit. *Non dixit*, Abscindit, *sed* præsumit, « *eos audacitatis & temeritatis sensim accusans. Hoc autem significavit etiam quod deinceps sequitur:* Et alius

» alius quidem esurit, alius autem ebrius est. *Quæ quidem utraque erant non servata mediocritatis, nempe egestas & exuperatio. Ecce secundum crimen illos quoque lædens. Primum quidem, quod Cœnam ignominia afficiunt. Secundum autem, quod ventrem infarciunt & inebriantur, & quod est gravius, etiam pauperibus esurientibus. Nam quæ erant communiter apponenda omnibus, iis isti soli vescentes procedebant ad insatiabilitatem & temulentiam. Et ideo* » *non dixit*: alius quidem esurit, alius verò saturatur, *sed*, ebrius est. *Unumquodque autem horum etiam per se dignum est reprehensione. Nam inebriari, etiam absque eo quòd despiciantur pauperes, est crimen; & despicere pauperes, etiam absque ebrietate, meretur reprehensionem. Quando autem simul fuerint conjuncta, cogita quanta est exuperatio sceleris & iniquitatis. Deinde cùm ostendisset absurditatem, cum magna indignatione eos increpat, dicens*: » Nunquid domos non habetis ad manducandum » & ad bibendum, aut Ecclesiam contemnitis, & » confunditis eos qui non habent? *Vides quemadmodum a contumelia pauperum criminationem traduxit ad Ecclesiam, ut graviorem redderet orationem. Ecce ergo quarta quoque est accusatio, quando non solùm pauperes, sed Ecclesia afficitur contumelia. Sicut enim Dominicam Cœnam facis privatam, ita etiam rursus locum, utens Ecclesia tanquam domo. Facta est enim Ecclesia, non ut divisi simus qui convenimus, sed ut qui divisi sumus, simus conjuncti, &* » *hoc ostendit conventus.* Et pudore afficitis eos qui » non habent. *Non dixit*, Et fame enecatis eos qui » non habent, *sed ad suffundendum pudorem multò* » *accommodatius*, Pudore afficitis: *ut ostenderet quod non tantum est ei cura alimentum, quantùm eâ quâ ipsi afficiebantur contumelia. Ecce etiam quinta accusatio, non solum despicere esurientes, sed eos etiam pudore afficere.*

Rationem deinde connexionis orationis sequentis qua Sacratissimæ Eucharistiæ institutionem Apostolus commemorat, cum præcedenti, quâ de convivio communi, quod Cœnam Dominicam vocabant, egerat, *S. Joannes Chrysostomus* affert. *Deinde* (inquit) *volens etiam aliunde eos majori pudore afficere, rursus ex iis quæ sunt præcipua con-* » *texit orationem.* Ego enim accepi à Domino, » quòd Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, » accepit panem, & gratias agens fregit, & di- » xit; Accipite & manducate. Hoc est corpus » meum quod pro vobis frangitur. Hoc facite in » meam commemorationem. *Cur hîc meminit Mysteriorum seu Sacramentorum? Quoniam ad præsens argumentum hæc oratio erat ei valde necessaria. Tuus enim (inquit) Dominus omnes eadem mensa est dignatus, licet ea esset valde reverenda, & longè omnium superaret dignitatem. Tu autem eos hac tua parva & vili indignos existimas: & cum illi in spiritualibus plusquam tu nihil habeant, tu eos spolias in sensibilibus. Neque enim hæc tua sunt.*

Ex hoc *S. Chrysostomi* Commentario exploratum est, nec Apostolum, nec Ipsummet de Eucharistia loqui, cùm eos reprehendunt, qui Cœnam Dominicam privatam faciunt, & præsumunt ad manducandum, seu præoccupant, quod cum omnibus communicari deberet; adeóque contra Missas, quas privatas vocant, in quibus nimirum solus Sacerdos Christi Corpus & Sanguinem sumit, tum S. Pauli Sententiam, tum *S. Chrysostomi* verba, perperam à *Kemnitio* & aliis Heterodoxis detorqueri. Sanè Sacerdos qui nemine Sacramentaliter communicante celebrat, alios esurire non cogit, & nudo Sacrorum Mysteriorum intuitu pasci, cùm paratus sit ipsa cum aliis communicare, qui participes esse voluerint ac digni fuerint; idque maximè optet Ecclesia, & Fideles ad Communionem frequentem adhortetur. Nec tamen qui Sancto Missæ Sacrificio intersunt, etsi Sacramentaliter non communicent, Sacrificii fructu prorsus privantur, modò non solis corporis oculis Sacram Actionem usurpent, sed animi consideratione, attentione, pióque affectu Ecclesiam & Sacerdotem Sacris operantem prosequantur, & Christum, séque per ipsum & cum ipso Deo offerant. Concilii Tridentini verbis Ecclesiæ doctrinam convenientiùs explicabo quàm meis. Sic habet Sessione XXII. de Sacrificio Missæ, Cap. VI. *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quò ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret. Nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat: siquidem illæ quoque Missæ verè communes censeri debent; partim quòd in eis populus spiritualiter communicet; partim verò quòd a publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus Fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.*

Hanc doctrinam à Spiritu Sancto esse, qui per Ecclesiam in Concilio congregatam locutus est, nemo dubitare potest, nisi qui privato spiritui, ac phantasmatibus potiùs quàm Christo credens Ecclesiæ Auctoritatem contemnit. Contra verò, *Lutheri* doctrinam adversùs Missæ Sacrificium esse à Diabolo, quo suggerente sua illi in Dogma Catholicum argumenta fabricatus est, *Lutherus* ipse testis est, eóque Magistro gloriatur, Libro de Missa Privata & Unctione Sacerdotum. *Ego (inquit) coram vobis Reverendis & Sanctis Patribus Confessionem faciam: date mihi absolutionem bonam, quæ vobis (opto) quàm minimum noceat. Contigit me semel sub mediam noctem subitò expergefieri, ibi Satan mecum capit ejusmodi disceptationem. Audi (inquit) Luthere, Doctor perdocte, Nosti etiam te quindecim annis celebrasse Missas privatas penè quotidie? Quid si tales Missæ privatæ horrenda essent idololatria? Quid si ibi non adfuisset Corpus & Sanguis Christi, sed tantùm panem & vinum adorasses, & aliis adorandum proposuisses?* &c. Seriem deinde diabolicorum sophismatum exponit, subditque: *In his angustiis, hoc agone contra diabolum, volebam retundere hostem armis, quibus assuetus eram sub Papatu, objiciebámque intentionem & fidem Ecclesiæ, scilicet quod Missas privatas in fide & intentione Ecclesiæ celebrassem. Etiamsi ego (inquam) non rectè credidi, aut sensi, tamen in hoc rectè credidit, aut sensit Ecclesia. Verum Satan contra vehementiùs instans*, &c. Diaboli argumentis *Lutherus* assensit, his fundamentis Synagogam suam superstruxit. Annon Dæmonis discipuli sunt, qui *Lutherum* à Dæmone edoctum auscultant, in iis præsertim quæ à Principe tenebrarum se accepisse fatetur, eóque duce Missam Sacrificium esse negant; Sacerdotium & Missam, eam præsertim in qua solus Sacerdos communicat, abrogari volunt, & ubi ipsis licuit abrogarunt? Quos Ecclesiæ in Concilio Tridentino congregatæ verbis meritò execramur: *Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, idéoque abrogandas, Anathema sit.*

Lutherum doctrinam suam adversùs Missæ Sacrificium Diabolo acceptam refert.

Tom. VII. Edit. Wittemberg. pag. 228.

XXXVIII. Contra solemnes Missæ ceremonias declamant etiam Heterodoxi, sed frustra ut immeritò. Nam & communis naturæ sensus quæ homines religiosos esse docuit, & Veteris Legis Auctoritas, & Apostolica Traditio, Ecclesiæque toto orbe diffusæ perpetuus & constans usus, ceremonias pias & utiles esse probant, tum in cæterorum celebratione Sacramentorum, tum præsertim in Missæ

Ceremoniæ Missæ adversùs Hæreticos defenduntur.

Missæ Sacrificio, *quò & Majestas tanti Sacrificii commendetur, & mentes Fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur*, ut loquitur Tridentina Synodus. Nonnullæ ab ipsis Apostolis, aliæ ab Apostolorum Discipulis institutæ, aliæ à Summis Pontificibus, vel ab Episcoporum Conciliis additæ. Quæ ab universa Ecclesia servantur, vel ab Ecclesiis Apostolicis, id est, quas Apostoli per se ipsos fundarunt, eas Apostolicas esse minimè dubium est. Nota est illa à S. Augustino tradita Regula Libro IV. de Baptismo contra Donatistas, Cap. XXIV. *Quod universa tenet Ecclesia, nec à Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* His Apostoli verbis ad Corinthios scribentis, *Cætera cùm venero disponam*, Ritus & Ceremonias, aliàque Disciplinam Ecclesiæ spectantia significari, docet *S. Augustinus* Epistola CXVIII. ad Januarium. *Unde* (inquit) *intelligi datur, quia multum erat, ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diversitate variatur.*

1. Corinth. XI.

At (inquiunt Hæretici) hujusmodi Ceremonias Scriptura non jubet: possunt igitur prætermitti. Sed ipsis reponimus: Has ceremonias Scriptura non prohibet; non debent igitur prætermitti; maximè cùm observatione inveterata, quæ de Traditione manavit, firmatæ sint. Sic argumentum non absimile in adversarios suos retorquebat *Tertullianus* Libro de Corona. *Expostulantes Scripturæ patrocinium in parte diversa, præjudicant suæ quoque parti Scripturæ patrocinium adesse. Nam si ideo dicetur coronari licere, quia non prohibeat Scriptura, æquè retorquebitur, ideo coronari non licere, quia Scriptura non jubeat. Quid faciet disciplina? Utrumque recipiet, quasi neutrum prohibitum sit? An utrumque rejiciet, quasi neutrum præceptum sit? Sed quod non prohibetur, ultrò permissum est. Et quamdiu per hanc lineam serram reciprocabimus, habentes observationem inveteratam, quæ præveniendo statum fecit? Hanc si nulla Scriptura determinavit, certè consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de Traditione manavit.* Porro multas in Ecclesia observationes esse, quæ *sine ullius Scripturæ instrumento, solius Traditionis titulo, & exinde consuetudinis patrocinia vindicantur*, ibidem probat. *Denique* (inquit) *ut à Baptismate ingrediar, Aquam adituri, ibidem, sed & aliquantò priùs in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus; dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus, exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemus. Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm Præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro Natalitiis annua die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut Panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. Rationem traditioni, & consuetudini, & fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit, disces. Interim nonnullam esse credes, cui debeatur obsequium.*

Huc etiam spectant, quæ *S. Basilius* habet Libro de Spiritu Sancto, Cap. XXVII. *Dogmata* (inquit) *& Instituta quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus ex doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum Traditione in Mysterio, id est, in occulto tradita recepimus, quorum utraque parem vim habent ad pietatem: nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est quæ sint Jura Ecclesiastica. Nam si consuetudines quæ scripto prodita non sunt, tanquam haud multùm habentes momenti conemur rejicere, imprudentes gravissimum Evangelio detrimentum inferemus, immo potius ipsam Fidei prædicationem adnudum nomen contrahemus. Quòd genus est (ut quod primum est & vulgatissimum primo loco commemorem) ut signo Crucis eos qui spem collocarunt in Christum signemus, quis scripto docuit? Ut ad Orientem versi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Invocationis verba, cùm conficitur panis Eucharistiæ, & Poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus aut Evangelium: Verùm alia quoque & ante & post dicimus, tanquàm multùm habentia momenti ad Mysterium, quæ ex Traditione citra scriptum accepimus. Consecramus autem Aquam Baptismatis, & Oleum Unctionis; præterea ipsum qui Baptismum accipit: Ex quibus scriptis? Nonne à tacita secretáque Traditione? Ipsam porro Olei Inunctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde ex Scriptura haustum? Reliqua item quæ fiunt in Baptismo, veluti renuntiare Satanæ & Angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex doctrina quam Patres nostri silentio quieta minimèque curiosa servarunt? Pulchrè quidem illi, nimirum docti arcanorum venerationem silentio conservare.*

In eamdem sententiam *S. Hieronymus* in Dialogo adversùs Luciferianos, loquens de Manuum Impositione & Invocatione Spiritus Sancti quæ fit super baptizatos, ait: *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, deinde ingressos lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem, Die Dominico & per omnem Pentecosten nec de geniculis adorare, & jejunium solvere: multaque alia quæ scripta non sunt, rationabilis sibi observatio vindicavit.*

His concinit *S. Augustinus* Epistola CXVIII. ad Januarium. *Illa* (inquit) quæ non scripta, sed tradita *custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima Auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quòd Domini Passio & Resurrectio & Ascensio in Cœlum, & Adventus de cœlo Spiritus Sancti, anniversaria Solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa quacunque se diffundit Ecclesia. Alia verò quæ per loca terrarum, regionésque variantur, sicuti est quòd alii jejunant Sabbatho, alii verò non: alii quotidie communicant Corpori & Sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbatho tantùm & Dominico, alibi tantùm Dominico: & si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes: Nec Disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam,*

Ecclesiam, ad quamcunque fortè deveneris. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.

Ille ceremoniarum apparatus ad Disciplinam pertinet, quam Lutherani & Calvinistæ cum Fide & Religione, cujus individua comes est, abnegarunt. De quibus meritò dixerim cum *Tertulliano* libro de Præscriptionibus Hæreticorum, Cap. XLI. & XLIII. *Non omittam ipsius etiam conversationis hæretica descriptionem, quam futilis, quàm terrena, quàm humana sit, sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suæ congruens... Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cujus penes nos curam lenocinium vocant... Doctrina index disciplinæ est. Negant Deum timendum. Itaque libera sunt illis omnia & soluta. Ubi autem Deus non timetur, nisi ubi non est? Ubi Deus non est, nec veritas ulla est. Ubi veritas nulla est, meritò & talis disciplina est. At ubi Deus, ibi metus in Deum. Ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta, & diligentia attonita, & cura solicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subjectio religiosa, & apparitio devota, & processio modesta, & Ecclesia unita, & Dei omnia.*

Nobis verò perperam affingit *Kemnitius*, quòd Ceremonias ad Missæ substantiam pertinere credamus. Sacrificium Missæ de quo Pontificii dimicant (inquit impius scurra) in eo consistit, quòd Sacrificulus certis ornamentis & instrumentis, super panem & vinum Eucharistiæ, variis utitur gestibus, motibus, & actibus, ut sæpius geniculari, inclinari, strictis manibus modò distendere, modò reducere brachia, subinde se convertere, nunc esse clamosum, nunc magno silentio quædam demurmurare, suspicere in altum, esse pronum, consistere non uno in loco, nunc in dextram, nunc in lævam partem Altaris commigrare, micare digitis, inhalare in panem & calicem, ea tollere in sublime, postea reponere, panem frangere, & in calicem immittere, pectus ferire pugno; suspicere, clausis oculis repræsentare somnum, rursus expergisci, patellam deauratam aversam extenso brachio demonstrare populo, admovere eam fronti atque pectori, deosculari nunc Altare, nunc imagunculam metallo inclusam. Et infra: Sed & illæ nebulæ non difficulter discutiuntur, si tota disputatio de Veterum testimoniis referatur ad statum controversiæ. Quando igitur multæ & variæ Veterum sententiæ cumulantur, semper observandum est an hoc quod in controversia positum est, certò, perspicuè & firmiter inde probetur, Veteres scilicet omnes, consentientibus suffragiis hæc dogmata tanquam Catholica semper tradidisse, & ex verbo Dei defendisse. 1. Esse à Christo institutum, ab Apostolis traditum, & in prima Ecclesia observatum, ut Corpus & Sanguis Christi in Cœna, hujusmodi verbis, ritibus, gestibus, actibus & ornamentis, theatrica repræsentatione Deo Patri sistatur & offeratur; sicut nunc fit in Missa Pontificia. Et infra: Ipsi Pontificii Scriptores testantur; illam panopliam verborum, rituum, gestuum, actuum, ornamentorum, vestium, qui nervi sunt, atque adeo ipsa substantia Pontificiæ Missæ, non fuisse tempore Apostolorum.

Non eo loco Nos ceremonias habere quo *Kemnitius* affingit, sed accidentarias Sacrificio censere, constat ex Tridentina Synodo Sessione XXII. Cap. V. *Cùm* (inquit) *natura hominum ea sit, ut non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia Ritus quosdam, ut scilicet quædam summissa voce, alia verò elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Ceremonias autem adhibuit, ut mysticas benedictiones, luminaria, thymiamata, vestes, aliàque id genus multa, ex Apostolica Disciplina & Traditione, quò & majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Nihilque aliud de hujusmodi ceremoniis credendum proponit, quàm officia pietatis esse. *Si quis dixerit, ceremonias, vestes, externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritamenta impietatis esse magis quàm officia pietatis, Anathema sit.* Ceremoniarum singularum significationem ex iis repetat studiosus lector, qui de Ritibus Ecclesiasticis scripserunt.

Essentia autem Eucharistici Sacrificii in eo posita est, quòd Christi Corpus & Sanguis sub speciebus panis & vini, mutatâ utriusque elementi substantiâ, ejusdem Servatoris verbis reipsa sistantur, & incruento modo Deo offerantur & immolentur, quemadmodum Christus in Cœna fecit, & Novi Testamenti Sacerdotibus ut in sui commemorationem facerent, præcepit. Ita docet Synodus Tridentina Sessione XXII. Cap. I. de Sacrificio Missæ, Cap. I. *Deus & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat; in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit: ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorúmque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba,* Hoc facite in meam commemorationem, *uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit: Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit... Et hæc quidem illa munda Oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esse in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit: & quam non obscurè innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens, cùm dicit; Non posse eos qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, Mensæ Domini participes fieri: per Mensam Altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias Sacrificiorum naturæ & Legis tempore similitudines figurabatur: utpote quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio complectitur.*

XXXIX. Objiciet quispiam Synodi Tridentinæ Decretum incerto niti fundamento, quòd scilicet Christus in Cœna seipsum in Sacrificium Deo Patri obtulerit. Id ita obscurum, ut magna fuerit ea de re Theologos inter doctissimos Præsulesque in Synodo Tridentina dissensio, teste *Palavicino* Cardinali in Historia Concilii Tridentini libro XVIII. Cap. II.

Respondetur, Varias quidem fuisse circa hoc doctrinæ

Tridentini Patres & Theologi post varias disputationes in eamdem sententiam convenerunt.

doctrinæ caput Patrum & Theologorum opiniones, sed omnes demum eliquatâ disputationibus veritate in eamdem sententiam convenisse, & summo consensu supra scriptam Declarationem edidisse. Quatuor in Classes super ea disputatione divisos refert *Palavicinus*. In primam abiit *Madrucius* Cardinalis, & cum eo *Petrus Antonius de Capua* Archiepiscopus Hydruntinus, *Castanea*, & alii complures, affirmantes, Christum pro nobis seipsum in Cœna sacrificasse, idque Scripturæ Sacræ, Patrúmque cùm Græcorum, tum Lannorum testimoniis confirmantes. *Joannes Antonius Pantusa* Episcopus Literanensis, & *Melchior Cornelius*, verbum à Christo ad Apostolos dictum, & in ipsis ad Sacerdotes, *Hoc facite*, expenderunt. Quod verbum pro certo ponit rem quamdam omnino consimilem rei præceptæ antea peractam, & postea indicatam, cùm id importetur pronomine, *Hoc*. Jam verò (inquiebat ille) Christus præcepit Apostolis, & in ipsis præcepit Sacerdotibus, non solùm ut Eucharistiam acciperent, nec solùm ut consecrarent, quod satis non erat ad illos Sacerdotes constituendos; sed ut offerent sacrificarénique pro nobis & pro nostris peccatis. Igitur ipse in ea actione, quam nobis imitandam proposuit, obtulit Sacrificium propitiatorium. Id ex *S. Thoma* doctrina confirmavit, asserentis quòd in extrema formæ prolatione fit simul à Sacerdotibus & consecratio, & oblatio, & Sacrificium. Unde colligebat idipsum à Christo perfectum fuisse eorum prolatione verborum: aliter in ore Christi quàm in nostro minùs efficacia fuissent. Eidem sententiæ constanter adhæsit *Bellaius* Parisiensis Episcopus, quamquam longiùs progressus videatur, hunc Articulum fundamentum nostræ Religionis, & Sacrificii à Christo oblati esse dicens; seque dubitaturum an ipse Hæreticus foret, si aliter sentiret. Quod minimè mirum. Quandoque enim humana mens suâ ipsius caligine adeo obnubitur (inquit *Palavicinus*) ut eam pro claritate habeat, assumpto quod dubium est pro certo, ut accidit vallium incolis, quibus non apparet nebula qua obvolvuntur, satis illi perspecta, qui eminentibus è collibus eò visum dirigit. *Gaspar à Casalio* Episcopus Leiriensis ea de re prolixè disseruit, affirmantémque secutus sententiam est. Incubuit maximè in solutionem objectionis, quâ multùm detrahi Crucis Sacrificio dicebatur, si ante illud Christus Patri propter hominum salutem se immolasset. Christi oblationem unicam fuisse ait respectu rei oblatæ, sed modos offerendi multos ac varios. Etenim, quemadmodum *S. Thomas* docet, * Redemptoris Passio, quamvis unica, multis processit passibus: unus fuit Judæ proditio, alius venditio, alius ipsius in Cœna Ministerium, quo mors præsignata est; atque ita diversi cruciatus usque ad mortem: igitur Cœnam ipsam partem quandam fuisse Christi cruciatuum. Porro sicut præcedentibus Christi meritis dempta non est aut imminuta vis & efficacitas meriti mortis; ita potuisse Christum se offerre in Cœna, & Sacrificium in Cruce perficere, nec per Sacrificium Cœnæ aliquid detrahi Sacrificio Crucis. *Jacobus Gibertus de Noguera* Episcopus Aliphanus dicebat, satis esse ad hanc definitionem fundandam multorum Patrum auctoritatem, siquidem Synodus Chalcedonensis ipsorum testimoniis, licèt ea tempestate recentium, duas in Christo naturas comprobarat. Pro eadem sententia disputarunt *Petrus à Monte* Lucrensis Episcopus, *Carolus Bovius* Austunensis, *Marcus Laureus* Prædicator Campaniensis, *Franciscus Zamora* Minorum Observantium Minister Generalis, & *Jacobus Lainez* Supremus Societatis Jesu Præpositus. Hanc ille quæstionem facti esse dixit, de qua non ex rationibus, sed ex testimoniis duntaxat ferendum esset judicium. Cùm igitur Patres tum Græci cùm Latini, & ex iis complures Christi ætati proximi, asserant illum se pro nobis in Cœna sacrificasse, ipsorum dictis habendam fidem. Exemplum Melchisedech & Sacrificii ab eo oblati, non fuisse completum reipsa à Christo in Cruce: Igitur in Cœna. Ea verba, *Hoc facite*, intelligi à S. Leone in Sermone VII. de Cœna Domini, & ab aliis Doctoribus, ut idem fiat quod fecit Christus: & tamen si Christus in Cœna noo sacrificasset, Ecclesia dum in Eucharistia consecranda sacrificat, faceret id quod ipse non fecit.

** III. P. Q. LXXXIII. Art. V.*

Fuerunt in secunda Classe Archiepiscopi Granatensis, Bracarensis, & Lancianensis, qui Christum quidem in Cœna sacrificasse censebant, sed Sacrificium merè Eucharisticum, id est, laudis & gratiarum actionis, non satisfactionis & expiationis, veriti ne aliàs derogaretur Crucis Sacrificio: neque pariter declarabant illic se ipsum obtulisse. His accessit *Albertus Duinius* Veglensis Antistes, qui duas in Christo rationes oblationis distinxit, alteram universalem & ab ipso adhibitam in cunctis vitæ suæ operibus, alteram peculiarem, ob remissionem nostrorum peccatorum, & non habitam ante Crucem. Sententiam suam confirmavit *Oecumenii* testimonio, quod *Hosius* Cap. I. suæ Confessionis protulerat, & auctoritate *S. Thomæ* III. P. Q. XLVII. A. IX. & Q. LXXXIII. A. V. *Andreas Mocenigus* Episcopus Nimosiensis dixit, Sacrificium Cœnæ, ut cætera Christi opera, fuisse nobis propitiabile, sed à Christo nonnisi per Crucem nostrorum criminum remissionem obtentam fuisse: ibi victoriam integram reportatam: antea multarum arcium, ut ita dicatur, adeptionem habitam. Ejusdem opinionis erat *Didacus de Leon* Augustinianus, Episcopus Conimbricensis.

Tertia Classis, in qua erant *Natlantus* & *Drascovitius*, in Doctrina ponendum censebat, Christum se Patri obtulisse in Cœna, sed qua ratione se obtulisset, non exprimendum; cùm id in quæstione versaretur, nec ullum evidens Scripturæ Sacræ testimonium urgeret.

Quarta Classis dum opiniones oppositas conciliare studebat, in varias ipsa sententias abiit. Rei tandem hic fuit exitus, ut contra quàm in Scholasticis concertationibus evenire solet, in quibus quisque in propugnata sententia firmiùs inhæret, pene omnes in primam sententiam abierint, etiam qui illi acerrimè restiterant. Ita refert Cardinalis *Palavicinus*. Hæc itaque Concilii doctrina, hæc Ecclesiæ sententia, nec tamen eo velut unico & inconcusso fundamento nititur Definitio Fidei, quam Synodus Canone primo expressit his verbis: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari, Anathema sit:* Sed Dei verbo, & Scripturæ Sacræ ac Traditionis firmissimis testimoniis.

Francisci Foreri suffragium expenditur.

XL. Objiciet quispiam: *Franciscum Fererum* ex Prædicatorum Ordine Theologum Lusitanum, vim negasse probationibus, quæ ad confirmandum Missam esse verum ac proprium Novi Testamenti Sacrificium, arcessebantur ex facto Melchisedech, ex Malachiæ testimonio, & ex verbis Christi ad Apostolos in Cœna; sed unicum illius dogmatis fundamentum ex concordi Patrum Traditione repetendum dixisse.

Respondetur, *Fererum* virum eruditissimum, qui Missali ac Breviario emendandis, Catechismo condendo, & Indici absolvendo, Summi Pontificis jussu post Synodum operam navavit, non negasse quin Scripturæ testimoniis probaretur Missam verum Sacrificium esse, sed ratione alia à communi

explicuisse

explicuisse tum id quod Christo tribuitur ex similitudine Melchisedech, tum oraculum Malachiæ. Insuper hæc verba à Christo dicta Apostolis in Cœna: *Hoc facite in meam commemorationem*, Forerus vim non habere censebat ex meris literæ conditionibus, sed ex unanimi Patrum interpretatione; à quibus quidem ita intelligitur (inquiebat ille) sed non affirmatur hanc ipsorum intelligentiam esse Fidei Dogma. Quamobrem Sacerdotum institutionem, potestatémque sacrificandi ipsis à Christo collatam, Traditione quidem, non autem Scripturæ verbis præcisè sumptis evidenter comprobari colligebat. Ita refert *Palavicinus* ex Actis Concilii, & ex Literis Jadrensis Archiepiscopi & Episcopi Mutinensis ad *Cornelium* & *Moronum* Cardinales die XXVII. Julii anno MDLXII. Non minoris porro, ad fundandum Dogma Fidei, roboris est ac momenti Traditio, quàm Scriptura, cùm utraque sit verbum Dei. Cæterùm Theologos reliquos Lusitanos communem locorum Scripturæ, quæ prolata fuerant ea in controversia, interpretationem confirmasse, non tamen damnando, sed explicando *Foreri* dicta: Præcipuè verò triduo post, *Melchiorem Cornelium*, Theologum à *Sebastiano* Rege missum, egregiam ea de re Dissertationem habuisse, refert idem *Palavicinus*: in qua observavit Malachiæ testimonium ita à Concilio Nicæno II. intellectum Actione IV.

Christiani Sacrificii nomina.

XLI. Variis nominibus divinum istud Christianæ Religionis Sacrificium appellatum est à Patribus. Ipsum Græci *Liturgiam*, *Mystagogiam*, *Synaxim*, *Anaphoram*, *Prosphoram* nuncupant. Græca vox LITURGIA, apud Grammaticos quodcunque publicum munus, seu ministerium significat; eámque in hoc sensu usurpant Plato, Aristoteles, Demosthenes, Xenophon, Isocrates, & alii Scriptores profani. Apud Christianos autem jam inde ab Ecclesiæ exordiis hoc nomen consecratum est ad significandum Corporis & Sanguinis Christi Sacrificium, quia nullum in Ecclesia magis publicum est Ministerium, quàm actio Sacerdotis Deo Sacrificium offerentis. MYSTAGOGIAM appellant, id est, secretam actionem, introductionem ad Mysteria. Hoc nomen usurpant *S. Dionysius* lib. de Ecclesiastica Hierarchia, Cap. 3. *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione XVII. & *Cyrillus Hierosolymitanus*, qui Catecheses, in quibus de Sacrificio disserit, *Mystagogicas* vocat. SYNAXIM nominat laudatus *Dionysius* Cap. 3. id est, collectionem, quia nos in Christo simul colligit, Deóque conjungit. Quanquam alii Patres hac voce uti soleant ut quamcunque Fidelium congregationem, sive ad Orationem, sive ad Psalmodiam, sive ad audiendum verbum Dei significent, ut ex *Cassiano* constat. ANAPHORAM dixerunt, id est sursum elationem, quia Sacrificium sursum ad Deum fertur, vel quia Sacerdotis & assistentium corda ad eumdem attollit. Enimvero si omnis oratio ascensio mentis in Deum est, multò potiori ratione id Sacrificio convenit. Istud nomen ipsi tribuunt *S. Basilius* in Liturgia, & *Anastasius* Sinaita Oratione de Synaxi. PROSPHORAM appellarunt, hoc est, Oblationem. Ita *Eusebius Cæsariensis* lib. VI. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 43. ubi agit de Juramento, quod *Novatianus* Sacrum faciens, & Sacram Communionem erogans, à suis extorquebat, ne ad *Cornelium* rediteet.

A Latinis appellatum est, *Collecta*, *Dominicum*, *Agenda*, *Oblatio*, *Communio*, *Missa*. COLLECTAM vocarunt, quia colligitur in unum populus ut Sacrificio intersit. Sic in Actis Sanctorum *Saturnini* & *Sociorum*, apud *Bollandum*, die XI. Februarii, oblati illi fuisse Proconsuli dicuntur, quia contra Interdictum Imperatorum *Collectam*, sive

A *Dominicum* celebrassent. Sic *S. Augustinus* in Breviculo Collationum cum Donatistis, in Collatione tertiæ diei: *Confitebamur*, inquit, *se Collectam*, *& Dominicum egisse*. DOMINICUM dixere, quia maxima & præcipua functio est, quæ ex Domini institutione & præcepto in Ecclesia peragitur. Hanc vocem usurpat *S. Cyprianus* Epistola LXIII. ad Cæcilium. *Nunquid*, inquit, *Dominicum post Cœnam celebrare debemus, ut sic mystum Calicem frequentandis Dominicis offeramus*? Item *S. Augustinus* Epistola LXXXVI. loquens de Sermone *S. Pauli* in Troade: *Per diem*, inquit, *hora Dominici fuerant congregati*: id est, hora celebrandi Sacrificii.

B AGENDAM vocant Concilium Carthaginense II. Canone 9. & Regum nostrorum Capitularia lib. VI. Cap. 306. & lib. 7. Cap. 165. *Si quis Presbyter* (inquiunt) *inconsulto Episcopo, Agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit*. Ritum quoque Sacrificii *Ordinem agendi* S. Augustinus vocat Epistola 118. Cap. 6. Inde origo nominis, quòd *facere* apud sacros profanósque Scriptores, *sacrificare*, significet. Levitici XV. *Moyses* de duobus turturibus in Sacrificium offerendis ait: *Faciet unum pro peccato & alterum in holocaustum*. Et Cap. XXIII. *Facietis hircum pro peccato*. Cicero in Oratione pro Murena: *Juno Sos-*

C *pita, cui omnes Consules facere necesse est*. Virgilius Ecloga III. *Cum faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito*. COMMUNIONEM appellant, quia inseparabilis est à Sacrificio ejusdem participatio, & olim extra ipsum nemo communicabat. Ita *SS. Gregorius Nazianzenus* Oratione III. *Isidorus Pelusiota* lib. 1. Epistola 228. *Joannes Damascenus* lib. IV. de Fide Orthodoxa, Cap. 14. ubi de divino Sacrificio sic loquitur: *Communio optimo jure appellatur, quia per illud cum Christo commercium habemus, ac carnem ipsius & divinitatem percipimus, atque adeo inter nos communicamus &*

D *copulamur*. OBLATIONEM vocant, quia in ea Christus Agnus sine macula offertur, & immolatur. Sic *Tertullianus* lib. II. ad Uxorem, Cap. 4. ubi fœlicitatem Matrimonii Fidelis cum Fideli prædicat, *Quod Ecclesia conciliat, & confirmat Oblatio, & obsignat Benedictio. Simul orant, simul jejunia transigunt; in Ecclesia Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei: eleemosyna sine tormento, Sacrificia sine scrupulo*. Sic *Ennodius Ticinensis* Ecclesiam loquentem inducit sub finem Apologetici: *Ad quam Dei Summi templa, repudiatis fanorum*

E *cultibus, & nova lucis nitore gaudentem, fecerunt esse conspicuam, quam à victimis liberavit Oblatio*. Hinc offerendi verbum pro Sacrificii celebratione usurpatur ab *Optato Milevitano*, lib. 1. *Erat*, inquit, *Altare loco suo, in quo pacifici Episcopi suo tempore obtulerunt*. Et à *S. Augustino* Epistola CXVIII. *Alibi*, inquit, *nullus dies omittitur, quo non offeratur, alibi Sabbatho tantùm & Dominico*. MISSAM tandem appellant *SS. Ambrosius* in Epistola ad *Marcellinam* Sororem XXII. & in Oratione Præparatoria ad Missam, quam ipsius esse agnoscit Casaubonus; *S. Augustinus* Sermonibus XCI. &

F CCXXXVII. de Tempore; *S. Leo* in Epistola ad *Dioscorum* Alexandrinum, *Victor Africanus* lib. II. Wandalicæ Persecutionis, *S. Cæsarius Arelatensis* Homilia XII. *S. Gregorius Magnus* passim, &c.

Aliæ tamen sunt *Missæ* significationes. Communi namque significatione accipitur pro Missione, ut in Concilio Carthaginensi IV. Canone 84. *Episcopus nullum prohibeat usque ad Missam Catechumenorum*, (id est, usque ad missionem, seu dimissionem aut expulsionem Catechumenorum) *neque Hæreticum, neque Judæum, neque Gentilem, Ecclesiam ingredi, & audire verbum Dei*. Eodem sen- Varia vocis Missæ acceptiones.

su *Cassiani* Caput decimum-tertium lib. II. inscribit, *Quare post Missam Nocturnam*, (id est, post missionem Monachorum à nocturnis Officiis) *dormire non oporteat.* Et Caput decimum-quintum: *Qua lege modestia post Orationum Missam unusquisque ad suam cellulam redeat.* Eodem sensu nomen istud usurpat *S. Benedictus* in Regula, Cap. XVII. *Post expletionem trium Psalmorum*, inquit, *recitetur Lectio una, Versus, & Kyrie eleyson, & Missa sint.* Ita cùm Diaconus, vel Sacerdos dicunt, *Ite Missa est*, Congregationem se dimittere significant, abeundique licentiam concedere. Secundò accipitur *Missa* nomen pro precibus & lectionibus, quæ ab initio Liturgiæ, usque ad Catechumenorum dimissionem peraguntur: quo sensu usurpatur à Concilio Valentino Canone I. statuente, ut Sacrosancta Evangelia, *in Missa Cathecumenorum*, post Apostolum legantur. Tertiò sumitur pro illa parte Liturgiæ, quæ est ab Offertorio usque ad finem, & dicitur *Missa Fidelium.* Hoc sensu illud usurpat *S. Cæsarius Arelatensis* Homilia XII. *Non tunc*, inquit, *fiunt Missæ, quando divinæ lectiones in Ecclesia recitantur; sed quando munera offeruntur, & Corpus vel Sanguis Domini consecratur.* Quartò pro Collectis sive Orationibus, quæ in Missæ Sacrificio legi solent. Hoc sensu nomen istud sumpsit Concilium Milevitanum secundum. Cap. XII. *Placuit ut preces, vel Orationes seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ab omnibus celebrentur.* Quintò *Missæ* nomen pro lectione accipitur. Hoc sensu illud in sua Regula usurpavit *S. Aurelianus* Arelatensis Episcopus *Sexta Feria*, inquit, *post Nocturnos duæ Missæ fiant in Æstate, in Hyeme tres. Nam Dominica omni tempore, & in Æstate, & in Hyeme, post nocturnos sex Missæ fiant. Si verò evenerit, ut tardius ad Vigilias surgatur, quantùm Abbati visum fuerit, tantùm legatur. Quando signum fecerit, qui legit sine mora consurgat, ut Canonicus Missarum numerus possit impleri.* Et infra: *In Natali Domini, & in Epiphania, dicite unum Nocturnum, & facite sex Missas de Esaia Propheta: iterum dicite secundum Nocturnum, & legantur alia sex de Evangelio.... In Martyrum Festivitatibus tres aut quatuor Missæ fiant: Primam Missam de Evangelio legite, reliquas de Passionibus Martyrum.* Sic etiam Missæ nomen sumpsere S. Cæsarius, Tetradius, & S. Isidorus Hispalensis, in suis Regulis. Sextò *Missa* sumitur pro divino Officio. Ita nomen illud usurpavit Concilium Agathense, Canone 30. jubens ut in conclusione Matutinarum vel Vespertinarum Missarum, post Hymnos Capitella de Psalmis dicantur, plebs collecta Oratione ad Vesperam ab Episcopo cum benedictione dimittatur. Septimò quia Missa præcipua functio est quæ in die festo peragitur, ideo Missæ nomen pro ipsa festivitate à mediæ ætatis Scriptoribus passim usurpatur, apud quos *Missa S. Martini*, vel *S. Joannis*, idem est ac Festum *S. Martini*, vel *S. Joannis.* Hoc sensu frequenter sumitur in Capitularibus, ab Auctore Annalium Bertinianorum, à Flodoardo & aliis. Octavò, sumitur *Missa* pro tota divini Sacrificii celebratione, quatenus utramque complectitur, Cathecumenorum, & Fidelium.

Missæ nomen unde derivatum.


XLII. Unde porro derivatum sit *Missa* nomen, non una est inter Viros Eruditos opinio. Quidam Hebraïcum illud esse putant ex Deuteronomii Cap. XVI. versu 10. ubi vox *Missah* reperitur, quæ oblationem significat; illúdque Apostolos ab Hebræis, Latinos à S. Petro accepisse affirmant. Hanc alii refellunt conjecturam gravissima ista ratione, quòd nimirum vocem illam Hebraïcam, si in usu Apostolis fuisset, Græci, & Syri, aliæque gentes retinuissent, ut alias similes retinuere, scilicet, *Amen, Alleluia, Sabbaoth, Osanna, Sabbatum, Pascha.* Porro nusquam Patres Græci hanc vocem usurpasse inveniuntur ad divinum Sacrificium significandum. Et, quod maximi momenti est, Patres Hebraïcè docti, S. Justinus, Origenes, SS. Epiphanius & Hieronymus, *Missa* vocabulum non adhibuere ut Sacrificium designarent. Quidam illud ex Græca voce μύησις derivant, à verbo μυέω, quod est, doceo, instituo, & spiritualiter initio. Sed hanc conjecturam alii meritò ut futilem rejiciunt, quòd Græcis ignotum fuerit Missæ nomen. Quidam *Missam* dici opinantur à nomine *Mess*, quod apud Gentes Septentrionales festum sive congregationem significat. Quia verò populi, ut Sacrificio intersint, in unum congregantur, ideo Missæ nomen ipsi Sacrificio inditum existimant. Id abnuunt alii, quòd verisimile non sit Gentibus Septentrionalibus, quæ seriùs ad fidem sunt conversæ, Missæ nomen acceptum referri. Verior opinio est, *Missa* vocabulum Latinum esse, à verbo, *mitto*, derivatum, sive quòd populus per Ministerium Sacerdotis preces & oblationes ad Deum transmittat, ut *Stephanus Eduensis* lib. de Sacramento Altaris Cap. 18. *Petrus Cluniacensis* lib. II. Miraculorum, Cap. 28. *Rupertus* Abbas lib. 2. de Divinis Officiis, Cap. 23. & *S. Thomas* III. P. Quæst. LXXXIII. Art. IV. interpretantur. Vel quia nos ad Deum mittit, ut Auctor libri *De Divinis Officiis* apud *Alcuinum* scribit Cap. 40. Vel quòd Angelus à Deo mittatur ut assistat Sacrificio, sicut Magister Sententiarum exponit lib. IV. Distinct. XIII. sive (quæ probabilior sententia est) à populi missione seu dimissione, quæ fit peracto Sacrificio, hâc formulâ: *Ite Missa est.* Ita exponit *Avitus* Viennensis Episcopus, Epistola I. ad *Gundebadum* Burgundionum Regem. *Non missum facitis*, inquit, *nihil est aliud quàm non dimittitis. A cujus proprietate sermonis in Ecclesiis, Palatiisque, sive Prætoriis Missa fieri pronuntiatur, cùm populus ab observatione dimittitur. Nam genus hoc nominis etiam in secularibus Auctoribus, nisi memoriam vestram per occupationes lectio desueta subterfugit, invenietis.* Hinc pariter *Missa* nomen derivant *S. Isidorus* lib. 6. Originum Cap. 19. *Rabanus* lib. de Institutione Clericorum Cap. 32. *Florus Magister* & *Remigius Autisiodorensis* in fine Expositionis Missæ, *Hugo à Sancto Victore* lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis, Cap. 41. *Bernoldus* Presbyter Constantiensis, in Expositione Ordinis Romani &c. Legatur Doctissimus Cardinalis *Bona* Lib. I. Rerum Liturgicarum, Cap. 1. 2. & 3.

SCHOLION.

In hac Dissertatione Num. XXXV. pag. 719. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant. *Sola manuum impositio est materia essentialis Ordinationis.*

R. Hæc probabilior mihi visa est Theologorum plurimorum opinio, quæ in Theologicis Sacræ Facultatis Parisiensis subselliis quotidie propugnantur, quamvis & instrumentorum porrectionem ad materiæ integritatem pertinere ex Ecclesiæ Latinæ ritu & usu censeam, ac proinde necessario adhibendam. Cæterùm quæstiones illas de materia essentiali & accidentaria, merè Scholasticas esse noverunt Eruditi. Satis est credere *Ordinem sive Sacram Ordinationem esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum: per Sacram Ordinationem dari Spiritum Sanctum: per eam imprimi characterem: Sacram Unctionem quâ Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, requiri, nec contemnendam esse*; & cætera quæ Sacra Synodus Tridentina Sessione XXIII. *De Ordine* docuit ac definivit. Videatur Joannes Morinus P. III. De Sacris Ordinationibus, Exercitatione VII. ubi cùm opiniones quatuor de Presbyteratûs materia recensuisset, subdit: *Postrema opinio, ea est, quæ materiam Sacerdotii constituit solam manuum impositionem. Hanc solam omnis Ecclesia, Latina, Græca, Barbara semper*

per agerunt. Hanc solam commemorant omnes antiqui Ritua-les. Latini. Græci, omnes antiqui & recentiores Patres, Græci, & Latini. . Græci legitimè & validè Presbyteros consecrant : semper Ecclesia Romana eorum Ordinationes probavit. At apud eos incognita est ista instrumentorum traditio, & semper incognita fuit. Ergo ea non pertinet ad Ordinationis Presbyteralis substantiam.



DISSERTATIO XIV.

DE SACRAMENTALI CONFESSIONE Adversùs Vvaldenses, Albigenses & Vviclefianos in Calvinistis Redivivos.

Qua JOANNIS DALLÆI, Calviniani Ministri Libri quatuor refelluntur.

LIcèt contra Hæreticos omnes in titulo nominatos Dogma Catholicum de Sacramentalis Confessionis necessitate, divina institutione, usúque in Ecclesia perpetuo propugnandum suscipiami unum tamen præ cæteris refellendum mihi sumo *Joannem Dallæum*, qui inter sectæ suæ homines illud studio conatúque majori impugnavit quatuor libris anno 1661. Genevæ editis. In primo convellere nititur Catholicorum argumenta ex Scripturis sacris petita, quibus Confessionem jure divino institutam ac præceptam esse probant : quod ille non ita se habere probat ex eo quod nusquam in D Novo Testamento disertè expressa sit. Libro 2. aliqua contra Confessionem Sacramentalem ex Scripturis sacris urget argumenta. Tum rationibus contra eam pugnat. Demum novitiam esse Confessionis disciplinam asserit, & ab Innocentio III. primùm institutam. Libro 3. exponendum sibi sumit quis, de Confessione, Patrum sensus ac usus fuerit : & quæ proferuntur à Catholicis Doctoribus ad eam asserendam Testimonia elevat. Libro 4. Confessionem Sacramentalem, quam Innocentianam vocat, non fuisse in veteri Christianorum Ecclesia solemnem, usitatam, aut cognitam probare nititur.

Infirmæ Probationes seponuntur.

In hujus controversiæ limine præmoneo primò, E Me argumenta singula, quibus doctissimus Cardinalis Bellarminus, vel alii Theologi Polemici hoc Fidei dogma probarunt, non suscipere propugnanda : quia non omnia convincere mihi perspectum est. Quæ enimvero ex figuris sive Veteris, sive Novi Testamenti eruuntur, scilicet ex Confessione peccati, quam ab Adamo & Eva, & Caïno Deus desideravit (Genes. 3. & 4.) ex lepræ apud Sacerdotes Leviticos manifestatione (Levit. 13. & 14.) ex Mosaïca Veterum Israëlitarum confessione, vel pœnitentiæ professione cum sacrificiis conjuncta (Numeror. 5. & Levitic. 5.) ex confessione, quam baptizandi F olim apud Joannem fecisse, Matth. 3. & Marc. 1. perhibentur; ex Leprosis quos misit Christus ad Sacerdotes, & ex eo quod Christus de Lazaro suscitato Discipulis dixit, *Solvite eum, & sinite abire* (Joannis 11.) Ex his, inquam, figuris arcessita argumenta, etsi in ore Concionatorum sua utilitate non careant, si ut par est tractentur, Theologi necessitatem Sacramentalis Confessionis, & ex jure divino institutionem adversùs Hæreticos probandam frustra susciperent : cùm ex mystico sensu qui in figuris latet, certum duci non possit argumentum. Imprudentem

A se nihilominus Dallæus probavat, cùm Bellarmini probationes ex antiquis figuris petitas, penitus explodit ac sugillat : siquidem argumenta hujusmodi, quamvis necessaria non sint, probabilia tamen cordatis viris, quos studia partium non excæcant, videntur : & eo argumentorum genere Veteres usi sunt adversùs Hæreticos, ut ex libro 4. Tertulliani adversùs Marcionem compertum est. Nec est necesse ut figuræ Veteris aut Novi Testamenti, quibus aliqua Confessionis Sacramentalis vestigia vel semina ante illius institutionem jacta fuisse Bellarminus ostendit, illi in omnibus respondeant. Notum enim B est illud Tertulliani verissimè dictum : *Figura non usquequaque adæquabitur veritati.*

Nullam etiam probationem Bellarmini, & quorumdam aliorum Theologorum ex Actorum 19. petitam propugnare, ubi narrat sanctus Lucas quòd *Multi credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt Libros, & combusserunt coram omnibus.* Ibi enim de Confessione tantum generali, seu professione publica pœnitentiæ, quam Baptismo præmittebant ii qui crediderant Evangelio, agi qui dixerit cum Cardinali Cajetano, Estio, Maldonato, Lorino, aliisque eruditis Theologis, & Scripturæ C sacræ celeberrimis Interpretibus, is forsan hujus loci sensum meliùs assecutus fuerit.

Nullius roboris fateor argumentum, quod ad Confessionis Sacramentalis necessitatem probandam ex illis verbis Apostoli 2. ad Corinthios 5. desumitur : *Dedit nobis Deus ministerium reconciliationis, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, Reconciliamini Deo.* Illud enim, cujus hîc Apostolus meminit, reconciliationis ministerium solam Evangelii prædicationem, & generalem administrationem Sacramentorum spectat, D ut Interpretes Scripturarum doctissimi & Catholici exponunt, utque demonstrat ipse loci contextus, non Sacramentalem Confessionem.

Neque vero efficacius est argumentum quod ex Epistola Canonica sancti Jacobi, cap. 5. à multis profertur, ubi ait : *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Nequaquam enim ad Sacramentalem Confessionem hanc sententiam pertinere, patet primò ex ea voce, *Alterutrum*, qua indicat Apostolus ea de Confessione se loqui, quæ fit inter omnes Christianos, etiam Laïcos, ad petendum alterius consilium & orationes. 2. Idem significat quod addit, *Orate pro invicem* : quæ verba cùm ad solos Sacer- E dotes non referantur, sed ad omnes Christianos, ad eosdem referri præcedentia, quibus ista connexa sunt, necesse est. Id & sequentia verba confirmant : *Multùm valet oratio justi assidua*, quæ non tantùm de Sacerdotibus, sed de quibusvis justis intelligenda sunt, ut adjunctum exemplum ostendit : *Elias homo erat similis nobis, passibilis, oratione oravit ut non plueret*, &c. Hunc locum ita intellexerunt Sanctus Augustinus lib. L. Homiliarum, Homilia 22. Sanctus Gregorius lib. 22. Moralium cap. 14. Venerabilis Beda in Commentario hujus loci; & qui veteres illos sequuntur Patres, Scotus in 4. Sententiarum, F Dist. 17. q. unica, Maldonatus in Tractatu de Pœnitentia cap. 2. & alii Theologi Doctissimi.

Denique argumentum ex 1. S. Joannis Epistola cap. 5. petitum Sacramentalem Confessionem non probat. *Si confiteamur peccata nostra*, inquit, *fidelis est & justus*, (Deus scilicet) *ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* De generali namque confessione tantùm loquitur ibi Dilectus Discipulus, qua quis vel interiùs coram Deo, vel exteriùs etiam se peccatorem contestatur. Id verba proximè antecedentia demonstrant : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus,*

ducimus, & veritas in nobis non est. Id & proximè sequentia confirmant: *Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & veritas ejus non est in nobis.* Itaque S. Joannes instituit Antithesim inter eos qui se peccatum habere negant, & eos qui peccata sua confitentur. Unde peccata confiteri, nihil aliud est quam non negare, sed agnoscere se peccatorem, idque ex animo apud Deum profiteri. Contra verò, dicere se peccatum non habere, est negare peccata sua. Ita hunc locum exponit Cajetanus noster.

Præmoneo secundò, Sacramentalem Confessionem à Christo Domino institutam disertè in Evangelio non legi. Neque enim in his verbis Matthæi 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo:* neque in his Joannis xx. *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt,* ulla Confessionis mentio subest: quamvis singularis quædam potestas remittendi peccata concessa Apostolis & eorum Successoribus à Christo hinc colligatur. Quæ ex potestate necessitatem Sacramentalis Confessionis intellexit semper Ecclesia. Hinc sanctus Thomas in Supplemento, Quæst. 6. Art. 6. cùm sibi objecisset Confessionem à Deo institutam non legi, sed ab homine, Jacobi 5. adeoque posse cum aliquo dispensari ne confiteatur, respondet [a] quod *Præceptum de Confessione non est ab homine primò institutum, quamvis sit à Jacobo promulgatum; sed à Deo institutionem habuit, quamvis expressa ipsius institutio non legatur.*

§. I.

Ex Scriptura Sacra probatur Confessionem Sacramentalem divino jure necessariam illis esse qui post baptismum in mortale peccatum lapsi sunt.

EX quibus verbis habetur, Christum Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquisse tanquam præsides ac judices, qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient; ex his rectè infertur Sacramentalis Confessionis necessitas: Sed ex Christi verbis habetur ipsum Sacerdotes sui Vicarios in terris reliquisse tanquam præsides ac judices, qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient: Igitur ex Christi verbis rectè infertur Sacramentalis Confessionis necessitas.

Probatur major. Enim verò si Sacerdos in foro Pœnitentiæ constitutus est à Domino judex ad solvendum & ligandum, ad remittendum & retinendum, ipsi incumbit non præcipiti judicio, neque pro libito, sed justo ac prudenti arbitrio, juxta merita causarum, tradita sibi utatur potestate; alioqui ratum non habebitur à Christo in cœlis, quod ipse fecerit in terris. Atqui præstare illud non poterit, nisi peccata & peccantis causam, de qua judicium ferre debet, habeat bene cognitam & perspectam. Cùm hæc autem cognitio haberi non possit absque spontanea peccatoris Confessione qua peccata singulatim sua exponat Sacerdoti, rectè infertur Sacramentalem Confessionem jure divino necessariam esse; eodem scilicet quo Sacerdotibus ad ligandum & solvendum, ad remittendum & retinendum concessa est à Christo potestas.

Præterea; Ad eam ligandi & solvendi, remittendi, & retinendi peccata potestatem pertinet, ut Sacerdotes Pœnitentiæ opera quibus divinæ justitiæ fiat satis, & radices peccatorum exscindantur, iteratæque prolapsionis avertatur periculum, in judicio illo Pœnitentibus imponant. Qua de re Dissertatio secunda III. Tomi legatur, in qua necessitatem satisfactionis ex divina Traditione probavimus. Legatur & Caput VIII. Sessionis XIV. Concilii Tridentini, in quo expositâ luculentissimè & nitidissimè Catholica de satisfactionis necessitate & fructu Doctrinâ, hæc habent Patres: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentius cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent.* Ut autem in operibus Pœnitentiæ injungendis ita se gerant Sacerdotes, necesse est ut peccata Pœnitentium particulatim cognoscant: quam notitiam cùm non nisi ex spontanea ipsorum Confessione comparare possint, necesse est ut Pœnitentes peccata mortalia, quorum sunt rei, Sacerdotibus singulatim exponant.

Probatur minor primi Syllogismi, scilicet quòd Sacerdotes sui Vicarios in terris Christus reliquerit tanquam præsides ac judices, qui pro potestate clavium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient: primò ex verbis Christi, Matthæi 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Quæ verba licèt Origenes & sanctus Chrysostomus ad omnes prorsus Christianos quodam sensu existiment pertinere, propter antecedentia verba, *Si peccaverit in te frater tuus:* hisque Theophylactus & Anastasius Quæstione 2. in Scripturam consentiant; quasi sententia sit: Si illis, qui in vos peccaverunt, injuriam remiseritis, Deus etiam remittet; si retinueritis, & ipse retinebit: hæc tamen expositio coacta est, nec Evangelico textui consona. Perspicuum enim est Christum distinguere personam ejus in quem frater peccavit, à testibus coram quibus ipsum corripit, & ab Ecclesia cujus ad tribunal tandem ipsum defert, soliqueEcclesiæ dicere: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Deinde cum dicit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus,* evidens est Ecclesiam ab eo, qui peccantem fratrem ad sacrum ejus tribunal detulit, distingui, sensumque esse: Si Ecclesiæ liganti morem non gesserit, sed pertinax fuerit ac perduellis, sit tibi, qui eum detulisti, & in quem peccavit, tanquam Ethnicus & Publicanus. Alius ergo est cui irrogatur injuria, alius qui ligandi potestatem habet ac solvendi. Hinc alii Patres solis Ecclesiæ Sacerdotibus potestatem illam à Christo promissam hoc in loco, & postea Joannis 20. collatam interpretantur, qui in peccatorum causis judices sedeant; ut ex eorum testimoniis inferiùs subjiciendis constabit.

Nec dici verè potest, Hanc Servatoris Christi apud Matthæum sententiam de sola externa, & ut ita dicam, politica Ecclesiæ potestate esse intelligendam, quâ è Fidelium cœtu ejiciuntur pertinaces & perduelles. De utraque enim potestate ligandi & solvendi cùm externa, tum interna, id est, non solùm in foro exteriori, injiciendo, aut solvendo vinculum excommunicationis, sed etiam in interiori, quod est forum conscientiæ, solvendo, aut retinendo reatum peccati, verba Christi exponenda esse probant evidenter divinæ illæ voces: *Erunt ligata & in cœlo; erunt soluta & in cœlo*, id est, apud Deum: quod enim apud Deum ligatur & solvitur, non solùm extrinsecùs,

[a] S. Thomas ad 1. Argum.

trinsecùs, sedetiam intrinsecùs ligatur & solvitur. Qui aliter interpretantur, Christi consilium non intelligunt: statuit enim Ecclesiæ tribunal ultimum ac supremum in terris esse, ad quod peccatores, cùm aliud emendationis remedium non superesset, deferrentur. Ideoque summam illi contulit potestatem: summa autem non esset, nisi eâ major esset quæ omni Reipublicæ convenit, ut sibi perniciosis hominibus aqua & igne interdicat, seu exilio damnet; cui pœnæ in Ecclesia respondet excommunicatio.

Probatur eadem minor ex verbis Christi, Joannis xx. *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hæc antequam diceret Apostolis Christus, in eos *insufflavit*. Tam divino apparatu, tamque sacra cœrimonia, & Spiritus Sancti insuper donatione singularem quandam & eximiam potestatem Apostolis collatam intelligere necesse est, non solùm annuntiandi ac prædicandi remissionem peccatorum, ut Dallæus, & alii Calvinistæ post Magistrum suum explicant, sed ea, pro munere judicum à Christo in Ecclesia constitutorum, remittendi vel retinendi.

Joannis Dallæi Responsiones.

Dallæus respondet multipliciter his probationibus. Primò negat Sacerdotes in Pœnitentiæ negotio judices propriè dictos esse, vel Pœnitentes potestate prætoria absolvere, idque ex laudatis Christi verbis confici. Legatos esse ait, secundùm Apostolum 2. ad Corinthios 5. *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Christi Ministros* esse fatetur, *& dispensatores Mysteriorum Dei.* (Ex Apostolo 1. ad Corinthios 1.) Scire autem ait omnes quàm procul à Judicum & Prætorum potestate atque auctoritate absit Oeconomi, sive Dispensatoris jus ac munus. Addit sanctum Paulum 2. ad Corinthios 4. se Fidelium servum profiteri: *Nos autem servos vestros per Jesum.* Inauditum porrò esse ut Prætor reorum de quibus judicat, & in quos prætoriam illam suam potestatem exercet, servus dicatur.

Addit, Si ex Christi verbis Joannis xx. sequitur Sacerdotes esse propriè dictos Judices, sequi eosdem esse Reges ac Monarchas. Siquidem confessa peccata remittere, vel retinere, (quod est gratia & remissione indigna pronuntiare) non est Judicis propriè dicti, vel Prætoris; sed Principis. Judex enim, quod Lex præscribit, id simpliciter sequitur; & quod peccatum esse constat, in id necessario constitutas à Lege pœnas decernit: crimen verò confessum sonti remittere, supremi Principis est, qui supra leges est constitutus. Jus itaque illud remittendi retinendique peccata Ministris suis à Domino concessum, nihil aliud esse quàm Legatorum, Nunciorum, Præconum, ac denique Caduceatorum nudum jus & officium; quo illi peccatorum, Domini sui sententia decretam, pœnitentibus quidem veniam ac remissionem, incredulis verò & impœnitentibus condemnationem ac pœnam promulgant.

Verùm Catholicarum vim probationum Dallæus non evertit. Legatos enim Christi, dispensatores, œconomos fatemur Sacerdotes: At judices etiam peccatorum in pœnitentiæ foro esse contendimus: non qui suprema auctoritate, sed precaria & à Christo accepta, secundùm ejus legem & verba sententiam ferant. Nec absurdum est quòd se dicant *Servos Fidelium*, quamvis ipsorum constituti sint à Christo judices: quia tota ipsorum auctoritas ministerialis est; & verba Christi penitus defixa habent in animo, dicentis, Matthæi xx. *Principes gentium dominantur eorum: & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Et certè Sanctus Paulus, qui se Fidelium Corinthiorum servum per Jesum, & Christi legatum ac ministrum profitebatur, judiciariam nihilominus auctoritatem sibi convenire vindicat 2. ad Corinthios 13. *Ecce*, inquit, *tertio hoc venio ad vos: in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Prædixi, & prædico ut præsens, & nunc absens, iis qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam.* Et 1. ad Corinthios 5. de Corinthio publici incestus reo scribit: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est*, &c. Quod si nullatenus repugnat ut qui judiciariam in foro externo exercet potestatem, se eorum servum dicat, quorum judex est: cur Dallæus absurdum esse sibi fingat, ut judices sint in foro interiori, seu in foro conscientiæ, qui se Christi Legatos, & Ministros, ac Fidelium servos prædicant?

Nec sequitur Sacerdotes non judices tantùm, sed Reges etiam ac Monarchas esse, si gratiam criminum confessis reis faciant. Qui enim facere gratiam non potest nisi auctoritate sibi à Rege collata, nisi secundùm leges ab ipso latas, nisi mediis ab ipso præscriptis, nisi ejus nomine ac sigillo munitam & obsignatam; eum nemo Regem dixerit. Quin autem aliquibus è suis Ministris hanc potestatem conferre possit Princeps, nemo sanæ mentis dubitaverit? At Sacerdotes gratiam non conferunt confessis reis, sive peccata non remittunt, vel retinent, nisi Christi Servatoris auctoritate & nomine, nisi secundùm leges ab ipso latas, nisi per Sacramenta; quibus mediis Christi potestas adstricta non est: Itaque non sequitur, quod ineptè Dallæus colligit, novi Testamenti Sacerdotes, non tantùm Judices, sed Reges esse & Monarchas.

Quod verò cum suis Præceptoribus ac Symmystis non semel Dallæus occinit, potestatem remittendi retinendique peccata à Christo suis Ministris concessam nudum esse jus ac officium Legatorum, Nuntiorum, Præconum, qui peccatorum veniam ac remissionem pœnitentibus annuntient, falsum esse, & verba ipsa Christi, & veteris Ecclesiæ doctrina, quam Patres ab Apostolis ad sua tempora transmissam scriptis consignarunt, invictissimè probant. Christus enimverò non dixit Apostolis, Quorum remissa nuntiaveritis & promulgaveritis peccata, remissa jam ipsis erant: Sed, *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Porro nec apparitor, vel accensus, qui sententiam judicis promulgat, dicitur damnare reum, aut insontem absolvere; nec Præco, Nuntius, vel Caduceator, qui gratiam à Rege factam annuntiat, dicitur gratiam impartiri.

Deinde antiqui Patres Apostolicæ Doctrinæ & Traditionis testes locupletissimi, judiciariam potestatem laudatis Christi apud Matthæum & Joannem verbis, primùm promissam, demùm collatam asserunt Sacerdotibus, qua remittere, vel retinere peccata possint Domini auctoritate, ut ejus Ministri. Sic Sanctus Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, cap. 5. *Etenim*, inquit, *qui terram incolunt atque in ea versantur, iis commissum est ut ea quæ in cælis sunt dispensent: iis datum est ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est, Quæcumque alligaveritis in terra, erunt alligata & in cælo: & quæcumque solveritis in terra, erunt soluta & in cælo.* At quis inficietur Angelos velut Dei Legatos, Nuntios ac Præcones, annuntiare posse criminum veniam credentibus & pœnitentibus? Cùm itaque his verbis: *Quæcumque alligaveritis, quæcumque solveritis*, &c. Potestatem à Christo collatam esse majorem Sacerdotibus, quàm Angelis, sanctus Chrysostomus asserat, argumento est illam

 solvendi,

solvendi, ligandique potestatem in eo tantùm positam non esse ut veniam peccatorum pœnitentibus, eorumdem retentionem impœnitentibus annuntient.

Pergit S. Chrysostomus : *Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verùm corporum solum. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos usque pervadit : usque adeo ut quæcumque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem illis à Deo concessam? Quorumcunque enim, ait, peccata remiseritis, remittuntur eis, & quorumcunque retinueritis, retenta sunt. Quænam obsecro, potestas hâc unâ major esse queat?* Componit S. Chrysostomus potestatem injiciendi vinculum animabus, vel illud solvendi, quæ Sacerdotibus à Christo collata est, cum potestate Principum, qua vinculis & carceribus corpora subditorum coërcere possunt & constringere. At Principes eatenus tantùm habere potestatem coërcendi vinculis & carceribus subditos, quatenus promulgare possunt eos vinculis & carcere dignos esse; vel eos è vinculis solvere quia vinculis solutos annuntiant, nemo compos mentis dixerit : igitur neque ligandi & solvendi potestas, quam Christus Sacerdotibus concessit, in eo solùm versatur ut veniam à Christo concessam, vel negatam annuntient. Deinde Præconis sententiam Princeps confirmare non dicitur : Judicis autem à se constituti, & suo nomine judicantis rectè dicimus eum ratam habere sententiam. Cùm itaque Sacerdotum sententiam Dominus confirmet, ex Sancto Chrysostomo, sequitur eorum munus esse veri judicis, non præconis duntaxat, aut nuntii. Tertiò, si præconum instar ac nuntiorum, veniam pœnitentibus concessam solùm annuntiarent ac promulgarent, potestas hoc in genere major esse posset. Nullam autem majorem esse affirmat Sanctus Chrysostomus. Sacerdotum itaque munus Christi verbis expressum, *Quorum remiseritis peccata* &c. non est nudum Præconis, Nuntii, vel Caduceatoris officium, sed Judicis.

Addit S. Chrysostomus : *Pater omne judicium Filio dedit : cæterùm video ipsum omne judicium à Deo Filio illis traditum. Nam quasi jam in cælum translati, ac supra humanam naturam positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt.* Filius omne judicium in remissione & retentione peccatorum Sacerdotibus dedit, quod ipse accepit à Patre, ex Sancto Chrysostomo: atqui potestas quam Pater dedit Filio in remissione & retentione peccatorum non est nudum jus & officium præconis, qui remissa, vel retenta in cœlis à Patre peccata promulget; sed judiciaria potestas est, qua verè & propriè remittantur, vel retineantur. Itaque potestas quam Filius Sacerdotibus in remittendorum vel retinendorum peccatorum negotio contulit, non est nudum jus & officium Præconis, vel Nuntii, sed Judicis.

Id sequentia Sancti Chrysostomi verba luculentiùs demonstrant. *Quid multa? Rex aliquis, si cui ex subditis suis hunc honorem detulerit, ut potestatem habeat quoscumque velit in carcerem conjiciendi, eosdemque rursus laxandi, beatus ille & admirandus judicio omnium fuerit : at verò qui à Deo tantò majorem accepit potestatem, quanto cælum terra pretiosius est, quanto etiam animæ corporibus præstant, hic vilem eo usque dignitatem accepisse nonnullis videri debet, ut vel in illorum cogitationem descendere queat, reperiri posse quandoque unum aliquem ex eorum numero, quibus tanta illa fuerint à Deo concredita : cui ipsi munus suum sordescat, quique do-*A *num sibi à Deo datum despiciat.* Tantam, ex Sancto Chrysostomo, potestatem Christus Sacerdotibus contulit in animas Evangelicis verbis suprà laudatis, quantam Rex in subditorum corpora conferret illi, cui jus tribueret in carcerem detrudendi, vel ex eo solvendi quos pœnâ dignos esse judicaret, vel gratâ : Sed ille jus tantum præconis vel nuntii non haberet, sed verè propriéque dicti judicis : Potestas igitur quam à Christo collatam habent Sacerdotes in remittendorum, vel retinendorum negotio peccatorum, judiciaria est, non præconum dumtaxat vel nuntiorum.

Addit Sanctus Chrysostomus inferiùs : *Corporis* B *lepram purgare, seu ut veriùs dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat. At verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* Quæ verba non ad Baptismum tantùm, de quo mentionem proximè fecit, sed ad Pœnitentiam quoque referuntur, cujus in administratione Sacerdotes Evangelici à Leviticis etiam differunt in eo quòd spiritalem peccatorum lepram non purgatam probent duntaxat, sed purgent penitus & abstergant. Alioqui discrimen à Sancto Chrysostomo institutum generale non esset, nec indefinitè ab ipso C fuisset expressum. Igitur Sacerdotum Evangelicorum potestas in Pœnitentiæ negotio non est nudum annuntiandi aut promulgandi spiritalis lepræ, id est, peccatorum curationem & purgationem, sed auctoritas ipsam purgandi & curandi, Christi, cujus Ministri sunt, nomine & virtute.

Eandem tradit doctrinam sanctus Ambrosius lib. 1. De Pœnitentia, cap. 2. Novatianorum responsiones refellens : *Sed aiunt*, inquit, *se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imò nulli majorem injuriam faciunt, quàm ei cujus volunt mandata rescindere,* D *commissum munus refundere. Nam cùm ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus : Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum detinueritis, detenta sunt; quis est qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alliget, & relaxet. Hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non resolvat, non vult solvere quod ligavit : in quo se suâ damnat sententiâ. Dominus enim par jus & solvendi esse voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Ergo qui solven-* E *di jus non habet, nec ligandi habet. Sicut enim secundùm Dominicam sententiam; qui ligandi jus habet, & solvendi habet; ista istorum assertio seipsam strangulat, ut quia solvendi sibi jus negant, negare debeant & ligandi. Quomodo igitur potest alterum licere, alterum non licere? Quibus datum utrumque est, licere; at quibus non datum, utrumque non licere. Certum est Ecclesiæ utrumque licere, hæresi utrumque non licere. Jus enim hoc solis permissum Sacerdotibus est. Rectè igitur hoc Ecclesia vendicat, quæ veros Sacerdotes habet : Hæresis vendicare non potest, quæ veros Sacerdotes non habet. Non vendi-* F *cando autem ipsa de se pronuntiat, quòd cùm Sacerdotes non habeat, jus sibi vendicare non debeat Sacerdotale . . . Specta etiam illud, quoniam qui Spiritum sanctum accipit, & solvendi peccati potestatem, & ligandi accipit. Sic enim scriptum est : Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur : & quorum detinueritis, detenta erunt. Ergo qui solvere non potest peccatum, non habet Spiritum sanctum. Munus Spiritus sancti est officium Sacerdotis : jus autem Spiritus sancti in solvendis ligandisque criminibus est. Quomodo igitur munus ejus vendicant, de cujus diffidunt jure & potestate?*

Novatiani

Novatiani tam hebetes non erant ut soli Domino jus annuntiandi remissionem peccatorum servarent, illudque negarent Ecclesiæ, & Sacerdotibus. Cùm enim prædicandi munus Evangelii ipsis non eriperent, nec ipsis eripiebant jus & officium annuntiandi veniam peccatorum credentibus & pœnitentibus, vel eorum retentionem impœnitentibus & incredulis. Potestatem itaque Judiciariam Ecclesiæ negabant, qua solvere & ligare, dimittere, vel retinere peccata possit ex Christi concessione & munere. Potestatem illam ex ipsismet locis Evangelicis, quæ adversùs Dallæum & ejus Symmistas urgemus, Sanctus Ambrosius solis à Christo Sacerdotibus permissam probat. Igitur Judiciariam in Pœnitentiæ foro potestatem Sacerdotibus, & quidem solis convenire propugnat ex institutione Christi. Cùm igitur Calvinistæ Sacerdotes veros non habeant, qui scilicet nullum plebem inter & Sacerdotes esse volunt jure divino discrimen: Nemo est in eorum conventiculis, Ambrosio judice, qui peccata remittere, vel retinere possit.

Sanctus Hieronymus in Epistola 1. *De laude vitæ solitariæ* ad Heliodorum, de Sacerdotibus ita loquitur: *Absit ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt; per quos & nos Christiani sumus: qui claves Regni cælorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant.* Jus triplex ac officium, seu triplicem potestatem in Sacerdotibus Sanctus Hieronymus agnoscit, quæ venerationem ipsis conciliare debeat maximam; primò conficiendi Corporis Christi, seu consecrandæ Eucharistiæ: secundò parturiendi Christianos per Baptismum: Tertiò reconciliandorum Deo qui post baptismum peccaverunt, quod ad potestatem clavium, & forum Pœnitentiæ pertinet. Hanc porro potestatem judiciariam esse docet Sanctus Hieronymus: siquidem ait, *Sacerdotes quodammodo ante judicii diem judicare.*

Sanctus Augustinus lib. xx. de Civitate Dei, cap. 9. exponens visionem S. Joannis, Apocalypsis 20. *Et vidi sedes, & sedentes super eas, & Judicium datum est*: Judicium illud Ecclesiæ Præpositis in administratione Pœnitentiæ commissum interpretatur. *Non hoc putandum est*, inquit, *de ultimo judicio dici, sed sedes Præpositorum, & ipsi Præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Judicium autem datum, nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum est: Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cælo: & quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælo. Unde Apostolus: Quid enim mihi est, inquit, de his qui foris sunt judicare? Nonne de his qui intus sunt vos judicatis?* Judiciariam itaque potestatem Sanctus Augustinus in Ecclesiæ Præpositis, id est, in Episcopis & Sacerdotibus agnoscit, quam exercent in eos qui sunt intus Ecclesiam, id est, in baptizatos, ligando eos, & solvendo: hæc autem potestas ad remissionem peccatorum quæ fit in Baptismo non pertinet: Spectat igitur ad Pœnitentiæ administrationem. Igitur ligandi & solvendi potestas, quæ Sacerdotibus in Pœnitentiæ negotio à Christo concessa est, non est Præconis tantum aut Nuntii, sed Judicis.

Sanctus Gregorius Magnus Homilia 26. in Evangelia, laudata Christi (Joannis 20.) verba exponens, eamdem doctrinam disertissimè tradit. *Libet intueri*, inquit, *illi Discipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sint perducti. Ecce non solum de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienæ obligationis potestatem relaxationis accipiunt: Principatumque superni judicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent... Ecce qui districtum Dei judicium metuunt, animarum judices fiunt: & alios damnant vel liberant, qui semetipsos damnari metuebant. Horum profectò nunc in Ecclesia locum Episcopi tenent. Ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur* &c. Rogo te, sortiuntur ne Judicii Principatum Nuntii, vel Præcones, qui veniam à Principe concessam reis annuntiant? An vice Regis Judices fiunt, & alios damnant, alios liberant Caduceatores vel Accensi? An gradum regiminis in Republica sortiuntur? Quàm absurdè loquatur qui id dixerit, nemo rationis compos non videt. Cùm itaque Episcopi gradum Apostolici regiminis in Ecclesia teneant; cùm Principatum superni Judicii sortiantur; cùm vice Dei quibusdam peccata retineant, vel relaxent, Judiciariam habent in remissione vel retentione peccatorum Potestatem.

Ex his elucescit quàm rectè Concilium Tridentinum docuerit Sessione xiv. cap. v. *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post baptismum Lapsis jure divino necessariam existere, quia Dominus noster Jesus Christus, è terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam Præsides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi Fideles ceciderint, quò pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim Sacerdotes judicium hoc incogniti à causâ exercere non potuisse; neque æquitatem quidem in pœnis injungendis illos servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.*

Et Cap. 1. factum & verba Christi Joannis xx. expendens, ait: *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos Fideles post baptismum Lapsos, Apostolis, & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit... Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem falsò detorquent.*

Respondet secundò Dallæus, Falsum esse quòd Christi Ministri non aliter eos, qui se adeunt, Fideles à peccatis absolvere possint, nisi ea peccata quæ, qualiaque sint, & eorum circumstantias, in specie ac sigillatim pernoscant. At id quidem, inquit, ex hoc loco, Joannis xx. minimè haberi, vel inde patet, quòd Ministri remissionem peccatorum iis, quos baptizant, validè conferant, etiamsi quæ in specie fuerint eorum, quos baptizant, peccata, nesciant. Jam verò Christum hoc loco eam remissionem etiam complecti, quæ per baptismum datur, & res ipsa clamat, cùm Dominus in genere, ac universaliter de omni peccatorum remissione per Apostolos conferenda loquatur: *Quorum*, inquit, *remiseritis peccata, remittuntur eis.* Hujus interpretationis Auctores Dallæus laudat Jansenium Gandavensem Episcopum, & Joannem Ferum in Joannis Cap. xx. Laudare potuisset Sanctum Cyrillum Alexandrinum, à quo hanc illi expositionem acceperunt, lib. xii. in Joannem, ubi ait: *Remittunt porro peccata, vel retinent Spiritu afflati homines duobus, ut arbitror, modis: vel enim dignos ad baptismum vocant, vita nimirum gravitate & constantia Fidei jam probatos homines; vel prohibent & à gratia divina arcent eos qui nondum digni sunt. Vel alio quodam modo peccata remittunt ac retinent, nempe cùm filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, vel pœ-*

nitentibus

nitentibus ignoscunt. Ergo, inquit Dallæus, cùm hæc quæ a baptizantibus confertur peccatorum remissio, nullam exigat singulorum, quæ à baptizando admissa sunt, peccatorum propriam ac distinctam in specie cognitionem; nemo non videt quàm imperitè agant adversarii, qui ex his Christi verbis hujusmodi peccatorum cognitionem ad ea retinenda esse necessariam argumentantur.

At hæc Dallæi Responsio nullius est roboris, neque vim Catholicæ probationis elevat. Licèt enim remittendorum potestatem peccatorum sibi à Christo collatam, in Baptismi administratione etiam exerceant Sacerdotes: retinendorum tamen auctoritatem non exercent nisi in administratione Pœnitentiæ. Peccata namque retinere, non est solùm annuntiare alicui quòd Baptismo, aut Eucharistia sit indignus: quod Christiani quilibet, ac quævis muliercula fidelis annuntiare potest iis qui vel increduli, vel impœnitentes fuerint, Evangelii verba ipsis recitando: sed est à Sacramentis arcere eos qui jam Christo nomen dederunt, & Ecclesiæ sunt subditi. Hæc autem Ecclesiasticæ auctoritatis & judicii actio est. In eos porrò *Qui foris sunt*, id est, in infideles auctoritatem non exercet ullam Ecclesia, nec de iis ullatenus judicat, (secundùm Apostolum) Cùm itaque Apostoli credentium in Christum neminem, sive ab idololatria, sive à Judaismo conversum, à baptismo arcerent, (ut ex Actibus Apostolorum constat) retinendorum jus peccatorum sibi à Christo collatum, in baptismo non exercebant. Cùm itaque Christus potestatem non contulerit Apostolis quæ inanis esset ac otiosa, sequitur potestate illa remittendorum ac retinendorum peccatorum illos, ipsorumque Successores in Pœnitentia dumtaxat fungi. Unde fit necessariam esse pœnitentium Confessionem, qua peccata omnia mortalia sigillatim aperiant Sacerdotibus, ut pernoscant accuratè quæ remittenda sint, quæ retinenda: ne imprudenter & temerariè remittant, vel retineant: non autem esse necessariam ante baptismum, in quo nihil retinetur, in quo nemo ligatur.

Præterea, quæro à Dallæo, quomodo Apostoli à baptismi gratia aliquos repellere possent? An propter idololatriam? Sed nuntium idololatriæ, & omnibus impii cultus appendicibus remittebant hoc ipso quòd baptismum postularent, & credere se in unum Deum & Christum Jesum profiterentur: (ludicra enim Dallæi hypothesis est, qua aliqui finguntur amplecti voluisse Christum, & in idololatria nihilominus perseverare) An propter alia scelera quæ detestari ac deserere nollent? Si ita se rem habuisse dixeris, rogo te, Dallæe, quomodo peccata illa cognoverunt Apostoli? Si Confessione Pœnitentium: contra te habemus multò plus quàm contendimus, non solùm scilicet Confessionem peccatorum præmittendam fuisse eorum remissioni vel retentioni in Pœnitentia, verùm etiam in Baptismo.

Tertiò: Retinere peccata, non est idem ac non remittere, vel remissione indigna denuntiare; sed idem est ac ligare peccatorem; ut constat ex collatione verborum Christi Joannis xx. quibus divinam hancce potestatem tribuit Apostolis, cùm ejusdem Servatoris verbis Matthæi 18. quibus hanc ipsis promisit. Explicare porro adversarii non possunt quomodo ligentur baptizandi: rectè verò exponimus quomodo ligentur peccatores in pœnitentia. Ligantur enim, cùm ipsis suspenditur absolutio, & interim laboriosa satisfactionis opera ipsis imponuntur: ligantur, cum prohibetur ipsis à Sacerdote Eucharistiæ sumptio, vel etiam Ecclesiæ aditus: quod citra excommunicationis inflictionem fieri potest, ut ex animadversione Sancti Ambrosii erga Theodosium Imperatorem ob cædem Thessalonicensem constat: Theodosium non excommunicavit Ambrosius, ut ostendimus in Historia 4. Sæculi, ex Theodoreto, Sozomeno, Paulino in Vita Ambrosii, & Ambrosio ipso in Oratione de obitu Theodosii. Ipsum tamen Ecclesiæ ingressu prohibuit, & addixit pœnitentiæ qua octo mensibus functus est in Palatio, dicens: *Vinculum admitte, quo te ligari Deus Dominus omnium sursum probat. Medicinam id faciet, sanitatemque restituet.* Octo mensibus elapsis, die sacro Natalis Christi ad Ambrosium in Templo residentem se contulit Imperator dicens: *Minimè contra leges latas mihi arrogo, nec sacra vestibula per nefas ingredi cupio, sed ut vincula mea solvas, oro.* Ligantur denique Pœnitentes, cum etiam absolutione ipsis data, illis accessu Mensam ad Dominicam interdicitur ad certum tempus, ut operibus satisfactoriis vitiosos habitus & cupiditates debilitent, divinamque sibi concilient clementiam. Quæ Sacerdotum prohibitiones, vel præcepta, Pœnitentes ligant, id est, obligant, adeo ut novi rei sint criminis, si illa violaverint. Hæc itaque Christi verba, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, non pertinent ad Baptismum, sed ad Pœnitentiam: adeoque perperam inferunt Heterodoxi non esse necessariam omnium peccatorum mortalium Confessionem sigillatim Sacerdoti factam, in Pœnitentia, quia necessaria non est in Baptismo: cùm baptismus sit spiritalis regeneratio, quæ accuratam illam criminum, ejus qui baptizatur, cognitionem non exigit: Absolutio verò Sacerdotis sit Judicium, quod illam postulat. Sanctum ergo Cyrillum Alexandrinum, & qui illum secuti sunt, Jansenium Gandavensem & Joannem Ferum, hæc verba Christi, *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, ad baptismi etiam administrationem referentes, deserimus, ut alios Patres, qui de Pœnitentiæ solius administratione hanc potestatem exponunt, sequamur.

Denique eorumdem retineri posse peccata, quorum possunt remitti; eosdem ligari posse, qui solvi possunt, ex Christi verbis compertum est. At infantibus in Baptismo remittitur peccatum, quod retineri non potest: solvuntur ipsi vinculis diaboli; nec ligari ab Ecclesiæ Ministris possunt. Ad Baptismum itaque non pertinent hæc verba Christi: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. & quorum retinueritis retenta sunt.*

Respondet tertiò Dallæus, Romanæ Communionis Theologos, venialia, (ut vocant) delicta, quorum alioqui rectè & utiliter remissionem à Sacerdotibus expeti statuunt, docere tamen à Deo ipso sine Sacerdotum ministerio, Pœnitentibus remitti; neque adeo Sacerdotibus esse necessariò confitenda urgere. Ergo, inquit, ut quod etiam de ipsis venialibus judicandi jus Sacerdotibus à Deo commissum esse volunt, ex ipsorum sententia non eam vim habet ut peccantes eorum, quæ in hoc genere admiserunt, veniam à Sacerdote necessariò expetere debeant, cùm eam etiam aliter ab ipso Domino humili oratione impetrare possint; sed eò tantùm valet ut si qui Sacerdotis sententiam in hoc genere expetant, ipsi facultas sit ex munere cœlitus dato eos absolvendi: ita (inquit Dallæus) in mortalibus quoque delictis rem se habere responderem, si Sacerdotibus commissum fuisse de his judicium concederem. Nimirum qualecunque sit hoc munus, eò quidem valere ut sacerdoti fas sit peccatorem se convenientem, ac suam sententiam expetentem, absolvere; hocque ejus judicium ratum sit; non tamen ut quemquam se adire, suamque auctoritatem adhibere cogat, quasi aliter, nisi de eo ipse pronuntiaverit, salvus esse non queat; quasique Deus non, ut venialia, sic quoque mortalia pœnitentes,

tenti, ac precanti, per se condonare possit.

Verùm hujus responsionis inanitas facilè ostenditur. Inprimis veniale peccatum apud adversarios nullum est. Ex Principiis itaque nostris respondent. Quamobrem satis erit ad eorum evertendam responsionem, si paritatem negemus, & discriminis rationem secundùm eadem Principia statuamus. Dico itaque, Mortalia dumtaxat, non verò venialia peccata esse ad Sacerdotum tribunal necessariò deferenda: quia ex Christi Domini verbis Matthæi 16. & 18. quibus Claves Regni Cælorum Petro, & in Petro Ecclesiæ ac ejus Ministris traduntur, ipsisque promittuntur solvenda fore in cælo, quæcunque in terris solverint, & in cælo pariter liganda, quæcunque in terris ipsi ligaverint, colligitur peccata solùm illa esse necessariò subjicienda Ecclesiæ clavibus, & Sacerdoti aperienda qui peccatorem solvat aut liget, quæ Regnum Cælorum claudunt, Ecclesiæ clavibus aperiendum: id autem sola præstant peccata mortalia, de quibus Apostolus ait: *Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.* Venialia autem cùm gratiam & charitatem non extinguant, sed imminuant solùm ejus fervorem, à Regni Cælestis aditu non arcent omnino peccatores, sed nonnihil dumtaxat ab ejus consecutione remorantur, donec peccata illa vel hîc, vel in Purgatorio expiaverint. Unde non sunt necessariò subjicienda clavibus Ecclesiæ, & sigillatim confitenda Sacerdoti.

His addendum, Alia remedia esse à Christo præscripta venialium ad remissionem peccatorum, non autem ad mortalium veniam obtinendam. Expungi venialia possunt Oratione Dominica, eleemosynis, aliisque misericordiæ operibus; sed mortalia absque clavibus Ecclesiæ, id est, absque ministerio Sacerdotum remitti non possunt secundùm ordinem à Christo institutum: unde ipsos adire necesse est, & coram ipsorum tribunali sisti illos qui post baptismum hujusmodi peccata admiserint. Hoc discrimen cùm Sancti Patres, ac præsertim S. Augustinus multoties statuunt & inculcent: illud tamen præcipuè adstruit egregius ille Doctor libro *De Fide & Operibus*, cap. ultimo, ubi peccata tres in gradus distinguit, deinde unicuique gradui proprium assignat remedium. *Nisi*, inquit, *essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus, Congregatis vobis & meo spiritu tradere ejusmodi hominem satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu. Unde etiam dicit, Ne lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiam & fornicationem quam gesserunt.* Quibus verbis gravissima quædam crimina esse significat, quæ publicâ Pœnitentiâ castigentur. Deinde alia peccata esse docet, quæ ejusmodi Pœnitentia curanda non sint, sed alio, quod mox ipse tradit remedio. *Item*, inquit, *nisi essent quædam non ea humilitate Pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur iis, qui propriè Pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus: Corripe eum inter te & ipsum solum, & si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Alia igitur peccata mortalia, non Pœnitentia illa publicâ & luctuosâ, sed privatis correptionum medicamentis curantur, quæ scilicet à Sacerdote fiunt, cùm apud ipsum Pœnitens peccata deponit. Nam peccata venialia Orationis Dominicæ recitatione, vel aliis bonis operibus curari Sanctus Augustinus, & hic, & alibi passim asserit. *Postremo, nisi essent quædam, sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in Oratione quam docuit ut dicamus: Dimitte nobis debita nostra* &c.

Respondet quartò Dallæus, Ex luculentis Scripturæ sacræ testimoniis & Christi verbis non confici, Sacerdotes ita fuisse peccatorum post baptismum delinquentium judices à Christo constitutos, ut nemini post baptismum lapso venia peccati indulgeatur, nisi qui Sacerdotis sententiâ propriè ac sigillatim absolutus fuerit. Non enim, inquit, ex eo quòd quis judex à Rege in Republica constitutus est, sequitur nemini peccantium delictum remitti, nisi qui ab ipso illo judice fuerit absolutus. Ad Regis enim ipsius clementiam rectà confugere potest. Sic Deus, qui unus est Ecclesiæ Rex, ita Ministris sui hoc de peccatoribus judicium commisit, ut iis qui peccarunt, Deum ipsum cujus res agitur, adire, & ab eo veniam delictorum impetrare per pœnitentiam & deprecationem liceat.

Sed & ista Dallæi responsio futilis est. Quæ enim Christus media esse statuit ad salutem necessaria, ea ita instituit, ut qui ipsa negligerent, salutem non consequerentur; quamvis extra ordinem absque illis mediis salvari possent; quibus nimirum divina beneficentia & misericordia non est alligata. Id baptismi exemplum satis probat. Atqui Christus remissionem peccatorum admissorum post baptisma, dari per Sacerdotes instituit, quos in foro Pœnitentiæ judicum honore & potestate donare dignatus est; illamque remissionem & absolutionem Sacerdotum voluit esse medium quo homines in mortalia peccata post baptismum lapsi in gratiam divinam restituerentur, & jus ad vitam æternam reciperent. Cùm igitur hæc remissio & absolutio Confessionis necessitatem involvat, (ut probavimus) sequitur veniam peccatorum, secundùm ordinem à Christo constitutum non indulgeri, nisi iis qui Sacerdotes adierint, & sua apud ipsos peccata deposuerint: quamvis Christus, qui huic non est adstrictus ordini, absque ministerio Sacerdotum, & absque Confessione peccata remittere possit.

Christus itaque his verbis, *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* &, *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis* &c. non solùm potestatem absolvendi Apostolis, & eorum Successoribus tradidit, sed etiam præceptum confitendi peccata apud eosdem Christianis omnibus imposuit. Eum enim sensum laudata Servatoris verba præseferunt, non solùm fore ut quicquid Apostoli, & eorum in Ecclesiæ Ministerio Successores in terra solverint, solvendum ab ipso sit & in cælo; sed præterea significant nihil à Christo solvendum, aut ligandum in cælo, nisi quod ipsi in terra solverint aut ligaverint. Potestatem enim suam cum ipsis communicavit, ut Ecclesiam vice sua gubernarent. Unde voluit ut quicunque peccatorum solutione indigerent, Apostolos, vel eorum Successores adirent, & ab illis, peccata confessi, rogarent solutionem. Quemadmodum ergo si quis Princeps Proregem, aut Gubernatorem in longinquam Provinciam mittens, illi diceret, Acceptum & ratum habebo quicquid egeris, eo ipso præceptum illius Provinciæ hominibus imponere censeretur, ut suas ad illum lites causasque universas deferrent, non quòd se potestate sua spoliaret, quo minùs posset & ipse causas cognoscere, & gratiam facere cùm vellet: sed quòd ordinariæ potestatis usum & functionem in Proregem transtulisset, extraordinariæ sibi reservasset. Sic intelligo Christum ordinariam suam potestatem in Apostolos transtulisse, extraordinariam sibi reservasse. Ordinaria namque remedia in Ecclesia ad remissionem peccatorum ab eo instituta, Sacramenta sunt sine quibus homines peccata non possunt remittere: Christus potest, sed extra ordinem à se constitutum cùm agit; quod multò facit infrequentiùs quàm per Sacramenta. Noluit igitur homines extraordinariis remediis con-

fidere ad remissionem peccatorum obtinendam, quia hæc & rata sunt, & incerta: sed ordinaria, & (ut ita dicam) visibilia Sacramentorum quærere jussit remedia. Quare sicut Baptismi, ita Pœnitentiæ & Confessionis præceptum imposuit.

---

§. II.

DALLÆI objectionibus ex Scriptura Sacra petitis respondetur.

OBjicit aliqua Dallæus ex divinis literis contra arcanam Confessionem libro 2. Primùm quòd neque Sanctus Paulus, neque cæteri Apostoli, quemquam Fidelium ad Confessionem peccatorum apud se edendam compulerint, vel cujusquam Confessionem in arcano audiverint ipsi, aut denique Ministris præcepisse uspiam reperiantur ut exigerent & audirent, cùm de eorum munere atque officiis egerunt, ut ex Actis, & Epistolis Apostolorum constat. Quid porro caussæ est cur Paulus, qui sapientissimus fuit, cùm tam multis locis, præsertim verò in Epistolis ad Timotheum & ad Titum, disertè ac ex professo Ministrum Evangelii instruit, ac effingit, omniaque ferè ejus commemorat, hoc tantum scilicet, tamque necessarium Confessiones exigendi & audiendi officium constanter ubique prætermittit, nisi quia istud penitus nescivit?

Id confirmat Dallæus, ex eo quòd Sanctus Paulus 1. ad Corinthios 11. cap. ubi de indignè sumentibus Eucharistiam graviter conqueritur, testatur qui panem, vel calicem illum indignè sumit, eum judicium sibi ipsi manducare & bibere; & apud istos quòd hæc negligerentur, multos ait esse infirmos, & imbecilles, & dormire multos. Quis non videt, inquit, in tali loco Paulum, si Confessionarium adversariorum Mysterium cognitum habuisset, omnino præcepturum fuisse ut isti eo se diligenter munirent ac præpararent, antequam ad Domini Mensam accederent? Nihil autem dixit hujusmodi. Contra verò, id ibi præcepit, quod omnem confessionariæ religionis necessitatem evertat. *Probet*, inquit, *seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat*. Quibus verbis unicuique Fidelium, post probationem sui, Dominici Panis Calicisque sumendi facit potestatem: nullam apud alios Confessionem, nihil denique inter duos illos actus medium interponit. Probationis officium, non alii, quod necesse erat, si hodiernum Confessionis arcanum scivisset, sed ipsi communicaturo demandat Apostolus: *Probet*, inquit, *seipsum homo.*

Respondeo, Nullis negantium argumentorum machinis positivas probationes everti aut concuti posse. Cùm igitur ex Christi verbis probatum habeamus Confessionem ab ipso esse institutam, ac proinde jure divino necessariam, inanes sunt Dallæi objectiones, ex Apostolorum silentio petitæ. Quæ enimverò colligendi ratio? Apostoli Confessiones audivisse non leguntur, aut eas à Fidelibus exegisse: ergo nusquam audiverunt, vel exegerunt. Quasi quæ ab Apostolis gesta sunt universa, scriptis commendata essent. Quantò nos æquiùs colligimus se veriùs? Id à Fidelibus exegerunt Apostoli, quod à Christo institutum ac præceptum est: sed Confessio mortalium peccatorum post baptisma commissorum à Christo instituta & præcepta est: illam itaque exegerunt Apostoli. Minorem ex Christi verbis cùm jam probaverimus, necesse non est ut ejus probationes ex Apostolorum Actis & Epistolis proferamus. Satis est quòd Fideles ad Pœnitentiam sint adhortati, ut eos ad Confessionem peccatorum apud Sacerdotes edendam invitasse supponantur: cùm Pœnitentiæ Sacramentum sic à Christo institutum sit, ut Confessione peccatoris, & Absolutione Sacerdotis necessariò constet. Denique non mirum quòd S. Paulus qui non venerat baptizare, sed Evangelizare, & qui (ut ipse testatur) neminem baptizavit præter Stephanæ domum, & Crispum, & Caium, Confessiones Fidelium paucissimas exceperit, nullasque à se exceptas commemoraverit.

Præterea, Dallæus ex Doctore suo Calvino lib. 3. Institutionum cap. 4. §. 12. asserit utilissimum esse, cum quis conscientiæ æstus patitur, ut Pastorem suum adeat, & privatam ad se sublevandum Confessionem apud eum edat. Verùm ejusmodi Confessionem liberam esse, nec esse cogendos, qui ea utuntur, ad enumeranda omnia peccata. Hâc verò positâ doctrinâ, quam omnes Sectæ Calvinianæ Theologi (ut Dallæus ait) admittunt, sic ejus objectionem contra ipsum retorqueo. Apostolus Actorum 20. ab Ephesiorum Presbyteris digressurus, ait se *Nihil subtraxisse utilium, quo minùs annuntiaret ipsis; docuisse publicè ac per domos, se non subterfugisse quo minùs omne consilium Dei annuntiaret eis.* De Confessionis apud Ecclesiæ Ministros consilio ne verbum quidem habet, uti nec in Epistolis ad Titum, & ad Timotheum. Si autem utilis esset confessio hujusmodi Reformatarum falsi nominis Ecclesiarum, Paulus qui sapientissimus erat, ejus meminisset.

Tertiò, de Baptismo puerorum nihil habetur vel in Apostolorum Actis, vel in eorum Epistolis: At Baptismum puerorum divini juris esse nihilominus credunt Calvinistæ: Non sequitur ergo Confessionem divino jure non esse institutam, quòd nulla ejus mentio extet vel in Actis, vel in Epistolis Apostolorum.

Ad confirmationem respondeo, in hoc Domini præcepto, quod promulgat Apostolus 1. ad Corinthios 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat*, Mandatum de Confessione Sacramentali præmittenda Communioni Eucharisticæ ab iis qui lethale aliquod peccatum post Baptismum admiserunt, involvi & significari. Sensus enim illorum verborum est: Quisque semetipsum examinet, conscientiam suam exploret, videatque num pura sit peccati, quo Dominicæ Mensæ aditu, & Corporis Sanguinisque Christi participatione fiat indignus. Quòd si aliquo graviore & mortali constrictus sit peccato, conscientiam suam emundet. Hæc autem conscientiæ purgatio fieri debet mediis à Christo Domino institutis: medium illud est Pœnitentiæ Sacramentum, quod ex Salvatoris ejusdem institutione Confessionem complectitur, & quod perficitur Ministerio Sacerdotum. Quamobrem præceptum illud quo seipsum probare jubetur homo quilibet, ut de Pane illo cœlesti edat, & de Calice bibat, necessitatem imponit omnibus, qui mortalis peccati rei sunt, ut Sacerdotes adeant, suaque apud illos peccata deponant; ac tandem ab iis absolvantur.

Hinc sanctus Cyprianus toto libro de Lapsis in eos acerrimè invehitur, qui ad Eucharistiam accedebant, *Ante expiata delicta, ante Exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini & minantis.* Et eos qui sic accedunt, ait *Vim inferre corpori & sanguini Domini.* Fateor itaque probationis officium ab Apostolo solis communicaturis imponi: nam examen conscientiæ suæ peragere illis incumbit, & peccatorum suorum vulneribus curandis congrua remedia quærere, & Medicum adire qui ea pharmaca salutis adhibere possit. At nego curationem lethalium animæ morborum ipsis communicaturis, ex Apostoli sententia, competere. Sic ad ægrum spectat vim morbi,

quo affligitur, fentire, & illum exponere Medico; sed Medici est opportuna adhibere remedia. Hoc exemplum eruitur ex sancti Ambrosii verbis lib. 6. in Lucam cap. 9. ubi ait: *Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus.* Et paulò post: *Ubique Mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur; post alimonia Mensa cælestis exuberet.* Medicus porro cujus Ministerio vulneribus animæ nostræ medicinam Christus adhibet, ac remissionem peccatorum tribuit, est Sacerdos apud quem deponuntur peccata. Meritò itaque Tridentina Synodus illam sui ipsius probationem ab unoquoque faciendam, antequam ad Eucharistiam accedat, de Sacramentalis Confessionis obligatione respectu eorum qui mortalis peccati labe inquinati sunt, exponit Sessione XIII. cap. VII.

Objicit secundò Dallæus, Sacras Litteras passim omni Fideli contrito & verè pœnitenti remissionem peccatorum polliceri absque ulla apud hominem prævia Confessione. Ita apud Isaiam cap. 1. *Si quis se lavet, & mundet, auferatque malum cogitationum suarum ab ipsius oculis, & quiescat agere perversè, & discat benefacere, quærat judicium, subveniat oppresso, jus dicat pupillo, defendat viduam*, pollicetur *peccata ejus, si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lanam alba fore.* Neque aliam Deus Israëlitis legem fert apud Ezechielem Cap. 18. ut veniam admissorum impetrent: *Si impius*, inquit, *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet & non morietur omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor.* Ergo cùm Deus veracissimus sit, et qui hæc præstiterit quæ à Prophetis describuntur, plenam atque absolutam conferet remissionem peccatorum. Certè nostra nunc conditio deterior non est, quàm Judæorum olim erat sub Lege. Atqui deterior erit, si illis quidem sola apud unum Deum peccati Confessio veniam obtinuit, nobis verò idem consequi non licet, nisi homini insuper confessi fuerimus. Huc accedit, quòd cùm veteris fœderis servitus, novi libertas propria sit; omnino perversum ac præposterum est, ut confessionale jugum nobis quidem sub novo imponatur; Judæis verò sub veteri degentibus nullum impositum fuerit.

Id ita confirmat Dallæus ex novo Testamento. Christus in Apocalypsi Ephesios, Sardenses, Pergamenos, Laodicenses, tum Episcopum, tum etiam cæteros Fideles, gravissimorum criminum arguit, neque tamen his, ut admissorum veniam consequantur, & in suam gratiam restituantur, aliud præcipit, nisi hoc unum, ut pœnitentiam agant, planè ut olim sub Veteri Testamento. *Memor esto itaque* (inquit ad Ephesium Angelum, Apocalypsis 2.) *unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Et Apostolus 2. ad Corinthios 12. veteri se ait, *Ne is sibi lugendi sint, qui ante peccavissent, neque pœnitentiam egissent super immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam gesserant*: Unde liquet Apostolo satis futurum fuisse, si ii pœnitentiam peccatorum egissent. Ergo ex his constat non sub Veteri modò, sed etiam sub Novo Testamento, iis Fidelibus paratam esse apud Deum peccatorum remissionem, qui pœnitentiam de iis egerint, etiamsi nulli Sacerdoti ea confiteantur.

Respondeo ad primum, Pœnitentibus quidem Deum Optimum Maximum veniam peccatorum polliceri, sed iis secundùm statutas ab eo leges pœnitentiam agant, & remedia sibi procurent, quæ pro vario generis humani statu ejus providentia variis temporibus alia atque alia præparavit. Alioqui pœnitentia vera & sincera non esset. Sicut ergo in veteri Lege interior mentis conversio non satis erat ad veniam admissorum obtinendam, nisi præscriptis à Lege sacrificiis & purificationibus peccata expiarent: & sicut Judæis qui Christum amplectebantur, non sufficiebat Fides, & animi mutatio ad impetrandam indulgentiam peccatorum post Circumcisionem commissorum, sed necessarius erat Baptismus à Christo in nova Lege ut medium ad salutem institutus; nec tamen divinarum promissionum veritati baptismi necessitas repugnabat; ita in Novo Testamento non sufficit conversio mentis & contritio, sed necesse est ut peccator apud Sacerdotem exomologesim agat, & peccata sua confiteatur, ab eo imposita pœnitentiæ opera suscipiat, atque ab eo absolvatur: quia his omnibus necessariò constat Pœnitentia, quæ Sacramentum est à Christo Domino institutum; ut ex Christi ipsius verbis Matthæi 18. & Joannis 20. probavimus. Quòd si hæc non præstiterit peccator, verè pœnitens & contritus dici non potest, quippe qui secundùm statutas à Christo leges pœnitentiam non agat.

Nec sequitur nostram conditionem deteriorem esse, quàm Judæorum olim erat sub Lege: imò potior est absolutè, siquidem excusso per Christum veterum Sacramentorum, sacrificiorum, cæremoniarum, & observantiarum legalium jugo, *Alia nobis Sacramenta data sunt virtute majora, effectu meliora, actu faciliora, numero pauciora*, ut ait Sanctus Augustinus lib. 9. contra Faustum, cap. 13. Confessionale autem illud jugum (ut vocat Dallæus) cùm à Christo sit impositum, *Cujus jugum suave est & onus leve*, legi libertatis non magis repugnat, quàm præceptum baptismi, & alia Christi mandata, quæ non sunt *Sarcina onerati, sed alæ volaturi*, ut ait alibi sanctus Augustinus: & quæ charitas facillima efficit. Nec verò gravior est Confessio Sacramentalis, imò longè levior ac facilior veterum sacrificiorum apparatu, quæ Lex Mosaica ad expianda peccata præscribebat. Denique cùm non timore pœnæ, sed amore justitiæ; non lege extrinsecùs terrente per literam, sed Spiritu intus sanante per gratiam, homines, quos verè peccatorum pœnitet, ad præceptum Confessionis implendum adducantur, non servi sunt, sed liberi ea libertate qua Christus ipsos donavit. Quidni enim liberi essent, cùm ad illud remedium quærendum obligantur, quo peccati servitute, qua nulla turpior est ac durior, liberantur?

Ex his Novi Testamenti loca facilè solvi possunt, quibus Dallæus objectionem illam confirmat.

Objicit tertiò Dallæus: Fideles singulos Christus jubet peccatorum remissionem à Deo Patre cælesti petere (Matth. 6.) *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Jam idem Christus Fideles, quidquid cum fide & in nomine ipsius à Patre petiverint, accepturos non minùs disertè pronisit: *Amen, Amen, dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis* (Joannis 14.) Ergo peccatorum remissionem Fideles à Deo, quoties petunt, obtinent. Petere autem quotidie atque assiduè, adeòque etiam tum cùm peccata nulli Sacerdoti in aurem revelarunt, Christus præcipit: Ergo & absque præcedente apud Sacerdotem Confessione, remissionem peccatorum à Deo accipiunt Fideles.

Respondeo, Fideles à Deo impetrare quod in Christi nomine petunt, si ea impleant quæ Christus jussit; hoc enim verè est in Christi nomine petere, mandata ejus implere. *Non enim qui dicit ipsi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum, sed qui facit voluntatem ejus.* Et, ut sanctus Augustinus ait, *Non petitur in nomine Salvatoris, quicquid petitur contra rationem salutis.* Qui autem rogat remissionem peccatorum, nec mediis à Christo institutis vult uti ad eam consequendam, is profectò

petit aliquid contra ordinem & rationem salutis. Sicut ergo qui vitam æternam in Christi nomine assiduè petit, eam tamen non consequetur si nusquam ejus Carnem manducare & ejus bibere Sanguinem in Eucharistia voluerit; quia hoc medium ad vitam æternam obtinendam Christus Dominus instituit: ita nusquam Fideles remissionem peccatorum impetrabunt, quantumvis assiduis & ferventibus precibus pro ea supplicent, si peccata illa mortalia sint, si eorum confessionem edere nolint apud Sacerdotem; quia Christus confessionem illam medium esse voluit ad mortalium peccatorum remissionem consequendam necessarium; ita ut in cœlo B non solvantur, nisi quæ in terris solverint Sacerdotes.

Præterea, licèt non venialia tantùm nobis condonari delicta in Dominica Oratione petamus, sed mortalia etiam nobis remitti precemur; ad posteriora tamen expungenda oratio sola non sufficit. Id sancti Augustini Ecclesiæ doctrinam Cathecumenis exponentis testimonio probatur, lib. de Symbolo, cap. 7. dicentis: *Propter omnia peccata baptismus inventus est: propter levia sine quibus esse non possumus, oratio inventa. Quid habet oratio? Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus* C *debitoribus nostris. Semel abluimur Baptismate: quotidie abluimur Oratione. Sed nolite illa committere, pro quibus necesse est ut à Christi corpore separemini, quod absit à vobis. Illi enim quos videtis agere Pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania, inde agunt Pœnitentiam. Nam si levia peccata ipsorum essent, ad hæc quotidiana Oratio delenda sufficeret.* Non sufficit itaque Oratio quotidiana ad expungenda peccata gravia, id est, mortalia. Pergit Augustinus cap 8. *Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia, in Baptismate, in Oratione, in humilitate* D *majoris Pœnitentiæ.* Cùm itaque mortalia peccata post Baptismum admissa non ampliùs Baptismo deleantur, neque Oratione Dominica, quæ leviorum dumtaxat remedium est; sequitur ipsa Ecclesiæ clavibus subjicienda fuisse, & Sacerdoti aperienda per Confessionem, ad eorum veniam obtinendam.

Objicit quartò Dallæus, Orationis Dominicæ verbis significari, *Deum peccata nobis sic dimittere, ut nos debitoribus nostris dimittimus.* Et Paulus idem docet, ad Ephesios 4. cùm jubet *Nos invicem benignos, & misericordes esse, donantes invicem, sicut* E *& Deus in Christo donavit nobis.* Atqui nos iis qui nos læserunt, aut in nos aliquid peccarunt, minimè hanc legem ferimus, ut quod in nos admiserunt non aliter iis dimittamus, nisi id se admisisse alii alicui confiteantur: Ergo neque Christus ad concedendam nobis peccatorum veniam exigit ut apud alium, nempe Sacerdotem ea confiteamur; alioqui sequeretur majorem & promptiorem esse sancti hominis, quàm Dei in condonandis peccatis facilitatem ac lenitatem.

Respondeo, His Christi, & Apostoli verbis significari quidem Deum nobis peccata non remittere, nisi proximis dimittamus quæ ipsi in nos admi- F serunt: Non autem eundem esse remittendi modum in Deo, qui in nobis. Deus enim peccata remittit, convertendo, & immutando animum peccatoris, & diffundendo charitatem in cordibus nostris per Spiritum sanctum; nos verò nihil in proximorum animis operamur, cùm ipsis injurias nobis illatas condonamus. Deus peccata non dimittit nisi credentibus, sperantibus, diligentibus, pœnitentibus: At nos proximis dimittere debemus etiamsi nos oderint, nec illatæ nobis injuriæ eos pœniteat, secundùm Christi mandatum, quo jubemur diligere inimicos nostros, orare pro persequentibus nos, A bene facere iis qui nos oderunt. Non sequitur itaque Christum absque Confessione nobis ignoscere, quia proximis ignoscimus nullam apud alios peccatorum Confessionem edentibus. Nec sequitur majorem esse sancti hominis, quàm Dei, in condonandis peccatis facilitatem ac lenitatem: quia Deus ad concedendam veniam paratissimus est, modò ipsi pareamus, & secundùm statutas ab eo leges pœnitentiam agamus. Ipse crimina in infinitum graviora dimittit, quàm sint, vel esse possint peccata quælibet hominis in hominem: ipse inimicos divinæ Majestatis suæ prævenit, ipsisque dat unde sibi satisfaciant: ipse remedia ex Sanguine suo B quem pro illis omnibus fudit, confecta illis parat. Denique homines sancti cùm proximis ignoscunt, Dei misericordiam in peccatores sibi proponunt imitandam velut exemplar perfectissimum, sicut Christus ipsos adhortatur: *Estote misericordes, sicut Pater vester Cælestis misericors est.*

Objicit quintò Dallæus parabolas filii prodigi, & Publicani (*Lucæ* 15. *&* 18.) Ille dilapidato patrimonio, in se reversus, ad patrem flens, & delicta sua confitens venit, *Pater*, inquit, *peccavi in Cælum, & coram te, jam non sum dignus vocari fi-* C *lius tuus.* Pater autem misericordiâ motus benignè eum excepit, dimissisque præteritis peccatis, osculo, stola, & annulo miserum hominem dignatus est. Hac imagine adumbrata est à Christo Dei in peccatores misericordia. Ergo ut prodigum suum pater iste obviis ulnis excepit pœnitentem, peccata apud se confitenti ultrò dimisit, neque eum ad aliquem e famulis eadem ex ore ipsius auditurum ablegavit: etiam Deus Fidelibus in aliquod peccatum lapsis, illud remittit, si ad eum redeant, admissaque apud eum confiteantur, neque requirit ut uni alicui de suis Ministris vitæ omnes, etiam arca- D nas, & ignoras libes denudent, atque in aurem sigillatim immurmurent.

Jam verò Publicanus, ubi peccata sua apud Deum humillimè his verbis confessus est: *Deus, propitius esto mihi peccatori, descendit justificatus in domum suam.* Profectò, inquit Dallæus, vel ista, quod absit, inania sunt, vel si quid verè significant, illud omninò significant, etiam eum Fidelem, qui peccata, in quæ prolapsus est, soli Deo ex vero conscientiæ sensu confitetur, veniam ab Optimo Deo accipere, & cum eo reconciliari.

Respondeo, Ex parabolis certum in controversiis Fidei argumentum confici non posse, nisi eas E Christus ipse, vel Evangelistæ, aut Apostoli exposuerint. Respondeo 2. illis Filii prodigi & Publicani parabolis pœnitentiam quatenus virtus est, non quatenus Sacramentum; & summam Dei in peccatores ad ipsum redeuntes misericordiam adumbrari. Humilitatis etiam vim commendari in Publicani statu, habitu, & oratione; sed his exemplis nego significari omnia quæ ad veniam consequendam ex institutione Christi necessaria sunt. Alioqui cùm his in parabolis nihil videamus quod Sacerdotes adumbret, sequeretur frustra Christum ad Apostolos, & ad omnes in eorum persona Sa- F cerdotes dixisse: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis* &c. Et *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* Hæc illatio est S. Augustini Homilia 49. *Nemo sibi dicat*, inquit, *Occulte ago, apud Deum ago: novit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est, Quæ solveritis in terra, erunt soluta in Cælo? Ergo sine causa claves datæ sunt Ecclesiæ: frustramus Evangelium, frustramus verba Christi.* Cùm igitur verba Christi otiosa & manca dici absque impietate non possint, laudatæ parabolæ Filii nepotis, & Publicani, non probant Confessionem soli Deo factam ad remissionem peccatorum obtinendam sufficere.

Objicit

Objicit sextò Dallæus ex cap. 6. Matthæi, quòd jejunium, adeoque pœnitentia solo Deo conscio fieri jubetur, nullo homine teste: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Atqui vera & propria pœnitentiæ apud Deum merces est peccati, ob quam ea suscipitur, venia ac remissio: ergo Christo teste & auctore, etiam ei, qui extra ullius hominis, adeoque & Sacerdotis conscientiam, apud Deum jejunat, vel pœnitentiam agit, remittuntur à Domino peccata.

Respondeo, Multipliciter peccare hoc Dallæi ratiocinium. Primò, quòd jejunium totam esse pœnitentiæ essentiam & actionem innuat, cùm sit solum pœnitentiæ pars quædam, quatenus à peccatoribus ad satisfaciendum justitiæ divinæ pro peccatis assumitur. Secundò, quòd pœnitentiam ita esse debere occultam ex hoc Domini Christi mandato colligat, ut nullo homine conscio peragatur. Ex quo sequitur (quod absque impia temeritate dici non potest) Ecclesiam quæ publicam graviorum peccatorum Pœnitentiam tot sæculis esse voluit, & ab Episcopis imponi, examinari, prorogari, vel contrahi, & temperari, Ipsâ denique probatâ reconciliari ab ipso Pœnitentes, cum Evangelio pugnasse, & Christi mandatum violasse. Tertiò, peccat in hoc quòd jejunium & quodlibet bonum opus ita fieri debere in abscondito putat, ut nullus homo ipsius conscius sit ac testis: cùm hæc non sit Christi sententia, qui Discipulis suis & Christianis omnibus præcepit ut bona in exemplum & ædificationem aliorum facerent: *Luceat*, inquit, *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in Cælis est.* Cùm igitur jejunium, orationem, & eleemosinam in abscondito fieri jubet Christus, id vult unum, ut ne ad ostentationem & ad hominum gloriam captandam, illa pietatis opera faciamus. Unde ineptum est, & omninò præter rem, adducere hæc loca contra Confessionem apud Sacerdotes factam.

Objicit septimò Dallæus, multa ex Novo Testamento eorum exempla, qui cùm peccassent, à Deo peccatorum remissionem ita acceperunt, ut ea Sacerdoti alicui particulatim, neque confessi, neque confiteri jussi fuerint: ut de Muliere Peccatrice, de Zacchæo, & de Petro compertum est.

Respondeo, Ridiculè omnino hæc exempla à Dallæo urgeri contra Sacramentalem Confessionem, quæ instituta nondum erat. Idem enim est ac si colligeret aliquis Baptismum non esse ad salutem necessarium, quia multi absque Baptismo salutem consecuti sunt, antequam à Christo institutum esset. Secundò, quamvis institutum fuisset Pœnitentiæ Sacramentum, adeoque & Confessio, non negamus quin Christus, cujus potestas non est Sacramentis alligata, & qui Summus Sacerdos est & Episcopus animarum nostrarum, absque Sacramento gratiam contulerit. Sed perperam inde colligitur quòd, secundùm ordinem ab ipso institutum, veniam & gratiam absque Sacramentis, & Ministerio Sacerdotum impetremus.

---

§. III.

DALLÆI Ratiunculæ contra Confessionem Sacramentalem diluuntur.

PUgnat deinceps Dallæus ratiunculis quibusdam contra Sacramentalem Confessionem. Prima inde deducta est, quòd & venialia, & mortalia, quorum reus non meminit, citra Confessionem dimitti fateamur: ex quo sequi ait, & cætera omnia eadem ratione, id est, sine confessione dimitti. Quod nisi dixerimus, nostrum de Confessione dogma contradictione manifesta implicitum atque involutum tenebitur.

Secunda ratio Dallæi ex eo sumpta est, quòd impossibilis sit singulorum admissorum enumeratio, quæ non ipso tantùm opere, sed verbo, affectu, & ipsa mentis cogitatione peccata sunt.

Tertia Dallæi ratio inde petita est, quòd Confessio Pœnitentes in dubitationes inexplicabiles inducit. Prima oritur ex distinctione venialium & mortalium difficillima; ex qua difficultate fit ut qui aliquam conscientiæ suæ curam gerunt, hîc inprimis hæreant, ac dubitent, num omnia mortalia confessi fuerint? an non aliquid veniale esse errantes putaverint, quod revera mortale esset? Altera dubitatio unicuique Confitentium occurrit, num conscientiam suam satis excusserit, & an eam adhibuerit hoc in negotio diligentiam, quam in rebus gravioribus ordinariè homines adhibere solent. Tertiam dubitationem parit opinionum circa Contritionis necessitatem, vel Attritionis sufficientiam, & utriusque discrimen varietas. Ea qua fit ut anxius sit Pœnitens an attritus tantùm fuerit, an contritus. Quartò, dubitare potest an Sacerdotis animus fuerit seriò agendi, & verè absolvendi, necne: imò an sit Sacerdos. Quid enim si Episcopo ipsum ordinanti defuit intentio? Nusquam igitur Pœnitens de peccatorum venia certus esse potest.

Quarta ratio Dallæi inde eruitur, quòd ex nostro dogmate sequatur, peccatorem qui emendatissimus est, absolutissimâque pœnitentiâ præditus, carere venia, nisi peccata sua Sacerdoti alicui confessus fuerit; & eum qui ne contritus quidem est, remissionem peccatorum obtinere, si ea apud Sacerdotem deponat; quod absurdissimum est, & ab æquitatis sanctitatisque divinæ rationibus alienum.

Quinta, & sexta ratio Dallæi inde ductæ sunt, quòd Confessionis dogma Deum ab homine pendere facit in danda remissione peccatorum, præter Scripturæ testimonia, quæ remittendi peccati jus uni Deo tribuit: tum quòd frustra & inutiliter grave jugum hominibus imponit.

Septima ratio Dallæi sumpta est ex damnis, ac periculis, quæ ex istius Confessionis abusu multipliciter oriuntur, ex quibus colligit, eam esse de medio auferendam, quamvis per se innoxia esset, cùm nec à Deo instituta, neque ad pietatem necessaria sit. Primum abusum notat, quorumdam Confessariorum sacrilegam libidinem, quam satis loquuntur Bullæ Pii IV. & Gregorii XV. contra *Sollicitantes in Confessione* nominatim promulgatæ; illa quidem anno Domini 1561. die 16. Aprilis; hæc verò anno Domini 1622. die 30. Augusti. Alterum abusum notat, conjurationes contra Principes & Regna in Confessionis secreto interdum agitatas: & pestilentissimam illam conjurationem, quæ Religionis nomine ab Henoticis, ut vocant, contra Henricum III. & Henricum IV. Reges Christianissimos excitata est, à nonnullis Sacerdotibus in Confessionibus secretis conflatam fuisse, aut vires accepisse, testimonio Jacobi Augusti Thuani T. 4. Historiæ confirmat.

Octava Dallæi ratio petitur à malis ac damnis Confessionis, quæ non tam ab hominum abusu, quam ab ipsius rei ingenio pendent, atque exoriuntur. Primum ejus malum recenset, quòd in Deum injuriosa sit ac contumeliosa, efficiendo scilicet ut falsum esse videatur, quod ille sanctissimè pollicitus est, se fideli lapso crimina toties remissu-

rum, quoties is ex animo susceptâ peccati pœnitentiâ ad se conversus ingemuerit. Secundò, Confessionem Dei Ministris exitiosam probat Dallæus, quòd eos hoc institutum cogat & ea audire, quæ etiam patientissimorum de vulgo verecundiam fatigarent, & ea scrutari, atque loqui, & à Fidelibus quærere, quæ vel lenones ipsi erubescant. Unde maximum in periculum castitatis conjiciuntur. Addit, omnem illam spurcitiem intra pœnitentialis tribunalis latebras non contineri, sed in communem hominum lucem edi à Theologis qui libros de Casibus conscientiæ scribunt, in quibus omnes turpitudinum species ac modos, etiam qui nullo apud flagitiosissimos in usu fortasse sunt, accuratissimè descripti & explicati continentur. In exemplum profert densissimum Thomæ Sanchis Opus de Matrimonio, de quo acerrimum Petri Aurelii judicium refert in Vindiciis Censuræ Facultatis Parisiensis, pag. 517. Addit Dallæus, Ministros aliquando Confessionale hoc Mysterium ad prodendam Principis salutem impellere, quoties nimirum sicarii & parricidæ funesta hujusmodi consilia in eorum sinum effundunt. Nefas enim sibi esse putant ea revelare: Principis verò indubiè proditor est, quisquis quarum conscius est in ejus caput insidiarum ac machinationum, eas tegit, neque maturè ipsi, vel ejus Ministris revelat.

Præterea, exitiosam esse Ecclesiæ Confessionem probat Dallæus, quòd cùm Episcopi, & multi alii inferioris ordinis graves ac docti viri multa tum in disciplina, tum in doctrina motum corrigere jam ab aliquot annis in Gallia conentur; Monachi qui Confessionalem hanc Disciplinam, vel soli, vel majori ex parte exercent, impediant ne aliquid promoveant.

Tandem probare nititur Dallæus, Pœnitentibus ipsis noxiam esse Confessionem. Primò quia multa inhonesta ac turpia cogitatione retractare coguntur. Qui si adhuc carnales sunt, vix fieri potest ut eorum animum præteritarum libidinum imagines non polluant. Si verè emendati, necesse est eos ista diligenti fœditatum suarum recognitione contristari, & turbari, & pace, gaudióque quo in Christo Domino fruebantur, spoliatos angi, ac hærere. Secundò, quia hominum verecundiam deterit, paulatimque consumit, eorumdem, aut certè similium peccatorum Confessio frequens. Tertiò, quia dum ex Confessariorum placitis sibi fingunt scelera flagitiaque omnia Confessione apud Sacerdotem facta expiari, peccata omnia, quantumvis horrenda, pro ludo ac joco habent; quorum scilicet paratum ac præsens, & quidem facillimum piaculum habere se putant. Quartò, quia Confessarii plerique omnes solam Attritionem in Pœnitentibus exigunt, quæ aliquo tantùm, sed eo levi ac evanido de peccato dolore, qualis vel in homines improbissimos cadit, non autem ulla vera vitii emendatione constat. Qua Attritione, de vitii ac peccati vi nihil decedit. Tantùm ea efficit ut mala libido ex qua id ortum erat, ad aliquot horas, vel si fortè dies repressa conquiescat, mox ubi hac ipsâ morâ vires collegerit, sæviùs eruptura. Quintò, quia vitia eo tempore maximè grassantur, quo Confessio maximè viget, plurimóque in usu est, ut D. Arnaldus Doctor Sorbonicus in lib. *De Frequenti Communione*, facundè & copiosè edisserit. Quare? Nisi quòd hanc Confessionis disciplinam eò valere putat, ut homines ea expiandorum criminum, veniæque consequendæ facultate, quam ista promittit, rapti delusique, licentiùs peccent? Postremò, quia homines in Confessionis arcanæ tribunali multa discunt, vel certè discere possunt perversa, & vitiis, sceleribus, atque libidinibus faventia dogmata, quæ à Confessariis quibusdam docentur, qualia sunt quæ in unum fascem collecta ante annos aliquot à Parisiensis Universitatis Pastoris ac Rectoribus, sub titulo *Moralis Jesuitarum Theologia*, vulgata sunt.

Respondeo sigillatim ad futiles illas Dallæi rationes. Ad primam, Non esse eandem rationem de venialibus, & mortalibus: quia venialia gratiam & charitatem non extinguunt, nec excludunt hominem à Regno Cælorum: Unde non sunt necessariò subdenda Ecclesiæ clavibus, & aperienda Sacerdoti, cùm aliis remediis, nimirum Oratione Dominica & aliis bonis operibus, atque ipso in primis charitatis fervore, quæ in animo sic peccantis dominatur, dimitti possint. Non est etiam par ratio de mortalibus quæ memoriæ non occurrunt, ac de aliis: Nam hujusmodi peccata non ideò dimittuntur absque Confessione, quòd non sit necesse cognita esse Sacerdoti omnia quorum veniam Christi nomine concedit, & à quibus absolvit, sed quia impossibile est homini cujus è memoria exciderunt, nec in eam revocari possunt post diligens examen, ut ea confiteatur sigillatim. Unde cùm Deus impossibilia ab homine non exigat, & hic verâ & sincerâ tum eorum quæ apud Sacerdotem deposuit, tum eorum quæ ex ejus mente delevit oblivio, pœnitentiâ compungatur, sitque ita affectus ut ea pariter confiteretur, si memoriæ occurrerent: eadem Confessione comprehendi, & eadem absolutione expungi censenda sunt. Peccatum enim non remittitur nisi infusione charitatis & gratiæ, quæ cum peccato quovis mortali pugnat irreconciliabiliter. Unde unum absque alio dimitti non potest. His ducta rationibus Tridentina Synodus Sessione XIV. cap. V. de veniali Confessione [illegible] docet: *Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quanquam rectè & utiliter, citràque omnem præsumptionem, in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen extra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verùm cùm universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant; necessum est omnium etiam veniam cum aperta & verecunda Confessione à Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi Fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt. Qui verò secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico detegere; quod ignorat, Medicina non curat.* De remissione autem eorum quæ memoriæ confitentis non occurrunt, ita docet eadem sancta Synodus: *Sed & impium est*, inquit, *Confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim nihil aliud à Pœnitentibus in Ecclesia exigi, quàm ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me, Domine.*

Ad secundam rationem Dallæi, Nego quòd impossibilis sit singulorum peccatorum enumeratio, si quotidianum conscientiæ examen à Christiano homine fiat, quod tantopere commendant SS. Patres; si ante Confessionem tantâ se diligentiâ peccator excutiat, quantam in maximi momenti negotiis, in quibus de fortunis, de honore, aut vita agitur, adhibere homines solent. Quòd si post accuratam illam excussionem sui, memoriæ singula non occurrant,

tant, Deus & Ecclesia eorum duntaxat Confessionem exigunt, quorum impræsentiarum meminit. Unde Confessionis præceptum impossibile non est.

Ad tertiam rationem Dallæi, Nego ex Confessionis ingenio proficisci ut in has dubitationes & anxietates Pœnitens conjiciatur. Non est enim cur hæreat, crucieturque nimirùm hac dubitatione, utrum omnia mortalia confessus fuerit? Utrum conscientiam suam satis excusserit? Utrum attritus tantùm fuerit, vel contritus? Quia postquam præstitit quidquid cum gratia Dei potest, & omnem diligentiam adhibuit moraliter possibilem, debet in divina bonitate & misericordia conquiescere. Ita tamen ut *Se justificatum* non præsumat, *quamvis nihil sibi ipsi conscius sit*, secundùm sancti Pauli doctrinam & exemplum; ita ut *De propitiato peccato non sit sine metu*, ut dicitur Ecclesiastici 5. ita ut se amore dignum apud Deum non credat, cujus *Utrum amore vel odio dignus sit, nemo novit*; ita ut denique pia cum fiducia de remissione peccatorum suorum, non tamen cum securitate, sed cùm timore, qualem pietas & charitas in Deum patitur, suam operetur salutem. Nosse autem quæ venialia sint, quæ mortalia utplurimùm: quid Attritio, quid Contritio; non est adeo operosum Christianis hominibus, quos de his, uti & de aliis Doctrinæ Christianæ capitibus in Catechesibus Ecclesiarum Rectores edocent. Quòd si sint adeo rudes ut hæc non capiant, eorum ignorantiam sublevant Confessarii, tum inquisitione & examine prudenti, cùm rationes eas proponendo, quibus ad veram Contritionem excitari & moveri possint. Nec etiam torqueri debent Pœnitentes inani metu, ne fortè Sacerdoti non fuerit animus seriò agendi, & verè absolvendi: quia (ut ait S. Thomas III. parte, Q. 64. Art. 8) *Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister; In verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte Ministri vel recipientis Sacramentum.* Quibus verbis innuere videtur Sanctus Thomas, sufficere in Ministro, ad conficiendum Sacramentum, internam intentionem externi Ritûs, quo Sacramentum constat, seriámque materiæ & formæ applicationem, quæ fit ab Ecclesia, quam Theologi nonnulli intentionem externam appellant ratione objecti, quòd scilicet externum duntaxat Sacramenti Ritum, non effectum interiorem hæc spectet, cùm tamen verè interior sit intentio: Nulla enim vera intentio esse potest, quæ interior non sit, cùm intentio sit actus voluntatis. Atque sic intelligenda est opinio *Ambrosii Catharini*, quam typis mandavit Romæ Opusculo singulari propugnatam, *ut ex Palavicino* constat in Historia Concilii Tridentini, quam & Parisienses plerique Theologi, aliique tuentur, Rotomagensis, Burdigalensis, Remensis, Conciliorum Provincialium post Tridentinam celebratorum, & Ebroicensis Synodi Diocesanæ, Decretis de Calvinistarum Baptismo non iterando, aliisque momentis freti.

Ad quartam Dallæi rationem, Nego id sequi ea Catholico Dogmate, quod ipse colligit. Nego, inquam, sequi primò quòd peccator absolutissimâ pœnitentiâ præditus careat venia. Vel enim Sacerdotem adire potest, & non vult; vel adire vult ac apud eum peccata confiteri, sed non potest: quia nullus est præsens. In priori hypothesi, peccator verâ sinceraque pœnitentiâ præditus non est: quia medio quod Christus instituit, ad remissionem peccatorum post Baptismum admissorum uti negligit, imò contemnit. In altera hypothesi, si absolutissima contritione sit affectus, veniam consequitur, per ordinem quidem ad Ecclesiæ claves, & ad Confessionem, Absolutionemque Sacramentalem, cujus votum includit illa quam peragit pro viribus coram Deo Pœnitentia. Non alia ratione quàm Catechumeni, qui ferventibus desideriis Baptismum cupiunt, ejus voto salvantur, cùm illius susceptionem non negligunt, & obeunt antequam salutaribus undis tingantur: Si verò suscipere Baptisma possint, & negligant; quantumcunque ferventibus desideriis illud optare supponantur, remissionem peccatorum non obtinent, nisi illud reipsa suscipiant, ut asserit Sanctus Augustinus Tractatu XIII. in Joannem. *Quantumcunque, inquit, Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis portat: non dimittitur illi, nisi cum venerit ad Baptismum.* Non sequitur etiam quòd secundò infert Dallæus, eum qui contritus non est, saltem imperfectâ contritione, *Quæ voluntatem peccandi excludit cum spe veniæ; & quæ non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ inchoationem, sed veteris etiam odium continet*; quâ denique Pœnitentes *Deum diligere incipiunt tanquam fontem omnis justitiæ*: Non sequitur, inquam, eum qui fuerit hujusmodi contritione destitutus, remissionem peccatorum obtinere, quamvis ea confiteatur Sacerdoti. Hæc eadem docet Tridentina Synodus Sessione 6. & 14.

Ad rationem quintam & sextam Dallæi, respondeo, Non magis sequi ex Confessionis dogmate quòd Deus ab homine pendeat, quàm ex dogmate Baptismi: quia Princeps potestatem suam Ministris suis communicans ab iis non pendet. Licèt autem Scriptura Sacra remittendi peccati jus uni Deo tribuat ut Auctori, id etiam tribuit homini ut causæ ministeriali. Nisi enim hoc modo remittere possent peccata Sacerdotes, frustra Christus dixisset: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Ad id verò quod addit Dallæus, ex præcepto Confessionis sequi quòd Deus frustra & inutiliter grave jugum hominibus imposuisset, jam superiùs responsum est. Præterea hæc objectio omnino est præter rem. Si enim ostenderimus Christum Confessionem instituisse, ac præceptum ejus hominibus in mortale peccatum post baptisma lapsis imposuisse, quod præstitimus in probationibus, evidens erit nec grave jugum dici posse, nec frustra impositum: quia Christi jugum suave est, & nihil inutiliter præcipit. Denique gravis minimè videri debet, quæ tot tantisque commodis & consolationibus levatur, Confessionis difficultas.

Ad septimam Dallæi rationem, Respondeo, hos abusus vitia non esse Confessionis, sed hominum, & admodum infrequentes esse. Quis autem nescit rebus etiam divinitus institutis abuti posse homines perditos? Nonne Baptismo abutuntur qui illud fictè suscipiunt? Et Eucharistiâ, qui illam indignè sumunt? Quæ tamen è medio auferenda Calvinianis non dixerit: Nonne Apostolatu abusus est Judas? An tollendus propterea Apostolatus? Prædicatione Evangelii multi abusi sunt ad spargendos errores, & ad bella civilia vel excitanda, vel fovenda: & conjurationes illas, quæ in perniciem Regni Gallici sub Henrico III. & Henrico IV. eruperunt, non minùs à Concionatoribus, quàm à Confessariis incensas fuisse Thuanus à Dallæo laudatus testatur; an ideo Evangelii prædicatio velut noxia abroganda est?

Confessio non Deo injuriosa, neque Confessis noxia.

Ad octavam Dallæi rationem, Respondeo, commentitia esse mala illa ac damna Confessionis. Primùm enim falsum est quòd in Deum injuriosa sit. Ad illud quippe quod ait, divinam pullari veracitatem, viderique falsum posito dogmate Confessionis, quod Deus pollicitus est, se Fideli lapso toties crimina remissurum, quoties ad ipsum con-

versus

vcesus ingemuerit, jam suprà respondimus, nec eadem repetere necesse est. Addimus, Calvinistas potiùs in Christum injuriosos esse ac contumeliosos, cùm Sacramentalem Confessionem impugnant: quia ex eorum dogmate sequitur Christum Dominum frustra dedisse claves Ecclesiæ, frustra dixisse Apostolis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Atque ita frustrant Evangelium, frustrant verba Christi, ut supra ex Sancto Augustino Homilia 49. urgebamus. Secundò, non est exitiosa Ministris Confessio, si muoere suo sanctè fungantur: nec eorum conscientiam polluit auditio ipurcissimarum libidinum, quarum se accusant peccatores, sed potiùs adversùs eas horrore & odio moventur, & ob Dei offensam ingemiscunt. Certè si auditio criminum Sacerdoti noxia esse potest, qui Confessiones audit: similium flagitiorum lectio in Sancti Pauli Epistolis & in aliis Scripturæ sacræ locis, ejus memoriam fœdare potest, hacque uti potest diabolus ad rerum fœdarum imagines in ejus mentem immittendas. Nemo tamen dixerit à lectione Scripturæ sacræ esse abstinendum, aut eam esse per se noxiam legentibus. Cur ergo Confessionis institutum per se noxium esse Sacerdotibus colligunt Novatores, quia ex auditione turpium facinorum mens eorum inquinari fortasse potest? At si Confessarii sint, ut esse debent, penitus in Deo defixi, in oratione assidui, ab ingenio, moribus, & societate sæcularium hominum alieni, mortificationem Christi in corpore & animo circumferentes, nullum hujusmodi periculum patientur. Tandem licèt valetudinis periculum, imò & vitæ, quandoque incurrat Medicus invisendo ægros, & eorum curando vulnera; nemo tamen dixerit Medicinam esse per se noxiam Medico. Quæ igitur dementia est asserere Confessionem esse per se noxiam Sacerdotibus, quia ex rerum turpium auditu in Confessione mens eorum & conscientia fœdari potest? Quod spectat quæstiones à Confessariis habendas, seu inquisitionem in peccata singula Pœnitentium contra sextum Decalogi præceptum admissa; consentiunt omnes Theologi illam prudentem admodum, brevem, & castam esse debere: ideoque non esse omnium ordinum homines de peccatis omnibus in specie interrogandos, ne discant ea quæ fortè nesciunt, & quæ ignorare saluberrimum est. Non esse interrogandos nisi rudes, & qui confiteri expeditè non possunt, vel qui rogant Confessarium ut eorum memoriam juvet. 3. Primùm interrogandos esse de cogitationibus obscœnis in genere, num in aliqua delectati sint, aut consensum præbuerint; quod si se fecisse negent, ibi sistendum est: si confiteantur, quærendum num conceptum animo peccatum opere commiserint. Tum de objecto hujusmodi flagitii, an esset virgo, vel aliena conjux? An cognata vel affinis? An reus ipse liber sit, vel conjugatus? An communem sæcularium hominum vitam agat; an Deo sit mancipatus consecratione & vinculo Voti vel Ordinis? Quoties peccatum hujusmodi perpetraverit? Utrum sit extra peccandi proximam occasionem constitutus, vel in ea versetur? Si peccet ex habitu, ex quo tempore pravæ consuetudinis catenâ constrictus? 4. Conjugatos non esse interrogandos de iis quæ usum conjugii spectant, & quæ venialia sunt ut plurimùm. Quæ enim contra naturam sunt, aut rationem, nisi ab ipsis Pœnitentibus cognosci, & verecundè exponi Confessarius, si fortè ea admiserint. Satis esse ut admoneantur in arcano tribunali Christiani rudes, qui in conjugio vivunt, & juvenes adhuc sunt, non omnia licere conjugatis cum suis uxoribus, sanctè utendum esse matrimonio, & secundùm finem à Deo institutum, scilicet ad procreationem filiorum qui in ejus timore educentur. Cæterùm de vitiis singularibus quæ usum conjugii spectant, prudens Confessarius non interrogat confitentem, quantumvis rudem & imperitum; quia vel eum in his non deliquisse supponit, vel invincibili ignorantia laborare, quæ ipsum coram Deo excusat. Quæ tamen cùm incerta sit, non est de infandis illis flagitiis magno animæ suæ periculo edocendus. Hæc nostra doctrina est. Perperam itaque & mendaciter Dallæus ait, Confessionis institutum cogere Sacerdotes ut ea quærant à Pœnitentibus quæ vel lenones ipsi erubescerent.

Quàm prudens esse debeat Confessarius in examine?

Casuistarum delectus.

Ad id quod Dallæus addit de Theologis qui libros de Casibus Conscientiæ scribunt, in quibus omnes turpitudinum species ac modos accuratissimè describunt, etiam qui nullo apud flagitiosissimos in usu fortasse sunt: Respondeo, Malum istud ex Confessionis ingenio non nasci, sed ex scriptoriendi prurigine qua nonnulli Casuistæ laborant: Ecclesiam quindecim sæculorum spatio floruisse, Confessionem Sacramentalem retinuisse, & Pœnitentiam administrasse sanctissimè, antequam hæc Casuitarum turba erumperet: Bellarminum Cardinalem, qui Scriptorum Ecclesiasticorum seriem ad annum usque 1350. pertexit, in hoc toto annorum decursu nonnisi XII. Casuitas enumerare: Græcis hoc librorum genus esse incognitum, apud quos nihilominus Confessio Sacramentalis viget, semperque in usu fuit: Multos esse inter hujusmodi Scriptores, quorum libri ne legi quidem debeant: operæ pretium facturos Summum Pontificem & Episcopos, si Christianæ Moralis explicationem, quantùm ad Pœnitentiæ administrationem necessaria est, ex Scriptura Sacra, Canonibus Conciliorum, ex Sanctorum Patrum Doctrina, ex Theologis qui probatam vitæ sanctimoniam cum eximia doctrina conjunxerunt, quales fuere Thomas Aquinas, Raymundus, Antoninus &c. ex Sanctorum etiam Episcoporum statutis, & documentis præsertim Sanctissimi Cardinalis & Archiepiscopi Mediolanensis Caroli Borromæi, in unum opus redigi curent, & omnibus qui audiendis Confessionibus vacant, solum evolvendum proponant ac sequendum, cæteris Casuum Scriptoribus in ordinem redactis. Id licèt optem vehementer & mecum optent plurimi, qui Moralis Christianæ corruptelæ hâc viâ faciliùs obviam eundum non immeritò sentiunt, eos omnes damnare nolim qui Summas Casuum Conscientiæ conscripserunt. Immò multos in hoc genere plurimi facio. Toleti è Societate Jesu doctissimi Theologi, & S. R. E. Cardinalis, Sylvestri Prieratis Sacri Palatii Magistri, & aliorum quorumdam studia, labores, opera hoc in genere laudo. Sed multorum aliorum corruptelam, vel imprudentiam execror, qui vel flagitiosissimas opiniones in Christianas Scholas invexerunt, & hæc venena editis Operibus hominum generi propinarunt; vel spurcissimis quæstionibus scripta commacularunt sua, vernaculo etiam idiomate interdum edita. De Sanchis Opere, Petri Aurelii judicio non stabunt, qui illum infensissimum fuisse ejus Societatis in qua Sanchez militavit, hominibus fuisse norunt Sanchez eruditè de Matrimonio scripsit: optandum esset, ut sobriè magis scripsisset, à pluribusque abstinuisset quæstionibus usum spectantibus matrimonii, quæ postrema spissi Operis parte continentur.

Confessionis sigillum.

Ad id quod Dallæus eadem in objectione ait, Confessionem arcanam aliquando impellere Ministros ad prodendam salutem Principis, quia funesta parricidarum consilia, qui apud eos confitentur, sibi revelare nefas esse putant; respondeo, Id aliam quæstionem spectare de sigillo Confessionis, quam hic attingere non est opus. Satis sit impræsentiarum

rum ea proferre quæ hoc de Argumento scripsit doctissimus Cardinalis Perronius in Replica ad Serenissimum Majoris-Britanniæ Regem, cap. 6. Observatione 2. pag. 563. cujus verba Gallica Latinè reddo. *Qui Regum securitati consulere se existimarunt, opinionem illam vulgando, quod confitentium revelare peccatum possint Confessarii, si sit Læsæ Majestatis crimen, ii contrarium ejus quod se præstituros sperabant, effecerunt. Ut enim de ejus opinionis, ad finem quem intendunt, inutilitate dicere omittam, ut semel vulgata erit: quia nemo crimina Læsæ Majestatis in Confessione Sacerdotibus aperiet, vel aperire tenebitur, cum eos Confessionem suam revelare; & se ad Regem vel ejus Ministros ut Majestatis reum deferre licitè posse noverit. Ut (inquam) de hoc sileam: Illi Reges duobus subsidiis commodisque privant longè maximis, quæ in eos possunt ex Confessione redundare. Primum in eo positum est, quòd Confessarius possit, & sub pœna damnationis teneatur confitentem reum a nefariis hujusmodi consiliis, divinorum judiciorum terrore, & Absolutionis denegatione avertere. Alterum in eo positum est, quòd Sacerdos Principem admonere possit & debeat ut sibi caveat, eumque de conjuratione in ejus personam inita facere certiorem: hoc est, non confitentem nominatim & in individuo indicare; sed ex Confessione notam generalem: non reum prodere ac revelare, sed crimen.* Refert deinde Cardinalis Illustrissimos, Henrici IV. Triumphantis memoriæ Galliarum Regis vitam à Barrieri cujusdam nefaria machinatione beneficio Confessionis fuisse servatam. Scilicet cùm impius ille sicarius Lugduni, quæ civitas à Fœderatorum partibus tunc stabat, apud Sacerdotem Societatis Jesu inter cætera crimina nefarium immanéque consilium de nece Regi inferenda confessus esset, ipsique Confessarius, quamvis à partibus Regis alienus, Absolutionem, pro sui ratione muneris, denegasset; Patrem Branchium Ordinis FF. Prædicatorum adiit, non Confessionis edendæ, sed Consilii gratiâ, narravitque quam à Sacerdote Societatis Jesu passus erat repulsam. Qua de re Branchius statim monuit Brancaleonem nobilem Italum: qui equum protinus conscendens cursu velocissimo ad Regem pergeret, eúmque de insidiis quas in Sacram ejus Majestatem & vitam Barrierus meditabatur, faceret certiorem. Quæ ita gesta esse non solùm Branchii, & Brancaleonis testimoniis, sed etiam Rei ipsius apprehensi & ad quæstionem admoti confessione probatum est.

Utilitas Confessionis vindicata.

Ad illud quod Dallæus eadem in objectione urget, Confessionem esse Ecclesiæ exitiosam, quia Monachi Confessionali Tribunali passim præsidentes pios Episcoporum, & aliorum inferioris ordinis gravium doctorumque virorum ad Ecclesiasticæ Disciplinæ restaurationem conatus, ne aliquid promoveant, impediunt? Respondeo, Nego Propositionem & probationem ejus. Dato enim quòd Confessarii quidam ita se gerant, non est istud in Confessionis ingenium ac naturam, sed in hominum vitia refundendum. Unde sicut si in Regis exercitu Cohortes aliquæ aut legiones ignaviâ suâ strenuos Ducum in hostes conatus, & victoriam impedirent, nemo ex hoc prudenter inferret Militiam Regnis perniciosam esse & Regibus exitiosum conscribere Milites, & Exercitum colligere: ita nemini cui radius aliquis rationis affulserit, rectè inferri videbitur, Confessionem Ecclesiæ exitiosam esse, quia Confessarii nonnulli, sive ex imperitia, sive ex ignavia, suo à munere aberrant, & sanctis Episcoporum consiliis, piisque conatibus ad restaurandam Ecclesiæ Disciplinam fideliter non cooperantur. Quanquam hoc esse Monachorum omnium qui Confessiones audiunt, vitium non concesserim. Cùm autem Illustrissimi Episcopi, quorum in administrandæ Pœnitentiæ negotio summa potestas est, hanc audiendarum Confessionum provinciam selectis ex Regularium Ordine Sacerdotibus demandent; argumento est illis istorum hoc in ministerio fidem, prudentiam, disciplinæ studium, pietatem, doctrinam, cæterasque ad illud rectè obeundum necessarias dotes exploratas esse. Si enim à rerum suarum temporalium administratione, & procuratione infideles œconomos removent, quantò magis à dispensatione Mysteriorum Dei & ab animarum directione Confessarios illos arcerent, nisi piis ipsorum consiliis ad reformationem morum, & ad collapsæ disciplinæ restaurationem cooperarentur?

Denique falsum est quod ultimo loco Dallæus objicit, noxiam esse ipsis Pœnitentibus Confessionem. Quæ objectio cùm plurimis constet capitibus, ad singula respondeo.

Ad primum, Idem incommodum contra Confessionem soli Deo factam, & contra conscientiæ examen, quod ad Confessionem illam pertinet, secundùm illud, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, urgeri posse. Nam in hujusmodi Confessione, & excussione conscientiæ, peccator inhonesta ac turpia sua facinora cogitatione retractat, ut pro iis sacrificium cordis contriti & humiliati Deo offerat, veniamque ab eo exoret. Sic homicidium, adulteriumque suum sibi ponebat ob oculos David pœnitens cùm per singulas noctes lachrymis stratum suum rigabat. *Quoniam*, inquit, *iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Et, *Peccatum meum contra me est semper, tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Et, *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Quæ verba sanctus Hieronymus exponens Epistola 135. pro eo quod legimus, *Scopebam spiritum meum*, apud LXX. haberi notat, ἐσκάλλον, id est, *Rimabor spiritum meum.* Propriè autem σκαλλισμὸς, in agricultura dicitur, in sarriendo, id est sarculando: & quomodo ibi quæruntur herbæ sarculo quæ secentur: sic & David retractatum cogitationum suarum, metaphoricè à sarculo demonstravit. Et sciendum quòd ἐσκάλλον, non semel, sed frequenter significet (inquit sanctus Hieronymus) Sed istæ cogitationes pœnitentis animum non polluunt, horrore adversùs præterita flagitia correptum, & de illis sincerè dolentem. Hic autem dolor mentis emendatissimæ pacem non turbat (ut Dallæus ait) sed pacem cum Deo conciliat, & in amicitiam ejus redintegrat hominem, qui emendatus esse non potest, nisi summè doleat de admissis. Hac de tristitia scribebat Sanctus Paulus 2. ad Corinthios 7. cap. *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.*

Isai. 38. 15.

Psal. 37. 19.
Psal 50.
Psalm. 76.

Ad secundum, nego hominum verecundiam deteri eorumdem, vel similium peccatorum Confessione, cùm ob ea, quâ par est severitate, à Confessariis corripiuntur & increpantur, & eorum gravitati respondentibus pœnitentiis castigantur: sive etiam cùm interdicuntur Communione Corporis Christi, aut differtur ipsorum Absolutio, donec mores emendaverint. Hoc autem modo se gerunt erga peccatores, qui sæpius in eadem peccata mortalia relabuntur, Confessarii qui in Lege Dei, & Ecclesiasticæ Disciplinæ regulis eruditi sunt, & suum sanctè adimplere satagunt ministerium. Unde peccantium verecundiam non minuit, sed auget eorumdem peccatorum Confessio frequens.

Ad tertium respondeo, Hoc telum in Calvinistas

facilè retorqueri. Dum enim ex Ministrorum suorum placitis, & Calvini doctrina sibi finguut scelera flagitiaque omnia Confessione soli Deo facta expiari, peccata omnia, quantumvis horrenda pro ludo ac joco habent; quorum scilicet paratum ac præsens, & quidem longè facilius piaculum, quàm sit Confessio Sacerdoti facta, habere se putant.

Respondeo secundò, Catholicos persuasum non habere quòd sola Confessione apud Sacerdotem facta eorum peccata expientur: sed Pœnitentiæ Sacramento, cujus altera tantum pars est Confessio ipsa, quæ sine Contritione, & Satisfactionis per opera bona & pœnalia proposito, peccatum non expungit. Hæc Ecclesiæ Catholicæ doctrina est, S. Augustini testimonio confirmata, quod ex sacro suggestu Concionatores nostri, ex Pœnitentiæ Tribunali Confessarii identidem inculcant, ex Sermone 57. de Tempore desumptum: *Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis sola non sufficit: nam in satisfactione ingentium peccatorum, non verba tantum, sed opera quæruntur.* Et Sancti Gregorii Magni, seu alterius antiqui Patris, lib. 6. in cap. 15. 1. Regum, quod passim urgemus: *In fructu ergo, non in foliis, aut ramis pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessionis ergo verba quid sunt aliud nisi folia? Non ergo nobis folia propter se ipsa, sed propter fructum expetenda sunt. quia ideo omnis Confessio peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ subsequatur. Unde & Dominus arborem foliis decoram, fructu sterilem maledixit, quia Confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis.* Ex quibus constat Confessionem solam ad expianda peccata non sufficere.

Ad quartum respondeo, Falsum esse quod asserit Dallæus, Confessarios plerosque omnes solam Attritionem exigere, quæ levi tantùm ac evanido de peccatis dolore constet, qualis vel in homines improbissimos cadit, non autem ulla vera vitiis emendatione. Eam enim Attritionem requirunt universi Communionis nostræ Theologi, quæ *Voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*, quæ sit veri nominis *Contritio*, quamvis *imperfecta*, id est, quæ *non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continoat: juxta illud:* PROJICITE *à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Concilii Tridentini verba sunt. Imò Theologi Doctissimi, nec pauci, Attritionem illam, etiam Sacramento conjunctam, non sufficere ad expungenda peccata docent, nisi ex amore benevolentiæ erga Deum, saltem inchoato procedat. Unde Attritionem aliter intellectam, quatenus scilicet ex solo pœnarum inferni timore, omni gradu charitatis exclusa, concepta est, sufficere cum Sacramento, certum & indubitatum non esse aiunt. Et simpliciter asserunt Contritionem esse partem Sacramenti Pœnitentiæ. Ita Melchior Cano 5. parte Relectionis de Pœnitentia, & Tapperus in expositione Articuli IV. Lovaniensis de Contritione. Qui cùm Tridentino Concilio interfuerint, eorum hac in quæstione testimonium maximi faciendum est. Eidem sententiæ suffragantur quatuor illustres Theologi Societatis Jesu, Suares Quæst. XC. in Tertiam Partem, Art. IV. Disp. XV. Sect. IV. Num. XVII. dicens: *Licet sit opinio probabilis, attritionem cognitam cum Sacramento sufficere ad justificationem, tamen non est certa, & potest esse falsa. Ergo qui sciens & videns ita se mori permittit, voluntariè exponit se periculo æternæ damnationis.*

Sententia eruditorum Societatis Jesu Theologorum de Attritione servili.

Comitolus lib. 1. Responsorum Moralium, Quæstione XXXII. Num. VII. & VIII. *Huc adde*, inquit, *quòd plures magnique Theologi in pœnitente, antequam absolvatur, contritionem veram charitate formatam requirunt. Neque usque adeo certum est, attritionem pœnitentis esse satis. Quocirca Sacerdotis partes præcipuæ esse debent, veræ contritionis motum in corde pœnitentis auxiliante Deo elicere, ardentèque eum cohortatione urgere, ut propter Deum peccata admissa exsecretur omnia, velitque imposterum cuncta vitare, præteritorumque flagitiorum, quantum maximum potest, doloris sensum capiat, eumque hoc modo affectum in Deum fidenter absolvas, cùm ab eo Confessionem expresseris, propter Deum dolere se de peccatis, & propter eum illa se in reliqua vita osurum.*

Becanus Tractatu 1. cap. IV. Quæst. 9 de bonitate & malitia humanorum actuum. *Ad tertium*, inquit, *fateor, tutius esse cum contritione accedere ad Confessionem, ac proinde eum, qui scit se non esse contritum, sed tantùm attritum, consultiùs facturum, si conetur in se excitare contritionem.*

Sanchez in Summa lib. 1. cap. IX. Num. XXXIV. *Non peccabit*, inquit, *Sacerdos, si pœnitentem pro sola attritione per ipsum cognita absolvat, sequendo opinionem probabilem sustinentem eam sufficere ad Sacramenti pœnitentiæ valorem, & ut gratiam conferat: hoc tamen intelligerem, nisi pœnitens in articulo mortis esset, atque habere posset contritionem. Tunc enim mortale esset & recipere, & ei Sacramentum pœnitentiæ cum sola attritione cognita ministrare, propter grave damnationis periculum, cui ille exponeretur, si fortè hæc sententia non esset vera, cùm tamen gratiâ Dei adjutus possit securum contritionis remedium assequi.* Plurium aliorum Theologorum ex omnibus Ordinibus testimonia refert vir Doctissimus Joannes Launoius in Dissertatione de mente Concilii Tridentini circa Contritionem & Attritionem. Possem pro eadem sententia laudare S. Augustinum Epist. 144 dicentem: *Inaniter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etsi foris non impletur negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? . . . Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennam metuit, non peccare metuit, sed ardere: peccare autem metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennam odit.*

Sententia Patrum de Attritione servili.

Possem laudare & S. Chrysostomum Homilia 4. in 2. Epistolam ad Corinthios, dicentem: *Cùm peccaveris ingemisce, non quòd pœnas daturus sis, nihil enim hoc est: sed quòd Dominum tuum offenderis tam benignum, tam te amantem: tam denique tuæ saluti appensum, ut Filium quoque suum tuâ causâ tradiderit.*

Possem laudare & S. Gregorium, seu potiùs antiquum alium Patrem, in cap. 15. lib. 1. Regum, dicentem: *Tria in unoquoque consideranda sunt veraciter pœnitente, videlicet conversio mentis, confessio oris, & vindicta peccati. Nam qui corde non convertitur, quid prodest ei si peccata confiteatur? Peccatum quod diligitur, confitendo minimè deletur. Nonnulli quidem sunt qui peccata confitendo aperiunt, sed non convertendo nequaquam detestantur. Hi profectò confitendo nihil agunt, quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Unde & salubriter confiteri volentibus Scriptura insinuat dicens: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quid est, corde credere ad justitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem? Cum ergo quis cordis intentionem* ad

ad justitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis, fructum habet bonæ conversionis.

Possem laudare & S. Bernardum Epistola xi. dicentem: *Puto de illa Charitate dictum: Lex Domini immaculata convertens animas; quod sola videlicet sit, quæ ab amore sui & mundi avertere potest animum, & in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam. mutant interdum vultum, vel actum; affectum nunquam.*

S. Thomæ sententia de Attritione servili.

Possem laudare & S. Thomam in Supplemento, Quæst. x. Art. v. dicentem: *Confessio operatur præsupposita Contritione, quæ culpam delet, & sic Confessio directè ordinatur ad dimissionem pœnæ; quod quidem facit ex erubescentia quam habet, & ex vi clavium, quibus se confitens subjicit.* Et Tertia parte Quæst. 86. Art. 6. *In justificatione impii simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei per Charitatem formatus: & motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus Pœnitentiæ. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum: nam actus virtutis pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei.* Et Art. 3. ejusdem Quæstionis. *Non potest esse verè pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, & non de alio. Si enim displiceret ei illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ Pœnitentiæ) sequeretur quòd de omnibus pœniteret.* Hanc doctrinam ex S. Thoma quam hauserant, propugnarunt Petrus & Dominicus Soto, qui Concilio Tridentino interfuerunt: ille Lectione 14. de Perfectione Pœnitentiæ, & Lectione 8. de Materia & Forma Sacramenti Pœnitentiæ: Hic verò in iv. Sententiarum Dist. 20. Quæst. 2. Art. 1. & Dist. 18. Quæst. 3. Art. 2.

Lovaniensis Academiæ judicium de Attritione servili.

Possem laudare judicium Academiæ Lovaniensis editum die ultima Maii 1662. de hac propositione à Rectoribus Parochiarum Gandavensium ad ipsam transmissa: *Attritionem, quæ ex solo metu gehennæ, aut pœnarum à Deo infligendarum concipitur, sine interventu alicujus saltem imperfecti amoris benevolentiæ erga Deum, non sufficere ad justificationis gratiam in Sacramento impetrandam.* Qua de Propositione simul & de Scripto quo ejus doctrina propugnabatur, Facultas illa celeberrima censuit hunc in modum: *Doctrinam dicti Articuli esse sanam, securam, veram, nulli reprehensioni obnoxiam, & meritò Fidelibus esse prædicandam & inculcandam; & insuper fundamenta quibus doctrina illa per idem Scriptum confirmatur, solida esse.* Ex quibus omnibus colligere est, quàm falsò asserat Dallæus, Romanæ Communionis Theologos plerosque omnes à confitentibus Attritionem solam exigere, quæ levi tantum ac evanido de peccatis dolore constet, qualis vel in homines improbissimos cadit; non autem ullâ verâ vitii emendatione.

Ad quintum Respondeo, Vitia eo tempore maximè vigere, quo Confessio maximè viget; sed fore ut longe plura gravioraque grassentur, si è medio auferatur Confessio: hanc vitiorum sentinam non magis ex Confessione, quàm ex Baptismo ortum habere, sed ex hominum corruptela. Nec verum est quod impudenter Doctissimo Theologo Antonio Arnaldo imponit Dallæus, ipsum Confessionis disciplinam eò valere existimare, ut homines ea expiandorum criminum facilitate, quam promittit, capti delusique licentiùs peccent. Istam enim expiandorum criminum facilitatem à Confessione promitti nullibi ait Arnaldus; sed in quorumdam Confessariorum imprudentiam & ignaviam meritò invehitur verbis ipsis Sanctorum Patrum: qui Confessarii in danda graviorum peccatorum reis absolutione, faciliores se præbent: & vel levissima opera confitentibus gravissimorum criminum reis imponunt; vel statim illis Communionem Eucharistiæ permittunt, qui mortalia admisere etiam frequentius, & in eadem post plurimas Confessiones sunt prolapsi; quibus tamen Absolutionem differri satius est, donec vitam emendaverint, & salubri satisfactione purgati sint: vel qui aliquod officium, negotiumve exercent, quod sine peccato non potest exerceri: uno verbo, qui in proxima peccandi occasione versantur. Invehitur pariter Vir Doctissimus in Pœnitentes, qui Confessionem absque sincero Dei amore, & Pœnitentiæ operibus sibi ad expianda peccata sufficere existimant. Errorem eorum coarguit, qui sibi videntur Contritionis actum elicuisse, cum orationes certis verborum formulis conceptas, quæ *Actus Contritionis* perperam inscribuntur, recitarunt. Ad veterem Ecclesiæ Disciplinam de Pœnitentia publica restaurandam viam aperit, utque ipsi subjiciantur publici peccatores, non alienum esse ab ingenio Tridentini Concilii ostendit. Ut initio Quadragesimæ confiteantur admissa peccatores, & satisfactoriis operibus ad Communionem Paschalem se disponant, Ecclesiæ disciplinâ constitutum probat. Non solùm mortalium reos, sed etiam qui affectu venialiter peccant, nec se curant emendare, à frequenti Eucharistiæ participatione esse arcendos. In his autem assertionibus quid est quod pietatem, & Ecclesiasticæ Disciplinæ studium non redoleat? Quid est quod ad mores Christianorum in melius commutandos non tendat? Quid est quod ad Ecclesiæ primævæ imaginem, quantùm hoc sæculum & præsens rei Christianæ status ferre potest, recudendam non collineet? Sed nihil ex Doctissimi D. Arnaldi Opere *De Frequenti Communione* extundere Heterodoxi possunt, quod contra Confessionis divinam institutionem & necessitatem pugnet: immò si D. Arnaldum, qui *in nostro Israele Magister est & Doctor* (ut Dallæus loquitur) & quidem meritissimus & veneratione dignissimus, auscultare vellent, brevî ipsos ut fratres amplecteremur.

Præterea, sic retorquere licebit objectionem Dallæi. Vitia eo tempore in Secta Calvinistarum maximè grassantur, quo Confessio soli Deo facta maximè viget. Quare? Nisi quòd homines ea expiandorum criminum, & veniæ facilitate quam promittit, capti delusique licentius peccant?

Ad ultimum respondeo, Dato quòd Confessarii nonnulli perversa dogmata doceant, (quod tamen rarum est, cùm Episcopi eos tantùm approbent ad excipiendas Confessiones, quorum sanam esse doctrinam prævio examine, vel alia via noverint:) Hoc, inquam, dato, nihil contra Catholicum de Confessione dogma conficitur. Vitium enimverò istud hominum est, non Confessionis: Sicut si fortè Concionatores prava dogmata prædicent, vitium non est prædicationis, nec evangelizandi Ministerium ideo tollendum est, sed ab eo hujusmodi homines repellendi. Ita providentiæ pastoralis est Episcoporum, si quos noverint Sacerdotes qui pravas in rebus Moralis Christianæ opiniones vel doceant, vel sectentur, eis hanc administrandæ Pœnitentiæ, & audiendarum Confessionum provinciam non imponere, ab eo munere ipsos amovere. Flagitiosæ illæ opiniones, quas Dallæus ibi recenset, præ Societati Jesu non sunt tribuendæ, quamvis in nonnullis ejusdem Societatis Auctorum Operibus pleræque legantur. Illos enim Libros à Societate approbatos non existimo. Atque ne id censeam, Reverendissimi P. Vitelleschi Præpositi Generalis Epistola encyclica ad omnes ejusdem Instituti Professores data die 4. Januarii 1617. me deterret. *Nonnullorum*, inquit, *ex Societate sententia (in rebus præsertim ad mores spectantibus plus-nimio libera) non modo periculum est ne ipsam*

Societas Jesu à calumnia vindicatur.

 evertant,

evertant, sed ne etiam Ecclesia Dei universa insignia inferant detrimenta. Omni itaque studio perficiant, ut qui doceat, scribuntve, minimè hâc regulâ & sententiâ in delectu sententiarum utantur: Tueri quis potest; probabilis est; Auctore non caret. Verùm ad eas sententias accedant quæ tutiores, quæ graviorum majorisque nominis Doctorum suffragiis sunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, & prodesse queant, non vastare, non perdere. Quoniam verò Constitutiones, Decreta, Regulas probè callent de S. Thoma sequendo, de non provehendis ad Cathedras, vel etiam removendis, qui ejusmodi doctrinam parvi facere, aut cordi non habere præ se ferunt, præsertim si novitatum amantes deprehendantur, qui nullâ ratione sunt ferendi: reliquum præterea mihi nihil est, nisi ut hæc ipsa serventur ut maximi rei momenti, quàm urgentissimè possum, urgere. Esto igitur, nonnulli ex Scriptoribus Societatis Jesu aberraverint, & hæc pepererint opinionum portenta (quod an ita sit, expendere per otium non licet impræsentiarum, neque nostri instituti est) hæc non est totius Societatis doctrina. Plurimos certè novimus, qui apud illius Ordinis Sacerdotes confiteri solent, eorumque consiliis in conscientiæ rebus dirigi, quos secundùm Evangelicas Ecclesiasticásque Regulas instrui ac dirigi, Morum integritas testatur. Audimus ex eadem Societate Concionatores eximios, qui Christianæ Eloquentiæ laudem cum Moralis Evangelicæ sanctissimis præceptis suis in Concionibus conjungentes, opinionum & morum corruptelam in Aula & in primariis Regiæ istius Civitatis excelsis ferventissimè insectantur. Quo fit ut recensita à Dallæo opinionum flagitia omnino putem ab ingenio religiosæ Societatis aliena. Sed à quibuscunque asserti sint vel asserantur illi contra Moralis Christianæ puritatem errores, Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ iniquè tribuerentur, quæ illos damnavit, ut constat ex Alexandri VII. & Innocentii XI. Summorum Pontificum Decretis, ab Ecclesia universa eâ quâ par erat veneratione & observantiâ receptis, & ex Censuris Gallicanorum Episcoporum, Theologicarum Facultatum, Parisiensis præsertim & Lovaniensis, ex Catholicorum denique Theologorum Operibus, qui pravas illas & venenatas opiniones, ex quo in Moralis Christianæ eversionem & Ecclesiæ perniciem grassari cœpere, fortiter impugnarunt, & verbo Dei, doctrinæ Patrum, Sacris Canonibus ac Sedis Apostolicæ Decretis, antiquorum Theologorum placitis, rectæque rationi repugnare demonstrarunt.

Objicit Dallæus, Novitiam esse apud Christianos Confessionem auricularem, quippe quæ nullâ ante Innocentii III. Pontificatum publica Ecclesiæ lege præcepta fuisse deprehenditur, hoc est, ante annum Domini 1215. quo Innocentius in Lateranensi Concilio illud de Confessione decretum promulgavit, quod legitur Canone 21. ut verissimè scripserit Calvinus lib. 3. Institutionum, cap. 4 nullam de ea statam fuisse legem, aut constitutionem ante Innocentii III. tempora, ex ipsis (inquit) adversariorum, id est, Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ Annalibus.

Respondeo. Ante Innocentium III. non solùm Ecclesiæ, sed Christi lege præceptam viguisse Confessionem Sacramentalem: de qua licèt nullum anterioris Concilii Oecumenici decretum habeatur; verba Christi & divina traditio ab Apostolis ad nos usque propagata & transmissa, quorum longè major est quam legum Ecclesiasticarum auctoritas, ab ipso Domino & Servatore nostro institutam fuisse probant. Confessionem itaque non instituit Synodus Lateranensis, sed solum Confessionis tempus præscripsit, quod nulla antea lege constitutum erat: sanxit scilicet ut divinum Confessionis præceptum, saltem semel in anno, ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Nostros autem Annales mendacii sui testes perperam Calvinus appellat: Cùm ex vetustissimis Christianæ Historiæ monumentis constet Confessionem Sacramentalem in usu semper fuisse in Ecclesia.

§. IV.

Confessionis Sacramentalis necessitas & usus perpetuus in Ecclesia ex Patribus demonstratur: primò quidem ex S. Irenæo.

PRimus in aciem prodit *S. Irenæus* vir Apostolicorum temporum, libro 1. *Adversus Hæreses*, cap. 9. ubi de Christianis mulieribus à Marco Mago & hæretico seductis ita scribit: *Hæ sæpissimè conversæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt, & secundum corpus exterminatas se ab eo velut Cupidine, & inflammatas valde illum se dilexisse, ut & Diaconum quidam eorum qui sunt in Asia suscipiens eum in domum suam, inciderit in hujusmodi calamitatem. Nam cùm esset uxor ejus speciosa, & sententia & corpore corrupta esset a Mago isto, & secuta eum esset multo tempore; post deinde cum magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in Exomologesi consummavit, plangens & lamentans ob hanc, quam passa est ab hoc Mago corruptelam.* Mulieres illas peccatum occultum, scilicet impudicum amorem, quo erga Marcum exarserant, & fornicationes vel adulteria furtiva, in Ecclesiis confessas esse Sanctus Irenæus testatur. Vigebat igitur in his rei Christianæ initiis Confessio in Ecclesia.

Respondet Dallæus, Irenæum in certo relinquere cui Confessæ fuerint mulieres illæ, an uni in aurem Sacerdoti, an toti Presbyterio, an etiam Laïcis; adeoque alienum esse à præsenti disputatione hunc locum.

Contra. Quòd Confessio secreta sit, & uni in aurem Sacerdoti fiat, vel publica, quæ coram toto Presbyterio, præsentibus etiam Laicis edatur, ad Confessionis Sacramentalis substantiam non pertinet, sed modum spectat, qui ipsi accidentarius est, & mutari subinde potest, salvâ illius essentiâ: sicut ad Baptismi essentiam non spectat quòd una, vel trina immersione, aspersione, vel effusione; & quòd ab uno vel pluribus administretur, modò verbis Evangelicis consecretur. Id unum Confessioni Sacramentali essentiale est, ut sit peccatorum quorumvis lethalium coram Ecclesiæ Præpositis vocalis & distincta expositio ad pœnitentiam, & veniam quæ illius fructus est, obtinendam. Illæ autem mulieres à Marco hæretico & mago corruptæ, flagitia sua occulta, & furtivas libidines coram Ecclesiæ Præpositis sigillatim & apertè confessæ sunt; non alio fine quam ut pœnitentiam ab ipsis acciperent, & facta exomologesi, id est, peracta Pœnitentia, Deo & Ecclesiæ reconciliarentur, & Communione donarentur. Quod à Sacerdotibus duntaxat, non à Laicis præstitum fuisse, quibus à Christo dictum non est, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, &c. ex Traditione constat, quam sequentibus testimoniis illustrare pergemus. Ex hoc igitur Sancti Irenæi testimonio compertum est mulierum illarum a Marco seductarum Confessionem Sacramentalem fuisse.

§. V.

§. V.

Tertullianus Catholico Dogmati suffragatur.

SUccedit Tertullianus, libro de Pœnitentia cap. IX. *Exomologesis*, inquit, *est qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed qua tenus satisfactio Confessione disponitur, Confessione pœnitentia nascitur, pœnitentiâ Deus mitigatur.* Deinde exomologesim describens, ait: *Cum provolvit hominem, magis relevat; cùm squalidum facit, magis mundatum reddit, cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absolvit.* In hac peccatorem *Presbyteris advolvi* ait: *Et caris Dei adgeniculari.* Cap. sequenti subjungit, *Plerosque hoc opus ut publicationem sui suffugere, pudoris magis memores quàm salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam Medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.*

Et infra: *Grande planè*, inquit, *emolumentum verecundia occultatio delicti pollicetur. Videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeone existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quàm palam absolvi?* Quo ex loco colligitur, Exomologesim Confessione constare, qua peccator se ipsum admissorum criminum accusat, & Deo peccatum exponit, non quidem soli: quia Confessio soli Deo facta externus Pœnitentiæ actus non est. Hic autem de externis duntaxat Pœnitentiæ actibus loqui Tertullianum constat ex verbis proximè antecedentibus. *Hujus igitur Pœnitentiæ secundæ & unius quantò in arcto negotium est, tantò operosior probatio est. ut non solà conscientià præferatur, sed aliquo etiam actu administretur.* Confessionem itaque intelligit Tertullianus Domino apud ejus Ministros factam, quâ *Disponitur satisfactio, & pœnitentia nascitur*: Quatenus Ecclesiæ Præpositi confitentibus reis pœnitentiæ opera imponunt, quibus Deo satisfaciant, ejusque iram mitigent. De Pœnitentia publica Tertullianum ibi loqui fateor, sed quæ non ob publica tantùm, verùm etiam ob occulta crimina imponeretur. Enimverò publicam imponere Pœnitentiam occultorum criminum reis Ecclesiæ Præpositi non potuissent, nisi fuissent illa confessi: non Confessione quæ animo tenus apud Deum fiebat; sed quæ pudorem incutiebat peccatori, quam ideo plerique ut publicationem sui suffugiebant, aut de die in diem differebant. Deinde ita confitentium pudorem cum eorum verecundia comparat, qui contracta in partibus verecundioribus corporis vexatione conscientiam Medicorum vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt. Loquitur itaque de Confessione criminum occultorum, & apud homines quidem facta: alioqui comparatio illa prorsus inepta esset. Ex ejusdem vi comparationis compertum est, Confessionem hujusmodi liberam non fuisse, & rem duntaxat consilii, ut Dallæus contendit: sed necessariam, & præcepti divini, quam qui suffugerent, salutis incurrerent periculum: sicut pereunt illi qui contractam in partibus verecundioribus corporis vexationem Medico non exponunt. De occultorum Confessione loqui Tertullianum, confirmant illa verba: *Grande planè emolumentum verecundia occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus?*

Respondet Dallæus, non loqui Tertullianum de auriculari Confessione, quæ cùm apud unum hominem in arcano fiat, illamque inviolabili secreto obstrictum, *Confitentis publicatio* nisi ridiculè dici non potest. Addit ex iis, quæ apud Tertullianum sequuntur, liquere Exomologesim apud plures factam. *Inter fratres*, inquit, *atque conservos, ubi communis spes, metus & gaudium, dolor, passio (quia communis Spiritus de communi Domino & Patre) quid tu hos aliud quàm te opinaris? Quid consortes casuum tuorum ut plausores fugis?* &c.

Sed inanis est hæc Dallæi responsio. Primò enim Confessio criminum etsi apud unum Sacerdotem facta, publicatio quædam est, & verecundiam incutit. Secundò, etsi Exomologesis apud plures facta sit, fieretque publica, non sequitur Confessionem apud multos pariter factam. Tertiò, pro peccatis occultis publicam Pœnitentiam ex veteris Ecclesiæ disciplina impositam non fuisse Dallæus contendit, & pluribus capitibus probare nititur adversùs D. Arnaldum: Ergo multò minùs Confessione publica aperiebantur. Arcana igitur erat & auricularis Confessio criminum occultorum, de qua loquitur Tertullianus. Quartò, Sacerdotes, *Fratres, conservos, & consortes casuum nostrorum* dici nihil vetat: & his temporibus, quibus Confessio publica non viget, sed tantùm secreta, peccatores præ pudore Confessionem fugientes his Tertulliani verbis appositè urgeremus: *Inter fratres atque conservos, quid tu hos aliud quàm te opinaris? Quid consortes casuum tuorum ut plausores fugis?* Quintò, unum fuisse rei Pœnitentiariæ Præpositum, apud quem Confessio ederetur, qui Pœnitentiam imponeret, ac reconciliaret Pœnitentes, facilè sibi persuadebit, qui probandæ Pœnitentiæ Catechumenorum ipsis ad Baptismum recipiendis unum in Ecclesia præpositum fuisse noverit, quod Tertullianus cap. 6. testatur. *Quis enim tibi*, inquit, *tam infida pœnitentiæ viro, aspergìnem unam cujuslibet aquæ commodabit? Furto quidem aggredi, & Præpositum hujus rei asseverationibus tuis circumduci facile est; sed Deus thesauro suo providet, nec sinit obrepere indignos.* Sextò, quamvis nulla Tertulliani tempore Confessio fuisset in Ecclesia præter publicam, nihilominùs Sacramentalis fuisset, cùm publicam esse, vel arcanam, præter ipsius essentiam sit: sicut & præter Pœnitentiæ rationem, quæ sive publicè, sive secretò fiat, æquè Pœnitentia est.

Respondet secundò Dallæus, Non apparere qualis hæc Confessio fuerit, an nimirum hujusmodi, quæ non unum modò illud peccati genus, de quo suscipienda & facienda erat Exomologesis, sed cætera omnia Pœnitentis delicta complecteretur.

Imò satis apparet ex Tertulliano, omnia delicta seu carne, seu spiritu; seu facto, seu voluntate admissa, Pœnitentiâ expianda fuisse. *Omnibus ergo delictis* (inquit cap. 4.) *seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & veniam per pœnitentiam spopondit.* Id de pœnitentia generatim spectata dixit Tertullianus, de cujus speciebus duabus agit, prima quæ præcedit Baptismum; secunda, qua peccata post Baptismum admissa expiantur. Hujus pars est *Confessio delictorum*, quæ *Satisfactionis consilium est*, & *quâ pœnitentia nascitur.* (cap. 8. & 9.) Cùm igitur Pœnitentia sit pro peccatis omnibus seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis agenda, & pro omnibus Deo sit faciendum satis, hæc omnia Confessione exposita fuisse Ecclesiæ Præpositis, ex Tertulliani testimonio compertum est. Denique illa peccata complectebatur hujusmodi Confessio, quibus illi apud quos fiebat, lachrymis & precibus veniam exorabant, pro quibus Christus Patrem deprecabatur: à quibus absolvebantur Pœnitentes, damnandi si

ea præ verecundia rejicerent. *Ergo*, inquit, *cùm te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Æquè illi cùm super te lachrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur. Facilè impetratur semper quod Filius postulat.* Et infrà: *An melius est damnatum latere, quàm palam absolvi?* Atqui non pro unius dumtaxat peccati remissione Præpositi Ecclesiæ exorabant, & lachrymas fundebant super Pœnitentes, sicut non pro unius tantùm venia Christus deprecatur: nec ab uno tantùm delicto absolvebantur, cùm ab uno peccato coram Deo verè absolutus esse nemo possit, & cæterorum constringi vinculis. Itaque non unum tantùm peccatum, sed omnia quorum reus erat, qui faciebat exomologesim, complectebatur Confessio, de qua loquitur ibi Tertullianus.

Confiteantur singuli, quæso vos fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti Confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Convertantur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecentur. Illi se anima prosternat, illi mæstitia satisfaciat, illi spes omnis incumbat. Ex quibus liquet, Confessionem Sacerdotibus factam necessariam esse ad remissionem peccatorum apud Dominum obtinendam: tamque necessum esse confiteri, quàm necesse est ad Dominum converti mente tota, pœnitentiam criminis veris doloribus exprimere, & Dei misericordiam deprecari. Eodem namque modo de omnibus istis actibus loquitur. Igitur non spontanea tantùm animi religione, sed publica lege, & divinâ quidem, Confessionem peccatorum apud Sacerdotes Lapsi edere debebant.

---

§. VI.

S. Cyprianus Catholicum Dogma confirmat.

POst *Tertullianum* audiatur *S. Cyprianus*, in Tractatu De Lapsis. *Denique*, inquit, *quantò & fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti; quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, Exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licèt & modicis vulneribus exquirunt.* Qui vel de sacrificio idolis offerendo, vel de libellis ab Ethnico Magistratu accipiendis cogitaverant, adibant Sacerdotes, apud eos crimen confitebantur, quamvis occultum, quamvis cogitatione solâ admissum; conscientiæ suæ pondus exponebant, medelam salutarem ab ipsis exquirebant. Confessio itaque occultorum criminum, & ipsarum cogitationum pravarum, frequentabatur in Ecclesia & laudabatur tempore S. Cypriani.

Respondet Dallæus, primò non de quibusvis peccatis solâ cogitatione commissis agere Sanctum Cyprianum, cùm eorum Confessionem apud Sacerdotes editam laudat, sed solùm de peccato idololatriæ, vel Libellaticorum. Secundò, ipsos ex spontanea animi religione, non ex publica Ecclesiæ lege id officii necessariò præstitisse.

Sed utraque responsio futilis est. Quamvis enim de omnibus peccatis cogitatione solâ commissis S. Cyprianus non loquatur, quia id non postulabat quo de agebat argumentum: ex ejus tamen doctrina colligitur: alia etiam peccata occulta, & solâ cogitatione commissa, reorum Confessione ad Sacerdotes delata fuisse. Cùm enim *Pejorem esse mœchi quàm libellatici causam*, id est, gravius peccatum, alibi asserat, & *In minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentiam agi justo tempore*, affirmet Epistola 12. consequens est, eos qui vel de mœchia, aut aliis de criminibus cogitaverant, eaque animo, quamvis non facto, admiserant, ea pariter apud Sacerdotes confessos fuisse dolenter & simpliciter, animi sui pondus apud ipsos exposuisse, exomologesim fecisse, & salutarem medelam suis quæsivisse vulneribus. Nisi idololatriæ, & libellaticorum factioni provisum fuisse constitutumque remedium dixerimus, etsi cogitatione solâ admissa essent: aliis autem peccatis provisum non fuisse.

Quòd autem non spontanea tantum animi religione, sed publica lege id officii Lapsi præstare deberent, evincunt sequentia Sancti Cypriani verba:

---

§. VII.

Origenes quartus contra Dallæum testis.

ORigenes Homilia 11. in *Leviticum*, postquam sex modos, quibus in Ecclesia remittuntur peccata recensuit, hæc nostram causam spectantia subjicit: *Est adhuc & septima, licet dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lavat peccator in lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte; & cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam, secundùm eum qui ait: Dixi, Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. In quo impletur & illud quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Confessionem peccatorum occultorum, quæ nescit Sacerdos nisi ipsi à peccatore indicentur, & à quibus confitendis ipsum avertere verecundia potest, medium esse ad remissionem peccatorum in pœnitentia obtinendam Origenes agnoscit: & divinitus quidem institutum; siquidem in illo impleri Sancti Jacobi Apostoli verba existimat.

Respondet Dallæus, Non modò hinc auricularem Confessionem non haberi, sed insuper eam everti, quod sic demonstrare se confidit. Cùm Origenes quædam veterum pro peccatis sacrificia enarrasset, objectionem quamdam, quæ ex illo sermone suboriri videtur, occupat. *Sed fortasse*, inquit, *dicant auditores Ecclesiæ: Melius ferè agebatur cum antiquis, quàm nobiscum, ubi oblatis diverso ritu sacrificiis, peccantibus venia præstabatur. Apud nos una tantummodo venia est peccatorum, quæ per Lavacri gratiam in initiis datur. Nulla posthac peccati misericordia, nec venia ulla conceditur.* Hanc objectionem solvit dicendo, plura esse media ad remissionem peccatorum in Lege Evangelica, Baptisma scilicet, Martyrium, eleemosynam, injuriarum condonationem, reductionem peccatoris ad meliorem frugem, vel infidelis ad fidem; charitatis fervorem & Pœnitentiam, in qua non erubescit reus indicare Sacerdoti Domini peccatum suum. Ex quibus colligit Dallæus, non fuisse tunc in usu apud Christianos Confessionalem Disciplinam. Si enim in usu fuisset, auditores Ecclesiæ talia objectantes non induxisset. Quis enim hodie Romanorum hominum vel dixerit, vel cogitaverit, *Nulla nobis nunc alia ratione nisi per Baptismum peccata dimitti,*

dimitti, post hac nullam veniam concedi! A qui nemo est usque adeo apud istos infans, inquit Dallæus, qui nesciat post Baptismum veniam apud Presbyterorum tribunalia quibusvis prostare; nemo qui non suo ipse experimento hoc edoctus fuerit. Ergo necessariò fatendum est, vel delirasse Origenem, qui Ecclesiæ auditores ac domesticos ista objectantes inducit; vel certè alios tunc fuisse quàm nunc sunt Christianorum hac in parte ritus & mores.

At hæc Dallæi Responsio futilis est, & in suum Auctorem facilè potest retorqueri. Quidni enim sic colligam (si Dallæi ratiocinia imitari placet) Confessionem Deo factam, & Pœnitentiam tunc in usu apud Christianos non fuisse? Siquidem illos Ecclesiæ auditores objectantes inducit Adamantius, *Nulla nobis nunc alia ratione nisi per Baptismum peccata dimitti, post hac nullam veniam concedi.* Quæ Calvinistarum nemo objiceret, cùm nemo sit usque adeo apud istos infans qui nesciat post Baptismum veniam concedi pœnitentiam agentibus, & peccata sua Deo confitentibus. Verùm persuasum habeo Origenem inducere absque imprudentia potuisse illos Ecclesiæ auditores ita quærentes & objectantes, quamvis Confessio Sacramentalis in usu esset. Illi enim Ecclesiæ auditores, proculdubio erant Catechumeni, qui & Audientes à Patribus vocati sunt. Nec dubito quin (si has Homilias Græcè haberemus) id ex textu Origenis compertum esset. Cùm itaque Catechumeni alia media ad remissionem peccatorum instituta præter Baptismum nondùm nossent, quia tales adhuc erant & infantes in rebus Fidei, non mirum quòd Origenes hinc velut ab ipsis factam objectionem sibi proponat & solvat.

Respondet secundò Dallæus, Origenem præter Baptismum ac Confessionem Sacerdoti factam quinque alias rationes commemorare, quibus à Domino peccatorum remissio obtinetur. Non ergo, inquit, iste putavit sine vocali Confessione apud Sacerdotem vel in re, vel saltem in voto edita, nullius peccati remissionem haberi posse.

Verùm non animadvertit Auctor Heterodoxus Origenem rationes omnes ac media recensere quibus in Evangelica Lege dimittuntur peccata cùm venialia, tum mortalia, tum etiam originale ipsum peccatum. Unde eò non valet iste locus ut singulas istas veniæ obtinendæ rationes ad quævis peccata expianda satis esse Origenes existimasse censeatur: alioqui sine Baptismo, eleemosyna, vel injuriarum condonatio ad remissionem omnium criminum sufficerent. Sed eò valet ut suo modo remissionem peccatorum singula hæc media conferant, vel impetrent; Baptismus quidem & Martyrium, cùm peccati originalis, tum cæterorum omnium absolutissimam conferant indulgentiam: Pœnitentia & Confessio, peccatorum omnium post Baptisma commissorum veniam; abundantia charitatis cum Baptismi, vel Confessionis voto, omnia etiam delicta expungat; & sine proposito Confessionis ad venialia delenda satis sit: eleemosyna denique, condonatio injuriarum, correctio & conversio peccantium, venialium remissionem impetrent: Vel etiam ad mortalium veniam obtinendam, si fiant extra peccati affectum, & ex aliquo motu charitatis saltem inchoatæ, disponant.

Respondet tertiò Dallæus, Priores quatuor rationes, eleemosynam, injuriarum condonationem, conversionem peccatoris, charitatis abundantiam, ad ea peccata pertinere, quæ quòd non essent nota, nullo Ecclesiæ ministerio indigebant. Septimam verò ad ea potissimùm referri, quæ, quòd essent cum scandalo conjuncta, publica Exomologesi procurabantur.

Sed hanc responsionem evertit idem Origenes Homilia 3. in Leviticum, in qua peccata omnia etiam in occulto admissa, non facto tantùm, sed & sermone solo, vel cogitatione, Confessione de qua ante locutus fuerat (Homilia nempe secunda,) eluenda esse asserit. *Audi quid legis ordo pracipiat. Si peccaverit,* inquit, *unum aliquid de istis, pronuntiet peccatum quod peccavit. Est aliquod in hoc mirabile secretum, quod jubet pronuntiare peccatum. Etenim omni genere pronuntianda sunt, & in publicum proferenda cuncta qua gerimus, si quod in occulto gerimus, si quod in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri. Proferri autem ab illo, qui & accusator peccati est, & incentor. Ipse enim nunc nos ut peccemus instigat, ipse etiam, cùm peccaverimus, accusat. Si ergo in vita praveniamus eum, & ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici nostri & accusatoris effugimus. Sic enim & alibi Propheta dicit: Dic tu, inquit, iniquitates tuas prior, ut justificeris.* (Isaiæ 43.) *Nonne evidenter mysterium de quo tractamus ostendit, cum dicit: Dic tu prior? Ut ostendat tibi quia pravenire illum debeas, qui paratus est ad accusandum. Tu ergo, inquit, dic prior, ne te ille praveniat: quia si prior dixeris, & sacrificium pœnitentia obtuleris, secundum ea qua in superioribus diximus offerenda.... Sed & David eodem Spiritu loquitur in Psalmis, & dicit: Iniquitatem meam notam feci, & peccatum meum non cooperui. Dixi, Pronuntiabo adversum me injustitiam meam,* (Psal. 31.) *& tu remisisti impietatem cordis mei. Vide ergo quia pronuntiare peccatum, remissionem peccati meretur. Praventus enim diabolus in accusatione, ultra nos accusare non poterit: & si ipsi nostri sumus accusatores, proficit nobis ad salutem: si vero expectemus ut à diabolo accusemur, accusatio illa cedit nobis ad pœnam.*

Respondet Dallæus, Hanc nostram cujusvis peccati accusationem, ac Confessionem apud Ministrum Ecclesiæ, & quidem clam, ac in aurem fieri, atque institui debere, neque scribere, neque verò cogitasse Origenem.

Contrà. Illam peccati Confessionem edendam esse ait Origenes, secundùm ea quæ in superioribus dixerat; atqui in superioribus, Homilia scilicet secunda, dixerat Confessionem edendam esse apud Sacerdotem. Itaque hanc nostram cujusvis peccati accusationem apud Ministrum Ecclesiæ faciendam esse voluit Origenes.

Idem probatur insigni altero testimonio Origenis in Psalmum 37. Homilia 2. in qua explicans illa verba: *Quoniam iniquitatem meam pronuntiabo*, hæc habet: *Pronuntiationem iniquitatis, id est, Confessionem peccati, frequentius diximus. Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecùs. Fortassis enim sicut ii qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter & molestè immanentia, si vomuerint, relevantur: etiam hi qui peccaverint, siquidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecùs urgentur & propemodum suffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fias, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius Medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit disciplinam: ut ita demum si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum Medicum ostenderit & misericordem, si quid consilii dederit, facias & sequaris? Si intellexerit, & praviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesia exponi debeat,*

&

& curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito Medici illius consilio procurandum est.

Respondet Dallæus, Hoc loco non disertam & expressam singulorum nominatim peccatorum expositionem, qualis hodie apud nostros Sacerdotes fieri solet, significari; sed eam professionem, quæ factis ipsis ac pœnitentium officiis editur, generalemque scelerum agnitionem.

Contrà. Ea de Confessione loquitur Origenes, quæ Medico debet languoris causam exponere, qui Medicus videat an talis sit languor, id est peccatum, quod in totius Ecclesiæ conventu exponi debeat & curari: Sed agnoscere spiritalis Medicus non potest an delictum sit hujusmodi quod in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, necne, nisi singula peccata disertè & nominatim confiteatur Pœnitens. Loquitur itaque Origenes de diserta & expressa singulorum nominatim peccatorum expositione.

Respondet secundò Dallæus, Hunc Auctorem Sacerdotis non meminisse cui Confessio fiat.

Contrà. Homilia 2. in Leviticum supra laudata Sacerdoti peccatum indicare suum debere Pœnitentem, & ab eo quærere Medicinam, ait Origenes. Ille igitur Medicus cui confitendum esse peccatum hic ait Origenes, etiam est Sacerdos.

Respondet tertiò Dallæus, his Homilias in Psalmum 37. non esse Origenis, laudatque Erasmum & Cocum. Sed has ipsi vindicavimus in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ III. Sæculi.

Tandem non soli Deo faciendam esse Confessionem, sed fratribus, qui mederi ipsis possint, id est, Sacerdotibus, idem Origenes testatur Homilia XVIII. in Lucam. *Quandiu*, inquit, *absconditæ erant cogitationes, nec prolatæ in medium, impossibile erat eas penitus interfici. Unde & nos si peccaverimus, debemus dicere, Peccatum meum notum feci tibi, & iniquitatem meam non abscondi. Dixi, Annuntiabo injustitiam meam contra me Domino. Si enim hoc fecerimus: & revelaverimus peccata nostra, non solùm Deo, sed & his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo qui ait: Ecce delebo ut nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua.*

---

§. VIII.

Lactantius quintus contra Dallæum testis.

LActantius libro IV. *Divinarum Institutionum* Cap. ultimo singularem notam designans qua vera & Catholica Ecclesia dignoscatur, hæc habet: *Sola igitur Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc est domicilium Fidei, hoc Templum Dei, quò si quis non intraverit, vel à quo si quis exiverit, à spe vitæ ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri. Agitur enim de vita & salute, cui nisi cautè & diligenter consulatur, amissa & extincta erit. Sed tamen quia singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est illam esse veram, in qua est religio, Confessio, & Pœnitentia, quæ peccata & vulnera quibus subjecta est imbecillitas carnis salubriter curat.* Cùm loquatur Lactantius de nota visibili, qua dignosci vera Ecclesia possit, & Confessio soli Deo facta non cognoscatur ab hominibus, ut quæ solo animo peragatur; certum est eum de Confessione soli Deo facta non loqui, sed de Confessione edita apud Ecclesiæ Ministros.

Dallæus respondet, His verbis Novatianos à Lactantio damnari. His porro nullam unquam fuisse cum Catholicis de auriculari Confessione controversiam contendit. Illi de pœnitentia & pace Lapsorum litigabant, quos sacra Communione in perpetuum excludebant. Ergo non aliud intelligit Lactantius, quam quod apud istos deerat, id in Ecclesia fuisse, nimirum spem veniæ etiam Lapsis propositam, certumque Confessionis ac Pœnitentiæ ordinem iis definitum ac præstitutum, quò ad Communionem recuperandam decurrerent.

Contrà. Novatianis controversia erat cùm Catholicis non de Confessione soli Deo facta, quam & ipsi admittebant, cùm veniam à solo Deo posse obtineri censerent. Solam excludebant remissionem gravium peccatorum post baptisma admissorum, illiusque potestatem Ecclesiæ & illius Ministris denegabant. Cùm itaque Lactantius veram esse Ecclesiam ait, in qua est Confessio & Pœnitentia, non loquitur de Confessione soli Deo facta, sed Sacerdotibus. Nec de Pœnitentia solùm publica, ut Dallæus contendit, istud Lactantii testimonium intelligendum est, sed etiam de privata: cùm non solùm publica peccata quæ sola Pœnitentiæ publicæ obnoxia fuisse Calvinista iste propugnat, verum etiam secreta, quibus non minùs quàm publicis *Subjecta est imbecillitas carnis*, hujusmodi Pœnitentia & Confessione *salubriter* in Ecclesia *curentur*.

His adjunge insignem Eusebii locum lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 9. ubi de Narcisso Hierosolymorum Episcopo sanctissimo celebrem historiam refert. Acerrimus erat in criminibus vindicandis. Nonnulli igitur viri perditi, & gravissimorum criminum rei, & tres potissimùm, ab ipso puniri canonicè pertimescentes, eum fœdis criminationibus appetunt, calumniásque à se confictas jurejurando confirmant. Licèt autem propter viri singularem sanctimoniam pauci ejusmodi calumniis fidem adhiberent: Narcissus tamen, tum criminationum indignitate commotus, tum solitariæ vitæ desiderio accensus, secedit clam omnibus, atque in desertis locis longo annorum intervallo incognitus latet. Interim ex calumniatoribus duo miserrimè pereunt, illis infortunio contingente, quod jurantes deprecati fuerant. Tertius *Omnium inspectoris Dei inevitabilem veritus vindictam, concinnatæ ab ipsis ex compacto calumniæ ordinem est confessus. Tantis porro lamentis ob pœnitentiam facti se confecit, & in tantum lachrymas effundere perseveravit, ut ex eo oculorum lumen amitteret.* Calumniæ ita erant obscuræ, ut omnes laterent, nisi tanti flagitii superstes reus consciusque illas revelasset. Confessio itaque illa fuit occulti criminis, in Ecclesia facta, non apud Deum tantùm: & Pœnitentiæ pars fuit, cujus sinceritatem tam uberes lachrymæ tamque diuturnæ testatæ sunt.

---

§. IX.

Sanctus Hilarius, sextus contra Dallæum testis.

COnfessionis Sacramentalis necessitas & usus confirmantur ex *S. Hilario* Pictavensi Episcopo, Cap. XVIII. in Matthæum, dicente: *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile severitatis Apostolicæ judicium præmisit: ut quos in terris ligaverint, id est, peccatorum nodis innexos reliquerint,*

&

& quos solverint, Confessione videlicet veniæ receperint in salutem: hi Apostolicæ conditione sententiæ in cœlis quoque absoluti sint aut ligati.

Respondet Dallæus, Ipsam illam Confessionis vocem, non ab Hilario scriptam, sed ab imperito Librario pro alia quadam simili adhibitam in hunc locum irrepsisse. Omnino corrigendum locum videri, & levi mutatione legendum, *Et quos solverint, concessione scilicet veniæ receperint in salutem.*

Sed quamvis ita legendum esset, quod tamen nullius Codicis MS. aut editi auctoritate Dallæus probat; cùm hanc vocem, *Confessione*, Editiones omnes habeant, etiam *Erasmi*, & in antiquis Codicibus MSS. occurrat, ex quibus undecim à se excussa laudat novissimus *S. Hilarii* Editor, Congregationis Benedictinæ *S. Mauri* Monachus eruditus; quamvis (inquam) ita legendum esset, Confessionis tamen necessitatem hic locus demonstraret. Venia namque concedi non potest quibusdam peccatoribus, & aliis retineri, auctoritate judicii quod in cœlis ratum habeatur, nisi illorum peccata singula cognoscantur. Cognosci autem non possunt occulta crimina, nisi Confessione peccatoris. Ex hoc itaque sancti Hilarii loco necessitas Confessionis apud Sacerdotem faciendæ ostenditur.

---

§. X.

SS. Basilius & Gregorius Nyssenus Dallæo adversi.

Catholico de Confessione Sacramentali dogmati S. Basilius suffragatur in Regulis Brevioribus, in Responsione ad Interrogationem 229. *Omnino*, inquit, *in peccatorum Confessione eadem ratio est, quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis homines temerè aperiunt, sed iis tantummodo, qui rationem, quâ ea curanda sint, teneant: eodem modo etiam peccatorum Confessio fieri debet, apud eos videlicet qui ea possint curare: consentaneum in modum illi quod scriptum est* (Roman. 15.) *Vos qui firmiores estis, imbecillitates infirmiorum portate, hoc est, tollite diligentiâ & curâ vestrâ.*

Illa peccatorum revelatio, seu detectio, Græcè ἐξαγόρευσις non generalis tantùm, sed omnium admissorum in specie esse debet. Sicut enim æger non tantùm detegere generatim debet Medico morbum occultum quo fortè laborat; sed ipsi debet indicare quid sibi doleat, eique omnia morbi symptomata, causas & circumstantias aperire, ut congruis curet eum remediis, maximè si gravis sit morbus, qui naturæ vi, aut facilibus obviisque remediis sanari non possit, utpote partes internas quibus vita fovetur afficiens: ita detectio, seu (quod idem est) Confessio peccatorum, quæ vitæ spiritalis principium, id est, gratiam & charitatem destruunt, & ob id mortalia nuncupantur, omnium admissorum disertè & nominatim esse debet.

Respondet Dallæus, Eam de qua Basilius loquitur peccatorum revelationem, non tam ad reatum, quàm ad habitum peccati tollendum fieri solitam, sic ut exempli causâ, ex avaro benignus, ex iracundo mitis, ex intemperante castus & sobrius fias. Idque patere ait, tum ex Medicorum quam adhibet Basilius, similitudine, qui non alia de causa consuluntur, quàm ut nos ab hærente in nobis morbo liberent, tum ex Pauli loco, quem in fine affert; non enim isthic Paulus de remittendo peccato, sed de curanda & tollenda fratrum infirmitate intelligit. Neque suum illud præceptum solis Sacerdotibus, sed quibusvis è Fidelium numero firmioribus, atque in pietate confirmatioribus destinat, sive ii Laici fuerint, sive Clerici.

Contrà: Non curatur à peccato anima, nisi macula & reatus peccati expungatur: sanatur autem sæpius, quamvis non sit omnino destructus habitus: Rationem affert Sanctus Thomas III. Parte Quæst. 86. Art. 5. Quòd scilicet culpa peccati moralis remittitur, in quantum tollitur per gratiam aversio mentis à Deo. Sublato autem eo quod est ex parte aversionis, nihilominus remanere potest id quod est ex parte conversionis inordinatæ, cùm hanc contingat esse sine illa, & ideo nihil prohibet quin remissâ culpâ, remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ; remanent tamen debilitatæ & diminutæ; ita quòd homini non dominentur. Et hoc magis per modum dispositionum, quam per modum habituum: Sicut etiam remanet fomes post baptismum. Et in Responsione ad primum ait: Deus totum hominem perfectè curat. Sed quandoque subitò: sicut Socrum Petri statim restituit perfectæ sanitati, ita ut surgens ministraret illis (ut legitur Lucæ IV.) quandoque autem successivè, sicut dictum est de cæco illuminato (Marci 8.) & ita etiam spiritualiter quandoque tanta commotione convertit cor hominis, ut subitò perfectè consequatur sanitatem spiritualem, non solùm remissâ culpâ sed sublatis omnibus peccati reliquiis, ut patet de Magdalena, (Lucæ 7.) quandoque autem priùs remittit culpam per gratiam operantem, & postea per gratiam cooperantem successivè tollit peccati reliquias. Hæc sanctus Thomas. Ex quibus colligitur, curari intendum animam à reatu peccati, quamvis remaneat ejus habitus, fractus licèt ac debilitatus. Itaque revelatio seu detectio peccatorum, quam S. Basilius commendat, non ad habitum duntaxat, sed ad labem reatumque peccati tollendum præcipuè pertinet. Idque suadet Medicorum similitudo à Basilio adhibita, quorum ars eò per se ac primò spectat ut morbos curent, eamque in qua positi sunt intemperiem humorum removeant, ac dolorem sedent: Licèt restaurata valetudine maneant reliquiæ morbi, certâ victus ratione, & exercitatione corporis prorsus abigendæ. Infirmitas autem qua de loquitur S. Paulus à Basilio laudatus, non alia est à peccato: ut sit inane boni sensus quod Dallæus ait, S. Paulum non de remittendo peccato, sed de curanda & tollenda fratrum infirmitate ibi fuisse locutum. Nec obstat quòd Apostoli præceptum solis Sacerdotibus non destinetur. Satis enim est quòd Basilius illud Sacerdotibus accommodet. Quos etsi disertè non nominet, satis indicat eorum nomine, *Qui peccata curare possint.* Quod & confirmat in Responsione ad Interrogationem 288. in qua ait: *Necessariò iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio Mysteriorum Dei.*

Confessionis Sacramentalis necessitas & usus pariter comprobantur S. Gregorii Nysseni suffragio, Oratione *In eos qui alios acerbè judicant*, dicentis: *Quamobrem major tibi in eo fiducia sit, qui te in Deo genuit, quam in illis, à quibus corpore procreatus es. Audacter ostende illi quæ sunt recondita. Animi arcana tanquam occulta vulnera, Medico detege. Ipse & honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit.* Animi arcana Sacerdotibus, qui nos in Deo genuerunt, detegenda Sanctus Gregorius asserit, audacter ostendenda illis quæ sunt recondita. Loquitur ergo de criminum occultorum Confessione secreta; non verò de Pœnitentia seu Exomo-

logesi publica, ut Dallæus respondet: siquidem ipso fatente Dallæo, crimina occulta publicæ Pœnitentiæ obnoxia non erant. Futiles verò sunt rationes quibus hoc testimonium ad Pœnitentiam publicam referendum probat Heterodoxus. Prima est, quia de hoc argumento disserere incipiens Sanctus Gregorius Nyssenus ita orditur: *Nunc mihi vos, quibus in viam redeundum est, ac resipiscendum, attendite.* Errantes extra viam, hoc est, extra Communionem Ecclesiæ positos alloquitur (inquit Dallæus) qui non alia tum Pœnitentiâ, quàm publicâ reducebantur, & Communioni restituebantur. At nullius est momenti hæc ratio. Errantes enim sunt omnes qui lethale peccatum admiserunt, ipsi à Dei lege, à justitiæ semita, & ab æternæ beatitudinis tramite deflexerunt. Ipsis in viam salutis redeundum est ac resipiscendum.

Secunda ratio est, quia mox eos reprehendens, qui hâc quam commendat Pœnitentiâ, non ut decebat, fungebantur, publicam apertissimè describit. Ait enim eos *A Mysteriis, arcanorumque communione Sacramentorum culpâ suâ decidisse ac separari.* Significat *nullam in eorum vultu hilaritatem, nullum in corporis cultu victuque splendorem* esse decuisse. Denique idem docent hæc verba: *Suscipe ex eo dolorem, quantum maximum potes. Affige te, fratresque benevolos atque unanimes adhibe, qui simul doleant, adjumentoque sint ut libereris.*

At hæc ratio non est validior. Nam & à Communione Sacramentorum suâ culpâ decidunt occulti criminis rei, qui sacrâ Mensâ frui, & Corpus Christi recipere jure non possunt, nisi Pœnitentiam egerint: & æquè corporis cultu victuque Pœnitentiam testari debent; & fratrum preces apud Deum veniæ conciliatrices adhibere.

Præterea non solùm de publica, verùm etiam de privata Pœnitentia, proindeque & de secreta Confessione loqui Sanctum Gregorium Nyssenum, proximè antecedentia verba demonstrant. *Nos autem verbis quidem pœnitentiam pollicemur, factis verò nihil studii, laborisque præstamus, sed eadem vivendi consuetudine utimur, qua priusquam peccata confitendo detestaremur, utebamur. Eadem in vultu hilaritas, idem in corporis cultu victuque splendor. Somno ad satietatem usque indulgemus, negotiis & occupationibus animo sedulitatis oblivionem injicimus, pœnitentia nomen inane duntaxat, & nullis expressum factis retinemus.* Dici autem non potest quòd publicè Pœnitentes eadem vivendi consuetudine uterentur, & quòd idem in eorum corporis cultu victuque splendor appareret, qui ante publicam Pœnitentiam. Accedit, quòd Patres non solent in prima persona loqui, & seipsos eo numero involvere, cùm de publicis peccatoribus, vel Pœnitentiam ritu solenni agentibus loquuntur. Denique iis de peccatis loquitur quæ publicæ non subjiciebantur Pœnitentiæ omnia, sed privatæ remediis curabantur, scilicet avaritia, perjurium, mendacium. *Tu verò*, inquit, *cujus animus æger est, cur non ad Medicum properas? Cur non ei confitendo morbum ostendis tuum? .... Deliciis indulgens in morbum delapsus es: eum inedia & jejuniis cura. Animus laborat incontinentiâ: adhibeatur temperantiæ medicamentum. Multiplici ac nimia pecuniæ cupiditate in febrim incidisti: liberalitate & eleemosyna depellatur. Hæc enim est nimirum expletæ mentis curatio. Luisti te rerum alienarum direptio; quæ rapta sunt, ad proprios dominos revertantur: mendacium te proximè duxit ad interitum (Perdet enim, inquit, omnes qui loquuntur mendacium) veritatis studio periculum evitetur. Jurisjurandi violatio sublimem Zachariæ filii securim sustinuit per aëra volitantem ac cædem minitantem: inducantur omnia arma pœnitentiæ ut securis acies & ictus propulsetur.*

Idem confirmatur ex S. Gregorii Nysseni Epistola ad *Letoium* Melitinensem Episcopum, Canone secundo Concilii Trullani laudatâ. *Qui autem* (inquit) *latenti ablutione sibi alienum usurpat, si deinde per declarationem peccatum suum Sacerdoti aperuerit, vitii studio in contrarium mutato, ægritudinem curabit.*

---

§. XI.

S. Ambrosius, nonus contra Dallæum testis.

Sanctus Ambrosius Ecclesiæ causam contra Novatianos agens, Sacramentalis Confessionis necessitatem usúmque confirmat, libro II. *De Pœnitentia*, Cap. IX. *Plerique*, inquit, *futuri supplicii metu, peccatorum suorum conscii Pœnitentiam petunt: & cum acceperint, publicæ supplicationis revocantur pudore ... Nonnulli ideo poscunt Pœnitentiam, ut statim sibi reddi Communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare. Suam enim conscientiam non exuunt, & Sacerdotis induunt, cui præceptum est: Nolite Sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas ante porcos: hoc est, immundis spiritibus sacræ Communionis non facilè impertienda consortia. Itaque videas eos candidata veste incedere, quos lugere & gemere oportebat, quia vestem illam ablutionis & gratiæ sordidarunt: fœminas autem margaritis onerare aures, curvare cervices, quas bene Christo, non auro inclinarent: quæ seipsas flere debebant, quòd margaritam, quæ de cœlo est, perdiderunt.* Et cap. X. *An quisquam ferat ut erubescat Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem? Et pudeat te Deo supplicare quem non lates, cùm te non pudeat peccata tua homini quem lateas confiteri?*

Respondet Dallæus, Sanctum Ambrosium loqui de Confessione publica, non arcana; apud Deum & apud Ecclesiam, non apud unum Sacerdotem; in conspectu sanctæ plebis, non in aure unius hominis: idque ex verbis sequentibus constare ait: *An testes precationis & conscios refugis?* &c. *Hoc ergo in Ecclesia facere fastidis ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad Deum obsecrandum sanctæ plebis requiras, ubi nihil est quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cùm omnes simus peccatores?*

Contrà: Quamvis Sanctus Ambrosius Cap. X. de Confessione loquatur, quâ Pœnitens peccata, non verbis inanibus, sed publicæ Pœnitentiæ operibus fateretur in conspectu totius Ecclesiæ: Confessionem tamen Sacerdoti secretò factam, & occultorum quidem criminum, adstruit his verbis: *Pudeat te Deo supplicare quem non lates, cùm te non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri.*

Præterea. Testatur sanctus Ambrosius, quosdam peccatorum suorum conscios Pœnitentiam postulasse, ita tamen ut statim sibi reddi Communionem vellent: illos conscientiam Sacerdotis induere, non exuere suam. Illos increpat quòd candida veste incedant, quos ob amissam baptismatis & gratiæ vestem lugere oportebat. Itaque peccatores illi Sacerdotes adibant, eisque peccata sua secretò confitebantur, quæ si graviora essent, illos Communione abstinere jubebant, & publicam Pœnitentiam peragere. Si non ita gravia, illis Communionem reddebant, impositâ Pœnitentiâ privatim agendâ.

Omnia

Omnia porro peccata lethalia Sacramentali Confessioni esse obnoxia, neminemque hominem ab ea lege esse immunem, colligitur ex Cap. III. ejusdem Libri. *Etenim*, inquit, *quotiescumque sanguinem Domini sumimus, mortem Domini annuntiamus. Sicut ergo semel pro omnibus immolatus est, ita quotiescumque peccata donantur, Corporis ejus Sacramentum sumimus, ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio. Ergo evidentissimè Domini prædicatione mandatum est, etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde & manifesta Confessione peccati Pœnitentiam gerant, Sacramenti cœlestis refundendam gratiam.* Ex effusione sanguinis Christi pro omnibus S. Ambrosius colligit, omnes omnis generis peccatores verè Pœnitentes & confessos, Communione Corporis Christi donandos esse. Cùm ergo minimè dubitaverit quin omnis generis peccata vi Sanguinis Christi deleantur; consequens est ipsum existimasse omnia & singula Confessioni Sacramentali subjicienda esse ante Communionem Corporis Christi.

Id confirmatur ex cap. VI. ejusdem libri, ubi prolatis quibusdam Scripturæ Sacræ testimoniis ex XXXI. *Jeremiæ* & ex LIII. Isaïæ, quæ peccati mortalis genus omne, & omnes omnino homines respiciunt, *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates, & memor non ero*, ea peccata legi Confessionis à Deo positæ obnoxia affirmat. *Si vis*, inquit, *justificari, fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda Confessio peccatorum. Vides quid à te exigat Deus tuus, ut memor sis ejus, quam acceperis, gratiæ, & non glorieris quasi non acceperis. Vides qua remissionis pollicitatione provocet ad confitendum.*

Et Epistola LXVII. ad *Simplicianum*, ita scribit: *Quid tam rarum, quàm ut invenias virum qui se ipsum coarguat, & factum condemnet suum? Rara itaque Confessio de peccato, rara Pœnitentia, rara in hominibus verbi hujus assertio..... Hanc ergo culpam Sacerdotes non auferunt, neque peccatum ejus qui in dolo se offert, & adhuc in studio delinquendi est.*

S. Ambrosio subjungo Paulinum Vitæ ipsius Auctorem, qui de illo ita scribit: *Quotiescumque illi aliquis ob percipiendam Pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & flere illum compelleret. Videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum, quæ illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quàm accusatores apud homines. Nam & secundum Apostolum circa hujusmodi hominem confirmanda caritas est, quia ipse sui accusator est, nec expectat Accusatorem, sed prævenit, ut confitendo suum alleviet ipse delictum, nec habeat quod Adversarius criminetur. Ideoque Scriptura dicit:* » Justus in principio sermonis accusator est sui. *Vocem enim eripit Adversario, & quasi dentes quosdam paratos ad prædam criminationis infesta peccatorum suorum Confessione constringit, dans honorem Deo cui nuda sunt omnia, & qui vult vitam magis peccatoris, quàm mortem. Nam & ipsi pœnitenti non sufficit sola confessio, nisi subsequatur emendatio facti, ut pœnitens non faciat pœnitenda.* Ex hoc testimonio quatuor habemus: primùm, Confessionem secretam peccatorum Sacerdotibus fieri solitam quarto Sæculo. Secundò, sigillum Confessionis. Tertiò, Episcopos hoc audiendarum Confessionum munus per se ipsos etiam exercuisse. Quartò, Confessionem apud Sacerdotes editam esse necessariam ad obstruendum os diabolo accusatori nostro, ad peccata delenda, ad vitam restituendam peccatori.

§ XII.

Sanctus Pacianus, decimus contra Dallæum testis.

TRaditionis ejusdem testis est S. Pacianus Barcinonensis Episcopus, in Parænesi ad Pœnitentiam, ubi hæc habet: *Vos ergo primum appello, fratres, qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis: vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos: qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri: qui cum mala conscientia Dei sancta contingitis, & altare Domini non timetis....*

Et infrà: *Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes ægri Medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos.... Nunc ad eos sermo sit, qui bene ac sapienter vulnera sua pœnitentiæ nomine confitentes; nec quid sit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, noverunt; similesque sunt illis qui plagas quidem aperiunt ac tumores, Medicisque etiam assidentibus confitentur; sed admoniti, quæ imponenda sunt negligunt; & quæ bibenda fastidiunt.* Criminum, id est, graviorum peccatorum reos increpat Sanctus Pacianus, quod ea erubescerent confiteri, & cum mala conscientia Dei sancta contingerent, id est, Eucharistiam indignè perciperent. Occultorum itaque criminum Confessionem necessariam peccatoribus ad emundandam conscientiam, quò dignè corpus Christi reciperent, Sanctus Pacianus existimavit. Nam si de publicis criminibus, (quæ sola pœnitentiæ publicæ obnoxia fuisse Dallæus censet) loqueretur, non diceret ipsos vulneratam tegere conscientiam, & Medicos vereri, non secus ac ægri, qui in occultis partibus corporis morbos patiuntur.

§ XIII.

S. Joannes Chrysostomus, undecimus contra Dallæum testis.

INsignia S. Joannis Chrysostomi testimonia pro Sacramentali Confessione proferuntur, scilicet ex Homilia XXX. in Genesim Antiochiæ habita ad finem Quadragesimæ, & in magna, seu sancta, ut vocatur, hebdomada. *Quemadmodum*, inquit, *naucleri, & cursores, & athletæ, ubi ad finem veniunt, magis enituntur & vigilant, eodem modo & nos facere oportet: quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratiâ, nunc maximè & jejunii cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens & pura peccatorum Confessio.* Hic de Confessione Sanctus Chrysostomus loquitur, quæ ante Pascha, non à publicè Pœnitentibus; (ii quippe tum confessi erant, cùm fuerat illis imposita Pœnitentia: quod initio Quadragesimæ fieri solitum.) sed à cæteris Fidelibus edenda, ut Paschà Domini sanctè celebrarent, & dignè Eucharistiam perciperent. Hæc autem Confessio non erat soli Deo facta. Hinc enim Chrysostomus continuandam diceret magna hebdomada, sicut magis continuandas esse preces, & jejunii cursum intendendum esset; non ut novam actionem describeret, Paschali que hebdomadi maximè propriam. Omni quippe tempore, sed maximè Quadragesima

tota, quæ Pœnitentiæ consecrata est, Confessio facienda est Deo, & peccatorum detestatio, dolorisque ac pœnitentiæ nostræ significatio. Unde Sanctum Chrysostomum de hac tantum loqui perperam Dallæus contendit.

Huic loco adjungenda sunt quæ ex libro 3. de Sacerdotio, cap. 5. superiùs protulimus & explicuimus, necnon illud ex lib. 2. cap. 3. *Quamobrem multa quidem arte opus est, ut iis, qui laborant, Christianis persuadeatur, ut ultro se ac volentes Sacerdotum curationibus submittant: neque id solùm, sed etiam ut curationis ac medicinæ nomine gratiam illis habeant.* De peccatis autem publicis dumtaxat non loquitur Chrysostomus, quasi ea sola Sacerdotum curationibus submittenda esse velit, ut contendit Dallæus. Principio enim monet, *Homini hominum morbos haud facilè esse videre:* Ignotis verò morbis neminem adhibere posse medicinam: idcòque difficillimum esse Sacerdotis munus. Peccata autem publica, quæ suo ipsa fœtore & scandalo Ecclesiæ se produnt, facilè cognoscunt Sacerdotes. Non igitur publica solùm, verùm etiam occulta crimina curationibus Sacerdotum submittenda Sanctus Chrysostomus docet.

Confirmatur ex Homilia IX. in Epistolam ad Hebræos. *Cujusmodi*, inquit, *est medicamentum pœnitentia, & quomodo conficitur? Primum est ex suorum peccatorum condemnatione, & ex Confessione: Delictum, inquit, meum cognitum tibi feci, & peccatum meum non abscondi. Pronuntiabo contra me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* [Psal. 31.] *Et iterum, Dic peccata tua prior, ut justificeris;* [Isai. 43.] *& Justus est sui accusator in primo sermone.* [Proverb. 18.] *Secundo ex multa humilitate. Est enim veluti quadam catena aurea, & si initium acceperit, sequuntur omnia. Nam si peccatum fueris confessus ut oportet confiteri, fit humilis anima. Eam enim versans & agitans conscientia, efficit ut sit contracta. Oportet autem alia quoque addere humilitati si talis sit, qualem beatus David habebat, dicens: Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* [Psal. 50.] *Nam quod est contritum, non exurgit, non ferit, sed est paratum ad malè patiendum; ipsum autem non exurgit. Talis est cordis contritio: etiam si affecta fuerit contumelia, etiamsi male passa, quiescit, nec concitatur ad vindictam. Post humilitatem verò opus est intensis precibus, multis lachrymis, & interdiu & noctu. . . & post orationem adeo intensam multa opus est eleemosyna. Hoc enim est quod reddit admodum validum medicamentum pœnitentia.... Deinde non irasci, neque injuria accepta meminisse, omnibus peccata remittere. . & se in Sacerdotes, ut convenit, gerere. Et si feceris, inquit, quispiam peccata, remittentur ei.* Hoc in loco Sanctus Joannes Chrysostomus Confessionem ad medicinam pœnitentiæ conficiendam requirit, quæ quidem Sacerdotibus fiat, ad remissionem peccatorum consequendam: Confessionem, inquam, distinctam singulorum peccatorum. Subdit enim paulò post: *Sin autem dicis, Sum peccator; ea autem per species non cogitat ac supputat, & non dicit, Hoc & illud peccatum admisi; nunquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis.*

§. XIV.

Innocentius I. Pontifex Maximus, duodecimus adversùs Dallæum testis.

CONfessionis Sacramentalis usui antiquo & necessitati suffragatur Innocentius I. in Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum, cap. VII. *Cæterum*, inquit, *de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem Pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.* Auctoritatem judicandi de pondere delictorum ex Confessione Pœnitentis convenire Sacerdotibus Innocentius I. agnoscit: itemque potestatem dimittendi peccata, cùm satisfactionem congruam viderit. De criminum autem occultorum Confessione loquitur, non publicorum: ad quæ publicæ Pœnitentiæ humilitate & laboribus castiganda necessaria non erat reorum Confessio, cùm eorum convinci facilè possent, & ad subeundam pœnitentiam cogi.

§. XV.

S. Hieronymus, decimus tertius contra Dallæum testis.

SAnctus Hieronymus de Sacramentalis Confessionis necessitate testimonium perhibet luculentum in Ecclesiastis cap. X. *Si quem*, inquit, *Serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit; si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri, & Magistro voluerit confiteri, Magister qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.* Qui veneno peccati infectus est, occultè & nullo conscio, pœnitentiam agere debet. Hujus pœnitentiæ pars est, secundùm S. Hieronymum, vulnus suum fratri & Magistro confiteri, id est, Sacerdoti, qui eum curare non potest, nisi morbum ejus agnoscat.

Dallæus respondet, Fratris ac Magistri nomine quemvis sapientem, ac rerum divinarum peritum virum; sive Clericum, sive Laïcum; qui linguam habet ad curandum, id est, sermonis donum habet ad mitigandos & sanandos animi morbos; ad explicandos & liberandos ex diaboli laqueis peccatores, significari. Sed altero ipsius Sancti Hieronymi loco hæc responsio refellitur, nempe ex Commentario in cap. 16. S. Matthæi, ubi ligandi solvendique potestatem Sacerdotibus ex officio convenire asserit, cùm peccatorum audierint varietates. Quæ notitia nisi ex Confessione singulorum in specie peccatorum non potest haberi. En Sancti Hieronymi verba in illum locum: *Tibi dabo claves regni Cælorum. Illum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi jubentur ut ostendant se Sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiant, non quòd Sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quòd habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos*

mundum

mundum vel immundum facit, sic & hic alligat vel solvit Episcopus, & Presbyter, non eos qui sunt insontes vel noxii; sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus.

Respondet Dallæus, Hinc haberi quòd sit Sacerdotum officium, ut sciant nimirum ex peccatoribus quorum delicta ad se relata audierint, quinam vel ligandi, vel solvendi; non haberi quæ sit Fidelium ex divino jure obligatio, an scilicet omnia peccata sua, an quædam tantùm Sacerdotibus deferre debeant.

Contrà. Quomodo in veteri Lege Leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit; sic in Nova peccatorem alligat, vel solvit Episcopus aut Presbyter: atqui in veteri Lege non solùm potestatem habebant Sacerdotes judicandi inter lepram & lepram, verùm etiam leprosi Sacerdotes adire, ipsisque lepram suam detegere divino jure tenebantur: itaque Sacerdotes Evangelici non solùm potestatem ac jus habent ligandi ac solvendi peccatores, cùm varietates criminum audierint; sed rei jure divino tenemur ipsos adire, eisque confiteri peccata: non in genere solùm; sicut satis non erat ut leprosi Sacerdotibus Leviticis laborare se lepra in genere dicerent; sed in specie. Major est sancti Hieronymi: Minor ex Scriptura sacra: Conclusio legitima & omnino Theologica.

---

§. XVI.

Sanctus Augustinus XIV. contra Dallæum testis.

SUccedit S. Augustinus, Homilia XLIX. inter quinquaginta. *Qui post uxores vestras*, inquit, *vos illicito concubitu maculastis, si præter uxores vestras cum aliqua concubuistis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, Occultè ago, apud Deum ago; novit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est, Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo? Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi? Promittimus vobis quod ille negat, nonne vos decipimus?*

Hujus viri testimonii Dallæus elevat, dicendo, Sanctum Augustinum non omnes promiscuè Fideles, sed solus adulteros alloqui, quos ex veteribus Canonibus constat ad Pœnitentium censum pertinuisse: nullum in istis verbum occurrere de Confessione, omnia de Pœnitentia, & quidem publica.

Contrà. Quamvis sanctus Augustinus adulteros ad Pœnitentiam publicam adhortetur, de illa tamen duntaxat Pœnitentia non loquitur, sed de Pœnitentia clavium, cui non solùm adulteria, sed lethalia quælibet peccata necessariò subjicienda sunt: nec de publicis tantùm criminibus, sed de occultis etiam intelligit. Illos verò coarguit, qui occultè, in corde, & solo Deo conscio agere se Pœnitentiam dicebant. Id non satis esse contendit: alioqui sine causa claves Ecclesiæ datas contestatur & frustranda fore Christi verba. Itaque ut Evangelium, & verba Christi inania non sint ac falsa, & ut sine causa claves datæ non sint Ecclesiæ, necesse est ut non tantùm apud Deum, sed etiam apud Ecclesiæ Præpositos adulteri occulti Pœnitentiam agant, ut ab illis solvantur. Id autem fieri non potest, nisi peccatum occultum confiteantur. Absurdum autem est id à Sancto Augustino de solis adulteris dictum comminisci, non de cæteris item gravibus peccatis: cùm verba Christi, *Quæcumque solveritis*, indefinita sint, ac generalia; nec eorum significatio ad unam peccatorum speciem, aut ad illa tantùm quæ publicæ Pœnitentiæ obnoxia erant, restringatur. Omnia itaque peccata gravia Confessione eluenda Sanctus Augustinus censet, quæ non soli Deo, sed Ecclesiæ Ministris fiat. Quamobrem cæcutit in Sancto Augustino Dallæus, cùm eum clarissimè docere fingit, potestatem clavium illis verbis à Domino significatam, non in alio necessariò versari, quàm in publicæ Pœnitentiæ ministerio.

Confirmatur ex ejusdem sancti Doctoris Homilia 27 ubi tertiam Pœnitentiæ speciem, gravioris nimirum atque luctuosæ, quæ pro gravioribus peccatis agitur, exponens, hæc habet: *Jam post suggestionem facti, & delectationem, & consensionem, & perpetrationem, quasi quatriduanus mortuus putet. Sed nec ipsum Dominus deseruit, sed clamavit; Lazare, veni foras. Cessit voci Misericordiæ moles sepulturæ, cessit mors vitæ, cessit infernus superno. Elevatus est Lazarus, processit de tumulo, & ligatus erat; sicut sunt homines in Confessione peccati agentes Pœnitentiam. Jam processerunt à morte. Nam non confiterentur nisi processerint. Ipsum confiteri, ab occulto & tenebroso procedere est. Sed quid ait Dominus Deus Ecclesiæ suæ. Quæ solveritis in terra soluta erunt & in cœlo? Proinde Lazaro procedente, quia implevit Dominus misericordia sua bonum, producere ad Confessionem mortuum latentem & putentem, jam cætera implet Ecclesiæ ministeria; Solvite illum & sinite abire.* Peccator divinæ misericordiæ voce excitatus, è tumulo procedit: Quomodo? Confessione. Confitendo procedit à morte, confitendo, inquam, peccata occulta non minùs, quam publica: De his enim præcipuè illa S. Augustini verba intelliguntur: *Ipsum confiteri, ab occulto & tenebroso procedere est.* Mortuus latens est peccator occultus. Hic ut ab Ecclesia solvatur potestate quam ipsi Dominus Christus commisit, confiteri peccatum debet, & in illa Confessione agere Pœnitentiam.

Confirmatur secundò ex Homilia quinquagesima, in qua tertiam actionem Pœnitentiæ exponens, pro illis peccatis subeundæ, *Quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, quæ omnia Pœnitentiæ publicæ obnoxia non erant, Dallæo tacente, hæc habet: *Implicatus ergo quis tam mortiferis vinculis peccatorum, detrectat aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in cælo: & audet sibi post hanc vitam, quia tantum Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri: nec veridicum illud Dominicæ vocis tonitruum contremiscit, Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum,* Matth. 7. 21. *sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Quid ad Galatas idem Apostolus? Nonne talia enumerans eodem fine concludit? Manifesta sunt, inquit, opera carnis, quæ* Galat. 5. 19. *sunt fornicationes, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Judicet ergo seipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores convertat in melius; ne cùm jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur. Et cùm ipse protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites per quos illi in Ecclesia claves ministrantur; & tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum; ut in offerendo sacrificio cordis contribulati*

 devotus

devotus & supplex, id tamen agat, quod non solùm illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere Pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Qui hujusmodi peccatis, quorum pars maxima publicæ Pœnitentiæ non subjiciebatur, implicitus erat, non solùm apud Deum confiteri debebat & pœnitere convertendo mores in melius, sed etiam adire Antistites, qui clavium potestatem ac Ministerium in Ecclesia habent, ab illis accipere satisfactionis suæ modum pro peccati gravitate, & ex mandato Antistitis Pœnitentiam, vel in multorum notitia, vel in plebis totius conspectu agendam suscipere. Itaque præter Pœnitentiam publicam, aliam Sanctus Augustinus pro mortalibus agnovit, scilicet Pœnitentiam clavium, quæ species duas complectebatur, publicam nimirum pro peccatis canonicis, privatam pro cæteris quæ legis Decalogus continet, quæ qui admittunt, regnum Dei non possidebunt. Non poterant autem nosse Antistites coram quibus se peccantes sistebant, quæ peccata privatâ Pœnitentiâ, quæ publicâ, vel in notitia multorum, vel sub oculis totius plebis, expianda essent, nisi ex eorum Confessione accurata & singulorum in specie. Itaque non solùm publici Pœnitentes, sed Fideles universi, qui gravia post Baptismum peccata admiserant, illa apud Ecclesiæ Præpositos confiteri tenebantur, & clavium se subjicere Ministerio. Proindeque delirat Dallæus, cùm potestatem clavium Ecclesiæ à Domino Christo concessam in solo publicæ Pœnitentiæ Ministerio à S. Augustino positam adeo confidenter asserit.

Confirmatur tertiò ex Sermone VIII. de Verbis Domini in Evangelium Matthæi: *Qui confitetur*, inquit, *foras prodit: foras prodire non posset, nisi viveret. Vivere non posset, nisi resuscitatus esset. Ergo in Confessione sui accusatio, Dei laudatio est. Dicit ergo aliquis, Quid prodest Ecclesia, si jam Confessor voce Dominica resuscitatus prodit? Quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait, Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælo? Ipsum Lazarum attende, cum vinculis prodit, jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est, Quæ solveritis, soluta erunt, nisi quod ait Dominus continuò ad Discipulos: Solvite illum & sinite abire?*

---

§. XVII.

S. Leo testis contra Dallæum XV.

CONfessionis Sacramentalis necessitas non minùs invictè probatur ex S. Leone, Epistola LXXX. ad Episcopos Campaniæ data, quæ in novissima S. Leonis Editione est CXXXVI. *Illam*, inquit, *contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri: ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publicetur: cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari Confessione secreta. Quamvis enim plenitudo Fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo: ne multi à Pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa Confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis Pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad Pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* Publicam duntaxat Confessionem S. Leo submovet, secretam singulorum peccatorum, non soli Deo, sed Sacerdotibus factam commendat. Quædam peccata non ejus generis ait indicari, ut ea publicari timeret peccator; adeoque non esse gravissima. Itaque de Pœnitentia tantùm publica S. Leo non loquitur (ut Dallæus contendit) sed de Pœnitentia clavium, quæ privatam complectitur & publicam.

Confirmatur ex eodem Sanctissimo Pontifice Epistola 82. ad Theodorum Forojuliensem data, aliàs 91. Nam Quenellii editionem sequor. *Multiplex*, inquit, *misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent: sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Et infra: *Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvatur.*

Dominus Christus hanc Sacerdotibus tribuit potestatem, ut confitentibus actionem Pœnitentiæ darent; cujus Pœnitentiæ medicinâ spes vitæ reparatur æternæ (inquit S. Leo) Igitur Confessio non Deo soli, sed Sacerdoti facta, Pœnitentiæ pars est, ex institutione Christi ad salutem necessaria illis qui post Baptismum peccarunt. Illa Confessio non est publica, siquidem hanc S. Leo improbavit. Nec eadem est cum Exomologesi qua se Pœnitens peccatorem externis actibus profitetur; siquidem eam à satisfactione distinguit S. Leo, qua purgati peccatores ad Communionem Sacramentorum Absolutionis beneficio admittuntur. Nec generalis duntaxat Confessio est, sed singulorum in specie peccatorum: Actio enim Pœnitentiæ, & salubris satisfactio, nisi singulis peccatis cognitis, eorumque expensa gravitate, insuper & dispositione Pœnitentis discussâ, dari & imponi non possunt. Porro Sanctum Leonem loqui de Pœnitentia clavium, quæ vel secreta, vel publica est, non autem de Pœnitentia publica tantùm, liquet ex eo quòd huic Pœnitentiæ subjiciat eos omnes *Qui regenerationis donum violarunt*. At omnes qui à gratia & charitate, quam in Baptismo acceperant, lethali peccato, qualecumque sit illud, exciderunt, regenerationis donum violarunt; nec Pœnitentiæ tamen publicæ addicti sunt universi (ut Dallæus propugnat) Itaque de Pœnitentia publica non loquitur tantùm S. Leo, verùm etiam de secreta, seu potiùs de Pœnitentia clavium utramque involvente.

§. XVIII.

§. XVIII.

Theodoreti, Sidonii Apollinaris, & Juliani Pomerii testimoniis Dallæus refellitur.

Confessionis Sacramentalis in Ecclesia usus non obscurè colligitur ex *Theodoreto*, lib. IV. *Hæreticarum Fabularum* Cap. X. ubi Audianos hæreticos arguit, non quòd peccata confiterentur, sed quòd suis Pœnitentibus graviora peccata celantibus absolutionem seu remissionem peccatorum darent. Ex qua Theodoreti animadversione sequitur, Ecclesiæ doctrinam fuisse, occulta & arcana peccata Sacerdotibus ad obtinendam remissionem esse revelanda. *Hi autem*, inquit, *peccatorum remissionem dare se jactant. Duas enim in partes libros sacros cum adulterinis dividentes (hos enim eximiè arcanos & mysticos existimant) & ordine hæc inde collocantes, inter hos jubent transire unumquemque, & peccata sua confiteri. Deinde confessis dant veniam, non tempus Pœnitentiæ definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed potestate condonantes. Scientes autem qui sic transeunt ludum esse quod agitur, vera peccata celant, & parva quædam risu digna dicunt, quæ & dicere aliquem pigeat, nisi eadem qua ipsi amentiâ tentatur.*

Eadem veritas confirmatur testimonio *Sidonii Apollinaris*, Epistola XIV. ad Polemium data. *At si videtur*, inquit, *humilitas nostra professionis habenda contemptui, quia Christo res humanas, vitasque medicaturo putrium conscientiarum cultro squalens ulcus aperimus: quod in nostri Ordinis viris, & si adhuc aliquid de negligentia fœtet, nihil jam tamen de superbia tumet: noveris volo, non ut est apud Præsulem fori, sic esse apud Judicem mundi. Namque ut is qui propria vobis non tacuerit flagitia, damnatur, ita nobiscum qui eadem Deo fuerit confessus, absolvitur.*

Idem confirmatur ex Juliano Pomerio lib. 2. *De Vita Contemplativa*, cap. 7. ubi quatuor hominum genera, triplicemque Confessionem distinguit. Primum est eorum qui publicè crimina sua enuntiant, ut eis Canonica Pœnitentia imponatur. Secundum eorum qui arguuntur & convincuntur, sive quorum peccata publicantur, & tandem ea fatentur, Pœnitentiæque sese subjiciunt. Tertium eorum, quorum peccata publica sunt aut publicata, sed Pœnitentiam detrectant, & correctionem contemnunt. Postremum eorum, quorum peccata latent homines, nec publica scilicet, nec publicata, sed ea clam Sacerdoti confitentur, & ab eo Pœnitentiam susceptam fideliter exequuntur. *Porro*, inquit, *illi quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum quem habent testem, ipsum habituri sunt & ultorem. Et quid eis prodest humanum vitare judicium, cum si in malo suo permanserint, ituri sint in æternum Deo retribuente supplicium? Quòd si ipsi judices fiant, & veluti suæ iniquitatis ultores hîc in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lachrymis ex vera cordis compunctione fluentibus æterni ignis restinguent incendia.*

§. XIX.

S. Gregorii Magni & S. Audoeni testimonia Dallæus refellitur.

Nihil pro Confessionis Sacramentalis usu & necessitate proferri potest luculentius S. Gregorii Magni testimonio Homilia XXVI. in Evangelia. *Causæ ergo pensandæ sunt*, inquit, *& tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa cessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam. ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio Præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur judicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocavit, & vivificavit, dicens: Lazare veni foras; & postmodum qui vivens egressus fuerat, à Discipulis est solutus, sicut scriptum est: Cumque egressus esset qui fuerat ligatus institis: tunc dixit Discipulis, Solvite eum, & sinite abire. Ecce illum Discipuli jam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum. Si enim Discipuli Lazarum mortuum solverent, fœtorem magis ostenderent, quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est, quòd illos nos debemus per Pastoralem Auctoritatem solvere, quos Auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis, in ipsa jam cognoscitur Confessione peccati. Unde & huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Revivisce, sed, Veni foras. Omnis quippe peccator dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur: Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, Veni foras: ac si apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras jam per Confessionem egredere, quia apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem foras solvant Discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.* Occultorum peccatorum Confessionem, non solùm publicis Pœnitentibus, quos ob arcana crimina Pœnitentiam non egisse publicè Dallæus propugnat, *sed cuilibet in culpa mortuo*, id est, mortalis reo peccati necessariam agnoscit & prædicat Sanctus Gregorius, ut ab Ecclesiæ Pastoribus solvatur.

Confessionis usus antiquus confirmatur ex Vita Sancti Eligii Noviomensis Episcopi à Sancto Audoëno Rotomagensi Archiepiscopo conscripta, in qua hæc leguntur, cap. 7. *Non post longum spatium, cùm jam Eligius virilem ageret ætatem, cupiens se vas Deo exhibere sanctificatum, & metuens ne aliqua suum delicta pectus frustrarent, omnia ab adolescentia sua coram Sacerdote confessus est, acta; sicque sibi austeram imponens pœnitentiam, cœpit fortiter colluctationi carnis spiritus fervore resistere.*

devotus & supplex, id tamen agat, quod non solùm illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere Pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Qui hujusmodi peccatis, quorum pars maxima publicæ Pœnitentiæ non subjiciebatur, implicitus erat, non solùm apud Deum confiteri debebat & pœnitere convertendo mores in melius, sed etiam adire Antistites, qui clavium potestatem ac Ministerium in Ecclesia habent, ab illis accipere satisfactionis suæ modum pro peccati gravitate, & ex mandato Antistitis Pœnitentiam, vel in multorum notitia, vel in plebis totius conspectu agendam suscipere. Itaque præter Pœnitentiam publicam, aliam Sanctus Augustinus pro mortalibus agnovit, scilicet Pœnitentiam clavium, quæ species duas complectetetur, publicam nimirum pro peccatis canonicis, privatam pro cæteris quæ legis Decalogus continet, quæ qui admittunt, regnum Dei non possidebunt. Non poterant autem nosse Antistites coram quibus se peccatores sistebant, quæ peccata privatâ Pœnitentiâ, quæ publicâ, vel in notitia multorum, vel sub oculis totius plebis, expianda essent, nisi ex eorum Confessione accurata & singulorum in specie. Itaque non solùm publici Pœnitentes, sed Fideles universi, qui gravia post Baptismum peccata admiserant, illa apud Ecclesiæ Præpositos confiteri tenebantur, & clavium se subjicere Ministerio. Proindeque delirat Dallæus, cùm potestatem clavium Ecclesiæ à Domino Christo concessam in solo publicæ Pœnitentiæ Ministerio à S. Augustino positam adeo confidenter asserit.

Confirmatur tertiò ex Sermone VIII. de Verbis Domini in Evangelium Matthæi: *Qui confitetur,* inquit, *foras prodit: foras prodire non posset, nisi viveret. Vivere non posset, nisi resuscitatus esset. Ergo in Confessione sui accusatio, Dei laudatio est. Dicis ergo aliquis, Quid prodest Ecclesia, si jam Confessor voce Dominica resuscitatus prodit? Quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait, Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo? Ipsum Lazarum attende, cum vinculis prodit, jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est, Quæ solveritis, soluta erunt, nisi quod ait Dominus continuò ad Discipulos: Solvite illum & sinite abire?*

---

§. XVII.

S. Leo testis contra Dalleum XV.

Confessionis Sacramentalis necessitas non minùs invictè probatur ex S. Leone, Epistola LXXX. ad Episcopos Campaniæ data, quæ in novissima S. Leonis Editione est CXXXVI. *Illam,* inquit, *contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri: ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publicetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari Confessione secreta. Quamvis enim plenitudo Fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo: ne multi à Pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa Confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis Pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad Pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* Publicam duntaxat Confessionem S. Leo submovet, secretam singulorum peccatorum, non soli Deo, sed Sacerdotibus factam commendat. Quædam peccata non ejus generis sunt indicari, ut ea publicari timeret peccator; adeoque non esse gravissima. Itaque de Pœnitentia tantùm publica S. Leo non loquitur (ut Dallæus contendit) sed de Pœnitentia clavium, quæ privatam complectitur & publicam.

Confirmatur ex eodem Sanctissimo Pontifice Epistola 82. ad Theodorum Forojuliensem data, alias 91. Nam Quenellii editionem sequor. *Multiplex,* inquit, *misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æterna, ut qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent: sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Et infra. *Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvatur.*

Dominus Christus hanc Sacerdotibus tribuit potestatem, ut confitentibus actionem Pœnitentiæ darent; cujus Pœnitentiæ medicinâ spes vitæ reparatur æternæ (inquit S. Leo) Igitur Confessio non Deo soli, sed Sacerdoti facta, Pœnitentiæ pars est, ex institutione Christi ad salutem necessaria illis qui post Baptismum peccarunt. Illa Confessio non est publica, siquidem hanc S. Leo improbavit. Nec eadem est cum Exomologesi qua se Pœnitens peccatorem externis actibus profitetur; siquidem eam à satisfactione distinguit S. Leo, qua purgati peccatores ad Communionem Sacramentorum Absolutionis beneficio admittuntur. Nec generalis duntaxat Confessio est, sed singulorum in specie peccatorum: Actio enim Pœnitentiæ, & salubris satisfactio, nisi singulis peccatis cognitis, eorumque expensâ gravitate, insuper & dispositione Pœnitentis discussâ, dari & imponi non possunt. Porro Sanctum Leonem loqui de Pœnitentia clavium, quæ vel secreta, vel publica est, non autem de Pœnitentia publica tantùm, liquet ex eo quòd huic Pœnitentiæ subjicit eos omnes *Qui regenerationis donum violarunt.* At omnes qui à gratia & charitate, quam in Baptismo acceperant, lethali peccato, qualecumque sit illud, exciderunt, regenerationis donum violarunt; nec Pœnitentiæ tamen publicæ addicti sunt universi (ut Dallæus propugnat) Itaque de Pœnitentia publica non loquitur tantùm S. Leo, verùm etiam de secreta, seu potiùs de Pœnitentia clavium utramque involvente.

§. XVIII.

§. XVIII.

Theodoreti, Sidonii Apollinaris, & Juliani Pomerii testimoniis Dallæus refellitur.

Confessionis Sacramentalis in Ecclesia usus non obscurè colligitur ex *Theodoreto*, lib. IV. *Hæreticarum Fabularum* Cap. X. ubi Audianos hæreticos arguit, non quòd peccata confiterentur, sed quòd suis Pœnitentibus graviora peccata celantibus absolutionem seu remissionem peccatorum darent. Ex qua Theodoreti animadversione sequitur, Ecclesiæ doctrinam fuisse, occulta & arcana peccata Sacerdotibus ad obtinendam remissionem esse revelanda. *Hi autem*, inquit, *peccatorum remissionem dare se jactant. Duas enim in partes libros sacros cum adulterinis dividentes (hos enim eximii arcanos & mysticos existimant) & ordine hinc inde collocantes, inter hos jubent transire unumquemque, & peccata sua confiteri. Deinde confessis dant veniam, non tempus Pœnitentiæ definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed potestate condonantes. Scientes autem qui sic transeunt ludum esse quod agitur, vera peccata celant, & parva quædam risu digna dicunt, quæ & dicere aliquem pigeat, nisi eadem qua ipsi amentiâ teneatur.*

Eadem veritas confirmatur testimonio *Sidonii Apollinaris*, Epistola XIV. ad Polemium data. *At si videtur*, inquit, *humilitas nostra professionis habenda contemptui, quia Christo res humanas, vitasque medicaturo putrium conscientiarum cultro squalens ulcus aperimus: quod in nostri Ordinis viris, & si adhuc aliquid de negligentia fœtet, nihil jam tamen de superbia tumet: noveris volo, non ut est apud Præsulem fori, sic esse apud Judicem mundi. Namque ut is qui proprio vobis non tacuerit flagitia, damnatur; ita nobiscum qui eadem Deo fuerit confessus, absolvitur.*

Idem confirmatur ex Juliano Pomerio lib. 2. *De Vita Contemplativa*, cap. 7. ubi quatuor hominum genera, triplicemque Confessionem distinguit. Primum est eorum qui publicè crimina sua enuntiant, ut eis Canonica Pœnitentia imponatur. Secundum eorum qui arguuntur & convincuntur, sive quorum peccata publicantur, & tandem ea fatentur, Pœnitentiæque sese subjiciunt. Tertium eorum, quorum peccata publica sunt aut publicata, sed Pœnitentiam detrectant, & correctionem contemnunt. Postremum eorum, quorum peccata latent homines, nec publica scilicet, nec publicata, sed ea clam Sacerdoti confitentur, & ab eo Pœnitentiam susceptam fideliter exequuntur. *Porro*, inquit, *illi quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum quem habent testem, ipsum habituri sunt & ultorem. Et quid eis prodest humanum vitare judicium, cùm si in malo suo permanserint, ituri sint in æternum Deo retribuente supplicium? Quòd si ipsi judices fiant, & veluti suæ iniquitatis ultores hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lachrymis ex vera cordis compunctione fluentibus æterni ignis restinguent incendia.*

§. XIX.

S. Gregorii Magni & S. Audoeni testimonia Dallæus refellitur.

Nihil pro Confessionis Sacramentalis usu & necessitate proferri potest luculentius S. Gregorii Magni testimonio Homilia XXVI. in Evangelia. *Causæ ergo pensandæ sunt*, inquit, *& tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa cessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio Præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur judicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocavit, & vivificavit, dicens: Lazare veni foras: & postmodum qui vivens egressus fuerat, à Discipulis est solutus, sicut scriptum est: Cumque egressus esset qui fuerat ligatus institis: tunc dixit Discipulis, Solvite eum, & sinite abire. Ecce illum Discipuli jam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum. Si enim Discipuli Lazarum mortuum solverent, fœtorem magis ostenderent, quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est, quòd illos nos debemus per Pastoralem Auctoritatem solvere, quos Auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis, in ipsa jam cognoscitur Confessione peccati. Unde & huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Revivisce, sed, Veni foras. Omnis quippe peccator dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur: Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, Veni foras: ac si apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras jam per Confessionem egredere, quia apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem foras solvant Discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.* Occultorum peccatorum Confessionem, non solùm publicis Pœnitentibus, quos ob arcana crimina Pœnitentiam non egisse publicè Dallæus propugnat, sed *cuilibet in culpa mortuo*, id est, mortalis reo peccati necessariam agnoscit & prædicat Sanctus Gregorius, ut ab Ecclesiæ Pastoribus solvatur.

Confessionis usus antiquus confirmatur ex Vita Sancti Eligii Noviomensis Episcopi à Sancto Audoëno Rotomagensi Archiepiscopo conscripta, in qua hæc leguntur, cap. 7. *Non post longum spatium, cùm jam Eligius virilem ageret ætatem, cupiens se vas Deo exhibere sanctificatum, & metuens ne aliqua suum delicta pectus frustrarent, omnia ab adolescentia sua coram Sacerdote confessus est, acta; sicque sibi austeram imponens pœnitentiam, cœpit fortiter colluctationi carnis spiritus fervore resistere.*

§. XX.

Canonum antiquorum Auctoritate Dallæus convincitur.

SAcramentalis Confessionis usus & necessitas confirmantur ex Canonibus universis, quibus Pœnitentiam pro peccatorum modo & gravitate à Sacerdotibus injungendam esse decernitur, scilicet ex Concilio Cabilonensi anno Domini 813. Canone XXXII. ex Trullano Constantinopoli habito, anno Domini 692. Canone CII. ex Turonensi III. Canone XXII. Remensi II. anno 813. Canone XXI. Parisiensi sexto anno 829. Canonibus XXXII. & XLVI. Moguntino, anno Domini 847. cap. 26. ex Wormatiensi, anno Domini 868. cap. 25. Injungi autem pro modo & gravitate peccatorum Pœnitentia non potest, nisi nota sint illa Sacerdoti: Nota autem ei esse non possunt quæ sunt occulta, nisi ex reorum Confessione. Ex his itaque Canonibus colligitur occultiorum peccatorum Confessionem Sacerdotibus factam his temporibus in Ecclesia solennem extitisse.

§. XXI.

Diluitur Objectio Dallæi ex veterum Christianismi Sectarum Moribus petita.

OBjicit Dallæus, Nullum fuisse Confessionis Sacramentalis usum ad hæc ipsa tempora, apud alias vetustissimas Christianismi, præter Latinam, Sectas, ut apud Æthiopes & Abissinos, (ex Alphonso Mindesio, Gaspare Paës, Emmanuele Almeida, Francisco Alvaresio, Nicolaö Godigno, Damiano à Goës, qui de rebus & moribus Æthiopum scripserunt) nec apud Christianos S. Thomæ in India, ut Jarricus in Historia rerum à Jesuitis in Indiis gestarum, testatur. Nec apud Armenos, ut ex Antonio Gouveano, Augustiniano; & ex Nicolao Orlandino Jesuita constat. Nec apud Jacobitas, (ex Alphonso à Castro lib. 4. adversùs Hæreses, verbo, *Confessio.*) Imò nec apud Græcos recentiores, ut fatetur Arcudius lib. IV. de Sacramentis capite 2. ubi queritur quòd tum Græcorum, tum Russorum Sacerdotes peccata sua nunquam ferè apud sacros homines confiteantur. Ex quibus colligit Dallæus, nullam exceptis Latinis, toto orbe reperiri Christiani nominis Gentem, aut Ecclesiam, quæ totum Tridentinorum de hoc Confessionis ritu dogma planè, & ex omni parte probet atque tueatur.

Confessionis usus apud Coptas, Æthiopes & Græcos recentiores.

Respondeo, Perperam illarum Sectarum doctrinam aut mores objici nobis à Dallæo, quæ falsi nominis Ecclesiæ sunt, cùm in fide præcipuorum nostræ religionis Mysteriorum errent, & vel Nestorii, vel Eutychetis, vel aliis hæresibus inficiantur. Illas autem Gentes, quamdiu apud eas Fidei Catholicæ integritas perseveravit, Confessionem non agnovisse, vel admisisse, nullus Dallæus demonstrabit.

Præterea, nec apud barbaras illas Gentes, earumque Doctores, una est de Confessione sententia. Ut enim in Jacobitis Ægyptiis exemplum ponamus, Author est *Vanslebius* noster in Historia Ecclesiæ Alexandrinæ, seu Jacobitarum Coptarum Gallico idiomate Parisiis edita, nobilissimos illius Ecclesiæ Scriptores Confessionem Sacramentalem necessariam existimare. Auctor scilicet libri Arabici inscripti, *Glaubaret innefisse*, refert hujus Ecclesiæ Patriarcham, statim atque inauguratus est, inter multos alios Ministros, Confessarium nominare debere, qui Christianæ plebis Confessiones excipiat: tum ut hoc medio peccatorum imminuatur numerus in terris: tum quia peccatorum post Baptisma admissorum venia confessione à Deo obtineatur: tum ob alias rationes, quæ præsens institutum non spectant.

Tertiò. *Amba Severus* Episcopus illius Gentis, *Il Mobdi, ibn Regia*, aliique Doctores apud Coptas celeberrimi, Tractatus scripserunt, quibus documenta & formulæ ad Confessionem ritè apud Sacerdotes edendam continentur. Amba Severi liber extat in Bibliotheca Regis Christianissimi.

Denique usum Sacramentalis Confessionis apud eos vigere testis est oculatus Vanslebius noster, licet admodum sit infrequens. Quæ tamen Confessionis infrequentia, ut ipse asserit, non ex contemptu Sacramenti, sed partim ex crassa ignorantia, & rudi Gentis ingenio oritur; partim ex metu diuturnioris atque severioris satisfactionis, quam ipsis imponunt Sacerdotes. Dierum enim duodecim intervallo leviores peraguntur.

Equidem *Amba Michaël*, & *Abulbaracat*, Confessionem generalem, quæ secundùm illius Ecclesiæ ritum, ad Thuribulum fieri solet, cùm Sacerdos Missæ Sacrificium celebrans Templum circumit, & unumquemque singulatim thurificat, sufficere censent ad veniam peccatorum quorumvis obtinendam. Sed hæc non est totius Ecclesiæ Copticæ fides ac doctrina.

Quod Æthiopes spectat, testatur *Vanslebius* vir Linguarum Orientalium peritissimus, in plurimis Sanctorum Vitis Æthiopicè conscriptis, quarum aliquas penes se habet, inter pietatis opera ex quibus commendantur, Confessionem imminente obitu apud Sacerdotes editam memorari.

Confessionis usus apud Græcos.

Græci verò recentiores, quamvis adeo frequenter sua Sacerdotibus peccata non confiteantur ac Latini, in eodem de divina Confessionis institutione ac necessitate dogmate conveniunt, ut ex eorum Euchologiis constat, in quibus Orationes super confessos Pœnitentes habentur, quæ & singulorum peccatorum Confessionem apud Sacerdotes Græca in Ecclesia fieri, & potestatem illa remittendi ipsos à Domino Christo accepisse, evidenter probant. In una istarum Orationum sic loquitur Sacerdos: *Ipse humane, & malorum tolerator Domine, exorare nunc quoque super servum tuum, & modum pœnitentiæ, peccatorumque veniam illi concede, condonans illi per me indignum famulum tuum omne delictum spontaneum pariter ac involuntarium. Tu enim dixisti, Domine, divinis & sanctis Discipulis tuis & Apostolis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt. Et, Quæcumque ligaveritis & solveritis super terram, erunt ligata & soluta in cœlis.*

In alia Oratione hæc leguntur: *Deus qui propter nos homo effectus est, & totius mundi peccata tollit, ipse suavissima sua benignitate cuncta hæc suscipiat, quæ coram Indignitate mea enarrasti, Frater, condonans tibi omnia, & in præsenti sæculo pariter ac in futuro.*

In altera: *Tu optime & valde misericors Domine, cuncta quæ filius meus spiritualis contrito corde, coram te, tenuitati meæ confessus est, in præsenti, & in futuro sæculo condona*: In alia: *Ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, quæcumque coram Deo & mea Indignitate confessus es.*

Sic autem administratur apud Græcos Pœnitentia

tiæ Sacramentum : Peccator Patrem spiritualem adit, cum quo sedens peccata sua confitetur. Quibus ille auditis, si leves Pœnitentis culpas deprehenderit, nullam Absolutionem confert, sed monitum ut piis quibusdam operibus se exerceat, amicè remittit. Si verò lethalia crimina confessus fuerit Pœnitens, illa in Nomo-Canone juxta se posito examinat, ad Canonum rigorem discussa, pœnis, quas statuunt, castigat. Tandem Pœnitenti bene precatur hunc in modum : *Fili mi spiritualis, abjectus sum & humilis Peccator ejus propterea qui apud me confitetur, non valeo remittere super terram peccata; sed Deus est qui illa condonat. Propter illam divinitus prolatam, post Christi Resurrectionem auditam, & Apostolis dicentem vocem : Quorum dimiseritis, & qua sequuntur, propter illam*, inquam, *& nos confisi dicimus : Quacumque tenuissima humilitati mea enarrasti, & quacumque minùs ex ignorantia, vel oblivione, qualecunque sit, exprimere non valuisti : condonet tibi Deus in præsenti sæculo & in futuro.* Alias postmodum, de quibus ante diximus, Orationes subjungit.

Verùm non hæc tantùm Ecclesiæ Græcæ recentioris Disciplina & fides est, sed veteris, ut ex Joannis Jejunatoris Patriarchæ Constantinopolitani Pœnitentiali constat; qui anno Domini 586. in defuncti Eutychii locum suffectus est. Eo in libro Consequentiam & Ordinem erga eos qui peccata confitentur observandum legimus. Assumit oimitum Sacerdos peccata confessurum, & sistit eum coram Altari, cantat cum eo Trisagion, Psalmos, Antiphonas, & Orationem ibidem adscriptam recitat, cum ipso ter genua flectit, & erectum sic solstituit & catechizat : *Spiritualis Fili, Ego Confessionem tuam primario & præcipuè non recipio, nec tibi Absolutionem concedo, sed per me Deus (illius enim est opus ejusmodi) peccatorum tuorum Confessionem suscipit, & per nostram vocem horum remissionem dispensat & largitur, sicut per propriam vocem ipse declaravit, Quacumque ligaveritis, aut solveritis super terram, erunt in cælis, illa quidem ligata, hæc verò soluta. Revela igitur & declara coram sanctis Angelis, nihilque me cela eorum quæ à te clam facta sunt, velut si Deo occulta sordium cognoscenti confitereris, & ipse occultorum Cognitor delebit omnia quæ revelaveris.... Licet enim hoc pudendum & probrosum tibi videatur, opera probris & pudori obnoxia revelare; attamen eximiè & accuratè tibi persuasum esto, per præsentem pudorem te à futuro liberari, & mandatis obediendo, non modo Indulgentiâ, sed etiam coronis te dignum fieri.* Sequuntur deinde interrogationum de singulis peccatis & eorum circumstantiis à Sacerdote faciendarum formulæ, quibus subjunguntur hæc verba : *Atque ut absolutè dicam, de omnibus eum omni cum diligentia inquirere debet. Contingit enim quandoque aliquem omne peccati genus aggredi & operari. Omnia igitur cùm exquisierit, & diligenter consideraveris, debes ad singula quibus confitentem assentiri audieris, dicere, Deus tibi indulgeat. Postquam autem omnia recensuerit, & Confessionem exceperit, confitente inferne jacente, addet: Herus & Dominus noster Jesus Christus Deus, indulgeat tibi omnia quæ in conspectu ejus Nullitati meæ confessus es.*

Idem constat ex Canonario seu Libello Pœnitentiali Joannis Monachi, in quo explicat methodum qua singulorum peccatorum Confessio integra fieri potest, & quibus pœnis singula peccata punire oportet, quibusve modis pœnæ illæ sunt exercendæ.

Idem liquet ex Libello Pœnitentiali Anonymi Auctoris, quem ex MS. Bibliothecæ Eminentissimi Cardinalis Barberini descripsit vir doctissimus Joannes Morinus. Hic libellus tria complectitur, Confessionis edendæ & excipiendæ ritum, confitentis examinandi & interrogandi formulam, denique Absolutionis dandæ rationem. Pœnitentiales pœnas peccatis imponendas prorsus prætermittit. Ut hoc jure fiat, Confessorem & Confitentem statim facta Confessione ad Indiculum remittit. Itaque supponit istius libelli Auctor vulgatum fuisse in Ecclesiis Libellum sive Indiculum, in quo sigillatim pœnæ peccatis canonicè imponendæ describebantur, ad quem Sacerdos audita Confessione, ut Pœnitentem canonicè mulctaret, recurrebat.

Idem patet ex libro Simeonis Thessalonicensis de Sacramentis : quem post Balsamonem, & Francos Græcia exactos scriptum Joannes Morinus existimat : in quo hæc de Confessione leguntur. *Oportet Confessorem in loco nitido, præclaro & sacro, privatim & extra tumultum sedere cum reverentia, hilarem, animo vultuque mansueto, divinam charitatem oris habitu & moribus demonstrantem : Confitentem autem cum fiducia, divino timore & reverentia in conspectu Confessoris, potius verò in conspectu ipsius Christi sedere, cum per Confessorem Christo confiteatur, qui remissionem largitur; cumque exhortari debet Confessor omnia indubitanter dicere, in humilitate & veritate, nihilque occultare.*

Explicat deinde qua ratione homo per rationalem, per irascibilem, per concupiscibilem facultatem, cogitatione, verbo, actione peccet. Tum subjungit : *In his igitur omnibus tenetur unusquisque confitentium seipsum examinare & scrutari, & Confessor de unoquoque eum interrogare : & si quid boni præclare fecit, laudare, & ad hoc illum exhortari & confirmare. Si verò deprehenderit eum in aliquibus lapsum, per Confessionem & Pœnitentiam, ut poterit eum corriget, & ad Deum reducet, Patrum definitiones secutus, & spirituali eorum judicio & discretioni adhærens.*

Idem ex Gabriele Philadelphiæ Metropolita, recentiore quidem Auctore constat in Libello de septem Sanctis Ecclesiæ Sacramentis, qui Typis excusus est Venetiis anno 1600. In eo Pœnitentiæ tres partes assignat, *Contritionem cordis, oris Confessionem, & Satisfactionem.* Sic autem Confessionem definit : *Confessio est declaratio & enuntiatio voluntaria, labiis, sive pectore facta, propter ante commissas turpitudines, & voluntaria dilucidaque secretorum cordis accusatio, apud eum qui legitimam & canonicam habet potestatem.* Falsum itaque est quod asserit Dallæus, nullam esse Christiani nominis Gentem aut Ecclesiam, quæ de Confessionis dogmate cum Latinis sentiat.

Pœnitentiæ administratio & receptio Confessionum in Ecclesia Græca Monachis demandata.

Græcæ Ecclesiæ ab antiquo solemnem fuisse ac usitatam Confessionem Sacramentalem, & ad remissionem peccatorum necessariam existimatam, confirmat Nicephori Chartophylacis testimonium. *Ligandi*, inquit, *solvendique Provincia Pontificibus ipsis à Clementissimo Deo nostro demandata est; siquidem ad Petrum ait : Quæcumque ligaveris, ligata; & quæcumque solveris, soluta erunt. Unde olim omnes oportebat ad ipsos Pontifices accedere, suáque illis occulta prodere, & sic vel reconciliationem vel repudium ferre. Ignoro autem qui factum sit ut hæc minùs observentur: Quamvis existimem Pontifices negotii tædio, frequentique multitudinis turbulentiâ defatigatos, id opera ad Monachos transmisisse : ad eos scilicet qui verè probati sint, aliisque valeant esse utiles. Nihil enim tale inexpertis & indoctis permiserunt.*

Idem confirmatur S. Theodori Studitæ testimonio in Vita S. Platonis, de quo ita scribit : *Etenim pro*

ludo divinas Lectiones, quibus attentus erat; pro theatris & spectaculis Ecclesias frequentabat; pro inhonestis diversoriis honesta Collegia: quodque laudabilius est, occultas mentis cogitationes, & acta, cuidam eorum qui praerant, confitebatur, quae res magnum religionis illius erat indicium: idque cum perfectè facere solitus esset, qui Confessionem ipsius audiebat, admirationem ac stuporem afferebat.

---

§. XXII.

Altera Dallæi Objectio discutitur.

OBjicit secundò Dallæus, Pastores de Confessione apud Latinos quidem instrui, eamque & docere, & ministrare assiduè velut nobilissimum sui muneris actum; apud Veteres verò nihil secisse simile usquam reperiri in veteris Antiquitatis monumentis. In Constitutionibus Apostolicis, quæ quarto nimirùm sæculo editæ sunt; in quibus Apostolos Auctor inducit Episcopis omnes sui muneris partes, omnia officia, omnesque functiones diligentissimè præcipientes, quæ in Ecclesia eo tempore solemnes erant; nullam reperiri Confessionarii istius Officii mentionem. Nec in Vita sancti Cypriani à Pontio Diacono scripta, in qua cùm Pontius omnia Sanctissimi Episcopi gesta referat & commendet, nullas Fidelium Confessiones ipsum audivisse refert. Sed neque à Confessionali munere & labore Gregorium Neocæsariensem & Ephræmum Nyssenus; Athanasium & Basilium Nazianzenus; Ambrosium Paulinus; Martinum Sulpitius; Joannem Chrysostomum Palladius & Theodoretus; Augustinum Possidius, Honoratum Arelatensem Hilarius; Germanum Autisiodorensem Constantius; Fulgentium Ruspensem Ferrandus; nec alios alii veteris Ecclesiæ vel Episcopos, vel Presbyteros commendarunt. Ad hæc, Victor Vitensis libro 2. de Persecutione Wandalorum, narrat, cùm Hunnerici tyranni jussu Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Afrorum ingens numerus unà cum aliis plurimis Fidelibus in exilium eremi abducerentur, venisse ad eos ex agris & urbibus magnam vim piorum utriusque sexus, suos abs se Pastores abstrahi ac divelli ægerrimè ferentium, suamque orbitatem ita complorantium; *Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt parvulos fluctibus aquæ perennis? Qui nobis Pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? Quia vobis* » *dictum est*, Quæcumque solveritis super terram, » erunt & soluta in cælis. *Qui nos solennibus Orationibus sepulturi sunt morientes? At quibus divini Sacrificii ritus exhibendus est consuetus?* Certè absurdum esset, qui Sacerdotalis Orationis solatium morientibus defuturum dolent, eos nullum amissæ Confessionis arcanæ desiderium viventes testari, si eam agnovissent, & ad salutem necessariam putassent. Denique sub initia sexti sæculi Fulgentius Ruspensis Episcopus, Trasamundi Regis Wandali imperio in Sardiniæ exilium deportandus, Carthagine navi est impositus quæ contrario ventorum flatu retenta, cùm diutius in littore hæreret, tradit Ferrandus in ejus Vita, *Per dies plurimos omnem pene illuc civitatem convenisse, & de manu ejus valefacientem communicasse.* Si tunc in usu fuisset Confessio, cur non eosdem quoque diceret apud eum in aurem confessos esse?

Respondeo, Nullius esse ponderis argumenta negantia, cùm ex adverso positivæ probationes suppetunt. A Confessiones ab Ecclesiæ Pastoribus & Sacerdotibus fuisse auditas, ex Doctrina SS. Patrum & perpetuâ Ecclesiæ Fide probari: Disciplinæ Pœnitentialis administrationem, reconciliationem Pœnitentium, eorumque susceptionem ad Communionem, quæ ab Episcopis fiebat, vel ex eorum mandato à Presbyteris, Confessionis usum inferre: Non fuisse necessarium, ut qui Sacerdotum, Episcoporum aut Presbyterorum Vitas scripserunt, meminerint omnium functionum Sacerdotalis muneris, quas illi exercuerunt; cùm in Vitis & encomiis ea tantùm recenseantur quæ singularia sunt & B insignia, non quæ communia & vulgaria: Fidelium qui in Canonica crimina lapsi non erant, adeoque publicâ non mulctabantur Pœnitentiâ, Confessionibus excipiendis Episcopos, qui moderandæ Ecclesiæ, verbi divini prædicationi, refellendis & expugnandis hæresibus, componendis litibus Fidelium, curæ virginum, viduarum, pauperum toti dediti erant, vix per se ipsos vacare potuisse, & in Presbyteros secretæ Pœnitentiæ procurationem, & Confessionarium Munus transtulisse: Non autem ipsos Antistites sacram illam functionem sprevisse, vel neglexisse, quam Sanctus Ambrosius, Paulino teste, per se ipsum frequenter exercebat, ut superiùs C probavimus. Expungendus itaque est Ambrosius ex eorum indice, quos nullas Confessiones audivisse tam audacter Dallæus asserit. Expungendus & S. Ephrem, quem imperitè appellavit, cùm Diaconus tantùm fuerit, adeoque Confessionum audiendarum & administrandæ Pœnitentiæ Ministerio non Præpositus. SS. Augustini, Chrysostomi, Gregorii Nysseni, Basilii, Cypriani in facta inquirere quid hac in causa necesse est, quorum doctrinam tenemus? Satis sit eos Catholico de Confessione Sacramentali dogmati suis in Operibus disertè suffragari, ut contra Dallæum colli- D gamus, illos vel per se ipsos Fidelium Confessiones audivisse, vel Presbyteros ad id muneris destinasse. Quæ de Pœnitentiæ publicæ administratione lib. 2. Constitutionum Apostolicarum Episcopis commendantur, Confessionis doctrinam usumque supponunt. Sæculo enim 4. quo illarum Authorem scripsisse Dallæus existimat, non publica tantùm, sed occulta etiam quædam crimina Pœnitentiæ publicæ subjiciebantur, ex sola utique peccatorum Confessione cognoscenda. Præterea Apocrypha Clementis Romani ad Jacobum Epistola, ejusdem (ut credere par est) cum Pseudepigraphia Constitutionibus parentis fœtus, Con- E fessionis omnium peccatorum apud Sacerdotes necessitatem usumque disertè adstruit. *Quòd si in alicujus cor*, inquit, *vel livor vel infidelitas, vel aliud malum ex his quæ supra memoravimus, latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, hæc confiteri ei qui præest, ut ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur.* Tum idem de Sancto Petro loquens; *Docebat*, inquit, *cogitationes malas mox ad Christum allidere, & Sacerdotibus Dei manifestare.*

Fidelium Afrorum luctus ob Pastorum suorum exilium, apud Victorem Vitensem, Confessio- F nis usum disertè probat. *Qui nobis*, inquiunt, *Pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentiâ obstrictos peccatorum vinculis soluturi? Quia vobis dictum est, Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Illa autem à peccatorum vinculis solutio per reconciliationis indulgentiam, absque Confessione fieri non potest, sicut nec impositio Pœnitentiæ, ubi peccata occulta sunt. Ad publicam porro Pœnitentiam hæc verba referri non possunt: quia id officii toti plebi Christianæ innuunt exhiberi, sicut & Sacrificii celebrationem, & sepulturam sacram cum solemni oratio-

num

rum ritu, ut ex totius loci serie, & eodem loquendi modo compertum est. Si enim de publicis duntaxat peccatoribus graviorumque & canonicorum criminum reis locuti essent, non dixissent in prima persona, *Qui nobis Pœnitentiæ munus collaturi sunt?* &c. sed in tertia, *Qui hic Lapsis Pœnitentiæ munus collaturi sunt?* Sicut non dixere, *Qui nos baptizaturi sunt?* Sed, *Qui hos baptizaturi sunt parvulos?*

Plebs Christiana quæ de manu Sancti Fulgentii in exilium abeuntis Eucharistiam suscepit, apud alios Sacerdotes urbis Ruspensis confiteri potuit peccata, plurimorum dierum spatio quibus navis sanctum virum asportans stetit in littore, ac deinde eidem de manu ejus valefacientis communicare. Sicut enim tam ineptè quàm falsò quis colligeret, publicos peccatores graviorum criminum reos, nullâ Pœnitentiâ actâ, nullâ exomologesi factâ, nullâ reconciliatione præmissâ, de manu S. Fulgentii valefacientis communicasse, quia id non memorat in ejus Vita Ferrandus: ita ineptè & falsò Dallæus colligit eos qui in Christiana plebe Ruspensis Civitatis aliquod peccatum lethale admisissent, Eucharistiam de manu Sanctissimi Episcopi sumpsisse, nulla Confessione apud Sacerdotem facta expiatos, quia Ferrandus ipsos fuisse hoc modo confessos non refert.

§. XXIII.

Objectioni tertiæ Dallæi respondetur.

OBjicit tertiò Dallæus, Confessionem arcanam inter religiosos quorumvis Fidelium actus, Clericorum, Monachorum, Laicorum, Principum, Privatorum, Procerum, Plebeiorum, virorum, mulierum, apud Latinos quidem recentiores præcipuo passim & ubique loco; apud veteres verò Christianos nullo unquam, vel uspiam censeri, aut memorari. Neque enim sanctus Justinus in Apologia ad Imperatorem & Senatum Romanum, neque Tertullianus in Apologetico, nec Eusebius in Historia Ecclesiastica, Fidelium actus religiosos & Ecclesiasticos commemorantes, ullatenus Confessionis arcanæ meminerunt. Jacobum Domini fratrem Hegesippus magnis fert laudibus (apud Eusebium lib. 2. cap. 23.) inter multa ejus singularia, sancti viri genua instar cameli adeo obduruisse narrans, quòd esset in orando assiduus. Dixisset & in confitendo fuisse frequentem, si fuisset hæc aliqua Jacobææ religionis pars. Origenis laudibus plenus est Historiæ Eusebianæ liber sextus, nulla tamen toto hoc loco occurrit Confessio. In Vitis Cypriani, Ambrosii Mediolanensis, Martini Turonensis, Chrysostomi, Augustini, Honorati Arelatensis, Hilarii Arelatensis, Fulgentii Ruspensis, à Pontio Diacono, Paulino, Sulpitio Severo, Palladio, Possidio, Hilario Arelatensi, Honorato Massiliensi, Ferrando conscriptis: item in Orationibus Encomiasticis Nazianzeni in Gregorium patrem, in Cæsarium fratrem & sororem Gorgoniam, in Athanasium & Basilium; Nysseni in Gregorium Neocæsariensem & Macrinam sororem; Hieronymi in Marcellam, Asellam, Lætam, Paulam, Fabiolam; sanctos illos viros vel fœminas Confessionem de peccatis apud aliquem Sacerdotem fecisse non reperies. Fuisse autem in publico ac legitimo totius Ecclesiæ usu eam Confessionem quam tot sanctitate insignes celebresque viri & mulieres neglexerint, planè est incredibile: ergo nulla fuit olim in usu Fidelium publico atque legitimo arcana apud Sacerdotes Confessio.

Respondeo, Inter actus religiosos Fidelium lapsorum post Baptisma, Confessionem à Veteribus memorari, quòd omnia Patrum testimonia inter Probationes descripta apertè clamant: Non censeri inter actus religiosos Sanctorum, qui peccata Confessione Sacramentali necessariò expianda non admittebant. Nondum enim invaluerat universim consuetudo peccata venialia confitendi, & Ecclesiæ clavibus subjiciendi; sed oratione, eleemosynis, jejuniis, aliisque operibus bonis, in quibus assidui erant sancti homines, expungebantur. Unde non mirum quòd in eorum Vitis & Laudationibus Confessio non occurrat. Certè Pœnitentiam publicam pro gravioribus peccatis, iisque publicis, in Ecclesia solemnem non fuisse primis sæculis, nemo dicet: cujus tamen in plurimis veterum Episcoporum Vitis, aut Encomiis nulla mentio, quasi fuerit ab iis usurpata: aut si alicubi publica Pœnitentia occurrat, ut in Laudatione Fabiolæ apud Sanctum Hieronymum, ibi Confessio peccati apud Sacerdotes consequenter intelligitur, quæ an fuerit arcana, vel publica, perinde est (ut diximus) quia utrovis modo Sacramentalis est. Apud Eusebium, Natalii ad pedes Zephirini; Philippi Imperatoris ad pedes Babylæ, exomologesis & pœnitentia, Confessionem peccatorum involvunt, quæ an publica fuerit, an secreta, nihil refert. De Theodosii Pœnitentia apud Sanctum Ambrosium idem dicendum est. Idem de Pœnitentia juvenis qui dux prædonum factus erat, apud Sanctum Joannem Evangelistam, quam pariter Eusebius refert ex Sancto Clemente Alexandrino. Idem de Serapionis, aliorumque omnium Lapsorum Pœnitentia judicium ferendum est. Inter laudes Origenis libro 6. Eusebianæ Historiæ, quarum argumenta sunt ardentissimum illius viri in Christi Confessoribus & Martyribus fovendis, custodiisque studium, diei ac noctis ita divisa tempora, ut illam ascesi, hanc Scripturarum meditationi daret, victus ad miraculum tenuis, jejunia, humi cubatio, à vino abstinentia, castimonia insignis, sacrarum Scripturarum commentatio, nulla perceptæ Eucharistiæ, vel semel, occurrit mentio; sicut nec inter laudes sancti Jacobi ab Hegesippo celebratas. An ideo Eucharistiæ sumptionem inter actus religiosos Fidelium non fuisse primis sæculis numeratam vel à Jacobo, vel ab Origene nusquam frequentatam, legitimè quis inferat? Ineptum porro magis est colligere nullum fuisse in Ecclesia veteri Sacramentalis Confessionis usum, quia in Vitis & Encomiis sanctorum virorum, plerumque mulierum, inter ipsorum actus religiosos non recensetur; cùm longè alia sit Confessionis Communionisque Eucharisticæ ratio, & hæc justis omnibus conveniat, ab illisque tantò magis debeat frequentari, quantò sanctiores sunt; illa verò solis peccatoribus necessaria sit, id est, solis mortalis peccati reis; quo sensu peccatoris & justi notiones oppositæ sunt. S. Justinus in Apologiis, & Tertullianus in Apologetico singula Fidei capita, & Christianæ religionis ritus universos non commemorant, aut exponunt; sed ea tantùm proferunt in medium quæ ad Idololatriæ vanitatem, ad Christianæ Legis & professionis sanctimoniam demonstrandam, præsertim contra Ethnicorum calumnias, necessaria sunt. Et quia flagitiorum horrendorum, scilicet infanticidii, & promiscuæ libidinis in suis Synaxibus incusabantur Christiani, operæ pretium erat ea exponere in Apologiis pro nostra Religione editis, quæ Christiani suis in Conventibus agebant, & ritum quo initiarentur, qui huic Disciplinæ dabant nomen; & quo Eucharistia consecraretur. Non autem necessarium erat Pœnitentiæ Confessionisque negotium hac in causa explicare & urgere.

§. XXIV.

Dallæi Objectio quarta expenditur.

OBjicit quartò Dallæus, in veteri Ecclesia Fideles nulla, ut nunc apud Latinos, lege obligatos fuisse apud Sacerdotem antè in arcano confiteri, quàm ad Mensam Dominicam, Eucharistiæ sumendæ gratiâ, accederent. Id probat primò, quia in rei Christianæ primordiis & pauci erant Ministri, & Christiani frequentissimè, imò quotidie (si Tridentino Cathechismo credimus) omnes communicabant. Stultum autem ac ridiculum est imaginari, quicumque communicabant, apud sui gregis Pastores ante confessos fuisse singulos, quàm communicarent. Secundò id probat Dallæus ex eo quòd Sanctus Cornelius de Novatiano narrat apud Eusebium libro 6. Historiæ cap. 43. illum singulis, qui communicaturi ad Sacram Mensam accedebant, prehensis eorum inter Eucharistiam distribuendam manibus jurejurando obstrinxisse his verbis: *Jura mihi per Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi te nunquam me deserturum, nec ad Cornelium reversurum.* At si mos tum fuisset Fideles Sacerdotem quemque suum ante Communionem sacram adire, & solum cum eo in arcano loqui ad Confessionem; nemo non videt Novatiano facile futurum fuisse de Fidelium in se constantia & fide sibi cavere, jusjurandum in illo Confessionali secreto exigendo, procul omni scandalo. Ille verò quod & facilius erat & honestius, id fecisset haud dubiè, si licuisset: non fecit, ut constat; sed in ipsa Domini Mensa. Nulla ergo tunc obtinebat Confessionis arcanæ Disciplina.

Tertiò id probat Dallæus ex quarti quintique sæculi Disciplina. Constat enim omni illo tempore, quibuscunque licuit Eucharistiæ sacris interesse, iisdem ejus quoque percipiendæ jus fuisse. Imò qui intererant, eos nisi communicarent, reprehensos & increpitos à Præpositis fuisse (ex Sancto Chrysostomo Homilia 3. in Epistolam ad Ephesios) omnes autem Fideles, energumenis, & pœnitentibus exceptis, Eucharistiæ intererant sacris; pœnitentes ante Sacrificium Diaconus dimittebat clamans: *Discedite qui estis in Pœnitentia.* Quod si ii Fideles qui non erant confessi, Eucharistia exclusi essent, eos haud dubiè Diaconus perinde ac Catechumenos ex Ecclesia dimisisset, exclamans: *Discedite quotquot Confessione apud Sacerdotem minimè expiati estis.* Atqui nihil hujusmodi pronuntiat in tota Liturgia Diaconus. His ergo in sacra Synaxi, dimissis Pœnitentibus, remanere fas erat, & Eucharistiam sumere.

Quartò, probat Dallæus non fuisse ad hanc Eucharistiæ præviam Confessionem ullo Ecclesiæ vel præcepto, vel consilio compulsos omnes Fideles, ex eo quòd nulla ea de re lex, nulla regula, nulla exhortatio, nullum exemplum, nulla denique in communicantes non confessos pœna in tota primorum sæculorum Antiquitate occurrat.

Quintò, probat Dallæus unumquemque Fidelem conscientiæ suæ dimissum esse, ut absque ullo Sacerdotis hac de re arbitrio Eucharistiam sumeret; ex eo quòd apud Clementem Alexandrinum libro 1. Stromatum legimus, fuisse illo sæculo quosdam Presbyteros, *Qui Eucharistiam postquam de more in particulas diviserant, unicuique ex populo permitterent ipsum sibi partem sumere. Optima enim est,* inquit, *sua cujusque conscientia ad hoc ut res objectas accurate vel eligat, vel fugiat.*

Sextò id probat ex Origene Tom. 28. in Joannem, quo loco disputans de oculis ad Dominum inter precandum vel attollendis, vel Publicani exemplo deprimendis, totumque hujus rei judicium Fidelis cujusque conscientiæ relinquens, Eucharistiæ sumendæ eandem quoque esse rationem disertè, tametsi obiter, significat. *Cæterùm,* inquit, *unusquisque seipsum de rebus hujuscemodi judicet, probetque homo, & sic non solum ex illo Pane comedat, & de Calice bibat, verùm etiam oculos elevet supernè eos attollens, precesque fundat, subjiciens seipsum Deo, humilians que illi.* Ergo cùm par sit ex Origene rei utriusque ratio, Penes cujusque erat de utraque statuere; neque quisquam Fidelium cogebatur antequam Eucharistiam sumeret, magis quàm antequam precaretur, Sacerdotis judicium de eo requirere.

Septimò idem probat ex eo quòd Origenes Homilia 21. in Joannem, & Homilia 1. in Judices; & Hilarius Sardus in 1. ad Corinthios 5. & Quæst. 102. in Vetus & Novum Testamentum apud Sanctum Augustinum, doceant, quorum crimina occulta sunt, eos à Mensa Dominica ne à conscio quidem delicti Episcopo excludi posse aut debere. Quæ consistere non possent, si Fideles, antequam ad sacram Mensam accederent, in arcano Sacerdotis tribunali, hodierno Latinorum ritu, dijudicarentur.

Octavò id probat Dallæus ex pluribus Sancti Chrysostomi locis, quibus disertè testatur eos Fideles, qui communicare volunt, sibi ipsis dimittere, & omnem quæ ad hoc Mysterium requiritur, præparationem, propriæ singulorum conscientiæ permittere. Sic in Homilia de Jejunio, sive 8. de Pœnitentia: *Propterea,* inquit, *Paulus dicit, Probet autem se unusquisque, & sic de Pane comedat, & de Calice bibat. Non revelavit ulcus, non in commune theatrum accusationem produxit, non delictorum testes statuit, intus in conscientia, nemine præsente præter Deum qui cuncta videt, fac judicium, & peccatorum inquisitionem, & vitam omnem recogitans, in mentis judicium peccata deducito. Reforma quod deliquisti, atque sic purâ conscientiâ sacram attinge Mensam; particepsque sancti Sacrificii fias.*

Sic Homilia 27. in Genesim postquam auditores ad Christianam cum fratribus reconciliationem cohortatus est: *Si hoc,* inquit, *fecerimus, poterimus purâ conscientiâ ad sanctam terribilemque hanc Mensam accedere, & verba illa, quæ precationi inserta sunt, cum fiducia dicere (intelligunt initiati quid sit quod dico) proinde uniuscujusque conscientiæ relinquo, quomodo mandato illo impleto, per terribile illud tempus hæc fidenter dicere possimus.*

Sic in Homilia de Sancto Philogonio, cùm auditores suos ad Natale Christi post quinque dies celebrandum, & ad sacram Synaxin proximo festo cohortetur, inter cætera quibus hæc ad Eucharistiam continetur præparatio, Confessionis ne meminit quidem. Jubet suos vitiis: *quibus assueverant, nuntium mittere; à rapina, à maledicentia, à contumelia abstinere, liberalitati, eleemosynis, mansuetudini operam dare. Hæc,* inquit, *non agere diebus multis, annisve, sed solo animi proposito, & unico die perficiuntur. Discede à malo, virtutem amplectere; desiste à pravitate; pollicere te posthac ista non commissurum, & istud sufficiet ad excusationem. Ego testificor, ac fide jubeo fore, ut si nostrûm qui peccamus quisque recedens à pristinis malis ex animo verèque, promittat Deo se nunquam postea ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirat ad excusationem.*

Denique nec secutis temporibus morem illum accedendi ad Eucharistiam nulla Confessione præ-

via immutatum fuisse probat Dallæus ex *Dorotheo* Abbate qui sexto vixit sæculo. Is enim narrat, Doctrina 9. Monachum suspiciosum monuisse suum Abbatem, ut Fratrem quemdam à sacra Communione cohiberet, quòd cum sibi visus esset videre ficus mane furtim in horto suscipientem & comedentem, quæ admonitio supervacanea erat, si usus tum fuisset, neminem istorum Monachorum ad Eucharistiam admitti, nisi Confessione apud aliquem Sacerdotem priùs functum. Sed ne nono quidem sæculo hoc à Fidelibus communicaturis postulasse Patres, ut apud Sacerdotem Confessione arcana pectus purgarent, antequam ad Eucharistiam accederent, probat Dallæus ex silentio Synodi Cabilonensis anno Domini 813. Canone 46. cujus titulus est, *De discretione adhibenda in perceptione Eucharistiæ.* Quo in loco de Confessione nihil dicunt hujus Synodi Patres.

Respondeo ad argumentum, nego antecedens. Ad primam probationem dico, primos Christianos vitam sanctissimam duxisse, quo tempore diebus singulis communicabant (ut ex Actis Apostolorum constat) qui alienam ab Evangelio vitam agerent, eos non debuisse ad Eucharistiam accedere, nisi Pœnitentia & Confessione antea expurgati essent: propter hoc multos fuisse *imbecilles & infirmos, & dormiisse multos*, id est, morbis afflictos & morte mulctatos esse, quòd indignè Corpus Domini manducarent & Sanguinem biberent, nulla scilicet Pœnitentia expiati, etsi mortali peccato infectam haberent conscientiam: hac probationis & Pœnitentiæ lege ante Eucharistiam agendæ, Confessionis quoque obligationem contineri: cùm pauci Ministri essent, & Fidelium auctus esset numerus, sensim deferbuisse morem illum percipiendæ singulis diebus Eucharistiæ: tandem facilè fuisse uni Sacerdoti omnes ex grege suo audire, qui Confessione opus haberent; cùm graviorum criminum rei à sacra Mensa essent exclusi; cæteri Fideles moribus plerumque castissimis præditi essent: non confiterentur apud Sacerdotes qui venialium duntaxat peccatorum se reos agnoscebant: superessent pauci admodum qui lethalibus peccatis pollutum animum Confessione Sacramentali apud Sacerdotem expiare tenerentur, antequam Eucharistiam sumerent.

Ad secundam probationem Dallæi, respondeo, gratis ab ipso fingi Novatianum id factitasse ut de suorum fide sibi caveret, quod fuisset honestius, & à scandalo remotius. Qui projectam hominis audaciam ex ejus factis noverit, sic in ejus gratiam non ariolabitur. Juramentum in arcano Confessionalis Tribunalis factum, impunè violare facilius est. Id noverat homo vaferrimus: cujus præterea stabant à partibus viri (si schismatis malum excipias) sanctissimi, scilicet Confessores qui pro Christi nomine multa passi erant, ut ex Sancti Cypriani Epistolis constat. Illi autem, cùm se Schismaticos non existimarent, sed Novatianum legitimum Pontificem, Cornelium censerent Antipapam; & nullius alterius peccati lethalis sibi essent conscii, Sacerdotem ad Confessionem edendam non adibant. Unde non erat facile ut Novatianus sibi de suorum in se constantia & fide caveret, jusjurandum in illo Confessionali secreto exigendo. Itaque ut ipsos partibus suis strictiùs illigaret, terribilius vinculum injecit jurisjurandi in ipsa Eucharistiæ perceptione palam editi, cujus & religio major ob Mysteriorum sanctitatem, & obligatio solennior ob Conventus frequentiam esset.

Ad tertiam probationem Dallæi respondeo, peccatores occultos à sacris Mysteriis palam exclusos non fuisse, & jus ipsos habuisse ad Eucharistiam, secundùm politiam externam & Discipli-

A nam Ecclesiæ, quæ ipsos à sacra Mensa non arcebat, quòd sibi ignoti essent: jus autem non habuisse secundùm Christi legem, & Ecclesiæ ipsius doctrinam: sive potius dico, ipsos possessionem & usum habuisse tanti Sacramenti, è qua deturbari non poterant, quia latebant ipsorum peccata: sed jus propriè dictum ad Communionem Dominicam ipsos habuisse nego. Hæc Sancti Chrysostomi doctrina est in ipsa Homilia 3. in Epistolam ad Ephesios à Dallæo laudata. *Multos video*, inquit, *qui Christi Corporis sunt participes inconsiderate & temerè, & magis ex consuetudine & ex præscripto, quam ex cogitatione & consideratione. Si advenerit*, inquit, *tempus sanctæ Quadragesimæ, qualiscunque fuerit quispiam, fit particeps Sacramentorum; si advenerit dies Epiphaniorum.*
B *Atqui tempus ad ea accedendi non facit Epiphania, neque Quadragesima facit dignos qui accedant, sed animæ sinceritas & puritas. Cum ea semper accede, absque ipsa nunquam*, &c. quæ subjungit eam in rem præclara ac luculenta.

Et infrà: *In aliis quidem temporibus licèt sæpe mundi sitis, non acceditis: in Paschate autem, etiam si aliquod scelus à vobis sit admissum, acceditis. O consuetudinem, ò præsumptionem! frustra est quoti-*
C *dianum Sacrificium, frustra adstamus Altari: nemo est qui participet. Hæc dico, non ut solùm participetis, sed ut vos dignos reddatis. Non es dignus Sacrificio, neque participatione? Ergo nec prece. Audis Præconem stantem & dicentem, Quicunque estis in Pœnitentia, abite. Omnes qui non participant sunt in pœnitentia. Si es ex iis qui sunt in pœnitentia, non debes participare. Nam qui non participat, est in pœnitentia. Cur ego dicit, Abite, qui non potestis precari; tu stas impudenter? At non es ex his, sed ex his qui possunt participare, & nihil curas? Adest Mensa Regia, adsunt Angeli ministrantes, adest Rex ipse, & tu stas oscitans? Vestes tibi sunt sordidæ, &*
D *nulla à te hujus habetur ratio? At sunt mundæ. Accumbe ergo & participa. Venit quotidie ut videat accumbentes, omnes alloquitur, & nunc dicit in vestra conscientia, Amici, quomodo hic statis non habentes vestem nuptialem? Non dixit, Cur accubuisti? Sed ante accubitum & ingressum, dicit eum esse indignum. Non dixit enim, Cur accubuisti, sed, Cur intrasti? Hæc ergo nunc quoque dicit nobis omnibus, qui impudenter & inverecundè stamus: Quicunque enim est qui Mysteriorum non est particeps, is impudenter stat, & nimis audacter. Qui sunt in peccatis, propterea priores ejiciuntur. Quemodo enim*
E *cùm Dominus adest in mensa, non oportet adesse famulos qui offenderunt, sed procul amandantur: ita hic quoque, cum effertur Sacrificium, & Christus sacrificatur, & ovis Dominica, quando audieris: Oremus omnes communiter, quando videris trahi, quæ in ostiis sunt, cortinas, tunc existima cælum superne diduci & descendere Angelos. Quomodo ergo nullum oportet adesse ex iis qui mysteriis non sunt initiati, ita nec ex iis qui sunt initiati & sordidi. Dic mihi, Si quis ad convivium invitatus, manus laverit & accubuerit, & ad mensam paratus fuerit, deinde non fuerit ejus particeps, an non contumelia*
F *afficit eum qui invitavit? An non esset melius eum ne adfuisse quidem? Ita tu quoque adfuisti, hymnum cantasti, cum dignis omnibus te esse professus, eo quod cum indignis non recesseris. Quomodo mansisti, & Mensæ non es particeps? Sum, inquit, indignus. Ergo illa quoque Communione & societate quæ est in precibus, es indignus. Non enim solum per proposita, sed etiam per cantica undique discendit Spiritus. Non vides Mensam spongia lavantem, & mundantem, & discos Mensæ imponentem. Hoc fit per preces, per clamorem Præconis. Tanquam spongia lavemus Ecclesiam, ut in munda Ecclesia fiant omnia*

 proposita,

proposita, ut nulla sit macula, nulla ruga. Sunt & oculi indigni his spectaculis, & aures indignæ. Et si bestia (inquit Exodi 19.) *Montem tangat, obruetur lapidibus, adeo nec digni quidem erant qui accederent. Atqui postea etiam accesserunt & viderunt ubi steterat. Licet postea accedere & videre; sed quando adfueris, abi. Non enim tibi magis licet quàm Catechumeno. Non enim idem est Sacramenta nondum esse assecutum, & postquam fueris assecutus & offenderis, despicere, & ea re te indignum reddere. Ne ergo nobis majus faciamus judicium, rogo quidem vos, non ut non adsitis, sed ut præsentia & aditu vos reddatis dignos.* Quo ex loco liquet, ab Eucharistiæ participatione excludendos omnes qui Deum graviter offendissent, qui sordidam & immundam, vestéque nuptiali destitutam haberent animam, si peccata ipsorum nota fuissent: lethalis peccati reos non solùm Communione, sed & ipso Mysteriorum aspectu, & Sacri auditione indignos esse: proinde voluisse Ecclesiam ut (secundùm legem Christi Domini ab ejus Apostolo promulgatam) antè expiarentur, quàm ad Eucharistiam accederent. Expiationem autem illam Pœnitentiâ apud Sacerdotes factâ, adeoque Confessione Sacramentali, & Absolutione Sacerdotis, qua peccata remittuntur, factam esse constat ex Sancti Chrysostomi doctrina locis inter probationes laudatis. Necessariam porro non fuisse existimatam Confessionem ante Communionem Eucharistiæ, perperam Dallæus colligit ex eo quod Diaconus non clamaret, *Discedite quotquot Confessione apud Sacerdotem expiati non estis.* Alioqui legitimè colligi posset, Pœnitentiam & Contritionem necessariam non fuisse communicaturis, quamvis eorum peccatorum essent rei, quæ à Regno Dei, secundùm Apostolum excludunt; quia Diaconus non clamabat: *Discedite quotquot Pœnitentia & Contritione expiati non estis.* Quod quàm sit falsum & absurdum, nemo non videt.

Ad quartam Dallæi probationem respondeo, Fideles, qui mortale aliquod peccatum post Baptismum commisissent, ipsa Christi Pœnitentiæ Sacramentum, adeoque & Confessionem, quæ pars illius est, instituentis lege ac mandato: Ipsa Apostoli jussione à Christo accepta, & promulgata his verbis; *Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat: Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit:* ad illam Eucharistiæ præviam Confessionem fuisse adstrictos. Multas in non confessos antequam ad Communionem accederent, pœnas, & severissimas quidem legi in primorum sæculorum Antiquitate; quas illis Deus ipse ad puniendum tam immane sacrilegium inflixit. Librum Sancti Cypriani *de Lapsis*, terribilia hujusmodi punitionum exempla continere. *At verò ea, inquit, quæ ætate provecta, & in annis adultioribus constituta sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces & pectus sanguinem admittens, angi, & anima exæstuante concludi postmodum cœpit. Et pressuram non jam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens & concidit. Impunitum diu non fuit nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen; quia fefellerat hominem, Deum sensit ultorem. Et cùm quædam arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire; igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius, quia & ipse maculatus, sacrificio à Sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere: Sanctum Domini edere & contrectare non potuit; cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documento unius ostensum est, Dominum recedere cùm negatur; nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando Gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente mutatur. Quàm multi quotidie Pœnitentiam non agentes, nec delicti sui conscientiam confitentes, immundis spiritibus adimplentur! Quàm multi usque ad insaniam mentis excordes, dementia furere quatiuntur! Nec necesse est ire per exitus singulorum, cùm per orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna sit varia, quàm delinquentium multitudo numerosa. Unusquisque consideret, non quid alius passus sit, sed quid pati & ipse mereatur: Nec evasisse se credas, si eum interim pœna distulerit, cùm timere plus debeat, quem sibi Dei Judicis censura servavit.*

Idem Sanctus Cyprianus vehementissimè in eos invehitur, qui spretâ Apostoli sententiâ, *Quicumque ederit Panem, aut biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*, ad Eucharistiam accedunt *ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam Sacrificio & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini & minantis:* & sic *Vim inferunt Corpori ejus & Sanguini.* Quibus verbis præviam Eucharistiæ Pœnitentiam & Confessionem, atque Absolutionem Sacerdotis, necessariam Lapsis adstruit. Quamvis enim de Idololatris dumtaxat ibi loquatur, qui Eucharistiam *invadentes*, antequam Pœnitentiâ publicâ functi essent, plus in Dominum manibus, atque ore delinquebant, quàm cùm ipsum negaverant, æquè tamen de aliorum criminum reis intelligenda est hæc sententia, cùm indignè Panem edant, & Calicem Domini bibant, quicumque lethali peccato sunt obstricti, & ante illius expiationem ad sacram Mensam accedunt.

Ad quintam & sextam Dallæi probationem respondeo, Clementem Alexandrinum & Origenem, necnon & Sanctum Chrysostomum, unumquemque Fidelem conscientiæ suæ permittere quantùm ad examen & judicium de animæ suæ statu, deque præparatione sua, vel indignitate ad percipiendam Eucharistiam; ita ut si nullius criminis reum se agnoscat, cum reverentia possit ad Mensam Dominicam accedere, nullâ apud Sacerdotem exomologesi, vel Confessione factâ; sed unumquemque conscientiæ suæ non dimittunt, quantùm ad officium expiandi delicta ante Communionem, si quibus sit pollutus, quæ lethalia sint, & à Regno Dei excludant, vel quantùm ad istius expiationis modum; ita ut ipsi liberum sit vel apud Deum solum, vel apud Sacerdotem illa confiteri; interna compunctione illa delere absque arbitrio & ministerio Sacerdotis; vel remissionem illorum à Sacerdote, prævia Confessione, quærere. Cùm enim Sacramentum Pœnitentiæ, Confessione constans, Christus instituerit ut medium Lapsis ad recuperationem gratiæ necessarium, quod ex Origene etiam & S. Chrysostomo superiùs probatum est; non est liberum ipsis neglecta Confessione Sacramentali ad Eucharistiam accedere.

Ad septimam Dallæi probationem respondeo, Hæc duo optimè cohærere, quòd scilicet ii, quorum crimina occulta sunt, ne quidem à conscio delicti Episcopo à Dominica Mensa excludi possint aut debeant; & nihilominus peccatorum Confessionem teneantur apud Sacerdotem edere, à quo dijudicentur. Iis enim ipsis quibus apud se confessis absolutionis beneficium denegavit, Eucharistiam negare Sacerdos non potest, si eam publicè petant, tum ne ipsis infamiæ notam inurat, tum ne Confessionis sigillum referet; tum ne à Christi exemplo Corpus suum Judæ traditori, furi, sacrilego porrigentis aberret. Si tamen solus, & nemine præsente peteret Communionem peccator occultus, vel scandali periculum omne abesset, Confes-

sarius

sarius delicti ejus conscius posset ac deberet Eucharistiam illi denegare. Ita docet Sanctus Thomas III. Parte Quæst. LXXX. Articulo VI. omnesque post ipsum Scholastici; qui Confessionis tamen ad Eucharistiam præviæ necessitatem, illis qui lethalia admisere, agnoscunt & probant.

Ad octavam Dallæi probationem respondeo, Sanctum Joannem Chrysostomum de conscientiæ examine loqui, & de vitæ emendatione, quæ nullo arbitro fieri possunt, solo Deo teste. Unde sicut Pœnitentiam publicam excludere Chrysostomum his in locis nemo eruditus dixerit, quâ purgari deberent graviorum criminum rei ante Eucharistiæ susceptionem; ita Confessionem Sacerdoti faciendam, & Ecclesiæ claves non excludit, quibus subjicere se deberet cujusvis peccati lethalis reus antequam sacram Mensam attingeret. De Confessione quidem non loquitur ibi Sanctus Chrysostomus, sed nec publica de Pœnitentia loquitur: sicut autem hujus, ita & illius alibi meminit, ac utramque disertè adstruit. Certè Communione Dominici Corporis indignum esse qui non deposuit omne peccatum, & qui non sectatur sanctimoniam sine qua nemo Deum videbit, asserit Homil. 8. de Pœnitentia, & propterea Sanctum Paulum probationem sui ab unoquoque exigere antequam ad tremendam Mensam accedat. *Sed quoniam*, inquit, *sancta Mysteria ad memoriam vobis retuli tremenda ac spiritualia, obsecro, atque omni cum instantia expeto, omne deponentes peccatum, sic ad tremendam hanc Mensam accedere.* Pacem, *inquit*, sequimini cum omnibus, & sanctificationem, sine qua nemo videbit Deum. *Qui autem videre dignus non est, neque Communione dignus est Dominici Corporis. Propterea Paulus inquit: Probet autem se homo, & sic de Pane illo comedat, & de Calice bibat.* Consequenter expianda quævis peccata statuit Chrysostomus ante Communionem, nec aliis utique expianda remediis intelligit, quàm iis quæ instituit, & Ecclesiæ suæ dispensanda credidit Dominus Christus. quorum adhibitionem hæc verba etiam complectuntur, *Reforma quod deliquisti.*

Quod spectat locum ex Homilia 27. in Genesim, unumquemque suæ conscientiæ dimittit Sanctus Chrysostomus ut examinet an fecerit satis Præcepto Domini de reconciliatione cum inimicis: non autem ut nullâ Confessione præviâ ad Eucharistiam accedat: neque enim existimandum est injuriarum condonationem satis esse ad remissionem lethalium peccatorum consequendam ex mente Chrysostomi, sed ad venialium dumtaxat expunctionem: esse verò necessariam ut purâ conscientiâ ad sacram Mensam accedamus, & dicere fideliter possimus in Oratione Dominica, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Certè alia postulat à peccatoribus in eadem Homilia Sanctus Joannes Chrysostomus, scilicet contritionem, lachrymas, accusationem sui, medicinæ à Deo institutæ adhibitionem, & alia quæ Christus, aut Ecclesia à nobis exigunt. *Itaque*, inquit, *exauditurus est & nos, si voluerimus in paucis diebus istis studii specimen quoddam afferre, & jejunii subsidio non abuti, & excussâ socordiâ continuis precibus placare Dominum, calentes profundere lacrymas, delicta nostra sedulò accusare, & quasi Medico proponere, nec abjicere quam ille dat medicinam, necnon & alia quæ à nobis exiguntur, afferre: animo conteri & compungi, eleemosynam dare largam; affectiones quæ mentem nostram interturbant refrænare*, &c. At medicina ad mortalium peccatorum curationem à Christo instituta est peccatorum accusatio, non apud Deum tantùm, sed apud Sacerdotem; & illam alibi recenset S. Chrysostomus inter ea quæ

A à peccatoribus exiguntur: Confessionem itaque peccatorum apud Sacerdotes faciendam tantum abest ut excluserit, quin potius ibi intellexit Doctor sanctissimus.

Denique in Homilia de sancto Philogonio, Chrysostomus non adeo dimittit unumquemque Fidelium conscientiæ suæ judicio, quin priùs expurgandos esse per Pœnitentiam doceat peccatores quàm ad sacra Mysteria accedant. Pœnitentia autem peccatorum lethalium Confessionem involvit, ex Chrysostomi doctrina. *Nunc autem*, inquit, *multi Christianorum in tantam vecordiam, tantumque*
B *venere contemptum, ut cum innumeris scateant malis, nullam tamen vitæ suæ curam habeant: sed in diebus festis negligenter ac temerè ad Mensam hanc accedant, haud intelligentes quòd Communionis tempus non est festum, neque celebritas, sed conscientia pura, vitaque à peccatis repurgata. Quemadmodum enim qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere: sic qui peccatis occupatus est, nec pœnitet, eum ne in festis quidem accedere tutum est. Neque enim semel in anno accedere, liberat nos à peccatis, si indignè accesserimus: quin hoc ipsum potius auget damnationem, quod cum semel tantùm accedamus, ne tum quidem purè*
C *accedimus. Quapropter adhortor vos omnes ne negligenter, veluti festo die cogente, ad divina Mysteria accedatis; sed si quando parabitis hujus sacræ Hostiæ fieri participes, multis ante diebus repurgetis vos ipsos per Pœnitentiam*, &c.

Ad postremam Dallæi probationem respondeo, Monachum illum de quo Dorotheus, maniter Abbatem non admonuisse quòd Fratrum aliquis ficus mane comedisset, ut eum arceret à Communione, quantumvis in usu esset Confessio Eucharistiæ sumptioni prævia: quia Ecclesiæ leges moresque jam inde ab ejus initiis, ab Eucharistia eos ar-
D cebant qui jejuni non essent. Certè si diebus solennis Communionis Monachus aliquis admoneret Cœnobii Præfectum, Fratrum aliquem ipso die quo ad sacram Synaxim accedere omnes debent, cibi vel potus aliquid sumpsisse, ipsi ad Mensam Dominicam prohiberetur accessus, quamumvis ipsum fuisse peccata confessum constaret. Nihil itaque ex laudata Sancti Dorothei narratione adversùs Confessionis usum colligi potest.

Cabilonensis Synodus Canone, quem Dallæus laudat, Confessionis disertè non meminit: eam tamen intellexit nomine *purificationis animæ*, quam
E Eucharistiæ docet esse præmittendam: & aliunde Canone 33. cujus titulus est, *Quod Deo & Sacerdoti confitenda sint peccata*, Confessionis usum velut utilissimum, imò & quandoque necessarium propugnat; quamvis non æquè ab omnibus agnosci & credi necessitatem illam indicet, nondum scilicet excussâ & eliquatâ illius quæstionis veritate in Plenario Concilio. *Quidam*, inquit, *Deo solammodo confiteri debere dicunt peccata, quidam verò Sacerdotibus confitenda esse percensent: quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam. Ita dumtaxat ut & Deo, qui remissor est pec-*
F *catorum, confiteamur peccata nostra, & cum David dicamus: Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei, & secundum institutionem Apostoli, Confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro invicem ut salvemur. Confessio itaque quæ Deo fit, purgat peccata: ea verò quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus namque salutis & sanitatis Auctor & Largitor plerumque hanc præbet sua potentiæ invisibili administratione* (perfectè scilicet contritis) *plerumque Medicorum operatione*, id est, Sacerdotum Ministerio.

sterio. Et Canone 32. Confessionem apud Sacerdotes de omnibus & singulis in specie peccatis fieri debere decernit Synodus. *Sed & hoc emendatione indigere perspeximus*, inquiunt Patres, *quod quidam dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut utriusque plena sit Confessio: scilicet ut & ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum Confessor, ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficilè vivitur, Confessionem faciat: quia aut cogitatione, aut quod est gravius, opere, eorum instinctu peccavit. Odium etenim, invidia, superbia, vel cætera hujusmodi animæ pestes, tantò periculosiùs lædunt, quantò subtilius serpunt.*

---

§. XXV.

Objectiones Dallæi quinta & sexta retunduntur.

OBjicit quintò Dallæus, in vitæ supremis Confessionem auricularem facere aut expetere Fideles apud Latinos quidem cunctos: apud veteres verò Christianos nullos apud Sacerdotem in exitu vitæ confessos memorari. Pontius Diaconus in Vita Sancti Cypriani, Cæcilii Carthaginensis Presbyteri mortem describit, Confessionem silet. Helenæ Augustæ matris Constantini obitum narrat Eusebius, libro 3. de Vita Constantini, cap. 43. Testamentum ab ea conditum, non Confessionem editam refert. Athanasius Antonium Monachorum parentem, Athanasium Gregorius Nazianzenus Oratione 21. Basilium idem Oratione 20. Gregorium Patrem Oratione 19. Cæsarium Fratrem Oratione 10. Gorgoniam Sororem Oratione 11. Gregorius Nyssenus Gregorium Neocæsariensem, Ephræmum, Sororem Macrinam; Satyrum Fratrem, & Theodosium Imperatorem Ambrosius, Martinum Turonensem Sulpitius Severus, Nepotianum Hieronymus Epistola 3. Marcellam Epistola 16. Paulam Epistola 27. Paulum & Hilarionem Eremitas in eorum Vitis, Monicam matrem Augustinus lib. 9. Confessionum cap. 11. & 12. Augustinum Possidius lib. de ejus Vita cap. 31. Honoratum Arelatensem Episcopum Hilarius ejus Successor, Hilarium ipsum Honoratus Massiliensis, Germanum Antissiodorensem Constantius Lugdunensis Presbyter, Fulgentium Ruspensem Ferrandus, Ambrosium Paulinus, Benedictum Gregorius, Alii apud Surium antiqui Scriptores viros & fœminas insignes sanctitate septimo & octavo sæculo, Beda in Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum Ceaddam Britannum Episcopum, Hildam Abbatissam, aliosque eximiæ pietatis viros; Carolum Magnum Eginhartus in ejus Vita, sanctè obiisse memorant, eorumque dicta vel facta illo tempore minutatim & accuratè recensent, confessos in supremis non scribunt. Ex quibus colligit Dallæus, Veteres arcanam illam Confessionem planè nescivisse, quam scilicet si notam habuissent, in supremis necessariò erant usurpaturi.

Respondeo primò, Argumentum istud planè futile & nugatorium esse, quia negans est. Secundò, sanctos viros à Dallæo laudatos nullius sibi conscios peccati fuisse, quod Confessione expiandum esset. Venialium namque Confessio illis temporibus penè insueta erat. Orationibus dumtaxat, aliisque piis operibus, & quotidianâ pœnitentiâ expungebantur. Unde sicut sanctis hominibus Extrema-Unctio non conferebatur olim, ut probat Joannes Launoius libro *de Unctione Extrema*; quia ad spirituales peccatorum ægritudines, vel ægritudinum hujusmodi reliquias curandas & depellendas est instituta: ita & multò magis credere par est, Confessionem Sacramentalem, quæ ad lethalium expiationem peccatorum, primò & per se instituta est à Servatore Christo, Ecclesiam ab illis non exegisse. Sed nec ipsi, ut dixi, venialia quæ fortè admiserant, apud Sacerdotes vulgò confitebantur; quia nec opus erat, cùm illa certissimis præsentissimisque aliis remediis curari se posse novissent confiderentque: nec in more Ecclesiæ esset ut illorum Confessio apud Sacerdotes ederetur.

Objicit sextò Dallæus, Latinos recentiores Scriptores in describendis suis suorumve morbis, calamitatibus, bellis, naufragiis, itineribus & profectionibus, cæterisque periculosis, Confessionis Sacramentalis passim ac penè semper: Veteres verò nunquam meminisse. Narrat Hieronymus in Epistola ad Oceanum, Fabiolam Romæ primam omnium Nosocomium instituisse, in quo ægrotantes colligeret. Præfectum Nosocomio Presbyterum, qui infirmos confitentes audiret, nullum memorat. Narrat Pontius in Vita Cypriani Carthagine grassatam esse illam luem, cujus occasione librum egregium, *de Mortalitate*, Cyprianus ipse edidit. Narrat nostrorum mirabilia fuisse in ægros officia. Eandem illam mortalitatem Alexandriæ sævisse narrat Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, libro 7. Historiæ cap. 22. ipse quoque memorans nostrorum stupendam in miseros charitatem. Neuter Confessionis ægrotantibus à Presbyteris ministratæ meminit. Constantinum adversùs Licinium bellum molientem, Eusebius libro 2. de Vita Constantini: Theodosium adversùs Eugenium Paganismi fautorem certamen parantem, Ruffinus libro 2. Historiæ cap. 33. Socrates libro 4: Theodoretus libro 5. cap. 24. Mascezelem adversùs impium fratrem Gildonem arma convertentem, Orosius lib. 7. Historiæ: Quendam Gothorum Principem Salvianus Massiliensis libro 7. *de Gubernatione Dei*, ad pugnam sese præparasse testantur orationibus, jejuniis, cilicii gestatione, prostratione ante Apostolorum & Martyrum Reliquias. Ipsos Confessione apud Sacerdotes edita ad prælium se comparasse non memorant. Gregorius Nazianzenus in Carmine de Vita sua tempestatem describens, qua jactatus est Alexandria Athenas navigans, omnes qui in navi erant, Christum invocasse dicit; confessum esse quemquam non dicit. Gregorius I. P. R. lib. 3. Dialogorum cap. 36. narrans Maximiani Constantinopoli Romam redeuntis, unà cum Gregoriani Monasterii, quibus præerat Fratribus, naufragium; ipsos Corpus & Sanguinem Redemptoris accepisse, & Deo se singulos commendasse refert: confessos fuisse non refert. Ex quibus colligit Dallæus, Confessionis usum apud Veteres, in morbis, in prælii procinctu, in naufragiis nullum fuisse.

Respondeo, Meminisse implicitè Confessionis Sacramentalis Veteres in his, ut vulgò loquimur, casibus, cùm vel datam pacem Pœnitentibus gravi infirmitate correptis, vel in periculis hujusmodi administratam Eucharistiam meminerunt. Intelligere enim par est illos præstitisse quod præstandum Ecclesia docebat. Ostendimus porro perpetuam fuisse Ecclesiæ de Confessionis necessitate doctrinam respectu eorum qui lethalia peccata admisissent. Illos itaque Lapsos quibus pax dabatur, & eos omnes qui Eucharistia donabantur Fideles, antea fuisse Confessione Sacramentali expiatos credere

dere par est, si peccatis aliquibus polluti essent, quibus hujusmodi expiatione opus esset. Sed ut singulis momentis quæ in hoc argumento negante Dallæus congerit, faciam satis.

Respondeo, in Fabiolæ Nosocomio nec Presbyterum constitutum legi, qui Catechumenos infirmos & in periculo mortis constitutos baptizaret, qui reconciliaret Pœnitentes, qui Eucharistiam administraret ex hac vita proficiscentibus, qui ipsos in doloribus consolaretur, & ad morbos, ipsamque mortem Christiano animo ferendam piis adhortationibus animaret, quæ tamen officia Ecclesiam ipsis non impendisse nemo dixerit. Unde sicut inepta esset hæc argumentatio: Hieronymus à Fabiola Præfectum Nosocomio Sacerdotem non dicit qui Cathecumenos infirmos, & in mortis discrimine positos baptizaret, qui reconciliaret Pœnitentes, ipsisque Pacem, Communionem, Viaticum daret vel in supremis; ergo nullus erat Catechumenorum infirmorum & mortis in periculo positorum Baptismus, nulla moribundorum Pœnitentium reconciliatio: Ita ineptum est istud Dallæi ratiocinium: A Fabiola Præfectum Nosocomio Presbyterum, qui infirmos confitentes audiret, Sanctus Hieronymus non dicit: ergo nullus fuit apud Fideles in morbis Confessionis usus. Quid quòd Sanctus Hieronymus Medicos Nosocomio à Fabiola addictos fuisse non refert? Colligendum ne ex ejus silentio nullos fuisse qui ægris curandis operam darent? Certè Nosocomiis præfectos fuisse Presbyteros, testis est Palladius in Vita S. Joannis Chrysostomi cap. v. *Nova quoque*, inquit, *infirmorum receptacula construis, præficient his duos ex Sacerdotum numero*, &c. Nosocomia Beneficia Ecclesiastica erant, quibus Clerici præficiebantur, ut constat ex Concilii Chalcedonensis Canone VIII. *Clerici* (inquit) *qui præficiuntur Ptochodochiis & Monasteriis, sub Episcoporum potestate consistant.* Clericos illos Sacerdotes fuisse minimè dubium est, in eum quippe finem ibi constituti, ut pia illa loca regerent, ac infirmis, pauperibus, Monachis Sacramenta ministrarent.

Presbyteri Nosocomiis præfecti.

Ad Pontii & Dionysii Alexandrini narrationem de mortalitate Carthagine & Alexandriæ grassante, respondeo ipsos nec Baptismi Cathecumenis lue illa afflictis, aut Paganis qui tunc convertebantur ad Fidem à Sacerdotibus administrati, nec pacis datæ pœnitentibus moribundis meminisse, quæ tamen officia ac remedia ipsis negata ex Pontii, Dionysiique silentio perperam colligeretur. Quamvis ergo Confessionis ægrotis à Sacerdotibus ministratæ, neuter meminerit, colligi legitimè non potest ipsam nullam fuisse. Testatur Pontius illius mortalitatis tempore, *Distributa fuisse à Sancto Cypriano pro qualitate hominum atque ordinum ministeria.* In his Ministeriis omnium Ordinum, quidni Sacerdotum spiritale in audiendis Confessionibus, & remittendis Pœnitentium peccatis Ministerium etiam intelligamus? Sanctus Cyprianus testatur peste illa grassante, *Pavore mortalitatis & temporis accendi tepidos, constringi remissos, excitari ignavos: desertores compelli ut redeant, Gentiles cogi ut credant.* Gentiles credentes qui baptizarent Presbyteri præsto erant, & qui desertores redeuntes ad Pœnitentiam susciperent, & reconciliarent. Quidni & confitentes non solùm defectionem à fide, sed & alia peccata lethalia audirent, & Pœnitentes absolverent? Dionysius Alexandrinus, plurimos ex fratribus, & optimos quosque, quorum nonnulli Presbyteri erant ac Diaconi, mortem oppetiisse ait, cùm ægrotos inviserent, & eis curationem in Christo adhiberent: quod genus mortis ob fidei pietatisque constantiam nequaquam inferius Martyrio censet. Quidni Presbyteri illi Pœnitentiæ Sacramentum iis quibus opus esset administrarent, & eorum Confessiones susciperent?

Ad Imperatorum, Principum, aut Ducum, quos bellum nullâ prævia Confessione aggressos tam confidenter asserit Dallæus, respondeo, id non probare exempla ab ipso allata, sive silentium veterum de horum quos nominat Confessione. Primò extra rem est Constantini Licinio bellum inferentis exemplum. Vel enim baptizatus nondum erat Constantinus, adeoque Confessionis incapax: vel nullius à suscepto Baptismo criminis reus, adeoque Confessionis non egens. Baptizatum nondum fuisse probabilius est; cùm sub vitæ finem baptizatum fuisse Nicomediæ certissima Ecclesiasticæ Antiquitatis monumenta testentur. Ipsum nihilominus Sacerdotes hoc in bello comites habuisse, velut optimos animæ custodes, quorum precibus muniretur, testis est Eusebius Libro II. *De Vita Constantini* Cap. 4. In bellum etiam contra Persas Episcopos habuit in comitatu, *Provida mente prospiciens viros ad divinum cultum necessarios assiduè secum versari oportere. Perinde Tabernaculum in speciem Ecclesiæ ambitioso cultu ad hujus belli usum præparavit, in quo preces ad Deum victoriæ auctorem unà cum Episcopis fundere decreverat*; ut refert Eusebius Libro IV. *De Vita Constantini*, cap. LVI. Theodosium adversùs Eugenium certamen parantem, quis lethali peccato pollutum, quis alicujus gravis delicti reum, ex quo pœnitentiam ob cædem Thessalonicensem tanta religione egerat, Dallæo revelavit? Verisimilius est pientissimum Imperatorem nullius criminis reum fuisse quod Confessione expiandum esset, cùm adversùs Eugenium pugnavit. Nam & divinæ visiones quibus eum recreare dignatus est Dominus, & miraculo parta victoria, auditæque à Deo Principis preces, illius hoc tempore innocentiam satis probant. Mascezelem qui in Capraria insula sanctos aliquot Dei servos sumpsit, & cùm his orationibus, jejuniis, Psalmis dies noctesque continuavit, & à Sancto Ambrosio paulò antè Mediolani defuncto in somnis de futura victoria certior factus est, peccati alicujus lethalis reum fuisse, nobis Dallæus non persuadebit: unde mirum non est quòd confessus non memoretur. Sed etsi aliqua Confessione expianda admisisset, potuisset illam edere apud aliquem ex illis Dei servis, quorum in cœtu Sacerdotem fuisse credere par est. At Orosium omnia pietatis officia, quibus ad bellum se Mascezel comparavit, narrasse, nihil siluisse in historia, in qua brevitati studere se profitetur, quis vadem se præstabit? Regem Gothorum ab oratione & spe in Deum qua se ad prælium paravit, commendat Salvianus, & hoc barbari hæreticique Principis exemplo Romanorum coarguit impietatem qui ad Deum non confugiebant, sed in suis viribus confidebant. At quid antea egerit Princeps ille, vel quid agere debuerit, non refert, quia non erat opus. Denique quamvis Confessarios unicuique legioni, ut nunc fit, à Christianis Principibus assignatos fuisse antiquitus non legamus, nec verisimile fit, quia nec tanta Sacerdotum erat copia; inde inferri non potest Confessionem in usu non fuisse, & qui criminis alicujus essent sibi conscii, salutisque suæ curam gererent, occasione data Sacerdotes non adiisse, & facta Confessione peccatorum suorum remedia & remissionem ab ipsis non quæsivisse.

Ad naufragiorum exempla respondeo, non esse mirum quòd tempestate qua jactatus est Gregorius Nazianzenus sæviente nemo confessus legatur, cùm nec Gregorius ipse tunc fuerit baptizatus. Nullum in navi Sacerdotem fuisse credere par est, qui Sacramenta posset Catechumenis & Fidelibus administrare. Tunc verò temporis Laïcos à Ministerio Baptismatis excludebat Ecclesiarum quarumdam disciplina. Sicut ergo ex eo quòd Gregorius

Nazianzenus in tam præsenti vitæ discrimine baptizatus non fuerit, nemo rectè collegerit non fuisse Ecclesiæ morem ut Catechumenis in vitæ periculo constitutis conferretur Baptismus: ita ex eo quòd nemo confessus legatur, perperam Dallæus infert confiteri solitos non fuisse Fideles in supremis periculis. Adde quòd eorum, qui navi vehebantur, plurimi ethnici erant, quos Christum invocasse sibi antea ignotum, docenti metu, & ad fidem conversos fuisse miraculo quo servati sunt incolumes è periculo tam præsenti, Gregorius Nazianzenus scribit. Quod spectat Maximiani, & fratrum Gregoriani Monasterii, quibus præerat, naufragium, cùm viri sancti essent, Confessione Sacramentali non egebant. Illorum autem sanctitatem insigne miraculum quo illorum navis aquis per rimas undequaque patentes subeuntibus impleta & fluctibus collisa octo dierum spatio subvecta est, donec illis exonerata in Portu quodam, submersa est penitus, non obscurè testatur.

Militum ante pugnam Confessio. Sanè octavo & nono sæculo Milites ante pugnam peccata sua Presbyteris confiteri solitos, constat ex Alcuino, Epistola XLVI. ad Dammeram. *Valde*, inquit, *sollicitus sum de itinere profectionis in hostem: quia plurima solent in talibus evenire pericula rebus. Tu vero iter tuum Confessione confirmare, eleemosynis roborare memento.* Rex Arnulfus in obsidione Romana *solemnitate Martyrum celebratâ, Exercitum unanimiter interrogavit, quid facto opus sit? Conveniunt omnes cum lacrymis fidem promittentes, Confessionem veram Sacerdotibus publicè agentes*; ut habetur in Annalibus Fuldensibus, ad annum octingentesimum nonagesimum quintum. Vuillelmus Malmesburiensis Monachus lib. III. *De Gestis Anglorum*, cap. XV. laudat Milites Normannos, *Quòd tota nocte Confessioni peccatorum vacantes, mane Dominico Corpori communicaverint, antiquam pugnam cum Anglis inirent.* Dux Conradus anno nongentesimo quinquagesimo quinto contra Hungaros pugnaturus, *Post Missæ celebrationem, sacramque Communionem ab egregio porrectam Odelrico Confessore suo, processit adversus hostes*; ut legitur in Chronico Magadaburgensi. Hinc Synodus Liptinensis Canone secundo permittit, *Ut in castris Princeps habeat unum vel duos Episcopos cum Capellanis vel Presbyteris eorum, & unusquisque Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare & indicare Pœnitentiam possit.*

Confessionis Sacramentalis in extremis antiquus usus. Confessionis usum in extremis octavo sæculo videmus, hominesque Christianos de illius necessitate persuasos. Hanc necessitatem agnoverunt Patres Concilii Calchutensis in Anglia celebrati anno septingentesimo octogesimo septimo, Canone XX. cujus hæc sunt verba: *Si quis, quod absit, sine Pœnitentia aut Confessione de hac vita discessit, pro eo minimè orandum est. Nullus enim sine peccato est.* Hanc agnovit Concilium Parisiense sextum, vetans Presbyteros seu Rectores per diversa mitti, *Quod eorum absentiâ homines sine Confessione plerumque moriantur.* Hanc agnovit Jonas Aurelianensis Episcopus lib. I. *De Laicorum Institutione* cap. XIV. *Si ergo*, inquit, *infirmi in peccatis sint, & hæc Presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint, & perfecto corde ea relinquere atque emendare satagerint, dimittentur eis. Neque enim sine Confessione & proposito emendationis peccata queunt dimitti.* Idem constat ex Vita *S. Filiberti* Abbatis Gemeticensis à suppare Autore Anonymo scriptâ. *Quippe cùm unus Monachus venisset ad extremum mortis, mutus effectus est labiis. Ingressus Dei Sacerdos ad illum, blandè suadere cœpit, ut si haberet occultum facinus unde Pœnitentiam non egisset, manum ejus stringeret: cùmque ille ita fecisset, ingressus Vir Dei Ecclesiam Sanctæ Mariæ, cœpit Dominum exorare, ut ægro dignaretur linguam reddere, ne Adversarius animam pro occulto crimine valeret submergere in Barathrum inferni: Cumque Sanctus de oratione consurgeret, ei Frater alius nuntiavit quòd æger loqui valeret, & Confessionem ei dare satageret, quod ita factum est. Nam Confessione datâ, & receptâ Pœnitentiâ, reddidit animam Domino, ut nec Sanctus de Domino diffideret, nec in desperationem transiret.* Goffridus Autissiodorensis Episcopus imminente obitu deferri voluit in Monasterium *Charitatis* super Ligerim, convocavitque Hugonem Episcopum Nivernensem, nepotem suum, & Gerardum Priorem, *Ut inter sanctas illorum manus facta Confessione delictorum, Redemptori Christo spiritum redderet*, ut refertur in libro *De Gestis Episcoporum Autissiodorensium*, Cap. LI. Henricus I. Anglorum Rex extrema ægritudine decumbens, *Capellanis suis reatus suos confessus est, & peracta Confessione, Absolutionem & Pœnitentiam à Sacerdotibus accepit, Oleique Sancti Unctione delinitus, & Eucharistia refectus, Deo se commendavit*; ut legitur apud Ordericum Vitalem lib. XIII. Historiæ. Quod confirmat Hugo Rotomagensis Archiepiscopus in Epistola sua apud Vuillelmum Malmesburiensem lib. I. *Historiæ Novellæ*, his verbis: *Venimus ad ipsum, & cum ipso plenum mæroribus confecimus triduum. Prout ei dicebamus, ipso ore proprio sua fatebatur peccata, & manu propria pectus suum percutiebat, & malam voluntatem dimittebat. Consilio Dei, & nostro, & Episcoporum, emendationem vitæ suæ observaturum se promittebat. Sub ista promissione pro nostro officiò tertiò eum & per triduum absolvimus.*

---

§. XXVI.

Leviores aliæ Dallæi Objectiones dissipantur.

OBjicit septimò Dallæus, Confessionem auricularem quam Fideles recentioribus Sinarum & Japoniorum persecutionibus, & ipsi Martyres istius vel postremi sæculi in ultimo agone plurimùm usurpasse leguntur; apud Veteres nuspiam reperiri vel in Ecclesiæ persecutione, vel in Confessorum, & Martyrum certaminibus memoratam. Quod ex Martyrum Lugdunensium, & Palæstinorum Confessorum historia ab Eusebio descripta lib. 5. c. 1. & lib. 8. cap. 22. nec non ex libro Tertulliani ad Martyres, ex variis Sancti Cypriani ad Confessores Epistolis, & ex Victore Vitensi passim in libris de Persecutione Vvandalorum probat. Quibus in monumentis nullæ Confessorum aut Martyrum Confessiones apud Sacerdotem editæ memorantur: quod argumento est hanc confitendi disciplinam nondum apud Christianos in usu fuisse. Nam si fuisset, eam profectò Athletæ Christi veteres tam olim factitassent, quàm nunc Latini in paribus locis ac temporibus factitant.

Respondeo, Reconciliationem Lapsorum in persecutionibus antiquis factitatam fuisse interdum, quæ reconciliatio Sacramentalis Confessionis & Pœnitentiæ merces erat: nec publicos duntaxat Pœnitentes, sed omnes Fideles qui alicujus lethalis peccati sibi conscii essent, reconciliationis beneficium à Sacerdotibus in his Christianæ rei angustiis quæsivisse, qua sine salutem se consequi non posse, sicut nec sine baptismo qui nondum initiati essent, persuasum habebant. Id colligitur ex Epistola 180. sancti Augustini ad Honoratum. *An non cogitamus*, inquit, *cùm ad istorum periculorum*

rum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis Reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem & Sacramentorum confectionem & erogationem? Ubi si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus Fidelium suorum qui eos secum in vita æterna regnis non habebunt? . . . Si autem Ministri adsint, pro viribus quas eis Dominus subministrat, omnibus subvenitur, alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici Corporis Communione fraudantur. Quòd autem Confessores & Martyres Confessionem peccatorum apud Sacerdotes edidisse non legantur, quid mirum? Peccatis lethalibus non erant polluti, quæ Confessione expianda essent. Cætera expungebant passione. Quod si Lapsi fuissent, & resumptis fidei viribus redirent ad certamen, Exomologesi & Confessione apud Sacerdotem edita, Pace & Absolutione donabantur, nec non protectione Dominici Corporis communicabantur, ut liquet ex Sancti Cypriani Epistolis. Sacerdotes carceres cum Diaconis lustrabant, offerebant Sacrificium coram Confessoribus: eisque necessaria Ministerii sui officia impendebant. Sed (ut dixi) maximâ conspicui erant vitæ sanctimoniâ, & divina charitate succensi, qui quotidie separabant ad Martyrium pro Christo subeundum. Confessio igitur illis necessaria non erat. Accedit, quòd Confessio venialium non erat adeò in usu prioribus sæculis: unde quamvis recentiores Martyres confessi legantur apud Sinas & Japonios ex pietate & humilitate Christiana, non sequitur priscos Martyres Confessionem apud Sacerdotes eodem modo edere debuisse. Denique cùm Martyrium vicem suppleat Baptismatis, multò magis vicem supplet Confessionis, quia perfectæ Charitatis est opus. Unde Tertullianus cap. ultimo Apologetici ait: *Omnia huic operi delicta donantur.*

Objicit Dallæus, Non legi in scriptis Veterum Confessiones in Paschate, in Natali Domini, in majoribus Festis à Fidelibus fieri solitas; sicut nunc illis temporibus solennes habentur.

Respondeo, Satis esse quòd Fideles illis diebus ad Eucharistiam accessisse legantur, ut eos conscientiam suam Pœnitentia & Confessione apud Sacerdotes expiasse colligimus, si peccatis gravibus inquinati essent; cùm aliunde necessariam ex institutione Christi Confessionem lethalium criminum reis, & ex ipsis Christi verbis, & ex veteris Ecclesiæ doctrina constet. Præterea, Confessionis usus ante Pascha habetur ex S. Joanne Chrysostomo Homilia 30. in Genesim. Tertiò Confessionis tempus non fuit ad Concilium usque Lateranense definitum: & in ipso Concilio semel tantùm in anno edenda Confessio apud proprium Sacerdotem præcipitur: quod præceptum propter Communionem ex ejusdem Concilii Decreto in Paschate recipiendam, ad Paschalia Festa executioni mandari ex eo tempore cœptum est, vel saltem initio Quadragesimæ, ut Fideles peccata confessi, Pœnitentiæ operibus animum purgarent, & Paschalem ad Communionem se disponerent. Antiquis autem temporibus Confessionem edebant solùm ubi opus erat, id est, cum lethali aliquo peccato pollutos se agnoscebant.

Confessionis Sacramentalis in Festis solemnioribus antiquus usus.

Mos tamen inoleverat VII. Sæculo & deinceps, ut in Festis solemnioribus Fideles peccata sua Sacramentaliter confiterentur Sacerdoti, ut constat ex Dialogo *Egberti* Eboracensis Episcopi. *Hæc*, inquit, *à temporibus Vitaliani Papæ, & Theodori Doroberniensis Archiepiscopi inolevit in Ecclesia Anglorum consuetudo, & quasi legitima tenebatur, ut non solum Clerici in Monasteriis, sed etiam Laici cum conjugibus & familiis suis ad Confessores suos pervenirent, & se fletibus à carnalis concupiscentiæ consortio his duodecim diebus cum eleemosynarum largitione mundarent, quatenus puriores Dominicæ Communionis perceptionem in Natali Domini perciperent.* Confessio item fiebat ante Quadragesimam ob Paschalis Festi Religionem. Chrodegangus Metensis Episcopus, Regulæ cap. XXX. id testatur de tribus Quadragesimis, quæ servabantur, ante Pascha, ante Natale S. Joannis Baptistæ, & ante Natale Domini. *Hæc est*, inquit, *ratio Pœnitentiæ & Confessionis nostræ, quæ coram Deo & Sacerdotibus ejus à nobis pariter agenda sunt; id est, in unoquoque anno tribus vicibus, id est, in tribus Quadragesimis populus fidelis suam Confessionem faciat, & qui plus fecerit, melius facit.* Hinc Theodulfus Aurelianensis Episcopus in Capitulari, cap. XXXVI. *Hebdomadâ una*, inquit, *ante initium Quadragesimæ, Confessiones Sacerdotibus dandæ sunt.* Et ne quis id interpretetur de Confessione ob pœnitentiam publicam indicta, Regino Prumiensis Abbas lib. 1. Collectionis Canonum cap. 288. duplicem Confessionem distinguit. *Presbyteri*, inquit, *debent admonere plebem sibi subjectam, ut omnis qui se sentit mortifero peccati vulnere sauciatum, Feria Quarta ante Quadragesimam cum omni festinatione recurrat ad Matrem Ecclesiam, ubi quod malè commisit, cum omni humilitate & contritione cordis simpliciter confessus, recipiat remedium pœnitentiæ, secundùm modum canonicis auctoritatibus præfixum, tradaturque satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in nomine Domini.* Hæc ille de Confessione facienda ob pœnitentiam publicam. De privata verò subdit: *Non solum autem ille qui mortale aliquod commisit, sed etiam omnis homo quicumque se recognoscit immaculatam Christi tunicam, quam in Baptismo accepit, peccati maculâ polluisse, ad proprium Sacerdotem venire festinet, & cum purificatione mentis omnes transgressiones, omniáque peccata, quibus Dei offensam se incurrisse meminit, humiliter confiteatur.* Adeo verò mos ille apud Christianos firmatus erat, adeo religiosè servatus, ut idem Auctor Libri II. cap. V. referat inter ea de quibus Episcopus in Synodo interrogare debet: *Si aliquis ad Confessionem non veniat vel una vice in anno, id est, in Capite Quadragesimæ, & pœnitentiam pro peccatis suis suscipiat.*

Objicit nonò Dallæus, Latinos Scriptores miracula ad suam Confessionem facta neque pauca, neque parcè memorare. Multa colligit ex Annalibus Japoniæ, ex Jarrico Jesuita in Historia Indica & ex Orlandino in Historia Societatis. Nulla autem hujusmodi miracula apud Veteres occurrunt. Argumentum est itaque Confessionem tunc in usu non fuisse. Si enim apud priscam Ecclesiam in usu fuisset, ea quoque olim apud Fideles consecuta fuissent miracula, eorum quæ ipsi nunc narrant, gemina; nisi quis fortè putet Christi Sacramenta minùs fuisse primis quàm ultimis sæculis utilia & efficacia.

Respondeo ad hanc objectionem in qua multa garrit Dallæus, Dogmatum Catholicorum veritatem ex miraculis non pendere: Deum quibusdam temporibus ea patrasse miracula, quæ aliis ignota fuerunt: in Ecclesiis recentibus ista quæ à Patribus Societatis memorantur, edita esse, ut Neophyti quibus non sapiebat Confessio, ad eam frequentandam, & Infideles qui Confessionis Præcepto à Christiana Religione absterrebantur, ad ejus amorem, atque adeo ad nominis Christiani professio-

nem divinis hisce signis accenderentur: omnia quæ in prisca Ecclesia edita sunt miracula, scripta non esse: tandem in sinceris Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis insignia miracula Confessionis usum, utilitatem ac necessitatem confirmantia recensere. In Scala sancti Joannis Climaci Gradu 4. illustre exemplum legimus Latronis ad Monasticam Vitam conversi; qui ex Abbatis imperio peccata omnia vitæ anteactæ secretò primùm, deinde publicè coram cœtu Fratrum confessus est; visusque est proceri corporis homo, qui singula ejus crimina in libro descripta, ut confitebatur, calamo expungeret. Quo exemplo & miraculo Sanctus Abbas à quo illud se audivisse Sanctus Joannes Climacus refert, suos ad Confessionem peccatorum, *sine qua nemo remissionem consequitur*, vehementer accendit. Legimus apud venerabilem Bedam, libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum cap. 14. miraculum aliud vindice Deo editum in quodam qui Confessionem in vitæ supremis negligens, viso horrendæ molis libro, in quo omnia ejus peccata descripta erant, sibi à dæmonibus ejus cubiculum ob identibus oblato, ab iisque graviter percussus & discerptus, damnationis ad æternas pœnas suæ certissima habuit ante exitum præjudicia. Legimus apud Beatum Petrum Damiani Opusculo xxxiv. c. 7. Cluniacensem quemdam Monachum, senio & infirmitate confectum, Deo supplicasse ut si quod peccatum hacusque non esset confessus, id ipsi in memoriam revocaret, Abbati suo Hugoni aperiendum: Compotem voti factum, insonante cœlitus voce de singulari quodam admonitum peccato, quod confessus hanc in diem non erat. Quod statim edita apud Abbatem Confessione purgavit. Legimus apud Petrum Venerabilem Abbatem Cluniacensem libro 1. de Miraculis cap. 3. juvenem qui crimen adulterii confiteri Sacerdoti noluerat, & fuerat in Confessione mentitus, cùm alios antea cibos in stomachum facilè trajiceret, Corpus Christi glutire non potuisse, nisi post editam illius criminis Confessionem. Quod miraculum suo tempore recens multis & locupletissimis testimoniis confirmat laudatus Abbas cap. 4. Aliud narrat miraculum in Angeliacensi Monasterio editum in Gilberto Monacho, qui Optimi Dei miseratione in sensuum usum restitutus est, quo jam morbatus erat morti proximus, & cælesti admonitus est visione ut peccatum quoddam, quod huculsque ex industria celaverat, Confessione & Pœnitentia expiaret. Advocato itaque Cœnobii Priore, apud ipsum confessus est, à quo hujus & omnium peccatorum suorum Absolutione suscepta, die sequenti, astantibus Fratribus, læto vultu, bono fine quievit. Aliud cap. 5. miraculum primo quod ex eo notavimus geminum refert. Cap. 6. Monachum à terrificis visionibus, perturbationibus, & insultibus dæmonum Confessione Sacramentali narrat liberatum; cujus testis ipse miraculi fuit Petrus Venerabilis, apud quem miser ille Monachus peccata deposuit. Legimus in Vita Sancti Bernardi libro 1. cap. 9. Josbertum de Firmitate illius consanguineum, Sacrificii ab eo oblati virtute fuisse ad mentem & ad sensuum usum revocatum, cùm desperata valetudine & vitâ jam sermonis vocisque usum amisisset; Confessionisque quam neglexerat, edendæ facultatem fuisse ipsi hoc miraculo restitutam. Porro ipsum accito Sancto Bernardo, omnia apud ipsum peccata deposuisse, & Sacramenta ab ipso suscepisse. Mitto alia: sed cedo si vel unum proferre miraculum possint Dallæus & ejus Symmistæ, quo eorum contra necessitatem Confessionis perversum dogma confirmetur. Scilicet, mendacio Deus nescit suffragari.

Miracula Confessionis Sacramentalis necessitatem, usum, & utilitatem confirmantia.

Objicit decimò Dallæus, Recentiores Paganos Confessionem arcanam Latinis non semel objicere, quod ex Jarrico & Trigantio in Indiarum & Sinarum Historiis probat: Paganos verò Veteres de ea nihil uspiam nostris olim vel objecisse, vel gratulatos esse, legi. At si Confessionis Disciplina apud priscos Christianos fuisset, planè est incredibile eorum hostes infensissimos Paganos non fuisse eam, & ob summam humanoque ingenio intolerabilem difficultatem, & ob ipsam rei absurditatem criminaturos.

Respondeo, Falsò supponere Dallæum omnia, quæ ipsi ac cæteris Protestantibus in Christiana Fide aut Disciplina absurda videntur, fuisse à Paganis reprehensa: gratis ipsum fingere quòd omnia Christianæ Religionis mysteria, omnia Sacramenta, omnia Disciplinæ capita Paganis nota essent, ut ea vel arguere, vel calumniari possent; cùm certum sit veteres Christianos Mysteria omnia Religionis nostræ Paganos, imò & Catechumenos, summo studio celasse. Addo, ex occasione Confessionis concinnatam videri illam Paganorum adversùs Christianos calumniam, quam Cæcilius his verbis exprimit in Minutii Felicis Octavio: *Alii eos ferunt ipsius Antistitis ac Sacerdotis colere genitalia, & quasi parentis sui adorare naturam.*

Objicit undecimò Dallæus, Confessionem quinque his quidem retro proximis Sæculis ex ipsis Christianis multos semper oppugnasse, nimirum Waldenses, Wiclefum, Taboritas, Joannem Hus, Lutherum, Zuinglium, Calvinum, & his ducibus exortos omnes Protestantium Ordines: ex omni verò veterum ante illa sæcula hæreticorum multitudine reperiri neminem, qui Confessionem Sacerdoti factam pulsaverit. Porro, inquit, Dallæus, si primis Ecclesiæ sæculis extitit hodierna ista Latinorum Confessio, cur hujus instituti adversarios ultima quidem sæcula tam multos, prima vero planè nullos tulerunt?

Respondeo, Hanc ineptam penitus esse & boni sensus expertem objectionem. Similis enim est illi qua Socinianus aliquis sic pugnaret adversùs fidem Trinitatis & Verbi divinitatem, Christique divinam naturam: Si prisca Ecclesia trium priorum sæculorum, Personarum divinarum Trinitatem, Filii cum Patre consubstantialitatem, Christi divinam æternámque naturam ac personam credidisset; inventi essent aliqui Christiani ante Paulum Samosatenum, Sabellium, Arium, qui illa fidei dogmata pulsassent. Nulli autem inventi sunt Christiani qui illa oppugnarent. (Nam Simoniani, Valentiniani, aliique similis furfuris hæretici veteres, Idololatriæ, quàm Christianæ Religioni propiores erant: Cerinthus & Ebion Judaïsmo affines.) Itaque prisca trium priorum sæculorum Ecclesia Trinitatis Mysterium, & Filii divinitatem consubstantialitatemque cum Patre non agnovit. Nemo est qui hanc objectionem ut ridiculam non sugillet. Neque enim omnia fidei capita suos semper habuere adversarios. Non omnes statim exortæ sunt hæreses. Multæ in hæc postrema tempora, & in fines sæculorum servatæ sunt à mundi Principe, à Rectore tenebrarum, ab hoste & æmulo divinæ veritatis. Igitur colligendum potiùs est, Confessionis Sacramentalis necessitatem ab Ecclesia veteri agnitam creditamque fuisse, quia illam primi omnium Vvaldenses impugnarunt, deinde Vvicleftiæ & Hussitæ, quos Lutherani & Calvinistæ digni talibus magistris discipuli secuti sunt. Sed statim atque Vvaldenses prava dogmata, & istud inter cætera, *De Confessione facienda soli Deo*, seu, *de Confessione auriculari respuenda*, docere cœperunt, eos Ecclesia proscripsit universa, illaque dogmata confixit ut hæretica. Denique Vvaldensium adversùs usum necessitatemque Confessionis primò pugnantium, ducentiumque

tiumque Protestantium omnium ordines, constitutus, priorem fuisse ostendimus in Ecclesia doctrinam de Confessionis necessitate & usu legitimo, quàm Vvaldensium dogma: adeoque illam esse Catholicam & veram: istud verò hæreticum & falsum, secundùm regulam Tertulliani, libro de Præscriptionibus Hæreticorum. *In omnibus veritas imaginem antecedit; post rem similitudo succedit. Caterum satis ineptum, ut prior in doctrina hæresis habeatur. Sed ab excessu revertar ad principalitatem veritatis, & posteritatem mendacitatis disputandam, ex illius quoque parabola patrocinio, qua bonum semen frumenti à Domino seminatum in primore constituit; avenarum autem sterilis foeni adulterium ab inimico diabolo superducit. Propriè enim doctrinarum distinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum.*

Objicit duodecimò Dallæus, Priscæ Ecclesiæ Pastores apertissimè plurimis in locis testari, sibi ignota fuisse pleraque omnia eorum, quibus præerant, Fidelium delicta, Quod probat ex Sancto Joanne Chrysostomo libro 2. de Sacerdotio, cap. 5. ex Homilia 5. in 1. ad Timotheum, ex Homilia 1. adversùs Judæos, ex Homilia, *Quòd peccata non sint evulganda.* At si olim apud Ecclesiæ Pastores, ut nunc fit in Communione Romana, Fideles quivis accuratam suorum sigillatim peccatorum enumerationem Confessionemque fecissent, clarum est illos suorum delicta periode cognituros fuisse, ac nunc Latini Confessarii eorum ipsus omnes accuratissimè norunt, quorum conscientias regunt. Idem probat Dallæus ex Sancto Augustino. *Sunt homines adulteri in domibus suis*, inquit Sermone 6. de Verbis Domini, *in secreto peccant. Aliquando nobis produntur ab uxoribus, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus.* Atqui nemo non videt, si Confessionis usus hodiernus tum obtinuisset, etiam citra uxorum operam Sacerdotes bujusmodi virorum delicta ex ipsis peccatoribus cognituros fuisse.

Respondeo, Subditorum delicta ignota fuisse Pastoribus, quamvis Confessionis usus solemnis esset, sicut & nunc ignota dici possunt pleraque: tum quia numerosissimæ Ecclesiæ Fideles omnes apud Pastorem suum confiteri non poterant, cùm unus tanto oneri impar esset: tum quia plures erant SS. Chrysostomi & Augustini temporibus, qui Pœnitentiam & Confessionem negligebant, ut nunc etiam perditi atque impii non pauci reperiuntur: tum quia confitentibus tam pro se quàm contra se credendum semper fuit, adeoque cùm fallere Sacerdotes potuerint, & quædam reticere peccata, vel etiam nullâ prævià Confessione ad Eucharistiam accedere, mentis ipsorum arcana & morbos ignorare se Pastores verè dicebant. Denique cùm cognitione peccatorum ex Confessione acceptâ in foro externo uti non possent ad Excommunicationem, vel Pœnitentiam publicam infligendam, sibi ignota esse illorum delicta dixerunt, quia publicâ scientiâ illa non noverant. Hoc sensu Homilia 24. *Adversùs eos qui absunt à divinis Officiis*, S. Chrysostomus ait: *Scio fore ut quam plurimi apud nos Festi consuetudine ad sacram hanc Mensam occurrant. Sanè quidem expediret ut Festa nequaquam observarentur, quando communicare opus esset, sed ne conscientia mundaretur, ac tum sanctum istud Sacrificium attingeretur... Sed quoniam hoc nescio quo pacto negligitur à quibusdam, multique sexcentis scatentes sceleribus, cùm adventare Festum viderint, tanquam ab ipsa die protrusi, Mysteria sacra contingunt, qua ne oculis quidem usurpari ab his qui ita fuerint affecti, fas est: eos quidem qui manifesti sunt nobis, planè arcebimus: eos verò qui nobis ignoti sunt, Deo relinquemus, qui mentis cujusque secreta novit.* Hoc etiam sensu Homilia 34. de Christiano judaïzante ait: *Mihi ipsum ostendito; periculum capitis subibo potiùs, quam ut patiar templorum illum ingredi vestibula, si pertinaciter in proposito manserit.* Et infrà: *In capitis discrimen priùs adducar, credite, quàm ullum istiusmodi morbo oppressum negligam, si videro. Sin me latebit, Deus omnino ignoscet.*

Adulteri quidam quos ab uxoribus deferri ad Sacerdotes Sanctus Augustinus testatur, nec ex Confessione noti erant, quamvis in usu illa esset, quia confiteri negligebant adulteria, sibi falsò persuadentes peccata carnis mortifera non esse. Id sequentia Sanctissimi Doctoris verba demonstrant. *Nos*, inquit, *non prodimus in palam, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum. Non tamen vulnus illud negligimus: ante omnia ostendentes homini in tali peccato constituto, sanciamque gerenti conscientiam, illud vulnus esse mortiferum, quod aliquando qui committunt, nescio qua perversitate contemnunt; & nescio unde sibi testimonia nulla & vana conquirunt, dicentes, Peccata carnis Deus non curat. Ubi est quod hodie audimus, Fornicatores & adulteros judicat Deus? Ecce quod attende quisquis tali morbo laborat. Quod dicit Deus, audi; non quod tibi dicit favens peccatis tuis animus tuus, aut eadem tecum iniquitatis catenâ ligatus amicus tuus, vel potiùs inimicus tuus & suus.*

Objicit decimo-tertiò Dallæus, Antonium, narrante Athanasio in ejus Vita, hoc suis Monachis observandum præcepisse, ut quò sibi ab admittendis peccatis diligentiùs caverent, suas quisque actiones ac cogitationes notaret ac perscriberet, veluti eas aliis revelaturus. Ex quo infert Calvinista, primò nullam tum temporis fuisse arcanæ Confessionis communem apud omnes Christianos Disciplinam. Quæ si fuisset, opus non erat Antonium novam istam observationem ad cavenda tutiùs peccata excogitare, ac suis præcipere. Secundò, hic haberi Confessionis arcanæ incunabula, cujus Antoniana illa observatio rudimentum quoddam fuit.

Respondeo, Hanc Sancti Antonii institutionem Confessionis usum non excludere. Aliud enim est peccata sua, & quidem gravia & mortifera Sacerdoti confiteri, quod Antonii discipulis solemne non erat, quia vix erat inter eos qui hujusmodi peccata admitteret: aliud est suarum actionum leviores defectus, & cogitationes quaslibet à dæmone immissas, sive tentationes perscribere, & Fratribus revelare ad Christianæ humilitatis exercitationem, & ad cautionem majorem: quod S. Antonius præcepit. Non itaque Confessionis Sacramentalis hæc observatio rudimentum fuit, quam à Christo institutam ex Evangelio probavimus, & jam in usu Ecclesiæ fuisse ostendimus ex S. Irenæo, ex Origene, Tertulliano, & Sancto Cypriano: sed religiosæ Disciplinæ quæ apud Monachos obtinuit, & nunc etiam apud sanctiores Cœnobitas viget, imò & apud sacras Virgines, ut suos defectus, tentationes, & quas patiuntur in vita spirituali difficultates, Monasteriorum Præpositis, vel Fratribus etiam quos cælestis sapientiæ lumine magis illustratos noverunt, patefaciant, ut eorum consiliis adjuventur, vel consolatione subleventur. Factitant hæc, ut dixi, apud Parthenonum suorum Matres Sanctimoniales plurimæ, nec tamen id prohibet quin peccata sua apud Sacerdotes confiteantur.

Ad hanc etiam S. Antonii institutionem velut ad originem referenda est Regularium Virorum & Sanctimonialium pia & laudabilis consuetudo, qui frequenter leviores noxas & aberrationes à Monastica Disciplina in Capitulo coram universo Fratrum, Sororumve Cœtu, ad Præpositi, vel Præpositæ pedes palam accusant, & correptionem humillimè suscipiunt. Qua tamen cum observatione stat arcanæ Confessionis usus. Denique Confessionis venialium, quæ nondum invaluerat, & multa post sæcula passim invaluit, esto, fuerit Antoniana observatio rudimentum: non tamen Confessionis mortalium, quæ Lapsis post Baptismum penitus necessaria est ad eorum remissionem consequendam.

Monasticam illam, de qua diximus, observantiam cum Sacramentalis Confessionis usu ac necessitate non pugnare, probatur ex Jona Episcopo Aurelianensi, lib. 1. *De Institutione Laicali*, Cap. XXVI. *Moris est Ecclesiæ*, inquit, *de gravioribus peccatis Sacerdotibus, per quos homines Deo reconciliantur, Confessionem facere; de quotidianis verò & levibus quibuscumque perrari sunt qui invicem Confessionem faciant, exceptis Monachis qui id quotidie faciunt.* Certè in Statutis Carthusiensium apud Guigonem hæc leguntur cap. VII. *Et quia totâ hebdomadâ in cellis silentium tenemus, peccata nostra Priori, vel quibus ab eo injunctum est, confitemur*, die nempe Sabbati: quod de communi culparum accusatione in Capitulo explicat tertia Compilatio Statutorum, P. II. Cap. XI.

Objicit decimo-quartò Dallæus, Veteribus indictas, ignotasque fuisse illas tam multas, quæ ex Confessionali Instituto post Innocentii Decretum ortæ sunt, & quotidie oriuntur quæstiones ac disputationes, quarum hodie pleni sunt omnes Latinorum libri. Quis enim enumerare valeat Summas, Summulas, Curatorum Manipulos, Pœnitentialia, Confessariorum Specula, Instructiones, Aphorismos, Directoria, Casuum conscientiæ decisiones, & cætera id genus, quorum omnium arcana ista Confessio unus idemque fœcundissimus, atque inexhaustus fons est? In his quærunt quo jure nitatur Confessio? an omni fideli necessaria sit? An nemo ab ea dispensari queat? Tum quæ peccata confitenda sint? Etiamne venialia? An sola mortalia? Et an statim? An verò differri possit hoc officium? An quotannis? An quoties sumenda est Eucharistia? De qualitate præterea Confessionis, de integritate, de confitendi modo, de Casibus reservatis, de Confessionis Ministro, de sigillo, quàm multa disputant? Denique de omni peccatorum varietate tam acutè tamque subtiliter definiunt, ut nihil in hac materia intactum relinquant. At cur nihil horum apud Veteres? Profectò necesse est eis vel ignotum fuisse Confessionis auricularis mysterium, ex quo illa omnia enata sunt, vel certè defuisse aut ingenium, aut acumen, aut tractandi res suis gregibus necessarias voluntatem; quod certè nemo Sapiens dixerit.

Respondeo, Illam quæstionum segetem, & innumeros Casuistarum libros, arcanam quidem Confessionem supponere, sed cum illa necessariò connexos non esse, adeo ut sine illis non fuerit, nec esse potuerit. Sicut enim absque innumeris quæstionibus de Deo, de Christo, ejusque Mysteriis, Sacramentis, Ecclesia, quas Theologia Scholastica peperit, & quæ in Veterum monumentis nullæ reperiuntur, stetit duodecim sæculorum spatio vera de Deo, de Christo, de Mysteriis, de Sacramentis, de Ecclesia Fides: ita absque Casuistis, & absque illa tam ampla quæstionum circa Confessionem sylva, Confessio ipsa ab Ecclesiæ exordiis semper usurpata est. In usu fuisse Confessionem apud Sacerdotes arcanam tempore Cabilonensis Concilii II. anno 813. nemo dubitabit, qui Canones ipsius 32. & 33. legerit. Hæc tamen Synodus Libellos Pœnitentiales, qui rudimenta quædam fuerunt Summarum, & Summularum, aliorumque librorum, quos Casuistæ nostro sæculo ediderunt, & scripturiunt in dies, prorsus repudiandos & eliminandos censuit; & ea Sanctarum Scripturarum auctoritate, ex antiquorum Canonum institutione, ex Ecclesiastica consuetudine, velut ex certissimis regulis, omnem dirigendarum conscientiarum & administrandæ Pœnitentiæ rationem esse repetendam. En ejus verba Canone 38. *Modus autem pœnitentiæ peccata sua confitentibus, aut per antiquorum Canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem, imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis, quos Pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti auctores. De quibus rectè dici potest: Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivebant. Qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, secundùm Propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Idem confirmat Synodus Parisiensis Sexta Canone XXXII.

Dirigendarum conscientiarum & administrandæ Pœnitentiæ ratio unde repetenda?

Ezech. 13.

Objicit decimo-quintò Dallæus, Nullum ex his Scripturæ locis, quibus nunc Latini Confessionem firmant, Patres hoc sensu intellexisse; pleraque verò planè contra interpretati.

Respondeo, Scripturæ loca duo quibus Confessionis divinam institutionem probavimus, hoc sensu à Patribus intellecta fuisse: cæteris locis quæ Bellarminus profert, Dallæus verò impugnat, nos non indigere. Legantur quæ initio hujus Dissertationis prænotavimus, & quæ in probationibus diximus. Eadem enim sæpius repetere, & Dallæi garrulitatem imitari nolim.

Objicit decimo-sextò Dallæus, Patres in iis libris, in quibus ex professo de Pœnitentia disputant, istius Confessionis arcanæ nunquam meminisse. Meminissent autem, si Pœnitentiæ pars esset.

Respondeo, nego antecedens. Etenim in libris, Epistolis, aut Sermonibus de Pœnitentia, Confessionis etiam apud Sacerdotes edendæ meminerunt Tertullianus, Cyprianus, Pacianus, Ambrosius, Augustinus, quorum insignia hac de re testimonia protulimus & exposuimus inter probationes Catholici Dogmatis.

Objicit decimo-septimò Dallæus, Veteres tres tantùm agnovisse Pœnitentiæ species, antebaptismalem, quotidianam Fidelium, & publicam Lapsorum, quod maximè constat ex sancto Augustino libro 50. Homiliarum, Homiliis 27. & 50. atqui Confessionem arcanam ad nullam ex his pertinuisse certum est. Non ad primam, quæ Catechumenorum tantùm fuit; cùm Sacramentalis Confessio baptizatorum tantùm propria sit. Non ad secundam, quæ scilicet humili ad Deum precatione, Orationis Dominicæ recitatione, eleemosynarum ac jejuniorum sacrificiis, seorsim ac privatim à singulis Fidelibus quotidie ex suo ipsorum judicio fiebat, Sacerdotis verò operam aut ministerium necessariò non requirebat: cùm auricularis Confessio non possit nisi apud Sacerdotem fieri. Nec tandem ad publicam Pœnitentiam: quia Confessio, quam publici peccatores Pœnitentiam postulantes edebant, eorum duntaxat criminum erat quæ in Canonibus notata ac designata erant: Confessio verò Sacramentalis omnium omnino peccatorum est.

Respondeo, Veteres agnovisse præterea Pœnitentiam

tiam clavium, quæ publicam pro canonicis criminibus, & secretam pro cæteris peccatis mortalibus ex imperio Sacerdotum agi in Ecclesia solitam (ut ex Sancto Augustino ipso libro de Fide & Operibus cap. 26. & Homilia 50. laudatâ probavimus) complectebatur. Ad hoc verò Pœnitentiæ genus pertinet Sacramentalis Confessio, & utrique speciei hujus Pœnitentiæ, secretæ, scilicet, ac publicæ communis est. Commentum enim est Dallæi, quòd peccatores canonica tantùm crimina apud Ecclesiæ Præpositos confiterentur, cùm Pœnitentiam postulabant. Imò omnium edebant Confessionem, qui omnium veniam ac remissionem à Deo ministerio Sacerdotis conferendam sibi sperabant; sed ex eorum Confessione agnoscebat Sacerdos an aliqua admisissent publicæ Pœnitentiæ humilitate & laboribus expianda. Quod si ita esset, eam imponebat, eaque peractâ, illos Absolutione & Communione donabat. Si verò nullo crimine canonico polluti essent, eis privatam indicebat Pœnitentiam, eosque salubri satisfactione purgatos absolvebat; quandoque etiam ante impletam satisfactionem, ob vehementiam contritionis, vel ob alias causas, quæ à nobis suo loco expositæ sunt.

§. XXVII.

Dallæo non favet S. Gregorius Nyssenus.

OBjicit decimo-octavò Dallæus testimonium Sancti Gregorii Nysseni ex Epistola Canonica ad Letoïum dicentis, Avaritiæ peccata *inconsiderata & absque cura prætermissa esse a Patribus, & sufficere ut publico doctrinæ sive instructionis sermone curentur.* At si jam ante Gregorium Confessio Sacramentalis in usu erat, & purgandis omnibus omnino peccatis necessariò quibusvis Fidelibus præcipiebatur, qua fronte dicit Gregorius avaritiæ delicta prætermissa fuisse à Patribus, & sine consideratione ac cura relicta despectaque? Amabo, idne peccatum prætermittitur? Idne sine cura & consideratione negligitur, quod inviolabili lege Sacerdoti ab omnibus Fidelibus revelari jubetur, ut ejus Absolutio, debitaque ei Pœnitentia à Christi Ministro accipiatur? Profectò, si ita est, Romanæ Ecclesiæ Sacerdotes crimina omnia sine cura & consideratione prætermittunt ac negligunt, quæ non alia quàm arcana hac Confessione necessariò procurari jubent.

Respondeo, Sanctum Gregorium Nyssenum hoc duntaxat sensu avaritiæ peccata prætermissa, id est, relicta esse impunita a Patribus dicere, quòd nullas pœnas canonicas adversùs avaros decrevissent; non autem quòd nullâ Pœnitentiâ secretò expianda existimassent, nulla Confessione apud Sacerdotes expurganda. Unde cùm sufficere scribit ut publico doctrinæ sive instructionis sermone curentur, hanc divini verbi medicinam Christianis omnibus publicè propositam opponit publicæ duntaxat Pœnitentiæ, non verò Confessioni Sacramentali, Pœnitentiæ secretæ, & Absolutioni quæ ministerio clavium procuratur.

Hunc Gregorii Nysseni sensum facilè deprehendet, qui de sola Pœnitentia publica, deque pœnis canonicis illum in Epistola ad Letoïum, ex qua objectio Dallæi petita est, agere animadverterit: quique expenderit ejusdem Patris insignem locũ ex Oratione *in eos qui alios acerbè judicant*, quo arcana Confessio stabilitur. Ipsum inter probationes protulimus, & à Dallæi strophis vindicavimus. Denique sicut restitutionis & eleemosynæ officia non excludit, cùm ait ad avaritiæ peccata curanda sufficere publicum doctrinæ sive instructionis sermonem: ita nec Sacramentalem Confessionem excludere Sanctus Gregorius Nyssenus censendus est.

Idque confirmatur ex continuis ejusdem Epistolæ ad Letoïcum verbis: *Qui autem latenti ablatione sibi alienum usurpat, si deinde per declarationem peccatum suum Sacerdoti aperuerit, vitiî studio in contrarium mutato, ægritudinem curabit.*

§. XXVIII.

Respondetur Objectioni Dallæi ex Nectarii facto petitæ.

OBjicit decimo-nonò Dallæus celebre Nectarii factum, qui Pœnitentiarium Presbyterum Constantinopoli abrogavit, de quo Socrates libro 5. cap. 19. Valesianæ Versionis ita scribit: *Sub idem tempus Presbyteros Ecclesiarum qui Pœnitentiæ præerant, placuit aboleri, idque ob hujusmodi causam. Postquam Novatiani se ab Ecclesia sejunxissent, eò quòd cum illis qui persecutione Deciana lapsi fuerant, communicare noluissent, ex illo tempore Episcopi Pœnitentiarium Presbyterum albo Ecclesiastico adjecerunt, ut qui post Baptismum lapsi essent, coram Presbytero ad eam rem constituto delicta confiterentur. Et apud alias quidem sectas hæc regula etiamnum perseverat. Soli vero Homousiani, & qui cum illis in fide consentiunt Novatiani, Presbyterum Pœnitentiæ Præpositum rejecerunt. Nam Novatiani ne initio quidem supplementum hoc admiserunt. Homousiani verò qui nunc Ecclesias obtinent, cùm hoc institutum diu retinuissent, tandem Nectarii Episcopi temporibus abrogarunt, ob facinus quoddam quod in Ecclesia commissum fuerat. Mulier quædam nobilis ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens, delicta post Baptismum a se perpetrata sigillatim confessa erat. Presbyter verò præcepit mulieri, ut jejuniis & orationibus continuis vacaret, quo scilicet unà cum delictorum Confessione opus etiam Pœnitentia conveniens ostenderet. Progressu temporis mulier aliud facinus confessa est, Ecclesiæ videlicet Diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. Id cùm dixisset, Diaconus quidem Ecclesiâ ejectus est: populus verò graviter commoveri cœpit. Neque enim solum ob scelus, quod patratum fuerat, indignabantur; verum etiam eo quod labes haud mediocris atque infamia hoc facto aspersa videbatur Ecclesiæ. Cum igitur ob eam causam Ecclesiastici homines dicteriis appeterentur, Eudæmon quidam Ecclesiæ Presbyter Alexandriæ oriundus, Episcopo Nectario suasit, ut Pœnitentiarium quidem Presbyterum expungeret, unumquemque verò pro arbitrio & pro animi sui conscientia ad Sacramentorum Communionem sineret accedere. Neque enim aliter fieri posse ut Ecclesia ab omni probro libera esset.* Addit Socrates, se Eudæmoni à quo hæc acceperat, dixisse: *Consilium tuum, ô Presbyter, utrum Ecclesiæ profuerit, an non, Deus viderit. Cæterùm ansam ex eo singulis datam esse video, ut delicta sua invicem amplius non coarguant, nec observent Præceptum illud Apostoli, quod ita se habet: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed potiùs redarguite.* Ephes. 5. 11.

Eadem refert Sozomenus lib. 7. cap. 16. & notat insuper, cui id negotii darent Presbytero, eum electum fuisse secretorum tenacem ac prudentem. *Cùm, inquit, in petenda venia peccatum necessariò confiteri oporteat: grave ac molestum ab initio jure merito visum est Sacerdotibus tanquam in theatro,*

circumstante

circumstante totius Ecclesia multitudine crimina sua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem, qui vita integritate spectatissimus esset, & taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt : ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille verò pro cujusque delicto quid aut facere singulos, aut luere oporteret, pœna loco indicens, absolvebat confitentes à seipsis pœnas criminum exacturos.

Ex hac historia colligit Dallæus, non quidem abrogatam fuisse à Nectario Confessionem, quæ (ut ipse contendit) nondum erat : sed nullo tum apud Christianos in usu fuisse : primò quia nulla ejus mentio tali loco facta est neque à Socrate, neque à Sozomeno. Porro si privata hæc Confessio jam ante Decianam persecutionem, & secutis deinceps temporibus in usu fuit : nemo non videt Pœnitentiarii Presbyteri institutionem narrantes, illius mentionem omnino facere debuisse. Tum idem quoque ex eo apparet, quòd cùm ipsius Nectarii factum exponunt, neque ullam istius privatæ Pœnitentiæ & Confessionis apud Sacerdotem mentionem faciunt, quæ tamen eo loco sine flagitio omitti non potuit, siquidem ea revera in usu communi & antea fuerat, & tum quoque licèt abolito Pœnitentiarii Presbyteri munere permansit. Tertiò, quia Eudæmon Alexandrinus Presbyter, ut suo consilio invidiam levaret, dixisset profectò, satis esse ad Fidelium Disciplinam & correctionem unam illam privatam omnium ac singulorum apud Sacerdotes in arcano factam Confessionem atque Pœnitentiam; ut nihil necesse esset publicam illam, ex qua tantum scandalum obortum erat, servari. At nihil istorum vel dixisse, vel cogitasse traditur ab ullo ex quatuor illis Historicis qui rem memoriæ mandarunt, Socrate scilicet, Sozomeno, Cassiodoro & Nicephoro. Quartò, id multò validius probari contendit Dallæus ex ipso Nectarii Decreto, qui expuncto Pœnitentiario, *Unumquemque pro arbitrio suo & animi conscientia permisit ad Communionem Sacramentorum accedere.* Quod si privata apud Sacerdotem Pœnitentia, jam tum in usu, ut nunc est, & erat, & mansit, nemo non videt falsum fore. Nemo enim dixerit Sacerdotes Romanarum partium concedere ut unusquisque secundùm conscientiam suam ad Communionem accedat. Enimverò qui neminem communicare sinunt, nisi Confessione & Pœnitentia apud Sacerdotes functum, ii nihil minùs quàm unumquemque conscientiæ suæ permittunt. Quintò, idem probat Dallæus, ex eo quòd Socrates Eudæmoni hoc ipsius consilium reprehendens, objecit : Ipsum ansam singulis dedisse, ut delicta sua invicem ampliùs non coarguant. Absurda planè querimonia, si tum erat Sacramentalis & arcana Confessio, qua omnia peccata in Sacerdotis lucem protracta arguuntur & castigantur. Denique id probat Dallæus ex verbis Sozomeni dicentis : *Antea minora fuisse peccata, tum ob verecundiam eorum qui sua ipsi delicta enuntiabant, tum ob severitatem Judicum qui ad id erant constituti.* Duo quæ antea peccatores cohibebant, Nectariano hoc Decreto sublata extinctaque queritur Sozomenus, pudorem confitentium, & Judicum accuratam diligentiam. Atqui utrumque superesset, si superfuit auricularis Confessio. Nullus itaque tunc fuit auricularis Confessionis usus.

Respondeo, Bene esse, quòd, judice Dallæo, causa cadat Calvinus, & ipse cum cæteris è grege suo Auctoribus hallucinatus sit; asserendo Confessionem Sacramentalem à Nectario fuisse abrogatam; sed an ipsi Dallæo suum feliciùs cedat commentum expendamus. Colligit ille ex facto Nectarii nullo tum apud Christianos in usu fuisse Confessionem, argumentis futilibus & evanidis. Quis enim, amabo te, consequens esse fateatur ut Socrates & Sozomenus institutionem, vel exauctorationem Pœnitentiarii narrantes Confessionis Sacramentalis meminerint, si tum in usu fuerit, atque illæsa manserit? Extra rem erat ut Scriptores illi disertè notarent Confessionem arcanam in usu fuisse, & abrogato Pœnitentiario mansisse. Non enim immutatum aliquid in Pœnitentiæ administratione indicant, cùm Pœnitentiarius ille Ecclesiæ canoni, seu matriculæ adjectus est; sed tantùm in Ministro. Scilicet cùm ante Decianam persecutionem minor esset numerus Christianorum, nec tam gravia adhuc & crebra delicta, nondum opus erat Presbytero Pœnitentiario. Solus Episcopus ad Confessionis & Pœnitentiæ negotium exequendum sufficiebat. Verùm aucto Christianorum numero, & labente paulatim Disciplina, crebrescentibusque vitiis, opus fuit Presbytero Pœnitentiario, præcipuè in majoribus Ecclesiis, qui Episcopum multis districtum negotiis sublevaret; & qui quasi Censor quidam ac Præfectus morum, in crimina multitudinis inquireret. Hunc post Decianam persecutionem institutum scribit Socrates. Nam cùm Lapsos ea persecutione in Ecclesiam admitti placuisset, legitimâ priùs Pœnitentiâ purgari eos oportuit. Itaque præfectus est eis Presbyter, qui singulorum crimina discuteret, qui eos seorsum in Ecclesia dispositos regeret, & jejuniis, precationibus, ac reliquis pœnitentiæ laboribus probaret, atque expiaret, donec impletis omnibus officiis, ab Episcopo reconciliarentur, & Communione donarentur. Quæ igitur apud istum Presbyterum Pœnitentiæ Præpositum exequebantur Pœnitentes, eadem apud Episcopum antea præstabant. Porro *confitebantur apud Presbyterum illum delicta sua*, ut tradunt Socrates & Sozomenus. Igitur & apud Episcopum eorum antea Confessionem edebant. Non erat verò Confessio illa certorum dumtaxat peccatorum, quæ publicâ Pœnitentiâ eluenda & castiganda essent, ut Dallæus contendit, sed omnium post Baptisma commissorum : nec generalis tantùm, sed de singulis in specie peccatis. Quod ex nobilis Matronæ Confessione patet, cujus occasione Pœnitentiarius ex albo Ecclesiæ expunctus est. *Illa enim ad Pœnitentiam Presbyterum accedens, delicta post Baptismum à se perpetrata sigillatim confessa erat* (inquit Socrates) Confessio illa erat Sacramentalis, siquidem fiebat *apud Sacerdotem prudentia & taciturnitate pollentem*, qui laboriosa Pœnitentiæ opera indicens, *Absolvebat confitentes* (ut ait Sozomenus) Non confitebantur autem apud Pœnitentiarium Presbyterum illi dumtaxat qui Pœnitentiæ publicæ debitores erant. Mulier enim illa nobilis Pœnitentiæ publicæ addicta non erat, nec dignum ea crimen admisisse videtur cum primo ad Pœnitentiarium accessit. Bis enim confessam ipsam fuisse liquet ex narratione Socratis. *Mulier quædam nobilis*, inquit, *ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens, delicta post Baptismum à se perpetrata singillatim confessa erat. Presbyter vero præcepit mulieri, ut jejuniis & orationibus continuis vacaret, quòd scilicet unà cum delictorum Confessione opus etiam pœnitentia convenient ostenderet.* En primam Confessionem. Pergit Socrates : *Progressu temporis mulier aliud facinus confessa est, Ecclesiæ videlicet Diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse.* En secundam Confessionem. Hæ duæ Confessiones & tempore, & modo fuerunt diversæ. Prima fuit omnium delictorum κατὰ μέρος, ut ait Socrates, id est, singillatim facta : secunda, unius dumtaxat criminis. Utraque secreta fuit. Non enim recepta erat Ecclesiæ moribus publica Confessio, ut Sozomenus notat;

tat; *Cumque*, inquit, *in petenda venia peccatum necessariò confiteri oporteat: grave ac molestum ab initio jure merito visum est, Sacerdotibus, tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesiæ multitudine crimina sua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem qui vita integritate spectatissimus esset, & taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt.* Deinde quid est aliud Confessio secreta, qualis hodie in Ecclesia Catholica & Romana fieri solet, quàm accusatio sigillatim facta delictorum post Baptismum admissorum coram Presbytero; qualis fuit prior nobilis istius Matronæ Confessio? Una quidem eademque illius apud Pœnitentiarium Confessio videri posset, si Versionis Christophorsoni ratio haberetur. Hunc enim locum ita vertit: *Mulier longius in confitendo progressa*, &c. Verùm hanc interpretationem ferri non posse rectè ait clarissimus Valesius. Ita enim Socratis Græcus textus habet: ἡ δὲ γυνὴ προβαίνουσα, ἐπ' ἄλλο πταῖσμα ἑαυτῆς κατηγόρει, qui non significat ulterius in confitendo progredi, προβαίνουσα, idem est ac χρόνῳ; hoc est, *progressu temporis*, seu *procedente tempore*. Vult itaque designare Socrates hanc secundam fuisse illius mulieris Confessionem. Idque planè confirmat Sozomenus, qui scribit Matronam illam confessam esse, dum in Ecclesia diutius moraretur adimplendæ suæ Pœnitentiæ causâ, à Diacono stupratam fuisse. Denique publicam non agebat Pœnitentiam illa mulier. Neque enim in prima ejus Confessione crimen ullum publicum apparet: neque stetisse in ordine Pœnitentium dicitur, sed in Ecclesia diutius mansisse ad fundendam orationem, implendamque pœnitentiam. Diuturnior autem illa mora in Ecclesia Pœnitentibus publicis non convenit, qui certis dumtaxat temporibus Ecclesiam adire poterant, quibus eorum expiatio palam coram Fidelium cœtu procurabatur: qua expiatione facta, aut audito Dei Verbo, si in auditionis gradu essent, dimittebantur. Prior itaque Matronæ illius Confessio ad publicam Pœnitentiam non pertinebat (ut contendit Dallæus.)

Ex his perspicuum est, Confessionem Sacramentalem & arcanam; ac privatam, cujus pars illa est, Pœnitentiam, apud Pœnitentiarium illum Presbyterum egisse Fideles qui post Baptismum lapsi essent, quique nullo crimine canonico & publicâ pœnitentiâ expiando essent polluti. Liquet etiam apud eum confessos esse graviorum criminum reos, & publicæ Pœnitentiæ obnoxios, Confessione secreta. Cùm itaque nihil innovatum sit in hujus Pœnitentiarii institutione quoad pœnitentiæ ordinem; & eadem antea exequerentur Pœnitentes apud Episcopum officia, quibus postmodum procurante ac præside Pœnitentiario Presbytero functi sunt, sequitur ipsos etiam ante Decianam persecutionem, & ante institutionem Presbyteri Pœnitentiarii, Confessionem Sacramentalem edidisse apud Episcopum: neque solùm id præstitisse publicæ Pœnitentiæ reos, sed omnes omnino Fideles qui post Baptismum graviter deliquissent. Sublato porro Pœnitentiario Presbytero Constantinopoli, res pœnitentiaria ad eum ordinem revocata est, quo ante Deciana tempora fuerat administrata. Non fuit igitur abrogata Confessio, sed mansit eo quo erat statu ante Presbyteri Pœnitentiarii institutionem, ut scilicet apud Episcopum, vel ex ejus mandato apud Presbyteros, nulla propterea auctos dignitate, ederetur. Ex his denique satis exploratum est, necesse non fuisse ut Socrates & Sozomenus disertè mentionem facerent Pœnitentiæ privatæ & Sacramentalis Confessionis, sive narrando Pœnitentiarii institutionem sive ejusdem abrogationem, cùm ex eorum narratione, & ex antiquioribus Nectarii ætate monumentis nemo prudens non intellecturus esset illam & antea in usu Ecclesiæ fuisse, & illæsam incolumemque tunc mansisse. Neque etiam necesse erat ut ad consilii sui levandam invidiam diceret Eudæmon, satis esse ad Fidelium correctionem Pœnitentiam privatam & Sacramentalem Confessionem: cùm id suo consilio satis loqueretur, quo Auctor fuit Nectario expungendi Pœnitentiarii, ne leviter quidem pulsata Confessione Sacramentali.

Quod autem, *Unumquemque pro arbitrio suo & animi conscientia permisit ad Communionem Sacramentorum accedere*, non probat vel abrogatam ab eo fuisse, vel nullo tunc in usu extitisse Confessionem Sacramentalem: sed solùm Nectarium neminem Laicorum ad Confessionem & publicam Pœnitentiam ex illo tempore compulisse, sicut antea qui ad Pœnitentiarii Sacerdotis tribunal deferebantur, vel quos ipse in vitam & mores Fidelium inquirendo alicujus criminis manifestos invenerat, ad Confessionem & ad Pœnitentiam publicam compellebantur; nec priùs accedere sinebantur ad Mysteriorum Communionem, quàm his officiis functi essent. In cujusque igitur arbitrio situm esse voluit Nectarius, ut ante sacram Communionem peccata sua confiterentur Sacerdoti, utque pro arbitrio suo quisque Pœnitentiam ageret. Sed non interdixit Fidelibus, ne quis in posterum aut ipsum, aut alium ex Presbyteris adiret confitendorum criminum causâ. Neque sibi ipse potestatem ademit, eos qui publicum crimen admisissent, à sacris Mysteriis arcendi, & ad publicam Pœnitentiam adigendi. Nec ullus Calvinista probabit Fidelium neminem, post hanc constitutionem, ipsum Confessionis causa adiisse, si ad sacram Mensam accedere præ conscientia criminis non auderet; aut ipsum repulsurum fuisse illos qui conscientiæ suæ vulnera ipsi aperirent, & ab eo Pœnitentiæ remedia quærerent. Multò minus ex tota hac Socratis & Sozomeni narratione colligi potest, Nectarium declarasse, vel cogitasse, Fideles peccatorum lethalium post Baptismum reos ad Confessionem illorum apud Sacerdotem ex officio & jure divino non teneri. Quamvis ad id officii non compulerit Fideles ex indulgentia quadam & dispensatione, quæ hominis ignavi fuit, & Novatianorum, quibus familiariter utebatur, consiliis nimiùm credentis.

Quod verò Eudæmoni objicit Socrates, ipsum consilio suo ansam dedisse ut alter alterum non coarguat, Confessionem Sacramentalem vel abolitam, vel insolitam fuisse non evincit; sed solùm sublatos è medio fuisse delatores, & Pœnitentiarium Presbyterum qui eos audiebat, iisque auditis accersebat reum, ipsum arguebat, & ad publicam Pœnitentiam compellebat; vel si Clericus esset, rem omnem referebat ad Episcopum, & criminis convictum ab ipso exauctorari curabat: si verò Laicus esset pertinax, ipsum excommunicatione coerceri. Hujus Pœnitentiarii Presbyteri officium designare videtur Origenes libro 3. contra Celsum: *Apud quos*, inquit, Christianos scilicet, *quidam sunt constituti ad inquirendum in vitam ac mores eorum, qui ad sacra ipsorum accedunt: ut eos qui turpia perpetrant facinora, à publicis ipsorum Conventibus arceant.* Hunc reos graviorum criminum & Pœnitentiæ publicæ obnoxiorum ad Ecclesiæ tribunal deferendi morem Sanctus Augustinus spectat Homilia 49. inter L. cùm mulieres Christianas sic compellat: *Nolite viros vestros permittere fornicari. Interpellate contra illos Ecclesiam. Non dico Judices publicos, non Proconsulem, non Vicarium, non Comitem, non Imperatorem; sed Deum Patrem, & Christum, & Spiritum sanctum.* Ex hac porro delatorum & testium auditione, sive à Pœnitentia-

tio, sive ab Episcopo, quam noxiorum convictio, & ad Pœnitentiam publicam damnatio, vel excommunicatio sequebatur, fiebat ut crimina publicarentur, & ad notitiam non tantùm Christianæ plebis, sed Gentilium etiam atque hæreticorum pervenirent. Ex quo non mediocris infamia in Ecclesiam redundabat. Hujus rei insigne documentum habemus in ea quam exponimus historia. Mulier enim quæ flagitium cum Diacono admissum Presbytero Pœnitentiario confessa est, Diaconum criminis complicem simul ad ipsum detulit. Hunc accersivit, ut credere par est, Pœnitentiarius, illumque interrogavit, coram muliere arguit, ad criminis Confessionem compulit, illumque Matronæ testimonio & propria Confessione convictum, tacito nomine mulieris, ne Confessionis arcanum reseraret, detulit ad Nectarium Episcopum, cujus vices in Pœnitentiario Tribunali agebat. Nectarius Diaconum deposuit. Inde vulgatum crimen, & Ecclesiastico Ordini non levis aspersa infamiæ labes. Hinc populi fremitus & in Clericos dicteria. Quod scandalum cùm ex illo Pœnitentiarii externo tribunali in quo accusationes & delationes reorum, vel ab eorum complicibus, vel ab aliis instituebantur, ortum habuisset, Nectarius hoc Pœnitentiarii Presbyteri munus abolevit. Quo sublato, cùm nulli ampliùs delatores ac testes graviorum criminum reos coram Pœnitentiario arguerent, verè Socrates Eudæmoni exprobravit, quòd consilio suo effecisset ne alter alterius delicta invicem, ut antea coargueret: atque ita Præceptum Apostoli negligeretur dicentis: *Nolite communicare operibus infrugiferis tenebrarum, sed magis ea coarguite.* Quamquam autem in Confessione Sacramentali omnia confitentium peccata in Sacerdotis lucem protracta ab eo arguantur & castigentur: non tamen efficit illa ut alter alterius crimina coram Ecclesiastico Tribunali possit coarguere delatione, accusatione, vel testimonio, ut convictus Pœnitentiâ publicâ castigetur, vel anathemate plectatur. Publicam itaque illam criminum censuram, reprehensionem, & emendationem criminum sublatam querebatur Socrates cum Eudæmone colloquens. Unde hæc ejus querimonia Confessionem Sacramentalem non spectabat.

Denique quod Sozomenus scribit, ante Pœnitentiarii abrogationem à Nectario factam, *fuisse minora peccata, tum ob verecundiam eorum qui sua ipsi delicta enuntiabant, tum ob severitatem Judicum, qui ad id erant constituti*: ad pudorem illum referendum non est quo Pœnitentes, in Confessionario Tribunali singula sua delicta singillatim detegentes Sacerdoti, suffundebantur; sed ad verecundiam publicæ Pœnitentiæ adnexam, cujus antea fræno coercebantur Christiani, & à gravioribus peccatis avocabantur; uti & severitate Judicum, seu Presbyterorum Pœnitentiariorum, qui pœnas diuturnas & molestas infligebant, abstentionemque à Sacramentorum Communione, & à Fidelium comprecantium cœtu.

Sublato autem Pœnitentiario, minor cœpit esse peccatorum verecundia, minorque metus, quia privata duntaxat erubescentia & agendæ secretò Pœnitentiæ, multò levioris, obligatio cum Sacramentali Confessione superstes, tantum peccantibus horrorem non incutiebant. Illa itaque disciplinæ collapsio, & laxa dissolutaque ratio vivendi, quæ post Nectarii factum invaluit, in Pœnitentiæ publicæ abrogationem, temporaria constitutione, non victura in perpetuum lege à Nectario factam, (Siquidem Sancti Chrysostomi tempore publicæ Pœnitentiæ disciplina Constantinopoli vigebat) refundenda est. Deque illa sola Sozomenus loquitur, non de Sacramentali Confessione. Enimverò id Constantinopoli abrogatum à Nectario est duntaxat, quod & apud omnes Sectas, exceptâ Novatiana vigere, & in Occidentalibus Ecclesiis, ac præcipuè in Ecclesia Romana studiosè observari suo tempore Sozomenus testatur, describitque ibidem his verbis: *Illic enim in propatulo est Pœnitentium locus: in quo illi stant mœsti, ac veluti lugentes. Peractisque jam Missarum solennibus, exclusi à Communione sacrorum quæ initiatis præberi mos est, cum gemitu ac lamentis pronos se in terram abjiciunt. Tum Episcopus cum lachrymis ex adverso occurrens, pariter ipse humi provolvitur: & universa Ecclesiæ multitudo simul confitens, lachrymis perfunditur. Post hæc verò primus exurgit Episcopus, ac prostratos erigit, factaque (ut decet) precatione pro peccatoribus Pœnitentiam agentibus, eos dimittit. Privatim autem unusquisque sua sponte se macerans, aut jejuniis, aut illuvie, aut ciborum abstinentia, vel aliis quibus jussus est modis, tempus quantumcunque ipsi ab Episcopo constitutum expectat. Ubi verò præstitutus dies advenit, tanquam debito quodam persoluto, à pœna commissi sceleris liberatur, & reliquo Ecclesiæ populo sociatur. Hæc Episcopi urbis Romæ jam inde ab ultimâ vetustate ad nostram usque ætatem custodiunt. In Constantinopolitana autem Ecclesia certus quidam Presbyter constitutus erat, qui Pœnitentibus præesset.* Ex his omnibus constat solum publicæ Pœnitentiæ ritum fuisse Constantinopoli à Nectario abrogatum; vel (ut verius dicam) solam illius administrationem à Pœnitentiario Presbytero, fuisse ablatam, cùm ille ex albo Ecclesiæ expunctus est.

Alio modo solvi potest decantatissima illa ex facto Nectarii Hæreticorum objectio, dicendo (quæ vulgaris responsio est) publicam tantùm Confessionem, non Sacramentalem ac secretam, fuisse ab illo Antistite sublatam. Sic enim existimant; eos qui Sacerdotem adirent suscipiendæ Pœnitentiæ causâ, postquam singula peccata mortalia secretò apud ipsum confessi essent, quædam ex illorum numero ab ipso designata, publicè, & in frequenti Ecclesiæ cœtu confiteri solitos: quod ex loco insigni Origenis Homilia 2. in Psalmum 38. inter probationes à me relato colligunt. Quæ Confessio non tam ad culpæ promerendam veniam, quàm ad pœnam, satisfactionemque spectabat. Hujusmodi Confessionem quorumdam peccatorum à Constantinopolitano Pœnitentiario Matronæ illi à Diacono constupratæ imperatam esse aiunt: quæ cùm ad publicam illam de more Confessionem venisset, præscriptos sibi à Sacerdote terminos egressa, & *Longiùs* (ut Christophorsonus vertit) *in confitendo progressa*, flagitium unà illud imprudenter patefecit. Quod cùm scandalum ingens peperisset, Nectarius hunc certa quædam peccata publicè confitendi morem, & Pœnitentiarium qui Confessionem illam publicam imperabat, abrogavit. Ita difficultatem illam solvunt Doctissimi Cardinales Baronius, Bellarminus, Perronius, quibus suffragatur vir doctissimus Godefridus Hermantius qui Vitam sancti Joannis Chrysostomi Gallicè edidit paucis ab hinc annis lib. xi. cap. xvii. ejusdem Vitæ.

---

§. XXIX.

S. Johannem Chrysostomum frustra Dallæus trahit in partes.

OBjicit vigesimo Dallæus tredecim, sancti Joannis Chrysostomi testimonia, in quibus vel omnibus, vel plerisque disertè affirmat sola apud Deum

Deum Confessione peccata Pœnitentibus remitti. Primus petitur ex Homilia 25. ad populum Antiochenum, In qua hæc habet : *Neque hoc tantùm est admirabile, quòd nobis peccata dimittit; verùm & quod ipsa non revelat, nec manifesta facit, aut conspicua, nec cogit in medium procedentes quæ peccavimus enuntiare, sed sibi soli rationem reddere jubet, & sibi confiteri. Etenim ex sæcularibus Judicibus si quis alicui captorum latronum, vel eorum qui sepulchra effodiunt, diceret ut peccata confiteretur, & à pœna dimitteretur, omni rectè promptitudine hoc susciperent, salutis cupiditate pudorem contemnentes. Hic verò non hoc est; verùm & peccata dimittit, nec cogit præsentibus quibusdam ea efferre & enuntiare; sed unum solum exigit, ut qui remissione fruitur, doni magnitudinem intelligat. Quomodo igitur non absurdum, ut in quibus nos ipse beneficio afficit, solo testimonio nostro contentus sit; nos autem, in quibus ipsum colimus, alios testes quæramus, & ad ostentationem quidpiam faciamus?* Qui soli Deo rationem reddendam esse asserit, & Deum hoc unum exigere, ut qui remissione fruitur, doni magnitudinem intelligat; & Deum solo nostro testimonio esse contentum, Confessionis Sacramentalis necessitatem evertit. Sed hæc omnia Sanctus Joannes Chrysostomus asserit hoc loco : igitur Confessionis Sacramentalis necessitatem evertit.

Alter locus est ex Homilia 30. Tom. 3. quæ est 5. de incomprehensibili Dei natura : *Quamobrem*, inquit, *vos hortor & oro, crebrius & assiduè Deo confiteamini. Neque enim te in theatrum duco conservorum tuorum, non hominibus detegere peccata cogo. Conscientiam coram Deo explica, & ipsi ostende vulnera, & ab eo pete medicamenta. Ostende ei qui non exprobrat, sed curat; licèt enim taceas, ille novit omnia. Dic ergo ut lucreris. Dic, ut hîc deposito onere, abeas illuc purus, & immanis, & intolerabili illa publicatione libereris.* Qui nihil aliud à peccatore exigit, nisi ut Deo confiteatur, ut conscientiam coram Deo expandat, vulneraque ipsi nudet veluti fidissimo Medico, & Morbos nostros ita curanti ut minimè exprobret : is negat Confessionem Sacerdoti factam esse necessariam : sed Sanctus Joannes Chrysostomus nihil aliud à peccatore exigit nisi ut Deo confiteatur, &c. negat igitur Confessionem Sacerdoti factam esse necessariam.

Tertius locus est ex Homilia LVI. Tom. 1. quæ est 8. de Pœnitentia : *Non revelavit ulcus*, inquit, *non in commune theatrum accusationem produxit, non delictorum testes statuit. Intus in conscientia, adstante nemine præter eum qui cuncta videt Deum, instituit judicium, & peccatorum examen, atque inquisitionem.*

Quartus locus est ex Homilia 9. de Pœnitentia. *Quoties*, inquit, *cecideris in foro, toties exurgis; sic quoties peccaveris, peccati pœniteat, neque desperet. Tametsi secundò peccaveris, secundò pœniteat, ne propter ignaviam à spe propositorum bonorum excidas. Etiam si in ultima senectute sis, si peccaveris, ingredere, pœnitentiam age. Medicinæ hic locus est, non judicii : in quo peccatorum non pœna exigitur, sed remissio tribuitur. Deo soli dic peccatum tuum: TIBI soli peccavi, & malum coram te feci, & dimittitur peccatum tuum.* Uni Deo confitendum statuit Chrysostomus : nullius Sacerdotis conscientiam in hoc negotio requirit.

Quintus locus est ex Homilia 20. in Genesim. *Attamen*, inquit, *qui hæc fecit, si voluerit, ut decet, uti conscientiæ adjumento, & ad Confessionem facinorum festinare, & Medico ostendere ulcus, qui curat, & non exprobrat, atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui, nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia, facilè peccata sua emendabit. Confessio enim peccatorum abolitio est delictorum. Quod si Lamech ille suis uxoribus cædes à se commissas detegere & confiteri non refugit : quali erimus veniâ digni, si ei, qui omnia nostra accurate novit delicta, confiteri peccata nolumus? Num enim quia ignorat, discere vult? Nequaquam quia ignorat, Confessionem à nobis requirit, qui omnia scit antequam fiant, sed volens per Confessionem nos quoque peccatorum habere sensum, & gratitudinem erga se ostendere.* Hîc etiam nihil ad peccata nostra emendanda, ulceraque sananda, aliud requirit Chrysostomus, nisi ut ea Medico omnia, antequam fiant, scienti, id est, Deo ostendamus ac confiteamur, eique soli loquamur, nullo alio conscio.

Sextus locus est ex Homilia in Psalm. L. altera. *Peccata tua dicito*, inquit, *ut ea deleas. At pudet dicere te peccasse? Dic ea quotidie in oratione. Num enim dico, ut ea conservo dicas, qui tibi exprobret? Dic Deo qui eis medetur. Neque enim ea si non dixeris, nescit Deus. Nunquid enim ea à te discere vult? Cùm ita faceres, aderat : cùm ea admitteres, astabat, sciebat. Perpetrabas ea, nec pudore commovebaris. Res, quæ te probrosum efficiebant, non erubuisti; nunc verba, quæ te justificant, erubescis. Hîc dicito, ne illic dicat. Dic, & lachrymare. Peccata tua in libro scripta sunt. Spongiæ instar sunt lachrymæ. Lachrymas funde, & oblitteramur.... Cum autem in lectum, hoc est, ad tranquillum portum te conjecisti, nec ullus est qui tibi molestiam exhibeat, dic cordi tuo atque animæ tuæ : Exegimus hodiernum diem, ô anima. Quid boni fecimus, aut quid mali admisimus? Ac gehennæ recordare, ut metu effectus bonum augeas, malum autem de medio tollas. Si in lecto sis, atque tibi peccata tua in memoriam venerint, collachryma; atque ea hac ratione delere poteris. Deum tuum roga, atque obsecra, sicque corpus somno trade, postea quam priùs peccata tua confessus fueris.* Peccata Deo confiteri jubet Chrysostomus : conservo ut confitearis non urget; lachrymis etiam ea peccata, quæ hominibus prodere veremur, deleri ait, & quidem in lectulo apud unum Deum fusis. Quod à Confessionis Sacramentalis hypothesi prorsus alienum est.

Septimus locus est ex Homilia 4. de Lazaro. *Nihil*, inquit, *tam exitiale peccato, quàm peccati accusatio, condemnatioque cum pœnitudine lachrymisque conjuncta. Condemnasti tuum peccatum, deposuisti sarcinas, quis hæc dicit? Ipse Judex Deus. Dic tu peccata tua prior ut justificeris. Cur igitur te, quæso, pudescis, & erubescis dicere peccata tua? Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? Num enim conservo confiteris, ut in publicum proferat? Imo vero ei qui Dominus est, ei qui tui curam gerit, & qui humanus est, ei qui Medicus est, ostendit vulnera. Neque enim ignorat, etiam si tu non dixeris, qui sciebat antequam perpetrares..... Non*, inquit, *cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes. Mihi soli dic peccatum privatim, ut sanem ulcus, teque dolore liberem. Ideo nobis insevit conscientiam, eamque quovis patre amantiorem. Num pater ubi semel, iterum ac tertiò, deciesque filium increpaverit, si viderit incorrigibilem manere, desperans abdicat, expellit è familia, à cognatione resecat. At non sic conscientia.* Ibi Chrysostomus peccatorem seipsum condemnantem statim sarcinâ levat, non homini, non conservo, sed uni Deo confessum e vestigio absolvit, ad Sacerdotes nequaquam dimittit.

Octavus locus est ex Homilia LVII. Tom. 5. cui titulus est, *Quòd peccata non sint evulganda*, in qua publicam prædicationem arcanis peccatorum vulneribus quandoque mederi asserit. *Neque enim*, inquit, *in medium adductis peccatoribus eorum peccata sic divulgamus : sed communi omnibus doctrinâ*

propositâ, conscientia relinquimus auditorum, ut convenientem suo vulneri, ex eis quæ dicta sunt, eliciant medicinam.... Procedit igitur apertè oratio, & cujusque conscientia insidens latenter, suam adhibet medicinam, & priusquam evulgetur, vel foras efferatur morbus, sæpe restituit sanitatem.

Nonus locus est ex Homilia LVIII. ejusdem Tomi, cui titulus est, *Non esse ad gratiam concionandum:* in qua hæc habet: *At verecundaris, & erubescis enuntiare peccata? Sanè etiam si coram hominibus ea dicenda essent, & evulganda, ne sic quidem verecundari oporteret (pudor enim & ignominia est peccare, non quæ peccaveris confiteri:) jam verò neque necessarium est præsentibus testibus confiteri. Apud conscientiæ rationes fiat disquisitio delictorum, sine teste sit judicium. Deus te confitentem solus videat, Deus qui peccata non exprobrat, sed ex Confessione peccata delet. Sed hoc pacto etiam cunctaris & detrectas? Scio equidem conscientiam suorum delictorum memoriam minimè ferre. Nam si tantùm subeat animum eorum quæ deliquimus recordatio, tanquam pullus quidam indomitus ac frænatu difficilis mens resilit. Sed tu coerce illam.... Persuade fore, ut nisi nunc confiteatur, illic confiteatur ubi major pœna, ubi diffamatio major. Hic judicium est sine teste, ac tu te ipse judicium peccati exercet: at illic in medium orbis totius theatrum cuncta producentur, nisi priùs fuerint à nobis deleta.*

Decimus locus est ex Homilia de Pœnitentia & Mœstitia Regis Achab, quæ est 68. Tom. 5. *Peccator es,* inquit, *ne despondeas animum, sed ingredere ac pœnitentiam ostende. Peccasti? Dic Deo, Peccavi. Quis hic labor est? Qui circuitus? Quæ fatigatio? Quæ angustia verbum hoc proferre, Peccavi? Num enim tu, nisi teipsum dixeris peccatorem, à diabolo non accusaberis? Præoccupa & eripe illi suam dignitatem accusatoris. Cur igitur illum non prævenis, & peccatum dicis, & crimen purgas, cùm probè scias talem accusatorem tibi qui tacere nequeat, imminere? Peccasti? In Ecclesiam ingredere. Dic Deo, Peccavi. Nihil aliud abs te, nisi solum istud exigo. Ait enim Scriptura sacra:* » Dic tu primus iniquitates tuas ut justificeris, *Dic peccatum, ut solvas peccatum.* Chrysostomus disertè negat se aliud à peccatore requirere, nisi hoc tantùm ut Deo peccatum dicat, id est, confiteatur. Non ergo exigit ut insuper idipsum Sacerdoti dicat.

Undecimus locus est ex Homilia 20. in Matthæum. *Quia contingit ut etiam post regenerationis lavacrum delinquamus, plurimum hic quoque miserationis ostendens, etiam pro horum peccatorum remissione ad misericordem Deum accedere jubet, ac sic dicere; Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vidisti misericordiæ cumulum? Post tantorum quippe abolitionem malorum, & ineffabilem gratiæ largitatem, iterum peccantibus dignatur ignoscere.* Neque hic aliud ad consequendam delictorum remissionem ac veniam exigit, nisi ut eam à Domino confitentes petamus.

Duodecimus locus est ex Homilia 28. in 1. ad » Corinthios. *Propterea dicit:* Probet autem seipsum » unusquisque, & tunc accedat. *Neque jussit alteri alterum probare, sed se quemque ipsum, faciens secretum ac minimè publicum judicium, & probationem sine teste.* Non potuit disertiùs Tridentini Concilii in Paulinum hoc præceptum glossam refutare, probationem illam de singulorum apud Sacerdotem Confessione interpretantis.

Decimus tertius locus petitur ex Homilia 31. in Epistolam ad Hebræos: *Persuadeamus nobis ipsis,* inquit, *quod peccavimus. Non linguâ solùm dicamus, sed etiam mente ac cogitatione: ne nos dicamus peccatores tantùm, sed etiam peccata cogitemus, unumquodque speciatim percensentes. Non tibi dico ut ea tanquam pompam in publicum efferas, neque ut apud alios oculos accuses; sed suadeo ut pareas Prophetæ dicenti.* Revela Domino viam tuam. « *Apud Deum ea confitere; apud Judicem confitere peccata tua, orans, si non linguâ, saltem memoriâ: & sic misericordiam impetra.* Peccatori Domini misericordiam pollicetur Joannes Chrysostomus apud unum Dominum vel sola mente ac memoria confitenti, & precanti. Confessionem itaque apud Sacerdotem factam nullatenus esse necessariam existimat.

Respondent doctissimi Cardinales Baronius, Bellarminus, & Perronius, Chrysostomum, qui Nectarii successorem se agnoscebat, diligenter, ut parerat, judicium Prædecessoris sui defendere voluisse; eamque Confessionem, quam Nectarius abrogaverat, ipsum pariter sustulisse, ac reprehendisse, publicam scilicet, non autem privatam.

Sed hæc responsio stare non potest: pleraque enim ex laudatis modò Sancti Chrysostomi locis petita sunt ex illis Homiliis quas habuit Antiochiæ, scilicet ex Homilia 21. ad Populum Antiochenum, ex Homilia 4. de Lazaro, ex Homilia de incomprehensibili Dei Natura, ex Commentario in Matthæum, & in 1. ad Corinthios, &c. Cùm itaque tunc Presbyter esset sub Flaviano Antiocheno Episcopo, fictitium est quòd Nectarii, cui in Episcopatu Constantinopolitano successit, factum his in locis tueri voluerit.

Respondent secundò distinguendo duas Confessiones, judicialem unam, satisfactoriam alteram: illam quæ apud Sacerdotem in arcano fieret, hanc quæ in publico apud totam Ecclesiam; illam qua Sacerdos à reo discebat quod esset ejus delictum, ut ex eo pœnitentiæ modum tempusque præscriberet; hanc quæ satisfactionis pars, unò sigillum esset. Hanc denique, non autem illam reprobasse ac impugnasse Sanctum Chrysostomum.

Verùm hæc Responsio solido satis fundamento niti non videtur: primò namque gratis distinguunt inter Confessionem judicialem & satisfactoriam: ipsa enim judicialis, seu Sacramentalis Confessio cùm pœnalis sit, satisfactoria etiam est; unde S. Thomas 1a1. Parte Q. 68. Art. 6. probat Confessionem peccatorum exteriorem quæ fit Sacerdoti, & quæ ad peccatoris Absolutionem ordinatur, non esse à baptizandis exigendam, *quia est pœnosa propter verecundiam confitentis: baptizato autem nulla exterior pœna imponitur. Et ideo a baptizatis non requiritur specialis Confessio peccatorum.* Secundò, quia illam ipsam, quam à judiciali distinguunt, satisfactoriam Confessionem à Pœnitentibus nunquam postulavit Ecclesia, id est, ipsos nusquam compulit ut sua sigillatim delicta palam confiterentur. Et cùm post S. Chrysostomi tempora ista consuetudo in aliquo Campaniæ angulo invaluisset, Sanctus Leo ipsam velut ab Apostolica regula alienam statim summovit. His igitur missis:

Respondeo, Sanctum Chrysostomum locis omnibus laudatis, vel illius tantùm Confessionis excludere necessitatem, ex qua publicatio atque infamatio reorum sequatur: vel cujuscunque ministerium aut testimonium excludere ab examine conscientiæ quotidiano, sive à quotidiana Pœnitentia: non autem à Pœnitentia Sacramentali, quæ potestate clavium Ecclesiæ à Domino Christo traditarum administratur: vel denique de Contritione loqui, quæ peccata quælibet expungit, cùm perfecta

cta

sta est, absque actuali ministerio Sacerdotis. Itaque Sanctus Joannes Chrysostomus ut Dei in peccatores bonitatem atque indulgentiam commendet, qui tam facilem veniam iis ultrò proponit; illinc verò peccatorum duritiem atque improbitatem exaggeret, qui tantam ab optimo Deo oblatam gratiam respuunt, sortem peccatorum pœnitentium opponit sorti eorum qui criminum capitalium rei ad Magistratuum tribunalia deferuntur. Ab utrisque criminum Confessionem exigi ait: sed longè dispari exitu. Qui enim à sæculi Magistratibus judicantur, duplex discrimen incurrunt, prius famæ, alterum capitis. Nam ii si crimen, cujus rei aguntur, confiteantur, non tantùm à judicibus vel tormentis, vel capite mulctantur; sed etiam publicè denotantur. Traducuntur ante vulgi ora, spectandique omnibus in loco publico exhibentur, velut in theatro. Tum quale sit crimen, quæque sententiæ ratio, publicè audiente frequenti hominum cœtu recitatur; atque sæpe ipsi de geniculis, ore proprio enunciare atque confiteri coguntur, veniamque à Deo, à Rege, à Judicibus, suggerente Lictore palam deprecari. Tandem miseri his aliisque ignominiæ notis inusti, ultima pœnis, quæ iis constitutæ sunt afficiuntur. Deum verò Optimum Maximum Confessionem à peccatoribus exigere Chrysostomus negat, quæ ipsos in discrimen conjiciat salutis, vel honoris: nullam ipsis infamiæ labem aspergi ait, quia non coguntur *Præsentibus quibusdam ea enuntiare, & in medium procedentes palam confiteri, sicut capti latrones, vel effossores sepulchrorum à sæcularibus Judicibus* ad criminum Confessionem adiguntur. Negat Deum Confessionem hanc geminam exigere & similem, quæ fit à furciferis coram frequenti hominum cœtu, qui *crimen exprobrent*, ac velut *in theatro communi*: negat Confessionem exigi à Deo, quam sequatur *pœna*: non negat Confessionem cui *remissio tribuatur*. Negat Confessionis necessitatem à Deo imponi, qua peccata nostra *in publicum proferantur*; qua ea revelemus homini, *qui nos probro afficiat*, eaque *multis* coram *testibus* publicè exprobret: quemadmodum se gerit Judex sæcularis ergà criminum capitalium reos. Negat denique Confessionem à Deo exigi, quæ *in publico judicio, probatione per testes* instituta fiat; & qua peccata *tanquam pompam in publicum efferre cogamur*. Ita intelligi & explicari debent testimonia laudata ex Homilia 21. ad populum Antiochenum, ex Homilia 5. de incomprehensibili Dei Natura, ex Homilia 8. de Pœnitentia, ex Homilia 4. de Lazaro, & ex Homilia 31. in Epistolam ad Hebræos. Addiderim, Homiliam xxi. ad populum Antiochenum, ex qua primum testimonium prolatum est, ad Catechumenos habitam fuisse. Inscribitur enim: *Catechesis ad illuminandos*. Non mirum igitur si de Confessione peccatorum soli Deo facienda mentionem habeat, cùm Catechumenis & nondum baptizatis lex Sacramentalis Confessionis posita non fuerit.

Loquitur etiam quandoque Sanctus Joannes Chrysostomus de quotidiana pœnitentia, de examine conscientiæ singulis diebus à Fidelibus instituendo, & de contritione, ac lachrymis quæ examinis illius comites esse debent. Hæc autem intus in conscientiæ secreto sine teste, solo Deo præsente fieri possunt. Hac Confessione soli Deo facta peccata quotidiana & leviora curantur atque delentur absque ministerio Sacerdotis. Sed ad gravia & lethalia peccata expungenda non sufficit absque Sacerdotis opera, & absque Confessione apud eum facta, vel ejus saltem proposito. Unde peccata illa non curat nisi dispositivè (ut Scholastico more loquar) sicut etiam ea curant Verbi divini prædicatio, & condonatio injuriarum, de quibus Sanctus

A Chrysostomus Homilia 50. in Matth. & Homilia, *Quod peccata non sint evulganda*. Igitur Sanctus Chrysostomus ad examen conscientiæ quotidianum, ad pœnitentiam quotidianam, ad contritionem, & ad lachrymas auditores suos adhortatur, Homilia 20. in Genesim, Homilia 11. in Psalmum L. Homilia 4. de Lazaro. Homilia cui titulus est, *Non esse ad gratiam concionandum*, Homilia *de Pœnitentia & mæstitia Regis Achab*, & Homilia 31. in Epistolam ad Hebræos, ut soli Deo peccatum confiteantur ipsos urget; non tamen excludit ministerium Sacerdotum, & Confessionis apud illos edendæ necessitatem, quam aliis in locis adstruit.
B Certè publicam Pœnitentiam admisit & indixit quorumdam peccatorum reis Sanctus Chrysostomus, ut constat ex Homilia 3. de Saule & Davide (Tom. 2.) ex Homilia 17. in Matthæum & ex Homilia 3. in Epistolam ad Ephesios. Qui autem pœnitentiæ publicæ addicebantur, Confessionem edebant apud Sacerdotem, & ab ipso reconciliationis & absolutionis beneficium expectabant. Hos tamen Sanctus Chrysostomus ex eorum numero non excipit, quos *soli Deo peccatum dicere* jubet, *nullo alio conscio*, & *intus in conscientia, nemine præsente, præter eum, qui cuncta videt, Deum, judi-*
C *cium instituere*, & à quibus id unum exigit ut dicant Deo, *Peccavi*. Et quos *misericordiam impetraturos* ait, *si apud Deum peccata confiteantur, si non linguâ, saltem memoriâ*. Hæ igitur loquendi formulæ ministeria Sacerdotum Pœnitentibus publicis impendenda non excludunt, nec officium quo tenentur peccatores Pœnitentiæ publicæ obnoxii ad Ecclesiæ Ministros accedere, & clavibus ipsi à Christo datis sese subjicere: nec igitur istis loquendi formulis excludere censendus est Sanctus Chrysostomus Confessionis apud Sacerdotes edendæ necessitatem divina lege, & Ecclesiæ moribus
D impositam cujuscumque lethalis peccati post Baptismum reis: quam libro 2. de Sacerdotio cap. 3. & lib. 3. cap. 5. & Homilia 20. in Genesim & Homilia 19. in Epistolam ad Hebræos tam disertè adstruxit.

---

§. XXX.

Leviusculæ quædam Dallæi Objectiones ex aliis Patribus petitæ diluuntur.

E OBjicit xxi. Dallæus testimonia SS. Hilarii, Basilii, Ambrosii, Maximi Taurinensis, & Augustini, qui sola contritione, sine oris Confessione, peccatorum à Deo remissionem impetrari docent. Sanctus enim Hilarius Enarratione in Psalmum 51. ait, Davidem dicere, *Nulli alii esse confitendum, quam qui fecit olivam fructiferam spei misericordiâ in sæculum sæculi*. Sanctus Basilius in Psalmum 37. ad hæc Davidis verba: *Rugiebam à gemitu cordis mei*; hæc habet: *Non enim ut multis manifestus fiam, labiis confiteor, sed intus in ipso corde, tibi soli ea quæ in occulto sunt, respi-*
F *cienti, meos apud meipsum gemitus ostendo, mecum ipse rugiens. Non enim multis verbis opus erat ad Confessionem, vel ad exomologesim. Sufficiebant enim cordis mei gemitus ad Confessionem.*

Ambrosius libro 10. in Lucam. *Lavant lachrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri. Et veniæ fletus consulunt, & verecundiæ. Lachrymæ sine horrore culpam loquuntur, Lachrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur. Lachrymæ veniam non postulant, sed merentur*. Hæc autem Ambrosius ex occasione lachrymarum Petri: *Petrus*,

 inquit,

inquit, *doluit & flevit, quia erravit ut homo. Non invenio quid dixerit, invenio quid fleverit. Lachrymas ejus lego; satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potest, ablui potest.* Huic Ambrosii loco planè geminus est alter S. Maximi Taurinensis Homilia 5. de Pœnitentia Petri. Denique Sanctus Augustinus Enarratione in Psalmum 31. in hæc Davidis verba, *Dixi, Pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* DIXI, inquit, *quid dixisti? Non jam pronuntiat, sed promittit se pronuntiaturum, & ille jam dimittit... Eo ipso quod dixis, Pronuntiabo, ostendis quia nondum pronuntiaverat, sed corde pronuntiaverat. Hoc ipsum dicere, Pronuntiabo, pronuntiare est; ideo & tu remisisti impietatem cordis mei. Confessio verò mea nondum ad os venerat: verumtamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, sed auris Dei jam in corde erat.* Ex quibus constat Deum corde contritis atque pœnitentibus, etiam ante vocalem Confessionem, peccata remittere.

Respondeo, laudatos Patres de contritione perfecta loqui his in locis: quod prolata ab ipsis Davidis & Sancti Petri, peccatum deflentium exempla probant. Hujus autem contritionis tanta vis est, ut ante vocalem Confessionem peccata dimittat. Sed Confessionis propterea necessitatem non excludunt apud Sacerdotes edendæ: imo eam disertè adstruunt Hilarius Cap. 18. in Matthæum, Basilius in Regulis brevioribus ad Interrogationem 229. & 288. Ambrosius libro 2. de Pœnitentia cap. 9. S. Augustinus libro Homiliarum 50. Homilia 27. 49. & 50. & Sermone 8. de Verbis Domini. Adde, Davidem & Sanctum Petrum, nondum instituto Pœnitentiæ Sacramento, & Confessione, quæ pars ejus est, pœnitentiam egisse; quæ proinde sola contritione, lachrymisque peccata ipsorum expungere potuit. Denique Sancti Patres in Homiliis ad populum de Pœnitentia virtute, quàm de Pœnitentia Sacramento frequentiùs loquebantur, & ad contritionem, lachrymas, gemitus, laboriosa satisfactoriaque opera, suos adhortabantur auditores; quòd persuasum haberent, sine his officiis Confessionem apud Sacerdotes editam, & Absolutionem ab iis impensam non prodesse.

Denique nihil est in hujusmodi Patrum locis, quod Concionatores nostri passim in ore non habeant, quos tamen Confessionis Sacramentalis excludere necessitatem nemo dixerit.

Objicit 22. Dallæus, publicâ Pœnitentia semel functis, si in aliquod eorum criminum, quæ sunt in Canonibus notata, relaberentur, nulla deinceps Pœnitentia concessa est, nequidem privata, quæ apud Sacerdotes agi, & Confessione Sacramentali velut parte essentiali supponitur constare. Neque tamen hujusmodi Relapsos à spe veniæ excludunt Patres, præsertim Augustinus, cujus ea de re celebris locus extat Epistola 54. ad Macedonium: senserunt itaque Patres, & Augustinus in primis, sine Confessione & Sacerdotali Absolutione peccata Lapsis Deum Optimum clementer dimittere.

Respondeo, Divinæ misericordiæ nullos fines esse positos, nec illam Sacramentis ita esse adstrictam ut sine ipsis operari non possit. Unde non mirum quod iis etiam, quibus Pœnitentiæ aditum Ecclesia Disciplinæ severitate præclusisset, veniæ tamen à Deo consequendæ spem non adimeret, si Pœnitentiæ virtutis officia implerent, & contritionem perfectam de peccatis conciperent, ac juges ob ea lachrymas funderent. Non sequitur tamen Confessionem Sacramentalem jure divino necessariam Patres non existimasse: sicut Baptismum ad salutem esse necessarium non negaverunt, quamvis solo ejus vehementi desiderio salutem consequi Catechumenos putaverint, si ante actualem ejus susceptionem è vita migrarent. Adde, Pœnitentiæ Sacramentum, & Absolutionem Sacerdotis, quæ Confessionem peccatorum apud ipsum factam sequitur, etiam iis qui publicâ Pœnitentiâ functi in canonica crimina relapsi erant, nusquam fuisse ab Ecclesia in obitu negatam, ut probavimus Tomo 3. Dissertationum in Historiam Ecclesiasticam.

---

§. XXXI.

Cassiani & Juliani Pomerii auctoritate Dallæus abutitur.

Objicit XXIII. Dallæus testimonium Cassiani Collatione 20. cap. 8. ubi de Pœnitentiæ fructibus differens, per quos ad expiationem criminum pervenitur, recensitis collocatisque in hoc genere, charitate, eleemosynis, lachrymis, Confessione, afflictione cordis & corporis, præcipuèque emendatione morum, aliorum Fidelium precibus, misericordiæ ac Fidei merito, efficaci Evangelii Prædicatione, salubrique admonitione, denique indulgentiâ in eos qui nos læserunt: *Videtis*, inquit, *quantos misericordiæ aditus patefecerit clementia Salvatoris; ut nemo salutem cupiens desperatione frangatur, cùm videat se tantis ad vitam remediis invitari. Si enim pro infirmitate carnis, afflictione jejuniorum abolere te peccata non posse causaris, &c. eleemosynarum ea redime largitate. Indigentibus si non habeas quod impartias, &c. certè absque illis morum poteris emendatione purgari. Quòd si perfectionem virtutum extinctione vitiorum omnium non potest adipisci, sollicitudinem piam erga utilitatem alienæ salutis impende. Si autem te idoneum huic ministerio non esse conquereris, operire peccata poteris charitatis affectu. In hoc quoque si te fragilem feceris qualibet mentis ignavia, oratione saltem atque intercessione Sanctorum remedia vulneribus tuis humilitatis affectu submissus implora. Postremò quis est qui non possit suppliciter dicere, Peccatum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non operui?* [Psal. 31. 6.] *Ut per hanc Confessionem etiam illud subjungere mereatur, Et tu remisisti impietatem cordis mei.* [Psal. 50.] *Quod si verecundia retrahente, revelare coram hominibus erubescit, illi quem latere non possunt, confiteri ea jugi supplicatione non desinas, ac dicere; Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper; Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: qui & absque illius verecundiæ publicatione curare, & sine improperio peccata donare consuevit. Post istud quoque tam promptum certumque subsidium, aliud quoque facilius largita est nobis divina dignatio, ipsamque remedii opem nostro commisit arbitrio, ut indulgentiam nostrorum scelerum pro nostro præsumamus affectu, dicentes ei; Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quisquis igitur ad indulgentiam suorum criminum desiderat pervenire, ipsis semetipsum aptare studeat instrumentis, nec obdurati cordis pervicaciâ a remedio salutari fontem tantæ pietatis avertat: quia etiam si hæc omnia fecerimus, non erunt idonea ad expiationem scelerum nostrorum, nisi ea bonitas Domini, clementiaque deleverit, qui cùm religiosi conatus obsequia supplici mente à nobis oblata perspexerit; exiguos parvosque conatus immensa liberalitate prosequitur, dicens, Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum* [Isa. 43. 25.]

torum tuorum jam non recordabor. Ex quo Cassiani testimonio colligit Dallæus, ipsum minimè existimasse nullam sine exteriori, sive vocali Confessione peccatorum a Deo remissionem impetrari posse. Si hoc enim sensisset, nunquam Confessionem inter multas illas inter se quidem discrepantes, sed tamen unius ejusdemque Pœnitentiæ vias numerasset, quibus omnibus ad eandem peccatorum remissionem salutemque pervenitur. Nemo enim usque adeò stultus est, qui præfatus multas esse vias quibus in unum locum iri pervenirique possit, post hæc inter illas eam quoque recenseat, qua omnibus qui in eum locum contendunt, ita necessariò transeundum sit, ut nisi qui per eam iter fecerit, ad destinatum locum pervenire non possit. Ut si quis dixerit, Roma Brudisium iri via vel Appii, vel Numici; intelligit haud dubiè etiam, qui via Appia iter non fecerit, Brundisium pervenire posse, si viam Numici terat ac sequatur. Cùm itaque Cassianus scribat multos esse Pœnitentiæ fructus per quos ad expiationem criminum pervenitur, & inter illos Confessionem numeret; nemo non videt ipsum putasse etiam eum, qui confessus non fuerit, remissionem peccatorum consecuturum, si aliquod ex aliis mediis secutus fuerit.

Respondeo, Cassianum ibi de pœnitentiæ fructibus, sive de operibus satisfactoriis loqui, quæ ad quotidianam Pœnitentiam spectant hominum jam ad Deum conversorum, qui omnia ad remissionem peccatorum necessaria, præter satisfactionem impleverunt: quique *in humilitate cordis & spiritus contritione defixi, in labore & gemitu perdurant.* His ergo multiplices Pœnitentiæ fructus, seu varios satisfactionis modos Optimum Deum misericordia sua providisse docet in illa Cassiani Collatione Pinuphius Abbas. Per unumquemque ad expiationem criminum ait perveniri, quatenus satisfactoria opera perfectam ad remissionem criminum etiam contritis & confessis necessaria sunt, ut divinæ Justitiæ jura resarciant, ut pravos habitus evellant, & quamdam de indulgentia, quæ satisfactionis finis est, sibi pariant, moralem quidem securitatem. Id patet tum ex initio Collationis, cùm ex progressu. Interrogat namque Pinuphium Abbatem sanctissimum Germanus de Pœnitentiæ fine & satisfactionis indicio his verbis: *Unum proinde ac singulare præsidium medela nostra potest conferri vulneribus, ut de fine Pœnitentiæ, ac maximè de satisfactionis indicio aliqua discamus, ut certi de remissione præcedentium delictorum, possimus etiam ad conscendenda fastigia prædicta perfectionis animum.* Respondet Pinuphius: *Itaque de Pœnitentia exhortatione vel merito, multi non solùm dictis, verùm etiam scriptis plurima vulgaverunt, monstrantes quanta ejus utilitas, quantaque sit gratia, ita ut Deo præteritis facinoribus offenso, tamque justissimam pœnam pro tantis criminibus inferenti (si dici fas est) quodammodo obsistat, & quasi inviti dexteram suspendat ultoris. Verùm hæc omnia vobis vel pro sapientia supernaturali, vel pro indefesso sacrarum studio Literarum, ita cognita esse non ambigo, ut de iis prima plantatio vestra conversationis inoleverit. Denique non de Pœnitentia qualitate, sed de ejus fine ac satisfactionis indicio sollicitì, id quod ab aliis prætermissum est, sagacissima interrogatione disquiritis. Quapropter omni brevitate atque compendio propositionis vestræ desiderio satisfacere nitimur.* Tum deinde cap. 7. statuit eum ad satisfactionis finem pervenisse, cujus menti præteritorum criminum imagines ampliùs non obversantur, & in quo conscientiæ remorsus diuturno gemitu & labore Pœnitentiæ sunt consopiti. *Dum ergò agimus Pœnitentiam*, inquit, *& adhuc vitiosorum actuum recordatione mordemur, necessarium est ut ignem conscientiæ nostræ oboriens ex Confessione culpæ lachrymarum imber extinguat. Cùm verò cuiquam in hac humilitate cordis & spiritus contritione defixo, atque in labore & gemitu perduranti, horum recordatio fuerit consopita, & conscientiæ spina de medullis animæ gratiâ Dei miserentis evulsa, certum est eum ad satisfactionis finem atque indulgentiæ merita pervenisse, & ab universorum criminum labe purgatum. Ad quam tamen oblivionem non aliàs pervenitur, nisi per obliterationem vitiorum atque affectuum pristinorum, & perfectam cordis atque integram puritatem; quam sine dubio nullus eorum qui per ignaviam sive contemptum vitia sua purgare neglexerit, assequitur, nisi qui gemitus atque suspiria mœsta jugitate continuans omnem sordium pristinarum excoxerit labem*, &c.

Post hæc varios Pœnitentiæ fructus percenset, quibus post Baptismum ad expiationem criminum pervenitur, seu diversos satisfactionis modos, quibus conversus ad Dominum peccator perfectam indulgentiam consequi potest. Qui unum ex his amplecti non potuerit, eum aliis crimina expiare posse Pinuphius Abbas docet; non tamen excludit, imò supponit Confessionem Sacramentalem, & Absolutionem Sacerdotis, sicut & contritionem atque conversionem ipsam. Certè nemo Catholicorum Doctorum de modis satisfactionis pro criminibus vitæ præteritæ ad peccatores conversos sermonem habens non eadem tradit documenta, quæ religiosissimus Abbas Pinuphius in illa Collatione: nec Romanæ tamen Communionis Theologum ita loquentem excludere necessitatem Confessionis Sacramentalis quis suspicabitur.

Frustra verò Dallæus objicit, Confessionem inter multiplices illas vias, diversosque modos, quibus ad expiationem criminum pervenitur, à Cassiano recenseri, adeoque sine ipsa remissionem peccatorum à Deo obtineri posse. Namque de Confessione apud Sacerdotes edenda, quæ Sacramenti Pœnitentiæ pars est, non loquitur, sed de Confessione quam jugi supplicatione apud Deum agimus, vel qua prioris vitæ crimina etiam hominibus revelamus extra Sacramentum, eorum publicatione, atque inde exortâ verecundiâ & exprobratione sacrificium humilitatis Deo offerentes, illique hoc modo satisfacientes. Hujusmodi Confessionem apud Monachos præsertim solemnem fuisse colligitur ex Cassiano Collatione 2. Hæc verò merè satisfactoria est, & Pœnitentiæ fructus, non pars essentialis: adeoque si quis ab ea præ verecundia retrahitur, aliam satisfactionis viam sequi potest, puta Confessionem quæ *jugi supplicatione Deo fit, dicendo*; Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper, Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: *Qui & absque illius verecundia publicatione curare, & sine improperio peccata donare consuevit*: vel alium satisfactionis modum amplecti potest ex his quæ recensita sunt. Confessionem itaque Sacramentalem non pulsat hic Cassiani locus, sicut nec ipsi planè gemina Sancti Eligii Noviomensis Episcopi, & Theodulphi Aurelianensis testimonia, illius quidem ex Homilia, *De eo quod Christus lavit pedes Discipulorum*; istius verò in Capitulari, quod extat Tom. 2. Conciliorum Galliæ, capite 36.

Psal. 50.

Objicit 24. Dallæus Juliani Pomerii testimonium, libro 2. de Vita Contemplativa, cap. 7. ubi postquam de iis dixit, quorum crimina vel ex ipsorum Confessione, vel aliunde nobis innotuerint, hæc subjungit: *Porro illi quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint,*

Deum

Deum quem habent testem, ipsum habituri sunt & ultorem. Et quid eis prodest humanum vitare judicium, cùm si in malo suo permanserint, ituri sint in æternum Deo retribuente supplicium? Quod si ipsi judices fiant, & veluti suæ iniquitatis ultores hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutaverint æterna supplicia, & lachrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia. Ibi Pomerius ultionem Dei aliis occultorum criminum reis non denuntiat, nisi qui ea vel non confessi fuerint, vel non emendaverint. Si qui ergo ex iis peccata, tametsi minimè confessi, emendaverint, hujusmodi Pœnitentes divinæ ultionis metu liberat, adeoque peccatorum remissione donat. Quòd si ille sensisset nullum hujusmodi delictorum sine Confessione vocali cuiquam remitti; simpliciter dixisset istos, si ea confiteri noluerint, Deum ultorem habituros. Nunc cùm interjectâ copulâ disjunctivâ duo ista posuerit, *Si ea confiteri, aut emendare noluerint*, nemo non videt eum duas Pœnitentiæ & salutis vias istis proponere; quarum illa prior est, ut peccata Ministris confessi, eorum operâ remissionem & medicinam quærant; hæc posterior ut ipsi sibi propriæ mentis judicio, nullius alterius adhibita manu consulant, vitamque ac mores emendent. Quod & verba sequentia docent, in quibus nullam facit Sacerdotis aut cujusquam alterius mentionem; hoc unum ab istis requirit, *Ut ipsi sibi judices fiant, & veluti suæ iniquitatis ultores in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant.* Atqui neque sibi ipse judex est, qui apud Sacerdotis tribunal reus consistit, cujusque causa ab illius examine ac sententia omnis pendet, neque voluntaria pœna dicenda est, quam non propria voluntate sumptam, sed nobis alterius judicio constitutam necessariò subimus.

Respondeo, Copulam disjunctivam à Juliano Pomerio interjectam hoc in loco, *Si ea confiteri, aut emendare noluerint*, non probare quod Dallæus pretendit, absque Confessione peccatorum veniam obtineri, cùm eam peccator apud Sacerdotem edere potest: sed significare duntaxat Confessionis aut emendationis defectum divinam in peccatores ultionem provocare: quia non prodest sine morum emendatione Confessio: nec sincera est absque Confessione emendatio. Unde licèt utraque necessaria sit ad veniam promerendam, alterutrius tamen defectus & omissio satis est ad incurrendam damnationem. Enimverò quod in Scholis adeò frequenter decantatur, ubi de rebus moralibus quæstio est, *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*, hic locum habet. Unde sicut si quis dixerit Infideles, si Christum confiteri, vitæ præteritæ crimina ex Dei amore detestari, aut Baptismum suscipere noluerint, Deum habituros ultorem, & ituros in æternum supplicium, si in infidelitate permanserint; non significat Christi Confessionem, & præteritæ vitæ detestationem sine Baptismo, vel Baptismum sine vera conversione & Fide in Christum satis esse ad æternam salutem; sed id unum innuit, nec Fidem in Christum & conversionem, ad salutem perducere, si negligatur Baptismi susceptio; nec Baptismum hominem salvare, si desit ipsi fides in Christum veraque conversio: ita cùm ait Julianus Pomerius de iis quorum peccata humanam notitiam latent, *Si ea confiteri noluerint, Deum quem habent testem, ipsum habituri sunt & ultorem*, non innuit (quod somniat Dallæus) remissionem peccatorum sola emendatione, sine Confessione facta obtineri: quia nec vera emendatio est cùm peccator Sacramentum Pœnitentiæ, Confessionemque contemnit, vel negligit; sed ultionem Dei eos manere significat, qui vel confiteri peccata, vel ea emendare noluerint, quia vel neglecta Confessio, vel spreta emendatio ad damnationem sufficiunt.

Quòd porro sui judices fieri peccatores ipsos, & voluntariam pœnam in se exercere optat Julianus Pomerius, Confessionis Sacramentalis, & Sacerdotalis ministerii necessitatem non excludit: sed Ecclesiæ in externo foro judicium, quo publici peccatores ob crimina vel propria Confessione post scandalum, aut delationem publicata, vel aliorum testimoniis probata, publicæ Pœnitentiæ subjiciuntur: &, si pertinaces fuerint, excommunicantur. Hoc Ecclesiæ in externo foro judicium licèt vitent illi, *Quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata*, sui ipsi judices fieri debent quantùm ad inflictionem pœnarum, & executionem laborum, bonorúmque operum, quæ ipsis privatim exercenda Sacerdos, apud quem confessi sunt, imposuit; debent, inquam, sponte labores illos subire, pœnasque illas sibi infligere, ad quas subeundas Ecclesiæ censurâ cogi non possunt: Hic est Juliani Pomerii sensus, quem & antecedentia & sequentia demonstrant. Præmisserat initio capitis, *Ipsa peccata sic haberi occulta, vel aliena nobis, vel aliis nostra, ut plerumque & sanctus inter peccatores lateat, & famam sancti obtineat peccator. Innocentem, si se tueri non potest, suspicionem Judicis incautam condemnare; & reum calliditatem ingenii vivacis excusare. Veruntamen non divinum, sed humanum fallere ista judicium.* Tum de Confessione secreta criminum occultorum sic loquitur: *Cum verò nobis Fratres quilibet peccata sua, tanquam Medicis vulnera, quibus urgentur, aperiunt, operam dare debemus, ut quantocius ad sanitatem Deo Auctore perveniant, ne in pejus dissimulata curatione proficiant.* Ex quibus constat solennem fuisse tempore Juliani Pomerii, id est circa annum Christi 446. Sacramentalem Confessionem. Post hæc, de publicis criminibus, quæ ad externum Ecclesiæ forum deferuntur, hæc habet: *Ea autem crimina quorumlibet, si ipsis criminosis confiteri nolentibus undecumque claruerint, quæcunque non fuerint patientia leni medicamento sanata, velut igne quodam piæ increpationis urenda sunt & curanda. Quòd si nec sic quidem æquanimiter sustinentis, ac piè increpantis medela profecerit in eis, qui diu portati & salubriter objurgati corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abscindi: ne sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit: ita isti, qui emendari despiciunt, & in suo morbo persistunt, si moribus depravatis in Sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis inficiant.* Dicit subinde, eos quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab iis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri noluerint, aut emendare, Deum habituros ultorem. Quòd si ipsi pœnam severissimæ animadversionis sponte in se exerceant, ad quam externi fori Ecclesiastici censura & judicio subeundam cogi non possunt, quia eorum crimina sunt occulta, temporalibus pœnis æterna mutabunt supplicia.

Hunc eundem Juliani Pomerii sensum consequentia demonstrant; loquens enim continenter de iis, *Qui in aliquo gradu Ecclesiastico constituti aliquod occultè crimen admittunt, quod prodere metuunt ne sententiam justæ excommunicationis accipiant*, ait ipsos *dupliciter contra se iram divinam exaggerare: quòd & hominibus innocentiam fingant, & contempto Dei judicio abstinere se ab altari propter homines erubescunt. Quapropter*, inquit, *Deum sibi faciliùs placabunt illi, qui non humano convicti judicio*,

judicio, sed alteri crimen cognoscunt: qui aut propriis illud Confessionibus produnt, aut nescientibus aliis qualia occulti sunt, ipsi in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt; & ab Altari cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam tanquam plangunt, certi quod reconciliato sibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo, non solùm amissa recipiant, sed etiam Cives supernæ Civitatis effecti, ad gaudia sempiterna perveniunt. Vides nihil aliud prætendere Julianum Pomerium, cùm dicit eos qui sunt occultorum criminum rei, Judices sibi fieri debere, & severissimæ animadversionis pœnas in seipsos exercere, quàm ab externo Ecclesiæ foro immunes esse, ejusque sententia non posse vel ab Altarium ministerio removeri, si sint Clerici; vel à Communione, si Laïci, nec publicâ mulctari Pœnitentiâ: sed tamen ipsos aut propria Confessione detegere crimen suum debere Ecclesiæ Præpositis, ut præscriptam Canonibus Pœnitentiam suscipiant: aut Ecclesiæ prævenire judicium, & ab Altari, vel à Communione seipsos segregare, pœnasque severissimas sponte à se repetere, ut iram Dei placent, veniamque criminum promereantur. At illud peccatoris in seipsum judicium, non excludit judicium Sacerdotis in interno Pœnitentiæ foro, sive in Confessionis Sacramentalis tribunali pœnas illas indicentis Pœnitenti, quas subire debeat, eumque post satisfactionem, vel ante (si causa subsit legitima) absolventis.

---

§. XXXII.

Laurentius Novariensis Episcopus Dallæo non favet.

OBjicit xxv. Dallæus Laurentii Novariensis, qui anno sexti Sæculi septimo floruit, testimonium, Homilia I. *Ex illa, inquit, die, illaque hora qua egressus es de Lavacro, ipse tibi fons jugis & diuturna remissio. Non opus habes Doctore, non dexterâ Sacerdotis. Mox ut ascendisti de sacro Fonte, vestitus es veste alba, & unctus es unguento mystico; facta est super te invocatio, & venit super te trina virtus, quæ vas novum hac novâ perfudit doctrinâ. Exinde te ipsum statuit tibi judicem & arbitrum, deditque tibi notitiam, ut possis ex te discere bonum & malum, id est, inter meritum & peccatum. Et quia non poteras manens in membris corporisque compage, liber existere à peccato, immunisque esse a noxa, post baptisma remedium tuum in te ipso statuit, remissionem in arbitrio tuo posuit, ut non quæras Sacerdotem, cum necessitas flagitaverit: sed ipse jam ut si scitus perspicuusque magister, errorem tuum intra te emendes, & peccatum tuum pœnitudine abluas. Itaque desinat duritia, cesset desperatio, desinat ignavia, fons nunquam deficit, aqua intus est; ablutio in arbitrio est; sanctificatio in solertia est; remissio in rore est lachrymarum. Noli te solvere in segnitiam. Fons est in homine conservatus perpetua pœnitudo.* Tunc paucis interjectis: *Noli tu jam quærere neque Joannem, neque Jordanem: ipse tibi esto Baptista. Pollutus es post Lavacrum; vitiata sunt viscera tua, contaminata est anima? Tinge te aqua pœnitentiæ; ablue te abundantia lachrymarum; exuberet fons compunctionis in extis tuis, exundent aqua viva in fibris tuis. Puro te venienti Domino, & ipse te baptizabit in Spiritu sancto & igni, habens ventilabrum in manu sua, quod est inspectio, vel ponderatio pœnitudinis ac peccati. Ipse perpendit in te utrumque pondus; ipse perspicit in te molem & molem, unam pœnitentiæ, & unam pestilentiæ: & pœnitentiæ quidem fructus ac si triticum congerit in suum profectum, peccata verò tua quasi pestilentiæ paleas comburit igni inextinguibili. Hæc est privata remissio intimo corde provocata, & pœnitudine acquisita.*

Laurentius sacro Baptismo semel tinctis dexterâ Sacerdotis ampliùs opus esse negat. Quomodo, si nullum eorum delictorum, in quæ subinde incidunt, sine Sacerdotali dextera remitti potest? Tum sibi ipsi unumquemque Fidelem judicem & arbitrum à Christo constitutum ait; falsò & ineptè, si nemo Fidelium est cui necessarium ad salutem non sit Sacerdotis judicium. Noxarum verò post Baptismum remedium in nobis ipsis constitutum dicit, remissionemque in arbitrio nostro positam esse; ut non sit quærendus Sacerdos, si talis necessitas incident, sed ipsi jam errorem intra nos emendemus. Frustra omnia, si & remedium, & remissio, & emendatio in aliena manu sita sunt; sique Sacerdos necessariò ad ea impetranda adeundus est. Remissionem esse in rore lachrymarum nostrarum; non ergo in alterius cujusquam ore ac voce. Edicit nihil necesse esse vel Joannem, vel Jordanem quærere; id est, ut liquet, Pœnitentiæ Ministrum, vel instrumentum.

Respondeo, Hunc Authorem Dallæi causam non juvare. Cùm enim negat dextera Sacerdotis ampliùs opus esse Baptismo semel tinctis, nec esse quærendum Sacerdotem, si remissionis necessitas inciderit, id unum significat, opus non esse dextera Sacerdotis qui baptizet; cùm repeti non possit Baptismus; sed non negat quin sit opus dextera aut potius ore & voce Sacerdotis qui absolvat Pœnitentem peccata confessum. Non alium esse sensum Laurentii Novariensis hoc in loco evidentissimum erit, si laudata in objectione verba responsionem esse animadvertamus ad quæstionem paulò ante propositam à peccatore, hancque cum illa conferamus. Sic loquentem peccatorem paulò ante in eadem Homilia induxerat: *Quid facturus sum modò; quid super agendum est mihi, aut quid restat sperandum? Redemptus fui, & factus sum servus; Perdidi gratiam largitoris, amisi beneficium Redemptoris. Claro corpore egressus de Fonte, cœno me iterum immundo perfudi, limoque fœdavi. Purus de gratia Dei, factus sum de propria intemperantia perditus. Errore meus de filio famulum, de intimo inimicum, de hærede fecit externum; violavi symbolum meum, corrupi pactum in ipso vestibulo frontis inscriptum.... Quid nunc requiro, aut quid expendo adhuc? Ubi quæro Fontem, aut ubi invenio Baptisma? Nunquid est respectus ad aquam? Nunquid recipiet me adhuc unda, ut me reformet in utero aqua & pariat innocentem? Aut fortè quærere debeo adhuc dexteram Sacerdotis, quæ me mergat in Fontem; & inde iterum purificet?* Huic itaque interrogationi respondens Laurentius, ait; *Non opus habes Doctore, non dextera Sacerdotis*, quæ nimirum te rursus mergat in Fontem. Post Baptisma remedium tuum in te ipso statuit, remissionem in arbitrio posuit, ut non quæras Sacerdotem à quo rursus baptizeris. Non sic tamen unumquemque *sibi judicem & arbitrum Deus constituit* quantùm ad remissionem peccatorum mortalium quibus post Baptismum pollutus est, sed quantùm ad notitiam boni & mali: quia cùm doctrina Christiana sit imbutus, & divinæ legis mandata noverit, *Non opus habet doctrinâ*. Hunc sensum verba ipsa Laurentii Novariensis præ se ferunt. *Exinde*, inquit, *teipsum statuit tibi judicem & arbitrum; deditque tibi notitiam, ut possis ex te discere bonum & malum, id est, inter meritum & peccatum.* Remedium autem in nobis ipsis esse statuit, & remissionem in arbitrio nostro positam; quia post Baptisma Pœnitentiam amplecti possumus, & lachrymis nostris

atque laboribus, operibusque bonis peccata eluere, vel absque arbitrio Sacerdotis, & Confessione apud ipsum facta, si venialia sint: vel adjuncta Confessione & Absolutione Sacerdotis, si sint mortalia. Qua de Confessione & Absolutione Laurentius Novariensis non loquitur, quia suos Auditores adhortatur ad Pœnitentiam virtutem, non ad Pœnitentiam Sacramentum: quod Patribus in Homiliis solenne est, imo & hodiernis Romanæ Ecclesiæ Concinnatoribus; quos Confessionis negare necessitatem nemo ita insanus est qui asserat, quamvis in plurimis Concionibus suis Pœnitentiâ, lachrymis, bonis operibus ablui peccata demonstrent: & Scripturæ verbis Christianam plebem ad illa delictis suis adhibenda remedia invitent, nulla Confessionis, quam ex Ecclesiæ doctrina & usu supponunt, facta mentione. Solam itaque novi Baptismi necessitatem, & Sacerdotis baptizantis ministerium, non autem necessitatem Confessionis excludit Laurentius Novariensis, & Pœnitentiæ remedium Christianis post Baptismum lapsis præsto esse, quæ laboriosus Baptismus est, asserit, cujus tamen partes singulas ibi non explicat. Unde Christianum sic loquentem inducit: *A Patris delicto liber effectus, proprium commisi delictum, de publico ereptus laqueo privatum incurri. Non est jam fontis nec aquæ præsidium, quid faciam, aut unde piabor? Nunquid mereor iterum indulgentia tua imbre perfundi, generalique lavacri flumine dilui? Absit. Non ego jam aquæ munus repetam, quod ablui. Semel petam, quod semel concessum est. Ex mea me inopia redimo, ex meo me labore perfundo. Est in me exiguus quidam humor, qui non me more torrentis infundit; sed modico sudore irrorat. Laboris mei guttis ablui quæro; verborumque scintillis virus in me conceptum exuri desidero. Usquequaque lava me ab injustitia mea: non jam aquâ, sed opere lava me. non Baptismatis fonte, sed Pœnitentiæ rore.* Ideo ait idem Autor: *Noli tu jam quærere neque Joannem, neque Jordanem*, id est, Ministrum Baptismi, vel aquam. Quæ contra Ministrum Pœnitentiæ Sacerdotem perperam torquet Dallæus. Denique remedium nostrum in nobis ipsis constitutum dixisse videtur Laurentius Novariensis quoad remissionem venialium peccatorum, non quoad remissionem mortalium: adeoque venialia intra nos posse emendari absque Confessione Sacramentali & judicio Sacerdotali; non verò mortalia. *Et quia*, inquit, *non poterat manens in membris corporisque compage, liber existere à peccato, immunisque esse à noxa: post Baptisma remedium suum in teipso statuit, remissionem in arbitrio tuo posuit, ut non quæras Sacerdotem*, &c. Peccata à quibus immunes esse non possumus, quandiu manemus in membris corporisque compage, venialia sunt. Possumus enim à mortalibus esse liberi. Venialium itaque duntaxat remissionem in nobis positam ait Laurentius Novariensis, nec ad eam Sacerdotis ministerium desiderari.

---

§. XXXIII.

Venerabilis Bedæ testimonium Dallæo eripitur.

OBjicit 26. Dallæus duo Venerabilis Bedæ testimonia. Prius extat in Commentario in Jacobi Epistolam, in hæc Apostoli verba; *Confitemini alterutrum peccata vestra. IN HAC*, inquit, *sententia illa debet esse discretio, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque cre*damus *oratione salvari. Porro gravioris lepræ immunditiam juxta Legem Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter & quanto tempore jusserit, purificari curemus.*

Alter locus extat libro 5. in Lucam, c. 69. in hæc Domini ad Leprosos verba, *Ite & ostendite vos Sacerdoti. NULLUM*, inquit, *Dominus eorum, quibus hæc corporalia beneficia præstitit, invenitur misisse ad Sacerdotes, nisi Leprosos, quia videlicet Sacerdotium Judæorum figura erat Sacerdotii futuri regalis quod est in Ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad Corpus Christi summi & veri Principis Sacerdotum. Et quisquis hæretica pravitate, vel superstitione Gentili, vel Judaica perfidia, vel etiam schismate fraterno, quasi vario colore per Christi gratiam caruerit, necesse est ad Ecclesiam veniat, coloremque fidei verum, quem acceperit, ostendat. Cætera verò vitia, tanquam valetudines, & quasi membrorum atque sensuum, per semetipsum interius in conscientia & intellectu Dominus sanat & corrigit.* Quibus verbis Beda clarissimè constituit, non alios Fideles sacerdoti necessariò confiteri debere, quàm qui lepræ spiritualis immunditiâ laborant, hoc est (ut ipse in secundo loco interpretatur) vel hæretica pravitate, vel Judaïca perfidia, vel superstitione Gentili, vel etiam schismate fraterno; cætera vitia Sacerdotis Absolutione non egere, neque adeo vocali apud eum Confessione: sed & munus coæqualium, id est, fratrum quorumvis precibus expiari, & à Christo interiùs in conscientia & intellectu sanari & corrigi.

Respondeo, in primo Venerabilis Bedæ testimonio Confessionem disertè astrui, & nomine gravioris lepræ quæ Sacerdoti pandenda est, mortalia quælibet peccata intelligi. Gravioris enim lepræ immunditiam opponit quotidianis levibusque peccatis. At non hæretica tantùm pravitas, Judaïca perfidia, Gentilis superstitio, & schisma fraternum, quotidianis levibusque delictis opponuntur, sed gravia quælibet mortaliáque peccata: igitur omnia peccata mortalia gravioris lepræ nomine Beda intellexit, quæ Sacerdotibus pandenda est. Unde immediatè ante verba in objectione laudata ait: *Si ergo infirmi in peccatis sint, & hæc Presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare satagerint, dimittentur eis. Neque enim sine Confessione emendationis peccata queant dimitti.*

Secundo loco Venerabilis Beda non asserit, sola illa vitia, scilicet Hæreticam pravitatem, Judaïcam perfidiam, Gentilem superstitionem, & schisma fraternum, apud Sacerdotes esse confitenda, cætera verò absque Confessione & ministerio Sacerdotum expiari: sed solùm docet necesse esse ut qui triplicis illius infidelitatis aliquâ labe, vel schismatis fraterni fuerint infecti, ad Ecclesiam redeant, palamque ejuratis erroribus, & suscepto baptismate, vel schismate abdicato, Fidei & unitati Ecclesiæ adhærere se publica Fidei professione, & Sacramentorum Communione testentur. Cætera verò crimina Dominum per seipsum interiùs in conscientia & in intellectu sanare ait & corrigere: non quòd Pœnitentiæ Sacramento, Confessione, & Absolutione Sacerdotali non egeant, cujus necessitatem & usum vel solus Pœnitentialis illius liber satis ostendit: sed quòd solenni receptione in Ecclesiam non egeant, aut sacramento doctrinæ Fidei, qui cætera peccata admiserunt: quia sunt Ecclesiæ membra, licet mala valetudine laborantia. Hunc sensum ex verbis sequentibus Venerabilis Doctoris colligere licet. Notat enim Sanctum Paulum audita Domini voce ad Ananiam esse missum, *Ut illo sacerdotio quod in Ecclesia constitutum est, Sacramentum doctrinæ*

Fidei perciperet, & verus ejus approbaretur color. Non quia non potest per seipsum Dominus omnia facere: sed ut ipsa societas congregatorum Fidelium approbando in invicem atque communicando vera Fidei doctrinam, in omnibus quæ dicuntur verbis, vel signantur Sacramentis, tanquam unam speciem veri coloris obducat. Addit & exemplum Cornelii, cujus licèt preces auditæ essent, & eleemosynæ Deo acceptæ, *Propter doctrina tamen sacramentorumque unitatem ad Petrum jussus est mittere, tanquam illi & suis diceretur: Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Nam & cùm irent, mundati sunt. Jam enim ad eos venerat Petrus, sed tamen illi needum accepto Baptismatis Sacramento, needum spiritaliter ad Sacerdotes pervenerant.*

Respondeo secundò cum Goffrido Vindocinensi Abbate, locum Bedæ sic exponendum, ut quatuor illa ab eo commemorata crimina non soli Sacerdoti, sicut in cæteris agitur, sed universæ Ecclesiæ velit esse confitenda. Cætera verò vitia per semetipsum Dominum à Beda dici sanare, & corrigere, quia Sacramentali apud unum Sacerdotem Confessione sanantur. Ita quidem hunc Bedæ locum explicat laudatus Abbas libro 5. Epistola 16. ad Golielmum suum olim Magistrum data. *Credens*, inquit, *nisi fallor, proposuisti, quod solummodo quatuor peccata Confessione indigebant; cætera autem à Domino sine Confessione sanabantur. Quod te invenisse asseris in expositione Bedæ de Evangelio, ubi decem Leprosi sanati à Domino memorantur. Sed hoc ita intelligendum minimè censemus; & juxta Fidem Christianam sic intelligere nec possumus, nec debemus. Determinanda est enim ista sententia sapienter, ut intelligi possit utiliter, & fidei nostræ integritas conservetur. Illa utique quatuor peccata, videlicet error gentilis, schisma fraternum, hæretica pravitas, & Judaica perfidia, in quantum prævalent, universalis Ecclesiæ castitatem commaculant. Unde necesse est ut quicumque istis peccatis, vel uno ex ipsis polluuntur, non jam soli Sacerdoti, sicut in cæteris agitur, sed universæ Ecclesiæ confiteantur, & sic ad ejus unitatem redeant, cujus fidem antea impugnabant. Justum est enim ut qui alios diabolica præsumptione infidelitatem docent, eos etiam publica satisfactione in fide confirment. Et quibus ante fuerunt occasio & exemplum publicæ perditionis, forma & exemplum fiant publicæ reconciliationis. Cætera verò vitia, sicut dicis, per semetipsum Dominus sanat & corrigit. Licèt enim omnia quæcunque sanantur, Dominus sanet & corrigat, quædam tamen per semetipsum sanare atque corrigere perhibetur: ea videlicet quæ sibi privatâ in Confessione revelantur, ut sanentur. Sibi dico: quia illi, qui in ejus loco esse dinoscitur. Certum est, nihil hoc certius, omnia peccata vel crimina Confessione indigere & Pœnitentia. Et quamvis quædam ex ipsis per publicam Pœnitentiam puniri videantur; nulla tamen alia publica Confessione opus habent, nisi ea quæ communem Ecclesiæ fidem violare conantur.*

---

§. XXXIV.

Marcus Eremita non est Dallæo propitius.

OBjicit XXVII. Dallæus verba Marci Eremitæ, quem nono Sæculo vixisse putat; qui graviter ac sapienter quosdam è numero Fidelium reprehendit, qui omnia sua delicta, omnes etiam malas cogitationes Ministris Ecclesiæ nudare incipiebant. *Cum mens*, inquit, *per vitiorum abnegationem & renuntiationem spem unicè considerandam apprehenderit, tunc inimicus sub Confessionis prætextu ante impressa menti effingit, ut affectus gratiâ Dei oblivioni traditos iterum incensos exsuscitet, & hominem latenter injuriâ afficiat. Tunc enim si clarus, & affectibus inimicus existas, necessario obtenebraberis, detentus & confusus propter perpetrata vitia. Et si nebulosus adhuc, & voluptatum amans fueris, omnino adhuc ad occurrentes illas affectiones adhærescet, & iis cum affectu se implicabit & immorabitur, adeo ut hujusmodi recordatio, non Confessio, sed mentis anticipatio esse inveniatur. Itaque si velis Deo Confessionem offerre irreprehensibilem; ne speciatim errorum recorderis: nam valde inquinares animum: verum horum illecebras generosè perferto.* (Cap. 140. *De iis qui putant se ex operibus justificari*, Tom. 1. Bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ.)

Respondeo, Marcum Eremitam, quem ante nonum Sæculum floruisse certum est, cùm à Photio in Bibliotheca ejus Ascetica laudentur, non loqui de Confessione Sacramentali, sed de Confessione quotidiana, quæ Deo fit in examine conscientiæ. In illa pravas cogitationes vitæ præteritæ & eorum objecta in memoriam à piis revocanda non esse ait; quia diabolus tentationes plerumque suas sub specie pietatis immittens, obscœnarum cogitationum phantasmata proponit, in quibus diu moratur homo diabolicarum artium adhuc nescius, eam quidem ob causam, & eo animo ut eas coram Deo detestetur; sed Diabolus huic se immiscens examini, illis utitur ut vel pristinos affectus & cupiditates exsuscitet; vel animum in confusionem, tenebras, & perturbationem dejiciat, quibus à vitæ spiritalis exercitationibus avocetur: Sed non negat quin cogitationes malas in specie, sicut & cætera peccata confiteri peccator debeat Sacerdoti, ut illarum veniam ejus Absolutione consequatur. Certè quod Marcus Eremita docet inibi, nemo est eorum qui Asceticam Theologiam tradunt, & Vitæ Spiritalis regulas religiosis piisque hominibus explicant, qui pariter non doceat: postquam scilicet ad Deum conversi sunt, & Sacramentali Confessione post diligens & accuratum vitæ anteactæ examen factâ, sinceræque conjunctâ contritioni, ac pœnitentiæ operibus peccata sua, pravas cogitationes, & obscœna, si quæ post Baptismum admisere facinora, expiarunt; illa non esse ampliùs examine scrupuloso retractanda, aut in iis quavis de causa mentem defigendam, propter ea pericula quæ Marcus Ascetes innuit. Sanè Marcus Eremita lib. *De Baptismo* praxim confitendi occultiora peccata seu pravas cogitationes, suo tempore invaluisse nos docet. *Quid*, inquit, *delectabilis opinione quæ subjicit peccatum cogitationis à nobis extraneum esse, & facit nos gloriari, & quasi innocentes extolli potius, quàm præparet ad confitendum & lugere de malis consiliis?*

---

§. XXXV.

Postrema Dallæi tela franguntur, ejusque Objectionibus ex Petri Lombardi & Gratiani Auctoritate petitis respondetur.

OBjicit XXVIII. Dallæus multa inter hodiernam Confessionem, quam Innocentianam vocat, & eam quæ nono Sæculo invaluit, discrimina. Primò, quòd tunc plurimi Christianorum peccata sua Sacerdoti confiteri nollent, sed ad eorum remissionem suf-

cere existimarent Confessionem soli Deo factam, ut testantur Alcuinus Epistola 71. Haymo Halberstatensis in Evangelium Dominicæ 15. post Pentecosten, & Concilium Cabilonense II. Canone 33. *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent, quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam.* Neutram verò sententiam Concilium damnat: utramque recipit. Utriusque Confessionis fructum non mediocrem esse confirmat. Quin & inter eos ipsos qui Sacerdoti confitenda esse peccata percensebant, notant iidem Patres fuisse quosdam, qui non planè id facerent, id est, qui non omnia confiterentur. Tertiò illi de octo tantùm vitiorum capitibus interrogari confitentes volunt, scilicet *de superbia, gloria inani, invidia, ira, avaritia, tristitia, ventris ingluvie, atque luxuria*, ut constat ex illa Synodo Cabilonensi, ex Alcuino libro de Divinis Officiis, in Capite Jejunii, ex Ordine Romano, cap. de Confessione Pœnitentis, & ex Theodulpho Aurelianensi, in Capitulari, Cap. 4. Noni Sæculi Confessio maximè fiebat, ut Lapsi à Sacerdotibus discerent qua ratione instituenda esset pro singulis peccatis Pœnitentia ad veniam à Domino consequendam; non verò ut peccata remitterentur à Sacerdotibus. *Confessio quæ Deo fit*, inquit Synodus Cabilonensis, *purgat peccata; ea vero quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata.* Quo nihil magis alienum dici potuit à Romanæ Communionis Theologorum dogmate (inquit Dallæus) qui sola Confessione quæ fit Sacerdoti, peccata remitti purgarique volunt. Quintò in antiquis libris Pœnitentialibus, & veteribus Sacramentariis, non legimus Sacerdotem Pœnitentes à peccatis absolvisse, & observasse hæc verba, quæ hodie solennia sunt: *Absolvo te à peccatis tuis*: sed humili prece atque supplicatione veniam ipsis à Domino poscebat. Et ex sancti Thomæ Opusculo 22. apparet quemdam Doctorem hac de re cum eo contendisse, asserentem, *Formam Absolutionis deprecatoriam esse, & vix triginta annos esse, quod omnes hac sola formâ utebantur: Absolutionem & remissionem tribuat tibi Omnipotens Deus.* Sextò, Veteres illi noni Sæculi homines eam, quæ Deo soli fit, Confessionem peccatoribus sedulò ac necessariò commendabant. *Omni etenim die* (inquit Theodulphus, cap. 30.) *Deo in oratione nostra aut semel, aut bis, aut quanta amplius possumus, confiteri debemus peccata nostra, dicente Propheta, Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. Dixi, Confitebor adversùm me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Romanæ verò Scholæ hodierni Doctores hanc apud Deum solum Confessionem parvifaciunt, eamque nullius esse putant ad obtinendam remissionem efficaciæ.

Denique post nonum ad decimum tertium usque Sæculum, plures Catholici senserunt Confessionem soli Deo factam ad obtinendam remissionem peccatorum sufficere. Id constat ex Petro Lombardo Parisiensi Episcopo, qui Magister Sententiarum vulgò nuncupatur, libro 4. Distinct. 17. Is enim proposita hac Quæstione, utrum sufficiat *Peccata confiteri soli Deo, an oporteat confiteri Sacerdoti*: hæc statim subjicit: *Quibusdam visum est sufficere si soli Deo fiat Confessio, sine judicio Sacerdotali & Confessione Ecclesiæ.* Mox istorum fundamenta exponit; tum, *His* (inquit) *auctoritatibus innituntur, qui sufficere contendunt Deo confiteri peccata sine Sacerdote. Dicunt enim quòd si quis timens detegere culpam suam apud homines, ne inde opprobrio habeatur, vel alii suo exemplo ad peccandum accingantur, & ideo taceat homini, & revelat Deo, consequitur veniam.*

Idem constat ex Gratiano Distinctione 1. de Pœnitentia, ubi statim ita quærit: *Utrum sola cordis contritione, & secreta satisfactione absque oris Confessione, quisquam possit Deo satisfacere?* tum: *Sunt enim*, inquit, *qui dicunt, quemlibet criminis veniam, sine Confessione Ecclesiæ, & Sacerdotali judicio posse promereri.* Mox istorum sententiam plurimis Scripturæ, & veterum Patrum dictis in consequentibus confirmat. Sed & oppositæ opinionis quæ negat cuiquam remissionem sine vocali apud Sacerdotem Confessione contingere, firmamenta ex altera parte explicat, perductâque huc usque disputatione, ipse quidem nihil definit, sed rem totam lectoris arbitrio permittit. *Quibus*, inquit, *auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis & Confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus. Cui autem harum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur. Utraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros.* ... *Unde Theodorus Cantuariensis ait in Pœnitentiali suo: Quidam Deo solummodò confiteri debere peccata dicunt, ut Græci; quidam verò Sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota ferè sancta Ecclesia, quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam.*

Sed & post Innocentianam Decretalem, Joannes Semeca Gratiani Glossator Confessionis oralis necessitatem apertè rejecit. Et Michael quidam Bononiensis Generalis Carmelitarum, in Psalmum 29. scripsit, Confessionem ad obtinendam peccatorum remissionem non esse necessariam. Petrus etiam Oxomensis, Theologiæ in Salmanticensi Universitate Professor, libellum de Confessione edidit, in quo has Propositiones propugnabat: 1. *Peccata mortalia quantùm ad culpam & pœnam alterius sæculi, delentur per solam cordis contritionem, sine ordine ad claves.* 2. *Quòd Confessio de peccatis in specie fuerit ex aliquo statuto universalis Ecclesiæ, non de jure divino.* 3. *Quod pravæ cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentiâ delentur; sine ordine ad claves.*

Respondeo, Fuisse quidem è Catholicis nonnullos nono Sæculo & deinceps usque ad Concilium Lateranense sub Innocentio III. qui Confessionem Sacerdoti factam non esse ad obtinendam remissionem peccatorum necessariam senserint; non absque errore, quia veritas semper una est & immutabilis, cui nemo præscribere potest, non spatia temporum, non intervalla locorum, non privilegia personarum, sed absque hæresi: quia nondum in Plenario Concilio totius orbis hæc veritas eliquata fuerat; quemadmodum postea eliquata est in Conciliis Lateranensi IV. & Tridentino. Unde sicut sententia Millenariorum error semper fuit, non tamen hæretici habiti sunt, qui eam propugnarunt, nec ea nota priscis Patribus inuritur illius defensoribus, quia nondum ista quæstio Ecclesiæ judicio finita erat; & sententia de Baptismate Hæreticorum à viris sanctissimis & doctissimis absque hæresi propugnata est, antequam Plenario totius orbis Concilio veritas eliquaretur, & firmaretur: Ita quidam Theologi vel Canonistæ absque nota hæreseos asseruerunt Confessionem Sacramentalem necessariam non esse ad obtinendam peccatorum veniam, sed Confessionem soli Deo factam sufficere; quia nondum hæc controversia Ecclesiæ judicio dirempta erat. Illud tamen notandum est, quod quemadmodum fuere semper in Ecclesia Doctores qui damnarent Millenariorum opinionem, & sententiam de rebaptizandis hæreticis, iique numero plures: ita fuere semper qui necessitatem Confessionis Sacramentalis vindicarent iis ipsis temporibus quibus à nonnullis negabatur: eaque

fuit;

fuit semper Ecclesiæ sententia, quamvis nondum penitius explicata, & solenni oraculo declarata. Unde Synodus II. Cabilonensis ait, Confessionem quæ fit Deo & Sacerdoti in Ecclesiæ sanctæ usu esse. *Quod utrumque*, inquit, *non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam.*

Hinc Alcuinus Epistola 71. ad Gothos data, eorum errorem acerrimè reprehendit, qui peccata sua confiteri Sacerdotibus nolebant, & Confessionis necessitatem luculenter probat. *Dicitur vero*, inquit, *neminem ex Laicis suam velle Confessionem Sacerdotibus dare, quos à Deo Christo cum sanctis Apostolis ligandi solvendique potestatem accepisse credimus. Quid solvit Sacerdotalis potestas, si vincula non considerat ligati? Cessabunt opera Medici, si vulnera non ostendunt ægroti. Deo vis, ô homo, confiteri, quem velis nolens latere non poteris: Ecclesia Christi in qua peccasti, satisfacere negligis? Cur ipse Christus Leprosum quem mundavit, Sacerdotibus se jussit ostendere? Cur Lazarum quatriduanum resuscitatum alios solvere jussit? Cur interrogavit cæcos ad se clamantes quid voluissent? An ignorare cordis eorum voluntatem potuit, qui optatum lumen oculis eorum reddere valuit? Fortè si Deum latere, sicut hominem potuisses, nec Deo plus quàm homini confiteri voluisses. Superbiæ hoc genus esse videtur, Sacerdotem judicem despicere..... Erubescis homini in salutem tuam ostendere, quod non erubescis cum homine in perditionem tuam perpetrare? Ancillam tuam iniquitatis tuæ conscium vis habere: & Sacerdotem Christi reconciliationis tuæ non vis habere adjutorem? Per inimicum corruisti, & non vis per amicum resurgere? Multùm offendisti Dominum tuum, & alium non vis habere reconciliatorem nisi te ipsum? Confidis per orationes tuas salvari? Spernis Apostolicum Præceptum dicentis: Orate pro invicem ut salvemini. Et iterum: Si*

Jacobi 5.

quis peccator est, oret pro eo Sacerdos ut salvetur. Quid ad hæc dicitis, quæ in eadem Epistola leguntur: Confitemini alterutrum peccata vestra, ut deleantur delicta vestra? Quid est quod dixit, Alterutrum, nisi homo homini, reus judici, ægrotus medico? Ipsa quoque sapientia per Salomonem dixit: Qui abscondit scelera sua non dirigetur: id est, non dirigetur in viam salutis, qui peccata sua celare studet.

Proverb. 28. 13.

Et infrà: *Nonne in sacro Baptismate Sacerdotibus Christi nostræ fidei Confessionem, & abrenunciationem satanæ dare debemus: & sic Sacerdotali ministerio, divina operante gratia ab omnibus ablui peccatis? Cur etiam & in secundo Pœnitentiæ Baptismate, per Confessionem humilitatis nostræ, ab omnibus post primum Baptisma peractis, eadem divina miserante gratia, Sacerdotali similiter auxilio non debemus absolvi peccatis? Si peccata Sacerdotibus non sunt prodenda, quare in Sacramentario reconciliationis orationes scripta sunt? Quomodo Sacerdos reconciliat, quem peccare non novit? Si consiliis juxta Salomonem tractanda sunt bella: quali audacia, sine consilio Ecclesiasticorum Ducum pugnare nos adversus diabolum confidimus? Item eodem dicente, legimus: Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma est. Quem adjuvat Sacerdos Christi, dux exercitus Dei, & rector castrorum illius, si nullus ab eo suæ salutis auxilium quærere dignatur? Si nemo occulta diabolicæ fraudis vulnera illius medicinali dextera tractanda ostendit? Inaniter itaque posita sunt in Ecclesiis remedia, & Synodali Auctoritate literis mandata, contra omnia peccatorum nostrorum vulnera, quæ vel antiqui hostis versutiâ, vel negligentiâ mandatorum Dei, spiritaliter aut carnaliter nobis infliguntur, si non his qui in Ecclesia Christi statuti sunt ad sananda putrida scelerum nostrorum ulcera, revelantur?*

Proverb. 18. 19.

Et infrà: *Sed semel Sacerdoti in præsentia divinæ pietatis Confessio facienda sufficit. Semper autem Domino cum lachrymis & cordis contritione faciendam esse arbitramur.*

Denique ubi in tribus mortuis à Christo suscitatis tria peccantium genera dixit adumbrari, quæ divina gratia solet suscitare, subjungit: *In quaicumque harum trium mortium genere si quis jaceat, citius ad Confessionis probatissima medicamenta confugiat, salutifero Pœnitentiæ se abluat medicamine; ut non ad judicium damnationis, sed ad salutem sanctificationis, communicet Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi.*

Legenda est ejusdem Alcuini Epistola ad Pueros sancti Martini. *Datur nobis*, inquit, *à benignissimo Judice locus accusandi nosmetipsos in peccatis nostris coram Sacerdote Dei, ne iterum accuset nos in eis diabolus coram Judice Christo.... Sed dicis forsan: Me terret meorum magnitudo peccatorum: Quin immò tantò magis insistendum est tibi, ô peccator, in medicina Confessionis, ne pereas in putredine vulnerum, si Medico erubescis aperire multiplices ulcerum dolores.*

Haymo Halberstatensis Homilia in Dominicam 19. post Trinitatem, Confessionem Sæculo 9. in Ecclesia vigere, & à Christo institutam agnosci, disertè testatur. *Legimus*, inquit, *eodem die Resurrectionis dixisse Dominum Discipulis suis: Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. & ante Passionem dixit Petro: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, &c. Eamdem potestatem Dominus dedit Beato Petro & cæteris Apostolis, eamdem potestatem tribuit Episcopis & Presbyteris, qui officio Apostolorum funguntur, ut quoscumque viderint humiliter confiteri peccata sua & deflere, solvant eos à peccatis post Pœnitentiam peractam, & reconcilientur Altari. Illos autem quos viderint in peccatis permanere, dimittant eos ligatos, quia ligati sunt in conspectu Dei.*

Et Homilia in Dominicam 6. *Qui fratri suo irascitur, stet judicio unius Sacerdotis, eat ad Sacerdotem, & confiteatur ei iram quam habuit contra fratrem suum, & secundùm judicium illius agat Pœnitentiam, &c.*

Nono Sæculo quosdam extitisse qui peccatorum plenam & integram non ederent Confessionem, fateor: sed id emendatione indigere, & plenam esse debere peccatorum, sive quæ per corpus gesta sunt, sive in quibus cogitatione sola delinquitur, apud Sacerdotes Confessionem, Synodus Cabilonensis II. Canone 32. decernit.

Ut de octo tantùm vitiis interrogentur Pœnitentes à Sacerdotibus, nec Patres Cabilonenses præcipiunt, nec Autores laudati de his solùm edendam Confessionem asserunt: sed de his potissimùm instituendum esse confitentium examen, quia ex illis velut fontibus cætera peccata oriuntur.

Tam falsum porrò est, noni Sæculi Patres existimasse Confessionem Sacerdotibus non fieri ad remissionem peccatorum obtinendam, quàm falsum est nunc asserere Communionis Romanæ Theologos Confessione sola purgari peccata. Nam Concilium Cabilonense Canone 33. ait, *Plerumque Deum salutis autorem & largitorem hanc præbere sua potentiæ invisibili administratione*: cùm nempe contritione perfecta peccator ad ipsum convertitur: *Plerumque Medicorum operatione*, id est, ministerio & Absolutione Sacerdotum. Nec sola Confessione quæ fit Sacerdoti purgari peccata dicimus, ut nobis Dallæus affingit, sed quæ fit Deo & Sacerdoti vices ejus gerenti; & quæ veram contritionem adjunctam habet. Unde & in multis Ecclesiis Sacerdos non aliter quàm à peccatis contritis absolve-

bat, idque exprimebat in ipsa Absolutionis formi post Concilium Tridentinum, ut ex multis Ritualibus probat Joannes Launoius Theologus Parisiensis lib. de Mente Concilii Tridentini circa Contritionem & Attritionem cap. 5. & quamvis verba illa, *de quibus corde contritus es*, Theologi inutilia judicaverint, eaque Ecclesia non usurpaverit universa in forma Sacramentalis Absolutionis, neque ullus modò usurpet, Ecclesiæ tamen doctrina est, Confessione & Absolutione Sacerdotali peccata non purgari, nisi contritione saltem imperfecta, quæ voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, peccator sit affectus, & quæ vitæ veteris odium & vitæ novæ inchoationem includat. Hinc in Diplomatibus Indulgentiarum, non conceduntur gratiæ illæ nisi *verè Pœnitentibus & confessis*, seu, quod idem est, *contritis & confessis*.

Hinc sanctus Thomas in Supplemento Quæst. 10. Art. 5. asserit, *Confessionem operari præsupposita contritione, qua culpam delet.*

Porro quamvis hæc verba, *Absolvo te à peccatis tuis*, Veteres forsan non usurpaverint, adhibuerunt tamen æquivalentia, & verè à peccatis absolvebant peccatores pœnitentes & confessos. Deprecativa enimverò forma, quæ olim erat in Ecclesia solennis, æquivalebat indicativæ, & eamdem vim habebat atque efficaciam, eamdemque demonstrabat potestatem in Sacerdotibus dimittendi peccata, non primariam & supremam, sed ministerialem. Unde peccatores à Patribus dicuntur absolvi precibus Sacerdotum. Ita Sanctus Pacianus in Parænesi: *Qui Fratribus peccatum suum non tacet, Ecclesia lachrymis adjutus, Christi precibus absolvitur.* Sic S. Augustinus Homilia 49. c. 3. *Agite Pœnitentiam qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo dicat, occultè ago, apud Deum ago. Ergo sine causa dictum est, Quæ solveritis, &c.*

Deprecatoriæ formæ usum in Absolutione Sacramentali, olim in Ecclesia solemnem fuisse Viri Eruditi consent.

Et lib. 3. de Baptismo contra Donatistas, cap. 16. *Manus impositio non sicut Baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud nisi oratio super hominem?* Sic sanctus Leo Epistola 80. *Sufficit illa Confessio, quæ primùm Deo offertur, deinde Sacerdoti, qui pro delictis Pœnitentium precator accedit.*

Et Epistola 91. dicit Deum præsidia suæ bonitatis ordinasse, *Ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.*

Et infrà: *Multum utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione solvatur.* Sic lib. 5. Capitularium cap. 62. dicitur: *Non est mirandum si absolutio peccatorum per manus impositionem precibus fit Sacerdotum: cùm Dominus in veteri lege super caput hostiæ manum Sacerdotis præceperit imponi.* Sed & Sanctus Augustinus Sacerdotes dimittere peccata, sive potius Deum Sacerdotum ministerio asserit, quamvis non dicat, *Ego dimitto*. Legenda est ejus Homilia 23. cap. 8. *Judæi dixerunt*, inquit, *Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Audet sibi hoc homo usurpare, quid contra Hæreticus? Ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico. Respondeant illi, Non ego, sed Christus..... Spiritus dimittit, non vos. Spiritus autem Deus est. Deus ergo dimittit, non vos. Sed audi Spiritum, Quid estis vos? Nescitis quia Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Deus ergo habitat in Templo suo, hoc est, in sanctis suis Fidelibus. In Ecclesia sua per eos dimittit peccata, quia viva Templa sunt. Sed qui dimittit per hominem, potest dimittere præter hominem.* Igitur quamvis olim non usurparetur ea formula Absolutionis, *Absolvo te à peccatis tuis*, sed sola deprecationis forma, nihilominus Sacerdotes absolvebant à peccatis Fideles apud se confessos, & per eos Deus ipsis dimittebat peccata.

Præterea, Petrus Cantor Parisiensis, qui circa annum MCC. in Academia Parisiensi floruit, in Summa *de Sacramentis & Animæ Consiliis*, ea refert, quæ manifestissimè docent eo tempore nullum fuisse aut planè obscurum Absolutionis indicativæ usum, & tamen deprecativæ formulæ vim eamdem inesse agnoscit; eaque pariter absolvi peccatores pœnitentes & confessos. Scribit nempe in quibusdam Monasteriis licitum esse cuilibet Fratri audire Fratrum suorum Confessiones, & iis Pœnitentiam injungere, sed Abbati Absolutionem esse reservatam, cujus consuetudinis causâ hunc casum proponit: *Conversus quidam in extremis laborans nullo modo poterat induci ut confiteretur Abbati, adeo timebat eum. Confessus est autem Priori cum maxima contritione, ut videbatur, & petiit ab eo Absolutionem. Prior respondit ei quod non poterat eum absolvere, sed ex quo non volebat confiteri Abbati, vel absolvi ab eo, Deus absolveret eum. Ita dixit ei; occultè tamen ista omnia sunt facta. Mortuus est Conversus & sepultus in Cœmeterio, quia non fuit manifesta ejus inobedientia. Quæritur ergo utrum ex talibus verbis Prioris, quando dixit, Absolvat te Deus, fuit iste absolutus; quia si Abbas eum absolveret, non aliter diceret? Item, Possetne ex postfacto ratam habuisse illam Absolutionem?*

Idem colligitur ex Guillelmo Parisiensi Episcopo qui floruit ab anno MCCXVIII. ad annum MCCXLVIII. cap. 19. de Sacramento Pœnitentiæ ubi agit de certis causis ob quas licet Confessionem bipartiri. *Dubitandum nullatenus est*, inquit, *quia per utrumque Sacerdotem plenam gratiam sanctificationis & Absolutionis recipit, nisi per ipsum steterit: neque more forinsecorum judicum pronuntiat Confessor, Absolvimus te, non condemnamus; sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem & remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat.*

Idem colligitur ex Francisco Mayronis in 4. Sententiarum, Dist. 14. Q. 1. ubi scribit quosdam sua ætate in administrando Pœnitentiæ Sacramento hac usos formulâ: *Absolvat te Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus:* Idque factitatum in Provincia Provinciæ, sed improbatam fuisse illam formam: tum subjungit; *Sed tamen videretur quòd sicut Græci baptizant sub hac forma; Baptizetur servus Christi N. ita non esset inconveniens in Confessione taliter absolvere. Quia tamen Sacramentalia sunt stricti juris; ideo non debent immutari.*

Tertiò, Probabile maximè est, non aliam antiquitus Absolutionis formam in Ecclesia Occidentali solennem fuisse quàm deprecatoriam; & indicativam non multis ante Sanctum Thomam annis usurpari passim cœptam, quam Opusculo 20. propugnat. Quod multis probat vir doctissimus Joannes Morinus, nempe ex Ordine Romano, ex Sacramentario sancti Gregorii, ex Pœnitentiali Halitgarii Cameracensis Episcopi, ex Burchardi Wormatiensis libro 19. quem conscripsit ut loco Pœnitentialis esset Presbyteris ad audiendas Confessiones, ut testatur ipse initio libri: ex Pontificali Tolosano regnantibus in Gallia Ludovici Pii nepotibus scripto: ex antiquo Ordine Romano, eo qui editus est, antiquiori. Ex Pœnitentiali Echerti Cantuariensis Archiepiscopi: Ex Manuscripto Siculo: Ex antiquo Pontificali, quod in Ecclesiæ Bellovacensis Bibliotheca asservatur, & sub Roberto Rege exaratum est: Ex antiquo MS. Abbatiæ Sancti Remigii literis Longobardicis scripto: Ex aliis veteribus MSS. quæ in Bibliotheca Rotomagensis Ecclesiæ asservantur. Qui omnes libri nullam aliam formulam, quàm deprecativam exhibent. Et tamen

Confessionis

Confessionis usum, & absolvendi potestatem Sacerdotibus à Christo concessam supponunt ac testantur.

Denique Græci vix alia formâ hactenus usi sunt quàm deprecativâ. Antiquissimos eorum Rituales consule, meras Orationes in iis leges, Antiquum Euchologium Cryptæ Ferratæ, cujus scriptio annos excedit sexcentos: Euchologium quoque Barberinum isto multò antiquius; nihil prorsus hac in causa nobis tradunt, quod non sit deprecatorium: Græcos etiam recentiores deprecativâ tantùm absolvendi formulâ uti docet nos Clemens VIII. Pontifex Maximus in Instructione super Ritibus Græcorum, quam edidit anno MDLXXXV. *In casu necessitatis*, inquit, *Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma Absolutionis in Generali Concilio Florentino præscripta; & postea, si voluerint, dicant Orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi Absolutionis dicere tantum consueverunt.* Et nihilominus apud Græcos viget Confessio Sacramentalis, eorumque Sacerdotes confessos apud se Pœnitentes absolvunt à peccatis. Nullum itaque invexit discrimen Confessionis hodiernæ, quam Dallæus Innocentianam perperam vocat, ab ea quæ nono Sæculo & deinceps usque ad decimum-tertium erat in Ecclesia solemnis, varietas verborum quibus Absolutio data est, sive mutatio formulæ deprecatoriæ in indicativam, quæ Christi Sacramentum Pœnitentiæ instituentis cum verbis magis convenit, ut ostendit Sanctus Thomas Opusculo supra laudato. Unde & Sancta Synodus Tridentina Sessione 14. formam Pœnitentiæ in illis Ministri verbis, *Ego te absolvo*, positam esse docet. Quo tamen Decreto verba æquivalentia non excludit, *Absolvat te Deus*, vel alia hujusmodi: quamvis preces, quæ hodiernæ formulæ ex Ecclesiæ more adjunguntur, ad ipsius formæ essentiam non spectare asserat, neque ad Sacramenti administrationem esse necessarias.

Formam Indicativam S. Thomas vindicavit.

Forma Pœnitentiæ in illis Ministri verbis posita: Ego te absolvo.

Falsum etiam est quod Dallæus effutit, hodiernos Romanæ Scholæ Theologos nusquam Fideles adhortari ad Confessionem Deo faciendam, quam Veteres tantopere commendabant. Nam quotidianum examen conscientiæ ad quod Christianos quoslibet adhortamur, nonne Confessio est soli Deo facta? Nonne & ejusmodi Confessionem efficaciæ esse maximæ sentimus, cùm ad obtinendam venialium remissionem, cùm ad impetrandam veniam mortalium, si Contritionem perfectam cum proposito Confessionis apud Sacerdotem edendæ adjunctam habeat?

Petri Lombardi, & Gratiani temporibus, ut jam innui, Theologi quidam Confessionem Sacramentalem jure divino necessariam esse negabant, illorumque opinionem ferebat Ecclesia, sed non approbabat: imò cæteri Theologi, & quidem graviores & doctiores, illam sententiam impugnabant. Ipse Sententiarum Magister loco laudato propugnat, *Quòd non sufficit soli Deo confiteri, si tamen homini possis.* Et ubi multis id probavit, ita colligit: *Ex his, aliisque pluribus indubitanter ostenditur, oportere Deo primùm, & deinde Sacerdoti offerre Confessionem, nec aliter posse perveniri ad ingressum Paradisi, si adsit facultas.*

Catholica sententia de necessitate Confessionis Sacramentalis ad salutem, ab omnibus Scriptoribus Ecclesiasticis Gratiani ætate propugnata est.

Contrariæ tamen sententiæ notam hæreseos non inurit Sententiarum Magister, quia Ecclesiæ judicio nondum erat damnata. Unde Sanctus Thomas textum ipsius exponens, ait: *Quod ponitur hic pro opinione, hæresis est; non quòd explicitè sit contra aliquem articulum, vel præcedens, vel sequens ad ipsum: sed implicitè aliquid contrarium fidei continet, quia sequitur quod claves Ecclesiæ non sint necessariæ ad salutem: Et in talibus antequam determinetur per Ecclesiam quod ex iis sequatur aliquid contrarium Fidei, non judicatur hæresis esse. Et sic Magister & Gratianus hoc pro opinione ponunt, sed nunc post determinationem Ecclesiæ sub Innocentio III. factam, hæresis reputanda est.*

Cæterùm eodem sæculo quo vivere desiit Gratianus, Catholicam de necessitate Confessionis Sacramentalis doctrinam exposuerunt ac propugnarunt celeberrimi Ecclesiæ Scriptores. Sanctus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, qui anno M.C.IX. obiit annis XLII. ante Gratianum, Enarratione in cap. 17. S. Lucæ, exponens illa verba: *Dum irent, mundati sunt. QUIA ex quo tendentes ad Confessionem & Pœnitentiam tota deliberatione mentis peccata sua damnant & deserunt, liberantur ab iis in conspectu interni Inspectoris. Unde & per Prophetam Dominus testatur, quia Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua: perveniendum tamen est ad Sacerdotes, & ab eis quærenda solutio; ut qui jam coram Deo sunt mundi, Sacerdotum judicio etiam hominibus ostendantur mundi.* Et in Elucidario: *Sicut in Baptismo originalia, ita in Confessione remittuntur peccata actualia. Est enim judicium. Duo sunt judicia Dei. Unum hic per Confessionem, aliud in ultimo die per examinationem, in quo ipse Deus judex, diabolus accusator, homo reus. In isto verò Sacerdos Christi Vicarius judex, homo & accusator & reus, Pœnitentia est sententia.*

Ezech. 18.

Ivo Carnutensis Episcopus qui obiit anno 1115. annis XXXVI. ante Gratiani mortem, Sermone 13. in Capite Jejunii. *Effundite coram illo corda vestra, id est, omnem immunditiam cordis vestri per Confessionem evomite, ne tanquam fœtidum humorem continentia vasa, remoto operculo, fœtorem tantùm emittatis, & intus immunditiam retineatis. Non enim coram Deo cor suum effundit, qui aperit os suum in Confessione, & concupiscentiam malam non aufert à corde. Item cor suum coram Deo non effundit, qui culpam suam in Confessione defendit, qui se non humiliat cum Psalmista dicens: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Adversùm se quippe confitetur, qui seipsum accusat, & horret, vel fato, vel stellis, peccatum suum non imputat. Quæcumque à vobis vel occulta suggestione, vel aliena persuasione commissa sunt, si in Confessione aperiantur, ut etiam de corde pellantur, quia tali Confessione cuncta lavantur.*

Et Epistola 156. de sigillo Confessionis hæc habet: *Peccantem peccata sua secretò confitentem non debemus à nostra communione corporaliter separare, nec contactu cordis ejus pravitati communicare. Hoc tenore utramque sententiam servabimus, & illam qua præcipimur excommunicatis non communicare, & illam qua jubemur confitentium crimina non propalare.*

Goffridus Vindocinensis Abbas, qui anno circiter MC.XXX. obiit, annis XIX. ante Gratianum, Confessionis necessitatem velut Dogma Catholicum propugnavit contra Gulielmum suum quondam Præceptorem, Epistola 16. libri 5. cujus verba supra descripsimus.

Æqualis Goffrido Rupertus Tuitiensis Abbas libro 10. in Evangelium S. Joannis cap. 11. *Cavendum est*, inquit, *iis quorum hoc officium vel potestas est, ne hunc modum prætereant, id est, ne ligent nisi mortuum, neque solvant nisi voce Confessionis significante redivivum eumdem esse de sepulcro productum. Nam si pro arbitrio vel animo suo illum viventem ligent, hunc autem mortuum solvant, videlicet condemnantes justum, & justificantes impium, ipsi illâ, non suâ, sed Christi potestate se privant, & viventem quidem ligando sic mortificare nequeunt; mortuum autem solvendo, non solùm non vivificant;*

verùm

verùm etiam & fœtorem cunctorum naribus ingerunt. A

Et lib. 2. in Leviticum cap. 38. exponens ritum Sacrificii pacificorum, & quid mysticè significet pectusculum & armus dexter, quæ cedunt in primitias Sacerdotis: *Pectusculum*, inquit, *tenere, id est, malas cogitationes cordis sui advenientes per Confessionem revelare. Nam in pectore cor continetur, in corde cogitationes versantur. Cùmque ambo oblata Domino consecraveris, trades Sacerdoti. Prius enim oportet facta carnis atque intentiones cogitationis vocari intus ad judicium coram Domino, ut conscientia accuset, timor liget, ratio dijudicet, & cùm hoc responsum acceperit, cùm hoc propositum habuerit, quod de cætero emendare velit, tunc demum Confessionum paratum offeres Sacerdoti. Nam qui sic ad Confessionem accedit, ut peccata sua nondum relinquere velit, hic adipem hostiæ pacificorum, & pectusculum nondum Domino consecravit, & proinde frustra tradit Sacerdoti quicquid obtulerit. Nec enim Confessio, non sequente contritione & correctione salvare poterit, magisque dicenda est peccati professio, quàm Confessio. Primùm igitur hæc Domino consecrabit, deinde tradet Sacerdoti. Qui adolebit adipem super altare. Non*, inquit, *comedet adipem legitimus Sacerdos, sed adolebit super altare, id est, non decipiet confitentem, contentus commodo suo, quod solent pravi Medici facere, dum putridas carnes negligunt resecare: sed imprimet altius ferrum sententiæ, provocando ad gemitum, ad agendos fructus dignos pœnitentiæ. Nam hoc est quod sequitur: Armumque dextrum cedes in primitias Sacerdotis. In armo dextro recta & fortia opera intellige, quæ exigere debet Sacerdos à confitente.*

Hugo à Sancto Victore, qui anno MC.XL. obiit annis II. ante Gratianum, Eruditionis Theologicæ de Sacramentis Fidei libro 2. Parte 14. cap. 1. necessitatem Confessionis probat, eamque à Christo institutam asserit, quamvis Præceptum de Confessione disertè à Servatore non datum, sed ab Apostolis innuat. *Propter hoc*, inquit, *Deus factus est homo, ut in una eademque persona & suum genus homo inveniret cui fiducialiter infirmitatem suam revelaret, & supra hominem Deum credens, de accepta ab illo remissione peccatorum non diffideret. Deinde ut dispensationis gratia largius multiplicaretur, Deus homo homines qui puri homines erant participes fecit potestatis suæ: ut officium ejus implerent, Pœnitentium Confessionem suscipiendo; & potestatem ejus exercerent, Pœnitentibus & confitentibus peccata remittendo. Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum; Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, detenta erunt. Ergo Christus homo Discipulis suis vicem ejus agentibus in terra potestatem dedit confitentium peccata dimittendi. Sed dicis fortassis: Quare non similiter Christus Præceptum dedit hominibus peccata sua confitendi, sicut Discipulis potestatem dedit confitentium peccata dimittendi? Audi quare. Voluit Christus ut à teipso surgeret, ut non quasi extorta vel coacta videretur Confessio tua. Idcirco quod ad se pertinuit, officium suum Discipulis peragendum injunxit: ut Medicorum more ægros ad se venientes exciperent & sanarent. Medicis ergo dixit ut curarent, sed infirmis non dixit ut ad Medicos curandi venirent. Hoc quasi certum esse voluit, quòd ægri libenter salutem quærerent, & se curandos offerrent, si Medicos invenirent. Propterea solos Medicos admonuit. Infirmum enim ipse morbus suus sufficienter admonet, neque opus Præcepto habet, si dolet. Tamen ipsi Medici postea, quia negligentes in curatione sua ægrotos invenerunt, eos ad salutem suam quærendam & admonitione sua excitaverunt, &*

Joan. 20.

A *Præcepto attraxerunt. Confitemini*, inquit Apostolus Jacobus, *alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini. Quid est alterutrum? Alter alteri, homo homini. Non solum homo Deo, sicut verus ille Confessor ait*, Dixi, Confitebor, &c. *sed homini propter Deum. Plus enim facit qui servo humiliatur. Propterea*, Confitemini alterutrum peccata vestra. *Quid est*, Alterutrum? *Non tantùm unusquisque, unicuique, sed alterutrum, hoc est, inter vos homines hominibus, oves Pastoribus, subjecti Prælatis: ut qui peccata habent, iis qui peccata dimittere potestatem habent*. Confitemini ut salvemini. *Hoc est, non* B *salvamini, nisi confiteamini. Hoc fortassis tu audire noluisti, quia latebras quæris, & abscondis scelera tua ut non justificeris. Propterea fortassis conaris ad aliud dictum Apostoli intorquere, ut intelligatur confitentibus quidem promisisse salvationem: sed non non confitentibus non negasse justificationem. Audi ergo. Augustinus dicit: Non potest quis justificari a peccato, nisi confessus fuerit ante peccatum*, &c.

Sanctus Bernardus æqualis Gratiano, quique duobus post ipsum annis obiit, Sermone 111. de Sancto Andrea. *Cùm*, inquit, *de vitiorum abysso disponis emergere, ad illum præcipuè sit refugium* C. *tuum, cui tua anima commissa est, quem imposuit Deus super caput tuum. Nec te moveas si illiteratus sit, vel indiscretus, quia hoc ipsum signum humilitatis est, quæ generat Confessionem. Memento quia non est potestas nisi à Deo. Super cathedram*, inquit, *Moysi sedent Scribæ & Pharisæi. Et attende non sedentem, sed sedem; cathedram, non personam.* Matt. 23. *Quid si fortè vel licentia ejus ad alium transfugere permittatur? Tu tamen prius ei reveles cordis arcanum, quia non est plena salus, si ille fugitur aut contemnitur, cui adhærere & honorare debueras. Quid si minus sufficiens sibi videtur ejus instructio? Patet ad libertatem via, ut coram alio literato atque discreto* D *effundas cor tuum, reservato illi privilegio suo, cui tu animam tuam commendasti... A vestibulo igitur hujus sacratissimæ virtutis omnes illos excludimus, quos ad Confessionem vel timor cogit, quia extorta Confessio non est Confessio: vel aliorum accusatio trahit, quia non est Confessio, sed defensio; vel jactantia inanis rapit, quia non est Confessio, sed illusio. & si quæ aliæ sunt species, quæ obumbratorio velamine tanti Sacramenti simulent sanctitatem.*

Et infrà, Gradus omnes Confessionis sic exequitur: *Primus ejus gradus est cognitio peccati.* Et E post pauca: *Horum igitur omnium consideratione perterritus, transi ad pœnitentium ultricem vitiorum, altricem virtutum.... Sic ergo tibi cognitus & in te pœnitens transvola ad tertium gradum, dolorem cordis, & jam plantata eris justitiæ plantatione illa quam plantavit Pater tuus cælestis. Dole igitur quia Creatorem offendisti... Quartus itaque gradus est Confessio oris. Hæc purè facienda est, quia non est pars una peccatorum dicenda, & altera reticenda, neque levia confitenda, & gravia diffitenda: nec alter accusandus, & ipse excusandus, sed cum justo dicendum est: Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Psal. 140. *Confitendum* F *est & humiliter, ut idem sit in corde, quod sonabit in ore. Sunt enim nonnulli qui narrare in Confessionibus soleant quæ vel argute literatorie, & fortiter gladiatorio gessere conflictu, proh dolor, sub humilitatis pallio superbiam inducentes, & putantes se posse vitare oculos Judicis cunctu cernentis.... Dicendum est & fideliter, ut in fide Ecclesiæ credat sibi peccata dimitti*, &c. Tum dotes describit Sacerdotis qui Confessionibus audiendis præficitur; quem *Literatum* esse vult, *ut sciat quid injungat, cui parcat, quando parcere debeat, quam consolationem*

elenim proferat de Scripturis. Religiosum, ut puras manus levet ad Deum, & pro peccatoribus fiducialiter intercedat. Prudentem & secreti tenacem, ne de his quæ sub signaculo Confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti consentiat. Humanum & benignum, qui compatiatur Pœnitenti & aliquid severitati detrahere nitatur. Denique recenset impedimenta Confessionis, atque quatuor esse, Pudorem, timorem, spem, & desperationem. Nemo certè disertiùs & explicatiùs post Innocentii III. tempora de Confessione Sacramentali, deque ejus necessitate locutus est.

Æqualis quoque Gratiano Richardus à Sancto Victore in Tractatu de Potestate ligandi & solvendi, cap. 5. sic Pœnitentiam definit: *Vera Pœnitentia est abominatio peccati cum voto cavendi, confitendi, satisfaciendi. Quatuor namque ista debet habere Pœnitentia vera. Duo ex his nos docet conscientia propria, reliqua duo doctrina authentica... De remedio autem confitendi est illud beati Jacobi Apostoli: Confitemini*, inquit, *alterutrum peccata vestra... Prævaricator itaque & pœnitens debito confitendi & satisfaciendi tenetur, quandiu divinitus tempus & opportunitas ei in hoc ipsum conceditur. Eget ergo Sacerdotis absolutione, quandiu dari hoc posse. Solus namque ille sub hac conditione non tenetur, cui exequendi facultas divinitus denegatur.*

Et c. 7. *Rectè quidem dicitur quòd Dominus verè pœnitentem à vinculo damnationis absolvit: Rectè nihilominus quòd Sacerdos hoc facit. Et Dominus quidem ad Confessionem cordis, & Sacerdos ad Confessionem oris. Sola enim cordis confessio pœnitenti ad salutem animæ sufficit veraciter, cum articulus necessitatis oris Confessionem & Sacerdotis absolutionem excludit: unde rectè dicimus quòd tunc Dominus absolvit. Sed quoniam oris Confessio & Sacerdotis absolutio à verè pœnitente exigitur, quandiu divinitus ei in hoc ipsum facultas conceditur, rectè quidem debita damnationis absolutio etiam Sacerdoti adscribitur.*

Et cap. 8. *Vinculum damnationis Dominus solvit conditionaliter, Minister verò Domini simpliciter, & ut sic dicam, integraliter. Pœnitentem namque à debito damnationis Deus absolvit sub tali conditione, ut eum oporteat, prout potest, Sacerdotis absolutionem quærere, & ad ejus arbitrium debito more satisfacere. Nam si facere neglexerit, periculum æternum non evadit.*

Gratiano suppar Joannes Sarisberiensis, Carnotensis Episcopus, qui ad annum MCLX. floruit, libro 5. Polycratici cap. 5. *Nihilominus verum est, quia non extorquebis absolvi, quod Contritio cordis, Confessio oris, & Satisfactio operis veniam promerentur.*

Suppar quoque Petrus Blesensis, qui ab anno MCLX. ad annum MCC. floruit, libro de Confessione Sacramentali: *Locutus*, inquit, *Dominus ad Moysem dicens: Vir in cujus cute varius apparuerit color, veniet ad Sacerdotem, & se ostendet illi: Per quod intelligi datur; quòd peccati Confessio designati per lepram facienda est Sacerdoti. Verbum enim Augustini est: Nemo dicat sibi, Occultè confiteor, & ago pœnitentiam apud Deum. Si enim sufficiens est ista Confessio; ergo sine causa data sunt claves Petro; frustra etiam est: Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.*

Et infrà. *Quatuor solent Confessionis gratiam impedire, pudor, timor, spes, desperatio. Qui autem sub istis quatuor lapidibus jacet, quatriduanus est in sepulchro. Nam à mortuo, tanquam ab eo qui non est, perit Confessio. Veniat ergo Jesus misericors & clamet: Lazare, veni foras. Foras venit, qui*

Matth. 17. 26.
Joan. 11. 41.

per Confessionem interiora cordis aperit. Si verò pudor prohibeat confiteri, recolat quomodo libri conscientiarum aperientur coram omnibus in die Judicii, cum revelaverit Dominus abscondita tenebrarum.... Non ergo pudeat dicere, quod non puduit facere; sed utili erubescentia confundatur, ut in splendoribus Sanctorum de humilitate sua merito glorietur.

Et infrà: *Omnes autem circumstantias peccatorum, is qui confitetur, aperiat: causam, locum, tempus, modum, & quicquid mensuram reatus exaggerat.* Tum peccata etiam turpissima in Confessione aperienda asserit. *Turpe reputas*, inquit, *de tam turpi materia loqui: sed turpior est infernus. Si fœdus est sermo, fœdius est putrescere in peccato.* Quidquid etiam ad peccatum accedit, vel ad illud sequitur, atque gravitatem illius auget, in Confessione detegendum asserit, maximè si pravis exemplis aut consiliis alios ad peccatum trahamus. *Sic ergo Confessio fiat, ut etiam in sui accusationem peccati veniant, quæcumque videntur illius accessio vel sequela. Vix equidem invenitur peccatum, quod aliud annexum non habeat.... Vides, quod in homicidiis, perjuriis, proditionibus & detractionibus, comessationibus, ebrietatibus, in verbis turpibus, pravisque consiliis, & in cunctis ferè criminibus, nobiscum participio consensûs innocentiam alienam trahimus in reatum. Tuam igitur conscientiam solerti revolve scrutinio, explora omnes angulos ejus, nihilque in ea remaneat indiscussum..... Venialia non negligat; Qui enim minima contemnit, paulatim defluit, & ad majora prolabitur.*

Idem Tractatu de Pœnitentia, vel satisfactione à Sacerdote injungenda, Abbatem quemdam corripit, quòd supercilio, contemptu, vel nimia severitate satisfactionis apud se confessos Monachos infamaret. *Nimia*, inquit, *tui rigoris austeritas, quam exerces in tuorum Confessionibus Fratrum, enormium generat materiam scandalorum. Susceptus enim ad Pœnitentiale remedium post Confessionem publicè dehonestas. Nam, licèt infirmitates eorum non verbo publices, quadam tamen superciliosa & notabili despectione opinionem eorum apud alios sinistra suspicione contaminas. Novisti quàm gravi animadversione plectatur transgressio Sacerdotis peccata sibi confitentium revelantis. Nec multum interest utrum voce vel signo, vel quodam vultuoso contemptu, aut aliàs nimia severitate satisfactionis secreta conscientiæ aliena vulgentur. Tales equidem canonica censura deponit, ac depositos perpetuò & ignominiosæ peregrinationi addicit.*

Ex his omnibus compertum est, sententiam de necessitate Confessionis Sacramentalis ad salutem, ætate Gratiani propugnatam fuisse ab omnibus Scriptoribus Ecclesiasticis ut Dogma Catholicum: adeoque *sapientes* illos *& religiosos viros*, quos velut contrariæ sententiæ fautores Gratianus laudat, vel fictitios esse, vel obscuri admodum nominis, & numero paucissimos, ut Guillelmum illum Goffridi Vindocinensis quondam Magistrum, & nonnullos forsan ejus similes. Sed verisimilius est nullos fuisse, quia nullos laudat Gratianus. Patrum duntaxat profert testimonia, quæ ipsi videntur Confessionis Sacerdotibus faciendæ necessitatem pulsare, quia illorum sensum non est assecutus; & pios illos religiososque viros intelligit Ecclesiæ Patres, & Græcos etiam suæ ætatis, errore facti deceptus. Inde autem natus est hic error, quòd in Fragmentis quibusdam, seu Canonibus excerptis (ut falsò putavit) ex Pœnitentiali Theodori Cantuariensis, legisset: *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci: quidam verò*

Sacerdotibus esse confitenda percensent, ut tota ferè sancta Ecclesia. At in Pœnitentiali Theodori nihil hujusmodi occurrit, ut constat ex MSS. Codicibus Thuaneæ Bibliothecæ, ex quibus illud edidit Jacobus Parvus. Legitur quidem iste Canon in Concilio Cabilonensi II. in quo est XXXIII. & in Capitularibus adjectis in quibus est LVIII. sed utrobique legitur absque illis verbis, *Ut Græci*, itemque sine istis: *Ut tota ferè Sancta Ecclesia.*

Præterea, hæc verba in Theodori Pœnitentiale intrusa esse probant Capitula ejusdem Archiepiscopi ad finem Pœnitentialis edita, ex quibus perspectum est Confessionem Sacramentalem illius ætate solemnem fuisse ac usitatam. Sic enim habet Capitulum LX. *De Viris Ordinatis, quorum peccata occulta, nec manifestè ab aliquo argui possunt, si salubriter compuncti pro peccatis Confessionem Episcopo sive Presbytero occultè faciunt, bonum mihi videtur ut secundùm id quod decretum fuerit ab Episcopo vel Presbytero, Pœnitentiam agant, non tepide nec tarde, sed ferventer & sollicitè, ac sic veniam peccatorum à Domino percepturos, & Gradum se retenturos confidant.* Certè Græcam Ecclesiam semper in dogmate de necessitate Sacramentalis Confessionis cum Latina sensisse, contra quàm innuit interpolatum Theodori Cantuariensis fragmentum à *Dallæo* citatum, supra demonstravi; & ad cumulum confirmatur Joannis Antiocheni Patriarchæ testimonio, qui duodecimo Sæculo floruit, in Oratione qua probat, *Quòd qui Monasteria per dona sive Principum sive Imperatorum accipiunt, impiè agunt:* Quæ à V. C. Joanne Baptista Cotelerio Tomo 1. *Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* edita est. Ibi Leonis Isauri mentione facta, subdit: *Ab iis ipsis, quos persequebatur, Monachis per inexpugnabilem Christi vim eversus est, cum suis Iconomachicis Præstigiis, & cecidit ingenti casu. Igitur ab eo tempore ad hunc usque diem elapsis jam quadringentis annis, adeo à cunctis Fidelibus cultus honoratusque fuit Monachorum Ordo, ut Confessiones ac enunciationes peccatorum consequentesque censuræ & absolutiones ad Monachos translatæ sint; quemadmodum impræsentiarum quoque fieri videmus.* Prætermitto Zonaram, Balsamonem, Theophanem Cerameum, aliosque è Græcis Schismaticis, qui Sacramentalis Confessionis necessitati & usui pariter suffragantur. Unum addere juvabit pro hodierna Græcorum fide & ejus cum nostra consensione testimonium, petitum ex Synodo Bethleemitica anno MDCLXXVII. sub Dositheo Hierosolymorum Patriarcha celebrata, cap. 15. in quo hæc habentur: *Pœnitentiæ Sacramentum, in quo & secreta includitur Confessio, tunc tradidit* (Christus) *cùm dixit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.*

> Græca Ecclesia cum Latina consensisse in dogmate de necessitate Confessionis Sacramentalis confirmatur.

Et cap. 5. in Decreto Synodi Constantinopolitanæ contra Cyrilli Lucaris Capitula à Cyrillo Berrhoensi anno 1638. celebratæ, istud anathema legimus: *Anathema Cyrillo dogmatizanti & credenti non esse septem Ecclesiæ Sacramenta, videlicet Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, Ordinem, Extremam-Unctionem, Matrimonium, juxta Christi dispositionem, Apostolorumque Traditionem, nec non & Ecclesiæ consuetudinem; sed mentienti duo tantùm à Christo in Evangelio fuisse tradita, Baptismum scilicet & Eucharistiam.*

Item in Synodo apud Jasium celebrata contra ejusdem Cyrilli Capitula à Parthenio Constantinopolitano Patriarcha, anno 1642. ejusmodi Capitula *Calvinianam sapere Hæresim, & à Christiana Orientalium Professione longissimè discrepare*, decernuntur. De 15. Articulo sic censet Synodus: *In decimo-quinto respuit Ecclesia Sacramenta quinque, videlicet, Ordinem, Confirmationem, Extremam-Unctionem, junctam Pœnitentiæ Confessionem, & sanctum Matrimonium: quæ quidem omnia tanquam sacra, & divinam conferentia gratiam, antiqua Traditio nobis reliquit.*

Sed ut ad *Gratianum* redeam, à quo paululum divertit oratio, non est usquequaque certum quòd primæ Distinctio Tractatûs *De Pœnitentia*, ex qua videtur colligi ipsum sententiam de necessitate Confessionis Sacramentalis dubiam & ancipitem existimasse; non est (inquam) omnino certum hanc Distinctionem esse Gratiani, ut docet *Antonius Augustinus* lib. 1. *De Gratiani Emendatione*, Dialogo XVIII. in quo hæc habentur: *A. Sunt qui putent hos duos Tractatus non esse Gratiani.... B. Hæc verba in Scheda inveni: Tractatus hic de Pœnitentia non videtur esse Gratiani, sed alicujus paulò antiquioris, & totus huc videtur translatus, deestque in Exemplaribus antiquis.... A. Non esse antiquioris Gratiano apparet, quia multa ex Digestis affert, & ex aliis Libris Juris Civilis, quæ omnia sunt Gratiani tempora quasi postliminio restituta.* Ut ut se res habeat, Varii etiam Eruditi non desiunt, qui Gratianum rectum in sensum flectant, unam hanc ipsius mentem fuisse affirmantes, quòd sine Confessione re ipsa factâ, solâ Contritione, si quidem caritate perfecta sit, cum voto seu proposito Sacramentalis Confessionis, peccator justificetur. Quosdam scilicet opinatos fuisse aiunt, Neminem hominem sine Confessione Sacramentali actu edita peccatorum lethalium, quorum forte reus fuerit, veniam à Deo ac salutem æternam consequi posse, quantumvis contritus fuerit. Contraria tamen opinio frequentioribus Theologorum suffragiis recepta erat ac probata, plurimisque ac dilertis SS. Patrum testimoniis sustentata, quæ Gratianus profert. Sed Confessionem oris esse nihilominus necessariam, alia Patrum testimonia invictè probant, ut Gratianus agnoscit. Cardo namque controversiæ, quam inter sui temporis Theologos versari testatur, hic erat, *Utrum sola cordis contritione, & secreta satisfactione, absque oris Confessione quisque possit Deo satisfacere*, sive Deo reconciliari, & gratiam justificantem consequi, *sine Confessione facta Ecclesiæ, & Sacerdotali judicio*, externâque satisfactione? Affirmabant quidam, negabant alii. Sententiam utramque proponit Gratianus, & Patrum testimonia hinc inde proferri solita Distinctioni primæ *De Pœnitentia* inserit, illisque perpensis asserit, *Neminem sine Pœnitentia & Confessione propria vocis à peccato posse mundari. Unde*, inquit, *præmissa auctoritates, quibus videbatur probari sola contritione cordis veniam præstari, aliter interpretanda sunt quàm ab eis exponantur.* Et postquàm retulit S. Joannis Chrysostomi locum, dicentis; *Non tibi dico ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti*, Revela Domino viam tuam. *Ante Deum tua confitere peccata, ante verum judicem cum oratione delicta tua pronuntia, non linguâ, sed conscientiæ tuæ memoriâ, & tunc spera misericordiam te posse consequi, si habueris in mente peccata tua continuè*, &c. Ubi (inquam) hunc locum retulit Gratianus, statim subdit: *Non ita intelligendum est, ut sine Confessione oris peccata dicantur dimitti, sed sine publica satisfactione. Secreta namque peccata secretâ Confessione & occulta satisfactione purgantur: Nec est necesse ut quæ semel Sacerdoti confessi fuerimus, denuo confiteamur; sed linguâ cordis, non carnis,* apud

> Responsio altera ad objectionem Dallæi ex Gratiano petitam.

> Gratiani mens & sententia explicatur.

apud judicem verum ea confiteri debemus. Et ex illa sententia, quam S. Augustini nomine superiùs protulerat, *Magna pietas Dei, ut ad solam promissionem peccata dimiserit. Votum pro opere reputatur, cùm deest facultas operis*. Ex hac (inquam) sententia sic colligit: *Unde votum Confessionis reputatur pro opere vocis, cùm deest facultas Confessionis. Item illud*, In quacumque hora peccator conversus fuerit, *&c. converti dicitur, qui omnino vertitur. Omnino vertitur, cujus opus, vox & cogitatio ita mortificationi desudat peccati, sicut priùs servierat iniquitati. Ita intelligitur & illud*, Convertimini ad me in toto corde vestro, *&c. Item*, Scindite corda vestra, & non vestimenta, *eis dicitur, qui nulla interiori satisfactione præcedente, sed sola exteriori, se Deum posse placare confidunt. Item cuncta quæ de Leprosis mundatis, vel de Lazaro resuscitato inducuntur, ad contritionem cordis, non ad veniam remissionis referenda sunt. Obstinatio enim animi & Confessionis contemptus, quædam mors est impietatis, & lepra superbiæ, à qua quisque reviviscit, dum sibi per gratiam dolor delicti & votum Confessionis inspiratur. Ad hunc etiam articulum pertinent ea quæ de viventibus, vel in luce ambulantibus, vel dilectionem Dei habentibus, vel de*
Joel. 2. *habitaculis Spiritus Sancti factis dicta sunt: ut hæc omnia quisque dicatur assecutus ex cordis contritione quam habet, non ex plenaria peccati remissione quam nondum invenit. Sicut enim in Baptismo remittitur peccatum, & tamen ejus pœna reservatur; sic per contritionem cordis quisque à Deo resuscitari dicitur, licèt adhuc peccati reatu teneatur. Non ergo præmissis auctoritatibus vel argumentis sine Confessione oris & satisfactione operis aliquis probatur à peccato mundari.*

Et infrà: *Sine contritione cordis nullum peccatum posse dimitti, occulta verò peccata secretâ satisfactione, publica quoque manifestâ pœnitentiâ expiari debere, firmissima constat ratione subnixum. Porro sine Confessione oris, si facultas confitendi non defuerit, aliquod grave delictum expiari, auctoritati penitus probatur adversum. Quomodo enim secundùm auctoritatem Leonis Papæ, sine supplicationibus Sacerdotum indulgentia nequit obtineri, si sine oris Confessione à peccato possamus emundari? Quis enim supplicabit pro peccato quod nescit? Item quomodo, secundùm Augustinum, frustrat claves Ecclesiæ, qui sine arbitrio Sacerdotis Pœnitentiam agit, si sine oris Confessione criminis indulgentiam impetrat? Item, quomodo, secundùm Ambrosium, jus ligandi & solvendi solis Sacerdotibus à Domino creditur esse permissum, si quisque suo arbitrio se ipsum peccando ligat, vel secretâ Pœnitentiâ, secundùm Prosperum, in se ipsum Sententiam profert Excommunicationis, atque post satisfactionem absque Sacerdotali judicio se ipsum Deo vel Altari ejus reconciliat?*

Et paulò post: *Taciturnitas peccati ex superbia nascitur cordis. Ideo enim peccatum suum quisque celare desiderat, ne iniquitas sua aliis manifesta fiat; ne talis apud homines reputetur foris, qualem se jamdudum exhibuit divino conspectui; quod ex superbia nasci, nulli dubium est. Species etenim superbiæ est velle videri justum, qui peccator est; atque hypocrita convincitur, qui ad imitationem primorum Parentum tergiversatione verborum peccata sua levigare contendit, vel sicut Cain peccatum suum reticere & penitus supprimere quærit. Ubi autem superbia regnat vel hypocrisis, humilitas locum habere non potest: sine humilitate verò alicui veniam sperare non licet. Nec ergo ubi est taciturnitas Confessionis, venia est speranda criminis.* Controversia ergo quam lectoris judicio permittit Gratianus, hæc erat, Utrum sola cordis contritione & interiori Pœnitentia seu satisfactione, cum proposito Confessionis Sacerdoti faciendæ, & satisfactionis, prout ab illo præscripta fuerit, exequendæ, peccatoris justificatio compleatur? An verò ita necessaria sit oris Confessio, & externa satisfactio, ad peccati remissionem & justificationis gratiam obtinendam, ut sine illa actu & re ipsa factâ nunquam remittatur peccatum, nec justificationis gratia conferatur? Utramque enim sententiam fautores habuisse *sapientes & religiosos viros* significat. Et in ea quidem opinione, quæ sine actuali Confessione numquam remitti peccata propugnabat, fuisse videtur Anonymus ille Scriptor Vitæ S. Filiberti Gemeticensis Abbatis, cujus testimonium superiùs descripsi §. xxvi.

Quod Semecam spectat Gratiani Glossatorem, ejus Glossa quoad hoc caput & alia nonnulla, ab Ecclesia improbata est, & in antecessum damnata erat à Concilio Lateranensi. Catholicus tamen semper habitus est Interpres ille Juris Canonici; quia ipse potius excidit ex imprudentia, vel ex imperitia in rebus Theologicis, quod scripsit, *Falsum esse adulto peccatum non dimitti sine oris Confessione*, quàm sit ab ipso pertinaciter propugnatum: & præterea Propositio ista necessitatem Confessionis in voto disertè non excludit.

Denique Petri Oxomensis Propositiones ab Alfonso Carillo Toletano Archiepiscopo, ex Theologorum etiam & Jurisperitorum doctissimorum Compluti congregatorum sententia, damnatæ sunt anno 1479. quod judicium à Sixto IV. Pontifice Maximo confirmatum est.

Hæc habui quæ de Sacramentali Confessione adversùs Dallæum Calvinistam dissererem. Ex quibus constat, eam inani prorsus & infelici conatu ab illo fuisse impugnatam. FAXIT Deus gratiæ suæ lumine ut Fratres nostri segreges, & in Calvini, Lutherique Sectis errantes, oculos aperiant veritati, & cùm hoc de Confessionis Sacramentalis ad salutem, iis qui post Baptismum in lethalia peccata lapsi sunt, necessitate, tum alia Catholicæ Fidei dogmata, quæ Catholica, Apostolica, & Romana Ecclesia, secundùm Scripturam sacram, & Apostolicas Traditiones profitetur, nobiscum in ejusdem veræ Ecclesiæ sinu profiteantur & ipsi ac propugnent: ut ex illis nobisque fiat unum ovile & unus Pastor.

SCHOLION I.

In hac Dissertatione pag. 5. Edit. Primæ, hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *In illis verbis*, Quæcumque ligaveritis, *nulla Confessionis mentio subest.*

R. Propositionem complexam Religiosi Censores mutilarunt, ac dissimularunt quod continenter subdo: *Quamvis (inquam) singularis quædam potestas remittendi peccata concessa Apostolis & eorum Successoribus à Christo colligatur; quo ex Potestate necessitatem Sacramentalis Confessionis intellexit semper Ecclesia.* Hinc S. Thomas in IV. *Sententiarum* Dist. XVII. Quæst. III. Art. I. Quæstiuncula IV ad secundum: *Quamvis*, inquit, *expressa ipsius institutio non ea legatur.* His positis, Conclusionem statim his verbis conceptam: *Ex Christi verbis rectè infertur Sacramentalis Confessionis necessitas: Proindeque Tridentinum Concilium Lutheranos & Calvinistas, divino jure necessariam illis, qui post Baptismum in mortalia peccata lapsi sunt, negantes, Anathemate meritò confixit.* Catholici dogmatis probationes instruxi ex Christi verbis *Matthæi XVIII.* & *Joannis XX.* eaque loca à *Dallæi* Calviniani Ministri objectionibus & strophis vindicavi. Æquum fuisset ut hæc omnia simul conferrent Religiosi Censores, attenderéntque ad Regulam quam *Philippus* Abbas Bonæ-spei tradit Epistola v. *Ad condemnandum quemvis librum, non est attendenda duarum vel unius scrupulositas dictionis, sed consideranda totius series lectionis.*

SCHOLION II.

Dissertationis ejusdem Pag. 53. Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Ad validitatem Sacramenti sufficit intentio externa Ministri.*

R. Non ita scripsi; sed descripto S. Thomæ loco subjunxi: *Quibus verbis innuit (ut opinor) S. Thomas, sufficere in Ministro ad conficiendum Sacramentum intentionem externam, id est, seriam externi Ritûs quo Sacramentum constat, exsecutionem; quod & Catharinus docuit, & typis mandavit Romæ, nondum absoluto Concilio Tridentino.* Quæstionem de Ministri intentione hîc non tracto, sed cuidam objectiunculæ Dallæi contra Confessionis Sacramentalis necessitatem ac divinam institutionem respondeo, quantùm erat opus. Meam, inquam, opinionem de Ministri intentione hîc non explico, sed mihi videri dico S. Thomam illi suffragari sententiæ, quam propugnavit Catharinus, quæ & Doctores plerosque Catholicos vindices habuit ante & post Catharinum, nec à Concilio Tridentino damnata est. At ab ea intentione externam dici objectivo ratione objecti, quia fertur dumtaxat in opus seu Ritum externum quo Sacramentum constat, materiæ scilicet ac formæ legitimæ debitam applicationem, quæ fit ab Ecclesia: quamvis interior intentio sit ratione principii, id est, verè & sincerè velit Minister Sacrum illum Ritum peragere; aliàs seria externi Ritus executio non esset. Impossibile est enim ut seriò facias, quod facere nolis. Omnis autem motus voluntatis est interior. Visa autem est Responsio illa ex opinione Catharini magis opportuna impræsentiarum ad objectionem Dallæi diluendam. Verùm porrò mihi vitio non debet, quòd in re de qua variæ sunt Catholicorum Theologorum opiniones, ex ea potiùs responderim, quæ tunc visa est S. Thomæ, & cavillationibus Hæreticorum minùs obnoxia, atque ad propugnandum facilior: siquidem Tridentina Synodus Lutheri dumtaxat errorem damnavit, asserentis intentionem Ministri adeo non esse necessariam ad conficiendum Sacramentum, ut ludicrè & joculariter illud administrans, verè nihilominus conficeret; non autem Catharini & aliorum quorumdam Theologorum Catholicorum Sententiam, teste P. *Sfortia Pallavicino* postea S. R. E. Cardinali in Historia Concilii Tridentini, Latinè reddita à P. *Joanne Baptista Giattino*, Societatis Jesu Sacerdote, libro IX. Cap. VI. *Equidem (inquit) existimo Catharini sententiam falsam esse, sed non ideo per Tridentinos Canones disertè damnatam. Quapropter fas illi fuit affirmare, eam Concilio non contradicere; quippe duos eximios Ordinis sui Scriptores sequebatur, Petrum Paludanum, qui propensum in illam opinionem animum præ se tulit, & Silvestrum Prieratem, cui pariter post Synodum Florentinam probata est, ubi in Armenorum documentis habetur de intentione Ministri id quod planè ab ista à Tridentina. Quin etiam sunt qui eamdem opinionem S. Thomæ duobus in locis adscribant: ac hisce postremis annis Marius Scribonius Doctor Gallicus in sua Panalethia plurimis argumentis eam tueri conatus est. Mihi sanè licet affirmare, cùm excitata fuisset nostro quâ contentio litteraria inter Catharinum & Sacri Palatii Magistrum, oppositi quo invicem Libelli largirentur, rogatum à Legatis Pontificem, Palatii sui Magistrum moneret, ut ab inferenda alteri molestia desisteret, affirmantibus vitam & doctrinam Catharini ab omnibus commendari. Unde conjicimus, opiniones à Catharino defensas, Patribus haud suspectas fuisse, nec illis fuisse in animo eas proscribere. Porrò si ratam haberent, numquam commisissent ut per communes acclamationes ad Episcopatum promoveretur; neque is, qui tunc Synodo Legatus præerat, postea Pontifex Maximus, nobiliori hominem tiarâ exornasset. Itaque censeo, sententiam Tridenti proscriptam, eamdem esse quam Leo X. per suam Constitutionem in Luthero damnavit; videlicet ita fuisse à Christo institutum Sacramentum, ut etiamsi Minister per manifestam illusionem ac ludibrium illud prorogat, efficiam consequatur: quæ institutio apertissimè liquet quantùm abhorreret ab Ecclesiæ dignitate, à sensu fidelium, & à conditione cæterarum actionum, quæ legitimè ab hominibus exercentur. At verò Catholici Doctores, quos enumeravimus, conveniunt in exigenda ad efficaciam Sacramenti voluntate non modò exequendi illam interiorem actionem physicè consideratam, quam præstat Ecclesia, quæ voluntas in homine pariter est ludicrè Sacramentum administrante; sed voluntatem ejus actionis exercendo per eam exteriorem ceremoniam hominis seriò agentis, quâ Ecclesia utitur, ac per speciem hominis eò illam dirigentis, quò Ecclesia dirigit. Hinc patet (inquit Palavicinus) nihil in Concilio decretum, quidnam illud sit, in quod hîc Ministri voluntas tendere debeat; sed solùm fuisse requisitam eam intentionem, per quam ille sit revera Sacramenti effector ac dispensator gratiæ quæ per illud impertitur. Hoc posito, volunt illi Doctores, dummodo Minister in animo certè eam exteriorem actionem eo modo ponere, quo eam poneret si intenderet Sacramenti effectum imprimere, atque ita re ipsa eam perficiat, interiorem*

A *voluntatem oppositam nihil efficere Sacramenti efficaciæ.* Hæc Pallavicinus.

Catharini sententiam publicè docuerunt doctissimi Sorbonæ Professores: sed & P. *Vincentius Contenson* pius & doctus Ordinis Dominicani Theologus, in *Theologia Mentis & Cordis* (quod Opus non solùm à Doctoribus sæcularibus, sed ab Ordine approbatum est, & Romæ non minus quam in Gallia cum laude exceptum) Tomo VII. Dissertatione II. §. II. assent & probat, *Ad valorem Sacramenti sufficere intentionem seriò peragendi externi Ritûs, qui Christianis religiosus est, eòque stante, nullâ Ministri internâ intentione vel perversitate Sacramentum irritari... Hæc sententia (inquit) non solùm tuta, & ab iterandorum Sacramentorum Characterem imprimentium periculo aliena, sed una vera, unica certa, salvo meliori judicio videtur.* Hanc non B solùm ante Concilii Tridentini tempora, sed hac etiam ætate, plures omni exceptione majores habere defensores probat, scilicet Magistrum Sententiarum, Petrum de Palude, Angelum de Clavasio, Silvestrum Prieratem, Ambrosium Catharinum, Alfonsum Salmeronem, Joannem Viguerium, Estium, Scribonium, Pasqualigum, Sanbovium. Hanc S. Augustini, Conciliorum, S. Thomæ testimoniis fulcit, multiplicisque rationum momento confirmat. In Reflexione denique Morali, *Quorumdam hâc in controversia Recentiorum Censuras sugillat, quibus tot auctoritatibus & rationum momentis munitam sententiam pollunt, quam ut erroneam vel certè ut temerariam, non satis sobriè, & vix flatum quæstionis pervadentes, tamen proscribunt.* Cùm hæc scripsit Contensonius, nondum prodierat Romæ Congre- C gationis S. Inquisitionis Decretum, quod sub Alexandri Octavi Pontificatu vulgatum est, quo hæc Propositio inter alias confixa jacet. *Valet Baptismus à Ministro qui omnem Ritum externum formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia.* Quæ tamen Propositio à Sacra Congregatione damnata, non eadem quoad sensum esse videtur cum Catharini, Contensonii, & tot aliorum primi Subsellii Catholicorum Theologorum opinione. Cæterùm Catharini & Contensonii opinionem hîc non assero vel propugno: & ne quis in verbis meis erretur, hanc de ista quæstione opinionem meam ac doctrinam esse declaro, quam expressi & probavi libro II. *Theologiæ Dogmaticæ & Moralis* Cap. VII. Articulo III. Propositione I. pag. 166. Edit. primæ: *Intentio interna & sincera faciendi quod facit Ecclesia, necessaria est in Ministris* D *Sacramentorum, ut valida sint & rata.*

SCHOLION III.

Ad ejusdem Dissertationis paginam 66. Religiosi Censores hanc notam apposuerunt: *Quid nomine Attritionis requisitæ ad Confessionem intelligatur?*

R. Quid hîc Religiosis Censoribus displiceat, non satis liquet. En verba mea: *Eam Attritionem requirunt universi Communiores nostri Theologi, quæ voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, quæ ipse veri nominis contritio, quamvis imperfecta, id est, quæ non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium contineat. Concilii Tridentini verba sunt. Imò Theologi doctissimi, nec pauci, Attritionem illam, etiam Sacramento* E *conjunctam, non sufficere ad expungenda peccata docent, nisi ex amore benevolentiæ erga Deum, saltem inchoato procedat. Unde Attritionem aliter intellectam, quatenus scilicet ex solo pœnarum inferni timore, omni gradu caritatis excluso, concepta est, sufficere cum Sacramento, certum & indubitatum non esse aiunt.* Displicet ne Religiosis Censoribus illa sententia, quamvis probabilior & tutior, quam Facultas Theologica Lovaniensis *Esse sanam, securam, veram, nullâ reprehensione abnoxiam, & meritò fidelibus esse prædicandam & inculcandam* declaravit Decreto suo edito die ultima Maii anni 1661. Quam Christianus Lupus, Franciscus Farvaques, Macarius Havermanus, Joannes Castoriensis Episcopus, doctissimè propugnaverunt: Quam ullius Theologicæ Censuræ alterutrive injuriæ aut contumeliæ F notâ taxari prohibuit Alexander VII. Decreto edito die 5. Maii 1667. quam ante & post Concilium Tridentinum Theologi omnium Ordinum doctissimi defenderunt? Illam quidem opinionem propugno; sed ibi tamen quæstionem istam non attingo, quæ in Scholis disceptatur: expono dumtaxat, primò quid Catholici omnes Theologi intelligant nomine Attritionis, quæ saltem in Pœnitentiæ Sacramento requiritur; quid deinde plerique Theologi Eruditi propugnent.

SCHOLION IV.

SCHOLION IV.

Dissertationis ejusdem pag. 151. hanc velut meam Propositionem notant Religiosi Censores: *Extrema Unctio olim non erat in usu apud plures.*

R. Hæc propositio non est mea. Verumtamen Extremam-Unctionem Sanctæ hominibus olim conferri non solitam, scripsi, idque probatum à Joanne Launoio lib. *De Unctione Extrema.* Id in exemplum attuli, non expendens an ea conveniens fuerit Disciplina vel consuetudo. Mera facti quæstio est, ex cujus veritate vel falsitate nullum fieri potest adversus Catholicum Dogma præjudicium.

SCHOLION V.

Dissertationis ejusdem pag. 155. Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Morientes inserviendo lue infectis Martyres dicuntur.*

R. Hæc Propositio non est mea, qui S. Dionysii Alexandrini sententiam hic tantùm refero his verbis: *Dionysius Alexandrinus plurimos ex fratribus & optimos quosque, quorum nonnulli Presbyteri erant ac Diaconi, mortem oppetiisse ait cùm ægrotos inviserent, & eis curationem in Christo adhiberent: quod genus mortis ob fidei pietatisque constantiam nequaquam Martyrio inferius censet.* Hæc tantùm ego nobilem, quæ ex ipsius S. Dionysii litteris ab Eusebio descriptis lib. VII. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XX. accepi, quarum hæc sunt verba: *Plurimi quidem ex fratribus nostris ob nimiam caritatem curam omnem propriæ salutis abjicientes, sibique mutuò adhærescentes, dum ægros semetipsos atque audacter invisunt eisque assiduè ministrant, & curationem adhibent in Christo, unà cum illis mortui sunt, aliorum ægritudine libentissimè se implentes ... Et hoc quidem pacto optimi quique ex fratribus nostris, quorum nonnulli Presbyteri erant ac Diaconi & ex populo laudatissimus quisque, mortem oppetierunt: adeo ut genus hoc mortis ob pietatem fideique constantiam nequaquam inferius Martyrio censeatur.* Hæc S. Dionysius Alexandrinus. Tanti Episcopi, tam eruditi, tam Sancti Martyris referendo sententiam, de meo nihil addendo, quid erravi? Me certè erroris hac in re magis arguere non possunt Religiosi Censores, quàm Romanum Martyrologium, in quo pridie Kalendas Martii hæc leguntur: *Alexandriæ, commemoratio Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cùm pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissimè mortem oppetiere, quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit.* Hæc Romanum Martyrologium. Me erroris magis arguere non possunt quàm *Baronium* Cardinalem Tom. II. Annalium, ad annum 263. ubi commemoratâ quæ tunc Alexandriæ sævit, peste, & horum Christianorum heroicæ caritatis pleno facinore, Num. 17. ita narrationem concludit: *Porrò adeo remansit illustris illorum memoria, qui fraternæ caritatis causâ mortem libentissimè oppetiere, ut eorum omnium anniversaria celebritate recolenda Tabulis Ecclesiasticis adscripta sit pridie Kalendas Martii.* Me potius erroris arguere non possunt, quàm Joannem Molanum Lovaniensem Theologum in Diario Medico-Ecclesiastico ad diem XXVIII. Februarii, ubi Sanctorum Martyrum Alexandrinorum Elogium in Romano Martyrologio celebratum ita ponderat: *Locus hic valde memorabilis est pro omnibus iis, qui tempore pestilentiæ ægrotanti bus vel spiritualiter aut corporaliter, officiorum & instinctu pietatis, assistunt.* Me potius erroris arguere non possunt quam Bollandum & Henschenium in Actis Sanctorum Mensis Februarii Tomo III. ad diem XXVIII. pag. 710 ubi hic legitur titulus: DE SANCTIS MARTYRIBUS ALEXANDRINIS, PRESBYTERIS, DIACONIS, LAICIS, QUI PESTE LABORANTIBUS MINISTRANTES EADEM ET IPSI EXTINCTI SUNT: *Commentarius Historicus.* Qui in Commentario hæc habent: *Conscripti sunt nuper varii à viris eruditis Commentarii, in quibus de hoc caritatis Martyrio disseritur; aliis asserentibus eos, qui ita infirmis ministrando pestem contraxerunt, mortemque oppetierunt, verè Martyres esse; aliis acerbè refragantibus. Fatentur illi tamen, donec Ecclesia de eorum morte causa modòque cognoverit, talemque sententiam, publico eos cultu prosequi non licere: æquum tamen esse ut cùm ad rationem disciplinæ Ecclesiasticæ inito examine de eorum orthodoxa fide, caritate in Deum, suscepti eas Ministerii causâ, mortemque in eo Christianè obitam constiterit, Martyres pronuntientur; quando major dilectio esse non possit, quàm ut animam quis pro amicis ponat. Enimvero si sentire de Deo in bonitate volumus, fateamur necesse est, absque infinita liberalitate alienum esse, ut illos pateretur ipsius causâ vitam perdere, occasionemque plura deinceps beneficia cumulandi, & non illustri aliquo præmio munerentur. An tamen ipso opere, ut dicitur, sive perpessi ne mortis, & non pro modo & intentione caritatis morientibus gratia gloriàque tribuatur, uti iis qui pro fide, justitia, castitate alteràve Christiana virtutis defensione, illatam ab hominibus mortem, mente cala* [illegible] *propositâ, exceperint, alii disputant. Non est nostri hic instituti aut otii prolixius id pervestigare.* Hæc religiosi & eruditi illi viri. Nec ego quæstionem illam attigi; solum factum eo loci retuli, & S. Dionysii Alexandrini sententiam. Nullum Martyrem coli posse censeo, nisi ab Ecclesia, sive à Romano Pontifice vindicatum, id est, in Sanctorum Martyrum album relatum. Quid ultra volunt Religiosi Censores?

SCHOLION VI.

Dissertationis ejusdem pag. 160. Religiosi Censores hanc Propositionem notant velut meam: *Primis sæculis nullus confitebatur qui sola venialia habebat.*

R. Non ita concepta est Propositio mea; sed his verbis: *Confessio venialium non erat in usu prioribus sæculis.* quod sic intelligi velim, ut non ita frequens fuerit venialium Confessio primis sæculis Ecclesiæ. Quod enim rarò fit, usitatum propriè non dicitur. Cæterùm mera hæc facti quæstio est, non dogmatis. Censeo enim, credo, & doceo cum Ecclesia, *Venialia rectè & utiliter, extraque omnem præsumptionem in Confessione dici, ut piorum hominum usus demonstrat. Taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari posse,* certum est. Sic inquam, prout credo, cum Sacra Synodo Tridentina Sessione XIV. cap. V. Usitatam passim fuisse venialium peccatorum Confessionem quatuor saltem primis nominis Christiani sæculis, nulla Sacræ Antiquitatis Monumenta probant. Fieri potuisse non nego. Legere poterant Religiosi Censores quæ de hoc argumento scripsit vir religiosus & eruditus Dom. *Joannes Mabillonius* in præfatione Sæculi III. Benedictini, quod est à Christo nato octavum, Observatione XXXII. Num. 90. & Observatione XXIV Num. 95. *Lege (inquit) Acta Sanctæ Segolenæ Abbatissæ, quæ omnia vitæ suæ errata, quantumvis levissima, Monacho Presbytero confessa est. Tametsi eo tempore, quo nec nimium venialium culparum frequens erat Confessio Sacramentalis, Sanctimoniales variis forsan Presbyteris quàm Abbatissis conscientias suas denudabant.* Et infra, observat Reginonem Prumiensem Abbatem libro II. Cap. V. referre inter ea de quibus Episcopus in Synodo interrogare debet, *Si aliquis ad Confessionem non veniat vel una vice in anno, id est, in Capite Quadragesimæ, & Pœnitentiam pro peccatis suis susceperit.* His, inquit, accedit Gillebertus Lunicensis Episcopus in Epistola quadam de Statu Ecclesiæ scribens, *Absolvit Præsul populum de venialibus in Capite jejunii, de criminalibus in Cœna Domini.* Quibus in locis tam apud Reginonem, quàm apud Gislebertum, Mabillonius observat *Venialium peccatorum nomine intelligenda esse leviora peccata mortalia, quæ publicæ Pœnitentiæ obnoxia non erant, tametsi innocentiam in Baptismo acceptam maculà suâ polluebant: Non verò peccata illa levissima quæ Recentiores appellant venialia. De his enim per ea tempora passim non fiebat Confessio Sacerdoti.* Et post multa Num. 95. *Legebat ejusmodi Sæculi quinti decimi mos ille revelandi aqualibus peccata venialia, ut constat ex Sermone quodam Radulfi Ardentis in Litania Majore. Tametsi jamdudum Sacramentalis Confessio venialium inducta erat, saltem apud Monachos. De hac Confessione interpretandi sunt Petrus Damianus, Petrus de Honestis, Guillelmus Abbas Monasterii S. Theoderici, uti & S. Bonaventura, quorum testimonia hoc loco expendenda ..... In Actis Sanctæ Segolenæ Abbatissæ hic editis extat longè vetustius exemplum Confessionis venialium errorum.* SEGOLENA quippe cuidam Monacho, qui & ipse Sacerdos erat, omnia parva minimâque peccata, sine quibus esse non præsumitur, cùm gravia deflens, lacrymans CONFESSA EST, *ut legitur in Cap. XXIII. Ex his patet, jam ante longa tempora homines pioris vitæ studiosos de venialibus fecisse Confessionem, uti & modò, maximè ad serenandam conscientiam in dubiis causis.* Hæc non diffiteor. Vixit S. Segolena octavo sæculo. Sed prioribus Sæculis nullum Monumentum Confessionis venialium adeo usitatæ ac frequentatæ fidem facit.

SCHOLION VII.

Dissertationis ejusdem pag. 199. Religiosi Censores hanc Propositionem notant. *Tempore S. Leonis, in Campania abrogata fuit consuetudo confitendi publicè singula peccata.*

R. Confessionem publicam peccatorum, cujus consuetudo in aliquo Campaniæ angulo invaluerat, S. Leonem Magnum prohibuisse scripsi. Id Religiosi Censores reprehensione dignum non existimassent, si attendissent ad S. Leonis Epistolam CXXXVI. aliàs LXXX. ad universos Episcopos per Campaniam, Samnium & Picenum constitutos, in qua Sanctus Pontifex id testatur. *Illam etiam contra Apostolicam*

SCHOLION II.

Dissertationis ejusdem Pag. 53. Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Ad validitatem Sacramenti sufficit intentio externa Ministri.*

R. Non ita scripsi; sed descripto S. Thomæ loco subjunxi: *Quibus verbis tenuit (ut opinor) S. Thomas, sufficere in Ministro ad conficiendum Sacramentum intentionem externam, id est, seriam externi Ritûs quo Sacramentum constat, executionem; quod & Catharinus docuit, & typis mandavit Romæ, nondum absoluto Concilio Tridentino.* Quæstionem de Ministri intentione hîc non tracto, sed cuidam objectiunculæ Dallæi contra Confessionis Sacramentalis necessitatem ac divinam institutionem respondeo, quantùm erat opus. Meam, inquam, opinionem de Ministri intentione hîc non explico, sed mihi videri dico S. Thomam illi suffragari sententiæ, quam propugnavit Catharinus, quæ & Doctores plerosque Catholicos vindices habuit ante & post Catharinum, nec à Concilio Tridentino damnata est: & ab ut intentionem externam dici objectivo ratione objecti, quia fertur dumtaxat in opus seu Ritum externum quo Sacramentum constat, materiæ scilicet ac formæ legitimæ debitam applicationem, quæ fit ab Ecclesia: quamvis interior intentio sit ratione principii, id est, verè & sincerè velit Minister Sacrum illum Ritum peragere; aliàs seria externi Ritus executio non esset. Impossibile est enim ut seriò faciat, quod facere non vult. Omnis autem motus voluntatis est interior. Visa autem est Responsio illa ex opinione Catharini magis opportuna impræsentiarum ad objectionem Dallæi diluendam. Verùm porrò mihi vitio non debet, quòd in re de qua variæ sunt Catholicorum Theologorum opiniones, ex ea potiùs responderim, quæ tunc visa est S. Thomæ, & cavillationibus Hæreticorum minùs obnoxia, atque ad propugnandum facilior: siquidem Tridentina Synodus Lutheri dumtaxat errorem damnavit, asserentis intentionem Ministri adeo non esse necessariam ad conficiendum Sacramentum, ut ludicrè & joculariter illud administrans, verè nihilominus conficeret; non autem Catharini & aliorum quorumdam Theologorum Catholicorum Sententiam, teste P. *Sfortia Pallavicino* postea S. R. E. Cardinali in Historia Concilii Tridentini, Latinè reddita à P. *Joanne Baptista Giattino*, Societatis Jesu Sacerdote, libro 12. Cap. 10. *Equidem (inquit) existimo Catharini sententiam falsam esse, sed non ideo per Tridentinos Canones disertè damnatam. Quapropter fas illi fuit affirmare, eam Concilio non contradicere; quippe duos eximios Ordinis sui Scriptores sequebatur, Petrum Paludanum, qui propensum in illam opinionem animum præ se tulit, & Silvestrum Prieratem, qui pariter post Synodum Florentinam probavit, ubi in Armenorum documento habetur de intentione Ministri id quod planè dicitur à Tridentina. Quin etiam sunt qui eamdem opinionem S. Thomæ duobus in locis adscribunt: ac hisce postremis annis Marcus Scribonius Doctor Gallicus in sua Panalethia plurimis argumentis asserere conatus est. Mihi sanè licet affirmare, cùm excitata fuisset nescio quæ contentio litteraria inter Catharinum & Sacri Palatii Magistrum, oppositi quæ invicem Libelli ligarentur, rogatum à Legatis Pontificum, Palatii sui Magistrum moneret, ut ab inferendis alteri molestiis desisteret, affirmantibus vitam & doctrinam Catharini ab omnibus commendari. Unde conficitur, opiniones à Catharino defensas, Patribus haud suspectas fuisse, nec illis fuisse in animo eas proscribere. Porro si rem ita haberent, numquam commisissent ut per communes acclamationes ad Episcopatum promoveretur; neque is, qui tunc Synodo Legatus præerat, postea Pontifex Maximus, nobiliori hominem tiarâ exornasset. Itaque censeo, sententiam Tridenti proscriptam, eamdem esse quam Leo X. per suam Constitutionem in Luthero damnavit; videlicet ita fuisse à Christo institutum Sacramentum, ut id ab ipso Minister per manifestam illusionem ac ludibrium illud peragat, efficiam consequatur: quæ institutio apertissimè liquet quantùm abhorreat ab Ecclesiæ dignitate, à sensu fidelium, & à conditione cæterarum actionum, quæ legitimè ab hominibus exercentur. At verò Catholici Doctores, quos enumeravimus, conveniunt in exigenda ad efficaciam Sacramenti voluntate non modò exequendæ illius exterioris actionis physicè consideratæ, quam præstat Ecclesia, quæ voluntas in homine pariter est ludicrè Sacramentum administrante; sed voluntatem ejus actionis exercendæ pro eam exteriorem cæremoniam hominis seriò agentis, quâ Ecclesia utitur, ac per speciem hominis ad illum dirigentis, quò Ecclesia dirigit. Hinc patet (inquit Palavicinus) nihil in Concilio decretum, quidnam illud sit, in quod hæc Ministri voluntas tendere debeat; sed solùm fuisse requisitam eam intentionem, per quam ille fit verum Sacramenti effector ac dispensator gratiæ quæ per illud impartitur. Hoc posito, volunt illi Doctores, dummodo Minister in animo gerat eam exteriorem actionem eo modo ponere, quo eam poneret si intenderet Sacramenti effectum imprimere, atque ita re ipsa eam perficiat, interiorem voluntatem oppositam nihil afficere Sacramenti efficaciæ.* Hæc Pallavicinus.

Catharini sententiam publicè docuerunt doctissimi Sorbonæ Professores: sed & P. *Vincentius Contenson* pius & doctus Ordinis Dominicani Theologus, in *Theologia Mentis & Cordis* (quod Opus non solùm à Doctoribus sæcularibus, sed ab Ordine approbatum est, & Romæ non minus quam in Gallia cum laude exceptum) Tomo VII. Dissertatione II. §. II. asserit & probat, *Ad valorem Sacramenti sufficere intentionem seriò peragendi externum Ritum, qui Christianis religiosus est, eâque stante, nullâ Ministri intentionis retentione vel perversitate Sacramentum irritari. Hæc sententia (inquit) non solùm tuta, & ab iterandorum Sacramentorum Characterem imprimentium periculo aliena, sed unica vera, unica certa, salvo meliori judicio videtur.* Hanc non solùm ante Concilii Tridentini tempora, sed hac etiam ætate, plures omni exceptione majores habere defensores probat, scilicet Magistrum Sententiarum, Petrum de Palude, Angelum de Clavasio, Silvestrum Prieratem, Ambrosium Catharinum, Alfonsum Salmeronem, Joannem Viguerium, Estium, Scribonium, Pasqualigum, Sanbovium. Hanc S. Augustini, Conciliorum, S. Thomæ testimoniis fulcit, multiplicisque rationum momento confirmat. In Reflexione denique Morali, *Quorumdam hâc in controversia Recentiorum Censuras sugillat, quibus tot authoritatibus & rationum momentis munitam sententiam plectunt, quam ut erroneam vel certè ut temerariam, non satis sobrii, & ultra statum quo, limites pervadentes, temerè proscribunt.* Cùm hæc scripsit Contensonius, nondum prodierat Romæ Congregationis S. Inquisitionis Decretum, quod sub Alexandri Octavi Pontificatu vulgatum est, quo hæc Propositio inter alias configitur XXVIII. *Valet Baptismus à Ministro qui omnem Ritum externum formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia.* Quæ tamen Propositio à Sacra Congregatione damnata, non eadem quoad sensum esse videtur cum Catharini, Contensonii, & tot aliorum primi Subsellii Catholicorum Theologorum opinione. Cæterum Catharini & Contensonii opinionem hîc non assero vel propugno: & ne quis in verbis meis errare, hanc de ista quæstione opinionem meam ac doctrinam esse declaro, quam expressi & probavi libro II. Theologiæ Dogmaticæ & Moralis Cap. III. Articulo III. Propositione I. pag. 166. Edit. primæ: *Intentio interior & sincera faciendi quod facit Ecclesia, necessaria est in Ministris Sacramentorum, ut valida sint & rata.*

SCHOLION III.

Ad ejusdem Dissertationis paginam 66. Religiosi Censores hanc notam apposuerunt: *Quid nomine Attritionis requisita ad Confessionem intelligatur?*

R. Quid hîc Religiosis Censoribus displiceat, non satis liquet. En verba mea: *Eam Attritionem requirunt universi Communiter nostræ Theologi, quæ voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, quæ sit veri nominis contritio, quamvis imperfecta; id est, quæ non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium contineat. Concilii Tridentini verba sunt. Imò Theologi doctissimi, nec pauci, Attritionem illam, etiam Sacramento adjunctam, non sufficere ad expungenda peccata docent, nisi ex amore benevolentiæ erga Deum, saltem inchoato procedat. Unde Attritionem aliter intellectam, quatenus scilicet ex solo pœnarum inferni timore, omni gradu caritatis exclusâ, concepta est, sufficere cum Sacramento, certum & indubitatum non esse aiunt.* Displicet ne Religiosis Censoribus illa sententia, quamvis probabilior & tutior, quam Facultas Theologica Lovaniensis *Esse sanam, securam, veram, ulli reprehensioni absonam, & meritò fidelibus esse prædicandam & inculcandam* declaravit Decreto suo edito die ultima Maii anni 1662. Quam Christianus Lupus, Franciscus Porvaques, Macarius Havermannus, Joannes Castoriensis Episcopus, doctissimè propugnarunt: Quam ullius Theologicæ Censuræ alteriusve injuriæ aut contumeliæ notâ taxari prohibuit Alexander VII. Decreto edito die 5. Maii 1667. quam ante & post Concilium Tridentinum Theologi omnium Ordinum doctissimi defenderunt? Illam quidem opinionem propugno; sed ibi tamen quæstionem istam non attingo, quæ in Scholis disceptatur: expono dumtaxat, primò quid Catholici omnes Theologi intelligant nomine Attritionis, quæ saltem in Pœnitentiæ Sacramento requiritur; quid deinde plerique Theologi Eruditi propugnent.

SCHOLION IV.

SCHOLION IV.

Dissertationis ejusdem pag. 151. hanc velut meam Propositionem notant Religiosi Censores: *Extremæ Unctio olim non erat in usu apud plures.*

R. Hæc propositio non est mea. Veruntamen Extremam-Unctionem Sanctis hominibus olim conferri non solitam, scripsi, idque probatum à Joanne Launoio lib. *De Unctione Extrema*. Id in exemplis narrabi, non expendens an ea convenientior fuerit Disciplina vel consuetudo. Meræ facti quæstio est, ex cujus veritate vel falsitate nullum fieri potest adversùs Catholicum Dogma præjudicium.

SCHOLION V.

Dissertationis ejusdem pag. 155. Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant. *Morientes inserviendo in infectis Martyres dicuntur.*

R. Hæc Propositio non est mea, qui S. Dionysii Alexandrini sententiam hîc tantùm refero his verbis: *Dionysius Alexandrinus plurimos ex fratribus & optimos quosque, quorum nonnulli Presbyteri erant ac Diaconi, mortem oppetiisse ait cùm ægrotos inviserent, & eis curationem in Christo adhiberent: quod genus mortis ob fidei pietatisque constantiam nequaquam Martyrio inferius censet.* Hæc tantùm ego tunc loci, quæ ex ipsius S. Dionysii literis ab Eusebio descriptis lib. vii. Historiæ Ecclesiasticæ cap. xx. excepi, quarum hæc sunt verba: *Plurimi quidem ex fratribus nostris ob nimiam caritatem suam omnem propriæ salutis abjicientes, sibique mutuò adhærescentes, dum ægros sedulò atque audacter inviserent, eisque assiduè ministrarent, & curationem adhiberent in Christo, unà cum illis mortui sunt, aliorum ægritudinè libentissimè se implentes . . . Et hoc quidem pacto optimi quique ex fratribus nostris, quorum nonnulli Presbyteri erant ac Diaconi, & ex populo laudatissimus quisque, mortem oppetierunt: adeo ut genus hoc mortis ob pietatem fideique constantiam nequaquam inferius Martyrio censeatur.* Hæc S. Dionysius Alexandrinus. Tanti Episcopi, tam eruditi, tam sancti Martyris referendo sententiam, de meo nihil addendo, quid erravi? Me certè erroris hac in re magis arguere non possunt Religiosi Censores, quàm Romanum Martyrologium, in quo pridie Kalendas Martii hæc leguntur: *Alexandriæ, commemoratio Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cùm pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissimè mortem oppetiere, quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit.* Hæc Romanum Martyrologium. Me erroris magis arguere non possunt quàm *Baronium* Cardinalem Tom. ii. Annalium, ad annum 263. ubi commemoratâ quæ tunc Alexandriæ sævit, peste, & horum Christianorum heroicæ caritatis plenâ facinore, Num. 17. ita narrationem concludit: *Porrò adeo remansit illustris illorum memoria, qui fraternæ caritatis causâ mortem libentissimè oppetiere, ut eorum omnium anniversaria celebritate recolenda Tabulis Ecclesiasticis adscripta sit pridie Kalendas Martii.* Me potiùs erroris arguere non possunt, quàm Joannem Molanum Lovaniensem Theologum in Diario Medico-Ecclesiastico ad diem xxviii. Februarii, ubi Sanctorum Martyrum Alexandrinorum Elogium in Romano Martyrologio exaratum ita ponderat: *Locus hic valde memorabilis est pro omnibus iis, qui tempore pestilentiæ ægrotantibus aut spiritualiter aut corporaliter, officiosè & summâ pietate, assistunt.* Me potius erroris arguere non possunt quàm Bollandum & Henschenium in Actis Sanctorum Mensis Februarii Tomo iii. ad diem xxviii. pag. 720 ubi hic legitur titulus: DE SANCTIS MARTYRIBUS ALEXANDRINIS, PRESBYTERIS, DIACONIS, LAICIS, QUI PESTE LABORANTIBUS MINISTRANTES EADEM ET IPSI EXTINCTI SUNT: *Commentarius Historicus.* Quo in Commentario hæc habent: *Conscripti sunt nuper varii à viris eruditis Commentarii, in quibus de hoc caritatis Martyrio disseritur; aliis asserentibus eos, qui in infirmis ministrando pestem contraxerint, mortemque oppetierint, verè Martyres esse; aliis acerbè refragantibus. Fatentur illi tamen, donec Ecclesia de eorum mortis causa modóque cognoverit, suleritque sententiam, publicè eos cultu prosequi non licere: æquum tamen esse ut cùm ad rationem disciplinæ Ecclesiasticæ tutò examine de eorum orthodoxa fide, caritate in Deum, suscepti eius Ministerii causâ, morteque in eo Christianè obita constiterit, Martyres pronuntientur: quando major dilectio esse non possit, quàm ut animam quis pro amicis ponat. Enimvero si sentire de Deo in bonitate volumus, fateamur necesse est, ab ejus infinita liberalitate alienum esse, ut illos patiatur ipsius causâ vitam perdere, occasionémque plura deinceps benefacta cumulandi, & non illustri eos præmio munerentur. An tamen ipso opere, ut dicitur, sive perpessione mortis, & non pro modo & intentione caritatis ita morientibus gratia gloriáque tribuatur; ut iis qui pro fide, justitia, castitate alteriusve Christianæ virtutis defensione, illatam ab hominibus mortem, mente eâle i afflatu præparata, exceperint; alii disputent. Non est nostri hic instituti aut otii prolixiùs id pertractare.* Hæc religiosi & eruditi illi viri. Nec ego quæstionem illam attigi; solum frctum eo loci retuli, & S. Dionysii Alexandrini sententiam. Nullum Martyrem coli posse censeo, nisi ab Ecclesia, sive à Romano Pontifice vindicatum, id est, in Sanctorum Martyrum album relatum. Quid altra volunt Religiosi Censores?

SCHOLION VI.

Dissertationis ejusdem pag. 160. Religiosi Censores hanc Propositionem notant velut meam: *Primis sæculis nullus confitebatur qui sola venialia habebat.*

R. Non ita concepta est Propositio mea; sed his verbis: *Confessio venialium non erat in usu prioribus sæculis*. quod sic intelligi velim, ut non ita frequens fuerit venialium Confessio primis sæculis Ecclesiæ. Quod enim rarò fit, usitatum propriè non dicitur. Cæterùm mera hæc facti quæstio est, non dogmatis. Censeo enim, credo, & doceo cum Ecclesia, *Venialia rectè & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dici, ut piorum hominum usus demonstrat. Taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari posse*, certum est. Sic loquor, prout credo, cum Sacra Synodo Tridentina Sessione xiv. cap. v. Usitatam passim fuisse venialium peccatorum Confessionem quatuor saltem primis nominis Christiani sæculis, nulla Sacræ Antiquitatis Monumenta probant. Fieri potuisse non nego. Legere poterant Religiosi Censores quæ de hoc argumento scripsit vir religiosus & eruditus Dom. *Joannes Mabillonius* in præfatione Sæculi iii. Benedictini, quod est à Christo nato octavum, Observatione xxiii. Num. 90. & Observatione xxiv Num. 92. *Lego (inquit) Acta Sanctæ Segolenæ Abbatissæ, quæ omnia vitæ suæ errata, quantumvis levissima, Monacho Presbytero confessa est. Tametsi eo tempore, quo nec dum venialium culparum frequens erat Confessio Sacramentalis, Sanctimoniales rariùs forsan Presbyteris quam Abbatissis conscientias suas denudabant.* Et infra, observat Reginonem Prumiensem Abbatem libri ii. Cap. v. referre inter ea de quibus Episcopus in Synodo interrogare debet, *Si aliquis ad Confessionem non veniat vel una vice in anno, id est, in Capite Quadragesimæ, & Pœnitentiam pro peccatis suis suscipiat.* His, inquit, accedit Gillebertus Lunicensis Episcopus in Epistola quadam de Statu Ecclesiæ scribens: *Absolvit Præsul populum de venialibus in Capite jejunii, de criminalibus in Cœna Domini.* Quibus in locis tam apud Reginonem, quàm apud Gillebertum, Mabillonius observat *Venialium peccatorum nomine intelligenda esse leviora peccata mortalia, quæ publicæ Pœnitentiæ obnoxia non erant, tametsi tunicam in Baptismo acceptam maculâ suâ polluebant: Non verò peccata illa levissima quæ Recentiores appellant venialia. De his enim per ea tempora passim non fiebat Confessio Sacerdoti.* Et post multa Num. 95. *Igitur ... sæculi quinti decimi mos illa revelandi atque ... peccata venialia, ut constat ex Sermone quodam Radulfi Ardentis in Litania Majore. Tametsi jamdudum Sacramentalis Confessio venialium inducta erat, saltem apud Monachos. De hac Confessione interpretandi sunt Petrus Damianus, Petrus de Honestis, Guillelmus Abbas Monasterii S. Theoderici, uti & S. Bonaventura, quorum testimonia hoc loco expendenda . . . . . In Actis Sanctæ Segolenæ Abbatissæ his ... extat longè vetustius exemplum Confessionis venialium erratorum:* SEGOLENA quippe cuidam Monacho, qui & ipse Sacerdos erat, omnia parva minimáque peccata, sine quibus esse non possumus, cùm gravia deessent, lacrymans CONFESSA EST, *ut legitur in Cap. xxvii. Ex his patet, jam ante longa tempora homines purioris vitæ studiosos de venialibus fecisse Confessionem, ubi & moda, maximè ad se erudiendam conscientiam in dubiis causis.* Hæc non diffiteor. Vixit S. Segolena octavo sæculo. Sed prioribus Sæculis nulla sunt Monumenta, quæ Confessionis venialium adeo usitatæ ac frequentatæ fidem faciant.

SCHOLION VII.

Dissertationis ejusdem pag. 199. Religiosi Censores hanc Propositionem notant. *Tempore S. Leonis, in Campania abrogata fuit consuetudo confitendi publicè singula peccata.*

R. Confessionem publicam peccatorum, cujus consuetudo in aliquo Campaniæ angulo invaluerat, S. Leonem Magnum prohibuisse scripsi. Id Religiosi Censores reprehensione dignum non existimassent, si attendissent ad S. Leonis Epistolam cxxxvi olim lxxx. ad universos Episcopos per Campaniam, Samnium & Picenum constitutos, in qua Sanctus Pontifex id testatur. *Illam etiam contra Apostolicam*

Regulam præsumptionem (inquit) *quam nuper agnovi à quibusdam illicita usurpatione commissi, modis omnibus constituo submoveri: Ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publicetur: cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari Confessione secretâ*, &c.

SCHOLION VIII.

Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant pag. 231. ejusdem Dissertationis usque ad pag. 242. *Novo Sæculo & duodecimo probabile erat Confessionem Sacramentalem non esse necessariam: quia id Ecclesia nondum expressè definierat.*

R. Id non scripsi, nec sensi; mihi affingitur. Fateor quidem fuisse nonnullos è Catholicis novo Sæculo & deinceps usque ad Concilium Lateranense sub Innocentio III. qui Confessionem Sacerdoti factam non esse ad obtinendam remissionem peccatorum necessariam senserint; *Non absque errore* (inquam) *quia veritas semper una est & immutabilis, cui nihil præscribere potest, non spatia temporum, non intervalla locorum, non Privilegia personarum; sed absque hæresi: Quia nondum in plenario totius orbis Concilio hæc veritas eliquata fuerat, quemadmodum postea eliquata est in Conciliis Lateranensi quarto & Tridentino.* Tantùm abest ut probabile unquam fuisse scripserim Confessionem Sacramentalem non fuisse necessariam, ut è contrario neminem id sensisse asseram ABSQUE ERRORE; sed tamen sententiam illam nondum fuisse notâ hæreseos inustam rectè observavi, quia Ecclesiæ judicio nondum erat damnata. Unde S. Thomas Textum Magistri Sententiarum exponens libro IV. Dist. XVII. IN TALIBUS, inquit, ANTEQUAM DETERMINETUR PER ECCLESIAM QUOD EX IIS SEQUATUR ALIQUID CONTRARIUM FIDEI, NON JUDICATUR HÆRESIS ESSE: *& sic Magister & Gratianus hoc pro opinione ponunt.* SED NUNC POST DETERMINATIONEM ECCLESIÆ SUB INNOCENTIO III. FACTAM, HÆRESIS REPUTANDA EST. Hæc S. Thomas. Addidi pag. 232. *Quemadmodum fuere in Ecclesia Doctores, qui damnarent Millenariorum opinionem, & sententiam de rebaptizandis Hæreticis, atque numero plures: ita fuere semper qui necessitatem Confessionis Sacramentalis vindicarent iis ipsis temporibus, quibus à nonnullis negabatur: EAQUE SEMPER FUIT ECCLESIÆ SENTENTIA, quamvis nondum explicata, & solemni Oraculo declarata.* Et pag. 253. *Ex his omnibus* (inquam) *compertum est, Sententiam de necessitate Confessionis Sacramentalis ad salutem, ætate Gratiani propugnatam fuisse ab omnibus Scriptoribus Ecclesiasticis* UT DOGMA CATHOLICUM. Ex his omnibus perspicuum est, me nec scripsisse, nec sentire quod mihi Censorius Indiculus affingit: *Novo Sæculo & duodecimo probabile erat Confessionem Sacramentalem non esse necessariam.* OPTIMUS LECTOR EST, QUI DICTORUM INTELLIGENTIAM EXSPECTET EX DICTIS POTIUS QUAM IMPONAT, ET RETULERIT MAGIS QUAM ATTULERIT: NEQUE COGAT ID VIDERI DICTIS CONTINERI, QUOD ANTE LECTIONEM PRÆSUMSERIT INTELLIGENDUM: (inquit S. Hilarius libro 1. *De Trinitate.*)

SCHOLION IX.

Dissertationis ejusdem pag. 237. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Absolutio Sacramentalis fuit olim modo deprecatorio.*

R. Mera facti quæstio est, cujus veritatem invictis argumentis probat *Joannes Morinus* vir doctissimus libro VIII. *De Administratione Sacramenti Pœnitentiæ*, Cap. VIII. scilicet *Antiquitus ordinariam & vulgatam Absolutionis formulam fuisse deprecatoriam; post centum supra mille annos aliquid indicativum formulæ deprecatoriæ addi cœptum; Tandem formulam indicativam in Occidente solam obtinuisse.* Cap. IX. idem demonstrat *Ex SS. Patribus, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, aliisque Doctoribus ad annos aliquot supra millesimum & ducentesimum.* Cap. X. probat *Antiquos Ritualium libros editos formulas omnes Absolutionis tam publicas quàm privatas, tam de sanis quàm de morientibus, nobis exhibere deprecatorias.* Cap. XI. *Idem facere Ritualium libros Manuscriptos, Sacramentaria & Pœnitentialia antiquissima & recentiora ad annum millesimum tercentesimum.* Hæc plurimorum virorum eruditorum sententia est. Facti veritatem supposui. Probabilis saltem opinio est, formulam Absolutionis olim fuisse deprecatoriam. Secundùm illam respondi. Objecerat Dallæus Calvinianus Minister, multa inter hodiernam Confessionem quam Innocentianam vocat, intercedere discrimina, quorum unum esse aiebat, quòd in antiquis Libris Pœnitentialibus & veteribus Sacramentariis non legimus Sacerdotem Pœnitentes à peccatis absolvisse, & observasse hæc verba, quæ hodie solemnia sunt, *Absolvo te à peccatis tuis*; sed humili prece atque deprecatione veniam ipsis à Domino poposcisse. Factum si negassem, amplam dedissem Hæreticis insultandi materiam, qui præclaris Antiquitatis Monumentis Responsionem meam improbabilem esse ostendissent; neque satis consuluisse Catholici Dogmatis defensioni viderer; & de via in diverticulum me abduxissent Adversarii, novam movendo controversiam, ad fidem licèt nihil attinentem (quod hæreticis solenne est) In principali ergo quæstione insistens, objectioni Dallæi respondi, quod ad Catholicæ veritatis susceptam à me defensionem satis esset: *Quamvis hæc verba*, Absolvo te à peccatis tuis, *Veteres forsan non usurpaverint, adhibuisse tamen æquivalentia, & verè à peccatis absolvisse peccatores Pœnitentes & Confessos*, &c. Veruntamen indicativa formula cum verbis Christi Pœnitentiæ Sacramentum instituentis magis convenit, ut ostendit S. Thomas Opusculo XXII. unde & sancta Synodus Tridentina Sessione XIV. formam Pœnitentiæ in illis Ministri verbis, *Ego te absolvo*, positam esse docet. Quo tamen Decreto verba æquivalentia excludere non videtur, *Absolvat te Deus*, vel similia, quamvis preces, quæ hodiernæ formulæ ex Ecclesiæ more adjunguntur, ad ipsius formæ essentiam non spectare asserat, neque ad Sacramenti administrationem esse necessarias. Certè nemo sine gravi peccato hanc formam, *Ego te absolvo*, prætermitteret, quamvis æquivalentia verba adhiberet. Amplector denique ac propugno Sacræ Synodi Tridentinæ declarationem, docentis: *Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis esse positam*, EGO TE ABSOLVO.

SCHOLION X.

Dissertationis ejusdem pag. 251. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Christus absolvit sub conditione quòd Pœnitens confiteatur Sacerdoti.*

R. Verbis meis ibi non loquor, sed verba tantùm refero Richardi à Sancto Victore in Tractatu *De Potestate ligandi & solvendi*, Cap. 8. *Deus* (inquit) *Pœnitentem absolvit sub tali conditione, ut eum oporteat, prout Sacerdoti Absolutionem quærere, & ad ejus arbitrium debito more satisfacere. Nam si facere neglexerit, periculum æternum non evadit.* Mirum est quòd Religiosi Censores hæc reprehendant, cum Sacra Synodus Tridentina Sessione 14. Cap. 4. declaret, *Contritionem motam ita demum præparare ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.*

DISSERTATIO XV.

ADVERSUS BEGUARDORUM Errores, in Quietistis Redivivos.

Cum Beguardorum errores non ita pridem à Michaele Molinoso Cæsaraugustanæ Diœcesis in Aragonia Presbytero, Quietistarum antesignano suscitati fuerint, ac propagati, & Innocentii Undecimi beatæ memoriæ Romani Pontificis Constitutione damnati, datâ Romæ die 20. Novembris anno millesimo sexcentesimo octogesimo septimo, operæ pretium duxi veterum illorum Hæreticorum damnatos Articulos totidem propositionibus refellere, ut præcipui & capitales Quietistarum errores eadem operâ maneant confutati.

PROPOSITIO I.

Homo in vita præsenti, secundùm legem communem, tantum ac talem perfectionis gradum consequi non potest, ut reddatur impeccabilis, & ampliùs proficere non valeat.

Catholica hæc Veritas probatur ex Scriptura Sacra

cta Psalmo 142. 2. ubi Propheta Deum orans ait: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Item ex Epistola 1. S. Joannis, Cap. 1. Vers. 8. *Si dixerimus*, inquit, *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Vers. 10. *Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.* Et Cap. 2. *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Non ait: Christus est propitiatio pro peccatis vestris, sed pro peccatis nostris; & non solùm pro Joannis aliorumque peccatis, sed etiam pro totius Mundi. In toto autem Mundo & Apostoli sunt, omnesque credentes, omnes justi, omnes perfecti, omnes. Sic disserit S. Hieronymus libro 2. adversùs Jovinianum. His addendum illud Apocalypsis 22. Vers. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc; & qui sanctus est, sanctificetur adhuc.*

Ex Oratione Dominica, & ex Apostolis S. Paulo & Jacobo confirmat eamdem Veritatem S. Augustinus, libro *De perfectione justitiæ hominis*, cap. 21. *Quisquis dicit, post acceptam remissionem peccatorum ita quemquam hominem justè vixisse in hac carne vel vivere, ut nullum habeat omnino peccatum, contradicit Apostolo Joanni, qui ait:* Si di» xerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos » seducimus, & veritas in nobis non est. *Non enim ait*, habuimus; *sed* habemus. *Quod si quisquam asserit de illo peccato esse dictum, quod habitat in carne mortali nostra secundùm vitium quod peccantis primi hominis voluntate contractum est, cujus peccati desideriis ne obediamus, Paulus Apostolus præcipit; non autem peccare qui eidem peccato quamvis in carne habitanti, ad nullum opus malum omnino consentit, vel facti, vel dicti, vel cogitati, quamvis ipsa concupiscentia moveatur, quæ alio modo peccati nomen accepit, quod ei consentire peccare sit, nobisque moveatur invitis: subtiliter quidem ista discernit, sed videat quid agatur de Dominica Oratione, ubi dicimus*, Dimitte nobis debita nostra: *quod, nisi fallor, non opus esset, dicere, si nunquam vel in lapsu linguæ, vel in oblectanda cogitatione, ejusdem peccati desideriis aliquantulum consentiremus; sed tantummodo dicendum esset:* Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. *Nec Jacobus Apostolus diceret:* In multis offendimus omnes. *Non enim offendit, nisi cui mala concupiscentia contra justitiæ rationem appetendo, seu vitando, faciendum vel dicendum vel cogitandum aliquid quod non debuit, sive fallens sive prævalens persuadet.*

Et Cap. ejusdem libri, ex oratione Dominica rursus idem Dogma Catholicum confirmat hunc in in modum: *In qua oratione, si contentiosi esse nolumus, satis nobis propositum speculum est, ubi inspiciatur vita justorum, qui ex fide vivunt & perfectè currunt, quamvis sine peccato non sint. Unde dicunt*, Dimitte nobis, *quia nondum quò curritur pervenerunt. Hinc dicit Apostolus:* Non » quòd jam acceperim, aut perfectus sim.... Fra» tres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum » autem quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea » verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad » destinatum persequor, ad bravium supernæ vo» cationis Dei in Christo Jesu. Quotquot ergo per» fecti sumus, hoc sentiamus: *Id est, quotquot perfectè currimus, hoc sapiamus quòd nondum perfecti sumus, ut illic perficiamur, quò perfectè adhuc currimus; ut cùm venerit quod perfectum est, quod ex parte est destruatur, id est, non jam ex parte sit, sed ex toto; quia fidei & spei jam res ipsa, non quæ credatur & speretur, sed quæ videatur, teneaturque, succedit. Caritas autem quæ in his tribus major est, non auferetur, sed augebitur & implebitur, contemplata quod credebat, & quod sperabat adepta. In qua plenitudine caritatis præceptum istud implebitur:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. *Nam cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ quod vel continendo frenetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus. Non enim caro sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit. Tunc erit justus sine ullo omnino peccato, quando nulla lex erit in membris ejus repugnans legi mentis ejus, sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deum, quod est primum summumque præceptum. Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quando autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Sic ergo curramus ut comprehendamus. Curramus credendo, sperando, desiderando, curramus corpus castigando, & eleemosinas in bonis dandis, malisque ignoscendis hilariter & ex corde faciendo, & currentium vires ut adjuventur orando; & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem caritatis.*

Philipp. 3. 12.

Habitualis puri & perfecti amoris in hac vita statuo, erroneum figmentum est, Scripturæ sacræ & Traditioni contrarium.

Non omni modo ex tota anima diligitur Deus, quamdiu aliquid manet concupiscentiæ superest.

Et libro *De Spiritu & Littera*, Cap 36. *Quis*, inquit, *existimare audeat, cùm ventum fuerit*, quod ait, Tunc cognoscam sicut & cognitus sum, *tantam Dei dilectionem fore contemplatoribus ejus quanta fidelibus nunc est: aut ullo modo hanc illi tanquam de proximo comparandam? Porrò si quanto major est notitia, tanto erit major dilectio: profectò nunc quantùm deest dilectioni, tantùm perficiendæ justitiæ deesse credendum est. Proinde hoc primum præceptum justitiæ, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & tota mente.... in illa vita implebimus, cùm videbimus facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, ut admoneremur quid fide exposcere, quò spem præmittere, & obliviscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc quantùm mihi videtur, in ea quæ perficienda est justitia multum in hac vita ille profecit, qui quàm longè sit à perfectione justitiæ proficiendo cognovit.*

1. Cor. 13. 12.

In quo posita sit vitæ christianæ in hac vita perfectio?

Et libro 4. Contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. X. *Illud jam tertium videamus, quod non minus in istis omne Christi membrum & totum ejus corpus exhorret, quia contendunt esse in hac vita vel fuisse justos nullum habentes omnino peccatum. Qua præsumptione apertissimè Orationi Dominicæ contradicunt, in qua omnia membra Christi*, Dimitte nobis debita nostra, *veraci corde & quotidianis vocibus clamant.*

Idem fidei dogma S. Augustinus ibidem confirmat egregiis S. Cypriani & S. Ambrosii testimoniis. S. Cyprianus Tractatu *De Opere & Eleemosinis* ita scribit: *Agnoscamus itaque, fratres dilectissimi, divinæ indulgentiæ salubre munus, & emundandis purgandisque peccatis nostris, qui sine aliquo conscientiæ vulnere esse non possumus, medelis spiritalibus vulnera nostra curemus. Nec quisquam sic sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, ut innocentiâ suâ fretus, medicinam non putet adhibendam esse vulneribus: cùm scriptum sit*, Quis gloriabitur castum se habere cor, aut » quis gloriabitur mundum se esse à peccato? *Et* » *iterum in Epistola sua Joannes ponat & dicat*, » Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos » ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. «

Proverb. 20. 9. 1. Joan. 1. 8.

Si

Si autem nemo esse sine peccato potest, & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus aut stultus est: quàm necessaria, quam benigna est divina clementia; qua cùm sciat non deesse sanatis quadam postmodum vulnera, dedit curandis denuo sanandisque vulneribus remedia salutaria? Et rursus: *Et quoniam quotidie*, inquit, *deesse non potest quod peccetur in conspectu Dei, sacrificia quotidiana non deerant, quibus possent peccata tergi.*

Et in Epistola seu Tractatu de Mortalitate: *Cum avaritia*, inquit, *nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua & molesta luctatio est: Obsessa mens hominis, & undique diaboli infestatione vallata, vix occurrit* B *singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit: cogerit maledicere, quod divina lex prohibet, compelleris jurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur, & delectat hic inter diaboli gladios diu stare; cùm* C *magis concupiscendum sit & optandum, ad Christum subveniente velociùs morte properare.* Hinc Apostolus Paulus ait: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* LUCRUM *maximum computans jam sæcularibus laqueis non teneri, jam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri.*

Philipp. 1.

Et lib. De Oratione Dominica; hanc primam petitionem exponens, *Sanctificetur nomen tuum*, ait: *Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus.*

Quintam verò petitionem, *Dimitte nobis debita* D *nostra*, exponens: *Quàm necessariè autem*, inquit, *quàm providenter & salubriter admonemur, quòd peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur; ut dum indulgentia de Deo petitur, conscientia sua animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur: & docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare.*

Sentit ergo S. Cyprianus, atque in divinarum Scripturarum veritate perspexit, etiam ipsorum Apostolorum quamvis bonam, sanctam, justam- E que vitam, nonnullos nexus sæcularium laqueorum fuisse perpessam, nonnullis peccatis & vitiis carnis obnoxiam; *& ideo eos mortem desiderasse ut his malis carerent, & ut ad illam, qua ista non paterentur, nec jam in mandato facienda, sed in præmio percipienda esset, perfectam justitiam pervenirent.* Ne- » que enim cùm venerit quod oramus dicentes, » *Adveniat regnum tuum*, non erit in illo Dei regno ulla justitia; cùm dicat Apostolus; *Non est enim regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Nempe ista » tria inter divina præcepta præcipiuntur. Hîc F » nobis præcipitur justitia, cùm dicitur, *Facite* » *justitiam.* Præcipitur pax, cùm dicitur, *Pacem ha-* » *bete inter vos.* Præcipitur gaudium cùm dicitur: *Gaudete in Domino semper.*

Rom. 14. 17.
Isaio 56. 1.
Marc. 9. 49.
Philipp. 4. 4.

Hæc ergo, scilicet justitia, pax, gaudium, in regno Dei ubi sine fine vivemus, futura sunt, sed non talia, qualia hîc in justis existunt. Quòd si & erunt, & non talia erunt: *Profectò eorum hic quòd in præcepto curanda est actio, illic in præmio speranda perfectio, ubi sæcularibus ullis laqueis non retenti, nullisque peccatis & vitiis carnis obnoxii* (Propter quod Apostolus mori lucrum sibi esse dicebat) *perfectè diligamus Deum, cujus erit facie ad faciem contemplatio; perfectè diligamus & proximum, cùm manifestatis cogitationibus cordis nulla ullum de ullo mali ullius possit sollicitare suspicio.* Ita disserit S. Augustinus loco supra laudato.

Profert egregia S. Ambrosii testimonia ad ejusdem Catholici Dogmatis confirmationem. Sic ille Commentario in Isaiam, qui excidit: *Videmus impossibile esse ut perfectè quis immaculatus esse possit in corpore constitutus; cum etiam Paulus imperfectum se dicat. Sic enim habet*, Non quòd » jam acceperim, aut perfectus sim. *Et tamen* » *post paululum ait*: Quicumque ergo perfecti su- » mus. *Nisi fortè quia est perfectio alia in hoc* » *mundo, alia post illud perfectum de quo dicit ad Corinthios*: Cùm venerit quod perfectum est. *Et alibi*: Donec occurramus omnes in unita- » tem fidei, & agnitionem Filii Dei, in virum » perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis » Christi. *Ut ergo perfectos secum multos ait Apos-* » *tolus in hoc mundo fuisse, qui, si ad perfectionem veram respicias, perfecti esse non poterant, quia ipse dixit*, Videmus nunc per speculum in » ænigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc » cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut » & cognitus sum. *Ita & immaculati sunt in hoc* » *mundo, & immaculati erunt in Regno Dei, cùm utique si minutiùs discutias, immaculatus esse nemo possit, quia nemo sine peccato.*

Cap. IX.
1. Cor. 13. 10.
Ephes. 4. 13.
1. Cor. 13. 12.

Ibidem: *Videmus quia dum in hac vivimus vita, nos mundare debemus, & quærere Deum, & incipere ab emundatione animæ nostræ, & quasi fundamenta constituere virtutis, ut perfectionem purgationis post hanc vitam mereamur adipisci.*

Ibidem: *Gravatus autem & ingemiscens quis non loquatur*, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Si omnis infelix qui se corporis implicatum molestiis recognoscit, utique omne corpus infelix: Neque enim felicem illum dixerim qui confusus quibusdam mentis suæ tenebris conditionem suam nescit ... Si enim homo qui se cognoscit, infelix est, infelices profectò omnes; quia unusquisque suam infirmitatem aut per sapientiam recognoscit, aut per insipientiam nescit.*

Rom. 7. 24.

Et libro *De bono Mortis*, Cap. 3. *Operetur igitur mors in nobis, ut operetur & vita, bona vita post mortem, hoc est, bona vita post victoriam, bona vita absoluto certamine: ut jam lex carnis legi mentis repugnare non noverit, ut jam nobis nulla sit cum corpore mortis contentio.*

Et Cap. 11. ejusdem libri: *Ergo quia justi hanc remunerationem habent ut videant faciem Dei, & lumen illud quod illuminat omnem hominem; ab hinc induamus hujusmodi studium, ut appropinquet anima nostra Deo, appropinquet oratio, adhæreat illi nostrum desiderium, non separemur ab eo. Et hic quidem positi, meditando, quærendo, legendo, copulemur Deo: cognoscamus eum ut possumus; quia hic imperfecta, illic perfecta omnia; hic parvuli, illic robusti. Videmus, inquit, nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Tunc revelata facie gloriam Domini speculari licebit, quam nunc anima corporis hujus concretis visceribus involuta, & quibusdam carnis hujus maculis & colluvionibus obumbrata, sincerè videre non possunt.*

Quis enim, inquit, videbit vultum meum, & vivet? Et rectè. Nam si Solis radios oculi nostri ferre non possunt, & si quis diutius è regione Solis intenderit, cæcari solere perhibetur; si creatura creaturam sine fraude atque offensione sui non potest intueri; quomodo potest sine periculo sui vibrantem cernere vultum Creatoris æterni, corporis hujus opertus exuviis? Quis enim justificatur in conspectu Dei; cùm unius quoque diei infans mundus à peccato esse non possit, & nemo possit de sui cordis integritate & castimonia gloriari?

Idem

Idem libro 3. *De Officiis Ministrorum*, Cap. 2. N. 11. *Ipsum Paulum*, inquit, *lego perfectum & non perfectum. Nam cùm dixisset*: Non quòd jam acceperim » aut perfectus sim: sequor autem si comprehendam, » *statim subjecit*: Quicumque ergo perfecti sumus. *Duplex enim forma perfectionis: alia media, alia plenos numeros habens: alia hic, alia ibi: alia secundùm hominis possibilitatem, alia secundum perfectionem futuri. Deus autem justus per omnia, sapiens super omnia, perfectus in omnibus.*

Addidemus præclaram S. Augustini sententiam libro *De Perfectione Justitiæ*, Cap. 3. *Tunc ergo erit plena justitia, quando plena sanitas: tunc plena sanitas, quando plena caritas; plenitudo enim legis caritas: tunc autem plena caritas, quando videbimus eum sicuti est. Neque enim erit quod addatur ad dilectionem, cùm fides pervenerit ad visionem.*

Confirmatur Dogma Catholicum ex Concilio Carthaginensi anno 418. cujus Canones Milevitano perperam sunt attributi, Canone 6. *Item » placuit, quod ait S. Joannes Apostolus*: Si dixe» rimus quia peccatum non habemus, nos ipsos » seducimus, & veritas in nobis non est: *quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia verè ita est, anathema sit. Loquitur enim Apostolus & adjungit*: Si autem confessi fuerimus pec» cata nostra, fidelis est & justus qui remittat » nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. *Ubi satis apparet, hoc non tantùm humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: Si dixerimus quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est: sed cùm ait: Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est, satis ostendit eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.*

Et Canone 7. *Item placuit, ut quicumque dixerit, in Oratione Dominica ideo dicere Sanctos*, » Dimitte nobis debita nostra, *ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores: & ideo non dicere unumquemque Sanctorum, Di» mitte mihi debita mea, sed*: Dimitte nobis debita nostra, *ut hoc pro aliis potiùs quàm pro se justus petere intelligatur; anathema sit. Sanctus enim & » justus erat Apostolus Jacobus, cùm dicebat*: In » multis enim offendimus omnes. *Nam quare ad» ditum est*, Omnes, *nisi ut ista sententia conveni» ret & Psalmo ubi legitur*: Non intres in judicium » cum servo tuo, quia non justificabitur in cons» pectu tuo omnis vivens? *Et in oratione sapien» tissimi Salomonis*: Non est homo qui non peccet. » *Et in libro Job*: In libro omnis hominis signat, » ut sciat omnis homo infirmitatem suam. *Unde etiam Daniel sanctus & justus, cùm in oratione pluraliter diceret*, Peccavimus, iniquitatem fecimus, *& cætera quæ ibi veraciter & humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, hoc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, » postea dixit*: Cùm orarem, & confiterer peccata » mea, & peccata populi mei Domino Deo nostro. *Noluit dicere, peccata nostra; sed & populi sui dixit, & sua: quia futuros istos qui tam malè intelligerent, tanquam Propheta prævidit.*

Jacob. 3. Psal. 142. Eccles. 7. Job. 37. Daniel 9.

Canone denique 8. *Item placuit, ut quicumque verba ipsa Dominicæ Orationis, ubi dicimus*, Di» mitte nobis debita nostra, *ita volunt à Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur; anathema sit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle; & corde dicit, quæ sibi dimittantur, se debita non habere?*

Beguardorum error Catholico, quem propugnamus, Dogmati contrarius, videlicet *QUOD homo in vita præsenti tantum & talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis, & ampliùs in gratia proficere non valebit*: damnatus est à Concilio Viennensi, & Clemente V. cap. *Ad nostrum*, Tit. *De Hæreticis*, lib. 5. Clementin. & à Concilio Tridentino sessione sexta, Canone 23. Anathemate configente eum qui dixerit, hominem justum, *posse in tota vita omnia peccata venialia vitare, nisi ex speciali privilegio.*

Sed & inter damnatos Michaëlis Molinosi Presbyteri Hispani ab Innocentio Undecimo Pontifice Maximo errores hæ propositiones habentur:

53. *Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi ampliùs peccata mortalia nec venialia.*

55. *Per hanc viam internam pervenitur ad purgandas & extinguendas omnes animæ passiones, ita quod nihil ampliùs sentitur, nihil, nihil.*

Octo ad Michaelis Molinosi errores.

56. *Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: unde quando purgatus est & mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt ampliùs duæ illæ leges, nec aliquid sentitur ampliùs, &c.*

61. *Anima cùm ad mortem mysticam pervenit, non potest ampliùs aliud velle quàm quod Deus vult, quia non habet ampliùs voluntatem, & Deus eam illi abstulit.*

63. *Per viam internam pervenitur ad statum continuum immobilem in pace imperturbabili.*

Objiciebant Beguardi: Si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.

R. Consecutionem negant Catholici: in iis enim quæ unius rationis quantitatem aut virtutem non habent, id quod minus vel imperfectius est pervenire per incrementum non potest ad quantitatem aut perfectionem majoris. Gratia porrò cujuscumque puri hominis se habet ad gratiam Christi sicut virtus particularis ad universalem. Unde sicut virtus ignis, quantumcumque crescat, virtuti solis æquari non potest: ita gratia hominis quantumcumque perfecti gratiæ virtutique Christi æqualis evadere non potest, cui Deus *non dedit Spiritum ad mensuram*, qui *plenus est gratia & veritate, de cujus plenitudine nos omnes accepimus*. Igitur *Proficientium est via: quamvis beatè proficientes dicantur perfecti viatores. Illa est autem summa perfectio cui nihil addatur, cùm id quo tenditur, cœperit possideri*: (inquit S. Augustinus lib. de Natura & Gratia, cap. 12.)

Objectionibus respondetur.

Rom. 9. 16. Joann. 2.

Objici potest quod de S. Joannis Baptistæ parentibus Zacharia & Elizabeth in Evangelio dicitur: *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.*

Luc. 1. 6.

Respondetur, quòd aliud est esse sine peccato, aliud esse sine querela. Primum de solo in hac vita « Unigenito Dei Filio dictum est: Secundum de « multis justis etiam in hac vita dici potuit: quo« niam est quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam « in ista humana conversatione, justa querela esse « non possit. Quis enim justè queritur de homine « qui nemini malè vult, & quibus potest fideliter « consulit, nec contra cujusquam injurias tenet li« bidinem vindicandi, ut veraciter dicat: *Sicut & « nos dimittimus debitoribus nostris*. Et tamen eo « ipso quòd verum dicat, *Dimitte, sicut & nos « dimittimus* «

» *dimittimus*, sine peccato se non esse declarat. A
» Sancti ergo Joannis-Baptistæ parentes legerant
» inter ipsa mandata quemadmodum sua peccata
» mundarent. Nam Zacharias, quod de omni Sa-
» cerdote ex hominibus assumpto in Epistola ad
» Hebræos legitur, etiam pro suis peccatis utique
hostias offerebat. Sic respondet S. Augustinus libro
De Perfectione justitiæ hominis, cap. xi. & xvi.

Objicitur illud Job 23. 11. *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, & non declinavi ex ea. A mandatis labiorum ejus non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris ejus.* Et cap. 27. 6. B idem Vir Sanctus ait: *Nec enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Job itaque nullum peccatum commiserat.

Respondet S. Augustinus, Illum custodire vias
» Domini, qui non sic exorbitat, ut eas relin-
Lib. de Perfectione justitiæ, c. 11. » quat, sed in eis currendo proficit, etsi aliquan-
» do ut infirmus offendit aut titubat. Proficit au-
» tem minuendo peccata, donec perveniat ubi sine
» peccato sit. Non enim aliter potest eo modo pro-
» ficere, nisi custodiendo vias ejus. Declinat au-
» tem à mandatis Domini atque discedit apostata; C
» non ille qui etiamsi habeat peccatum, confligen-
» di tamen cum eo perseverantiam non relinquit,
» donec eò perveniat ubi nulla cum morte conten-
» tio remanebit. In isto ergo conflictu induimur eâ
» justitiâ, quâ hîc ex fide vivitur, & ea quodam-
» modo loricamur. Assumimus quoque judicium,
» quod etiam contra nos pro nobis facimus, quan-
» do peccata nostra accusando damnamus: unde
» scriptum est: *Justus ipse sui accusator est in primordio sermonis.* Hinc item dicit: *Justitia indutus*
Job. 29. 6. *sum, & vestivi me, sicut vestimento & diademate*
Job. 29. 14. » *judicio meo.* Nam & ista vestis belli magis solet D
S. Augustinus legit & commodè multo sicut judicium circumdedi. » esse quàm pacis, ubi adhuc expugnatur concupis-
» centia, non ubi erit plena sine aliquo prorsus
» hoste justitia, novissima inimica morte destru-
» cta.

Alter locus non probat etiam aliquos esse justos qui non peccent. Ut enim ait ibidem S. Augusti-
» nus: Tunc nos in ista vita, in qua ex fide vivitur,
» non reprehendit cor nostrum, si eadem fides, quâ
» corde creditur ad justitiam, non negligit repre-
» hendere peccatum nostrum. Unde dicit Aposto-
lus: *Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi*
» *malum hoc ago.* Bonum est enim non concupisce-
Rom. 7. 15. » re, & hoc bonum vult justus qui ex fide vivit:
» & tamen facit quod odit, quia concupiscit; quam- E
» vis post concupiscentias suas non eat: quod si fe-
» cerit, tunc verè ipse fecit ut eedat, ut consentiat,
» ut desiderio peccati obediat.... Cùm verò non si-
» nit regnare peccatum in suo mortali corpore ad
» obediendum desideriis ejus, nec exhibet membra
» sua arma iniquitatis peccato, inest quidem pecca-
» tum in membris ejus, sed non regnat, quia non
» obeditur desideriis ejus. *Non ergo eum reprehendit cor ejus, quando reprehendit peccatum quod habitat in membris ejus, & non habet quam reprehendat infidelitatem ejus. Ita nec in vita suâ, id est, in fide sua à corde suo reprehenditur, & sine peccato non esse convincitur.* Quod et ipse Job de se F
confitetur, dicens: *Tu quidem gressus meos dinu-*
Job. 14. 16. 17. *merasti, sed parce peccatis meis. Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.*

Beatæ Virginis Deiparæ exemplum Beguardis & Quietistis non favet. Quod enim in tota vita venialiter non peccaverit, ex lege ordinaria non erat, sed ex singulari privilegio, ut Concilium Tridentinum docet, utque tenet Ecclesia; *Nullam, cum de peccatis agitur*, propter *honorem Domini*, *de*
S. August. lib. de Nat. & Grat. c. 36. *illâ volens fieri mentionem.*

Objicitur illud Tobiæ ad filium: *Noli timere fili, pauperem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* *Tob. 4. 23.*

Respondetur, Aliud esse recedere ab omni peccato, aliud recessisse. Primum Sanctis in hac vitâ convenit, alterum in statu beatitudinis duntaxat conveniet; nec ulli secundùm legem ordinariam datur, quandiu in hoc mortali corpore vivit. Verissimè tunc erunt homini multa bona, cùm recesserit ab omni peccato. Tunc enim ei nulla erunt mala, ut non opus habeat dicere, *Libera nos à malo. QUAMVIS & nunc omnis qui proficit, recta intentione proficiens, recedit ab omni peccato, & tanto inde fit longinquior, quanto plenitudini justitiæ perfectionique propinquior: quia & ipsa concupiscentia, quod est peccatum habitans in carne nostra, etsi manet adhuc in membris mortalibus, minui tamen non desinit in proficientibus. Aliud est ergo, recedere ab omni peccato quod nunc in opere est, aliud recessisse ab omni peccato, quod in illa perfectione tunc erit;* (inquit S. Augustinus.) *Lib. de Perfectione justitiæ, c. 13.* Hic denique *omnia illi desunt, qui sibi nihil deesse putat* (inquit S. Bernardus.) *Lib. 2. de Consideratione cap. 7.*

Consectaria.

Ex his omnibus perspicuum est, puri amoris habitualem statum, in quo nec se ipsum, nec proprium bonum diligat homo nisi propter Deum, impossibilem esse in hac vita secundùm legem Dei ordinariam. Illius statûs assertionem sanæ doctrinæ repugnare, fontem esse illusionum, Beguardorum errori affinem esse, quo hominem in vita præsenti tantam perfectionem assequi posse asserebant, ut proficere ampliùs non posset. *Assertio status habitualis amoris puri in hac vita, primo Beguardorum errori affinis.* Quod egregiè confirmat S. Bernardus Vitæ spiritualis Magister optimus in Tractatu *De Diligendo Deo*, cap. x. *Statum habitualem amoris puri in hac vita S. Bernardus secundum legem ordinariam impossibilem esse censet.* *Amor iste*, inquit, *mons est, & mons Dei excelsus. Quis ascendet in montem Domini?.... Caro & sanguis, vas luteum, terrena habitatio quando capit hoc? quando hujusmodi experitur affectum, ut divino debriatus amore animus, oblitus sui, factúsque sibi ipsi tanquam vas perditum, totus pergat in Deum?... Beatum dixerim & Sanctum cui tale aliquid in hac mortali vita RARO INTERDUM ET HOC IPSUM RAPTIM ATQUE UNIUS VIX MOMENTI SPATIO experiri donatum est. Te enim quodammodo perdere, tanquam qui non sis, & omnino non sentire te ipsum & à temetipso exinaniri & pene annullari, cælestis est conversationis, non humanæ affectionis. Et si quidem è mortalibus quispiam ad illud raptim interdum (ut dictum est) & ad momentum admittitur, subitò invidet sæculum nequam, perturbat diei malitia, corpus mortis aggravat, sollicitat carnis necessitas, defectus corruptionis non sustinet, quodque his violentius est, fraterna revocat caritas. Heu! redire in se, recidere in sua compellitur, & miserabiliter exclamare: Domine, vim patior: responde. Et illud: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* *Isai. 38.* *Rom. 7. 24.*

Tum amorem purum describit, ejúsque habitualem statum Beatorum proprium esse, non viatorum, magis inculcat. *Oportet in eumdem nos affectum quandocumque transire, ut quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum, sic nos quoque nec nos ipsos, nec aliud aliquid fuisse vel esse velimus, nisi æquè propter ipsum, ob solam videlicet ipsius voluntatem, non nostram voluptatem. Delectabit sanè non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quàm quòd ejus in nobis & de nobis voluntas adimpleta videbitur, quod & quotidie postulamus in oratione cùm dicimus:* Fiat vo-
» luntas tua sicut in cœlo & in terra. *O amor sanctus & castus! O dulcis & suavis affectio! O pura & defæcata intentio voluntatis, eò certè defæcatior & purior, quò in ea de proprio nil jam admixtum*

mixtum relinquitur: eò suavior & dulcior, quo totum divinum est quod sentitur. Sic affici, deificari est. Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino deficere à se tota videtur, dum & saporem vini induit & colorem: & quomodo ferrum ignitum & candens igni simillimum fit, pristinâ propriâque forma indutum: & quomodo solis luce perfusus aer in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quàm ipsum lumen esse videatur. Sic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit a semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem.

Et infra. *Ego puto non ante perfectè impletum* » *iri*, Diliges Dominum Deum tuum ex toto cor» de tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, *quousque ipsum cor cogitare jam non cogatur de corpore, & anima eidem in hoc statu vivificando & sensificando intendere desinat, & virtus ejusdem relevata molestiâ in Dei potentia roboretur. Impossibile namque est tota hæc ex toto ad Deum colligere, & divino infigere vultui, quandiu ea huic fragili & ærumnoso corpori intenta & distenta necesse est subservire. Itaque in corpore spirituali & immortali, in corpore integro, placido, placitóque, & per omnia subjecto spiritui, speret se anima quartum apprehendere amoris gradum, vel potiùs in ipso apprehendi, quippe quod Dei potentia est dare cui vult, non humana industria assequi. Tunc, inquam, summum obtinebit facilè gradum cùm in gaudium Domini sui promptissimè & avidissimè festinantem nulla jam retardabit carnis illecebra, nulla molestia conturbabit.*

Spuriorum Mysticorum Propositiones periculosæ & erroneæ.

Ex his etiam perspicuum est, primo Beguardorum errori, & damnatis ab Innocentio XI. sanctæ memoriæ Pontifice Maximo propositionibus Molinosi, cognatas esse propositiones istas Spuriorum Mysticorum, qui post ipsum Molinosum scripserunt:

Anima in statu habituali amoris puri constituta aurum est ita purum ac defæcatum, ut purgari ampliùs non possit.

Extrema probationes iis solis contingunt, in quibus caro à longo tempore subdita penitus est spiritui.

Anima transformata est homo spiritualis, de quo loquitur Apostolus.

Mors spiritualis (de qua Apostolus ait, Mortui estis) *nihil aliud est quàm amoris perfecta purgatio.*

Resurrectio spiritualis nihil est aliud quam status habitualis amoris puri.

Quamvis hæc doctrina pura sit ac simplex Evangelii perfectio, Traditione confirmata, hanc tamen Pastores justorum vulgo non proponebant.

Propositionum istarum prima Beguardorum primo errori omnino germana est. Aliæ periculosas fidei consequentias involvunt, scilicet 1. Quòd sit aliquis justorum status in terris, aut aliquæ (tametsi exiguo numero) personæ, in quibus caro non concupiscit ampliùs adversùs spiritum, secundùm legem ordinariam: ac proinde quòd in persona dumtaxat imperfectorum, non verò omnium hominum, ab Apostolo scriptum sit; *Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem: hæc enim sibi invicem adversantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis.... Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* 2. Quòd hæc verba S. Pauli, *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*, ad justos omnes non pertineant. 3. Quòd *spiritualis & qui absconditus est cordis homo*, in Sanctis omnibus non inveniatur. 4. Quòd spiritualis resurrectio non sit omnibus justis in hac vita communis, nec ad omnes dictum sit, *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite.* 5. Quòd pura & simplex Evangelii perfectio non sit omnibus proponenda ac prædicanda. Denique plures ex istis Propositionibus Scripturam Sacram in alienum sensum detorquent, & contra Regulam à Sancta Synodo Tridentina præscriptam interpretantur.

Galat. 5. 17.
Rom. 7. 23. 24.
Coloss. 3. 3.
Sess. 4.

PROPOSITIO II.

Nullus est in hac vita perfectionis status in quo justi jejunare & orare, bonaque spiritualia, remissionem peccatorum, gratiam perseverantiæ, vitam æternam, &c. desiderare & supplices petere à Deo non debeant.

Omnes enim omnino status spectat illa Raphaëlis Archangeli sententia: *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna.* Quamdiu sumus in corpore mortis hujus, ubi caro concupiscit adversùs spiritum, castigandum corpus est & continendum in officio, ne carnis concupiscentiæ consentiamus. Hinc S. Paulus qui ex ordine perfectorum erat: *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Apostolos suos post gloriosam Ascensionem suam jejunaturos dixit Christus, postquam Spiritum Sanctum accepissent, cujus illapsu ad statum perfectionis evecti sunt. *Numquid*, inquit, *possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est Sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis Sponsus, & tunc jejunabunt.* Joannes Christi Præcursor perfectus erat, & tamen jejunio continuo corpus affligebat: *Venit Joannes non manducans neque bibens.* Esca ejus erat *locusta & mel silvestre.* Anna Prophetissa, quæ & ipsa erat ex ordine perfectorum, *Non discedebat de Templo jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die.* Christi Discipuli perfecti erant, qui jejunium jungebant orationi in maximi momenti negotiis, Ecclesiæ bonum spectantibus. *Ministrantibus autem illis Domino & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes & orantes, imponentésque eis manus, dimiserunt illos.* Omnes certè spectat Apostolica illa Sententia, quæ Christianæ vitæ officia exponit: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei Ministros in multa patientia, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in longanimitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ à dextris & à sinistris.* Nullus denique perfectionis gradus Ecclesiæ ordinem evertit: non absolvit igitur ab obedientia Dei & Ecclesiæ matris præceptis debita. Jejunium porro à Deo præceptum est, *Sanctificate jejunium*, &c. Jejunii tempora Ecclesiæ præcepto definita sunt. Nemo igitur Christianus, quem ætas aut infirmitas non excusat, à jejunii lege immunis est, quantumcumque in perfectione justitiæ profecerit. Quod orationem spectat. Homo quantumvis in statu viæ perfectus orare debet pro se & pro aliis. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Christi præceptum est, *Sine intermissione orate* (inquit Apostolus) orare tenentur omnes qui obnoxii sunt tentationi: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem* (inquit Christus) *Vigilate itaque omni tempore orantes.* At nemo homo est qui non sit tentationi obnoxius.

Non solùm imperfectos, sed perfectos spectat Christi Salvatoris ac Magistri omnium præceptum, orandi formam præscribentis: *Sic ergo vos orabitis: PATER noster, qui es in Cœlis, sanctificetur nomen*

Tob. 12. 8.
1. Cor. 9. 27.
Matt. 9. 15.
Matth. 11. 18.
Matt. 3. 4.
Luc. 2. 37.
Act. 13.
2. Cor. 6.
Joel. 1. 14.
Luc. 18. 1.
1. Thessal. 5. 17.
Marci 14. 38
Luc. 21. 36.
Matt. 6. 9.

tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in Cœlo & in terra. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Omnes spectat illud Christi Domini Mandatum: *Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Omnes spectat Apostolica illa Sententia: *In omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Item illa: *Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Quis autem non indiget? Gratiâ Dei omnibus opus esse ad singulos actus pietatis, fides docet: Nemo igitur quantumvis justus & perfectus non tenetur orare: *Ut legem credendi lex statuat supplicandi.* Nam *Gratia Dei Sanctorum orationibus evidentius declaratur*; ut scribebant Africani Patres in Concilio Carthaginensi congregati ad Innocentium I. Pontificem Maximum. Nemo est quantumlibet perfectus, qui Deum orare non debeat ut non peccet, hoc est, ne quid faciat mali, quod pro Corinthiis orabat Apostolus, dicens: *Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali. IPSA igitur oratio clarissima est gratiæ testificatio*; ut rursus scribebant quinque Episcopi Africani, quorum unus erat S. Augustinus, ad eumdem Pontificem. Gratiâ igitur Dei indigere se non putant, qui eam à Deo postulare cessant, adeoque sunt Hæretici.

Matt. 7. 7.
Philipp. 4. 6.
Jacobi 1. 5.
Cælestinus 1. Epist. ad Episcopos Galliæ.
Concilii Carthag. Epist. ad Innoc. I. apud S. August. 175.
2. Corinth. 13. 7.
Apud S. August. Epist. 77.

Præterea, omnibus quantumcumque perfectis necessaria est perseverantia, quæ singulare Dei donum est, quod nemo potest mereri, sed tamen orationibus potest impetrare. Quem in scopum omnes pene Dominicæ Orationis collineare petitiones S. Augustinus probat lib. *De Dono perseverantiæ* Capp. 2. 3. 4. 5. 6. Et cap. 7. *Manus Dei est ista, non nostra, ut non discedamus à Deo. Manus, inquam, ejus est ista, qui dixit:* Timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant. *Propter quod & peti à se voluit ut non inferamur in tentationem: quia & si non inferimur, nulla ab eo ratione discedimus. Quod poterat nobis & non orantibus dari: sed oratione nostra nos voluit admoneri à quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim nisi ab illo accipimus, à quo jussum est ut petamus? Prorsus in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia: sed attendat quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant: Deus ergo convertit ad fidem. Orat ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem.*

Jerem. 37.
Nullus est in hac vita perfectionis & virtutis status, in quo sit impossibilis oratio.

Error porro est asserere, certum esse statum Animarum perfectarum in via, in quo ipsis impossibilis sit oratio. *Deus enim impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Contraria assertio *temeraria est & à Patribus*, Conciliōque Tridentino, *sub anathemate damnata.* Orationis, jejunii aliorúmque bonorum operum necessitatem in quocumque statu eadem Sacra Synodus docet Sessione 6. Cap. 13. *Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant; & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis & castitate: formidare enim debent, scientes quòd in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt, de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo. in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent, dicenti: Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

S. August. De Nat. & Grat. c. 43.
Trident. Concil. Sess. 6. c. 11. & c. 18.
Rom. 8.

Propositio contraria Catholico Dogmati quod propugnamus, alter Beguardorum error est à Concilio Viennensi & Clemente V. damnatus, scilicet: *Jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus, quia tunc sensualitas est ita perfectè spiritui & rationi subjecta, quòd homo potest liberè concedere corpori quicquid placet.*

Beguardorum error.
Clement. Ad Ds. Nostrum.

Sed & inter Michaëlis Molinosi, errores ab Innocentio XI. Pontifice Maximo damnatos hæ Propositiones leguntur: 14. *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut à Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cùm sit actus propriæ voluntatis & electionis, & est velle quod divina voluntas nostræ conformetur: & illud Evangelii, Petite & accipietis, non est dictum à Christo pro Animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem; immo hujusmodi Animæ eò perveniunt ut non possint à Deo rem aliquam petere.*

Damnati Michaëlis Molinosi errores.

34. *Verbis & linguâ Deo gratias agere non est pro Animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum opponendo, quod operetur in illis, & quò magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem Dominicam, seu, PATER NOSTER, recitare.*

Crux voluntaria mortificationum, pondus grave est & infructuosum, ideóque dimittenda.

Quietistæ inimici crucis Christi.

Sic Molinosus, & ejus sequaces spurii Mystici, Christianæ mortificationis præceptum evertunt, quidam paulò minùs audaces meritum ejus & fructum imminuunt, *Inimici Crucis Christi*, qui omnibus dixit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Idemque confirmat Apostoli Sententia: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Scripturæ Sacræ, doctrinæ Traditionis, probatorum Vitæ Spiritualis Magistrorum Institutis, & Sanctorum exemplis omnes illi errores capitaliter adversantur.

Audiendus inter alios ea de re S. Clemens Alexandrinus libro 2. Stromatum pag. 396. ubi refert hanc S. Barnabæ orationem: *Deus qui est universi mundi Dominus, det etiam nobis sapientiam & intelligentiam, scientiam, cognitionem justificationum ejus, tolerantiam.* Barnabas Apostolus, vir bonus, plenus Spiritu Sancto & fide, jussu Dei segregatus in opus Apostolicum seu in Evangelii prædicationem, ex eorum ordine ac numero qui in hac via qua ad cælestem patriam pergimus perfecti censeri ac dici possunt, orabat. Oratio igitur viris perfectis non est impossibilis; imò eorum statui convenit.

S. Clementis Alexandrini doctrina erroribus Beguardorum & Quietistarum contraria.

Libro 4. pag. 540. de Cruce voluntaria mortificationum corporis à Sapiente suo seu viro perfecto assumenda hæc habet: *Jam verò Sapientis anima, & ejus qui est cognitione præditus, ut quæ in corpore peregrinetur, eo severè & austerè utitur, non in ipsam nimiam affectionem ostendens aut indulgentiam, ut quæ sit evestigio relictura tabernaculum, si exeundendi & migrandi tempus eam vocaverit. Advena, inquit, sum in terra, & peregrinus sum ego vobiscum.*

Perfectus Christianus corpus suum mortificat.

Libro 6. p. 665. exponit quid Sapiens ille perfectúsque Christianus, quem Gnosticum appellat, postulet à Deo in oratione. *Orat ergo is qui est cognitione præditus, etiam cogitatione, omni hora per caritatem Deo conjunctus & familiaris effectus. Et primùm quidem petit remissionem peccatorum, postea non ampliùs peccare: deinde posse benefacere, & omnem quæ facta est per Dominum creationem & dispensationem intelligere, ut mundo corde effectus per agnitionem quæ est per Filium Dei, facie ad faciem in beatis spectaculis Mysterio initietur, exaudiens Scripturam quæ dicit: Bonum est jejunium cum oratione.* Loquitur de eo *Cui divina quadam vis bonitatis imprimit quoddam apertum justitiæ signaculum, lucem animæ unitam per caritatem, quæ Deum fert,*

Perfectus Christianus remissionem peccatorum, & alia bona postulat à Deo in oratione.

&

& à Deo fertur : Loquitur de eo Qui evasit perfectus, quantum licet humana natura.

Et libro 7. p. 725. Qui autem est cognitione præditus, eorum quæ possidet stabilitatem, ad ea autem quæ eventura sunt aptitudinem ; eorum autem, quæ est accepturus, petet æternitatem. Quæ autem vere sunt bona, quæ versantur in animo, ea ut & sint sibi & permaneant, precatur..... Qui ergo ea quæ ad Deum spectant ab ipso Mystico veritatis accepit choro, oratione quæ virtutis ostendit magnitudinem, quemadmodum & dignum est, quæque ad eum spectant demonstrant ; est autem excelso quodam, quem precatio suppeditat, animo utitur, iisque quæ mente sola concipiuntur & spiritu per cognitionem quasi copulatur. Quo fit ut sit semper benignus, mansuetus, aditu facilis, affabilis, patiens, gratus, bonâ præditus conscientiâ. Idem est non solum rigidus & austerus ad hoc ut non corrumpatur, sed etiam ad hoc ut non tentetur. Non quòd tentationibus non sit obnoxius Gnosticus ille seu vir perfectus (neque enim ea mens est Clementis Alexandrini) sed quia vigilat, oratque ne intret in tentationem. Numquam enim animum voluptati aut dolori submittit, aut ab eis expugnatur. Judex, si vocet ratio immobilis, animi motibus nihil penitus largitus, immutabiliter quà justum jubet proficisci ingrediens, persuasum habent cuncta pulcherrimè administrari, quæque virtutem elegerint, semper in melius proficere animas, donec ad ipsum bonum venerint, ut quæ in vestibulis Patris Magno Pontifici (Christo) propinqua evaserint.

Christiani perfecti petitiones.

P. 726. Et qui ex Gentibus quidem convertitur, fidem : qui autem ascendit ad cognitionem, caritatis petet perfectionem. Qui autem ad summum pervenit cognitionis gradum, precatur ut contemplatio augeatur & permaneat : sicut qui est homo vulgaris, ut sit perpetuo sanus. Jam vero petet etiam ut à virtute nunquam excidat, maximè adjuvans & dans operam ut perpetuò maneat ejusmodi ut non possit excidere. Novit etiam aliquot quoque ex Angelis propter socordiam humi esse lapsos, quòd nondum perfectè ex illa in utramque partem proclivitate, in simplicem illum atque unicum expedivissent se habitum. Ei verò qui ex hoc loco ad summum cognitionis gradum, & extremam viri perfecti se exercuit sublimitatem, omnis & locus succurrit & tempus, postquam semel sine ullo lapsu vitam transigere elegit, seque in eo firma semperque intenta mentis stabilitate cœpit subigere. Ei ergo qui exercitatione perfectâ ex cognitione paraverit virtutem quæ non potest amitti, efficitur naturalis habitus. Et sicut lapidi gravitas, ita hujus scientia evadit hujusmodi ut amitti non possit : nec invitè, sed sponte, vi rationis & cognitionis atque providentiæ eò deducitur ut non amittatur. Quippe cavendo eò deducitur ut amitti non possit. Quod non ita intelligendum est ut vir perfectus à perfectione justitiæ excidere non possit, nec virtutem amittere ; sed quòd per auxilia gratiæ Dei vigilando, cavendo, orando, contra malas cupiditates continuò pugnando, seque in virtutum actibus exercendo, benè agendi habitum consequatur ita firmum ac radicatum, ut quasi in naturam versa bene agendi praxis & consuetudo videatur : adeo facilè ac delectabiliter operatur. Ad eum denique sensum intelligenda est illa S. Clementis Alexandrini locutio, quâ Gnostici sui seu viri perfecti virtutem eò deduci significat ut averti ac deficere non possit, quo hæ Davidis Sententiæ : Jucundus homo qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur... Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus, non commovebitur donec despiciat inimicos suos. Hinc idem Sanctus Ecclesiæ Alexandrinæ Doctor pag. 727. ait : Sic ergo habet omnia bona is qui cognitione est præditus, potestate, sed nondum numero, nam alioqui dimoveri non posset, quod attinet ad divinos qui debentur profectus & administrationes. Hunc quoque Deus adjuvat, propinquiore honorans curatione.

Quo sensu Clemens Alexandrinus Gnostici sui virtutem eò deduci significat ut amitti non possit.

Psal. 111.

Oratio vocalis & sancta lectio perfectis Christianis & ad contemplationem evectis convenit.

Libri ejusdem 7. p. 728. Unà ergo cum iis qui recentius crediderunt, is qui est cognitione præditus, de iis precabitur, de quibus una etiam agere convenit. Universa autem ejus vita tanquam quidam celebris ac sanctus dies festus est. Atque ei quidem Sacrificia sunt ipsæ preces & laudes, & quæ ante cibum fiunt Scripturarum lectiones : Psalmi autem & hymni dum cibus sumitur : antequam autem eatur cubitum, sed & noctu rursus orationes. Per eas se ipsum unit choro divino, ex memoria continua in memoria æterna positus contemplatione. Quid verò non aliud quoque Sacrificium, nempe dogmatum & pecuniarum in egenos largitionem cognoscis ? Maximè. Sed nec ea quæ fit ore utitur verbosa precatione, ut qui quæ petere à Domino oporteat, didicerit. In omni ergo loco orabit, sed non ut apertè populo appareat. Quin verò & inter ambulandum, & in sermone, & quiete, & lectione, & iis quæ fiunt ex ratione omni modo precatur. Quin si in ipsis animæ penetralibus solum cogitaverit, atque inenarrabilibus gemitibus Patrem invocaverit, ille prope adest eo adhuc loquente.

Ejusdem libri p. 744. perfectum Gnosticum seu spiritualem virum describit tanquam hac in vita peregrinum, semper ad exitum paratum, cum Angelis orantem & gratias agentem. Quæ autem bona desideret ac petat à Deo, exponit. Hic est, inquit, aptus & opportunus operarius, qui iis quidem quæ novit lætatur : quòd autem in hujus vitæ necessitatibus volutetur, animo contrahitur, nondum dignatus efficace eorum quæ novit participatione. Ac idcirco tanquam aliena utitur hac vita, quatenus requirit id necessitas. Is est totus hospes & peregrinus in vita, omniaque quæ hic sunt magno animo despiciens, bonam semper habens conscientiam, & semper paratus ad exitum... Quin etiam precatur cum Angelis, ut qui sit etiam æqualis Angelis... Genus autem ipsum precationis est gratiarum actio propter præterita, præsentia, & futura, ut quæ sint per fidem jam præsentia... Quin etiam sic quoque petet ut vivat vitam in carne definitam, ut cognoscendi potestate præditus, ut expers carnis, & consequatur quidem quæ sunt optima, fugiat autem quæ sunt deteriora. Petit autem sublevationem quoque eorum quæ nos peccavimus, & conversionem ad agnitionem, tam acriter sequens eum qui vocat in excessu, quàm ille vocat (ut ita dicam) præcedens, propter bonam conscientiam festinans ad agendas gratias ; & ut etiam illic fuerit cum Christo, ut qui se ipsum dignum præbuerit propter puritatem, per quamdam quasi temperationem, habeat Dei virtutem quæ suppeditatur per Christum. Non enim caloris participatione caliant, neque ignis lucidus, sed vult totus esse lux.

Viri Spirituales & ad contemplationem evecti Deo gratias agit, & ab ipso petunt quæ sunt optima.

Quòd autem perfectus ille Gnosticus seu vir spiritualis non possit concedere corpori quicquid placet, Clemens Alexandrinus ostendit p. 747. Idem accuratè novit id quod dictum est : Nisi odio habueritis patrem & matrem, & præterea propriam quoque animam ; & nisi signum portaveritis. Nam carnales affectiones, quæ voluptatis maximas habent illecebras, odit, magnoque despicit animo omnia quæ ad creationem & nutritionem carnis sunt accommodata. Etiam insurgit adversùs animam corpoream, imperium detrectanti spiritui, experti rationis frænum injiciens, quoniam caro concupiscit adversus spiritum. Signum autem portare, est mortem circumferre, adeo ut vivus adhuc omnibus renuntiet.

Viri Spirituales verique Mystici carnem mortificant & crucifigunt.

Crucem.

Idem libro 1. Pædagogi p. 107. Neminem ita perfectum esse in hac vita docet, ut non meliorem

Veri Spirituales Christiane perfectionem desiderant, quam se non attigisse profitentur, quamtumcumque in via virtutum profecerint.

desiderare debeat, ac ferventissimis desideriis atque studiis ad id quod perfectum est tendere. *Mihi autem subit nonnumquam admirari, quomodo audent quidam se ipsos vocare perfectos & Gnosticos, hoc est, cognitione praditos, plus de se quam Apostolus sentientes, inflati & exultantes, cùm ipse Paulus de se fateatur: Non quod jam cœpi, vel jam perfectus sum: persequor autem si etiam comprehendam, propter quod & comprehensus sum à Christo. Fratres, ego me ipsum nondum existimo comprehendisse. Unum autem eorum qua retro sunt obliviscens, ad ea autem qua ante sunt me extendens, secundum scopum persequor bravium superna vocationis in Christo Jesu. Et se ipsum quidem perfectum existimat, quod à priore vita liberatus sit, meliorem autem persequitur, non tanquam in cognitione * perfectus, sed tanquam id quod est perfectum desiderans. Et ideo subjungit: QUICUMQUE ergo perfecti, hoc sentimus, perfectionem scilicet dicens renunciasse peccatis, & in fidem ejus qui est perfectus, esse regeneratos, posteriorum peccatorum oblitos.*

* In cognitione Divina vita spiritualis.

Cassiani doctrina Beguardorum & Quietistarum erroribus adversa.

Audiendus contra Beguardos & Quietistas Cassianus in Collationibus, & in libro de Institutis Renunciantium, ubi immobilem tranquillitatem mentis hic non assequi viros spirituales & perfectos, sed ad eam tendere, semperque esse pugnandum docet adversùs hostes salutis: ex quo sequitur ipsis opus esse oratione & jejunio, ut Dei auxilium & gratiam ad hostes vincendos necessariam impetrent, ut carnem & cupiditates subigant, & adversùs diabolum se muniant. Libro 5. *De Institutis Renunciantium*, Cap. 19. *Athleta Christi in corpore commoranti numquam deficit colluctationum palma: sed quantò magis triumphorum successibus creverit, tantò ei etiam colluctationum robustior ordo succedit. Subjugata etenim carne atque devicta, quanta adversariorum cohortes, quanta hostium agmina adversus victorem Militem Christi, triumphis ejus instigata consurgant; scilicet ne pacis otio miles Christi lentescens incipiat oblivisci colluctationum suarum gloriosa certamina, ac securitatis inertiâ dissolutus, pramiorum stipendiis ac triumphorum meritis defraudetur. Itaque si ad hos triumphorum gradus cupimus crescente virtute conscendere, eodem nos quoque ordine oportet praliorum inire certamina, & primum cum Apostolo dicere: SIC pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & servituti subjicio; ut hoc conflictu superato rursus cum eo dicere possimus: NON est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs Principatus & Potestates, adversùs Mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in calestibus.*

Nullus est in hac vita justorum status, in quo caro sit perfecte subdita spiritui.

1. Cor. 9.

Ephes. 6.

Collatione 6. Cap. 14. Theodorus Abbas ait: *Necesse est, secundum Apostolum, aut renovatus quis spiritu mentis sua per singulos dies proficiat ad ea qua in ante sunt se semper extendens, aut si neglexerit, consequens est ut retro redeat atque in deterius relabatur. Et idcirco nullo modo mens poterit in una atque eadem qualitate durare, velut si quis contra aquas fluminis violenta navem subigere remorum impulsione conetur, necesse est aut virtute brachiorum, torrentis alvei impetum desecantem ad superiora conscendere, aut remissis manibus ad praceps preno amne revocari. Quapropter istud est evidens nostri indicium detrimenti, si intellexerimus nos nihil amplius acquisisse, nec dubitemus retrorsum nos omnimodis revocatos, qua die non senserimus ad superiora progressuros: quia nec in eodem statu mens hominis potest jugiter permanere, nec in hac carne consistens ita virtutum apicem possidebit quisquis ille Sanctorum, ut immobilis perseveret. Necesse est enim aliquid adjici illis semper aut minui..... Ideoque debemus ad virtutum studia irremissâ curâ ac sollicitudine nosmetipsos semper extendere, ipsisque nos jugiter exercitiis occupare, ne cessante profectu, confestim diminutio subsequatur.*

2. Cor. 4.

Christiana perfectio in studio perpetuo proficiendi posita.

Nemo verè Spiritualis est, qui virtutis studiosus non sit.

Viri Spirituales tendunt semper ad immobile tranquillitatem mentis, quam in hac vitâ nemo perfectè assequitur.

Collatione 9. Cap. 2. sic loquitur Abbas Isaac: *Omnis Monachi finis, cordisque perfectio ad jugem atque indisruptam orationis perseverantiam tendit, & quantum humana fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur puritatem, ob quam possidendam, omnem tam laborem corporis, quam contritionem spiritus indefessè quarimus & jugiter exercemus · & est inter alterutrum reciproca quadam inseparabilisque conjunctio.*

Ad eam tendunt per mortificationem carnis & spiritus.

Rom. 7.

Collatione 23. Theonas Abbas probat Apostolum Paulum ex sua & perfectorum, non ex peccatorum persona dixisse: *Non enim quod volo bonum facio, sed quod odi malum hoc ago....., Si autem quod nolo hoc facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in membris meis peccatum... Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mea, & captivantem me in lege peccati qua est in membris meis.* Ostendit, inquam, Theonas hæc peccatorum personæ non posse omnimodis convenire, sed *ad solos pertinere perfectos, & eorum tantùm qui Apostolorum merita subsequuntur, congruere sanctitati,*

In Spiritualibus perfectisque Dei hominibus caro nondum omnino subdita est spiritui.

Jerem. 2. 19.

Cap. 16. *Hoc ergo inevitabile corpus est mortis, in quod perfecti quique qui gustaverunt quàm suavis est Dominus, quotidie revoluti, sentiunt cum Propheta quàm malum sibi & amarum sit discedere à Domino Deo suo. Hoc est corpus mortis, quod à calesti rei intuitu retrahens ad terrena deducit; quod psallentes eos atque in oratione prostratos, vel humanas effigies, vel sermones, vel negotia, vel actus facit superfluos retractare. Hoc est corpus mortis, quod amulantes angelicam sanctitatem, & volentes Domino jugiter inharere, perfectionem tamen hujus boni, quia mortis corpus obsistit, invenire non possunt, sed faciunt malum quod nolunt, id est, traducuntur mente etiam ad illa qua ad profectum virtutum perfectionémque non pertinent. Denique ut hoc de Sanctis atque perfectis sibique similibus se dixisse Beatus Apostolus exprimeret, digito quodammodo semetipsum tactùque designans, continuo infert:* Itaque ego ipse, *id est, qui hac pronuntio, mea, non alterius conscientia latebras pando. Ego ipse quem nostis Apostolum esse Christi, quem creditis summum atque perfectum esse, & in quo loquitur Christus, cùm mente serviam lege Dei, carne tamen legi peccati servire me fateor.*

Cassianus in orationibus spiritualium & perfectorum petitiones agnoscit, & virtutum, beatitudinisque desideria.

Collatione 9. petitiones in oratione perfectorum agnoscit. Cap. 19. *Secunda petitio mentis purissima advenire jam jamque regnum sui Patris exoptat, vel illud scilicet quo quotidie Christus regnat in sanctis, quod ita fit cùm diaboli imperio per extinctionem fatentium vitiorum de nostris cordibus pulso, Deus in nobis per virtutum bonum fragrantiam cœperit dominari, & devicta fornicatione castitas, superato furore tranquillitas, calcatâ superbiâ humilitas in nostra mente regnaverit: at certè illud quod prastituto tempore omnibus est perfectis ac Dei filiis generaliter repromissum, in quo eis dicetur à Christo:* Venite benedicti Patris mei, possidere paratum vobis regnum à constitutione Mundi, *intentis illuc quodammodo obtutibus ac defixis desideriis exspectans, dicensque ad eum, Veniat regnum tuum.*

Matt. 25.

1. Tim. 2. Isai. 46.

Voluntas Dei, salus omnium est. Quamobrem nemo Christianus est qui salutem

Cap. 20. *Voluntas Dei, salus omnium est, secundum illam beati Pauli sententiam: Qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. De qua etiam voluntate Isaias propheta ex persona Dei Patris: Et omnis, inquit, voluntas mea fiet. Dicentes ergo ei, Fiat volun-*

tas

Eam orationem deinde patrem à Deo petere non tenetur.

tas tua sicut in cælo & in terra, hoc Eum aliis oramus verbis, ut sicut ii qui in cælo sunt, ita omnes qui in terra consistunt, tua, Pater, agnitione salventur.

Tertia supplicatio filiorum est, Fiat voluntas tua. Non potest esse major oratio, quam optare ut terrena mereantur cælestibus coæquari.

Luc. 11.

Cap. 34. *Hortatur nos Dominus, volens ea quæ sunt æterna cælestiaque præstare, ut eum importunitate nostra quodammodo coarctemus, qui importunos nos non modò non despicit, nec refutat, sed etiam invitat & laudat, eisque præstiturum se quicquid perseveranter speraverint, benignissimè pollicetur, dicens: Petite, & accipietis; quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.*

1. Joan. 5. Diligenter & expresse à Deo petenda sunt, quæcunque congruunt ejus voluntati.

Retractare nos convenit illam Beati Joannis Evangelistæ sententiam, qua ambiguitas hujus quæstionis evidenter absolvitur: HÆC est fiducia quam habemus ad Deum, quia quicquid petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos. Ergo super his tantùm plenam nos & indubitabilem jussit exauditionis habere fiduciam, quæ non nostris commodis, nec solatiis temporalibus, sed Domini congruunt voluntati. Quod etiam in Oratione Dominica admiscere præcipimur, dicentes: Fiat voluntas tua scilicet, *non nostra . . . Exemplis Dominicis eruditi, cunctas observationes nostras simili nos quoque debemus oratione concludere, & hanc vocem cunctis petitionibus nostris semper adjungere: VERUMTAMEN non sicut ego volo, sed sicut tu.*

Psal. 71. Spirituales viri per illos quos Christiani continuum Dei poscunt auxilium, veros Domini mendicos se agnoscentes.

Collatione X. *Pauper & inops laudabunt nomen tuum. ET revera quæ major aut sanctior potest esse paupertas, quàm illius qui nihil se præsidii, nihil virium habere cognoscens, de aliena largitate quotidianum poscit auxilium, & vitam suam atque substantiam singulis quibusque momentis divina ope intelligens sustentari, verum se mendicum Domini non immeritò profitetur, suppliciter ad eum quotidie clamans: EGO autem mendicus & pauper sum, Deus, adjuva me? Et sic ad illam quoque multiformem scientiam Dei ipso illuminante conscendens, incipiat deinceps sublimioribus ac sacratioribus mysteriis saginari.*

Quo sensu Cassianus sublimiorem quamdam agnoscat Dominicâ orationem?

Sublimiorem quidem Dominicâ orationem, quantùm ad modum, Cassianus admittit, sed non quantùm ad petitionum substantiam & excellentiam. Collatione 9 Cap. 25. *Hæc igitur oratio licèt omnem videatur plenitudinem continere, utpote quæ ipsius Domini auctoritate vel initiata sit vel statuta, provehit tamen domesticos suos ad illum præcelsiorem, quem superiùs commemoravimus, statum, eosque ad illam igneam & perpaucis cognitam vel expertam, immo ineffabilem orationem gradu eminentiore perducit, quæ omnem transcendens humanum sensum, nullo non dicam sono vocis, nec linguæ motu, nec ulla verborum pronuntiatione distinguitur, sed quam mens infusione cælestis illius luminis illustrata, non humanis atque angustis designat eloquiis, sed conglobatis sensibus velut de fonte quodam copiosissimè effundit ubertim, atque ineffabiliter eructat ad Dominum, tanta promens in illo brevissimo temporis puncto, quanta nec eloqui facilè, nec mens percurrere in semetipsam reversa prævaleat. Quem statum Dominus quoque inter illarum supplicationum formulas, quas vel solus in monte sedens, vel tacitè fudisse describitur, similiter figuravit, cùm in orationis agonia constitutus etiam guttas sanguinis inimitabili intentionis profudit exemplo.*

Satisfit objectionibus.

Objicitur, Jejunia & alias corporis mortificationes esse instrumenta perfectionis acquirendæ, adeóque à perfectis & spiritalibus esse dimittenda.

Jejunii & aliarum corporis mortificationum finis [illegible]

Respondetur, Jejunia & alias corporis mortificationes non propter se quidem consectanda esse, sed ad animi puritatem asserenda, & ad perfectionem Christianam: sed quia perfectionem justitiæ hîc non consequimur, sed ad eam tendimus, & animæ purgationi quotidie nos incumbere necesse est, animque adversùs hostium impugnationes munire oportet: jejunii & aliarum corporis Mortificationum scutum numquam abjiciendum est. *Igitur*, inquit Cassianus Collatione 1. Cap. 7. *Jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplina illius finis, sed per illa pervenitur ad finem. Incassùm igitur hæc exercitia molietur, quisquis his velut summo bono contentus intentionem sui cordis huc usque defixerit, & non ad capiendum finem propter quem hæc appetenda sunt, omne studium virtutis extenderit: habens quidem disciplinæ illius instrumenta, finem verò in quo omnis fructus consistit, ignorans.* Sanè cum semper inhabitet in carne nostra malum, quandiu hoc in mundo vivimus, crucifigenda illa est & mortificanda per jejunia, vigilias, vestitûs asperitatem, cubilis duritiem, &c. ad exemplum Apostoli dicentis: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* De quo S. Augustinus lib. 6. in Julianum Cap. 15. *Si nihil* (inquit) *ibi persequitur quod displiceat Deo, frustra persequendo templum ejus facit injuriam magnam Deo.* Nemo igitur ita perfectus est, in quo non sit aliquid displicens Deo, quod proinde corporis mortificatione persequendum est.

Objicitur, Viros verè spirituales & perfectos nihil desiderare, nihil petere à Deo, nisi ut voluntas ejus fiat; respectu verò cæterorum omnium bonorum penitus indifferentes esse, etiam respectu regni cælestis & beatitudinis æternæ: ipsis igitur non esse orandum, nisi solâ simplicis præsentiæ seu amoris puri & intimæ unionis oratione.

Respondetur, id falsum esse: Oratio enim Dominica, quam Christus omnibus discipulis tradidit, etiam spiritualibus & perfectis, plures alias petitiones complectitur. Spirituales quidem viri & perfecti, seu ad perfectionem studiis omnibus contendentes, bona temporalia non desiderant, non petunt à Deo, non mala temporalia deprecantur, nisi sub conditione beneplaciti ejus, & quatenus ad suam vel suorum salutem aliquatenus utilia esse possunt; indifferentes sunt respectu omnium hujus vitæ mortalis eventorum, desideria sua ac petitiones dirigunt ac moderantur secundùm sacratissimam illam regulam quam Christus orans nobis tradidit: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Spiritualia verò & æterna bona, Dei gratiam, virtutes, sanctificationem suam, salutem atque beatitudinem æternam absolutè desiderant ac petunt à Deo in oratione, quantumvis in via spirituali profecerint, & ad quemvis perfectionis gradum sint provecti. Planè desiderant ut fiat voluntas Dei, sed norunt quia *Hæc est voluntas Dei sanctificatio nostra.* Christianæ spei & caritatis actus frequentes exercent, & exercere se debere norunt, quæ sine piis desideriis & petitionibus non exercentur. Orant cum Ecclesia: *Da nobis, Domine, fidei, spei, & caritatis augmentum, & ut mereamur assequi, quod promittis, fac nos amare quod præcipis.*

Petitiones & desideria perfectis convenientia.

Spiritualia & æterna bona absolutè desiderant & petunt à Deo.

Orant

Orant cum S. Augustino : *Domine, da quod jubes, & jube quod vis ... Ut veniamus ad te, fac nos beatos de te.* Ipsis persuasum est, secundùm sermonem Domini, nostram in hac via beatitudinem esse desiderium vehemens & efficax justitiæ : *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Hinc S. Augustinus Epistola 120. aliàs 222. *Est planè*, inquit, *ille summus Deus vera justitia, vel ille verus Deus summa justitia, quam profectò esurire & sitire, ea nostra est in hac peregrinatione justitia, & qua postea saturari, ea nostra est in æternitate plena justitia.*

Matt. 5. Epist. 120 ad Consentii. c. 4

Sanctos indifferentes fuisse respectu beatitudinis æternæ, illiusque desiderium ac petitionem perfectioni repugnare, non modò figmentum est, sed error verbo Dei & doctrinæ Sanctorum contrarius. Respectu quidem temporis quo beatitudinem consequerentur, indifferentes fuerunt, divinæ voluntati desideria sua omnino submittentes, & in hoc mundo tandiu servire Deo, laborare, & pati contenti, quandiu illi placeret quem summè diligebant, sed respectu beatitudinis indifferentes non fuerunt. *Unam petii à Domino*, inquit David, *hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ : ut videam voluptatem Domini ... Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea : faciem tuam, Domine, requiram ... Credo videre bona Domini in terra viventium ... Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Hanc indifferentiam respectu cælestis & æternæ beatitudinis Christus damnat : *Verumtamen*, inquit, *quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus ... Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis ... Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Apostolus remunerationem & repromissionem cælestem à Sanctis desiderari & spectari docet. *Nolite itaque amittere confidentiam vestram*, inquit, *quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est ; ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est veniet, & non tardabit.* Sanctorum Patriarcharum fidem commendans ait : *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus ; sed à longè eas aspicientes & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi : nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem.* Ipse flagrantissimo desiderio optat migrare ex hoc sæculo, ut sit cum Christo in regno cælesti. *Coarctor autem è duobus*, inquit, *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multò magis melius : permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Desiderium istud ardentissimæ charitatis est, expectatio verò patientiæ. Ut enim ait S. Augustinus : *Si nimis festinat, non habet charitatem. Desiderare quidem hoc debet & concupiscere, sicut Apostolus ait : Concupiscentiam habeas dissolvi & esse cum Christo, multo enim magis optimum. Sed ubi est Charitas? Ergo sequitur, Manere in carne necessarium propter vos. De corpore ergo educat Deus quando voluerit.* Et alibi : *Sunt homines qui cum patientia moriuntur ; sunt autem quidam perfecti qui cum patientia vivunt. Qui desiderat, sicut dicit Apostolus, dissolvi & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, & delectabiliter moritur.*

Sancti indifferentes nô fuerunt respectu beatitudinis æternæ.

Psal. 26. 4. 8. 13. 14.

Indifferentia respectu beatitudinis, à Christo damnata.

Luce 12. 31. 32. 33. 34

Hebr. 10. 35. 36. 37.

Cap. 11. 13. 14. 15. 16.

Philip. 1. 23 24.

Enarrat. in Psal. 141.

Tract. 9. in Epist. S. Joan.

Sanè si desiderium quodvis sanctæ indifferentiæ, & amori puro repugnat, cur David Deum orans ait, *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus? Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.* Cur non potiùs ait : Domine, ante te indifferentia mea? Cur suspirans ait? *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum : quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Cur Danieli Gabriel Archangelus ait : *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo : ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es?* Cur Christus ipse ait Apostolis, *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum?* Adeo ut Eucharistiæ institutio, quæ amoris Christi erga nos pretiosissimum pignus est, ardentissimi ejus desiderii fructus fuerit. Cur Apostolus monet ut *Quæramus quæ super sursum sunt, ubi Christus est in dextera Dei sedens, non quæ super terram*, si cum Christo consurreximus? Cur dilectus Christi Discipulus ait : *Amen, Veni Domine Jesu?* Cur S. Clemens Alexandrinus lib. 11. Stromatum P. 405. ait : *Unum oportere expetere, per quem facta sunt omnia, & quæ iis, qui digni sunt, promissa tribuis?* Cur virum spiritualem & perfectum ita orantem exhibet? *Ego me liberabo à cupiditate, ô Domine, ut mihi tecum intercedat conjunctio. In tuis me esse oportet, ô Omnipotens, & licet hic fuero, sum apud te. Volo autem expers esse metus, ut ad te possim appropinquare.* Cur S. Gregorius Nazianzenus Epistola 57. scripsit : *Nos Verbum arctissimè complectamur, ac pro omnibus rebus Deum habere optemus, solum (inquam) perenne illud bonum, & nostrum?* Cur S. Augustinus Tractatu xl. in Joannem exclamat : *O si cor esset qualitercumque suspirans in illam ineffabilem gloriam! O si peregrinationem nostram in gemitu sentiremus, & sæculum non amaremus, & ad eum qui nos vocavit, pia mente perpetuò pulsaremus! Desiderium sinus cordis est : capiemus, si desiderium quantùm possumus extendamus. Hoc nobiscum agit Scriptura divina, hoc congregatio populorum, hoc celebratio Sacramentorum, hoc Baptismus Sanctus, hoc cantica laudis Dei, hoc ipsa nostra disputatio, ut hoc desiderium non solum seminetur & germinet, verùm etiam in modum tantæ capacitatis augeatur, ut idoneum sit sumere quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Cur Tractatu iv. in Epistolam 1. S. Joannis ait : *Tota vita Christiani boni, sanctum desiderium est. Quod autem desideras, nondum vides : sed desiderando capax efficeris, ut cùm venerit quod videas, implearis. Sicuti enim si velis implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum est quod dabitur, extendis sinum vel sacci, vel utris, vel alicujus rei, nosti quantum missurus es, & vides quia angustus est sinus ; extendendo facis capaciorem : Sic Deus differendo extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capacem. Desideremus ergo, Fratres, quia implendi sumus. Videte Paulum extendentem sinum, ut possit capere quod venturum est. Ait enim.* Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim : Fratres, ego me arbitror non apprehendisse. *Quid ergo agis in hac vita, si nondum apprehendisti?* Unum autem quæ retrò oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis ... *Minorem se sentiebat ad capiendum quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Hæc est vita nostra, ut desiderando exerceamur. Tantùm autem nos exercet sanctum desiderium, quantùm desideria nostra amputaverimus ab amore sæculi.* Cùm ergo Sancti in quorum cordibus amor Dei purus dominatur

Desiderium quodvis perfectioni & amori puro repugnare, figmentum est. Psal. 37. 10.

Psal. 41.

Luc 22. 15.

Coloss. 3.

Apocal. 22. 20.

Lib. 4. p. 531.

Tota vita boni perfectique Christiani, sanctum desiderium est æternorum bonorum.

Philipp. 3. 12.

dominatur ab amore sæculi penitus alieni sint, magis in Dei, æternæque beatitudinis desiderio se exerceant quàm vulgares Animæ.

Lib. de Patientia, cap. 25.
Rom. 8. 15.
Filii Dei clamant & desiderant, donec æterna hereditate ditentur.

Hinc tutius S. Augustinus: *Si ergo*, inquit, *filii sumus liberæ Jerusalem, alia dona exheredatorum, alia intelligamus heredum. Hi enim heredes sunt, quibus dicitur:* Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. *Clamemus ergo Spiritu caritatis, & donec veniamus ad hereditatem, in qua semper maneamus, liberali amore simus, non servili timore patientes. Clamemus, quàm diu pauperes sumus, donec illa hereditate ditemur. Magna quippe inde pignora accepimus, quod ad nos ditandos pauper factus est Christus, quo in supernas divitias exaltato, missus est qui sancta desideria nostris cordibus inspiraret Spiritus Sanctus. Horum pauperum adhuc credentium, nondum contemplantium, adhuc sperantium, nondum tenentium, adhuc desiderio suspirantium, nondum felicitate regnantium, adhuc esurientium & sitientium, nondum satiatorum: horum ergo pauperum patientia non peribit in æternum.* Filii liberæ Jerusalem qui liberali amore Deo serviunt, & per patientiam deificam, quæ ex perfecta caritate est, sustinent quod inter hujus sæculi scandala beatitudo eorum differtur (ut loquitur S. Augustinus) clamant & desiderant donec veniant ad hereditatem. Sancta desideria Spiritus Sanctus inspirat non solùm imperfectis aut incipientibus, sive vulgaribus justorum animabus, sed omnibus omnino qui adoptionem filiorum acceperunt, qui Deum ut in se est nondum contemplantur; qui adhuc sperant, nondum tenent seu possident Deum. Hi omnes esuriunt & sitiunt, id est, desiderant Dei fruitionem, quia nondum satiantur. Ad omnes denique pertinet beatitudinis æternæ, quæ Deus est, desiderium, quorum patientia non peribit in finem.

Psal. 9.
Cap. 9. ejusdem libri.

S. Augustin. Epist. 130. ad Probam, alias 121.
2. Cor. 6.

Propter adipiscendam vitam beatam ipsa vera Vita beata, scilicet Christus, *nos orare docuit. Vult exerceri in orationibus desiderium nostrum, quo possimus capere, quod præparat dare. Illud enim valde magnum est, sed nos ad capiendum parvi & angusti sumus. Ideo nobis dicitur:* Dilatamini, ne sitis jugum ducentes cum infidelibus. *Tanto quippe illud quod valde magnum est, quod nec oculus vidit, quia non est color; nec auris audivit, quia non est sonus; nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis illuc debet ascendere, sumemus capaciùs, quantò & id fideliùs credimus, & speramus firmiùs, & desideramus ardentiùs.... Ac per hoc & quod ait Apostolus*, sine intermissione orate, QUID *est aliud quàm beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? Semper ergo hanc à Domino Deo desideremus, & oramus semper... Ipsa est una vera & sola beata vita, ut contemplemur Domini delectationem in æternum, immortales atque incorruptibiles corpore & spiritu. Propter hanc unam cætera requiruntur, & non indecenter petuntur. Istam quisquis habuerit, omnia quæ vult habebit, nec aliquid ibi velle poterit quod non deceat. Ibi enim est fons vitæ, quem sitire nunc oportet in oratione, quamdiu in spe vivimus, & quod speramus, nondum videmus, in protectione alarum ejus, ante quem est omne desiderium nostrum, ut inebriemur ab ubertate domus ejus, & torrente voluptatis ejus potemur; quoniam apud eum est fons vitæ, & in lumine ejus videbimus lumen: quando satiabitur in bonis desiderium nostrum, & nihil erit ultra quod gemendo quæramus, sed gaudendo teneamus.*

1. Thessal. 5. 16.
Perfectus Christianus vitam æternam sine intermissione desiderat & postulat à Deo.
Propter hanc unam cætera requirit, & non indecenter petit.

Beata vita quærenda est, hæc à Domino Deo petenda est. Quod sit beatum esse, à multis multa sunt disputata, sed nos ad multos & ad multa ut quid imus? Breviter in Scripturâ Dei veraciterque dictum est, Beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius. Deum ergo quatenus beatitudo nostra est desiderare, tantùm abest ut amoris puri & vitæ interioris perfectioni repugnet; ut contra vitæ spiritualis & interioris amorisque casti perfectio in hujusmodi sancto desiderio posita sit, quod tantò ferventius est, quantò ardentior caritas est de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Hæc S. Augustini, hæc Traditionis Theologia, hæc Ecclesiæ doctrina est.

Mercedis æternæ desiderium non repugnat statui perfectionis & amoris puri.

Objicitur, Desiderium mercedis statui perfectionis & amoris puri repugnare: si quidem purus amor Deum diligit propter solam ejus bonitatem infinitã.

Respondetur, Statui perfectionis & amoris puri repugnare desiderium mercedis temporalis & à Deo distinctæ, non mercedis æternæ, perficientis, & beatificantis, quæ Deus est. Vir enim spiritualis & perfectus ait cum Propheta: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*: ait cum Sponsa sanctissima, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Perfectio Religionis Christianæ in fide, spe, & caritate consistit. *Fide, spe, & caritate colendus est Deus. Hæc enim maximè, immo verò sola in Religione sequenda sunt..... Cùm autem initio fidei quæ per dilectionem operatur, imbuta mens fuerit, tendit bene vivendo etiam ad speciem pervenire, ubi est sanctis & perfectis cordibus nota ineffabilis pulchritudo, cujus plena visio est summa felicitas. Hoc est nimirum quod requiris, QUID primum, quid ultimum teneatur, inchoari fide, perfici specie.* Cùm hic sit veræ Religionis, & Christianæ vitæ finis ultimus, nemo Christianus esse potest, qui cœlestem æternamque beatitudinem, quæ Deus est, & intuitiva Dei visio, ut summum bonum suum non speret, non desideret, non postulet à Deo. Siquidem *Omnia agenda complectitur virtus, omnia optanda felicitas*, ait S. Augustinus. *Quis unquam*, inquit idem S. Doctor, *vel potest, vel potuit, vel poterit inveniri, qui nolit esse beatus? Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Si esse vis beatus, esto immaculatus. Illud omnes, hoc pauci volunt, sine quo non pervenitur ad illud quod omnes volunt.* Amorem castum solùm desiderium & intuitum mercedis temporalis, non mercedis æternæ, quæ Deus est, excludere, docet idem Pater Sermone 19. de Verbis Apostoli, sive 179. Editionis postremæ Paris. *Amor castus*, inquit, *in te esse debes, quo amore desideres videre, non cœlum & terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, non fulgores nitoresque gemmarum: sed desidera videre Deum tuum, amare Deum tuum; quia dictum est: Dilectissimi, filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ecce propter quam visionem fac bonum, ecce propter quam noli facere malum. Si enim amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illo amore suspiras; ecce probat te Dominus Deus tuus, quasi dicat tibi, Ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam, quicquid libuerit, licitum puta, non hinc te punio, non te in gehennas mitto, faciem meam tantùm tibi nego. Si expavisti, amasti; si hoc quod dictum est, Faciem suam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, in non videndo Deum tuum magnam pœnam putasti, gratis amasti.*

Psal. 72. 26.
Cant. 2. 16.
S. August. Enchir. c. 1.
Constans S. Augustini doctrina est, amorem castum & purum non excludere desiderium mercedis æternæ, quæ Deus est.
Lib. 4. de Civit. Dei c. 21.
Serm. 1. in Psal. 118.
Cap. 10.
1. Joan. 3. 2.

Et in Psalmum 127. *Si diceret Deus, Faciem meam nunquam videbis: ecce omni ista terrena felicitate, omnibus rebus abundabis, circumfluent te bona temporalia, non illa amittis, non illa deseris, quid vis amplius? Fleret quidem & gemeret amor castus, & diceret, Immo tollantur omnia, & fa-*

Psal. 79. 3. Psal. 26. 4.

ciem tuam videam. Timor castus exclamaret de Psalmo & diceret, Deus virtutum converte nos, » & ostende faciem tuam, & salvi erimus. *Timor castus exclamaret de Psalmo & diceret*, Unam petii à Domino. *Vide quomodo ardeat timor iste castus, amor verus, amor sincerus.* Unam petii à Do» mino, hanc requiram. *Quid?* Ut inhabitem in » domo Domini omnes dies vitæ meæ. *Quid si propter terrenam felicitatem? Audi quid sequitur:* » Ut contempler delectationem Domini, & pro» tegar templum ejus: *id est, esse templum ejus, & protegi ab eo, hanc unam petii à Domino. Hanc unam si petieritis, & ad hanc unam si cor vestrum exercueritis, & hoc solum amittere timueritis, nec invidebitis felicitatibus terrenis, & illam felicitatem veram sperabitis.*

Idem Enarratione in Psalmum 137. purissimi amoris affectum exprimit, illum versum, *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo*, exponens. *Totum, inquit, cor meum flamma tui amoris accendat: nihil in me relinquatur mihi, nec quò respiciam ad meipsum, sed totus in te æstuem, totus in te ardeam, totus diligam te, tamquam inflammatus abs te.* Et tamen purissimum illum amorem omnem intuitum æternæ mercedis excludere tantùm abest ut censeat, quin immò Crispinam Sanctissimam Martyrem desiderio felicitatis æternæ flagrantem describit. *Jam non peto*, inquit, *felicitatem terrenam, didici sanctum desiderium de Novo Testamento.... Nesciebat vero illa quid desideraret, quid calcaret? Immo verò noverat psallere coram Angelis Dei, eorumque desiderare consortium, amicitiam sanctam & puram, ubi ulteriùs non moreretur, ubi judicem nosset apud quem non valere posset mendacium.*

Idem confirmat Sermone 165. aliàs 7. de Verbis Apostoli, ubi explicans quid sit Crucis altitudo, ait: *Quid est enim habere altitudinem, nisi cogitare Deum, amare Deum, & gratis amare ipsum Deum adjutorem, ipsum spectatorem, ipsum coronatorem, ipsum præmii largitorem, postremò ipsum præmium deputare, non aliud ab ipso quàm ipsum exspectare? Si amas, gratis ama: si verè amas, ipse sit merces quem amas.*

Beatitudinis æternæ desiderium ad amorem purũ pertinere cõfirmat S. Thomas.

S. Augustino consentit S. Thomas, & beatitudinis æternæ desiderium ad caritatem pertinere confirmat, 1. P. Quæst. XII. Art. VI. *Intellectus*, inquit, *plus participans de lumine gloriæ perfectiùs Deum videbit. Plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de caritate: quia ubi est major caritas, ibi est majus desiderium, & desiderium quodammodo facit desiderantem aptum & paratum ad susceptionem desiderati. Unde qui plus habebit de caritate, perfectiùs Deum videbit, & beatior erit.*

Et Prima Secundæ, Quæst. CXIV. Art. IV. *Vita æterna*, inquit, *in Dei fruitione consistit: motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus caritatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur ad hunc finem, secundum quòd aliæ virtutes imperantur à caritate.*

Et Secunda Secundæ, Quæst. XXIII. Art. I. *Mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione. Cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari. De qua quidem communicatione dicitur prima ad Corinthios 1.* Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filii ejus. *Amor autem super hanc communicationem fundatus est caritas. Unde manifestum est quòd caritas est amicitia quadam hominis ad Deum.* Amor Dei, quatenus beatitudinem suam nobis communicat, est caritas: Igitur purus & castus amor non excludit intuitum & desiderium beatitudinis & mercedis quæ Deus est; cùm in illa communicatione fundetur, sine qua amicitia non esset. Et Articulo II. caritatem post S. Augustinum definit *Motum animi ad fruendum Deo propter se ipsum.* S. August. lib. 3. de Doct. c. 10.

Et Quæst. 26. Art. 13. ad tertium: *Unicuique Deus erit tota ratio diligendi, eò quòd est totum hominis bonum. Dato enim per impossibile, quod Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi.*

In III. Sententiarum, Dist. XXVI. Quæst. II. Art. I. ad quintum: *Facere aliquid propter aliquod commodum temporale, facit actum mercenarium, non autem facere propter remunerationem æternam.*

Et Dist. XXIX. Quæst. I. Art. IV. *Habens caritatem, non potest habere oculum ad mercedem, ut ponat aliquid quodcumque finem amati, scilicet Dei: hoc enim esset contra rationem caritatis, ut est amicitia quadam. Nec iterum ut ponat aliquod bonum temporale finem ipsius amoris, quia hoc est contra rationem caritatis, ut est virtus; potest tamen habere oculum ad mercedem, ut ponat beatitudinem creatam finem amoris, non autem finem amati. Hoc enim neque est contra rationem amicitiæ, neque contra rationem virtutis, cùm beatitudo virtutum sit finis.*

Et in Responsione ad quintum: *Bonum*, inquit, *de quo est spes, magis est consonum amori quàm malum de quo est timor: & ideo quamvis perfecta caritas foras mittat timorem pœnæ, non tamen oportet quòd foras mittat intuitum mercedis.*

Denique tribus argumentis præliminaribus probat quòd in dilectione Dei possit haberi respectus ad mercedem, quæ Deus est, vel fruitio Dei. SED CONTRA. *Sicut dicitur in Glossa, Matt. 1. spes generat caritatem: spes expectatio mercedis: ergo caritas potest esse cum intuitu mercedis.*

Præterea Hebr. 11. *dicitur de Sanctis Patribus*, quòd Aspiciebant in remunerationem: *sed constat quòd ipsi diligebant Deum ex caritate* (& quidem perfecta) *Ergo dilectio Dei ex caritate* (& quidem perfecta) *compatitur intuitum mercedis.*

3. *Amicorum est quod quærant invicem perfrui: sed nihil aliud est merces nostra, quam perfrui Deo, videndo ipsum. Ergo caritas non solum excludit, sed etiam facit haberi oculum ad mercedem.* Ratio tamen præcipua, primaria, & specificativa (ut Theologi Scholastici loquuntur) cur Deus amore casto diligatur, non est merces, sed infinita bonitas, incomprehensa magnitudo, incomparabiles & adorandæ perfectiones Dei. Verùm quòd amor castus intuitum mercedis æternæ, quæ Deus est, & Dei fruitio, excludat, error est. Summa enim Dei bonitas ut se nobis communicans, ut nobis benefaciens, ut finis noster ultimus, ut summum bonum nostrum & beatitudo nostra, est objectum simul & incitamentum caritatis, quæ divina amicitia est in communicatione fundata. *Caritas* (inquit S. Thomas) *tendit in finem ultimum sub ratione finis ultimi, quod non convenit alicui aliæ virtuti.... Dilectio caritatis tendit in Deum sicut in principium beatitudinis, in cujus communicatione amicitia caritatis fundatur.* Sanè desiderium quod Deus promissionibus suis, Christus sua prædicatione excitavit, perfectioni amoris puri & casti repugnare, nemo nisi absurdè & impiè dixerit. Deus autem promissionibus suis, Christus sua prædicatione, desiderium æternæ beatitudinis & mercedis, quæ ipse est, in suorum fidelium cordibus excitavit, sive cùm beatitudines Evangelicas exposuit, Matth. 5. dixitque: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis:* 22. q. 26. A. 1.

Deus suis promissis, Christus prædicatione sua, beatitudinis æternæ desiderium in nobis excitat.

sive

sive cùm ait, Matth. 19. *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*: Sive cum Lucæ 10. ait: *Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cælis*: Sive cùm Joannis 5. ait: *Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis.* An credentium Pater Abraham imperfectus erat, cui cùm dixisset Dominus: *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis*: respondit ille promittentis liberalitati: *Domine Deus, quid dabis mihi*? Num imperfectus Moyses Deo his verbis supplicans, *Ostende mihi gloriam tuam*? Cui Deus respondit, *Ego ostendam omne bonum tibi.* De quo S. Paulus scribit: *Magis elegit affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem... Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.* An imperfectus erat David, qui ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem*? sive (ut S. Hieronymus vertit ex Hebræo) *propter æternam retributionem.* Et: *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Gloria quidem Dei præcipuus finis est ad quem omnes actus suos dirigunt Sancti, sed tamen intuitu mercedis æternæ, quam in uno Deo quærunt, excitantur ad currendum in stadio Christianæ perfectionis, ut docet Sacra Synodus Tridentina Sessione sexta de Justificatione, cap. xi. Mosis & Davidis exemplo Catholicum illud dogma confirmans. Et Cap. xvi. declarans quòd *bene operantibus usque in finem & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Jesum Christum misericorditer promissa: & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Deus igitur in se bonus, & ut nobis bonus ac benefaciens, summè amabilis est; eumque sub duplici illa ratione castus amor diligit. Etsi enim varias seu virtute distinctas (ut Theologi loquuntur) amabilitatis rationes in Deo mens nostra distinguat, unamque sine alia consideret; hæ tamen præcisiones & abstractiones à mente fiunt Deum ex parte & imperfectè cognoscente pro hoc statu, non à voluntate Deum amante. Amor enim fertur in objectum ut in se est, omnesque amabilitatis rationes per fidem sibi propositas complectitur. Deum igitur amamus quia *magnus* & infinitè *perfectus* est: *quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*: Quia *ipse prior dilexit nos*: quia *fecit nos*; quia *inquirentibus se remunerator est*; quia *sic dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret*; quia *vocavit nos de tenebris in admirabile lumen suum*, quia *Fidelis ut nobis dimittat peccata nostra: Cui enim minùs dimittitur, minùs diligit*: quia Regnum suum, fruitionem sui, bonum quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, præparat diligentibus se.* Sic Deum amant & Sancti qui in Christianæ justitiæ perfectione maximè profecerunt. Non enim alia est illorum caritas quàm incipientium & proficientium, aut aliud objectum, aliave incitamenta habet seu motiva (ut Scholastici loquuntur) quamvis perfectior sit illius gradus. Unde S. Thomas Secunda Secundæ Quæst. 23. Art. 5. ait: *Caritatis finis est unus, scilicet divina bonitas. Est etiam & una communicatio beatitudinis æternæ, super quam hæc amicitia* (hominis ad Deum) *fundatur. Unde caritas est simpliciter una virtus, non distincta in plures species.*

Genes. 15. 1. 2.
Exod. 33. 10.
Hebr. 11. 24. 20.
Psal. 118. 112.
Psal. 72. 25.

Caritas unica est specie in omnibus justis, in omnique statu.

Istud S. Thomæ principium novæ Mystagogiæ Systema evertit, & malè conceptam quintuplicis amoris distinctionem. Quæ quidem divisio & explicatio nullum habet in Scriptura Sacra fundamentum, sanctæ & venerandæ Antiquitati repugnat, planéque illusoria est. Et plures propositiones erroneas involvit simplex istius Systematis expositio.

Novæ Mystagogiæ systema evertitur.

1. *Amor quo Deus præ rebus omnibus diligitur, & qui nostris omnibus desideriis & affectibus ita dominatur, ut bonum nostrum ad puram Dei gloriam referamus, est amor mercenarius.* Quæ propositio erronea est. Hæresi proximam dicere non vererer, si meum de illa suffragium rogaretur. *Audi Israel, & observa quæ præcepit tibi Dominus, & bene sit tibi... Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (ait Deus) ipsa caritatis perfectæ definitione refellitur erronea illa propositio. Caritatem namque definiunt SS. Augustinus & Thomas, *Motum animi ad fruendum Deo propter se ipsum.* Errorem novi Systematis S. Augustinus evertit lib. 1. *De Doctrina Christiana* Cap. 22. 25. & 27. *Tunc est*, inquit, *optimus homo, cùm tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi... Hæc Regula dilectionis divinitus constituta est: Diliges proximum tuum sicut te ipsum: Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Cùm autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare ut alia re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quò totus dilectionis impetus currit... Modus ergo diligendi præcipiendus est homini, id est, quomodo se diligat ut prosit sibi. Quin autem se diligat & prodesse sibi velit, dubitare dementis est..... Ille autem justè & sanctè vivit, qui rerum integer æstimator est: ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut ampliùs diligat quod minùs est diligendum, aut æquè diligat quod vel minus vel ampliùs diligendum est, aut minùs vel ampliùs quod æquè diligendum est.* Hi caracteres, hic ordo perfectæ caritatis, non quem sibi fingunt spurii Mystici.

Plures propositiones erroneas ejus positio & explicatio involvit.

Deuteron. 6. 14.
S. August. lib. 1. de Trinit. c. 10. & Thomas 2. 2. Q. 23. A. 2.

Altera hæc Propositio in novi Systematis explicatione legitur: *Perfecta caritas seu purus amor, omne incitamentum seu motivum spei excludit.* Quæ quidem propositio de caritate hujus vitæ intellecta, prout ab Auctore novi Systematis enuntiatur, erronea est, & verbo Dei contraria. Sic namque orat David Spiritu Sancto afflatus: *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus: Deus meus adjutor meus, & sperabo in eum.* Et, *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum... Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*

Psal. 17. 1. 2.
Psal. 72. 25. 28.

Tertia novi Systematis Propositio hæc est: *Amor spei, in quo motivum proprii nostri commodi & utilitatis præcipuum est ac dominans; qui quidem amor non est caritas, sed cupiditas, & unica radix omnium vitiorum; quem denique Dei æmulatio in nobis præcisè oppugnat; initium est conversionis ad Deum.* Quæ Propositio erronea est, & in hæresim inducere mihi videtur. Has enim consequentias involvit fidei periculosas. 1. Quòd spes, quæ Theologica virtus est, malum fructum pariat. 2. Quòd amor Dei ut nobis boni sit cupiditas, & omnium radix vitiorum: & quòd Deus sui amorem à spe Christiana (ut aiunt) elicitum oppugnet, sicque à se ipso divisus sit. 3. Quòd cupiditas & amor vitiosus initium sit con-

versionis ad Deum & dispositio ad justificationem peccatoris.

Quarta Propositio novi Systematis hæc est : *Amor puræ concupiscentiæ, aut purè mercenarius, qui sui ipsius amor est potius, quàm Dei; & contra ordinem essentialem creaturæ, potest nihilominus disponere ad justitiam.* Quæ Propositio pariter erronea est, & in hæresim inducere videtur. Amor enim sui ipsius inordinatus vitium est, & origo omnis peccati. Hæresis porro est asserere quod vitium & omnis origo peccati disponat ad justitiam.

Quinta Propositio novi Systematis hæc est : *Propositiones quæ amorem puræ concupiscentiæ ita descriptum disponere asserunt ad conversionem & ad justificationem peccatoris, nihil continent contrarium doctrinæ Concilii Tridentini.* Cujus Propositionis falsitatem erroremque prodit Concilium ipsum Tridentinum Sessione 6. Cap. 6. Cap. 11. Canone 3. & Sessione 14. Cap. 4.

Vide Art. 38. Michaelis Baii.

Sexta Propositio novi Systematis hæc est: *Quicquid non oritur ex principio caritatis, oritur ex principio cupiditatis.* Quæ Propositio erronea est, & S. Augustino perperam tribuitur. Actus enim fidei, spei, & timoris Dei in peccatoribus non oriuntur ex principio caritatis, quæ nulla in illis est; nec tamen oriuntur ex cupiditate, quæ cùm sit mala, bonos fructus facere non potest. Reverentia & obedientia quam parentibus exhibent Infideles, continentia, eleemosyna, aliáque opera officio bona, nec ad idolum aut ullum pravum finem, sed ad finem honestatis relata, non sunt germina cupiditatis: alioqui omnia infidelium opera peccata essent (qui Michaelis Baii damnatus error est) nec tamen sunt fructus caritatis, quæ nulla est sine fide.

His obiter observatis, ad præcipuum argumentum redeamus, & Spuriorum Mysticorum objectiones solvere pergamus.

S. Bernardus intuitum & desiderium mercedis æternæ, quæ Deus est, ab amore casto & puro non excludit.

Objiciunt, S. Bernardum negare purum esse amorem filii qui de hereditate cogitat, sive qui patrem amat propter hereditatem. Sermone 83. in Cantica : *Amant filii, sed de hereditate cogitant, suspectus est mihi amor cui aliud quid adipisci spes suffragari videtur... Purus amor mercenarius non est.*

Respondetur, S. Bernardum loqui ex hypothesi quòd hereditas sit aliud à visione & amore Patris, qualis est temporalis & terrena, non ex hypothesi quòd hereditas sit visio & amor Patris, qualis est cælestis & æterna. Psal. 15. *Dominus pars hereditatis meæ.* Joan. 17. 3. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Certè mercenarium non esse qui ad æternam hereditatem suspirat, S. Bernardus docet, sed tamen in ipsa formali beatitudine, quæ Dei visio est & possessio, purissimi amoris gradum sublimiorem non sistere, sed ad Deum quatenus objectiva nostra beatitudo est, tendere, & illum unum desiderare, ut eo fruatur. Amor igitur purissimus, & in sublimiori gradu non excludit desiderium fruendi Deo, qui est hereditas nostra & merces magna nimis, imò sanctum illud desiderium includit,

Sermone S. de Diversis.

secundùm S. Bernardi doctrinam. *Ipse est*, inquit, *status filii jam robustæ ætatis, qui sub patre vivit, nec lacte jam potatur, sed vescitur solido cibo, oblitus sanè quæ retro sunt, in quibus servilis oculus in amaritudine morabatur: sed nec ipsa quidem præsentia considerans, nec parvas parvulorum consolationes captans, magis autem extendens se in anteriora, ad palmam supernæ vocationis, & introitum futuræ beatitudinis expectans beatam spem & adventum gloriæ magni Dei. Evacuavit enim quæ erant parvuli, nec circa ejusmodi suaves quidem, sed non perennes consolationes hactenus occupatur. Sed quia jam profecit in virum perfectum; in his quæ Patris sunt oportet eum esse, suspirare ad hereditatem, sedulóque circa eam meditatione versari. Numquid enim mercenarium eum quis æstimet qui paternæ inhiat hereditati, eamque toto affectu expetit & expectat, quam nimirum filii mercedem esse, non mercenarii, Propheta testatur :* « Cùm dederit, inquit, dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini, filii merces fructus ventris. » *Invenitur tamen alter gradus sublimior, & affectus dignior isto, cùm penitus castificato corde nihil aliud desiderat anima, nihil aliud à Deo quærit quàm ipsum Deum. Crebro siquidem didicit experimento, quoniam bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti ipsum, ita ut jam ex affectu cordis atque ex sententia clamet illud in Psalmo:* « Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. » *Neque enim suum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quicquam tanquam privato sui ipsius amore desiderat anima quæ ejusmodi est, sed tota pergit in Deum, unicumque ei ac perfectum desiderium est, ut introducat eam Rex in cubiculum suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur. Unde & jugiter revelata facie, quoad potest, cælestis Sponsi gloriam speculando, in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu. Ex hoc planè audire meretur:* « Tota pulchra es, amica mea. » *Audet & ipsa loqui:* « Dilectus meus mihi, & ego illi. »

Psal. 126. Psal. 72. Cant. 4. Cant. 2. Epist. 11.

Contra. Deum castè non diligit, qui propter se diligit, non propter ipsum (inquit S. Bernardus) Et hic talis non potest obedire Prophetæ, qui ait : *Confitemini Domino quoniam bonus.* Confitetur quidem quia fortasse *bonus est sibi, non autem quoniam bonus est in se.* Quamobrem noverit in se dirigi illud ab eodem Propheta opprobrium : *Confitebitur tibi cum benefeceris ei. EST qui confitetur Domino quoniam potens est; & est qui confitetur quoniam sibi bonus est; & item qui confitetur quoniam simpliciter bonus. Primus servus est, & timet sibi: secundus mercenarius, & cupit sibi: tertius filius, & defert Patri. Itaque & qui timet, & qui cupit, uterque pro se agunt; sola quæ in filio est charitas, non quærit quæ sua sunt.* Intuitus igitur mercedis & proprii commodi cum amore casto & puro cohærere non potest.

Respondemus, Intuitum mercedis temporalis, & à Deo distinctæ non cohærere quidem cum amore casto & puro, sed intuitum & desiderium mercedis æternæ quæ Deus est, cum amore casto optimè cohærere, & ab illo proficisci. Deum enim ideo spectat & desiderat ut bonum suum, quia summum bonum est & finis ultimus omnis creaturæ intellectualis, & hoc nomine per se expetendus. Cæterùm ille solus convincitur non castè diligere, *qui magis aut certè solùm diligit bonum quatenus suum*, & illud ad se refert, non se ad illud, eóque vult uti, non frui. Qui autem Deum diligit & cupit ut finem suum ultimum, ut suum & omnis creaturæ intellectualis beatificum bonum, eoque vult frui, id est, ei *amore inhærere propter ipsum*, ut loquitur S. Augustinus, se ipsum ad Deum refert, non Deum ad se; neque illum diligit magis quatenus bonum suum est, quàm quatenus simpliciter bonus est. Quamobrem non est *amor privatus*, de quo S. Bernardus ait, quòd animam non convertit, quippe qui *mutat interdum vultum vel actum, affectum nunquam.* Filius igitur cupiens hereditatem patris, Deum ut summum suum & omnis creaturæ intellectualis Bonum desiderans, ut eum sine fine diligat, eo fruatur, mercenarius non est; neque desiderium illud est cupiditatis, sed caritatis. Et qui hoc flagrat desiderio, non convenit ista S. Bernardi sententia: *Facit & mercenarius opus Dei sed quia non gratis, propria*

S. Bernard. ibid.

non trahi cupiditate cognoscitur. Porro ubi proprietas, ibi singularitas: ubi autem singularitas, ibi angulus: ubi vero angulus, ibi sine dubio sordes sive rubigo.

Purus amor est quo Deus diligitur & colitur, non propter mercedem quæ est ipse.

Castus certè & purus amor est, quo Deus colitur & amatur propter mercedem quæ est ipsemet quâ Deus amatur ut beatitudo nostra; castum desiderium quo desideratur ut objectum Christianæ spei, ad quod ut nobis bonum. Unde S. Augustinus in Psalmum 53. *Nos ergo Deum amemus, fratres, pure & caste. Non est castum cor, si Deum ad mercedem colit. Quid ergo? Mercedem de Dei cultu non habebimus? Habebimus planè, sed ipsum Deum quem colimus: ipse nobis merces erit.* Hinc S. Leo Sermone 90. qui septimus est de Jejunio septimi mensis, Cap. 3. *Diligenti Deum*, inquit, *sufficit ei placere quem diligit: quia nulla major expetenda est remuneratio, quàm ipsa dilectio. Sic enim charitas ex Deo est, ut Deus ipse sit charitas. Quo utique pius & castus animus ita gaudet impleri, ut nulla re extra ipsum cupiat delectari. Verissimum namque est quod dicit Dominus:* Ubi est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. *Quis autem est thesaurus hominis, nisi quædam fructuum ejus congregatio, laborúmque collectio?* Quod enim quis seminaverit, hoc & metet, *& quale cujusque opus, talis est & quæstus: & ubi oblectatio fruendi constituitur, ibi cura cordis obstringitur. Sed cùm multa sint genera divitiarum, tanquam dissimiles materiæ gaudiorum, thesaurus cuique est sua cupiditatis affectus, qui si de appetitu terrenorum, non beatos facit sui participationis, sed miseros. Hi verò qui ea quæ sursum sunt sapiunt, non quæ super terram, nec perituris intenti sunt, sed æternis, in illa habent incomparabiles reconditas facultates, de quibus dicit Propheta:* Thesaurus & salus nostra advenit, sapientia & disciplina & pietas à Domino.

Matt. 6. 21.

Deus, purè castèque diligitur & suo merito, & nostro commodo.

Non alia S. Bernardi mens est in Tractatu *De diligendo Deo*, Cap. 1. scribentis: *Deum propter se diligendum, sive quia nihil justius, sive quia nihil fructuosius diligi potest.* Illum & *suo merito*, & *nostro commodo* diligi. *Non enim sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu diligendus sit. Vacua namque vera caritas esse non potest, nec tamen mercenaria est, quippe quæ non quærit quæ sua sunt... Verus amor se ipso contentus est. Habet præmium, sed id quod amatur.... Amor ipse meritum, ipse præmium est sibi. Amor præter se non requirit causam, non fructum. Fructus ejus, usus ejus. Amo, quia amo, amo, ut amem. Magna res amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti, semper ex eo sumat unde jugiter fluat.* Aliud igitur ab eo quod amatur non desiderat purus amor, sed objectum amatum videre, eóque frui desiderat, ut suo refusus fonti, ex eo sumat unde jugiter fluat. Hæc merces est perficiens amorem, cujus proinde intuitus amori castissimo & purissimo non repugnat. *Sponsa res & spes unus est amor. Hoc Sponsa abundat, hoc contentus est Sponsus. Nec is aliud quærit, nec illa aliud habet.* Et tamen dilectum Sponsum quærit & desiderat Sponsa castissima, *quærit Verbum quo fruatur ad jucunditatem.* Denique idem Mellifluus Pater orando nil quærendum esse docet præter Verbum. *Non rectè oras*, inquit, *si orando præter Verbum aliquid quæras, aut quod propter Verbum non quæras, quoniam in ipso sunt omnia. Ibi remedia vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum, ibi profectuum copia, ibi denique quicquid accipere vel habere hominibus expedit, quicquid decet, quicquid oportet. Sine causa ergo aliud à Verbo petitur, cùm ipsum sit omnia.* Desiderium igitur summi Boni quod Deus est, & fruitionis ejus, amoris purissimi affectus est: Petitio Verbi & fruitionis ejus, quod est totum Animæ sanctæ, ad Orationem perfectorum pertinet.

Desiderium mercedis amorem perficientis ex puro amore est.

Sponsa cælestis amore purissimo Sponsum amans, illo frui desiderat & petit.

Serm. 83. in Cantica.

Serm. 86.

Hinc rursus S. Bernardus Sermone LIX. in Cantica, explicans hæc verba Sponsi, *Vox turturis audita est in terra nostra*, ait: *Donec homines pro Dei cultu mercedem tantùm in terra, & tantùm terram acceperunt, minimè se cognoverunt peregrinos super terram, nec more turturis ingemuerunt veluti patriæ reminiscentes...... Ubi ergo regni cælorum promissio facta est, tunc intellexerunt homines se non habere hîc manentem civitatem, sed futuram inquirere tota aviditate cœperunt: & tunc primùm manifestè sonuit in terra vox turturis. Nam dum sancta quæque jam anima Christi præsentiam suspiraret, regni dilationem molestè ferret, desideratam patriam gemitibus & suspiriis à longè salutaret; Nonne tibi videtur vice fungi gemebunda ac castissima turturis quæcumque anima in terris ita fecisset? Ex tunc ergo & deinceps vox turturis audita est in terra nostra. Quidni moveat mihi crebras lacrymas & gemitus quotidianos Christi absentia?* Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Laboravi in gemitu meo, *tu scis; sed beatus qui dicere potuit:* Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. *Non solùm autem mihi, sed omnibus qui diligunt adventum ejus, gemitus isti comperti sunt. Hoc quippe est quod ipse aiebat:* Numquid possunt filii Sponsi lugere, quamdiu cum illis est Sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis Sponsus, & tunc lugebunt. *Ac si diceret: Et tunc vox turturis audietur. Ita est, Jesu bone, venerunt dies illi. Nam ipsa creatura ingemiscit & parturit usque adhuc revelationem filiorum Dei exspectans. Non solùm autem illa, sed & nos ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri: hoc scientes quia quamdiu sumus in corpore hoc peregrinamur à Domino.* Subdit & tempore Veteris Testamenti fuisse vocem istam gementium, sed raram; & ideo tunc dici non potuisse, *Vox turturis audita est in terra nostra.* At ubi palam clamatum est: *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens*, AD OMNES *jam cœpit pertinere gemitus iste turtureus, & una omnibus esse gemendi ratio, quia omnes sciebant Dominum... Cæterùm si multi gemunt, quod sibi vult unius expressio?* Vox turturis. *Quare non turturum?* Fortè Apostolus *id solvit, ubi ait: Quia* ipse Spiritus postulat *pro Sanctis* gemitibus inenarrabilibus. *Ita est, ipse inducitur gemens, qui gementes facit. Et quamlibet multi sint quos ita gemere audias, unius per omnium labia vox sonat.* Omnes igitur Animæ Sanctæ Dei fruitionem & Christi præsentiam desiderant, secundùm Theologiam S. Bernardi in Scriptura Sacra fundatam. Quicumque Sponsi filius est, gemit quamdiu absens est Sponsus, & ad eum suspirat. Hi gemitus, hæc desideria pertinent ad omnes qui Christi adventum diligunt, qui perfectam & consummatam adoptionem filiorum Dei exspectant, quibus dictum est, *Quæ sursum sunt sapite*; in quibus denique Spiritus Sanctus inhabitat.

Omnes animæ Sanctæ Dei fruitionem & Christi præsentiam desiderant.

Psal. 37.

Psal. 6.

Matt. 9.

Contra. Cassianus mercenariam spei cupiditatem definit, *in qua non tam bonitas largientis, quàm præmium retributionis expetitur.* Igitur perfecti non desiderant præmium retributionis.

Cassianus lib. cap. 1.

Objectioni ex Cassiano petitæ responsio.

Respondetur, Perfectos non desiderare præmium retributionis magis quàm bonitatem largientis, quod perversum esset; sed præmium retributionis desiderare, quod est ipsa bonitas largientis; hoc enim Christianæ spei castum desiderium est, non mercenaria spei cupiditas. Hoc desiderio flagrans anima ait cum Propheta: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam & apparebo*

Psal. 41.

ante faciem Dei? Hoc desiderio æstuans, precatur, secundùm quòd à Christo instituta est: *Pater noster, qui es in Cælis, Adveniat regnum tuum.* Christianæ professionis finis regnum cælorum est, tantùm abest ut illius desiderium sit imperfectorum. Abbas Moyses apud Cassianum Collatione 1. Cap 3. interrogat Monachos, quæ sit illorum destinatio vel finis, qui ad tot labores sustinendos illos provocat: Respondet Cassianus, *Regni cælorum causâ cuncta hæc tolerari.* Cap. 4. *Finis quidem nostræ professionis regnum Dei, seu regnum cælorum est, destinatio verò nostra, id est scopus, puritas est cordis, sine qua ad illum finem impossibile est quempiam pervenire.* Et Cap. 14. Perfectas animas, quæ jam cæli gloriam prægustarunt, Christum cum Apostolo ferventer desiderare docet, ac vehementer optare dissolutionem sui corporis ut Deo fruantur. *In tantum*, inquit, *hoc quod dicimus Beatus Apostolus verum esse cognoscit, ut etiam optet ab hac carne discedere, ut separatione ejus enixiùs valeat Domino* » *copulari docens:* Desiderium habeo dissolvi, & » cum Christo esse, multò enim melius. Quoniam » dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino. » Et idcirco audemus & bonam voluntatem habe» mus magis peregrinari à corpore & præsentes esse ad Dominum. Propter quod *etiam* contendi» mus sive absentes sive præsentes placere illi. *Commorationem scilicet animæ quæ in hac carne est, peregrinationem à Domino, atque absentiam à Christo esse pronuncians; ejusque ab hac carne separationem atque discessum, præsentiam esse ad Christum tota credulitate confidens.*

Christianæ professionis finis, Regnũ Cælorum est.

Animæ perfectæ vehementer desiderant esse cũ Christo, & Deo frui.

Hinc Martyres, quorum purissimus & perfectissimus amor, beatitudinem æternam, & cœlestem mercedem, quæ Deus est, ardentissimè expetebant, ejúsque intuitu in mediis tormentis exultabant, his Christi Domini verbis animati: *Exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælo.* Testis est S. Ignatius Martyr in Epistola ad Romanos ex Versione Usserii. *Nunc*, inquit, *incipio discipulus esse; nihil me zelare visibilium & invisibilium, ut Jesu Christo fruar. Ignis & crux, bestiarumque congregationes, dispersiones ossium, concisio membrorum, molitiones totius corporis, mala punitiones diaboli in me veniant, solum ut Jesu Christo fruar... Illum quæro, qui pro nobis mortuus est; illum volo qui propter nos resurrexit... Dimittite me purum lumen accipere... Vivens scribo vobis, desiderans mori. Meum desiderium crucifixum est; & non est in me ignis amans aliquam aquam: sed vivens & loquens est in me, intus me dicit: Veni ad Patrem... Petite pro me ut attingam.*

Martyres intuitum & desiderium mercedis æternæ cum amore puro conjunxerunt.

Luc. 6. 23. & 10. 20.

Testis S. Maximus Martyr anno circiter 250. passus in persecutione Decii, in cujus Actis sinceris Martyrii Proconsul ait: *Sacrifica ut salveris. Quod si nolueris, variis faciam te deficere tormentis.* Maximus respondet: *Hoc est quod semper optavi. Propterea enim me manifestavi, ut tandem carens miserabili & temporali vita, æternam reciperem.* Proconsul: *Sacrifica ut animam lucreris.* Maximus: *Animam meam lucrabor, si non sacrificavero; quod si sacrificavero, perdo eam. Mihi enim nec fustes, nec ungula, nec ignes sentiendi dant dolorem, quia in me manet gratia Christi, quæ me salvam faciet in æternum omnium Sanctorum orationibus, qui in hac colluctatione certantes, vestras superaverunt insanias, nobisque virtutum exempla reliquerunt.*

Testis S. Cyprianus, qui spe cælestis præmii Confessores ad Martyrium fortiter ferendum accendit, Epist. 8. *Hic est agon*, inquit, *quem nobis ostendit Beatus Apostolus Paulus, in quo oportet nos currere, & ad coronam gloriæ pervenire. Nescitis, inquit, quia qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, unus tamen accipit palmam? Sic currite ut occupetis. Omnis enim qui agonizat in omnibus continens est, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Item suum certamen ostendens, & hostiam se Domino cito futurum esse promittens, ait: Ego jam libor, & tempus instat assumptionis meæ. Bonum agonem certavi, cursum perfeci, fidem servavi. Jam superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, ille justus judex: non solum autem mihi, sed & omnibus qui dilexerint adventum ejus. Hunc igitur agonem per Prophetas ante prædictum, per Dominum commissum, per Apostolos gestum Mappalicus suo & Collegarum nomine Proconsuli repromisit, nec fefellit in promisso suo vox fidelis... Si vos acies provocaverit, si certaminis vestri dies venerit, militate fortiter, dimicate constanter, scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, Confessione nominis ejus ad ipsius gloriam pervenire..... Certent nunc singuli ad utriusque honoris amplissimam dignitatem, ut accipiant coronas vel de opere candidas, vel de passione purpureas.*

Contra. Desiderium beatitudinis quatenus bonum nostrum est, nunquam est sine amoris proprii admixtione, qui Dei æmulationem provocat: non est igitur sine cupiditate. Igitur cum amore purissimo cohærere non potest.

Desiderium beatitudinis æternæ quæ Deus est, nullam amoris proprii labem ad ratam habet.

Respondetur, Falsam esse primam propositionem. Amor enim proprius qui Dei æmulationem provocat, ille est cujus impulsu beatitudinem nostram extra Deum quærimus: sed beatitudinem nostram in solo Deo desiderare & quærere, casti amoris & ordinatæ caritatis actus est. Beatitudinem æternam proprium bonum nostrum esse Christus docet his verbis: *Si ergo* (inquit) *in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?* Hinc cælestis Sponsa suo & perfectorum amantium nomine ait: *Lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum; recti diligunt te.* Hinc S. Augustinus: *Ipsa est* (inquit) *beata vita, gaudere ad te, de te, propter te; ipsa est, & non altera.*

Luc. 16. 11. & 12.

Cantic. 1. 3.

Libro 10. Confess. cap. 22.

Deum gratis colit, & purè castéque diligit, qui illum colit propter æterna bona, ut passim inculcat S. Augustinus: *Exigitur ergo à te* (inquit) *ut & tu gratis eum colas; non quia dat temporalia, sed quia præstat æterna.* Ita Deum colere, perfectorum est. Unde ad Abraham pariter ait Deus: *Ego merces tua magna nimis... Ambula coram me, & esto perfectus.* Mercenarium dicere qui Dei possessionem desiderat, error est. *Vacua namque vera caritas esse non potest, nec tamen mercenaria est: quippe non quærit quæ sua sunt... Verus amor se ipso contentus est. Habet præmium, sed id quod amatur. Nam quicquid propter aliud amare videaris, id planè amas quò amoris finis pertendit, non per quod tenditur... Deum amans Anima, aliud præter Deum sui amoris præmium non requirit: aut si aliud requirit, illud pro certo, non Deum diligit.* Si Dei, ut boni nostri, & beatitudinis nostræ desiderium cupiditatem vocare placeat, non admodum contendam de verbo; sed cupiditatem dicam ordinatam, cupiditatem perfectæ caritati non repugnantem, sicut nec ei repugnat timor castus. *Nunquam erit caritas sine timore* (inquit S. Bernardus) *sed casto: Nunquam sine cupiditate, sed ordinata.* Seipsum diligit, qui Deum ut bonum sibi amat, fateor, sed seipsum diligit ut oportet, caritate ordinata: *Ordinavit in me caritatem* (inquit Sponsa) ita se diligere jubetur. *Quia nemo nisi Deum diligendo, diligit se ipsum* (inquit S. Augustinus) *non opus erat ut dato de Dei dilectione præcepto, etiam se ipsum homo diligere juberetur, cùm in eo diligat se ipsum quòd diligit Deum... Tantò nobis melius est, quantò magis in illum imus, quo nihil melius est.* Deum diligimus

In Psalm. 43.

Genes. 15. & 17. 1.

S. Bernard. Tract. de diligendo Deo cap. 7.

Ibid. cap. 14

Lib. 1. de Doctr. Christ. c. 31. & Epist. 155. ad Macedon.

amore

amore purissimo ut Deum ac Dominum nostrum, ut creatorem nostrum, ut redemptorem nostrum, non ut ipsi bene sit, sed ut bene sit nobis. *Diligatis eum bono vestro*, inquit S. Augustinus, *non bono ipsius: quia malo vestro eum non diligitis, non malo ipsius. Non enim minus habebit Deus divinitatem, si homo in illum non habeat caritatem. Tu crescis ex Deo, non ille ex te... Ergo ipso est in quo debemus lætari. Nemo homo sibi arroget partes ipsius: ab ipso est lætitia quæ nos facit felices.*

In Psal. 149. n. 4.

Deum igitur amare & propter bona, quæ ab ipso recepimus, & propter ea quæ speramus, perfectorum est. *Si quid habeo* (inquit S. Augustinus) *à Deo sumpsi, non à me præsumpsi; atque ab illo in me perfici fideliter spero, à quo inchoatum esse humiliter gaudeo; nec in eo quod adhuc donavit, incredulus; nec in eo quod jam donavit, ingratus.* Se amat amore perverso qui terrena bona magis quàm Deum, ???: contra Dei voluntatem desiderat: Se amat amore ordinato & perfecto qui æterna bona desiderat. *Sapientes animæ* (inquit S. Leo) *quæ unum timere, unum diligere, & in unum Dominum sperare didicerunt, mortificatis cupiditatibus ad nullum hostium metum, ad nullum inclinantur obsequium. Voluntatem enim Dei etiam sibi præferunt, & tanto amplius se amant, quantò ampliùs pro Dei amore se non amant... Perdentes se in eis quæ carnaliter cupiunt, & invenientes se in eis quæ spiritu concupiscunt.*

Deus amare pro iis diligitur & propter bona quæ ab illo recepimus, & propter ea quæ ab ipso speramus.

S. Leo Serm. 62.

Fatendum tamen est, si Regnum cælorum carnaliter cogitetur, velut aliud quid à Deo, quo felices æternùm simus, sic regnum cælorum non desiderari sine amoris proprii aliquâ labe, neque hujusmodi desiderium ad amorem castum & purum, sed ad spem mercenariam pertinere.

Hinc Clemens Alexandrinus lib. 14. Strom. p. 539. ait: quòd vir spiritualis *non considerat an aliquod utile lucrum, vel delectatio aliqua extrinsecùs consequatur sed tractus à dilectione ejus qui verè est Amatorius, & ad id quod fieri oportet adductus, pius est Dicendi, &c.*

Hinc S. Gregorius Nazianzenus Oratione 111. ait: *Hominibus placere parum admodum curamus, id unum expetentes ut honorem à Deo consequamur, imo sublimius etiam assurgimus (De iis loquor qui vero Dei amore præditi sunt) quippe qui summo Bono conjungi propter ipsum summum Bonum exoptamus, non autem propter honores in altero ævo reconditos. Secundus enim hic honestorum & laudabilium virorum gradus est, pretio ac mercede aliquid facere; quemadmodum in tertia classe collocandi sunt, qui pœna metu à scelere deterrentur.*

Hinc S. Augustinus in Psalmum 43. ait: *Ipsa æterna vide ne aliter cogites, & cogitando æterna carnaliter, nihilominus Deum gratis non colas. Quid enim? Si ideo colis Deum quia dat tibi fundum, non eum culturus es quia tollit tibi fundum? Sed fortè tu dicis, Ideo eum colam, quia dabit mihi villam, non tamen temporalem. Nihilominus adhuc corruptam mentem geris: amore enim casto non colis, adhuc mercedem expetis. Ea enim vis habere in futuro sæculo, quæ hìc necesse est relinquas: mutare vis voluptatem carnalem, non amputare.*

Hinc S. Bernardus Sermone 111. *De Diversis*, explicans illa verba Psalmi, *Pater filiis notam faciet veritatem suam*, ait: *Non revelatur servo veritas, quia* SERVUS NESCIT QUID FACIAT DOMINUS EJUS. *Sed nec mercenarius rapitur ad contemplandam veritatem, qui propriam quærit utilitatem. Filio autem Pater notam faciet veritatem suam, quem audit dicentem:* VERUMTAMEN NON QUOD EGO VOLO, SED QUOD TU PATER. *Revelatur itaque servo Dei potestas, mercenario felicitas, filio veritas: non quòd in Deo ista diversa sint, cui idem posse, quod felicem & veracem esse: sed quòd à creatura Creator pro diversis ejusdem creaturæ affectibus, diversis sentiatur respectibus. Audi denique vocem filii:* DOMINE, SALVUM ME FAC. *Quarè? Fortè ne ardeat in inferno, fortè ne fraudetur præmio? Non, inquit, sed* PSALMOS NOSTROS CANTABIMUS CUNCTIS DIEBUS VITÆ NOSTRÆ IN DOMO DOMINI. *Non, inquit, quæro salutem, ut pœnas vitem, aut in cælo regnem, sed ut te in æternum cum illis laudem de quibus scriptum est:* BEATI QUI HABITANT IN DOMO TUA, DOMINE, IN SÆCULA SÆCULORUM LAUDABUNT TE. *Servus dicit*, VADAM AD PORTAS INFERI. *Mercenarius*: NON VIDEBO DOMINUM DEUM IN TERRA VIVENTIUM. *Filius*: PSALMOS NOSTROS CANTABIMUS CUNCTIS DIEBUS VITÆ NOSTRÆ IN DOMO DOMINI. *Cui simile est illud:* APERITE MIHI PORTAS JUSTITIÆ, INGRESSUS IN EAS CONFITEBOR DOMINO. *Et qui timet ire ad portas inferi, & qui Deum cupit videre propter quietem sui, uterque profectò quærit quæ sua sunt. Porro qui Psalmos cantare desiderat in domo Domini, non sua vel pericula fugit, vel lucra appetit, sed illum procul dubio diligit, quem laudare gestit cunctis diebus vitæ suæ.*

Joan. 15.

Matth. 26.

Psal. 83.

Psal. 117.

Benedic anima mea Dominum, qui replet in bonis desiderium tuum. *Replet in bonis, excitat ad bonum, tenet in bono: prævenit, sustinet, implet. Ipse facit ut desideres, ipse est quod desideras. Ipse fecit, vel potiùs factus est ut amaretur:* IPSE SPERATUR AMANDUS FELICIUS, NE IN VACUUM SIT AMATUS. *Ejus amor nostrum & præparat, & remunerat. Præcedit benignior, rependitur justior, exspectatur suavior. Dives est omnibus qui invocant eum, nec tamen quicquam se ipso melius. Se dedit in meritum, se servat in præmium.*

S. Bernard. lib. De diligendo Deo, cap. 7.

Contra. Majoris perfectionis est citra spem mercedis Deo servire: Animæ igitur quæ ad vitæ spiritualis & puri amoris perfectionem pertigerunt, beatitudinem non desiderant, neque à Deo petunt, sed in sancta indifferentia sunt constitutæ, & in Dei voluntate placidissimè conquiescunt.

Sine spe mercedis æternæ quæ Deus est, Deo servire, non est majoris perfectionis: imò Christianus spem hujusmodi debet habere.

Respondetur, Imperfectionis esse Deo servire spe mercedis temporalis, sicut illi carnales Israëlitæ serviebant; perfectioni verò non repugnare intuitum mercedis æternæ, quæ Deus est, Deique visio, amor, & æterna fruitio: nec majoris esse perfectionis citra spem hujusmodi mercedis Deo servire: alioqui spei Christianæ exinanitio ad statum perfectionis pertineret vel necessaria esset, quod vel cogitare, non modò absurdum, sed impium; pertinaciter verò defendere, hæreticum est. *Bonum quod propriè & principaliter à Deo sperare debemus*, (inquit S. Thomas) *est bonum infinitum, quod proportionatur virtuti Dei adjuvantis. Nam infinitæ virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere. Hoc autem bonum est vita æterna, quæ in fruitione ipsius Dei consistit. Non enim minus aliquid ab eo sperandum est, quàm sit ipse, cùm non sit minor ejus bonitas, per quam bona creaturæ communicat, quàm ejus essentia. Et ideo proprium & principale objectum spei est beatitudo æterna.*

Secunda Secundæ, Quæst. 17. Art. 2.

Responsionem nostram confirmat S. Joannes Chrysostomus Homilia 5. in Epistolam ad Romanos. *Assiduè peccamus*, inquit, *unquam non in peccatis vivimus, qui si quandoque vel tantillum boni officii præstiterimus, ingratorum servorum more, id certè accuratâ ac velut institoria supputatione examinamus, curiose de remuneratione solliciti, quam mercedem rei à nobis gesta habere debeat. Atqui major*

Amore puro Deum diligunt qui propter aliam ab ipso mercedem illum non diligunt & colunt.

tibi

tibi merces, si modò citra mercedis spem feceris. Hactenus dictitare & curiosè indagare, mercenarii potius verba sunt, quam grati servi. Sunt enim omnia propter Christum agenda, non mercedem propter. Ob hoc & gehennam comminatus est, & cælorum regnum promisit, ut à nobis ametur. Amemus igitur illum ut amare quidem par est. Hæc enim magna certè merces, hoc cælorum regnum, & voluptas & beatitudo infinita. Sic S. Petrus, aliique Apostoli, regnum ipsum cælorum, quatenus aliud quid à Deo esse concipitur, minùs quàm ipsum amabant. *Omnia enim ipse illis erat, ac neque cælum, neque regnum amato præferebant. Tu enim mihi illa omnia* (inquit) *Quid miraris si Petrus ita esset in Deum animatus? Etenim audi quid Propheta dicat: QUID enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Ac si dixisset: *Nullius prorsus alterius rei nec cælestis, nec terrestris, sed tuo unius desiderio teneor. Hic sanè amor est, hæc amicitia: hoc modo si amaverimus, nec præsentia bona, nec futura quicquam esse præ eo amore arbitrabimur: atque hic cælestis regni fructum decerpemus, copiosa atque abundanti Dei caritate affluentes.* Eamdem Responsionem confirmat S. Gregorius M. Homilia XV. in Ezechielem. *Quid sunt* (inquit) *in sanctâ Ecclesiâ thalami, nisi eorum corda in quibus Anima per amorem Sponso invisibili jungitur, ut ejus desiderio ardeat, nulla jam quæ in mundo sunt concupiscens, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, & amoris amplexu in cælestis Sponsi visione requiescere? Mens igitur quæ jam talis est, nullam præsentis vitæ consolationem recipit, sed ad illum quem diligit medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur. Valis ei fit ipsa salus corporis, quia transfixa est vulnere amoris.* Unde & in Canticis dicit: *Vulnerata caritate ego sum.* Hæc Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ de viæ interioris perfectione doctrina.

Christus regnum cælorum promisit, ut à nobis ameretur.

Eamdem Responsionem confirmat Hugo à Sancto Victore libro 2. De Sacramentis, Cap. 8. *Sed fortè, inquit, mercenarius eris, si diligis Deum, & servis ei, ut præmium ab illo accipias. Dicunt hoc stulti quidam, & tam stulti, ut se ipsos non intelligant: Diligimus Deum, & servimus illi; sed non quærimus præmium ut mercenarii simus: etiam ipsum non quærimus. Dabit si voluerit, sed nos non quærimus. In tantum enim excutimus manus ab omni munere, ut etiam ipsum non quæramus quem diligimus. Pura enim & gratuita & filiali dilectione diligimus, nihil quærimus. Ipse cogitet si quid dare voluerit, nos nihil requirimus. Diligimus ipsum, sed non quærimus aliquid, etiam ipsum non quærimus quem diligimus. Audite homines sapientes: Diligimus, inquiunt, ipsum; sed non quærimus ipsum. Hoc est dicere, Diligimus ipsum, sed non curamus de ipso. Ego homo sic diligi nollem à vobis. Si me sic diligeretis, ut de me non curaretis, ego de vestra dilectione non curarem. Vos videritis, si dignum est ut Deo offeratis, quod homo dignè respueret. Quomodo, inquiunt, mercenarii non sumus, si Deum propter hoc diligimus ut præmium ab ipso accipiamus? Non est gratis hoc amare, neque amor iste filialis, sed mercenarii & servi, qui pretium quærit pro servitute sua. Qui hoc dicunt, virtutem dilectionis non intelligunt. Quid est enim diligere, nisi ipsum velle habere? Non aliud ab ipso, sed ipsum, hoc est gratis. Si aliud quæreres ab ipso, gratis non amares. Nunc autem non aliud quæris pro eo quod amas, & tamen aliquid quæris & desideras in eo ipso quod amas. Alioquin non amares, si non desiderares. Sed aliud est pro ipso, aliud in ipso. Si pro ipso aliquid amas, mercenarius, si in ipso amas, & ipsum amas, filius es. Etiam si vitam æternam aliquid esse cogitaveris, & diversum ab ipso bono quod Deus est, & pro ipso adipiscendo tantum servieris, non est pura servitus, atque dilectio gratuita. Filii illi Zebedæi, qui consessum à dextera & sinistra petierunt in regno ejus, quiddam aliud cogitaverunt alienum & diversum à bono isto, & pro eo adipiscendo aliquando illi adhæserunt, donec increpati & mutati veritatem cognoverunt, & intentionem correxerunt. Putaverunt enim quod Deo serviendum esset pro eo quod ipse non esset: Quia non intellexerunt ipsum esse bonum quod solum amandum est propter se ipsum, & quicquid amandum est præter ipsum, amandum est propter ipsum, quod quidem tantò amatur felicius, quantò ardentius. Qui hoc amat, seipsum amat, quia bonum suum amat, & verè amat, quia verum bonum amat. Propterea Scriptura non dixit tibi, Te ipsum diligas: ne fortè errares & putares indulgendum tibi, & studendum iis quæ foris sunt commoda, & carni suæ suavia, & existimares quod sic te diligere deberes, & occasionem sumeres in Scriptura, ut solam carnem tuam foveres, & animam tuam negligeres: propter hoc non dixit tibi ut teipsum diligas, ne hoc intelligeres, ubi magis diligeres, & hoc negligeres, ubi periculosius deperires. Non ergo tibi dixit ut te ipsum diligas, nec tamen omnino tacuit, cùm dixit ut Deum tuum diligas. Cùm enim diligis Deum tuum, diligis bonum tuum, & melius bonum, & melioris bonum. Et cùm diligis bonum tuum, diligis te ipsum; qui bonum ipsius diligis, & quod bonum est illi diligis.*

Mercenarios æstimat, falsos, qui Deum diligant & ei serviant ut vitam æternam ab ipso accipiant. Stultum figmentum est.

Nemo sanè Catholicus considerata ratione dixerit imperfectionis esse Deum desiderare, utque Regnum Dei nobis veniat, quod venturum est omnibus Sanctis, quibus dicetur, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum.* Numquid verò id desiderare Christus non docuit, cùm jussit omnibus fidelibus, etiam ipsis Apostolis, ut sic orent: *Pater noster qui es in cælis, adveniat Regnum tuum?* Numquid Ecclesia in persona dumtaxat imperfectorum canit: *Æterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari; Salvum fac populum tuum Domine & benedic hereditati tuæ?* An imperfectis dumtaxat Sacerdotibus præscribit hanc orationem, cùm Manipulum induunt sacrosanctum Missæ sacrificium celebraturi? *Merear Domine, portare manipulum fletus & doloris, ut cum exsultatione percipiam mercedem laboris?* An imperfecti nec omnino puri amoris sunt sanctæ illæ preces Canonis Missæ: *Ab æterna damnatione nos eripi, & in Electorum tuorum jubeas grege numerari?* Si quis id dixerit, dicam illi quod Pelagio & Celestio in materia gratiæ S. Augustinus: *Exerce contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas.* Cum itaque *Legem credendi lex statuat supplicandi*, omnino dicendum est desiderium & intuitum æternæ mercedis quæ Deus est videndus ut in se est, & amandus fruendusque sine fine, amoris perfectioni hac in vita non repugnare, neque à perfecta contemplatione excludi: quin imò vitæ contemplativæ ita proprium esse, ut sine sancto illo desiderio contemplatio hujus vitæ mera sit illusio. Ita docet S. Gregorius Magnus Homilia XIV. in Ezechielem. *Activa vita est, inquit, panem esurienti tribuere, verbum sapientiæ nescientem docere,*

Epist. Cœlestini I ad Episc. Gall.

Systema Quietistarum S. Gregorius m. evertit.

rigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirmantis curam gerere, quæ singulis quibusque expediant dispensare: & commissis nobis qualiter subsistere valeant, providere. Contemplativa verò vita est, caritatem quidem Dei & proximi tota mente retinere, sed ab exteriore actione quiescere, soli desiderio conditoris inhærere, ut nil jam agere libeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat: ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mærore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis Angelorum Choris interesse, admisceri cælestibus Civibus, de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere.

Contemplatio hujus vitæ sine Dei æternæque beatitudinis desiderio, mera est illusio.

Cæterùm contemplationis actum continuum, in hac vitâ non esse, docet ibidem S. Gregorius, neque tamen à perfectione vitæ interioris excidere justos, qui à contemplatione ad actionem & labores bonorum operum revocantur: imò id aliquando esse melius. Quod contra damnatum Quietistarum systema observare, operæ pretium est. *Sed sciendum est* (inquit S. Gregorius) *quia sicut bonus ordo vivendi est, ut ab activa in contemplativam tendatur; ita plerumque utiliter à contemplativa animus ad activam reflectitur, ut per hoc quòd contemplativa mentem accenderit, perfectiùs activa teneatur. Debet ergo nos activa ad contemplativam transmittere: & aliquando tamen ex eo quod introrsus mente conspeximus, contemplativa meliùs ad activam revocare. Unde & idem Jacob post Rachelis amplexus ad Lia rediit; quia & post visum principium, laboriosa vita boni operis non est funditus deserenda. Est autem in contemplativa vita magna mentis contentio, cùm sese ad cælestia erigit, cùm in rebus spiritualibus animum tendit, cùm transgredi nititur omne quod corporaliter videtur; cùm se se angustat, ut dilatetur. Et aliquando quidem vincit, & reluctantes tenebras suæ cæcitatis exsuperat, ut de incircumscripto lumine quiddam furtim & tenuiter attingat: sed tamen ad semetipsam protinus reverberata revertitur, atque ab ea luce ad quam respirando transiit, ad suæ cæcitatis tenebras suspirando rediit. Quod bene sacra Historia designat, quæ beatum Jacob cum Angelo luctatum narrat. Cùm enim ad parentes proprios rediret, in via Angelum invenit, cum quo in luctamine magnum certamen habuit. Is enim qui certat in luctamine, aliquando superiorem se, aliquando verò eum cum quo contenderit, inferiorem invenit. Designat ergo Angelus Dominum; & Jacob qui cum Angelo contendit, uniuscujusque perfecti viri & in contemplatione positi animam exprimit. Quæ videlicet anima cùm contemplari Deum nititur, velut in quodam certamine posita, modò quasi exsuperat, quia intelligendo & sentiendo de incircumscripto lumine aliquid degustat: modò succumbit, quia & degustando iterum deficit. Quasi ergo vincitur Angelus, quando intellectu intimo apprehenditur Deus.* Sed in illa vitæ contemplatricis amabili dulcedine, rerum quidem temporalium desideria extinguuntur & Deo sacrificantur: Desiderium verò Dei, quatenus summum & totum bonum nostrum est magis in Anima inardescit. *Victus Angelus nervum femoris Jacob tetigit, eumque marcescere statim fecit, atque ab eo tempore Jacob uno claudicavit pede: quia scilicet omnipotens Deus cùm jam per desiderium & intellectum cognoscitur, omnem in nobis voluptatem carnis arefacit. Et qui prius quasi duobus pedibus innitentes, & Deum videbamur quærere, & sæculum tenere, post cognitionem suavitatis Dei unus in nobis pes sanus remanet, atque alius claudicat, quia necesse est ut debilitato amore sæculi, solus convalescat in nobis amor Dei. Si ergo tenemus Angelum, uno claudicamus pede: quia dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis.* In hac vitâ positi contemplationis sola initia degustamus, sed tamen jam quietis internæ gustum contingimus (inquit S. Gregorius) Cujus quia quædam quasi pars est, & perfecta nunc esse non potest, rectè in Apocalypsi scriptum est: *Factum est silentium in cælo, quasi media horâ.* Cælum *quippe est anima justi. Cùm ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cælo, quia cùm terrenorum actuum strepitus quiescit à cogitatione, ad secretum internum aurem animus apponit. Sed quia hæc quies mentis esse in hac vita perfecta non potest, nequaquam horâ integrâ factum in cælo silentium dicitur, sed quasi mediâ horâ; ut neque ipsa media hora plenè sentiatur, cùm præmittitur, Quasi; quia mox ut se animus sublevare cœperit, & quietis intimæ lumine perfundi, redeunte citiùs cogitationum strepitu, de semetipso confunditur, & confusus cæcatur.* Continuus igitur contemplationis actus in hac vitâ, merum fanaticorum hominum insomnium est, à S. Gregorio reprobatum; sicut & vitæ interioris perfectio, quæ Dei quatenus summum & totum bonum nostrum est, æternæque beatitudinis & mercedis, quæ non est aliud ab ipso Deo, desiderium excludat.

Contemplationis actus continuus in hac vita esse non potest.

Apocal. 8.

Contra. Animæ quæ ad statum sanctæ indifferentiæ pervenerunt, nulla ampliùs eliciunt desideria salutis æternæ. Istud enim discrimen est inter statum resignationis justorum, & statum sanctæ indifferentiæ, quòd in primo desideria mercenaria salutis æternæ Dei voluntati submittuntur; in altero nullum sit penitus mercenarium desiderium, sed generale duntaxat desiderium omnium latentium Dei voluntatum, quo fit ut anima sacrificium suæ salutis Deo offerat exemplo S. Pauli qui de se ipso scribit: *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Animæ igitur quæ ad statum sanctæ indifferentiæ pervenerunt, nihil à Deo petunt.

Sancta indifferentia circa salutem æternam, & media ad illam conducentia, minimè vera est.

Rom. 9. 3.

Respondetur, Sanctam indifferentiam ad eventus duntaxat hujus vitæ, ad prospera & adversa, vitam & mortem, & ad solatia sensibilia; nusquam autem ad salutem æternam, & media ad illam conducentia pertinere, ut probati quique vitæ spiritualis Magistri docent. Ut enim ait S. Bernardus, *Eò Anima magna est quò capax æternorum; eò recta, quò appetens supernorum.* Desiderium fruitionis Dei mercenarium nemo absque errore dixerit. Generale desiderium omnium latentium Dei voluntatum, quibus etiam reprobationis & aliorum & suæ, & peccati permissiva decreta continentur, sancta indifferentia non admittit. Illud namque desiderium cum spe Christiana consistere non potest. Voluntati Dei quam in Scripturis sanctis declaravit & nobis significavit, nostram conformare tenemur voluntatem. *Deus autem vult omnes salvos fieri*: & *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra ..... Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus.* Quamvis igitur *omnem sollicitudinem nostram in Deum projicere* debeamus, *quoniam ipsi cura est de nobis*, sortem nostram æternam ejus bonitati & amori committentes, interimque satagentes ut *per bona opera certam vocationem nostram & electionem faciamus*;

Sanctam indifferentiam voluntatem hominis latentibus omnibus Dei voluntatibus conformare damnandus error est.

Serm. 80. in Cant.

1. Thessalon. 4. 3. & cap. 5. 9. 10.

1. Petri 5. 7.

ciamne ; sacrificium tamen absolutum salutis nostræ illi offerre non debemus nec possumus : neque hæc spiritualis vitæ perfectio citra errorem dici potest, sed desperatio.

[Quo sensu S. Paulus optaret Anathema esse pro fratribus.]

Frustra verò novi hujus erroris patroni præsidium quærunt in exemplo & verbis S. Pauli, *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Duobus enim modis à Patribus locus ille explicatur, quorum neuter desperatio Quietistarum figmento favet. Prima explicatio est S. Hieronymi, anathematis nomine mortem corporis & temporalem intelligentis, quam Apostolus pro Israëlitarum salute subire optaverit; non reprobationem ac damnationem æternam. *Optat*, inquit, *anathema esse à Christo, & perire, ut alii salvi fiant. Sed si consideremus Moysi vocem rogantis Deum pro populo Judæorum, atque dicentis : Si dimittis eis peccatum suum, dimitte : si autem non vis, dele me de libro quem scripsisti : perspiciemus eumdem & Moysi & Pauli erga creditum sibi gregem affectum. Pastor enim bonus ponit animam suam pro ovibus suis : mercenarius autem cum viderit lupum venientem, fugit, quia non sunt ejus oves. Et hoc ipsum est dicere, Optabam anathema esse à Christo, &, Dele me de libro quem scripsisti. Qui enim delentur de libro viventium & cum justis non scribuntur, anathema fiunt à Domino. Simulque cerne Apostolum quanta caritatis in Christum sit, ut pro illo cupiat mori, & solus perire, dummodo omne in illum credat hominum genus ; perire autem non in perpetuum, sed in præsentiarum. Qui enim perdiderit animam suam pro Christo, salvam eam facit. Unde & de 43. Psalmo assumit exemplum : Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Vult ergo Apostolus perire in carne, ut alii salventur spiritu ; suum sanguinem fundere, ut multorum animæ conserventur. Quòd autem anathema occisionem sonet, multis veteris instrumenti testimoniis probari potest.*

[Epist. 151. ad Algasiam, quæst. 9.]

[Impia & desperatio Quietistarum figmento de notionata sua salutis æternæ devotione, ... vel in extremis probat o ... Animabus, S. Paulus & Patres, vel antiqui ejus Interpretes non favent.]

[Num. 21. vers. 2. 3. Josue 6. 17. & cap. 7. 15.]

Sic intelligendum Apostolum discere potuerat S. Hieronymus à S. Gregorio Nazianzeno Oratione prima, scilicet anathematis nomine non æternam separationem à Deo, seu damnationem æternam significari ab Apostolo, sed vel solam beatitudinis dilationem, vel alicujus mali temporalis, putà mortis perpessionem, ut Judæorum salutem procuraret. *Quin etiam*, inquit, *majus aliquid pro suis secundum carnem fratribus ausus est, eos ad Christum loco suo introduci pro sua caritate optat. O ingentem animi præstantiam! ò ingentem spiritus fervorem! Christum, qui nostrâ causa maledictum factus est, qui infirmitates nostras suscepit, & morbos portavit imitatur, aut, ut moderatius dicam, primus post Christum, eorum causâ, etiam tanquam impius, aliquid perpeti non recusat, modo ipsi salutem consequantur.*

Sic Gregorius ipse Nazianzenus se ut anathema Deo devovebat ad Macedonianorum conversionem procurandam, Oratione XLIV. *Adeo*, inquit, *vos amplector atque exosculor. . . . ut anathema etiam à Christo esse, ac non nihil, ut damnatus, perpeti non recusem, modò nobiscum adjungamini, communibusque animis Trinitatem celebremus.*

[Homil. 15. & 16. in Epist. ad Romanos.]

Explicatio altera, quæ est S. Joannis Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenii, Photii, & S. Thomæ, hypothesim impossibilem spectat, & desiderium conditionatum, non absolutum. Optarem esse anathema à Christo pro fratribus meis, *si modò fieri posset*, si per Dei legem & justitiam liceret. Cùm enim ex vehementi Christi amore has in voces erumperet, diceretque nihilominus, *Quis nos separabit à caritate Christi?* &c. in sui damnationem quâ fuisset à Christo æternùm separatus, & ab ejus caritate alienus, consensisse minimè censendus est. Verba ergo illa immensi amoris erga fratres, eosque inimicos, affectum exprimunt, & hypothesim impossibilem spectant, sicut illa ejusdem Apostoli : *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Eadem mens est S. Isidori Pelusiotæ hunc locum Apostoli vindicantis Epistola 58. libri 2. His enim verbis usum Apostolum observat, *Non tanquam promissio excidisset, verùm ut effrænatum suum erga Christum amorem demonstraret.* Sicut Rebecca suum erga Jacob filium amorem testata est maledictioni se devovens, ut filius paternam benedictionem consequeretur. Sed temporalia duntaxat mala spectabat illa maledictio ; & aliunde certò persuasum illi erat, divini Spiritus afflatu edoctæ, Isaac filio carissimo Jacob non maledicturum.

[Galat. 1. 8.]

Sic verba non absimilia Moysis Deo pro populo suo supplicantis S. Augustinus intellexit Quæst. 147. in Exodum : *Dele me de libro vitæ. Securus hoc dicit, ut in consequentibus ratiocinatio concludatur, id est, ut quia Deus Moysem non deleret de Libro suo, populo peccatum illud remitteret.*

S. Joannis Chrysostomi interpretationem sequitur Theodoretus in hunc locum Apostoli : *Ego quidem optarem esse à Christo alienus, si fieri posset, ut Judæi per meam alienationem promissa bona consequerentur.*

Theophylactus : Hoc, inquit, pro caritate Dei « dicit. Cùm enim omnes Deum accusarent, quòd « Hebræos adoptione donatos glorificatosque, « adeòque majores Christi appellatos ejiceret, at- « que in illorum locum gentes, quæ ipsum nun- « quam agnovissent, induceret : ejusque provi- « dentiæ obmurmurarent, ac blasphemarent, qua- « si hæc injustè fierent : Paulus commotus pro Dei « gloria, optavit anathema, id est, abalienatus esse « à Christo, ut illi servarentur, dissolvereturque « eorum adversùs Deum maledicentia. *Viden igi-* « *tur quòd ex amore quo in Deum inflammatus est, optat, si modo fieri posset, separari à cœtu eorum qui cum Christo in æternum vivent? Non à caritate ipsius, sed à gloria ipsius & gloriæ fructu. Perinde ac patres sæpe numero à filiis segregantur, ut glorificentur filii, minime tamen à filiorum dilectione abalienati, sed ipsi inglorii esse cupientes, ut illi celebres evadant. Itaque*, inquit, *ipse ego qui innumera transegi, diligens Deum supra quàm natura ferat, opto pro gloria Dei excidere à gloria Christi. Hoc autem non est excidere, sed potius assequi.*

Oecumenius : *Si possibile esset ut per meam perditionem glorificaretur Christus, & Judæi salvi fierent, neque hoc detrectarem.*

Photius Epist. 216. *Non dixit*, Opto separari, *Sed*, Optarem, *hoc est, si possibile esset, si fieri posset, ut desiderium divinum divino desiderio vinceretur, si amor decens Deum divinum amorem transcenderet, hunc ego ut subirem contenderem : Omnia enim faciebat Paulus ut omnes Christo lucrifaceret, imprimis Judæos. . . . Taliter Paulus erat animatus, ut ubique in omnibus gloriam & cultum absolutum Deo præstari vellet per se ipsum, per genus suum, per gentes, ne in aliquo deesset Apostolatus sui functioni : Inprimis infidelitas consanguineorum illum malè habebat, eorum causâ inflammabatur. Hoc indicans dicit*, Optarem ego anathema fieri. *Hoc ut pronunciem, stimulus amoris mei me provocat :* Optarem, *si concederetur, si liceret, si apostasia aliqua salutaris esset, quæ cum Deo procuraret conjunctionem, si qua separatio arctiùs constringat, si qua alienatio perfectiùs uniat : Nam pro Christi gloria & contribulium salute ne hoc quidem prætermitterem*

termisterem. Quam ex S. Hieronymo primo loco protulimus verborum Apostoli explicationem Photius etiam adoptat. *Divina Scriptura*, inquit, *pro malefacto & supplicio anathema usurpat: Unde & illud cogitandum, quòd hac voce Paulus pro salute tribulium vellet impiorum supplicia tolerare, nec simpliciter, sed à Christo judice inflicta*. Hoc enim significare posse observat verbum illud, *à Christo*, nempe sententiam punitivam proferente. Id verò nullam inducere à Christi desiderio vel conjunctione separationem. *Velle enim extrema quaque in corpore suo pati pro salute aliorum, non minutionem divini affectus operatur, licèt à cœlis infligatur, quin potius adauget*. Sic Paulus imitator egregius factus est Christi, qui omnia pro nobis passus, ob inexplicabiles divitias misericordiæ suæ & exinanitionis, non recusavit *Peccatum* & *Maledictio* pro nobis dici & reputari; cùm tamen fons esset omnis benedictionis, & destructio peccati.

S. Thomas Lectione 1. in Cap. 9. Epistolæ ad Romanos: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo*, id est, inquit, separatus ab eo: quod quidem » fit dupliciter: uno modo per culpam, per quam » aliquis à caritate Christi separatur, ejus præcepta non servans: *Si diligitis me, mandata mea servate*. (Joan. 14.) Sic autem Apostolus non poterat optare anathema esse à Christo pro quacumque causa. *Est enim hoc contra ordinem caritatis quo quis tenetur Deum super omnia diligere, & salutem suam plus quàm salutem aliorum. Alio modo potest aliquis esse separatus à Christo, id est, à fruitione Christi qua habetur in gloria. Sic autem separari à Christo volebat Apostolus pro salute Gentilium, nedum pro conversione Judæorum, secundùm illud: Desiderium habens dissolvi, & cum Christo esse, multò melius: permanere in carne necessarium propter vos*. (Philipp. 1.) *Et hoc modo dicebat: OPTABAM (scilicet si fieri posset) ANATHEMA ESSE, id est, separatus à gloria (vel simpliciter, vel ad tempus) propter honorem Christi, qui est ex conversione Judæorum*, secundùm illud: *In multitudine populi dignitas Regis*. Verùm consensus ille conditionatus in privationem gloriæ, ex hypothesi impossibili quòd cum æterno Christi amore stare posset, Deusque diligentes se & in amore suo perseverantes gloria cœlesti privare vellet: hic, inquam, animi affectus ex amoris excessu procedens, desideria non impedit beatitudinis æternæ, & mediorum omnium ad illam conducentium. Nullus est proinde status vitæ spiritualis & amoris puri, qui petitiones excludat: Nullus proinde in quo justi orare non debeant.

Quòd animæ sanctæ in extremis probationibus salutem suam æternam absolute devovere possint, error est contra fidem.

Quòd verò Animæ Sanctæ, puróque Dei amore flagrantes, in extremis probationibus, actu reflexo persuadere sibi invictè possint se à Deo esse reprobatas, atque in ea hypothesi salutem suam æternam absoluto sacrificio, simplicique consensu piè devoveant, error est contra fidem. Error (inquam) est credere ac dicere, possibile esse, immò & reveta contingere, quòd Deus animam quæ ipsum diligit, & quam nihil ab ejus amore separaret, pœnis æternis addicat, damnetque cum impiis. Error est contra fidem, credere & dicere, Animam Sanctam invictè sibi persuadere posse actu reflexo, se à Deo esse reprobatam, & suæ etiam reprobationi simpliciter acquiescere. Hæc enim persuasio ac salutis æternæ absoluta devotio, desperationis cumulus est, & consensus in odium Dei, æternámque blasphemiam, quæ sunt justæ damnationi indivulsè adjuncta. Suffugia quærantur & strophæ ad desperatam illam devotionem excusandam vel molliendam: *Fides pura & aperta confessio non quærit strophas & argumenta verborum. Quod simpliciter creditur, simpliciter confitendum est*. (S. Hieronym. Epist. 62.)

Frustra verò ad istius erroris patrocinium detorquent Pseudo-Mystici præceptum Christi de abnegatione sui ipsius: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*. (Matt. 16. 24.) Tantum enim abest ut ea abnegatio ad salutem nostram æternam devovendam nos impellat, ut potiùs æterna salus animæ nostræ ratio sit ac incitamentum discipulum Christi ad se ipsum abnegandum impellens, ut ex verbis consequentibus perspicuum est: *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini si Mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera ejus*. Accedit quòd Christus explicans quicquid ad perfectam sui abnegationem vir Christianus relinquere debet, *Domum* scilicet, *fratres, sorores, patrem & matrem, uxorem, filios & agros*, non docet renuntiandum esse *centuplo*, & *vitæ æternæ possessioni*, quæ promisit his qui secuti ipsum fuerint, his necessitudinibus, terrenisque bonis posthabitis, immò & *animâ suâ*, id est, sensibus, cupiditatibus, & vita carnis atque temporali. Christi igitur verbis fœdè abutuntur spurii Mystici, & in alienum sensum illa detorquent, quod Hæreticis omnibus solemne est. (Matt. 19. 29. Luc. 14. 26.)

Spurii Mystici verba ... contorquent.

Novorum Mysticorum ... de amore naturali beatitudinis, qui absolutè devovendus & sacrificandus.

Ne verò naturale desiderium, amorémque naturalem beatitudinis, aut amorem quo beatitudinem nobis optamus & quærimus, absolutæ & reflexæ devotionis salutis æternæ materiam esse, novâ subtilitate & excogitato suffugio dicant. Nec enim naturale desiderium aut naturalis amor æternæ supernaturalisque beatitudinis est: nec amor nostri quo beati esse volumus & quærimus ullam habet nedum malitiæ, sed vel imperfectionis labem, cùm à Deo naturæ auctore sit insitus, ab eodem ut autore gratiæ ordinatus, & à justis ad finem caritatis relatus, scilicet ad ipsum Deum ut ultimum finem, summumque bonum nostrum. Hanc si vocare ament cupiditatem, non tamen malam, sed ordinatam dicant. *Nunquam* enim *erit caritas sine cupiditate, sed ordinata* (ut jam dixi ex S. Bernardi principiis) porro *cupiditas tunc rectè à superveniente caritate ordinatur, cùm mala quidem penitus respuuntur: bonis verò meliora præferuntur, nec bona nisi propter meliora appetuntur*. (Tract. de dilig. Deo, c. 14.) Idem Mellifluus Pater, ubi quatuor amoris gradus distinxit, primum in quo diligit se ipsum homo propter se; alterum, in quo Deum propter se, non propter ipsum diligit: tertium, in quo Deum non jam propter se sed propter ipsum diligit; quartum, in quo se homo diligit tantùm propter Deum: quartum illum gradum in hac vitâ impossibilem esse docet. (Ibid. cap. 15.) *Sanè* (inquit) *in hoc* (tertio) *gradu diu statur: & nescio si à quoquam hominum quartus in hac vita perfectè apprehenditur, ut se scilicet diligat homo tantùm propter Deum. Asserant hoc si qui experti sunt: Mihi, fateor, impossibile videtur*. Denique amor nostri ordinatus, à caritate perfecta est, quâ nos propter Deum diligere debemus; quamobrem huic amori renuntiare nec possumus, nec debemus ullo in statu. Neque naturales affectiones perfecta hujus vitæ caritas exstirpat, sed evehit, ordinat, perficit, ad finem ultimum refert, id est, ad Deum summè bonum, ut Traditio & Theologia docent. Quâ de re *S. Augustinus Lib. 5. de Doctrina Christiana*, Cap. 23. & 27. *S. Bernardus Sermone* 50. *in Cantica*, & *S. Thomas Secunda Secundæ*, Quæst. 19. Art. 6. legi possunt.

Statum habitualem amoris puri in hac vita impossibilem.

Præceptum denique abnegationis sui ipsius omnes Christianos spectat, quos tamen ad salutem suam æternam devovendam, sive ad indifferentiam absolutam & simplicem respectu æternæ salutis suæ teneri, ne ipsi quidem novæ Viæ & fanaticæ Perfectionis fautores dixerint; cùm sanctam indifferentiam perfectis dumtaxat Animabus tribuant, quæ ad Amoris puri statum evectæ sunt.

[Rerum quæ à Sanctis viris vel feminis cogitata, dicta, vel scripta sunt de Viæ internæ exercitiis & statibus, nulla ratio habenda est, nisi cum Scriptura sacra & Traditione conveniant.]

Frustra etiam Sanctos quosdam & spirituales Viros recentioris ætatis, & præ cæteris S. Franciscum Salesium in sui patrocinium erroris advocant Quietistæ, & novæ Mystagogiæ Auctores ac Defensores. Quamvis enim id sensissent S. Franciscus Salesius, vel alii Sancti & Sanctæ recentes, quod ipsis affingitur à Pseudo Mysticis (quod tamen falsum esse luculenter ac disertè probavit Doctissimus *D. Benignus Bossuet* Episcopus Meldensis) illi nihilosecius errores essent contra fidem, qui Scripturæ Sacræ & Traditioni expressè repugnant. Sola enim fidei regula est verbum Dei scriptum vel traditum. Id solùm ad fidem pertinet, *Quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est* (inquit Vincentius Lirinensis) Si quid aliquis vel aliqui contra verbum Dei & communem Patrum doctrinam senserint, inter privatas opiniunculas, & humanæ mentis aberrationes (quæ sanctitatem non impediunt, modò absint superbia & pertinacia) censeri debet. Erravit S. Cyprianus Episcopus & Martyr in quæstione de Baptismo Hæreticorum: quid mirum si Sanctus aliquis Episcopus & Confessor, vel Sancta aliqua Virgo, in aliquem errorem, vel aliquos errores, etiam contra fidem, nolentes & ignorantes impegissent in Operibus spiritualibus & Mysticis? Quod de S. Cypriano B. Augustinus dixit, de Sanctis illis recentioris ætatis Auctoribus æquo jure dicere nobis liceret: *O quantò sereniùs in illa luce contuentur, pro quanta salute humani generis factum sit, ut inveniatur aliquid quod meritò reprehendatur, quamvis in Christianis & piis Literis Oratorum, & non inveniatur in literis Piscatorum!* Denique cum eodem sancto Doctore constanter dicimus: *Solis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, ut nullum eorum Auctorum scribendo aliquid errasse firmissimè credam... Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinâque præpolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos Auctores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Benigna igitur interpretatione molliendum est, si quid dixerint sancti illi viri vel feminæ, quod favere damnatis aut meritò damnandis erroribus videatur: siquidem nondum exortis, *nondum litigantibus* Quietistis *securius loquebantur*; si verò in rectum sensum flecti non possint, cum reverentia eorum sanctitati debita deserendi sunt.

[B. August. Lib. 1. de Baptismo, c. 17.]

[Epist. 82. olim 19.]

[Periculosæ & erroneæ spuriorum Mysticorum Propositiones.]

Illæ itaque propositiones procul à Catholicis auribus & mentibus rejiciantur:

1. *Anima sancta in extremis probationibus salutem suam æternam absoluto sacrificio devovent.*

2. *Tunc fieri potest ut Anima sancta invincibiliter persuasum habeat persuasione reflexa se esse à Deo justè reprobatam.*

3. *Tunc Anima divisa à semetipsa expirat in cruce, cum Christo dicens,* DEUS MEUS, *Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

4. *In hoc statu spem omnem amittit salutis æternæ.*

5. *Conscientiæ Moderator permittere potest ut hujusmodi Anima acquiescat damno æterni sui boni, & justæ suæ condemnationi.*

6. *Abdicatio proprii boni, proprieque utilitatis etiam salutis æternæ, in extremis probationibus exercenda est, sive in tentationibus quibus Deus purgare vult amorem, nullam rationem aut spem expediendæ salutis Animæ subostendens.*

7. *Hæc abdicatio est abnegatio sui ipsius, quam Christus in Evangelio postulat & imperat.*

Hæ (inquam) propositiones rejiciendæ sunt, ut erroneæ. Hæreticas dicere non dubitarem si meum de illis suffragium rogaretur: siquidem orationis Dominicæ petitiones à Christo dictatas, *Adveniat Regnum tuum: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*; à corde & ore Fidelium in aliquo statu excludunt: & tentationi desperationis succumbendum docent, non resistendum, cùm maximè urget Christianæ spei præceptum; cùm ad Deum clamandum est, *Domine salva nos, perimus.... Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.... Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum.* Cùm denique confugiendum est *ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus.* Harum tandem propositionum doctrina recidit in trigesimam septimam Molinosi ab Ecclesia damnatam: *In occasione tentationum etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore & resignatione remanere.*

[Psal. 68.]

[Hebr. 6.]

Quod verò asserere non verentur Pseudo-Mystici quidam, Animam esse à semetipsa divisam, nec ullam ampliùs partis superioris cum inferiori communionem & commercium esse in iis qui ad viam internam amoris puri pervenerunt, viam aperit ad Molinosismum, & ad omnia libidinum flagitia: quæ voluntaria non æstimabuntur, sed meræ violentiæ satanæ (secundùm damnata Molinosi principia) ab iis qui cùm carne cœperint, tandem carne consummantur: quia superior pars animæ in Deo (ut ipsi fingunt) quieta, his non movetur, nec ullum cum inferiori parte commercium habet, ut aiunt spurii Mystici.

[Ficta Animæ à semetipsa divisio, partisque superioris cum inferiori in certo statu commercium secundùm spurios Mysticos, viam aperit ad flagitia libidinum.]

Hunc errorem Mulier quædam de Hannonia, nomine *Margareta Porrete*, anno 1310. in Galliis cùm edito Libro disseminare conaretur, igne damnata est, teste Guillelmi Nangii Continuatore ad hunc annum. *Circa Festum Pentecostes* (inquit) *accidit Parisius quod quædam pseudo-mulier de Hannonia nomine Margareta, dicta Porrete, quemdam Librum ediderat, in quo omnium Theologorum judicio qui ipsum diligenter examinaverunt, multi continebantur errores & hæreses, & inter cæteras, quòd Anima annihilata in amore Conditoris sine reprehensione conscientiæ vel remorsu potest & debet naturæ quicquid appetit & desiderat concedere; quod manifestè sonat in hæresim. Dum libellum hunc aut in eo contentos errores abjurare nollet, quin immo latam in se excommunicationis sententiam ab Inquisitore hæreticæ pravitatis contemneret, quia coram Episcopo sufficienter monita comparere nolebat, & per annum vel ampliùs pertinaci sustinuisset animo in sua malitia finaliter indurata, tandem in communi platea Gravia coram Clero ac populo ad hoc specialiter evocatis de peritorum consilio exposita est & tradita Curiæ sæculari; quam Parisiensis Præpositus in sua potestate statim accipiens ibidem in crastino incendio fecit extingui.*

[Fanatica mulier, Beguardorum, & Quietistarum errores professa edito Libro.]

[Fanatica mulier hæretica à Theologis Parisiensibus, & Inquisitore Fidei damnata, & Curiæ sæculari tradita.]

Quod denique propugnare quidam non dubitant, involuntariam esse desperationem supra dictam salutis

Hæresis de perturbationibus involuntariis in Christo.

lutis in extremis probationibus, sicut *involuntariæ fuerunt in Christo Domino perturbationes*; & talium erit secundùm illorum Pseudo-Mysticorum systema, cùm devotionem illam absolutam salutis propriæ in extremis probationibus *actu reflexo* fieri asserant; actus autem reflexi considerantissima ratione fiant, & plenè voluntarii sint. Et Propositio illa incidens: *Involuntariæ fuerunt in Christo Domino perturbationes*: Christo injuriosa est, & hæretica, damnata in sexta Synodo generali, Sophronii Epistolam contra Monothelitarum hæresim approbante Actione XI. & Scripturæ Sacræ Patrumque consentientibus testimoniis profligata. Quos inter S. Augustinus: *Dominus*, inquit, *hos motus certæ dispensationis gratiâ, ita cùm voluit suscepit animo humano, ut cùm voluit factus est homo.... Quando turbatur, qui non turbaretur nisi volens, eum consolatur qui turbatur & nolens.... Non est ullo modo dubitandum, non eum animi infirmitate, sed potestate turbatum, ne nobis desperatio salutis oriatur, quando non potestate, sed infirmitate turbamur... O Domine Mediator Deus supra nos, homo propter nos, agnosco misericordiam tuam: nam quod tu tantus tua caritatis voluntate turbaris, multos in corpore tuo, qui sua infirmitatis necessitate turbantur, ne desperando pereant, consolaris.*

Lib. 14. de Civit. Dei c. 9.
Tract. 60. in Joan.
Tract. [illegible] in Joan.

Rejiciendæ sunt & istæ Propositiones.

1. *Tertius justorum status illorum est, qui filii Dei appellari merentur, quia Patrem amant sine ullo motivo mercenario spei vel timoris.* Quæ Propositio ea ratione est erronea, quòd à statu filiorum æquè excludat motivum mercenarium spei ac timoris: cùm tamen *perfecta caritas* quæ *foras mittit timorem*, spem in hac vitâ individuam semper comitem habeat, suo motivo & incitamento proprio, scilicet mercede æterna, quæ Deus est, & hereditate filiorum incitatam: *Ecce hereditas Domini filii merces.*

Psal. 126. 3.

2. *Non satis est ad rationem amoris puri, nullam aliam velle mercedem præter ipsum Deum.* Quæ propositio verbo Dei expressè contraria est. *Quid enim mihi est in cœlo* (ait Propheta) *& à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

3. *Qui amore puro Deum amat, sibi non vult beatitudinem, nisi quia scit Deum illam velle; & quia Deus vult ut unusquisque nostrûm illam velit propter suam gloriam.* Quæ Propositio ea ratione erronea est, quòd beatitudo per se expetenda sit, utpote per se bona.

4. *Fieri potest ut Dei beatificantis intuitus nullatenus augeat amorem quo illum diligit fidelis anima.* Quæ Propositio erronea est eâ ratione, quòd caritas, quæ amor est amicitiæ hominis erga Deum, in ipsius Dei ut summi ac beatifici Boni communicatione fundetur; & hoc motivum adhibeat Ecclesia, ut filios suos ad amorem excitet, quem à Deo supplex pro ipsis postulat: *Deus qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum: ut te in omnibus & super omnia diligentes, promissiones tuas quæ omne desiderium superant, consequamur.*

5. *Traditionis generalis doctrina evidens est & in Ecclesia recepta, puri amoris perfectionem in ista motivorum præcisione positam esse.* Quæ Propositio fanatismo & illusionibus viam aperit, vitam interiorem & Christianam perfectionem ad præcisiones evanidas redigens: & ea ratione erronea est, quòd traditionem generalem ac doctrinam evidentem & in Ecclesia receptam vocet, *quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo* acceptam non tradidit: quam Patres *apertè, frequenter, perseveranter*, uno ore, unòque consensu non tradiderunt: quæ nec *ubique*, nec *semper*, nec *ab omnibus* credita est (qui sunt generalis traditionis characteres) immò posteriùs immissa, & velut zizania tritico in agro Domini ab inimico superseminata.

6. *In tertio justorum statu nulla ampliùs spes quærenda est, quæ mercedis motivo exerceatur.* Quæ propositio ea ratione erronea est, quòd viam aperiat ad Christianæ spei exclusionem ab aliquo justorum statu.

7. *Anima justi in statu sanctæ indifferentiæ nulla ampliùs habet desideria voluntaria & deliberata propter propriam utilitatem, etiam gloriæ Dei subordinatam: exceptis iis occasionibus in quibus omni gratiæ suæ fideliter non cooperatur.* Quam Propositionem hæreticam dicerem, si meum de illa suffragium rogaretur, cùm indifferentiam in justis admittat respectu spiritualium & æternorum bonorum, gratiæ, perseverantiæ, virtutum, meritorum, gloriæ; orationem evertat, & ab aliquo justorum statu excludat. (Oratio enim sanctum desiderium est) justos *qui esuriunt & sitiunt justitiam*, & quos eo nomine *beatos* Christus prædicat, *quia ipsorum est regnum cœlorum*, propterea esse imperfectos, & omni gratiæ suæ fideliter non respondere significet, quòd justitiam desiderent, & promissum à Christo illius desiderio flagrantibus cœlorum regnum. Hæc denique Propositio damnatis ab Innocentio Undecimo sanctæ memoriæ Pontifice Molinosi erroribus germana est.

Desiderium tuum oratio tua. Si semper desideras, semper oras (ait S. Augustinus) *Desiderium perpetuum merces Domini* (inquit Propheta)

8. *In hoc statu justi non desiderant salutem æternam, quatenus est nostra merces & bonum nostrum.* Quæ propositio ea ratione erronea est, quòd spei Christianæ in aliquo justorum statu destructiva sit, & doctrinæ sacri Concilii Tridentini contraria; & quòd Abraham credentium Patrem, Moysem Legislatorem sanctissimum & Prophetam in domo Dei fidelissimum, Davidem Regem ac Prophetam Deo acceptissimum, extra statum vitæ interioris & spiritualis perfectionis fuisse consequens sit, nec suæ gratiæ fideliter respondisse, quia Deum ut *mercedem* suam desiderabant, quia *in remunerationem* aspiciebant, quia mandata ejus implebant *propter retributionem*.

Sess. 6. cap. 16
Genes. 15. Hebr. 11. 26. Psal. 118.

Legantur Illustrissimorum & Religiosissimorum DD. *Ludovici Antonii de Noailles* Parisiensis Archiepiscopi Institutio Pastoralis de Perfectione Christiana & Vita Interiore adversùs spuriorum Mysticorum errores; *Jacobi Benigni Bossuet* Meldensis Episcopi Institutio *De Statibus* Orationis, aliaque Scripta de eodem argumento; *Pauli Godet Des Marais* Carnotensis Episcopi Institutiones Pastorales contra novæ Mystagogiæ illusiones & errores: Ex quibus cedro dignis Operibus ad Religionis & Fidei veræque Orationis puritatem vindicandam, singulari zelo, pietate, eruditione, perspicuitate editis, me profecisse profiteor cum grati animi significatione, quam Auctoribus Illustrissimis debeo.

Scripta Episcoporum adversus spurios Mysticos.

Laudata verò Præsulum Religiosissimorum Scripta conferens cum S. Hilarii Pictavensis Episcopi principiis, sursus observavi eorum doctrinam illius doctrinæ planè consentaneam esse in iis quæ de beatitudinis æternæ desiderio cum caritate perfecta necessario conjuncto, & ab ea elicito, contra spurios Mysticos propugnant. Sanctus (inquam) Hilarius, cujus Libros *inoffenso pede* percurri S. Hieronymus asserit, vehemens Regni cælestis desiderium ab amore casto, à perfecta caritate oriri docet, Tractatu in Psalmum CIX. N. 10. Versum illum explicans: *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est. BONA*, inquit, *non possunt videri verè bona a nobis judicari, nisi expetantur.... Mentium enim judicia non verbis significanda sunt, sed rebus explenda. Convenit igitur*

Constans S. Hilarii doctrina de salutis æternæ desiderio, & ipsa beatitudine velut mercede ac summo nostri bono, à perfecta caritate vitæ in quocumque statu [illegible]

 tur

tur Prophetam, exspectantem post sagittas Domini & illos carbones desolationis beati illius regni & aterni temporis gloriam, id quod expectat desiderare. Et desiderat planè. Neque solùm desiderat, sed moras odit, & ipsam illam non potiendi jam desiderii tanti dolet dilationem, dicens : » Heu me! quòd » incolatus meus prolongatus est. *Querelam istius modi à plurimis Sanctis frequenter audivimus, de tarditate spei sua morosam corporum dissolutionem deflentium. Dominus in Evangeliis suis docuit accelerationem regni cœlestis orandam. Impatientem enim asso eorum qua amet convenit : atque adeo dici oportet, quod ut dicamus à Domino pracipimur,* Ad» veniat regnum tuum, fiat voluntas tua. *Paulus beatus inhabitationem corporis sui congemiscit, per incolatum carnis peregrinari se à Deo conquerens. Quò contra peregrinandum in carne scit sibi esse, ubi cum Deo sit incolatus : sed tamen melius ei esse dissolvi, & cum Christo esse.... In hoc igitur nimium sibi prolixo in corpore incolatu congemiscit Propheta, festinans peregrinari à terrenis, & incolere cælestia; ut derelictis corruptibilibus atque prasentibus, consequatur invisibilia & aterna.*

Rom. 7. 24. Philipp. 1. 23. & 24.

Idem confirmat Tractatu in Psalmum LXII. an hunc versum : *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* SITIT, inquit, *non corpori, sed Deo sitiens. Nam quamvis eum in deserto, & in invio & inaquoso manentem necessitas ipsa natura ad sitim corporis detineret : tamen etiam per has inedia & sitis passiones scit fidem probandam esse credentium; ut magis anima Deo quàm corpori sitiat, sitiens & corpori : quia neque fames, neque angustia, neque ulla genera passionum, à caritate Dei qua est in Christo sint Apostolum separatura. Sitit ergo Deo Sanctus. Et quid sitiat, Psalmo alio testatus est, cùm dicit :* Sitivit anima mea » ad Deum vivum, quando veniam & parebo » ante faciem tuam. *Hoc anima desiderium, hac sitis spei ejus est, ut Dei sibi proveniat aspectus, ut quamprimum raptus in nubibus, Deo Christo obviam elevatus appareat... Atque ut in sancto appariturus Deo, cujus sancti desiderium suum in hac sitis sua » significatione ostenderet, subjicit,* Ut viderem » virtutem tuam, & gloriam tuam. *Eum videlicet ut videret, qui secundum Apostolum & Virtus Dei est, & in gloria Dei est : visurus autem non ad aliud, quàm ad consortium aternitatis merendum, & ad Regni cœlestis aternitatem sortiendam : quia hac per misericordiam Dei ultra vita hujus beatitudinem praparentur.*

Ex Tractatu in Psalmum CXVIII. Littera 4. *Ergo,* inquit, *cùm Lex doceat in viis Dei ambulandum, ut ambulanti in his bene in posterum sit, & nunc Propheta oret vias injustitia à se amoveri, sibique ut Deus misereatur ex lege : id orat quod lege conclusum est, ut in viis Dei ambulans in beatitudine collocetur.* Hanc ex Scripturis sanctis, hanc ex Traditionis Apostolicæ fontibus doctrinam hauserat S. Hilarius, quam Gallicanæ Ecclesiæ consignavit. Nova igitur, Scripturæ Sacræ, & Traditioni contraria spuriorum Mysticorum doctrina est, qui beatitudinis æternæ desiderium cum amore puro & perfecta caritate cohærere non posse, tamque ab ea excludi spem æternæ mercedis quæ Deus est, asserunt, quàm timorem. Spem illo motivo fultam & incitatam, in quocumque statu à Christiano exercendam esse; desiderium illud æternæ beatitudinis numquam in viris sanctis extingui; nec propriæ salutis desperantem devotionem vel in extremis probationibus esse licitam, confirmat iterum S. Hilarius Tractatu in Psalmum CXXII. N. 9. *Propheta,* inquit, *pertinaciam spei sua usque ad finem accipienda misericordia demon» strat, dicens :* Sicut oculi ancillæ in manibus » dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum » Deum nostrum, donec misereatur nobis. *Non desinit, non absistit, tardet licèt ad tentationem fidei misericordiam suam Dominus : quia fides constantem prastare debet fiducia sua exspectationem, & desperatio omnis diffidentia confessio sit. Sed Propheta non incertus est misericordia Dei : nam oculi ejus in eum, quoad usque misereatur, intenti sunt. Intenti autem adeo, ut intentioni eorum oratio geminata subjecta sit. Ait enim post hac :* Miserere nobis Domine, miserere nobis. *Et intentus est, & intentus orat : ea scilicet perseverantia, qua vitiorum servi in dominantibus sibi vitiis demorantur, ille certissima bonorum aternorum spe, & perfecta in se misericordia fiducia perseverat.*

Filiam suam Abram Virginem sanctam, conjugémque castissimam ad Christianam Perfectionem instituerat S. Hilarius, Deum piè diligere docuerat; sed salutem æternam abdicare, absoluto sacrificio devovere non docuerat; vitam æternam desiderare non prohibuerat, desiderium illud beatitudinis quatenus merces nostra & bonum nostrum est, sanctæ indifferentiæ, & caritatis perfectioni repugnare non scripserat, aut dixerat. Immò Abram filiam suam ad ejus desiderium vehementer accendit data ad illam Epistola de loco exilii : & in patriam redux *tentavit ejus animum, si vellet attingere Sponsum, quem patris gratia providerat. Tunc libenter desiderantérque, ut celeriter ei jungeretur, optabat. Quam voluntatem pius pater agnoscens, intentus orationibus non cessavit, donec sine dolore, sine contagio, se prasente, filia de mundi ludibrio migraret ad Christum.... Quod cùm vidisset mater beata Abra, à Pontifice postulat ut & ipsa, si mereretur, erepta de mundi crimine, cum filia prasentaretur ad Regnum. Cujus vota considerans, assidua oratione & ipsam ante se transmisit ad gloriam.*

S. Hilar. Epist. ad Abram. Venantius Fortunat. in Vita S. Hilar. Lib. 1.

PROPOSITIO III.

JUsti spiritualesque viri, in quocumque perfectionis gradu constituti supponantur, Ecclesia pracepta servare tenentur, & Pastoribus ac Prapositis obedire, non solùm in iis qua disciplinam exteriorem, verùm etiam in iis qua directionem interioris Animarum suarum spectant.

Catholica ista Veritas nititur expresso Dei verbo, Matth. 18. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Luc 10. 16. *Qui vos audit, me audit : & qui vos spernit, me spernit : qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Act. 15. 41. *Paulus perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, pracipiens custodire pracepta Apostolorum & Seniorum.* II. ad Thessalon. 3. 14. *Si quis non obedit verbo nostro, per Epistolam hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* Ad Hebr. 13. 17. *Obedite Prapositis vestris, & subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Præterea, Doctrina fidei, & Moralis Christianæ, vitæque spiritualis regulæ non exteriorem dumtaxat disciplinam, sed interiorem animæ statum maximè spectant. Illas autem non proprio arbitrio ac privato spiritu quisque eligere potest, sed ab Ecclesia & Pastoribus accipere debet, quorum officium his Apostoli verbis (*Coloss.* 1. 28.) describitur : *Docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.* Regulæ scilicet Christianæ Perfectionis ex Scriptura Sacra & Traditione Ecclesiæ Catholicæ hauriendæ sunt, adeoque ab Ecclesia ministerio Pastorum

storum & Doctorum accipiendæ, præcipuè Romani Pontificis, cui omnia Ecclesiæ membra ut supremo ipsius Ecclesiæ capiti, & omnium fidelium Pastori, Rectori, Patri & Doctori obedire tenentur in omnibus quę finem salutis æternæ spectant; & Episcoporum quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo, & pascere eum qui in ipsis est gregem. Hi autem Fidem, doctrinam Morum, Perfectionis Christianæ & vitæ spiritualis Regulas sibi commissis Animabus tradere debent, quas *Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo* accepit; ut loquitur Tertullianus. Docere debent privatim ac publicè, quod SS. Patres ac Doctores Ecclesiæ *Uno consensu, apertè, frequenter, perseveranter* tenuerunt ac docuerunt, ut loquitur Vincentius Lirinensis.

Confirmatur ex S. Gregorio Nazianzeno Oratione 26. pag. 449. & 450. ubi in Ecclesia ordinem necessariò servandum esse docet à Christo constitutum, ut alii oves sint, alii præsint, alii subsint ac pareant. Et quemadmodum in corpore diversa membra sunt, nec tamen idem omnium munus est, mens autem omnibus præest atque imperat, à qua nimirum sentiendi vis proficiscitur, & ad quam sensus omnes referuntur: ita in Christi corpore, quod est Ecclesia, se res habet. Omnes enim corpus unum in Christo sumus, singuli autem Christi, atque alii aliorum membra. Alii dominantur & præsunt, alii parent & reguntur. *Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Doctores?* Hunc ordinem revereamur, tueamur, & conservemus. *Alius auris sit, alius lingua, alius manus. Alius doceat, alius discat.. Ne singula munere omnes fungamur, ne omnes Apostoli simus, ne omnes Prophetæ, ne omnes interpretes. Quamquam enim amplum & præclarum est de Deo verba facere, præclarius tamen est se ipsum Deo purgare. Magnum ac præclarum est docere: at discere periculo vacat. Quid Pastoris munus tibi arrogas, cum ovis sis? Quid caput efficeris, cum pes sis? Quid exercitum ducere aggrederis, in militum ordinem adscriptus? Quid magna quidem illa, sed incerta & periculosa maris lucra consectaris, cum terram sine periculo colere liceat, etiamsi minore cum quæstu? Si vir secundùm Christum es, & sensus exercitatos habes, ac splendido scientiæ lumine præditus es, Dei sapientiam loquere, quæ apud perfectos prædicatur, & quæ in mysterio abscondita est: idque ita demum si commodum tempus nactus fueris, eamque fidei tuæ commissam habueris... Sin autem ætate adhuc tenera es, atque humili & abjecto animo, viribusque infirmioribus, quàm ut ad sublimiora progredi possis, Corinthios imitare, satis habe lacte imbui. Quid solidiorem cibum expetis, quem membra præ imbecillitate conficere atque in alimentum vertere nequeant?* Ex veteris etiam Sacerdotii seu Synagogæ ordine servandum probat ordinem à Christo in Ecclesia constitutum, ac demum ita colligit: *At nos si temerè duo aut tria Scripturæ verba, eaque imperitè & concisè perdidicerimus, jam & contumaciter atque insanè adversùs Mosem insurgendum est, & Dathani & Abironis contumelia & impietas imitanda. Quorum arrogantiam & amentiam quæso fugiamus, ne iisdem pœnis opprimamur.*

Beguardorū error.

Denique Propositio nostræ contraria in Concilio Viennensi damnata est, ut constat ex Clementina *Ad nostrum, De Hæreticis*, scilicet: *Qui sunt in prædicto gradu perfectionis, & spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua Ecclesiæ præcepta obligantur, quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas.*

Inter Michaëlis Molinosi Propositiones hæ quoque sunt ab Innocentio Undecimo Pontifice Maximo damnatæ: 65. *Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit: in interiore verò res aliter se habet, quò solus Deus & Director intrant.*

Damnati Michaelis Molinos errores.

68. *In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum ut manifestentur Epistolæ Directoris quoad internum animæ, & ideo opus est animadvertere quod hoc est insultus Satanæ.*

Objiciebant Beguardi hæc Apostoli verba: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.*

2. Cor. 3.

Respondetur, Hæc verba intelligi de libertate à servitute peccati, quâ si Filius Dei nos liberaverit, verè liberi sumus, non de libertate à servitute seu obedientia debita Legibus & Superioribus cum Ecclesiasticis tum secularibus. Item de libertate à servitute & jugo Legis Mosaicæ, non à servitute Dei & justitiæ officiis, quorum unum est obedientia Superioribus exhibenda. *Cùm enim essemus in carne,* (inquit Apostolus) *passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate litteræ.*

Rom. 7. 5. 6.

Objicitur, Vias interiores solâ experientiâ cognosci, adeòque non esse necessariò obediendum Pastoribus in iis quæ interiorem spectant animæ statum, qui fortè viarum interiorum experimentum non habent.

In iis quæ viam interiorem spectant, Episcoporum judicio standum & parendum est.

Respondeo, Privatas quidem Dei communicationes & favores iis ferè solis notas esse qui experiuntur; sed tamen Christianæ Perfectionis & Vitæ spiritualis regulas & præcepta Pastoribus & Doctoribus in Dei Lege & Traditione eruditis perspectas esse, & ex ore illorum requirendas & audiendas, secundùm Dei mandatum. Hæc Apostolis Christus tradidit, Spiritus Sanctus revelavit, qui docuit illos omnem veritatem; quod autem ipsis revelatum est, *in Ecclesiam velut in depositorium dives contulerunt*, ut loquitur S. Irenæus. *Quis integræ mentis credere potest Apostolos aliquid ignorasse, quos magistros Dominus dedit, individuos habens in comitatu, in discipulatu, in convictu, quibus obscura quæque seorsim disserebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni cælorum consecutum, & solvendi & alligandi in cælis & in terris potestatem? Latuit & Joannem aliquid, dilectissimum Domino, pectori ejus incubantem, cui soli Dominus Judam traditorem præmonstravit, quem loco suo filium Mariæ demandavit? Quid eos ignorasse voluit, quibus etiam gloriam suam exhibuit, & Moysem & Eliam, & insuper de cælo Patris vocem? Non quasi cæteros reprobans, sed quoniam in tribus testibus stabit omne verbum. Ignoraverunt itaque & illi, quibus post Resurrectionem quoque in itinere omnes Scripturas edisserere dignatus est. Dixerat planè aliquando: Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modo ea sustinere. Tamen adjiciens: Cùm venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos deducet in omnem veritatem: ostendit illos nihil ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos per Spiritum veritatis repromiserat; & utique implevit repromissum, probantibus Actis Apostolorum descensum Spiritus Sancti.* Vias igitur interiores certis regulis discerni ex Apostolica Traditione acceptis, ut ab illusionibus & spiritibus erroris fideles avertantur, certum est; adeoque de illis audiendos esse Ecclesiæ Pastores, & illis parendum. Tametsi, ut dixi, privatæ Dei communicationes, singularesque gratiæ, ac favores eximii, illis ferè solis noti sint, quibus fiunt, secundùm S. Bernardi sententiam: *Dulce commercium, sed breve momentum, & experimentum rarum. Pergat quis forsitam quærere, Verbo frui quid sit....* Putas

Tertullianus lib. de Præscrip. Hæret. c. 22.

Serm. 85. in Cantic.

Putas me posse eloqui quod ineffabile est?... O quisquis curiosus es scire quid sit hoc, Verbo frui, para illi non aurem, sed mentem. Non docet hoc lingua, sed docet gratia. A

Joan. 16. 12.

Objiciunt Quietistæ illam Christi Domini sententiam, *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modò*: ex qua colligunt, ea quæ viam interiorem spectant, non esse omnibus aperienda, nec ipsis etiam Pastoribus, qui ea fortè portare non possunt.

Respondetur, Id à Christo dictum esse Apostolis antequam Spiritum Sanctum accepissent; cujus illapsu & illustratione illos omnem cognituros veritatem ad regimen Ecclesiæ & institutionem atque B directionem Fidelium necessariam, ibidem promisit: *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Hæc igitur sententia: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*, non eò pertinet *ut in his Domini verbis nescio quæ secreta nimis abdita suspicemur, quæ cùm dici à docente possint, portari à discente non possint*: sed quòd *eo ipsa quæ in doctrina religionis in quorumlibet hominum notitia legimus & scribimus, audimus & dicimus, si vellet eo modo nobis Christus dicere, sicut ea dicit Angelis sanctis in seipso unigenito Patris* C *Verbo Patrique coæterno, portare homines non possent, etiamsi jam essent spiritales, quales adhuc Apostoli non fuerunt, quando ista eis Dominus loquebatur, qualesque postea veniente Spiritu Sancto facti sunt.* Quæ igitur ad viam interiorem pertinent, aut pertinere videntur, Ecclesiæ Pastoribus aperienda sunt, illisque secundùm Regulas ex Dei verbo & Ecclesiæ doctrina ab Apostolis ad nos usque per Patres traductâ docentibus, dirigentibus, præcipientibus, corrigentibus parendum, ut illusionum pericula vitentur, & lex Dei impleatur. Quamobrem piæ omnes Animæ his S. Augustini verbis ad- D monendæ sunt, & contra Pseudo-Mysticorum eò magis periculosa quò dulciora in speciem venena muniendæ: *Cavete, maximè qui parvuli estis, & adhuc alimentis lactis indigetis, ne hominibus sub hac occasione deceptis ac deceptoribus, quia Domi-*» *nus ait*, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed » non potestis portare modò, *aurem curiosam præbeatis ad incognita scienda, cùm mentes invalidas habeatis ad vera & falsa dijudicanda: maximè propter obscœnissimas turpitudines, quas docuit satanas animas flebiles atque carnales, ad hoc Deo sinente, ut ejus ubique sint tremenda judicia, &* E *in comparatione impura nequitia dulcescat purissima disciplina: atque ut illi det honorem, timorem autem vel pudorem sibi, qui in illa mola vel illo regente non sedit, vel illo inde levante surrexit. Cavete timendo & orando, ne irruatis in illud ænigma Salomonis, ubi* MULIER *insipiens & audax, inops panis effecta, convocat* » *prætereuntes dicens*, Panes occultos libenter at- » tingite, & aquæ furtivæ dulcedinem. *Hoc enim mulier vanitas est impiorum, cùm sint insipientissimi, aliquid se scire opinantium, sicut de ista muliere dictum est, inops panis effecta, Quæ cùm sit inops panis, promittit panes: id est, cùm sit* F *ignara veritatis, promittit scientiam veritatis. Occultos tamen panes promittit, quos dicit libenter attingi, & aquæ furtivæ dulcedinem: ut ea scilicet libentiùs & dulciùs audiantur & agantur, quæ palam in Ecclesia dici credique prohibentur. Ipsa quippe occultatione condiunt quodammodo nefarii doctores sua venena curiosis: ut ideo se existiment aliquid discere magnum, quia meruit habere secretum, & suaviùs hauriant insipientiam, quam putant scientiam, cujus prohibitam quodammodo furantur audientiam.*

S. August. Tract. 96. in Joann.

Piarum Animarum admonitio contra Quietistarum illusiones.

S. August. Tract. 97. in Joann.

Explicatur Salomonis ænigma de muliere panes occultos & aquas furtivas offerente.

Proverb. 9. 17.

De Quietistarum Ducibus, quales fuere Mi- A chael Molinos, & alii homines mente corrupti, dictum putent à Spiritu Sancto, quod de omnibus Hæreticis dictum interpretatur S. Augustinus: *Congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos qui probati sunt argento.* Tauri vocantur propter superbiam doræ indomitæque cervicis. Vaccæ autem populorum *seductibiles animæ* intelliguntur, quæ facilè sequuntur hos tauros. Non enim populos universos seducunt, in quibus sunt graves & stabiles; unde scriptum est, *In populo gravi laudabo te*: sed in eis populis quas invenerint vaccas. Ex his enim sunt qui *Penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas* B *oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, & ad veritatis scientiam nunquam pervenientes.* Quod autem ait idem Apostolus, *Oportet hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*: Hoc etiam hic sequitur: *Ut excludant eos qui probati sunt argento*, id est, qui probati sunt eloquiis Domini. *Eloquia* quippe *Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum septuplum.* Multi enim sensus Scripturarum sanctarum latent, & paucis intelligentioribus noti sunt; nec asseruntur com- C modiùs & acceptabiliùs, nisi eùm respondendi Hæreticis cura compellit. Quorum tamen sensuum probati Assertores aut prorsus laterent, aut non ita eminerent, ut eos eminere faciunt superborum contradictiones, quos velut tauros, id est, jugo disciplinæ pacifico leni que non subditos commemorat Apostolus, ubi talem dixit eligendum Episcopum, *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Episcopis igitur exponenda sunt Quietistarum & novæ Mystagogiæ arcana ab Animabus quas seduxerunt, aut seducere conati sunt. Audiendi sunt Episcopi D nova, erronea, & periculosa dogmata damnantes, & Christianæ perfectionis ac vitæ spiritualis & interioris regulas tradentes & exponentes, quas ex Scriptura sacra & Traditione hauserunt. Hæc enim eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum septuplum: cùm Novatorum prava dogmata & figmenta paleæ fiant, ventorum ludibrium, & ignis pabulum. Tandem Episcopis Pseudo-Mysticorum scripta & opera Christi auctoritate damnantibus, parendum est, & imprimis Romano Pontifici, qui *celsiore fastigio specula pastoralis præminet*, summusque doctrinarum examinator ac judex est. Qui verò pri- E vatum sensum in his quæ Christianæ perfectionis & vitæ interioris regulas seu orationis & contemplationis varios status ac modos, præponunt sensui Ecclesiæ per Episcopos ejus Regimini à Spiritu Sancto præpositos, & per Romanum Pontificem Episcoporum Episcopum declarato, ac pertinaciter in erroribus suis perseverant, habendi sunt sicut Ethnici & Publicani, secundùm Christi Domini mandatum.

Quietistarum caracteres.

Psal. 67. 29.

S. August. in hunc Psal.

2. Tim. 3. 6.

1. Cor. 11. 19.

Psal. 11. 7.

PROPOSITIO IV.

F *Homo non potest ita finalem beatitudinem secundùm omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, ut eam in vita beata obtinebit.*

NON enim videbit me homo & vivet (ait Dominus Deus.) *Beati mundo corde*, inquit Christus, *quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Videmus nunc per speculum in ænigmate* (inquit Apostolus) *tunc autem facie ad faciem. Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est... Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Nunc speramus,

Exod. 33. Matt. 5.

1. Cor. 13.

tamus, tunc videbimus Deum in Sion, & videndo fruemur. *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus... Nunc manent fides, spes, caritas... Per fidem ambulamus, & non per speciem.* Fides autem & spes in finali beatitudine non erunt; sed visio fidei, possessio seu fruitio spei succedet. Denique beatorum *Caritas nunquam excidit.* Nemo autem homo est in hujus peregrinationis via, qui à caritate excidere non possit.

Rom. c. 24. 25.
1 Cor. 13.
2. Cor. 5.
1. Cor. 13. c

Propositio quarta Beguardorum, Catholico isti Dogmati contraria, damnata est in Concilio Viennensi, ut habetur in Clementina *Ad nostrum, De Hæreticis.* Huic Beguardorum errori gemina est Quietistarum doctrina, qui perfectam satietatem, omne desiderium excludentem, Vitæ suæ interiori adscribunt: Quod beatitudinis proprium est, Propheta dicente: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Animæ verò quantumvis interiores & perfectæ in hujus peregrinationis via Deum desiderant ac sitiunt. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* (ait idem Propheta... *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*; ait idem Apostolus. *Amen, Veni, Domine Jesu*; inquit Dilectus Christi Discipulus. Actum etiam continuum contemplationis, quem ne somnus quidem interpellet, admittunt Quietistæ: quæ tamen actus perpetuitas, beatitudinis propria est, ut docet S. Augustinus libro 9. Confessionum, Cap. 10. *Si cui sileat tumultus carnis,* inquit, *sileant phantasiæ terræ & aquarum, & aëris; sileant poli, & ipsa sibi anima sileat, & transeat se non se cogitando, sileant somnia & imaginariæ revelationes, omnis lingua & omne signum, & quicquid transeundo fit, si cui sileat omnino; quoniam si quis audiat, dicunt hæc omnia: Non ipsa nos fecimus, sed qui fecit nos manet in æternum. His dictis si jam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum qui fecit ea, & loquatur ipse solus, non per ea, sed per se ipsum, ut audiamus verbum ejus, non per linguam carnis, neque per vocem Angeli, nec per sonitum nubis, nec per ænigma similitudinis, sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine his audiamus, sicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attigimus æternam sapientiam super omnia manentem, si* CONTINUETUR HOC, *& subtrahantur aliæ visiones longè imparis generis, & hæc una rapiat & absorbeat & recondat in interiora gaudia spectatorem suum, ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui suspiravimus, nonne hoc est,* Intra in » gaudium Domini tui? *Et istud quando? An cum omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur?*

Psal. 16. 15.
Psal. 41. 1. 2.
Philipp. 1. 23.
Apocal. ult. 20.
Actus continuus contemplationis, figmentum & error Quietistarum.
Matt. 25. 21.

Et Enarratione in Psalmum 147, n. 3 de beatitudine alterius vitæ loquens: *Non fluctuabit,* inquit, *negotium nostrum, otiosum negotium plenum solius dulcedinis, nulla interpellatum molestia, nulla fatigatione sancitum, nulla nube perturbatum. Negotium nostrum quod erit? Laudare Deum, amare & laudare, laudare in amare, amare in laudibus. Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Quare, nisi quia in sæcula sæculorum videbunt te?*

Psal. 83. 5.

Et in Psalmum 41. N. Quare tristis es anima » mea, & quare conturbas me? *Ecce jam quadam interiore dulcedine luti sumus, ecce acie mentis aliquid incommutabile, etsi perstrictim & raptim, perspicere potuimus: quare adhuc conturbas me? Quare adhuc tristis es? Non enim dubitas de Deo tuo. Et quasi responderet illi anima ejus in silentio, quare conturbo te, nisi quia nondum sum ibi, ubi est dulce illud quo sic raptus sum quasi per transitum? Numquid jam bibo de fonte illo nihil metuens?*

Divinæ contemplationis actus continuus in hac vita impossibilis.

Continuum Contemplationis actum in hac vita esse impossibilem ex Cassiano confirmatur contra Beguardos & Quietistas. Sic enim Abbatem Moysen loquentem inducit Collatione 1. cap. 4. *Finis nostræ professionis regnum Dei seu regnum cælorum est; destinatio vero nostra puritas est cordis, sine qua ad illum finem impossibile est quempiam pervenire. In hac ergo destinatione defigentes nostræ directionis obtutus, velut ad certam lineam cursum rectissimum dirigamus: Ac si paululum quid ab hac cogitatio nostra deflexerit, ad contemplationem ejus illico recurrentes, rursus eam velut ad quamdam normam rectissimè corrigamus; quæ semper omnes conatus nostros ad unum hoc revocans signum, arguet statim si à proposita directione mens nostra vel paululum deviaverit.* Et Cap. 13. *Inhærere quidem Deo jugiter, & contemplationi ejus, quemadmodum dicitis, inseparabiliter copulari, impossibile est homini ista carnis fragilitate circumdato. Verùm oportet nos scire, ubi mentis nostræ intentionem debeamus habere defixam, & ad quam destinationem semper animæ nostræ revocemus intuitum: Quam cùm potuerit obtinere mens, gaudeat; & à qua distractum se doleat atque suspiret; totiesque se à summo bono sentiat recidisse, quoties se ab illo intuitu deprehenderit separatam fornicationem judicans vel momentaneum à Christi contemplatione discessum. A qua cum deviaverit paululum noster obtutus, rursus ad eum cordis oculos retorquentes, velut rectissimâ linea mentis aciem revocemus.*

Et Collatione 23. Cap. 5. Theonas Abbas neminem in hac vita divinæ contemplationi continuò intentum esse posse confirmat. *Beatus David solum hoc bonum homini esse definiens, Deo jugiter inhærere desiderat, dicens:* Mihi autem adhærere Deo bonum est. *Quod etiam Ecclesiastes à nemine justorum sine querela perfici posse pronuntians:* Quia non est homo justus, *ait,* in terra qui faciat bonum, » & non peccet. *Quis enim umquam justorum atque » sanctorum hujus corporis vinculis colligatus, summum hoc bonum ita possidere potuisse credendus est, ut numquam à divina contemplatione discedens, ne parvo quidem tempore ab eo qui solus bonus est terrenis cogitationibus putetur abstractus &c. Denique illum Apostolum Paulum, qui omnium sanctorum laborem passionum numerositate transcenderat, nequaquam hoc implere potuisse confidenter adstruimus, ipso in Actibus Apostolorum Discipulis attestante:* Ipsi scitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, ministraverunt manus istæ. *Vel cùm Thessalonicensibus scribens,* In labore & fatigatione nocte & die operatum se fuisse testatur. *Quibus licèt » magna eidem meritorum stipendia pararentur, tamen mens ejus quamvis sancta atque sublimis, non poterat non ab illa cælesti theoria intentione terreni operis aliquando divelli.*

Psal. 72.
Eccles. 7.
Act. 20.
2. Thess. 3.

Et cap. 7. *Quis nostrûm,* inquit, *ut cætera pervagationum tempora prætermittam, non illo etiam momento quo Deo supplicans ad sublimia erigit mentem, quodam stupore collapsus, etiam per id offendat, per quod sperabat veniam delictorum? Quis tam familiaris Deo, tamque conjunctus, qui Apostolicum illud imperium, quo sine intermissione orare nos præcipit, vel uno die se gaudeat executum? Quæ licèt omnia nonnullis qui sunt crassioribus vitiis involuti, levia atque à peccato penè aliena videantur, scientibus tamen perfectionis bonum etiam minimarum rerum multitudo gravissima est.*

1. Thessal. 5.

Collatione denique 24. Cap. 10. remissionem mentis etiam perfectis utilem esse docet, ne in teporem spiritus, aut in graves corporis morbos collabantur. *Et idcirco à prudentibus usque perfectis, cum intercesserit etiam crebra Fratrum visitatio, non solum toleranda patienter, sed etiam gratanter est amplectenda. Primum quòd provocat nos avidiùs semper solitudinis desiderare secreta: Nam quodammodo cursum nostrum dum interpellare creditur, infatigabilem jugemque conservat, qui si nullo obice tardaretur, usque ad finem contendere indefessa pernicitate non posset.*

Quarto Beguardorum errori in Concilio Viennensi damnato favere videtur ista Propositio:

Nuptiæ spirituales sponsam Sponso immediatè uniunt secundùm essentiam sive substantiam; id est secundum voluntatem, per amorem purum. Certè non uniuntur immediatè Deo quicumque *per fidem ambulant & non per speciem*, qui Deum cognoscunt *ex parte*, non autem sicut & cogniti sunt; qui *peregrinantur à Domino*, qui Deum non vident *facie ad faciem* & *sicuti est*. Nemo autem homo est in hac vita mortali, quantumvis justus & perfectus supponatur, qui Deum videat sicuti est, qui per fidem non ambulet, qui non peregrinetur à Domino, qui Deum non cognoscat ex parte. Nemo igitur Deo unitur immediatè secundùm essentiam. Ista igitur propositio erronea est, illusionibus viam aperit, & hæreticas involvit consequentias, quòd nempe Animæ justorum, quæ puri amoris statum non attigerunt (qualem describunt novæ Mystagogiæ Auctores) ad spirituales Agni nuptias non pervenerunt: & quòd justi omnes, qui manent in Deo per caritatem, & Deus in eis, quia *Deus Caritas est*, illi non uniantur secundùm voluntatem: siquidem omnes ad statum amoris puri non perveniunt, secundùm Systema novorum Mysticorum. Istam denique Propositionem disertis verbis rejicit S. Bernardus. *Homo & Deus*, inquit, *quia unius non sunt substantiæ vel naturæ, unum quidem dici non possunt, unus tamen spiritus certa & absoluta veritate dicuntur, si sibi glutino amoris inhæreant.* QUAM QUIDEM UNITATEM NON TAM ESSENTIARUM COHÆRENTIA FACIT, QUAM CONNIVENTIA VOLUNTATUM.

1. Cor. 13.

Serm. 71. in Cantic.

PROPOSITIO V.

NUlla natura intellectualis creata in se ipsa naturaliter beata est, Anima verò indiget lumine gloriæ ad Deum videndum & eo beatè fruendum.

Dogma fidei est in Scripturæ sacræ verbis expressè fundatum Joannis 14. 21. *Qui diligit me*, inquit Christus, *diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*: igitur visio beatifica Dei bonorum operum præmium est. Nullum autem bonum opus ex nobis possumus elicere, nec nisi supernaturali accedente auxilio. Rom. 6. 23. *Gratia Dei vita æterna.* 2. Cor. 3. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Joannis 15. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Multò minùs ergo Deum videre possumus nisi auxilio supernaturali evecta & roborata mens nostra fuerit.

Easdem propositiones confirmant SS. Patres, Irenæus libro 4. Cap. 37. *Præsignificabant Prophetæ quoniam videbitur Deus ab hominibus, quemadmodum & Dominus ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sed secundùm magnitudinem quidem ejus & mirabilem gloriam, Nemo videbit Deum & vivet. Incapabilis enim Pater: secundùm autem dilectionem & humanitatem, & quòd omnia possit, etiam hoc concedit eis qui se diligunt, id est, videre Deum, quod & prophetabant Prophetæ. Quoniam quæ impossibilia apud homines, possibilia apud Deum. Homo etenim à se non videt Deum. Ille autem volens videtur ab hominibus, à quibus vult, & quando vult. Potens est enim in omnibus Deus, visus quidem tunc per spiritum Propheticè, visus est autem & per Filium adoptivè, videbitur autem & in regno cælorum paternaliter, Spiritu quidem præparante hominem in filium Dei, Filio autem adducente ad Patrem, Patre autem incorruptelam donante in æternam vitam, quæ unicuique evenit ex eo quòd videat Deum. Quemadmodum enim videntes lumen intra lumen sunt, & claritatem ejus percipiunt: sic & qui vident Deum, intra Deum sunt, excipientes ejus claritatem.*

S. Epiphanius Hæresi LXX. quæ est Audianorum, N. 7. *Deum quidem videri, præsertim ab humana natura non posse fatemur: neque quod aspectabile est, id quod videri omnino non potest, intueri fas putamus. Sed idem tamen invisibilis Deus, pro sua humanitate ac potentia, imbecillam aciem ita virtute sua corroborare dignatur, ut quod videri alioqui non potest, aspiciat. Porro cum invisibile aliud & infinitum aspicit, non quatenus infinitum est illud intuetur, sed quantum illius, quod imbecillum est, natura capere potest, ejusmodi vi ac virtute confirmata, ut ad potentis illius notitiam adæquare se possit.*

S. Ambrosius libro. 1. in Lucam N. 25. *Ideo Deum nemo vidit umquam: quia eam quæ in Deo habitat plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit.* Vidit, *enim ad utrumque referendum est. Tamen & si potestas non est videndi, est gratia promerendi ut videre possimus.... Et quid mirum si in præsenti sæculo, nisi quando vult, Dominus non videtur? In ipsa quoque resurrectione non facile est Deum videre nisi iis qui corde sunt mundo. Et ideo ait:* Beati mundo corde, ipsi enim Deum videbunt. *Quantos beatos jam numeraverat, & tamen videndi his Deum non promiserat facultatem? Si ergo ii qui mundo sunt corde Deum videbunt, utique alii non videbunt. Neque enim indigni Deum videbunt, neque is qui Deum videre noluerit, potest Deum videre... Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, qui nos in omnem plenitudinem Dei misericordiâ suâ implere dignatur, ut videri possit à nobis.*

Matt. 5. 8.

Accedit auctoritas Concilii Viennensis contrarias Beguardorum propositiones damnantis, scilicet: *Quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata... Anima non indiget lumine gloriæ ipsum elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.*

Beguardorum error. Clement. Ad nostrum, De hæret.

Et certè naturâ impeccabilis sit necesse est, qui sit naturaliter beatus, quod creaturæ notioni repugnat hoc ipso quo ex nihilo condita est. Unde S. Augustinus in Enchiridio cap. 12. ait: *Naturæ igitur omnes, quoniam naturarum prorsus omnium Conditor bonus est, bonæ sunt: ideo in eis & minui bonum & augeri potest.* Et libro 4. De Trinitate cap. 4. de creatura intellectuali scribit: *Quamquam magna natura est, vitiari tamen potuit, quia summa non est.* Et lib 22. de Civitate Dei, Cap. 30. quærens cur indifferentiam primo homini Deus contulerit: *Servandi erant*, inquit, *gradus divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo peccare posset homo; novissimum quo peccare non posset; atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret.* Visio igitur beatifica, quæ justitiæ Christianæ præmium est, impeccantiam infert,

fert : quæ quidem Angelo vel homini naturaliter convenire non potest, ut S. Anselmus confirmat libro 2. *Cur Deus homo* ? Cap. X. ubi interroganti Bosoni *Cur Deus non tales fecit Angelos & duos primos homines, ut similiter & peccare non possent, & de justitia sua laudandi essent?* respondet : *Quoniam nec potuit nec debuit fieri, ut unusquisque eorum esset idem quod ipse Deus.* Legi potest S. Thomas 1. P. Summæ Theologicæ, Quæst. 12 Art. 4.

PROPOSITIO VI.

AD *Christiani hominis perfectionem pertinet exercere se in actibus virtutum.*

Hoc fidei dogma Christus tradidit ac docuit in Sermone quem habuit in Monte, ubi omnibus Christianis ait : *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est*. & Christianarum virtutum officia omnibus hominibus proponit, quocumque sint in statu & perfectionis gradu, & in toto passim Evangelio Caritatis, humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, orationis, virtutumque ceterarum frequentibus exercitiis discipulos suos tendere ad perfectionem docet, ut ad gloriam cælestem perveniant. De justis scilicet quantumcumque perfecti sint, in Psalmo dictum est : *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Et ad illos pertinet illa Sapientis adhortatio : *Qui timetis Dominum, credite illi, & non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.*

Virtutum studium, & exercitia ad Christianam perfectionem pertinere, ides do ei. Psal 83. 8. Eccli. 2. 8. 9. 10.

Idem Apostoli docent à Christo & Spiritu Sancto edocti. Rom. 12. *Habentes autem donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono. Charitate fraternitatis invicem diligentes : Honore invicem prævenientes : sollicitudine non pigri : Spiritu ferventes : Domino servientes, spe gaudentes : in tribulatione patientes : orationi instantes : necessitatibus sanctorum communicantes : hospitalitatem sectantes.*

1. Corinth. 9 *Sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, &c.* 11. Corinth. 7 Eph. 6. 16. 17. 18. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela Nequissimi ignea extinguere : & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis.*

11. Corinth. 7. *Has ergo promissiones habentes carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.*

Philipp. 4. *Quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ : si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, quæ accepistis, & audistis, & vidistis in me.*

1. Thessalon. 5. 6. 9. 10. & seq. *Nos autem qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei & caritatis & galeam spem salutis. Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis : ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. Propter quod consolamini invicem, & ædificate alterutrum, sicut & facitis. Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes... Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite : hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis.*

11. Petri 1. 5. 6. 7. *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem. Hæc enim si vobiscum adsint & superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.* Caritatem semper à Deo postulare debemus, eamque exercere : Hæc autem omnes complectitur virtutes, ut docet Apostolus. *Caritas patiens est, benigna est... Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* Ecclesia denique virtutes & earum incrementa postulare nos docet, & pro omnibus membris suis à Deo petit : *Da nobis, Domine, fidei, spei, & caritatis augmentum... Deus virtutum, cujus est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris tui amoris affectum, &c.* Cùm igitur *legem credendi lex statuat supplicandi*, ut scribebat Cælestinus I. ad Episcopos Galliæ, fide certum est Christianos omnes, non incipientes modo & proficientes, sed in quovis perfectionis gradu constitutos, virtutum actus exercere debere, Christi Domini nostri, Salvatoris ac Magistri, Deiparæ Virginis, & Sanctorum omnium, quos Ecclesia colit ac celebrat, exemplo.

1. Cor. 13. 4.

Confirmatur propositio nostra ex S. Augustino Enarratione in Psalmum LXXXIII. Versus illos explicante : *Cor meum & caro mea exsultaverunt in Deum vivum. Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi ubi ponat pullos suos.* COR, inquit, *tanquam passer, caro tamquam turtur. Invenit sibi domum passer, invenit sibi domum cor meum. Exercet pennas in virtutibus hujus temporis, in ipsa fide & spe & caritate, quibus volet in domum suam : & cum venerit, permanebit, & jam querula vox passeris, quæ hic est, non erit ibi. Nam ipse est querulus passer, de quo in alio Psalmo dicit, Sicut passer solitarius in tecto. De tecto volat ad domum, jam sit in tecto, calcet domum carnalem : habebit quamdam cælestem locum, perpetuam domum : passer iste finiet querelas suas. Turturi autem dedit & pullos, id est, carni : Invenit nidum turtur, ubi ponat pullos suos. Passer domum, turtur nidum, & nidum utique ubi ponat pullos suos. Domus tanquam ad sempiternum eligitur, nidus ad tempus congeritur. Corde cogitamus Deum, tanquam volante passere ad suam domum : carne autem agimus opera bona.. Videtis enim per carnem sanctorum quantu bona fiant : per hanc enim operamur quæ jussi sumus operari, quibus adjuvamur in hac vita : Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum, si videris nudum, operi eum : & cetera talia quæ nobis præcepta sunt, non operamur nisi per carnem...*

Actus virtutum exercere debet Christianus homo, quousque Deum videat, quantumvis sublimem contemplationis gradû attigisse videatur.

Isa. 58. 7.

Et infra, explicans illa verba : *Etenim benedictionem dabit Legislator; ibunt de virtute in virtutem*; ait : *Adveniet gratia post Legem, ipsa est benedictio. Et quid nobis præstitit ista gratia & benedictio?* Ibunt de virtute in virtutem. *Multæ virtutes, sed hic necessaria : & ab his virtutibus imus in virtutem Quam virtutem? Christum Dei virtutem & Dei Sapientiam. Ipse dat diversas virtutes in loco hoc, qui pro omnibus virtutibus necessariis in convalle plorationis & utilibus, dabit*

 unam

unam virtutem se ipsum. Nam & virtutes agenda vito nostra quatuor describuntur à multis, & in Scriptura inveniuntur. Prudentia... justitia, Temperantia... Fortitudo... Ista virtutes nunc in convalle plorationis per gratiam Dei dantur nobis. Ab his virtutibus imus in illam virtutem. Et qua erit illa virtus, nisi solius contemplationis Dei? Necessaria ibi non erit ista prudentia, ubi nulla mala occursura sunt quæ vitemus. Non ista justitia, ubi nulla erit cujusquam indigentia cui subvenire debeamus. Non ista temperantia, ubi nulla erit libido refrænanda. Non ista fortitudo, ubi nulla erunt mala toleranda. Ergo ab his virtutibus hujus actionis ibimus in virtutem illius contemplationis, quâ con- » templemur Deum. Ibunt de virtute in virtutem: » videbitur Deus deorum in Sion. Quousque igitur Deum videat ut in se est, exercere debet Christianus homo virtutum actus frequentissimos, etsi gradum perfectionis & contemplationis sublimem attigisse videatur.

S. Bernard. Serm 72. in Cantica.

Dilectum denique suum *pasci inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ*, sponsa cælestis ait, id est, *candore & odore virtutum delectari*, donec aspiret dies ille æternus, quo Sancti in gloria cum Christo regnabunt, umbris fidei exclusis. Tunc enim manebunt quidem virtutes in Sanctis, & illis delectabitur Sponsus, sed actus earum hîc necessarii ad cupiditates moderandas, aut ad subveniendum proximo, actus laboriosi, qui pastûs seu manducationis nomine metaphorico significantur, tunc non erunt. Unus erit amoris perfecti continuus actus. *Sed neque cibum sibi jam exiget Verbum sponsus ex aliquibus factis seu operibus obedientiæ, ubi omne negotium otium, solòque in intuitu & affectu res erit. Et quidem cibus ejus ut faciat voluntatem Patris sui: sed hic, non ibi. Quid enim faciat factum? Et perfectam tunc esse constat. Denique probare jam tunc est omnibus Sanctis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Et certè post perfectum, faciendum superest nihil. Frui de cætero restat, non fieri: experiri, non operari: in ea vivere, non exerceri in ea. Nonne ipsa est, quam instantissima prece, docti quidem a Domino, sicut in cælo, ita in terra perfici postulamus, quò ejus jam delectet fructus, actus non fatiget? Non erit itaque Sponso Verbo operis cibus, quia cesset necesse est omne opus, ubi pleniùs ab universis percipitur sapientia.* Nam *Qui minoratur actu, sapientiam percipiet, quâ sapientia replebitur.*

Eccli. 38. 25.

Anima sancta se virtutibus ornare studet ut Sponso placeat.

Verum antequam sponsa introducatur ad cælestem Sponsum, pulchra esse studet ut illi placeat, omniúmque virtutum ornatum sibi comparat, ut dicere possit: *Formosa sum sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Quis enim sponsæ decor? S. Bernardum ea de re audiamus. *Decor ejus caritas est, justitia, patientia, voluntaria paupertas, humilitas. Sic prudentia, sic temperantia, sic fortitudo, & si quæ sunt virtutes aliæ, quid nisi Margaritæ sunt quædam in sponsa ornatu perpetuo splendore coruscantes? Perpetuo, inquam, quia sedes & fundamentum perpetuitatis. Nec enim perpetua beataque vita omnino locus in anima est, nisi mediis interjectisque virtutibus. Unde Propheta Deo, (qui utique vita beata est)* Justitia, *inquit*, & judicium præpa- » ratio sedis tuæ. *Et Apostolus dicit*, Christum ha- » bitare *non omni modo quidem, sed signanter* » per fidem in cordibus nostris. *Domino quoque* » *sessuro super asellum*, vestes suas Discipuli sub- » straverunt, *significantes Salvatorem seu salutem nequaquam insidere nuda anima, quam non videlicet vestitam invenerit, doctrina & moribus Apostolorum. Et ideo Ecclesiæ promissionem habens futuræ felicitatis, curat interim præparare & prærnare se in vestitu deaurato, circumdata varietate gratiarum atque virtutum, quo digna & capax plenitudinis gratiæ inveniatur.*

Serm. 27. in Cantica.

Deus nudæ animæ non insidet.

Psal. 92.

Ephes. 3.

Matth. 21.

Psal. 44.

Et infra: *Unde*, inquit, *magis magisque conformari satagit forma quæ de cælo venit, discens ab ea verecunda esse & sobria, discens pudica & sancta, discens patiens atque compatiens, postremo discens mitis & humilis corde. Et ideo moribus hujuscemodi contendit, & absens placere ei in quem Angeli prospicere concupiscunt, ut dum desiderio fervet angelico, probet se proinde civem sanctorum & domesticam Dei, probet dilectam, probet sponsam.*

Præcipuus decor quem colere debet anima sancta, humilitas est cum innocentia conjuncta: hunc decorem cælestis Sponsus admiratur & laudat. *Si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem jungit* (inquit S. Bernardus) *nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem? Sancta Maria sanctimoniam non amisit, & humilitate non caruit: & ideo concupivit Rex decorem ejus, quia humilitatem innocentiæ sociavit; denique* respexit humilitatem ancillæ suæ. *Ergo Beati qui custodiunt vestimenta sua munda, videlicet simplicitatis & innocentiæ, si tamen & decorem induere humilitatis adjiciant. Profectò audiet quæ hujusmodi invenitur:* Ecce tu pulchra es, » amica mea, ecce tu pulchra. *Utinam vel semel di-* » *cat Anima mea, Domine Jesu:* Ecce tu pulchra es. » *Utinam mihi humilitatem custodiat.* »

Præcipuus decor cujus studiosa esse debet Anima sancta, est humilitas cum innocentia conjuncta.

Error oppositus Propositioni nostræ damnatus est à Concilio Viennensi & Clemente V. in Beguardis, scilicet: *Se in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à se virtutes.*

Beguardorum error. Clement. Ad nostrum, De Hæret.

Atque inter Michaëlis Molinos Articulos, ab Innocentio Undecimo meritò damnatos isti etiam leguntur.

Damnati Michaelis Molinos errores.

29. *Dum Anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.*

31. *Nullus Meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à sensibus cognosci: Opus est amittere virtutes.*

32. *Nec ante nec post Communionem alia requiritur præparatio aut gratiarum actio pro illis animabus internis, quàm permanentia in solita resignatione passiva, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum qui fieri possunt & fiunt in via ordinaria: & si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei, alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.*

35. *Non convenit Animabus hujus vitæ internæ quod faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione & activitate, alias non essent mortuæ.*

Hos Quietistarum errores in Beguardis & falsis Mysticis sui temporis piissimus Taulerus insectatur Sermone 2. in Dominicam primam Quadragesimæ. *Ex his*, inquit, *duabus imposturis sive erroribus, puta falso otio & fornicatione spirituali, sive falsa (ut ita dicam) spiritualitate, tertius longè pessimus error nascitur, quo qui subversi sunt, se contemplatores vocant: eosque cognoscere licebit ex naturali illa quiete, quam intra se otiosi seu otio dediti sentiunt. Hi se à peccatis immunes, Deo sine medio unitos, omnibus & divinis & humanis solutos legibus, & ad nulla demum opera bona obligatos arbitrantur, hoc errore seducti, quod patens otium illud cui vacant, pro*

Quietistarum agnoscitur effigies Beguardorum à Taulero delineata.

fuit

sui nobilitate & excellentia, nullo pacto esse inturbandam, implicandamque. Hinc etiam repudiant subjectionem, nec quicquam omnino sursum vel deorsum operantur: ac velut instrumentum artificem præstolatur, nihil sine illo efficiens, ita & ipsi divinam exspectant operationem, nihil ipsi penitus agentes. Putant enim sua actione divinum opus fore præpediendum. Nihil itaque penitus in virtutibus sese exercent, sed otio vanissimo tradunt. Vis scire quale sectentur otium? Non gratias agere, non Deum laudare, nihil habere, nihil cognoscere, nihil amare, nihil orare, nihil desiderare volunt. Hæc omnia tanquam noxia postponunt. Quicquid enim orare possent, jam habere se putant: & ita paupertatem spiritus sibi arrogant, cum ab omni propria voluntate alieni sint, ut ipsis videtur, omnemque proprietatem & electionem abdicarint. Jam quod ad Ecclesiæ leges attinet, ea omnia non modo consecutos, sed & transcendisse se credunt, ob quæ cuncta sanctæ Ecclesiæ præcepta, ritus, consuetudines, ceremoniæ rationabiliter instituta sunt. Ad hæc persuasum habent neminem, nec ipsum Deum, quicquam sibi vel dare posse, vel auferre, eò quod exercitia omnia, cunctasque virtutes ad extremum usque puncto superarint, transcenderintque, ut ipsis videtur, atque ad meram seu puram quamdam vacuitatem seu otium pertigerint, sintque ab omni virtute absoluti seu expediti. Huc autem ut à virtutibus aliquis expediatur seu efficiatur liber, atque ad illud vacuum pertingat otium, plus requiri laboris inquiunt, quàm ad ipsas virtutes consequendas. Hac de causa tantam sibi libertatem usurpant, ut nulli prorsus obedire velint, neque Papæ, nec Episcopis, nec Pastoribus suis. Et quamvis interdum extrinsecùs obedire se simulent, intus tamen nulli omnino subjiciuntur, nec voluntate, nec actione. Ab omnibus sanctæ Ecclesiæ consuetudinibus & legibus exempti esse volunt, palam asserentes quòd quamdiu aliquis virtutibus consequendis navat operam, tamdiu adhuc imperfectus sit: quidque sit vera spiritus paupertas, & otium sive vacuitas ista prorsus ignoret. Insuper credunt omnia tam Angelorum quàm hominum merita se vicisse, nec deinceps ullum posse vel virtutis augmentum capere, vel admittere peccatum, ea de causa quod absque voluntate vivant, ut ipsis videtur, spiritumque suum quieti ac otio tradiderint, & in se ipsis annihilati, unum cum Deo effecti sint. Proinde cunctis naturæ desideriis absque peccato liberè se satisfacere posse stultissimè credunt, utpote qui summam adepti sint innocentiam, quibusque lex nulla posita sit. Breviter ergo, ne spiritus otium, quies & libertas ullum patiatur impedimentum, cunctis naturæ affectibus & concupiscentiis indulgent & obsequuntur. Ipso constanter asseverare non dubitem, latrones quosque, & omnes in manifestis sceleribus vitam agentes, ejusmodi longè meliores esse. Illi enim facta sua cognoscunt & confitentur esse mala, quin potius laudant ea atque tuentur.... Hi Antichristi prænuntii sunt, qui viam illius præparant, deducentem ad infidelitatem & damnationem perpetuam.

Principia fidei Pseudo-Mysticorum erroribus opposita.

Certa ergo fide tenendum est, neminem à mandatorum Dei & Sanctæ Ecclesiæ observatione, virtutúmque exercitio absolutum & exemptum esse. Nemo etiam cum Deo uniri potest in otio, nisi & ames Deum, atque desideres. Nemo sine bonis operibus aut sanctus est, aut esse potest. Nulli fas est à bonorum operum studio & exercitio cessare. Nemo in Deo quiescere potest absque amore divino. Nemo in Deum sublevari potest, quamdiu hunc neque desiderat, neque sentit. Nulli à divinis ac sanctis operibus otiosum esse licet: sed omnipotenti Deo multa cum gratitudine quisque cooperabitur, ne divinam præpediat operationem. Nemo sic Deo serviet, ut hunc laudare, ipsique gratias agere se putet minimè adstrictum. Cum enim hic omnium sit conditor, sine fine potens ac dives, solúsque dare possit & auferre, ab omnibus devotissimè laudandus est, semperque illi gratiarum actiones referendæ. Indubiè quoque tenendum est, hominem in virtutibus proficere, mereri quoque, & exercere se posse quoad vixerit. Quod si possibile foret (est autem omnino impossibile) ut creaturæ spiritales omni operatione sua privarentur, ita ut nihil prorsus operari possint, tamque fierent otiosæ, sicut erant cùm in divina abysso increatæ essent, hoc est, ne unum cum Deo efficerentur, ipsa quoque rationalis creatura talis per omnia fieret, qualis erat necdum creata in Deo: nihil penitus sive hac sive illa mereri possent, non magis quàm eo poterant tempore, nec aliquid plus sanctitatis aut felicitatis haberent quàm lignum sive lapis. Ex his igitur manifestè colligitur, quod sine nostra operatione, amore, cognitioneque Dei, beati esse aut effici nulla ratione queamus. Otium ergo istud mera deceptio & impostura est, quod tamen qui sectantur, quos falsos & erroneos spiritus appellare non dubites, adeo subtiles & arguti sunt, ut superari nequeant. Sunt prorsus non dissimiles damnatis spiritibus, qui nil delectationis, nil amoris, cognitionis, devotionis habent, non laudant, non gratias agunt....

Hujus otii planè contrarium tenemus in Christo, qui semper perseverat in amando, desiderando, gratias agendo, atque laudando cœlestem Patrem suum. Cujus anima licèt fuerit & sit etiamnum unita atque beata in essentia divina, ad istud tamen otium nunquam devenit. Ipse & omnes Sancti perpetuo quodam tenentur desiderio (instar eorum qui perpetua fame sitive æstuant, ut ita loquamur) Deum amandi, Deo semper fruendi, quo tamen quantò ampliùs fruuntur, tantò magis frui desiderant, nec unquam satiari possunt, tametsi eo supra omne desiderium fruantur in æterna illa tam Dei quàm sua beatitudine, ubi nonnisi omnimoda quædam unitas est. Quamobrem frui & operari, & Christi Jesu, & Sanctorum omnium beatitudo est, bonorumque omnium vita, uniuscujusque pro modo ac magnitudine amoris sui, & est justitia nullis temporibus peritura.

Objiciunt Quietistæ, studium & frequentia virtutum exercitia proprietatem esse Sponso cœlesti displicentem, quâ proinde exuenda sit anima ut illi placeat.

Studium & exercitia virtutum, non sunt labes proprietatis.

R. Mera hæc est fanaticorum hominum illusio: qui enim virtutibus studet, eorúmque frequentes & ferventes actus exercet, ut Deo placeat, & illum promereatur; ut ejus gratiæ totum tribuat, nihil sibi; ut illi gratias humillimas agat, ut non in se ipso, sed in Domino glorietur, labem proprietatis nullam habet. Ille solum proprietarius est hac in specie, qui virtutem suam ad Deum non refert qui dedit, sed in ea velut in privato decore complacet sibi, & Stoïca vanitate in corde suo ait: Mihi fui mea virtute bonum est. Hic Luciferi superbiam imitatur, de quo ait Propheta: *Perdidisti in decore tuo sapientiam.* Quem locum tractans S. Bernardus Sermone 74. in Cantica: *Quæris, inquit, quis ille tam noxius tàmque perniciosus decor? Tuus. Adhuc fortè sine intellectu es? Planiùs audi. Privatus, proprius. Non culpantur dona, sed usus. Denique si advertisti, non in decore, sed in suo decore dictus est ille perdidisse sapientiam. Et ni fallor, unus Angeli Animæque decor ipsa est. Quid enim vel hic vel ille absque sapientia, nisi rudis informisque materia est? Eâ ergo ille non modò formatus, sed & formosus fuit.*

Ezech. 28.

Sed perdidit eam, cum fecit suam: ut non sit aliud in decore suo, quàm in sua sapientia perdidisse sapientiam. Proprietas in causa est. Quòd sibi sapiens fuit, quòd non dedit gloriam Deo, quòd non retulit gratiam pro gratia, quòd non secundum veritatem ambulavit in ea, sed ad suam eam retorsit voluntatem: istud est cur eam perdidit, imò istud est quod eam perdidit.

Quietistæ non solùm ornamenta animæ detrahunt quibus Sponso placeat, sed & arma quibus inimico resistat.

S. Greg. M. Hom. 15. in Ezechiel.

Sanè qui Animam virtutibus exspoliandam impiè comminiscuntur, illam non solùm ornamentis exui volunt quibus Sponso placeat, sed & armis quibus Inimico resistat. *Si enim pugnare contra spiritalia nequitiæ volumus; in collo Ecclesiæ, quæ nobis sicut turris David erecta est, id est, in divino eloquio, protectionis arma requiramus, ut ex discretionis præcepto contra vitia sumatur virtus adjutorii. Ecce enim contra aëreas potestates festinamus fortes existere? In hac turri armaturam nostræ mentis invenimus, ut inde præcepta Conditoris, inde sumamus exempla præcedentium, per quæ contra adversarios nostros inexpugnabiliter armemur. Dum enim quamlibet virtutem subire appetis, & hanc illic à Patribus jam impletam vides, ibi armaturam tuam invenis, per quam contra spiritalia bella muniaris. Dependent in ea quippe mille clypei: Si quis pugnare appetit, assumat, & ex ea virtute pectus muniat, & verborum jacula emittat. Et notandum quòd ædificata cum propugnaculis suis dicitur. Hoc quippe agunt propugnacula, quod Clypei, quia utraque pugnantem muniunt. Sed inter utraque distat, quia clypeum pro nostro munimine ubicumque volumus, movemus: propugnaculo autem defendi possumus; sed hoc movere non possumus. Clypeus in manu tenetur, propugnaculum non tenetur. Quid ergo inter propugnaculum & clypeos distat, nisi quod in sacro Eloquio Patrum præcedentium & miracula legimus, & virtutes bonorum operum audimus? Hi quàm vera de Deo dixerint, testantur miracula, quia talia per illum non facerent, nisi de illo vera narrarent. Et quàm pii, quàm humiles, quàm benigni exstiterint, eorum testantur operationes. Si igitur de fide tentamur, quam ex illorum prædicatione concepimus, loquentium miracula conspiciamus, & in fide quam ab eis accepimus confirmamur. Quid ergo illorum miracula, nisi nostra sunt propugnacula? Quia & muniri per illa possumus, & tamen hæc in manu nostri arbitrii non tenemus: nam talia facere non valemus. Clypeus verò in manu est, & defendit: quia virtus patientiæ, virtus misericordiæ, protegente nos gratiâ, & in potestate est arbitrii, & à periculo protegit adversitatis. Turris itaque nostra cum propugnaculis suis ædificata est, in qua mille clypei dependent: quia in Scriptura Sacra & sub miraculis Patrum a jaculis adversitatis abscondimur, & conversationis sancta munimina etiam in manu operis tenemus.*

Propositiones periculosæ novorum Mysticorum.

Ex his perspicuum est sequentes Propositiones rejiciendas esse, ut Beguardorum & Molinosi erroribus cognatas:

1. *Amor purus per vices fit qualibet distincta virtus, sed nullam vult quatenus virtus est.*

2. *Transformatio maximè essentialis & immediata nihil aliud est quàm habitus puri amoris, in quo uno tota vita interior posita est: & qui tunc unicum principium est, & unicum motivum omnium actuum deliberatorum & meritoriorum.*

3. *Amoris puri zelus efficit ut nec anima virtute prædita esse velit, nec tamen sit unquam studiosior virtutis, quàm cùm virtuti non studet.*

4. *Anima transformata non desiderat remissionem peccatorum ut propriam purgationem & liberationem: nec se lavari à peccatis suis ut pura sint.* Quæ propositio verbo Dei & Ecclesiæ precibus contraria est: *Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. . . . Cor mundum crea in me Deus.* Fideles omnes remissionem peccatorum ut propriam purgationem & liberationem à Deo petere Christus docuit: *Dimitte nobis debita nostra. . . Libera nos à malo.* Cordis munditiem, quæ una est ex Evangelicis beatitudinibus à Christo commendatis in Sermone quem habuit in Monte, qui perfectionis Evangelicæ compendium est, cui munditiei cordis visio Dei in futuri sæculi vita promissa est; (*Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*) Animas transformatas non desiderare qui dixerit, Christo Jesu contradicit. Et quæ sponsam uxorem Agni puro & casto amore flagrare negaverit, quia stolam suam in sanguine ejus quotidie lavare curat ut pura sit: quia interiorem decorem amat ut Sponso placeat: quia *vestitu deaurato*, quæ caritas est, ornata, & virtutum omnium *circumdata varietate*, Dilecti sui amorem studet promereri: quia denique viro suo se præparat, *sumens de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depicta oculos verecundiâ & os taciturnitate, inserens in aures sermones Dei, adnectens cervicibus jugum Christi, se vestiens serico probitatis, byssino sanctitatis, purpurâ pudicitiæ, ut Deum habeat amatorem.*

Psal. 50.

Matt. 5.

Tertull. lib. 2. de Cultu Femin.

PROPOSITIO VII.

Asserere Fornicationem, aliosve carnales actus non esse peccata, cum graviter tentatur exercens, hæreticum est.

Est enim expressè contra verbum Dei, Exod. 20. 32. *Non Mœchaberis.* Tob. 4. *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam non patieris crimen scire.* 1. Cor. 6. *Nolite errare: Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles. . . . Regnum Dei possidebunt. . . Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori. . . . Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici unum corpus efficitur? . . . Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Galat. 5. *Manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria. . . . Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Quantumvis autem gravi tentatione ad illa opera instigetur homo, nihilominus lethalia peccata sunt, æternáque damnatione digna, siquidem diaboli tentationibus quibuscumque resistere potest & tenetur. 1. Petri ultimo: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Jacobi 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Dogma istud fidei SS. Patres confirmant. S. Hieronymus in Cap. 15. S. Matthæi: *Diabolus adjutor & incensor malarum cogitationum potest esse, auctor esse non potest.*

Diabolus peccatū suggerit & suadet, ad illud committendū non infert.

S. Ambrosius Libro 1. de Jacob & Vita beata, cap. 3. *Non est quod cuiquam nostram adscribamus ærumnam, nisi nostræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit. Non habent*

bens crimen qua inferuntur reluctantibus: voluntaria tantùm commissa sequitur delictorum invidia, quod in alios derivemus. Voluntarium sibi militem elegit Christus, voluntarium servum sibi diabolus auctienatur. Neminem jugo servitutis adstrictum possidet, nisi se priùs peccatorum ære ei vendiderit. Quid carnem quasi infirmam accusamus? Membra nostra arma sunt iniquitatis, & arma justitiæ. Vidisti pauperem injuriam accipientem, protexisti eum, membra tua arma pietatis sunt, quibus pauperem ab injuria vindicasti. Vidisti egenum, donasti eum muneribus, dexterâ tuâ mortem à tuo pectore repulisti. Vidisti eum qui ducitur ad mortem, eripuisti eum, membra tua arma sunt justitiæ, si hominem perire non passus es. Vidisti mulierem, castigasti corpus tuum, mortificasti libidines, procaces meretricis oculos aversatus deseruisti, membra tua arma sunt castimoniæ. Contra autem si oculus tuus vidit mulierem ad concupiscendum eam, aperuisti vulnus, impressisti telum corpori tuo, membra tua arma peccati sunt. ... Affectus igitur, non caro auctor est culpæ, caro autem voluntatis ministra.

S. Augustinus Tractatu 12. in Joannem: *Ad mortem à diabolo propinatam non veniret homo vi adductus: Non enim cogendi potentiam diabolus habebat, sed persuadendi versutiam. Non consentires, nihil invexerat diabolus: consensio tua, ô homo, te perduxit ad mortem.*

Et Tractatu 52. *Quid aliud petimus, cùm dicimus,* Ne nos inferas in tentationem, *nisi ut ille qui insidiatur vel certat extrinsecùs, nulla irrumpat ex parte, nulla nos fraude, nulla possit virtute superare? Quantaslibet tamen adversùs nos erigat machinas, quando non tenet locum cordis, ubi fides habitat, ejectus est foras.*

Et in Psal. 91. N. 3. *Aures tuæ positæ sunt inter monentem Deum & suggerentem serpentem. Quare huc flectuntur? hinc avertuntur? Non cessat satanas suadere malum, sed nec cessat Deus admonere bonum; satanas autem non cogit invitum: in tua potestate est consentire, & non consentire. Si aliquid persuadente satana mali feceris; dimitte satanam, accusa te, ut accusatione tua Dei misericordiam merearis.*

S. Prosper in Responsione ad objectionem Vincentianam XI. *Etsi diabolus delectatus est furore peccantium, probatur tamen se non intulisse vim criminum.*

Quisque sui ad peccatum impulsor & præcipitator.

S. Bernardus Sermone 85. in Cantica, explicans hunc Versum Psalmi 117. *Impulsus eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me*, quærit quis ille sit impulsor, & respondet: *Non est unus, impulsor diabolus est, impulsor mundus, impulsor homo. Quis iste homo sit, quæris? Quisque sui. Noli mirari, usque adeo homo impulsor sibi est, & suimet præcipitator, ut non sit quod ab altero impulsore formides, si ipse à te proprias contineas manus.* Quis enim vobis nocere poterit, si boni æmulatores fueritis? *Manus tua consensus tuus: si diabolo suggerente vel sæculo suadente quod non oportet, assensum tuum renueris, & non dederis membra tua arma iniquitatis, nec permiseris regnare peccatum in tuo mortali corpore: bonum te æmulatorem probasti, cui malitia omnino nihil nocuit, vide ne magis profuerit. Scriptum est enim:* Benefac, & habebis laudem ex illa. *Confusi sunt qui quærebant animam tuam, tu verò cantabis:* Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero. *Boni planè æmulatoris insigne dedisti, si consilio Sapientis misereris animæ tuæ, si omni custodia servas cor tuum, si juxta Apostolum, te ipsum castum custodis. .. Cùm igitur tres sint stanti imminentes strators, horum diabolus livore malitia, mundus vento vanitatis, homo semetipsum pondere suæ corruptionis impellit. Impellit diabolus, sed non evertit, siquidem tuum illi negaveris consensum. Denique habes:* Resistite diabolo, & fugiet à vobis. *Iste est qui stantes in paradiso impulit invidus & evertit, sed consentientes, non resistentes. Iste est qui se ipsum de cœlo superbus nullo impellente præcipitavit: ut scias multò magis hominem suo ipsius casui imminere, quem propria substantia pondus gravat. Est & mundus impulsor, quia in maligno positus est: impellit omnes, sed solos evertit amicos sibi. Nolo esse amicus mundi, ne cadam. Nam qui vult esse hujus mundi amicus, inimicus Dei constituitur, quo utique nullus gravior casus. Ex quibus satis claret quàm sit homo præcipuus impulsor sui, qui suo sine alieno impulsu cadere potest, alieno absque suo cadere non potest.*

1. Petri 3.

Rom. 13.

Psal. 18.

Jacobi 4.

Jacobi 4.

Contraria denique Propositio error est Beguardorum à Concilio Viennensi & Clemente V. damnatus, scilicet: *Mulieris osculum (cùm ad hoc natura non inclinet) est mortale peccatum: actus autem carnalis (cùm ad hoc natura inclinet) peccatum non est, maximè cùm tentatur exercens.*

Clement. Ad nostrum, De Hæret.

Sed & inter execrandos Molinosi Articulos hi damnati sunt ab Innocentio Undecimo Pontifice Maximo:

Quietistæ veterum Gnosticorum impudicitiam æmulati.

Execrandi Michaelis Molinosi errores.

41. *Deus permittit & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quòd in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo physicè illis manus & alia membra contra earum voluntatem; & idem dicitur quoad illos actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia in his non adest consensus.*

42. *Potest dari casus quo hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris & feminæ, & ex parte utriusque sequatur actus.*

46. *Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem & unionem perducendam; nec alia superest via, & hæc est via facilior & tutior.*

47. *Cùm hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo: & etiamsi sequantur pollutiones & actus obscœni propriis manibus, & etiam pejora, non opus est se ipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia & timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas; & præ omnibus non opus est hæc confiteri, & sanctissimè fit non confitendo, quia hoc pacto superatur dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.*

48. *Satanas qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulteriùs progrediatur. Unde ad ejus vires enervandas melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.*

Doctrinas illas dæmoniorum manifestasse, refutasse est. Non solùm autem dæmoni vim inferenti, sed & Deo non modò permittenti, sed volenti, fœditates illas suas & abominationes tribuere non verentur, cùm peccata esse negant, & iis animum purgari asserunt, veteres Gnosticos, & Beguardos imitati, de quibus Taulerus Sermone 2. in Dominica 1. Quadragesimæ: *Se,* inquit, *Dei patientes nuncupant, eo quòd Dei sustineant seu patiantur opera, quæ ipse (ut putant miseri) in eis operatur. ... Quicquid agant, nihil*

ſi

se peccare arbitrantur, cùm Deus id per eos efficiat, ut ipsi dicunt, & quicquid ipse velit, id per eas fiat, nec prorsus aliud aliquid. Humilitatem quamdam præ se ferunt in conversatione & actibus suis: facilèque adversa omnia tolerant ea de causa, quòd se Dei instrumentum esse arbitrentur, per quod ille pro gratissima voluntate sua operetur. Sunt igitur veris Dei amicis admodum similes in multis: sed in hoc nimium aberrant, quòd omnia ea ad quæ intus moventur, sive bona sint sive mala, à Sancto Spiritu procedere & fieri putant.

Spuriorum Mysticorum Propositio periculosa.

Hæc tandem Propositio periculosa est in ore & in libris spuriorum Mysticorum.

Matt. 7. 15.

Anima transformata cæcam obedientiam in omnibus exhibere debent Superioribus suis & Directoribus. Ita-ne *cæcam, & in omnibus?* Cur ergo Christus *à falsis Prophetis attendere* jubet, *qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces?* Cur prudentiam serpentis cum simplicitate columbæ conjunctam à suis exigit? Cur Apostolus ait, *Rationabile obsequium vestrum.. Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta?* Cur *Deo magis quàm hominibus obedire* oportere, Apostoli verbo & exemplo docuerunt? Cur S. Joannes fideles à seductoribus cavere tam sollicitè monet? *Nolite*, inquit, *omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* Quæ omnia frustra sunt, *si cæcam & in omnibus obedientiam* exhibere debent Superioribus & Directoribus suis Animæ simplices. Notum est quò tendat principium illud cæcæ obedientiæ in omnibus Directori exhibendæ à Quietistis inculcatum. Horret animus recordari flagitiorum in quæ infelices mulieres hoc imbutas principio traxerunt duces cæci. Hæc itaque Propositio rejicienda est ut erronea, & ad illusiones, ad motum corruptelam & execrabilem Gnosticorum, Beguardorum, Illuminatorum, & carnalium Quietistarum licentiam viam aperiens.

Rom. 12. 1.

Act. 5. 29.
1. Joan. 4. 1.

PROPOSITIO VIII.

ASserere cogitationem de Christo Jesu & ejus Mysteriis, omnémque erga ipsu devotionem à contemplatione excludi, hæresis est.

Joan. 17. 3.
1. Cor. 2.
Galat. 2.
1. Cor. 1.
Ephes. 1.
Hebr 12.

Fides enim explicita de Christo Jesu ad salutem necessaria est, atque Christianos omnes cujuscumque statûs obligat. *Hæc est vita æterna* (ait Christus) *ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Et Apostolus: *Non judicavi*, inquit, *me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* Et rursus: *Vivo in fide Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Et Mysteriorum Christi contemplationem viam salutis & perfectionis esse docet: *Ex ipso*, inquit, *vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio & redemptio.* Nostra redemptio & justitia est, quia lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, nosque à dæmonis & propriæ cupiditatis dominatione eripuit. Sapientia & sanctificatio nostra est, quia suo lumine & gratia nobis subministrat cognitiones omnes & virtutes necessarias ad salutem & ad perfectionem; *Instaurans omnia quæ in cœlis & quæ in terra sunt*, Vitæ denique Christianæ & spiritualis, ut & fidei *Fundamentum præter quod nemo aliud potest ponere, est Christus Jesus.*

Non imperfectos solùm, sed perfectos spectat ista ejusdem Apostoli adhortatio: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet. Recogitate enim qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* Quis nisi à dæmone delusus & deceptus imperfectionis esse putet de Christo cogitare, illum amare, atque devotione erga sacram ejus humanitatem & Mysteria affici, de quo Pater semel iterumque dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*: qui de se ipso ait: *Ego sum via, veritas & vita*: in cujus nomine omne genu flectitur, & *Non est in alio aliquo salus*, in quo denique *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Quid ad perfectionem utilius meditatione & contemplatione Mysteriorum Christi, cujus *tota vita in terris disciplina morum fuit?* (inquit Sanctus Augustinus) *Omnia quæ habere cupientes non rectè vivebamus, carendo vilefecit. Omnia quæ vitare cupientes à studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi aut dum appetuntur ea quæ ille contempsit, aut fugiuntur quæ ille sustinuit.*

Quietistarũ illusio & error, perfectam contemplationem hujus vitæ circa Christum versari negantiũ.

Coloss. 2. 9.

Lib. de vera Religione. c. 16.

Nemo ita perfectus est, qui Mediatore non egeat apud Patrem, nemo ita sanus in hujus mortalitatis via, qui non egeat medico; nemo ita illuminatus & exercitatus in via virtutis, qui non egeat exemplo, ac proinde de ipsis cogitare non debeat, invocare Mediatorem, Medicum rogare ut sui misereatur, exemplar virtutum omnium intueri. Hæc autem omnia in Christo Jesu habemus. *Unus est* enim *Mediator Dei & hominum homo Jesus Christus*, quem *Advocatum habemus apud Patrem*, per quem à Patre & à quo cum Patre nos æternam salutem & omnia bona ad illam conducentia nos impetraturos credere & sperare debemus, ut ipse docuit ac promisit dicens: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ipse Medicus animarum nostrarum, cujus passione ac *livore sanati sumus*, cujus fide purgamur à peccatis & justificamur. Ipse exemplar cui conformari debemus. *Ab omnipotenti medico*, inquit S. Leo, *duplex nobis miseris remedium præparatum est, cujus aliud in sacramento, aliud in exemplo: ut per unum conferantur divina, per aliud exigantur humana. Quia sicut Deus justificationis est auctor, ita homo devotionis est debitor. Ipse factus est via, quia nisi per Christum non itur ad Christum. Per ipsum autem ad ipsum tendit, qui per semitam patientiæ & humilitatis ejus incedit.* Denique *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* Quis autem amat, de quo frequenter non cogitat?

1. Tim. 2. 5.
1. Joan. 2. 1.

Joan. 16. 23.

Serm 61

1 Cor. 15. 22.

Cantic. passim.

Sponsa cœlestis, quæ Animarum perfectarum exemplar est, de Dilecto suo frequenter cogitat ac loquitur cum incredibili animi voluptate. *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui... Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te. Curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: Recti diligunt te.. Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum... Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus... Dilectus meus mihi, & ego illi... In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea... Per vicos & plateas quæsivi quem diligit anima mea... Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam... Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei quia amore langueo*

langueo... Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat?... Leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me... Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?... Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Jesum Christum Sponsum esse Ecclesiæ & cujuslibet Animæ sanctæ certissimum est. Quò igitur perfectior est Anima, eò divinæ contemplationis lumine magis illustrata: quò divini amoris igne purissimo succensa magis, eò frequentiùs, firmiùs ac delectabiliùs cogitationes suas in Christo Jesu sponso suo defigit.

Sanctos Patriarchas, Prophetas, Apostolos, & Virginem imprimis Deiparam, unam Entis illimitatam abstractissimamque rationem, non Christum Jesum in contemplatione sua cogitasse, figmentum est, error est. De illo scilicet non cogitabant Patriarchæ, qui ipsis à Deo promissus erat, Messia & generis humani Salvatore? De illo non cogitabant Prophetæ, quem à Deo afflati venturum prænunciabant, cujus Mysteria prædicebant, & vivis coloribus delineabant? De illo non cogitabant, cujus adventum ardentissimis votis desiderabant? De illo non cogitabat Deipara Virgo Maria, quem feliciùs mente & corde quàm carne concepit? De illo non cogitabant Apostoli & Evangelistæ, cujus adventum, vitam, doctrinam, miracula, passionem, mortem, resurrectionem prædicabant, cujus nomen in corde & in ore semper habebant, cujus erant legati & vicarii, cujus Ecclesiam propagabant? Quis id sibi fingat nisi fanaticus? Abraham Credentium pater Christum non frequenter cogitabat, de quo Christus ipse Judæis ait: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit & gavisus est?*

Joan. 8.

Non volvebat animo promissionem à Deo sibi factam de Christo ex ejus semine nascituro his verbis: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ?* De Christo non cogitabat Isaac, cùm filio suo Jacob benedixit, dicens: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus?* Jacob enim *erat perfectus & sacræ benedictionis*, in Christo Jesu venturo promissæ, *redolebat gratiam* (inquit S. Ambrosius Lib. 11. *De Jacob & Vita beata*, cap. 1.) Jacob moriens & filiis suis benedicens, Christum non cogitabat, cùm ejus adventum vaticinatus est his verbis: *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium: Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum?* Cùm ait: *Salutare tuum exspectabo, Domine?* In quo verbo, inquit S. Gregorius, beati Jacob mens ostenditur *Quo modo Jesu desiderio ardebat, quem se moriens exspectare perhibebat.* Christum Jesum non cogitabat Moyses, *qui Fide celebravit Pascha & sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiva tangeret eos?* Qui tam insignes Christi typos in Nube, in Maris Rubri transitu, in Manna, in Petra aquas effundente, in Lege, in Circumcisione, cæterisque Legis ritibus contemplatus est: Qui Deo ipsum ad Pharaonem mittenti respondit; *Obsecro Domine, mitte quem missurus es*: Qui promissum populo Prophetam similem sibi significavit, id est, Christum quem audire deberent, eique obsequi: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus tuus: ipsum audies*, &c. Christum non cogitabat David, cujus in Psalmis tot & tam aperta sunt de Christo vaticinia? Non mente volvebat promissionem

Genes. 22. 18. & Galat. 3. 16.

Genes. 49.

Hom. 5. in Ezech.

Hebr. 11.

Exod. 4. 13.

Deuteron. 18. 15.

à Deo sibi factam & juramento firmatam de Christo ex familia sua & sanguine nascituro? Nonne Christi venturi exspectatione recreatus, aquam è cisterna Bethleemitica sibi à Militibus fortissimis per medias Philistæorum acies allatam bibere noluit, sed libavit eam Domino, Christi Jesu contemplatione in Bethleem ex Virgine nascituri? *Sitiebat David non aquam de lacu qui est in Bethleem, sed oriundum ex Virgine Christum in Spiritu prævidebat. Volebat ergo bibere non aquam fluminis, sed potum gratiæ spiritalis, hoc est, non aquarum sitiebat elementum, sed sanguinem Christi. Denique non bibit oblatam aquam, sed Domino fudit, significans sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentum: illud sacrificium in quo esset remissio peccatorum, illum sitire se fontem æternum, non qui periculis quæreretur alienis, sed pericula aliena depelleret.* Verba sunt S. Ambrosii. Dies me deficeret, si Prophetas Christum & ejus Mysteria frequenter fuisse contemplatos demonstrare vellem. Id revocare quis possit in dubium de Virgine Deipara, quæ omnia Christum Jesum spectantia conservabat conferens in corde suo? quæ Dei beneficentiam, potentiam & misericordiam considerans, quæ illam elegerat ut Filii sui Mater esset, non poterat quin de Jesu cogitaret? Illimitatam certè, innominabilem & abstractissimam dumtaxat Entis primi rationem ejus menti obversatam fuisse nemo dixerit, cùm Elizabetham cognatam suam salutans, ait: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus, in Deo salutari meo; quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo.* S. Paulum Apostolum vocatum *Vas electionis ut portaret* Nomen JESU coram gentibus & regibus, & filiis Israël: qui *nihil se scire* arbitrabatur *nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum*: cujus Epistolæ omnes Jesu Christi nomen, gratiam, virtutem, Mysteria prædicant, in sua contemplatione fuisse Christi immemorem quis sibi persuadere possit?

1. Paralip. 11.

S. Ambros. Apolog. David cap. 7.

Luc. 1.

Inane porro est quod spurii Mystici respondent, perfectarum Animarum contemplationem in Christum non ferri propria illarum electione, sed solùm repræsentante Deo, nec nisi instinctu & impulsu gratiæ singularis. Quasi verò ad contemplandum Christum non sufficiat cum gratia quæ ad sanctas cogitationes, & bona opera pias Animas applicat, propriæ electio voluntatis: quasi proprii conatus, propriæque industriæ & piæ excitationis actus à contemplatione exulare debeant, & falsum sit illud S. Augustini oraculum: *Nec adjuvari potest nisi qui aliquid sponte conatur* (quem tamen conatum prævenit gratia; unde S. Bernardus ait: *Etsi dicimus*, Mane oratio mea præveniet te: *non dubium tamen quòd tepida sit omnis oratio, quam non prævenit inspiratio*) quasi ad cogitandum de Christo, & considerandum ejus Mysteria & beneficia, non invitet ipsa objecti bonitas, ipsa contemplationis hujus utilitas & voluptas, non invitet Scriptura, non hortetur Apostolus ut *Aspiciamus in auctorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta: & Recogitemus eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem, ut non fatigemur animis nostris deficientes*: quasi fastidio esse debeat perfectis contemplatoribus *Unus Dei & hominum Mediator Christus Jesus*, quem Pater revelans & Filium suum dilectum declarans, à no-

Spuriorum Mysticorum illusio, proprios conatus & excitationes à perfecta oratione excludentium.

S. Augustin. Lib. de Peccat. Mer. 2. cap. 5.

S. Bernard. Lib. de dilig. Deo, c. 7.

Hebr. 12.

bis audiri jussit, præter quem *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Spuriorum Mysticorum illusio, distinctam Christi considerationem in contemplationis intervalla rejicientium.

Nec sufficit distinctam Christi & Mysteriorum ejus ac beneficiorum considerationem in contemplationis intervalla rejicere: cùm in ipsa purissimæ contemplationis actione Anima pia Christum intueri, ejus Mysteriis & verbis occupari salubriter possit, illi adhærere, in eo delectari, fidei, amorisque in illum actus elicere; gratias per ipsum, cum ipso, & in ipso Deo agere: cum illo humiliari, illi compati.

Illusio & error spurio. Mysticorum asserentium Animas sanctas in duobus statibus privari Christi præsentia & intuitu per fidem.

Error tandem est minimè ferendus spuriorum Mysticorum, asserere Animas contemplatrices Christo distinctè viso ac per fidem præsente duobus in statibus privari, nempe in ipsis ferventis contemplationis initiis, & in probationibus. Cùm enim diu protrahantur quandoque illi status, Animabus in iis constitutis subtrahere distinctam de Christo cogitationem, nihil aliud est quàm eas in Christi oblivionem ac fastidium inducere, iis maximè temporibus, quibus explicita Christi fide sustentari illarum indiget infirmitas. In quovis enim Christianæ vitæ statu tenetur homo explicitè credere in Christum Jesum: & hujus fidei actus, quamvis non omni momento, certis temporibus elicere. Maximè verò cùm tentationes urgent, Christus velut dormiens in navi, id est, in corde nostro per fidem excitandus est, ut in fide nominis ejus hostes salutis nostræ vincamus. Dicamus igitur cum S. Bernardo, quem dono contemplationis insignem fuisse nemo nescit: *Non tantùm lux est nomen Jesu, sed est & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur. Insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi nisi legero ibi Jesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi nisi sonuerit ibi Jesus. JESUS mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est & medicina. Tristatur aliquis vestrûm? Veniat in cor Jesus, & inde saliat in os: & ecce ad exortum nominis lumen nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? Nonne si invocaverit nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis duritia cordis, ignaviæ torpor, rancor animi, languor acediæ? Cui fons fortè siccatus lacrymarum, invocato Jesu non continuò erupit uberior, fluxit suavior? Cui in periculis palpitanti & trepidanti, invocatum virtutis nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui, quæso, in dubiis æstuanti & fluctuanti non subitò ad invocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in adversis diffidenti, jamjamque deficienti, si nomen adjutorii sonuit, defuit fortitudo? Nimirum morbi & languores animi isti sunt, illud medicina. Sume itaque mihi exempla de homine, & auxilium à potente, illa tanquam pigmentarias species, hoc tanquam unde acuam eas, & facio confectionem, cui similem Medicorum nemo facere possit. Hoc tibi electuarium habes, ò Anima mea, reconditum in vasculo vocabuli hujus quod est Jesus, salutiferum certè, quodque nulli unquam pesti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu est, semper in manu, quò tui omnes in Jesum & sensus dirigantur, & actus. Denique & invitaris:* Pone me, *inquit,* „ ut signaculum in corde tuo: signaculum in brachio „ tuo. *Nunc habes unde & brachio medearis, & cordi. Habes, inquam, in nomine Jesu unde actus tuos vel pravos corrigas, vel minus perfectos adimpleas; idemque unde tuos sensus aut serves, ne corrumpantur: aut si corrumpantur, sanes.*

Serm. 15. Cant.

Cant. 8.

Beguardorum error.

Error nostræ Propositioni contrarius in Beguardis à Concilio Viennensi damnatus est, scilicet: *In elevatione corporis Jesu Christi* Contemplativi perfecti *non debere assurgere, nec eidem reverentiam exhibere, asserentes quod esset imperfectionis, si à puritate & altitudine suæ contemplationis tantùm descenderent, quod circa ministerium seu Sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.*

Clement. Ad nostrum, De Hæret.

Damnati Michaelis Molinos errores.

Inter Molinosi Articulos hi etiam ab Innocentio Undecimo Pontifice Maximo damnati sunt:

21. *In oratione opus est manere in fide obscura & universali, cum quiete & oblivione cujuscumque cogitationis particularis ac distinctionis attributorum Dei ac Trinitatis; & sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.*

35. *Non convenit animabus hujus vitæ internæ quòd faciunt operationes etiam virtuosas ex propria electione & activitate; aliàs non essent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga beatam Virginem, Sanctos, & humanitatem Christi; quia cùm ista sensibilia sint objecta, talis est amor erga illa.*

Objicitur: Christus via est per quam ad Deum pervenitur, qui ergo ad contemplationis perfectionem pervenerunt, de Christo ampliùs non cogitant, nec actus amoris & devotionis circa ejus humanitatem eliciunt, sed in Primi summique Entis, nempe Dei, cognitione penitus sunt defixi, quod unum est contemplationis objectum.

Quâ ratione per Christum transeant, & in illo maneant Animæ sanctæ?

Respondetur, Christum non solùm esse viam quâ ad Deum tendimus, sed terminum quò pervenimus, & in quo quiescimus: *Ego sum via*, inquit, *veritas & vita*: & *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (ut docet Apostolus) Unde cùm tendere semper ad Deum debeamus, & in hac (ut ita loquar) tendentia posita sit vitæ spiritualis perfectio, quamdiu in hoc mortali corpore vivimus; cùm etiam Deum in Christo fides apprehendat atque intueatur, immo ipsum Christum Deum esse certò credat, nullus est perfectionis & vitæ spiritalis status, in quo de Christo cogitare, & actus frequentes fidei, adorationis, spei, amoris, gratiarum actionis erga ipsum exercere non debeamus. Verumtamen in sacra ejus humanitate contemplatio & amor noster sistere non debent, sed per ipsum quà homo est, ad eum ut unus cum Patre & Spiritu Sancto Deus est, pervenire, in eoque ut *Veritas & Vita* est, quiescere. Unde S. Augustinus Libro 1. *De Doctrina Christiana*, Cap. 34. ait: *Vide quemadmodum cùm ipse Veritas & Verbum per quod facta sunt omnia, caro factum esset ut habitaret in nobis, tamen ait Apostolus*: „ Et si noveramus Christum secundùm carnem, sed jam non „ novimus. *Ille quippe qui non solùm pervenientibus possessionem, sed etiam viam præbere se voluit venientibus ad principium viarum, voluit carnem assumere. Unde est etiam illud:* Dominus creavit me in principio viarum suarum, *ut inde inciperent qui vellent venire. Apostolus igitur quamvis adhuc ambularet in via, & ad palmam supernæ vocationis sequeretur vocantem Deum, tamen ea quæ retro sunt obliviscens, & in ea quæ ante sunt extentus, jam principium viarum transierat, hoc est, eo non indigebat, à quo tamen adgrediendum & exordiendum iter est omnibus, qui ad veritatem pervenire, & in vita æterna permanere desiderant. Sic enim ait:* Ego sum via & veritas & vita; *hoc est, per me venitur,*

2. Cor. 5. 16.

Proverb. 8. 22.

Philipp. 3. 13.

Joan. 14. 16.

nitur, ad me pervenitur, in me permanetur. Cum enim ad ipsum pervenitur, etiam ad Patrem pervenitur; quia per æqualem ille cui est æqualis agnoscitur, vinciente & tanquam adglutinante nos Spiritu Sancto, quo in summo atque incommutabili bono permanere possimus. Ex quo intelligitur quàm nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus, in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit, sed transire; ne rebus temporalibus, quamvis ab illo pro salute nostra susceptis & gestis, hæreamus infirmiter, sed per eas potius curramus alacriter, ut ad eum ipsum, qui nostram naturam à temporalibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris, provehi atque pervehi mereamur.

Summum ens & illimitatum non est unum contemplationis objectum.

Quod verò aiunt Quietistæ, summum ens & Illimitatum, esse unum contemplationis objectum, error est, cùm idem sit contemplationi quod Fidei objectum, Deus scilicet ac divina Attributa, Christus & omnia ejus Mysteria, sermones, gesta, miracula, beneficia, passiones: imò & divini quilibet effectus secundarium & minùs præcipuum sunt contemplationis objectum, ut docet S. Thomas Secunda Secundæ Quæstione CLXXX. Articulo 4. *Ad vitam contemplativam*, inquit, *pertinet aliquid dupliciter: Uno modo principaliter; alio modo secundariò vel dispositivè. Principaliter quidem ad vitam contemplativam pertinet contemplatio divinæ veritatis: quia hujusmodi contemplatio est finis totius humanæ vitæ.* Unde S. Augustinus, Lib. 1. *De Trinitate* ait: „ *Hæc nobis contemplatio promittitur actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum quæ quidem in futura vita erit perfecta, quando videbimus Deum facie ad faciem; unde & perfectè beatos faciet. Nunc autem contemplatio divinæ veritatis competit nobis imperfectè, videlicet per speculum & in ænigmate. Unde per eam fit nobis quædam inchoatio beatitudinis, quæ hîc incipit ut in futuro continuetur... Sed quia per divinos effectus in Dei contemplationem manuducimur, secundum illud ad Romanos* 1. „ Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt „ intellecta conspiciuntur; *inde est quod etiam contemplatio divinorum effectuum secundariò ad vitam contemplativam pertinet, prout scilicet ex hoc manuducitur homo ad Dei cognitionem.* Nomine porrò divinæ veritatis cujus contemplationem ad vitam contemplativam principaliter pertinere docet S. Thomas, intellige veritatem omnem à Deo revelatam, quæ Fidei Christianæ objectum est. In summa Entis abstractissima & illimitata idæa hærere diu non potest mens hominis in hac via peregrinantis; quamobrem necesse est ut Christi contemplatione sublevetur & refocilletur. *Tendebatis vos fortassis videre bonum omnium bonorum* (inquit S. Augustinus) *bonum à quo sunt omnia bona, bonum sine quo nihil est bonum, & bonum quod sine cæteris bonum est: tendebatis vos ut videretis, & fortè in extentionda acie mentis vestræ deficiebatis. Hoc enim ex me conjicio, sic patior. Sed & si est aliquis, sicut fieri potest, & valdè potest, acie mentis fortior me, & contuitum cordis sui diu figit in eo quod est: laudet ille ut potest, & quomodo nos non possumus, laudet. Gratias tamen illi, qui in hoc Psalmo temperavit laudem suam, ut & firmorum esset & infirmorum. Nam in illa missione servi sui Moysi cum diceret,* „ Ego sum qui sum, & dices filiis Israël, qui est „ misit me ad vos: *Quia ipsum propriè Esse menti humanæ difficile erat capere, & mittebatur homo ad homines; quamvis non ab homine; continuò Deus temperavit laudem suam, & hoc de se dixit, quod capi dulciter posset: non in eo voluit remanere quod laudabatur, quo non posset laudator attingere,* Vade, „ *inquit*, dic filiis Israel: Deus Abraham, & Deus „ Isaac, & Deus Jacob misit me ad vos... *Nonne tibi videtur ratio ejus respondere & dicere, quod*

Enarrat. in Psal. 134. Lege etiam S. Doctoris Enarrationem in Psalm. 121. n. 5. ad illa verba. Cum ... in ... incipimus.

A *dixi, Ego sum qui sum; verum est, sed non capis: quod autem dixi, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob; & verum est, & capis: quod enim Ego sum qui sum, ad me pertinet: quod autem Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, ad te pertinet. Et si deficis in eo quod mihi sum, cape quod tibi sum.*

Christi etiam passio & vulnera ... contemplationis Animarum sanctarum.

Christi certè passionem & sacratissima vulnera objectum esse contemplationis Animæ Sanctæ, confirmat S. Bernardus Sermone 61. in Cantica, exponens illa verba Sponsi: *Columba mea in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ, ostende mihi faciem* B *tuam; sonet vox tua in auribus meis.* Foramina petræ, Christi Salvatoris vulnera interpretatur; nam petra Christus. In his passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. In his se columba tutatur, & circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem. Vox columbæ, *In petra exaltavit me.* Quid non boni in petra? In petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto, securus ab hoste, fortis à casu, & hoc quoniam exaltatus à terra. Anceps est enim & caducum terrenum omne. Conversatio nostra in cœlis sit, & nec cadere, nec dejici formidamus. C In cœlis petra, in illa firmitas atque securitas est, *Petra refugium herinaciis*. Et revera ubi tuta firmaque infirmis securitas & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tantò illic securior habito, quantò ille potentior est ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado. Fundatus enim sum supra firmam petram... Fidenter quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus ejus & pedes, latusque lancea foraverunt: & per has rimas licet mihi D sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, id est, gustare & videre quoniam suavis est Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? At clavis reserans, clavus penetrans factus est mihi, ut videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen? clamat clavus, clamat vulnus, quod verè Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi. Ferrum pertransiit animam ejus, & appropinquavit cor illius ut non jam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent E viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto..... Ibo mihi ad illa sic reserata cellaria, ero quasi columba nidificans in summo ore foraminis, ut cum Moyse positus in foramine petræ, transeunte Domino merear saltem *posteriora ejus prospicere*. Nam faciem stantis, id est, incommutabilis claritatis quis videat, nisi qui introducitur jam meretur non in Sancta, sed in Sancta Sanctorum? Nec vilis tamen aut contemnenda posteriorum contemplatio. Habent etiam aliquid & posteriora Domini quod videre delectet. Erit cùm ostendet faciem suam, & salvi erimus. Sed interim præveniat nos in benedictionibus dulcedinis, illis utique quas post se relinquere consuevit. Nunc dignationis suæ posteriora demonstret, aliàs in gloria dignitatis faciem suam demonstraturus. Sublimis in regno, sed suavis in cruce, in hac me visione præveniat, in illa adimpleat. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*. Utraque visio salutaris, utraque suavis: sed illa in sublimitate, ista in humilitate. Idcirco audit sponsa, id est, Ecclesia, & fidelis Anima: *Columba mea in foraminibus petræ; quòd in Christi vulneribus tota devotione versetur, & jugi meditatione demoretur in illis. Inde Martyrii tolerantia, inde ma-*

Psal. 39.

Psal. 103.

Exod. 33.

Psal. 15.

qua illi fiducia apud Deum Altissimum. Non est quòd vereatur Martyr exanguem lividamque ad eum levare faciem, cujus livore sanatus est, gloriosam repræsentare similitudinem mortis ejus. Quid vereatur, cui etiam à Domino dicitur, Ostende mihi faciem tuam. Vult videri, vult benignus dare devoti militis vultum & oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem. Enimverò non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur. Stat Martyr tripudians & triumphans toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modo fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima Martyris, nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu, in vulneribus nimirum patentibus ad introeundum.

Et Sermone XLIII. in Cantica, explicans illa verba sponsæ: *Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*; passionem & labores Christi suavissimum contemplationis ejus & omnium Animarum sanctarum objectum in hac vitæ mortali esse docet. *Quia*, inquit, *inter adversa & prospera versans* (Sponsa) *novit utrobique pericula non deesse, medium hujuscemodi uberum suorum vult habere Dilectum, cujus adversùs utraque continuâ protectione munitam, nec læta extollant, nec tristia dejiciant. Tu quoque, si sapis, imitaberis Sponsæ prudentiam; atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris, nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit, semper in memoria retineas, & assidua meditatione revolvens, quo possis dicere & tu: Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Et ego, Fratres, ab ineunte mea conversione, pro acervo meritorum quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei: Primùm videlicet infantilium illarum necessitatum: deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremò periculorum in falsis fratribus, conviciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis Sylva Evangelica copiosissime noscitur protulisse. Ubi sanè inter tot odoriferæ Myrrhæ hujus ramusculos minimè prætermittendam putavi etiam illam myrrham, quâ in cruce potatus est, sed neque illam quâ unctus est in sepultura, quarum in prima applicuit sibi meorum amaritudinem peccatorum: in secunda futuram incorruptionem mei corporis dedicavit. Memoriam abundantiæ suavitatis horum eructabo quoad vixero: in æternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum. ... Hæc meditari dixi sapientiam, in his justitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum suavis unctio consolationis. .... Propterea hæc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis: hæc in corde semper, sicut Deus scit: hæc stylo meo admodum familiaria, sicut apparet: hæc mea sublimior interim Philosophia, scire Jesum, & hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem lætus amplector mea inter ubera commorantem. Non requiro ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in cruce. Illud sublimius, istud suavius: panis illud, hoc lac, hoc viscera reficit parvulorum, hoc replet ubera matrum: & ideo inter ubera mea commorabitur. Hunc & vos, dilectissimi, tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut & vobis inter ubera commoretur. Habete illum semper non retro in humeris, sed ante præ oculis, ne portantes, & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat.* In Christi tamen carne sistere & per illam uti viam ad divinitatem cujus plenitudo in ipso inhabitat, non transire, imperfectorum est, & incipientium, ut docet Mellifluus Doctor Sermone XX. in Cantica. *Licèt verò*, inquit, *donum & magnum donum spiritûs sit istiusmodi erga carnem Christi devotio, carnalem tamen dixerim hunc amorem, illius utique amoris respectu, quo non tam Verbum caro jam sapit, quam Verbum sapientia, Verbum justitia, Verbum veritas, Verbum sanctitas, pietas, virtus, & si quid aliud quod sit hujusmodi dici potest. Et hæc nempe omnia Christus, qui factus est nobis sapientia à Deo & justitia & sanctificatio & redemptio.*

Mirum est quòd Pseudo-Mystici, qui de in[...] spirituali gloriantur, contemplatione humanitatis Christi, velut lacte pasci nolint. Hunc incipientium & infirmorum cibum esse dixerint, [...] perfectorum: sed longè est ab iis[...] C[...] simplicitate & humilitate, qui se p[...] *Lac dat parvulis* (ait S. Augustinus [...] 117. aliàs 38. de Verbis Domini) *ut cibum Sapientia det majoribus. Lacta patienter, ut avidè pascaris. Quomodo enim fit etiam lac quo lactantur infantes? Nonne esca erat in mensa? sed invalidus est infans ad comedendam escam quæ in mensa est: quid facit mater? incarnat escam, & conficit lac de ipsa. Conficit nobis quod capere possimus. Sic Verbum caro factum est, ut lacte parvuli nutriremur, qui ad cibum quidem eramus infantes.* ... Et alibi: *Quod contemnis in Christo, nondum est contemplatio sanati, sed medicamentum ægroti. Noli festinare ad visionem, ægrote. Angeli vident, Angeli gaudent, Angeli pascuntur & vivunt, nec deficit unde pascantur, sed ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo. Hæc est salus nostra, medicina infirmorum, cibus sanorum.... collyrium carnis ad intuendum utcumque splendorem divinitatis.*

Et Tractatu 98. in Joannem: *In ipsis* (inquit) *qui suminat alimentis usque adeo non est contrarius lacti solidus cibus, ut ipse lactescat, quo possit esse aptus infantibus ad quos per matris vel nutricis perveniat carnem. Sicut fecit etiam mater ipsa Sapientia, quæ cùm sit in excelsis Angelorum solidus cibus, dignata est quodammodo lactescere parvulis, cùm Verbum caro factum est & habitavit in nobis. Sed ipse homo Christus qui vera carne, vera cruce, vera morte, vera resurrectione sacerum lac dicitur parvulorum, cùm bene ab spiritualibus capitur, invenitur Dominus Angelorum. Proinde nec sic parvuli sunt lactandi, ut semper non intelligant Deum Christum; nec sic ablactandi, ut deserant hominem Christum, quod alio modo idipsum ita dici potest; Nec sic lactandi sunt, ut creatorem nunquam intelligant Christum; nec sic ablactandi, ut Mediatorem unquam deserant Christum. In hoc quippe non convenit huic rei similitudo materni lactis & solidi cibi, sed potiùs fundamenti. Quia & puer quando ablactatur, ut ab alimentis infantiæ jam recedat, inter solidos cibos non repetit ubera quæ sugebat. Christus autem crucifixus est lac sugentibus & cibus proficientibus. Fundamenti vero ideo est aptior similitudo, quia ut perficiatur quod struitur, additur ædificium, non subtrahitur fundamentum.* Humanitas ergo Christi non parvulos tantùm, sed & adultos in vita interiori roborare potest, & lac istiusmodi est, ut ab eo nulla hic hominum spiritualium ætas ablactari debeat.

Virgines sacras casto & puro amore Deo, cui virginitatem suam devoverunt, adhærentes, Angelicam

Contemplatio hu[...]

gelicam vitam hominibus & cœli mores exhibentes in terris, S. Augustinus ad vitam interiorem informans, tantùm abest ut eas à Christi contemplatione avertat, & in unius Entis infiniti & immensi intuitu quiescere jubeat, ut contra eas ad Christi & Mysteriorum ejus considerationem adhortetur, ut cum ardentiùs ament. *Si ergo* (inquit) *nuptias contempsistis filiorum hominum, ex quibus gigneretis filios hominum, toto corde amate speciosum præ filiis hominum: vacat vobis, liberum est cor à conjugalibus vinculis. Inspicite pulcritudinem amatoris vestri: cogitate æqualem Patri, subditum & Matri; etiam in cœlis dominantem, & in terris servientem; creantem omnia, creatum inter omnia, illud ipsum quod in eo derident superbi, inspicite quam pulcrum sit: internis luminibus inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. Hæc quanti valeant cogitate, hæc in statera caritatis appendite, & quidquid amoris in nuptias vestras impendendum habebatis, illi rependite...... Bene quòd interiorem vestram pulcritudinem quærit, ubi dedit vobis potestatem filias Dei fieri: non quærit à vobis pulcram carnem, sed pulcros mores, quibus frenetis & carnem... Totus vobis figatur in corde, qui pro vobis est fixus in cruce: totum teneat in animo vestro, quicquid noluistis occupari connubio.*

Spuriorum Mysticorum propositiones rejiciendæ.

Ex his perspicuum est, propositiones illas spuriorum Mysticorum rejiciendas esse:

1. *Contemplatio pura & directa, nullius objecti idea distincta & nominabili occupatur, sed unâ ideâ abstractâ & purè intellectuali entis infiniti & immensi.* Quæ propositio erronea est, illusionibus viam aperit, orationis & veræ contemplationis principia evertit.

2. *Animæ contemplatrices Christi Jesu intuitu distincto, sensibili, & reflexo duobus in statibus seu temporibus privantur, scilicet in fervore nascentis contemplationis, & in extremis probationibus.* Quæ propositio eâ ratione erronea est, quòd fidem explicitam in Christum Jesum ab aliquo justorum statu removeat, sicque spiritualis ædificii fundamentum subruat, *quod est Christus Jesus*: & Beguardorum ac Molinosi hæreticis Articulis cognata est.

Sponsæ purus amor frequenti Christi & Mysteriorum ejus contemplatione alitur.

His iterum oppono præclarum S. Bernardi locum qui castum Sponsæ amorem frequenti Christi & Mysteriorum ejus contemplatione ali docet. *Oportet nos* (inquit) *si crebrum volumus habere hospitem Christum, corda nostra semper habere munita fidelibus testimoniis, tam de misericordia scilicet morientis, quàm de potentia resurgentis: quomodo David ajebat*: Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. *Siquidem utriusque rei testimonia credibilia facta sunt nimis. Christo utique moriente propter delicta nostra, & resurgente propter justificationem nostram, & ascendente ad protectionem nostram, & mittente Spiritum ad consolationem nostram, & quandoque rediturо ad consummationem nostram: nempe in morte misericordiam, potentiam in resurrectione, utramque in singulis exhibuit reliquorum. Hæc mala, hi flores, quibus Sponsa se interim stipari postulat & fulciri, credo sentiens facile vim in se amoris posse tepescere & languescere quodammodo, si non talibus jugiter foveatur incentivis, donec introducta quandoque in cubiculum, diu cupitis excipiatur amplexibus, ut dicat*: LAEVA *ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

Psal. 61.

Cant. 2.

[illegible] Epilogus.

De spuriorum Mysticorum Propositionibus, quæ damnatis Beguardorum erroribus sunt affines, Sanctæ Sedis Apostolicæ Ecclesiæque Romanæ judicium exspectatur, quam non dubitamus rationem habituram judiciorum contra similes quosdam fanaticorum hominum errores quondam latorum, ut testantur Historiæ Ecclesiasticæ Monumenta.

Ecclesiastica judicia in spurios Mysticos lata.

Anno scilicet millesimo tercentesimo vigesimo-nono, Exardi Doctoris Teutonici Articulos viginti & octo damnavit Joannes Vigesimus Secundus Pontifex Maximus, quos inter illi leguntur à spuriis Mysticis nuper adoptati.

7. *Quod petens hoc aut hoc, malum petit, & malè petit.*

8. *Qui non intendunt res, nec honores, nec utilitatem, nec devotionem internam, nec sanctitatem, nec præmium, nec Regnum cœlorum, sed omnibus iis renunciaverunt, etiam quod suum sit, in illis hominibus honoratur Deus.*

9. *Ego nuper cogitavi, utrum ego vellem aliquid recipere à Deo vel desiderare; ego volo de hoc valde bene deliberare &c.*

14. *Bonus homo debet sic conformare voluntatem suam voluntati divinæ, quòd ipse velit quicquid Deus vult: quia Deus vult aliquo modo me peccasse, nollem ego quòd ego peccata non commisissem.*

Joannes XXII. maturo & accurato examine Articulorum viginti & octo Doctoris Exardi præmisso, pronunciavit: *Primos quindecim Articulos & duos etiam ultimos, tam ex suorum sono verborum, quàm ex suarum connexione sententiarum, errorem seu labem hæresis continere.* Alios verò undecim Articulos tanquàm *Malè sonantes, & multùm temerarios, de hæresique suspectos* damnavit: *Licèt cum multis expositionibus & suppletionibus sensum Catholicum formare valeant vel habere* (ut loquitur idem Pontifex) Libros etiam omnes Exardi, qui dictos errores continerent, damnavit, quamvis eos expressè retractavisset ac ejurasset ante mortem, seque ac omnia Scripta sua & dicta Sedis Apostolicæ judicio humiliter subjecisset. Illa constant ex Constitutione Joannis XXII. data Avenione sexto Kalendas Aprilis, Pontificatus anno decimo-tertio, quam Annalibus Ecclesiasticis inseruit Odoricus Raynaldus ad annum millesimum tercentesimum vigesimum nonum, N. 70. & seq.

Anno millesimo tercentesimo quinquagesimo-tertio, cùm Berengarius de Montefalcone Cisterciensis Ordinis in Cœnobio Populeti in Catalonia Professor hanc propositionem docuisset: *Quæcunque bona facienda sunt, puro Dei amore, non ob aliam rationem, nec spe mercedis æternæ facienda*; Errorem solemni judicio damnarunt Sancius Tarraconensis Archiepiscopus, & F. Nicolaus Roselli Inquisitor Fidei, ut refert Nicolaus Eymericus in Directorio Inquisitorum, P. 2. pag. 266.

Inter Articulos *erroneos & hæreticales* Raymundi Lulli à Gregorio Undecimo damnatos, post Librorum ejus accuratum examen à Petro Cardinali Episcopo Ostiensi & viginti Magistris in Theologia, anno millesimo tercentesimo septuagesimo sexto, hi leguntur à spuriis Mysticis nuper adoptati:

68. *Quilibet homo potest Deum contemplari quantùm, & ubi vult, & quando vult.*

80. *Homo debet amare Deum quia bonus est, non autem propter ullam rem quam sibi donet, nec propter indulgere suum peccatum, nec propter hoc quod ipse non sit damnatus: & qui sic voluerit orare, sentiet se tam altum per suum amare, & per suum intelligere, & memorari, quòd non poterit altiùs ascendere.*

81. *Qui amant Deum propter hoc ut det eis gloriam cœlestem, vel bona temporalia.... faciunt de prima intentione secundam, & de secun-*

 da

da primam.

Vide Directorium Inquisitorum Nicolai Eymerici, Aragoniæ Inquisitoris, qui Libros & errores Raymundi Lulli detulit ad Sedem Apostolicam, P. 2. Directorii Inquisitorum, pag. 255. & seq. & Literas Apostolicas Gregorii Undecimi Archiepiscopo Tarraconensi & ejus Suffraganeis inscriptas, quæ incipiunt, *Conservationi*, datas Avenione octavo Kalendas Februarii anno sexto Pontificatus, editas ad calcem Directorii, pag. 67. Ecclesiastica illa judicia adversùs spuriorum Mysticorum errores in Historia nostra suis locis adnotata, colligere & lectoribus repræsentare sub uno velut aspectu visum est in fine Dissertationis istius, quam concludo præclaro S. Augustini testimonio, cujus verba sunt saluberrimum antidotum contra pestifera dogmata de exclusione spei, mercedis æternæ motivo incitatæ, ab amore casto & perfecto Dei; & de salutis æternæ absoluta devotione atque abdicatione actu reflexo. *Desidera (inquit S. Augustinus) & expete donatam tibi vitam Christi, & donec pervenias, tene pignus mortem Christi. Non enim promittens nobis victurum se esse nobiscum, potuit majus pignus dare nobis, quam mori pro nobis. Mala, inquit, vestra pertuli, bona mea non reddam? Promisit, cautionem fecit, pignus dedit, & tu dubitas credere? Promisit, cum hic inter homines ambularet; cautionem fecit, cùm Evangelium scriberet. Ad pignus ipsius quotidie dicis, Amen. Pignus accepisti, quotidie erogatur tibi. Noli desperare, qui vivis ex pignore.*

Ambrosiana ... omnia spe ... Mysticorum ...

S. August. Serm. 144. alias 48. De Sanctis.

Psal. 15.

DOMINUS PARS HEREDITATIS MEÆ. *Non dixit, O Domine, quid das mihi aliquam hereditatem? Quicquid mihi dederis, vile est. Tu esto hereditas mea, amo te, totus amo te, toto corde, tota anima, tota mente amo te. Quid erit mihi quicquid mihi dederis præter te? Hoc est Deum gratis amare, de Deo Deum sperare, de Deo properare impleri, de ipso satiari. Ipse enim sufficit tibi. præter illum nihil sufficit tibi.*

Amor Dei ut beatitudinis nostræ, Dei in nos amori consonus.

Ita se amari à nobis vult Deus, quo modo nos amat; sive in eumdem scopum collineare nostrum in illum amorem, in quem collineat ejus in nos amor. Hic autem scopus & finis est summa ejus bonitas, non præcisè, sed ut nobis communicanda, ut nobis benefaciens, ut nos beatificans. Id ex S. Hilario confirmatur. *Hominem (inquit) non quòd officio ejus in aliquo eguerit, instituit, sed quia bonus est, participem beatitudinis suæ condidit, & rationale animal in usum largienda suæ æternitatis vitâ sensúque perfecit. & hoc ex ipsius dictis absolutè intelligitur. Ait enim:* Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus poscit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in omnibus viis ejus, & diligas eum, & servias Domino Deo tuo ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, & custodias præcepta Domini Dei, & justificationes ejus quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi? *Nullum à nobis, nisi innocentiæ & religionis, & fidei obsequium Deus postulat. Amari se à nobis exigit, non utique amoris in se nostri fructum aliquem sui causâ ipse percipiens, sed amore ipso nobis potius; qui eum amabimus, profuturo. Nam amari se, sibique nos obsequi, idcirco ut nobis bene sit, expetit, ut digni beatitudinis suæ ac bonitatis suæ munere per meritum amoris sui & obsequii judicemur. Bonitatis autem usus ut splendor solis, ut lumen ignis, ut odor succi, non præbenti proficit, sed utenti.* Castus est ac purus amor noster, cùm Dei in

S. Hilar. in Psal. 2.

Deuter. 10. 12. & 13.

nos amori conformatur. Præcisiones Metaphysicas & Logicas amor nescit, quæ sunt plerumque *Tormenta crucianda simplicitatis, & suspendenda veritatis.*

Verùm (inquiunt) nonne possibilis est puri amoris actus, quo Deus ab Anima sancta propter suam unam summam bonitatem, sine ullo ad beatitudinem ac mercedem æternam respectu diligatur?

R. Utique possibilis.

Instant: Hujusmodi puri amoris actus repeti possunt.

R. Ita certè.

Urgent: Ex actibus repetitis fit habitus: possibilis est igitur habitus amoris puri in hac vita.

Respondetur: Ex actibus repetitis habitum gigni vel perfici. Actum amoris puri producere habitum caritatis in peccatore pœnitente: illum augere ac perficere in justo, sed in eo novum habitum non producere, cùm caritas unius sit speciei. Nec ad habitualem puri amoris statum Animam sanctam evehunt quidam puri amoris actus raptim eliciti, cùm habitualis ille status proprius sit Beatorum, non viatorum, in quibus aliquid semper carnalis concupiscentiæ superest expugnandum. Nam *Caro in terram cogit, mens sursum tendit: rapitur amore, sed tardatur pondere. De hac re Scriptura ita loquitur:* Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. *Si ergo caro in terram vergens onus est animæ, & sarcina prægravans prævolantem: quantum quisque delectatur superiore vita sua, tantum deponit de terrena sarcina sua.* Quamdiu caro non habet *statum proprium cælestis habitudinis*, quamdiu non sumus *æqua ac Angelis Dei*, in nobis *caro concupiscit adversus spiritum*: adeóque in nemine homine est habitualis puri amoris status secundùm legem ordinariam: quamvis sit *perfecta caritas*, qualis in via potest haberi, *foras* quidem *mittens timorem*, non tamen spem & desiderium mercedis æternæ, quæ Deus est; sed Deum diligens ut summum & beatificum bonum nostrum. Quam amabilitatis rationem nec ipsa Beatorum caritas excludit. Deum etiam ut bonum suum, ut beatitudinem suam, ut mercedem suam æternam etiam diligunt. Quorum tamen amorem mercenarium nemo Catholicus dixerit.

S. August. in Psal. ... Sap. 9. 15.

Instant rursus novi Mystici: Vitam æternam, beatitudinem supernaturalem, quæ mera gratia est, Deus potuit homini non concedere, potuit propter illam hominem non creare. Tunc tamen summè amabilis fuisset Deus à creatura sua.

R. Hypothesim admittimus. Homo in quocumque statu conditus fuisset, Deum amare super omnia debuisset. In puræ naturæ statu si conditus fuisset, absque ullo ad beatitudinem supernaturalem ordine, illum diligere debuisset amore naturali ut naturæ Auctorem, ut creatorem conservatorémque suum, omnisque boni in illo ordine largitorem, ut suæ beatitudinis naturalis objectum, ultimumque in eo statu finem. Sed cùm Deus *Magna & pretiosa nobis promissa donaverit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ*: cùm dederit ut per suam gratiam *Filii Dei nominemur & simus*: & consequenter *heredes Dei, coheredes autem Christi*: castus & perfectus illius amor pro hoc statu non excludit à motivo, seu incitamento illum diligendi, bona *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit*, & quæ *in cor hominis non ascenderunt, quæ præparavit diligentibus se.* Non excludit intuitum *hereditatis incorruptibilis & incontaminatæ, conservatæ in cælis Filiis Dei.* Hunc esse puræ benevolentiæ amorem qui negaverit, Scripturæ Sacræ, Traditioni, & Theologorum principibus

2. Petr. 1. 4. Rom. 8. 17.

1. Cor. 2. 9.

principibus contradicit. *Diversi gradus caritatis distinguuntur secundum diversa studia, ad qua homo perducitur per caritatem* (inquit S. Thomas) *Nam primo quidem incumbit homini studium principale ad recedendum à peccato, & resistendum concupiscentiis ejus, qua in contrarium caritatis movent; & hoc pertinet ad incipientes, in quibus caritas est fovenda vel nutrienda ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit, quòd homo principaliter intendat ad hoc ut in bono proficiat: & hoc studium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt ut in eis caritas per augmentum roboretur. Tertium autem studium est ut homo ad hoc principaliter intendat ut Deo inhareat, & eo fruatur, & hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi & esse cum Christo.* Caritas igitur perfectorum in hac vitâ tantùm abest ut beatitudinis cœlestis, æternæque mercedis quæ Deus est Deique fruitio, desiderium excludat; vel beatitudinem suam ac salutem æternam absoluto sacrificio devoveant perfecti: ut contra perfectio caritatis ferventius in ipsis desiderium exciset Deo fruendi, æternùmque vivendi cum Christo.

Secunda Secunda Quæst. 24. A. 9.

Hunc velut *Auctorem fidei & consummatorem*, in quo nos Deus *omni benedictione spirituali in cœlestibus benedixit*, Justi in omni statu respiciunt, etiam in ferventibus contemplationis initiis, & in extremis probationibus: fidei explicitæ actus in ipsum elicere tenentur, ac *recogitare eum qui talem* pro ipsis & pro omnibus hominibus *sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem*, sed & desolationem extremam à Deo in parte inferiori Animæ sanctæ; *ut ne fatigemur animis suis deficientes.* In illo desolationis interioris statu se promissionum divinarum spe consolari debent, & secundùm superiorem animæ partem gaudere, non quidem sensibili gaudio, quo ad probationem fidei amorisque sui tunc à Deo privantur, sed illo quod à caritate inseparabile est & fructus est Spiritus Sancti. *Communicantes Christi passionibus, gaudete* (inquit S. Petrus) *ut & in revelatione gloria ejus gaudeatis exultantes.* Qui contrarium docent Quietistæ, & Spurii Mystici, omnemque Christi Jesu intuitum & considerationem distinctam & reflexam ab initiis ferventis contemplationis, & ab extremarum probationum statu eliminant, nonne dicere videntur: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea?* Illud utique fundamentum de quo Apostolus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere prater id quod positum est, quod est Christus Jesus....* OMNE *igitur religionis initium, omne fundamentum spei nostra evacuare tentant: ne qua spes boni alicujus relinquatur. Fundamento enim fidei, quod est Christus, eruto & everso, ne ipsius quidem adificanda per Pœnitentiam venia consolatio relinquetur.*

Hebr. 12. 3.

1. Petri 4. 13.

Psal. 136. 1. Cor. 3. 11. Hilarius in Psal. 136.

DISSERTATIO XV.

Contra VVICKLEFFUM. De Justa Bonorum Temporalium ab Ecclesia Possessione.

BOna temporalia ab Ecclesia Virisque Ecclesiasticis possessa fuisse, non mobilia solùm, sed immobilia, id est, agros, vineas, domos, urbes, Provincias, Comitatus, Ducatus, Principatus, ex oblatione Fidelium, ex piis morientium legatis, ex munificentia Principum, Historiæ Ecclesiasticæ monumenta testantur. Justè hujusmodi bona possedisse ex eo probatur, quòd nullis Christi, Apostolorum, vel Conciliorum mandatis aut decretis id Viris Ecclesiasticis prohibitum sit: nec ullo voto possessionum suis Ministros suos renuntiare jusserit Ecclesia: immò innumeros Canones Conciliorum, Decreta Pontificum, documenta Patrum legimus de bonorum Ecclesiasticorum administratione, dispensatione, divisione: nec citra insaniam dici possit Ecclesiam, Sanctósque Episcopos qui ipsam rexerunt, Viros Sanctos, religiosissimos Principes qui ipsam ditarunt, in errorem lapsos, ac injustitiæ vel usurpationis reos fuisse. *Constantinus* Imperator omnia quæ Persecutorum furor Ecclesiæ eripuerat, restitui jussit. *Omnia* (inquit) *qua ad Ecclesias rectè visa fuerint pertinere, sive domus ac possessio sit, sive agri, sive horti, sive quacumque alia, restitui jubemus.* Refert *Eusebius* lib. II. de Vita Constantini, Cap. XXXIX. Idem Imperator Lege latâ sanxit, ut cuique liceret, quod vellet, bonorum suorum testamento ad Ecclesiam transmittere; *Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis, L. 1.* cujus hæc sunt verba: *Habeat unusquisque licentiam Sanctissimo, Catholico, venerabilique Concilio decedens bonorum quod optaverit relinquere, & non sint cassa judicia ejus.*

S. Gregorius Nazianzenus Epistola LXXX. qua duos fratres adhortatur ad supremam voluntatem matris implendam, quæ pecuniam non modicam Ecclesiæ reliquerat, ita ipsos compellat: *Cogitate complures extitisse, qui totas etiam domos Ecclesiis addici passi sunt, non etiam defuisse, qui suapte sponte facultates suas omnes obtulerint, ac pulcherrimum quastum fecerint, hoc est, propter futura vita opes inopiam amplexi sint.* Idem in Testamento, quod *Leunclavius* in Jure Orientali edidit, omnia bona sua Ecclesiæ Nazianzenæ se donasse declarat: *Omnia mea bona consecravi Ecclesia Catholica qua Nazianzi est, ad ministerium usumque pauperum.* De Sancto *Ambrosio* scribit *Paulinus* in ejus Vita: *Tempore quo Episcopus ordinatus est, omne aurum atque argentum, quod habere poterat, Ecclesia vel pauperibus contulit. Pradia etiam qua habebat, reservato usufructu germana sua, donavit Ecclesia; nihil sibi, quod hic suum diceret, derelinquens, ut nudus atque expeditus miles Christi, Dominũ suum sequeretur.*

Bona *Nestorii* Hæresiarchæ exilio damnati Ecclesiæ Constantinopolitanæ *Theodosius* Imperator addixit. Ejus ea de re Literæ ad *Isidorum* Præfectum Prætorio habentur III. P. Concilii Ephesini, Cap. XV. *Tua proinde celebris Auctoritas* (inquit) *hac Pragmatica Sanctione pradictum Nestorium ob admissam impietatem in perpetuum deportari jubeat exilium: Omniáque bona illius Ecclesia Constantinopolitana addicat: quo angustissimi illius loci opes, cujus illo Sacra Mysteria nuper prodidit, auctiores evadant.*

De *S. Augustino* scribit *Possidius* in ejus Vita: *Domum vel agrum seu villam numquam emere voluit: Verùm si fortè Ecclesia à quoquam tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non respuebat, sed recipi jubebat. Nam & aliquas eum hareditates recusasse novimus, non quia pauperibus inutiles esse possent, sed quoniam justum & aquum esse videbat, ut a mortuorum vel filiis, vel parentibus, vel affinibus magis possiderentur, quibus ab eis deficientes dimittere noluerunt.*

Sanctus ipse *Augustinus* Sermone XLIX. de Diversis, qui primus est De communi Vita Clericorum suorum, Ecclesiam oblationes fundorum suscipere testatur, & bona immobilia habere, unde Clericis victum in societate subministret. *Quid sum* (inquit) *facturus eis qui dicunt: Ecce quare*

nemo

Nemo donat Ecclesia Hipponensi aliquid, ecce quare non eam faciunt, qui moriuntur, heredem: quia Episcopus Augustinus de bonitate sua (laudando enim mordent, labiis mulcent, dentem figunt) donat totum, non suscipit. Planè suscipio, profiteor me suscipere oblationes, oblationes sanctas. Si quis autem irascitur filio suo, & moriens exheredat eum: si viveret, non eum placarem? Non ei filium suum reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio suo volo ut habeat pacem, cujus appeto hereditatem? Sed planè si faciat quod sæpe hortatus sum; unum filium habet, putet Christum alterum; duos habet, putet Christum tertium; decem habet, Christum undecimum faciat, & suscipio... Considerent quàm multa susceperim: quid opus est ea numerare? Filii Juniani hereditatem suscepi. Quare? Quia sine filiis defunctus est. Et infra: *Sane hoc noverit Caritas vestra dixisse me Fratribus meis qui mecum manent, ut quicumque habet aliquid, aut vendat & eroget, aut donet & commune illud faciat. Ecclesiam habet per quam Deus nos pascit.* Et infra: *Scio quomodo homines ament Clericatum, nemini eum tollo nolenti mecum communiter vivere: sed habet Deum, qui mecum manere vult. Si paratus est pasci à Deo per Ecclesiam ipsius, non habere debet aliquid proprium, sed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere, maneat mecum.* Legatur & Sermo secundus ejusdem argumenti.

S. Cyrillum Alexandrinum Episcopum Successori suo multa testamento reliquisse, testatur *Athanasius* Alexandrinus Presbyter, ejus ex sorore Nepos, in Libello supplici Patribus Concilii Chalcedonensis oblato, Actione III. *Hic* (inquit) *moriturus testamentum condens, honoravit eum, quicumque post eum ordinatus fuisset Archiepiscopus, plurimis & magnis legatis de propria sua substantia.*

Theodosius Junior Lege lata edixit, ut si quis Episcopus, aut Presbyter, vel Ordinum inferiorum Clericus intestatus decessisset, absque liberis, vel cognatis, bonorum ipsius heres esset Ecclesia, cui fuerat destinatus. *Cod. Theodos. lib. v. Tit. III. C. s. & Cod. Justin. lib. I. Tit. III. C. xx.*

Julianus Pomerius lib. II. de Vita Contemplativa Cap. IX. Sacerdotes facultatum Ecclesiæ dispensatores esse docet, nec eas esse contemnendas, sed fideliter administrandas. *Expedit facultates Ecclesiæ possideri, & amore perfectionis proprias contemni. Non enim propria sunt, sed communes Ecclesiæ facultates: & ideo quisquis omnibus quæ habuit dimissis aut venditis, fit rei suæ contemptor, cum Præpositus factus fuerit Ecclesiæ, omnium quæ habet Ecclesia, efficitur dispensator. S. Paulinus ingentia prædia, quæ fuerunt sua, vendita pauperibus erogavit; sed cum postea factus esset Episcopus, non contempsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissimè dispensavit. Quo facto satis ostendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & sine impedimento perfectionis posse quæ sunt communia Ecclesiæ possideri. Quid Sanctus Hilarius? Nonne & ipse omnia bona sua aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogavit? Is tamen cùm merito perfectionis suæ fieret Arelatensis Episcopus, quæ illa tunc habebat Ecclesia non solum possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hæreditatibus ampliavit. Isti ergo tam sancti, tam perfecti Pontifices factis evidentibus clamant, posse & debere fieri, quod fecerunt... Tales ac tanti Viri, non ut possessores, sed ut procuratores, facultates Ecclesiæ possidebant. Et idcirco scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in usus suos ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Hoc est enim possidendo contemnere, non sibi sed aliis possidere, nec habendi cupiditate Ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune.* Alia præterea SS. Patrum loca, ne in re non adeò necessaria immorer.

Objiciebat *VVickleffus* verba Domini ad Aaron, Numerorum XVIII. *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: Ego pars & hereditas tua in medio filiorum Israël. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis... Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum & necessaria separavi.* Item verba Domini Cap. XVIII. Deuteronomii: *Non habebunt Sacerdotes & Levitæ, & omnes qui de eadem Tribu sunt, partem & hereditatem cum reliquo Israël, quia Sacrificia Domini, & oblationes ejus comedent; & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum; Dominus enim ipse est hereditas eorum, sicut locutus est illis.* Et Ezechiel. XLIV. *Non erit eis hereditas: Ego hereditas eorũ: & possessionem non dabitis eis in Israël, Ego enim possessio eorum. Victimam & pro peccato ipsi comedent; & omne votum in Israël ipsorum erit.* Objectio VVicklefi.

Respondetur cum *Thoma VValdensi*, sensum divini illius mandati esse, quòd Sacerdotes & Levitæ Veteris Legis, quos solos spectat (Ceremoniale namque præceptum est, cum Lege abolitum, nec ad Evangelicos Sacerdotes ullatenus pertinens) hereditatem inter vulgus ignobile habere non debeant, quia ipse Dominus hereditas eorum; & quæ Domino debentur, ipsis sunt ab illo attributa. Vulgi scilicet hereditas in singulas portiones præcisa erat, & quæque Tribus ab alterius erat finibus exclusa; sed Sacerdotalis hereditas communicabat cum omnibus, sicut uxores ex omnibus Tribus assumebant. Ideò ait Dominus: *Ego pars & hereditas tua in medio filiorum Israël:* id est, in communi omnis Tribus partem dans & possessionem in omnibus: ut sicut sum communis omnium Dominus, & Levitæ mei communes Ministri omnibus vobis in his quæ Religionis sunt & Sacrificiorum; ita & hereditas mea & possessio Levitarum cum omnibus Tribubus communicet, ut faciliùs omnes legem ac præcepta mea doceant, cultúmque apud vos meum circumquaque promoveant. Et ad hanc formam hodie possessiones suas habet Ecclesia in omnibus Regnis; cùm tamen Regnum quodvis propriis finibus circumscribatur, aliúdque excludat. Sic ergo non habebant Levitæ partem inter alios, nec hereditatem cum reliquo populo Israël: habebant enim communiter cum singulis, quod reliquus populus non habebat. Sanè Levitas & Sacerdotes urbes, pascua, & agros possedisse, ex aliis Scripturæ Sacræ locis compertum est. Numerorum XXXV. *Præcipe filiis Israël ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum, ut ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus ac jumentis.* Josuë XXI. *Accesserúntque Principes familiarum Levi ad Eleazarum Sacerdotem, & Josue filium Nun, & ad Duces cognationum per singulas Tribus filiorum Israël: locutique sunt ad eos in Silo Terræ Chanaan, atque dixerunt: Dominus præcepit per manum Moysi ut darentur nobis urbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda jumenta. Dederúntque filii Israël de possessionibus suis, juxta imperium Domini, civitates & suburbana earum.* Et infra: *Itaque civitates universæ Levitarum in medio possessionis filiorum Israël fuerunt quadraginta octo cum suburbanis suis, singula per familias distributa.* Levitici ultimo: *Si voluerit redimere agrum ille qui voverat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ, & possidebit eum. Sin autem noluerit* Responsio.

lueris

lueris redimere, sed alteri cuilibet fuerit venundatum, ultra eum, qui voverat, redimere non poterit: quia cùm Jubilei venerit dies, sanctificatum erit Domino, & possessio consecrata ad jus pertinet Sacerdotum. III. Regum II. *Abiathar* Sacerdoti dixit Salomon Rex: *Vade in Anathot ad agrum tuum.* Jeremias erat ex genere Sacerdotali, & tamen bona immobilia possedit. Cap. XXXII. *Venit ad me Hanameel filius patrui mei, secundùm verbum Domini, & ait ad me: Posside agrum meum qui est in Anathoth in terra Benjamin: quia tibi competit hereditas, & tu propinquus es ut possideas. Intellexi autem quòd verbum Domini esset. Et emi agrum.* Actuum IV. *Joseph qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, Levites, Cyprius genere, cùm haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.* Levitæ igitur bona immobilia possidebant.

Objectio Wicleffi. Objiciebat *Wickleffus* verba Christi, Lucæ XIV. *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Episcopi ergo, Presbyteri, & Monachi (inquiebat) qui bona aliqua possident, non sunt discipuli Christi.

Responsio. Respondet *Thomas Waldensis*, Heresiarcham *Wickleffum* Scripturam Sacram in alienum sensum detorsisse. Joseph ab Arimathia fuisse divitem, & nihilominus discipulum Jesu (Matth. 28.) Lazarum & Sorores divites fuisse & possessores Castelli, & nihilominus Christum hunc & illas amicitiâ suâ dignatum: Christianos omnes Christi discipulos esse debere, nec tamen ad bonorum abdicationem teneri. Magnum esse discrimen inter renuntiare omnibus, & relinquere omnia, ut docet *Venerabilis Beda* lib. 14. in Lucam, Cap. IX.
» *Paucorum* enim perfectorum est relinquere om-
» nia, curas mundi postponere, solis desideriis
» æternis inhiare. Cunctorum autem fidelium est
» renuntiare omnibus quæ possident; hoc est, sic
» tenere ea quæ mundi sunt, ut tamen per ea
» non teneantur in mundo; habere rem tempo-
» ralem in usu, æternam in desiderio: sic terrena
» gerere, ut tamen tota mente ad cœlestia ten-
» dant.

Objectio Wicleffi. Objiciebat *Wickleffus*: Christus jussit Apostolis, ut neque peram, neque panem, neque duas tunicas, neque æs in zonis portarent, cùm profecturi essent ad Evangelium prædicandum: Non debere ergo Apostolorum Successores prædia aliàque bona immobilia possidere, quorum curis implicitі, ad Prædicationis Officium minùs expediti sunt.

Responsio. Respondet *Thomas Waldensis*: Præceptum istud Christi ad tempus illud pertinere quo messis erat multa, operarii autem pauci: quia orbis pene universus infidelitate tenebatur, exiguus autem erat Prædicatorum numerus. Ideo tunc operæ pretium erat ut Apostoli & Viri Apostolici prædia dimitterent, ut liberiùs possent remotas perlustrare Provincias: Quæ tamen completa prædicatione, Successores Apostolorum resumere potuerunt. Cujus rei figuram in Moyse cernere est, qui reliquit uxorem, dum in liberationem populi Israël ex Ægyptiaca servitute incumbebat; quod ubi præstitit, eamdem resumsit, Populique ducatum retinuit. Ita docet *Rabanus* in illa verba Exodi XVIII. *Cùm audisset Jethro, Sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat Deus Moysi, & Israëli populo suo, & quod eduxisset Dominus Israël de Ægypto: tulit Sephoram uxorem Moysi, quam remiserat.*

Objectio Wicleffi. Objiciebat *Wickleffus* verba Christi, Matthæi X. *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum: sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus; & servo, sicut Dominus ejus.* Cùm ergo Christus sit Magister optimus, omnesque Prælati hujus Domini servi, hujus Magistri discipuli esse debeant; supra Christum in dominio seculari extolli non debent.

Responsio. Respondet *Thomas Vualdensis*: Bonorum temporalium possessionem in Clericis ad dominationem non pertinere, sed ad caritatem & ministerium. Unde bonorum Ecclesiasticorum Dispensatores potius quàm Domini a Patribus appellantur. *Quis major est* (ait Christus) *qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrùm sum sicut qui ministrat.* Prælati igitur, ex officio sunt sicut qui ministrant: Clerici verò & pauperes, quibus Ecclesiæ facultates dispensant, qui recumbunt. Unde Servos Servorum Dei se profitentur Summi Pontifices. Lege *Thomam Vualdensem* lib. IV. Tom. I. Art. III.

UTINAM verò Prælati omnes & Ministri Ecclesiæ eo animo Ecclesiastica bona possideant, & tam illi, quàm nos Pauperes in hoc mundo, simus *Divites in fide, in humilitate, in bonis operibus; in omnibus divites in Christo, in omni verbo, & in omni scientia; ut abundemus in divitiis simplicitatis, in charitate, & gratia; & heredes simus Regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* Jacob. I. & 1. Timot. 6. 1. Cor. 1. & 2. Cor. 8.

FINIS.



APPENDIX.



PUSCULA duo anno 168n. in lucem edita, & in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi XIII. citata, cùm de Alexandro Alensi, & S. Thoma suis locis agerem, ne studiosus lector desideret ac frustra quærat, distractis duarum Exemplaribus omnibus, huic Volumini addere in modum Appendicis visum est.



OPUSCULUM I.

COLLATIO DOMINICANI Cum F. Minore.

DE TITULO PRÆCEPTORIS S. Thomæ

ex Elogio ALEXANDRI HALENSIS expungendò.

CUm nudiustertiùs in Conventum & Collegium Parisiense Fratrum Minorum se Dominicanus quidam invisendarum ædium, & lustrandæ Bibliothecæ gratiâ contulisset, in Patrem non minùs urbanitate, quàm literaturâ conspicuum incidit. Is in Ecclesiam cùm primùm deduxisset Prædicatorem, brevi fusâ prece, varia inter monumenta, ipsi Alexandri Halensis tumulum ac Epitaphium ostendit, rem homini qui Magnorum pietate ac doctrinâ Virorum nomen coleret, gratissimam. Hîc (inquit Minorita) conditum est Doctoris Irrefragabilis Alexandri Halensis corpus, quem te, Pater, venerari par est, ut Doctoris vestri Sancti Thomæ Aquinatis Præceptorem. Hic superioris Hierarchiæ Angelus, qui Scholæ Angelum instituit ac illuminavit.

Dominicanus. Siste Pater, inquit, ne tua te sublimiùs efferat facundia. Halensem Anglum scimus, non Angelum. S. Thomam Angelici Doctoris nomine exornavit Ecclesia, at Doctoris vestri Alexandri Halensis nondum Angelificatum nomen. Vobis tamen liceat ipsum laudibus in cœlum tollere, ut Alexandrum Severum triumphum A agentem Romani quondam cives in Capitolium propriis manibus certatim comportarunt, modò ne S. Thomam inter ejus Discipulos, ambitiosiùs, quàm veriùs numeretis. At, rogo te, Pater, quis hujus tibi fabulæ Auctor?

Minor. Fabulam vocas historiam locupletissimis nobilissimorum Scriptorum testimoniis comprobatam, Sedulii scilicet, Rodulphi de Tossiniano, Francisci Gonzagæ, Henrici Willoti, Marci Ulysipponensis, Cardinalis Bellarmini, Possevini, Nicolai Harpfeldii, Spondani ad annum 1245. Bzovii vestri, quamquam Ordini no- B stro iniquissimi, Auctoris Firmamenti trium Ordinum, à doctissimo Annalium Seraphicorum Parente Wadingo, & eruditissimo Patre de la Haye laudati, in Vita Alexandri Halensis, quam ejus in Apocalypsim Commentariis præfixit; Michaëlis Pio, & P. Joannis à S. Maria vestri etiam Ordinis Scriptorum, in Vita S. Thomæ, quam edidere? Tu-ne verò his eruditior?

Dominic. De eruditione cum nemine illorum quos laudasti, certare velim: absit à me animi tam amenter superbi labes, sed in hoc Historiæ capite, quô S. Thomam in Alexandri Halensis disciplinam traditum scribunt, longè à vicinia ve- C ritatis errasse contendo universos. Auctorum vestrorum aliquis id primus commentus est, ac scriptis prodidit, cæteri illud absque examine exscripserunt: quod Historicis plerisque & Nomenclatoribus accidit, qui sequuntur, more caprarum, antecedentem gregem, euntes, non quò eundum est, sed quò itur, ut cum Seneca loquar. Juniores sunt illi, quos ostentas Auctores, hujus sæculi penè omnes, plerique professione Franciscani, quibus Bellarminus, Spondanus, Bzovius, Possevinus, Pio, Labbæus, &c. fidem faciliùs citiúsque commodarunt. Rem verò pergratam mihi faceres, Pater-mi! si ex Auctoribus D Alexandro Halensi coævis, aut supparibus, quod Historiæ leges postulant, S. Thomam illius Discipulum fuisse approbares. At ne unum quidem ex illis testem proferre queas, qui recentiori figmento suffragetur. Sed nec magni nominis Scriptores, quorum in Thomam Halensem elogia vester de la Haye collegit, rei adeò ipsi honorificæ meminere. De illâ scilicet apud Bartholomæum Albicium Pisanum *a* in libro Conformitatum S. Francisci, apud Gersonem, Joannem Trithemium, E Sixtum Senensem, Supplementum Chronicorum, Platinam, Genebrardum, altissimum silentium est. Quidam ex junioribus hujus fabulæ Patronis putidos in anachronismos labuntur, Rodulfus nempe & Harpfeldius: Joannem Duns Scotum inter Alexandri Halensis Discipulos etiam recensent,

qui nondum natus erat quô tempore Alexander è vitâ migravit. Insigniori hallucinatione Sedulius Gersonem & Stephanum Brulefer inter ejus Auditores commemorat, cùm Gerson anno millesimo quadringentesimo vigesimo nono, ætatis sexagesimo sexto; Stephanus verò Brulefer anno millesimo quadringentesimo octogesimo tertio obierit; Alexander autem Halensis anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto. Qui circa Scotum, aliósque tam graviter errarunt, eos de Halensi & S. Thoma vera scripsisse, quis sibi persuaserit?

Minor. Prætermittis Firmamentum trium Ordinum, quod jugulum tuum petit, disertè asserens S. Thomam Alexandri Halensis Auditorem fuisse.

Dominic. Obscurum laudas opus, obscurique Auctoris fœtum. Rogo te, in Bibliothecam vestram nos conferamus, locum nostro congressui commodiorem. An Auctor laudati Firmamenti fabulam vestram testimonio suo firmet, expendere tecum velim. Assensit Minorita. In Bibliothecam se contulêre: vocatus Bibliothecarius, quæsitum *Firmamentum trium Ordinum*, evolutis librorum Indices, compertum in Bibliotheca desiderari.

Minor. Wadingus tamen noster in Annalibus ad annum 1245. & P. de la Haye in Vita Alexandri Halensis, cap. x. viri doctissimi, Auctorem Firmamenti ceu testem hujus, de quâ dubitas, veritatis appellant.

Dominic. Memini me legisse inter elogia Alexandri Halensis à Patre de la Haye ad finem Vitæ ipsius congesta, hujus quem tanti facis, Auctoris testimonium. Agedum, ipsum consulamus. Apertô librô, statim locus occurrit, quem unà legerunt fervidi Collocutores. Sic autem habet: *Alexander de Hales, qui inter cæteros Doctores Doctor Doctorum à quibusdam dicitur; ab aliis, Fons vitæ; vel generalius, Doctor Irrefragabilis appellatur, D. Bonaventura quondam præceptor, Juris utriusque Doctor, & Sacra Paginæ sufficientissimus Professor, scripsit*, &c. Tum Dominicanus. Vides, inquit, ô bone, quàm sublesta sit Wadingi fides, quàm indiligens P. de la Haye, qui ipsum sequitur in Vita Alexandri Halensis? Auctorem Firmamenti scripsisse memorant, S. Thomam Alexandri fuisse Discipulum; cùm Bonaventuræ quidem, non S. Thomæ Præceptorem prædicet, ut his oculis vides. Eversum itaque est potissimum fabulæ vestræ præsidium.

Minor. Viris maximis & eruditissimis, Bellarmino, Spondano, &c. derogare fidem, illiberalis est ingenii, nisi ipsos deceptos fuisse, ex antiquioribus monumentis, aut invictis argumentis ex Historia petitis demonstres. Quid quod malè habes celebrem illum apud vos Annalium Continuatorem Bzovium?

Dominic. Quòd Bzovium spectat, laude suâ & quidem plurimâ dignus est, sed nævos quoque suos habet. Opere in longo fas est obrepere somnum. Ipsum hac in parte lapsum nervosè probat doctissimus Ordinis nostri Professor Nicolaus Jansenius in Animadversionibus & Scholiis in Apologiam de Vita & morte Joannis Duns Scoti. Sed mirum est quòd Bzovii testimonio tantùm tribuatis, in quem aliàs tam impotenter debacchamini. Hunc verò impræsentiarùm dimittamus, quò invictis argumentis ex Historia petitis tibi demonstrem, hujus fabulæ, quam vulgare pergitis, vanitatem. S. Thomam Parisiis nunquam Philosophiam, vel Theologiam audivisse, vel docuisse tantùm, si evicero, ipsum Alexandri Halensis nunquam fuisse discipulum confecero. De ipsius ad studia profectione, statim atque è Castro, in quô à Matre & fratribus detinebatur, dimissus est, do testem supparem Guillelmum de Tocco Vitæ illius scriptorem antiquissimum, & Canonizationis promotorem. *Cùm Fratres*, inquit, *recuperassent Fratrem Thomam, cogitaverunt quòd periculum posset esse perdendi eum, si remaneret in terrâ parentum suorum. Et licèt fratres sui carnales jam cessassent, vel cessarent ab ejus impugnatione, tamen miserunt fortè Bononiam, seu potius Parisius, ad Capitulum Generale, ut ibi de Studio Generali provideretur sibi. Frater autem Joannes Teutonicus tunc Magister Ordinis, eum in suum filium recepit, & duxit eum Coloniam, ubi studium vigebat sub Fratre Alberto Teutonico in omni scientiâ famosissimo.* .. *Cùm autem Frater Thomas audisset Fratrem Albertum profunda & subtilia legentem & disputantem, gavisus est valde de eo, quòd invenerat quod quærebat.* Vides, Pater, hunc Auctorem nequidem pro re compertâ habere, quod S. Thomas Parisios profectus sit, postquam è Castro dimissus est, & à Fratre Joanne Teutonico susceptus. *Miserunt fortè Bononiam*, inquit, *seu potius Parisius.* Bononiæ scilicet, aut Parisiis, Generalia Ordinis Prædicatorum Comitia eâ ætate celebrabantur. Frater Joannes Teutonicus Magister Ordinis electus est anno salutis millesimo ducentesimo quadragesimo primo, in Parisiensibus Comitiis. Generale Capitulum habuit Bononiæ anno millesimo ducentesimo quadragesimo secundo; alterum Parisiis anno millesimo ducentesimo quadragesimo tertio celebravit. Alterutro Conventu solutô, (quô enim annô à Comitissa Matre sua libertate donatus sit S. Thomas, haud planè certum est) Sanctum Adolescentem, spem Ordinis ac futurum ornamentum, Coloniam deduxit, ad Collegium & Studium Generale, quod ipsi Capituli Decreto provisum fuerat. Parisiis itaque ipsum, sive Philosophiæ, sive Theologiæ, operam sub Alexandro Halensi non dedisse, sed Coloniæ Agrippinæ, sub Alberto Magno, compertum est. Guillelmo de Tocco S. Antoninus III. Parte Chronicorum, Tit. XXIII. Cap. VII. §. IV. suffragatur. In eo solùm dissentit, quòd S. Thomam à Magistro Ordinis ductum Parisios asserat, (ut scilicet in Capitulo Generali eâ in Urbe celebrando, ipsi de Collegio provideretur, ut loquitur Guillelmus de Tocco.) Exinde Coloniam missum S. Antoninus testatur, *ubi sub Domino F. Alberto Teutonico Ord. Prædic. Magno Doctore, in Physicis & Divinis florebat Studium Generale.* S. Antonino Garzo, Flaminius, Surius, Castillus & alii consentiunt; asseruntque pariter S. Thomam à Fratre Joanne Teutonico primùm Parisios perductum; ubi cùm aliquot menses hæsisset, inde Coloniam cum ipso profectus est. At vix tres aut quatuor menses ipsum tunc Parisiis moratum fuisse, conjicere est: cùm Ordinis Magister Germaniæ Provinciam lustrare deberet, (quod ante hyemem ipsum fecisse est verisimillimum) & sequenti æstate anni millesimi ducentesimi quadragesimi quarti Capitulum Generale celebrare. Porrò paucis illis mensibus S. Thomam Aquinatem, Thomæ Halensis Sacram Theologiam, vel (ut loquuntur Veteres) Sacram Paginam docentis, discipulum fuisse, fabula est. Unum addo, quod te observare velim; & quod omnes Ecclesiasticæ Historiæ periti novere, summam tum fuisse in Ordine FF. Prædicatorum eruditorum hominum copiam, in Conventu Parisiensi eâ tempestate floruisse Magistros Fratres Rullandum de Cremona, Joannem de S. Ægidio, Hugonem à S. Caro, & alios, ac Scholas nostras celebres fuisse, Fratribus nostris in gremium Sacræ Facultatis Parisiensis jam cooptatis. Etsi itaque

que jam Theologicis studiis maturus fuerit S. Thomas, cùm Parisios à F. Joanne Teutonico Ordinis Magistro ductus est, perperàm colligis, ipsum paucorum mensium spatio, quibus stetit Parisiis, in Alexandri Halensis traditum fuisse disciplinam. Equidem si apud nos summa fuisset eruditorum Fratrum penuria, qui prædicationi simul, & Theologiæ docendæ pares essent, speciem aliquam probabilitatis figmentum vestrum haberet. Sic enim proximè elapsô sæculô, cùm vester apud Orientales Indos propagatus Ordo est, vestri Fratres in Conventum nostrum *a* Goanum studiorum causâ mittebantur. Sed non erat Parisiis. ea rerum nostrarum conditio, cùm illùc ductus est à F. Joanne Teutonico S. Thomas, ut alienos Magistros quærere nostris opus esset.

a De Goa.

Minor. Diu te, & paulò quidem impatientiùs disserentem audivi. Nondum tamen confecisti quod pollicitus eras. Numquid enim S. Thomas Coloniâ Parisios redux post annos aliquot, Alexandri Halensis Auditor esse non potuit?

Dominic. Minimè gentium. Nisi fortè à mortuis redivivus Alexander Halensis hunc S. Thomã docendi honorem & gloriam consequutus sit. Obierat enim Alexander, cùm peractis Coloniæ studiis, Parisios rediit ex mandato Superiorum S. Thomas. Vivere scilicet desierat anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, die Augusti vigesima septima, cùm Thomas cursum Theologicum vix auspicatus esset Coloniæ, quò profectus erat, anno (ut observavi) millesimo ducentesimo quadragesimo tertio. Missus autem est in Collegium Parisiense, studiis confectis; quod ante annum millesimum ducentesimum quadragesimum septimum aut octavum contingere non potuit: superstitem igitur ipsum non invenisse palam est Alexandrum Halensem. Quem etsi in vivis invenisset, non habuisset Præceptorem: cùm Parisios non mitteretur ut Scholas frequentaret discipuli habitu, sed eas ut regeret, quod Baccalaurei gradum consecutus præstitit. Quâ de re sanctissimum Præsulem Florentinum audire, quæso, ne gravere III. Parte Chronicor. Tit. XXIII. cap. VII. §. V. *Peractô itaque*, inquit, *tempore studii, quò in audiendo Magistrum attentius insudavit, ad præfati Doctoris persuasionem & testimonium, qui Discipuli sufficientiam & excellentiam probaverat in scientiâ & in vitâ, Magister Ordinis de ipso S. Thoma providit Parisiensi studio, pro Baccalaurei Officiò exequendò: scribens ei ut Parisios se conferret, & ad legendum Sententias se pararet. Qui cùm esset humilis, & de seipso semper humilia sentiens, libentèr ex humilitate voluisset officium subterfugere, nisi obedientia meritum compulisset. Factus autem Baccalaureus, cùm cœpisset legendo diffundere, quæ tacendo prius collegerat abunde, tantam ei Deus gratiam in labiis ejus effudit in doctrina, ut scholares in stuporem adduceret, & ad studium animaret*, &c.

Minor. Inutilia sunt quæ disseris: certiora habemus monumenta, quæ Alexandrum Halensem S. Thomæ Præceptorem fuisse, velis nolis, testantur.

Dominic. Quæ, Pater? Nam ex ratione temporum petita in rebus Historicis argumenta, esse ad fidem faciendum gravissima, & firmissima, nemo nescit? Quò spectare videtur illud à Tertulliano scitè dictum: *Religionis instar est, fidem de temporibus adstruere.*

Minor. Si tacuerint Auctores, *lapides clamabunt.* Vidisti, Magister, legisti, nec tibi excidit è memoria à sesqui hora, Alexandri Halensis Epitaphium in Ecclesia nostrâ, quô *S. Thomæ Præceptor* magnificè prædicatur, ad posteritatis memoriam? Et veteris monumenti auctoritatem non venerabere?

Dominic. Tam fabulæ & mendacia lapidibus insculpi, aut ære incidi possunt, quàm ab Auctoribus vulgari. Imò eò commodiùs, quò erubescere lapides non queunt, ac pudore suffundi. Quod igitur Epitaphio Doctoris Irrefragabilis inscriptum est, haud irrefragabiliter verum, pace tuâ, dixerim. Venerabile monumentum antiquitatis vocas? Lepidè. Me felicem qui non ita stipes sim ut his oculis imponi patiar! Qui noverim apprimè vetus istud monumentum anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo non esse vetustius, quò à Fratre Benigno Genuensi Ordinis FF. Minorum Generali Ministro positum est. Cæterùm Epitaphium vetus Leoninis versibus editum, & Alexandri Halensis tumulo statim ab ejus obitu inscriptum, Præceptorem fuisse S. Thomæ, quod ambitiosiùs jactatis, non memorat. Priscâ scilicet simplicitate conspicui Fratres vestri, quam à Seraphico Patre Francisco, hæreditario jure hauserant, falsis honoribus ornare Doctorem veris titulis insignitum, religioni duxêre. Porro sic habet antiquum illud à Vvadingo vestrò relatum in Ordinis Annales Epitaphium, nisi me fallit memoria:

Gloria Doctorum, decus & flos Philosophorum,
Auctor Scriptorum vir Alexander variorum,
Norma Modernorum, fons veri, lux aliorum
Inclytus Anglorum, Archilevita, sed horum
Spretor cunctorum, Fratrum Collega Minorum
Factus egenorum, fit primus Doctor eorum.

Vides, Pater, in hoc verè antiquo Monumento Alexandrum Halensem primum Ordinis vestri Doctorem, non S. Thomæ Præceptorem prædicari?

Minor. Inficiali pugnas argumento, quod antiqua monumenta diruere nusquam valebit. Extabat unum in Capitulo nostro, quod fidem vel à pertinacissimis extorqueret: *Quædam*, nempe Alexandri Halensis *Imago vetustate exesa, in quâ Divus Bonaventura & S. Thomas, docentis Magistri verba excipientes, depicti erant*: ut Annalium nostrorum Parens Vvadingus refert. Qui & veritatem, quam impugnas, his versibus, quasi solis radiis, in pariete descriptam testatur:

Quo duce præmoniti in prælia Divus Aquinas,
Quotquot & usque legis fortiùs arma gerunt.

Dominic. In Annalium vestrorum (ut vocatis) Parente hoc in loco bonam fidem desidero. Imaginem commemorat in ingressu Capituli vestri depictam, cujus ne tenue quidem visitur vestigium, quamvis immutata non sit Capituli vestri facies, ædibus vestris ædificatione magnificâ nuper instauratis: nec in monumentis antiquis ad Ordinis vestri gloriam conservandis vestra possit accusari negligentia. Imaginem vocat, quæ tres viros unà referret, Alexandrum Halensem, & SS. Bonaventuram ac Thomam, docentis verba excipientes. Tricipitem igitur imaginem esse oportuit, monstrum de fabula, potius quam Historiam ac rem gestam, oculis exhibentem. Forsan tabellam intellexit Vvadingus, quæ in Scholis vestris est appensa. Ut ut est, his picturarum præstigiis illudere non potestis nisi pueris & ignaris.

. . . . . *Pictoribus atque Poëtis.*
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Fœminam Romanos inter Pontifices depictam videre est in Ecclesia Senensi. Fabula tamen est putidissima, etiam ab ipsis, qui aliquod eruditionis nomen sibi pepererunt, Protestantibus confutata & exsufflata. In veteribus picturis effigiata cernitur Dagoberti Francorum Regis anima in cymba, stygiis, ut puto, in aquis fluctuante, quam dœmones submergere nituntur; Sancti verò ipsam eripiunt, maximè Dionysius, cujus ædificaverat ornaveratque Basilicam quarto à Lutetia milliario: fabula tamen est, Fredegarii Scholastici silentio, & eruditorum Historicorum judiciô convicta. Veteres picturæ Merovingiorum postremos Regum prolixâ barbâ exhibent, ad opinionem de eorum desidiâ & inertia, déque inglorio in Villâ fictitiâ Mammacas otio, dum Majores Domus Rempublicam regerent, confirmandam. Has tamen picturas falsas esse compertum est, cùm Reges illi minórennes penè omnes obierint, brevioríque eorum principatui, & teneris annis condonandum sit, si nihil arduum gesserint, non socordiæ & inertiæ tribuendum: ut meridiana luce clariùs demonstrat doctissimus Pater le Cointe in Annalibus Ecclesiasticis Francorum. Vestræ igitur, quæcumque sint, & quamvis fumosæ imagines, quæ SS. Bonaventuram & Thomam Alexandri Halensis verba in Scholis excipientes referunt, non prohibebunt quin illa vestrorum Scriptorum de S. Thoma in disciplinam Alexandri Halensis traditô narratio, in fabellarum censu habeatur.

Minor. Antiquos versus callidè siles, qui Alexandrum Halensem S. Thomæ Præceptorem fuisse disertè testantur.

Dominic. Hi verò negotium facessunt nullum. E venâ procul dubio recentiori prodiere. Neque enim sapiunt Alexandri Halensis ætatem aut sequentis ingenium sæculi, quô Leonini versus maximè in usu erant, ut vetus Epithaphium tumulo ejusdem Doctoris primitùs inscriptum demonstrat. Præterea, nec in Ecclesiâ vestrâ, nec in alio ædium vestrarum loco sunt inscripti, quod tamen Vvadingus vester asserit. Nec, si ab annis quadringentis aliquod ære perennius monumentum extaret, in quo inscripti legerentur, causam vestram ullatenus juvarent. Præceptorem quippe S. Thomæ fuisse Alexandrum Halensem, ex iis extundi non potest, sed Ducem duntaxat, qui ipsi in dividendâ varias in quæstiones & articulos Theologiâ exemplô suô præiverit. Id verò superiores versus evidenter probant, quos in Summa Alexandri Halensis, primæ (ut puto) Editionis, anno scilicet millesimo quadringentesimo octogesimo secundo excusâ memini me legisse.

Hic prudens Opifex, multa celeberrimus arte,
Compage & nervis consolidavit opus.
Primus in articulos divina Volumina duxit,
Artis & in morem retulit Acta Senum.
Quo Duce præmonitus in prælia Divus Aquinas,
Quotquot & usque legis, fortiùs arma gerunt.

Minor. Cur tantô conatu luctaris, quasi hæc gravis esset S. Thomæ injuria, quòd Alexandri Halensis, tam celebris Theologi discipulus asseratur. *Ego verò* (ut Vvadingi nostri verbis utar) *Doctori Angelico nihil in hoc derogatum esse video, si jam senem juvenis audivit, quem senex præ reliquis assumpsit imitandum & sequendum.* Certè S. Thomam ex Alexandro Halensi mutuatum esse plurima, facilè cognoscet, qui utriusque Summam contulerit. Doctissimus P. de la Haye hanc spartham adornavit fœlicissimè in Vita Doctoris Irrefragabilis cap. XI. Nonnulla loca Sacræ Scripturæ, quædam S. Augustini, vel aliorum Patrum Auctorúmque testimonia, quasdam etiam rationes & objectiones ex Alexandro Halensi exceptas manifestè ostendens.

Dominic. Etsi nulla esset S. Thomæ injuria Alexandrum Halensem Præceptorem habuisse, maximam tamen injuriam faciunt veritati hujus fabulæ Auctores ac Vindices. At eximiæ Angelici Doctoris modestiæ, humilitati, generoso & grato adversùs Magistros animo, contumeliosum esse quis non videat, quod Auctores vestri adeò temerariâ ostentatione effutiunt, ipsum ab Alexandro Halensi accepisse plurima, quem ne semel quidem laudavit, fontem coronatum ex quô tam præclara hausisset? Non illud fuisse Aquinatis ingenium ac morem, ostendit illius in laudandis, ex quibus aliquid mutuatus est, Auctoribus diligentia. Puerilia verò sunt, nugacia, futilia, Patris vestri de la Haye argumenta. Scilicet Scripturam Sacram, ac Patres, Doctor Angelicus æquè non pervolverat, ac Halensis? Æquè admiranda vi ingenii objectiones non prævidebat? Nunquid optima ratio communis res non est? Si quid ponderis est in his P. de la Haye ratiunculis, nullus erit Theologus qui ab altero non sit dicendus accepisse; cùm nemo sit, qui aliquibus Scripturæ Sacræ, aut Patrum testimoniis non utatur, quibus in iisdem controversiis usus est alter: Nemo qui momenta graviora ab Hæreticis objectari solita, vel trita in Scholis argumenta non diluat, propria quisquis eruditione ac Methodo eadem tractans, discutiens, ac edisserens.

Minor. Tam facilè forsan te non expedies ex altera celeberrimi Scriptoris objectione. Conferas, Frater, Articulum secundum Quæstionis centesimæ, Primæ Partis S. Thomæ, cujus resolutio de verbo ad verbum in Halensi habetur, Secunda Parte Summæ, Quæstione nonagesima quinta, membro 1. Articulo tertio.

Dominic. An Heroicus Patris vestri de la Haye conatus ipsi fœliciter cesserit, expendamus. Aperiamus utriusque Summam Doctoris, Alexandri Halensis & S. Thomæ. Conferamus loca ab Auctore vestro laudata, & quâ fide effutierit Articulum S. Thomæ laudatum de verbo ad verbum in Halensi haberi, ipse probabis. Alexander obscurè statum Quæstionis, ipsúmque titulum proponit: dilucidè S. Thomas. Ille ad fastidium prolixus, hic jucundè brevis. Ille absque ordine objectiones multiplicat: hic distinctè & numeratim suas proponit. Ille problematicè disputat: hic certô judicio Quæstionem determinat. Ille plura Patrum & Magistrorum testimonia inutiliter & ad fastidium congerit: hic pauca & utilia, magisque ratione, quàm auctoritate nititur. Ille Augustinum interpolat, ac tandem deserit: hic eumdem ducem eligens, ex ipsius mente Quæstionem solvit. Ille in argumento prolusorio, vulgò, *Sed contra*, duobus momentis problematicè controversiam perstringit: hic unicô, quod rem conficit. Ille sex objectionibus propositis, Quæstionem intricat: hic quatuor duntaxat eam elucidat. Ille Gregorii Magni prorsùs immemor: hic illius testimonio suæ assertioni in speciem contrarii eruditus Interpres. Ille Philosophum, Boëtium, Joannem Damascenum laudat; de quibus hic silet. Ille S. Anselmum & Hugonem à S. Victore, suffragatores adhibet: Hic Hugone prætermissô, S. Anselmum commodè explicatum S. Augustino conciliat. Ille S. Anselmum & Hugonem obscuris distinctionibus conciliare satagens, statum quæstionis evertit: Hic uniformi & invariatô sensu propositam

controversiam

controversiam tractat ac dirimit. Ille discretionem Angeli ab homine ad multa capita sevocat, sive multas in causis refundit: Hic in solam voluntatis constantiam, quæ post electionem infl.cti non possit. Ille duplicem in bono confirmationem fingit: Hic unicam persequitur, quam vulgò intelligit, quisquis vocabulum illud audit, vel profert. Ille sententiam affirmantem fuisse majorum communem asserit: Hic impossibile censet quod illa adstruit. Et post tam multiplicem, tamque manifestam inter Alexandri Halensis & S. Thomæ Articulum discrepantiam, credes Patri de la Haye, efferenti, S. Doctorem Articulum *de verbo ad verbum*, ab Alexandro Halensi esse mutuatum.

Minor. Evicisti Patrem nostrum de la Haye minùs accuratè scripsisse, S. Thomam ab Alexandro Halensi illum, quo de modò agebamus, Articulum accepisse. Non sum ita pertinax, ut id diffiteri possim. Sed tamen Alexandri Halensis studiosissimum fuisse S. Thomam, & ex eô plurima delibasse, præsertim in Secunda Secundæ, meritò Vir doctissimus P. de la Haye, post Annalium nostrorum Parentem Vvadingum asseruit.

Dominic. Nusquam-ne fabularum finis?

Minor. Ita comparatus es, ut fabulam, & si quæ ad derogandam fidem aptiora verba sunt, id voces omne, quod in Ordinis Seraphici gloriam cedit ac decus.

Dominic. Ordinis Seraphici gloriæ ac ornamento, absit ut invideamus. Sanctos, & Doctores vestros meritis laudibus exornamus; Vos ut Fratres complectimur & diligimus; gloriam vestram, pro nostræ vobiscum fœdere Caritatis, nostram existimamus. Sed cùm præ omnibus amemus veritatem, ægrè ferimus quòd falsam gloriam, vanosque honores ambiatis: nec pati nos decet, quod ipsi maximè displicet Alexandro Halensi, si in Deo (ut piè credimus) vestra in ipsum præpostera studia intuetur, ut fabulis, & obtrectatione adversùs S. Thomam, piis ejus Manibus parentetis.

Minor. Fabulas vocas, quod Venerabilis Sacræ Facultatis Parisiensis Cancellarius Joannes Gersonius ab annis trecentis ad quemdam Ordinis nostri Professorem scripsit; in Epistola quâ mellifluam & igneam S. Bonaventuræ doctrinam commendans, de Alexandro Halensi hæc habet eximia: *Cujus doctrina quanta sit ubertatis, dici satis nequit. De quâ fertur respondisse S. Thomas, dum inquireretur ab eo, Quis esset optimus modus studendi Theologiam? Respondeo, Exercere se in unô Doctore præcipuè. Dum ultra peteretur, Quis esset talis Doctor? Alexander de Hales.* Quod se pridem in Tractatu quodam de Visione Beatâ contra Joannem XXII. legisse testatur Venerabilis Cancellarius. Unum igitur assiduè evolvebat Alexandrum Halensem S. Thomas; ut mirum non sit, si ex ejus Summa plurima in suam derivavit?

(Margin note: Anno 1426. Tom. 1. Pag. 554.)

Dominic. Utinam Auctorem Tractatûs in quô id legerat, nominatim laudasset! Vestri forsan Ordinis fuisse constaret, quem non immeritò hâc in causâ suspectum, à testimonio dicendo repellere possemus. Quamquam id minimè opus sit; cùm id certum non esse satis innuat Gersonius his verbis: *De quô fertur respondisse S. Thomas*, &c. his non multùm absimilibus, quæ de Leonis IV. Pontificis Maximi successore Joanne VIII. S. Antoninus Chronicor. t. 2. P. Tit. 16. cap. 1. §. 7. ex Martini Poloni Chronico refert (non sincerô quidem & integro, sed interpolatô) *Iste* (*inquit Martinus*) (*ut asseritur*) *fœmina fuit*. Hanc tamen putidissimam esse fabulam, confessa est ab ipsis à Protestantium grege doctioribus veritas. *Ut asseritur, ut fertur*, verba sunt rem falsô plerùmque rumore jactatam, non certam & exploratam significantia. *Natura porrò famæ omnibus nota est. Fama malum quô non aliud velocius ullum. Cur malum fama? Quia velox? Quia index? An quia plurimùm mendax? Quæ ne tunc quidem cùm aliquid veri affert, sine mendacii vitiô est, detrahens, adjiciens, demutans de veritate. Quid, quòd ea illi conditio est, ut non, nisi cùm mentitur, perseveret? Et tamdiu vivit, quamdiu non probat. Siquidem ubi probavit, cessat esse, & quasi officio nuntiandi functa, rem tradit, & exinde res tenetur, res nominatur, nec quisquam dicit, verbi gratiâ, Hoc Romæ aiunt factum; aut Fama est illum Provinciam sortitum: sed, Sortitus est ille Provinciam; &, Hoc factum est Romæ. Fama nomen incerti, locum non habet ubi certum est. An verò famæ credas, nisi inconsideratus? Quia sapiens non credit incerto. Omnium erit æstimare, quantacumque illa ambitione diffusa sit, quantacumque asseveratione constructa, quod ab unô aliquando principe exorta sit, necesse est. Exinde in traduces linguarum & aurium serpat. Et ita modici seminis vitium cætera rumoris obscurat, ut nemo recogitet, ne primum illud os mendacium seminaverit; quod sæpe fit aut ingeniô æmulationis, aut arbitriô suspicionis, aut non novâ, sed ingenitâ quibusdam mentiendi voluptate.* Quod itaque ut rumore obscuro jactatum, & ab Auctore nescio quô traditum scripsit Gersonius, fas est in dubium revocare: maximè cùm in Vita S. Thomæ à Guillelmo de Tocco suppari Auctore scriptâ, altum sit de isto S. Doctoris apophthegmate silentium.

(Margin notes: Nec immo. dc.-30. — Verba Tertulliani in Apologetico, cap. 7.)

Minor. Facile est firmiora & clariora sic elevare testimonia.

Dominic. Vim testimoniorum, quæ per se infirma sunt, minùs appositè dicis elevari. Sed etsi verum esse dederim, quod ex Anonymi Tractatu refert Gersonius, malè ex eô colligis, ô bone! S. Thomam ex Summa Alexandri Halensis plurima in suam transcripsisse. Quin magna fuerit S. Thomæ de Alexandro Halensi existimatio, quamquam id non probes, nullùs dubito. Sic affectus erat Doctor Angelicus, ut non modò Veteres, sed & coævos Theologos, qui in Academia Parisiensi, aut alibi floruerant, vel florebant, plurimi faceret, coleret, seque nulli non postponeret, pro modestiâ suâ & humilitate singulari. Contingere ergo potuit, & fortè contigit, ut interroganti cuipiam, *Quis ille Doctor esset, qui unus evolvendus esset?* Responderit occasione datâ, *Alexandrum Halensem*: Non quòd ipsum cæteris Theologis, verbi gratiâ S. Bonaventuræ, Hugoni à S. Victore, cujus *dicta Magistralia* vocat, vel aliis, qui de Scholasticâ Theologiâ post Magistrum Sententiarum scripserant, anteferret: sed ut illius lectionem satis esse significaret illis, qui aliquam Scholasticæ Theologiæ notitiam assequi vellent. Non absurdè etiam quis conjiciet, S. Thomam tunc ad Summæ scriptionem se forsan comparantem, libris evolutis plurimis, in lectione Summæ Alexandri Halensis præcipuam operam posuisse, ejus ut opiniones, rationésque expenderet, ac ipsarum imprimis, quas tractaverat, Quæstionum utilitatem, vel inutilitatem, superfluentesque probationes, vel argumenta: ut iis resecatis ac prætermissis, Summam, quam meditabatur, eâ conscriberet methodo, quæ eruditioni congrueret incipientium, ut ipse in Proœmio loquitur. Cùm itaque à S. Thoma quæreretur, quis esset optimus modus studendi Theologiæ? & respondisset *Exercere se in unô Doctore præcipuè*. Rursusque rogaretur, *Quis esset ille Doctor?* &

Alexandrum

Alexandrum Halensem forsan præ manibus haberet, appositè respondit, *Alexandrum de Hales.*

Minor. Ista mera divinatio est.

Dominic. Non absurdè tamen, nec improbabiliter hæc sunt à me divinata. Fieri certas divinationum conjecturas à peritis, scitè dixit Tullius. Sed à te quæsierim, Pater! cur Alexandri Halensis doctrinam in Scholis vestris sequi noluistis, cur ejus Summam Pontificis mandatô ut dicitis, conscriptam, ab Alexandro IV. ut falsò quoque jactatis, post septuaginta duorum Theologorum suffragia, approbatam, non legitis? Cur *Fontem vitæ* reliquistis? Cur *Doctoris Irrefragabilis* doctrinæ audetis palam refragari? Cur ejus, quem *Doctorem Doctorum* nuncupatis, esse discipulos recusatis? Cur Scotum ipsi antefertis, præconcepta subtilitatis opinione? Si rogatus S. Thomas, In quô præcipuè Doctore se exercere Theologiæ studentes deberent? Alexandrum Halensem, honoris causâ nominavit: næ vos minùs prudentes, qui S. Thomæ non creditis, & fictitium ejus responsum in ipsius injuriam objicitis?

Innocentius V.

Ità vocant Alexandrum Halensem.

Minor. Liberiùs in Doctorem Subtilem, & in ejus Discipulos inveheris, nec cogitas apud Scotistas te versari.

Dominic. Ejus adversùs vos usurpo verba, quem modò causæ tuæ Patronum laudabas, Venerabilis Gersonii, & in eâdem quidem Epistolâ, quam ad Fratrem quemdam Minorem dedit. *Unde mirum, inquit, immo miserum & miserabile videtur, ne dicamus damnabile, quo pacto prælata sunt doctrinæ quædam alia sub specie subtilitatis, plus inquietantes quasi cyniphes Ægyptia, quàm Sabbathum mentis incendio terra Gessen afferentes.* Et infrà. *Et ecce, proh dolor! Doctores isti duo, Ales & Bonaventura, videntur quasi sepulti cum illis, quorum non est memor amplius, præsertim in cordis amore. Extolluntur alii quidam, quorum sint utinam nomina in libro vitæ! Non enim studiosis invidemus. Sed multa aliquos ipsorum litera fecerunt sub nomine subtilitatis insanire, cum sequacibus ipsorum.* Hæc in Scotum, vosque omnes, à Venerabili, pio, doctóque Cancellario dicta non animadvertis? ô boni! Id sequentia confirmant, quibus Scotica Theoremata cœpit liberiùs. *Nunquid non insania est, concedere quod duo contradictoria sunt simul vera pro eodem instanti temporis, licet non naturæ? Quod præterea multæ sunt veritates ab æterno, & multa æterna, quæ non sunt Deus? Iste est unus Articulus inter præmemoratos damnatus, anno* M. CC. XL. Graviora tandem addit inferiùs, subtilitatis nomen Scoticæ à vobis attributum doctrinæ vellicat, eóque *picas loquacissimas* vocat, qui in illâ stabiliendâ laborant. *Damnata est,* inquit, *nuper per Prædecessores meos in sacrâ Theologiæ Facultate, sub pluribus Articulis, doctrina, quam nonnulli solum impunè subtilem garriunt; quam, ignorantes vocem propriam, nonnulli veluti pica loquacissima stabilire nituntur, cum sit mera insania & vanitas falsa.* Unus *Articulus inter cæteros est, Quod aliquid sit Deus realiter, quod non sit formaliter Deus.* Vides, Pater, quibus elogiis Vos, Doctoremque vestrum, Venerabilis Cancellarius exornet?

Minor. Gerson erga Doctorem Subtilem planè fuit iniquior: sed tu erga Alexandrum Halensem iniquissimus, qui veritatem negas ab omnibus confessam, quòd scilicet jubente Innocentio IV. Summam conscripserit: quodque ab Alexandro IV. septuaginta-duobus Theologis suffragantibus, approbata sit, & Pontificio Diplomate Catholici orbis Academiis, ut potioris Theologiæ promptuarium, proposita.

Dominic. Si certissimis documentis probavero quæ dixi, me iniquitatis perperam accusas. Id autem evincam facillimè. Innocentius Quartus creatus est Pontifex anno Salutis M. CC. XLIII. ipsâ die S. Joanni Baptistæ sacrâ. Alexander Halensis obiit anno M. CC. XLV. die vigesima Octobris. Etsi Innocentius, statim atque Pontificatum iniit, ipsi de Summâ Theologica conscribenda mandatum dedisset, idque impigrè fuisset executus Alexander, nec ipsum vel adversa valetudo, vel ulla negotia usquam à suscepto opere retardassent, incredibile esset ipsum, duorum annorum spatio, tam prolixum & ipsillum opus absolvisse. Æquè incertum est, immò parum verisimile, quod asseritis, Hanc Summam fuisse ab Alexandro IV. septuaginta-duobus suffragantibus Theologis approbatam. In Pontificis enimvero nomine, nec Auctores vestri conveniunt. Auctor Anonymus Firmamenti trium Ordinum, approbationem tam solennem tribuit Innocentio IV. cujus mandato edita est, Diplomáque Pontificium asserit suâ adhuc integrum ætate, seu ita gestam attestari. Bartholomæus Pisanus, Vvadingus & Joannes de la Haye, ejus auctorem faciunt Alexandrum Quartum. Utrumque nullam veri speciem habet; cùm nec inter Innocentii, nec inter Alexandri Diplomata reperiatur illud, quô, post examen septuaginta-duorum Theologorum, approbatam jactant Alexandri Halensis Summam Theologicam, nec illud Vvadingus, qui Vaticana monumenta non indiligenter scrutatus est, invenerit, in suis descripturus Annalibus, si alicubi invenisset. Accedit, quòd minùs adhuc credibile videatur Alexandrum Quartum, hanc Summam solenni judiciô approbasse, quàm Innocentium Quartum; qui cùm annos novem vixerit Alexandro Halensi superstes, illud Opus approbasset dubio procul, si eo jubente, editum esset, potius quàm Alexander Quartus, cujus tantum fortè non erat in Halensem Doctorem studium, aut de eo opinio tanta, SS. Bonaventura & Thomæ ejus gloriam & nominis claritatem, Seraphicæ & Angelicæ doctrinæ; cum summâ sanctimoniæ conjunctæ splendore obscurantibus, sicut lumen lucernæ obscuratur & offunditur luce Solis. Denique si Summa Alexandri Halensis tam solemniter fuisset approbata, majorem in Catholicis Academiis, & in Scholis vestris obtinuisset auctoritatem.

Minor Paululum à scopo ut diverterem coëgisti. Ad Gersonem regredior, testem locupletissimum quòd Secundam Secundæ ab Alexandro Halensi, maximam partem, acceperit S. Thomas. *Testatur,* inquit, *Scripta ejusdem S. Thomæ, maximè Secunda Secundæ, quàm intimum sibi fecerat & familiarem illum, quem laudabat, Doctorem Alexandrum.* Non malè itaque scripsit Firmamenti trium Ordinum Auctor, de Alexandro Halensi loquens: *Hunc Doctores scribentes super Sententias, veluti discipuli Magistrum insequuntur, singulariter Divus Thomas.*

Dominic. In Scotum, ejúsque Discipulos, minùs æquum mox dixisti Gersonium: & nunc ejusdem auctoritate contra nos abuteris, quasi potiori jure tibi reponere non possim, ipsum erga S. Thomam hoc in locô minùs æquum videri: Ita est, Pater; Ea præjudicatæ mentis affectu Alexandrum Halensem commendans Venerabilis Cancellarius, in Epistolâ ad quemdam Fratrem Minorem raptim scriptâ, ait S. Thomæ Opera, & maximè Secundam Secundæ testari, quàm intimum & familiarem sibi fecerat Alexandrum Halensem

Halenſem. Sed quâ veri ſpecie? Cùm in Summa Alexandri admirabilis illa copia Quæſtionum & Articulorum Chriſtianam Ethicam ſpectantium, déque virtutibus & vitiis, ac hominum Statibus ordine ſingulari diſſerentium, deſideretur, quibus totam conſtare Secundam Secundæ S. Thomæ, nemo neſcit in ejus Operibus non omnino peregrinus & hoſpes. De Lege Moſaïca, & Decalogo, de Fide & Spe, tractat in Summa ſuâ Halenſis: Nonnullas paſſim Quæſtiones attingit Charitatem ſpectantes: ſed in his tractandis ac exponendis, quàm immensè à S. Thoma diſtet, facilè comperiet, quiſquis utrumque contulerit. Cauſam verò tuam non juvat, ô bone! quod Auctor Firmamenti trium Ordinum ſcripſit, Doctores ſcribentes ſuper Sententias, veluti diſcipulos Magiſtrum ſequi Alexandrum Halenſem, *ſingulariter D. Thomam.* Enimvero ſequuti ſunt ne alii Sententiarum Commentatores Alexandrum, ut ſua ex ipſius Summâ tranſcriberent? Id ſane perabſurdè quis dixerit. An ut ejus exemplum ſequerentur & glorioſa tererent veſtigia, qui Summam Theologicam varias in Quæſtiones & Articulos dividendo, cæteris Theologis, & ipſi Theologorum Principi S. Thomæ præiverat? Id lubenter fateor: ſed ita ipſum ſequutus eſt S. Thomas, ut omnibus modis ſuperaverit, Theologiam Angelicam partiendo, Summamque ſcribendo, cujus ab ordine, methodo, ſublimitate, nitore, ſtylo, eruditione, ratiocinandi vi, Summa Doctoris Halenſis totò cælo diſtat, quam *Spinoſam, ferream, inacceſſam*, Scriptores Vitæ ipſius vocatam à plurimis teſtantur. Addiderim, Auctorem Anonymum Firmamenti trium Ordinum, ita obſcurum, ut nec à Vvadingo in Bibliotheca Auctorum veſtri Ordinis celebretur, nequaquam accuratum eſſe, vel in iis quæ de Alexandro Halenſi tradit. Commentarium namque in Sententiarum libros ipſi tribuit à Summa diverſum, cùm tamen idem omnino ſit Opus. Quod probant invictè Manuſcripta duo Victorinæ Bibliothecæ, quorum alterum, Textum Magiſtri Sententiarum cum Summa Alexandri Halenſis exhibet. Ad calcem verò Summæ iſtius Mſ. hæc leguntur: *Tabula hîc contentorum. Primus liber Sententiarum, ſive Summa Theologia Domini Alexandri de Halis, in cujus foliis ſequentibus hæc habentur*, &c. Quæſtiones percenſet hic Index, quæ Prima & Secunda Parte Summæ continentur. Tertia verò Parte hæc leguntur: *Tertius Liber Sententiarum, ſeu Summa Theologia, quem compoſuit Magiſter Alexander de Halis, in cujus libri ſequentibus foliis hæc quæruntur*, &c. Commentarios itaque in quatuor libros Sententiarum, Lugduni, ſub nomine Alexandri Halenſis excuſos anno milleſimo quingenteſimo decimo-quinto, ut refert Poſſevinus in Apparatu, alterius Auctoris fœtum eſſe compertum eſt. Non neſcio Pithæum teſtari Mſ. in libros Sententiarum Alexandri Halenſis Commentarium in Collegio Cantabrigienſi S. Petri aſſervari: ſed ſi accuratiùs illum inſpexiſſet, expendiſſetque, Commentarium illum Summam ipſam eſſe Textui Magiſtri Sententiarum adjunctam facile animadvertiſſet. Addit Anonymus tuus Firmamenti trium Ordinum Auctor, Alexandrum Halenſem Commentarios in univerſam Scripturam Sacram edidiſſe: quâ in re etiam falſi convincitur, Trithemii & Bartholomæi Piſani teſtimoniis, qui *ex magnâ parte*, vel *quaſi totam Bibliam*, ab ipſo expoſitam tradunt. Addit denique, ut alia omittam, *Mariale in ſex libros diviſum*, ab Halenſi Doctore compoſitum, quod facilè etiam convinci poteſt falſitatis.

Cap. 4.

Minor. Longiùs vagaris, Pater, de Mariali Hiſt. Eccl. Sæc. XIII. & XIV.

Alexandri Halenſis poſtea videbimus. De Secunda Secundæ quæſtio eſt, an eam ab Alexandro S. Thomas acceperit. Nos verò id meritò contendimus. Quamquam enim ex ejus Summa Tripartitâ deſumpta non ſint, quæ S. Thomas in Secunda Secundæ ediſſerit, ex Summa tamen de Virtutibus ab eo editâ, S. Thomam ſua tranſcripſiſſe, certum eſt. Idque intellexiſſe Gerſonium, Vvadingus & Pater de la Haye obſervant. Addunt Viri doctiſſimi, Summam illam Virtutum, quam S. Thomas Secundæ Secundæ verbis tenus inſeruit, Supplementum eſſe Tertiæ Partis Summæ Halenſis ab ipſo compoſitum Auctore, ut quam III. P. Quæſt. 26. 61. & 68. promiſerat de Virtutibus tractationem abſolveret. Unde Auctor Summæ Virtutum continuationem ejus & ordinem ad Tertiam Partem in limine Operis ſic exponit: *Habitò ergo ſermone de gratiâ gratum faciente & gratis data, conſequenter dicendum eſt de Virtute.*

Vvading. anno 1145. De la Haye in Vita A. Hal. cap. 10.

Dominic. Parum veriſimilia ſunt, quæ Auctores veſtri, hac in parte ſcripturiunt. Atque ut ordine ſingula perſtringam: An veriſimile eſt Auctorem, Operis ſui Manuſcripti Supplementum ſcripſiſſe; quem potius idem opus continuare, ratio poſtulabat? An credibile eſt illum Summam Virtutum ſcripſiſſe, ut promiſſa impleret, qui has ipſas, quas promiſit locis laudatis Quæſtiones, in Summâ Tripartita tractavit? Agedum, apertô libro, rei periculum faciamus. En Quæſtionem vigeſimam ſextam Tertiæ Partis à Joanne de la Haye laudatam, quæ nobis veluti ſponte occurrit: legamus. *Ad informationem autem morum concurrunt neceſſariò præcepta & leges, gratia & virtutes, dona, fructus, & beatitudines. Leges & præcepta, ut oſtendentia debitum boni faciendi & mali vitandi: Gratia & virtutes*, &c. *ut præſtantia facultatem faciendi & vitandi. Prima igitur Pars inquiſitionis Moralis, erit de legibus & præceptis: Secunda, de gratia & virtutibus. Tertia, de donis, fructibus, & beatitudinibus.* Promiſſa verò implet in ipsâ illa Summæ Tertia Parte. Numquid enim de legibus & præceptis non agit à Quæſtione vigeſimâ ſextâ ad ſexageſimam octavam? Lege Pater. Numquid de gratiâ non tractat à Quæſtione ſexageſimâ nona ad ſeptuageſimam quartam? Num te fallunt oculi? Numquid de fide non diſſerit Quæſtione ſeptuageſima quinta? De ſpe informi, Quæſtione ſeptuageſima ſexta? De timore ſervili, Quæſtione ſeptuageſima ſeptima? De gratiâ gratis datâ, Quæſtione ſeptuageſima octava? De fide formatâ, Quæſt. ſeptuageſima nona? De objecto fidei, Quæſt. octogeſima? De ſubjecto fidei, Quæſt. octogeſima prima: De paſſionibus conſequentibus fidem, Quæſt. octogeſima ſecunda: De articulis fidei & Symbolis, Quæſt. octogeſima tertiâ, quæ poſtrema eſt Tertiæ Partis Alexandri Halenſis: cujus nullum ſpondet Supplementum. Accedit, quod à te maximè velim obſervari, Alexandrum de Virtutibus dumtaxat Theologicis agere decreviſſe, ut conſtat ex Prologo Quæſtionis ſexageſimæ nonæ, Tertiæ Partis: *Modus, autem*, inquit, *inquiſitionis erit, ut imprimis de gratia ſeparatim diſputantes, ad Virtutes ſecundum Theologicam & veram acceptionem, dona, fructus, & beatitudines, ordine congruò procedamus.* Quod (ut notavimus) in hâc ipsâ Tertia Parte executus eſt. Tertiò, Prologus Summæ Virtutum, prout à Vvadingo, & Joanne de la Haye refertur, hanc Alexandro Halenſi ſuppoſitam non obſcurè teſtatur. Vel enim ea in Summa de fide & ſpe iterum tractatur, vel non: ſi primum dixeris, aliô Prologo non fuiſſe opus colligam, ab eo quem Quæ-

stioni septuagesimæ quartæ Tertiæ Partis præmiserat his verbis: *Assignatis differentiis gratia gratis data*, &c. Si posterius dixeritis: incongruè hunc Prologum Alexander Halensis adhibuisset: *Habito ergo sermone de gratia gratum faciente & gratis data, consequenter dicendum est de Virtute.* Dicendum potius fuisset, & ita dixisset summò vir judiciô: *Habito ergo sermone de virtute Theologica: vel, De fide & spe; superest ut de Caritate, aliisque Virtutibus tractemus.* Rationem etiam reddidisset aliquam, cur ita Summæ suæ seriem abrupisset, & cur Summam illam Virtutum, instar Supplementi addidisset. Quod cùm non præstiterit, obscuræ illius & ignotæ antiquis Scriptoribus, qui Alexandri Halensis, operumque illius meminere, Summæ Virtutum (si quis fuit) Auctor; argumento est illam Alexandro Halensi falsò tribui.

Minor. Miror certè, quòd obscurum & ignotum antiquis opus asseras, quod Possevinus Societatis Jesu vir doctissimus, & post illum P. Labbeus, inter genuinas Alexandri Halensis lucubrationes cum laude commemorant?

Dominic. Auctores scilicet antiqui Possevinus & Labbeus! Qui & Summam Virtutum, absque ullo teste, absque ullâ probatione legitimâ, Irrefragibili Doctori tribuerunt. At antiquiores, qui Alexandri Halensis, Operúmque illius meminere, & quorum de illo testimonia & elogia, initio Summæ Tripartitæ, Coloniæ excusæ, & in fine Vitæ ipsius, à Patre de la Haye editæ, referuntur, nullam Summam Virtutum inter ejus Scripta numerant: Bartholomæi Pisani Ordinis Minorum, Joannis Tritthemii, Auctoris Firmamenti trium Ordinum, S. Antonini, Jacobi Bergomatis in Chronicorum Supplemento, Sixti Senensis, Platinæ, Genebrardi, Bellarmini Possevino & Labbeo longè doctioris, & Francisci Gonzagæ in Chronico Ordinis Franciscani, eloquens hâc de re silentium est. Illam anno millesimo quingentesimo nono excusam Possevinus quidem refert, ubi excusa sit non refert. Labbeus Parisiis editam scribit, quibus typis, & cujus curâ edita sit, non scribit, scripturus si illam legisset. Mirum sanè quod in instructioribus Lutetiæ Bibliothecis non reperiatur, nec in Victorina, nec in Claromontina, nec in isto FF. Minorum Conventu & Collegio, in quo vixit obiitque Alexander Halensis. Ubi jam gentium delitescit pretiosum illud Opus? Quid illud cum blattis & tineis dimicare sinitis? An huic orbi tantum invidistis thesaurum? An potius fictitiam Summam in aliquam Mundi Lunaris Bibliothecam inferri curavistis, debitum imaginario libro locum?

Minor. Nihil aliud habes quod dicas? Hæc verò penitus inania.

Dominic. Imò firmissima. Quæ tamen aliis momentis luculentioribus roborabo, ac evincam Alexandrum Halensem non solum Summam illam Virtutum non scripsisse, sed nec scribere potuisse. Si enim verum est, quod Vvadingus, aliique Ordinis vestri Auctores tradunt, ipsum jussu Innocentii Quarti Summam Theologicam Tripartitam scripsisse; cùm ille creatus fuerit Pontifex anno millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, die ipsa Natali S. Joannis Baptistæ; & Alexander Halensis obierit vigesima Octobris, anni millesimi quadragesimi quinti, vix tam spissum Opus, tam brevi tempore, scribere potuit: absolvere certè non quivit. Quandonam ergo Summam Virtutum ad illius Supplementum composuit? Finge, ô bone! Alexandrum Alensem a mortuis redivivum, ut hunc librum ad posteros transmitteret. Erit forsan ut aliquos suffragatores nanciscaris. Macte animo: Audaces fortuna juvat.

Minor. Figmentis non est opus ad tuendam veritatem: Nec fingere, moris nostri est. Nostris animis penitus defixa sunt illa veteris cujusdam Patris verba: *Viros Ordinis nostri, nec fallere decet, nec falli.* Sed aliquid, rogo, ad persuadendum aptius ac luculentius afferas.

Dominic. Figmentum vestrum semper dixero, & quidem proprium, quòd Alexander Halensis Summam Virtutum scripserit, ut quod Summæ Tripartitæ Theologiæ deerat, hoc Opere suppleret. Atque ut tibi morem geram, id efficaciori adhuc argumento evinco. *Guillelmus de Melitona*, ut scribit Vvadingus vester, ad annum millesimum ducentesimum quinquagesimum septimum, N. 7. *Summam Theologicam Alexandri Halensis ob Auctoris mortem imperfectam, absolvit, ita hortante Alexandro Pontifice, & scribente anno 1. sui Pontificatus ad Franciæ Ministrum, ut huic doctissimo viro adjudicaret alios, qui in tanto opere ei adlaborarent. Ut perfecit opus a septuaginta duobus Magistris Parisiensibus commendatum, & sigillis appositis comprobatum, Pontifex etiam suô Diplomate confirmavit.* Si Guillelmus de Melitona Summam Theologicam Alexandri Halensis, ob Auctoris mortem imperfectam absolvit: Summam itaque Virtutum non scripsit Alexander instar Supplementi ad Summam Theologicam. Cùmque hoc Opus aggressum Guillelmum de Melitona decem annis post Alexandri Halensis mortem, jam scilicet in Cathedra S. Petri sedente Alexandro Quarto, S. Thoma jam florente, & maximam ex Scriptis Angelicis consecuto laudem ac famam, testetur Vvadingus: verisimilius esset Guillelmum de Melitona Summam Virtutum ex Secunda Secundæ S. Thomæ excerpsisse, quàm ex illo S. Thomam: verisimilius, inquam, id esset, etiamsi Summa Virtutum in aliquo Ms. optimæ notæ Codice repræsentaretur, & cum Secunda Secundæ S. Thomæ collata, huic gemina planéque similis reperiretur: aut certè Pars illa S. Thomæ, & Summa Virtutum Alexandro Halensi falsò adscripta ita rerum tractatarum ordine, Quæstionum solutione, rationibus, argumentis, responsionibus, styloque convenirent, nullum ut dubium esset, quin alterius Auctor ab altero accepisset: sicut nemini dubium est quin a S. Ambrosius ex S. Basilio, Venerabilis Beda ex S. Augustino, Theophilactus ex S. Joanne Chrysostomo, in suis Operibus & Commentariis quamplurima & in quibusdam penè omnia hauserint ac defloraverint. Verùm cùm Supplementum illud Theologicæ Summæ Alexandri Halensis, id est, Summa Virtutum, sive ab ipso Alexandro, sive à Guillelmo de Melitona conscripta (Vos enim vobiscum ipsis hic in re conciliari opus est) non compareat, nec exhiberi possit à vobis, nisi Secundam Secundæ S. Thomæ sub Doctoris Halensis nomine, apposito Summæ Virtutum titulô, edi curetis: ut jam fecistis Commentaria ejusdem Angelici Doctoris in Aristotelis duodecim Metaphysicæ libros: exploratum est fictitiam esse Summam illam Virtutum, sive Supplementum Summæ Theologicæ Alexandri Halensis: adeóque & fictitiam Alexandri Quarti Pontificis Maximi approbationem, qui Summam Halensis hoc demum adauctam absolutamque Supplemento, hoc honore donavit, si Vvadingo fides. Nec spernendum videbitur illud, quod addo, momentum: Si quid in Summa Theologica Alexandri Halensis supplendum esset, id maximè fuisse, cujus defectu imperfecta & manca evidentiùs apparet; scilicet Tractatus de Extrema-Unctione, Ordine, & Matrimonio, de Indulgentiis, de Suffragiis, de quatuor

a S. Ambros. in lib. Hexam. & de Spiritu Sancto. Venerab. Beda Comment. in Epist. S. Pauli, Theophilactus in Comment.

tuor Novissimis: quos tamen adjectos non legimus ut Summa illa esset omnibus numeris absoluta. Hæc momenta si Possevino in mentem venissent, eaque attentiùs ac diligentiùs expendisset, non dubito quin retractasset, quod de Summa Virtutum, ab Alexandro Halensi conscripta leviter scripsit, in fide alicujus Franciscani, sicut cogente veritate emendavit errorem *a*, quò Commentaria in Psalmos Hugonis à Sancto Caro primi ex Ordine nostrò Cardinalis, Alexandro Halensi adscripserat.

a In Argumento verbis, Alexander Halensis, & tantum, Hugo Cardinalis.

Minor. Non te dimittam impunè, nisi veniam petas calumniæ, quâ nobis flagitium improperas: quasi S. Thomæ Commentarios in Aristotelis Metaphysicam suffurati simus, & expunctô Angelici Doctoris nomine, Alexandro Halensi tribuerimus. Id à nostris absque flagitio factum noveris, qui Doctori irrefragabili sua reddidere, à vobis insigni plagio usurpata.

Dominic. Veniam peterem perlubenter, si quid in te, aut in Ordinem Seraphicum, quem profiteris, & quem impensè colo, commisissem: verùm nullius erga vos injuriæ me reum agnosco, nisi vestram puteris injuriam defensionem veritatis, & æquissimas Angelici Doctoris, cujus gloriæ detrahitis, vindicias. Commentarios in Methaphysicam Aristotelis genuinum esse S. Thomæ fœtum, Manuscriptorum veterum fides, & Guillelmus de Tocco supparsis S. Thomæ, & Canonizationis ejus Promotor, in illius Vita testantur. *Scripsit etiam,* inquit, *super Philosophiam Naturalem & Moralem, & super Metaphysicam: quorum librorum procuravit ut fieret nova Translatio, quæ Sententiæ Aristotelis continet clariùs veritatem.* Huic S. Antoninus suffragatur III. P. Chronic. Tit. XVIII. cap. x. Sed quia recentioribus & inter alios P. Labbæo plurimùm tribuis, ipsius audi judicium in Dissertat. Histor. de Scriptor. Eccles. in Alexandro Halensi, cujus inter Opera recensens *In Metaphysicam Aristotelis Commentaria*, edita in lucem Venetiis anno 1572. addit: *Quæ quidam nescio cui Alexandro ab Alexandria adjudicare malunt. Et meritò, Alexander enim ille ab Alexandria dictus, ex eodem Minorum Ordine, qui floruit anno circiter Christi millesimo trecentesimo decimo, ex S. Thomæ Aquinatis scriptis suos Commentarios illustrare potuit. Vide Nazarium, pag. 56. Tractatus de Operibus S. Thomæ, qui etiam observat. Prosperum Restam à Tagliacotio Ordinis Minorum, cujus studio prodierant in Metaphysicam Aristotelicam lucubrationes illæ, falsò Alexandro Halensi tributæ, fusè à Matthæo Aquario refutatum.* Multis aliis momentis Prosperum Restam à Tagliacotio temeritatis convincit Nazarius, & præcipuè testimonio Cod. MS. istorum Commentar. Venetiis in Bibliotheca D. Francisci Venetii asservati, qui Alexandri de Alexandria, Ordinis Minorum, nomen præfert. Qui cùm annis triginta sex post obitum S. Thomæ vixerit, Sancti Doctoris Commentarios ipsum exscripsisse compertum est. Addit Nazarius, id forsan Prospero vestro fecisse fucum, quod horum Commentariorum initiò nomen Alexandri de Alexandria, Ordinis Minorum, nomen præfert. Qui cùm annis triginta sex post obitum S. Thomæ vixerit, Sancti Doctoris Commentarios ipsum exscripsisse compertum est. Addit Nazarius, id forsan Prospero vestro fecisse fucum, quod horum Commentariorum initiò nomen Alexandri de Alexandria abbreviatis caracteribus ita scriptum esset: *Alexandri de Alex.* quod Prosper imprudens sic accepit, ut Alexandrum Halensem illorum Auctorem esse intelligeret. Id ipsius hallucinationi, quàm malæ fidei tribuere malim. Ita sum ad vestros Auctores, si fas sit, excusandos propensus.

Minor. Multas me fabulas dedocuisti, Carissime; verùm multa adhuc à te quærere vellem, nisi nox hancce nostram Collationem finire moneret.

Dominic. Vale, Pater multùm Reverende; humanitati tuæ ac patientiæ obstrictum me profiteor, me semper invenies ad satisfactionem tuæ Reverentiæ, & omni poscenti paratissimum. Tibi diutius molestiæ esse nolim. Vale.

Minor. Siste adhuc paululum. Abire te non patiar, donec rationem dederis cur Mariale, & Apologiam pro Immaculata Conceptione, ab Alexandro Halensi abjudices; quam ipsi doctissimi Patres Vvadingus & Joannes de la Haye asserunt.

Dominic. Hæc ipsi Opera abjudico, tum quia de his Auctores, etiam vestri, siluere, qui Alexandri Halensis lucubrationes numerarunt & commendarunt; tum quia Opinionem, quæ Virginem Deiparam absque peccato originali conceptam propugnat, tantùm abest ut Halensis defenderit, ut etiam contrariam amplexus sit, ac multis probaverit III. P. Summæ Quæst. IX. Membro II. Art. II.

Minor. Bernardinus de Bustis narrat, Alexandrum Halensem ad mutandam infaustam sententiam, quâ B. Virginem in peccato originali sicut homines cæteros, fuisse conceptum priùs deliraverat, miraculo impulsum, eam deinceps absque labe conceptam propugnasse.

Dominic. Minor quod irrefragabilem Doctorem aliquando delirasse effutias.

Minor. Nimis Criticus es. Id mihi verbum præ studio erga Conceptionem Immaculatam Deiparæ excidit. Modestiùs dicam: deceptus fuerat Alexander Halensis. Sed audi verba Bernardini de Bustis Concionatoris egregii.

Dominic. Egregium Concionatorem vocas Bernardinum illum? Scurram potius appelles, & commentorum Auctorem fœcundissimum, qui Venerabile & altissimum Conceptionis Immaculatæ B. Virginis mysterium fabulis ineptissimis profanavit.

Minor. Declamationibus tuis vis offundere tenebras veritati.

Dominic. Vale, Pater Reverende: nox indicit secessum.

Minor. Proximus est Conventus vester. Tantisper morare. Non discedes priùs quàm audieris, solverisque testimonium Bernardini de Bustis: Ita Deus me amet.

Dominic. Audiam, siquidem rogas, & jurasti. Profer citò quid titus ille proferat Bernardinus.

Minor. Sic habet itaque Bernardinus de Bustis Sermone IV. de Conceptione B. Mariæ p. 3. Hæc pia, inquit, & devota opinio corroboratur per auctoritatem Theologi irrefragabilis Alexandri de Hales, qui in libro quem de B. Virgine edidit, qui liber est Tolosæ Catenatus in Choro Ecclesiæ Cathedralis, probat ipsam Dei Genitricem ab originalis peccati vitio præservatam, ubi etiam retractat quicquid contra hoc dixerat in III. Sentent. Dist. III. narrà que stupendum miraculum, per quod ad tenendam istam opinionem inductus est. Hoc autem miraculum commemorat idem Bernardinus in Officio Conceptionis, his verbis: Cùm Magister Alexander de Hales adhuc sæcularis existens, in Universitate legeret Parisiensi, nollerque Immaculatum piissimæ Virginis celebrare conceptum: Volens illum gloriosa Dei Genitrix Maria ad sanam revocare sententiam: dum quadam Conceptionis die prædictus Doctor suis legere cœpisset discipulis; tantis illum percussit infir-

mitatibus, ut omnibus velut mortuus videretur. Cùm autem Alexander in suâ permanens sententia, B. Virginis innocentiam adhuc confiteri despiceret: alio quoque anno, dum in eodem Conceptionis die perlegeret, easdem protinus infirmitates incurrit; sicque frequentans vicibus in eodem festo in horribiles annuatim infirmitates incidebat. Quamobrem à suis monitus discipulis ne gloriosæ Virginis intemeratam Conceptionem impugnaret, ad seipsum in eadem existens infirmitate, reversus, devotè, ut potuit, Reginæ cæli vovendo promisit: Si optatam illi dignaretur afferre salutem, pulcherrimum se aliquod opus ad suæ gloriam Conceptionis editurum. Emissô igitur votô, ad pristinam protinus redit sanitatem. Tanti ergo non immemor beneficii, egregium quoddam Volumen mellifluæ Conceptionis inscripsit: Immaculatamque Virginis Conceptum multis comprobans rationibus, totum fuisse falsum prædicat, quicquid contra Illibatæ Virginis Conceptionem suis unquam in Operibus affirmavit. Hæc Bernardinus de Bustis: quæ & Carthagena refert lib. I. Homilia XIX. §. 4. Tu verò, egregie Dominicane, ad hæc quid respondes?

Dominic. Quæ de Alexandro Halensi, ex Bernardino de Bustis, mox referebas, facilè falsi convincuntur. Enimverò si adhuc sæcularis votum istud de Immaculata Conceptione B. Virginis propugnandâ emisit, retractavitque contrariam, quam in Summa defenderat, opinionem, Summam igitur jam ediderat. Si ita est, falsò Vvadingus vester scripsit, ipsum jubente Innocentio Quarto, Summam scripsisse, qui anno millesimo ducentesimo quadragesimo-tertio creatus est: cum Ordini Minorum Alexander (ut eidem Vvadingo placet) anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo nomen dedisset. Debuerat igitur, ut votum Deiparæ seu potius Deo in Deiparæ honorem nuncupatum impleret, illud imprimis retractare, ac expungere, quod in Summa ipsius de B. Virginis Conceptione in peccato originali etiamnum legitur; cùm eam saltem in lucem non emiserat? priusquam Ordinem Seraphicum professus esset. Si verò ante Summam non scripsit, quàm sub Franciscana Regula militaret, putasne Vir Religiosissimus votum, cujus se religione obstrinxerat, de Immaculatâ Deiparæ Virginis Conceptione scriptis tuendâ, impiè violasset, propugnando in III. P. Summæ, ipsam fuisse in originali peccato conceptam? Qui verò à Bernardino de Bustis laudatur Alexandri Halensis de Immaculata Conceptione liber, Tolosæ (ut ait) catenis alligatus, in Metropolitanæ Ecclesiæ Choro, æquè fictitius est, ut norunt omnes qui Tolosam adiere, & in hunc inquisiere fabulam. Denique S. Bonaventura in III. Sententiarum, Dist. III. Quæst. II. ubi præmisit, *Sanctificationem Virginis subsecutam esse originalis peccati contractionem, quia nullus immunis fuit à peccato originali, nisi Virginis Filius, huncque dicendi modum communiorem, rationabiliorem, & securiorem esse, magisque consonum fidei pietati & S. auctoritati*, addit: *Nullus autem invenitur dixisse, de his quos auribus nostris audivimus, Virginem Mariam à peccato originali fuisse immunem.* At Alexandrum Alensem S. Bonaventura auribus suis audiverat, discipulus Magistrum, ut Annales vestri memorant. Nunquam igitur dixerat Halensis, Virginem Mariam à peccato originali fuisse immunem. Proinde Apologia pro Immaculata Deiparæ Conceptione, Mariale in sex libros divisum, in quo idem argumentum tractatur, & liber Tolosæ in Cathedralis Ecclesiæ Choro alligatus, ejusdem sunt census ac miracula pleraque & visiones à Bernardino vestro vulgatæ. Ab hoc mihi si credas Auctore deinceps laudando abstinebis, Pater Reverende; aut ipsum citabis accuratiùs, scilicet, Cap. *De Insomniis.* §. *Visum.*

Minor. Rides semper ac illudis, Pater Reverende.

Dominic. *Congressioni*, ubi fabulæ nugæque refellendæ sunt, *lusio deputatur*, ut Tertullianus ait. *Ostendi, sed non impressi vulnera. Si risi alicubi, materiis ipsis satisfeci. Multa sunt sic indigna revinci, ne gravitate adorentur. Vanitati propriè festivitas cedit. Congruit & veritati ridere, quia lætans; de æmulis suis ludere, quia secura est. Curandum planè ne risus ejus rideatur, si fuerit indignus. Cæterùm ubicumque dignus risus, officium est.* Id tamen non prohibebit, Pater Reverende, quin te colam & complectar, omnique amicitiæ officio, datâ occasione, coner promereri. Vale, iterúmque Vale.

EST falsa gloria, quando laudatores errore falluntur, sive in rebus, sive in hominibus, sive in utrisque. S. Augusti. nus Tractatu 100 in Joannem.





PANEGYRICUS
ANGELICO DOCTORI
S. THOMÆ AQUINATI
DICTUS.

II. Ad Cor. Cap. 11.

Ille probatus est, quem Deus commendat.



TSI per se laudanda virtus, ejusque splendor ac venustas humanos ad ejus commendationem non solùm alliciat, sed penè cogat universos; haud tamen argumento sunt illorum elogia, virtute conspicuos esse, quos laudibus exornare gestiunt amplissimis. Privatis sæpe studiis & cupiditatibus ita mentes hominum excæcantur, ut de iis honorificentissimè sentiant, quorum merita extra vulgi opinionem nulla, quorum in animis nulla virtus, sed in habitu oris atque vultûs mentita species sanctitatis, & virtutis inane simulachrum. Religionis pietatisque fucô adornata prodit hypocrisis: sub justitiæ larvâ immanis vindicta delitescit, superbia magnanimitatis præclarô nomine honestatur. Quamobrem eximiâ esse virtute præditos, quicumque aliquod sibi nomen ac gloriam apud homines peperère; qui sibi persuaserit, haud æquus erit æstimator. At longè aliud de sanctissimis illis heroibus ferendum judicium est, quorum laudes Optimus Maximus prædicat Deus. Vera sunt, quæ à Summâ Veritate deferuntur laudum ornamenta: dignos efficit, quos extollit. *Ille*, ut unô verbô, eôque Apostolicô dicam, *Ille probatus est, quem Deus commendat.* Hæc erit singulorum Sanctorum fœlicitas in supremi judicii die, quô palam illorum innocentiam ac virtutes Christus prædicabit, ornabit, coronabit. *Tunc laus erit unicuique à Deo.* Quidam tamen inter beatissimos illos æternitatis Heroas eximii, hoc in terris promeriti sunt & consequuti privilegium. Sub lege naturæ, Abrahæ fides; sub lege scripta Moysis mansuetudo; sub lege gratiæ Joannis Baptistæ supra cæteros mortalium excellentia à Deo commendata est. Hujus in partem fœlicitatis venit S. Thomas Aquinas, qui semel iterùmque à Christo crucifixo audire meruit: *Bene scripsisti de me Thoma.* Quid huic elogio adjicere possem, Auditores? An me virtuti Panegyricum dicere asseram, cùm S. Thomæ Panegyricum dico, cujus vita illustre fuit virtutum omnium compendium? *Athanasium laudans*, inquiebat Gregorius Nazianzenus, a *virtutem laudabo.* Jurè dixerim: *Thomam laudans, virtutem laudabo.* An commemorem quod idem Theologus ad Basilii Magni commendationem dixit, ipsum fuisse Soli simillimum, luce, motu, ardore, virtute? *Quasi sol refulgens, sic iste refulsit in templo Dei.* Dicam Nazianzeni verbis: b Ipsi *pro pulchritudine virtus fuit, pro magnitudine Theologia, pro cursu perpetua virtutis agitatio, pro viribus doctrinæ semen?* An Philosophos, Oratoresque maximos conveniens Angelici Doctoris meritis elogium componere non posse asseram, & S. Ambrosii verba hâc occasione usurpabo? c Hunc *suis votis Philosophia non potuit æquare. Minus est enim quod ipsa finxit, quàm quod iste gessit: majorque ambitiosè eloquentiæ mendaciô simplex veritatis fides.* Hæc licèt magnifica, longè sunt infrà argumenti, quod tractare aggredior, dignitatem. Angelicô Doctori laudando, soli Angeli pares. Sed nec beatæ illæ mentes quidquam dicere queunt, quod illius amplitudinem elogii adæquet, quô à Christo Servatore exornatus est: *Bene scripsisti de me, Thoma!* Abraham Deus commendavit, inquiebat olim Chrysostomus, d quis mortalium ipsius merita commemoranda suscipiet? Christus Thomam commendavit: silete Oratores! quantacumque eloquentiæ luce conspicui sitis. *Quem Deus superne prædicavit, ac celebrem fecit, quis hominum digne laudare poterit?* Nemo prorsus. Sed nec opus est: satis enim *Ille probatus est, quem Deus commendat.* Id unum de Angelico Doctore suscipio demonstrandum, ipsum ore Dei commendatum. Quid majus aut magnificentius ad ejus gloriam dici potest?

a Orat. de laudibus Athanasii.

b Orat. de laudibus Basilii Magni.

c S. Ambros. lib. de Abraham.

d S. Chrysost. Homil. 38. in Genes.

Porrò

PARTITIO. Porrò cùm multifariam allocutus sit homines, Deus, primùm per Angelos, dum lege naturæ & scriptâ hominum genus regeret; deinde per Filium suum, cùm assumptâ carne, legem Evangelicam laturus, nostræque salutis opus consummaturus, in terris versatus est; Postremò per Spiritum Sanctum, qui Ecclesiam docet, Conciliorumque & Pontificum dirigendis præest Definitionibus, ex quo Servator in cœlos redivivus ascendit, misitque desuper *Vicariam vim Spiritus Sancti*, (ut cum Tertulliano loquar:) Tribus hisce modis S. Thomam Aquinatem commendavit; primùm ore Angelorum è cœlis ad gratulandum ipsi victoriam adlapsorum; Secundò ore divinô Christi Servatoris in Cruce pendentis; ore denique Spiritus Sancti per Ecclesiam loquentis. *Tres sunt qui testimonium dant, Pater Verbum, & Spiritus Sanctus.* Patet castitatem Thomæ cæteris stipatam virtutibus commendari Angelorum præconiô: Christus doctrinam S. Thomæ approbat Crucifixi mirabiliter loquentis oraculô: Spiritus Sanctus Thomæ Sanctitatem simul ac doctrinam prædicat Ecclesiæ suffragiô. Angeli castitatem Thomæ suâ illustriorem gratulantur. Christus doctrinam Thomæ suæ consentaneam denuntiat. Ecclesia sanctimoniam & doctrinam Thomæ sibi gloriosam ac utilem cumprimis profitetur. Præclara hæc laudis insignia ab Angelico Præceptore nostro comparata, pro meô ergà ipsum studiô, & grati animi officiô, exponere tribus hujusce Orationis Partibus satis habuero, cùm eloquentiæ, quæ in me nulla est, ornamentis ipsa non queam illustrare.

PRIMA PARS. Cùm inter cæteras affectiones animi, proprium sit amoris admirabiles in iis quos incendit, mutationes efficere, virtutesque omnes divino sint amori conjunctissimæ; vim illas habere compertum est hominum animus transmutandi, ipsoque non supra conditionem modò suam, sed & supra naturam, fœliciter provehendi. Insigne hujus rei castitas suppeditat exemplum, quæ homines à concretione rerum terrenarum segregatos, & à corporis commerciô quodammodo abstractos, non solùm Angelicæ gloriæ candidatos; sed jam contubernales facit Angelorum. Quocirca S. Petrus Chrysologus scitè dixit: a *Semper est Angelis cognata virginitas. In carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cælestis.* Nec minùs appositè scripsit Tertullianus, Filium Dei novam in terris instituisse familiam hominum cælestem jam vitam agentium, qui scilicet virginitate consecrati, *de familiâ Angelicâ deputantur.* Parum est castimoniâ conspicuos homines Angelos aspectabiles appellare: gloriam ex virginitate præ supernis illis mentibus consequuntur ampliorem. Angelum enim esse, fœlicitatis est; virginem esse, virtutis: Castitas Angelorum beatior, hominum laboriosior: illa naturæ dos est; hæc fructus victoriæ. Id in Thoma Aquinate liquidò demonstratur. Puer in bullâ suâ mundum agnovit, & despexit. Apud Cassinates Monachos Christianæ vitæ præceptis, primisque literarum rudimentis institutus, sæcularis vitæ fastidium, rerumque cælestium amorem ferventiorem inde hausit. Adolescens fortunæ bonis, quibus locupletissima erat paterna domus; dignitatibus & muneribus amplissimis, quæ sperare jure poterat, ceu debita Aquinatium Comitum sanguini, abdicatis & contemptis, ad castra S. Dominici confugit, paupertatem ac humilitatem hæreditatis locô recepturus. Exinde gravissimum cum mundo bellum Adolescenti sanctissimo sustinendum. Hinc insidiis, illinc illecebris: hinc terroribus, illinc amoribus, illum à fugâ tam generosâ retrahere Mundus conatur. Prima prodit in aciem Comitissa Mater, ejus constantiam cùm auctoritate, tum blandimentis expugnatura. Quid mulieris ingenium, quid artes possint: quid vox Matris, modò supplex, nunc imperiosa, modò minax, nunc blandiens, nunc in amplexus ruentis, mox præ dolore semianimam se simulantis, tum desperationi proximum lachrymis, ejulatu, cibi abstinentiâ, & si quæ sunt aliæ mulieris artes: quid, inquam, hæc valeant ad animum pueri commovendum, cogitare facilius est quàm exprimere. Tentatio sanè gravis & periculi plena, quæ minùs exercitatum in militiâ Christi athletam ad sæculum revocasset. Verùm Evangeliô armatus Thomas, lachrymis Matris vocem Patris opponit qui in cælis est: a *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Gratiæ vocem audit, cor integrum postulantis, præ sanguinis voce illum cum Deo partiri cupientis. Quod vitæ spiritalis egregius Magister Hieronymus ad Heliodorum suum scripsit, b Caritas Thomæ inculcat: *Licèt sparsâ crine, & scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat: licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem: siccis oculis ad vexillum Crucis evola. Solum pietatis genus est, in hâc re esse crudelem.* Gratiæ suavissimis auscultat monitis Religiosæ militiæ tyro sanctissimus. *Gladium*, inquit, *tenes hostis ut me perimat; & ego de Matris lachrymis cogitabo?* Absit, absit, ut ignaviæ tam pudendæ reus fiam. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* c.

Comitissam Aquinatem jam piis ac justis cedere consiliis existimatis, Auditores? Imò verò pertinaciâ majori ad constantiam Thomæ nititur expugnandam. Frustra blanditiis tentatum, ad suum sensum atque voluntatem vi pertrahere decernit. Filios natu majores consilii sui ministros esse jubet; Thomam, velit, nolit, è Dominicanæ Religionis sinu abstrahere. Præsto sunt illi; persequuntur fratrem, ut matri adulentur. Josephum videre mihi videor à fratribus vexatum, ratione licèt dissimili. Josephum malis artibus paternâ è domô fratrum rapit invidia: Thomam ex familiâ sanctissimi Parentis Dominici fratrum abstrahit violentia. Illi Josephum in cisternam conjiciunt: isti Thomam in castro concludunt. Illi Josephum ceu vile mancipium vendunt Ismaëlitis: isti Thomam sæculi, & in eo dominantium cupiditatum servum efficere moliuntur. Illi Josephum veste polymitâ exuunt, eamque Patri cruentatam exhibentes, à ferâ pessimâ devoratum mentiuntur: Isti Thomæ religiosam vestem, quam ut deponat cogere non possunt, ludibrio habent, deformant, dilacerant; feramque immittunt eò periculosiorem, quò blandiorem, quæ non vitam extinguat, sed innocentiam. Subornatam Venerem intelligo, mulierem formâ eleganti, ornatu magnificô, festivâ indole, meretriciis artibus, quæ obsequia voveat, spondeat libertatem, polliceatur delicias, in corculo Thomæ profanum amorem accendat. *Fratrum odia excipit mulier habens amores impotentes.* a Voluptatis & virtutis congressum cogitare, quem alicubi describit eloquens Ambrosius. b *Mulier pudore vilis, amictu dives, genas picta, meretricio procax motu, infractô per delicias incessu, nutantibus oculis, & ludentibus jaculans palpebris retia, quibus pretiosam juvenis animam capiat. Thesauros demonstrat, regna promittit, amores spondet continuos, inexploratos concubitus pollicetur, sine pædagoga disciplinas, sine monitore sermones, vitam sine solicitudine, mollem somnum, inexplebilem cupiditatem.* Vix absolverat, meliùs dicam, vix loqui cœperat, Dæmonis, quem *adulteris pronubum*, Patrum aliquis jure appellavit, administra muliercula, cùm Thomas defixis in virtutem ex

a Serm. 143.
b Lib. 1. ad Uxorem.
a Matt. 10.
b Epist. 1.
c Matt. 12.
a Patriarcha.
b S. Ambros. lib. 1. de Cain & Abel, cap. 4.

ex adverso stantem oculis, ejusque monitis auscultans, de fugâ cogitabat, quam in hoc certaminis genere tutam noverat & gloriosam. Meminerat Josephum, qui *libidinis effugit ansas, fugâ usus pro armis*, ut Basilius Seleuciensis loquitur. Non nesciebat quantum ex afflatu vicini serpentis pudicitiæ suæ periculum immineret. Diutius morari haud tutum judicabat, *Ne per manus adultera, libidinis incentiva transirent.* Fuge dilecte mi, fuge (inquit gratia ipsum interiùs allocuta.) Fuisset protinus, Auditores, nisi fugæ aditus fuissent intercluſi. Quid igitur his in angustiis consilii capiat invictus Adolescens? Fugabit fœmineum Dæmonem, quem fugere non potest. Quibus armis? Illis quæ Spiritus Sanctus cum ipsô in carcere manens, imò in ipso velut in Templo sibi dicatô inhabitans subministrabit. Ad focum ut ad armamentarium convertitur, titionem arripit, ut hostem profliget, cujus cor *fomes* est *iniquitatis*. Carbones ardentes adhibet, eam ut expellat, cujus anima piæ carbonibus est *denigrata*. Novô stratagemate, ignes ignibus eludit. Paradisus est Thomæ animus. Ipse Cherubim Paradisi custos. Titio è focô raptus, gladius velut flammeus est, quô peccatricem terret Evam, ne ad Paradisum adeat, ne fructum vitæ contingat, ne exquisitissimum virginalis pudicitiæ pomum deprædetur.

Verùm ne putetis, Auditores, lignum semiustum, fumantem stipitem, unicum fuisse Adolescenti Angelico instrumentum victoriæ. Arma intus habebat fortiora, Dei recordationem & amorem, divinæque legis admonitionem: ut ipsi S. Ephrem verba de Josepho dicta meritò accommodari possint; a *Castùs Adolescens*, inquit, *mentem suam velut rore quodam recordationis Dei perfundebat, ne impii amoris igne ureretur.* Quare ubi debellatum est, Deo, quem *fortitudinem & refugium suum, susceptorem* & *liberatorem* cum Propheta prædicat, trophæum erigit, ac insigne statuit Monumentum. Ipsô titione, quô hostem dederat in fugam, Crucis effigiem in pariete delineat, & ante signum salutis prosternitur supplex, ut Christo victoriæ suæ auctori gratias referat. Crux, quam Andreas Cretensis Archipræsul *Signaculum castitatis* appositè vocat, arcus triumphalis est victoris Athletæ. Hic in certamine Clypeus; hæc post victoriam corona, ut triumphus Thomæ veterum Romanorum triumphis hâc in parte similis esset, qui non aliis quondam Coronis ornabantur, quàm ipsis Clypeis, quibus hostium impetus propulsarant, ut Angelicus ipse Doctor observat, cùm illum Psalmi V. versum Commentatur: *Domine! ut scuto bona voluntatis sua coronasti nos.*

Solennis olim mos erat, si cui triumphum Respublica decrevisset, Panegyricum dicere Victori, & ad cœlum usque laudibus efferre, qui triumphali curru, & quandoque civium manibus fœtus in Capitolium delatus. Primates Reipublicæ viri Triumphatori obviam mittebantur, & coronas palmásque protendebant. Ita se gerere videtur erga Thomam de libidine triumphantem Deus Optimus Maximus. Primarios Aulæ suæ Ministros, Angelos in terras mittit, qui glorioso Athletæ victoriam gratulentur, & palmarem castitatem immortalibus præconiis extollant. Jacob Patriarchæ persecutionem Esau fugienti, visos Angelos Scriptura commemorat, ac locum in quô cœlesti visô recreatus est, *Castra Dei* ipsum nuncupasse. *Fueruntque ei obviàm Angeli Dei. Quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc.* Carcerem in quô à Matre & Fratribus detentus est S. Thomas, ut eum à sancto proposito deterrerent, *Castra Dei* quidni appellem? Convenientiori certè vocabulo castissimi Juvenis domicilium nuncupari non potest. *Castra, quasi casta*, dicta esse, *quòd illic castraretur libido*, Auctor est Hispalensis Præsul Isidorus. a Castissima Canticorum Sponsa *terribilis est ut Castrorum acies ordinata.* Castitas mysticus baltheus est, quô Thomas est præcinctus, qui identidem sibi ipsi inculcat luculenta illa S. Petri Chrysologi verba: b *Nescit vincere vitia corporis, qui deponit cingulum virtutis. Cincti ergo castitatis balthea, quod est insigne militia Christiana, fluxam carnis detruncemus ignaviam, & Regis nostri expectatione vigiles, insomnem sæculi somnum nesciamus.* Augusti ergo victoris Thomæ Aquinatis carcerem, Castra Dei jure prædicamus, quò Angeli à Deo mittuntur, victoriam de Venere debellatâ ipsi gratulaturi. *Fuerunt ei obviàm Angeli Dei, quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc.* Sed cur Thomæ fœlicitatem cum Jacob Patriarchæ cœlesti solatiô conferamus; ejus siquidem victoria Christi victoriæ simillima est? Christus in deserto Dæmonis insultus sustinuit: Thomas in carcere libidinem superavit, qui hoc *præstat Christiano, quod eremus Prophetis.* c Dominus *in solitudine frequentiùs agebat, ut liberiùs oraret, ut sæculo cederet.* Hoc Thomæ in castro captivi negotium. *Auferamus itaque carceris nomen, secessum vocemus.* d Christus dierum quadraginta jejuniô perfunctus, cum Dæmone congreditur: Thomas multorum mensium abstinentiâ exercitatus, adversùs libidinem dimicat. Spiritu Sancto *unctus, segregatur ad strictiorem disciplinam, ut roborî ædificando vacet* (Tertulliani verba usurpo) *Continetur à luxuriâ, à cibis lætioribus, à potu jucundiore: Cogitur, cruciatur, fatigatur; quantò plus in exercitationibus laboraverit, tantò plus de victoriâ sperat.* Christus propriâ virtute victoriam reportat: Thomas Servatoris armis victor evadit. Diabolus pudendâ clade prostratus, à Christo discessit: Meretrix à Thomâ in fugam data, è castro erupit. Ad Christum, & ad Thomam Angeli accessere, victoriam gratulaturi. *Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* e O gloriosum certamen, *in quo agonothetes Deus vivus est; xistarches Spiritus Sanctus; corona æternitatis, bravium Angelica substantia politia in cœlis; gloria in sæcula sæculorum!* (ut Tertulliani verbis utar.) Advolarunt Angeli, & festivis plausibus Thomam prosecuti, victorem pretiosissimâ virginitatis Zonâ exornarunt.

Zona apud Veteres fuit semper virginitatis insigne. Nuptæ virgines cingulis redimitæ sponsis tradebantur, quorum illi fibulas ac nodos solverent, deflorandæ virginitatis pignus. Hinc infœlix puella apud Poëtam his verbis amissam virginitatem luget: f

Cùm mea virginitas avibus libata sinistris,
Castáque fallaci Zona recincta manu.

Quò spectant etiam S. Augustini verba Ethnicos, & falsa ipsorum Numina deridentis: *Cùm virgini*, inquit, *uxori Zona solvitur, Jupiter invocetur, & Dea Virginensis vocetur.* Sed quid hic profanarum literarum testimoniis opus est, cùm Christus lumbos præcingere jubeat? *Sint lumbi vestri præcincti.* Quô oraculô, (ut Petrus Chrysologus exponit) g significat *constringendam carnem continentia cingulô, ne effusa vitiis, ac totô peccatorum gravata pondere, supernis insistere non possit incessibus.* Quæ cùm ita sint, Auditores, aliam causam ne quæramus: cur Angeli victoris Thomæ lumbos zonâ cœlitus delatâ constringant & exornent. Hoc ipsi à Deo deferunt Angelicorum Ordinum insigne, quô illius castitatem deinceps æquè fœlicem ac supernorum castitatem Spirituum fore

a S. Ephrem. de verâ, & vera ... rationc. [left margin]

a Lib. 9. Etymolog.

b Serm. 22.

c Verba Tertulliani lib. ad Martyres, cap. 2.

d Lib. ad Mart. cap. 3.

e Matt. 4.

f Ovid. ...

g Lib. de Civit. Dei cap. 11. Serm. 24.

fore augurentur. Hunc reportatæ de libidine victoriæ fructum à Deo spondent, nullum ut carnis adversùs mentem pugnam ampliùs experiatur. Hoc status beatifici pignus & prælibatio, in quo sanatâ infirmitate, plena erit sanitas, quia perfecta caritas. Mirari desinite, quod Angeli carnem Thomæ Aquinati cælesti cingulo constringant & exornent: hæc enim est *Angelificata caro* (ut Tertulliani verbis utar) Nonne Thomas his ornatus insignibus Angelo Danieli viso similis est? *Et ecce vir unus vestitus lineis, & renes ejus accincti aurô obrizô.* Zona est aurea S. Thomæ virginitas, instar auri pura, probata, incorrupta. Nonne alteri Angelo similis est, quem S. Joannes, a *Zonâ aureâ ad mamillas præcinctum* se vidisse commemorat? Non lumbi tantùm, sed & mamillæ Angelico Pugili ac Triumphatori Thomæ præcinctæ, quô non corporis modò, sed animi etiam virginitate integerrimâ conspicuus comprobetur. S. Gregorii Magni verbis id luculentiùs exprimam quàm meis b: *Quia*, inquit, *Testamenti Novi munditia etiam cordis luxuriam frenat, Angelus qui in eô apparuit, in pectore cinctus venit.*

a Apocal. 1.

b Lib. 21. Moral. cap. 2.

Quamquam verò tam insigni donatus privilegiô S. Thomas, nulla Christianæ vigilantiæ, nulla religiosæ mortificationis officia prætermittit, ut castitatem colat, extensque virtutibus, caritati præsertim & humilitati conjunctam, Deo in supremo vitæ die repræsentet. Orationem inter ac studium tempus omne partitur. Cibi, somnique parcissimus, pœnitentiam in deliciis habet; nec voluptas ipsi major videtur ulla, quàm fastidium ipsius voluptatis. Quid non à Deo obtineat Thomæ oratio, *de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profecta?* c Sacerdos inauguratus, frequentiùs orat, ferventiùsque. Ad aram cùm sacrum fecisset, solenne habuit facienti deinde alteri pro ministerio assistere, ut assistentium, ac ministrantium Deo Angelorum vices impleret. Tunc d ad Deum sursum erat, cujus erat altare cor ipsius: tunc ejus Unigenito cum Sacerdote placabatur: Et suavissimum adolebat incensum, cùm in ejus conspectu pio sanctôque amore flagrabat: eique offerebat *Sacrificium humilitatis & laudis, in arâ cordis, igne fervida caritatis.* Exercitatione tam sanctâ, non minùs quàm studiô, Doctrinam comparavit illam, quâ inter Sanctiores Ecclesiæ Doctores conscribi meruit, quæ Christi in Cruce suffixi oraculô, seu Doctrinæ ipsius cùmprimis consentanea comprobata est. Quod altera hujus Orationis parte demonstrabo.

c Verba Tertulliani in Apolog.

d S. August. verba lib. de Civit. Dei. cap. 4.

SECUNDA PARS.

Doctrinæ S. Thomæ, quam suscepi commendandam, principium est, Auditores, cognoscendi vim tantô in creaturis esse majorem, quantò magis sunt à materiâ segregatæ. Plantas cognitionis expertes, quòd earum formæ totæ sint in materiæ gremium immersæ, nemo diffitetur. Bruta animantia, quæ unô à vegetantibus distant gradu, cognoscendi facultate prædita sunt; illâ quidem intra ambitum rerum materialium atque singularium coarctatâ, quòd eorum formæ, viresque, ac functiones omnes ex materiâ pendeant, corporeisque organis indigeant universæ. Hominis animus, spiritus è cælo ductus, intelligentiâ donatus est omnium capace notionum; formasque rerum omnium à materiâ domesticô lumine defæcatas, jure suô, nec per sese corporis indigens, contemplatur. Ad imagines tamen attendat necesse est à phantasia oblatas, quamdiu in corpore mortali versatur, etiam dum ad interiorum expertium materiæ nititur cognitionem. Angeli, ut corporum A lege soluti, formas rerum, quibus ad earum intelligentiam opus habent, à rebus ipsis haudquaquàm mutuantur; sed à Deo ut necessum fuerit, utendas accepere. Haud tamen est omni ex parte perfecta in Angelis intelligendi vis. Neque enim rerum nescii sunt nullarum: nec in earum, quas suapte naturâ cognoscunt, notitiâ semper exercentur: nec superiores Spiritus, & multò minus Deum ipsum, intelligentiâ comprehendunt. Unius Dei, qui mens est soluta quædam & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens, ipsâque prædita motu sem- B piterno, omniscientia propria dos est. Quod hac sententia dilucidè expressit S. Thomas: a *Quia Deus est in summô immaterialitatis, sequitur quod sit in summô cognitionis.* Quæ cùm ita sint, nemini mirum esse debet, si castitas Angelicâ superior, scientiâ non tantùm Angelicâ, sed prope divinâ in Thoma Aquinate honestata sit. Ita sanè, Auditores, S. Thomæ doctrina divina est, sive objectum spectemus; in Dei namque contemplatione potissimùm est defixa: sive originem; est enim, magnâ ex parte, accepta divinitus: si- C ve caracteres; doctrinæ siquidem à Christo hominibus traditæ quamsimillima demonstratur: sive tandem præmium ipsi destinatum consideremus, quod non aliud à Deo est.

a 1. P. Q. 14. A. 1.

Præcipuum ac primarium scientiæ Dei objectum Deum ipsum esse, cùm S. Thomæ, tum Theologorum constans est sententia cæterorum: S. Thomæ doctrina circà Deum & Christum Jesum præcipuè versatur, eòque refert omnia, quæ tractat argumenta: adeò ut verè cum Apostolo dixerit: b *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* Sin- D gularem, quam assecutus est, arcanorum naturæ notitiam parvifacit: Aristotelicam Philosophiam, quam admirandis illustravit Commentariis, parvipendit: sublimem ipsam Theologiam, cujus conditor est ac parens, haud magni æstimat, nisi quatenus ad Dei, Christique cognitionem & amorem perducit. Quâ in re Dei verbis auscultat, ore Jeremiæ c dicentis: *In hoc glorietur omnis qui gloriatur, scire & nosse me.* Cherubim, de quo Ezechiel Propheta d commemorat, videre mihi videor, Auditores, cùm Doctorem intueor Angeli- E cum. Similitudo solii super caput ipsius videbatur; prunas ignis Cherubim inter ardentis accepit, & viro lineis induto tradidit, super civitatem effundendas. Sonitus alarum ipsius ad atrium usque exterius audiebatur, quasi vox Dei. Sub pennis Cherubim similitudo manus hominis apparebat. Quatuor rotæ juxta positæ cernebantur, quarum facies una, quasi rota esset in medio rotæ alterius collocata, & spiritu vitæ agitabantur. Sed & gloria Domini à limine templi egressa, super Cherubim stetit: quæ demum expansis alis, è terris in cœlos evolarunt. S. Thomam, ob celsitudinem & immensitatem quamdam doctrinæ, F Militantis Ecclesiæ Cherubim jure appellaverim. Thronum Christi super caput ejus conspicio, Crucem nimirum, quæ à S. Augustino *Thronus regnantis* nuncupatur: aut augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, thronum illum Soli similem, de quo Rex Propheta cecinit: *Thronus ejus sicut Sol.* Thomas ignem sacrum, id est Christum ipsum, ignem illum consumentem ex altari accipit, non tam corporis manu, quam animæ, intelligentiâ scilicet, quâ divinæ omnipotentiæ, misericordiæ, & amoris erga homines miracula in adorando Sacramento intuetur. Illa stylô quodam divinô, in ejusdem sanctissimi Sacramenti Officio, expressit: quod homini lineis induto (qui Summorum Pontificum habitus est) quod, inquam,

b 1. ad Cor. 2.

c Jerem. 9.

d Ezechiel 10.

inquam, Urbano Quarto, cujus illud jussu scripserat, obtulit: qui toti Ecclesiæ celebrandum proposuit, ignémque effudit super civitatem, hoc est, ad amorem Eucharistiæ, Nova Solemnitate ubivis gentium Christianarum institutâ, Fideles accendit universos. *Extendit Cherub manum ad ignem, qui erat inter Cherubim, & sumpsit, & dedit in manus ejus qui indutus erat lineis: qui accipiens, egressus est.* Thomæ novo Cherubim alarum instar sunt scientia & caritas, sub quibus manûs humanæ similitudo exhibetur. Scilicet, doctrina illius planè divina; quæ illam scriptis mandavit, manus est Angelica: stylus tantummodò ratióque scribendi nonnihil humanæ similis est: eò admirabilior, quòd humanis verbis mysterium divinissimum eloquatur & illustret. Id S. Hieronymi verbis dicam: a *Et quod sit mirabilius, humanis verbis, & stylo quo homines scribere consueverunt, Dei Sacramenta comprehendat.* Cæteras Visi Prophetici partes persequamur? *Et ecce quatuor rotæ juxta Cherubim*, aliæ aliis insitæ & implicatæ, Deique Spiritu agitatæ. Hæ Theologicam S. Thomæ Summam adumbrant, quatuor in partes distributam, ex quibus Opus unum coalescit, & quarum una, ob connexionem principiorum admirabilem, in alterâ quadam ratione continetur. *Et aspectus earum similitudo una quatuor, quasi sit rota in medio rotæ.* Viso rotarum Ezechieli oblatô Vetus Novumque Testamentum significari, Gregorius Magnus commentatur. b *Rota intra rotam, est Testamentum Novum intra Testamentum Vetus.* Sed hanc figuram Angelici Doctoris Operibus tam admirabili Principiorum connexione, tam invariatâ sensuum unitate conspicuis, quidni jure accommodare possimus? *Etsi temporibus distincta, sunt tamen sensibus unita.* Et quò magis rotarum Propheticarum similitudinem referant, *Spiritus vitæ est in eis.* Spiritus quippe Sanctus Thomæ calamum duxit, ejusque scriptis hanc indidit excelsitatem, vim, lumen, unctionem, quibus cælestium instar oraculorum jure meritóque suspiciantur: ut de Angelico Doctore dici possit, quod in Basilii Magni laudem dixit Gregorius Nazianzenus: c *Calamum, quasi ex Spiritûs pyxide, movit.* Sonitus alarum Cherubim, quæ Prophetæ divinitùs ostensa sunt, *audiebatur usque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis.* Non solùm intra Ecclesiam, sed extra, Thomas novus ille Cherubinus vocem effundit. Non solùm institutioni Fidelium, sed conversioni Gentium ac Judæorum, doctrinam, Scriptáque sua consecrat. Testis est Summa illa eximia contra Gentes, cujus ad Christi propagandum Imperium utilitas probata est tanta, ut Hebraico, ac Græco donata sit idiomate, quò *in lucem Gentium usque ad extremum terræ*, faciliùs perveniret. Sed auditur vox Thomæ *Quasi vox omnipotentis Dei loquentis*; Siquidem nec Definitiones suas Concilia, nec Decreta sua Pontifices Maximi, nec Censuras ac Responsa sua celeberrimæ Christiani nominis Academiæ ediderunt unquam, ex quo ad Superos migravit Angelicus ille divinæ mentis Interpres, quin priùs ipsius Scripta consuluissent ac diligenter expendissent. De quo proinde jure dici possit, quod de Regis Davidis Ministro quodam Sacris Literis proditum est: d *Quasi quis consuleret Deum, sic erat omne consilium ejus.* Sed ad Visum Propheticum redeamus, ut Cherubim nostri cum sacrô illô typô convenientiam absolutissimam intelligatis. *Et egressa est gloria Domini à limine templi, & stetit super Cherubim.* Vox scilicet ex Christi in Cruce suffixi imagine venire visa, gloriosam de ejus doctrinâ censuram tulit: *Bene scripsisti de me, Thoma.* Quod in Urbe-Veteri, post Officium Sanctissimi Sacramenti ab Ipso compositum; Neapoli, post Incarnationem Divini Verbi doctissimis Quæstionibus explicatam; Parisiis denique, cùm gravem illam de accidentibus post Transsubstantiationem in Eucharistia permanentibus dissertationem conscripsisset, ejus Acta contigisse testantur. O gloriam immortalem! Denique, ut Cherubim Ezechielis, expansis alis à terrâ visa sunt exaltari: sic Angelicus Thomas binis alis caritatis & scientiæ extra se raptus, & à terrâ elatus non semel visus est. Dignum Sancto Ludovico Galliarum Rege spectaculum, cùm ad ejus mensam Thomas sederet! Totâ mentis intentione in rerum divinarum contemplatione defixus, totus sacris studiis immersus, totus à sensibus alienus, de Manichæorum confutandis erroribus cogitabat, cùm afflante Numine argumenta palmaria invenit, quibus eorum contumacia frangeretur. Quâ de inventione sibi in Domino gratulatus, quasi in cella solitarius ad libros, non in Aula ad Mensam Regiam sederet, debellatos Manichæos inclamavit. Tum, Socio monente, ad se reversus, veniam deprecatus à Rege est: qui protinus ex ore dictantis excipi jussit à Notario, quæ Sanctus Doctor fuerat in illâ mentis à sensibus alienatione meditatus. Quàm bellè Thomæ conveniunt illa Regii Vatis de Benjamino verba! *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.* Sanctos inter Ecclesiæ Doctores junior Thomas, velut Benjamin in Domini familiâ: sed *in mentis excessu*; non in templo tantùm, sed in Palatio; non in oratione duntaxat & sacrificio, sed in Regis convivio, mens ejus à sensibus segregata, in Deum rapitur. *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu:* De quô dicere liceat, quod de Hierotheo à Dionysio dictum ipse commemorat: a *Non solum discens, sed patiens divina.* Fœlix Thomæ anima, quæ identidem corporis sensibus excedit, ut sese non sentiat, quæ Deum sentit! His in extasibus non modò Apostolum Gentium audivit aliquando sacris de rebus familiariter secum colloquentem; quod ipsi contigit, cùm divinos illos in ejus Epistolas Commentarios adornaret; sed Deum ipsum semper Doctorem habuit, ipsi *arcana verba* revelantem ac suggerentem; non illa quidem *ineffabilia, quæ non liceret homini loqui*; imò potius quæ scriptis mandaret, Ecclesiæ in omne tempus profutura. Enimverò divina est Sancti Thomæ doctrina, magis à Deo infundente derivata, quam librorum lectione (quanquam omnes, quorum copiam habere poterat, diligentissimè pervolveret) comparata.

Duplicem in Angelis cognitionem distinguit, post S. Augustinum, Doctor Angelicus. Matutinam unam, quâ res in ipsâ Numinis essentiâ; Vespertinam, quâ in propriis illas naturis contemplantur. Thomas militantis Ecclesiæ, & Christianarum Scholarum Angelus, duplex illud habuit notitiæ genus. Sacratiora & altiora nostræ Religionis Mysteria in Deo cognovit, ex eoque luminum ac bonorum omnium fonte Doctrinam derivavit omnem, quâ Ecclesiam irrigat universam; ut in ipso etiam impleretur divinum illud Oraculum, quòd pro Licentiæ gradu in Academia Parisiensi responsurus elegit olim: b *Rigans montes de superioribus suis: de fructu Operum tuorum satiabitur terra.* Rerum verò naturalium cognitionem ex natura hausit ipsâ, intelligentiæ vi suprà humani ingenii modum perspicacis. Ita S. Thomæ doctrina divina est, & humana; & Dei munere, &

Xxxx   Doctoris

a Comment. in cap. 3. Isaiæ.

b S. Homil. 6. in Ezechiel.

c Orat. de laud. Basilii.

d II. Reg. c. 16.

a 1. P. Q. 1. A. 6. ad 2.

b Psalm. 103.

S. Doctoris studiô atque labore parta; divinæ tamen quam humanæ scientiæ similior, maximè si caracteres ejus attendamus.

a 1. Joan. 1.

a *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ulla.* Id est, suprema veritas est, nulli prorsus errori obnoxia. Nunquid verò S. Thomæ doctrina iam eximiâ dote à Deo non est ornata? Clementis Octavi Pontificis Maximi oraculum est: *Absque omni prorsus errore scripsit.* Jure ait cum Propheta: *Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax.* Se autem à veritate aberrasse nusquam, potest in Domino gloriari. Cur verò? Nunquid ipse ab hominum sorte cæterorum segregatus est? Ita sanè, siquidem celsitate mentis ad Angelorum ordinem pertingit. S. Augustini verbis id exprimere liceat: b *In tantum omnino non mendax, in quantum per excessum mentis super hominem.* Christi doctrina ejus auditores ad magnam admirationem traducebat: *Stupebant*, inquit Evangelium, c *super doctrinâ & responsis ejus.* Nunquid S. Thomæ scripta omnium non rapiunt admirationem? *Admirabilis doctrina!* Hoc eam elogiô mox laudatus Pontifex exornavit. Evangelium brevitatem magnarum cum rerum copia conjungit: multa paucis complectitur. Quocirca *plurimam Theologiam & minimam, Evangelium latum & magnum, rursusque concisum*, divinus Dionysius d appellavit. Hac verò etiam ex parte, maximam esse doctrinæ S. Thomæ cum Evangelio convenientiam, nemo negaverit: Summa siquidem illius, *Plurima Theologia est & minima:* Plurima Quæstionum & Articulorum ubertate, plurima sensuum altitudine, plurima rationum pondere; minima verborum paucitate, ac simplicitate luculentâ. Cujus ad commendationem dici jure potest, quod à S. Hieronymo Canonicarum Epistolarum Auctoribus laudi datum: e *Brevis in verbis, longus in sententiis.* Si in lectione Sacrarum Literarum summam experimur voluptatem: Et in Operum S. Thomæ lectione incredibilem degustant, qui in eorum studio versantur. Quamobrem de Angelici Præceptoris doctrinâ citra censuræ metum prædicabo, quod de Sacra Scriptura Gregorius Magnus præclarè dixit: f *Usu fastidium tollis, & tantò amplius diligitur, quantò amplius meditatur: Legentis animum humilibus verbis adjuvat, sublimibus sensibus levat: Aliquo modò cum legentibus crescit: A rudibus lectoribus quasi recognoscitur, & tamen doctis semper nova reperitur: Scientias omnes atque doctrinas ipso etiam locutionis suæ more transcendit; quia uno eodemque sermone dum narrat textum, prodit mysterium.* Quot Articulos Thomas scripsit, tot miracula edidit (inquiebat Joannes Vigesimus secundus) Christi doctrina judex est mundi. *Sermo*, inquit, g *quem locutus sum, ille judicabit in novissimo die.* Et hunc doctrinæ Christi caracterem habent S. Thomæ Scripta, quæ infidelium & peccatorum pariter damnant contumaciam & facinora. Angelus est, qui latam à supremo Judice in impios sententiam scribit ac denuntiat, ut alius olim Baltassaris condemnationem in pariete exaravit. Longô tamen utraque Scriptura distat intervallô. Illa enimverò est obscurissima, & Propheta qui illam explicet, est opus: ista verò perspicuis concepta verbis, quorum intelligentiam absque interprete assequi sit facillimum. De illâ Petrus Blesensis eleganter exclamat: *O manus, quàm benè scripsisses, si quomodo exprimis sententiam, exprimeres claritatem!* De ista confidenter exclamare licet: *O manus, quam benè scripsisti, quæ quomodo exprimis sententiam, sic exprimis claritatem!* Benè scripsisse Angelicum Doctorem gratulamur ac palàm prædicamus, Christo Servatore nobis ad hanc ejus laudem præeunte, qui ejus doctrinam elogiô suo, tuitionéque sui munieravit. Septem verba è cruce protulit, octavum ad Thomæ laudem immortalem: *Benè scripsisti de me, Thoma!* Benè, quia scripsisti nihil quod Doctrinæ meæ non sit prorsus consentaneum. Benè scripsisti, quia ad majorem nominis mei gloriam, Ecclesiæque defensionem meæ studia tua ac Opera collineant universa. Benè scripsisti: Siquidem tuus, ut eruditorum plurimorum calamus; inani gloriæ serviit nunquam, sed semper caritati. Fœlix ille calamus tuus *Machina est, per quam structura caritatis ascendit.* a Benè de me scripsisti in libris Sententiarum, in libris contra Gentes, in Quæstionibus Disputatis & Quodlibeticis, in Opusculis, in Scripturæ Sacræ Commentariis, in Summâ, ubique, perpetuò. Benè scripsisti de me ut Deo, ut Homine, ut Redemptore, ut Legislatore, ut Judice. Benè de Mysteriis, operibus, præceptisque meis. Benè de omnibus quæ vitam spectant meam, divinam, mortalem, gloriosam. *Quam ergo mercedem accipiet? Abyssus* a *Abyssum invocat.* Abyssus humilitatis, abyssum miserationis. *Loquar*, inquit, *ad Dominum, cum sim pulvis & cinis.* Nullô dignus sum præmio, Servator adorande, in hanc usque diem servus fui in domo tuâ inutilis. Sed & si quid de Ecclesia meritus essem, ô nimiùm muneratos labores meos, qui Divinæ tuæ Majestati probentur! Si tamen loqui jubes, amantissime Redemptor! Animi arcana mei Numini tuo notissima, significare verbis audebo, eâ quam in me summa tua bonitas ac miseratio excitant, fiduciâ: *Non aliam, Domine!* mercedem velim, *nisi te ipsum.* Votis tuis ac optatis Deus occurret, Doctor Sancte! Mercedem virtutum ac laborum ab hominibus expectasti nullam: Terrenas opes contempsisti, quas Doctores plerique infinitè concupiscunt: Homilias Chrysostomi in Matthæum, Regiâ Urbe Parisiensi pluris æstimabas: Illustriores Infulas, tibi à Summis Pontificibus oblatas, humilitate constantissimâ recusasti, quas Eruditi plerique ambitione quærunt impotenti: Gloriæ humanæ auram, laudesque & applausus, quibus singularem eximiamque doctrinam, cum insigni virtute conjunctam, prosequi ac honorare mortales solent, despexisti: nec aliquid tibi fuit unquam antiquius Religiosi statûs paupertate & humilitate; quibus ut immorereris, à Deo precibus ferventissimis flagitasti. Quamobrem quod unum rogâs laborum tuorum præmium, Divina jam tibi decrevit æquitas, Deum ipsum. De Principe itaque Theologorum, & eruditorum omnium Doctore dicamus, quod de Credentium Patre S. Ambrosius scripsit: b *Quoniam sibi mercedem ab homine non quæsivit, à Deo accepit.*

Quid cæteras S. Thomæ virtutes celebrem, cùm perfectam ejus caritatem prædicaverim, quâ continentur universæ? Documentum quô probetur castus in Deum amor, certius nullum est ac illustrius, quàm alterius omnis ab ipso mercedis aspernatio. Qui cum Propheta ex animô dicit: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum:* Is amore summô est in Deum inflammatus. *Factum est cor castum* (inquit hunc Psalmum exponens Augustinus:) *Gratis jam amatur Deus, non ab eô petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit à Deo, & proptereà vult servire Deo, cariùs facit quod vult accipere, quàm ipsum à quô vult accipere. Quid ergo? Nullum præmium Dei? Nullum præter ipsum: Præmium Dei, ipse Deus est: hoc amat, hoc diligit: si aliud dilexerit, non erit castus amor.* O castum igitur S. Thomæ erga Deum amorem, à quo præmium non rogat aliud, præter

b S. August. in Psalm. 118.
c Luc. 2.
d Lib. de Myst. Theol. c. 1.
e In Epist. ad Paulinum.
f Lib. 20. Moral. cap. 1.
g Joan. 6.
a Verba S. Augustini.
b Thomas Abyssum significat.
c Lib. 1 de Abraham, c. 3.
Psalm. 72.

præter ipsum! Scilicet nihil æstimabat pluris, cui Numinis magnitudo, ac eminensæ bonitatis ejus divitiæ apprimè notæ erant. Quærit S. Ambrosius, *a* cur nunc viginti, nunc viginti & quinque aureis, modò triginta, Joseph emptus legatur? Typum fuisse Christi respondet, *Qui non omnibus unius pretii æstimatione valet, sed aliis minùs, aliis ampliùs. Fides enim ementis, incrementum est mercis: Religiosiori pretiosior est Deus: Pluris illi valet, qui plus habet gratiæ.* Thomæ, cujus summa erat religio, pretiosissimus Deus erat: infinitè valebat illi, qui fide præditus erat maximâ, quâ ejus magnitudinem cognosceret atque æstimaret: ideò non aliam à Deo mercedem optat præter ipsum. *Non aliam, Domine! nisi te ipsum.* Fruitur optatis Thomas: hæc enim gloria heroïcis ejus virtutibus; hæc illius in Theologiâ iterum parturiendâ studiis; hæc ingentibus ipsiùs in Ecclesiam meritis merces debetur. Cur Abraham hæreditatem omnem filio suo Isaac, nullum jus hæreditarium ancillis, ancillarumve filiis reliquerit, sed nonnulla duntaxat munera, explicans Ambrosius, *b* hanc assignat elegantem certè ac mysticam rationem: *Perfectæ enim virtutes*, inquit, *totum accipiunt gloriæ patrimonium: usitatis & mediocribus vile aliquid aspergitur. Et ideo Agar, quæ advena Latinè dicitur atque accola, & Cethura, quæ odorifera significatur, hæredes non sunt. Qui enim mediis utitur disciplinis, accola est, non inhabitator sapientiæ: odore aspersus, non fructu expletur.* Quam bellè hæc Angelico Doctori conveniunt, Auditores! Illum enim Sapientiæ inhabitatorem veneramur; quippe qui in profanis minimè hæserit disciplinis, sed doctrinæ sacræ ex Divinarum Paradiso Scripturarum, ex Conciliorum, Sanctorumque Patrum fontibus derivandæ, & in unum veluti alveum congregandæ incubuerit, ex quô Ecclesiæ hortus irrigaretur, & florentia Dominici prata inebriarentur: adeò ut ad Operum ipsius commendationem jure meritòque referantur, quæ ipse in libros Sententiarum præfatus, de æternæ Sapientiæ œconomiâ exposuit: *c Ego Sapientia, effudi flumina: Ego quasi trames aquæ immensa de fluvio, ego quasi fluvii Dioryx, & sicut aquæductus exivi de Paradiso. Dixi, Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.* Non odore duntaxat perfusus, sed fructibus virtutum, & Sacræ Doctrinæ ditissimus Thomas, hæreditatem Domini colligit, totum gloriæ patrimonium accipit, Deum ipsum obtinet pro mercede. *Non aliam Domine, nisi teipsum.* Plura dicerem, Auditores, sed ubi Deus locutus est, os hominis necesse est conticescat: præsertim cùm dici nihil queat, quod illud *Benè scripsisti*, valeat adæquare. Nunquid enim elogia memorarem, quibus celeberrimæ Catholici nominis Academiæ S. Thomam exornarunt? An Religiosos Ordines percenserem, qui de sectandâ ejus doctrinâ legem sibi ipsis imposuere? An Scriptores omnium nationum Ordinumque eruditissimos appellarem, qui ipsum infinitis laudibus extulerunt? Erit de his postea dicendi locus. Sed nihil opus est hominum suffragiò, cùm in gratiam Thomæ Deus Optimus Maximus benè illud tam faustum tamque gloriosum protulerit. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est:* d Qui non solùm triumphantem S. Thomæ castitatem Angelorum præconiô celebravit; non modò Angelicam ejus doctrinam, editô ex imagine Christi in Cruce suffixi oraculô comprobavit; Sed ejus doctrinam pariter ac sanctitatem, Ecclesiæ voce commendavit, & in dies commendat. Quod postremâ Orationis hujusce parte demonstrabo.

a Lib. de Joseph, c. 3.
b Lib. 1. de Abel & Cain, cap. 6.
c Sapientia. 15.
d 1. Joan. 5.

Quod de Sapientiâ Spiritus Sanctus testatus est, maximam esse illius cum immortalitate cognationem, in S. Thoma cælestis Sapientiæ Magistro experientiâ comprobatum est, cujus doctrinam cum sanctimoniâ conjunctam laudibus immortalibus Ecclesia celebravit ac celebrat, ejusque nomen æternis consecravit monumentis. Qui propterea de se ipso verè dicere possit: *Habebo per hanc immortalitatem: & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam.* Næ id æquitas postulabat, cùm Angelico Doctori tanta debere se agnoscat Ecclesia, quanta vix ulli Doctorum debeat sanctiorum. Quid enim ad ejus splendorem & commodum conferri potuit, quod ille non contulerit magnificentiùs? Consecranda erat Ecclesiæ usui & obsequiis Philosophia? Consecravit. Condenda erat Theologia, cujus beneficio divina dogmata hucusque *à paucis, post diuturnum tempus, & cum errorum admixtione plurimorum, a* cognita, plurimis, citiùs, ac certiùs traderentur? Condidit. Debellandi erant Hæretici? Debellavit. Extinguenda Schismata? Extinxit. Mores Fidelium Ethicæ castissimæ regulis ac præceptis informandi, dirigendi, emendandi? Informavit, direxit, emendavit. Singula, quæso, unà mecum expendatis, Auditores! Philosophia quondam extra Ecclesiam errabat extorris, ut olim Agar ex domo Abraham ejecta, quòd superbè in Saram insurrexisset, ac Dominæ imperio parère contempsisset. Sacræ doctrinæ refugiebat famulari, imò ejus imminuere majestatem nitebatur perduellis. Philosophos *b Patriarchas Hæreticorum, Omnes hæreses à Philosophiâ subornatas*, b Quæsita ex Philosophia Aristotelis argumenta, Christiani Doctores *tormenta* esse *cruciandæ simplicitatis, & suspendendæ veritatis* conclamabant. Sed ut Angelus Agar ad officium revocavit, & in domum Abrahæ reduxit, ipsi jubens ut Dominam coleret, eique humiliter subesset, promissâ in obedientiæ præmium numerosâ sobole: c *Revertere*, inquit, *ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius. Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine:* Sic Thomas Christianarum Scholarum Angelus, Philosophiam Aristotelicam in Ecclesiam reduxit, ipsamque tota quanta est, ejus usibus consecravit. Jam, Auctore Thoma, Theologiæ ancillatur, & antiquæ sterilitatis abstersô dedecore, numerosam & ipsa prolem Christo parit, cùm Gentium ad conversionem adhibetur. Nunc igitur de Theologia liberè prædicandum, quod à Salomone de Sapientiâ scriptum est: d *Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis:* Philosophicas nimirum disciplinas, suis addictas obsequiis, adhibuit ad Gentium conversionem promovendam. Et hoc totum Angelico Doctori debere se profitetur.

Verùm longè majoris beneficii locô ducendum, quòd Theologiam condiderit Ecclesiæ alumnis instituendis, & doctorum hominum propagando generi perpetuò profuturam: & illam quidem, quæ laus ejus maxima est, ex Sacrarum Literarum, & SS. Patrum fontibus derivaverit. Depositum sacræ doctrinæ custodivit, ac in suis Operibus ad posteros transmisit inviolatum. Theologiam tradidit *sibi creditam, non à se inventam: quam acceperat, non quam excogitaverat:* e *Rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis: rem ad se productam, non à se prolatam; in qua non auctor fuit, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens* (ut Vincentii Lirinensis verbis utar) Spiritalis tabernaculi, Christianæ scilicet Theologiæ, Beseleel fuit, ut decebat *Catholicæ veritatis Doctorem: Pretiosas di-*

Tertia Pars
Sap. 8.
a S. Thomas Art. 1. & in 1. P.
b Tertulliani verba.
c Genes. 16.
d Proverb. 9.
e Vincentius Lirinensis in Commonit. cap. 27.

 vini

vini dogmatis gemmas exsculpsit, fideliter coaptavit, adornavit sapienter, adjecit splendorem, gratiam, venustatem. Intelligitur ipso exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur. Per ipsum posteritas intellectum gratulatur, quod antè vetustas non intellectum venerabatur: eadem tamen quæ didicerat, ita docuit, *ut cùm dicat novè, non dicat nova.* Quamobrem inter sanctiores Ecclesiæ Doctores conscriptus, Theologisque Catholicis in Principem datus est ac Magistrum. *Primò potitus est honore, non propter ætatis prærogativam, sed quoniam omnes Sapientia vetustate superabat*: a Quod olim de Musonio Præsule Magnus scripsit Basilius. Qui Danieli visus est Angelus, ita loquebatur, ut ejus verba viderentur à multis unà loquentibus prolata: b *Vox sermonum ejus, ut vox multitudinis.* De Scholæ Angelo quidni idem asseramus? Auditores! Siquidem vox ipsius, Sanctorum omnium Doctorum veluti vox est, quorum doctrinam sectatus est, exposuit, illustravit, roboravit. De quo nostrorum temporum Auctor politissimus tam verè scripsit quàm eleganter: c *Mysteriorum compendium est Summa Thomæ. Collegit in eâ quicquid doceri potest, aut sciri. Inclusit Ambrosios, Hieronymos, Augustinos, Gregorios. Inclusit seipsum, major seipso, & minor. Epitomem fecit alienæ sapientiæ, & Summam suæ. Didicit omnes, qui Thomam intelligit; nec totum Thomam intelligit, qui omnes didicit.* Quærit S. Joannes Chrysostomus, d cur Apostolorum Principem cum undecim Apostolis stantem primam concionem habuisse Scriptura Sacra his verbis commemoret? e *Stans cum undecim levavit vocem suam, & locutus est eis.* An simul omnes emisêre vocem? Nequaquam. *Communem* tamen *vocem*, inquit, *edebant: Et Petrus omnium erat os; sed adstabant illi undecim, comprobantes suô testimoniô ea quæ ab ipsô dicebantur.* Vox Doctoris Angelici, ut vox multitudinis. Hanc cum audimus, Sanctorum omnium Doctorum vocem audire nobis videmur. Quid ita? Communem vocem edunt: & Thomas omnium est os, qui ejus dicta suô testimoniô comprobant velut suis omnino consentientia. Quod etsi de singulis S. Thomæ Operibus citrà assentationem prædicetur, de admirabili tamen illo in IV. Evangelia Commentario, qui *Catena Aurea*, inscriptus est, singulari quadam ratione verum esse nemo addubitaverit. Ex Sacrorum namque Doctorum sententiis unâ serie ita contextus est, ut communi voce locuti ad idem Opus concinnanndum videantur. Ita sanè, Auditores! *Communem vocem edebant, sed Thomas omnium erat os.* Id planè exploratum habet Ecclesia, quæ propterea doctrinam ipsius commendat ceu f *Catholicam, veridicam, admirandam, universalem Ecclesiam illustrantem*: g *Præ cæteris, exceptâ Canonicâ, habentem proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam, qui eam tenuit, inveniatur à veritatis tramite deviasse; & qui eam impugnavit, semper fuerit de veritate suspectus*: h *In veritate & caritate fundatam*, i *celestem*, k *inconcussam*, *tutissimam*. Libros quam plurimos ab ipso, l brevissimô tempore, *in omni disciplinarum genere, singulari ordine, mirâ perspicuitate, sine ullò prorsus errore conscriptos, & expressâ Christi voce comprobatos* prædicat. Ipsum m *Angelici Doctoris, Angelici divinæ mentis Interpretis*, gloriosis nominibus exornat. Hujus doctrinam, ut n *Non recedat ab ore, non recedat à corde*, adhortatur, *quia ipsam sequens, non devias; ipsam cogitans, non erras; ipsam tenens, non corruis: ipsam loquens, non mentiris; ipsi studens ad veritatem pervenit.* o Hanc *fuisse à Spiritu Sancto* palam asserit: & p

a Epist. 62.
b Daniel. 10.
c Petrus Labbeus in Elogiis.
d Act. 2.
e Homil. 4 in Acta.
f Urbanus IV. in Diplom. ad Tolosanam Academiam.
g Innocentius VI. in Serm. de S. Thoma.
h Pontificale Roman. emissum Venetiis anno 1543. in Benedictione solemni ab Episcopo dandâ in Festo S. Thomæ.
i Clemens VIII in Brevi ad Præpositum Neapolit.
k Alexander VII. in Brevi ad Lovaniensem Academiam.
l Clemens VIII in Brevi ad Neapolitanos.
m Clemens VIII. & Pius V.
n Clemens VI in Serm. de S. Thoma, cujus thema, Ecce plusquàm Salomon hic.
o Idem in Serm. cui pro themate sunt illa verba, Docebat eos de regno Dei.
p Pius V. in Diplom. quô S. Thomæ Festum, sicut aliorum 4. Ecclesiæ Doctorum, celebrandum sancit.
q Idem Pius V. in Brevi dato ... Decemb. 1567.

Certissimam Christianæ Regulam doctrinæ vocat; *quâ S. Doctor Apostolicam Ecclesiam, infinitis confusatis hæresibus, illustravit. Cujus vi & veritate, ex eò tempore quò cœlestibus civibus adscriptus fuit, multæ, quæ deinceps exortæ sunt, hæreses confusæ sunt ac dissipatæ: Quod & antea sæpe, & liquidò in Sacris Tridentini Concilii Decretis apparuit.* Hunc q *Splendidissimum Catholicæ fidei* appellat *Athletam, cujus Scriptorum clypeo Hæreticorum tela feliciter eludi* gratulatur.

Quô nomine quantùm Angelico Doctori Ecclesia debeat, facilè animadverteritis, si non unam alteramve hæresim ab ipso expugnatam cogitetis, quod cæteri Doctores præstitère, sed omnes, quæcumque Ecclesiam ad ipsius ætatem usque & deinceps infestarunt, confutatas, convictas, debellatas. Gentilium errores Scriptis nervosissimis confutarint Justinus Martyr, Tertullianus, Minucius Felix, Origenes, Clemens Alexandr. Athenagoras, Arnobius, Lactantius, Eusebius. Judæos feliciter impugnarint Justinus idem, Tertullianus, S. Cyprianus, & Eusebius. Ebionitarum & Cerinthianorum hæreses, Valentinianorum fabulas, Gnosticorum, Carpocratianorum spurcissima dogmata everterit S. Irenæus. Idem, & post eum Tertullianus ac S. Epiphanius Marcionitas, aliasque pestes profligarint. Millenarios, Sabellianos, Paulianistas, Dionysius Alexandrinus exagitarit. Adversùs Novatianos bellum gloriosè gesserint Martyr Cyprianus, & Barcinonensis Præsul Pacianus. Manichæos, post aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum velitationes, S. Augustinus vicerit. Contra Donatistas Optatus Milevitanus dimicarit, eosque debellaverit Augustinus. Arianos Athanasius, & nostrarum Galliarum decora Hilarius Pictaviensis, & Phœbadius Aginnensis domuerint. Macedonianos, & Eunomianos confoderint Sanctissimi fratres Basilius & Gregorius Nyssenus. Appollinaristas Gregorius Nazianzenus, & Ambrosius Mediolanensis debellarint. Jovinianum, Helvidium, Origenistas, Luciferianos S. Hieronymus attriverit. De Pelagianis triumphaverit Augustinus. Pelagianorum Reliquias Prosper & Fulgentius exterminarint. Nestorianos Cyrillus Alexandrinus: Eutychianos Theodoretus, Leo Magnus, & Gelasius: Trium Capitulorum Schismaticos Defensores Pelagius II. & Gregorius Magnus Pontifices: Monothelitas Maximus Martyr: Iconomachos Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, & Joannes Damascenus fuderint. Græcos Schismaticos Æneas Parisiensis Præsul, Ratramnus Monachus, Humbertus Cardinalis, Hugo Etherianus, Joannes Beccus convicerint. Petrobusianos, & Henricianos exarmaverint Bernardus Clarævallensis & Petrus Cluniacensis. Cum Sacramentariorum Parente Berengario signa fœliciter contulerint Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, Durandus Troarnensis. S. Thomas horum omnium Hæreticorum errores, necnon cæterorum qui ejus ætate sunt exorti; aut qui post ejus obitum in hanc usque diem erupère, Vvaldensium, Albigensium, Fraticulorum, Hussitarum, Lutheranorum, Calvinianorum, Socinianorum, impugnavit, confutavit, profligavit? Jure itaque de ipso dixerim, quod Spiritus Sanctus dixit de Davide: a *Contrivit inimicos undique, & extirpavit Philistiim contrarios usque in hodiernum diem.*

a Ecclesiastic. 47.

Eam ob rem Ecclesia in Conciliis post obitum S. Thomæ celebratis congregata, ejus doctrinam venerata est, consuluit, ad Hæreticos & Schismaticos expugnandos & conterendos adhibuit. Ad Concilium Lugdunense à Gregorio X. vocatus Doctor Sanctissimus, ut Græcis Schismaticis confutandis

furandis operam navaret, vix se commisit, Ecclesiasticæ unitatis studiò accensus. Videre mihi videor Ascetam illum religiosissimum Aphraatem, *a* qui cum ex eremo egressus, Antiochiam pro fide & Ecclesiæ rebus sese contulisset, Valente Imperatore Ariano exprobrante, quòd domi, juxtà Monasticam legem precibus vacaturus non maneret, sapienter respondit; id se pacatis Ecclesiæ temporibus præstitisse; perturbatò verò Ecclesiæ statu, & periculò gravissimô Dominicis Ovibus imminente, Monachos ipsos ad fidei conservationem & defensionem Ecclesiæ, advolare in Urbes oportere. Ut enim puella in thalamo sedens, & curam ædium gerens, si ignem in ædes immissum, & paternam domum conflagrantem videat, amens fuerit, si maneat intus, non verò hàc & illac discurrat, comportans aquam ad incendium quantocyus extinguendum: sic Religiosos Viros; quos, Virginum instar, domi sedentes, pro Ecclesiâ & Imperio, Deo præpotenti supplicare decet, foràs erumpere, & circumcursare necesse esse, ut afflictis Ecclesiæ rebus opem ferant, & immisso in eam hæresum, aut Schismatum igni extinguendo, pro suâ virili adlaborent. Ita constituerat apud se Doctor Angelicus. Solitarius in Cœnobio sedebat, orationi, lectioni, scriptioni admirabilium Operum totus incumbens: Cella nostro Angelo cælum erat: è claustro non exibat unquam, nisi caritas, & Ecclesiæ commoda, proximi salus, Numinis gloria, Superiorum jussio, ipsum extra vocarent. At nequaquam sibi cunctandum arbitratur, cùm incendii quò flagrat Ecclesia, schismatis scilicet pertinacissimi extinguendi, & Græcorum ad unitatem revocandorum spes affulget. Ad iter itaque se comparat, sed in viâ morbô correptus, diem obit apud Cistercienses Fossæ Novæ Cœnobitas. Concilio ne interesset mors prohibuit, nimiùm præmatura, ni fuisset jamdudum cœlo maturus. Christianæ humilitatis nobilis victima, annuente Deo, impedita est ab aditu Concilii, ne impediretur à consummatione sacrificii. Scilicet, Pontifex Maximus Thomam cum Bonaventura Cardinalitiis Infulis ornare decreverat: Thomas Deum ferventissimis precibus orabat, ut in religiosâ humilitate & paupertate immori sibi concederet. Auditus à Deo est, ac in cælum translatus, ne à Claustro invitus raperetur. Concilio tamen, spiritu, præsidióque non defuit. Græcorum errores insigni ac luculentô, quod Urbani Quarti jussu conscripserat, Opusculo convictos, profligavit. Spiritus Sancti à Patre Filióque processionem, Romanique Pontificis Primatum professi, ac venerari, pacem ac unitatem juravêre. Translatus è terra Thomas, *Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ*, pacem Ecclesiæ non modò portendit, sed impetrat, sed conciliat. Quid cætera Concilia commemorem, in quibus Thomas velut controversiarum Judex à Patribus electus est? Viennense, Constantiense, Florentinum, Tridentinum, in quibus Beguardorum & Beguinarum, Hussitarum & Vviclefistarum, Lutheranorum & Calvinianorum Hæreses profligatæ sunt ac damnatæ? In Tridentinâ paululùm, quæso, immoremur. Scripturam Sacram super altari unâ ex parte, Summam Theologicam S. Thomæ ex alterâ, mediâ Servatoris in Cruce suffixi imagine, collocatam Historiæ produnt; ut sacrum esset armamentarium, ex quo arma adversùs Hæreticos sumerentur, ut velùti Lydius lapis esset, ad quem omnes expenderentur Controversiæ; ut denique judicandi honorem cum verbo Dei ejus doctrina participaret. Christi doctrinam ad amussim secutus est Thomas, æquum est ut cum Christi Evangelio. Scripta illius Hæreticos judicent & condemnent: ut in ipso, non minùs ob doctrinæ veritatem, quàm ob vitæ sanctimoniam, Christi promissum impleatur: *Vos qui secuti estis me, sedebitis judicantes.* Quantum verò S. Thomæ auctoritati tribuerit in dirimendis controversiis Sacra Synodus, testatur quod Sessione XXI. gestum, & ab unô Theologorum, *a* qui Concilio interfuere, memoriæ proditum est. De Communione sub utraque specie, & parvulorum, jam conditum Decretum, solenni mox ritu promulgandum expendebatur. Sedis Apostolicæ Legatis visum erat, Decreto inserendum, velut rem certissimam, Christum in supremâ Cœnâ Apostolos his verbis Sacerdotes consecrasse: *Hoc facite in meam commemorationem.* Prope erat ut id frequentibus Patrum suffragiis in rem judicatam transiret, cùm Præsulum aliquis suggessit, S. Thomam huic videri sententiæ repugnantem. Protinus, jussu Patrum, prolata Doctoris Angelici Summa, discussus locus, *b* quem cùm non unô sensu Theologi intelligerent ac exponerent, tantùm ponderis in Concilii lancem injecit sola S. Thomæ auctoritas, vel etiam dubitata, ut placuerit Concilio Decretum differre, donec ejus sententia explorata esset. Contulêre hâc de re, Patribus coram, peritiores Theologi, & in S. Thomæ doctrinâ magis versati: cúmque palam factum esset, hanc de Apostolorum inauguratione sententiam, ipsi haud esse dissentaneam, sequenti Sessione communibus suffragiis sancita est. Dicere igitur possit de cælesti doctrinâ suâ S. Thomas: *c Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & acutus inveniar in judicio, & in conspectu potentium admirabilis ero, & facies Principum mirabuntur me: tacentem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent.* Id in Tridentina Synôdo experientiâ probatum jam audivistis, sed quò minùs addubitetis, Concilii Oratori summo cum Patrum applausu S. Thomam commendanti, benevolas & ipsi aures præbete. *d Non potuit*, inquiebat, *Non potuit Doctor Sanctus Ecclesiasticis interesse Conciliis morte præventus: verùm ecce superstes, atque in æternum victurus nobis adest: bona sua, spiritales doctrinæ thesauros, hereditario jure vobis delegavit. Nulla proinde ab ejus fœlici transitu Concilia sine sacro Doctore celebrata sunt. Ut enim de cæteris sileam, quod audivimus, quod vidimus, quod manibus nostris contrectavimus, quidni aperta voce ad ejus laudem testemur? Vestra Comitia perpendite: ex plurimô ebque honorabili Doctorum cœtu, quotusquisque Consultor accedit, qui D. Thomæ auctoritate veluti splendente gemmâ suam sententiam non exornet? Et in consultissimo Patrum consessu Doctor hic sententiam rogatus frequentissimè censet. Ad quem ut ad Lydium lapidem, si quid ambiguitatis aut Controversiæ fuerit exortum, communibus votis referendum existimetis; & qui eum sui placiti Patronum obtinuerit, incertam judiciorum aleam non sit habiturus, quin secundùm eum sententia ferenda sit.* Hæc Angelici Doctoris Elogia, gratulante ac plaudente Sacrâ Synodo audita fuisse, facilè sibi persuaserit, qui Thomæ Doctrinam ut *Columnam & firmamentum veritatis*, ut *Robur ejus, quæ in Christum est, fidei*; ut *Nullis adversariis expugnabilem machinis*, (quod à Basilio Magno de Musonio Præsule sanctissimo dictum est *e*) noverit ab Ecclesiâ coli, proponi, prædicari. Id perenni monumento posteritati persuasum esse voluit Sixtus Quintus prudentissimus Pontifex, cùm in Bibliotheca Vaticana S. Thomæ pingi jussit effigiem, sinistrâ manu Ecclesiam gestantis, dexterâ verò quâ scripsit, magnum luminis splendorem in eam effundentis;

a Vide de S. Aphraate Theodoretum lib. 4. Hist. Eccles. c. 26.

a Didacus de Payva Andradius, in Sermone de S. Thoma.

b III. P. q. 73. A. 5.

c Ecclesiastic. c. 8.

d Inter Orationes habitas in Concilio Trident.

e Epist. 6.

A hac cum Epigraphe: a *Sancti Thomæ de Christo scripta, à Christo Crucifixo probantur.* Doctrinam Thomæ propugnaculum esse Ecclesiæ, quod nullis evertere molitionibus possent, vel inviti fassi sunt Hæreticorum Principes. *Tolle Thomam*, inclamabat Bucerus, *& dissipabo Ecclesiam.* Audire mihi videor Arianos, magni illius Osii studiis & auctoritate exagitatos, cùm Constantio Imperatore sic olim colloquentes: b *Nihil proficimus, quandiu reliquus est Osius. Potest ille & verbis, & auctoritate fidei suæ, omnes contra nos inducere. Hic Princeps est Synodorum, & si quid scribit, ubique auditur.* B Non absimiles voces à Lutheranis & Calvinianis, Thomisticæ doctrinæ vim expertis, furor & desperatio extorsere. *Nihil*, inquiunt, *proficimus, quando reliquus est Thomas. Hic Princeps est Synodorum, & si quid scribit, ubique auditur.* Verùm, Tolle Thomam, & Ecclesiam dissipabimus.

Tandem non solùm profligandis hæresibus, sed & moribus Fidelium dirigendis ac emendandis conducere maximè S. Thomæ doctrinam, his perditissimis temporibus probatur, quibus tot opinionum flagitia, tot errorum monstra grassari C adversùs Dei legem, & Moralis Christianæ puritatem, conspicimus & lugemus. Enimverò illibata S. Thomæ doctrina, & Moralis castissima, his opinionum venenis præsentissimum & verè Catholicum remedium est, quam cæteris tutiorem, utpotè divinæ legi consentaneam, cupiditati adversam, faventem caritati, Summi Pontifices commendarunt. De quâ jure dici possit, quod à S. Hilario de Scripturâ Divina dictum est: c *Magnum est tot in eâ una remedia esse, quot morbi sunt; & tot veritatis Doctrinas, quot sunt studia falsitatis.* D O Doctrinam omnium linguarum præconiis exornandam! ab omnibus veritatis amantibus amplectendam! Ipsam revera venerantur, prædicant, ac sequuntur penè omnes qui veritati student. Celeberrimarum Academiarum de illa elogia recenserem, nisi vela Orationis jam essent contrahenda. Sacram Facultatem Parisiensem appellarem, quæ illum vocat, d *Universalis Ecclesiæ lumen, fontem Doctorum, ipsius Universitatis Parisiensis speculum clarissimum, & candelabrum insigne ac lucens, per quod omnes,* E *qui vias vitæ, & Scholas doctrinæ sanæ ingrediuntur, lumen vident.* Tolosanam memorarem, quæ secundùm Urbani Quinti monitionem, doctrinam S. Thomæ *tanquam Benedictam & Catholicam* sectatur. Salmanticensem laudarem, e quæ ad eam sequendam Professores alumnosque suos solenni adstringit Sacramento. Lovaniensem in medium proferrem, f quæ SS. Augustinum & Thomam ut *Patronos & Magistros* agnoscit, eorúmque dogmata *tanquam inconcussa, tutissima, semper sequenda, impensè reverenda* suscipere se profitetur. Angelicum Doctorem pari prosequun- F tur reverentiâ, pari studio complectuntur Ordines plerique Religiosi, qui eximiæ eruditionis viros, veluti totidem Angelicæ doctrinæ partus, in Ecclesiæ bonum ac splendorem, gremiô suô fovent. De nostro Prædicatorum Ordine sileo, in quô à S. Thomæ doctrinâ vel latum unguem discedere, piaculum est. Celebris g Augustinianorum Eremitarum Ordo, h Canonici regulares S. Salvatoris Lateranensis, i Gallicana Canonicorum Regularium S. Augustini Congregatio, non minùs S. Thoma, *Contractô* illô (ut quidam non inscitè dixit, *Augustino*) quàm Hipponensi Præsule, Parente suô, Doctore gloriantur. Religiosissimi Congregationis S. Mauri O. B. Ascetæ, k de Ecclesiâ & Republica literariâ, doctissimis

a R... ... Romæ, ... de ... V...
b Apud S. Athanas. in Epist. ad Solitarios.
c Lib. 2. de Trinitate.
d In Decreto edito sub Stephano Episcopo Parisiensi.
e Ex Decreto condito 9. Junii 1627.
f Ex Programmate edito 6. Nov. 1670. cum Brevi Alexandri VII. ac[?]...
g Eremitæ Augustin. p. 3. Constit. cap. 2.
h Canonici Reg. S. Salvat. Later. p. 2. Constit. c. 81.
i Congregatio Canonicorum Regul. S. August. in Capit. Gener. Parisiis celebrato in Abbatia S. Genovefæ, anno 1650.
k Congregatio S. Mauri, in Regimine pro Litteratis, edito post Capitulum Gener. 1714.

lucubrationibus, & studiô in edendis ac illustrandis Patrum Operibus indefessô laudatissimi, suos erga S. Thomam ita affectos esse jubent, ut ejus doctrinam maximi faciant, & quoad fieri potest, sequantur, vel benignè interpretentur. Ordo Regius Redemptionis Captivorum, liberandæ etiam, quæ à plerisque in injustitiâ detinetur, studens veritati, doctrinam S. Thomæ Commentariis eruditissimi Zumel explicatam, suis statuit in Scholis edoceri. Minimorum Ordo, a Christianâ simplicitate & humilitate maximus, S. Thomam ut proprium Doctorem veneratur. Excalceati Carmelitæ, b non minùs Angelici Præceptoris doctrinam, quàm Seraphicæ Virginis Teresiæ Regulam colere gestium ac sectari: à neutrâ vel minimùm degeneres, tam fervidi S. Thomæ Discipuli, quàm Religiosi Theresiæ filii. Celeberrima Societas c Jesu, nefas existimavit non sequi doctrinam à Jesu approbatam. Quamobrem ad sectandum S. Thomam ceu proprium Doctorem, sese lege latâ obstrinxit, nullius Theologi doctrinam Thomisticâ *solidiorem ac securiorem* esse professa est: Eamque à Clemente Octavo Pontifice Maximo, doctrinæ accuratiùs fundatæ, ac tutioris acerrimo æmulatore, ac integerrimo perspicacissimoque Judice, sibi impensè commendatam, pro suâ erga Sedem Apostolicam observantiâ, majori studio coluit, ac suis Professoribus sequendam edixit. Clerici Regulares S. Pauli, d Barnabitæ vulgò nuncupati, doctrinam Paulinæ maximè consentaneam, & ex ejus principiis, maximè quòd Prædestinationis & Gratiæ materiam spectat, penitùs derivatam, religione maximâ complectuntur. Gallicana Sacerdotum Oratorii Congregatio, e pietatis Schola, Episcoporum Seminarium, doctrinam SS. Augustini, & Thomæ, ut certiorem & magis universè in Ecclesiâ receptam, solennibus Statutis præscribendam alumnis suis existimavit. Tandem eruditi, omnium Ordinum, quamplurimi Doctorem Angelicum injussi sequuntur, quem vix non sequerentur vel prohibiti. Hi certatim Angelicum Doctorem laudibus exornant exquisitissimis. Hic de illo prædicat, quod de Thoma Apostolo Veterum nonnemo dixit: *Digitus Thomæ Magister mundi.* Ille Summæ S. Thomæ hoc Etherii Uxamensis de Scriptura Sacra accommodat elogium: *Tota Bibliotheca unus liber est.* Alii alia congerunt encomia, pro suo quisque studio & ingenio. S. Thomam audit ut Magistrum omnis eruditorum hominum natio; ac de veritatis assecutione, quandiu ab ejus doctrinâ non discedet, secura, cum Richardo à Sancto Victore ad Deum exclamat: *Domine, si error est quod credimus, à te decepti sumus.* Doctrinam quippe sequimur Filii tui in Cruce suffixi oraculô comprobatam: Ecclesiæ tuæ multiplici præconiô commendatam.

Operam demus, Auditores! ut Thomæ doctrinam sectando, virtutes æmulemur: Vitam castissimam, orationem assiduam, humilitatem singularem, caritatem heroicam. Terrena cum ipso aspernemur: Deum unum desideremus. Dei gloriam, ac Ecclesiæ utilitatem unicum nobis studiorum nostrorum ac laborum fructum proponamus, quotquot Sacris Studiis incumbimus. A S. Thoma discamus sciendi modum: ut quô ordine, quô studiô, quô fine, rerum diversarum comparare cognitionem oporteat, perspectum habeamus. f *Quô ordine, ut id priùs, quod maturius ad salutem: quô studiô, ut id ardentius, quod vehementius ad Dei amorem: quô fine, ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, sed ad ædificationem.* Ne simus *acuti ad vana, hebetes ad æterna.* g Opiniones nostras ad Ecclesiæ sententiam, le-

a Ordo Minimorum, in Cap. Gener. Barcinonensi, 1661. Sess. ultima.
b Carmelitæ Excalc. p. 1. Constit. cap. 4.
c Societas Jesu, p. 4. Constit. c. 14. Paragr. 1. Et in Congregatione 5. Generali Decreto 56. N. 1. Et R. P. Mutio Praeposit. Gener. Epist. 2. ad Superiores Societatis.
d Manuale Regularis Disciplinæ apud Clericos S. Pauli.
e Statuta Congregationis Gener. PP. Oratorii 1634.
f Verba S. Bernardi.
g Verba S. Ambrosii.

gem Dei, SS. Patrum, & doctiorum Theologorum communia placita conformemus. Ne illos imitemur, qui *contemnunt auctoritatem Veterum, novarum cupidi quæstionum, solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet conceptam facilitate sententiam, eóque tumore elati, ut ad arbitrium suum utriusque orbis putent inclinandum esse judicium.* a

a Hormisda Papa ver. 4, in Epist. ad Possessorem.

Tu verò, Doctor Angelice, nos è cœlis precamur aspicias. Ecclesiæ succurre, & obtine à Christo, ut Hæreses, & novarum opinionum monstra penitus profliget; ut errantes filios in matris gremium revocet; ut inquietos, afflatô spiritu pacis & unitatis, in officio contineat. Intuere & Discipulos tuos, Præceptor Sancte! gratiámque eis à Deo adprecare, ut *& quæ docuisti, intellectu concipiant, & quæ egisti, imitatione compleant.* Intuere Christianos omnes, & pro eis apud Deum intercede, ut eum, sicut par est cognoscant, ac præ rebus omnibus diligant, & actus omnes suos juxtà Evangelium componant; ut eò, quod unicè concupivisti, & fœliciter consecutus es, præmiô, Deo ipsô, æternùm fruantur.

b Verba Ecclesiæ in Oratione pro Festo S. Thomæ.

Laudo quòd honorasti Doctorem tuum: nec hominem, sed ipsam quæ tibi per eum loqui dignata est veritatem.

S. Augustin. Tractatu 100 in Joannem.

FINIS.





INDEX

ALPHABETICUS RERUM PRÆCIPUARUM

quæ in hoc Volumine continentur.

Arithmetica nota Paginam, literæ verò a. b. *Columnas indicabunt.*

A

B

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

V

X

W

Explicit Index Alphabeticus.

V

X

W

Explicit Index Alphabeticus.